59

HIERONYMI

FASOLI

COMMENTARIORVM

IN PRIMAM PARTEM

S. THOMÆ

TOMVS TERTIVS.

59

HIERONYMI

FASOLI

COMMENTARIORVM

IN PRIMAM PARTEM

S. THOMÆ

TOMVS TERTIVS.

Del Colegio de la Comp.ª de Jesus de Granada
R. 1259
B 8

HIERONYMI

FASOLI

NEAPOLITANI,

E SOCIETATE IESV,

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

In primam partem Summæ D. THOMÆ

COMMENTARIORVM

TOMVS TERTIVS

DE TRINITATE ET CREATIONE.

Cum tribus INDICIBVS locupletissimis.



LVGDVNI,
Sumptib. IACOBI & PETRI PROST.

M. DC. XXXVI.

EMINENT^MO AC REVEREND^MO

DOMINO D.

FRANCISCO MARIÆ

S. R. E. CARDINALI

BRANCATIO,

HIERONYMVS FASOLVS

è Societate IESV, F.

SI mihi non à ſacris Theologiæ decretis, quam plurimis iam annis profiteor, PRINCEPS EMINENTISSIME, planè conſtaret, inanem omnino eſſe vim fati, atque ab hominum inſcitia vltro ſibi impoſitas eſſe neceſſitatis leges; Theologicam hanc de ſanctiſſima TRINITATE diſputationem, cui ex tuo patrocinio vitæ diuturnitatem augurari non dubito, eo natam, genitámque dicerem fato, vt tuo vnius nomini inſcriberetur. Memini enim Te olim, dum Neapoli in ſacra Theologiæ ſtudia incumberes, quæ tuo innixa præſidio eum aliquando à Te ſplendorem repeterent, quem tradere conata ſunt; memini, inquam, pro tua humanitate, hanc ipſam à me tractationem efflagitaſſe, quod tunc minimè quidem præſtitum, nunc tandem exoluo: quaſi meum hoc qualecumque opus, iampridem tibi vni deuotum, non aliunde prædicationis aliquam, ac famæ laudem repetere debuiſſet, quàm è tuæ purpuræ aurora. Et ſanè non fatali, quæ nulla eſt, neceſſitate; ſed tua tum veteri poſtulatione, tum noua, recentíque benignitate, vt tibi exiguum hoc munus conſecrarem, me penè coactum eſſe non dubitanter affirmo. Tuæ enim humanitatis lenitas, non lentius me, ſed longè arctius aſtringit: quando eò difficilius vinculis quis abſoluitur, quò libentius obligari cupit. quid autem iis ego vinculis eximi cupiam, quibus noſtri Ordinis vniuerſa familia tibi ſoluendo impar, libentiſſimè deuincitur? quæque auctis in dies benignitatis officiis, ne qua ex parte làxari queant, humaniſſimè prohibes? Equidem cur me tam arctis adſtringi vinculis peroptauerim, vt te in mei huiuſce cuiuſcumque laboris patrocinium aduocarem, in

præcipuis cauſis non repetam è vetuſtiſſimis hiſtoriarum monumentis clariſſimos illos nobiliſſimæ familiæ tuæ titulos; quòd illa nempe prædicetur earum, quæ à noſtro regno ducunt originem adeò antiquitate præcellens, vt ſanè non deſint, qui eius incunabula ducant ante centeſimum noſtræ ſalutis annum: cui opinioni conſonat illud, quod cùm vtramque CANDIDAM inter ſuos tutelares colat hæc Ciuitas, ſeniorem quidem, quæ Apoſtolorum Principem Neapoli excepit hoſpitio, conſtans fama, iam inde ab antiquiſſimis ducta temporibus, & noſtræ ciuitatis firmata conſenſu, familiæ tuæ cognatam adſcribit: de iuniore verò, quæ Mauritij Imperatoris ætate mille ante annos floruit, id ipſum antiqua monumenta, lapidéſque teſtantur. Neque etiam commemorabo, quòd præſtantiſſimus ille Pontifex Vrbanus VI. qui ex Archiepiſcopatu Acheruntino in Barienſem, ex hoc in ſummum Apoſtolatus apicem aſſumptus eſt; & quidem extra Collegium Cardinalium, ob eximiam, quam ſibi iam inde ab ipſa iuuentute comparauerat, auctoritatem, cum probitatis fama coniunctam; is, inquam, MARGARITAM BRANCATIAM, lectiſſimam veteris, atque inſignis nobilitatis feminam, tantóque dignam filio, matrem ſuam agnoſcat: quódque eandem prædicet auiam Franciſcus Prignanus Capuæ Princeps, ac Siciliæ Camerarius, plurium Regum ante annos trecentos teſtimonio commendatus. Commemorarem etiam ex iſta familia, qui ſexcentos ante annos domi in hac ipſa nobiliſſima Ciuitate, foríſque in toto regno, primarios titulos, præclaróſque geſſere magiſtratus. Nec ſilerem eos, qui poſtea, bellica laude conſpicui, non paruorum exercituum copias moderati ſunt: quibus longa ſerie recenſitis, adderem poſtremum, recentiſſimúmque omnium LÆLIVM gentilem tuum adhuc ſuperſtitem, non poſtremam in hoc eodem genere ætate noſtra, ob præclarè multis in præliis ſuo ductu, atque imperio nauatam operam, ſibi laudem, nominíſque memoriam comparaſſe: Commemorarem, inquam, hos omnes, alióſque quamplurimos, niſi mihi perſuaderem, Te, iamdudum ſacris, Eccleſiaſticíſque miniſteriis addictum, non tanti facere profanos titulos, atque honores, vt cum Eccleſiaſticis exiſtimes eſſe comparandos. In quibus tamen ipſis ſuppetunt mihi ex vetuſtis annalibus non pauci ſummi iſtius Collegij ſenatores, qui tibi ad ſublimem iſtum gradum, ad quem euectus es, quaſi facem prætulerunt. Quorum Princeps LANDVLFVS ille, niſi ſanctiſſimis moribus fuiſſet ornatus, à Sanctiſſimo Pontifice Cæleſtino V. in album Purpuratorum Patrum non fuiſſet adſcriptus; eundémque niſi ſumma prudentiæ laude floruiſſet, Summus Pontifex Bonifacius VIII. in Sicilienſi legatione Eccleſiæ Romanæ Vicarium minimè præfeciſſet. Accedit RAINALDVS non corpore magis inter omnes præcelſus, ſpeciéque prima planè dignus imperio, quàm excelſo animo, virtuteque conſpicuus, ab Vrbano VI. in iſtum ipſum cœtum adlectus: qui Summorum ſex Pontificum, ſibi ſerie ſuccedentium, creationi cum laude ſemper interfuit: qui Campaniæ, Maritimæque Legatus, atque Apoſtolicæ Sedis Vicarius ſumma cum poteſtate

Neapolim

Neapolim miſſus eſt, vt cum Ladiſlao Rege pacis fœdera conciliaret: qui in Conſtantienſi Concilio, quo die ſummo omnium conſenſu Martinus V. Pontifex Maximus renunciatus eſt, in conuentu Patrum Sacris ſolemniter operatus, eundem Martinum ſacra Tiara mox inſigniuit: abſolutóque Concilio Patribus abeundi poteſtatem fecit: cuius extat in hac ipſa Ciuitate Ædis ſancti Angeli ab ipſo fundatæ non vulgare monumentum. Nec prætereundi tres illi firmiſſimi Eccleſiæ Cardines LVDOVICVS, NICOLAVS, THOMAS, quorum ætas vtinam non in illud deplorandum ſeculum incidiſſet, quo ſeculo Petri cymba, in quadam tenebricoſa quaſi nocte iactata, non ſatis firmo, certóque magiſtro, ac rectore fluctuabat; quam tamen ipſi, quà licuit, adniſi ſunt ſubleuare: profectò non vt faces, ac ſidera in obſcuræ noctis tenebris emicuiſſent; ſed præclariſſimarum virtutum, quaſi fulgentiſſimos ſolares radios in die clariſſima eſſent eiaculati. Verùm, vt non nego, ex his, aliíſque præclari tui generis elogiis nonnihil tuo nomini ſplendoris accedere; ita multo maiorem Te tibi ex te ipſo fauorem, ac decus peperiſſe perſpicio: vtpote qui non vt Luna in nocte luce luces aliena; ſed Solis inſtar in clariſſimo Vrbis, orbíſque terrarum meridie tuo ipſe ſplendore multo magis eniteſcis: vt quamuis longo maiorum ſtemmate cenſearis, nobilitas tamen vnica, ipſa tibi virtus eſſe potuerit. Quis enim eſt, qui in Te conuertens oculos, non ſuſpiciat magnam illam in DEVM religionem, ac pietatem, quam Sanctiſſimus Eccleſiæ Præſul Ambroſius ordine primam cenſet eſſe virtutem, cæterarúmque fundamentum, quam deuotionem cum illo nos appellamus? cuius ipſe ſemper iam inde à primis annis in iſtam vſque ætatem ſuauiſſimos, tenerrimóſque ſenſus non obſcure demonſtraſti. Quis non miretur placidiſſimos illos mores, comitatem in officiis, in benefaciendo propenſionem, quibus tibi iam dudum omnium animos deuinxiſti? vt non immeritò iſta morum ſuauitate Barberinas Apes, mellis opifices, dulcedinis indagatrices, allexeris. Quis non prædicet maiores illas virtutes, in ſincera religione propaganda, ac promouenda animum, in concredito grege perficiendo diligentiam, in eo tuendo conſtantiam, in Eccleſiaſtico iure conſeruando fortitudinem, robur, pectus inuictum, nulli labori, atque aduerſitati cedere neſcium? Poſſem præterea multa, quæ ad tuam, tuorúmque laudem faciunt, huc congerere; niſi conſtituiſſem pudori tuo parcere, qui ſoles iſta non libenter audire. Cùm igitur hæc ſint, quæ me potiſſimum impulerunt, vt hos poſtremos ingenij mei fœtus ſub tuo potiſſimum emitterem patrocinio, qui eſſent luculentum meæ erga Te venerationis teſtimonium; illud reliquum eſt, vt enixè à te precer, vt cum iis ſimul animum meum tibi dicatum accipias, méque & illos humaniſſimè tuearis.

MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS,
Societatis IESV Præpositus Generalis.

CVM tomum tertium, qui est de Trinitate & rerum Creatione, P. Hieronymi Fasoli, Societatis nostræ, in primam partem S. Thomæ à quæstione 27. vsque ad 47. tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas, dedimus Romæ Kalendis Septembris 1630.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R. P. Prouincialis Prouinciæ Lugdunensis.

EGO Claudius Boniellus, Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis: iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1593. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto Iacobo & Petro Prost fratribus, Lugdunensibus Bibliopolis, vt *R. P. Hieronymi Fasoli in primam partem D. Thomæ tomum tertium de Trinitate & Creatione*, excudere ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 22. Decembris anno 1635.

CLAVDIVS BONIELLVS.

INDEX

INDEX
Dubitationum, Difficultatum, & Conclusionum, quæ in singulis Quæstionibus & Articulis huius Operis continentur.

PROOEMIVM.

1 IXPONITVR illud Augustini de Trinitate, *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* numero 1.2.& 3
2 Tractationis de Trinitate ostenditur primò obscuritas. num.1
3 Secundò difficultas. num.2
4 Tertiò grauitas. num.3

QVÆSTIO XXVII.

De processione diuinarum personarum.

ARTICVLVS I.

Virùm processio sit in diuinis.

1 Pars affirmatiua probatur primò ex verbis Ioan. 7. 8. 16. 17. num.1.ad 4
2 Probatur secundò ex verbis Ecclesiastici 24. n.4.5
3 Probatur tertiò ex verbis Prouerb. 8. n.6.ad 17

DVBITATIO I.

An processio in diuinis sit secundùm modum quo effectus procedit à causa.

1 Arij, Arianorúmque hæresis distinctè refertur. n.17.18
2 *Statuitur prima conclusio*, de Diuinitate Filij Dei; & explicatur, quid de ea senserit Origenes. n.19
3 Diuinitas Filij Dei probatur primò ex verbis 1. Ioan. 5. num.20.& 21
4 Probatur secundò ex verbis Rom. 9. n.22.ad 25
5 Probatur tertiò ex verbis Ioan. 1. n.25.ad 28
6 Probatur quartò ex verbis Isai. 45. & 35. n.28.& 29
7 Probatur quintò ex verbis Luc. 1. n.30
8 Probatur sextò ex multis locis, in quibus Scriptura tribuit Christo, quæ sunt Dei propria. n.31
9 Probatur septimò ex eo quòd dicta de Deo in veteri Testamento, in Nouo referuntur dicta de Christo. num.32
10 An Christus vnquam dixerit, se esse Deum; & quo sensu creatura vocetur aliquando Deus. n.33.& 34
11 Obiicitur, & exponitur locus Ioan. 17. n.35.ad 38
12 Item locus Luc. 18. n.38
13 Item locus Ioan. 20. n.39.& 40
14 Item locus Matth. 27.& 20. n.41.ad 45
15 Item locus Marc. 13. & Matth. 24. n.45.& 46
16 Item locus Ioan. 14. n.46.ad 50
17 Item locus 1. Corinth. 15. n.50.ad 53
18 Item locus Ioan. 5. n.53.& 54
19 Item locus Apocal. 5. n.55
20 *Statuitur secunda conclusio*, de æternitate Filij Dei, & probatur tribus rationibus. n.56.& 57
21 Probatur etiam ex verbis Ioan. 1. n.58.& 59
22 Et ex aliis Scripturæ locis. n.60.ad 64
23 Satisfit oppositis argumentis. n.64.ad 70
24 *Statuitur tertia conclusio*, de naturali filiatione Filij Dei. n.70
25 Et probatur ex Scriptura vocáte eum vnigenitũ. n.71
26 Item ex verbis Psalm. 2.& 109. n.72.ad 75
27 Item ex aliis locis, in quibus Christus distinguitur à filiis Dei adoptiuis. n.75.& 76
28 Aduersariorum argumenta diluuntur. n.77.ad 80
29 *Statuitur quarta conclusio*, negans, Filium Dei esse creaturã; & deducitur ex præcedẽtibus. n.80.ad 84
30 Probatur ex variis Scripturæ locis. n.84.ad 90
31 Arianorum obiectiones dissoluuntur. n.90.ad 103
32 *Statuitur quinta conclusio*, de Diuinitate Spiritus sancti. n.103.& 104
33 Probatur expressis Scripturæ locis. n.105.ad 113
34 Deducitur ex aliis locis Scripturæ. n.113.ad 125
35 Probatur etiam rationibus. n.125.ad 130
36 Satisfit hæreticorum obiectionibus. n.130.ad 140

DVBITATIO II.

An processio in diuinis sit secundùm modum, quo causa procedit in effectum.

1 Contrariis Arij & Sabellij hæresibus Catholicam fidem confirmari. n.140
2 Ponitur conclusio de pluralitate personarum intra ipsum Deum; & referuntur aduersarij hæretici, præsertim Sabellius. n.141.& 142
3 Probatur ex Scriptura, primò, Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ non esse vnam personam. n.143.ad 150
4 Secundò, Patrem, & Filium, non esse vnam personam. n.150.ad 156
5 Tertiò, Patrem, & Spiritum sanctum non esse vnam personam. n.156
6 Quartò, Filium & Spiritum sanctum non esse vnam personam. n.157.ad 161
7 Sabellianis obiectionibus satisfit. n.161.ad.167
8 De modo procedendi in disputatione de incomprehensibili Trinitatis mysterio. n.168

DVBITATIO III.

An Diuina processio dici rectè possit actio, & passio.

1 Dici rectè posse actionem. n.168.ad 176
2 Cur diuina processio magis propriè significetur per nomina vniuersaliora. n.170.171
3 Traditur differentia inter actionem & passionem, n.172
4 An diuina persona producens, dici possit agens. n.173
5 Quo modo esse personæ procedentis non sit potentiale, nec dependens, nec participatum, nec possit concipi sub non esse; & tamen sit acceptum ab alio. n.174.& 175
6 Diuinam processionem minus rectè dici passionem. n.176.& 177

DVBITATIO IV.

An Diuina processio dicirectè possit factio, vel creatio.

1 Nullo modo diei posse factionem, aut operationem. n.178.& 179

2 Non posse dici creationem propriè,& simpliciter.n.180
3 Sed impropriè,& secundùm quid. n.181
Personâ procedentè concipi non posse sub nihilo.ibid.

DVBITATIO V.

An processio diuina dici rectè possit mutatio.

1 Nulla ratione dici posse mutationem. n.182.ad 191
2 Quam ob causam nil diuinum, ne personalitas quidem personæ procedentis concipi possit sub non esse. n.183.& 184
3 An generatio sit species mutationis. n.186
4 An in diuinis sit potentia passiua,& possibilitas. n.187
5 Exponitur difficilis locus Authoris libri de speculo. n.188

DVBITATIO VI.

An diuina processio sit actio transiens, vel immanens.

1 Esse immanentem,probatur primò ex Scriptura. n.191
2 Probatur secundò ratione, ducta ex consubstantialitate diuinarum personarum. n.192

DVBITATIO VII.

Quis sit terminus à quo *actionis immanentis diuinarum processionum.*

1 In his non dari terminum *à quo* propriè. n.193
2 Essentiam diuinam nullo modo esse subiectum personalitatum. ibid.
3 Terminum quasi *à quo*, diuinarum processionum esse substantiam producentis. n.194

DVBITATIO VIII.

Quid sit in diuinis, vnam personam procedere de substantia alterius.

1 Per illud, *De*, significari aliquam originis habitudinem ad essentiam. n.195
2 Sed non ad essentiam secundùm se in genere principij actiui. n.196
3 Nec ad essentiam quomodolibet acceptam in genere principij materialis. n.197.ad 200
4 Aut etiam in genere principij formalis. n.200
5 Sed solùm in genere principij actiui ad essentiam, vt contractam in persona producente. n.201.ad 205

DVBITATIO IX.

An essentia personæ producentis sit immediatum principium diuinarum processionum.

1 Hoc principium non esse personalitatem:& essentiam esse principium, saltem mediatum. n.205
2 Processionem actiuam non habere principium, à quo sit. n.206
3 Processionem passiuam, quæ propriè processio est, non esse immediatè ab essentia, vt præcisa ab intellectu, & voluntate. n.207.ad 214
4 Quid apud Sanctos sit, Filium procedere natura, non voluntate. n.211
5 Cur in homine,non in Deo, generet natura præcisa ab intellectu,& voluntate. n.213

DVBITATIO X.

An intellectus sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis.

1 Conclusio affirmatiua probatur primò ex Scriptura. n.214.215
2 Probatur secundò ex Patribus. n.216
3 Probatur tertiò demonstratione Theologica. n.217. ad 220
4 Filium Dei vocari propriè Verbum. n.215

DVBITATIO XI.

An voluntas sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis.

1 Conclusio affirmatiua', ciúsque authores,& aduersarij. n.220
2 Ariminensem,Ochamum,Riccardum Victorinum non esse contrarios. n.221.ad 224
3 Afferuntur nonnullæ probationes conclusionis.n.224. ad 227
4 Satisfit obiectionibus Durandi. n.227.ad 234
5 Quo modo intelligere & velle in Deo sint principia productionum,& productiones ipsæ. n.227

DVBITATIO XII.

An facta aliqua Fidei suppositione, demonstrari naturaliter possint processiones diuinarum personarum.

1 Ex fide vnius Dei in tribus personis, demonstratur Theologicè, primò, vnam personam esse inproductam. n.234.235.& 241
2 Secundò, duas personas esse productas à persona inproducta. n.236.& 237
3 Tertiò,diuinas processiones duas tantùm esse. n.238
4 Quartò,vnam processionem esse per intellectum,aliam per voluntatem. n.238
5 Quintò,vnam processionem esse priorem,aliam posteriorem. ibid.
6 Sextò,vnam processionem esse ab vna persona,aliam à duabus. ibid.
7 Non esse maiorem perfectionem in diuinis producere, quàm produci. n.239
8 Primam Trinitatis personam non posse produci à Deitate. n.240
9 Personas diuinas non posse multiplicari per formalitates absolutas,aut relatiuas,nisi originis.n.236.& 242

DVBITATIO XIII.

An nulla facta Fidei suppositione demonstrari naturaliter possit processio intra ipsum Deum.

1 Ex qualibet creata intellectione procedere Verbum. n.243.ad 248
2 Verbum creatum non procedere ex actu intellectus, sed ex actione intelligendi. n.248.& 249
3 Verbum creatum,non esse id *in quo*, sed id *quo* intelligimus. n.250.ad 259
4 Ex voluntate creata procedere amorem eodem modo, quo ex intellectu procedit verbum. n.259.ad 266
5 Ex processione Verbi creati non posse naturaliter demonstrari Verbi increati processionem. n.266.ad finem articuli.
6 Cur in Deo per intelligere essentiale non producitur Verbum:& quo modo Verbum dici possit essentialiter in diuinis. n.271
7 Diuinas processiones percreatas, factas ab intellectu & voluntate,aptissime declarari: inter eas tamen esse prauas dissimilitudines. n.272.& deinceps.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

1 Conclusio affirmatiua probatur primò ex Fidei definitione. n.1
2 Probatur secundò demonstratione Theologica ex eo, quòd Filius Dei,sit verè Filius; & verè Filius, verè generatur. n.2.& 3
3 Probatur tertiò ex generationis definitione, quæ multis explicatur, & applicatur processioni Verbi. n.4. ad 9

DVBI

DVBITATIO I.

An liceat inquirere rationem, ob quam processio Verbi sit generatio.

1 Referuntur multi Patres pro parte negatiua. n.9.ad 12
2 Neque licitum, neque possibile est, hanc rationem inquirere independenter ab aliquo alio Fidei principio. n.12.ad 15
3 Possibile,licitum, ac pium est inquirere dependenter à Fide. n.15.ad 19

DVBITATIO II.

An processio Verbi, seu Spiritus sancti, se ipsa præcisè sit, aut non sit generatio.

1 Hoc à quibusdam insufficienter dici,probatur. n.19. & 20
2 Processionem terminari ad Filium, non satis probare, illam esse generationem. n.21
3 Quid probet illa Augustini differentia, Filius procedit, quomodo natus, Spiritus sanctus quomodo datus. n.22.& 23

DVBITATIO III.

An procedere ab vno solo, faciat ad rationem diuinæ generationis.

1 Non facere, si nihil aliud addatur. n.24.ad 33
2 Facere,si magis explicentur termini. n.33.& 34
3 Spiritus sanctus si per impossibile generaretur à duobus,non haberet patrem & matrem. n.25
4 Procedere modo naturæ,non satis probari à Durando, per procedere ab vno tantum:non sicut nec procedere modo voluntatis, per procedere à duobus. n.29.ad 33

DVBITATIO IV.

An procedere prius origine faciat ad rationem diuinæ generationis.

1 Processionem esse priorem, aut posteriorem origine, non probat esse, aut non esse generationem. n.35. ad 38
2 In aliquo autem bono sensu accipi posse vt rationem sufficientem. n.38.& 39
3 Si per impossibile processio per voluntatem esset prior, adhuc non esset generatio. n.38

DVBITATIO V.

An processio Verbi sit generatio, quia per eam communicatur natura fœcunda.

1 Referuntur authores pro vtraque parte. n.40.&41
2 Pars negatiua multis probatur. n.42.ad.50
3 Communicationem naturæ infœcundæ stare cum generatione,latè suaderur exemplo muli. n.45.& 46
4 Spiritus sanctus si per impossibile spiraret, adhuc non esset Filius. n.48.& 49
5 Rationem de communicatione naturæ fœcundæ posse explicari vt sufficientem. n.50
6 Soluuntur contraria argumenta. n.51.ad 60
7 Verbum futurum Filium, etiam si per impossibile non spiraret. n.55
8 Quid sit de ratione filij creati, & filij vt sic, præscindentis à creato & increato. n.57.ad 60

DVBITATIO VI.

An sola similitudo intentionalis satis sit, vt processio Verbi sit generatio.

1 Conclusio negatiua,eiúsque aduersarij. n.60
2 Probatur primò authoritate Patrum. n.61
3 Secundò,authoritate Scholasticorum. n.62.& 63
4 Tertiò,nonnullis rationibus. n.64.ad 68
5 Similitudinem realem in natura esse omnino necessariam ad rationem generationis. n.60.ad 68

DVBITATIO VII.

An similitudo intentionalis sit necessaria, vt processio Verbi sit generatio.

1 Non esse necessariam essentialiter formaliter. n.68
2 Esse necessariâ essentialiter concomitanter.n.69.ad 72
3 Quid sit in Athanasio,& Augustino, *eò Filius, quò Verbum;& eò Verbum,quò Filius.* n.69.& 70
4 Cur à S.Thoma generatio diuina explicetur,modò per solam realem similitudinem,modò etiam per intentionalem. n.71

DVBITATIO VIII.

An sola realis similitudo sufficiens sit, vt processio Verbi sit generatio.

1 Conclusio affirmatiua ponitur num.72. & probatur n.73.ad 83
2 Realem similitudinem requiri formaliter, & non solùm materialiter ad generationem. n.75.& 76
3 Spiritum sanctum procedere similem,non tamen vt similem. n.74.ad 83
4 Idem esse procedere vt similem,& procedere vt imaginem. n.81.& 82

DVBITATIO IX.

An ratio imaginis sufficienter probet, processionem Verbi esse generationem.

1 Quid sit imago,& quid addat supra similitudinem.n.83
2 Procedere vt imaginem, sufficienter probat rationem formalem generationis. n.84
3 Filium Dei ex vi formali suæ processionis esse perfectissimam Patris imaginem. n.85
4 Hanc verò imaginem esse formalem in essendo, non in repræsentando, declaratur, & probatur ex Patribus. n.86.ad 89
5 Procedens formaliter per modum imaginis,esse naturaliter ordinatum ad repræsentandum. n.89.& 90
6 Imaginis rationem necessariam ad generationem, non attendi secundùm vltimam rationem personæ. n.91.ad 94

DVBITATIO X.

An ad Verbi generationem sit necessaria similitudo, non solùm in natura, sed etiam in obiecto.

1 Declaratio quæsiti,& totius controuersiæ. n.94
2 Prima conclusio negatiua de generatione in communi. n.95
3 Secunda conclusio etiam negatiua, si obiectum non concurrit effectiuè. n.96
4 Tertia conclusio negatiua, etiam si obiectum, præter naturam,concurrunt effectiuè. n.97.& 98
5 Quarta conclusio simpliciter negatiua, de diuinis processionibus in particulari. n.99.ad 107

DVBITATIO XI.

An ratio generationis Verbi reddi possit per intellectionem, realiter non essentialem.

1 Explicatio terminorum, & sequentium difficultatum. n.107
2 Conclusio negatiua probatur à n.108. ad 111
3 Intellectionem Dei non posse concipi tanquam viam ad principium intellectiuum. n.108
4 In Deo non dari principium intellectiuum. ibid.

Verbi diuini processionem esse immediatè ab actu intelligendi,non à principio intellectiuo. n.109
Si intelligere non est de essentia Dei, non potest reddi ratio,cur processio Verbi sit generatio. n.110

DVBITATIO XII.

An ratio generationis Verbi reddi possit per intellectionem præcisiuè non essentialem.

1 Traduntur ex S. Thoma formales termini,& formalia principia diuinarum processionum. n.111
2 Exponitur titulus dubitationis. ibid.
3 Non probari generationem Verbi ex eo, quòd eius processio sit perfectissima. n.112.& 113
4 Neque ex infinitate, & diuinitate actus intelligendi, vnde procedit Verbum. n.114.ad 117
5 Neque ex essentiali inclusione diuinæ naturæ in actu intelligendi. n.117
6 Neque ex eo quòd intellectio Dei sit substantialis, & comprehensiua. n.118.ad 121

DVBITATIO XIII.

An ratio diuinæ generationis reddenda sit per intellectionem essentialem.

1 Conclusio negatiua, si intelligere sit æquè essentiale, ac velle. n.121
2 Conclusio affirmatiua,si intelligere sit vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ. n.122
3 Absolutè probatur, Verbum generari, non Spiritum S. quia intelligere est constitutiuum Dei,velle est proprietas. n.123.ad fin.artic.
4 Hanc probationem esse Sancti Thomæ. num.127, ad 130
5 Verbum procedere vt realiter simile Patri, non obstante personalitatum oppositione. n.133.134
6 Declaratur quo modo Spiritus sanctus sit Deus,cùm ex vi processionis,tum ex se præcisè. n.135.ad 144
7 Soluuntur quatuor difficultates contra vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ per intellectionẽ.n.144. & deinceps.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit in diuinis alia processio à generatione Verbi.

1 Conclusio affirmatiua probatur demõstratione Theologica. n.1
2 Refertur hæresis Macedonij ex S.Thoma, ibid,
3 Quo modo ex Dei intellectu & voluntate,omnino indistinctis, oriantur duæ processiones realiter distinctæ. n.2

ARTICVLVS IV.

Vtrùm processio amoris in diuinis sit generatio.

1 Conclusio negatiua probatur primò ex definitione Ecclesiæ,& referuntur contrarij errores. n.1
2 Probatur secundò ex Scriptura, n.2.3.& 4
3 Probatur tertiò ratione Basilij. n.5
4 Probatur quartò alia ratione ostensiua. n.6
5 Quo sensu Patres doceant, Spiritus sancti processionẽ à nobis sciri non posse. ibid.
6 Cur emanatio Spiritus sancti dicta sit processio, & spiratio, n.7

ARTICVLVS V.

Vtrùm sint plures processiones in diuinis,quàm duæ.

1 Conclusio negatiua, certa secundùm fidem, probatur & defenditur toto articulo.
2 Exponitur ratio in corpore articuli. n.2
3 Quo modo per vnã actionẽ vnius simplicissimæ personæ sint duæ processiones realiter distinctæ: n.3
4 Ex infinitate processionis non probari, vnam tantùm processionem esse in diuinis. n.4
5 Defenditur contra Scotum ratio hîc ad 3. de implicantia plurium verborum & amorum in diuinis. n.5.6.7
6 Eiusdem veritatis alia ratio ducens ad impossibile. num.8

QVÆSTIO XXVIII.

De relationibus diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Deo sint aliquæ relationes reales.

1 Conclusio affirmatiua probatur ex Scriptura, & Patribus. n.1.& 2
2 An diuinæ relationes sint prædicamentales. n.3
3 Aristotelica definitio Relatiuorum explicatur, & applicatur diuinis. ibid.
4 Traduntur tres Relatiuorum proprietates,& applicantur diuinis. n.3.ad 7

DVBITATIO I.

An diuinæ relationes sint reales, etiam secundùm propriam rationem essendi Ad.

1 In quauis relatione distinguitur duplex esse, *Ad*,& *In*. num.7
2 Diuinas relationes esse reales secundùm esse *In*. n.8
3 Duobus modis non esse reales secundùm esse *Ad*,iuxta mentem Boëtij,& S.Thomæ. n.9.ad 12
4 Esse tamen dicendas simpliciter reales secundùm esse *Ad*. n.12.ad 33
5 Idque sentire etiam S.Thomam,& Thomistas. n.12. ad 17
6 Ne mente quidem posse distingui in relatione vnum esse *Ad*,& aliud esse *In*. n.17.& 29
7 Relationes Dei esse multò magis reales, quàm creaturarum. n.20
8 Cur esse Patrem,& non esse Creatorem, sit in Deo relatio realis. n.25
9 Quo modo esse *Ad* relationis creatæ sit inhærens, non exclusum à communi relationis definitione. num.28
10 An diuinæ relationes specificentur & dependeant à terminis. n.30.ad 33

DVBITATIO II.

Qua ratione probari possint in Deo reales relationes.

1 Non posse probari sine fide. n.33.& 34
2 Posita verò fide posse demonstrari dupliciter. num.35. & 36
3 Traditur ratio,ob quam in creaturis dari debeant reales relationes. n.37
4 Dari prædicamentalem relationem in creatura ad Creatorem,non contrà. n.38
5 Per relationem creaturæ ad Deum, non posse denominari Deum realiter relatum ad illam. num. 39. &40

DVBITATIO III.

An ex diuinis relationibus demonstrari possint creatæ relationes.

1 Non posse demonstrari omnes. n.41
2 Nullam simpliciter posse demonstrari. num.42.ad finem articuli.
3 Cur detur in Patre & Filio relatio spirationis actiuæ. num.45

4 Quo modo S.Thomas probet, dari creatas relationes. n.44.& 46

ARTICVLVS II.

Vtrùm relatio in Deo sit idem quòd sua essentia.

1 Relatio realiter existens in Deo, est idem omnino essentiæ secundùm rem. n.1
2 Per diuinam relationem, vt relatio est, non significatur habitudo ad essentiam, sed ad oppositum. num.2
3 Relatio diuina ab essentia differt ratione. n.3

DVBITATIO I.

An inter Dei relationem & essentiam sit aliqua actualis distinctio à parte rei.

1 Conclusio negatiua contra Gilbertum Porretanum, & Durandum. n.4.ad 7
2 Quid hac de re senserit Scotus. n.7.& 8
3 Quid Ochamus,Gabriel, Marsilius. n.9
4 Probatur conclusio; primò,authoritate Ecclesiæ.n.10. ad 13
5 Secundò,authoritate Patrum. n.13.& 14
6 Tertiò,ratione ducta ex diuina simplicitate. n.15.ad 26
7 Quartò,ex diuina vnitate. n.26
8 Quintò,ex diuina infinitate. n.27
9 Sextò,ex diuina actualitate. n.28
10 Septimò,ex duplici axiomate de Trinitate. n.29
11 Trinitate diuina augeri vnitatem Dei. n.23

DVBITATIO II.

An, & quo modo, ratione distinguantur in Deo relatio, & essentia.

1 Distingui ratione simpliciter. n.30.ad 33
2 Distingui ratione ratiocinata, & fundata in re. n.33. ad 58
3 Non tamen per intellectum diuinum,aut beatum,nec ab æterno. n.30.& 31
4 Explicantur quatuor fundamenta prædictæ distinctionis. n.38.ad 42
6 Relatiuum, vt sic, nec vllam importare imperfectionem, nec opponi absoluto.
6 An diuina relatio sit modus,vel res. n.42.ad 45
7 Exponuntur nonnulli Patres, qui videntur prædictam rationis distinctionem negare. n.45
8 Non obstare illud axioma, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. n.47.ad 50
9 De diuina essentia & relatione non verificari contradictoria;& quam ob causam. n.50.ad 56
10 Ab essentia diuina magis ratione distingui relationes, quàm attributa. n.40.57.& 69

DVBITATIO III.

An relatio sit de quidditatiuo conceptu diuinæ essentiæ.

1 Conclusio negatiua, & Authores vtriusque partis. n.58.ad 63
2 Probatur primò authoritate Conciliorum, & Patrum. n.63. ad 69
3 Probatur secundò rationibus. n.69.ad 75
4 Exponuntur oppositæ Patrum authoritates. num.75. ad 82
5 Soluuntur oppositæ rationes. n.82.ad 90
Efficax demonstratio Theologica pro conclusione. n.63.& 66
6 Hæc duo non cohærere, esse de essentia in esse reali, non in esse concepto. n.70.ad 73
7 Relationes,ne disiunctim quidem sumptas, esse de essentia Deitatis. n.73
8 Saluari infinitatem diuinæ essentiæ, etiamsi in illa neque sint, neque esse possint relationes. n.82 & 83
9 Si in Deo vna tantùm esset persona, adhuc de illius essentia non esset personalitas. n.84
10 Quo modo relationes ad essentiam pertineant. n.85. & 86
11 An personalitas sit de essentia personæ. n.89

DVBITATIO IV.

An essentia Dei sit de quidditatiuo conceptu relationis.

1 Conclusio affirmatiua de relatione in concreto,quæ est persona. n.90
2 Negatiua verò de relatione in abstracto. num.91. ad 119
3 Quid hac de re senserit S.Thomas. num.94. ad 98. & n. 111
4 Ex inclusione essentiæ in relatione, sequi inclusionem paternitatis in filiatione; & è contra. n.101. & 102
5 Si relatio non est de essentia Deitatis, nec Deitas esse potest de conceptu relationis. n.103.& 104
6 An communicabilitas sit de essentia naturæ diuinæ. n.108.ad 111.
7 In quo consistat ratio entis diuini. n.117

DVBITATIO V.

An diuina relatio dicat aliquam perfectionem.

1 Dicit, prout identificatur essentiæ, vel essentiam includit. n.119
2 Dicit, etiam considerata per se, vt præcisa secundùm rationem ab essentia. n.120.ad 163
3 Quid senserit S. Thomas in hac controuersia. n.122. ad 125
4 Personales relationes esse perfectiones personarum. n.127
5 Esse quoque perfectiones essentiæ. num.128. 129. & 155
6 Trinitas, vt Trinitas, in diuinis dicit perfectionem, & honoratur. num. 130. & 131
7 Tot in Deo esse perfectiones relatiuas, quot sunt relationes. num.132. & 133
8 Plures perfectiones relatiuas non pugnare cum æqualitate diuinarum personarum. num. 134. ad 149
9 Omnes relationes,ratione essẽtiæ,esse in qualibet personа non eminenter,sed formaliter num. 135
10 Paternitatem esse in Filio,& tamen Filium non denominari Patrem. num. 136. ad 143
11 An paternitas & filiatio, vt præcisæ ab essentia, sint æquales. num. 143. ad 149
12 Perfectionem relatiuam esse infinitam. n.149. & 150
13 Relationes pertinere ad integritatem Dei. n. 151. ad 155
14 An diuina relatio sit perfectio simpliciter simplex. num 156.ad 159

DVBITATIO VI.

An relatio creata distinguatur ex natura rei à suo fundamento.

1 Non ita distingui, vt possit per se sola existere sine fundamento. n.163.& 164
2 Nihilominus distingui actu in re à fundamento.n.165. ad finem articuli.
3 Pro hac sententia esse S.Thomam. n.175.ad 180
4 Nihil quod à parte rei est accidens, posse esse à parte rei omnino identificatũ cum substantia. n.181.& 182.
5 In fundamento, nec relatiuam denominationem, nec relationem ipsam esse posse absque termino. n.183. & 184.

6 An Deus ad creaturas referri possit relatione indistincta. n.186
7 Quo modo sit, vel non sit motus ad relationem. n.187
8 Cur in creaturis, non in Deo, relatio in re distinguatur ab absoluto. n.189
9 An producto, & corrupto termino, producatur, & corrumpatur relatio. n.190.ad 193
10 An relatio componat cum fundamento. n.193
11 Relationem habere proprium esse; & cur hoc dicatur reliquorum entium debilissimum. n.194
12 An positis fundamento & termino possit non poni relatio. n.195

ARTICVLVS III.

Vtrùm relationes, quæ sunt in Deo realiter abinuicem distinguantur.

1 Conclusio affirmatiua sequitur ex tribus diuinis personis per solas relationes realiter inuicem distinctis. num.1
2 Et probatur ex Conciliis & Patribus. n.2
3 Sequitur etiam ex conceptu relationis intra ipsum Deum. n.3
4 Diuinas relationes esse propriè res. n.4

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Deo sint tantùm quatuor relationes reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio.

Proponitur articuli resolutio, & explicantur difficultates, quæ in ea continentur.

DVBITATIO I.

An in Patre & Filio detur relatio spirationis actiuæ ad Spiritum sanctum.

1 Conclusio affirmatiua omnium, etiam Albini Flacci, Hugonis Ætheriani, & Gregorij Ariminensis. n.1
2 Probatur primò ex Patribus. n.2
3 Probatur secundò ex Conciliis. n.3
4 Probatur tertiò ex relatione spirationis passiuæ. n.4
5 Probatur quartò ex processione Spiritus S. à Patre & Filio. n.5
6 Patrem & Filium per paternitatem & filiationem non posse referri ad Spiritum S. n.3.5.& 38
7 Non eodem modo Patrem & Filium referri ad Spiritum S. quo in creatis pater & mater referuntur ad filium. n.7
8 Spirationis actiuæ relationem aduenire Spiritui S. & tamen non esse accidens. n.8

DVBITATIO II.

Quo modo relatio spirationis actiuæ distinguatur à paternitate, & filiatione.

1 Nullo modo distingui à parte rei. n.9.ad 18
2 Multis agitur de illo axiomate, *In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* n.12.13.& 66
3 Quo modo paternitas & filiatio opponantur relationi spirationis passiuæ. n.15.& 25
4 Declaratur illud axioma, *Solà relatio multiplicat Trinitatem.* n.17
5 Distingui ratione ratiocinata. n.18.& 19
6 Spirationem non esse de essentiali ratione paternitatis, aut filiationis; nec econtrà. n.20.ad 25
7 Satisfit obiectionibus. n.25.ad 35
8 De argumento à commutata proportione. n.27
9 Generari & spirari non esse disparata, sicut generare & spirare. n.29
10 Diuinas relationes differre quasi specie. ibid.
11 Duo absoluta non posse identificari cum tertio absoluto, non sic de relatiuis. n.32
12 An spirandi relatio communicetur, vel resultet. n.33

DVBITATIO III.

An paternitas, filiatio, spiratio, & processio, sint quatuor relationes.

1 Traditur ratio dubitandi. n.35
2 Non esse quatuor res. n.35.36.& 37
3 Esse quatuor relationes. n.35.ad 45
4 Multiplicato inferiori non semper multiplicari superius. n.40
5 In Patre & Filio esse vnam numero spirandi relationẽ. n.41
6 Paternitatem, & filiationem, ne identicè quidem prædicari de spiratione; & è conuerso. n.42.ad 45

DVBITATIO IV.

An intra Deum sint plures quàm quatuor relationes.

1 Non esse plures quàm quatuor relationes fundatas in actione & passione. n.45
2 Nullam esse in Deo relationem fundatam in mensura & mensurabili. n.46.& 64
3 Esse rationis, non reales in Deo relationes fundatas in vnitate. n.47.ad 51
4 Item fundatas in numero. n.51.ad 54
5 Reales relationes simpliciter in Deo esse tantùm quatuor. n.54.ad fin.artic.
6 Quodnam sit fundamentum relationum originis. n.58. & 59
7 Inter duo alba, habentia vnam numero albedinem, non dari relationem similitudinis. n.49.& 65
8 Paternitatem & filiationem esse relationes oppositionis. n.66

QVÆSTIO XXIX.

De personis diuinis.

ARTICVLVS I.

De diffinitione personæ.

1 Esse recipiendam definitionem illam Boëtij, *Persona est naturæ rationalis individua substantia.* n.1
2 Substantiæ nomine significari primam substantiam, eámque simpliciter non esse personam. n.2
3 Et ideo à definitione excludi accidentia, genera & species, & partes hominis, etiam animam separatam. n.3
4 Exponitur illud, *individua.* n.4
5 Quid addat suppositum supra naturam singularem. n.5.ad 9
6 Exponitur illud, *naturæ rationalis.* n.9
7 Sancti in quo sensu essentiam & personas diuinas comparent speciei, & individuis creatis. n.10
8 Alia Riccardi Victorini definitio: &, an tres personæ dici possint tres substantiæ. n.11

ARTICVLVS II.

Vtrùm persona sit idem quod hypostasis.

1 Hypostasim pro persona vsurpari, Hebr. 1. *Figura substantiæ eius.* n.1.& 2
2 Idem vsus probatur ex Patribus. n.3
3 Ex quo tempore, ac modo fuerit communissimè receptus à fidelibus. n.4
4 Hypostasim à nonnullis Patribus vsurpari etiam pro essentia. n.5
5 Iam verò non posse negari tres hypostases. n.6.& 7
6 Persona & hypostasis idẽ significãt, quòd subsistétia. n.8
7 Nomina personæ, hypostaseos, & subsistentiæ, differre à nomine essentiæ. n.9

8 Cur

8 Cur non dicamus, tres in Deo esse substantias. ibid.

ARTICVLVS III.

Vtrùm nomen personæ sit ponendum in diuinis.

1 Nomen personæ, quantum ad id à quo impositum est, non conuenire Deo. n.1
2 Conuenire verò quantum ad rem significatam. n.2
3 Sed non conuenire, quantum ad modum significandi. n.3.& 4

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc nomen, persona, significet relationem.

1 Explicatur dubitandi ratio. n.1
2 Personæ nomen esse absolutum. n.2
3 Persona in communi neque significat absolutum, neque relatiuum. n.3
4 Nomine personæ significari personalitatem & naturam, sed principaliùs personalitatem. n.4
5 Nomen personæ applicatum diuinis, significat in recto, & principaliùs relationem. n.5.& 6
6 Non tamen per modum relationis, sed per modum substantiæ. n.7

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit ponere plures personas in diuinis.

Pars affirmatiua probatur ex Fidei definitionibus. n.1

DVBITATIO I.

An in tribus diuinis personis sit vna communis existentia absoluta.

1 Conclusio affirmatiua probatur primò ex falsitate principiorum contrariæ sententiæ. n.1
2 Probatur secundò authoritatibus Sanctorum. n.3.ad 6
3 Probatur tertiò multis rationibus. n.6.ad 10
4 Existentiam absolutam esse ex genere suo perfectionem existentia relatiua. n.9

DVBITATIO II.

An in tribus diuinis personis sint tres existentiæ relatiuæ.

1 Conclusio affirmatiua, eiúsque authores, & aduersarij. n.10.& 11
2 Probatur primò authoritate Patrum. n.12.ad 15
3 Probatur secundò rationibus. n.15.ad 21
4 Dissoluuntur obiectiones. n.21.ad 34
5 De existentia relationis spirationis actiuæ. n.16
6 An in Deo sint quatuor existentiæ, sicut sunt quatuor relationes. n.26
7 An dici possit, in Deo esse tres essentias relatiuas. n.27
8 Existentiam conuenire etiam subsistentiæ, & inhærentiæ. n.22.& 27
9 An in Deo sint tres relatiuæ sapientiæ, durationes, æternitates, aut tres actus puri relatiui. n.28.ad 33
10 Existentiam non necessariò esse absolutam. n.33
11 Quid senserit S. Thomas de relatiuis existentiis. n.21.ad 24

DVBITATIO III.

An in tribus diuinis personis sit vna communis subsistentia absoluta.

1 Dei existentiam absolutam, esse actum essendi, non solùm *per se*, sed etiam *in se*. n.34.& 35
2 Differentia inter existentias, & suppositalitates increatas & creatas. n.35.& 53
3 Ne ratione quidem distingui posse in Deo subsistentiam absolutam ab existentia absoluta. n.36.& 52
4 Subsistentiam absolutam, prout accipitur in creaturis, non posse dici de Deo. n.37.& 38
5 In alia verò significatione tribuendum esse Deo. n.39. ad 58
6 Cur Deo præcisè tribui possit subsistentia, non autem persona, aut hypostasis. n.49.53.& 55
7 Per diuinam subsistentiam absolutam non posse terminari alienam naturam. n.52
8 Abstractis personalitatibus remanere hunc Deum. n.54.ad 58
9 Non tamen semipersonam contra Caietanum. n.55
10 An Deus præcisus à personis dici possit generans, & creans. n.57

DVBITATIO IV.

An in tribus diuinis personis sint tres subsistentiæ relatiuæ.

1 Esse tres subsistentias in concreto, hoc est, tres subsistentes. n.58
2 Esse etiam tres subsistentias in abstracto. n.59.ad finem articuli.
3 An S. Thomas concesserit tres subsistentias in Deo relatiuas. n.59.& 60
4 Quæ necessitas fuerit introducendi subsistentiam absolutam, & subsistentias relatiuas; &, an sint quatuor subsistentiæ. n.69
5 An diuinæ subsistentiæ sint perfectiones simpliciter simplices. n.70
6 Subsistentiam relatiuam immediatè tribui, non naturæ simpliciter, aut personæ, sed naturæ vt subsistentia. num.71
7 Quodnam esse per se, sit de essentia personalis subsistentiæ. n.72

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Deo sint plures personæ quàm tres.

1 Non esse pauciores tribus. n.1.ad 5
2 Non esse plures quàm tres. n.5.ad fin.artic.
3 Cur in Deo, non in creatura sit duplex modus communicandi naturam. n.3
4 Quo modo ex Dei intellectu & voluntate indistinctis, oriri possint distinctæ processiones. n.4
5 Cur amor in Deo, non in creatura, procedat à verbo. num.4
6 Tres diuinas personas numerari absque imperfectione mensuræ, partis, totius, maioris, minoris. n.7
7 Exponitur illud Augustini, *Filius non genuit, non quia non potuit, sed non oportuit.* n.8

ARTICVLVS III.

Vtrùm termini numerales ponant aliquid in diuinis.

1 Explicatur titulus articuli; & probatur responsio, quòd non ponant nisi negationem. n.1
2 Magistri sententia refertur, & explicatur cum S. Thom. num.2
Terminos numerales prædicari de rebus diuinis. n.3

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc nomen, persona, possit esse commune tribus personis.

1 Esse simpliciter commune. n.1
2 Non esse commune communitate rei, aut negationis, aut intentionis. n.2.& 3
3 Esse commune communitate rationis, non sicut aliquod vniuersale. n.4.ad 7
4 Sed sicut individuum vagum. n.7.ad 12

3 Communitatem personæ non esse æquiuocam, nec vniuocam, sed analogam. n.12
4 An tres personæ sint tria indiuidua, tria singularia, tria particularia. n.13
5 An differant numero. n.14
6 An differant specie. n.15

QVÆSTIO XXXI.

De his, quæ pertinent ad vnitatem, vel pluralitatem in diuinis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit Trinitas in diuinis.

1 Trinitatis nomen aptè tribui Deo. n.1.& 2
2 De etymologia horum nominum, Trinitas, Trinus. n.3. & 4
3 Quid significetur, cùm dicitur, Deus est trinus. n.4
4 Trinitas significat pluritatem personarum, non naturę; & non est nomen relatiuum. n.5
5 Trinitas significat vnitatem naturæ, non personæ. n.6. & 7
6 An Trinitas sit nomen collectiuum. n.8
7 Quid sint, Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate. num.9
8 An triplicitas, & triplex dicantur de Deo. n.10.& 11
9 An de personis & personalibus. n.12

ARTICVLVS II.

Vtrùm Filius sit alius à Patre.

1 Alium, & alium, dici posse de personis. n.1.& 2
2 Non autem de aliis terminis communibus, & absolutis. n.3
3 Exponitur illud Ioan.14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit*, &c. n.4

DVBITATIO I.

De voce, Aliud.

1 Contra fidem dici, Filium esse aliud à Patre. n.5
2 Cur Filius dicatur alius à Patre non aliud. n.6
3 Cur alius referatur ad personam, aliud ad naturam. num.7
4 Quomodo sumantur *Quis*, & *Quid*. n.8
5 Pater & Filius non sunt vnus, sed vnum. n.9
6 Filius est idem quod Pater, non idem qui Pater. n.10

DVBITATIO II.

De vocibus, alter, alterum, distinctum.

1 Alter, alterum dicuntur sicut alius, aliud. n.11.& 12
2 Differentia quædam ex Sanctis Thoma & Bonauentura inter alium & alterum. n.11
3 Distinctionis nomen tutissimè vsurpari de personis diuinis, etiam inter se comparatis. n.13

DVBITATIO III.

De voce, Differentia.

1 Non satis propriè vsurpari in diuinis. n.14.ad 17
2 Posse tamen tutò vsurpari. n.17.ad 21
3 Quid ex Aristotele sit Differens, & diuersum. n.14

DVBITATIO IV.

De vocibus, discrimen, diuersitas.

1 Discriminis nomen in diuinis vsurpari posse. n.21
2 Nomen diuersitatis non esse vsurpandum in diuinis. n.22 ad 25
3 Posse tamen vsurpari cum aliqua limitatione. n.25

DVBITATIO V.

De aliis vocibus distinctionem significantibus.

1 Diuisionis nomen diuinis absolutè tribui non posse. n.26
2 Tribui verò posse cum aliquo addito significante vnitatem naturæ. n.27.ad 30
3 An tres diuinæ personæ dici possint vnitæ. n.26
4 Quid dicendum de nomine discretionis. n.30.& 31
5 Quid de alieno.& discrepante. n.32
6 Quid de extraneo,& aliis nominibus eiusdem generis. num.33

ARTICVLVS III.

Vtrùm dictio exclusiua, solus, *sit addenda termino essentiali in diuinis.*

1 Non posse addi si, *solus*, accipiatur categorematicè. n.1. ad 11
2 Posse addi si sumatur syncategorematicè. n.11.12.13
3 Quid ex S. Thoma sit terminus categorematicus, & syncategorematicus. n.1
4 Quid significet nomen, *solus*. ibid.
Nefas est dicere, Deum esse solitarium. n.4
5 Deum, etiam in æternitate, dici non posse simpliciter solum, sed tantùm secundùm quid. n.3.& 5
6 An Deus dici possit singularis, & vnicus. n.6.& 7
7 An solus, & solitarius idem significent. n.4.5.8
8 Non sequi, solus Deus creat, ergo solus Pater. n.11

ARTICVLVS IV.

Vtrùm dictio exclusiua possit adiungi termino personali.

1 Non posse, si *solus* sumatur categorematicè, & prædicet simpliciter solitudinem de vna persona. n.1
2 Posse respectu prædicati personalis. n.2
3 Non posse respectu prædicati essentialis. n.3. nisi in aliquo bono sensu, n.4
4 Solus Pater est Deus, exponitur tripliciter. n.5.ad 10
5 Traditur differentia inter solum, & tantum. n.10

QVÆSTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.

1 Conclusio negatiua de cognitione humana euidente, etiam abstractiua. n.1.ad 6
2 Idem de cognitione probabili, & angelica; & posita etiam fide Trinitatis. n.6
3 Deum à nobis cognosci non posse, nisi ex creaturis, per tres vias. n.3
4 Quo modo fides Trinitatis persuadenda sit infidelibus. num.4

ARTICVLVS II.

Vtrùm sint ponendæ notiones in diuinis.

1 Quid sit notio, & quo modo concipienda sit. n.1
2 Esse ponendas notiones in diuinis. n.2.ad fin.art.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sint quinque notiones.

1 Non esse pauciores quinque. n.1.ad 6
2 Innascibilitatem esse notionem. n.3
3 Notiones non esse plures quinque. n.6.ad 11
4 Inspirabilitatem in Filio non esse notionem distinctam. n.7
5 Nullam haberi notionem ex eo quòd Spiritus sanctus non sit à quo alius. n.8
6 Procedere ab alio, non esse vnam notionem in Filio, & Spiritu S. n.9
7 Origines non esse notiones distinctas à relationibus. n.10
8 Quo modo differunt notio, relatio, proprietas. n.11
9 Proprietates esse tantùm quatuor. ibid.
10 Personales proprietates, seu relationes, seu notiones, esse tantùm tres. n.12

ARTICVLVS IV.

Vtrùm liceat contrariè opinari de notionibus.

1 Esse temerarium negare simpliciter notiones. n.1.& 2
2 An possit negari quinarius notionum numerus. num.3. & 4
3 Temerarium esse negare formalitatem, aut nomen notionis. n.5
4 Esse erroneum negare realitatem notionis. n.6

QVÆSTIO XXXIII.

De persona Patris.

ARTICVLVS I.

Vtrùm competat Patri esse principium.

1 Pars affirmatiua fidei colligitur ex illo Ioan.1. *In principio erat Verbum.* n.1
2 Colligitur præterea ex Ps. 109. ex Ioan. 14. ex 1. Corinth.11.& 15. n.2.ad 6
3 Probatur Theologica demonstratione S. Thomæ. n.6

DVBITATIO I.

An Pater dici etiam possit initium Filij.

1 Dici posse minus conuenienter. n.7.ad 11
2 Tamen dici tutò posse. n.11

DVBITATIO II.

An Patri, vt principio, correspondeat in Filio & Spiritu S. esse principiatum.

1 Minus rectè dici, Filium principiatum à Patre. n.12. & 13
2 Dici tamen posse aliquo modo. n.14
3 An dici possit, Filius habere principium. n.15.ad 19
4 Filium esse principium de principio. n.19

DVBITATIO III.

An Pater dici possit principium totius Deitatis.

1 Dici posse probatur authoritate. n.20.ad 23
2 Quo sensu dicatur Pater principium totius Deitatis. num.23
3 Quibus modis sumatur Deitas in prædicta propositione. n.24

DVBITATIO IV.

An Pater dici etiam possit author, & causa Filij.

1 Patrem dici authorem Filij, & Spiritus S. n.25
2 Filium quoque dici authorem Spiritus S. n.26
3 Qua ratione S. Thomas & alij dicant, solum Patrem esse authorem Spiritus sancti. n.27
4 Nunc à Latinis dici non posse, Patrem causam Filij, aut Spiritus sancti; quamuis Græci omnes, & aliqui Latini Patres ita loquantur. n.28.29.30

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc nomen, Pater, *sit nomen propriè diuinæ personæ.*

1 Conclusio affirmatiua explicatur, & probatur. n.1.& 2
2 Quo sensu dicat Cyrillus, Deo Patri magis conuenire nomen Patris, quàm nomen Dei. n.2
3 Primam personam diuinam melius dici Patrem, quàm generantem, vel genitorem. n.3
4 An patris nomen magis propriè conueniat Deo, quàm creaturis. n.4.& 5

ARTICVLVS III.

Vtrùm hoc nomen, Pater, *dicatur in diuinis per prius secundùm quod personaliter sumitur.*

1 Quid significet Pater sumptus personaliter, & essentialiter. n.1
2 Per prius dici Patrem sumptum personaliter, quàm essentialiter. n.2.ad fin.art.
3 Deum in Scriptura vocari Patrem respectu creaturarum, propter quatuor similitudines cum creaturis. num.2
4 An in diuinis communia sint ratione priora propriis. num.5
Deum magis quàm hominem dici posse Patrem nostrum. n.6

ARTICVLVS IV.

Vtrùm esse ingenitum sit Patris proprium.

1 Conclusio affirmatiua fidei probatur ex Conciliis & Patribus. n.1.& 2

DVBITATIO I.

In quo sensu, ingenitum, *dicatur proprietas Patris.*

1 Ingenitum, quod proprium Dei Patris dicitur, non significare non factum, seu non creatum. n.3.ad 8
2 Neque tantùm non genitum generatione propriè dicta. num.8
3 Sed significare improductum omnino. n.9.& 10
4 An essentia diuina dici possit ingenita. n.10

DVBITATIO II.

An in Deo Patre esse ingenitum importet formaliter aliquid positiuum.

1 Non importare formaliter essentiam. n.11
2 Non relationem aliquam. n.12
3 Non denique esse principium aliorum. n.13

DVBITATIO III.

An in Deo Patre esse ingenitum importet formaliter solam negationem.

1 Importare formaliter solam negationem. n.14.& 15
2 Sed per modum priuationis, non puræ negationis. n.16.& 17

DVBITATIO IV.

Quodnam sit positiuum fundamentum negationis, quàm importat ingenitum.

1 Ponitur ratio dubitandi. n.1
2 Essentiam non esse fundamentum proximum, sed remotum. n.19
3 Neque prædictæ negationis fundamentum esse rationem principij creaturarum. n.20
4 Neque etiam relationem spiratoris. n.21
5 Sed esse solam paternitatem. n.22
6 Sub qua formalitate paternitas fundet negationem ingeniti. n.23.ad 27

DVBITATIO V.

Quomodo conueniat Deo Patri propria personalitas.

1 Exponitur occasio dubitandi. n.27

2 Totam Patris personam non posse realiter procedere ab ipsamet tota. n.28.& 29
3 Paternitatem non emanare realiter ab essentia. n.30
4 Sed ratione ratiocinata concipi quasi emanare ab essentia. n.32
5 Ob quam formalem rationem essentia diuina exigat paternitatem. n.33.ad 37

DVBITATIO VI.

An implicent plures diuinæ personæ ingenitæ.

1 Implicare, probatur ex Cõciliis & Patribus. n.37.ad 40
2 Rationem implicantiæ esse, quia plures personæ ingenitæ, essent plures Dij. n.40.ad 42
3 Traduntur aliæ implicantiæ. n.42
4 Plures diuinas personas multiplicari non posse, nisi per processionem vnius ab alia. n.43
5 Necessarium esse, vt inter plures diuinas personas vna sit ingenita. ibid.

QVÆSTIO XXXIV.

De persona Filij.

ARTICVLVS I.

Virùm Verbum in diuinis sit nomen personale.

DVBITATIO I.

An Verbum propriè dicatur in diuinis.

1 Conclusio affirmatiua contra Arianos, Origenem, Durandum, eíque non aduersari Theophylactum, & Riccardum Victorinum. n.1.2.3
2 Probatur primò authoritate Sanctorum. n.3
3 Probatur secundò demonstratione Theologica. n.4

DVBITATIO II.

An Filius Dei dicatur etiam propriè Sermo, Ratio, aliísque nominibus.

1 Dici propriè Sermonẽ, præsertim ad Heb.4.& Sap.18. n.5.ad 8
2 Differentia inter Verbum & Sermonem. n.7
3 Filium Dei aptius dici Verbum, quàm Sermonem. n.8
4 Dici etiam propriè Rationem. n.9
5 Non autem eloquium. n.10. Nec cogitationem. n.11
6 Quo modo Filius Dei dicatur vox, & lingua Patris. n.12

DVBITATIO III.

An Verbum in diuinis dicatur essentialiter, vel potius personaliter.

1 Propriè dici personaliter, non essentialiter, contra Durandum, cuius opinio damnatur. n.13
2 Probatur conclusio demonstratione Theologica ex variis Scripturæ, & Sanctorum dictis. n.14.ad 19
3 Probatur etiam ratione articuli. n.19
4 Verbum non esse intellectionem absolutè consideratam. n.20
5 Quid hac de re senserit S. Thomas. n.21
6 Deum non intelligere Verbo, sed in Verbo. n.23
7 Si esset vna tantum diuina persona, non haberet verbum. n.24
8 Quo modo differant, Dicere, & Intelligere. ibid.
9 Quibus modis aliquid dicatur intelligendo. n.25

ARTICVLVS II.

Virùm Verbum sit proprium nomen Filij.

DVBITATIO I.

Quid in Filio importetur formalius, & principalius nomine Verbi.

1 Importari essentialiter, & simpliciter, sapientiam, & generationem. n.1
2 Sed principalius generationem. n.2.3.4
3 Importari formalius relationem ad Patrem dicentem, n.5.& 6
4 Non tamen secundùm explicitum conceptum relationis, sed secundùm explicitum conceptum passiuæ emanationis. n.8 & 9

DVBITATIO II.

An relatio importata nomine Verbi, sit ipsa filiatio Filij Dei.

1 Eamdem simplicissimam relationem esse Filij Dei, & Verbi. n 9.& 10
2 Cum aliqua tamen diuersitate, non rei, sed rationis imperfectæ, per explicitum & implicitum. n.11.& 12

ARTICVLVS III.

Virùm in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.

DVBITATIO I.

An in Verbi diuini productione plures dentur essentiales intelligendi actus.

1 Probatur conclusio negatiua contra Henricum, & Carthusianum. n.1.ad 8
2 In diuinis prius ratione intelligi obiectum, quàm produci Verbum. n.5.ad 8
3 Patrem non intelligere Verbo, sed in Verbo. n.7

DVBITATIO II.

An in Deo Patre producente Verbum, distingui ratione possit duplex intelligere, alterum essentiale, alterum notionale.

1 Probatur conclusio negatiua contra Scotum & Molinam. n.8.ad 15
2 Examinantur tria Scoti dicta. n.9
3 Distingui simpliciter intelligere & dicere, non tamen in ratione intelligendi. n.10
4 Quod addit dicere suprà intelligere, non esse actum intelligendi. n.11.ad 15

DVBITATIO III.

Quid sint Dicere, & Dici in diuinis.

1 Dicere sumi impropriè, aliquãdo pro velle, & reuelare, n.15
2 Aliquando pro intelligere. n.16.& 13
3 Sed propriè sumi tantùm personaliter pro producere Verbum. n.18.& 19
4 Quæ diuinæ personæ, & quo modo audiant, & dicant, n.19
5 Quot modis in diuinis vsurpetur Dici. n.20
6 Spiritum S. etiam, in aliquo bono sensu, dicere Verbo personali. n.21
7 Dicere non esse ipsum Verbum, sed productionem Verbi. n.22.& 23

DVBITATIO IV.

An Dei Verbum per se, procedat ex cognitione solius diuinæ naturæ.

1 Exponitur in titulo dubitationis illud, *per se*. n.24
2 Procedere per se ex cognitione diuinæ naturæ. n.25
3 Item ex cognitione diuinarum personarum. n.6.ad 32

DVBITATIO V.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione omnium diuinarum personarum.

1 Non procedere ex cognitione Patris tantũ. n.32.ad 35
2 Procedere

2 Procedere per se ex cognitione Spiritus sancti. num. 35. & 36
3 Soluuntur argumenta Scoti. n.37.ad 45
4 Soluuntur argumenta Vazquez. n.45.ad 49
5 Verbum per se procedere ex cognitione personalitatũ, etiam si hæ sint obiectum secundarium, & non de essentia Dei. n.37.& 38
6 Personalitates esse diuinæ cognitionis terminum, non obiectum. n.39.& 40
7 In diuinis communia esse ratione priora propriis respectu creaturæ, non respectu Dei. n.41
8 Distinguitur, & explicatur duplex modus concipiendi res diuinas. n.42
9 Quid sit esse prius origine. ibid.
10 Cur in Deo ponatur cognitio abstractiua respectu creaturarum, non respectu personalitatum. ibid.
11 Refertur & soluitur præcipua difficultas. n.43.& 44
12 Non semper esse termini cogniti præsupponi ad cognitionem. n.45
13 Ex eo quòd Verbum procedat ex cognitione Spiritus sancti, non sequi, Verbum esse imaginem Spiritus sancti. n.45.& 46
14 Quid consequenter dicendum, si Verbum non procederet à cognitione Spiritus sancti. n.47

DVBITATIO VI.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione omnium creaturarum vt possibilium.

1 Conclusio affirmatiua, eiúsque authores, & aduersarij. n.49.ad 52
2 Fundamentalis ratio conclusionis. n.51
3 Occurritur oppositis argumentis. n.52.ad 61
4 An si creaturæ non essent possibiles, Verbum esset minus perfectum. n.52.& 53
5 An creaturæ sint tanta necessitate possibiles, quanta Deus est actu. n.55
6 An Deus prius se cognoscat, quàm possibilia. n.56
7 An scientia Dei, vt terminata ad res possibiles, addat aliquam perfectionem. n.57
8 An beatitudo Dei terminetur etiam ad creaturas. n.59

DVBITATIO VII.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum vt futurarum.

1 Conclusio negatiua. n.61. ad fin. artic.
2 Quo modo Pater communicet Filio, & Pater ac Filius Spiritui S. scientiam visionis, & libera decreta. n.62
3 An Verbum procedat ex scientia conditionalium. n.63
4 An Verbum, saltem ex suppositione dici possit per se procedere ex cognitione futurorum. n.64.& 65
5 An in Deo scientia visionis sit perfectior scientia simplicis intelligentiæ. n.66.& 67

QVÆSTIO XXXV.

De Imagine.

ARTICVLVS I.

Virùm imago in diuinis dicatur personaliter.

1 De essentia imaginis esse similitudinem in specie. n.1.ad 4
2 Requiri præterea originem. n.4.& 5
3 Imaginem in diuinis dici personaliter, nõ essentialiter. n.6.& 7
4 Dici relatiuè ex Augustino & Anselmo. ibid.
5 Quo sensu dicatur Filius imago essentiæ. n.7

ARTICVLVS II.

Virùm nomen imaginis sit proprium Filij.

1 Pars affirmatiua probatur per totum articulum.
2 Conclusionem insufficienter probari à Riccardo Victorino. n.4
3 Item à Ruperto Abbate. n.5
4 Optimè probari à S. Thoma; & tradi rationem, cur Spiritus sanctus non sit Filius. n.6
5 Quo sensu Patres Græci asserant, Spiritum sanctum esse imaginem Filij. n.7
6 Diuersa ratione Filium, & Spiritum sanctum dici characterem, sigillum, & faciem. n.8
7 Explicatur magis similitudo necessaria ad rationem imaginis. n.9.& 10
8 Qua ratione nomen imaginis sit commune toti Trinitati. n.11

QVÆSTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti.

ARTICVLVS I.

Virùm hoc nomen, Spiritus sanctus, sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

1 Conclusio affirmatiua probatur ex Scriptura, & Patrib. num.1
2 Quo modo nomen Spiritus sancti sit proprium tertiæ personæ. n.2.& 3
3 An Spiritus sanctus sit nomen relatiuum. n.2
4 Cur nomen Spiritus sancti accommodatum sit tertiæ personæ. n.4.5.& 6
5 Spiritum S. Ioan.20. & Ps.32. significari per insufflationem, & spiritum oris. n.5.& 6

ARTICVLVS II.

Virùm Spiritus sanctus procedat à Filio.

1 Quæstionis titulus exponitur. n.1
2 Quid hac de re senserit Theodoretus. n.2
3 Quid Damascenus. n.3
4 Quid Theophylactus. n.4
5 Quis primus dixerit, Spiritum sanctum non procedere à Filio. n.5

DVBITATIO I.

An processio Spiritus sancti à Filio habeatur in Scriptura.

1 Ratio dubitandi ex Dionysio, & Cyrillo Hierosolymitano. n.5
2 Non haberi expressis verbis. n.6
3 Haberi per necessarium sensum verborum Christi Ioan.16. *De meo accipiet.* n.7.& 8
4 Necessariò etiam deduci ex locis, quibus Spiritus sanctus dicitur mitti à Filio. n.9.& 10
5 Item ex aliis locis, quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filij. n.11
6 Item ex illo Ioan.15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* n.12
7 Cur Spiritus sanctus expressius dictus sit, procedere à Patre, quàm à Filio. n.13

DVBITATIO II.

Quando, & qua authoritate additum symbolo fuerit illud, Filióque.

1 Quid de Spiritu sancto dixerint priora quinque generalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum 1. Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum 2. n.14
2 Quid Constantinopolitanum tertium, & Nicænum secundum. n.15
3 Origo schismatis Ecclesiæ Græcæ. n.16
4 Illud, *Filióque*, fuisse additum ante septimam Synodum. n.17.& 18

5 Papam

5 Papam potuisse,ac debuisse illud addere. n.19.ad 24

DVBITATIO III.

An Spiritus S. distingueretur à Filio,si à Filio non procederet.

1 Proponitur & declaratur conclusio negatiua. n.24
2 Explicatur huius quæstionis vtilitas. n.25.ad 28
3 Ex hac hypothesi necessariò sequi, Non remansuras easdem omnino personas Filij & Spiritus sancti. n.26.& 27
4 Authores,& aduersarij conclusionis. n.28
5 Duplex conclusionis probatio. n.29.ad 34
6 Conclusionis impugnationes. n.34.ad fin.artic.
7 An idem sit principium cõstitutiuum, & distinctiuum n.36.ad 39
8 Filij personam nullo modo constitui per spirationem actiuam. n.39
9 Futuram aliam filiationem ab ea,quæ nunc est,si Spiritus sanctus non procederet à Filio. n.40.ad 44
10 Hanc autem aliam filiationem constituere integram personam Filij absque relatione spirationis altiuæ. n.46.& 47
11 Quo modo diuersæ sint productiones intellectus, & voluntatis. n.48
12 Amorem in Deo non posse non produci à Verbo;secus in creatura. n.49
13 Si Spiritus sanctus procederet à solo Filio, distingueretur à Patre;non contrà. n.50
14 Spiritum sanctum non posse procedere à Filio,si ponatur actu non procedere ab illo. n.51
15 Anselmum non fauere contrariæ sententiæ. n.52

ARTICVLVS III.

Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

1 Conclusio affirmatiua probatur primò authoritate Patrum Græcorum. n.1
2 Secundò authoritate Patrum Latinorum. n.2
3 Concilium Florentinum non esse contrarium. n.3

DVBITATIO I.

Quem sensum habeat conclusio huius articuli.

1 Procedere per Filium,non negat,eamdem omnino processionem quæ est à Patre,esse etiam in Filio. n.4
2 Cur dicant Patres, Spiritum sanctum procedere à Deo Patre per Filium. n.5
3 An dici possit, Spiritus sanctus procedere à Filio per Patrem. n.6

DVBITATIO II.

An Spiritus sanctus procedat principalius, proprius, & immediatius à Patre.

1 In aliquo bono sensu dici posse, Patrem spirare principaliter,& propriè. n.7
2 Non autem principalius,& proprius. n.8.& 9
3 Nullo modo,ne origine quidem, Patrem spirare prius quàm Filium. n.10
4 An virtus spiratiua sit prius origine in Patre. n.11
5 An Pater & Filius spirent æquè immediatè. n.12
6 Simpliciter dicendum, Patrem & Filium spirare eodem modo. n.13.& 14
7 Qua ratione paternitas & filiatio ad spirandum concurrant. n.14

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Pater & Filius sint vnum principium Spiritus S.

1 Conclusio affirmatiua fidei probatur. n.1.ad 3
2 Nomina substantiua non multiplicari, nisi multiplicata forma;secus adiectiua. n.2
3 Refertur & reiicitur contraria sententia Ariminensis,& Durandi. n.3.& 4

DVBITATIO I.

An Pater & Filius sint duo spiratores, vel duo spirantes.

1 Esse vnum spiratorem. n.5.ad 10
2 An sit eadem ratio de spiratore,& Creatore. n.6
3 Declaratur magis regula multiplicationis nominum substantiuorum. n.7.ad 10
4 Patrem & Filium esse duos spirantes. n.10
5 An Pater & Filius,sicut sunt vnum principium, ita sint idem principium Spiritus sancti. n.11
6 An Pater & Filius rectè dicantur duo authores,& donatores. n.12

DVBITATIO II.

Qua ratione Pater & Filius sint vnum principium, & vnus spirator.

1 Non esse vnum principium propter vnam personalitatem. n.13
2 Non propter vnam subsistentiam à reliquis distinctam. n.14.& 15
3 Non propter vnam relationem spirationis actiuæ, sed propter vnam spirandi potentiam. n.16.ad 31
4 Quo modo conueniat Patri & Filio relatio spirationis actiuæ. n.20.ad 24
5 Quo modo Pater & Filius dicantur vnum principium *vt quod*. n.24.& 25
6 Patrem & Filium,etiam præcisa spirandi relatione, distingui à Spiritu sancto. n.27
7 Formalem potentiam producendi ad intra,esse in omnibus tribus personis. n.28
8 Ad pluralitatem nominum substantiuorum, requiri pluralitatem formæ,& suppositi. n.29

DVBITATIO III.

Quo modo Spiritus sanctus duas personas postulet ad sui productionem.

1 Postulare per se,& necessariò,ratione sui ipsius;ita vt si procederet ab vno tantum, non esset idem Spiritus sanctus. n.31.& deinceps.
2 Relationem terminari ad absolutum, non ad respectiuum. n.34.ad 37
3 Spiritum sanctum respicere formaliter Patrem & Filium,vt producentes,non vt correlatiuos.num.33. ad 38
4 Quæ sit integra ratio potentiæ notionalis. n.40
5 Principium Spiritus sancti non constitui ex essentia & relatione actiuæ spirationis. n.41
Cur plures personæ sint per se requisitæ ad spirãdum, non autem ad creandum. n.42

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est Amor.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

1 Non esse proprium, si amor secundùm propriam significationem sumatur essentialiter. n.1
2 Esse proprium,& sumi personaliter extenso nomine ex vsu loquentium Theologorum. n.2.& deinceps.
3 Cur Spiritus sanctus dicatur nexus, & vnio. n.5

ARTICVLVS II.

Vtrùm Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

1 Prima conclusio negatiua,de diligere essentialiter. n.1
2 Secunda conclusio affirmatiua de diligere notionaliter. n.2.ad 12
3 Verba actiua notionalia duplicis generis exponuntur. num.3
4 Cur dicatur, Pater diligens dilectione spirata; & dici non possit,Pater sapiens sapientia genita. n.6
5 Dici non posse,Patrem potentem potentia genita, Sanctum sanctitate spirata. ibid.
6 An dicatur Pater sapiens sapientia ingenita, & Filius sapiens sapientia genita. ibid.
7 Cur dicatur Pater diligere Spiritu sancto, & dici non possit Pater spirare Spiritu sancto. n.7
8 An actus notionalis reflectatur supra principium actus. num.8

QVÆSTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus sancti,quod est donum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Donum sit nomen personale.

1 Spiritum sanctum vocari donum. n.1
2 Ita etiam vocari Filium,& Patrem. n.2
3 Patrem dici donum diuersa ratione ab ea,qua Filius & Spiritus sanctus dicuntur donum. ibid.
4 Quæ sit essentialis ratio doni. n.3
5 Nomen doni in diuinis esse etiam interdum aliquo modo essentiale. n.4
6 In diuinis donum dici aptitudinaliter, non actualiter; & ideo rationem doni esse æternam. n.5
7 Relationem doni in Deo esse rationis,& personalẽ. ib.

ARTICVLVS II.

Vtrùm donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

1 Conclusio affirmatiua de dono personaliter sumpto, probatur authoritate,& ratione. n.1.ad 6
2 Spiritum sanctum ita propriè dici donum, sicut Verbum dicitur imago. n.4
3 In quo sensu Spiritus S.eo sit donum,quo Deus. n.6
4 Per Spiritum S.dari à Deo omnia dona, etiam ipsummet Dei Filium incarnatum. n.7
5 Quo modo Spiritus S.sit,vel non sit donũ nostrum.n.8

QVÆSTIO XXXIX.

De personis ad essentiam relatis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in diuinis essentia sit idem quòd persona.

Pars affirmatiua sufficienter in superioribus probata ostenditur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit dicendum, tres personas esse vnius essentiæ.

1 Conclusio affirmatiua fidei probatur. n.1.ad 5
2 Deum aptius dici essentiam,quàm substantiam. n.2
3 Quo modo à nobis concipienda sit diuina essentia comparata ad personas. n.4
4 Melius dici, tres personas esse vnius essentiæ, quàm vnius naturæ. ibid.

DVBITATIO I.

De voce, Homousios.

1 Esse ab omnibus vsurpandam. n.5
2 Hac vna voce damnari simul Arianos & Sabellianos. ibid.
3 An hæc vox habeatur in Scriptura. n.6.& 7
4 De tempore, quo inuenta est hæc vox. n.8.& 9
5 De aliis vocibus,*Homoeusios*,& *synusios*. n.10

DVBITATIO II.

An tres diuinæ personæ dici possint tres substantiæ.

1 Non posse dici absque vllo addito limitante substantiam ad personam. n.11.& 12
2 De significatione huius nominis, *substantia*. n.13
3 Posse dici cum prædicto addito. n.14.ad 17

DVBITATIO III.

An sicut aliquando tres substantias,ita etiam tres essentias, vel naturas,dicere liceat.

1 Nefas esse dicere tres essentias. n.17
2 Cur dicere liceat tres substantias, & non tres essentias, ne relatiuas quidem. n.18
3 Nefas etiam esse dicere tres naturas. n.19.& 20
4 An saltem dicere liceat tres quidditates. n.21
5 An tres formas. n.22

ARTICVLVS III.

Vtrùm nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

1 Nomina transcendentalia,siue concreta, siue abstracta, prædicari singulariter & pluraliter. n.1.& 2
2 Nomina essentialia abstracta prædicari singulariter tantum. n.2
3 Nomina essentialia concreta & substantiua dici tantum singulariter. n.3.ad 8
4 Dici non posse plures Deos,aut Dominos. n.4
5 Quæ sit ratio nominis concreti substantiui, & quid requiratur ad eius pluralitatem. n.5.ad 8
6 In quo differant substantiua & adiectiua nomina. num.7
7 Nomina essentialia concreta adiectiua prædicari pluraliter. n.8.& 9
8 Tres diuinas personas esse tres habentes Deitatem,non tamen tres Deos. n.13

ARTICVLVS IV.

Vtrùm nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

1 Exponitur articuli titulus. n.1
2 Siue dicatur Deus,siue Hic Deus,idem dici; non sic in creaturis. ibid.

DVBITATIO I.

De suppositione huius nominis, Deus, *extra propositionem.*

1 Supponi non solũ pro essentia,sed etiam pro personis;& ideo esse nomen,tum essentiale,tũ personale. n.2.3
2 Ex quarta subsistentia absoluta prouenire, vt Deitas abstracta à personis,possit concretè dici Deus. n.3
3 Dei nomen diuerso modo supponi pro natura, & pro personis. n.3.& 4
4 Differre concretum nomen, *Deus*, à concretis creaturarum nominibus. ibid.
5 Pro quo supponatur Deus,cũ dicitur,Deus creat. ibid.

DVBITATIO II.

De suppositione huius nominis, Deus, *in propositione.*

1 Vt concretum personale,sumi aliquando pro vna tantum persona. n.5
2 Aliquando pro duabus,aliquando pro tribus. n.6
3 Verè dici, Deus generat, & supponi pro Patre. num.7
4 Falsò dici,Deus non generat. n.8.ad 17
5 Deus

5 Deus non generat, omnis Deus generat, esse propositiones contrarias,non contradictorias. n.13
6 De Christo ob duas naturas, non posse idem affirmari & negari. n.16
7 Falsò dici,Deus genuit se Deum, vel eundem Deum. n.17.& 18
8 Falsò dici, Deus genuit alium Deum. num.19. ad 23
9 Dici posse,Deus Pater genuit alterum se. n.20
10 Item,Deus generans,distinguitur à Deo genito ; non autem, Deus distinguitur à Deo ; nec, Deus genuit Deum distinctum. n.21
11 Verè dici, Deus genuit alium ; falsò autem,genuit alium Deum, aut alium non Deum, aut non alium Deum. n.22
12 Falsò dici, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater. Verè dici, Deus genuit Deum, qui non est Deus Pater. n.23.& 24

DVBITATIO III.

An hæc sit vera,Hic Deus est hic Deus.

1 Expenduntur breuiter multi sensus faciliores. n. 25. ad 29
2 Esse falsam,demonstratis duabus personis;& consequèter esse veram contradictoriam, Hic Deus non est hic Deus. n.29.ad fin.artic.
3 Has à quibusdam malè concedi, Hic Deus generans est hic Deus genitus. Deus est generans, demonstrato Filio. Deus est genitus, demonstrato Patre. num.33
4 Idem esse,si dicatur,Hoc principium Spiritus S. est,aut non est hoc principium Spiritus S.Hic spirator est, aut non est hic spirator. n.34
5 Idem,si tres personæ essent vnus homo, & dicatur, Hic homo est,aut non est hic homo, demonstratis duabus personis. ibid.
6 Ex propositionibus concessis non sequi pluralitatem Deorum. n.35.& 36
7 Quo modo opponatur hic Deus,& hic Deus. n.37
8 Soluitur præcipuum fundamentum aduersariorum. num.39

ARTICVLVS V.

Vtrùm nomina essentialia in abstracto significata, possint supponere pro persona.

1 Conclusio negatiua,vnde deducitur,falsò dici, essentia generat,generatur,spirat,spiratur. num.1.ad fin. artic.
2 Cur rectè dicatur, essentia est paternitas ; non autem, essentia generat. n.1
3 Quàm certa sit hæc,essentia non generat. n.3
4 Quo sensu, & quam ob causam Patres communiter asserunt,essentiam generare,generari, &c. num.4. ad 7
5 Soluuntur quatuor hæreticorum sophismata. n.7.& 8
6 In diuinis neque per se,neque per accidens produci naturam;secus in creaturis. n.9.& 11
7 An dici saltem possit, essentia prout est in Patre,generat,prout est in Filio,generatur. n.11
8 Cur dicitur,essentia est res generans;non autem,essentia est generans. n.12
9 Quæ differentia sit inter nomina substantiua, & adiectiua. ibid.
10 An dicatur,Paternitas generat,aut creat. n.13
11 Essentiam non produci,sed communicari ; & quid sit ista communicatio. n.14.& 15

ARTICVLVS VI.

Vtrùm personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

1 Posse de nominibus abstractis. n.1.ad 5
2 Certius dici, Deitas est Trinitas, quàm Deus est Trinitas. n.2
3 Esse de fide,tres personæ sunt vna Deitas. n.4
4 Posse etiam de nominibus concretis. n.5.& deinceps.
5 An Trinitas prædicari possit de supposito, saltem in communi. n.6
6 Deus est Trinitas,esse veram in sensu identico,non autem formali. n.8
7 Cur dicatur,. Deus est omnis diuina persona ; non autem, Homo est omnis homo. n.9
8 An hæ sint contradictoriæ, Nullus Deus est Trinitas, Deus est Trinitas. n.10
9 Non valere.Deus est Trinitas,Pater est Deus;ergo Pater est Trinitas. n.11
10 Esse prædicationes per se, non per accidens, Deus est Pater,est Filius,est Spiritus S.est Trinitas. n.12
11 Dici,Deus est trinus, Deitas est Trinitas ; non autem, Deitas est trina. n.13

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nomina essentialia sint applicanda personis.

1 Esse simpliciter appropriandà probatur authoritate, & ratione. n.1.ad 4
2 Quid sit appropriatio. n.2
3 Appropriationem fieri posse duobus modis. n.4

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm conuenienter à sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.

1 Exponitur appropriatio facta ab Hilario. n.1
2 Item alia appropriatio facta ab Augustino. n.2
3 Declaratur vulgaris appropriatio potentiæ, sapientiæ, bonitatis. n.3
4 An appropriatum vni personæ, approprietur alteri. ibid.
5 Alia Augustini appropriatio ex verbis Rom.11 n.4
6 Qua diuersa ratione virtus approprietur Patri, & Filio,& Spiritui sancto. n.3
7 Cur essentia,& operatio non approprientur. n.4
8 Veritatem appropriari Filio. n.5
9 Librum vitæ appropriari Filio,& Spiritui sancto. n.6
10 Nomen,*qui est*,quo modo approprietur. n.7

QVÆSTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes.

ARTICVLVS I.

Vtrùm relatio sit idem quod persona.

Explicatur conclusio affirmatiua, & ex superioribus sufficienter probata ostenditur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm personæ distinguantur per relationes.

DVBITATIO I.

An in personis diuinis dentur aliquæ proprietates,quibus constituantur, & distinguantur.

1 Conclusio affirmatiua probatur ratione, & authoritate. n.1.ad 4
2 Quam notam mereatur contraria sententia. n.3
3 Quàm cohæreat conclusio cum sententia de essentia inclusa in quidditatiuo conceptu proprietatis. n.4
4 Proponuntur & soluuntur contraria Gregorij Arimenensis argumenta. n.5.ad 16
5 Constitutionem diuinarum personarum non pugnare cum earum simplicitate. n.5

6 An

6 An in diuinis abstracta sint simpliciora concretis. n.6
7 Quo modo concipienda sit constitutio in diuinis. n.8
8 An diuinarum personarum constitutio expressa legatur apud Patres. n.9.& 10
9 Personam diuerso modo constitui per personalitatem & essentiam. n.7
10 Quo modo Pater à parte rei distinguatur, & non distinguatur à Filio. n.14
11 An transitiuè loquendo,proprietas sit personæ. n.15

DVBITATIO II.

An diuinæ personæ per quamlibet proprietatem constituantur, ac distinguantur.

1 An spiratio actiua dici possit proprietas. n.16
2 Omnem proprietatem distinguere, & constituere aliquo modo : & distinguere eo modo quo constituit,& è contra. n.17
3 Personam Patris non constitui, nec distingui per innascibilitatem. n.18
4 Relationem actiuæ spirationis nullo modo constituere ac distinguere aliquam personam. n.19.ad 27
5 Atque hanc esse sententiam S.Thomæ. n.19.ad 23
6 Relationem spirandi non habere propriam subsistentiam, & propterea à S. Thoma dici inhærentem. n.24
7 Quo modo relatio spirandi superueniat Patri & Filio: & an dici possit aduentitia. n.25
8 An Pater & Filius,præcisa etiam relatione spirandi, opponantur Spiritui S. n.26
9 Patrem,Filium, Spiritum S.constitui per paternitatem, filiationem,relationem spirationis passiuæ. n.27

DVBITATIO III.

Qualis sit diuinarum personarum constitutio per proprietates.

1 Non esse constitutionem cum distinctione. n.28
2 Neque per realem compositionem. n.29
3 Neque per compositionem rationis. n.30
4 Esse autem constitutionem simpliciter realem, non rationis. n.31.ad 36
5 Quo sensu dicat S.Thomas,proprietates personales esse *quasi constituentes*. n.35

DVBITATIO IV.

An diuinæ personæ, vt formaliter personæ, constituantur,ac distinguantur proprietatibus absolutis.

1 Conclusio negatiua declaratur. n.36
2 An contraria sententia mereatur aliquam censuram. n.37.38
3 Authoritas conclusionis ex Scriptura. n.39.ad 43
4 Et ex Conciliis. n.43.ad 47
5 Et ex Patribus. n.47.ad 53
6 Proprietatem esse debere incommunicabilem. n.53
7 Cur in diuinis multiplicari possit relatiuum, non autem absolutum. n.53.& 54

DVBITATIO V.

An formalis constitutio, & distinctio personarum habeatur per origines.

1 Sumi originem non in actu primo, sed in actu secundo: eamque differre aliquo modo à relatione. numero 56.& 60
2 Personam constitui per originem,vel consequenter,vel antecedenter. n.57.& 58
3 Sed prius,& principalius, & formaliter constitui ac distingui per solam relationem. n.59.ad 63.
4 Eadem relatio sub diuersa ratione præsupponit,& consequitur originem. n.59

Fasoli in D.Thom. Tom.III.

5 Authoritates probantes, personam constitui, ac distingui per solam relationem. n.62

DVBITATIO VI.

An relatio,vt relatio, personas constituat, ac distinguat in ratione hypostasis.

1 Conclusio affirmatiua declaratur, & refertur contraria sententia. n.63
2 Quod constituit in ratione personæ, constituere in ratione hypostasis; & è contra. n.64
3 An relatio,vt relatio, distinguat personas : sed constituat,vt est diuina essentia. n.64.ad 67
4 Personas non constitui per subsistentiam absolutam, nec per relationem aptitudinalem. n.64.65

DVBITATIO VII.

Sub qua formali, ac præcisa ratione, relatio constituat, ac distinguat diuinas personas.

1 Relatio non distinguit vt relatio, & constituit vt forma hypostatica. n.67.& 68
2 Proprietatem personalem in diuinis non præscindere ab absoluto,& respectiuo. n.70
3 Relatio non vt concepta constituit, & vt exercita distinguit. n.72.& 73
4 Relatio non constituit vt forma,aut ratio relatiui, & distinguit vt actu referens. n.72.ad 74
5 Relatio non constituit secundum esse *In*, & distinguit secundum esse *Ad*. n.72.ad 75
6 Esse idem principium constitutiuum & distinctiuum: sed non esse eamdem rationem constituendi ac distinguendi. n.76.ad 78
7 Relationem diuinam personalem, etiam vt relationem, esse subsistentiam incommunicabilem. n.77
8 Relatio, vt relatio, est principium formale constitutiuum & distinctiuum. n.79
9 Relationem constituere, quia est subsistentia incommunicabilis,identificata essentiæ. n.80
10 Relationem distinguere, quia opponitur termino. n. 81
11 Quæ dicta sunt,esse doctrinam S.Thomæ. num.82. 83. 84

ARTICVLVS III.

Vtrùm abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases.

1 Conclusio negatiua,de abstractione, quæ fit secundum vniuersale,& particulare. n.1
2 Conclusio affirmatiua, loquendo secundum modum abstractionis formæ à materia, & de relationibus ac proprietatibus non personalibus. n.2
4 Personalibus autem eodem modo abstractis, non remanere hypostases. n.3
5 Præcisis omnibus relationibus non remanere conceptum personæ,nec hypostasis. n.4.& 5

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actus notionales præintelligantur proprietatibus.

1 Quid consequenter dicendum iuxta duas sententias superius impugnatas. n.1
2 Simpliciter dicendum, origines passiuè significatas præintelligi proprietatibus personarum procedentium. n.2.ad 5
3 Originem actiuè significatam præintelligi relationi spirationis actiuæ. n.5
4 Generationem actiuam præintelligi paternitati,vt relatio est. n.6. non autem vt est constitutiua personæ. n.7. & deinceps.
5 An diuinæ relationes habeant fundamentum. n.10

6 Quo modo concipienda sit persona vt constituta, & vt distincta, antequam concipiatur vt producens. n.11
7 Filium non posse præintelligi generationi. n.12
8 Patrem præintelligi Filio, & simul intelligi cum Filio, diuersa ratione. ibid. & n.18
9 Prioritatem originis in diuinis stare cum simultate naturæ. n.13
10 Diuinas relationes dici posse & prædicamentales, & transcendentales. ibid.
11 Paternitatem præintelligi Patri. n.14
12 Filiationem nullo modo præintelligi Patri. n.15.16
13 Cur in humanis, non in diuinis, filiatio præintelligatur Patri. n.17
14 Cur diuina paternitas, non filiatio, possit præintelligi Patri. n.18

QVÆSTIO XLI.

De personis in comparatione ad actus notionales.

ARTICVLVS I.

Virum actus notionales sint attribuendi personis.

Conclusio affirmatiua, eiúsque certitudo, & explicatio. n.1

DVBITATIO I.

Quid in formali, & intrinseco suo conceptu importet actus notionalis.

1 Importare in recto & formaliter ipsos absolutos actus intelligendi, & volendi. n.2.ad 10
2 Importare etiam in recto, sed minus principaliter relationem. n.10.& 11
3 Quid hac de re senserit S. Thomas. n.3.4.& 5
4 Quid apud S. Thomam sit, differre secundùm modum significandi. n.5
5 Quo sensu dicatur Pater, intelligendo generare. n.7
6 Intelligere & velle esse in Deo & potentiam, & actum notionalem, diuersa ratione. n.9
7 Ipsam etiam passiuam processionem produci aliquo modo. n.10
8 Exponuntur nonnulli Patres, qui videntur actum notionalem in sola relatione ponere. n.11

DVBITATIO II.

Quo pacto actus notionales ab essentia, & à personis, & inter se distinguantur.

1 Quemlibet actum notionalem cum essentia identificari inadæquatè. n.12
2 Actum notionalem passiuum identificari adæquatè cum persona producta, eiúsque proprietate. n.13.ad 16
3 Produci, distingui ratione à producto; & quid in diuinis sit origo passiua. n.15
4 Actus notionales passiuos distingui realiter inter se. num.16
5 Actum notionalem actiuum identificari adæquatè cum persona producente, eiúsque proprietate. n.17. ad 21
6 Actus notionales actiuos non distingui inter se à parte rei; sicut nec generari à spirare. n.21
7 Actionem identificari cum termino in creatis, non in diuinis. n.22
8 Omnem actionem opponi termino; ab eóque distingui à parte rei. ibid.
9 Cur in diuina persona producta sit produci, non autem producere. ibid.
10 Quo modo actio & passio comparentur ad terminum. ibid.
11 In diuinis non dari principium originis actiuæ. n.23
12 Quot sint actus notionales. ibid.

ARTICVLVS II.

Virúm actus notionales sint voluntarij.

Aliquid esse voluntarium, seu voluntate, sumi posse, vel concomitanter, vel causaliter. n.1

DVBITATIO I.

An actus notionales sint voluntarij voluntate concomitante.

1 Conclusio affirmatiua, probans esse voluntarios, tamquam volitos, non tamquam causatos à voluntate. num.2
2 Hanc voluntatem concomitantem, esse amorem omnino necessarium complacentiæ de processionibus. ibid.
3 Referuntur multi Patres, qui hunc amorem in diuinis personis esse docuerunt. n.3.& 4
4 An recipiendæ sint Synodus Syrmicensis, & Sardicensis. n.5

DVBITATIO II.

Quem ordinem voluntas generandi habeat ad generationem.

1 Non esse simul in eodem signo rationis. n.5
2 Eamdem voluntatem non esse ratione priorem, sed posteriorem; ac proinde non esse generationis principium. ibid.
3 An voluntas generandi sit essentialis, vel notionalis. num.6
4 An in diuinis omnia communia sint priora quàm propria. ibid.
5 Posse concipi generationem in diuinis absque voluntate generandi. n.7
6 Deum Patrem, si non conciperet se generare, non posse intelligi perfectè beatum. n.8
7 Quo modo voluntas spirandi se habeat ad spirationem. n.9

DVBITATIO III.

An actus notionales sint voluntarij voluntate antecedente.

1 Voluntatem, vt voluntas est, nullius actus notionalis esse principium. n.10.ad 17
2 Notanda S. Thomæ differentia inter voluntatem vt voluntatem, & vt naturam. n.10.19
3 Deum Patrem, neque volentem, neque nolentem, genuisse, sed ex natura. n.13.& 14
4 Quam vim probandi generationem Verbi habeat illa ratio Ioan. 5. *Pater enim diligit Filium.* n.15

DVBITATIO IV.

An actus notionales sint naturales, & necessarij.

1 Esse inter Catholicos controuersiam de nomine ex varia acceptione naturalis, & necessarij. n.17
2 Actus omnes notionales dicendos esse simpliciter naturales. n.18.ad 22
3 Spiritum S. produci naturaliter, sed per modum voluntatis, non per modum naturæ. n.18
4 Esse magis dicendum naturalem generationem, quàm spirationem. n.21
5 Omnes etiam notionales actus dicendos esse simpliciter necessarios, non liberos. n.22.& deinceps.
6 An operari naturaliter, & liberè, sint opposita. n.28
7 An operari liberè sit melius quã operari necessariò. n.29

ARTICVLVS III.

Virum actus notionales sint de aliquo.

Ostenditur, omnia quæ hîc dicuntur, esse in superioribus sufficienter explicata.

ARTI

ARTICVLVS IV.

Virum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

DVBITATIO I.

An intra Deum detur aliqua potentia passiua.

1 Conclusio negatiua probatur. n.2.ad 6
2 An possibile possit aliqua ratione admitti in diuinis. num.3
3 Omni creaturæ, etiam æternæ, conuenire aliquo modo non esse. ibid.
4 Excludendam à diuinis potentiam passiuam, etiam largo modo acceptam. n.4
5 An in Deo sit potentia passiua, saltem terminatiua. n.5

DVBITATIO II.

An in diuinis detur aliqua potentia actiua ad actus notionales actiuos.

1 Conclusio negatiua probatur ex superioribus. n.6
2 Quid sit de essentiali ratione potentiæ productiuæ. n.7
3 Quo modo comparetur actio ad agentem, & passio ad terminum. ibid.
4 Ex dictis deduci tria corollaria. n.8

DVBITATIO III.

An in Deo detur potentia actiua respectu personarum productarum.

1 Conclusio affirmatiua omnium, & censura contrariæ opinionis Aureoli. n.9
2 Probatur primò ex Scriptura. n.10
3 Probatur secundò ex Conciliis. n.11
4 Probatur tertiò ex Patribus. n.12
5 Probatur quartò rationibus. n.13
6 Soluuntur Aureoli argumenta. n.14.ad 21
7 Non esse idem, posse generare, & posse esse patrem. n.15
8 Exponitur illud Augustini, *Filius non genuit, non quia non potuit.* n.17

DVBITATIO IV.

An in Deo sit actiua potentia respectu actuum notionalium passiuorum.

1 Probatur conclusio affirmatiua, omnium communis. n.21.ad 24
2 Quo sensu ponat S. Thomas in Deo potentiam ad intelligere, & velle, secundum modum significandi. n.22
3 Prædictam potentiam non sistere in ipsis actibus, sed progredi ad personas. ibid.

DVBITATIO V.

An potentia actiua sit idem, etiam ratione ratiocinata, cum persona producente.

1 Distingui ratione ratiocinata, contra Ariminensem. n.24.& 25
2 In quo consistat formalis ratio potentiæ actiuæ. n.24
3 Occurritur contrariis argumentis Ariminensis. n.26. ad 29
4 Quid sit in diuinis, producere se ipso primo. n.26
5 Potentiam actiuam dici non posse causam principij producentis. n.27

ARTICVLVS V.

Virum potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

1 Non significare solam relationem. n.1. ad 7
2 Quis sit vniuersalis & adæquatus conceptus potentiæ actiuæ. n.3
3 Relationem in Deo non posse esse principium agendi. num.6

DVBITATIO I.

An potentia producendi diuinas personas consistat in sola essentia.

1 Conclusio simpliciter negatiua probatur authoritate, & ratione. n.7.ad 13
2 Essentiam diuinam per generare, & spirare, non posse determinari ad Filium, & Spiritum sanctum. n.10
3 Essentiam præcisè esse determinatam ad relationes, indeterminatam ad actus notionales. n.12
4 Ad potentiam notionalem requiri relationem, vt rationem distinguendi, non vt rationem agendi. n.13. & 14
5 Sub qua formali ratione spectet relatio ad potentiam generandi. num.15. & ad potentiam spirandi. numero 16

DVBITATIO II.

Quid principalius importetur nomine potentiæ, essentia, an relatio.

1 Importari multò principalius essentiam. n.17.ad 37
2 Non esse idem dicere, Pater est principium generandi, essentia Patris est principium generandi. n.17
3 Quo modo relatio determinet, & compleat essentiam in ratione potentiæ notionalis. n.18
4 In diuinis idem esse principium communicationis, & productionis. n.19
5 Generationem, & vt est communicatio, & vt productio esse eamdem omnino actionem. ibid.
6 Producens, non esse totaliter producens ratione principij *quo*. n.20
7 An ad rationem principij formalis *quo*, requiratur distinctio à principiato. ibid.
8 Terminum formalem productionis posse esse communicatum, non productum. n.21
9 Principium *quo*, & principiatum *quo*, non differre in diuinis. n.22
10 Rationem duarum processionum in diuinis, sumi non posse ex relationibus. n.26
11 An formalia principia producendi ad intra, correspondeant formalibus terminis productis. n.27
12 Cur diuina filiatio sit producta, & paternitas non sit producens. n.28
13 Paternitatem & generationem diuerso modo distinguere genitum à generante. n.30
14 Exponitur illud Augustini, *Filius eo filius, quo genitus.* n.31
15 Personalitatem creatam, minus quàm increatam, esse necessariam ad producendum. n.32
16 An quælibet potentia notionalis sit in omnibus personis, & pertineat ad omnipotentiam. n.33.ad 37
17 Exponitur illud Augustini, *Filius non genuit, non quia non potuit, sed non oportuit.* n.35

ARTICVLVS VI.

Virum actus notionalis ad plures personas terminari possit.

1 Declaratur situs quæstionis, & pars negatiua probatur demonstratione Theologica. n.1

DVBITATIO VNICA.

Quis sit terminus diuinarum productionum ad intra.

1 Terminum adæquatum esse personam. n.2
2 Terminum formalem processionis esse naturam. n.3

3 Sed processionis, vt est formaliter productio, non vt est formaliter communicatio. n.4
4 Terminum formalem productionis formaliter, esse naturam vt communicatam, non vt productam. n.5. & 10
5 Terminum formalem vt productum, non esse naturam, sed personalitatem. n.6
6 Cur processio, vt communicatio, habeat vnum terminum; vt productio, duos. n.7
7 Personalitatem comproduci potius quàm produci. ibid.
8 Quo modo essentia diuina, cùm non producatur, esse possit terminus formalis productionis. n.8
9 Explicatur illud Philosophi, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* n.9
10 Cur essentia producat *vt quo*, non producatur *vt quo*. num.12

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate, & similitudine diuinarum personarum adinuicem.

ARTICVLVS I.

Vtrùm æqualitas locum habeat in diuinis.

1 Dari æqualitatem in diuinis. n.1. & 2
2 Dari etiam similitudinem. n.3. ad 7
3 Differentia inter æqualitatem & similitudinem. n.3. ad 6
4 Patrem esse æqualem, & similem Filio, & Filium Patri; tamen Filium coæquari, & assimilari Patri, non Patrem Filio. n.6
5 Æqualitatem, & similitudinem formaliter esse relationem rationis. n.7. fundamentaliter esse negationem. n.8
6 Radicem æqualitatis, & similitudinis esse naturam, non relationes. n.9.10
7 An æqualitas & similitudo sint etiam inter relationes præcisè consideratas. n.11.ad fin.art.

ARTICVLVS II.

Vtrùm persona procedens sit coæterna suo principio, vt Filius Patri.

Hac de re disputatum satis esse q.27.art.1.dub.1.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in diuinis personis sit ordo naturæ.

1 Esse ordinem simpliciter. n.1.ad 4
2 In quo differant, ordo, prius, & posterius. n.1
3 Prædictum ordinem non esse alium nisi originis. n.4
4 Cur ordo originis vocetur ab Augustino ordo naturæ, non autem essentiæ. n.4

DVBITATIO VNICA.

An in diuinis, præter ordinem, sit etiam prioritas.

1 Vnam personam dici non posse simpliciter & absolutè priorem alia. n.5. & 6
2 Cur personæ dicantur, prima, secunda, tertia; non autem prior, & posterior. n.6
3 In diuinis non esse prioritatem naturæ. n.7
4 Prioritatem verò originis non esse sub vna ratione, esse autem sub alia ratione. n.8.ad fin.artic.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Filius sit æqualis Patri secundum magnitudinem.

Pars affirmatiua probatur Theologica demonstratione; & fusius in superioribus exagitata est.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filius sit in Patre, & è conuerso.

1 Conclusio affirmatiua probatur ex Scriptura. n.1.ad 4
2 Extenditur ad Spiritum sanctum. ibid.
3 De nomine circumincessionis. n.4

DVBITATIO I.

Qua ratione dicatur vna persona esse in alia.

1 Exponitur dubitandi ratio. n.5
2 Vnam personam, non solùm secundùm essentiam, sed etiam secundùm personalitatem, esse in alia. n.6.& 7
3 Contrà etiam, vnam personam esse in alia, & secundùm essentiam, & secundùm personalitatem. n.8. & 9
4 Non solùm vnam personam totam esse in aliatota; sed etiam vnam personalitatem esse aliquo modo in alia. n.10.ad 13

Hæc autem omnia verificari ratione essentiæ, in qua omnes personæ, & personalitates vnum sunt. n.12

DVBITATIO II.

An circumincessio aliis rationibus rectè probetur.

1 Probari non solùm ex essentia, sed etiam ex relationibus. n.13.ad 22
2 Quo modo relatio diuina sit ratio, vt vnum relatiuum sit in alio. n.17
3 Defenditur S. Thomæ discursus contra Aureolum, num.19
4 Vnum esse in alio, non semper importare, esse in excedente ipsum. n.20
5 Circumincessionem probari quoque per origines. n.22, ad finem artic.
6 Modum essendi in principio consubstantiali, esse absq; vlla imperfectione. n.23
7 Esse etiam reciprocum. n.24

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Filius sit æqualis Patri secundum potentiam.

De hac materia abundè in superioribus disputatum esse ostenditur.

QVÆSTIO XLIII.

De missione diuinarum personarum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

1 Conclusio affirmatiua, & explicatio essentiæ missionis. n.1.3
2 Missionem stare cum æqualitate, contra Arianos. n.2
3 Explicantur duæ habitudines omnino necessariæ ad essentialem missionis conceptum. n.3
4 Ad rationem missionis spectare principalius habitudinem realem admittentem, quàm rationis ad terminum. ibid.
5 Missionem esse partim notionalem, partim essentialem. ibid.
6 Missionem diuinam esse physicam, & moralem. n.4.5
7 Personam missam, & procedentem, non recipere actu, & formaliter libera decreta. n.4
8 An origo præcisè sit missio. n.6
9 Missum semper esse de nouo in termino, ad quem mittitur. n.7

ARTICVLVS II.

Vtrùm missio sit æterna, vel temporalis tantùm.

1 Simpliciter loquendo, esse temporalem tantũ. n.1. & 2
3 Missionem

2 Missionem esse aliquid simpliciter creatum. n.3
3 Missionem differre à processione, & datione. n.4

ARTICVLVS III.

Vtrùm missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundùm donum gratiæ gratum facientis.

1 Exponitur sensus quæstionis, & distinguitur duplex missio, inuisibilis, & visibilis. n.1
2 Mitti inuisibiliter dicitur diuina persona in animam sanctificatam gratia gratum faciente. num.2. ad 5
3 Non autem simpliciter & propriè mitti dicitur in animam habentem alia dona sine gratia, sed solùm secundùm quid, & imperfecto modo. n.6.& 7
4 Qua ratione persona ipsa diuina dicatur dari nobis. num.4

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Patri conueniat mitti.

1 Conclusio negatiua omnium, contra Cordubam. num.1
2 Cur Filius & Spiritus sanctus dicantur mittere seipsos, Pater autem seipsum mittere dici non possit. num.2.3

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filio conueniat inuisibiliter mitti.

1 Conuenire Filio, & Spiritui sancto, diuersa ratione. num.1
2 Quo modo distinguantur inuisibiles missiones Filij, & Spiritus sancti. n.2
3 Non posse mitti inuisibiliter Spiritum sanctum sine Filio, & è contra. n.3

ARTICVLVS VI.

Vtrùm missio inuisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiæ.

1 Fieri ad omnes, in quibus est gratia, & aliqua innouatio per gratiam. n.1
2 Factam esse ad Patres veteris Testamenti. n.2
3 Fieri ad omnes, in quibus augetur gratia. n.3
4 Fieri ad Beatos, & initio beatitudinis, & postea. num.4
5 Factam esse ad Christum initio suæ conceptionis, non postea. n.5
6 Non fieri ad Sacramenta, sed ad eos qui per Sacramenta gratiam suscipiunt. n.6
7 Non fieri per extrinsecam condonationem peccati. num.7
8 Neque per extrinsecum decretum dandi gratiam, & gloriam pro aliquo tempore futuro. ibid.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Spiritus sanctus conueniat visibiliter mitti.

1 Conclusio affirmatiua; & quid sit mitti inuisibiliter. num.1
2 Diuerso modo missum visibiliter esse Filium, & Spiritum sanctum, & quam ob causam. ibid.
3 Nihil vnquam in vnitatem personæ assumptum esse à Spiritu sancto. ibid.
4 De missione facta ad Christum sub specie columbæ, & nubis lucidæ. n.2
5 De missione facta ad Apostolos, & B. Virginem, sub specie flatus, & sublinguis igneis. ibid.
6 Personas diuinas, etiam Patrem, apparuisse Patribus veteris Testamenti. n.3
7 Quo modo hæ apparitiones factæ sint ante & post in-

carnationem. n.4.5
8 Visibilia signa, sub quibus vna persona mittitur, causari etiam à reliquis personis. n.6

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

1 Totam Trinitatem dici posse mittere, non mitti. n.1. ad 4
2 Ideóque personam missam mittere seipsam. ibid.
3 Filium non solùm quatenus hominem, sed etiam quatenus Deum, missum esse etiam à Spiritu sancto, & à seipso. n.4.5.& 6
4 Nullam personam diuinam mitti ab aliqua creatura. n.7.& 8

QVÆSTIO XLV.

De modo emanationis rerum à primo principio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm creare sit ex nihilo aliquid facere.

1 Conclusio affirmatiua probatur primò authoritate. n.1. ad 5
2 Traduntur tres aliæ creationis acceptiones minus propriæ. n.4
3 Probatur conclusio secundò demonstratione Theologica. n.5.& 6
4 Traditur, & breuiter exponitur definitio creationis. num.7

DVBITATIO VNICA.

Quid in prædicta creationis definitione significet illud, ex nihilo.

1 Non significare habitudinem causæ. n.8
2 Rem ex nihilo fieri, non esse simpliciter non fieri. n.9
3 Fieri ex nihilo, esse fieri post nihilum. n.10
4 Quæ negatio entis sit de essentia creationis. ibid.
5 Quomodo in æterna creatione reperiatur non esse. num.11
6 Non esse ex se, est quid prius natura quàm esse ab alio. ibid.
7 Per illud, *ex nihilo*, significari negationem subiecti. num.12.13
8 In creatione concipi à nobis terminum *à quo*. n.14
9 Sed propriè non esse, n.15. imò ne impropriè quidem. num.16
10 Esse tamen impropriè, solùm in creatione temporali. mum.17
11 Illud, *ex nihilo*, negare essendi actualitatem; possibilitatem verò non negare, sed præsupponere. ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus possit aliquid creare.

Conclusio affirmatiua probatur Theologica demonstratione; ac proinde, certitudine fidei. n.1.& 27

DVBITATIO I.

An alicuius rei creatio implicet contradictionem.

1 Conclusio negatiua probatur. n.2
2 Obiiciuntur, & soluuntur implicantiæ. n.3. ad 9
3 De qua actione dicat Author libri sex principiorum, *Actionem non quid, sed in quid agat, exigere.* n.3
4 Quodnam sit creationis subiectum. n.4.& 19
5 An creatio sit accidens, vel potius modus accidentalis. num.5
6 An potentia creatiua sit supernaturalis. n.6

7 Qua ratione res dicantur possibiles. n.7
8 Creationi repugnare subiectum *ex quo*, non *cum quo*. ibid.
9 An sit infinita distantia inter ens & non ens. n.8

DVBITATIO II.

An de facto, & necessariò admittenda sit creatio.

1 Creationem dari de facto. n.9
2 Esse etiam admittendam necessariò ex suppositione. n.10.ad 13
3 Subiectum præsuppositum actioni, non posse produci per actionem, quæ illud præsupponit. n.11
4 Materiam primam non posse produci nisi per creationem. n.12
5 Sic etiam animam rationalem. ibid.

DVBITATIO III.

An creatio sit naturali ratione demonstrabilis.

1 Posse demonstrari creationem vt possibilem. num.13. & 29
2 Et etiam vt iam factam. n.14
3 Non posse euidenter probari, creationem esse impossibilem. n.15.16.& 25
4 Quod in re est falsum, non posse euidenter iudicari verum; & è contra. n.16
5 Posse demonstrari, creationem in aliquo sensu esse impossibilem. n.17
6 Productionem, etiam eductiuam, non requirere essentialiter terminum *à quo*, sed terminum *ad quem*. num.18
7 Quam conuentionem habere debeant terminus *à quo*, & terminus *ad quem*. n.22
8 Distinctior explicatio essentiæ creationis. n.23
9 An annihilatio implicet, & quo modo tendat in nihilũ simpliciter. n.24
10 Quid sint res antequàm existant. n.24.& 25

DVBITATIO IV.

An creatio fuerit Aristoteli omnino ignota.

1 Quid de creatione senserit Plato. n.31
2 Quid senserint alij veteres ante Aristotelem. ibid.
3 Aristotelem multis in locis creationem iudicasse. n.32. ad 36
4 Et nullibi eam apertè negasse. n.36.& 37

ARTICVLVS III.

Virùm creatio sit aliquid in creatura.

Mens S. Thomæ, & distinctio quinque conceptuum, qui in creationis actu reperiuntur. n.1

DVBITATIO I.

An in re, quæ creatur, detur absolutus aliquis influxus, quo formaliter creetur.

1 Conclusio affirmatiua, eiusdémque declaratio. numero 2.
2 Pro conclusione esse S. Thomam. n.3.ad 7
3 Quid senserint alij Theologi. n.7.ad 12
4 Creari, esse aliquid reale. n.12
5 Creari, non esse ipsammet creaturam cum contestatione Creatoris. n.13
6 Effectum pendere à causa, esse aliquid reale supra effectum. n.14
7 Creari, non esse relationem prædicamentalem. numero 15
8 Nec transcendentalem intrinsecam, sed extrinsecam creaturæ. n.16
9 Quo modo, non solùm res quæ fiunt, & existunt, sed ipsum etiam fieri, & existere, pendeant à Deo. ibid.
10 Creari, esse quid medium inter creaturam & Deum. n.17.33
11 Et esse idem realiter cum creatura, & distinctum formaliter ab illa. n.18.& 47
12 Creationem esse accidens creaturæ, & prius ac posterius illa sub diuersa ratione. numero 19. ad 29
13 An actio, vt actio sit accidens. n.20
14 Notanda differentia inter creationem, & eductionem. n.23
15 An pura materiæ potentia probari possit exemplo creationis. n.28
16 An quælibet dependentia sit de essentia creaturæ. n.29.& 30
17 Quo modo per Aristotelem, substantia sit accidente prior, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura. n.31
18 Duo posse esse inter se essentialiter connexa, & distincta à parte rei. ibid.
19 An creatio dici possit creatura, & concreari. numero 32
20 An Deus possit facere creaturam ex nihilo sine media creatione. n.33
21 Cur creatio se ipsa creetur, non autem creatura. num.34
22 Quæ differentia sit inter creationem, & conseruationem. n.35

DVBITATIO II.

An aliquid existens in Deo, habere possit formalem rationem creationis.

1 Creationem formaliter non esse actum diuinæ voluntatis. n.38
2 Neque esse relationem Dei ad creaturam. n.39
3 Neque esse velle Dei cum respectu ad creaturas. n.40. ad 46
4 Quid sit, atque habeat causa vt coniuncta actioni. n.44. & 45

DVBITATIO III.

An creatura, vel aliquid ipsius, habere possit formalem rationem creationis.

1 Creationem formaliter non esse ipsam creaturam. n.46. & 47
2 Neque relationem rationis ad Creatorem. n.48
3 Neque relationem realem prædicamentalem. numero 49
4 Neque transcendentalem intrinsecè inclusam in conceptu essentiali cuiuslibet creaturæ. numero 50.& 51
5 Sed esse ipsum fieri creaturæ. n.52
6 Creationem esse propriè actionem. n.49

DVBITATIO IV.

An creatio sit motus, vel mutatio.

1 Non esse motum. n.53
2 Non esse mutationem propriè, sed impropriè. n.54. & 55
3 Quo modo constituantur, ac differant motus & mutatio. n.55
4 Cur creatio dicatur mutatio impropriè, & non impropriè motus. n.56

DVBITATIO V.

An creatio sit passio, vel actio.

1 Non esse passionem propriè. n.57
2 Esse passionem impropriè. n.58
3 Esse propriè actionem. n.59
4 Esse nationem transeuntem, non immanentem. num. 60
5 An creatio sit in Prædicamento actionis. n.61
6 Exponitur vulgata creationis diuisio in actiuam, & passiuam. n.58
7 An creatio sit actio naturalis. n.61

Index Dubitationum, & Difficultatum.

ARTICVLVS IV.

Virùm creare sit proprium compositorum, & subsistentium.

1 An res compositæ, & subsistentes, idem sint. n.1
2 Nihil propriè creari nisi subsistens. n.2
3 Angelos, & animas rationales fieri non posse nisi per creationem. n.3
4 Composita naturalia propriè creari. n.4
5 Cœlos fieri per creationem. n.5
6 Composita materialia initio fieri non potuisse nisi per creationem: & quæ postea generantur, esse etiam creata respectu Dei. ibid.& n.6
7 An vnionis modus creari possit. n.6
8 An, in prima compositorum productione, formæ substantiales sint creatæ, vel eductæ. num. 6. 7. & 10
9 Per creationem solius materiæ denominari creatum compositum. n.7
10 Per creationem solius animæ rationalis non denominari creatum hominem. ibid.
11 Quo modo creari possint formæ substantiales materiales, & accidentia omnia. n.8
12 Materiam primam non posse fieri nisi per creationem. num.9
13 Quo modo materia prima creata de facto sit. n.10. & 11
14 Ex materiæ primæ creatione, efficaciter deduci propriam illius existentiam. n.12
15 An cœlorum formæ sint creatæ, vel eductæ. n.10

ARTICVLVS V.

Virùm solius Dei sit creare.

1 Creatura quot modis intelligi possit creare. n.1
2 Creaturam non posse creare independenter à Deo. ibid.

DVBITATIO I.

An vlla vnquam creatura de facto creauerit.

1 Conclusio negatiua, eiusque certitudo, & aduersarij. num.2
2 Probatur primò auctoritate Scripturæ. n.3
3 Probatur secundò ex Patribus. n.4
4 Probatur tertiò rationibus. n.5

DVBITATIO II.

An creatura possit creare perfectissimo modo.

1 Traduntur duæ creandi perfectiones, & ratio disputandi de illis. n.6
2 Creaturam non posse creare ex nullo præsupposito, etiam ex parte agentis. n.7
3 Nec cum indifferentia ad creandum quodcunque creabile, etiam si ipsam creantem excipias. n.8
4 Patres docentes, nullam creaturam posse esse creationis causam, esse intelligendos de causa etiam instrumentali. n.10

DVBITATIO III.

An creatura possit aliquid creare vt causa secunda principalis.

1 Posse dari moralem creationis causam. n.11
2 Physicam verò causam secundam principalem non posse dari, contra Durandum. n.12.ad 16
3 Probabilis coniectura est, creaturam creantem non posse fieri, quia non est facta. n.13
4 An prædicta implicantia possit ratione probari. n.15
5 Exponitur & defenditur ratio sancti Thomæ. num.16. ad 21
6 Nullam creaturam posse tendere in ens creabile, vt sic. n.16
7 Omnem creationem essentialiter tendere in ens creabile vt sic. n.17.ad 21
8 Ad creandum quodcunque, esse necessariam potentiam infinitam. num.21.22.26.44. imò simpliciter infinitam in genere potentiæ productiuæ. n.23
9 Quanta sit distantia inter ens & non ens. n.24.ad 46
10 Qui potest creare vnum, posse creare omnia. n.25
11 Examinantur quindecim aliæ rationes aliorum Auctorum. n.26.ad 44
12 An creatura possit annihilare. n.37.38.& 60
13 Soluuntur contraria argumenta. n.44.ad 68
14 Qualis sit distantia inter ens & non ens. n.45
15 Proprius Dei effectus est esse simpliciter. n.50.51. 52.55. & 62
16 Quemlibet creationis terminum esse formaliter infinitum. n.56
17 An ex improportione inter nullam potentiam, & aliquam potentiam, probetur infinita creandi virtus. num.57
18 An forma prius natura habeat esse in se, quàm esse in subiecto, & ex subiecto. n.58
19 An forma prius natura pendeat ab agente, quàm à subiecto. n.59
20 An omnis effectus non adæquans virtutem suæ causæ, possit à minore virtute produci. n.61
21 Non distingui specie creationes terminorum specie distinctorum. num. 63. & cur eductio, non creatio plures habeat species. ibid.
22 Dari non posse potentiam creatiuam limitatam ex parte causæ. n.67

DVBITATIO IV.

An aliqua creatura possit creare vt instrumentum Dei naturale.

1 Vnam creaturam esse non posse alterius creaturæ instrumentum ad creandum. n.68
2 Neque naturale Dei instrumentum. n.69.ad 76
3 Quo modo se habeat causa instrumentalis respectu effectus, & actionis. n.72
4 S. Thomam olim sensisse oppositum cum Magistro, sed deinde retractasse. n.69.ad 76
5 Naturale creationis instrumentum, neque esse posse substantiam, neque accidens. n.73
6 An instrumentum, vt operetur effectum principalis agentis, necesse sit prius intelligi per aliquid sibi proprium disponere aliud ad illum effectum. n.74. & 75

DVBITATIO V.

An aliqua creatura possit creare vt instrumentum Dei obedientiale.

1 Conclusio negatiua, eiusque patroni, & aduersarij. n.76. & 77
2 Probatur primò authoritate Sanctorum. n.78
3 Probatur secundò rationibus. n.79. & 80
4 Occurritur contrariis argumentis. n.81.82.& 83
5 Quæ diuinæ proprietates sint incommunicabiles creaturis. n.80
6 Rem creatam à solo Deo, non posse conseruari à creatura. n.81
7 Cuius actione conseruentur species sacramentales. n.82

8 Creaturam non posse annihilare. ibid.
9 Quo modo, corruptis sacramentalibus speciebus, producatur de nouo forma substantialis. n.83.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm creare sit proprium alicuius personæ.

1 Conclusio negatiua probatur primò ex verbis Ioan. 5. num. 1
2 Probatur secundò demonstratione Theologica. n.2
3 Probatur tertiò alia ratione à priori. n.3.4.& 5
4 Opera Trinitatis ad extrà esse indiuisa. n.4.& 5
5 Creare, appropriari personis, diuersa ratione. n.6

DVBITATIO VNICA.

Qua ratione diuinæ personalitates ad creandum concurrant.

1 Quid secundùm S. Thomam sit, personas ad creandum concurrere, *secundum rationem suæ processionis.* n.7
2 Nihil personale in diuinis esse posse formalem rationem agendi ad extrà. n.8.ad 12
3 Non posse in Deo rectè distingui duas sapientias, & duos amores. n.10
4 Personalitatem ad creandum concurrere vt conditionem prærequisitam per se, tamen materialiter, non formaliter. n.11.ad fin. artic.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in creaturis sit necesse inueniri vestigium Trinitatis.

1 Probatur conclusio affirmatiua, & declaratur ratio vestigij. n.1.& 2
2 Trinitatem à creaturis rationalibus repræsentari per modum imaginis. n.3
3 Hominem esse imaginem vnius Dei, & trium personarum. n.4.& 5
4 In homine esse peculiarem rationem imaginis Filij. num.6
5 Hominem nec secundùm corpus, nec ratione plurium individuorum, esse imaginem Trinitatis. n.7
6 Tres primos homines repræsentare Trinitatem. n.8

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis.

1 Conclusio negatiua vniuersalis, excepta hominis generatione, in qua admiscetur creatio animæ.
2 Multæ aliæ difficultates in hoc articulo tanguntur, & numerantur; de quibus alibi.

QVÆSTIO XLVI.

De principio durationis rerum creatarum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vniuersitas creaturarum semper fuerit.

1 Conclusio negatiua de mundo, & de qualibet simpliciter creatura. n.1
2 De mundi principio quid senserint Plato, & alij antiqui Philosophi. n.2
3 Quid senserit Aristoteles. n.3
4 Quatuor probabiles conclusionis rationes. n.4
5 An demonstrabile sit, mundum incœpisse in tempore. n.5.6.& 7
6 Soluuntur obiectiones Aristotelis. n.8.ad 17
7 Soluuntur obiectiones Auerrois, & aliorum. n.21. & deinceps.
9 An Deus semper fuerit in potentia actiua propinqua creandi mundum. n.15
10 An Deus semper faciat melius. n.16
11 Mundum congruentius fuisse factum in tempore, sed cur non antè, vel post? ibid.
12 Creationis nouitatem non esse contra æternam Dei bonitatem. n.17
13 Quando valeat argumentum à commutata proportione. n.22
14 An Deus semper fuerit Dominus. n.26

ARTICVLVS II.

Vtrùm mundum incœpisse sit articulus fidei.

1 An fidei articuli demonstrari possint. n.1
2 An in causis detur processus in infinitum. n.2
3 S. Thomam docere, mundum hunc potuisse esse ab æterno. n.3.& 4
Mundi æternitatem defendi commodè non posse ab iis, qui negant infinitum permanens. n.4

DVBITATIO I.

An creatio, vt creatio, pugnet cum æternitate.

1 Conclusio negatiua, eiúsque authores, & aduersarij. n.5.& 6
2 Conclusionis authoritas, & rationes. n.7.ad 18
3 Causam efficientem non necessariò præcedere duratione suum effectum. n.10.& 11
4 Deum liberè creare, & ab æterno creare, non implicat. n.12. & 30
5 Contra conclusionem non esse sanctos Patres. n.18. ad 26
6 Æternitatem non pugnare cum non esse creaturę. n.16. 17.& n.26.ad 29
7 Neque cum contingentia creaturæ. n.15.& 29.ad 34
8 Causam liberam, in eodem instanti, in quo agit, posse non agere. n.31
9 Creatura non posse articulari in æternitate. num.32. 33.& 40
10 Quo modo generetur, & corrumpatur ens successiuum. n.33
11 Qua ratione creatura produceretur, & conseruaretur in æternitate. n.34.ad 40
12 Æternitatem nõ pugnare cum mutabilitate creaturæ. n.40.& 41

DVBITATIO II.

An æternitas repugnet creaturæ permanenti.

1 Nihil corruptibile, relictum suæ naturæ, fieri posse ab Æterno. n.43.44
2 Creaturam incorruptibilem posse ab Æterno fieri. num.45
3 Corruptibile fieri ab Æterno posse, & conseruari incorruptum. n.46

DVBITATIO III.

An motus finitus, & motus localis rectus esse possint ab Æterno.

1 Implicare esse ab Æterno motum finitum. num.47. & 48
2 Item motum localem rectum absque reflexione. n.49. ad 54
3 An ab Æterno implicet motus localis rectus cum reflexione. n.49

DVBITATIO IV.

An dari possit ab Æterno motus localis circularis.

1 Conclusio affirmatiua, eiúsque authores, & aduersarij. num.54
2 Qua ratione conclusio probanda sit. n.55

3 Soluuntur implicantiæ Aureoli. n.56.ad 63
4 Non omne infinitum apud Aristotelem esse actum permixtum potentiæ. n.56
5 An ratio infiniti sit, non solùm ex parte, ad quam proceditur, sed etiam à qua proceditur. n.57
6 Infinitum quo modo dicatur habere rationem partis, & definiendum sit. n.59.& 60
7 Partem infiniti non esse æqualem toti. num. 61. & 62
8 Soluuntur implicantiæ Durandi. numero 63. ad 70
9 Ex ordinata plurium successione, non necessariò inferri primum. n.63.ad 67
10 Tempus infinitum à parte post, si per impossibile poneretur totum in actu, non haberet vltimum. num.65
11 Cur tempus à parte antè, non à parte pòst, esse possit totum in actu. n.66
12 In motu infinito à parte antè, non posse assignari aliquam circulationem, à qua infinitè distet circulatio hodierna. n.67
13 An omne infinitum sit impertransibile. n.68
14 An infinito fieri possit additio. n.69.
15 An cœlum ab Æterno productum, moueri possit in eadem indiuisibili mensura, in qua producitur. num.70
16 Esse possibilem æternam aëris illuminationem à Sole, eámque propriè esse motum. n.71
17 In qua parte fuisset creatus Sol, si ab Æterno motus esset. n.72.ad 75
18 Qua ratione in tempore æterno sint infiniti dies, menses, anni, &c. num. 75. ad 78. & num. 79. ad 83
19 An in tempore æterno, etiam prius & posterius, sint ab æterno. n.78

DVBITATIO V.

An dari possint ab Æterno infinitæ successiones rerum finitarum, ac distinctarum.

1 An Deus singulis diebus æterni temporis possit creare, & conseruare vnum angelum. n.84
2 Quo modo possit, aut non possit angelus intelligere successiuè ab Æterno. n.85
3 Plura successiuè existentia in æternitate, non posse esse numero finita. n.86
4 Infinitas res inuicem succedentes ab Æterno non implicare. n.87.& deinceps.
5 Quid consequenter dicendum, si ab Æterno crearetur mulier grauida. n.92
6 An dari possit, ac debeat, primum generans in infinitis generationibus ab Æterno. num.88.93. ad 97
7 An quod conuenit singulis, conueniat omnibus. numero 94
8 Proponitur alia præcipua, & minus solubilis implicantia contra infinitas generationes ab Æterno. n.97. ad 103
9 Defenditur Illustrissimus Toletus contra Bagnes. n.103. ad finem articuli.

ARTICVLVS III.

Vtrùm creatio rerum fuerit in principio temporis.

1 Afferuntur tres expositiones illius Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* n.1
2 Tractatur prima, ac valdè certa expositio de principio temporis. n.2.3.& 4
3 Secundò illud, *in principio*, exponitur, *in Filio.* n.1.& 5. Tertiò exponitur, *ante omnia.* n.1.& 6

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Qui in hoc Opere exponuntur.

GENESIS.

Cap.1. IN principio creauit Deus. q.27. art.1.n.58.& 149. & q.39.art. 3. n. 14. & q. 45. art.5. n.3. & q.46.art.3.toto.
Creauit Deus cete grandia. q.45. art.1.n.4
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. q.27.art.1. n.92. 95. 148.& q. 30. art.3. n. 2. & q.31.art.3. n.4. & q.34.art.3.n.16.& q.35. art.1.n.3.& q.42.art.1.n.4.& q.45.art.7.n.4.
Creauit Deus hominem ad imaginem suam. q.45. art.1.n.4.& art.7.n.4.& deinceps.
3. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. q.27.art. 1.n.148.
11. Venite,descendamus,&c. q.34.art.3.n.16
19. Pluit Dominus à Domino. q.27.art.1.n.154
22. Nunc cognoui,quòd times Deum. q.27.art.1.n.134
24. Posuit manum super femur Abraham Domini sui. q.27.art.1. n.149

EXODVS.

Cap.3. Qui est, misit me ad vos. quæst. 39. art. 2. num. 6
7. Constitui te Deum Pharaonis. quæst.27.art.1.n.17. 21.34
20. Non habebis Deos alienos. q.27.art.1.n.149
21. Si dederit Dominus eius. ibid.

NVMERI.

Cap.11. Tollam de spiritu tuo,& dabo eis. q.38.art.2. num.8

DEVTERONOMIVM.

Cap.5. Ego sequester,& medius fui, &c. quæst.43.art. 7.n.4
32. Numquid non ipse est pater tuus, &c. q.33.art.3. num.2
Dominus solus dux eius fuit,&c. q.27.art.1.n.37
Videte,quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. q.31.art.3.n.9
Viuo ego in æternum. q.46.art.2.n.25

REGVM LIB. II.

Cap.7. Iuit Deus. q.27.art.1.n.149
23. Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Dixit Deus Israël, &c. ibid. num. 110

IOB.

Cap.9. Qui extendit cœlos solus,& graditur super fluctus maris. q.27.art.1.n.37
33. Semel loquitur Deus. q.34.art.3.n.19
38. Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris? q.33.art.3.n.2
40. Si voce simili tonas. q.34.art.3.n.19
Ecce Behemoth. q.27.art.1.n.60
Ipse est principium viarum Dei. q.27.art.1.n.12

PSALMI.

Psal.2. Dominus dixit ad me,Filius meus es tu, ego hodie genui te. q.27.art.1.n.68.72.73.151. & art.2.n.3. & q.34.art.3. n.19
Ne quando iratscatur Dominus. q.27.art.1.n.72
8. Minuisti eum paulò minus ab angelis. q.27.art.1. num.47
17. Altissimus dedit vocem suam. q.27.ar.1.n.31
18. Cœli enarrant gloriam Dei. q.46.art.1.n.14
24. Vniuersæ viæ Domini,misericordia,& veritas. q.27. art.1.n.8
32. Verbo Domini, cœli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum. q.27.art.1.n.219. & q.34. ar.1.n.5.16.& q.36.art.1.n.6
Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit,& creata sunt. q.45.art.1.n.7
36. Dominus irridebit eum. q.27.art.1.n.149
44. Eructauit cor meum verbum bonum. q.34.ar.1. n.5.12
61. Semel loquutus est Deus. q.34.art.3.n.19
70. Tu es patientia mea. q.37.art.1.n.1
72. Vt iumentum factus sum apud te. quæst.27.art.1. num.60
81. Ego dixi, Dij estis. q.27.art.1.n.17.21.34
86. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. q.27.ar.1.n.31
106. Misit verbum suum, & sanauit eos. q.34.art.1. num.5
109. Ex vtero ante luciferum genui te. q.27.ar.1.n.15. 71.74.151. 194.& ar.2. n.1. & q.41. ar.2.n.20. & art.4.n.12
Tecum principium. q.33.art.1.n.2
138. Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? quæst. 27. art. 1. num. 114. & quæst. 35. art. 2. num.8
148. Quædam prudens obseruatio in totum Psalm.148. pro diuinitate Filij, & Spiritus sancti. q.27.art.1. num.125
Ipse dixit, & facta sunt: Ipse mandauit, & creata sunt. quæst.27. art.1. num.95. & quæst.34.art. 3. num.19
Spiritus procellarum,quæ faciunt verbum eius. q.34. ar.1.n.22

PROVERBIA.

Cap.1. Sapientia foris prædicat. q.27.ar.1.n.60
4. Ego filius fui patris mei,tenellus, & vnigenitus coram matre mea. q.27.ar.4.n.4
8. Dominus possedit me in initio viarum suarum. q.27. art.1.n.6.ad 17.& n.90.151.& q.46.art.1.n.1
Antequam quidquam faceret à principio. q.27.art.1. n.15.& 61
Cum eo eram cuncta componens. q.27.art.1.n.16
Quando præparabat cœlos,aderam. ibid.& n.182
15. Longè est Dominus ab impiis. q.43.art.3.n.6

SAPIENTIA.

Cap.1. In maleuolam animam non introibit sapientia,nec habitabit,&c. q.43.art.3.n.6
Spiritus Domini repleuit orbem terrarum,& hoc quod continet omnia,scientiam habet vocis. q.27.ar.1. n.114
7. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. ibidem, num.188
Speculum sine macula Dei maiestatis. q.27. art.2.n. 84.& 85
In animas sanctas se transfert. q.43.ar.3.n.6
9. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à Sede sancta tua, vt mecum sit, & mecum laboret. q.43.ar.5.n.3
11. Omnia in mensura,& numero,& pondere disposuisti. q.45.art.7.n.2
14. Tua autem, Pater, sapientia gubernat. q.33.art.3. num.2
18. Omnipotens sermo tuus. q.34.art.1.n.7

ECCLESIASTICVS.

Cap.16. Vias illius quis intelligit? q.27.art.1.n.8
18. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. q.45. art.5.n.3
24. Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. q.27.art.1. n.4. 14.151. 219. & q.34.art.1.n.12
Ab initio,& ante sæcula creata sum. q.27.ar.1.n.14. & 61
Ego Sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio. Ego quasi fluuij diorix,& sicut aquæductus exiui de paradiso. q.27.ar.1.n.5

ISAIAS.

Cap.6. Sanctus,Sanctus,Sanctus, Dominus Deus exercituum. q.27.ar.1.n.62.& 129
Vade,& dices populo huic,Audite audientes, &c.q.27. art.1.n.110
35. Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cœcorum,&c. q.27.art.1.n.29
37. Tu es Deus solus omnium regnorum terræ. q.31. art.3.n.9
40. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. q.27. art.1.n.32
45. Hæc dicit Dominus; labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim, viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, téque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator. q.27.ar.1.n.28.37.& 191
48. Et nunc Dominus Deus meus misit me, & Spiritus eius. q.36.ar.2.n.10.& q.43.ar.8.n.5
53. Generationem eius quis enarrabit? quæst.27. art.2. num.1

BARVCH.

Cap.3. Qui in terris visus est, &c. Hic est Deus noster,& non æstimabitur alius ad eum. quæst.27. art.1. num.34.& 37

EZECHIEL.

Cap.37. Scietis,quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra,&c. q.27.art.1.n.118

DANIEL.

Cap.3. Sciant,quia tu es Dominus Deus solus. q.31.ar. 3.num.9

AMOS.

Cap.4. Creans Spiritum. q.27.ar.1.n.133

MICHÆAS.

Cap.5. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël;& egressus eius ab initio,à diebus æternitatis. q.27.art.1.n.60.61.151

MATTHÆVS.

Cap.1. Quod in ea natum est,de Spiritu sancto est. q.27. ar.1.n.203
Filium suum primogenitum. quæst. 27. artic. 1. num.100
4. Si tu es Filius Dei,&c. q.27.ar.1.n.70
6. Pater noster,&c. q.33.ar.3.n.2.&6
12. Si ego in spiritu Dei eiicio dæmonia. q.45.art.7. num.7
16. Faciem cœli diiudicare nostis. q.29.ar.3.n.1
Dicit illis Iesus,Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit, Tu es Christus, Filius Dei viui. q.27.art.1.n.75
19. Vnus est bonus Deus. q.31.ar.3.n.12
20. Sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis. quæst.27.art.1.num.39.42.& deinceps.
24. De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater. quæst.27. art.1. 39. 45.& 46
26. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus,Filius Dei viui. q.27.ar,1.n.76
27. Deus meus,Deus meus,vt quid dereliquisti me?q.27. art.1.n.39. & 41
28. Data est mihi omnis potestas, &c. q.27.art.1.n.55. euntes,docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti. q.27.art.1. n.115.135.145.& q.39.ar.2.n.4

MARCVS.

Cap.10. Nemo bonus nisi vnus Deus. quæst.31.art.3. num.12
13. De die autem illa,vel hora,nemo scit,neque angeli in cœlo,neque Filius,nisi Pater. quæst.27.ar.1.n.39. 45.& 46
14. Ego sum. q.27.ar.1.n.76

LVCAS.

Cap.1. Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu,& virtute Eliæ. q.27.ar.1.n.30
Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. q.27.ar.1.n.118
Tu puer Propheta Altissimi vocaberis. ibid.n.31
5. In verbo tuo laxabo rete. q.34.art.1.n.22
7. Ait intra se dicens. q.34.ar.3.n.16
11. Si in digito Dei eiicio dæmonia. q.45.ar.7.n.7
Nemo bonus nisi solus Deus. q.27.ar.1.n.38.& q.31. art.3.n.12

IOANNES.

Qua potissimum ratione motus Ioannes Euangelium scripserit. q.27.art.1.n.56
Cap.1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. quæst.27.art.1.num.25.& deinceps. & n.58. & n.215. 216. & q.33. art.1. n.1. & q.34. art.1.n.5

Omnia per ipsum facta sunt. q.27.art.1.n.59. & n.84. & 91.& deinceps.& n.131
Verbum erat apud Deum. ibid.n.79.153.& 191
Sine ipso factum est nihil. q.27. art.1.n.131.& q.45.ar.1.n.3
Hoc erat in principio apud Deum. quæst.31. art.2. num.19
Verbum caro factum est. q.27.ar.1.n.27
Gloriam quasi vnigeniti à Patre. quæst. 27. art.4. num.2
Vnigenitus,qui est in sinu Patris. q.27.ar. 1.n.71. 78.191.& 219
Ante me factus est. q.27.ar.1.n.98
3. Quod natum est ex carne,caro est ; & quod natum est ex spiritu,spiritus est. q.27. ar.2.n.64
Spiritus vbi vult,spirat. q.27.art.1.n.166
Sic Deus dilexit mundum,vt Filium suum vnigenitum daret. q.27.ar.1.n.71
Quem enim misit Deus,verba Dei loquitur ; nõ enim ad mensuram dat Deus spiritum. q.43.art.6. num.5
Quod vidit,& audiuit, hoc testatur. quæst.34. art.3. num.19
4. Si scires donum Dei. q.38.ar.1.n.1
Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu , & veritate. q.27.ar.1.n.136
Spiritus est Deus. ibid.n.112
5. Pater meus vsque modo operatur,& ego operor.q.27. ar.1.n.150
Quærebant eum interficere , quia Patrem suum dicebat Deum , æqualem se faciens Deo. q.27.art.1. n.70.& q.42.ar.1.n.1
Non potest Filius à se facere quidquam , nisi quod viderit Patrem facientem. q. 27. art. 1. num.53. 54.150
Quæcunque enim ille fecerit , hæc & Filius similiter facit. q.27. ar.1.n.94. & q.41.ar.2.n.15.& q.45. ar.6.n.1
Pater enim diligit Filium. q.41.ar.2.n.15
Vt omnes honorificent Filium , sicut honorificant Patrem,qui misit illum. q.43.ar.1.n.2
Sicut Pater habet vitam in semetipso , sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. q.28.ar.2. n.117. & q.39.ar.5. n.14
Alius est,qui testimonium perhibet de me. q. 27.ar. 1.n.152
6. Ego viuo propter Patrem. q.27.ar.1.n.54
7. Ego scio eum,quia ab ipso sum, & ipse me misit. q.27. ar.1.n.1
Nondum enim erat spiritus datus , quia Iesus nondum erat glorificatus. q.43.ar.6.n.2
8. Solus non sum , sed ego, & qui misit me, Pater. Testimonium perhibet de me,qui misit me,Pater. q.27. ar.1.n.150
Neque me scitis, neque Patrem meum ; si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. q.28.ar.1.n.6
Sicut docuit me Pater,hæc lõquor, quæst.34. art.3. num.19
Qui me misit , mecum est , & non reliquit me solum. q.31.ar.3.n.3
Ego ex Deo processi,& veni;neque enim à meipso veni,sed ille me misit. q.27.ar.1.n.1.& 151
Antequam Abraham fieret,ego sum. ibid.n.61
10. Si tu es Christus,dic nobis palàm. Vbi Christum , respondendo dixisse , se esse Deum,probatur q. 27. ar.1.n.33
Pater meus quod dedit mihi,maius omnibus est. q.28. ar.2.n.158.& q.38.ar.1.n.4
Ego,& Pater, vnum sumus. q.27. ar.1. n.155. & q.30.ar.4.n.2
Lapidamus te de blasphemia,quia tu,homo cùm sis,facis te ipsum Deum. q.27.ar.1.n.76
Quem Pater sanctificauit,& misit ea. ibid.n.33
Pater in me est,& ego in Patre. q.42.ar.1.n.4
11. Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. q.34.ar.3.n.19
12. Pater clarifica Filium tuum. q.27.ar.2.n.2
Ego ex me ipso non sum loquutus. Quæ ergo ego loquor,sicut dixit mihi Pater,sic loquor. q.34.ar.3. num.19
14. Creditis in Deum, & in me credite. quæst.27. ar.1. num.33
Qui vidit me, videt & Patrem. q.27.ar.2.n.64. 84. 87
Ego in Patre,& Pater in me est. q.40. ar.2.n.54. & q.42.ar.5.n.9
Pater in me manens,ipse facit opera. q.27.ar.1.n.161
Si diligitis me,mandata mea seruate. q.43.ar.3.n.2
Ego rogabo Patrem , & alium Paraclitum dabit vobis. q.27. ar.1. n.144. 156.160. & q 31.ar.2.n.4.19. & q.34.ar.2.n.4.& q.43.ar.3.n.2
Si quis diligit me,&c. q 43.ar.3.n 3
Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo,ille vos docebit omnia. q.27.ar.1.n.144
Pater maior me est. q.27.ar.1.n.47.48.49.& q.28. ar.2.n.146. & q.33.ar.1.n.3.27. & q.39.ar.1.n.3. & q.42.ar.1.n.13.& q.43.ar.7.n.1
Verba , quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. q.27.ar.1.n.54
Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. ibid. num.31
Si cognouissetis me , & Patrem vtique cognouissetis. Philippe,qui videt,&c. q.27.ar.1.n.33.86.& q. 34.ar.3.n.33.& q.42.ar.5.n.9
15. Cùm venerit Paraclitus , quem ego mittam vobis à Patre. q.27.ar.1.n.156
Spiritum veritatis,qui à Patre procedit. q.36.art.2. n.12.13
16. Cùm venerit ille , Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:non enim loquetur à semetipso , sed quæcunque audiet , loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, &c. q.27. ar.1. n.137.157. 158.159.194.& q.32.ar.3.n.7.& q.36.art.2. n.7.8. & q.38.ar.1.n.4.& q.39.ar.2.n.8
Omnia,quæcunque habet Pater , mea sunt. q.31.ar. 2.n.19.& q.40.ar.2.n.12
Pater amat vos,quia vos me amastis, & credidistis,quia ego à Deo exiui, & veni in mundum. q.27.ar.1. n.2.& 151
Non loquetur à semet ipso. q.27.ar.1.n.54.137.& q. 34.ar.3.n.16.19.& q.36 ar.2.n.8
Ecce , venit hora vt dispergamini , & me solum relinquatis. q.31.ar.3.n.3
Non sum solus,quia Pater mecum est. ibid.
17. Hæc est vita æterna , vt cognoscant te , solum Deum verum,& quem misisti Iesum Christum. q.27.ar.1. n.35.36.37.& q.31.ar.4.n.7
Clarifica me tu , Pater, apud temetipsum , claritate, quam habui prius quàm mundus fieret. q.27.ar.1. num.55
Manifestaui nomen tuum hominibus. q.33.ar.2.n.2.& q.40.ar.2.n.39
Cognouerunt verè,quia à te exiui, & crediderunt,quia tu me misisti. q.27.ar.1.n.2
Mea omnia,tua sunt;& tua,mea sunt. q.40.ar.2.n.12
19. Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori,quia Filium Dei se fecit. q.27.ar.1.n.76
20. Ascendo ad Patrem meum,& Patrem vestrum;Deum meum,& Deum vestrum. q.27.ar.1.n.39.40.& q. 33.ar.3.n.4
Insufflauit,& dixit eis,Accipite Spiritum S. q.36.ar. 1.num.5
Quia vidisti me , Thoma , credidisti. quæst.27.ar.1. num.34

ACTVS

ACTVS APOSTOLORVM.

Cap.1. Non est vestrum,scire tempora,vel momenta,quæ Pater posuit in sua potestate. q.27.art.1.n.45
2. Dominum eum, & Christum fecit Deus , hunc Iesum. q.27.art.1.n.102
Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi. q.27.art.1.n.135
5. Cur tentauit Satanas cor tuum,mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus,sed Deo. q.27. art.1.n.106.107
Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? q.27.art.1.n.107
7. Apparuit illi in deserto montis Syna angelus in igne flammæ rubi. q.43.art.7.n.4
10. Verbum misit Deus filiis Israël,annuncians pacem per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus. q.27. art.1.n.164
20. Attendite vniuerso gregi,in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos,&c. ibid.n.119
Beatius est, magis dare , quàm accipere. q.27.art.1. n.239
28. Bene Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam Propheram,&c. q.27.art.1.n.110

PAVLVS EPIST. AD ROMANOS.

Cap.4. Vocat ea, quæ non sunt , tamquam ea quæ sunt. q.45.art.1.n.3
5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ S.qui datus est nobis. q.27.art.1.n.156. & q.36. art.2.n.10.& q.43.art.3.n.2
6. Baptizati sumus in Christo Iesu. q.27.art.1.n.135
8. Si quis spiritum Christi non habet , hic non est eius. q.36.art.1.n.3.& art.2.n.11
Quicunque spiritu Dei aguntur , ij sunt filij Dei , &c. q.33.art.3.n.2
Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus,Abba,Pater. q.27.art.1.n.156
Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. ibid.n.134
Prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui. q.35. art.2.n.7
9. Ex quibus est Christus secundùm carnem,qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. q.27. art.1.n. 22.23.24
11. Quàm inuestigabiles viæ eius. q.27.ar.1.n.8
Ex ipso,& per ipsum, & in ipso sunt omnia. q.39.ar. 8.n.4
16. Soli sapienti Deo. q.31.art.4.n.8

EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Cap.1. Expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi , qui & confirmabit nos vsque in diem sine crimine,in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. q.27.art.1.n.164
2. Spiritus omnia scrutatur,etiam profunda Dei. q.27. art.1.n.111.& q.42.ar.5.n.2
Quis cognouit sensum Domini ? Nos sensum Christi habemus. q.45.art.7.n.5
3. Quasi carnalibus. q.27.art.4.n.2
Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.Si quis autem templum Dei violauerit,disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctũ est, quod estis vos. q.27.art.1.n.108.& q.43.art.3.n.3
6. An nescitis , quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti. q.27.art.1.n.109
8. Siue in cœlo , siue in terra sunt dij multi , & domini multi. q.27.art.1.n.17.21.34
Vnus Deus Pater , ex quo omnia , & nos in illum ; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. q.27.art.1.n.87
10. Bibebant de spirituali,consequente eos,petra.Petra autem erat Christus. q.27.art.1.n.32
Neque tentemus Christum , sicut quidam eorum tentauerunt , & à serpentibus perierunt. q.27.art.1. num.32
11. Caput Christi Deus. q.33.art.1.n.4
12. Datur manifestatio Spiritus,&c. q.43. art.3.n.7. & art 7.n.2
Hæc omnia operatur vnus , atque idem Spiritus , &c. q.27.art.1.n.119
15. Cùm tradiderit regnum Deo,& Patri. ibid.n.50
Tunc & ipse Filius subiectus erit ei , qui subiecit sibi omnia. quæst.27. art.1. n.39. 50.51. 52.& q.53. art.1.n.5

EPIST. II. AD CORINTHIOS.

Cap.3. Dominus autem spiritus est. q. 27.ar.1.n.123
6. Vos estis templum Dei viui,sicut dicit Deus(Leuit.26.) Quoniam inhabitabo in illis , & inambulabo inter eos,& ero illorum Deus , & ipsi erunt mihi populus. ibid.n.109

EPIST. AD GALATAS.

Cap.3. Ordinata per angelos in manu Mediatoris. q.43. art.7.n.4
Quicunque in Christo baptizati estis,&c. q.27.art.1. num.135
Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis. q 43.art.8.n.8
4. Misit Deus Filium suum,vt adoptionem filiorum reciperemus. q.27.art.1.n.76
Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamãtem, Abba,Pater. ibid.n.134
Tunc ignorantes Deum , iis , qui natura non sunt dij, seruiebatis. q.39.art.2.n.19

EPIST. AD EPHESIOS.

Cap.3. Ex quo omnis paternitas in cœlo,& in terra nominatur. q.27.art. 2.n.2.& q.33.art.2.n.4
4. Dedit dona hominibus. q.38.art.2.n.7
6. Gladium Spiritus,quod est Verbum Dei. q.34. art.1. num.22

EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap.2. Qui cùm in forma Dei esset , non rapinam , &c. q.39.art.2.n.22. & q.42.art.1.n. 1
Semetipsum exinaniuit,formam serui accipiens. q.27. art.1.n.85
Humiliauit semetipsum,&c. ibid.n.50.& 55
3. Nos sumus circumcisio,qui Spiritui Dei seruimus.ibid. num.113

EPIST. AD COLOSSENSES.

Cap.1. Transtulit in regnum Filij dilectionis suæ. q.41. art.2.n.16
Qui est imago Dei inuisibilis. q.27.ar.2.n.87
Primogenitus omnis creaturæ. q.27.art.1.num.100. & 101
In ipso condita sunt vniuersa,&c. ibid.n.84
2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. ibid. num.89

EPIST. I. AD THESSALONICENSES.

Cap.3. Vos autem Dominus multiplicet , & abundare faciat charitatem vestram. q.27.art.1.n.124.& 126

EPISTOLA I. AD TIMOTHEVM.

Cap.1. Immortali,inuisibili, soli Deo. quæst.31.art.3. n.10.& 13
6. Qui solus habet immortalitatem. q.27.art.1.n.36. & q.31.art.3.n.10.& 13
Deuitans profanas vocum nouitates. q. 39. art.2. n.8.& 9

EPI

EPIST. AD TITVM.

Cap.2. Expectantes aduentum gloriæ magni Dei, &c. q.27.art.1.n.34

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap.1. Per quem fecit & sæcula. q.27.ar.1.n.154
Cùm sit splendor gloriæ,& figura substantiæ eius.q.27.ar.2.n.61.67.84.& q.29.ar.2.n.1.& 2
Portans omnia verbo virtutis suæ. q.34.ar.1.n.22
Tanto melior angelis effectus. q.27.ar.1.n.99
Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu. ibid.n.72
2. Eum autem, qui, modicò quàm angeli, minoratus est. ibid.n.47
3. Iesus fidelis est ei,qui fecit illum. ibid.n.99
4. Viuus est sermo Dei,& efficax. q.34.ar.1.n.6.22
5. Didicit ex iis,quæ passus est,obedientiam. q.27.art.1.num.41
13. Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula. q.27.art.1.n.62

EPISTOLA IACOBI.

Cap.1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. q.27.art.1.n.12
2. Redarguti à lege quasi transgressores. q.27.ar.4.n.2

EPISTOLA II. PETRI.

Cap.1. Maxima,& pretiosa nobis promissa donauit;vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ. q.39.art.2.n.19

EPISTOLA B. IVDÆ.

Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit. q.27.art.1.n.32

EPISTOLA I. IOANNIS.

Cap.1. Quod fuit ab initio,quod audiuimus,&c. q.34.art.1.n.15
2. Omnis qui negat Filium,nec Patrem habet.Qui confitetur Filium,& Patrem habet. q.28.art.1.n.5
4. Omnis qui diligit,ex Deo natus est. q.37.art.1.n.3
Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum. q.27.art.1.n.71
Deus charitas est,& qui manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo. q.37.art.1.n.1.3.& q.43.art.3.num.2
5. Tres sunt,qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum,& Spiritus S.& hi tres vnum sunt. q.27.ar.1.n.120.143.& q.28.ar.4.n.16.& q.34.art.1.n.15.& q.39.ar.1.n.4
Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua,& sanguis;& hi tres,vnum sunt. q.27.art.1.num.122
Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum,vt cognoscamus verum Deum,& simus in vero Filio eius.Hic est verus Deus,& vita æterna. q.27.art.1.n.20.& 21

APOCALYPSIS.

Cap.1. Qui est,& qui erat,& qui venturus est.q.27.art.1.num.62
4. Requiem non habebant,die,ac nocte dicentia,Sanctus, Sanctus,Sanctus,&c. ibid.n.129
5. Dignus est Agnus, qui occisus est,accipere virtutem,& diuinitatem,& sapientiam, & fortitudinem, & honorem,& gloriam. ibid.n.55
6. Dicitur nomen eius,Verbum Dei. q.34.ar.1.n.5
19. Habens nomen scriptum, quod nemo nouit, &c. q.31.art.4.n.8.& q.34.art.1.n.15

COMMEN

COMMENTARIORVM

IN

Primam partem Summæ S. THOMÆ

TOMVS TERTIVS

DE SVMMA ET INDIVIDVA TRINITATE.

PRÆFATIO.

1. *Disputatio de Trinitate ex Augustino est maximè periculosa.*

HÆc est illa Theologiæ pars omnium obscurissima, difficillima, dignissima. Quamobrem de ea meritò dixit Augustinus lib.1. de Trinit. c.3.initio, *Nec periculosius alicubi erratur; nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Errandi periculum ex obscuritate nascitur; idque tantum est, & adeò lubricum, vt aliquando,teste Hieronymo scribente aduersùs Luciferianos c.7. circa medium, *ingemuerit totus orbis, & Arianum*, hoc est, à Trinitatis veritate aberrantem, *se esse miratus sit*; &,vt idem testatur ep.58. ad Damasum post med. *præsidijs fulta mundi, Ariana rabies fremuerit.* &,vt ait Epiphanius hæresi 69. multo post principium, *orbem terrarum turbauerit.* Ita vt Hilarius 6. de Trinit. initio non exaggeratè dixerit, *Non tantum aut considentium in chaos cum populis suis repens vrbium vastitas, aut frequentes bellorum, & furoris mortes, aut immediata ægritudinis populorum contagia desæuierunt; in quantum ad exitium generis humani hæresis hæc funesta grassata est.* Alibi errorem timemus in sententiis duntaxat: hîc verò non in sententiis modò, verùm etiam in ipsismet vocibus periculum, & naufragium formidamus. *Multorum siquidem*, vt ait Damascenus l.1. Fidei c.2. initio, *de Deo ægrè difficultèrque intellectorum, haudquaquam satis eloquendi concessa est facultas.* quoniam,vt docet Magnus Dionysius de diuin. nomin. c.1. paulò post princip. *de hac essentia superiore, & occulta diuinitate nefas est quicquam aut dici, aut cogitari præter ea, quæ diuinitus nobis à scriptis diuinis patefacta sunt.* Quod maximè de hoc augustissimo Trinitatis, & vnitatis sacramento dictum esse existimandum est; vbi potissimum vim habet axioma illud, quod ex iis quæ in tota ep.57. ad Damasum de hypostasibus scribit Hieronymus, omnes colligunt, *ex verbis perperam, atque inordinatè prolatis* (quantumuis fortasse non incommoda per se esse videantur) *incurritur hæresis.* quæ verba ex Hieronymo referuntur infrà q.39. art.7. arg.1.

Hieronymus, Epiphanius, Hilarius de viribus hæresis Ariana.

Quàm facilè erretur in materia de Trinitate.

Damascen.

Dionysius.

2. *Maximè laboriosa.*

Inquirendi laborem difficultas parit. *Quid sibi*

vult, inquit Bernardus l.5. de consideratione ad Eugenium post medium,loquens de Deo trino & vno, *iste, vt sic loquar, absque numero numerus? si trium, quomodo non numerus? si vnum, vbi numerus?* Profectò nisi ipsemet vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, enarrasset nobis,diuinique luminis illustratione infallibilem authoritatem enarrata declarandi, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi in eius Ecclesia reliquisset, & quis in densissima profundissimi mysterij caligine non cæcutiret? quis posset illud mente vel leuissimè concipere, quis inquirere, quis inuenire? Vnde Athanasius ep. ad Serapionem Episcopum de Spiritu S. non longè à medio, cùm ex fide docuisset, Trinitatem personarum in vnitate naturæ, subdit, *Hucusque cùm deuentum est, Cherubim obuelat faciem eius.*

Bernardus. Ioan.1. Matth.28. Athanasius.

3. *Maximè fructuosa.*

Vberrimus denique laborum, & veritatis inuentæ fructus ex rei dignitate,& grauitate existit. Quid dignius, quid glorioſius Deo Patre, Deo Filio, Deo Spiritu sancto? Hi sunt illi tres, qui testimonium dant in cœlo. Hi sunt ille vnus,qui à supremis cœli Spiritibus, quorum clamoribus vniuersum Beatorum Regnum suauissimè resonat, ob trinitatem personarum, terna voce continuò dicitur, Sanctus, Sanctus, Sanctus: plena est omnis terra gloria eius. *Quid sibi vult*, inquit Ambrosius l.2. de Fide cap.4. multò post med. *sub vno nomine sanctitatis trina repetitio? si trina repetitio, cur vna laudatio? si vna laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sanctitate vnum sunt? non dixit semel, ne Filium sequestraret. non bis, ne Spiritum præteriret. non quater, ne creaturam sibi coniungeret; & vt ostenderet,Trinitatis vnam esse Deitatem,cum tertiò dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth.* Et si beatissimæ mentes, dum ita clamant, ac prædicant, tametsi Deum ipsum sicuti est, in eóque diuinas personas facie ad faciem intueantur, nihilominus duabus alis faciem velant, vt scilicet infinitum illud lumen, quod ita vident,vt infinito interuallo ab eius comprehensione distent,ignorare se fateantur,aliisque duabus alis pedes quoque velant in reuerentiam tantæ maiestatis,qua ratione nos carnis tenebris inuoluti, qui videmus nunc per speculum in ænigmate, & ex parte cognoscimus, innixi tantum Fidei, quasi obscuræ cuidam lucernæ lucenti in caliginoso loco, audebi-

Ambrosius. 1.Cor.13. 2.Petr.1.

mus iisdem mysteriis percipiendis, exponendísque pares existimari?

4. Proverb. 25. Ergo, ne gloriosissimæ Maiestatis scrutatores opprimamur à gloria, ad te in ipso disputationum nostrarum exordio, non minus miseriæ nostræ, quàm misericordiæ tuæ consci confugimus,& supplices exoramus,

O lux, beata Trinitas,
Et principalis Vnitas,
Infunde lumen sensibus,
Mentes tuorum visita.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Et vtriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Luc 11. 2. Corinth. 4. Psalm. 35. Psalm. 17. Tu probè nosti, lumen, quod in nobis est, tenebras esse. Tu igitur, qui facis de tenebris lumen splendescere, & illuescis in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu, da tenebris nostris in lumine tuo videre lumen, & obtutum figere vltra tenebras, quas posuisti latibulum tuum, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto ad maiorem tui gloriam dignè differere.

QVÆSTIO XXVII.

De processione diuinarum personarum, in quinque articulos diuisa.

Consideratis autem iis, quæ ad diuinæ essentiæ vnitatem pertinent, restat considerare de iis, quæ pertinent ad Trinitatem personarum in diuinis, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm processio sit in diuinis.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd in Deo non possit esse, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Conclusio affirmatiua probatur primò ex verbis Ioannis 7.8.16.& 17. latè explicatis n.1. ad 4.*
2 *Probatur secundò verbis Ecclesiastici 24.n.4.5.*
3 *Probatur tertiò ex verbis Prouerbiorum 8. fusissimè explicatis n.6. ad 17.*
4 *An processio in diuinis sit secundùm modum, quo effectus procedit à causa n.17. ad 140.*
5 *An verò sit secundùm modum, quo casu procedit in effectum. n.140. ad 168.*
6 *An processio dici verè possit actio,& passio. num. 168. ad 178.*
7 *An eadem dici possit factio, vel creatio. n.178. ad 182.*
8 *An processio dici possit mutatio. n.182. ad 191.*
9 *An processio sit actio transiens, vel immanēs. n.191.192.*
10 *Quis sit terminus à quo actionis immanentis diuinarum processionum. n.193.194.*
11 *Quid sit in diuinis, vnam personam procedere de substantia alterius. n.195. ad 205.*
12 *An essentia personæ producentis sit immediatum principium diuinarum processionum. n.205. ad 214.*
13 *An intellectus personæ producentis sit immediatum principiū alicuius diuinæ processionis. n.214. ad 220.*
14 *An voluntas personæ producentis sit immediatiū principium alicuius diuinæ processionis. n.220. ad 234.*
15 *An facta aliqua fidei suppositione demonstrari naturaliter possint possessiones. n.234. ad 243.*
16 *An eadem demonstrari possint nulla facta fidei suppositione. n.243. ad finem articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua catholicorum & hæreticorum.*

ONCLVSIO simpliciter affirmatiua, est de fide, & prorsus indubitata etiam apud hæreticos, de hoc mysterio malè sentientes; qui non negarunt diuinas processiones simpliciter, sed solàm aliquem processionum modum, de quo in sequentibus dubitationibus: nam, vt de Ario, & Sabellio, qui fuerunt præcipui diuinarum processionum perturbatores, testatur S. Thomas circa medium corp. *vterque accipit processionem, secundùm quòd est aliquid ad extra. Vnde neuter posuit processionem in ipso Deo.* Conclusio probatur illis verbis initio corporis. *Diuina Scriptura in rebus diuinis, nominibus ad processionem pertinentibus vtitur.* Quod de processione secundæ personæ Verbi à Patre, quam solam hîc probat S. Thomas, quia aliam processionem tertiæ personæ Spiritus sancti à Patre & Filio probat infrà art. 3. expressissimè habetur Ioan. 8. *Ego ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* quæ verba S. Thomas in argumento *sed contra*, refert, vt multi codices habent, ex Ioan. 7. vbi habentur hæc alia æquiualentia, *Ego scio eum*, hoc est, Patrem, *quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Duo igitur de se ipso docet Christus, filius Dei, quæ optimè distinguunt, Augustinus tractatu 42. in Ioannem, ante medium, Hilarius lib. 6. de Trinitate post medium, & posteriores omnes interpretes contra Origenem tomo 22. in Ioannem post medium. Alterum, *Processi*, siue, vt legit Hilarius, *Exiui*, quæ, inquit Augustinus, *æterna processio est*, qua Christus à Deo *processit vt Deus, vt æqualis, vt filius vnicus, vt verbum Patris.* Alterum, *Veni*, nimirum vt homo per carnis assumptionem. *Venit ad nos*, inquit Augustinus, *quia Verbum caro factum, vt habitaret in nobis: aduentus eius, humanitas eius. Christi missio incarnatio est.* Vbi, vt docet, & multis probat Hilarius suprà, *Non vtique dici potest, id ipsum ex Deo exire, quod & venisse; nam vtrumque significat:* hoc est, duo de se distinctè affirmat Christus, & processisse à Deo, & venisse in hunc mundum; quæ ex se satis distincta esse apparent, cùm aduētus in mundum præsupponat processionem à Deo. Vnde statim solius aduentus causam assignat, dicens, *Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* quod de processione dici congruenter non poterat. Quis enim dixerit, se à se ipso non procedere, cùm ita procedere sit euidenter impossibile? Venire autem manifestè præsupponit personā venientem perfectè cōstitutam per processionem, & natiuitatem suam: quæ æquè bene potest venire à se, vel ab alio mittente illā. Et ideo Christus de aduentu, nō de processione, docere rationabiliter potuit, se venisse non à seipso, sed à Patre missum. Et sanè qui ita loquitur, apertè supponit, se priùs ab illo Patre natū esse, & processisse. Idē suadet Hilarius ex contextu. Dixerunt Christo Iudæi, *Vnum Patrem habemus Deum.* Quibus respondit Christus, *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me; ego enim ex Deo processi.* Vbi inquit Hilarius, *Causā dilectionis ex causa docuit esse nascēdi. Exisse enim ad incorporalis natiuitatis retulit nomē.* Vis igitur argumēti Christi Domini hęc est. Si vos essetis filij Dei per adoptionē, & gratiā, diligeretis me, quia sum filius Dei per naturā, & realē processionem ab illo. Ergo, vt docet Cyrillus l. 5. Thesauri

Probatur ex S. Thom.

Exponitur locus Ioan. 7. & 8.

Augustinus, & Hilarius contra Origenem.

Non esse idē, procedere à Deo, & venire in mundū.

Thesauri cap. 6. circa fin. *Filius ineffabilem, naturalémque suam generationem significans dicebat, Ego ex Patre exiui, & veni.*

Exponitur locus Ioan. 16. & 17.

2. Eandem distinctionem interuenire, & procedere, siue exire, clariùs exprimunt alia similia verba eiusdem Ioannis cap. 16: quæ fusiùs vrget idem Hilarius loco cit. *Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum.* & iterum adhuc clariùs in sequenti cap. 17. *Cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.* Hæc verba exponens Cyrillus l. 11. in Ioannem cap. 9. circa med. ait, *Exiuisse à Deo nihil aliud est, nisi natum esse, effulsisseque ex substantia Patris, eo processu, quo est, & in propria intelligitur subsistentia.* Ex his verbis, *Ego de Deo Patre exiui*, Nazianzenus tractatu de Fide, ante med. probat, Filium processisse Deum de Deo consubstantialem Patri. Præterea Augustinus tractatu 102. in Ioannem, fin. ita exponit, *Exijt à Patre, quia de Patre est: & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit.* Cui consonat Euthymius in eadem verba, dicens, *Exiui à Patre, significat esse eum de substantia Patris, siue legitimum Patris filium. Veni in mundum, significatiuum est incarnationis ipsius.* Idem multò efficaciùs ac latiùs ostendit Hilarius suprà. *Nec patitur*, inquit, *exitionem aduentum existimari, cùm post exitionem à Deo, aduentum commoneret à Patre. A Patre enim venisse, & ex Deo exisse, non est significationis eiusdem: & quantum interest inter nasci, & adesse, tantum à se vterque sermo discernitur; cùm aliud sit, à Deo in substantia natiuitatis exisse; aliud sit, à Patre in hunc mundum ad consummanda salutis nostræ sacramenta venisse.* & statim hic locus Ioannis ab eo dicitur, *opportunissimus*, ad probandum, Christum esse Dei filium ex natura, & natiuitate. Quod multis eloquenter suadet, & potissimum arguit ex eo quòd post citata verba dicunt Christo Discipuli, *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.* Scire omnia, etiam occulta cordium, est proprium Dei. ergo ex hac scientia discipuli arguunt, Christum à Deo exisse, nimirum vt Deum verum de vero Deo. Etenim missionem à Deo sæpe antea audierant, & crediderant: & ideo audita missione, & exitione, missionem tanquam priùs notam, & creditu faciliorem omittunt; & exitionem tanquam minus notam, & multò admirabiliorem confitentur, & approbant.

Euthymius.

Hilarius.

3. *Prædicta expositio probatur ratione.* Confirmari potest expositio vtriusque loci, quia si, quod fieri poterat, fuisset incarnatus Pater, sicut de facto est incarnatus filius, tunc Pater dicere quidem posset, Ego veni in mundum, sed nō posset nisi falsò, vel ineptissimè dicere, Ego exiui à Patre, vel, ex Deo processi. ergo hoc est quid distinctum ab illo, nec potest Ioannes intelligi de sola Verbi incarnatione, sicut insufficienter intellexit Origenes suprà, impugnans aliam communem expositionem modò traditam, de processione per æternam generationem. Cuius argumenta rectè dicuntur à Cardinali Toleto in Ioannem c. 8. annotatione 14. *homine tam docto indigna. Si enim*, inquit Origenes, *Exiui à Deo significat, Genitus sum ex Deo, vt alij exponunt, sequitur, Patrem esse veluti diminutum, & carere substantia Filij, quam antea habebat, quando generauit filium; tanquam si consideraret aliquis hoc etiam in prægnantibus. Sequitur quoque Patrem & Filium corpus esse, ac Patrem diuidi.* Verùm consequentia nulla planè est, quia verbum *exeundi* accipit nimis materialiter, prout vsurpatur in rebus creatis. Igitur procedere, exire, sicut etiam egredi, prodire, quibus verbis ea-

Toletus. *Soluuntur Origenis argumenta.*

Quibus verbis significetur diuina processio.

dem Dei generatio declaratur Micheæ 5. & Ecclesiastici 24. & expressè significatur distinctio eius, qui procedit ab eo à quo procedit, non sunt in diuinis accipienda ratione distinctionis in substantiis, siue essentiis, sed in solis personis cum omnimoda identitate naturæ. Alioqui nulla prorsus voce liceret eam generationem explicare. nam etiam si dicas, Filium esse à Deo, generari à Patre, adhuc significatur distinctio vnius ab alio; & quidem rectè, quia non intelligitur significari distinctum in substantia, sed in persona. Hoc Origenis argumētū dissoluere videtur Hilarius l. 6. de Trinit. post med. illis verbis. *Nō enim per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur: neque per elementa originis nostræ, vt homo ex homine, propellitur. Integra illa, & perfecta, & incontaminata natiuitas est, cuius à Deo exitio potius quàm partus est. est enim vnus ex vno: non est portio, non est dissectio, non est diminutio, non derivatio, non protensio, non passio, sed viuentis naturæ ex viuente natiuitas est, & Deus ex Deo exiens est, non creatura in Dei nomen electa: non vt esset, cœpit ex nihilo, sed exijt à manente; & exisse, significationem habet natiuitatis, non habet inchoationis. non enim idem est, substantiam cœpisse, & Deum exisse de Deo. & natiuitatis huius scientia, licèt non subiecta verbis sit, cùm inenarrabilis sit, habet tamen in doctrina Filij, fidei securitatem, à Deo se manifestantis exisse.* Hic igitur purissimus diuinæ natiuitatis exitus ita est etiam concipiendus, vt includat quidem veram ac realem emanationem filij à Patre, non tamen excludat immanentiam mutuam alterius in altero, sicut accidit in humanis natiuitatibus. nā ipsemet Filius docuit Ioan. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Atque hoc ipsum est, quod de eodem, paulò antè dicebat Hilarius, *Exijt à manente*, quo exeundi verbo declarari docet Ambrosius l. 1. de fide cap. 7. post med. *proprietatem diuinæ generationis, licèt angustis sermonibus.* Primò quia, inquit, *in vsu nostro, exire est eius, quod iam est.* Filius autem Dei ita genitus est à Deo patre, vt semper fuerit apud Deum, vt dicitur Ioannis 1. Vnde illi etiam conuenit exire, ne, inquit Ambrosius, *videatur cœpisse ex tempore, qui ex patre nascendo prodijt.* Secundò quia, *ex interioribus secretis prodire videtur, quod exire perhibetur.* Dictus igitur est filius Dei exisse, *vt non ex loco aliquo videatur exisse, sed vt Deus ex Deo, filius ex patre.*

Hilarius.

Cur diuina processio dicatur exitus, ex Hilario, & Ambrosio.

Exponitur locus Ecclesiastici 24.

4. Eandem processionem Verbi probant multa alia Scripturæ testimonia. Afferam quæ mihi videntur illustriora. Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Hæc verba Sixtus II. epist. 1. ante med. Ambrosius suprà, Cyprianus l. 2. contra Iudæos initio, Augustinus l. 4. de Trinitate cap. 20. post med. Idacius Clarus l. aduersùs Varimadum Arianum, non longè à principio, & habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, Lyranus in illum locum, & alij omnes intelligunt de diuina Verbi generatione. Quod ipsa per se satis clarè significant. Cùm dicitur genita, inquit Lyranus, *ex hoc patet, quòd Scriptura non loquitur de sapientia diuina essentialiter dicta; quia hæc non est generans, nec genita. Nec etiam de substantia quacunque creata, per hoc quod dicitur, Ante omnem creaturam.* Vbi etiam manifestè distinguitur esse genitum ab omni esse creato. Præterea illud, *ego*, demonstrat, sapientiam, quæ loquitur, esse aliquam subsistentem personam. Per illud, *ex ore Altissimi*, significatur Verbum, scilicet non vocale ex ore corporeo, quod in altissimo Deo concipere nefas est, sed mentale ex intellectu Dei fœcundo, qui so-

Sixtus II. Ambrosius. Cyprianus. Augustinus. Idacius Clarus. Lyranus.

lum os Dei denominari potest in diuinis, nimirum metaphoricè, per ordinem ad productionem Verbi; sicut idem intellectus per ordinem ad perceptionem intuitiuâ obiecti, dici etiam metaphoricè solet oculus Dei. *nam*, vt ad hoc propositum ratiocinatur Lyranus suprà, *intelligibilia significantur per similitudines sensibilium.* Demum per illud, *prodiui*, significatur ipse actus purissimæ emanationis Verbi, & Filij, & consequenter realis distinctio personæ filij geniti à persona Patris generantis: quia, vt bene arguit Lyranus suprà, *ratio, & natura non patiuntur, quòd eadem simplex persona respectu sui ipsius sit generans, & genita: nulla enim res se ipsam gignit, vel ad esse producit.*

5. Præterea eadem increata sapientia, rerum omnium procreatrix, circa finem eiusdem capitis de se ipsa dicit, *Ego sapientia effudi flumina*, hoc est, creaui; quod solius Dei proprium est: quæ rerum creatio, per diuinam sapientiam subsistentem facta, pluribus explicatur Eccli. 24. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio. Ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso.* Per fluuium, Patrem, per tramitem, se ipsam intelligit diuina sapientia: sicut enim trames, siue aliqua aquæ semita è fluuio emanat, ita in diuinis Filius à Patre procedit. Verùm ne perperam intelligeretur filius minor Patre, quemadmodum aqua tramitis multò minor est aqua totius fluuij vnde deriuatur, additum est, & illud, *quasi*, & illud, *aquæ immensæ*: si enim in tramite est aqua immensa, profectò in ipsomet fluuio, vnde trames egreditur, maior aqua fingi non potest. Per tramitem igitur aquæ immensæ, ita exprimitur emanatio filij à Patre, vt significetur, eandem numero Dei naturam, omnino infinitam atque immensam, quæ est in Patre, esse etiam in filio, qui à Patre procedit, tanquam Deus de Deo. Idem paulò aliter significatur per id quod sequitur, *Ego quasi fluuij Dioryx*, vt benè ex Græco habent codices nouissimè emendati iussu Sixti V. cùm priora exemplaria Latina habeant, *Ego quasi fluuius Doryx*, hoc est, inquiunt Lyranus, & alij, Armeniæ fluuius Araxes: quæ versio & textui Græco, & contextui minus congruere videtur. Vox igitur Græca, δόρυξ, significat fossam, siue alueum, per quem fluuius deducitur. Et sensus est, quia, inquit Athanasius epistola ad Epictetum in expositione Fidei, ante med. *Vt fons fluuius non est, neque è diuerso fluuius, fons est; vterque tamen vna & eadem aqua qua ex fonte in flumen propagatur: ita quoque neque pater filius est, neque filius pater; sed ex patre in filium Deitas perenniter, & indiuisim continuatur.* Postremò dicit, *exiui de paradiso*, quem interpretari possumus intellectum Dei fœcundum, in quo formalem rationem diuinæ beatitudinis, quæ paradisus vocatur, sitam esse probauimus cum S. Thom. suprà q. 26. art. 2.

Cur Filius Dei dicatur trames aquæ immensæ.

Cur fluuij Dioryx.

Athanasius.

Cur aquæductus exiès de paradiso.

Exponitur alius locus Prouerb. 8. apud Catholicos & Arianos celeberrimus.

6. Non multum absimilis est locus Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: ante colles ego parturiebar. Quando præparabat cœlos, aderam,* &c. *Cum eo eram cuncta componens,* &c. Hunc locum saltem secundùm aliquam partem de sapientia Dei increata personali, seu de sapientia incarnata Christo Domino prout Verbum *est & Deus*, intelligunt omnes Patres, & Scholastici; Clemens Romanus l. 5. constitutionum Apostolicarum cap. 21. circa med. Concilium Hispalense secundum cap. 13. aliquanto post principium, Idacius Clarus suprà, S. Ignatius Martyr epist. 7. ad Tarsenses, circa med. in tomo 3. Bibliothecæ veterum Patrum, Gregorius Episcopus Illiberitanus de Trinitate, & fide contra Arianos, non longè à fine, & habetur tomo 4. eiusdem Bibliothecæ, Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad Gentes, multò post medium. Athanasius epistola de Decretis Nicænæ Synodi, ante med. & serm. 3. contra Arianos, multò post med. Nazianzenus oratione 4. de Theologia circa principium, Hilarius 12. de Trinitate circa finem, Epiphanius contra hæreses l. 3. tomo 1. hæresi 69. multò post principium, & hæresi 73. multò ante med. Augustinus l. 1. de Trinitate cap. 12. paulò post principium, Hieronymus in cap. 26 Isaiæ super illa verba, *Domine Deus noster possederunt nos Domini.* & epist. 139. ad Cyprianum, aliquanto post principium, Chrysostomus sermone de Trinitate post med. Cyrillus Alexandrinus l. 5. Thesauri cap. 7. Fulgentius in responsione ad tertiam obiectionem Arianorum, ante med. Basilius l. 2. contra Eunomium, circa med. Nyssenus de fide, circa principium.

Concilium Hispalense, Idacius Clarus, Ignatius Martyr, Gregorius Illiberitanus, Clemens Alexandrinus. Athanasius. Nazianzen. Hilarius. Epiphan. August. Hieronym. Chrysost. Cyrill. Alexandrinus. Basilius. Nyssenus.

Intelligunt de Filio Dei.

Clemens Romanus.

Dicitur primò, *Dominus possedit.* Ita habet Aquila, de quo ipsemet Chrysostomus sermone de Trinit. post med. dixit, *Aquila interpretatus est, Possedit me.* &, vt Hieronymus in ea verba ad Ephes. 2. *Ipsius sumus factura, creati,* &c. testatus est, *In Hebraïs codicibus non habetur,* creauit, *sed,* possedit. & in l. 2. Micheæ in principio, *In Hebræo scribitur, Dominus possedit me: vox enim Hebraa,* inquit, *non creauit me, sed possedit me, habuitque, significat.* Et loco cit. Isaiæ 26. iterum scribit, *Iuxta Hebraicum, Dominus possedit me initio viarum suarum: licèt quædam exemplaria malè pro possessione habeant creaturam.* & probat ex eo quòd post hæc verba sequatur, *Ante omnes autem colles generauit me. Quo modo enim creaturæ generatio poterit coaptari, quæ magis possessioni congruit? Scriptum est in Deuteronomio, Nonne iste pater tuus possedit te?* & ad Cyprianum suprà, *nullum debet verbum creationis mouere, cùm in Hebræo non sit creatio, sed possessio. Dominus possedit me, initium viarum suarum. Inter possessionem autem & creationem multa diuersitas est. Possessio significat, quòd semper filius in Patre, & Pater in filio fuerit. Creatio autem eius, qui prius non erat, conditionis exordium.* Præterea Basilius suprà ita habet. *Alij interpretes, qui commodius significationes Hebraicarum vocum assequuntur, Possedit me, pro, Creauit me, reddiderunt: id quod maximum ipsis,* hoc est, Arianis, *impedimentum ad creaturæ blasphemiam erit. Qui enim dixit, Possedi hominem per Deum, non vt qui creauit, sed vt qui genuit, hac voce vsus esse videtur.* Et Epiphanius suprà, hæresi 69. agens contra Arianos arguentes, filium esse creaturam, ex illis verbis, *Dominus creauit me*, ait, *Hebraica lingua non sic habet. Vnde & Aquila dicit, Dominus possedit me. Semper autem hi, qui filios generant, dicunt, Possedi, vel adeptus sum filium.* Quamuis ne hanc quidem Aquilæ versionem omnino probet Epiphanius, quia illud, *possedi filium*, inquit, *velut recens est: in Deo verò nihil est recens.* & ideo docet, quod consubstantiali generationi clarius fauet, & à generationis nouitate magis recedit, ita exactissimè esse vertendum, *Instar pulli excudit me.* Clemens etiam Romanus suprà legit, *possedit me.*

7. Possedit *ex Hebræo legunt* Aquila, Chrysost. Hieronym.

cap. 32. Basilius. Epiphanius. Genes. 4.

Clemens Romanus.

8. *Quid significet,* In initio viarum suarum.

Iuxta hanc expositionem, qua prima huius loci verba intelligit de Christo, vt naturali filio Dei, quid significet illud, quod immediatè sequitur, *in initio viarum suarum*, non est à Patribus satis expressum: nam etsi horum verborum multiplex sensus traditus

traditus ab illis sit, vt mox referam, tamen id præstant intelligendo verba de Christo, vt homine, iuxta aliam versionem dicentem, *Dominus creauit me*, non iuxta hanc de Christo, vt Deo dicentem, *Dominus possedit me.* Verùm secundùm subiectam materiam arbitror non aliter posse exponi, vel saltem non rationabilius, quàm si dicamus, per vias Domini significari opera Dei intra ipsummet Deum; sicut ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius,* & Ecclesiastici 16. *Vias illius quis intelligit?* & Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*; has enim vias statim distinguit Sapiens ab operibus Dei ad extra, subdens, *Antequam quidquam faceret à principio*, nimirum temporis, quando incœpit Deus creare mundum. De quo principio sermonem esse constat ex sequentibus, *nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram; nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui molè constiterant. Arte omnes colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & fluminа, & cardines orbis terræ.* Quo fit, vt illud, *in initio*, non possit significare initium temporis & creationis, cùm expressè dicatur esse quoddam initium ante principium cuiuslibet creaturæ, ac temporis. Itaque diuini Verbi generatio dicitur initium, siue facta in initio viarum Domini, non per respectum ad aliquod principium temporis, seu durationis, in qua incœperit, sed per respectum ad alias omnes Dei vias, & actiones, siue ad extra, siue ad intra, quas illa generatio præcessit, vel æterna duratione, sicut de facto præcessit temporalem creationem; vel natura, sicut præcederet creaturam, si facta fuisset ab æterno; vel sola origine, sicut præcedit processionem Spiritus sancti, cum qua eandem durationem, & naturam habet.

Vias Dei sumi pro operibus ad intra.

Ad Rom. 11.

Ecclesiastici 16. Psalm. 24.

9. *Alij communius ex Græco legunt.* creauit.

Nihilominus reliqui omnes Patres citati num. 6. etiam ipsimet Chrysostomus, Hieronymus, Basilius, Epiphanius citati num. 7. aliter legunt, & interpretantur. Ita legunt sequuti Septuaginta, *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua.* Quorum aliqui, absque vlla sensus variatione, legunt, *principium*, vt Symmachus, Epiphanius, Nazianzenus, Nyssenus. Alij, *in principio*, vt Augustinus. Alij, *in initio*, vt Concilium Hispalense, & Hieronymus ad Cyprianum. Alij, *ab initio*, vt Aquila, & Chrysostomus. Alij, *ad opera*, vt vterque Clemens, Romanus, & Alexandrinus, Nyssenus, & Athanasius serm. 3. cit. Alij, *in operibus suis*, vt Chrysostomus. Alij, *ab initio opificiorum suorum*, vt Aquila. Alij, *principium viarum suarum ante opificium suum*, vt Symmachus. Interpretantur autem primò omnes de Christo, vt homine, seu de Verbo per ordinem ad Incarnationem, & vnionem hypostaticam cum natura humana. Vnde de hac Græca translatione loquens Epiphanius hæresi 69. multò post principium, ait, *Quidam ex Patribus nostris, & orthodoxis, retulerunt hanc dictionem ad aduentum in carne: & hæc est pia ratiocinatio: magni Patres sic exposuerunt.* Nam ante ipsum Athanasius serm. 3. contra Arianos multo post medium ita habet, *Verbum, cùm aliud esset ab omnibus, & ante omnia, postea incœpit creari initium viarum ad opera, per assumptionem humanæ naturæ, vt, quemadmodum dixit Apostolus, qui est initium, & primogenitus ex mortuis, in omnibus primatum habeat.* & epistola de decretis Nicænæ Synodi ante medium, *vt Filio Dei probè conuenit, perpetuò esse, & in sinu Patris esse; ita quoque homini facto probè conueniebat ea vox, Dominus creauit me: quam æquum est non imputari diuinitati, cùm id minimè conueniat, sed carni admetiri, quam propter nos gestauit.* & epistola ad Serapionem, contra eos, qui dicunt, Filium creaturam esse, circa finem. *Cùm ipse, qui Deus est, referatur creatus, eum eatenus creatum esse dicamus, quatenus homo sit factus.* & Nazianzenus oratione 4. de Theologia initio, *Hæc est*, inquit, *seruatoris ipsius, veræ nimirum sapientiæ, vox. Creauit enim me*, inquit, *principium viarum suarum ad opera sua. Opera autem mentem eius veritas, & indicium, propter quæ Deitate vectus est. Siquidem vnctio hæc ad Christum hominem pertinet.* & Hilarius l. 12. de Trinit. non multo ante finem, *Rerum à seculo gestarum significatio ista est: neque generationis ante secula prædicatæ, sed dispensationis à seculo initæ doctrina est. Natus ante secula Deus, rursum in initium viarum Dei, & in opera creatur. Creatus autem est in vias Dei à seculo, cùm ad conspicabilem speciem subditus creaturæ, habitum creationis assumpsit.* Præterea Hieronymus loco cit. ad Ephes. 2. exponens eadem verba, ait, *Ad incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt.* Ambrosius l. 1. de fide cap. 7. initio, *Quis ignoret, quia ob causam incorporationis hoc dicitur. In eo igitur se creatum dicit, in quo & hominem.* Chrysostomus serm. 3. de Trinit. post medium, *Itaque intellige, quòd secundùm carnem fecerit eum, non secundùm diuinitatem. Sic Dominum ipsum Christum Deus fecit, nam ante dispensationem, vbique Deus prædicatur, & nunquam aliquis facturam eum dicit; sed propter vnionem carnis dicit, Dominum, & Christum Deus eum fecit.* Augustinus l. 1. de Trinit. cap. 12. circa principium, *secundùm formam serui dictum est, Dominus creauit me in principio viarum suarum.* & l. de fide & Symbolo cap. 4. circa principium, *Quoniam Verbum caro factum est, eadem sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. quò pertinet illud, Dominus creauit me in principio viarum suarum.* Cyrillus l. 5. Thesauri cap. 4. initio, *Christus iam homo factus, de se dixit, Dominus creauit me, in quantum factus est caro.* & cap. 4. circa principium, *Ratione incarnationis, initium viarum Domini in opera eius creari vt homo dicitur.* item cap. 7. initio, *Natus ex Patre, vt Verbum est: creatus verò, vt homo, & factus initium viarum. Ipse assumpta natura nostra, quamuis naturaliter filius sit, creatura tamen appellatur. Verbum Dei, quamuis Deus naturaliter sit, creatura tamen etiam propter nos factus est, non secundùm naturam suam, sed dispensatione ac misericordia.* & paulò pòst, *Generatur vt Verbum ex Patre ante omnia secula: creatur verò vt homo; Verbum enim caro factum est. Quare non deitatem eius, creatio significat, sed humanitatem; quando ad reparationem operum Patris, hoc est, hominum, caro factus est: ac ideo dicit, Dominus creauit me in opera sua, & initium viarum suarum.* Fulgentius in responsione ad tertiam obiectionem Arianorum, paulo post principium, *Non illius eterna natiuitatis est, quòd creata dicitur, sed huius temporis, quo carnem suscepisse Dei filius inuenitur.* Nyssenus suprà, *Quemadmodum cùm Verbum sit, propter nos caro factus est; & Deus cùm sit, homo factus est: ita creator cùm sit, propter nos creatura factus est. Quemadmodum igitur per Prophetam dixit, sic dicit Dominus, Qui formauit me ex ventre seruum suum: ita etiam dixit illud per Salomonem, Dominus creauit me principium viarum suarum ad opera sua.*

Primò do Christo vt homine intelligunt.

Epiphanius.

Athanasius.

ad Colos. 1.

Nazianzen. Hilarius. Ambrosius. Chrysost. Augustinus. Cyrillus. Fulgentius. Nyssenus. Isaiæ 49.

10. *Tria inferius explicanda proponuntur.*

In hac prima & communissima interpretatione, tria exponenda sunt; primum quid significet illud, *creauit.* Secundum quid significet illud, *Initium viarum suarum in opera sua.* Tertium cùm Dei sapientia, incarnata in tempore, dicatur hoc modo creata ab æterno, nimirum, *antequam quidquam faceret à principio.*

11. *Quid hoc loco sit, creari, si dicatur de Verbo.*

De primo certum apud omnes citatos Patres est, *creari*, non esse sumendum in rigore philosophico, pro fieri ex nihilo: nam neque Verbum Dei, neque ipsa etiam humanitas, quam Verbum assumpsit, facta est ex nihilo. Quoniam verò illud, *Dominus creauit me*, potest intelligi dictum, & vtroque modo à Patribus indifferenter vsurpari video, vel de ipso Verbo simpliciter, quod humanam naturam assumpsit, vel de Verbo incarnato, quod Christus dicitur; si intelligatur primo modo, non potest sumi pro, simpliciter fecit, seu de non esse produxit, quia nefas est ita loqui de Verbo, quod etsi rectè dicatur Ioan. 1. *Caro factum est*, tamen dici simpliciter non potest, *factum est*. & in hoc sensu docuit Hieronymus. Hieronymus loco citato ad Ephes. 2. quòd Christus filius Dei hoc loco dicitur creatus, non sicut *ille, qui non erat, antequam fieret*; sed sicut ille, qui *de eo quod erat transfertur in aliud*. Quod eruditè confirmat Ad Ephes. 2. ex illis verbis ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis. Creati vtique*, inquit Hieronymus, *non quia antè non fuimus, sed creati in operibus bonis*; & ex illo Psalm. 50. Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus*. Vbi Psalmista, Cyrillus. inquit Cyrillus l. 5. Thesauri cap. 4. aliquantò post principium, *Non aliud quàm habebat in se ipso, diuinitus creari petebat; sed ab immunditia ad munditiam cor suum transponi orabat*. Et consentit cum Hieronymo dicens, *Istud*, creauit, *non originem semper apud scripturas significat, sed plerumque à re aliqua in aliam translationem*. Quo secundo modo esse hîc accipiendum, acutè confirmat ex eo, quòd diuina Sapientia non dicat absolutè, *Dominus creauit me*, sed addat, *creauit me initium viarum suarum*. & statim tradit hanc optimam regulam vniuersalem. *Quando ergo nondum producta creari dicuntur, necessariò ex nihilo ad esse procedere intelliguntur. Quando autem quæ iam sunt, nec possunt dici à nihilo ad esse modò procedere. si creari ea dicuntur, non potest significari à nihilo ad esse ipsorum processio. sed ad aliud ab alio translatio*. In eodem sensu docuit Athanasius epistola de Athanasius. Decretis Nicenæ Synodi, ante finem, quòd vox Græca, quæ versa est, *creauit*, significat, *non fecit, sed præfecit operibus suis, sed tamen per Filium conficiendis*; quia nimirum, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, Ioan. 1. & postea per eius incarnationem, *instaurauit omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra* Ioan. 1. Ad Ephes. 1. *sunt, in ipso*, ad Ephes. 1. *& per eum reconciliauit omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ* Ad Coloss. 1. *in terris, siue quæ in cœlis sunt*. Ad Colossens. 1. & sermone 3. contra Arianos circa medium, *Hæc dictio*, condidit, *aut*, creauit, *non omnino substantiam, aut ortum significat, sed aliud quidpiam circa eum, de quo hoc profertur, geri, agique denotat*. Et multo pòst ita concludit, *Illud verbum*, creauit, *certò deprehenditur, non ipsius essendi principium, sed curam præfecturámque eius* Quid si dicatur de Christo. *in operibus quam corpore obiuit significare*. Si verò intelligatur secundo modo, nempe de Christo, quia est quoddam compositum, siue vnum per se substantiale, constans in vnitate personæ ex duabus naturis, altera increata, altera creata, potest illud, *creauit*, sumi pro *fecit*, per veram, ac propriam factionem, & propriè dici de Christo, & verificari ratione humanitatis, & hypostaticæ vnionis cum Verbo, quæ verè facta sunt, & esse inceperunt in tempore, cùm antea non essent. & ita à reliquis Patribus accipitur. Vnde ipsemet Athanasius epistola citata ante medium, *Vox*, inquit, *illa*, creari, *de Christo dicitur, sed de homine iam facto, cùm id proprium sit hominis*. Et paulò pòst, *Persona quidem, quæ loquitur, Saluatoris est; sed tum demum hæc eum loqui intelligendum est, cùm corpus assumeret, Dominus creauit me in initio viarum suarum ad opera sua. Quæ vox Filio Dei, homini facto, probè, & congruenter conueniebat*, & sermone citato, *Illud*, creauit, *dictum esse de eius humanitate sentire: humanitatis enim proprium est, creari*. & Hieronymus loco cit. ad Ephes. *Nos liberè* Hieronym. *proclamamus, non esse periculum, Christum dicere creatum, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota spei nostræ fiducia profitemur*.

12. *Quid hoc loco sit*, initium viarum.

De secundo, nempe de significatione initij viarum, &c. multiplex est apud eosdem Patres expositio. Athanasius epistola ad Epictetum, in expositione fidei, circa fin. illud, *initium viarum*, ita explicat, *Per hunc enim ad Patrem accessum habemus, quoniam ipse est via, quæ ad Patrem nos ducit*. Strictè sumit initium, pro causa meritoria: vias, pro hominibus: opera, pro iis, quibus ducimur ad vitam æternam. & sermone 3. contra Arianos pòst medium eundem sensum clariùs exprimit, dicens, *Dominus creauit me initio viarum suarum, quod idem dictu est, ac si ita loqueretur, Pater mihi corpus perfecit, & inter homines me creando, constituit pro hominum salute*. Et postea addit, *Formauit me, vt congregem Israël, quod prorsus idem est cum eo, quod Spiritus sanctus in Psalmis enunciat, Constituisti me super opera manuum tuarum*. & paulò pòst, *Certè cùm hoc verbum*, creauit, *loqueretur, statim subintulit causam, mentionem de operibus faciens; vt illum creari ad opera, hominem fieri ad hominum instaurationem intelligeres*. Sed aliis verbis relatis suprà num. 9. paulò pòst principium, multò amplius sumit initium viarum, iuxta illud ad Colossenses 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ; qui est principium, primogenitus ex mortuis; vt sit in omnibus ipse primatum tenens*. Vbi sumuntur viæ pro omnibus creaturis, iuxta illud Iob 40. *Ipse*, hoc est, Behemoth, *est principium viarum Dei*. & dicitur Christus factus creatura omnium nobilissima, ac domina, propter renouationem diuinorum operum. Nazianzenus oratione 4. de Theologia circa principium exponens illud, *ad opera sua*, strictissimè ait, *Opera autem manuum eius, veritas & iudicium; propter quod Deitate vnctus est*. Hilarius l. 12. de Trinitate non longè à fine, consentit Athanasio suprà, per illud, *initium viæ operum Dei*, significari quod dicitur Ioan. 14. *Ego sum via*. &, *Nemo vadit ad Patrem nisi per me*. Vbi pro eodem vsurpat, initium viarum, & viam: item, vias Dei, & opera Dei. Ait enim, *In viarum initium in opera Dei creatur, quia & via est, & deducit ad Patrem. Creatus in corpore, viam se Dei operum est professus. Creatus autem est in vias Dei à sæculo*, &c. & statim exponit, has Dei vias esse apparitiones à Deo factas hominibus ab initio mundi. Epiphanius hæresi 69. multò ante medium ait, *Principium viarum descensus Christi in mundum, est corpus ex Maria, quod assumptum est in opere iustitiæ, & salutis ipsius*. Ambrosius l. 2. de interpellatione Iob cap. 2. fine de Christo dicit, *Cui soli seruabatur magna prærogatiua virtutum, quia ipse est virtutum principium, sicut dixit, Dominus creauit me principium viarum suarum*. Augustinus l. 1. de Trinitate c. 12. pòst principium, *Quia ipse est primogenitus à mortuis, iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei ad vitam æternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis: & ideo creatus est in principio viarum Dei in opera eius*. Paulò aliter l. de fide, & symbolo c. 4. circa principium: *Viarum enim eius principium, & caput Ecclesiæ est Christus homine indutus, per quem viuendi exemplum nobis daretur. non enim redire possumus, nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus. Huius igitur humilitatis exemplum, id est, viæ qua redeundum fuit, ipse reparator noster in se ipso demonstrare dignatus est. qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum euacuauit, formam serui accipiens, vt crearetur homo in principio viarum eius, Verbum per quod facta sunt omnia*. Fulgentius in responsione ad tertiam obiectionẽ Arianam, aliquanto pòst principium. *Quòd autem initium viarum Domini creatus est Filius, quid est aliud, nisi quòd ipse via nobis est factus, vt eo duce, atque rectore, per adoptionis, quam accepimus, gratiam diuino munere ad virtutum nobis profectum pateret ingressus*. Et statim clarissimè sumit vias pro hominibus perditis per peccatum primi parentis, quorum redemptor creatus est Christus; & per opera, reparationem eorumdem hominum. Notat igitur, *Filium, creaturæ initium factum, non vt nouam rursus creaturam conderet, sed vt vetustam, iam pridem perditam renouaret*. Sicut, inquit, de Exponitur loc. Iacobi 1. Apostolis etiam dicitur Iacobi 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Nimirum*, inquit, *ad reparationem hominum*. Vnde ita concludit. *Ad hoc ergo Christus voluit creari, & huius creationis Apostolos suos initium fieri, vt per eum posset homo, qui vetustate perierat, nouari*. Omnium copiosissimè eadem verba exponit Cyrillus lib. 5. the- Cyrillus. sauri. Nam c. 4. pòst medium. *Quid aliud opera, & via Domini significant, præter mandata eius? quæ custodientes recto itinere ad ipsum pergimus*. Et paulò pòst aliter, *Mosen & Prophetas, vias forsan appellauit, quia possunt monendo ad Deum ducere: quarum initium Christus est, quem Dominus creauit, hoc est fecit super legem, & Prophetas initium, hoc est, potestatem, vt non in verbis illorum sistere faciam, sed ad opera meliora traducam*. Deinde rursus aliter, *Dominus vt hominem pro salute hominum creauit me*. & c. 7. *Si Filius increatus factus homo, via nobis bonorum factus est, & opera perfecit ea, quæ à Patre per ipsum fiunt, meritò dicite, Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua*. Et paulò pòst, *Ad reparationem operum Patris, hoc est, hominum, caro factus est, ac ideo dicit, Dominus creauit me in opera sua, & initium viarum suarum. Quarum porrò viarum? virtutum profectò, ac euangelicæ vitæ, quam primus ille iussit, ac nos docuit*. Certum est igitur in aliquo bono sensu dici posse de Christo, fuisse creatum à Deo initium viarum Dei ad opera Dei. Solùm pro *Obseruatio pro materia de Incarnatione.* materia de Incarnatione obiter, & breuissimè aduerto, omnes istos sensus, præsertim prout à citatis Patribus traduntur, maximè quadrare in Christum redemptorem, posito peccato, non autem in Christum glorificatorem nullo peccato existente: ita vt facilè sit, hoc eodem Scripturæ loco, quo potissimũ nituntur nonnulli ad probandum contra S. Thomam, & vt ego quidem existimo, contra veritatem, futuram Verbi incarnationem, etiamsi Adam non peccasset, ostendere oppositum ex communissima Patrum interpretatione, eorúmque dictis. quod do- Salazar. ctissimus noster Salazar in expositione illius loci cumulatissimè præstitit.

13. *Cur Verbum dicatur incarnatum ab æterno.*

De tertio, cur scilicet Christus, vt homo creatus in tempore, dicat se à Domino creatum ab æterno, docent Patres, causam esse, quia quod Deus ab æterno vult, & præuidet esse futurum in tempore, est apud Deum tanta firmitate, & euidentia futurum, ac si in ipsamet æternitate iam esset factum. Vnde Chrysostomus sermone de Trinitate pòst medium, Chrysost. *Cùm dicit, creauit, prædicit futurum, quasi iam esset factum. etenim hic mos est Scripturæ*. Qua in re, vt benè confirmat Hilarius, eumdem locum declarans, 12. Hilarius. de Trinitate aliquanto ante finem, *testis est nobis propheta dicens, Deus qui fecisti omnia, quæ futura sunt. Quæ enim futura sunt, licèt in eo, quòd creanda sunt, adhuc fient; Deo tamen, cui in creandis rebus nihil nouum, ac recens est, iam facta sunt: dum & temporum dispensatio est, vt creentur, etiam diuinæ virtutis, & præscientiæ efficientia sint creatæ*. Item Ambrosius lib. 1. de fide Ambrosius. c. 7. *Nec dubitandum, quòd præteritum posuit quod erat futurum. Hæc enim consuetudo est prophetiæ, vt quæ futura sunt, vel quasi præsentia, vel quasi facta dicantur. Sic* Psal. 21. Psal. 21. *Tauri pingues obsederunt me, legistis etiam, Diuiserunt sibi vestimenta mea. Deo enim quæ sunt futura, præsentia sunt; & ei, cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt, sicut scriptum est, qui fecit quæ ventura sunt*. Fulgentius quoque in responsione ad tertiam Fulgentius. obiectionem Arianorum, paulò pòst principium, *Prophetico more, quo solent sub enunciatione præteriti temporis, futura narrare, dixit, Dominus creauit me initium viarum in opera sua*. Vnde S. Thomas infrà q. 41. S. Thomas. a. 3. ad 4. & 4. contra gent. c. 8. circa finem, illud Ec- *Exponitur locus Eccles.* 24. clesiastici 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, ait, *Posse referri ad naturam creatam assumptam à Filio, vt sit sensus, creata sum, id est, præuisa sum creatura vniri*. Demum Athanasius serm. 3. contra Arianos, non Athanasius. longè à fine, ait, *Illud porrò, quod scriptum est, Ante æuum, & antequam terra conderetur, & antequam montes firmarentur, neminem perturbet. pulchrè enim & illud cum istis verbis coniunctum est, fundauit me, & creauit me. Id enim rursus dispensationem incarnationis eius attingit: quæ*, inquit, *ante præparata, destinataque fuit, quam nos efficeremur, quin potius ante constitutionem mundi*. Idem fusiùs exponit Cyrillus lib. 5. Thesauri Cyrillus. c. 8. dictum esse, *quantum ad præscientiam, & consilium, & propositum Patris*.

14. *Secundò de Christo, vt Deo, intelligunt.*

Eadem verba secundùm lectionem Septuaginta, vt suprà n. 9. interpretantur secundò alij, præsertim Scholastici, & maximè recentiores de Christo, vt Deo, seu de ipsa increata Dei sapientia, accipiendo illud, *creauit*, non strictè pro creatione propriè sumpta secundùm particularem productionis speciem, quæ dicitur ex nihilo, sed largè pro emanatione ac productione substantiali, seu generatione vnius personæ ab alia persona. Hæc secunda interpretatio probari potest primò, quia illam non obscurè significat Epiphanius hæresi 93. multò ante medium do- Epiphanius. cens, idem esse hoc loco, *creauit me*, quod Ioannis 1. *Deus erat Verbum*. significat quoque Cyprianus l. 2. Cyprianus. contra Iudæos initio, qui quamuis legat, *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua*, tamen docet his verbis probari, *Christum esse sapientiam Dei, per quem omnia facta sunt*. Quod non conuenit Christo nisi ratione diuinitatis. Secundò, quia illud, quod eadem diuina sapientia de se ipsa dicit Eccle- Eccles. 24. siastici 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*. Euaristus Papa epistola 1. circa medium legit, *Qui* Euaristus. *Vox creandi quot modis sumatur in Scriptura.* *me genuit, requieuit*, &c. Tertiò, quia non est nouum in Scriptura, sumi *creare* pro generare, seu producere ex aliquo. vt Genesis 1. *Creauit Deus cete grandia*, Genesis 1. quæ tamen non produxit ex nihilo, sed ex aquis, vt ibidem dicitur. & paulò pòst dicitur, *Creauit Deus hominem*; & tamen c. 2. dicitur, *Formauit Deus hominem de limo terræ*. Vnde Augustinus de Fide, & sym- Augustinus. bolo c. 4. circa principium, *In Latina*, inquit, *lingua consuetudine dicitur aliquando creare, pro eo quod est gignere*. Quartò, quia ita expressè interpretatur Hila- Hilarius. rius de Synodis aduersùs Arianos, canone 5. *Sapientia*, inquit, *quæ se dixit creatam illis verbis, Dominus condidit, vel creauit me, eadem in consequenti se dixit & genitam*, aliis verbis relatis suprà num. 6. quæ *Cur processio Verbi dicatur & creatio, & generatio.* tam ipse, quàm reliqui omnes Patres, vt mox subiiciam, exponunt de sapientia increata. *Cuius*, inquit, *perfectæ natiuitatis intelligentiam, creationis, & generationis attulit sermo*. Illa enim natiuitas, dicta est creatio ad significandum Patris immutabilitatem, *qui*, inquit, *extra humani partus speciem, & consuetudinem, sine imminutione aliqua, ac demutatione sui, creauit ex se ipso quod genuit*. Et paulò pòst, *Quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est*; idcirco ait, *creatam se esse, sapientia, omnes in generatione sua corporales passiones excludens*. Dicta verò est generatio, ad significandum, in Filio *legitimam ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ suæ esse substantiam*. Acuta sanè interpretatio,

Bellarminus. quæ meritò *pulcherrima* dicitur à Bellarmino l.1. de Christo c.18.§.*quinta*. Etenim in ineffabili Filij Dei natiuitate duæ sunt perfectiones considerandæ; altera ex parte termini, qui producitur in eadem natura cum suo producente: altera ex parte principij, quod absque vlla prorsus sui mutatione producit. nomen *generationis* significat primam perfectionem, non secundam, vt patet in reliquis omnibus creatis viuentium generationibus, quæ contingere nequeunt absque aliqua imminutione, ac mutatione generantis. Contrà verò nomen *creationis* significat secundam perfectionem, non primam: quamuis enim omnino immutabiliter creet Deus, natura tamen creaturæ creatoris naturæ assimilari non potest. Igitur cùm diuina Verbi processio contineat quicquid perfectionis significatur per generationem, & creationem, exclusis imperfectionibus, vtraque voce nominari potuit: & sicut, cùm dicitur generatio, ita significatur prima perfectio ex parte termini, vt intelligi non debeat imperfectio ex parte principij; sic etiam cùm dicitur *creatio*, ita significari potest secunda perfectio ex parte principij, vt non sit necessariò intelligenda imperfectio ex parte termini. Hanc Hilarij doctrinam accipit, & breuiter ac dilucidè tradit S. Thomas infrà q.41. art.3. ad 4. in 3. responsione, & 4. con. gen. c.8. fine, de personali Dei sapientia increata exponens similem locum Ecclesiastici 24. vbi sapientia Patris dicitur, *Primogenita ante omnem creaturam*. & deinde eadem de se ipsa ait, *Qui creauit me, &, Ab initio, & ante sæcula creata sum*. quibus duabus vocibus, inquit S. Thomas, *modus diuinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est: sed in generationibus, quæ sunt apud nos, generans ipse mutatur. In creatione verò creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus & genitus, vt ex creatione, accipiatur immutabilitas Patris; & ex generatione, vnitas naturæ in Patre, & Filio.*

S. Thomas.

Exponitur locus Eccles. 24.

15. *Declaratur illud*, Ab æterno ordinata sum. Dicitur secundò in iisdem verbis citatis suprà num.6. ex Prouerbiorum 8. *Ab æterno ordinata sum, siue, vt, iuxta Septuaginta*, legunt ferè omnes Patres superiùs allati, *Funduit me, & ex antiquis antequam terra fieret. Non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante colles ego parturiebar*. Siue, vt cum Septuaginta legunt planè omnes Patres suprà, *genuit*, seu *generat me*: & intelligunt, nemine excepto, de ipsamet Dei sapientia personali increata, seu de Christo secundùm quod est Deus increatus. Optimè, & acutissimè Athanasius serm.3. contra Arianos, multò post medium sic arguit primò, *Natiuitatem suam ex Patre absolutè exprimens, statim subintulit, Ante omnes colles genuit me. non cur genitus esset, quemadmodum in hoc dicto, creauit, subiunxit*, ad opera sua; *sed simpliciter & absolutè genuit me; quemadmodum & hoc, In principio erat Verbum. Non igitur creatura Filius haberi poterit. Si enim creatura esset, nunquam dixisset, Genuit me: nam creaturæ nihil ex essentia creatoris habent, quippe quæ dum taxat sint opera. Verùm genitum esse, non extrarium quiddam, quale opus est, denotat, sed quiddam proprium, quod ex substantia Patris emersit. In mundi creatione non dixit Moses, In principio genuit Deus, neque, In principio erat, sed, In principio fecit Deus cœlum, & terram. Neque ad eum modum Dauid, Manus tuæ genuerunt me, sed, Fecerunt me, & formauerunt me, locutus est; vbique hoc verbum, fecit, in rebus creatis vsurpans. Omnia contrà in diuersum obseruantur, vbi de Filio fit mentio: non enim ibi dicitur, fecit, sed genuit.* & nonnullis in eamdem sententiam interiectis, sic arguit secundò, *Cùm dicit, Ante omnia genuit me, alium se esse, & diuersum à reliquis omnibus ostendit*. Eadem ferè habet in epistola de Decretis Nicænæ Synodi ante medium, & in epistola ad Epictetum, in expositione Fidei, circa finem. Item Nazianzenus oratione quarta de Theologia circa principium, Hilarius citatus suprà num. 14. & l.12. de Trinitate aliquanto ante finem, vbi illud, *fundauit me*, ad æternam Verbi generationem refert, quamuis Athanasius verbis allatis suprà num.13. fine referat ad Christi humanitatem, sicut illud, *creauit me*. Probat igitur Hilarius increatam generationem Filij Dei, quoniam, inquit, *Ante præparationem cœli erat, & ante sæcula fundatus, qui initium viarum Dei, & in opera est creatus*. & infrà, *Vbi ante sæculum est natiuitas, illic infinitæ generationis æternitas est*. & post nonnulla iterum, *Sapientia ita creatam se esse dixit, vt fundatam se ante sæcula doceret. At verò ne fundatio aliud quicquam quàm natiuitatem videretur ostendere, ante omnia professa est se esse genitam. Quæ fundata ante sæculum ea ipsa in initium viarum Dei, & in opera eius, creatione sæculis est; vt creatio à sæculis differre intelligeretur ab ea, qua ante sæcula, & quæ ante vniuersa natiuitas est*. Epiphanius hæresi 69. multo post principium ait, *Verum ante omnes colles genuit me, quo ostendat natiuitatem ex supernis*. Et grauissimè, hæresi 73. multò ante medium, *Si quis hoc*, creauit me, *& hoc*, genuit me, *de ipso audiens, Genuit me, non de ipso secundùm essentiam intelligit, sed idem dixerit, Genuit me, cùm Creauit me, anathema sit*. Augustinus lib.1. de Trinitate c.12. paulò post principium, *Secundùm formam Dei dictum est, Ante omnes colles genuit me, id est, ante omnes altitudines creaturarum*; sicut, inquit, dictum est Ps.109. *Ante Luciferum genui te, id est, ante omnia tempora, & temporalia*. Cyrillus l.5. Thesauri c.5. fine loquens de Christo, ait, *Quoniam Deus, & homo est, vt homo quidem Dominus creauit me, dicit, vt Deus autem, exclamat, Ante omnes colles genuit me*. & c.7. initio ita optimè discurrit, *Si ante omnes creaturas (id enim colles significant) genitus est, non erit vnus ex omnibus, sed aliud præter omnia. Cæteræ enim in ipso, vt in principio sunt; & omnia, vt creaturæ connumerantur. Filij autem generatio ante omnia est, quapropter necesse est, vt creatæ naturæ non sit*. & paulò pòst, *Æternam generationem suam significans rursus ait, Ante omnes colles genuit me, & ante sæcula fundauit me*. Fulgentius in responsione ad tertiam obiectionem Arianam, ante med. ait, *Ante sæculum sapientiam fundatam se dixit, vt natiuitatem suam, qua de Patre nata est, immutabilem demonstraret. Quod enim fundatum dicitur, nulla ratione conuellitur: quod autem non conuellitur, non mutatur. Natiuitas diuinitatis eius sine initio cognoscitur ex eo quod sequitur, Ante omnes autem colles genuit me. Vbicunque illa diuina, & æterna demonstratur Filij natiuitas, non dicitur quando natus sit, sed, Ante, semper ponitur; vt quicquid horno infinitatis æternitatisque cogitare voluerit, ante omne, quod cogitatione concipitur, Filij semper natiuitas cogitetur: ac si natiuitas Filij Dei sine initio cognoscatur, in qua non aliud quàm, Ante, positum iugiter inuenitur*. & in fine ita concludit. *Agnoscatur itaque in Christo proprietas vtriusque naturæ: Genitus quippe est, & fundatus, secundùm quod de Domino inenarrabiliter natus est Dominus. Creatus autem secundùm humanam generationem, qua de ancilla natus est seruus*. Est igitur horum verborum planus, ac germanus sensus, quem tradit Gregorius Illiberitanus citatus suprà num.6. *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua. Sed ne quis me putet per hoc, esse creaturã, aut tunc primùm esse cœpisse, quando me creauit initium viarum suarũ in opera sua. subsequor, & dico, Ante omnes autẽ colles genuit me, vt scias prius me genitã, quàm creatam*. Vnde ad indicandam hanc distinctionem inter generari, & creari, multi Patres illud, *genuit*, coniungunt cum particula aduersatiua, *autem*, ita legentes, *Dominus creauit me*, &c. *Ante omnes autem colles genuit me*. Sic Hieronymus Isaiæ 26. Epiphanius,

Nazianzenus. Hilarius. Epiphanius. Augustinus. Ps.109. Cyrillus. Fulgentius. Gregorius Illiberitanus.

Athanasius. Ioan.1. Genes.1. Ps.118.

phanius, Fulgentius, Illiberitanus, verbis superiùs allatis.

16. *Declaratur illud*, Cum eo eram cuncta componens. Dicitur tertiò. *Quando præparabat cœlos, aderam. Cum eo eram cuncta componens*. Quibus verbis manifestè colligitur, eamdem personalem sapientiã, quæ paulo antè dixerat, se esse creatam, & genitam, fuisse, & consequenter, processisse ab æterno, & non esse simpliciter creaturam. Nam si illud, *præparabat*, & illud, *componens*, accipiantur de interna, atque intentionali præparatione, & compositione, quæ procul dubio in Deo fuit ab æterno per intellectum, & voluntatem; & si Filius Dei in huiusmodi præparatione, & compositione adfuit simul cum Patre: ergo ab æterno, non solùm ante omnes creaturas, sed etiam ante ipsum liberum diuinum decretum condendi creaturas, à Patre, & Filio in æternitate factum, præsupponitur esse Filius increatus, eiúsque à Patre increata processio: & est illud, quod dicitur Ioan.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, &c. Si verò accipiantur de præparatione, & compositione externa ac reali, idem sequitur. Qui enim cunctas simpliciter creaturas composuit, atque adeò ipsosmet cœlos, primaque elementa præparauit in principio temporis; ergo non est creatura, sed fuit ante omne temporis principium ab æterno, eiúsque processio alia esse non potuit nisi Dei de Deo, non autem creaturæ à Creatore. Hoc argumentum inter citatos Patres pluribus prosequutus est Hilarius lib.12. de Trinitate aliquanto ante finẽ, his enim verbis ait, Filium Dei docere, *se non temporalibus esse anteriorem, sed infinitis. Cum enim præpararetur cœlum, aderat Deo. Numquid cœli præparatio Deo est temporalis? Quid ergo est, præparanti Deo cœlum, genitam ab eo adesse sapientiam, cùm neque creatio cœli ex præparatione consistat, neque naturæ Dei sit, in apparatu eum cogitandi operis commorari. Nihil enim non semper cum Deo fuit quicquid in rebus est; quæ etsi ad creationem sui cœpta sunt, non sunt tamen à Dei vel præscientia, vel potestate inchoata. & idcirco nunc sapientia natam se ante sæcula docens, anteriorem se non solùm his, quæ creata sunt, docet, sed æternis coæternam, præparationi scilicet cœli, & discretioni sedis Dei. non enim tunc discreta sedes est, cùm effecta est; quia aliud est discerni sedem, aliud componi. Neque tum paratum cœlum est, cùm præparatum est, nam erat apud præparantem, & discernentem: pòst verò componebat cum parante, æternitatem suam, cùm præparanti adest, & ministerium, quando cum parante componit, ostendens. Ante præparationem cœli erat, & ante sæcula fundatus, qui initium viarum Dei, & in opera est creatus*. Atque hæc satis supérque de ipsa processione simpliciter. nunc de modo processionis; de quo etiam tractat S. Thomas in hoc articulo. sit

Declaratur illud, Cum eo eram cuncta componens.

Ioan.1.

DVBITATIO I.

An processio in diuinis sit secundùm modum quo effectus procedit à causa.

SVMMA.

1 *Refertur hæresis Arij, & traditur ordo dicendorum. n.17. & 18.*
2 *Probatur diuinitas filij Dei. n.19. ad 56.*
3 *Probatur æternitas filij Dei. n.56. ad 70.*
4 *Probatur naturalis filiatio filij Dei. n.70. ad 80.*
5 *Probatur, filium Dei non esse creaturam. n.80. ad 103.*
6 *Probatur diuinitas Spiritus sancti. n.103. ad 140.*

17. SAnctus Thomas respondet negatiuè contra Arium, de quo refert, quòd in diuinis processionem acceperit, *secundum quod effectus procedit à causa, dicens, Filium procedere à Patre, sicut primam eius creaturam; & Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, sicut creaturam vtriusque. & secundum hoc*, inquit S. Thomas, *neque Filius, neque Spiritus sanctus esset verus Deus*, nimirum sicut est Pater. Quæ consequentia concedebatur ab Ario, & euidenter deducitur ex tribus præcipuis blasphemiis, quas aduersùs Dei Filium effudit, contra quem totus fuit, nam contra Spiritum sanctum nihil ferè dixit, vt referam infrà n.104. Prima, Filium Dei esse creaturam ex nihilo factam: quod enim creatum est, Deum esse non posse, certò constat apud omnes. Quare cùm ab Athanasio disputatione in Nicæno Concilio contra Arium, non longè à principio inducitur Arius de Filio Dei ita loquens, *Deus est, sed creatus à Deo*, non tribuitur Filio nomen Dei propriè, sed latiore significato, quo tribui etiam solet præcipuis creaturis, vt Exod.7. *Constitui te Deum Pharaonis*. & Ps.81. *Ego dixi, Dij estis*. Vbi, vt interpretatur Christus Ioan. 10. *illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*. &, vt docet Paulus 1.ad Corinth.8. *Sive in cœlo, sive in terra sunt Dij multi, & domini multi*. etenim Arius constituit quidem Filium Dei esse creaturam, tamen longè præstantiorem cæteris, & primam, per quam reliqua omnia creata sint. Ariani enim, vt testatur Athanasius serm.3. contra Arianos multò ante medium, *Scripserunt ad Beatum Alexandrum in hac verba. Creatura est. sed non vt vlla ex rebus creatis; opus est, sed non vt vllii ex operibus. Res condita est. sed non vt vlla ex rebus conditis*. & posteà refert, Eusebium, Arium, & Asterium ita dixisse, & scripsisse, *Deus volens creatitiam naturam producere, cùm vidisset eam puritatu suæ, & architectationis participem esse non posse, condidit, & fecit vnus vnum, eúmque appellauit suum Filium, & Verbum, vt illo condito, reliqua deinde per eum condi possent*. Hũc igitur, dicebat Arius, esse Dei Filium, & Verbũ, & Deũ, *appellatione*, seu denominatione non realitate, & substantia, seu natura: nam vt testatur Nazianzenus oratione tertia de Theologia paulò post mediũ, *Isti Deum quidem esse, Filium Dei assentiũtur: verùm tantum ei Dei appellationem, non etiam essentiam cum patre communem concedunt*. & in hoc limitato sensu dixit Augustinus lib.3. contra Maximinum Arianorum Episcopum, c.23. post medium, *neque sic dicitis Deum Patrem, vt negetis, Deum esse Filium*.

Refertur ex S. Thoma hæresis Arij.

Prima Arij blasphemia, Filium esse creaturam.

Arianus. *In quo sensu concesserit Arius, Filiũ Dei esse Deũ.*

Exod.7. Ps.81. Ioan.10.

1.ad Cor.8.

Athanasius.

Nazianzenus.

Augustinus.

18. *Secunda Arij blasphemia, Filium non esse æternum.*

Secunda blasphemia, Filium Dei esse quidem creatum ante reliquas creaturas, & ante totum hunc mũdum, tamen non ab æterno. Vnde etiam manifestè sequitur, non esse substantialiter Deum. Ita habet ipsemet Arius in epistola ad Eusebium Nicomediensem Episcopum, quam referunt Epiphanius hæresi 69. non longè à principio, & Theodoretus lib.1. Historiæ ecclesiasticæ c.5. In ea scripsit Arius, se negare hanc doctrinam, quam Alexander, sanctissimus Episcopus, &, vt vocatur à Theodoreto c.2. post medium, *doctrinæ euangelicæ propugnator acerrimus*, & c.3. circa medium, *vir donis planè apostolicis decoratus*, publicè prædicabat, *semper Pater, semper Filius: simul Pater, simul Filius: simul cum Deo Patre ingenito Filius est: semper genitus est; neque cogitatione, neque indiuiduo aliquo temporis puncto Deus Pater Filium antegressus est*. & paulò pòst ait Arius, hanc esse sententiam suam, *Filium voluntate, & consilio, ante tempora, & ante sæcula plenum Deum extitisse, vnigenitum, immutabilem; & antequam gigneretur, aut conderetur, aut præfiniretur, aut fundaretur, non fuisse. Filium dicimus principium habere, ex nihilo constare*. Et teste Augustino lib.6. de Trinitate c.1. circa principium, *Ipse Arius dixisse fertur, Si filius est, natus est: si natus est. erat tempus, quando non erat filius*. quamquam deinde contrariis argumentis commoti, vt idem Augustinus paulò

Arij Epistola relata abi Epiphanio & Theodoreto.

Alexander Episcopus Alexandriæ, tempore Arij.

Augustinus.

paulò pòst testatur, *quidam posteriores Ariani abiecerunt istam sententiam, fassique sunt, non ex tempore cœpisse Filium Dei.* Sed Arius, inquit Theodoretus citato c.2. circa finem, *palàm contra veritatem pugnans, eum creatum, & factum affirmauit, quin etiam adiecit, tempus aliquando fuisse, cùm non erat.* Tertia, Filium Dei esse filium adoptiuum, non naturalem, & consubstantialem Deo Patri: quo clarissimè diuinitatis natura tollitur à Filio Dei, ac proinde etiam vera Filij ratio. Vnde acutè Hilarius 6. de Trinitate circa principium, dolosa verba hæresis Arianæ exponens ait, *Nusquam inuenio ab his Filium ita prædicatum esse, quòd filius sit. nomen filij ingeritur, vt natura taceatur. Natura admittitur, vt nomen sit alienum.* Volunt enim Ariani, vt paulò pòst testatur, *Dei filium non ex Deo esse, neque de natura, & in natura Dei ex Deo Deum natum.* Eadem præterea consequentia deducitur ex peculiari modo procedendi effectus à causa; qui modus inter alia consistit in hoc, vt effectus habeat naturam numero saltem diuersam à causa sua. Ergo cùm Deus neque secundùm speciem, neque secundùm numerum multiplicabilis sit, ex demonstratis suprà q.11. si Filius Dei à Deo procederet per modum, quo effectus procedit à causa, procedere non posset vt Deus à Deo, neque consequenter, vt naturalis filius Dei, ex defectu consubstantialitatis in eadem natura, sed procedere solùm posset, vt creatura à Deo increato, siue in tempore, siue etiam ab æterno, iuxta varias opiniones de æternitate communicabili, vel non communicabili his, vel illis creaturis.

Posteriores Ariani confessi sunt æternitatem Filij. Theodoret. *Tertia Arij blasphemia, Filium Dei esse adoptiuũ.* Hilarius. *Deus de Deo nequit procedere modo, quo effectus procedit à causa.*

Vt igitur distinctè procedamus, & huius articuli doctrinam, quæ grauissima est, exactè probemus, & ad vniuersos de hoc ineffabili mysterio theologicos discursus certissima, ac necessaria fidei fundamenta præmittamus, quinque probanda sunt, quæ expressè, vel implicitè tanguntur in verbis articuli allatis initio dubitationis. Primò diuinitas Filij. Secundò, eiusdem æternitas. Tertiò, naturalis filiatiò. Quartò, Filium non esse creaturam. Quintò, diuinitas Spiritus sancti; in quibus ex diuinarum Scripturarum authoritate, ac reuelatione iuxta communem sanctorum Patrum interpretationem potissimum agemus. Enim verò in tractatione tanti mysterij, vt Beatus Augustinus l.1. de Trinitate c.2. & Verbo docuit, & deinceps per quindecim libros opere præstitit, *Primùm secundùm authoritatem Scripturarum sanctarum, vtrùm se ita fides habeat, demonstrandum est; quia humanæ mentis acies inualida, in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur.* *Numerus, & ordo probandorum.* Augustinus.

PVNCTVM I.

Probatur diuinitas Filij Dei.

SVMMA.

1 *Quinam senserint contra diuinitatem Filij Dei. n.19.*
2 *Probatur primò ex verbis primæ Io.5. n.20.21.*
3 *Probatur secundò ex verbis Pauli ad Romanos 9. n.22. ad 25.*
4 *Probatur tertiò ex verbis Io.1. n.25. ad 28.*
5 *Probatur quartò ex verbis Isaiæ 45. & 55. n.28.29.*
6 *Probatur quintò ex verbis Lucæ 1. n.30.*
7 *Probatur sextò ex multis Scripturæ locis de Christo, vt Deo. n.31.32.*

19. *Contra Arium, & alios antiquiores.*

PRIMA CONCLVSIO. Filius Dei à Deo Patre procedit vt verissimè ac propriissimè Deus per essentiam, sicut est Pater. Est de fide contra Arium suprà, eiúsque sectatores, aliósque Ario antiquiores. Nam Anacletus, qui sedit anno Domini 84. in epistola 2. multò post medium, quorundam meminit, *qui dicunt, quòd Filius in eo minor est, quia Propheta inquit, Verbum faciet Dominus breuiatum vniuerso orbi.* Euaristus etiam, qui sedit anno Domini 96. in epistola 1. ante medium quosdam refert, & damnat, *qui arbitrantur, de Patre solo dictum esse, quia ipse solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* & addit Euaristus, *Non enim solus Pater sine Filio lucem inaccessibilem habitat.* Multi etiam ante Ariũ fuerunt, non credentes Filij diuinitatem, contra quos scripsit Dionysius Episcopus Alexandrinus, vt refert Athanasius non semel in epistola contra Arianos de sententia Dionysij. Præterea Origenes, qui centum fermè annis Arium præcessit, in eosdem errores lapsus fertur. Vnde Epiphanius hæresi 64. non longè à principio, ex Origene, inquit, *Arius occasiones accepit.* Et inter alios Origenis errores numerat, *quòd ex essentia Patris Filium inducit, simul verò creatum. Vult autem dicere, velut per gratiam Filium ipsum appellari.* & paulò pòst, *Apertissimè Filium Dei, creaturam docuit, & etiam Spiritum sanctum creatum introduxit.* & deinceps iterum, *In multis locis inuenimus ipsum ab alienantem vnigenitum Deum à deitate, & essentia Patris, simúlque etiam Spiritum sanctum.* Et ideo idem Epiphanius in quadam epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymorum, versa à B. Hieronymo, & habetur inter eius opera, epistola 60. ante medium, Origenem vocat *Arij Patrem, & aliarum hæresum radicem, & parentem.* Et ipsemet Hieronymus epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum multò post principium, scribit, Origenem fuisse *fontem Arij.* Vnde S. Thomas infrà q.34. art.1. ad 1. ait, *Arianorum fons Origenes inuenitur.* Quamuis nonnulli eum ab hoc errore defendant, quos sine nomine refert Augustinus hæresi 43. & reiicere videtur, quia subdit, *sed qui eius,* hoc est, Origenis, *plura legerunt, contradicunt.* Verùm Athanasius de decretis Nicænæ Synodi, non longè à fine grauissimum profert testimonium, hos errores non esse Origenis, sed aliorum, qui cum ipso disputabant. Plura de eodem Origene legi possunt apud Vazquez hîc, disp.109. c.1. Demum multa post sæcula Arianismum ab inferis suscitarunt Erasmus, Philippus Melanchthon, Caluinus, Michaël Semetus, Valentinus Gentilis, aliíque perditi homines, quos refert, & impugnat Cardinalis Bellarminus tomo 1. l.1. de Christo, præsertim in præfatione, & c.1. & 2. & fusiùs Valentia hîc puncto 1. à §.7. Anacletus. Iſai.10. Ad Rom.9. Euaristus. 1.ad Tim.6. *Quid senserit Origenes, ex Epiphanio.* Hieronym. S.Thomas. Augustinus. Athanasius. Vazquez. *Item contra recentiores hæreticos.*

Affertur locus 1. Ioan.5.

20. Hanc conclusionem efficacissimè probant verba illa 1. Ioan.5. quæ sola attulit S. Thomas hîc aliquanto post principium corp. ad eam probandam, *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* In hoc testimonio tantam inesse vim sentit Athanasius disputatione contra Arium in Nicæno Concilio, aliquanto ante medium, vt eam vocare non dubitauerit, *scriptam demonstrationem.* & Cyrillus l.12. thesauri c.13. circa finem ita scripserit, *Quid dicent hæretici ad hæc Beati Ioannis verba, quibus apertissimè Deus verus, Filius appellatur? nam si Deus verus est, substantialiter, non participatione hoc ipsum est, sicut creaturæ. Qui autem Deus verus est, natura Deus est.* & Augustinus l.1. de Trinitate c.6. circa principium. *Filius non tantùm Deus, sed & verus Deus. Quod Ioannes apertissimè in epistola sua dicit, Scimus quoniam Filius Dei,* &c. vt suprà. Beda etiam exponens eadem verba, *Quid apertius his verbis? Quid dulcius? Quid aduersùs omnes hæreses fortius dici* Athanasius. Cyrillus. Augustinus.

dici potuit? Christus est verus Dei filius. Pater Christi verus est Deus. Ambrosius præterea l.1. de fide c.7. fi. *Verum Ioannes Filium Dei, & verum Deum dicit.* Et in Concilio Aquileiensi, in epistola Concilij ad Episcopos Galliæ ante medium idem Ambrosius loquens de Christo, ita habet, *Ioannes dixit in epistola sua, Hic est verus Deus.* Hilarius 6. de Trinitate multo post medium, *Apostolos concessa sibi optima intelligentia verum Dei filium dicit. Tu affirmas creationem, tu prædicas adoptionem, tu negas nativitatem.* Eodémque modo reliqui planè omnes Patres, & interpretes de Filio Dei dictum accipiunt illud, *Hic est verus Deus:* vt inter alios eruditè adnotarunt Bellarminus l.1. de Christo c.6. loco 12. Lorinus in ea verba. Florauantius l.1. c.1. n.4. contra Erasmum, qui in fauorem Arianorum ausus est accipere dictum de Patre, non de Filio: nulla prorsus probabili ratione; tum quia in Græco, immediatè ante illud, *Hic est verus Deus,* non est illud, *eius,* quod refert filium ad patrem, sed est, *Iesu Christo,* sic enim ad verbum latinè redditur textus Græcus, *In filio ipsius Iesu Christo. Hic est verus Deus,* &c. ergo pronomẽ *hic,* appellat Christum immediatè positum, non Patrem. Tum quia esto legatur, *in filio eius. Hic,* &c. vt habet Latina versio, adhuc illud, *hic,* rationabilius refertur ad filium explicitè, & minus indirectè significatum, quàm ad patrem significatum implicitè & magis indirectè: cuius non sit mentio per se, sed propter filium: præsertim quia immediatè antè, illis verbis, *Filius Dei,* nimirum Patris, *dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum,* clarissimè dictus erat Pater verus Deus. Ergo cùm statim, facta iterum mentione Filij Dei, dicitur, *Hic est verus Deus,* non est verisimile de eodem Patre rursus dici, esse verum Deum. Ambrosius. Concilium Aquileiense. Hilarius. Bellarminus. Lorinus. Floraũtius. *Impugnatur expositio Erasmi.*

21. *Refertur responsio Eunomianorum, & Arianorũ.* Ad Titum 2. Ad Rom.9. *Impugnatur prædicta responsio.* Irenæus.

Hoc loco conuicti tandem Eunomiani, vt refert Bellarminus suprà ex Nazianzeno verbis allatis suprà n.17. fine, admiserunt tam Patrem, quàm Filium, esse verum Deum, sed æquiuocè, afferentes exemplum de cane cœlesti, terrestri, & marino, quorum quilibet est verus canis, & tamen eamdem canis naturam non habent. Sicut antea Ariani, vt refert Lorinus suprà ex Athanasio in historia Tripartita, vi multarum aliarum authoritatum Scripturæ, quibus Filius Dei appellatur simpliciter Deus, concedebant, Christum & Filium, esse Deum per quamdam excellentẽ participationem, & ideo etiam magnum Deum, vt vocatur ad Titum 2. & super omnia Deũ benedictum, vt vocatur ad Rom.9. at non verũ Deũ. Sed contrà primò, quia vt prudenter arguit Irenæus l.3. aduersùs hæreses c.6. initio, *Neque Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitiuè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus.* Secundò, quia vt prosequitur idem Irenæus paulò ante medium capitis citati, *cùm eos, qui non sunt Dij, nominat, non in totum Scriptura ostendit illos Deos, sed cum aliquo additamento, & significatione, per quam ostenduntur non esse Dij.* Quod statim reliquo capite multis Scripturæ locis latè confirmat. In casu autem nostro, cùm Filius Dei nominatur Deus, non solùm non apponitur aliquod additum diminuens propriam Deitatis naturam, sed potiùs illam exprimens, vt esse Deum verum, magnum, benedictum super omnia. Quod etiam argumentum acutè, & latè explicat Hilarius l.7. de Trinitate aliquanto post principium. Tertiò, quia in eadem breuissima oratione Ioannes dicens, *vt cognoscamus verum Deum,* Patrem vocat verum Deum, veritate diuinæ atque increatæ naturæ, & fatentur ipsimet aduersarij; &, teste Augustino l.2. de Trinitate c.13. post med. *omnes hæretici concedunt.* & patet ex illo Ioan.17. *Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum.* Ergo statim subdens, Filium etiam esse verum Deum, debet omnino intelligi de veritate eiusdem diuinæ naturæ, alioquin in paucis verbis vitiosè æquinocaret, & videretur velle decipere; & ne de ipso quidem Patre possemus ex Scriptura certò probare, esse verum Deum. Quartò, quia nullus vir sincerus ac prudens, vsurpans vocem æquinocam, potest de aliquo rectè dicere, Hoc est verè tale, v.g. Hic est verus canis, nisi ex re, quam demonstrat, & ex aliis præcedentibus, & concomitantibus circumstantiis constet, vocem illam æquinocam coarctari ad vnam aliquam significationem vniuocam ac determinatã, & non sumi in significatione æquinoca, & indeterminata, hoc est, non magis pro vna re, quam demonstrat per pronomen, *hic,* quàm pro alia re, quam non demonstrat. Esto igitur *Deus* sit vox æquinoca, qua scilicet nominari possit tam natura increata, quàm excellens aliqua natura creata; tamen cùm Ioannes dixit, *Hic est verus Deus,* debet ex aliis verbis adiunctis significare, vocem illam esse accipiendam pro vna determinata, & certa natura, siue creata, siue increata. At nullum planè verbum est, quo vel leuissimè significetur natura creata; sed multa verba sunt, quibus increata natura aptissimè significatur: de illo enim Ioannes dicit, *Hic est verus Deus,* de quo simul dicit, *esse verum filium eius, qui est verus Deus,* veritate scilicet increata. Sicut igitur si de aliqua re diceretur, *Hic est verus homo,* & simul adderetur de eadem re, *est verus filius, veri hominis,* non posset nisi stultus id intelligere de homine picto, sed debet intelligi de habente verè ac realiter humanam, ac rationalem naturam: ita cùm dicitur, *Hic est verus Deus,* & simul additur, *Hic est verus filius eius, qui est verus Deus,* est necessariò intelligendum de ea Dei natura, quæ est in Deo Patre, quæ procul dubio est increata. Verus enim filius veram, & similem, atque vniuocam naturam Patris habeat necesse est; non autem dissimilem & æquinocam, & ideo Nicænum Concilium ad Arianorum hæresim explicatiùs confutandam, necessarium esse duxit, vt in suo symbolo tota Ecclesia semper confiteretur de Filio, esse non solùm, *Deum de Deo,* sed etiam, *Deum verum, de Deo vero.* Quòd si Filius verè habet in se naturam diuinam increatam Patris, non potest esse alius numero Deus à Patre; quia ex demonstratis suprà q.11. Deorum pluralitas est impossibilis. Quod Ariani non negabant: quamuis malè arguerint, pluralitatem Deorum sequi, si non solùm Pater, sed etiam Filius sit Deus. *Excluditur sensus æquinocus.* *Concilium Nicænum in symbolo.*

Affertur locus ad Rom.9.

22. Quamplurima alia Scripturæ testimonia ad idem probandum Theologi afferunt; præsertim Bellarminus, & Valentia locis citatis, & Molina hîc disp.2. & 3. Vazquez disp.109. Efficaciora, & clariora mihi videntur, Primò illud ad Rom.9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ita Paulus loquutus est, inquit Irenæus l.3. aduersùs hæreses c.18. aliquanto post principium, *vt Iesum sciremus Deum esse.* & Tertullianus l.aduersùs Praxeam c.13. fin. *Solum Christum potero Deum dicere, sicut Apostolus, ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in æuum omne.* Quibus verbis, vt iterum addit infrà c.15. circa med. *Christum & ipsum Deum cognominauit Paulus.* Eumdem locum, vt probaret, Christum esse verum Deum, attulit Cyprianus lib.2. aduersùs Iudæos c.5. in priori editione Colonienſi anno 1544. vbi non habetur vox illa, *Deus,* quæ tamen rectè est addita in posterioribus editionibus Pauli Manutij, & Morelij, & in vltima facta Antuerpiæ anno 1589. vbi ea verba seperiuntur in c.6. & vt ibi optimè notauit Pamelius Molina. Vazquez. Irenæus. Tertullian. *Cyprianus locus exponitur contra Erasmum.*

Pamelius n.37. *ipse contentus conuincit ita esse legendum, alioqui enim totum hoc testimonium nihil ad rem faciet*; quia, vt dixi, Cypriani intentum ibi est, hoc, aliísque multis Scripturæ testimoniis ostendere diuinam Christi naturam. Quamobrem frustrà conatur Erasmus eo loco defectum illius vocalæ, *Deus*, in Cypriano, in fauorem Arianorum expendere, sicut

Item locus Hilarij.

eriam in Hilario, in Psalmum 122. circa medium, vbi idem Pauli locus citatur sine voce, *Deus*, & sine vocibus, *secundùm carnem*; sed cum his tantùm, *ex quibus Christus, qui est super omnia benedictus*; nimirum vir doctrina, ac sanctitate præstantissimus, ea tantùm verba satis esse existimauit, vt persuaderet, quod ibi demonstrare contendebat, Christum esse verum Deum; ita vt Christus, & Pater sint, vt ipse ait, *vterque vnus Deus, non quòd vnus diuisus in duos sit, aut vterque ipse sit, vt nuncupatio sola fecerit patrem, & filium, non natura gignendi*; *sed idirco Deus vnus, quia vnus ex vno, & ambo vnum, non dissimili scilicet, aut differenti à se substantia diuinitatis in vtroque.* & quidem de Christo puro homine, nato in tempore, si nó esset etiam simul per se, & substantialiter Deus, ab æterno genitus, non liceret absolutè asserere, illum esse super omnia, & esse benedictum in secula. Quid enim tam proprium Dei est, quàm esse super omnia? & ipsemet Paulus in c.1. eiusdem epistolæ ad Romanos, de Deo, rerum omnium creatore dixerat, *Qui est benedictus in secula.* Hilarius igitur voculam, *Deus*, in referendis Pauli verbis omisit, non vt Christo diuinitatem auferret, vt velle videtur suadere impius Erasmus; sed quia aliis verbis sufficientissimè, ac luculentissimè Christi diuinitas exprimebatur. Vnde eumdem Pauli locum cum voce, *Deus*, alibi retulit, vt l.4. de Trinitate circa finem, & l.8. multò post medium, vbi ita acutè arguit, *Non hîc creatura in Deum deputatur, sed creaturarum Deus est, qui super omnia Deus est.*

23. Præterea eadem Pauli verba de Christo eiúsque

Athanasius. divina natura intelligunt Athanasius oratione 2. contra Arianos multò post principium, optimè ac

Origenes. fusè Origenes in illum locum. *Vbi*, inquit, *apertè Christus super omnia Deus esse perscribitur. Est ergo Christus, Deus super omnia. Quæ omnia? illa sine dubio, quæ & paulò antè diximus, super principatus, & potestates, & virtutes, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc secula, sed etiam in futuro. Qui autem super omnes est, super se neminem habet. non enim post Patrem ipse, sed de Patre.* Ambrosius tum in eumdem locum, expressè docens esse intelligendum de Filio, non de

Ambrosius. Patre; *De Patre*, inquit, *Deo, hoc loco mẽtio facta non est.*

Ad Philip.2. *sed quid mirum, si in hoc loco Christũ, Deum super omnia aperta voce loqueretur, de quo in alia epistola dicit, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum? Hæc sunt omnia, super quæ Deus Christus est. Neque enim exceptis his sunt aliqua, vt non super omnia Deus Christus sit: nec potest genu flecti ab omni creatura, nisi Deo.* tum l.1. de Fide c.5. circa medium probans, Filium esse Deum non alienum, sed eiusdem diuinitatis cum Patre, *quia super omnia est Deus benedictus in secula, sicut scriptum est.* & l.1. de Spiritu sancto c.3. ante medium Christum esse super omnia, exponit de omnibus creaturis, non autem de Pa-

Augustinus. tre, & Spiritu sancto. Augustinus l.3. contra Faustum c.6. docens, Christum ideo dictum esse, super omnia Deum benedictum in secula, quia est, inquit, *Filius Dei verus secundùm diuinitatem.* & l.2. de Trinitate c.13. post medium, *Non solùm Pater Deus est; sed etiam Filius: quod hæretici velint, nolint, coguntur fateri, dicente Apostolo, Qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

Cyrillus. Theodoret. Theophylactus. Cyrillus l.2. Thesauri c.5. initio. Theodoretus in eumdem Pauli locum. Theophylactus ibidem. Vbi ait, *Hic verò Arium pudefieri operæ pretium est, Paulo nempe Christum super omnia Deum proclamante.* Fulgentius. Fulgentius l.3. de Christo ad Trasimundum multo post principium. Gregorius hom.8. in Ezechielem, circa principium acutè dicens, *Paulus Apostolus volens nuncupatiuum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro loquutus est, dicens, Qui est super omnia Deus. Qui enim nuncupatiuè dicitur, Deus inter omnia, qui verò essentialiter, Deus super omnia est.* Gregorius. Cassianus. Cassianus l.3. de Incarnatione initio, vbi contra Arianos ita loquitur. *Quid circumuis? Quid tergiuersaris? Christum ex Israël natum secundùm carnem, Deum esse Apostolus dicit. Tu doce, quando non fuerit.* & paulò pòst, *Sufficere quidem fidelibus, ad indicandam maiestatem diuinitatis, nomen Dei abundè potuit: sed addendo, super omnia Deus benedictus in secula, blasphemiam perfidæ assertionis excluſit: ne quis scilicet impiorum, vocabulum Dei interdum etiam hominibus temporariè, dono diuinæ dispensationis indultum, ad iniuriam summæ diuinitatis assumeret, & contumeliosis Deo comparationibus coaptaret.* quod pluribus deinceps eruditè demonstrat Marius Victorinus l.1. aduersùs Arium, aliquanto post principium, & habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, ibíque etiam Idacius Clarus aduersùs Varimadum, paulo post principium; aliíque Interpretes planè omnes. Marius Victorinus. Idacius Clarus.

24. Quare nimium impudens ac detestabilis est Erasmi audacia, qui vult, post illa verba, *secundùm carnem*, ponendum esse punctum; quo modo dicit se legisse apud Chrysostomum: & propterea, verba sequentia, *qui est super omnia Deus*, posse referri ad Patrem, non ad Filium. Vbi grammaticali quodam puncto contra omnes Patres, & Scholasticos leuissimè atque insipientissimè vtitur. Tum quia in Chrysostomo Græco non est punctum, sed virgula. Tum quia etsi in nonnullis Latinis Chrysostomis, quos ego vidi, sit punctum, tamen ipsemet Chrysostomus verba exponit de Filio, & de Christo, non de Patre: ait enim quòd ea verba, *qui est benedictus in secula*, Paulus dixit, *vnigenito Dei filio referens pro omnibus gratiarum actionem.* At verò stultum ac ridiculum est, propter punctum, quod ab alio quàm ab Authore poni facilè potuit, relinquere sensum, quem certò constat ab illo Authore traditum fuisse. Tum quia omnes Pauli codices, & Græci, & Latini, vt restatur Bellarminus suprà, non habent punctum, sed virgulam. Cùm autem agitur de modo, quo scripta sunt Pauli verba, standum procul dubio magis est libris Pauli, quàm aliorum, qui Pauli verba referunt. Tum quia Patres citati, & reliqui omnes referunt cum virgula, non cum puncto. Temerè igitur præ vno Chrysostomo Latino, qui non ab ipso Chrysostomo, sed ab alio Latinè reddirus est, cæteri omnes sapientissimi, ac sanctissimi Doctores contemnuntur. Tum quia esto in omnibus sit illud punctum, adhuc illud, *qui est Deus*, &c. intelligi nequit nisi de Christo; quia relatiuum, *qui*, refert ad personam antecedentem: in illo autem cap.9. ante prædictum relatiuum nulla planè mentio fit personæ Patris, sed personæ Christi, & filij. Eraſmi interpretatio refellitur. De textu & mente Chrysostomi.

Affertur locus Ioan.1.

25. Secundò valde efficax est illud Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Verbum caro factum est.* Qui sine dubio est is, qui ibidem statim dicitur, vnigenitus Filius à Patre, & Iesus Christus. Hunc igitur Ioannes apertè docet esse Deum, & quidem eundem numero, qui est Pater, ac proinde Deum verè ac propriè. Sicut enim cùm tepetitur *Verbum* secundo loco, & dicitur, *& Verbum erat apud Deum*, intelligitur

telligitur de eodem Verbo, de quo in primo loco immediatè antè dicitur, *In principio erat Verbum*; ita cùm tertio loco repetitur *Deus*, & dicitur, *& Deus erat Verbum*, intelligi debet de eodem Deo, de quo in secundo loco immediatè antè dicitur, *& Verbum erat apud Deum*, scilicet Patrem, cuius est per intellectionem suam fœcundam intra se subsistens Verbum producere: sicut etiam paulò pòst repetuntur vita, lux, tenebræ, cùm dicitur, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

26. Hic locus non potest intelligi cum Eunomio, quem refert, & multis impugnat Cyrillus l.1. in Ioannem cap.4. & cum aliis modernioribus hæreticis, quos refert, & reiicit Bellarminus tomo 1. l.1. de Christo cap.6. loco 13. de aliquo Verbo creato in tempore. Tum quia de hoc Verbo dicitur, *In principio erat.* hoc est, in illo creationis principio, de quo dixit Moses Genes.1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & ipsemet Ioannes in primis verbis primæ suæ epistolæ, *quod fuit ab initio*, iam erat Verbum. Anteeessit igitur omne quod creatum, & factum est in aliquo tempore. ergo est æternum, & increatum. Si enim Verbum aliquando incœpisset, & esset aliquod proprium, in quo factum esset, iam non posset absolutè & vniuersaliter verificari, *In principio erat Verbum*, quia tunc dici quidem rectè posset, quòd in aliquo principio fiebat Verbum; non autem, *erat Verbum*: quod clarissimè significat præexistentiam ante principium.

Non potest explicari de Verbo creato in tempore. contra Eunomium, & alios.

Epiphanius. Et ideo, inquit Epiphanius hæresi 69. multò post principium, *non dixit, Factum est Verbum, sed, Deus erat.* & Basilius l.2. contra Eunomium multo ante med. *Non eam, quæ in tempore est, subsistentiam, verbum hoc*, erat, *significat, sed ipse nobis Euangelista in alio sermone, huius Verbi* erat, *significatum ostendit, dicens, Qui est, & qui erat, Omnipotens. Quale enim illud, est, tale est, & hoc* erat, *sempiternum pariter, & nullo tempore obnoxium. Quare quantumcunque volueris inutili mentis inquisitione retrocurrere, pertransire tamen quod erat, & vltra illud ferri cogitationibus non poteris.*

Toletus. Atque hæc est, inquit Cardinalis Toletus in hunc locum Ioannis, annotatione 4. *legitima expositio Basilij, Chrysostomi, Augustini, Ambrosij.* Tum quia de eodem Verbo dicitur, *erat apud Deum*, &, vt statim

Tertullian. ad maiorem claritatem additur, *erat in principio apud Deum.* Quibus verbis, inquit Tertullianus aduersùs Praxeam cap.8. *prolatum dicimus Filium à Patre, sed nunquam separatum, aut alium à Patre; quia, Ego, & Pater vnum sumus.* & cap.15. *Apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem.* & Origenes

Origenes. homil.2. in diuersos locos, aliquanto post princip. *Verbum erat apud Deum, hoc est, & Filius subsistit cum Patre in vnitate essentiæ, & substantiali distinctione.* &

Hilarius. Hilarius lib. 2. de Trinitate ante med. *Apud vnum ingenitum Deum, ex quo ipse vnus vnigenitus est, Deus prædicatur.* & Ambrosius l.1. de Fide c.5. circa principium, *Quod verò erat in principio apud Deum, sempiternæ diuinitatis in Patre, & Filio inseparabilis vnitas edocetur.* & Gregorius Nyssen. homil. de Fide circa med.

Ambrosius.

Nyssenus. *ex eo quòd Verbum erat apud Deum, significauit, quòd nihil deest Filio in comparatione Patris: cum toto namque Deo totum simul consideratur Verbum.* Tum quia idem Verbum manifestissimè dicitur, *erat Deus.* & si cùm immediatè antè dicitur, *Verbum erat apud Deum*, intelligitur de Patre, vero Deo, cùm statim subiungitur, *& Deus erat Verbum*, debet pariter intelligi de Filio, vero Deo: & non satis est cum impio Erasmo ita exponere, vt refert Torres hîc disp.1. puncto 2. obiect.4. *Deus erat Verbum, id est, Verbum erat particeps essentiæ diuinæ.* Sicut de puris hominibus sanctis dicitur ad Hebr.6. *Participes facti sunt Spiritus sancti.* & 2.

Reijcitur expositio Erasmi apud Torres.

Hebr.6.

Petri 1. *vt efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Tum quia de hoc Verbo subditur, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, &c. Ergo ipsum non est factum, sed creator omnium. ergo verissimus Deus. Tum quia hoc Verbum, quod erat in principio cuiuscumque rei creatæ, postèa dicitur, *Caro factum est, & habitauit in nobis.* Ergo Verbum incarnatũ non est purus homo, & pura creatura. Ergo est etiam Deus. 2.Petr.1.

Neque vllius momenti sunt hæreticorum obiectiones. Arguunt enim primò, vt refert Augustinus l.3. de Doctrina Christiana cap.2. verba Ioannis ita esse distinguenda, & pronuncianda, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat.* Vbi absoluta vna sententia, incipiat statim alia sic, *Verbum hoc erat in principio apud Deum.* Sed hoc est vanissimum ac ridiculum grammaticalis leuitatis inuentum, prorsus confictum contra omnes libros, & librorum anthores. Deinde nulla planè necessitas erat docendi, *Deus erat*; tum quia de ea re nemo, ne hæretici quidem dubitabant: tum quia sufficienter declarata erat verbis præcedentibus, *Verbum erat apud Deum.* Demum ipsa sermonis elegantia, & correspondentia cum aliis duobus membris præcedentibus manifestè ostendunt, hoc tertium membrum ita esse integrè legendum, *& Deus erat Verbum.* Arguunt secundò, quia non dicitur, *Verbum erat Deus*, sed oppositio modo, *Deus erat Verbum.* Sed hæc terminorum conuersio nihil omnino refert ad sensum, modò in vtraque propositione, vox, *Deus*, accipiatur pro vero Deo. Sicut enim si dixeris, *Deus est Pater*, vel, *Pater est Deus*, semper re ipsa inter Patrem & Deum eadem Deitatis connexio prædicatur: ita prorsus in casu nostro, siue dicas, Verbum erat Deus, Deus erat Verbum, idem significatur: vnde hęc verba nunc hoc, nunc illo modo refert Hilarius l.7. de Trinitate, non longè à principio. Et quidem cùm hoc loco Ioannes non de Deo, sed de Verbo agat, An ante mundum fuerit, Vbi fuerit, Quid fuerit; directus sensus postulat, vt de Verbo, tamquam de subiecto prædicatum accipiatur, *erat Deus*; non autem de Deo, *erat Verbum.* Ioannes verò dicere potiùs voluit, *Deus erat Verbum*, vt in tribus suis propositionibus clariorem, & elegantiorem quamdam gradationem formaret, inchoando sequentẽ propositionem ab vltima voce propositionis præcedentis. Arguunt tertiò si cùm dicitur, *Deus erat Verbum*, sumeretur, *Deus*, sicut sumitur in præcedenti propositione, *Verbum erat apud Deum*, & sequeretur dici, Filiũ esse Patrem, vel Patrem esse Filium, quod fuit impium Sabellij dogma. Nego autem hoc sequi, sed solùm sequitur, illum eumdem numero Deum, qui est Pater, esse etiam Filium. Quare cùm dicitur, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, sensus est, vt optimè exponit illustrissimus Bellarm. l.1. de Christo c.6. loco 13. ad 2. *Verbum erat apud Patrem, qui est Deus*; *& idem Deus erat etiam Verbum.* Arguunt quartò, quia vox, *Deus*, cùm tribuitur Patri, habet Græcum articulum, non autem cùm tribuitur Verbo. Sed hinc Origenes tomo 2. in Ioannem, &, qui eum sequuti sunt, Ariani insufficienter colligunt, solum Patrem esse per se, & simpliciter Deum, & verum Deum; Verbum verò, & Filium esse Deum similitudinariè, & secundùm quid, *participatione & communione diuinitatis*, vt loquitur Origenes. Nam, vt Græci sermonis eruditissimus Chrysostomus respondet homilia 3. in hæc verba Ioannis, circa mediũ, & iterum breuiùs homilia 5. circa principium, *Superuacaneum est vbique articulum præponere.* Quod manifestis exemplis conuincit; quia aliquãdo idẽ Filius dicitur Deus cum articulo, vt ad Tit.2. *Expectantes adventum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Et 1.Ioan. 5. *Hic est verus Deus.* Interdum verò contrà, idem

27. *Solumntur obiectiones hæreticorum.* Augustinus.

Secunda obiectio.

Hilarius.

Tertia obiectio.

Bellarm.

Quarta obiectio.

Origenes.

Ad Tit.2.

1.Ioan.5.

Ioan. 1. Pater dicitur Deus sine articulo, vt in eodem 1. Ioannis capite, *Fuit homo missus à Deo.* & infrà, Ad Philip. 2. *Deum nemo vidit vnquam.* Item ad Philippenses 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, vbi neque cùm de Filio dicitur, *Dei* neque cùm de Patre dicitur, *Deo*, præponitur articulus, Ad Rom. 1. & ad Rom. 1. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo*: vbi etiam Paulus, inquit Chrysostomus, *neglexit articulum.* Arguunt quintò, cùm dicitur, *Verbum caro factum est*, vox Græca, ἐγένετο, non rectè versa est, *factum est*, sed verti debet, *erat*, vel *fuit.* sicut versa est in eodem c. *Fuit homo* Lucæ 1. & vlt. *missus à Deo.* & Lucæ 1. *Fuit in diebus Herodis Sacerdos.* & Lucæ vlt. *Qui fuit vir propheta.* Quo posito, sensum esse volunt, Verbum non præextitisse, & deinde factum esse carnem per [illegible] assumptionem; sed nihil esse aliud nisi [illegible] quemdam hominem. Verùm eadem v[illegible] secundùm omnes Ioan. 1. & 2. alibi rectè vertitur per fieri, vt p[illegible] antè, *Mundus per ipsum factus est.* & c. 2. *Nuptiæ factæ sunt.* & infrà, *Aquam vinum factam.* Cùm igitur Græca vox sit ambigua, & tam esse, quàm fieri significet, hoc loco accipienda est pro fieri, non pro esse; & dici debet, *Verbum caro factum est*, sicut exponũt omnes Patres Græci, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius; & habet versio, non solùm verba vulgata, sed etiam Erasmi, & Vatabli: & euidenter constat ex cohærentia cum præcedentibus, in quibus illud idem Verbum dicitur præfuisse in principio apud Patrem ante omnes creaturas, atque adeò ante ipsammet carnem, de qua dicitur, *Verbum caro factum est.* & si diceretur cum hæreticis, *Verbum caro fuit*, vel, *erat*, redderetur sensus falsus, aut saltem imperfectus, quia Verbum nunc etiam est caro, hoc est, homo, *Scriptura pro consueto more hominem carnem appellante*, Athanasius. vt docet Athanasius sermone 4. contra Arianos, ante medium.

Afferuntur duo loca Isaiæ c. 45. & c. 35.

28. Tertiò magnam etiam vim habet illud Isaiæ 45. Isai. 45. *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent; & te adorabunt, téque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus,* Hieronym. *Deus Israël Saluator.* Refert hîc Hieronymus, hæc verba à quibusdã exponi de Rege Cyro. Sed, inquit, *Quocunque se verterint, non valebunt laqueos veritatis effugere. Quod enim sequitur, Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator, quo modo possint Cyri personæ conuenire, non intelligo.* Neque exponi possunt de Patre, tum quia ipsemet Deus Pater loquitur ad aliam personam, vt patet: tum quia de Patre minus propriè ac rectè diceretur, *In te est Deus, Deus Saluator*: hęc autẽ, & reliqua omnia rectissimè dicuntur de Christo. *Ergo*, inquit Hieronymus, *Deus in quo est Deus, Dominus noster Iesus Christus rectius intelligitur, & veriùs; qui in Euangelio loquitur, Ego, & Pater vnum sumus.* & de eo- Cyprianus. Fulgentius. dem intelligũt Cyprianus l. 2. aduersùs Iudæos c. 5. circa princip. Fulgentius in responsione ad decimã obiectionem Arianam, & l. 2. ad Trasimundum, aliquanto post principium. De Christo igitur dicitur, *In te est Deus*, quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo di-* Ad Coloss. 2. *uinitatis corporaliter*, ad Coloss. 2. dicitur etiam, *Tantum in te est Deus*, nimirum per assumptionem, quia nihil aliud vnquam à Deo assumptum est, præter humanitatem Christi Domini; &, vt exponit Fulgentius in citata respõsione, *Deus Saluator*, vt postea additur, quia non Deus Pater, non Deus Spiritus Matth. 1. sanctus, sed Deus Filius Iesus, Matth. 1. *Ipse saluũ faciet populum suum à peccatis eorum.* & benè confirmat Fulgentius ex aliis sequentibus verbis Isaiæ in eodẽ c. 45. Vbi cùm Dominus dixisset, *Numquid non ego Dominus, & non est vltra Deus absque me?* id magis declarans immediatè pòst ita addit, *Deus iustus, & saluans non est præter me.* Dicitur præterea, *Non est absque te Deus.* nimirum non ratione pluralitatis personarum, quia præter personam Filij, dantur duæ aliæ personæ, Patris, & Spiritus sancti; sed ratione vnitatis naturæ, vt docuit Fulgentius ad Trasimundum, si Fulgentius. enim Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus numero Deus: ergo separato Deo Filio, nullus alius Deus superesse potest, sed ipse quoque Deus Pater, Deus Spiritus sanctus separetur necesse est. Rem totam elegãter exposuit idem Fulgẽtius in alio loco, dicens, *Numquid autem Deum istum, præter quem alius non est, ita solum Filium accipimus, vt ab eo Patrem, & Spiritum sanctum separemus? Absit. Hoc enim impossibile est. Nam præter Deum Patrem Deus Filius non est, quia de Patre est, & in Patre est. Præter Patrem & Filium Spiritus sanctus non est, quia Patris, & Filij Spiritus est, & in Patre & Filio est. Vnde cognoscitur, quoniam ista Trinitas vnus Dominus Deus est.* Demum, *Deus appellatur absconditus*, inquit Hieronymus suprà, *propter assumpti corporis Sacramentum.* Habemus igitur clarissimum, & grauissimum ipsiusmet Dei Patris testimonium seriò affirmantis de Christo Filio suo, *Verè tu es Deus.*

29. Quartò non minus vrgent alia verba eiusdem Isai. 35. Isaiæ c. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Pronomen illud *ipse* additum Deo, nimis clarè determinat Deum ad eum, qui est verè & propriè Deus. sensus est, non aliquis minister, locum tenens veri Dei, sed ipsemet verus Deus veniet, &c. Hunc autem Deum esse Christum, patet, quia quæ de hoc Deo hîc dicũtur in tẽpore futuro, dicta deinde sunt in tempore præterito, & præsenti de Christo. nam 1. ad Tim. 1. 1. ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum* Marc. 7. *peccatores saluos facere.* & Marci 7. *Surdos fecit audire,* Matth. 11. *& mutos loqui.* Vnde Matth. 11. eius opera renunciari iussit Ioanni Baptistę, *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*, &c. Et de Christo exponunt Irenæus Irenæus. Cyprianus. l. 3. aduersùs hæreses c. 22. fine, Cyprianus l. 2. aduersùs Iudæos c. 6. dicens, per hæc verba probari, *quòd Christus Deus venturus esset illuminator & Saluator generis humani.* Eusebius Cæsariensis l. 6. de demon- Eusebius Cæsariensis. Athanasius. stratione euangelica c. 21. dicens, *Hoc in loco palàm salutaris Dei canitur aduentus.* Athanasius l. de humanitate Verbi post medium, dicens, *quando igitur ista acciderunt, nisi quando Dei sermo in corpore fuit.* Hieronym. Augustinus. Cyrill. Alex. Hieronymus in hunc locum. Augustinus de Quinque hæresibus c. 6. Cyrillus Alexandrinus in hunc locum, & l. 5. in Ioan. c. 6. & alij omnes interpretes.

Affertur locus Lucæ 1.

30. Quintò efficacissima sunt verba, quæ de Ioanne Baptista ad Zachariam patrem eius dixit Angelus Gabriel Lucæ 1. *Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Nemo dubitat, Dominum Deum Israël, esse illum, qui est verus, & vnus Deus, creator cœli & terræ. & cùm dicitur de Ioanne, *præcedet ante illum*, manifestè intelligitur de hoc Deo, de quo immediatè antè sermo est. Certò autem constat, Ioannem non fuisse alterius præcursorem nisi Christi, & consequenter Christum esse verè ac propriè Dominum Deũ Israël. Sic enim testa- Actor. 13. tur Paulus Actor. 13. *Deus eduxit Israëli saluatorẽ Iesũ*, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismum pœnitentiæ, omni populo Israël. quem Ioannes

Ioannes maximè conuertit ad Christum, vt constat ex iis quæ narrantur Matth. 3. & Marc. 1. & Luc. 3. Irenæus. & Ioan. 1. Vnde Irenæus hunc locum exponens lib. 3. aduersùs hæreses cap. 11. circa principium ait, *Cui ergo populum præparauit, & cuius in conspectu Domini magnus factus est? Vtique eius, qui dixit, Quoniam & plusquam Propheta habuit aliquid Ioannes, & nemo in natis mulierum maior est Ioanne Baptista, qui & populum præparabat ad* Ambrosius. *aduentum Domini*, &c. Et Ambrosius lib. 1. in Lucam super hæc verba, *Non egemus testimonio, quòd plurimorum S. Ioannes corda conuerterit: quia dum creditur Ioanni, creditur Christo. Non enim de se, sed de Domino prædicabat prænuncius Chri-* Beda. *sti.* & clarissimè ibidem Beda, *Cùm Ioannes, qui Christo testimonium perhibens, in eius fide populos baptizabat, dicitur filios Israël ad Dominum Deum ipsorum conuertisse; patet profectò, Christum esse Dominum Deum Israël. Si autem Christus est, imò quia Christus est Dominus Deus Israël, desinant Ariani, Christum Dominum Deum esse negare. Et quia Ioannes præcedere ante illum dicitur, videant, æternum ante secula Deum, post hominem in seculis natum: ideoque à suo præcursore modò virum post se venturum, modò Dei filium, esse nominatum.* Et bre- Euthymius. Cyrillus. uiùs Euthymius inquit, *Christum vocat hîc Dominum Deum.* Et Cyrillus de recta Fide ad Reginas post medium ita optimè arguit, *Præcessit ante Christum, & factus est præcursor eius, & vt præpararentur viæ eius prædicauit, & de ipso vaticinatus est sermonem, conuertens tanquam ad Deum, qui potest iustificare eos, qui in peccatis; iam quomodo non Deus Christus?*

Afferuntur loca quæ sunt de Christo, vt Deo.

31. Sextò apertè demonstrant veram Christi, & Filij Dei diuinitatem multa quæ in Scriptura tribuun- Isai. 7. tur Christo, & sunt propriissima veri Dei. Isaiæ 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel. Quod*, vt dicitur Matth. 1. Isai. 9. Matth. 1. *est interpretatum, nobiscum Deus.* Isaiæ 9. *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus,* Hierem. 23. *Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Hierem. 23. *Hoc est nomen, quòd vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Hebraicè est, *Iehoua*, nomen ineffabile, ac proinde Dei maximè proprium, vt patet ex iis, quæ de hoc nomine dicta sunt in 1. tomo, q. 13. art. 11. Idem nomen, Iehoua, Christo tri- Isai. 40. buitur Isaiæ 40. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domino.* Tribuitur etiam eius nominis signi- Apoc. 1. 4. & 11. ficatum, nempe, *qui est*: vt Apocal. 1. 4. 11. *Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui ven-* Ioan. 13. *turus est.* & Ioan. 13. Christus dicit, *Vt credatis, quia ego sum.* Præterea Deus *solus Altissimus in omni terra,* Ps. 82. Ps. 82. & tamen Christus vocatur Altissimus, tum Ps. 86. Ps. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Al-* Hieronym. *tissimus.* Vbi Hieronymus, *Respondeant Ariani, quoniam dicunt Altissimum solum Patrem esse. Ecce hîc de* Ambrosius. *Filio dicitur, & ipse fundauit eam Altissimus.* & Ambrosius l. 3. de Fide, c. 2. circa principium, *Qui autem idem Altissimus, idem homo, nisi mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus?* Eodémque modo exponunt Beda in Lucam c. 1. circa finem, & alij. Ps. 17. tum Ps. 17. *Altissimus dedit vocem suam.* quod intelligitur secundùm Ambrosium suprà *de mysterio passionis. Et ideo*, inquit, *dubitari non potest, quòd Altissimus* Lucæ 1. *Christus sit.* tum Lucæ 1. *Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis.* hoc est, Christi, vt interpretantur Ambro- Chrysost. sius suprà, Chrysostomus homilia 14. in Matth. aliquanto post principium, hinc colligens, *quòd sicut* Beda. *Pater, ita etiam Filius haberet Prophetas.* Beda in illum locum, dicens, *Audiant Ariani, & erubescant; audiant mansueti, & lætentur; quòd Christum Dominum, quem Ioannes prophetando præibat, Altissimum vocat.* Idacius Idacius Clarus. Clarus aduersùs Varimadum l. 3. paulò ante medium, & habetur tom. 4. Bibliothecæ veterum Pa- Bellarminus. trum. Idque, vt rectè adnotauit Cardinalis Bellarminus l. 1. de Christo c. 7. post medium, *verba ipsa satis apertè significant.* Enimuerò ratio peculiaris, quæ additur, ob quam Ioannes futurus esset Propheta Al- Cur solus Ioannes sit Propheta Christi. tissimi, *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*, satis clarè demonstrat peculiare Ioannis priuilegium de Propheta Altissimi, nimirum Christi: nam esse Prophetam Altissimi, nempe Dei, & Patris, commune fuit Isaiæ, cæterísque omnibus Prophetis, qui de Christo etiam prophetauerunt; & tamen non fuerunt præcursores Christi. Ex eo igitur quòd Ioannes futurus erat præcursor Christi, probatur & sequitur, quòd futurus etiã erat Propheta Christi, quem non futurum, vt olim alij Prophetæ, sed præsentem prædicauit, ac demonstrauit; quod maximè proprium ipsius fuit: & ideo non communi denominatione, Propheta Dei Altissimi, sed propria denominatione vocatus censeri debet, Propheta Christi, altissimi Dei. *Hic enim solus est Prophetarum,* S Maximus. inquit S. Maximus Episcopus homilia 3. in natiuit. S. Ioan. Baptist. *qui Dominum nostrum Iesum Christum, quem alij in longa tempora futurum præscierunt, propriis oculis videre meruit, & annuntiare præsentem.* De Christo quoque dicitur secundùm communem Pa- Ps. 23. trum expositionem, illud Ps. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit* 1. ad Cor. 2. *Rex gloriæ.* Et certius illud 1. ad Corinth. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* & Apoc. 17. & 19. illud Apocal. 17. *Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum.* & c. 19. *Habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.* & tamen de solo Deo dicitur 1. 1. ad Tim. 6. ad Timoth. 6. *Solus potens, Rex regum, & Dominus do-* Ad Hebr. 1. *minantium.* & illud ad Hebr. 1. *Adorent eum omnes* Ps. 96. *Angeli Dei.* Quod Psal. 96. à Dauide dictum de Deo Israël, quem esse verum Deum, omnes etiam hæretici fatentur, Paulus docet esse dictum de Ioan. 14. Cyrillus. Christo. & illud Ioan. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Vnde Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 42. initio ita optimè arguit, *Liquidò hîc Deum se verum esse ostendit; suscepturum enim orationes duorum se dicit, omniaque concessurum eis, quæ petant.* & Apoc. 2. illud Apocal. 2. *Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda.* Quod solius Dei proprium Hierem. 17. esse docet Hieremias c. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans* 3. Reg. 8. *corda, & probans renes.* & Salomon 3. Regum 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Vnde Christus passim prædicit futura. quod diuinitatis me Ioan. 13. signum ipsemet affert, Ioannis 13. *Amodo dico vobis, priusquam fiat; vt cùm factum fuerit, credatis, quia ego* Isai. 41. *sum.* & Isaiæ 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.*

32. Septimò denique nonnulla sunt in Testamento veteri dicta de vero Deo Israël etiam secundùm aduersarios, quæ in nouo Testamento declarantur esse dicta de Christo Filio Dei. Ea eruditè & fu- Bellarminus. Valentia. sissimè referunt Bellarminus lib. 1. de Christo c. 4. Valentia hîc puncto 1. §. 12. Præcipua sunt primò il- Num. 21. lud Num. 21. *Locutus populus contra Deum, ait, Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes; ad quorum plagas, & mortem plurimorum*, &c. Hunc Deum ac Dominum, quem Psalm. 77. Iudæi, vt dicitur Psalm. 77. *exacerbauerunt in deserto, & in iram concitauerunt, & tentauerunt.* Paulus apertissimè

1.ad Cor.10. apertissimè docet esse Christum 1.ad Corinth.10. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.* Ergo Christus, & Filius Dei, antequam esset homo per hypostaticam vnionem cum natura humana, erat verissimus Deus per summam vnitatem atque identitatem cum natura diuina; & propterea ante eius incarnationem dici verè potuit tentatus, nimirum non vt homo, sed vt Deus. Sicut paulo antè idem Christus dicitur, quòd sequebatur, & comitabatur illum populum, eíque potum dabat. *Bibebant de spiritali consequente eos Petra. Petra autem erat Christus.* Quæ verba exponens ibi Chrysostomus, id quod diximus, manifestè docet his verbis. *Non enim ipsius petræ natura, aqua, inquit, scaturiebat, siquidem etiam antè scaturiisset: sed alia quædam spiritualis petra omnia operata est, hoc est, Christus, qui præsens vbique omnia fecit miracula: ideo dixit, consequente.* Secundò illud Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Hunc verò fuisse Iesum Christum perspicuè docet Beatus Iudas Apostolus in sua epistola, *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia; quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Quod de Iesu Christo Domino nostro, de quo immediatè antè sermo est, non de Iesu Filio Naue, aut quouis alio, omnes ferè notant, & omnium cumulatissimè demonstrat ibi noster Lorinus. Quo Iudas ostendere voluit, inquit ibi optimè Beda, *Quia non ipse Iesus Dominus noster à portu sanctæ Virginis, vt hæretici affirmant, principium habuit, sed iuxta mysterium sui nominis ad saluationem credentium, Deus æternus extitit.* Ipse enim est, inquit Paulus ad Hebræos 13. *Iesus Christus heri, & hodie; ipse & in sæcula.* Qui de se ipso dixit Ioan. 8. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* & c.17. cum Patre loquens ait, *Claritatem habui, priusquam mundus esset, apud te.* Tertiò non minus tritum quàm efficax est illud Isaiæ 40. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Hanc vocem fuisse Ioannem Baptistam testantur omnes Euangelistæ, Matthæus cap.3. Marcus c.1. Lucas c.3. Ioannes c.1. sed notissimum est, & expresse docent Paulus Actorum 13. & alij citati suprà num.30. Ioannem Baptistam parasse viam Christi, eiúsque semitas rectas fecisse. Ergo Christus est ille Dominus, & Deus noster, de quo loquitur Isaias suprà. Quartò non minus illustre est illud Isaiæ 45. *Ego Deus, & non est alius. In memetipso curaui, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Hunc Deum, præter quem non est alius Deus, esse Christum, clarissimè exponit Paulus ad Rom.14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim, Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Quintò præclarum etiam est illud Ps.101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* quæ verba dicta esse de Christo, quem Filium Dei vocat, clarissimè interpretatus est Paulus ad Hebræos 1. *Ad Filium autem dicit, Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; & omnes vt vestimentum veterascent; & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

(Marginalia: Chrysost. — Exodi 20. — S.Iudas. — Beda. — Ad Hebr.13. — Ioan.8.&17. — Isai.40. — Isai.45. — Ad Rom.14. — Ps.101. — Ad Hebr.1.)

PVNCTVM II.

Soluuntur hæreticorum argumenta contra diuinitatem Filij Dei.

SVMMA.

1 *An Christus vnquam dixerit se esse Deum. n.33.*
2 *Christum, & creaturas diuerso modo vocari Deum. num.34.*
3 *Obiicitur locus Ioannis 17. n.35. ad 38.*
4 *Obiicitur locus Lucæ 18. n.38.*
5 *Obiiciuntur sex loca de Christo Domino. num.39. ad 55.*
6 *Obiicitur locus Ioannis 5. num.53.54.*
7 *Obiicitur locus Apocalypsis 5. n.55.*

OBiiciunt primò infringendo authoritates, quibus Christus denominatus est Deus. ex duplici capite. Primò, quia nunquam ipsemet Christus se nominauit Deum. Secundò, quia Moses etiam vocatur Deus, Exodi 7. & aliæ etiam præcipuæ creaturæ vocantur Dij, Ps.81. & 1.ad Corinth.8. vt retuli suprà num.17. 33. *Prima obiectio.*

Respondeo ad primum, satis est, Christum fuisse nominatum Deum à Prophetis, Apostolis, & Euangelistis, vt superiùs ostensum est. Præterea ipsemet Christus, si non expressissimè, saltem non obscurè nominauit se Deum, & talem se esse probauit, & credi voluit. Enim verò Ioannis 10. interrogatus à Iudæis, *Si tu es Christus, dic nobis palàm*; ita respondit, vt Iudæi indubitanter intellexerint, illum respondisse, se esse verum Christum, & Deum; & propterea *sustulerint lapides, vt lapidarent eum*, & dixerint, *De bono opere non lapidamus te, sed quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.* In sua igitur responsione Christus primò nõ negat, se esse Christum; quod sanè negandum fuisset, si verè non esset, vt negauit Ioannes Baptista, qui Ioannis 1. Phariseis interrogantibus, *confessus est, quia non sum ego Christus.* Secundò reprehendit Iudæos, quòd non crederent, scilicet se esse Christum, & verum Deum. *Respõdit eis Iesus, Loquor vobis, & non creditis.* Tertiò perspicuè declarat, se esse præcipuum, & summum Pastorem omnium ouium prædestinatarum ad gloriam; quod est proprium Dei munus. *Oues meæ, inquit, vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quid clarius, & independentius dicere possit ipsemet Deus, non apparet. Quartò magis clarè diuinitatem suam aperuit, subdens, *Ego, & Pater vnum sumus.* Quintò ita arguit, *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dij estis. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Quæ consequentia, si rectè perpendatur vis argumenti à minori ad maius, euidenter ostendit, conclusionem non esse intelligendam de cõmuni sanctificatione per adoptionem, & accidentalem participationem diuinæ naturæ, quo modo sanctificantur etiam illi, de quibus dictum est, *Dij estis*; sed de alia singulari sanctificatione per vnionem hypostaticam cum persona Filij Dei Patris, & substantialem naturæ diuinæ participationem, ex qua necessariò deduci possit, eum, qui tali peculiari modo à Deo Patre sanctificatur, esse Filium Dei, & verum Deum, vt exponit Hilarius lib. 7. de Trinitate post medium. & clariùs Bellarminus lib.1. de Christo cap.6. §. *At obiiciunt.* Sextò arguit etiam ex

(Marginalia: *An Christus vnquam dixerit, se esse Deum.* — Ioan.10. — Ioan.1. — Ps.81. — Hilarius. — Bellarminus.)

operibus suis, demonstrantibus operantis diuinitatem. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* & infrà, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, Quia Pater in me est, & ego in Patre.* quod eamdem diuinam naturam in Patre & Filio manifestè significat. Præterea Ioannis 14. ipse etiam Christus dicit, *Creditis in Deum, & in me credite.* Quibus verbis, inquit Augustinus l.1. de Trinitate c.12. fine, *apertè dicit, vt sic in eum crederetur, quomodo in Patrem, cui est æqualis.* Quare sensum esse ait, *Sicut creditis in Deum, sic & in me; quia ego, & Pater, vnus Deus.* & tractatu 67. in Ioannem initio ita optimè discurrit, *Consequens est enim, vt si in Deum creditis, & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. creditis in Deum, & in eum credite, cui natura est non rapina, esse æqualem Deo: semetipsum enim exinaniuit, non tamen formam Dei amittens, sed formam serui accipiens.* Et paulò pòst idem Christus, *Si cognouissetis me, & Patrem vtique cognouissetis.* & iterum paucis interiectis, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* His verbis docet Hilarius 7. de Trinitate aliquanto post principium, *naturalem vnitatem monstrari. Per id, quòd in Filio Pater videtur, confirmatio diuinitatis est. Cognitio itaque alterius in altero est, quia non differt alter ab altero natura.* Alioquin, vt ratiocinatur Cyrillus lib.9. in Ioannem cap.37. circa principium, *Si natura separentur, & alienus naturaliter à Patre Filius est, quomodo qui natura Deus non est, Patrem qui natura Deus est, in se ipso nobis ostendit? Quomodo in re creata increatam conspicIemus? Quomodo in eo, qui aliquando non fuit, eum qui semper est, speculabimur?*

(Marginalia: Ioan.14. — Augustinus. — Hilarius. — Cyrillus.)

34. *Christum, & creaturas diuerso modo vocari Deum ex Irenæo, & Hilario.* Ad secundum sapientissimè respondent Irenæus l.3. aduersùs hæreses c.6. Hilarius l.7. de Trinitate multo post principium, Christum, & puras creaturas, non eodem modo vocari Deum. Christum vocari *definitiuè, & absolutè.* Alios *non in totum, sed cum aliquo additamento & significatione, per quam ostenduntur non esse Dij*, vt loquitur Irenæus. Siue, vt loquitur Hilarius, Christum Deum vocari, *nuncupatione simplici, absque vlla deputatæ, aut assumptæ nuncupationis.* Alios verò secundùm *deputatiuas, aut assumptiuas significationes.* quod in ipsa Scriptura demonstrant. Nam Moyses Exodi 7. dicitur, vt ait Irenæus in fine capitis citati, *Deus datus ante Pharaonem, non autem verè Dominus appellatur; nec Deus vocatur à Prophetis, sed fidelis Moyses, famulus & seruus Dei.* Similiter, inquit Hilarius, *Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud est, Deum dari, aliud est, Deum esse. In Pharaonem enim Deus datus est: cæterùm non ei est & natura, & nomen, vt Deus sit.* Item cùm dicitur Ps. 81. *Ego dixi, Dij estis*, inquit Hilarius, *in eo indulti nominis significatio est. Et vbi refertur, Ego dixi, loquentis est potius sermo, quàm rei. nomen intelligentiam rei affert: cæterùm voluntas appellationis ex alio est. & vbi se nuncupationis author ostendit, ibi per sermonem authoris est nuncupatio, non naturale nomen in genere. At verò cùm Ioan. 1. dicitur, Verbum Deus est, res existit in Verbo, Verbi res enunciatur in nomine.* Ita etiam ait Paulus 1.ad Corinth.8. *nam etsi sunt, qui dicantur Dij siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi)* sed manifestè significat, non esse veros Deos. Tum quia dicuntur, *Dij multi*; certum est autem, & passim in Scriptura legitur, verum Deum non esse nisi vnum. Vnde idem Paulus immediatè ante citata verba ait, *Nullus est Deus, nisi vnus.* Tum quia illud, *Sunt qui dicantur Dij*, clarè indicat, eos non verè esse, sed tantùm dici Deos. *non dixit*, inquit Ambrosius lib. 5. de Fide cap.2. paulò post principium, *sunt Dij, sed sunt qui dicantur*; quibus propterea idem Paulus immediatè post citata verba opponit verum Deum, & verum Dominum, dicens, *Nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Quod acutè adnotauit Irenæus suprà illis verbis, *Dixit enim, & separauit eos, qui dicuntur quidem, non sunt autem Dij, ab vno Deo Patre, ex quo omnia: & vnum Dominum Iesum Christum ex sua persona, firmissimè confessus est.* At verò Christus, seu Dei Verbum, seu Filius Dei, in Scriptura non solùm sæpissimè dicitur, esse Deus, absolutè, ac simpliciter sine vlla restrictione, diminuente veram diuinitatem, sed interdum nonnulla adduntur, veram diuinitatem demonstrantia: vt 1. Ioan.5. *verus Deus.* Ad Titum 2. *magnus Deus.* scilicet Filius, non Pater, vt ibi commentus est Erasmus. Dicitur enim *expectantes aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi:* vbi idem Christus est qui vocatur Deus magnus, & Saluator, neque enim expectamus gloriosum aduentum Patris, sed Christi, vt docet Paulus ad Philippenses 3. & tunc, inquit Matthæus c. 24. *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate.* Idem præterea dicitur ad Romanos 9. *super omnia Deus benedictus.* & Ioan. 1. ita dicitur, *Deus erat Verbum*, vt statim ad euidens veræ diuinitatis argumentum addatur, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* & Isaiæ 35. *Deus ipse.* & Ioan. 20. Apostolus Thomas per illam repetitam confessionem, *Dominus meus, & Deus meus*, apertè indicat, Christum esse verissimum Deum: & Christus ipse adiungens, *Quia vidisti me Thoma, credidisti*, demonstrat, & confessionem Thomæ fuisse non de humanitate, quæ videbatur, non credebatur, sed de vera occultáque diuinitate, quæ non videri, sed credi poterat: & per illud, *me*, confessionem illam fuisse de diuinitate ipsiusmet Christi, quem Thomas tangebat, & alloquebatur, non de diuinitate Patris, vt dicebat Theodorus Mopsuestenus hæreticus Nestorianus, cuius expositio sub anathemate damnatur in Quinta Synodo c.12. vt referunt Torres hîc disp. 1. parte 2. obiectione 9. Molina disputatione 3. §. *Ioannis* 20. & Valentia hîc puncto 1. §.11. testimonio 2. & manifestum est ex verbis præcedentibus, *Respondit Thomas, & dixit ei*, nempe Christo, qui Thomam immediatè antè alloquutus fuerat, *Dominus meus, & Deus meus.* Demum Baruch 3. ita sermo est de Christo, *qui in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, vt de eo non solùm dicatur, *Hic est Deus noster*, sed ad verissimam vnius Dei diuinitatem expressiùs declarandam addatur, *& non æstimabitur alius ad eum.* quem locum exponens Hilarius 5. de Trinitate circa finem piè atque eleganter ait, *Quid alium Deum in Dei Filio Deo hæreticè supponis? Disce vnum Deum verum intelligere, & confiteri. Non alius Deus ad Christum deputatur, vt Deus sit. Deus est ex natura, ex natiuitate, ex Deo. Quod enim Deus est, ex Deo est; non etiam Deus alius est: alius enim ad eum non deputatur.*

(Marginalia: Exodi 7. — Ps.81. — Ioan.1. — 1. ad Cor.8. — Ambrosius. — Irenæus. — 1.Ioan 5. — Ad Tit.2. — Ad Philip.3. — Matth.24. — Ad Rom.9. — Ioan.1. — Isai 35. — Ioan.20. — Torres. — Molina. — Valentia. — Baruch 3. — Hilarius.)

Obiicitur locus Ioan. 17.

Obiiciunt secundò illud Ioan.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi Christus apertè distinguit se à Patre: & Patrem vocat, *solum Deum verum.* Ergo negat, se esse Deum verum. Ita olim arguebant, teste 35. *Secunda obiectio Arianorum.*

Epiphanius. teste Epiphanio hæresi 69. multò post principium, *turbator Arius, eiusque sectatores:* qui, vt paulò pòst inquit Epiphanius, *exilium propter istam dictionem*, quam Arij *telum* vocat Nazianzenus oratione 4. de Theologia circa medium, &, vt ait Ambrosius l. 5. de Fide cap. 2. initio, *Ariani hîc præ cæteris vociferari solent, dicentes, separatum à solo & vero Deo Christum.*

Nazianzen. Ambrosius.

Expenitur locus Ioan. 17.

Responsio communissima Patrum, & Scholasticorum, & Interpretum est, per particulam, *solum*, ita includi Patrem, vt excludantur non Filius, & Spiritus sanctus, quia 1. Ioan. 5. *hi tres vnum sunt*, sed reliqua omnia, præsertim illa, quæ falsò dicuntur Dij, vt sunt idola & simulacra gentium. Vnde est generalis regula Augustini l. 1. de Trinitate cap. 8. ante finem, quòd cùm Scriptura ita loquitur de vna persona, ac si ipsa sola sufficeret, non excludantur reliquæ duæ, *& ideo*, inquit, *Spiritus sanctus solus sufficit ad beatitudinem nostram, quia separari à Patre & Filio non potest: sicut Pater solus sufficit, quia separari à Filio, & Spiritu sancto non potest: & Filius ideo sufficit solus, quia separari a Patre & Spiritu sancto non potest.* Hæc responsio facillimè intelligitur, si illud, *solum*, non teneat se ex parte subiecti, modificando illud, *te*, seu personam Patris, quam ibi Iesus alloquitur, vt certò constat ex verbis præcedentibus, *Iesus dixit, Pater venit hora, clarifica Filium tuum. cognoscant te, solum Deum verum*, &c. sed teneat se ex parte prædicati, modificando illud, *Deum*, quod non obscurè indicant omnes Codices, ponentes virgulam post *te*, non post *solum:* tunc enim sensus planus est, cognoscant te esse illum Deum, qui solus est verus Deus, & est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter quos quicquid aliud est, non est verus Deus, sed pura creatura. Ita intelligendum esse hunc locum docet S. Thomas 4. con. gentes c. 8.

Augustini regula generalis de Trinitate.

S. Thom.

Maldonatus.

circa principium; significatur, inquit S. Thomas, *quòd illa, quæ est vna sola vera Deitas, Patri conueniat.* & paulò pòst, *Non dixit Dominus, vt cognoscant te solum verum Deum, quasi solus ipse sit Deus; sed dixit, vt cognoscant te: & addidit, solum verum Deum: vt ostenderet, Patrem, cuius se filium protestabatur, esse Deum, in quo inuenitur illa, quæ sola est vera Diuinitas.* Quòd si dare velimus hæreticis, illud, *solum*, tenere se ex parte subiecti, & afficere illud, *te*, quam verborum constructionem ac dispositionem non possumus aliunde euidenter refellere, & sit sensus, quem Maldonatus ibi Bezæ tribuit, *vt cognoscant te solum esse verum Deum*, adhuc non cogimur asserere, Iesum Christum non esse verum Deum, vt idem S. Thomas suprà optimè notauit; tunc enim non haberetur simpliciter, & absolutè ista propositio, *solus Pater est verus Deus*, quæ

S. Thom.

etsi à S. Thoma infrà quæst. 31. art. 4. minus probetur, tamen in aliquo bono sensu defenditur iuxta doctrinam Augustini 6. de Trinitate cap. 7. & l. 3. contra Maximinum cap. 13. sed haberetur hæc alia propositio complexa, *vt cognoscant, te solum esse verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, quæ multò faciliùs accipere potest bonum sensum, non excludendo, sed potiùs includendo Iesum Christum in consortio veri Dei, quia propter illam particulam coniunctiuam, *&*, quod tributum fuerat Patri, nimirum, esse solum Deum verum, intelligi deinde potest tribui etiam Iesu Christo. Itaque secundùm Augustinum tractatu 105. in Ioannem post principium, quem iisdem verbis sequitur Beda in eundem locum, *Ordo verborum est, vt te, & quem misisti Iesum Christum, cognoscant solum verum Deum.*

Augustinus. Beda.

Chrysost.

Quod Chrysostomus hom. 39. in Ioannem, benè

1. ad Cor. 9.

probat ex alio simili loco 1. ad Corinth. 9. *An ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?* Vbi illud, *solus*, inquit Chrysostomus, *an Barnabam tollit? minimè. Solus enim ad aliorum ponitur differentiam.* Vnde hæc verba, *& quem misisti Iesum Christum*, exponens Athanasius disputatione contra Arium in Nicæno Concilio, paulo ante medium ait, *Atqui ista cum primis verbis per coniunctionem τὸ, &, cohærent; neque quæ sequuntur, inde dirimenda sunt: & constanter apud rectè sentientes in confesso est, ambas istas partes Dominica vocis inter se copulari debere.* & ideo paulo pòst ita explicat. *Illud igitur, & quem misisti Iesum, coniunctum est cum præcedenti membro, quasi diceret, te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum; vt cognoscant Filium tuum verum Deum, quemadmodum & te Patrem.* Clariùs vult dicere, sensum esse, vt te, &, quem misisti, Iesum Christum, cognoscant esse solum verum Deum. *Alioqui*, inquit Nazianzenus suprà, *si illud, cognoscant te solum verum Deum, Christo ex aduerso respondetur, & non potius communiter de Deitate diceretur, adiectum non esset, & quem misisti Iesum Christum.* Idem etiam obseruat Ambrosius suprà, illis verbis, *Ioannes scribendo, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, coniunctione illa Patrem vtique copulauit, & Filium, vt Christum verum Deum à maiestate Patris nemo secernat. nunquam enim coniunctio separat.* Item Cyrillus l. 10. Thesauri c. 6. circa principium, *Quod Saluator ait, vt te cognoscant verum solum Deum, non ne videtis, quòd statim coniungitur, & quem misisti Iesum Christum. Vt ergo verus Deus, Pater cognoscendus est, ita non aliter Iesus quoque Christus habendus est.*

Athanasius.

Nazianzen.

Ambrosius.

Cyrillus.

36. *Verus sensus probatur primò.*

Hunc sensum ex rebus ipsis probant Patres primò, quia Christus verbis citatis initio num. 31. dicens, vitam æternam consistere in cognitione Patris, & sui ipsius, æqualiter se cum Patre coniungit. Christus autem, vt arguit Athanasius serm. 4. contra Arianos aliquantò post principium, *si creatura esset, non ita coaptasset se, aut connumerasset cum suo creatore. quæ enim communio, aut societas vero, & non vero. Nunc autem qui se coaptat Patri, ostendit se naturæ Patris esse; dedítque nobis, vt illum cognosceremus esse veri Dei verum germen.* Eadem ratione arguit Cyrillus l. 10. Thesauri cap. 6. post med. *Si Filius non esset natura, verèque Deus, vt Pater, quomodo verè se coniunxit vero Deo, dicens, & quem misisti Iesum Christum? non enim potest simul cum naturæ creata res increata cognosci, nec vnquam cum creaturis connumerabitur. nulli enim præterquam Filio certè dabitis, quòd possit dicere, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Secundò generaliter, quia omnis perfectio absoluta, etiam si tribuatur soli Patri, vel soli Filio, vel soli Spiritui sancto, non potest excludere reliquas duas personas diuinas; quæ, ex eo quòd sint vnus ac simplicissimus Deus, id habent proprij, vt vnaquæque in alia sit, dicente Domino Ioan. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Ergo cùm agitur de prædicato absoluto, attributo vel Patri, vel Filio, vel Spiritui sancto, particula, *solus*, non potest excludere alias duas personas, quæ in singulis sunt, sed excludet tantùm reliqua omnia, quæ extra singulas & omnes diuinas personas sunt, & ab ipsis omnino distinguuntur. Vnde optimè Torres hîc disp. 1. part. 3. ad 2. sumpsit tanquam regulam vniuersalem, *Quòd in propositione enunciante de diuinis personis, in qua prædicatum est essentiale, dictio exclusiua significat alterius naturæ à diuina exclusionem, & non personæ.* Enim verò, inquit Athanasius epistola ad Serapionem Episcopum, post medium. *Cùm talis sit coniugatio, &*

Athanasius.

Probatur secundò.

Torres.

Athanasius.

& vnitas in Trinitate, quis nam segregauerit aut Filium à Patre, aut Spiritum à Filio? Aut quis ita temerarius erit, vt dicat, inaqualem in se, & diuersæ naturæ Trinitatem esse? Aut alterius essentiæ Patrem, quàm Filium? aut alienigenum esse Spiritum sanctum à Filio? Sicut enim Pater non potest esse, &concipi verus Deus sine suo Verbo, & Spiritu, vt ibidem Athanasius non semel docet; ita cùm dicitur, solus Pater esse verus Deus, non potest excludi Verbum, aut Spiritus sanctus.

S. Thomas.

Nam, vt arguit S. Thomas 4. con. gentes c. 8. aliquanto post principium, *quia Pater, & Filius sunt vnus Deus, quicquid ratione diuinitatis de Patre dicitur, idem est ac si de Filio diceretur, & è conuerso.*

Probatur tertiò. Nazianzenus.

Tertiò ex Nazianzeno suprà, cùm dicitur solus Pater, Deus verus, non potest excludi veritas, quæ Ioan. 14. Christus est: *Si enim hoc, solum verum, in Patre colloces, vbi tum pones ipsam veritatem?* quemadmodum, inquit, cùm

Ad Rom. 16. 1. ad Tim. 6.

dicitur ad Rom. 16. *Soli sapienti Deo per Iesum Christum*, & 1. ad Timoth. 6. Pater dicitur, *solus potens, & Dominus dominantium*, non potest excludi Filius, &

1. ad Cor. 1. & 8.

Christus, quem Paulus 1. ad Cor. 1. docet esse, *Dei virtutem, & Dei sapientiam*, & c. 8. *vnum Dominum.* & sæpe Ioannes locis citatis suprà n. 31. *Dominum omnipotentem, Dominum dominantium, Regem regum.*

Augustinus.

Quamquam de illo loco 1. ad Timoth. 6. docet Augustinus 1. de Trinitate c. 6. paulò post principium, *Non tantummodo de Patre dixisse Apostolum Paulum, qui solus habet immortalitatem; sed de vno, & solo Deo, quod est ipsa Trinitas.* & sequitur S. Thomas 4. cont. gentes c. 8. aliquantò post principium, dicens, *Non enim in his verbis, Pater nominatur, sed id quod est commune Patri & Filio.*

S. Thomas.

Nec obstat, inquit S. Thomas, quòd ille solus potens dicatur ostensurus Iesum Christum, *nam & Filius se ipsum ostendit. Ioan. 14. Manifestabo ei me ipsum. Vnde & ei dicimus, Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Esto autem de Patre sint ea verba accipienda, inquit Augustinus suprà, *Nec sic inde separatum Filium oporteret intelligi:* vt modò

Ioan. 14.

probamus. Quartò ex Cyrillo l. 11. in Ioannem c. 16.

Probatur quartò. Cyrillus.

circa principium, quia Christus ibi ita vocat Patrem solum Deum, vt expressè asserat, se esse illius Filium: & consequenter eamdem Dei Patris diuinam naturam communicatam in se habere. *Non enim*, inquit Cyrillus, *aliter rectè Pater cognoscitur, quàm si Filius quoque vnà cognoscatur. Cùm igitur solum Patrem, Deum verum appellauerit, ab hac gloria se ipsum non separauit: in Patre enim est, & ex Patre. Quare verus, & secundùm naturam Deus, & solus in solo est: nullus enim Deus verus est, præter Trinitatem, cùm Dij gentium, dæmonia sint, cùm creatura omnis seruituti subiiciatur.* Quòd si Pater, &

Augustinus.

Filius sunt solus verus Deus, *consequenter*, inquit Augustinus suprà, *Spiritus sanctus intelligitur: quia Spiritus est Patris, & Filij, tamquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum*, vt loquitur etiam Beda ibidem.

Beda.

Probatur quintò.

Quintò ex Ambrosio suprà ita de cognitione Iesu Christi, sicut de cognitione Patris dicitur, *Hæc est vita æterna:* quæ, vt probatur initio 1. 2. non est nisi circa increatum, & summum bonum veri Dei. *Hoc*, inquit Ambrosius, *magis ad vnitatem, quàm ad distantiam diuinæ profecit potestatis, quòd idem præmium, vnum honorem nobis dat Patris, Filiique cognitio: quoniam mercedem habere non poterit, nisi qui & Patrem cognouerit, & Filium. Sicut enim Patris, ita Filij cognitio vitam requirit æternam.* & clariùs Basilius 4. contra Eunomium circa principium. *Si cognitio Patris & Filij, vita æterna est, necesse est eiusdem Patrem & Filium esse substantiæ. Quæ enim diuersæ substantiæ sunt, vna cognitione non comprehenduntur, nec similiter viuificare possunt.*

Ambrosius.

Basilius.

37. *Probatur sextò.*

Sextò plerique arguunt à contrario, quia aliquando solus Filius dicitur verus Deus, & tamen nemo, ne Arianus quidem à diuinitate Patrè separat; quia scilicet, Pater in Filio est, cui diuinam suam naturam communicat. Ergo nec à diuinitate separandus est Filius, cùm solus Pater dicitur verus Deus: quia pariter, Filius ex Patre, & in Patre est. Antecedens probant ex illo Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hoc*, inquit Nazianzenus

Baruch 3.

Nazianzenus.

oratione 4. de Theologia paulò post medium, *non de Patre, sed Filio dici, ipsum illud quod adiicitur, satis indicat*, nempe, *qui in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Filius enim est, & non Pater, subdit Nazianzenus, *qui corporaliter nobiscum consuetudinem habuit; quique cum his, qui infernè degunt, vixit.* Hinc ita à

Basilius.

pari bene concludit Basilius suprà circa finem libri. *Nec igitur propter illud, non reputabitur alius præter ipsum, maiorem Patre Filium intelligendum. Nec solum verum Deum esse Patrem. Verum vtraque à falsò dictos, nec existentes*, hoc est, vterque locus separat à diuinitate eos qui falsò dicuntur dij, & non existunt. Quâ

Deuter. 32.

separationem statim benè probat Basilius ex illo Deuteronomij 32. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Præterea de eodem Filio, vt probatur suprà n. 28. dicitur Isaiæ 45. *Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus.* Quod absque

Isai. 45.

præiudicio diuinitatis Patris, & Spiritus sancti dictum esse, diserè docuit Fulgentius loco, & verbis

Fulgentius.

Ambrosius.

ibidem citatis. Probat quoque Ambrosius l. 1. de Fide c. 2. ante medium ex illo Iob 9. *Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.* Quod de Filio intelligendum esse probat, *Namque Euangelium Domini docuit nos, quòd in mari non Pater, sed Filius ambulauit, quando Petrus rogauit eum, dicens, Domine iube me venire ad te.* Quod si illud, *Qui extendit cœlos solus*, in-

Iob 9.

Matth. 14.

telligatur cum Cyrillo l. 10. Thesauri c. 6. circa finem de Patre; per illud, *solus*, probat adhuc Ambrosius, *nequaquam esse à Patre Filium separandum. Ipse enim Filius, qui sapientia Dei est, dixit, Quando parabat cœlos, cum ipso aderam. & Paulus de Filio dictum esse confirmat, initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cœli.* &, vt ait Cyrillus, *Aperte de Filio quoque legitur, Verbo Domini cœli firmati sunt. Si ergo*, inquit, *quamuis Pater dicat, se solum cœlos fecisse; Filius tamen etiam fecisse inuenitur, perspicuum est, quia quando etiam solus Pater, verus Deus appellatur, vnà cum eo semper Filium intelligi necesse est.* Arguit postea Ambrosius in hunc alium modum. *Si cum solum verum Deum Patrem legunt, Filium cupiunt separare, ergo cùm de Filij incarnatione legunt, non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oportet vos saluos fieri, Patrem existimant ab impertienda nobis salutis beneficio separandum. Sed neque sine Patre salus, neque vita æterna sine Filio.* Sicut etiam Apocal. 15. de Agno & Filio Dei dicitur, *Solus pius es:* & tamen Patris pietatem negare

Prouerb. 8.

Ad Hebr. 1.

Ps. 32.

Ambrosius.

Actor. 4.

Apocal. 15.

nemo audet. &, vt arguit Augustinus l. 3. contra Maximinum c. 13. initio. *Non quia in Apocalypsi c. 19. de Filio legitur, Habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse; ideo Pater nescit hoc nomẽ, à quo est inseparabilis Filius. Sicut ergo scit & Pater, quod nemo scire dictus est nisi Filius, quia inseparabiles sunt; sic etiã*, &c. &, vt S. Thomas suprà, & alij multi arguunt cùm dicitur Matth. 11. *Neque Patrem quis nouit nisi Filius*, à cognitione Patris excludi non possunt Spiritus sanctus, & ipsemet Pater. Denique idem Ambrosius in fine capitis, & ante ipsum Origenes in epistolam ad Romanos l. 8. c. 9. aliquantò post principium optimè vrgent illud 1. ad Corinth. 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Vbi, inquit Origenes, *sicut Dominum Iesum Christum, non ita vnum esse Dominum dixit, vt ex hoc Deus Pater non Dominus dicatur: ita, & Deum Patrem non dixit ita esse vnum Deum, vt Deus Filius non credatur. Vera est enim Scriptura, quæ dicit, Scito te quoniam Dominus ipse est Deus.* Eodem ferè modo argumentatur

Apocal. 19.

Matth. 11.

Origenes.

1. ad Cor. 8.

Ambrosius. Ambrosius dicens, *Quemadmodum cùm legimus, Dominum Iesum, nec Patrem à dominationis iure secernimus, quod ei commune cum Filio est; ita cùm legimus solum verum Deum Patrem, nec Filium à solius veri Dei iure possumus separare, quod ei commune cum Patre est.*

Obijcitur locus Lucæ 18.

38. *Tertia obiectio.* Obiicitur tertiò, teste Nazianzeno oratione 4. de Theologia circa medium. Epiphanio hæresi 69. aliquanto post principium, & rursus post medium illud Lucæ 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Quæ verba multò minus vrgent, quia non cogimur ea intelligere de solo Deo Patre, sicut alia, de quibus diximus; sed exponi facilè possunt de vno Deo subsistenti in tribus personis, & de bono simpliciter & per essentiam, vt suprà quæst. 6. art. 3. *Falleris sanè,* inquit Augustinus l. 3. contra Maximinum cap. 23. post medium, *qui putas de Patre solo esse dictum, nemo bonus nisi unus Deus, quod est ipsa Trinitas.* In qua acceptione nō excluditur Christus vt Deus, sed vt homo, seu ratione humanitatis. Quam solā exclusionē manifestè intendere videtur Christus ibi, quia ea verba protulit occasione illius, qui eum, non tamquam Deum, sed tamquam hominem, & Rabbinum quemdam vocauerat, *Magister bone, quid faciens vitam æternam possideho?* Hanc expositionem acutè tradidit Athanasius Dialogo 1. de S. Trinit. cum Anomæo Arianista, ante medium, illis verbis, *Non dixit, Ne me bonum dicito, quod bonitatem tollit; sed, Quid me dicis bonum? quod perinde est atque, Quorsum me dicis bonum, nec me confiteris, Deum esse? vt & illud, Quid me compellatis, Domine, Domine, nec facitis quæ dico? Quoniam igitur ille, Doctorem eum nominans, ad ipsum accesserat, vt ad eum, qui nihil aliud quàm homo esset, propterea inquit, Quid me bonum dicis? non credens, quod sim Deus? nullus enim bonus nisi vnus, nempe Deus.* Vbi spectari Dei vnitatem, non personarum diuersitatem, clariùs expressit Matthæus cap. 19. idem referens his aliis verbis, *Vnus est bonus Deus.* Eumdem sensum tradunt Chrysostomus hom. 64. in Matthæum circa principium. Hieronymus in eadem Matthæi verba. Nazianzenus, & Epiphanius suprà. Cyrillus l. 2. Thesauri cap. 1. optimè Augustinus suprà. Ambrosius l. 2. de Fide, cap. 1. per totum, vbi inter alia ad rem nostram ait, *Circumspectionē cœlesti non dixit, Nemo bonus, nisi vnus Pater, sed, Nemo bonus nisi vnus Deus. Quod nequaquam Deitatem Trinitatis excludit, & ideo natura laudatur. Bonitas ergo in natura est Dei: & in natura Dei, etiam Dei Filius. Et ideo non quod singularitatis, sed quod Trinitatis est, prædicatur.* Noluisse autem Christum excludere à se ipso bonitatem, confirmat ex eo quòd aliis locis ipsemet se bonum vocat, vt Ioannis 10. *Ego sum Pastor bonus.* Matth. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* & si Christus est *vnus Dominus*, 1. ad Cor. 8. & *Dominus Dominorum, & Dominus dominantium,* Apocal. 17. 19. de Christo intelligi debet illud Psalm. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Præterea eleganter inquit Ambrosius, *Si fortasse non credas aliis, non credas Filio, audi Patrem dicentem, Eructauit cor meum Verbum bonum. Bonum ergo verbum est Verbum, de quo scriptum est, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ergo si Verbum bonum est; Filius autem Dei, Verbum est; bonus utique Deus est Dei Filius, etiamsi non placeat Arianis.* Demum Sapien. 7. de diuina sapientia genita, quam Dei Filium vocamus, dicitur, *Candor est lucis æternæ; & speculum, sine macula, Dei maiestatis; & imago bonitatis illius.* Arguit quoque Augustinus suprà, quòd & *si dixisset, Nemo bonus nisi vnus Pater; nec sic excluſum Filium, & Spiritum sanctum ab ista vnitate bonitatis voluisset intelligi: quia & illud, quod simili locutione dictum est, ea quæ Dei sunt nemo scit nisi Spiritus Dei, non excludit ab hac scientia Filium Dei.*

1. ad Cor. 2.

Obijciuntur sex loca de Christo Domino.

39. *Primus locus Ioan. 20.* Obiiciunt quartò multa Scripturæ loca, in quibus aliquid Christo tribuitur, quod Deo conuenire nō potest. Primò illud Ioan. 20. quo, inquit Hilarius l. 11. de Trinitate non multò post principium. *Inter cæteras impietates suas, etiam vti hæretici solent:* inter quos Eunomius refertur à Cyrillo l. 2. Thesauri, cap. 2. initio. & Arius à Hieronymo in expositione Psalmi 44. ad Principium Virginem, post medium. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Neque enim Deus ascendit, & multò minus ascendit ad Deum. & si tam respectu Christi, quàm respectu aliorum, idem est communis Pater ac Deus, sicut alij non habent in se naturam diuinam, ita nec Christus. Secundò illud Matth. 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quod etiam Eunomio tribuit Cyrillus suprà. Tertiò illud Matth. 20. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* Vnde Ariani, vt testatur Epiphanius hæresi 69. multò post medium, *Vides, inquiunt, quomodo non habet potestatem, frater Patrem, qui habet potestatem, vt exhibeat quod velit?* idémque testantur Cyrillus l. 10. Thesauri cap. 5. initio, & alij. Quartò illud Marci 13. *De die illo nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Quibus verbis, inquit Ambrosius l. 5. de fide c. 8. circa principium, *quotidie perstrepunt Ariani, scientiam omnem in Christo esse non posse.* &, teste Hieronymo Matth. 24. in hæc verba, *Gaudet Arius & Eunomius, & dicunt, non potest æqualis esse, qui nouit, & qui ignorat.* &, vt ait Athanasius serm. 4. contra Arianos circa medium, *Magnam existimant se in eo dicto habere suæ hæreseos causam.* Quintò illud Ioan. 14. *Pater maior me est. De quo,* inquit Ambrosius l. 2. de Fide c. 4. initio, *calumniari solent,* nempe Ariani: & quod, vt ait Hilarius 9. de Trinitate multò post medium, *hæretici ad naturæ contumeliam sumunt.* Sextò illud 1. ad Corinth. 15. quod etiam, vt Arianorum argumentum referunt Hilarius suprà, & Hieronymus in hæc verba, *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* quem locum, vt ait Theodoretus in ea verba, *ij qui cum Ario & Eunomio sentiunt, in lingua assiduè habere consueuerunt.* & pleraque alia eiusdem generis.

Primus locus Ioan. 20. Hilarius. Cyrillus. Hieronym. *Secūdus locus Matth. 27.* *Tertius locus Matth. 20.* Epiphanius. Cyrillus. *Quartus locus Marci 13.* Ambrosius. Hieronym. Athanasius. *Quintus locus Ioan. 14.* Ambrosius. Hilarius. *Sextus locus 1. Cor. 15.* Theodoret.

Respondetur in generali, &c.

Respondeo, his probari quidem, quòd omnes credimus, Christum esse hominem; non tamen probari, Christum non esse Deum. enim verò Christus, vt probatur in materia de Incarnatione, & Deus & homo est: & ideo quamplurima scripta sunt de eo ratione humanæ naturæ, ratione cuius dixit Propheta Psalm. 8. & de Iesu interpretatur Paulus ad Hebræos 2. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Quod dictum est, inquit Athanasius Dialogo 2. de S. Trinitate contra Anomæos, aliquanto post principium, *propter hominis assumptionem.* Alioqui idem Paulus paulò antè in cap. 1. de eodem, ratione alterius naturæ diuinæ, contrarium docuerat illis verbis, *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* & quidem Ariani, vt in sermone 4. contra ipsos ante medium fusè arguit Athanasius, si ex eo quòd ea, quæ carnis sunt, de Christo referunt, inferunt, eum non esse Deum, videntur iudaizare, & negare, illum hominem, qui est Christus, esse etiam Deum, & cum Caipha, & Iudæis dicere Matth. 26. & Ioan. 10. esse blasphemiam,

Psalm. 8. Ad Hebr. 2. Athanasius. Ad Hebr. 1.

Cyrillus. miam, facere Deum Christum, cùm homo sit. Christus igitur in Euangelio, vt generaliter aduertit Cyrillus l. 9. Thesauri cap. 4. circa medium, *aliquando vt Deus, aliquando vt homo loquitur, vt & Deum, & hominem se verum ostenderet.* &, vt ait Chrysostomus homilia 39 in primam epistolam ad Corinth. ante medium, *Nisi hæc diuidamus, vehementer dicta Scripturarum inter se discrepabunt.* Verùm, vt ait Augustinus l. 1. de Trinitate cap. 11. initio, *Cognita ista regula intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, vt distinguamus quid in eis sonet secundùm formam Dei in qua æqualis est Patri, & quid secundùm formam serui, quam accepit, in qua minor est Patre, non conturbabimur, tanquam contrarijs ac repugnantibus inter se sanctorum librorum sententijs.* Igitur, vt benè monet Athanasius epistola citata suprà num. 9. *Oportet diligenter examinare, & distinguere, quando de diuinitate Verbi mentio fiat, & quando de illius humanis negotijs; ne alia pro alijs sentientes, offendamus itidem, vt Ariani.*

Chrysost. Augustinus. Athanasius.

Respondetur ad primum locum Ioan. 20.

40. Hilarius. Itaque in particulari ad primum locum, respondeo cum Hilario l. 11. de Trinitate multò ante medium. *Cùm hæc ad homines seruos, homo in serui forma Iesus Christus loquatur, non ambigitur, quin Pater sibi, vt cæteris sit ex ea parte, qua homo est; & Deus sibi, vt cunctis sit, ex ea natura, qua seruus est.* Quòd autem Christus loquatur vt homo, & seruus, non vt Deus, bene probat Hilarius ex verbis antecedentibus. *Vade,* inquit Christus ad Magdalenam, *ad fratres meos, & dic eis, Ascendo,* &c. Sed, inquit Hilarius, *fratres ex carne sunt Deo, quia & Verbum caro factum est; & habituit in nobis: cæterum Vnigenitus Deus in Vnigeniti exceptione sine fratribus est.* ergo Christus loquitur *non secundùm formam Dei, sed secundùm formam serui.* quia secundùm hanc, non secundùm illam fratres habet. Cyrillus l. 5. Thesauri cap. 5. ante medium similiter ait, *Ipse humanæ naturæ seruitutem assumit, & Patrem suum, Deum suum vt homo appellat.* Idem eruditè probat Epiphanius hæresi 69. circa medium. *Quoniam nusquam dixit diuina Scriptura sermonem hunc ante aduentum in carne. Quando verò accepit nostrum corpus, & in terra conspectus est, & inter homines conuersatus est, & inter nos reputatus, tunc ad discipulos suos, quibus per omnia assimilari debebat, excepto peccato, dixit, Deum meum, & Deum vestrum, Patrem meum, & Patrem vestrum. Patrem quidem meum secundùm naturam in Deitate; & Patrem vestrum per gratiam, per me, in adoptione. Deum autem meum, quoniam carnem vestram assumpsi; & Deum vestrum secundùm naturam & veritatem.* Et Hieronymus suprà cùm multa alia dicta in Euangelio retulisset, quæ manifestè conueniunt Christo vt homini, subdit, *Miror cur solum Deum Dei ad calumniam vocet,* nempe Arius: *quasi vniuersa, quæ dicta sunt, Diuinitati Verbi, & non humilitati Hominis conueniant.* Optimè, & clarissimè Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11. post medium, *Vt non existimes, eodem modo esse Filij, & creaturarum Patrem, distinxit in sequentibus: non enim dixit, Ascendo ad Patrem nostrum, ne esset communio creaturarum cum Vnigenito: sed, Ad Patrem, inquit meum, & ad Patrem vestrum. Aliter meum per naturam, aliter vestrum per adoptionem. Et rursus, Ad Deum meum, & ad Deum vestrum: aliter meum, tamquam proprij, & vnigeniti Filij; & aliter vestrum, tamquam creaturarum.*

Ioan. 1. Hieronym. Cyrillus Hierosolymitanus.

Respondetur ad secundum locum Matth. 27.

41. Ad secundum locum, cùm legimus Christum conqueri, dolere, timere, lacrymari, & similia, monendum vniuersaliter cum Athanasio sermone 4. contra Arianos circa medium, *ne quis hominum scandalizetur, sed potiùs cognoscat, Verbum ipsum ex natura sua impatibile esse; sed tamen ob carnem, quam induit, ista de eo prædicari; quia & illa propria sunt carnis, & caro illa proprium est corpus Saluatoris,* &, vt paulò antè dixerat, *quia caro illa erat corpus Dei.* & post multa docet Christum dixisse, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti,* &, *Transeat à me calix iste,* non quia, *homo meruis est qui ista loquitur;* sed quia, *Verbum vt in carne.* & paulo pòst, *Ista quæ exprobratis non propria sunt naturæ Verbi, in quantum Verbum est; sed eatenus eius sunt, quatenus Verbum in carne erat, quæ istiusmodi affectus patiebatur.* Quamquam, etiam in carne, multa dixit, & fecit, quæ certò demonstrabant illum esse Deum, & latè commemorantur ibi ab Athanasio. Eadem verba exponens Nazianzenus oratione 4. de Theologia aliquanto post principium ait, *Neque enim ipse erat desertus, nec a Patre, nec à sua ipsius Deitate velut cruciatum extimescente, ac ob id ab ea parte, quæ pateretur, retrocedente. Alioqui quis eum vel principio hic nasci, vel postea in crucem ostendere coëgit? sed nostram personam gessit.* hoc est, in sua mortali carne verè passus est, tamen non pro se, sed pro nobis, vt scilicet nos redimeret, & exemplo suo ad virtutes prouocaret. *Eodem sensu,* inquit Nazianzenus, *dictum est, eum ex his, quæ passus est, obedientiam didicisse. Nam qua parte est Verbum, nec obediens, nec inobediens erat. At quatenus serui forma est, seruis ac conseruis se se accommodat, & alienæ formæ conformat.*

Athanasius. Nazianzen. *Exponitur locus Hebr. 5.*

Respondetur ad tertium locum Matth. 20.

42. Ad tertium locum benè respondet Epiphanius ibi citatus, dici, *Non est meum dare,* non ex defectu potestatis Filij, cùm de illo dictum sit Ioan 5. *Quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat.* & cap. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* & cap. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* & cap. 16 *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* & Lucæ 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. In omnibus autem,* inquit Cyrillus suprà, *gratia etiam hæc continetur.* & Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Sed, inquit Epiphanius, & notant etiam Hieronymus in hunc locum, Chrysostomus, Augustinus, Remigius, Cyrillus, Ambrosius, Thomas infrà citandi, *hoc vult ostendere diuinus ipsius ac sapiens sermo, quòd non iuxta personarum acceptionem res ipsa fit, sed pro dignitate. Domini equidem est exhibere, exhibet autem vnicuique pro dignitate. Vnusquisque verò qui operatus est iustitiam, accepit iuxta proprium laborem. & non amplius ipsius solum est dare, sed eius, qui se ipsum dignum facit.* & sanè qui dicit, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre,* clarè dixit, *Meum est dare, quibus paratum est à Patre.* ergo his verbis arguitur in Filio potentia dandi potius quàm impotentia, iuxta illud Matthæi 16. *Tibi dabo claues Regni cælorum.* & 2. ad Timotheum 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* Quæ duo loca ad hoc confirmandum attulit Chrysostomus in homilia 66. in Matthæum. Item iuxta illud Ioannis 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* & Lucæ 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum; vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël.* & cap. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego vitam æternam do eis.* Quòd autem dicat,

Epiphanius. Ioan. 5. Ioan. 3. 13. 16. Lucæ 10. Cyrillus. Matth. 28. Epiphanius. Matth. 16. 2. ad Timoth. 4. Chrysost. Ioan. 5. Luc. 22. Luc. 10.

dicat, *Non est meum dare vobis*, nimirum, non simpliciter, sed *sine meritis*, vt exponit ibi S. Thomas;
S.Thomas.
vel quià *coniuncti mihi estis secundùm carnem*, vt ait S. Augustinus apud S. Thomam ibidem;
Augustinus.
vel *superbis talibus, quales vos estis*, vt ait Remigius apud S. Thomam in Catena, super hæc verba;
Remigius.
vel *quia mei discipuli estis*, vt ait Chrysostomus suprà; nihil præiudicare debet Filio, quia ne ipsius quidem Patris est dare aliis, quàm merentibus, quibus ab ipsomet paratum est, ex libera sua prouidentia, & prædestinatione. Quare illud, *Non est meum*, inquit Cyrillus l.10. Thesauri cap.5. post principium, *non potestatem negat, sed dispensationem ostendit.* Itaque sensus est, non est meæ iustæ voluntatis dare, nisi ex merito. Vos autem, inquit Cyrillus post medium capitis citati, *iniustam petitis gratiam, quam me non decet vobis largiri; iustus enim sum iudex, & honores singulis, quos per gratiam affero, quasi debitos laboribus, virtutibúsque distribuo.*
Cyrillus.

43. Chrysost. Notat Chrysostomus suprà, quod Christus *idcirco non dixit, Non est meum dare, sed Patris mei; ne quis infirmum atque impotentem ad hanc ipsum fore retributionem opinetur.* & Author Imperfecti, qui homilia 35. eo modo exposuit, dicitur à Maldonato in cap.20. Matth.num.23. circa finem, *suspectus hæresis Arianæ.*
Author Imperfecti. Maldonatus.
Sic enim nimis clarè affirmaretur aliqua potestas de Patre, & negaretur de Filio. Quamquam ne tunc quidem Ariani ex hoc loco pro suo errore colligere possent aliquid firmi: quia illud, *Non est meum*, intelligi facilè potest dictum à Christo vt homine, non vt Deo. Quod bene probat Ambrosius l.5. de Fide, cap.3. aliquanto ante finem, *Quia illa*, nempe mater filiorum Zebedæi, *quasi hominem rogauerat, & Dominus quasi tantummodo homo de sua passione respondit, Potestis bibere calicem, quem ego biburus sum? Itaque demonstrare voluit, quòd secundùm humanam conditionem, sedis supernæ consortia non donaret. Hoc est enim, quod dixit, Non est meum. Sicut alibi, Mea doctrina non est mea; non est enim, inquit, secundùm carnem mea.*
Ambrosius. Ioan.7.
Eadem verba etiam Augustinus l.1. de Trinitate cap 12. ante medium dicta esse ait, *secundùm formam serui, vt ita intelligeremus, Non est meum dare vobis, ac si diceretur, Non est humanæ potestatis hoc dare.*
Augustinus.
Idem significat Cyrillus suprà, dicens, *Nemo suspicari debet, ideo à Patre honores præparatos dici, quia ipse præstare non possit: sed propter dispensationem incarnationis, sicut ab homine dicitur.*
Cyrillus.
Idque sequutus est Thomas 4. contra gentes cap.8 post medium, *Non enim*, inquit, *hoc dare ad eum pertinebat secundùm quod erat filius Virginis, sed secundùm quòd erat filius Dei.*
Thomas.

44. Ambrosius. Notat præterea Ambrosius suprà, quòd Christus *non dixit, Non est meum dare; sed, Non est meum dare vobis: hoc est, non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis.* Verùm illud, *vobis*, vt obseruauit etiam Maldonatus suprà, in plerisque Græcis codicibus non legitur, nec in aliquo Græco authore antiquo. Sed nihil refert, nam etsi non ponatur, tamen absque dubio subintelligi debet, vt manifestum est ex contextu: & ideo ad maiorem sententiæ claritatem Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, cæteríque Latini interpretes expresserunt. Vnde Chrysostomus, Cyrillus, aliique Græci Patres, etsi non in textu, tamen in textus expositione idem declararunt. & Augustinus l.1. de Trinitate cap.12. eadem verba sæpe repetens, quamuis ferè semper apponat pronomen *vobis*, tamen illud aliquando omittit.
Augustinus.
Verè igitur ex hac voce, siue omissa, siue expressa, nihil solidi colligi potest vel pro Arianis, vel pro Catholicis. Denique ne per illud quidem, *sed quibus paratum est à Patre meo*, fit comparatio inter Patrem, qui dare possit, vel parauerit, & Filium, qui dare nonpossit, vel non parauerit; sed semper comparatio fit inter personas, quibus cæleste Regnum datur, & paratum est, & quibus non datur, nec est paratum. Parare autem, quod hoc loco nihil est aliud quàm prædestinare, ita tribuitur Patri, vt non negetur Filio. Id verò Christus tribuit Patri, non sibi, vel primò ad magis ostendendam grauitatem rei, quæ petebatur: vel secundò ad suauiùs negandum quod petebatur; quas duas causas attulit Ambrosius suprà illis verbis, *Volens enim ostendere, quòd non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam quam impetrare non possent, prærogatiuam eis paternæ honorificentiæ reseruauit; non metuens ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Simul noluit his, quos diligeret, videri quod peterent denegasse sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere. Charitas enim benigna est, non inflatur, non quærit quæ sua sunt.*
Ambrosius. Ad Philip. 2. 1. ad Cor.13.
Vel tertiò id à Christo non sicut à Deo, sed, vt interpretatur Cyrillus suprà, *sicut ab homine dicitur: solet enim omnia, quæ naturam hominis excedunt, Patri, vt Deo, attribuere. nam cùm ipse quoque Deus secundùm naturam sit, & vnum atque idem cum Patre, omnia profectò poterit sicut Deus.* Vel quartò, quia, vt doctissimè ratiocinatur Augustinus suprà, *In hac Trinitate, etiam de singulis dicitur, quod omnium est, propter inseparabilem operationem vnius eiusdémque substantiæ.* & ideo inquit, *quod paratum est à Patre eius, & ab ipso Filio paratum est, quia ipse & Pater vnum sunt. Cum Patre se intelligi voluit, parare sedes quibus vellet.*
Augustinus. Ioan.10.
Quod efficaciter confirmat ex eo quòd Ioannis 16. Christus dicat, *Mittam eum ad vos.* & Ioannis 14. *quem mittet Pater.* ergo sicut cùm de solo Filio dicitur mittere Spiritum sanctum, non excluditur Pater; & cùm idem dicitur de solo Patre, non excluditur Filius; ita cùm parare, seu prædestinare dicitur hîc de solo Patre, intelligi non debet exclusus Filius.
Ioan.16.14.
Vel quintò per appropriationem, hoc est, non ratione naturæ communis tribus personis, sed ratione propriæ personæ Patris: sicut enim sapientia Filio, gratia & dona Spiritui sancto tribuuntur, ita tribuitur Patri potentia, & prouidentia: prædestinatio autem ex S.Thoma suprà quæst.23. art.1. fin.corp. *est quædam pars prouidentiæ.* ergo per appropriationem tribui debet soli Patri, licèt per naturam sit etiam Filio & Spiritui sancto communis.
Cur prædestinatio tribuatur soli Patri.

Respondetur ad quartum locum Marc.13. & Matth.24.

Ad quartum locum de ignorantia diei iudicij, quamplurimæ sunt, ac diuersæ Patrum, & Scholasticorum responsiones, quæ legi possunt apud Interpretes, tum Marci 13. tum Matth. 24. vbi eadem ferè verba habentur. 45.
Posito autem quòd Christus non solùm vt Deus per increatam, atque omnino infinitam sapientiam, sed etiam vt homo per scientiam creatam beatæ visionis, & per scientiam infusam semper ab instanti suæ conceptionis prædictum diem cognouerit, quod hoc loco ex tertia parte de scientia Christi supponendum est tamquam valdè certum, interpretatio omnium probabilissima mihi visa semper est illa, qua duo dicuntur, alterum, non dici de Christo tamquam Deo, sed solùm tamquam homine, nescire diem iudicij.
Quomodo dicatur Christus nescire diem iudicij.
Nónne, inquit Nazianzenus, *manifestum est, quòd nouit quidem vt Deus, ignorare autem se dicit vt homo?* nam, vt ad idem propositum docuit Cyrillus lib.9. Thesauri cap.4. circa principium, *inconueniens est, deitati suæ accommodare illa, quæ ipse vt homo protulit.* & paulo pòst, *Filium etiam ignorare ait, de se ipso,*
Nazianzen. Cyrillus.

vt homine loquens, nec sibi derogans vt Deo: scit enim vt Deus, quod vt homo ignorat; idcirco non addidit, quòd Spiritus sanctus etiam ignoraret; quia scilicet est Deus, & non est etiam homo, vt Filius. Enim verò si Pater hoc scit ex eo quòd Deus est; & Christus est verus Deus, imò idem numero Deus, qui est Pater; in nullo bono sensu videtur de Christo vt Deo posse absolutè dici, Non scit aliquid, sed illud scit solus Pater, præsertim cùm scientia, seu sapientia, vt paulò antè dicebam, approprietur Filio, non Patri. Dixi, *absolutè*. nam etsi bona sit propositio, qua significetur Filius non scire ex se, sed à Patre, quia verè Deus Filius habuit scientiam communicatam à Deo Patre per æternam generationem, in quo sensu Christus, etiam vt Deus, dicere potuit Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea*, hoc est, non habeo ex me, sicut ex se habet Pater, sed habeo acceptam à Patre; & Cyrillus suprà in fine capitis docuit, *Posse conuenienter intelligi, si dicatur, ideo nescire, quoniam inde naturaliter scientiam omnium habet, vnde ipsum etiam esse habet*: tamen minus bona videtur propositio, qua dicatur Deus Filius, qui Patris sapientia est, aliquid nescire simpliciter, præsertim cum absoluta comparatione ad Patrem, hoc est, expresse negando quòd sciat Deus Filius, & affirmando quòd sciat solus Deus Pater, vt habetur in casu nostro; hic enim sensus nimis certè faueret Arianis, vt ex se patet.
Exponitur locus Ioan. 7. Cyrillus.
ergo Christus loquitur de se secundùm quod est homo: qua ratione est creatura omnium perfectissima, eleuata scilicet ad vnionem hypostaticam cum Verbo, hoc enim non obscurè significat illa gradatio, *Nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater*, siue, vt clariùs additur Matth. 24 *nisi solus Pater*; hoc est, nulla creatura scit, neque etiam angelica, imò neque humana assumpta à Verbo, *qua natura humana*, inquit Augustinus l.3. contra Maximinum cap.25. *non Angeli, sed solus maior est Deus*, sed scit solus Deus Pater, & consequenter, vt deducunt Hieronymus Matth.24. in hæc verba, & Beda Marci 13. Ambrosius l.5. de Fide, cap.8. post medium, Athanasius serm.4. contra Arianos, circa medium. S.Thomas 3. part.quæst.10. art.2. ad 1. Filius & Spiritus sanctus, qui cum Patre sunt vnus omnino Deus.
Natura humana assumpta maior est angelica ex Augustino. Hieronym. Beda. Ambrosius. Athanasius. Thomas.
Alterum, dici Christum nescire diem illam & horam, nimirum tamquam magistrum ad docendum, & cum facultate atque authoritate manifestandi, quo modo, etiam vt homo, sciebat alia mysteria: non autem, nescire simpliciter, & quacumque alia ratione; quia, vt argumẽtantur Chrysostomus hom.78. in Matth. aliquantò post principium, Ambrosius l.5. de Fide cap.8. circa medium, Athanasius sermone 4. contra Arianos circa medium, Nazianzenus oratione 4. de Theologia post medium, Cyrillus l.9. Thesauri c.4. initio, Theophylactus in ea verba Matth. 24. Christus reuelauit omnia futura in die Iudicij, & ante, & post illum diem.
Chrysost. Ambrosius. Athanasius. Nazianzen. Cyrillus. Theophyl.
Quomodo igitur, inquit Ambrosius, *nesciuit iudicij diem, qui & horam iudicij, & locum, & signa expressit?* quia, vt efficaciter arguit Athanasius suprà, *qui ea, quæ diem illam antecedunt, eloquitur, omnino in cognitione sua diem habet, quæ post res prænuntiatas subsequutura est: si enim diem nesciret, numquam ea quæ diem anteueniunt, designaret: quippe ignarus quando ea hora futura esset.* &, vt cum eodem Chrysostomo argumentatur Thomas 3.part. quæst. 10 art. 2. ad 1. *Si Christo homini datum est vt sciat qualiter oporteat iudicare, quod est maius, multò magis datum est ei scire quod minus est, scilicet, tempus iudicij*; verè enim ad munus supremi Iudicij illius diei, quod Christo homini conuenire certum est, ea scientia omnino pertinet.
Thomas.
Vnde optimè Ambrosius l.8. in Lucam c.6. circa principium ita arguit, *Quomodo non dedit cognitionem temporis, cui dedit ipsius iudicij potestatem?* Sed eam interim habet pro se ipso tantùm, veluti sub secreto, non ad dicendum aliis: & ideo Christus interrogatus à discipulis, *Dic nobis, quando hæc erunt?* Matth.24 *quando ista fient?* Marci 13. respondere in illa occasione & circumstantia verè potuit, se nescire; nimirum, non simpliciter, sed ad manifestandum iuxta petitionem factam: quæ enim scimus, & manifestare aliis non possumus, aut non debemus, ita se habent respectu aliorum, ac si verè non sciremus; & propterea quærentibus scire, respondere cum veritate simpliciter possumus, nos non scire; quia propter præmissum quæsitum, non obscurè subintelligi debet, vt manifestemus aliis.
Ambrosius.
Quod ex communi modo loquendi prudenter ostendit Augustinus l.1. de Trinitate cap.12. circa principium illis verbis, *nescire quisque dicitur quod occultat. neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ quòd in consuetudine humana non inueniatur, quia vtique hominibus loquuntur.* Solus igitur Deus Pater, ac proinde Filius Dei, & Christus vt verus Deus, scit diem Iudicij cum prædicta facultate, & authoritate communicandi aliis eamdem scientiam.
Augustinus.
Quia, vt probaui suprà, & expresse docet Nazianzenus suprà, *est consequens, Quoniam Pater nouit, propterea & Filius nouit.* Quando autem dicitur Christus scire vt homo, illud, *vt homo*, non est intelligendum causaliter, quasi causa sciendi fuerit natura humana; nam si esset tantùm homo, & non esset homo Deus, non sciret. Sicut nec sciunt Angeli, qui habent multò maiorem scientiæ perfectionem: sed est intelligendum specificatiuè, quia scit ipsa humana natura, propter vnionem ad Verbum. Quare cùm Patres suprà dicunt, Christus nescit vt homo, loquuntur causaliter, non specificatiuè, vt multis explicat Damascenus l.3. de Fide cap.21.
Nazianzen. *In quo sensu Christus vt homo sciat diem Iudicij.* Damascenus.

46. Hæc expositio, quam benè tradunt Bellarminus l.4. de Christo cap.5. Suarez 3.part.quæst.10. art.2. in commentario, & de Trinitate l.2. cap. 4. num. 5. Florauantius l.1. pag. 56. & ante ipsos Torres hîc d.1. part.3. ad 1.§. *D. Thomas*, significata breuiter est à S.Thoma supra, illis verbis, *Dicitur nescire diem, & horam Iudicij, quia non facit scire: interrogatus enim super hoc ab Apostolis Actor. 1. hoc eis noluit reuelare.* & statim addit, Filium habere prædictam scientiam, *non solùm quantum ad diuinam naturam, sed etiam quantum ad humanam.*
Bellarminus. Suarez. Florauãtius. Torres. S.Thomas.
& sumpsisse videtur ex Gregorio l.8. Registri epistola 42. ante medium illis verbis, *Nescire se dicit diem, quem nescire facit, non quòd ipse nesciat diem, sed quia nunc sciri minimè permittat.* Item Beda in ea verba Matth. 24. *Nescire dicitur, qui nescientes facit.* Significata quoque est paulò obscuriùs ab Athanasio, Ambrosio, & Hieronymo suprà, Chrysostomo homilia 14. in Marcum, circa principium, dum docent, causam cur Christus dixerit, se nescire, *non ignorantiæ esse*, vt ait Ambrosius, *sed sapientiæ: nobis enim scire non proderat*: nimirum, inquit Hieronymus, & iisdem verbis sequitur Beda suprà, *vt semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie viuamus, quasi die alia iudicandi simus*: & benè confirmãt ex Actorum 1. vbi Christus, vt Hieronymus ait, quem imitatur Beda suprà; & Marci 13. in eadem verba, *interrogatus ab Apostolis de die, manifestiùs respondit, non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quando dicit, Non est vestrum, ostendit quòd ipse sciat, sed non expediat nosse.*
Gregorius. Beda. Chrysostom. Hieronym. Beda. *Exponitur locus Actor. 1.*
&, vt acutè arguit Ambrosius, *non se nescire dixit, sed ait, Non est vestrum scire. Vestrum dixit, non meum.* & eadem ferè verba habet Chrysostomus suprà. Vnde Ambrosius in Lucam suprà, ita concludit. *Ergo & horam nouit: sed nouit sibi, mihi nescit.* In idem redit expositio Augustini l.1. de Trinitate cap.12. initio docentis, ideo Christum dixisse *secundùm formam serui,*
Ambrosius. Augustinus.

serui, se non scire, quia *non ita sciebat, vt tunc discipulis indicaret.* & paulò pòst, *Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant. & hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat.* & secundùm Athanasius. Athanasium suprà, *dixit se nescire, nostræ vtilitatis causa.* Cyrillus. Præterea Cyrillus l.9. Thesauri cap.4. post medium, Christum docet, *vt hominem ignorare se dixisse diem, & horam illam, quoniam maior erat illius rei cognitio, quam Discipuli tunc capere potuissent.* Idem docet Theophyl. Theophylactus in ea verba Matth.24. rémque apto exemplo declarat, dicens, *Sicut & Patres sæpe continent quid in manibus; deinde autem dum quærunt hoc Filij, & dare ipsi nolunt, occultant, dicentes, Non habemus quod quæritis, & sic plorantes Filios compescunt: ita & Dominus compescens Apostolos, ne discant de die illo & hora, dixit, Neque ego scio, nisi Pater solus. Scit enim & ipse.* Paulò clariùs eamdem expositionem attingere Hilarius. videtur Hilarius l.9. de Trinitate multo ante finem. Cùm enim ex illis verbis ad Colossenses 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi,* probasset, Christum non omnino nescire diem Iudicij, ita concludit, *Est ergo abscondita scientia, quæ quia abscondenda est, interdum & nescientia confitenda est, vt esse possit abscondita. Nam si erit in protestatione, non etiam in secreto manebit. Negat ergo se scire, vt scientia possit esse abscondita.* Vult igitur, ideo Christum dixisse, se non scire, quia illius diei scientia *erat abscondenda, & in secreto manenda,* seu conseruanda, propter rationes allatas. Quod intelligi nequit de Christo vt Deo, quia etiam respectu Patris illa scientia erat abscondenda, & non omnibus manifestanda, qui tamen scire dicitur; sed de Christo vt homine, quòd eam scientiam haberet absconditam peculiari ratione, hoc est, absque facultate dicendi aliis: quod dici non potest de Deo Patre, nec consequenter de Filio vt Deo. In eodem sensu accipiendus est idem Hilarius cùm inferiùs iterum dicit, *Filius idcirco nescire se dicit, ne & alij sciant.* Et paulò pòst, *Diem Filius secundùm Sacramentum nescit, vt taceat.* Si enim nihil aliud attendamus, nisi tacere ne alij sciant, quia Pater etiam tacet ne alij sciant, Pater etiam dicendus esset non scire. Ergo attendenda est taciturnitas cum dependentia non dicendi: quo modo limitato, ac minus perfecto, diem illum sciebat Christus vt homo, non vt Deus. Demum quòd Christus ita negauerit se scire, vt ipsi etiam Discipuli intellexerint, id negasse, non quia nesciebat, sed quia nolebat, vt alij scirent, acutè colligit idem Hilarius in fine eiusdem libri, Actorum 1. ex eo quòd Actorum 1. iidem Discipuli post resurrectionem eumdem diem scire petunt ab eodem Christo, qui antea nescire se dixerat, & tamen, inquit Hilarius, *ipsi eum tamquam scientem rursum interrogant. Sed Sacramentum nesciendi, dispensationem intelligentes esse tacendi, nunc post resurrectionem, loquendi tempus iam arbitrantes esse, interrogant. Atque illis Filius non iam se nescire ait, sed quòd scire non sit eorum, quæ Pater in potestate sua posuerit: & facultatem ipsis scientiæ non concessam esse demonstrans, id ipsum in Sacramento paternæ potestatis consistere, est professus.* Quibus vltimis verbis videtur non obscurè significare expositionem traditam numero præcedenti de nescire Filij, & scire Patris, non simpliciter, sed cum facultate vt alij sciant, quam facultatem simul cum Patre & Spiritu sancto habebat Christus vt Deus, non vt homo.

Respondetur ad quintum locum Ioan. 14.

47. *In quo sensu Christus dicatur minor Patre.* Ad quintum locum de minoritate Christi non minus vera, quàm trita est responsio ex Athanasio in Symbolo illis verbis, *Æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* quam responsionem refert & sequitur S. Thomas infrà Athanas. S.Thomas. q.42.a.4.ad 1.& l.4. contra gent.cap.8. longè à principio. Igitur, vt ait Basilius epistola 141. ad Cæsaria- Basilius. nos ante medium, *Quid mirum, si Patrem se confessus est esse maiorem, qui cùm Verbum esset, caro factus est.* &, vt habetur ad Philippenses 2. *qui cùm in forma Dei* Ad Philip. 2. *esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quare cùm hoc loco, & Ioannis 5. Christus apertè Ioan. 5. dicatur æqualis Patri, vt multis ostendit Ambrosius Ambrosius. l.2. de Fide cap.4. aliquanto post principium, quæ æqualitas euidenter demonstrat, Christum filium Dei esse verum Deum sicut est Pater, vt contra Arium argumentatur S.Thomas 4.contra gent. c.8. S.Thomas. num.11. quando alibi minor dicitur, non possunt ista duo intelligi respectu eiusdem, sed respectu diuersorum; *siquidem*, inquit Nazianzenus oratione 4. de Nazianzen. Theologia, multò post principium, *vt idem ad idem collatum, & maius & æquale simul sit, fieri non potest.* Vnde ait, *maius ad causam,* nimirum incarnationis, *æqualitatem autem ad naturam referendam esse.* & paulò pòst limitatè concedit, quòd Pater *maior sit Christo, quatenus homo intelligitur.* Idem Ambrosius suprà docet, Ambrosius. quòd Filius Dei dicitur minor *in natura hominis; & miraris,* inquit, *si in persona hominis, Patrem dixit maiorem qui in persona hominis se vermem dixit esse, non hominem.* Et statim iuxta modum loquendi Scripturæ Psalm.8.& ad Hebræos 2. pulchrè notat, quòd Filius Psalm. 8. Ad Hebr. 2. Dei, *non minor natus, sed minoratus est, hoc est, minor factus est: quia cùm in forma Dei esset, formam serui accepit.* & rursus infrà ita concludit, *Æqualis ergo in Dei forma, minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nam quomodo eadem posset esse minor, æqualisque natura?* Consonat Augustinus l.1. de Trinitate cap.7. di- Augustinus. cẽs, *Non immeritò Scriptura vtrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem maiorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam serui, sine vlla confusione intelligitur.* & cap.8. post principium, *Forma serui maior est Pater, cui in forma Dei æqualis est Filius.* & eadem repetit cap.11. & l.3. contra Maximinum cap.24.& 25. scribit quoque Cyrillus l.10. in Cyrillus. Ioann.cap.9. post medium. *Minorem Patre filium, in quantum factus est homo, credimus.* & l.2. Thesauri c.3. circa principium. *Quando maior Pater Filio dicitur, humanitati suæ, non Deitati sermo attribuendus est.* Eodémque modo reliqui omnes exponunt. Et quidem manifestum est ex contextu, Christum ibi loqui vt hominem, non vt Deum, vt ex instituto probat Au- Augustinus. gustinus tractatu 78. in Ioannem. Dicit enim ibi Christus ad Discipulos, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Paulò antè dixerat, *Ego in Patre, & Pater in me est.* Per id cuius ratione Pater est in Christo, non potuit Christus dicere, *Vado ad Patrem,* &, *Pater maior me est.* Quis enim ire ad id quod in se ipso est, & maior se ipso concipi potest? Ergo priora illa verba dicere non potuit Christus per id, ratione cuius ipse in Patre, & Pater in ipso est, hoc est, ratione naturæ diuinæ, in qua cap.10. priùs dixerat, *Ego & Pater vnum sumus.* Ergo non sunt intelligenda de Christo vt Deo, sed vt homine. *Vt intelligerent,* inquit Augustinus, *secundùm id quòd homo erat, eum dixisse, Vado & venio ad vos, adiecit, atque ait, Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem. Per illud autem, in quo æqualis est, nunquam recedit à Patre. Forma quippe serui accessit, non forma Dei recessit: hæc est assumpta, non illa consumpta. propter hanc dicit, Pater maior me est; propter illam verò, Ego & Pater vnum sumus. Vnum sunt secundùm id quòd Deus erat Verbum, & maior est Pater secundùm id*

quòd

quòd Verbum caro factum est. His auctoritatibus ac rationibus motum Concilium Toletanum XI. in Fidei Confessione ait, *Spiritus sanctus minor Patre, & Filio non habetur, sicut Filius propter assumptam carnem minorem se Patre, & Spiritu sancto esse testatur.*

48. *Soluitur cum Augustino obiectio Maximini Ariani.* Contra hanc expositionem nihil valet obiectio Maximini, Arianorum Episcopi, quam Augustinus contra illum scribens refert & soluit l.3.c.25. *Non esse Dei Patris magnam gloriam, si ea forma serui maior est, qua forma maiores sunt & Angeli.* Tum quia, vt respondet Augustinus, *Natura humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit deprauari, solus maior est Deus.* *Christus, etiam vt homo, maior est Angelis.* Quamuis enim natura humana secundùm se minor sit natura Angelica, tamen vt eleuata ad dignitatem vnionis hypostaticæ cum Verbo Dei, est longè maior, imò omnium creaturarum simpliciter maxima, quæ nullum omnino superiorem agnoscit, nisi Deum. Tum quia hæc ipsa obiectio satis probat, Christum non esse purum hominem, sed simul etiam esse Nazianzen. Deum. *Nam quòd Christo,* inquit Nazianzenus oratione 4. de Theologia, ante medium, *quatenus homo intelligitur, maior sit Pater, verum quidem est, at non magnum: quid noui enim, Deum homine maiorem esse?* Ergo is solùm, qui non solùm homo, sed etiam Deus erat sicut Pater, aptè ac dignè dicere potuit, *Pater maior me est.* Tum quia, vt arguit Basi- Basilius. lius epistola 141. ante medium, *Noui, collationes propriè ad ea pertinere, quæ eiusdem sunt naturæ. Angelum namque Angelo maiorem, & hominem homine iustiorem, & volucrem volucri velociorem esse dicimus. Itaque si collationes inter ea fiunt, quæ eiusdem sunt speciei, Pater verò per collationem dictus est Filio maior, consequitur, Filium Patri esse homousium.* *Soluitur cum Cyrillo alia Arianorum obiectio.* Neque hinc sequitur, quod obiiciebant Ariani apud Cyrillum l.10. in Ioannem cap.9. circa medium, *Patrem Filio Deitate maiorem esse.* Quamquam enim, vt aduersariis sæpe concedit Cyrillus, *sola, quæ generis eiusdem, id est, substantiæ, atque naturæ sunt, inter se comparari possunt,* tamen comparationes, cùm ad aliquam differentiam tradendam ordinentur, non sumuntur ex communi substantiæ ratione, quæ vna & eadem in omnibus est, v. g. inquit Cyrillus, *Homini homo confertur, non in quantum animal rationale: nec equus confertur equo ea ratione qua equus est: sed quia hic Grammaticus, ille Grammaticus non est; & equus equo velocior, aut corpore maior est.* Igitur cum Filius Dei Deo Patri se se comparat, dicendo, *Pater maior me est,* intelligi non potest facta comparatio in communi natura & Deitate, sed solùm in aliena humana natura, in qua differunt Pater & Filius; cùm eam naturam assumpserit Filius, & non Pater, sicut nec Spiritus sanctus, & ideo nunquam scriptum legimus, Patrem, aut Filium maiorem Spiritu sancto, quamuis hic à Patre, Filióque procedat.

49. Quamquam multi etiam sunt, qui spectata potius vi propositionis secundùm se, quàm occasione, & intentione Christi eam proferentis, contendant posse absque vlla inæqualitate in Deitate, & præscindendo ab incarnatione dici, Patrem Filio maiorem, non in natura in qua vnum omnino sunt, sed in persona, & origine, in qua differunt. *Patrem maiorem Christo, etiam vt Deo, in quo sensu dicant.* Pater igitur maior est Filio secundùm se, ea sola ratione, in quantum persona Filij procedit à persona Patris, non contra; quæ procul dubio maioritas quædam & dignitas in Patre est, scilicet non secundùm rem, quia Filius æquè ac Pater est Deus, quo nihil maius excogitari potest; sed secundùm rationem considerantem diuersas relationes, præcisas à natura communi. Athanasius. Ita secundùm Athanasium oratione 2. contra Arianos aliquanto ante finem, *Pater maior est, non quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habebat.* Similiter secundum Hila- Hilarius. rium 9. de Trinitate multò post medium, cuius verba S.Thomas infrà q.42.a.4.ad 1. refert, & sequitur, *Donantis authoritate Pater maior est. Sed minor non est, cui vnum esse donatur. Maior itaque Pater Filio est, & planè maior, cui tantum donat esse, quantus ipse est, quem ex se in forma sua generat.* & inferiùs, *Maior vtique Pater est, dum Pater est: sed Filius, dum filius est, minor non est. Natiuitas Filij, Patrem constituit maiorem; minorem verò Filium esse, natiuitatis natura non patitur.* Vbi contra Arianos Filium negat esse minorem natura: alioquin ea ratione, qua concedit, Patrem esse Filio maiorem, nempe origine, negare non potest, Filium esse minorem Patre; cùm maius essentialiter referatur ad minus, quod rectè obseruauit Cyrill. l.2. Thesauri c.3. post med. nam authoritas Patris generãtis & donantis, in qua consistit ista maioritas, est in Patre respectu Filij, non in Filio respectu Patris. Na- Nazianzen. zianzenus quoque suprà concedit, Patrem maiorem esse etiam *generationis dignitate.* Item Cyrillus lib.2. Cyrillus. Thesauri c.3. aliquantò post principium ait, *Maior ipso Pater est, qui eum generat, in hoc solummodò, quia ex eo Filius est, & sic principium Filij secundùm originem Pater est.* Hanc autem non esse maioritatẽ secundùm rem, sed secundùm nostrã rationem vt suprà, significat addens, *Diuina Scriptura consuetudinem nostram sequuta, maiorem appellat Patrem.* Et ideo paulò pòst, primam expositionem traditam suprà n.47. præfert huic secundæ, dicens, *Relinquitur, vt vel quia ex Patre Filius est, vel, (quod magis nos credimus) propter incarnationis dispensationem, maiorem Patrem Filio à Scriptura esse appellatum.* & rursus infrà, *Pater Filio maior est, vel originis modo, quia principium eius dicitur; vel propter dispensationem incarnationis.* Verùm in fine capitis solam hanc secundam expositionẽ absolutè tradit. & Damascen. Damascenus lib.1. Fidei c.9. circa finem, *Dicimus,* inquit, *Patrem maiorem non tempore, aut natura, neque secundùm aliud quodcumque, nisi secundùm causam: hoc est, quia Filius ex Patre genitus, non autem Pater ex Filio; & quia Pater causa est naturaliter Filij.* & lib.4.c.19. circa principium, inter ea, quæ *competunt Christo ante incarnationem,* ponit illud, *Pater meus maior me est. nam ex ipso,* inquit, *habet esse, & omnia quæcũque habet.* & Chry- Chrysost. sostomus hom.74. in Ioannem, post medium, *Si quis maiorem Filio Patrem, in quantum principium diceret, neque hoc contradiceremus: non tamen hoc alterius facit Filium esse substantiæ.* quod solum ex hoc loco Ariani deducere volebant. Eandem expositionem refert, & non reiicit Theophylactus in hunc locũ: tametsi in Theophyl. fine commentarij absolutè sequatur, & bene probet primã expositionẽ: quam meritò *faciliorem, & probabiliorem* esse docet Cardinalis Bellarminus lib.1. de Christo c.16. ad 1. sed pro secunda, vt alios omittã, est etiam Euthymius ibidem illis verbis, *In veritate* Euthymius. *Pater maior quidem est; at non potentia, sed solo principij modo; quia Filio principium est generationis: siquidem ex Patre est Filius.* & ideo hæc secunda, inquit Bellarminus suprà, *non est omnino improbanda; tamen non cogimur eam sequi.* Et verè videtur minus cõgruere iis, *Quo modo admitti possint in diuinis maius, & minus.* quæ infrà, q.42. de æqualitate diuinarum personarum dicturi sumus. Sed in bono sensu explicabitur infrà q.28.a.2.dub.5. præsertim à n.143. ad 149. Verùm enim verò quoniã Patres citati pro hac secũda expositione sunt multi, & grauissimi, addendũ omnino videtur, quòd sicut, etsi in Symbolo Athanasij Athanasius. absolutè fateamur, *in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus,* tamen in ea omnes admittimus prius & posterius origine; ita potest, & sanè propter tantã Patrum authoritatem, admitti debet, maius & minus, non simpliciter, & absolutè,

sed secundùm quid,& quodammodo, scilicet sola origine:hoc enim,& non plus,ipsi expressè volunt, vt patet ex eorum verbis allatis;& in re non est verè aliud,nisi vnam personam procedere ab alia, vel aliis,non contrà:quod fides docet, & vt quædam maioritas,siue dignitas,siue authoritas à nobis concipitur ex parte principij, & vt talis nominari potest,& de facto nominata est à maioribus nostris, quos tutum & iustum est sequi.

Respondetur ad sextum locum 1. *ad Corinth.* 15.

50. *Hæreticorum interpretatio refertur ex Augustino & Ambrosio.*

Ad sextum & vltimum locum de subiectione Filij,omissa impia ac stulta quorumdam interpretatione,quos refert Augustinus lib.1.de Trinit.cap.8. & multis confutat Ambrosius lib.5.de Fide c.7. de subiectione per commutationem, & conuersionem humanitatis Christi in ipsam substantiam Dei Patris, tres sunt inter Catholicos sanæ responsiones. Prima communior,planior, & conformior textui, subiectionem tribui Christo vt homini,nõ vt Deo. Is enim intelligendus est Patri subiectus, cui Pater, vt ibidem dicitur, *subiecit omnia :* qui non est Deus purus,cui ex natura sua, & non ex libera concessione alterius superioris, subiecta sunt omnia, sed est Homo Deus;qui vt dixit Paulus ad Philippenses 2. *humiliauit semetipsum,factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis:propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.* Quod idem est ac,*subiecit sibi omnia.* Clarè loquitur de homine,vt bene probat Chrysostomus hom.39. in hæc verba,qui propter obedientiam meruerit exaltari super omnia,seu,quod idem est, vt essent illi subiecta omnia. *Ipse ergo contextus literæ*, inquit S. Thomas 4.contra gentes cap. 8. longè à principio, *ostendit,hoc de Christo debere intelligi,secundum quod est homo.nam secundum diuinitatem,cum omnia faciat, quæ facit Pater,etiam ipse sibi subiecit omnia.* Vnde de eodem Christo ad Philippenses 3.apertè dicitur quòd *possit sibi subiycere omnia.* In hoc sensu, cum dicitur, *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei*,illud, *Tunc*,significat quod immediate ante dictum erat,*Cum subiecta fuerint illi omnia,tunc*,&c.& quod adhuc clarius paulo ante dictum fuerat.*Deinde finis,cum tradiderit Regnum Deo & Patri ; cùm euacuauerit omnem principatum,& potestatem , & virtutem.*hoc est,in fine mundi, superatis omnibus potentiis aduersariorum, tam Dæmonum, quàm hominum, & ductis omnibus electis ad regnum cœlorum ; ac proinde absoluto Christi Regno supra militantem Ecclesiam,& constituto alio longè nobiliori Regno triumphantis Ecclesiæ ex omnibus electis, quas ipse Pater ab æterno elegerat saluandos per Filium incarnatum, eoque Regno pacifico,glorioso,atque æterno, tradito Patri, per consummatam scilicet atque perfectam saluationem omnium electorum, sibi commissam,*quam acquisiuit sanguine suo,* Actorum 20.tradere enim Regnum Deo & Patri,nihil est aliud secundùm Augustinum lib.1.de Trinit.c.8. circa medium,quàm, *perducere credentes ad contemplationem Dei,& Patris*;tunc,etiam ipse Filius, quamuis in eo statu triumphante & gloriosissimo, quem numquã antea habuerat,non se eleuabit supra Patrem,nec se æqualem illi esse contendet,sed propter assumptam humanitatem se se recognoscet & confitebitur Patri subiectum,& inferiorem,simul cum vniuerso illo electorum Regno, quod ipsi etiam vt homini subiectum est. erit igitur Filius *tunc subiectus*, non quòd antea subiectus non fuerit, sed quia subiicietur eo etiam tempore , quo minus subiectus videri poterat:nam antea apertissimè subiectus apparuit, vel propter passiones suas,vel propter passiones, & labores Ecclesiæ suæ militantis. Quare optimè dixit Bellarminus lib.1. de Christo cap.16. fine, *illud, Tunc,quamdam habere emphasim ; est enim sensus, etiam tunc in illa gloria, erit subiectus Christus , vt homo Deo.* Per quam subiectionem fiet,inquit Paulus ibidem, *vt sit Deus omnia in omnibus* ; quod omnium optimè ad literam explicat Augustinus lib.1.de Trinit.c.10. circa principium dicens,*In illa contemplatione,* nempe absoluta omnium electorum post diem iudicij, & omnium resurrectionem, *Deus erit omnia in omnibus,quia nihil ab illo aliud requiretur , sed solo ipso illustrari,perfruique sufficiet.*

Bellarminus.

Hanc primam expositionem,inter alios,tradiderunt Hieronymus epistola ad Amandum, circa medium illis verbis, *Quid est turpius,siue inferius , Patri subijci,an crucifigi, & maledictum crucis fieri ? Qui ergo pro nobis maledictum factus est , vt nos de maledictione liberaret,miraris si pro nobis subiectus sit.*Sed Filius Dei crucifixus est,non ratione propriæ Deitatis, sed ratione Humanitatis assumptæ ; ergo secundùm Hieronymum , subiectus est Patri , non vt Deus, sed vt homo.Augustinus lib.1. de Trinitate c.8. & 10. vbi ita eleganter & distinctè loquitur , *Christus Iesus in quantum Deus est,cum illo nos subiectos habet* , hoc est, cum ipsomet Christo vt homine ; *in quantum Sacerdos,nobiscum illi subiectus est*,hoc est,eidem Christo vt Deo.Ambrosius lib.5. de Fide c.7. initio *non vtique secundum diuinitatem subiectus est Dei Filius.* & multò post ita concludit,*ergo secundùm humanæ naturæ assumptionem erit illa subiectio. Nequaquam Diuinitatis infirmitas,sed dispensatio ista pietatis est. Illi obijciunt,subijciendum Patri Deo : ego lego Mariæ subditum Matri , quia scriptum est de Ioseph & Maria , & erat subditus illis. Aut si hoc putant, dicant , quòd hominibus erat subiecta diuinitas. Non igitur præindicet , quòd subiectus dicitur , cui non præiudicat , quòd seruus legitur,quòd crucifixus asseritur , mortuus prædicatur. Qui cum moreretur , viuebat ; cum subiyceretur , regnabat; cum sepeliretur , resuscitabat* ; & alia addit , quibus elegantissimè rem ante oculos ponit. Anselmus in ea verba ait, *subiectus erit secundùm humanitatem; ne quis putaret , humanam naturam , quam assumpsit , in naturam diuinitatis commutandam,vt fieret æqualis Patri , & non subiecta.* Eodem modo exponunt Epiphanius hæresi 69.aliquanto ante finem, Theodoretus,Primasius , & Sedulius in hunc locum , & alij passim.

51. Hieronym.

Augustin.

Ambrosius.

Lucæ 2.

Anselmus.

Epiphanius.

52. *Secunda responsio de subiectione Christi vt Dei , minus probabilis.* Hilarius. S.Thomas.

Secunda responsio est,sumi quidem Christum vt Deum,tamen subiectionem sumi largè, non pro inferioritate & seruitute , sed vel pro recognitione authoritatis paternæ , quo modo exponit Hilarius in libro de Synodis,vt refert S.Thomas infra q.42. art.4.ad 1.& non reiicit.Vel pro concordia cum Patre,& processione Filij à Patre , ita vt Filius dicatur subiectus, quia est de Patre,non contra.Ita Ambrosius, OEcumenius,& Theophylactus in commentariis huius loci. Hæc commentatio in se quidem vera est,sed cum Pauli contextu minus cohæret, & recedit à vulgatissima subiectionis significatione, &,quod incongruentius videtur, cũ in eadem breui oratione Paulus sexies eandem vocẽ vsurpet, quinquies vsurparet propriè, & semel æquiuocè. Ait enim,*omnia subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei,sine dubio præter eum , qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia , tunc & ipse Filius subiectus erit ei,qui subiecit sibi omnia , vt sit Deus omnia in omnibus.* Tertia responsio est , sumi Christum non in propria persona, sed in persona suorum membrorum,hoc est,pro Ecclesia, quæ statim post diem iudicij, saluatis omnibus, & nullo iã existente,qui possit peccare & cõtradicere,erit Deo perfectè

Quid ex Augustino sit, Christum tradere Regnum Deo.

Tertia responsio de subiectione Christi in persona Ecclesiæ minus probabilis.

Nissænus. Chrysost. Cyrillus.

perfectè subiecta.Ita Gregorius Nyssenus & Chrysostomus in tractatibus peculiaribus super hæc Pauli verba : Cyrillus lib.10.Thesauri cap.8.Verum enim verò illa verba , *Tunc & ipse Filius , cui Pater subiecit omnia sub pedibus eius. Qui tradet regnum Deo & Patri , & euacuabit omnem principatum , & virtutem*; nimis clarè exprimunt,sermonem esse de Filio in propria persona. & si cum dicitur , *cum autem subiecta fuerint illi omnia*, intelligitur de tota triumphante electorum Ecclesia cum singulis , & omnibus membris suis perfectè subiecta Christo,id quod immediate sequitur,*Tunc & ipse Filius subiectus erit ei,qui subiecit sibi omnia*, non potest commodè intelligi de eadem Ecclesia.

Obijcitur locus Ioannis 5.

53. Nazianzen. Basilius.

Obiiciunt quintò illud Ioannis 5. quod vt sextum Arianorum argumentum refert Nazianzenus oratione 4. de Theologia ante medium , & *ad subuersionem audientium vsurpant* , vt ait Basilius epistola 141.ad Cæsarianos post medium , *non potest Filius à se facere quidquam , nisi quod viderit Patrem facientem.* ergo non habet Filius tantam potentiam, quantam habet Pater ; & ea quæ potest facere,non potest nisi dependenter à Patre. ergo non habet eandem cum Patre naturam. Quod testimonium, *difficile ad intelligendum* , esse dixit Augustinus libro contra sermonem Arianorum,cap.14.initio.

Augustinus.

Ambrosius.

Respondeo , inanem esse consequentiam, vt benè notauit Ambrosius lib.4. de Fide cap. 3. initio, constare ex verbis immediate sequentibus , *Quæcunque enim ille fecerit , hæc & Filius similiter facit.* Ideo,inquit Ambrosius, *scriptum est, eadem facit Filius,& non talia , vt in Filio vnitatem , non imitationem paterni operis æstimares.* Igitur si quæ facit Pater, illa eadem facit Filius,& Filius nihil omnino facit nisi quod facit Pater,eadem in vtroque erit potentia,eadem natura. *Quorum enim eadem actio,sine efficacitas , eadem quoque est essentia* , vt benè ex hoc loco argumentatur Athanasius Dialogo 2. de Trinitate circa medium. Itaque Filium non posse facere nisi quod facit Pater , non est ex minoritate, aut dependentia , sed ex omnimoda identitate potentiæ ; *cum per vnitatem eiusdem substantiæ*, vt docet Ambrosius in fine capitis citati , *idem velle , atque idem nolle , & idem posse , & in Patre sit,& in Filio, & in Spiritu sancto.* In quo etiam sensu eadem verba exponit Magnus Leo serm. de Transfiguratione cap.6.vbi Patrem de se ipso & Filio suo ita loquentem introduxit , *Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt , & sine quo factum est nihil : quia omnia, quæ facio similiter facit ; & quicquid operor,inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In Patre enim est Filius, & in Filio Pater ; nec vnquam vnitas naturæ diuiditur.* Quare illud , *non potest* , non dictum est ex defectu, seu priuatione alicuius realis ac veræ potentiæ , sed potius ex pura negatione talis potentiæ implicantis contradictionem propter impossibilitatem talis operationis , seu modi operandi, vt scilicet Filius , qui cum Patre est vnus numero Deus , operetur aliquid,quod non operetur Pater. Quod eleganter exponit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap.14. illis verbis , *Potenter hoc non potest ; necesse infirmitas ista , sed firmitas , qua falsa esse non potest veritas.* & alio cap.14. supra citato,in fine ait, *Hoc autem, quia non potest , non deficienter non potest , sed potenter.* & statim cap. sequenti 15. illud, *similiter* , rectè exponit non esse aliud , *nisi non dissimili facilitate , non dissimili potestate.* Vbi obiter aduertere iuuabit , eum tam in Philosophia, quàm in Theologia,sæpe quærituran per diuinam omni-

Athanasius.

Leo Papa Ioan.1.

Exponitur illud non potest.

Augustinus.

Tutò dici, Deum non posse facere impossibilia.

potentiam fieri aliquid possit , nimis scrupulosè agere nonnullos , qui nunquam volunt asserere, Deum non posse aliquid facere; sed solum , *aliquid* fieri non posse : tum quia habemus hoc loco Scripturam ipsam de Deo dicentem , *non potest facere :* & 2.ad Timotheum 2. *Negare se ipsum non potest.* tum quia sicut posse fieri , est inintelligibile sine posse facere;ita à contrario,non posse fieri sine non posse facere.ergo qui rectè dicit,non posse aliquid à Deo fieri , nihil mali timere potest si dixerit , quod in priori dicto essentialiter inclusum est, nõ posse Deũ illud facere.Certè Augustinus 22.de Ciuitate c.25. circa finẽ,dixit,*omnipotens nõ potest mentiri.* & lib.22. contra Faustum cap.5 *sententiam,qua dicimus, aliquid fuisse, Deus falsam facere non potest.* & vltimo loco supra citato,*omnipotens non potest mori.*

Augustin.

Ex dictis licet colligere , in quo sensu ad literam accipiendum sit illud,*à se*,cum ibidem dicitur , *non potest Filius à se facere quidquam.* non est igitur accipiendum,vt idem sit quod,*propria virtute & authoritate,* quasi verò sit quædam limitatio, qua significetur,posse Filiũ aliena virtute,atque authoritate facere aliquid , quod non viderit Patrem facientem; quoniam quæuis persona diuina , quicquid facit, cum faciat vt Deus , non potest non facere propria virtute , & authoritate : sed iuxta antecedentia & consequentia est accipiendum vt idem sit quod , *se ipso solo sine Patre.* Illud enim, *Facere à se* , manifestè opponitur contra,*Facere cum Patre.*nam paulo ante Christus dixerat,*Pater meus operatur & ego operor.*Et postea reddens rationem, cur non posset quidquam facere à se,ita habet , *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Ergo per hunc contextum constat,quod facere à se , est facere solum sine Patre,vt in Commentario huius loci exposuit noster doctissimus Maldonatus sicut infrà , c. 14. cum dixisset Dominus,*ego in Patre,& Pater in me est* , statim huiusmodi coniunctionem magis explicans, ita addit,*Verba,quæ ego loquor vobis , à me ipso non loquor.* & adhuc magis explicãs,quòd illud,*à me ipso*,significat, *sine Patre,* immediate post subdit Patris coëfficientiam,dicens,*Pater autem in me manens,ipse facit opera.* Quamquam non desunt qui ideo dictum putant,Filium nihil posse à se , quia potentiam suã acceptam habet à Patre per generationẽ,quo modo eã potentiã non habet Pater.Sicut in simili sensu de Spiritu sancto dictũ videtur infrà,cap.16. *Non loquetur à semetipso,sed quæcumque audiet,loquetur.* Hanc interpretationẽ significat Hilarius lib.11.de Trinitate multò post principiũ,illis verbis,*Dum non à se facit,ad id quod agit secundum natiuitatem sibi Pater author est.*Et clarius Augustinus supra. *Ideo dictum est,quòd non faciat aliquid Filius à se,quia non est à se:& ideo, quicquid facit,Patrem videt facientem,quia videt ex ipso faciendi se habere potentiam,ex quo se videt existendi habere naturam.*& clarissimè tradit S.Thomas 4.contra gẽtes c.8.circa mediũ illis verbis, *Ita dicitur quòd Filius nõ possit à se agere,sed agat à Patre ; sicut,quòd non potest à se esse,sed solum à Patre : si enim à se esset,iam Filius non esset. Sicut ergo Filius non potest non esse Filius , ita à se agere non potest.*Colligere pariter licet, quid sit illud, *nisi quod viderit Patrem facientem.* Filiũ facere,quod videt Patrem facere,non est,vt rectè adnotauit Nazianzenus supra, & Epiphanius hæresi 69.circa finẽ,prius videre quod ante ipsum facit Pater, & deinde illud facere ; sed est , Filium facere,quod facit Pater. & ideo hoc ipsum paulo ante dictum fuerat per solum verbum operandi absque verbo videndi, *Pater meus vsque modò operatur , & ego operor :* nimirum non sine visione & scientia operationum, quas facit simul cum Patre : quia nulla diuina persona operatur absque intellectu & voluntate.

Maldonatus. *Exponitur locus Ioan.*14.

Ioan.16.

Hilarius.

S. Thomas.

Quid sit , & cur de solo Filio dicatur,non facere nisi quod viderit Patrem facientem.

Dictum est autem, Filium facere quod videt Patrem facere, & non contrà, Patrem facere quod videt facere Filium; tum quia Filius à Patre est, non Pater à Filio: tum quia Filius per ipsam visionem, siue intellectionem est, & generatur à Patre. Quicquid igitur facit Filius, ita facit, vt illud ipsum omnino videat facere Patrem & Spiritum sanctum. Sic etiam faciunt Pater & Spiritus sanctus, quia vnaquæque persona ita facit, vt videat idem prorsus à reliquis fieri. Sed de solo Filio respectu Patris hoc magis propriè vsurpatur, quia solus Filius per intellectionem à Patre procedit. *Quò respicit illud*, inquit Nazianzenus suprà, *ego viuo propter Patrem. Non quòd inde sibi vita dependeat, vt nobis; sed quòd inde existat absque tempore, absque causa.* Ioan. 6.

Obijcitur locus Apocalypsis 5.

55. Nazianzen. Obijcitur sextò illud, quod ex Arianis quinto loco refert Nazianzenus oratione 4. de Theologia circa medium ex Apocalypsis 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Vnde etiam Transyluani hæretici, & Seruetus apud Bellarminū libro primo de Christo c. 6. loco 12. deducunt, Christi diuinitatem esse temporalem & accidentalem; quippe quæ Christo non tribuatur nisi postquam occisus est. Bellarmin.

Respondeo cum Nazianzeno suprà, *Hæc Christo homini sunt tribuenda.* Clare enim sermo est de *Agno occiso*, qui est Christus ratione humanæ naturæ, non diuinæ. Sed addendum cum Bellarmino, per diuinitatem, intelligendam esse non ipsam diuinitatem, quam humana Christi natura, ante & post mortem semper habuit hypostaticè vnitam in persona Verbi, sed diuinitatis manifestationem, quam illa natura maximè habuit post mortem, & propter mortem, docente Paulo ad Philippenses 2. Quòd Christus *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, &c. Vnde statim Ioannes ibidem narrat, se audiuisse & vidisse omnes creaturas manifestantes gloriam Agni occisi, tanquam veri Dei. Alioqui si ex eo quòd dicitur Christus accipere diuinitatem, deducitur, Christum non esse substantialiter Deum, sed creaturam; liceret pariter deducere, non esse sapientem & fortem, sed insipientem & infirmum, ex eo quod dicitur etiam accipere sapientiam & fortitudinem. Quamuis igitur Christus hæc omnia in se ipsis verè acceperit, & vt homo per vnionem hypostaticam ab instanti suæ conceptionis, semper deinceps ea retinēdo, & vt Deus ab æterno per diuinam generationē in ipsa persona Verbi per se, vt notauit S. Thomas 4. contra gentes c. 8. ante medium, tamen eorum manifestationem vt homo petit, & accipit, & meruit, & nō semper habuit. & ideo multa, inquit S. Thomas, *ex tempore Filio Pater dedisse legitur in Scripturis, sicut Dominus post resurrectionē dicit Discipulis, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: & Apostolus ad Philippenses 2. dicit, quod propter hoc Deus ipsum exaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen; quia factus fuit obediens vsque ad mortem: quasi hoc nomen non habuerit ab æterno, est enim consuetus Scripturæ modus, vt aliqua dicantur esse, vel fieri quando innotescunt. Hoc etiam quòd Filius ab æterno vniuersalem potestatem, & nomen diuinum acceperit, post resurrectionem, prædicantibus Discipulis, mundo est manifestatum. Sicut etiam Ioannis 10. dicit Dominus, Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret: petit enim vt sua gloria, quam ab æterno à Patre recepit vt Deus, in eo, iam homine facto, esse declaretur.* nam, vt S. Thomas. Matth. vlt. *In quo sensu Christus dicatur dignus accipere diuinitatem.* *Exponitur locus Ioan. 10.*

inferius addit, *opertebat quòd sua claritas, quæ sub infirmitate carnis erat occultata, per carnis glorificationem, & miraculorum operationem manifestaretur in fide credentium populorum. Vnde de eius occultatione dicitur Isaiæ 53. Verè absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum.* Quarè cum dicitur Ioannis 17. *Pater clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te:* non potest intelligi de eodem glorificatione: nam, vt ibidem docet S. Thomas, *Pater non est occultatus velamine carnis assumptæ*, sicut occultatus est Filius, *sed suæ inuisibilitate naturæ, quo etiam modo Filius est occultatus secundum diuinam naturam. Filius autem Patrem clarificat, non claritatem ei dando*, sicut Pater clarificat Filium, *sed eum mundo manifestando: nam & ipse ibidem dicit, manifestaui nomen tuum hominibus.* *Exponitur locus Ioan. 17.*

Atque hæc sufficiant de obiectionibus Arianorum contra diuinitatem Filij Dei. Cum enim huius incomprehensibilis mysterij veritas, non ex naturali ratione, sed ex diuina reuelatione, quæ in sacra Scriptura maximè continetur, haberi possit, ad ordinatam atque perfectam illius intelligentiam, visum est necessarium, accuratam diuinarum literarum, quæ de hoc mysterio loquuntur, interpretationem præmittere, vt in eis sequentes theologicæ controuersiæ facilius ac certius fundari possint. Cæterum quæ vel ex ratione, vel ex Patribus obiiciunt, prætermittimus; tum quia nihil ferè noui atque egregij addi potest iis quæ de hoc obiectionum genere fusè ac doctè scripserunt Cardinalis Bellarminus tomo primo libro primo de Christo per totum, & Valentia q. 1. puncto 1. §. 22. & 23. tum quia sunt nimis crassa vanorum hominum commenta, qui terrena sapiunt, & ideo oculos habent, & non vident, &, vt ait Cyrillus libro primo in Ioannem cap. 4. multò post principium, *auditum suum à veritate auertunt, & ad suarum cogitationum fabulas confluunt:* tum quia si quid ex ratione difficilius occurrit, inferius propriis in locis commodius examinabitur: tum quia omnium Patrum sensus sufficienter manifestus apparuit ex iis, quos in sanctarum Scripturarum interpretatione superius attulimus. Iam verò ad reliquorum capitum tractationem, quæ supra, in fine numeri 18. proposuimus, & breuius expediri possunt, accedamus. *De Trinitate disputandum, potissimum ex Scriptura.* Bellarminus. Valentia.

PVNCTVM III.

Probatur æternitas Filij Dei.

SVMMA.

1. *Referuntur aduersarij æternitatis Filij Dei num. 56.*
2. *Afferuntur tres rationes ex Augustino, Cyrillo, & Athanasio num. 57.*
3. *Arguitur ex verbis Ioannis 1. num. 58. 59.*
4. *Arguitur ex alijs Scripturæ locis num. 60. ad 64.*
5. *Soluuntur hæreticorum argumenta n. 64. ad 70.*

56. Secunda conclusio, Processio Filij Dei à Patre, est omnino æterna, eadem scilicet consubstantiali æternitate, qua æternus est ipsemet Pater. Hoc est, quod in symbolo Athanasij Ecclesia Catholica cōfitetur, *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus: & tamen non tres æterni, sed vnus æternus.* Idque omnium fusissimè & optimè probat Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 5. & 6. contra hæreticos, à quibus, vt ait initio capitis quinti, *indoctè dicitur, Quòd erat duratio, quando non erat Filius.* Inter quos sunt nō solum Arius & sectatores, de quibus supra num. 18. sed numerantur etiam à S. Thoma 4. contra gentes cap. 4. alij antiquiores hæretici, nempe, Cherintus & *Conclusio.* Athanasius. Cyrillus. Thomas.

Aduersarij conclusionis. De errore Ebionitarum. Eusebius. Bellarminus. & Ebion, qui tempore Apostolorum asseruerunt, Iesum esse nudum hominem, natum vel ex viro & fœmina, vt quidam Ebionitę volebant, vel de Spiritu sancto & Maria Virgine, vt volebant alij, sicut narrat Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 27. sed, vt refert, & benè probat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 15. addebant, anno 30. in hunc Iesum descendisse quamdam aliam personam, quam Christum vocabant, in forma columbæ, vt in eo habitaret. Quarè egregiè mentiuntur Transyluani apud Bellarminum supra, dum contendunt, Ebionitas, quemadmodum & nos, ponere Christum compositum ex duabus naturis: verè enim illi non voluerunt esse in Christo aliam naturam nisi humanam: nos autem & humanam & diuinam in eo esse credimus in vnam Verbi personam per se & subsistantialiter vnitas. Ad quam veritatem præcipuè docendam adnersus Ebionitas, compulsum esse Ioannem ab Asiæ Episcopis Euangelium scribere, & omnium clarissimè & copiosissimè de Christi diuinitate disserere, testes sunt Hieronymus de viris illustribus, in Ioanne. Epiphanius hæresi 51. multò post principium. *De Euangelio Ioannis.* Hieronym. Epiphanius. Augustin. Augustinus in Procem. in Ioannem. & ipsemet Ioannes significat cap. 20. fine dicens, *Hæc scripta sunt vt credatis, Quia Iesus est Christus Filius Dei.* Eamdem hæresim, inquit S. Thomas suprà, *postea Paulus Samosatenus instaurauit; & postea à Photino est confirmata, vt qui hæc dogmatizant, Photiniani nuncupentur:* qui etsi cum Arianis conueniant, ponendo Christum esse non Deum, sed quamdam puram creaturam in tempore factam; tamen differunt in tempore, quo Christus esse incœpit, & in compositione creatæ substantiæ Christi: nam Photiniani, vt colligit idem S. Thomas supra cap. 7. fine negant, Christum, & Filium Dei fuisse antequam nasceretur ex Virgine, vt purus homo. Arianī verò fatentur, fuisse etiam ante primam mundi creationem, & deinde in vtero Virginis assumpsisse humanam naturam, ac proinde confitentur, inquit S. Thomas, *Christum quasi commixtum ex quadam excellentissima creatura, & humana.* Vnde multò magis à vera fide recedunt Photiniani, quàm Ariani. *De Photinianis ex S. Thoma.*

57. Hæc secunda conclusio manifestè sequitur ex prima. Si enim Filius Dei per suam essentiam est vnus Deus, vt probatum est, non potest non esse æternus ea æternitate, qua secundùm omnes, & catholicos, & hæreticos æternus est Deus. Deinde arguo primò ex Augustino 6. de Trinitate c. 1. initio. *Arius dixisse fertur, si Filius est, natus est: si natus est, erat tempus quando non erat Filius.* Hanc consequentiam esse falsam, & nimium materialem, ostendit Augustinus, & simul veritatem suadet, quia fiate possunt simul in Deo, *natum esse, & sempiternum esse; vt sit coæternus Patri Filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coeuus est illi; & esset coæternus, si esset ignis æternus.* Secundò ex nonnullis antiquis Theologis, qui olim ita arguebant aduersus Arianos, vt ibidem refert Augustinus. *Si Dei filius, virtus & sapientia Dei est; nec vnquam Deus sine virtute & sapientia fuit; coæternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: & Deum aliquando non habuisse virtutem, aut sapientiam, dementis est dicere. Non igitur erat tempus quando non erat Filius.* De qua optima argumentatione ita statuit Augustinus, acutè distinguendo duos sensus, alterum catholicum, à nobis intentum, quem approbat; alterum hæreticū Sabellianum, quem reprobat. *Quæ ratiocinatio*, inquit, *ad id cogit, vt dicamus, Deum Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam quam genuit; non existendo per se Pater ipsa sapientia*; nimirum genita: quamuis enim Pater sit omnino idem cum sua sapientia essentiali & ingenita, tamen à sapientia notionali & genita realiter distinguitur: tametsi illa sine hac numquam fuerit, nec esse possit. Vnde ipsemet Augustinus oratione de quinque hæresibus c. 6. post medium eo modo arguere videtur ex propria sententia. Filius enim est Patris verbum & ratio, ergo, inquit, *si dicis Deum aliquando sine Filio, ac proinde sine verbo, aut sine ratione fuisse, iam non Filio tantum, sed etiam Patri aduersarius eris.* Item ante ipsum Athanasius oratione 2. contra Arianos multò post principium. *Cur dicitis, Fuit quando non erat Filius? Quasi plagiarij, Deum Verbo suo spoliatis, & manifestò aduersus eum loquimini, quasi fuerit aliquando Deus sine sua ratione, sine sua sapientia; & lucem splendore caruisse, & fontem, veluti sterilem, exaruisse.* Quod repetit in epistola ad Serapionem contra eos qui dicūt, Filium creaturam esse, circa principium. Idem argumentum, licet breuius, & obscurius facere videtur Cyrillus in lib. 1. in Ioannem c. 4. ante medium illis verbis, *Deus Pater, semper pater est; & eius Verbum.* hoc est, Patris quoque Verbum necessariò semper est: quoniam Deus Pater non potest esse sine suo Verbo consubstantiali; Deus enim esse nequit, nisi sit intelligens intellectione sibi cōsubstantiali; intellectio autem esse non potest sine Verbo: ergo Deus Pater esse non potest sine suo Verbo consubstantiali. Sequitur Cyrillus, *& quia Verbum, idcirco Filius, semper filius.* hoc est, Quia Filius est Verbum, constat enim ex Scripturis, præsertim Ioannis 1. quod ne Ariani quidem, quamuis in torquendis Scripturis audaces, negabant, eandem personam esse, quæ modo vocatur Verbū, modo Filius; & quia Verbum Patris est semper, sicut semper est ipsemet Pater, vt probatum est, ideo Filius semper est filius. Tertiò idem Cyrill. lib. 1. Thesauri c. 5. post medium benè arguit ducendo ad absurdum, tali pacto. *Si Patri Filius coæternus nō est, necesse erit concedere, imperfectum aliquando fuisse sanctissimam Trinitatem, fuisseque vnitatem antequam Filius esset, factā verò postea Trinitatem fuisse quando accessit quod deerat. & quoniam quicquid accessit id etiam auferri potest, cauendum ne qua ratio nos cogat confiteri, rursus posse Trinitatem ad vnitatē redire. Quod si quis credit, impietate ipsa magis impius est. erat ergo semper cum Patre Trinitatis plenitudo.* Hanc rationem, qua probatur, ex imperfectionibus Filio tributis ab Arianis imperfectam reddi sanctissimam Trinitatem, prius & latius prosequutus est Athanasius oratione 2. contra Arianos, multò post principium. *Secundam conclusionem sequi ex prima. Primæ conclusionis ratio ex Augustino.* ex Athanasio. ex Cyrillo. *Tertia ratio ex Cyrillo.* Athanasius.

Probatur ex loco Ioannis 1.

58. Arguo quartò ex verbis Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Hinc Ambrosius libro 1. de Fide cap. 5. initio ita sapienter discurrit. *Erat, erat, erat, erat: ecce quater, erat. Vbi impius inuenit, quod non erat? Quicquid excogitaueris, erat Filius. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio præuenitur. Ergo Arius conticescat.* nam vt addit cap. 9. paulò post principium, *Arius dicit, erat quando non erat. Sed Scriptura dicit, erat. non dicit, non erat. Cui ergo credimus, Ioanni in Christi pectore recumbenti, an Ario inter effusa se sua viscera voluitanti, vt agnosceremus similem Iudæ proditoris, Arij quoque fuisse perfidiam, quem similis pœna damnauit?* & Basilius homilia in initium Euangelij Ioannis in fine, *Si quis, te aggressus dixerit, non existens natus est, si enim erat, quomodo natus est? Quater dic vocem, erat, & irritum facies ipsorum non erat.* & oratione aduersus eos qui calumniantur nos, quòd tres Deos colamus, aliquanto ante finem. *Vox, erat, obliterat vocem, non erat. &, Deus, obliterat vocem, non* Ambrosius. Basilius. 1. Cor. 1.

Deus. & Nyssenus de Fide, post medium *ex eo, quod dixit, quòd in principio erat, & non post principium, ostendit, quod numquam absque Verbo principium erat.* & ideo Athanasius oratione secunda contra Arianos ante medium ita docet, *Sacra Scriptura sempiternè eum, æternaliterque cum Patre coëxistere pronunciat, dum dicit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item acutè Augustinus oratione de quinque hæresibus cap. 6. circa medium. *Si erat tempus quando non erat Filius, Ioannes Euangelista non debuerat dicere, In principio erat Verbum; sed, In principio erat tempus.* Præterea Hilarius 2. de Trinitate ante medium. *Quid est istud, In principio erat? Transeuntur tempora, transcenduntur secula, tolluntur ætates. Respice ad mundum, & intellige quid de eo scriptum sit, In principio fecit Deus cœlum & terram. Fit ergo in principio quod creatur, & ætatem continet quod in principio continetur, vt fieret.* Et statim huic mundi creationi opponit generationem Verbi, subdens, *erat quod est, neque in tempore aliquo concluditur vt cœperit, quod erat potius in principio quàm fiebat.*

Athanasius.

Augustinus.

Hilarius.

59. Addit ibidem Ioannes de Filio Dei, *Omnia per ipsum facta sunt.* Vnde etiam eius æternitatem colligunt Hilarius supra illis verbis, *ergo nihil sine illo est, per quem vniuersa cœperunt: & in infinito est, per quem quod est, omne sit factum. Idcirco & tempus ab eo est.* Ambrosius supra, arguens, dici non posse, fuisse tempus quando non erat Filius: *si enim*, inquit, *tempus dixeris, te ipsum conuinces, quia necesse est asseras, fuisse tempus ante Filium.* Quod quidem impossibile omnino est, quia *cum Filius temporis author sit & creator*, per ipsum enim facta sunt omnia, *non potest post opus suum ipse cœpisse. Necesse est igitur authorem operis sui esse fatearis*, nimirum ante omnia tempora, & ante omnem rem factam & creatam: quod non potest esse nisi Deus æternus atque increatus. Et Augustinus supra, illis verbis, *Si erat tempus, quando non erat Filius; ergo fuit tempus, quod non fecit Filius. Si fuit tempus, quod non fecit Filius; non omnia per ipsum facta sunt: iam enim erat tempus, quando non erat Filius.* In qua argumentatione non est facienda vis præcisè in tempore, quia, vt non obscurè significat Ambrosius supra, Ariani, qui ponunt Filij Dei creationem ita non fuisse ab æterno, vt tamen fuerit multò ante creationem huius mundi, & consequenter cuiuslibet temporis, & alterius creaturæ, vt constat ex epistola Arij ad Eusebium, de qua supra *n.* 18. dicere facilè possent, illum fuisse in tempore, non quidem positiuè, quasi præesset positiuum ac reale aliquod tempus, in quo, non creato à Filio, postea creatus sit Filius, sed solùm negatiuè, ex eo scilicet, quòd non fuit ab æterno, sed in aliquo tempore imaginario, quod concipimus post transactam totam æternitatem à parte ante: in quo sensu omnes catholici asserimus, hunc mundum fuisse creatum in tempore, quod tamen realiter non præexistebat quando in principio creauit Deus cœlum & terram, & motum & tempus, & quidquid præterea factum est. ergo facienda est vis in quacumque re creata, siue sit tempus, siue quiduis aliud. Si enim omnia per Filium facta sunt, ergo nulla planè fingi potest creatura, quam non præcedat Filius non creatus. Vnde necessariò sequitur, ipsum respectu cuiuslibet creaturæ ac temporis semper præcedere per æternitatem increatam, ac proinde consubstantialem Patri. Et consequenter, tam in principio, in quo incœpit hic mundus, & reale tempus, quàm in quocumque alio principio, in quo ante hunc mundum, sed post æternitatē, incœpisse fingatur aliqua alia creatura; quemadmodum fingunt Ariani de Verbo & Filio Dei, semper valet verè dicere cum Ioanne, *In principio erat Verbum apud Deum.* hoc est, præexistebat in Deo Patre ab æterno eadem æternitate qua præexistebat ipsemet Deus Pater. & Athanasius supra, arguens etiā ex illis verbis Psalmi 144. *Regnum tuum, Regnum omnium seculorum*, hoc inquit, *non permittit, vllam, vel qualemcunque intercapedinem temporis intelligi, in qua re non extiterit Verbum. Si enim omne spatium mensura seculorum colligitur, omnium autem seculorum Rex est & conditor Verbum, necesse est, nullum fuisse quantumcumque ante eum spatium; vt furiosum sit dictu, erat aliquando, quando non erat æternus ille.* & Cyrillus lib. 1. Thesauri c. 5. initio ait, *Quomodo non erit indoctus, qui tempus præfuisse Filio audet dicere, per quem secula facta esse Paulus asserit?* & Basilius supra, circa medium homiliæ, *temporis conditorem quomodo congruum est, generationis temporalis appellatione esse subiectum?* Demum Patres Nicæni Concilij in quadam responsione docent, ex his Ioannis verbis *apertissimè demonstrari, Filium semper cum Patre existere, coæternum Patri. Si Filius*, inquiunt, *opifex est omnium creaturarum, vt re vera est, tam earum quæ videntur, quàm earum quæ intelliguntur, manifestum est, quòd verè Deus natura sit, & non instrumentum, vt ais, neque creatura, neque factura, nec Patre posterior. Hoc enim ab Euangelista quater dictum est, non habet aliquid quod ante illum extiterit.* Et iterum infra, in alia responsione, *Illud, erat, non habet aliquid præcedens. Illud, erat, tollit quod non erat.* Et ideo in fine symboli, expressè anathematizandos esse putauit, *eos qui dicunt, erat aliquando quando non erat; & antequam nasceretur, non erat.*

Ex illo, omnia per ipsū facta sunt, *colligunt Patres æternitatem Verbi.*

Explicatur collectio.

Idem colligit Athanasius ex Psalm. 144.

Cyrillus.

Ad Hebr. 1. Basilius.

Concilium Nicænum.

Probatur ex alijs Scripturæ locis.

60. *Plenum est vetus Testamentum testimonijs Filij sempiterni, plenum est nouum*, inquit Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 5. initio. Sed omissis multis superius allatis, præsertim ex Hilario num. 16. aliisque minus illustribus arguo 5. ex illis verbis Michææ 5. *& tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël; & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quæ manifestè sunt de Christo, de quo etiam *propter manifestam prophetiam*, vt ait Origenes lib. 1. contra Celsum, multò ante finem intellexerunt olim vel ipsi Iudæi, Principes sacerdotum, & scribæ populi, interrogati ab Herode, Matth. 2. & duplicem illius natiuitatem exprimunt, alteram temporalem & humanam futuram in Bethlehem, alteram sempiternam & diuinam, quæ in plurali dicitur, *egressus*, hoc est, egressiones, vt constat ex voce Hebræa מוֹצָאוֹתָיו, egressiones eius, & Græca ἔξοδοι. Vel *quia Christus semper procedit à Patre iugi manatione & processione, heri, hodie, & olim*; vt discurrit Vatablus in Commentario huius loci. Vel ad infinitam diuinæ generationis præstantiam significandam. Solent enim Hebræi, vt noster Ribera in hūc locum eruditè obseruauit, rem singularem; magnitudine aliqua, seu modis, seu virtutis excellentem, nominare in numero plurali: quoniam etsi in sua formalitate sit singularis, tamen in sua virtute, seu profectione multis æquipollet. Sic Iob 40. maximæ molis & fortitudinis bellua, in plurali dicitur, Behemoth, בְּהֵמוֹת vnde Dauid Psal. 72. volens amplificare ingratitudinem suam erga Deum, dixit, se factū esse apud Deum, *vt iumentum*, Hebraicè in plurali, בְּהֵמוֹת Behemoth. Sic etiam Prouerbiorum 1. vbi de sapientia diuina dicitur, *sapientia foris prædicat*, textus Hebræus in plurali habet, חָכְמוֹת sapientiæ. Sæpe quoque Deus, quia est supremus iudex, pluraliter dicitur, אֱלֹהִים Iudices, & quia est supremus Dominus, pluraliter dicitur, אֲדֹנִים Domini.

Porrò

Probatur ex Michæa 5.

Origenes.

Cur Verbi generatio dicatur egressiones.

Vatablus. *Cur Hebræi rem singularem nominēt in plurali.*

Exponitur locus Iob 40. Exponitur locus Ps. 72.

Exponitur locus Prouerbiorum 1.

61. *Quid significent in Scriptura*, In principio, Ab initio.

Porrò illud, *ab initio*, quamquam per se, & sine alio adiuncto prolatum, non satis significat æternitatem, & passim de temporalibus rebus vsurpatur, vt Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Et c. 2. *Plantauerat Deus paradisum à principio.* Et Isaiæ 45. *Quis auditum fecit hoc ab initio*, &c. & de Diabolo Ioannis 8. *Ille homicida erat ab initio*: tamen coniunctum cum eo quod sequitur, *A diebus æternitatis*, rectè sumitur pro diuinæ natiuitatis æternitate ex communissima Patrum interpretatione, & sensus est, egressus eius ab initio creationis mundi; & ante, per totam æternitatem. Ita Prouerbiorū 8. ad explicandam æternitatem eiusdem diuinæ generationis, non satis fuit dicere, *Dominus possedit me in initio viarum suarū*, sed additum est, *Antequā quidquā faceret à principio.* Esse verò, seu generari ante principium, siue ante omnem creationem in principio mundi factam, ex consueta phrasi Scripturæ, significat esse, seu generari ab æterno, & non solum esse quid simpliciter antiquius mundo, quod tantum verba ipsa per se postulant; & competere potest rebus non æternis, v.g. Angelis, si vera esset opinio dicentium, eos creatos multò ante initium huius mundi corporei. Patet ex verbis Ioannis 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* & infrà, *Dilexisti me ante constitutionem mundi.* Et ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, & 1. Petri 1. *Christi præcogniti ante mundi constitutionem.* Et Ps. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à seculo, & vsque in seculum tu es Deus.* Et Ps. 54. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula.* Et quidem rectè significatur esse æternum, quod ante mundum, & cœlum & terram, & secula, ac tempora esse dicitur; quia per hæc homines communiter concipiunt res omnes quæ habuerunt durationis principium; vnde passim Scriptura, mundi principium, vocat absolutè principium, vt verbis citatis Genes. 1. 2. Isaiæ 45. Ioannis 8. & alibi. Quod autem est ante quodlibet durationis principium, non potest non esse æternum. Imò ex adiunctis aliquando intelligitur esse æternum id quod esse dicitur ante aliquod determinatum tempus post mundi principium. Vt cùm Christus dicit Ioannis 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, non enim significare tantum vult, se antiquiorem esse quàm Abraham, sed in nullo prorsus tempore esse cœpisse: quia vt homo esse non poterat ante Abraham, cuius filius dicitur Matthæi 1. posterior illo annis ferè bis mille: & vt Deus, non erat maior ratio vt esset ante Abraham, & non prius & prius in infinitum; quod vel ipsi Iudæi intellexisse videntur, quia statim *tulerunt lapides vt iacerent in eum*, tamquam in temporalem creaturam, quæ dixisset, se esse Deum æternum. Præterea si diuinæ sapientiæ genitæ æternitas benè colligitur ex eo quòd Ecclesiastici 24. ipsa dicat non solum, *Ab initio*, sed etiam addat, *& ante secula, creata sum*; multò certius idem colligi potest ex hoc loco, vbi illud, *Ab initio*, coniungitur cum illo, *A diebus æternitatis*, quod longè clarius, quàm illud, *Ante secula*, æternitatem importat. Dies verò, & annos, & secula tribui diuinæ æternitati, non propter eius finitatem, aut formalem quantitatē & diuisibilitatem, sed propter quantitatem, & diuisibilitatem virtualem, qua apta est indiuisibiliter & permanenter correspondere cuilibet tempori, diuisibili & successiuo, etiamsi esset infinitum, notaui cum Alensi in superiori tom. 9. 10. art. 1. n. 33. Quare crassa nimis est Francisci Dauidis commentatio apud Bellarminum lib. 1. de Christo c. 8. paulò post principium, & Valentiam hîc, puncto 1. §. 14. circa medium, qua ex eo, quòd Christi generationi tribuantur dies, dedu-

Exponitur locus Prouerbiorum 8.

Esse æternum significari per esse ante principium mundi.

Exponitur locus Ioannis 8.

Exponitur locus Ecclesiastici 24.

Qua ratione dies & anni tribuantur æternitati.

Soluitur argumentum hæreticorum apud Bellarminum & Valentiam.

62. *Exponuntur loca ad Hebræos 13. Apoc. c. 1. 4. & 11.* Sextò æternitatem Filij Dei non obscurè explicant verba illa ad Hebræos 13. *Iesus Christus heri, & hodie; ipse & in secula.* Cui consonat Ioannes in Apocalypsi c. 1. & 4. & 11. de Christo sæpe dicens, *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Quorum verborum vi commotus Athanasius oratione 2. contra Arianos multo post principium, dixit, *Huic sententiæ, Qui est, & qui erat, quisnam adimeret æternitatem?* Et Cyrillus lib. 1. Thesauri c. 5. circa principium. *Is de quo dicitur, Qui est, qui erat, & qui venturus est, æternus esse certè significatur.* Et Ambrosius 5. de fide c. 2. aliquanto post principium. *Bene scriptum est, Heri, & hodie ipse est, & in secula, vt Arij impietas astruendi sacrilegij locum inuenire non posset. Heri, propter æternitatem, Hodie propter corporis susceptionem. Est ergo Christus, & est semper. Qui enim semper est, est.* Isdem verbis, inquit Theodoretus, *Paulus docet Christi æternam essentiam.* Omnium clarissimè Anselmus ea Pauli verba exponens ait, *Heri, omne præteritum tempus, & omne spatium æternitatis, quod ante mundi originem fuit, significat. Hodie, omne præsens tempus. Illud autem, Ipse & in secula, omne spatium temporis, & infinitatis, quod futurum est. Itaque Iesus Christus fuit heri, quia in principio erat Verbum, & ab æterno vsque ad nostra tempora ipse est. Hodie quoque, id est, nostro tempore est. erit & in secula, quia æternaliter manebit. Vnde & per Ioannem de eo dicitur, Qui erat, & qui est, & qui venturus est. nam qui venturus est, potest intelligi, Qui futurus est per omnia secula.* Hæc verba Apocalypsis 4. intelliguntur ab Anselmo de Christo, seu de Verbo incarnato. Christus enim vt Deus, semper fuit, & etiam in principio, siue ante principium, quo factus est homo, vel quo incœpit creatio mundi, erat per totam æternitatem antecedentem apud Deum Patrem. Vt homo verò non erat, sed est, & esse incœpit quando Verbum caro factum est: & in fine mundi venturus est iudicare viuos & mortuos, & semper victurus, & regnaturus est per omnia secula seculorum. Quamquam non desunt ex modernioribus expositoribus, qui ea verba de solo Patre, vel etiam de vno Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto, non de Deo homine, à Ioanne dicta esse contendant. Sed illud, *Qui venturus est*, propriissimè intelligitur de solo Christo, minus propriè de Patre & Spiritu sancto, & ideo totus locus de Christo probabilius intelligitur à Bellarmino lib. 1. de Christo c. 4. loco 6. Valentia supra. *Qui enim*, inquit illustrissimus Dominus, *venturus est, nisi Christus?* & confirmari efficaciter potest, quia Apocalypsis 4. Ioannes sumit verba ex Isaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Quæ idem Ioannes in c. 12. sui Euangelij apertissimè docuit dicta esse de Christo, illis verbis, *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* hoc est, de Christo Domino. Vidit igitur Isaias gloriam Christi quando

Anselmus.

Ambrosius.

Cyrillus.

Athanasius.

Theodoret.

Bellarmin. Valentia.

Exponitur locus Isaiæ 6. ex Ioann. 12.

c.6. dixit, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant Templum. Seraphim stabant super illud: sex ala vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem, & duabus velabant. Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabbaoth, plena est omnis terra gloria eius. Et dixit Dominus ad me, Dic populo huic, excæca oculos ipsorum, & cor eorum aggraua*, &c. Quæ vltima verba tantùm refert Ioannes citato c.12. Ita enim interpretatur Ioannes dicens, *Quando Isaias vidit gloriam eius.* Sed idem Dominus, cuius gloriam vidit Isaias, illi dixit, *Excæca*, &c. quæ verba, teste Ioanne, dicta sunt de Christo. Ergo de Christo apud Isaiam dicitur, *Sanctus, Sanctus*, &c. Sed de hoc Sancto dixit Ioannes in Apocalypsi, *Qui erat, qui est, qui venturus est.* Ergo hæc verba à Ioanne dicta sunt de Christo.

Basilius. Vnde Basilius lib.4. contra Eunomium aliquanto post principium expresè docet dictum esse *de Filio in Apocalypsi. Qui est, qui erat, & qui venturus est.*

Cyrillus. Et Cyrillus 2. de Trinitate aliquanto ante finem, *Sapiens Ioannes testimonium perhibuit Filio, quod temporali initio careat, dicens, In principio erat Verbum. Et iterum, Qui est, qui erat, qui venturus est.* nam, vt bene probat libro 1. Thesauri c.5. initio, *Venturus de Verbo dicitur de quo etiam dicitur, Qui est, & qui erat.*

63. *Arguunt ex verbis 1. ad Cor 2.* Septimò arguo cum Ambrosio 1. de fide c.5. aliquanto post principium. *Apostolus dicit, quòd Dei sempiterna virtus sit atque diuinitas. Virtus autem Dei, Christus est; scriptum est enim, Christum esse Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ergo si Christus, Dei virtus; quia virtus Dei sempiterna, sempiternus igitur & Christus.*

Ambrosius. Athanasius. Eodem modo argumentantur Athanasius oratione 2. contra Arianos, multò post principium, & fusius

Cyrillus. Cyrillus lib.1. Thesauri c.5. paulò post principium, Vbi etiã ex illo Ps.35. *In lumine tuo videbimus lumen.* ita similiter arguit, *Si lumen de lumine Patris, Filius est, quando non erat in Patre lumen eius? Sicut enim lucendi potestas ab igne separari non potest, sic à Patre lumen, quod ex eo nascitur, inseparabile est.* Et iterum infrà. *Filius, cum à Patre generetur, Verbum, & sapientia, & splendor Patris est. Quare qui asserunt, aliquando ipsum non fuisse, insipientem, & sine Verbo, atque splendore suo Patrem fuisse asserunt, quod impium omnino est.*

Basilius. Item Basilius lib.4. contra Eunomium, ante medium. *Si Christus Dei virtus & sapientia est, hæc autem increata, & coæterna Deo (non enim erat, quando erat insipiens, & absque virtute) increatus, & coæternus Christus est Deo.*

Satisfit oppositis argumentis.

64. *Hæreticorum obiectio 1. apud Athanasium, Cyrillum, & Ambrosium.* Primò, inquit Cyrillus suprà, & ante ipsum Athanasius oratione 2. contra Arianos multo post principium. *Hæretici aiunt, si non erat tempus, in quo non erat, sed æternus Filius, & semper esse cum Patre à vobis creditur, non filium, sed fratrem ipsum appellare debetis.* Quod si cum Athanasio, & Cyrillo rectè respondeas, *Si solummodo coæternus esset, & non filius, locum haberet hæc ratio hæreticorum; verum quoniam & æternum, & filium simul prædicamus, quomodo frater erit geniti oris sui, præsertim cum non à priore aliquo principio Pater & Filius oriantur, vt possint fratres putari:* instant Ariani apud Ambrosium suprà, *Quomodo si filius sit, non priorem habeat patrem: Omne, inquis, quod natum est, principium habet: & ideo, quia Filius est, principium habet, & ex tempore esse cœpit. Vsu, inquis, accipimus, eo qui nascitur, priorem esse qui generat.* Quo argumento vsum esse ipsummet Arium, colligimus ex eius epistola, de qua supra n.18. nam cum dixisset de Filio Dei, *Priusquam genitus est, non erat*, hoc statim probans subdit, *ingenitus enim non erat.*

Respondetur eis Ambrosio. Respondet optimè Ambrosius, *Non esse hæc corpo-*

ralitèr æstimanda. Alioqui si ex modo humanæ generationis, liceret arguere, Filium etiam Dei esse temporalem, possemus pariter eidem attribuere multa alia indignissima Filio Dei, eiusque Deo Patre, v.g. esse generatum ex semine Dei Patris, eiusque intrinseca mutatione ac passione: esse ex aliqua fœmina; vel saltem in Patris vtero nouem mensibus gestatum. *Sed quomodo*, inquit Ambrosius, *sine sexu altero, generationis vsus? Tu vsum quæris, ego sexum. Tu tempus exigis, ego ordinem.* Sicut igitur huiusmodi imperfectiones, quas in corporalibus & carnalibus generationibus videmus, concipi non debent in spirituali, intellectiua, purissima, ac perfectissima Dei generatione; ita nec temporis imperfectio. Si enim Pater æternus generauit Filium in aliquo determinato tempore, cur non antea? Semper igitur ac Pater fuit, potuit generare, & ad generandum nulla alia re extrinseca indigebat, nullum defectum habebat, nullo impedimento detinebatur. Ergo semper & ab æterno generauit. Hæc autem omnia, vt ratiocinatur Ambrosius, ex eo maximè à priori demonstrantur de Filio Dei, *Quia Deus verus ex Deo vero est.* Nam, vt pluribus exponit Cyrillus lib.1. Thesauri c.5. multò ante medium, *Cum Pater perfectus sit; & qui ex eo est, perfectus est. Æternus autem Pater est; æternus ergo etiam Filius est: & sicut æternitas non accidit substantiæ genitoris, quia semper æternus est: sic & Filius, quia similiter perfectus est, similiter etiam æternus est.* Ad idem faciunt, quæ ex Augustino diximus supra n.57. & confirmari possunt ex Nazianzeno oratione 3. de Theologia circa principium illis verbis, *Satis constat, causam non omnino his, quorum est causa, antiquiorem esse, quando nè Sol quidem ipse, Luce est antiquior.* Idémque docet Nyssenus de Fide, ante medium. Nazianzen.

65. *Obiectio 2. apud Cyrillū, & Athanasium.* Secundò ex eodem Cyrillo lib.1. thesauri cap.5. multo ante finem, Ariani, *quasi mulierculas nos indoctas interrogant.* imò, vt refert Athanasius oratione 2. contra Arianos multò ante medium. *Ad mulierculas sese insinuantes, istiusmodi verba effœminata sonant. Habebas filium antequam genueris? Certè non sic ergo, inquiunt, & Deus non habebat filium antequam genuerat. Non erat ergo semper Filius.* Atque, vt ait Athanasius suprà, *Hoc genere verborum famosi nebulones propemodum tripudiando lasciuiunt, Deum hominibus adæquantes.*

Respondetur primò per instantiam. Respondeo primò cum Cyrillo sequente Athanasium supra afferendo omnino parem, & manifestum instantiam de creatione. Sicut enim aduersarij Catholicos Patres interrogant, ita nobis Arianos fabros similiter interrogare licebit, *Si possunt absque materia opus suum efficere? si non posse, respondebunt; inferent ex hoc, Deo etiam materia opus esse ad productionem vniuersi: & ita non erit creator, si non ex nihilo, sed ex præsubiecto principio, atque materia fecisse inueniatur; constructorque magis erit quam creator. Quod si hoc, sicut impium fugiunt; aut causam afferant, quamobrem in generando, nihil plus quam homini, Deo attribuunt; in creando verò non ita, sed super hominem, Deum esse non negant: aut ita Deus, pater erit super hominem, sicut & creator.* Secundò soluendo argumentum. *Respondetur secundò soluendo argumentum.* Illam interrogationem rectè fieri de hominibus imperfectè generantibus, qui ad generandum multis indigent, & multa impedimenta habere possunt; & ideo generare nequeunt statim ac sunt, & licet de illis dicere, non posse habere filios antequam eos generent, & prius existant ac durent multis annis. De Deo autem æterno, perfectissimo generante absque vllo defectu, indigentia, & impedimento, non posse fieri nisi nimis materialiter & insipienter. Quamuis igitur Deus non habuerit filium, antequam generauerit, tamen ad generandum Filium, non debuit expectare æternum, atque infinitum tempus,

tempus, vt stultè somniant Ariani; sed potius in ea ipsa æternitate in qua fuit Deus, fuit Pater, & generauit, atque habuit Filium; ita vt quocumque temporalis durationis principio assignato, Deus, sicut per æternitatem à parte ante habuit esse perfectum, & consequenter perfectam generandi vim, ita generauerit, & habuerit Filium. Quod videtur

Ioannis 1. *Refertur ex Cyrillo, Basilio, Ambrosio, & solutur aliud simile Arianorum argumentum.* Ioannes significare voluisse, cum dixit, *In principio erat Verbum apud Deum.* Ex his patet, vanissimum esse aliud simile argumentum, quo, vt idem Cyrillus suprà testatur, *absurdius adhuc Ariani interrogant, vtrum cum esset Filius, an cum non esset, Pater eum genuerit?* Quæ interrogatio à Basilio lib.4. contra Eunomium, aliquanto post principium dicitur *obscura & maligna; verentur enim, quando, & in quo tempore, interrogare.* Et Homilia in verba illa, *In principio erat verbum.* dicitur, *Demonum vox, & contra vnigeniti gloriam blasphema.* Et rationem assignat Ambrosius lib.4. de Fide c.4. circa medium, quia *si dixerimus, quod antequam generaretur, erat, absurdè inferunt, ergo antequam generaretur, creatus est, & non differt à cæteris creaturis, quia prius cœpit creatura esse, quam filius. Si respondemus quòd non erat, obiiciunt statim; ei ergo generatio contulit vt esset, qui non erat antequam nasceretur, vt hinc colligant; erat ergo quando non erat Filius.* Verum responderi facilè potest, neque cùm iam præesset, neque cum non esset, generatum esse Filium: quia non est generatus ex suo esse, aut non esse sui, sed solum ex substantia Patris æterni, & in ipsa Patris æternitate. Sicut igitur Pater æternus numquam ipse sibi præfuit, nec aliquando non fuit: ita Filius nec vnquam fuit ante se, suamque generationem; nec aliquando esse non habuit. Præterea Cyrillus Arianos acutè redarguit, eos similiter interrogando, Vtrum Deus pater, quem ipsi etiam, teste eodem Cyrillo circa medium sequentis capitis 6. *& si non semper patrem, tamen semper Deum fuisse asserunt*, suum esse in ipsamet æternitate habuerit ex alio, vel ex nihilo fuit? *In his enim*, inquit, *non aliter quam interrogatio, responsio quoque ipsa impia erit.* nimirum, quoniam vtrumque membrum interrogationis impium est; sed præter illos duos essendi modos proprios creaturarum, datur tertius essendi modus propriissimus Dei, nempe, habere esse per essentiam, in suo quidditatiuo conceptu includentem actualitatem & existentiam. Ita in interrogatione Arianorum longè absurdiore, præter illum modum impossibilem generandi Filium iam præexistentem, & alium modum possibilem, sed creaturarum proprium, generandi Filium ex non esse Filij, datur tertius modus generandi ex æterna Patris substantia in ipsa æternitate; qui est modus omnium perfectissimus, ac purissimus, & propriissimus Filij Dei, significatus à Cyrillo illis verbis. *Nos verò pie dicimus, æternum Patrem esse, & Filium similiter æternum. Sicut enim numquam erit lumen absque splendore suo, sic non erit Pater absque Filio, propter quem Pater est. Erat autem semper Deus Pater: erat igitur semper ille quoque, cuius est Pater. Solem respiciant si volunt. Si lux, quæ est ex eo, semper cum eo sit: & ab igne discant, an ei semper calor inerat. Et si cum istis semper inuenerint fuisse quæ ex ipsis, quanto magis cum æterno Deo Filius semper erit. Non est enim Filius quasi pars aliqua Patris, sed ex ipso, & in ipso. Nam quia ex ipso est, Filius vocatur: quia verò in ipso, sapientia & Verbum. Coæternus igitur genitori est: nunquam enim intellectus compos, sine sapientia, & Verbo fuisse Patrem, dicere audebit.* Atque hæc omnia, fusius etiam, docet Athanasius supra. Itaque cum

Athanasius. interrogant, Filius quando genitus est, vel erat, vel non erat: respondendum, si illud *erat*, significat, præexistebat, non erat; cum implicet, aliquem existere ante suam generationem: si verò significat, Habebat esse per ipsam generationem, verissimè erat, & quidem semper erat, quia generatio, per quam est, semper fuit.

Instantia contra hæreticos.

Tertiò refert Cyrillus circa finem citati cap.5. Catholicis ita arguentibus, Bonum est, Deum Patrem semper esse patrem, ergo Deus Pater semper fuit pater, alioqui, *non fuisset Deus aliquando bonus, quod impium est*; oppositum esse Arianos exemplum de creatore, quia bonum est, Deum esse creatorem, & tamen Deus non fuit semper creator. 66. *Obiectio tertia.*

Respondetur cum Cyrillo assignando differentiam inter æternã Verbi generationem, & temporalem creationem mundi. Respondet Cyrillus, *magnam esse differentiam inter Filium & creaturas*: quia Deus sine Filio, non esset pater; pater enim non est formaliter pater, nisi ex correlatione essentialiter terminata ad filium à se genitum: at sine creaturis à se factis, esset essentialiter creator; quia creator non est, & denominatur creator per ordinem ad creaturas, quas actu creet, sed solum per artem creandi creaturas, quæ semper ab æterno est in ipso Deo, siue faciat, siue non faciat creaturas: *artem enim habentem fabrilem*, inquit Cyrillus, *fabrum appellamus, etiamsi nihil fabricetur; idque ideo, quoniam potest fabricare, si voluerit. Patrem autem non dicimus, nisi Filius natus fuerit, propter quem pater dicitur. Non est ergo idem creatura & filius: quoniam Deus natura creator est, etiam ante creaturas; pater autem non est, antequam filium generet.* quod ante ipsum docuerat Athanasius orat.2. contra Arianos aliquanto ante med. illis verbis. *Opifex quidem & dici, & esse poterit, etiamsi nondum opera existant: Pater vero nec esse, nec dici poterit, si non sit ei Filius.* Vbi notandum, aliud esse, Deum esse creatorem; aliud, esse creantem. Illud Deus semper habet; hoc non semper, sed solum cum actu creat in tempore. Deum verò esse patrem, comparari cum Deo creatore, non cum Deo creante. Quòd si hinc pro Arianis instetur, bonum quoque esse, Deum esse, non solum creatorem, sed etiam creantem; & tamen non semper fuisse creantem. Ergo & si bonum sit, Deum esse patrem, tamen non sequitur, semper illum fuisse patrem: assignari facilè potest disparitas ex eo, quod esse patrem, & generare, atque habere filium, est bonum intrinsecum ac naturale ipsius Dei intra se ipsum, *cum id*, vt ibidem Cyrillus docet, *non sit voluntatis opus, sed naturæ proprietas*: ac proinde est bonum, quo Deus semper ac est, carere non potest: quemadmodum, ob similem boni rationem, fieri nequit, vt non sit creator. At verò esse actu creantem, est bonum Dei extrinsecum, & opus solius diuinæ voluntatis liberæ, qua non fit aliquid intra Dei substantiam ac naturam, sed omino extra Deum, quo Deus nulla ratione indiget; sed carere potest absque vllo defectu. Nam, vt ait Athanasius supra, *Cum opifex vult, operatur: fœtus autem non est res obnoxia voluntati, sed est quiddam proprium, ac suum paternæ substantiæ.*

Respondetur eum Cyrillo æternitatem generationis non posse saluari per æternam generãdi voluntatẽ. Quartò Eunomius & sectatores, teste Cyrillo lib.1. Thesauri c.6. aliquantò ante medium, *inquiunt, nos non negamus, coæternum dici Patri Filium: non tamen, quia semper cum ipso fuerit; sed quia pater semper voluntatem habendi filium in se habuit.* 67. *Obiectio quarta.*

Respondet optimè Cyrillus, eamdem voluntatem ab æterno Deum habuisse circa quamlibet creaturam, quam in tempore de facto creauit; *non enim inuitus, sed volens, propter bonitatem suam cuncta creauit.* Ergo per hunc æternitatis modum, non plus aduersarij concederent æternitatem Filio Dei, quàm cuilibet minimæ creaturæ. Quod nemo non videt, insipientissimè dici.

Quintò Ariani, *ad illud, ceu subsidium vltimum confugient*, vt ait Nazianzenus oratione 3. de Theologia aliquanto post medium, *Si non desiit generare Deus, imperfecta est generatio. & quando desinet? Sin desiit, certè & cœpit.* Idemque argumentum refert Basilius 68. *Obiectio quinta.*

filius lib. 4. contra Eunomium, multò post principium, Ambrosius lib. 4. de fide c. 4. post medium, ab eoque dicitur, *plena impietatis obiectio, quæ latentem habet dolum.*

Respondetur primò cum Nazianzeno & Basilio, ex fine non necessario argui principium.

Respondent primò Nazianzenus & Basilius, ex fine generationis non necessario deduci principium generationis: sicut inquiunt non valet à contrario, Res non habet finem; ergo nec principium: quia Angeli, & animæ nostræ nunquam esse cessabunt, & tamen aliquando esse incœperunt. Sicut etiam magis directè, non valet contra Aristotelem, aliosque antiquos Philosophos, & contra S. Thomam, & Thomistas omnes, ac multos alios Theologos admittentes tempus æternum à parte ante, saltem de possibili, Tempus hodie habet finem, ergo antea habuit principium. *Præscientia quoque Dei*, inquit Basilius, *cum non habeat principium, posteaquam ea facta sunt quæ præsciuit, finem habet.* Quod iuxta doctrinam traditam in superiori tomo q. 14. a. 8. n. 73. intelligendum est de præscientia diuina non quoad actum, qui cum sit ipsemet Deus, tam principio quam fine caret; sed quoad terminationem ad obiectum futurum, vt formaliter futurum in tali determinato tempore; quod esse futurum res ab æterno habuit absque vllo principio, sed postea illud amittit in tempore quo fit præsens.

Respondetur secundò Dei generationem carere fine.

Responderi potest secundò, sicut non desiit, neque vnquam desinet, aut desinere potest ipsamet æternitas Dei, quæ secundùm Boetij definitionem habitam supra q. 10. a. 1. est *possessio interminabilis*, nimirum perfectè, & omnino, tam ex parte principij, quàm ex parte finis; ita generationem Filij Dei, quę hac æternitate mensuratur, nunquam habuisse, aut habituram, aut posse habere finem. Vnde semper Pater æternus ad Filium suum verissime dicere potest, quod habetur Ps. 2. *Ego hodie genui te.* Hinc autem hæretici insipienter deducunt, *Ergo imperfecta est generatio.* Neque enim Catholici docent, hodie generati Filium Dei, ex eo quod heri non erat perfectè generatus, & hodie aliquid ipsius generandum superfit; quæ est nimis materialis imaginatio, secundùm quam esset profectò illa generatio imperfecta, sed solum ex eo, quòd illa generatio cum omni suo perfectissimo complemento, quod in se ipsa nunquam potest non habere, semper durat, & nunquam deficit. Quod euidenter constat, facere potius ad maximam illius generationis perfectionem. De qua re S. Thomas infrà q 42. art. 2. ad 4. ita acutè & eruditè habet. *Ad significandam præsentialitatem, & permanentium æternitatis, potest dici quòd Filius semper nascitur, vt Origenes*[a] *dixit. Sed vt Gregorius*[b]*, & Augustinus*[c] *dicunt, melius est quòd dicatur, Semper natus; vt ly, semper, designet permanentiam æternitatis; & ly, Natus, perfectionem geniti. Sic ergo Filius non imperfectus est, neque erat quando non erat, vt Arianus dixit.* Quam doctrinam vberiùs explicat 1. d. nona. q. 2. art. 2. toto.

Nec propterea esse imperfectam.

Ex S. Thoma melius dicitur, Filius Dei semper natus, quàm semper nascitur.

a in Hierem. hom 6. fin.
b 29. moral. c. 1. initio.
c l. 83. 99. 37. & fauet in Ps. 2. ante med.

69. *Obiectio sexta.*

Sextò Eunomiani, quorum sententiam refert, & ex instituto confutat Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 4. distinguebant Verbum à Filio; & Verbum quidem æternum esse fatebantur, quoniam, inquiunt, *interius atque insitum Dei Patris Verbum, in ipso Deo est semper*: Filium verò æternum esse negabant.

Respondetur probando, in diuinis idem esse Verbum & Filium.

Respondeo, hanc distinctionem esse adeò euidenter falsam, vt ne ipsi quidem Ariani eam asserere ausi sint, vt significaui suprà n. 57. & testatur Maldonatus in 1. caput Ioannis, versiculo 1. ad 1. quæstionem. Manifestum enim est Ioannis 1. de Verbo dici, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hoc autem Filio tribuit Paulus ad Hebræos 1. vbi loquens expressè de *Filio Dei*, subdit, *Per quem fecit & secula.* Et infrà, *In principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Et ad Colossenses 1. similiter loquès de Filio, *qui est*, inquit, *imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, fusius docet quòd *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* & 1. ad Corinthios 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Deinde idem Verbum ibidem à Ioanne dicitur, *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, & mundus eum non cognouit. Et sui eum non receperunt.* Quod paulo pòst in c. 3. applicatur *Vnigenito Filio Dei*, de eo dicens, *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Præterea de eodem verbo postea dicitur, *Et Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vbi Verbum incarnatum clarissimè dicitur, vnigenitus à Deo Patre: & ex aliis Scripturæ locis compertissimum est, Deum, qui factus est homo, esse Filium Dei Patris. Demum idem Verbum paulò post apertissimè dicitur, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Idem quoque Ioannes sæpe alibi loquens de Christo & Filio, eum vocat Verbum, vt initio primæ epistolæ, & c. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et Apocalypsis 19. vbi de Iesu Christo, qui vocatur *Rex regum, & Dominus dominantium*, expressè dicitur, *Vocetur nomen eius, Verbum Dei.* Ergo qui de Verbo æternitatem fatetur ex diuinis libris, præsertim Ioannis, eamdem de Filio fatetur necesse est.

1. Ioan. c. 1. & 5.

PVNCTVM IV.

Probatur naturalis filiatio Filij Dei.

SVMMA.

1 *Explicatur conclusio, & deducitur ex superioribus, num.* 70.
2 *Probatur conclusio ex eo quod filius Dei dicatur vnigenitus, n.* 71.
3 *Probatur etiam ex verbis Psalmi* 2. *& Psalmi* 109. *n.* 72. *ad* 75.
4 *Probatur præterea ex locis in quibus Christus distinguitur à filiis adoptiuis, n.* 75. *&* 76.
5 *Aduersariorum argumenta diluuntur, num.* 77. *ad* 80.

70.

TErtia conclusio. Filius procedit à Deo Patre, non vt adoptiuus, sed vt naturalis Filius ipsius. Hanc quoque naturalem filiationem Filio Dei negasse impium Arium, Arianosque omnes, testantur passim Patres superius allegati: & quidem consequenter errarunt, quoniam eidem negabant æternitatem, & diuinitatem, sicut à contrario Catholici credentes, Filium Dei esse æternum ac verum Deum, tenentur consequenter asserere, illum esse filium naturalem, & consubstantialem Patri. *Considera*, inquit Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianorum Episcopum c. 18. aliquantò post principium, *quantum mali sit, quòd eiusdem substantiæ Filium negatis, quem genitum confitemini ex vtero Patris; iniuriam grauissimam facientes Deo, tamquam illud, quod ipse non esset, ex vtero gignere potuisset. Non ne sentitis vos, generationem Dei credere vitiosam, prædicare monstruosam. qui dicere audetis, ex vtero Dei processisse diuersam naturam?* Et infrà, *Verum filium non negemus, qui nullo modo verus est filius, si non est ipsius & Patris vna eademque natura.* Hanc eamdem consequentiam, qua ex eo quòd Christus sit naturalis Filius Dei, deducitur quòd sit verus Deus, & non quid creatum, Athanasius sermone 3. contra Arianos multò ante finem, acutè confirmat ex ipsomet Diabolo, & antiquis Iudæis persequutoribus Christi. enim vero Diabolus, qui est, inquit, *Pater Arianæ*

Ex eo quòd Filius Dei sit Deus, sequitur, esse filium naturalem: & ex hoc pariter sequitur primum. Augustinus.

Athanasius.

sectæ, cum vellet scire, an Christus non solum esset homo, sed etiam Deus, non interrogat Matthæi 4. Si tu es Deus; sed, *Si tu es Filius Dei*: & petit fieri ab eo aliquid, quod solus Deus facere potest, *Dic vt lapides isti, panes fiant.* Quo non obscurè significat, impossibile esse, aliquem esse Filium Dei, & non habere in se diuinam naturam. Iudæi quoque Ioannis 5. cum audissent Christum dicentem, se esse Filium Dei, & Patrem suum esse Deum, *quærebant eum interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*, hoc est, faciens se ipsum etiam Deum: etenim, inquit Athanasius, *quia se Filium dicebat, satis animaduertebant, non esse in iis verbis notam aliquam, aut characterem creaturæ, sed esse indicium Deitatis, & naturæ paternæ.* Sicut igitur necessaria est ista consequètia, nimirum à Definito ad definitionem, Christus est naturalis filius Dei, ergo à Deo Patre procedit vt Deus, siue, in similitudinem naturæ paternæ: ita etiam à definitione ad Definitum necessario deducitur, Christus à Deo Patre procedit vt verissimus Deus, vt superius demonstratum est, ergo est naturalis filius Dei.

Exponitur locus Matth. 4.

& Ioan. 5.

Afferuntur vrgentiora Scripturæ testimonia.

71. Omissis innumeris locis, in quibus Christus vel absolutè nominatur, Filius Dei, vel cum insigni aliquo addito; quod hæretici in excellentissimam aliquam adoptionem referre obstinatè possent, vt cum dicitur Matthæi 3. & 17. & 2. Petri 1. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; & ad Romanos 8. *Proprio filio suo non pepercit:* & 1. Ioannis 5. *Vt simus in vero Filio eius:* ea tantùm afferam, quæ euidentius demonstrant Filium Dei naturalem, vt distinctum ab omni filio adoptiuo.

Loca, in quibus Filius Dei dicitur vnigenitus.

Primò vrgent ea loca, in quibus Christus dicitur *Filius Dei*, non simpliciter, sed additur, *Vnigenitus.* Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Et paulò post, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et paulò post, *Qui non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Et 1. Ioannis 4. *Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum.* Quod Filius Dei sit vnigenitus, importat duo. Alterum, quòd sit vnus tantùm, & non sint plures alij filij similes. *Vnus natus ex Patre Dominus Iesus*, inquit Ambrosius lib. 4. de fide c. 4. ante medium, *& ideo vnigenitus.* Et Athanasius oratione in illud dictum, *Deus ex Deo*, non longè à principio, *Christus ideo vnigenitus est, eo quòd nullus alius ex Patre sit genitus.* Et Cyrillus lib. 10. Thesauri c. 4. initio, *Non est vnigenitus, nisi qui solus ita natus est, vt nullos habeat fratres.* Sed Deus filios adoptiuos per gratiam habet quamplurimos. Ergo Christus esse non potest Filius vnigenitus adoptione, sed natura. Alterum, quòd sit genitus: quod etiam naturalibus ac veris filiis competit, non autem adoptiuis. Vnde Ambrosius lib. 4. de fide c. 4. non longè à principio ita benè arguit aduersùs Arianos, *Si negatis esse verum Filium, hoc est, eiusdem naturæ: non est ergo generatus; quia generatio ad proprietatem refertur naturæ. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis.* Et Cyrillus 4. de Trinitate circa medium ait, *Vnigenitus significat id quod ex natura cuiusdam genitum est.* Hoc argumentum, ductum ex eo quòd Filius Dei dicatur vnigenitus, scripsit Hilarius 6. de Trinitate multò post medium exponens illud Ioannis 1. *Vnigenitus filius qui est in sinus Patris,*

Filium vnigenitum esse vnum, ex Ambrosio, Athanasio, & Cyrillo.

Esse genitum, ex Ambrosio,

Cyrillo.

Hilario.

his verbis, *Naturæ fides non satis explicata videbatur ex nomine Filij, nisi proprietatis virtus per exceptionis significantiam adderetur. Præter filium enim, Vnigenitum cognominans, sufficionem penitus adoptionis exclusit; cum veritatem nominis, vnigeniti naturæ præstaret.* Et statim benè expendit illud aliud Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*: hoc est, inquit, *Filium non adoptiuum, sed suum, sed vnigenitum dedit. Hic proprietas est, natiuitas est, veritas est: non creatio est, non adoptio est, non falsitas est.* Alioquin, inquit, *si dilectionis hinc fides est, creaturam creaturis præstitisse; & pro mundo est, quod mundi est, dedisse; & ad ea, quæ ex nihilo sunt substituta, redimenda, eum, qui ex nihilo substitit, præbuisse, non facit magni meriti fidem vilis, & spernenda iactura.* Et minus propriè explicaretur maxima diuinæ charitatis commemoratio, quam intendit explicare Ioannes illo loquendi modo, *Sic Deus dilexit mundum.* Item Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 22. circa medium, *Si enim verè est vnigenitus, quo modo non erit alius natura, quàm illi qui gratia, & adoptione filij sunt? Si enim vnigenitus est, non inter fratres esse intelligitur, sed solus ex Patre.* Et lib. 5. Thesauri c. 5. initio, *Si filius creatus est*, inquit, *non erit vnigenitus, quem multi sequuntur similes. non enim quia primò creatus est, erit vnigenitus: nam & Ruben principium factus est filiorum Iacob, nec tamen idcirco vnigenitus, aut alienus à natura fratrum fuorum.* Et Athanasius lib. 3. de vnita Deitate Trinitatis, in fine, *Vnigenitum dum Scriptura refert, secundum diuinitatem inuicat: quia in Deitate vnigenitus à Deo Patre, omnino fratres non habet.* Cyrillus quoque Hierosolymitanus catechesi 11. initio, *Propterea vocatur vnigenitus, quòd in dignitate Deitatis, & ex Patre generatione, fratrem non habet.* Et Fulgentius in responsione ad tertiam obiectionem Arianam circa finem, *In illa natiuitate verè est vnigenitus, in qua sine initio de solo Deo, solus natus est Deus.* Demum, quòd Filius Dei non solum dicatur vnigenitus, sed etiã addatur, *Qui est in sinu Patris*, naturalem filiationem, eiusque consubstantialitatem cum Deo Patre multò euidentius confirmat. Id enim est, *In sinu Patris*, cum illo quod initio eiusdem primi capitis dicitur, *Apud Deum*; & infrà c. 10. *Pater in me est, & ego in Patre*; & Psalmo 109. *Ex vtero*, vt notauit Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 22. ita concludens, *Quando in sinu Patris Filius esse dicitur, nihil aliud quàm ex ipso, & in ipso Filium esse intelligimus.* Vbi, inquit, *sinum pro substantia, per similitudinem corporum, quæ rebus intelligibilibus manifestiora sunt, posuit:* respiciens procul dubio ad proprium modum generationis Filij Dei per intellectum, qui, ex eo quòd intra seipsum species & obiecta percipit, aptissima metaphora, sinus & vterus nominatur. Igitur Ioannes, vt docet Cyrillus circa medium capitis citati, *Vnigenitum Filium appellauit, & in sinu Patris esse affirmauit, vt ab omni creatura eum diuideret; & ex Patre propriam substantiam habere, & in Patre esse ostenderet.* Et Chrysostomus homilia 14. in eadem verba, *Euangelista sinus memimit; quo* vno verbo, *multa, substantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, potestatem ostendit. Non enim diuersam substantiam in sinu habuit Pater: sed neque ipse auderet, si seruus, si ex multitudine vnus esset, in sinu Domini versari.* Et ibidem Theophylactus, *Euangelista volens nobis indicare, Filium Patri esse coæternum, ac verum & inseparabilem, huius nominis*, hoc est, sinus, *mentionem fecit.* Item Euthymius, *Per hoc quòd dicit, qui est in sinu Patris, proprium & consubstantiale Filij significauit.* Et ideo rectè dixit Athanasius in expositione Fidei, circa medium, *Apud Patrem semper exislit, qui est in sinu Patris. Nunquam exinanitus est Filij Deitate Patris sinus.*

Exponitur locus Ioannis 3.

Ex vnigenito arguunt etiam Cyrillus.

Athanasius.

Cyrillus Hierosolym.

Fulgentius.

Exponitur illud, Qui est in sinu Patris.

Chrysost.

Theophyl.

Euthymius.

Athanasius.

Locus

Locus ex Psalmo 2. & 19.

7. Secundò ex illo Ps. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vox illa, *Dominus*, Hebraicè est nomen Tetragrammaton, proprium Dei, vt suprà q. 13. a. 11. quod probat, hoc loco fermonem esse de Filio Dei. Vnde, vt alios omittam, ipsemet Paulus Actorum 13. & ad Hebræos 1. & 5. docet, hæc verba dicta esse ad Christum qui est Filius Dei. Neque vox, *Dominus*, obstat generationi æternæ, quam illis verbis, *genui te*, significari mox probabo: sicut enim Filius diuinus à Patre procedens, dicitur Deus de Deo, quamuis vnus sint Deus; ita dici rectè potest Dominus de Domino, quamuis vnus sint Dominus. Vnde in hoc ipso Psalmo 2. non solum de Patre dicitur, *Dominus dixit ad me*; sed de Filio etiam infrà, *Ne quando irascatur Dominus.* In Hebræo est, *Osculamini Filium, ne quando irascatur.* Vbi euidens est, de Filio esse intelligendum illud, *irascatur*; & consequenter, de Filio etiam addidisse Septuaginta, *Ne quando irascatur Dominus.* Illud, *Filius meus es tu*, esse intelligendum de filiatione naturali, efficaciter confirmat S. Thomas 4. contra Gentes c. 7. initio ex Paulo ad Hebræos 1. vbi volens probare, quod Christus est verus Deus, *per quem fecit & secula, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens*; quæ sunt certissima consubstantialis, ac veræ Deitatis indicia; ita argumentatur ex hoc loco, *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ergo Christus est alia ratione Filius Dei, ac est quilibet Angelus, etiam omnium nobilissimus ac sanctissimus, qui est filius Dei per quamdam excellentem adoptionem. Ergo Christus est Filius Dei in altiori ordine, nempe per naturam; alioqui Paulus non probaret intentum, hoc est, Christi diuinitatem, quæ solum sequitur ex filiatione naturali, non autem adoptiua: & non rectè tribueret Christo quamdam peculiarem filiationem, quæ nulli Angelo, & consequenter nulli omnino creaturæ conueniat, si hæc esset tantum adoptiua per gratiam, quæ filiatio est eiusdem speciei in quolibet sancto Angelo, & in quouis homine iusto. Nec ad saluandum Pauli dictum, & argumentum, sufficit in Christo filiatio adoptiua omnium excellentissima: quia cum hæc etiam per comparationem ad reliquos Angelos reperiatur in Angelo supremo, ad hunc etiam Deus dicere potuisset, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; & hinc probare etiam posset Paulus, eumdem esse substantialiter Deum. Quod nemo non videt esse inconueniens. Rectè igitur Chrysostomus homilia 2. in epistolam ad Hebræos circa medium docuit, Paulum sua argumentatione ex prædictis verbis Psalmi 2. *declarare quamdam esse differentiam inter creaturas & conditorem.* Quamobrem noster Lorinus exponens hæc Psalmi 2. verba, *Filius meus es tu*, prudentissime dixit, *Minus liberum est, hæc interpretari de alia, quàm de filiatione diuina: quia temporalis, qua per adoptionem fit, naturali Filio Dei conuenire non potest.*

Filius Dei est Dominus de Domino.

S. Thomas.

Exponitur locus ad Hebræos 1.

Chrysost.

Lorinus.

73. *Declaratur illud Ps. 2. Ego hodie genui te.*

Iuxta hanc expositionem illud quod sequitur, *Ego hodie genui te*, intelligi facilè potest de generatione æterna, qua naturalis Filius Dei processit de Deo Patre; vt cum S. Thoma tetigi supra num. 68. in fine. Quæ est multorum Patrum interpretatio. Origenes tomo 1. in Ioannem, circa medium, *Manifestè Filij nobilitas declaratur, cum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, dicitur ad illum à Deo, cui semper est hodie. Neque enim est vesperæ Dei, neque manè; sed ipsi dies est hodie, in qua genitus est Filius; sic non inuento originis ipsius principio, sicut neque diei.* Athanasius de Decretis Synodi Nicænæ, ante medium, *Sacra Scriptura, peritissimâ cuiusque naturæ, de rebus conditis, sub Mosis persona ita loquitur, In principio creauit Deus cœlum, & terram. De filio verò non alium quempiam, sed Patrem ipsum loquentem inducit, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et oratione 2. contra Arianos, paulo ante finem, *Paulus Filium à rebus creatis distinguit, cùm inquit, Cui enim dixit Angelorum, Filius meus es tu?* & ad hæc verba, *Ego hodie genui te*, respexisse videtur in expositione Fidei, cum initio fateretur, *Filium ex Patre initialiter, & perpetuò genitum.* Basilius quoque lib. 2. contra Eunomium aliquanto post principium Deo qui natus est, applicet illud, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Iisdem Psalmi verbis Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7. & 10. initio probat, *Quod & Filius Dei est vnigenitus.* Et Catechesi 11. non longè à principio de Iesu Christo ait, *Habuit perpetuò, vt sit genitus de Patre secundum Deitatem.* Quod statim ita probat, *Filius ipse dicit de Patre, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie autem non recens, sed perpetuum hodie, & sine tempore, & ante omnia secula. Ex vtero ante luciferum genui te.* Item Chrysostomus supra, quem sequuntur Theophylactus & OEcumenius ibidem, ait, *Quod dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te, nihil aliud manifestat, nisi quia ex ipsa essentia Patris est genitus.* Præterea Augustinus in eumdem Psalmi locum sic habet. *Hodie, quia præsentiam significat, atque in æternitate, nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum, quia quidquid æternum est semper est, diuinius, accipitur secundum id dictum, Hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientia Dei, qui est vnigenitus Filius, fides syncerissima & Catholica prædicat.* Et lib. 11. confessionum c. 13. in fine, *Hodiernus tuus, æternitas: ideo coæternum genuisti, cui dixisti, Ego hodie genui te.* Et in enchiridion c. 49. *Ego hodie genui te, non vnum illum temporis diem, quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, vt illum hominem ad vnigeniti personam pertinere monstraret. Vbi enim dies nec hesterni sine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est.* Eamdem intelligentiam supponunt Tertullianus aduersùs Praxèam c. 7. & 11. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 4. ante medium, & lib. 2. Thesauri c. 4. ante medium, & lib. de recta fide ad Theodosium circa medium. *Vbi*, inquit, *Hodie designat nobis semper quodammodo non præteritum, sed præsens potius tempus.* Demum S. Thomas in c. 1. epistolæ ad Hebræos acutè docet causam, cur cum aduerbio præsentis temporis, quo æternitatem designari vult, coniungatur verbum temporis præteriti, dicendo, *Hodie genui*, quia, inquit, *illud quod fit, quia nondum est, incompletum per consequens est. Quod autem factum est, completum est, & ita perfectum, ideo non dicit, Genero te; sed, Genui, quia perfectus est. Sed ne putetur esse generatio tota in præteritione, & per consequens in desitione, addit, Hodie, & coniungit præsenti præteritum, scilicet hodie, & genui, vt scias ipsam generationem semper esse, & perfectam esse; & sic in hodie permanentia, in genui verò perfectio designatur, vt sit sensus, Perfectus es Fili mi, & tamen generatio tua æterna est, & semper à me generaris: sicut lumen in aëre perfectum est, & tamen semper procedit à sole.* Idem breuius tradit Magister sententiarum in eadem Pauli verba, ita exponens, *Ego hodie, id est, æternaliter, genui te. Genui dicit, ne nouum putetur, scilicet ne modo videretur incipere. Hodie dicit, ne præterita generatio videretur.*

Tertullian. Cyrillus.

Thomas.

Magister.

Hanc eamdem diuini Filij consubstantialem, atque æternam generationem expressiùs per se significant alia verba Psalmi 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quibus verbis, inquit Cyrillus 2. de Trinitate post medium, *Audiendus est manifestè clamans Deus ac Pater ad Verbum, quod ex ipso secundum naturam natum est.* Et ideo meritò dixit Ambrosius lib. 1. de

74. *Declaratur illud Ps. 109. Ex vtero ante Luciferum genui te.* Cyrillus. Ambrosius.

Fide c. 5. paulò ante medium, *Audis vterũ, agnosce generationis perspicuã veritatem.* Nam, vt ipsemet docet infrà lib. 4. c. 4. aliquanto post principiũ, *Vtique Pater ideo dixit, Ex vtero genui te, non vt corporalem aliquam declararet, sed vt proprietatem veræ generationis ostenderet.* Et, vt docet Hilarius 6. de Trinitate ante medium, *cùm ait, ex vtero, non ex nihilo creatio subsistisse, sed ex se vnigeniti sui naturalis docetur natiuitas.* & illud, *Ex vtero*, idem esse ait Cyrillus lib. 1. in Ioan. c. 22. post medium quod, *In ipso, & ex ipso.* Et Athanasius in respõsione contra Arium in Nicæno Concilio post medium, *Nulla alia de causa æternum nominat, nisi vt doceat, Filium ex Patris substantia genitiũ esse intelligi debere.* Eisdem verbis declaraui ait Epiphanius hæresi 65. non longè à principio, *quòd verè genitus est Deus ex Deo, Deus verus ex Deo vero; non extrinsecus existẽs, sed ex essentia ipsius.* Et illud, *Ante luciferum*, exponit, *Antequam esset quid, & creatum esset.* Sicut cum Ps. 71. dicitur, *Ante solẽ permanet nomẽ eius*, hoc est, ab æterno. Sic etiam Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 12. aliquanto post princip. ait, *Secundum formam Dei dictum est, Ante luciferũ genui te. id est, ante omnia tempora, & temporalia.* Et lib. 5. contra Maximinũ c. 18. ideo vult dictũ esse, *Ex vtero genui te, vt intelligeremus de Patris substantia genitum vnigenitum Filiũ, ac per hoc quid aliud, quàm vnius eiusdémque substantiæ?* Et idẽ cõmunissimè docent reliqui omnes, quos afferre lõgum esset. Omitti non potest grauissimum Sixti II. testimoniũ epistolæ 1. circa principium, *Agnosce*, inquit, *non ex tempore, neque post tempora, Filium Dei natum, sed ante omnia tempora de paterno vtero inenarrabiliter generatum, ipso Deo Patre per Prophetam dicente, In splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Et Cõcilij Toletani XI. in professione Fidei ita docentis, *Non de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris vtero, id est, de substantia eius idem Filius genitus, vel natus esse credendus est.* Et Concilij Hispalẽsis II. c. 13. docentis, *Ostendi naturam Christi diuinam secundùm illud, ex vtero ante Luciferũ genui te.* Quẽ sensum vniuersa Ecclesia amplexata est in Antiphona Epiphaniæ canens, *Ante Luciferum genitus, & ante secula Dominus Saluator noster hodie mundo apparuit.* Insufficiẽter igitur hunc locũ exponebãt Ariani, quos refert, & pluribus reiicit Athanas. orat. in illud dictũ, *Deus ex Deo*, versùs finem, *affirmantes, Christum ante exortũ stellæ matutinæ ex Maria natum esse; non enim congruere in Deum vteri vocabulũ.* Sed nõ tam vocabulũ, quàm verissimã vocabuli significationẽ displicere impiis Arianis conuincit Athanas. ex eo quòd passim Scriptura Deo etiã tribuat cor, manus, & id genus alia. *Consuetudo enim est*, inquit, *sacræ Scripturæ, humanitus ea, quæ supra hominem sunt, eloqui & significare.* Deinde sic optimè arguit. *Illud de genito ante Luciferum, partũ mirabilem demonstrat. Multos autem alios ante exortum eius stellã in lucem esse editos. Quid igitur miri in his verbis, vbi tamen quasi de eximio aliquo mentionem facit, cum ista ratio nascendi vulgaris sit?* Concludamus ergo, & dicamus cum Fulgent. initio responsionis nonæ ad obiectiones Arianas, *Multũ fallitur, qui huius Scripturæ locũ diuinæ natiuitati nõ credit cõuenire.* Quod statim ex instituto eruditè probat Fulg. per totã respõsionẽ.

Hilarius.

Cyrillus. Athanasius.

Epiphanius.

Exponitur locus Ps. 71. Augustinus.

Sixtus II.

Toletan. XI.

Hispalẽs. II.

Fulgentius.

Arianorum responsio refertur & refellitur ex Athanasio.

Loca in quibus Christus distinguitur à filiis adoptiuis.

75. *Exponitur locus Matth. 16.*

Tertiò multum vrgent loca illa in quibus Christus ita dicitur Filius Dei, vt distinguatur à filiis adoptiuis. Matth. 16. Christus discipulos interrogat, *Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt, Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam. Dicit illis Iesus, Vos autem quem me esse dicitis? Respõdit Petrus, Tu es Christus filius Dei viui.* Quæ confessio statim à Christo maximopere cõmendatur. Christus opponitur Ioanni, aliisque excellentissimis filiis Dei adoptiuis. ergo vocatur alterius generis filius naturalis. Præterea qui Christum dicebant esse Ioannem, vel Eliam, vel Ieremiam, vel aliquem alium ex Prophetis, profectò fatebantur esse filium adoptiuũ. & tamen has opiniones reiiciens Petrus confessus est, illum esse Filium Dei; ergo nõ adoptione, vt cæteri, sed natura, vt vnigenitus. Adde, quòd si Petri confessio fuisset de filio Dei per adoptionẽ, & gratiã in eadem specie communem cum infinitis aliis, & Angelis, & hominibus, non meruisset sanè tantam cõmendationẽ, *Beatus es Simon, quia reuelauit tibi Pater meus qui in cœlis est*: neque tantum præmium, *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorũ*, &c. Illud quoque additum, *Filius Dei viui*, naturalem filium non obscurè exprimit; quia proprium est viuentiũ, gignere sibi simile in natura. Denique in Græco habetur, inquit eo loco Theophyl. *cũ articulo, Ille filius, hoc est, ille ipse, qui solus & vnicus; nõ gratia filius sed qui ipsa Patris substantia genitus.* Hoc argumentum ex ex hac Petri confessione petitum, acutè atque elegãter multis prosequitur Hilar. 6. de Trin. post med. *Si*, inquit, *adoptionis hæc nuncupatio est, quæro, vnde beatus Simon est confessus, Tu es filius Dei viui. An ne cum omnibus potestas sit per Sacramentum regenerationis in filios Dei nasci? Si secundum hanc nuncupationem filius Dei Christus est, interrogo, quid illud sit, quod Petro non caro, neque sanguis reuelauit, sed Pater qui in cœlis est. Generalis professio quid habet meriti? aut quæ reuelationis est gloria in publica conscientia? Si ex adoptione filius est, vnde in Petro beata confessio est, hoc Filio deferente, quod est cõmune Sanctorum? Vltra humanam intelligentiam se Fides Apostolica protendit. Quid ipsud est, quod nũc Petro Pater reuelat? nũquid Patris & Filij nomen nesciebat. Atqui frequenter audierat. Sed loquitur quod vox humana nondum protulerat, Tu es Christus Filius Dei viui. Nũquid nuncupatio potius, quàm natura Petro reuelata est? Si nuncupatio, hanc frequenter audierat se esse Dei filium confitente. In quo ergo reuelationis est gloria? naturæ scilicet, nõ nominis, cum frequentata nominis professio iã fuisset. Hæc fides, paterna reuelationis est munus: Christum non creaturam nouit ex nihilo mentiri, sed secundum proprietatis naturam, Dei filium confiteri*, &c.

Præterea Paulus ad Galatas 4. illis verbis, *Misit Deus Filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus*, expressissimè distinguit Filium Dei à filiis adoptionis. & cum Christus accusatur Ioan. 19. *Nos legẽ habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*; certum est non accusari, quod se fecerit filium Dei adoptiuum. Enim verò ipsimet Iudæi accusatores fatentur Ioan. 8. *Nos vnum Patrem habemus Deũ.* Ergo accusatur quòd fecerit se Filium Dei vnigenitum & naturalem. Quæ accusatio si fuisset falsa, debuisset sanè à Christo refelli; qui tamen non solum non diluit, sed etiã non obscurè admisit. Nam Matthæi 26. cum Princeps Sacerdotum interrogasset, *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei*, respõdit Christus, *Tu dixisti*, Hebraica phrasi, qua modestè, minima cum offensione interrogantis, & minima cum respondentis arrogãtia, affirmatiuè respondetur ad aliquod interrogatum. Quod maximè intelligimus ex Marci cap. 14. qui ad eandem summi Sacerdotis interrogationem refert Christum respondisse, *Ego sum.* Et quoniã agebatur de potissimo fidei Christianæ fundamẽto, Christus in eo Concilij loco, in vltimo mortis suæ tempore, publicè, & iuridicè, & sub grauissima obtestatione interrogatus à summo Sacerdote, non solum voluit simpliciter respondere ad quantum interrogabatur, *Ego sum*; sed etiam addere alia suæ veræ diuinitatis argumenta, dicens: *Veruntamen dico vobis à modo videbitis Filium hominis sedentẽ à dextris virtutis Dei,*

76. *Exponitur locus ad Galatas 4. & Ioan. 19.*

& *Matth. 26.*

Theophyl.

Hilarius.

& *Marc. 14.*

& venientem in nubibus cœli. Christum verò apertissimè confessum fuisse, se esse Filium Dei, nimirum nón adoptiuum & improprium, sed naturalem ac proprium, & consequenter verum Deum, intellexerunt absque nullo dubio Princeps Sacerdotum, & reliqui omnes Iudæi, quia, inquit Matthæus, *Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondẽtes dixerunt, Reus est mortis.* Hæc extrema indignatio, & punitio, omnino probant, Christi dictum intelligẽdum de vero filio per naturam, ac proinde de vero
& Ioan.10. Deo. Sicut Ioannis 10. Iudæi Christo dixerunt, *Lapidamus te de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Caiphas igitur & vniuersum Iudeorum concilium indubitanter iudicarunt, respondisse Christum, se esse verum Deum per naturam, ex eo quòd responderat, se esse naturalem Filium Dei. quod confirmat consequentiam factam suprà n.70. Sed antecedens de naturali filiatione, quam scripturæ verbis, & ore Christi expressam, vel ipsemet Diabolus, Caiphas, & Iudæi indubitanter intellexerunt, Ariani, illis peiores, ad filiationem adoptiuam detorquere ausi sunt.

Aduersariorum argumenta diluuntur.

77. *Obiectio prima apud Athanasium & Basilium.* Obiiciunt primò Ariani apud Athanasium in epistola de Decretis Nicænæ Synodi, multò post principium, & Eunomiani apud Basilium lib.2.contra Eunomium post medium, Christum dici Filium Dei vnigenitum, non quòd ipse vnus ac solus à Deo genitus sit, in quo sensu argumentati sumus suprà n.71. Sed quoniam ipse ab vno, & solo Deo ingenitus, & creatus est perfectissimus.

Respondetur primò cum Basilio, vnigenitum malè definiri, ab vnogenitum. Respondeo primò cum Basilio, hanc esse *versutiam tam prater hominum consuetudinem, quàm prater piam scripturarum traditionem. Nam vnigenitus, non qui à solo natus, sed qui solus natus, in communi consuetudine appellatur.* Alioqui nullus inter homines esset, aut esse posset vnigenitus; quia nullus homo generari naturaliter potest nisi ex duobus, opera scilicet maris & fœminæ. Secundò cum eodem Basilio, quia

Respondetur secundò cum eodem Basilio. hac Vnigeniti interpretatione, sicut non saluatur quòd Christus sit vnus Filius respectu Dei Patris, ita nec saluatur quòd respectu eiusdem sit verè ac propriè genitus, seu natus; *sed sicut Filius genui & exaltaui, & filius primogenitus Israël, sic & Dominum Iesum esse nominatum; vt nulla maiore excellentia verbum, Nasci, Domino attribuatur, quàm creaturis; & non habeat nomen supra omne nomen, sed æqualiter, atque alia, hac appellatione dignus putetur.* Quam Basilius meritò vocat *blasphemiam*, vt mox ostendam in sequenti puncto. Tertiò cum Athanasio, quia, *Adam*

Respondetur tertiò cum Athanasio. *solus à solo Deo per Verbum eius factus est:* & tamen non propterea est, aut aliquando dictus est Filius Dei vnigenitus. Ergo ad rationem vnigeniti Filij Dei non satis est creari à solo Deo, sed omnino requiritur vt procedat ex Deo, accipiendo ipsam intrinsecam essentiam ac substantiam Patris. Quartò ex Cyrillo libro 10. Thesauri cap.4. circa medium, *Si vnigenitus Patris Filius dicitur, quia solus à*

Respondetur quartò cum Cyrillo. *solo Patre creatus est, cetera vero cuncta per ipsum, non erit Pater, omnium vniuersaliter creator: sed omnia ex ipso esse scriptura clamat. Dies quoque vnigenita diceretur, quia solummodo sit. Astres quoque multæ, aut imagines, aut opera, quæ solus aliquis, solus facit, vnigenita dicerentur. Sol, ac Luna, cœlum quoque multaque alia vnigenita vocarẽtur, quia sola in specie sua facta sunt. Sed nemo profectò vnigenitum illud dici quod factum est, quamuis solum à solo factum sit. Nec igitur etiã Filius, quia solus à solo factus, sed quia solus à solo genitus, vnigenitus dicitur.*

78. *Obiectio secunda apud Cyrillum.* Obiiciunt secundò iidem Ariani apud Cyrillum lib.1.in Ioan.c.22.post med. Nos ex eo quòd, *in sinu Patris, Filius esse dicitur*, non rectè intelligere, *ex Patre & in Patre ipsum esse, & à substantia eius vt eiusdẽ naturæ genitum. Neque enim quoniã in sinu Abrahæ Lazarus fuisse dicitur, ideirco ex ipso, & in ipso naturaliter est.* Luc.16. Idémque obiicere poterant de Ioanne, qui in cœnantis Christi sinum recubuisse dicitur Ioan.13. Volebant igitur vocabulo sinus, non naturæ coniunctionem, sed amorem significari: externa enim nobis sunt, quæ in sinu nostro dicimus. *In sinu ergo Patris, Filius est, id est, in dilectione atque amore; vt ipse dicit, Pater diligit Filium.*

Respondetur cum Cyrillo per sinum in Scriptura non semper significari amorẽ. Ioan.3. Psal.124. Respondet optimè Cyrillus, *Si dilectionem, atque amorem, sinus apud Scripturas significat, an quia Deus, iuxta Saluatoris vocem, mundum dilexit, aut quia Dominus diligit portas Sion, securè dicere possumus, & mundũ, & portas Sion in sinu Dei Patris esse? Cùm præterea immittere Moysi manum in sinũ suum iubebat, diligere manũ suam iubebat, an potius in sinu suo eam cælare? Ridiculosi profectò ei inuenimur ista dicentes.* Quid igitur significet, *esse in sinu*, non tam ex ipsis verbis secundum se, quàm ex aliis adiunctis prudenter pensandũ est. Certè sensus verborum Ioannis 1. de quibus suprà n.71. vt benè docet Cyrillus, *omnibus apertissimus est, qui Euangelistæ verba diligentius considerant.* Ita enim habetur, *Deũ nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius*, nempe Dei, *qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Esse in sinu Patris, attributum & additum Filio Dei vnigenito, apertissimè declarat, Filium illum ita procedere à Patre, vt nunquam à Patre separetur. Iisdem verbis certum est agi, non de amore, aut de reconciliatione, quæ amore fit, sed de secretorum mysteriorum visione, seu scientia, & de eorum enarratione, seu cõmunicatione; ad quem finem non pertinet coniunctio per voluntatem & amorem, sed per intellectum, qui est ipsamet Dei essentia, vt suprà q.14.nam vt dicitur 1. ad Corinth.2. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*, qui procul dubio est intra Deum, ipsi consubstantialis. Quæ duæ circumstantiæ cum non sint in casu de Lazaro in sinu Abrahæ, neque in casu de Ioanne in sinu Christi, mirum non est si in his casibus consubstantialitas colligi nequeat, sicut colligitur in casu de Filio Dei vnigenito in sinu Patris.

79. *Obiectio tertia apud Fulgentium.* Obiiciunt tertiò Ariani apud Fulgent. lib.3. ad Monimũ, initio, Verbum diuinum, esse exterius, nõ interius, hoc est, non vnius cũ Patre substantiæ, quia Ioan.1. Verbũ nõ dicitur esse in Deo Patre, sed apud Deum Patrem. *Cùm enim aliquãdo in nobis esse dicitur, intra nos intelligendum: dũ verò apud nos esse dicitur, extra nos accipiendum.* Quod quidem Arianus in Africa de hac re publicè disputans, vt idẽ Fulgent. audiuisse se refert, confirmabat materiali quodã facto, idoneo potius ad mouendũ imperitum vulgus in foro & in theatris, quam aliquem sapientem in scholis & academiis. Nam *accepto cuiusdam Byrro*, inquit Fulgent. *& in manibus retento, dicebat, Byrrum sic apud illum esse, vt in illo non esset, ac per hoc, extra illum, nõ intra illũ esse; eodem modo Verbum quoque Dei apud Patrẽ, non in Patre esse; & ob hoc, non vnius esse cum Patre substantiæ.*

Respondetur cum Fulgẽtio explicando vsum harum vocum, Ita, & Apud. Ioan.1.& 14. Respondet cumulatissimè Fulgent. non esse ita subtiliter distinguendas istas particulas, *Apud*, & *In*, vt nihil dici possit esse in alio, & intra alium apud quem esse dicitur. Nam idẽ Verbũ quod Ioan. initio primi capitis dixerat esse, *Apud Deũ*, paulò post esse dicit, *In sinu Patris*, & cap.14. esse, *in Patre*. Præterea quidam Sapient.2. *Dixerunt cogitantes apud se non rectè.* Certum autem est, inquit Fulgent. *Qui apud se cogitat, intra se, non extra se cogitare.* Vnde dicit Dominus Matthæi 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et Matthæi 15. *De corde exeunt cogitationes.* Quòd si velint Ariani illud, *Apud se*, coniungendum esse cum verbo, *Dixerunt*, non cum verbo, *Cogitantes*, idem sequitur. *Quid enim est*, inquit Fulgentius, *Apud se dicere, nisi in corde suo dicere? Propter quod dicitur*

tur Psalmo 4. Quæ dicitis in cordibus vestris. Et Luc.7. *Pharisæus ait intra se dicens.* Et Matthæi 9. *Quidam de scribis dixerunt intra se.* Item Ioannis 14. De Spiritu sancto dicitur, *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Vbi manifestè eædem particulæ confunduntur, & pro eodem accipiuntur. Sicut etiam cum Psalmo 91. de Deo dicitur, *Non est iniquitas in eo.* Et tamen ad Romanos 9. *Numquid iniquitas apud Deũ?* Aliaque quãplurima affert Fulgentius, quibus eruditè conuincit Arianos, Non eo ipso quòd res aliqua esse dicitur apud alium, sequi necessario, Rem esse extra illum alium, & non esse intrinsecam in illo alio. Quamquam negandum non est, multoties de aliqua re dici, esse apud alium, de qua dici non potest, esse in alio, vt de pileo, seu quouis alio vestis genere, quod Byrrum vocabat, dicebat Arianus, sicut etiam contra, nonnunquam esse in alio dicitur, quod minus rectè apud alium dici potest. Nam Patrem in Filio esse dicimus. Ioannis 14. Apud Filium non dicimus. Atque hæc esse videtur causa, cur Ioannes initio sui Euangelij, cùm tradere vellet propriissimam doctrinam de Verbo & Filio Dei, vt personaliter distincto à Deo Patre, bis docuerit, *esse apud Deum*, & non dixerit, *esse in Deo.* Illud enim proprium Filij est, non Patris: hoc vero commune habet Filius cũ Patre; cum ipsemet Filius testetur Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Quid autẽ illud sit, ob quod Filius apud Patrem dici possit, nõ autem Pater apud Filium, aliud sanè esse non potest, nisi ratio principij generantis, quæ est in Patre, non in Filio: ratione cuius Filius procedit à Patre, non contrà; & Filius est Deus de Deo, Pater autem est quidem Deus in Deo Filio, non tamen de Deo Filio. Hinc igitur habet Pater respectu Filij aliquam maioritatem, seu dignitatem, siue authoritatem, non simpliciter, sed secundum quid, nempe purè originis, & principij, vt suprà n.49. & ideo dicitur Filius esse apud Patrẽ, non autẽ Pater apud Filium. Semper enim id apud quem dicitur esse aliud, importat aliquam maioritatem, saltem largam, & secundum quid, meri principij, respectu eius quod apud ipsum esse dicitur, & quod esse dicitur apud alium, importat aliquam dependentiam, seu processionem ab alio.

Cur Ioan.1. Verbum dicatur esse, apud Deum, *non, in Deo.*

PVNCTVM V.

Probatur Filium Dei non esse creaturam.

SVMMA.

1 *Probatur primò ex connexione cum præcedentibus conclusionibus, num.80.ad 84.*
2 *In quo sensu docent Patres æternitatem repugnare creaturæ, num.81.& 82.*
3 *Idem probatur ex Scriptura & Patribus, n.84.ad 90.*
4 *Defenditur illud Ioannis 1.* Omnia per ipsum facta sunt, *num.91.ad 98.*
5 *Exponitur locus Ioannis 1. num.98.*
6 *Exponitur locus ad Hebræos 1. num.99.*
7 *Exponitur locus ad Colossenses 1. n.100.ad 103.*

80. *Ponitur & exponitur cõclusio quarta.* *Conclusio sequitur primò ex eo quòd Filius sit Deus.* Epiphanius. Augustinus. Ambrosius. Varta conclusio, Filius Dei à Deo Patre non procedit, vt aliqua creatura, scilicet ex nihilo subiecti, & nihilo sui; sed procedit ex ipsa substantia Patris. Ita omnes Catholici contra Arium, vt relatũ est supra n.17.& 18.& sequitur 1. ex probatis suprà concl.1. Quòd Filius sit Deus. Vnde Epiphanius hæresi 69. multò post principium, *Filius si est creatus, non est Deus.* Nam, vt docet August. 1. de Trinit. c.6. paulò post principiũ, *Omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est: & quæ creatura non est, Deus est.* Quod vltimum probat Ambrosius lib.2. de Spiritu sancto c.19. initio ex illo ad Romanos 1. *Seruierunt creaturæ*

potius quàm creatori, qui est Deus benedictus in secula. Similiter Cyrillus lib.4. de Trinit. post mediũ. *Quod factum, iam non Deus.* Etenim vt docet Nazianzenus oratione 5. de Theologia aliquanto post principiũ, *Medium inter creaturam & Deum, quod vel neutrum horum sit; vel vtrinque compositum, ne illi quidem qui hircocervos finxere nobis, comminisci poterunt.* Cyrillus. Nazianzen.

81. *Sequitur secundò ex eo quòd Filius sit æternus.* Sequitur secundò ex probatis suprà concluſ.2. de æternitate Filij Dei: quamuis enim æternitas largè sumpta, & impropriè dicta, cõmunicari possit creaturæ, vt in Philosophia ex instituto probaui, tamen æternitas propriè dicta, quæ est propria Dei, definita à Boëtio, & explicata à nobis in 1.tomo q.10.a.1. quam superiùs ostendimus conuenire Filio Dei, omnino pugnat cum cõceptu cuiuscunque creaturæ, vt probatum est cum S. Thoma suprà q.10.a.3. De hac æternitate loquuntur Patres cum docent ac probãt, æternitatẽ non posse conuenire creaturæ, ac proinde, Filium Dei, si est æternus, creaturã esse non posse, vt interpretantur S. Thomas de Potentia q.3. a.14. ad 1.2. ordinis, Durandus 2.d.1.q.2.ad 7. & alij cõmuniter. Si enim daretur creatura ab æterno, *Duratio eius*, vt optimè scripsit Durandus, *non esset propriè æterna, quia non mensuraretur æternitate, sed æuo: cõexisteret tamen semper æternitati*: quia esset æuũ infinitum à parte ante, & à parte post. Etenim æternitas propriè, est quædam durationis species essentialiter distincta ab Æuo, & Tẽpore, vt suprà q.10.a.1. dub.7. & a.5. ex intrinseca sua ratione omnino interminabilis, & nullo prorsus modo defectibilis. Æuum verò etiam si esset ab æterno, & infinitum non habens actualem terminum à parte ante, adhuc tamen ex natura sua illum terminum habet potest, sicut de facto habet in omnibus Angelis, creatio in aliquo temporis principio: quo etiã modo tempus infinitũ nõ haberet principiũ, sed posset habere: & ideo cuĩ, & tempus cum principio, aut sine principio, seu cum finitate aut infinitate, coëxistunt quidem æternitati, tamen adhuc non sunt propriè æternitas, sed sunt eiusdem speciei cum æuo & tempore finito, quia finitum & infinitum, & vniuersaliter, maius & minus non variant speciem. Si igitur in diuinis, vt docet Athanas. in epistola de sententia Dionysij Episcopi Alexandrini, post medium, *Filius non aliquo lesu modo æternus censendus est, sed eo modo, quo Pater æternus est, & ipse quoque æternus est*: &, vt idem fatetur in symbolo, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas*, quæ tres personę paulò post dicuntur, *vnus æternus*, hoc est, per vnam eamdémque & specie, & numero æternitatem; & si, vt ait Cyrillus verbis citatis suprà n.64. fine, *æternitas non accidit substantiæ Patris & Filij*; sicut est impossibile, creaturam esse æternam æternitate Dei Patris, ita etiam impossibile est, Filium Dei, si eadem Patris æternitate æternus est, esse creaturam. Athanasius. Cyrillus.

Quæ æternitas conuenire non possit creaturæ. S. Thomas. Durandus. *Creatura ab æterno mensuraretur æuo, non æternitate.*

82. *Athanasij argumentum refertur & explicatur.* In hoc sensu Athanasius disputatione in Nicæno Concilio contra Arium, multo post principium, Ario dicenti, *Esto, sit æternus Filius, sed ita, vt ab æterno conditus æternitatem quoque in se habeat.* respondet, *Si æternus est Filius, nõ est creatura: contra si creatura est, æternus non fuerit.* Ita etiam arguit oratione 2. contra Arianos, circa medium, *Quod tametsi Deo possibile fuerit, ab æterno opera facere, non tamen potuerunt ea, quæ facta sunt, ab æterno fuisse. Si quidem ex non entibus emerserunt, nec erant priusquam fierent. Quæ autem non erant antequam fierent, quomodo illa coëxistere poterant cum Deo semper existente?* Impossibilitatem condendi creaturas æternas, oriri docet, non ex defectu æternitatis & potentiæ creatoris, sed ex defectu creaturæ, quæ æternitatis illius non est capax. Implicantia ratio, quam affert, ita est concipienda. Creaturæ habuerunt esse de non esse, quia

cum non semper fuerint, aliquando habuerunt non esse. ergo non habent esse & vitam ex se, sed ab aliqua superiori causa efficiente. ergo habere nequeunt æternitatem, quæ, authoribus Boetio, & Anselmo, citatis suprà q. 10. art. 1. initio, & receptis ab omnibus Theologis, est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Præterea Ambrosius lib. 1. Hexaëmeron c. 1. circa medium, *Quid*, inquit, *tam inconueniens, quàm vt æternitatem operis cum Dei omnipotentis coniungerent æternitate?* Quibus verbis clarius exprimitur æternitas eiusdē generis in Creatore & creatura, quod est adeo inconueniens, vt implicet. Idémque iterum c. 3. in fine. *Quo modo coæternum Deo mundum asserunt, & Creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturā?* Apertissimè loquitur de æternitate, qua creatura æquetur Deo, *quod*, inquit Durandus suprà, *importat nomen coæterni, quasi coæquatum æternitati.* Quam adæquationem repugnare manifestè demonstrat, *quia æternitas Creatoris est semper simul tota, vniformiter se habens, nec potest aliquam variationem suscipere: quælibet autem creatura mutabilis est aliqualiter, etiamsi ab æterno esset.* Eamdem veritatem acutè explicauit Augustinus lib. 12. de ciuitate c. 15. post medium. *Non est consequens, vt si semper fuerunt Angeli, ideo non sint creati: nec si semper fuerunt, & creati sunt, ideo creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt.* Ergo si Filius Dei semper fuit æternitate immutabili, vt superius demonstratum est, sequitur secundum Augustinum, illum non esse factum. Et lib. 8. de Genesi ad literā, c. 20. initio. *Omnino incommutabilis est illa natura Trinitatis, & ob hoc ita æterna, vt ei aliquid coæternum esse non possit.* Clarè sumit coæternum in significatione tradita à Durando suprà, in qua, inquit S. Thomas suprà, exponens hæc Augustini verba, *Quod mutabilitati subiacet, etiam si semper sit,* (cuiusmodi esse necessario debet omnis creatura, etiam si ab æterno fit) *æternum esse non potest.* Sic etiam Damascenus lib. 1. Fidei, c. 8. circa finem. *Suapte natura capax non est, quod de non esse ad esse deducitur, coæternum illi esse, qui sine principio est; cum creatio diuinæ voluntatis opus sit:* cui propterea repugnat illa durationis species, quæ essentialiter est omnino necessaria, & independens à libera alterius voluntate. Horum igitur, aliorumque Patrum sententia, æternitas superius ex Scripturis sanctis probata de Filio Dei, necessariò demonstrat, illum esse non posse creaturam.

Item Ambrosius.

Augustinus.

Damascenus.

83. Eadem quarta conclusio sequitur tertiò ex probatis præcedenti conclusione de filiatione naturali Filij Dei. Si enim ideo aliquis est filius naturaliter genitus, quia ex vi formali suæ productionis accipit substantiam ac naturam Patris, ergo naturalis Filius Dei habet ipsius Dei Patris natutam, scilicet increatam, & non factam. Sicut igitur arguit Augustinus lib. 1. de Trinitate c. 6. post principium, *Si non est filius eiusdem substantiæ, cuius est Pater, ergo facta substantia est;* ita à contrario arguere nobis licet. Si est Filius eiusdem substantiæ cuius est Pater, quod est esse Filium naturalem; ergo non est facta & creata substantia. Hoc argumentum tangit Cyrillus lib. 3. Thesauri c. 5. initio dicens, *Si filius Dei à Scriptura vocatur, quomodo etiam erit creatura? Necesse enim est, si Filius est, vt non sit creatura; vel si creatura secundum vos sit, vt non sit filius.* & lib. 12. c. 13. initio dicens, *Creaturam esse Patrem rectè negant. Credant igitur etiam Filium, qui similiter secundum naturam Dominus & Deus est, creaturam esse non posse:* Et Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7. fine. *Ioannes Filium Dei, & verum Deum dicit;* quod est esse filium Dei naturalem: *ergo si verus Deus, vtique non creatus.* Et multò clarius S. Thomas 4 contra gentes c. 7. ratione 6. *Si Christus, verus filius est, de necessitate sequitur, quòd sit verus Deus; non enim verè filius potest dici quod ab alio gignitur, etiam si de substantia generātis nascatur, nisi in similem speciem generantis procedat; oportet enim quòd filius hominis sit homo. Si igitur Christus est verus filius Dei, oportet quòd sit verus Deus; non est igitur aliquod creatum.*

Augustinus.

Cyrillus.

Ambrosius.

S. Thomas.

Conclusionis probationes.

84. Arguunt primò, & potissimum omnes Patres, & Scholastici ex verbis Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quod enucleatius testatur Paulus ad Colos. 1. *In ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Quibus verbis apertissimè docemur, Filium esse vniuersalissimam causam creaturarum, & consequenter ipsum esse non posse de genere creaturarum. Quoniā, inquit S. Thomas suprà ratione 14. *Nihil quod est in aliquo genere, est vniuersalis causa eorū, quæ sunt in genere illo; sicut vniuersalis causa hominū non est aliquis homo; nihil enim sui ipsius est causa, sed sol, qui est extra genus humanū, est vniuersalis causa generationis humanæ.* His Scripturæ testimoniis hanc fidei veritatem à Nicæno Concilio definitā esse, testatur Athanas. in epistola ad Episcopos Africanos, aliquantò post principium. *Cum Patres Nicæi docuissent, non esse nec creaturam, nec facturā Verbū Dei, quippe qui ita de scripto recitarent, Omnia per ipsum facta sunt, & In illo omnia creata sunt, & constant; isti contrà, potius Ariani quàm Christiani, & in suis Synodis facturam illū ausi sunt dicere, & vnum ex creaturis esse, quarum ipsum Verbum opifex est conditor. Atqui, si Verbū per quod omnia facta sunt, & ipsum quoque creatura fuerit, sequitur vt illud seipsum creauerit.* Quod absurdum esse nemo nō videt. Eadem verba expēdens Augustinus lib. 1. de Trinitate c. 6. circa principiū ita optimè discurrit, *Liquidò apparet, ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est.* & paulò pòst, *Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt.* Et iterum infrà. *Si vel Filium fecit Pater, quem non fecit ipse Filius, non omnia per Filium facta sunt. At omnia per Filium facta sunt.* Item Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 5. circa principium, *Si omnia per ipsum facta sunt, non potest ille cum omnibus simul enumerari. Cum enim omnia dicatur, nihil est quod in omnibus non contineatur. Quare quoniam per Filium facta esse omnia credimus, nullo pacto aliquid omnium ipsum esse intelligimus, sed ab omnium numero ipsum separantes, & à natura creaturarum longè seorsum ponentes, nihil aliud esse ipsum, quàm Deū ex Deo naturaliter confitemur.* & lib. 10. Thesauri c. 4. ante medium. *Si in eo vniuersa creata sunt, nihil est creatū, quod per ipsum creatum non sit: aut si omnia, quæ creata sunt, per ipsum facta sunt, ipse se ipsum creauit, si creatura secundum hæreticos est; quod omnino impossibile inuenitur.* Et Chrysost. hom. 4. in Ioan. circa principiū, *Omnia per ipsum facta sunt: & ne putares, quæcunque Moses dixit, ea duntaxat Ioannē intelligere, infert, & sine ipso factū est nihil, quod factū est, hoc est, eorum quæ creata sunt, sive visui, sive intellectui tātùm subiecta, nihil sine Filij virtute productū est.* Idémque alij passim docent. & ideo Augustinus tractatu 1. in Ioannem, rectè inuehitur in hanc hæresim, quam nunc impugnamus, dicēs, *exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, & dicat, Quia Verbū Dei factum est, Quomodo potest fieri, vt Verbū Dei factū sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbū Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factū est? Si hoc dicis, quia hoc est Verbū Verbi per quod factū est illud, ipsū dico ego vnicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum per quod facta sunt omnia. Non enim per se ipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia.*

Prima probatio ex Ioan. 1. & ad Coloss. 1.

S. Thomas.

Chrysost.

Augustinus.

Athanasius.

Basilius.

85. *Probatio secunda ad Philipp. 2.* Basilius.

86. *Probatio tertia Cyrilli ex Ioan. 14.*

87. *Probatio quarta ex 1. ad Cor. 8.* Cyrillus.

88. *Probatio quinta ex Cyrillo.*

89. *Probatio sexta ad Coloss. 2.* S. Thomas.

Athanasius. omnia. Demum in citatis verbis ad Colossenses; *Omnia per ipsum creata sunt, & ipse est ante omnes*, prudenter perpendit Athanasius in expositione Fidei, circa medium quòd Paulus *non dixit, eum ante omnia creatum fuisse, sed eum ante omnia existere. Verbum certè creationis de omnibus dictum est; esse autem ante omnia, soli Filio congruit. Genitum igitur quoddam secundum naturam, & perfectus ex perfecto existit ante omnes coles natus.* Eamdem animaduersionem habet Basilius lib. 4. contra Eunomium, ante finem, addítque, quòd cum hîc dicitur, *Ipse est ante omnia*, illud, *est*, consonat & correspondet verbo, *erat*, Ioannis 1. *In principio erat Verbum.*

Secundò arguit Basilius lib. 4. contra Eunomium ante medium ex eo quòd de Christo dicitur, *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*, ad Philipp. 2. *Si Filius*, inquit Basilius, *creatura Dei est, omnis vero creatura creatoris serua, Christus Dei seruus est, & non filius. Non ergo suscepit formam serui cum esset Dominus, sed erat seruus.*

Tertiò arguit Cyrillus lib. 1. Thesauri c. 5. post principium, *Philippo dicenti, Ostende nobis Patrem, non à creaturarum multitudine insp iciendum esse Patrem ait, sed se ipsum ostendit, dicens, Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quod, vt infrà addit idem Cyrillus, verè dicere non potuisset Christus, si esset creatura infinitè distans à perfectionibus diuinæ naturæ, & non verus Deus æqualis Patri. *Non enim videri potest Pater æternus in creatura posita.* Et multo pòst, iterum fusiùs & clariùs. *Si Pater in Filio videtur, & Filius incommutabilis substantia genitoris imago est, sicut ab ipso dicitur, Qui videt me, videt & Patrem meum, necesse est, vt ei æternaliter insint omnia, quæ Patri etiam insunt: sic enim character erit non diminutus. Sed Pater, immortalis est, & Rex, & Creator, & Omnipotens, & Deus verus: Filius ergo etiam hæc est. Quomodo enim in me facta, aut in eo qui aliquando non fuit, æternitas inerit, aut in creatura Creator? Imagines enim exemplarium similitudinem semper tenent.*

Quartò ex illis verbis 1. ad Corinthios 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*; ita arguit idem Cyrillus loco citato. *Si quis illum, per quem omnia facta sunt, vnum ex omnibus esse dicit, quid prohiberet, illum ex quo omnia sunt, eadem ratione cum cæteris omnibus connumerare? Quod si hoc impium videtur, sicuti est; & illud similiter impium erit. Æternus ergo, & non factus, neque vnus ex omnibus Filius est.*

Quintò idem Cyrillus lib. 1. Thesauri c. 5. post medium ita optimè arguit. *Si Filius proprium substantiæ Patris genimen non est, sed ex nihilo factus, dissimilis sibi ipsi sancta Trinitas erit: & creatura Creatori connumerabitur; & vna cum ipso conglorificabitur, quod impium est.*

Sextò ex verbis illis Pauli de Christo dicentis ad Colossenses 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis*, arguit S. Thomas 4. contra gentes c. 7. ratione 7. *Nulla creatura recipit totam plenitudinem diuinæ bonitatis:* hæc enim propriissimè est solius veri Dei, vt per se patet. *Christus autem habet in se totam plenitudinem diuinæ bonitatis: Christus ergo non est creatura.*

Obiectionum dissolutiones.

90. Obiicies primò illud Prouerbiorum 8. *Dominus creauit me principium viarum suarū in opera sua.* Quod Ariani, teste Nazianzeno orat. 4. de Theologia, initio, *ferè semper expeditum pra manu habent.* Et, vt ait Basilius lib. 2. contra Eunomium, circa medium, *ad Salomonis verba confugiunt, atque illinc, velut ex propugnaculo fidem impetunt.* Ex quo loco, vt ait Epiphanius hæresi 69. aliquantò post principium, *erroris introductio ipsi contigit*, hoc est, Ario, & vt non multò post addit, *Vnde amaritudinis sua radicem malè plantare incœperunt.*

Obiectio 1. ex Prouerb. 8. Nazianzen. Basilius. Epiphanius.

Respondeo, in hoc loco nihil esse pro Arianis, sed multa pro Fidei veritate, ostensum est diligenter suprà à num. 6. ad 17. Enim verò illud, *creauit*, si sumatur strictè pro actione distincta ab actione generatiua, intelligi rectissimè potest dictum de sapiētia diuina personali, non secundùm se, sic enim increata est; sed prout incarnata, quæ est Christus Dominus; sic enim verè vel creata simpliciter est, ratione humanæ naturæ; vel creata, seu facta est caro, ratione hypostaticæ vnionis cū natura humana; quod ipsi Verbo diuino secundùm se conuenit, ratione propriæ suę personalitatis, in cuius vnionem assumpsit creatam Christi humanitatem: ídque magis significant verba citata, quibus sapientia diuina non dicit simpliciter, *Creauit me*, sed addit limitando, *Creauit me principium viarum suarum in opera sua.* Si verò sumatur paulò largius pro qualibet substantiali processione iuxta Hebraicum textum, in quo, vt testatur Hieronymus citatus suprà n. 7. *non habetur, Creauit, sed, Possedit*, verificatur de eadem sapientia, quæ verè ac realiter genita est.

Respondetur ex dictis sup. n. 6. ad 17.

Defenditur illud Ioannis 1. Omnia per ipsum facta sunt.

91. Secundò Ariani maximè impugnabant expositionem verborum Ioannis suprà n. 84. quibus grauissimè premebantur. Dicebant ergo primò, quòd ex Augustino colligit Maldonatus in expositione illorum verborum, cum dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*, excipiendum esse ipsum Verbum, per quod omnia facta sunt. Neque enim nouum esse, tam in Scriptura, quàm in vsitato inter homines sermone, omnia, &, *omnes*, vsurpare, etiamsi vnum aliquod, vel aliqua excipiantur. Hoc autem effugium non potest hîc habere locum. Nam ad illud tollendum, vt docent Chrysostomus supra num. 84. & Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 5. post medium non satis fuit Euangelistæ scribere, *Omnia per ipsum facta sunt*, sed addere volui, *Et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Hoc est, ita per Verbum facta sunt omnia, vt nulla prorsus creatura, aut factura sit, quæ per Verbum Dei facta non sit; imo, quæ sine Verbo Dei fieri simpliciter possit. *Nam quoniam Deus pater*, inquit Cyrillus suprà, *aliter creare non potest, quàm per proprium Filium, qui virtus & sapientia eius est, idcirco nihil prorsus sine Verbo Euangelista factum asserit.* Præterea verbis præcedentibus, *In principio erat Verbum*, &c. vt superiùs ostensum est, sufficienter expresserat Ioannes, Verbum esse verum Deum, sempiternum, & increatū. Igitur immediatè pòst, non potest rectè intelligi idem Verbum connumeratum inter res simpliciter temporales & creatas, & tantum exclusum ab omnibus per ipsum in tempore factis. Adde ex eodem Cyrillo lib. 5. Thesauri c. 5. circa principium, S. Thoma 4. contra gentes c. 7. ratione 15. inter omnia, quæ facta sunt, esse etiam Angelos, quos per Verbum factos etiam esse expresè docuit Paulus ad Coloss. 1. verbis relatis suprà n. 84. & fieri non posse nisi per veram ac propriam creationem ex nullo præsuppositio subiecto, omnes fatemur. Vis autem creandi est propriissima solius Dei, ita vt nulli creaturæ naturaliter conuenire possit, neque vt causæ principali, neq; vt causę instrumētali, vt cū S. Thom. infrà q. 45. art. 5. tenet valde communis opinio. Non potuerunt igitur Ariani cohærenter asserere, Filium Dei per naturalē virtutem suam à Patre receptam creasse omnia, & nihilominus ipsum à Patre fuisse

Refertur & impugnatur 1. *expositio ex Chrysost. & Cyrillo.*

S. Thomas.

creatum. *Quomodo creandi virtutem habet*, inquit Cyrillus, *si creatus est? aut quomodo creator omnium est ipse creatus?*

92.
Refertur & impugnatur secunda expositio ex Athanasio & Cyrillo.

Dicebant secundò, vt referunt Athanasius sermone 3. contra Arianos, ante medium, & Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 5. post medium, & lib. 5. Thesauri c. 3. per totum, omnia facta per Filium, non tamquam per Artificem, & Magistrum, sed tamquam per Discipulum, & seruum, seu Ministrum, qui creandi artem à Deo Patre didicit, & exequutus est. *Aiunt*, inquit Athanasius, idque præcipuè tribuit cuidam Asterio Sophistæ, *eum creaturam esse, & vnum ex rebus conditis, à Magistro & opifice didicisse condendi, creandique rationem; atque ita quoque ministerium præbuisse Magistro suo Deo.* Item Cyrillus in Thesauro, *Creatura, inquiunt, Filius, & tamen creat; quia id à Deo, quasi à Magistro, atque artifice didicit, vt esset minister ad opera sua.* Verum hæretici hoc modo, inquit Cyrillus in Ioannem, *Filium creare, impudenter contendunt.* idque, sequens Athanasium suprà, probat in Thesauro, Tum quia, si Filius creandi artem didicit, & consequenter, *modo quopiam per accidens acquisiuit*, ergo eam pariter amittere aliquando potest; *& sic, dignitate ipsa, qua Creator est, destituetur, si dediscet quod didicit. Nam qui quod nesciebat, per doctrinam assequutus est, is profectò poterit obliuione quoque dediscere. Quod enim*, inquit Athanasius, *non ex natura alicui, sed ex doctrina obuenit, id aliquando dedisci potest.* Tum quia creare, *non est officium artis*, cuius proprium est in præsupposita aliqua materia versari; *sed ineffabilis virtutis*, cuius proprium est, ipsam quoque materiam, & *ipsam rerum substantiam à nihilo ad esse producere.* Tum quia, Dei Filius, & Verbum, est ipsamet sapientia Dei Patris, 1. ad Corinthios 1. *Quomodo igitur sapiens per doctrinam Filius fiebat, qui sapientia ipsa est? Si enim doctrina indigebat, non erat ipsa sapientia:* &, vt addit Athanasius, *quid nam erat antequam in disciplina proficeret? Sapientia enim nondum erat, vtpote, destituta legitima institutione. Vanum igitur quiddam erat, ac neutiquam substantialis sapientia, quippe quæ ex profectu nomen sapientiæ obtinuit.* Tum quia, *si doctrina creatio datur*, cur Pater creandi artem tradidit vni tantum creaturæ? Tum quia, si Pater ipse immediate creasse dicitur vnam creaturam, omnium nobilissimam, cur non eodem modo reliquas? præsertim quia Pater à creando non cessat, teste ipsomet Creatore Filio, Ioannis 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* ergo non creatus est Filius, vt deinde ipse reliqua omnia crearet, vt blasphemant Ariani: tunc enim sequeretur, inquit Athanasius, *Filium, propter nos, non nos propter Filium conditos esse*; &, vt addit Cyrillus, *ita nos præstantior ipso erimus creatura. Et primi nos erimus apud Deum. Sic enim Deus nos primò, deinde Filium propter nos intendisse videbitur.* Tum quia sicut Filius sine Patre, ita nec Pater sine Filio, nihil omnino creare potest. *Nam quemadmodum Sol nunquam sine splendore ac luce sua lucere poterit; sic nihil vnquam operabitur Pater, nisi per Verbum suum. Ideo & dextra, & brachium Dei nominatur, quia quasi per manum, omnia Deus per ipsum operatur.*

Exponitur locus Genes. 1.

Tum quia cùm dicitur Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, vt arguit Cyrillus loco citato in Ioannem, *Non imperat, nec tamquam ad seruum ac Ministrum dicit, Fac hominem; sed vt cum indiuisibiliter, & secundum naturam coniuncto (dicam enim humano more) colloquitur atque deliberat: sicuti mens, indiuisibiliter impresso, & insito Verbo semper manifestus.* In quo argumẽto supponit Cyrillus, hæc Genesis verba intelligi debere, quasi à Patre Filio dicta fuerint; quod, vt libro de Synodis, circa medium refert Hilarius, definitum est in Concilio Syrmiẽsi c. 13. illis verbis, *Si quis, Faciamus hominem, non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum locutum, anathema sit.*

Concilium Syrmiense apud Hilarium.

93.
Refertur tertia expositio ex Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Cyrillo, Theophylacto, Euthymio.

Dicebant tertiò, vt referunt Athanasius lib. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ante medium. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Chrysostomus homil. 4. in Ioan. ante medium. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto c. 10. post medium. Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 5. circa finem, & lib. 1. Thesauri c. 5. post medium. Theophylactus, & Euthymius in hunc Ioannis locum, ibi non dici, Omnia esse facta *à* Verbo, sed *per* Verbum. Illud, *à*, significare causam efficientem principalem, illud vero, *per*, instrumentalem & minus præcipuam; & consequenter, his verbis Ioannis potius significari, Verbum non esse Deum, cuius erroris patronum aperte habent Origenem, in commentariis eiusdem loci dicentem, *Nunquam principem locum habet particula, Per quem, sed semper secundum.* Idque probat ex illo ad Rom. 1. *Quod promiserat per Prophetas suos.* Et iterum de Christo, *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum.* & ad Hebræos 1. *Per quem fecit & secula.* Addere etiam apparentius poterat, quod alij hæretici apud Basilium suprà c. 2. afferunt ex 1. ad Corinth. 8. *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia.* Vnde, tamquam Arianorum, & Eunomianorum vere Pater, ita concludit. *Sic igitur si omnia per sermonem facta fuerũt, non à sermone facta fuerunt, sed ab eo qui ipso sermone maior est; quem quis alium dixerit, quam Patrem ipsum?* Addítque intolerabilius, *Quòd si quis admittat, Omnia per sermonem facta fuisse, is etiam fateatur necesse est, Spiritum ipsum à sermone factum, nimirum sermone ipso antiquiore existente ipso Spiritu:* & ideo Hieronymus epistola 65. c. 2. post medium dixit, *Origenem male sensisse de Filio, peius de Spiritu sancto.* Sed de Spiritu sancto dicam puncto sequenti, nunc de Filio.

Origenis error.

Hieronym.

94.
Impugnatur, declarando vim particulæ, Per.

Respondeo cum omnibus citatis Patribus, vim assignatam particulæ, *Per*, non esse perpetuam & cõstantem; sæpe enim causæ efficienti principali tribui; vt Genesis 4. *Possedi hominem per Deum.* Ad Roman. 6. *Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris.* 1. ad Corinthios 1. & 2. ad Cor. 1. *Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* & infrà, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius, Iesu Christi Domini nostri.* Ad Galatas 4. *Si Filius, & hæres per Deum.* Sæpe etiam contrà, tribui Filio particulam, *Ex*, &, *De*, quæ Patri tribui solet; vt ad Ephes. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totũ corpus compactum.* Ioannis 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* & c. 16. *De meo accipiet.* Sicut etiã quãuis de Spiritu sancto dicatur ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nobis per Spiritum sanctum.* & 1. ad Cor. 12. *Per Spiritum datur sermo sapiẽtiæ*, &c. & prius in c. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* & 2. ad Timotheum 1. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum:* tamen de eodem dicitur 1. Ioannis 4. *De Spiritu suo dedit nobis.* Matthæi 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ioan. 3. *Quod natũ est ex Spiritu, Spiritus est.* Imò cùm 1. ad Cor. 12. dictum esset, *Per Spiritum datur sermo*, statim per aliam particulam subiicitur, *Alij autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu.* & tandem influxus Spiritus sancti tamquam causæ principalis, & omnino liberæ, atque independentis, declaretur manifestè his verbis, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Nonnunquã etiam siue de Filio, siue de Patre, vt notant, & multis explicant Basil. suprà c. 5. Ambros. lib. 4. de fide c. 6. ante medium. Augustinus lib. de Trin. c. 6. circa medium omnes simul istæ particulæ scriptæ reperiuntur, vt

Particula, Ex, & De, tribui Filio.

Basilius. Ambrosius. Augustinus.

vt ad Romanos 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* & ad Colossenses 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Nullius igitur momenti est grammaticalis ista hæreticorum obseruatio. Certè res ipsa euidenter constat ex Paulo ad Hebræos 1. vbi, vt probet, Christum esse Deum, affert inter alia illud Psalmi 101. *Tu, in principio Domine, terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt cœli.* Hæc autem, teste Ioanne, facta sunt per Verbum. ergo, facta esse omnia per Verbum, visum est Paulo manifestum diuinitatis argumentum; idque consequenter, non posse vlli creaturæ competere; & non importare causam instrumentariam, sed efficientem principalem. Quod etiam S. Thomas benè confirmat ex illo Ioannis 5. *Quæcunque enim ille*, nempe Pater, *fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Ergo, inquit S. Thomas, *sicut Pater per se operatur, & propria virtute, ita & Filius:* alioqui si Filius operaretur instrumentaliter & dependenter vt pura creatura, Pater verò principaliter & independenter vt Deus, profectò non operarentur *similiter*, sed potius dissimillimè. Dicamus igitur cum Cyrillo lib. 9. in Ioannem cap. 42. circa medium. *Omnia esse à Patre per Filium, non vt ministrum, sed vt per Coauthorem, vt ita dicam, & verè Collargitorem.*

Exponitur ex S. Thoma locus Ioann. 5.

Cyrillus.

95.
Declarantur verba Concilij Syrmiensis apud Hilarium.

Neque verè in re fauet hæreticis Syrmiensis Synodus cap. 3. & 27. apud Hilarium libro de Synodis, sub anathemate definiens, *Filium Dei obsecutum, & ministrantem Patri in creatione omnium.* In quibus verbis nullum aliud latet mysterium, nisi Patrem Filio, non Filium Patri dixisse, *Faciamus mundum*, & vt dicitur Genesis 1. & definiuit eadem Synodus relata supra num. 92. fine, *Faciamus hominem.* Hæc autem, non iussio, vt dixit Cyrillus supra, sed consultatio, seu deliberatio, seu potius simplex propositio, & intellectiua conclusio, atque intimatio tribuitur Patri respectu Filij, non Filio respectu Patris, quia Filius procedit à Patre per intellectum, Pater verò nullo modo procedit à Filio. Igitur sequi huiusmodi Patris propositionem ac deliberationem, dictum est à Synodo *obsequi, & ministrare:* sequutus est autem Filius non per dependentiam & subiectionem, sed per summam consensionem vnius omnino naturæ ac voluntatis. Res quidem verissima est: verba tamen exponenda, non vsurpanda; quia *obsequi & ministrare*, nimis clarè seruitutem atque inferioritatem importare videntur. In eandem bonam partẽ accipiendi sunt Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 12. initio, vbi loquens de Christo, qui, inquit, *hominem finxit ex puluere:* ac proinde de Christo vt Deo, ait, *diuinam illam vocem maximè impleuit, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* impleuit scilicet per eandem prorsus consensionem, & executionem, per quam impleuit Pater. & Tertullianus libro aduersus Praxeam cap. 12. cautius dicens, quod eadem Generis verba Pater *cum Filio, qui erat induiturus hominem, & cum Spiritu, qui erat sanctificaturus hominem, quasi cum ministris & arbitris ex Vnitate Trinitatis loquebatur.* & Eusebius lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 1. post principium, dum exponens illud Psalmi 148. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*, ait, *Dauid in his mandatis, personam Patris, & Filij operantis expressit.* & Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 8. circa finem exponens etiam eadem Psalmi verba, ait, *cui præcipit? Verbo scilicet, per quod, inquit, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Prædicta igitur propositio explicata per illud, *Faciamus*, quæ meritò tribuitur Patri, tamquam primo omnium diuinarum originum principio, dicta est ab Irenæo largè & impropriè præceptum, quia est eius personæ, quæ non est ab alio, sed ab ea est Filius, qui propterea dici potuit aliquo modo minister Patris, quia licet sit æqualis Patri, & velit & faciat creaturas eadem planè ratione & actione, qua vult & facit Pater, tamen ipse à Patre, non Pater ab ipso procedit.

Declarantur verba Clementis Alexandrini.

Item Tertulliani,

& Eusebij.

& Irenæi.

96.
Cur Ioan. 1. dicatur, Per ipsum, non Ab ipso.

Cur autem Euangelista dixerit, *Per ipsum*, non autem, *Ab ipso*, facta esse omnia, variæ sententiæ sunt. Quidam, omnino casu id accidisse. quod in re tanti momenti non videtur verisimile. Alij, per appropriationem: quia Deus creat per sapientiam, quæ Verbo appropriatur. Non plane satisfaciunt, tum quia creat etiam Deus per potentiam, quæ appropriatur Patri; & per voluntatem, quæ appropriatur Spiritui sancto: tum quia quòd sapientia approprietur Verbo, causa etiam sufficiens esse posset, si dictum esset, omnia fieri à Verbo. Nunc autem causam inquirimus. Cur non ita dictum sit, sed potius, omnia fieri per Verbum. Aliqui, omnia creata per Verbum, quia Verbum virtutem creãdi accepit à Patre. At eandem virtutem à Patre & Filio accepit Spiritus sanctus. Maximè placet, quod simplicius, faciliusque visum est doctissimo nostro Maldonato in hunc locum, ideo Ioannem dixisse, *Per ipsum*, quia loquebatur de Filio secundum denominationem Verbi, secundum quam Filius importat explicitam habitudinem ad Patrem vt formaliter dicentem, seu loquentem. Ergo Verbum vt Verbum, si propriè & formaliter loqui velimus, explicari non debet vt id quod per se operatur, sed potius vt id per quod operatur Dicens, siue is, qui Verbum dicit ac loquitur. Quoniam igitur Pater creat per sapientiam & Verbum suum, loquens de Filio vt Verbo, scribere potius debuit, omnia facta per Verbum, scilicet à Patre, quàm simpliciter, omnia facta à Verbo.

Maldonatus.

97.
Refertur ex Bellarmino & Valentia & impugnatur quarta expositio.

Dixerunt quartò Ministri Transyluani, Franciscus Dauid, Georgius Blandrata, aliique noui Ariani, veteribus multò peiores, apud Bellarminum lib. 1. de Christo cap. 6. Valentiam hîc, puncto 1. §. 15. Scripturas docentès, omnia facta per Verbum & Christum, esse intelligendas non de prima rerum creatione, sed de renouatione facta per Christum. Verum euidentissimè errant, negantes, quod ne ipsi quidem veteres Ariani negare ausi sunt, apud quos, & apud omnes Patres, qui contra ipsos disputarunt, supponitur semper tamquam omnino indubitatum, omnia per Christum fuisse, non solum post incarnationem per gratiam renouata, & quodammodo recreata, sed etiam ante incarnationem, initio mundi, primò condita, & verè creata; &, vt alia omittam, certa quidem, sed cœcis hæreticis minus clara, clarissima sunt verba Psalm. 101. quæ Paulus ad Hebræos 1. Christo tribuit, vt illum probet esse Deum, *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Terræ, & cœlorum prima productio non poterat sanè expressiùs significari. Ioannes quoque non solum simpliciter & absolutè dixit, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; sed etiam infra addidit, *Et mundus per ipsum factus est:* sicut ad Hebræos 1. *Per quem fecit & sæcula.* Qui loquendi modi valdè diuersi sunt ab iis, quibus Scriptura dicit, omnia esse renouata per Christum. Vnde ad Ephes. 1. vtitur verbo, *instaurandi*, & apertè paulò ante, huiusmodi instaurationem vocat, *Redemptionem per sanguinem eius.* & cap. 2. cum dictum esset, *Ipsius enim sumus factura*, statim limitando subditur, *Creati in Christo Iesu in operibus bonis.* & immediatè antea dictum fuerat, *Gratia estis saluati*, &c. & 2. ad Cor. 5. dicitur quidem de renouatione per gratiam, *In Christo noua creatura*, sed simul creatio per gratiam, & renouationem, manifestè exprimitur tam antecedentibus,

Ioan. 1.

quàm consequentibus verbis. Longè verò diuersum est, & multò plus importat, absolute & simpliciter afferere, per Christum facta omnia, factum mundum, facta sæcula, omnia creata, condita, In principio fundatam terram, In principio opera manuum Christi fuisse cœlos, aliaque similia, quæ non minùs primam rerum omnium creationem exprimit, quàm verba illa Geneſi 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.*

98. Obiiciebant tertiò Ariani apud Patres infra citatos, multa alia loca, in quibus Christus dicitur factus: quod est proprium creaturæ, vt Ioan. 1. *Ante me factus est.* Ad Hebr. 1. *Tanto melior Angelis effectus.* & cap. 3. *Fidelis est ei, qui fecit illum.* Ad Colossens. 1. & Ecclesiastici 24. *Primogenitus ante omnem creaturam.* Actorum 2. *Dominum eum, & Christum fecit Deus.*

Obiectio 3.

Respondetur in genere.

Responsio communis, quam ex Patribus attulimus supra à num. 6. ad 17. exponentes illud Prouerb. 8. *Dominus creauit me*, &c. est, hæc posse facilè intelligi de Christo secundum naturam humanam; non secundum naturam diuinam. Vnde Arianos, qui his locis contra Christi diuinitatem abutebantur, dixit Athanasius oratione 2. contra Arianos, *moribus Caiphæ susceptis iudaizare, & ignorare quod scriptum est, Deum re vera in terris habitaturum fuisse; & non agnoscere, Verbum carnem esse factum.* Nam, vt ait Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5. circa initium, *Ariani, velut Iudaici caupones, miscent aquam cum vino; quia diuinam generationem, humanamque confundunt, ad diuinitatem referentes quod de carne sit dictum.*

Athanasius.

Ambrosius.

Exponitur locus Ioan. 1.

Verùm in particulari illud, *Ante me factus est*, de creatione ab Arianis ineptè accipitur; quod Chrysostomus, & Theophylactus hîc, Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5. & alij optimè persuadent ex ratione, quam Baptista statim immediatè subdit, *Quia prior me erat.* Ridicula sanè probatio esset, Christus creatus & factus est ante me, quia prior me erat, & ante me. *Quis enim adeò stolidus, adeo insanus est*, inquit Chrysostomus homilia 12. in Ioannem, post medium, *vt qui ante eum factus est, illum eodem tempore non fuisse non intelligat?* Qua ratione ab iisdem benè reiicitur alia expositio de Christo, facta vt Deo per diuinam generationem, tradita ab Epiphanio hæresi 69. ante medium. Quamuis enim, vt acutè distinguit Chrysostomus supra, dici rectè possit, Christus erat prior me, quia ante me factus est, hoc est, ab æterno generatus; minus tamen recte à Baptista dictum esset, Christus ante me factus est per æternam generationem, quia prior me erat; vt patèt attentè consideranti vim huius causalis. ergo proprius ac germanus sensus est, quem tradunt Chrysostomus & Ambrosius supra, item Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Rupertus in hunc locum, & Gregorius homilia 7. in Euangelia, vt dicatur Christus ante Baptistam factus, non simpliciter, sed, vt addit Chrysostomus, *clarior videlicet, atque honorabilior.* &, vt interpretatur Ambrosius supra, *supra meritum meum factus, supra meam gratiam:* &, vt ait Augustinus tractatu 3. in Ioannem, *ante positus est mihi.* Cui consonat Gregorius suprà, *Sic dicitur, Ante me factus, ac si dicatur, Ante me positus.* ita vt illud, *Ante*, non significet præcedentiam temporis & productionis, sed honoris ac dignitatis: & sit idem, vt aduertit idem Chrysostomus, cum illo Matthæi 3. *Qui post me venturus est*, nimirum ad prædicandum, & ostendendum se mundo, *fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare.* Hæc verò Christi apud homines gloria, quæ post Baptistam futura erat, iuxta illud Ioannis 3. *Illum oportet crescere, me autem minui*, dicitur iam facta, non quidem per realem existentiam, sed per diuinam ordinationem & prædestinationem. Vel, vt ratiocinatur ibidem Chrysostomus, *quoniam mos Prophetarum est, vt sæpenumero, quæ futura sunt, tanquam facta enarrent*, nimirum propter magnam certitudinem & euidentiam futuræ veritatis, quam prædicunt. In hunc sensum de antecedentia dignitatis, benè quadrat sequens causa, *quia prior me erat*, hoc est, quia maior natu erat, nimirum vt Deus æternus, intelligendo de prioritate durationis, quo modo intelligunt omnes citati Patres, maiores enim natu, cæteris paribus, sunt honorabiliores: vel quia erat naturæ multò præstantioris, intelligendo de prioritate secundum naturam cum Maldonato in hunc locum.

Chrysost.

Epiphanius.

Gregorius.

Chrysost.

Ambrosius.

Augustin.

Gregorius.

Cur in scripturis futura dicantur facta.

Chrysost.

Exponitur locus ad Hebræos 1. & 3.

Illud etiam, *Tanto melior Angelis effectus*, non cogimur de Christi creatione, seu productione accipere. Neque enim dicitur simpliciter, *effectus*, sed, *effectus melior*, vt contra Arianos, qui factum, hoc est, creatum exponebant, obseruauit Athanasius oratione 2. contra Arianos, aliquanto ante finem dicens, *Neque illud, factus, seorsum, disiunctimque posuit, sed copulauit vna cum hoc verbo, melior: promiscuam enim indifferentemque eam vocem arbitratus est, intelligens, eam de Filio ex confesso & citra controuersiam legitimo dici; cum, factus, hoc loco id ipsum sit, quod, Fuit, siue extitit. His accedit, quod vox, melior, statim adiuncta est.* Vnde docet, his verbis Paulum ostendere voluisse, *Quantò Dominus præ seruo excellat, tantò functione, officioque seruorum, Filij administrationem meliorem fuisse.* Et iterum infra, certum esse ex ipso Pauli contextu docet, *illam dictiunculam, factus, non de substantia Verbi pronunciatam esse, sed de functione, ministerioque, quod ipse in corpore humano adimpleuit. Vt enim Verbum cum esset, homo factus est, ita quoque homo iam factus, tantò melior extitit sua functione, Angelorum functionibus, quantò Filius seruis præstantior est, & opifex operibus. Quapropter desinant de substantia Filij, illud verbum, factus est, intelligere, cum factus non sit; agnoscantque, eam vocem ad œconomiam, functionemque à Filio adimpletam pertinere:* quoniam, vt in fine orationis declarat, *Filius assumpta carne, factus est nostra redemptio, resurrectio, via, veritas, & vita.* Quod officium longè superat omnium Angelorum officia ac ministeria. Consentit Chrysostomus homilia 2. in epistolam ad Hebræos post medium dicens, *Hoc quod dixit, Factus, idem est hoc loco quod declaratus.* & sequitur Theophylactus in eadem verba, *Factus autem, dixit, pro demonstratus, aquè ac Diuus Ioannes præcursor ait, Qui post me venturus est, ante me fuit, hoc est, honoratior me demonstratus est; non enim de substantia natura hîc loquitur.* Sic etiam cum cap. 3. dicitur Christus fidelis Deo Patri, *qui fecit illum*, potest probabilissimè intelligi, *qui fecit illum*, non simpliciter, sed, *Apostolum & Pontificem*; quo modo immediate ante Paulus eum vocat. Vnde iuxta hunc sensum, ita legit Chrysostomus homilia 5. in hanc epistolam, ante medium, *Fidelem existentem ei, qui ipsum Apostolum constituit, & Pontificem.* & addit, *Nihil hîc de essentia loquitur, neque de diuinitate; sed interim de dignitatibus humanis.* Ita etiam Theodoretus ibidem, *Factum autem vocauit; non creationem, sed ordinationẽ, seu electionem. Qui fidelis est ei, qui fecit ipsum, nempe Apostolum & Pontificem.* Eodem modo limitat Theophylactus; & reddit rationem, dicens, *non enim hîc de essentia ratione sermo est, verum de commissione & officio.* Quamquam nonnulli illud, *Fecit*, intelligunt

99.

Athanasius.

Chrysost.

Theodor.

Theophyl.

Ad Hebr. 3.

intelligunt de vera Christi factione, tamen secundum humanitatem, non diuinitatem. Ita Ambrosius, aut quisquis alius est Author eorum commentariorum in epistolas Pauli, qui in quinto tomo operum Ambrosij habentur, docens, quod ea verba Paulus *de humanitate dicit eius, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem; non de diuinitate, quæ facta non est, sed genita à Patre, vnius substantiæ cum eo.* Anselmus quoque ibidem, *Fecit illum*, exponit, *secundum humanitatem creauit illum.*

Ambrosius.

Anselmus.

Exponitur locus ad Colossenses 1.

100. Præterea illud, *Primogenitus omnis creaturæ*, referri facillimè potest ad Christum vt Deus est, & persona Verbi, increata quidem, sed verè genita à Deo Patre, vt refertur ab Hilario & S. Thoma citatis supra num. 14. Item ab Origene libro 1. Periarchon cap. 2. *Vnigenitus Filius Dei, dicitur & primogenitus, sicut dixit Apostolus, qui est primogenitus omnis creaturæ.* Hilario lib. 8. de Trinitate aliquanto ante finem, assignante ex sequentibus Pauli verbis optimam rationem, cur increatum Dei Verbum, per quod omnes creaturæ factæ sunt, Primogenitus omnis creaturæ denominetur, *Primogenitus*, inquit, *omnis creaturæ est, quia in ipso omnia creata sunt. Et omnia per ipsum, & in ipso condita sunt.* Chrysostomo homilia 3. in epistolam ad Colossenses non longè à principio, docente, hinc non sequi, Filium Dei esse creatum, quia, inquit, *Non dixit, primocreatus, sed, primogenitus.* & paulo post, *Illud, primogenitus, neque dignitatis, neque honoris, neque alterius cuiusquam, nisi solius temporis respectum habet.* Vbi Chrysostomus non accipit tempus specifice & strictè pro duratione creata habente principium, in qua duratione de facto omnia creata sunt, & ipsum etiam Verbum (licet ante reliquas omnes creaturas) primò creatum esse contendant Ariani; sed genericè & largè, pro duratione simpliciter: & sensus verborum Chrysostomi est, Filium Dei denominari primogenitum respectu omnium creaturarum, non quòd sit aliqua prima creatura, omnium dignissima ac honorabilissima, aut aliquo alio titulo reliquas omnes creaturas præcedens; sed solum quia est persona quædam à Deo Patre genita, antecedens æterna duratione omnes simpliciter creaturas. Sicut igitur Hilarius supra vult, Verbum denominarum esse primogenitum omnis creaturæ, per ordinem primæ causæ exemplaris, & efficientis, in qua, & à qua sunt omnes creaturæ; ita Chrysostomus docet, idem esse per ordinem æternitatis, siue æternæ generationis, secundum quam omnibus creaturis prius est. Eandem expositionem sequitur Theodoretus ibidem, additque clarius, *est primogenitus creaturæ, non quòd sororem habeat creaturam, sed quòd ante omnem creaturam sit genitus. Quomodo enim fieri posset, vt idem esset frater creaturæ, & opifex?* Item Theophylactus in eundẽ locũ, additque subtiliter, dictum esse Filium Dei primogenitum, non per ordinem ad alios sequentes filios, *sed absolutè.* Dicere aptius possumus, terminis in schola vsitatis, Vnigenitum filium Dei, esse etiam primogenitum, non positiuè, quasi sit primus respectu secundi, quo modo Ruben fuit primogenitus filius Iacob; sed negatiuè, quia respectu nullius alterius, qui ante se fuerit, est secundus: quo modo Matthæus cap. 1. Iesum vocat Virginis *filium primogenitum.* Consentiunt Ambrosius in hæc verba, dicens, *Ante omnem creaturam genitum Filium, non creatum testatur, vt secerneret natiuitatem eius à creaturæ factura. Et vt hoc penitus clarescat, subiecit, Quia in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* & lib. 1. de Fide cap. 4. medio, *Primogenitus, inquit*, nempe Paulus, *non primocreatus; vt & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur.* hoc est, genitus per æternitatem ante omnes creaturas. Et Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 4. vbi docet quidem, Verbum carnem factum, vocari primogenitum in multis fratribus, *quia factus homo, & frater noster, primus nos in ipso sanctificauit, & vocauit nos omnes ad adoptionem Dei per gratiam*; & primogenitum ex mortuis, *quia primus ipse morte calcata surrexit, & primus carnem nostram in cœlos reduxit, & in incorruptionem renouauit:* tamen apertè habet, idem Verbum, vt simpliciter Deum & non vt hominem, dici primogenitum, si primogenitus accipiatur pro primo *absolutè, & in se, & non per comparationem ad alia*, nimirum quæ post se esse affirmat, licet dicatur per comparationem ad alia, quæ ante se esse neget. *Hoc modo*, inquit Cyrillus, *Christus primogenitus Virginis dicitur secundum carnem. Ita etiam ex Deo primogenitus est, non vt multorum primus, sed vt solus ex Deo genitus.* & deinde reddit causam, cur per respectum ad creaturas denominatus sit primogenitus omnis creaturæ, dicens, *Dei Filius, primogenitus aliorum potest dici, quia ipse primus causa est, vt filij appellatio cæteris omnibus accommodetur. Ita & Pater Deus, primus pater est, quia primus omnium genuit, qui æternaliter generat.* & paulo post, soluens Arianorum argumentum ex his Pauli verbis, ait, *Non enim quia creatura est Filius, totius creaturæ primogenitus dicitur; sed quia omnes nos in ipso, & per ipsum adoptati filij Dei per gratiam efficimur, cuius gratiæ ipse author est, similes sibi per misericordiam faciens credentes in eum. Quoniam verò primogenitus, idcirco imago Patris vera demonstratur. Nam sicut ipse, primus filius verè est; sic & Pater, primus pater. In ipso enim primus pater est, & ipse primus filius in primo Patre: & per ipsum omnia facta sunt, & per ipsum omnis creatura rationalis adoptetur.* & tandem in fine capitis ita optime concludit, *Filius, totius creaturæ primus dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt, & ipse principium omnium atque creator est.* Quam causam ipsemet Paulus manifestè affert. Nam cum ab eo nominatus esset Christus, *primogenitus omnis creaturæ*, statim immediate huius denominationis causam reddens, subdit, *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa*, &c. *& ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Dei igitur Filius secundum se, dicitur & Vnigenitus, per omnimodam negationem filiorum ex eodem Patre; & primogenitus simpliciter, non per respectum ad filios sequentes post se, nec ad filios non sequentes post se, sic enim primogenitus esset etiam vltimogenitus, post quem non est alius filius; sed per respectum ad filios non præcedentes ante se: & primogenitus omnis creaturæ, per nullum alium respectum, nisi & durationis æternæ, ratione cuius dicitur, *Ipse est ante omnes*; & causæ, ratione cuius dicitur, *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.*

Origenes.

Hilarius.

Chrysost.

Theodoret.

Theophyl.

In quo sensu Filius Dei dicatur primogenitus.

Exponitur locus Matthæi 1.

Ambrosius.

Cyrillus.

Cur Paulus Filium Dei vocet primogenitũ omnis creaturæ.

101. Communis igitur Patrum interpretatio est, quicquid aliqui recentiores in contrarium scribant, Christum secundum naturam diuinam dictum esse primogenitum omnis creaturæ. Quibus addi etiam possunt Tertullianus libro 5. aduersus Marcionem cap. 19. *Quomodo ante omnes & ante omnia, si non primogenitus conditionis, vt sermo creatoris, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil?* Basilius 4. contra Eunomium, circa finem dum soluens hoc argumentum Arianorum, ait, *Non necesse est, ad fratrem, primogenitum dici.* Epiphanius hæresi 78. post medium, *primogenitus est omnis creaturæ ipse Vnigenitus. Hic enim est, qui apud Apostolum dictus est primogenitus omnis creaturæ, non coniunctus creaturæ, sed ante creaturam genitus: non enim dixit, primocreatus, sed primogenitus.* Eusebius lib. 5. de demonstratione

Christum primogenitũ omnis creaturæ, etiam secundum naturam diuinam, dicit Tertullianus, Basilius, Epiphanius, Eusebius.

Euange

Euangelica c.1.aliquanto post principium. Quamquam non desunt qui idem tribuant Christo secundum naturam humanam, vt Anselmus illo loco, *secundum formam serui subiunxit. Quia est primogenitus omnis creaturæ; & in susceptione humanitatis, primogenitus in gratia. Nam secundum formam Dei non est primogenitus,* nimirum per ordinem ad secundogenitum, *sed vnigenitus. Primogenitus ergo dicitur omnis creaturæ, quia humanitas Christi, primatum dignitatis obtinet inter omnes creaturas.* & Athanasius sermone 3. contra Arianos multò post medium docens, Christum dici primogenitum omnis creaturæ, *eo quòd Pater suo in homines amore, eos per Verbum suum liberare voluerit ab omni seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sed pro alia interpretatione in expositione Fidei circa medium ait, *Solus Filius è Patre genitus est, ideoque primogenitus est omnis creaturæ Deus Verbum.* Vnde obiter intelligere licet, quod doctè, prudenterque obseruauit noster Iustinianus in expositione horum verborum, quàm leui fundamento nitantur, qui ex eo quòd Christus dicat, *primogenitus omnis creaturæ,* probari contendunt, præfinitam fuisse Verbi incarnationem, ante omne absolutum decretum & absolutam præuisionem aliarum creaturarum, & peccati primorum parentum. Tum quia multò plures sunt, qui ea verba interpretantur de Christo vt Deo. Tum quia, qui interpretantur de Christo vt homine, expresse limitant, illum dici primogenitum in genere gratiæ redemptionis, & liberationis à seruitute peccati: non autem in genere naturæ, & gratiæ simpliciter.

sed secùdùm naturam humanam dicunt Anselmus, Athanasius.

Prudens obseruatio P. Iustiniani pro materia de Incarnatione.

Exponitur locus Actorum 2.

102. Demum illud Actorum 2. *Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum,* nihil prorsus habet pro Arianis: quia sensus satis clarus est hic, Fecit Deus, vt hic homo, nomine Iesus, esset verus Dominus Deus, & Christus substantialiter vnctus per vnionem hypostaticam cum Verbo Dei, vero Deo. Hoc, inquit Basilius lib. 4. contra Eunomium circa finem. *De eo, qui ex Maria est secundum carnem, dictum est.* & confirmat, quia de homine clarissimè sequitur, *Hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* & antea in lib. 2. non longè à principio, *Non enim de substantia ipsa Dei Verbi, quod in principio erat apud Deum, sed de eo, qui se ipsum exinaniuit in serui forma; & factus conformis huic corpori humilitatis nostræ, & crucifixus est ex infirmitate, perspicuè disserit Apostolus.* Eundem sensum fusius tradit Cyrillus lib. 9. Thesauri cap. 3. toto, additque, de ipso etiam Verbo posse dici, factum esse hominem non per nouitatem essendi simpliciter, sed *per traductionem in aliam rem,* iuxta sensum traditum supra num. 11. *Tunc igitur,* inquit Cyrillus, *& Dominus, & Christus fit, quando homo factus, & Iesus, & seruus vocatus est.* Item Chrysostomus verbis relatis suprà num. 9. & Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7. initio vbi benè vrget contra Arianos illud, *Quem vos crucifixistis,* ita arguens, *Non diuinitas crucifixa, sed caro est. Hoc vtique fieri potuit, quod potuit crucifigi. Non ergo factura, Dei Filius.*

Basilius.

Cyrillus.

Chrysost. Ambrosius.

PVNCTVM VI.

Probatur diuinitas Spiritus sancti.

SVMMA.

1. Proponitur conclusio de diuinitate Spiritus sancti, & referuntur illius aduersarij num. 103. 104.

2. Scripturæ loca, in quibus habetur expresse diuinitas Spiritus sancti, num. 105. *ad* 113.

3. Exponitur locus Actorum 5. num. 106. 107.

4. Exponitur locus primæ ad Corinthios 3. & 6. n. 108. *& 109.*

5. Exponuntur alia multa loca num. 110. *ad* 113.

6. Scripturæ loca ex quibus certo deducitur Spiritus sancti diuinitas num. 113. *ad* 125.

7. Locus ex epistola ad Philippenses 3. num. 113.

8. Locus ex Sapientia 1. num. 114.

9. Locus ex Matthæi vltimo num. 115.

10. Locæ, in quibus Dei operationes tribuuntur Spiritui sancto num. 116. *ad* 120.

11. Locus ex prima Ioannis 5. num. 120. *ad* 123.

12. Expenditur locus ex secunda ad Corinthios 3. num. 123. 124.

13. Rationes probantes diuinitatem Spiritus sancti num. 125. *ad* 130.

14. Hæreticorum obiectiones num. 130. *ad* 140.

QVinta conclusio, non solùm Pater, quod nemo negat, & Filius, vt probatum est, sed etiam Spiritus sanctus est vnus verus Deus. Vnde non solum processio Filij à Patre, sed etiam Spiritus sancti à Patre, & Filio, est processio Dei veri de Deo vero, & consequenter æterna, atque increata: & in diuinis, quod est omnium sequentium disputationum subiecta materia, datur vera Trinitas personarum in vnitate naturæ. Hæc est fides catholica, quam ex sacris Scripturis, & Patribus omnibus sancta confitetur Ecclesia de Deo trino & vno. Quantum ad Spiritum sanctum eam negarunt Ariani, Eunomiani, & Macedoniani. Qui, vt refert Nazianzenus oratione 5. de Theologia initio, contra Catholicos de Spiritu sancto dicebant, *Vnde nobis peregrinum hunc Deum, & Scripturæ verbis numquam expressum, introducis?* & paulo post, *Hoc nomine nobis indignantur, quasi peregrinum aliquem, & suppositum Deum, videlicet, sanctum Spiritum, introducamus. Hoc exprobrant nobis etiam hi, qui de Filio modestius sentiunt;* nimirum Macedoniani vt referam in fine sequentis numeri. Ariani quoque dicebant, Filium esse creaturam, tamen omnium primam ac perfectissimam, immediate factam ab ipsomet Deo, multo ante aliquas omnes creaturas. Spiritum vero esse multo minus perfectum, nempe creaturam, factam quidem *ante omnia sæcula,* vt illis tribuit Athanasius disputatione in Nicæno Concilio contra Arium, non longè à fine, tamen immediate factam ab alia creatura, nempe à Filio, & post Filium. & ideo de Arianis etiam intelligi potest dictum à Nazianzeno supra, *ferocius Spiritui reluctantur.*

103. *Ponitur & explicatur quinta conclusio.*

Nazianzen.

Quid Ariani sentiant de Spiritu sancto.

Athanasius.

Hanc hæresim S. Thomas 4. contra gentes c. 16. fine, & de Potentia quæst. 10. art. 2. initio corporis Ario tribuit: Quamquam Arius, eiusque sectatores, primis hæresis Arianæ temporibus, ferè nihil expresè dixerunt contra diuinitatem Spiritus sancti, sed tori fuerunt in perturbanda Filij diuinitate; probè scientes, quòd, si in ipsomet Dei Patris Filio, ac Verbo non est diuinitas, ea in Dei Spiritu & amore, qui non est filius à Deo genitus, esse non possit. Vnde Basilius epistola 78. circa medium referens Nicænum Symbolum, & volens causam reddere, cur ibi de Filio quamplurima explicentur, de sancto autem Spiritu fere nihil, sed tantum dicatur simpliciter, *& in Spiritum sanctum,* ita testatur. *Sententia vero de Spiritu sancto in transcursu, sine omni diligentia, posita est; propterea quòd nondum mota esset ista quæstio; sed adhuc credentium mentibus securus, ac nullis obiectus insidijs, inesset de Spiritu sancto intellectus. Paulatim vero peruersa impietatis semina sese exeruerunt. Quæ primum quidè, ab Ario, hæresis authore seminata;*

104. S. Thomas.

Basilius.

Cur Nicænū Symbolum nihil ferè dicat de Spiritu sancto.

seminata; postea vero ab illis, qui impia Arij commenta fuscepernnt, ad perniciem Ecclesiarum nutrita sunt; & ipsa impietatis series, ac ratio ad blasphemiam contra Spiritum sanctum resipuit. Docet, Authorem hæresis contra Spiritum sanctum fuisse quidem Arium, tamen in semine; quia scilicet blasphemiæ Arij aduersus Dei Filium, posterioribus Arianis, aliisque hæreticis necessariam occasionem dederunt, vt easdem, & multo plures, ac grauiores in Spiritum sanctum effunderent. Idem ferè testantur Epiphanius hæresi 74. fine, & Hieronymus epistola 65. cap. 1. sub finem, vbi respondens Origenistis contendentibus, non esse damnandam doctrinam Origenis, quia damnatus non est in Concilio Nicæno, ait, *scilicet, idcirco Spiritus sancti neganda Maiestas est, quia in illa Synodo super substantia eius, silentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit. De Filio, non de Spiritu sancto confessi sunt, quod negabatur. Taeuerunt, de quo nemo quærebat.* Testatur Hieronymus, nullam de Spiritu sancto quæstionem ab Ario motam esse, neque in Nicæno Concilio exagitatam. Significat verò contra Spiritum sanctum multo ante Arium, scripsisse Origenem, quod superius adnotaui n. 19. ex Epiphanio, & num. 93. ex verbis ipsiusmet Origenis. Qui tamen alio in loco, nempe in epistolam ad Romanos, lib. 7. cap. 9. multo ante medium diuinitatem Spiritus sancti, sicut & Filij, vt notaui supra num. 23. apertissimè fatetur & probat. Hinc fortasse factum est, vt S. Basilius libro de Spiritu sancto cap. 2. initio de Aetio scripserit, illum fuisse *huius hæreseos principem:* & Sozomenus lib. 6. Histor. c. 26. fuisse Eunomium, Aetij discipulum, & Socrates lib. 2. Histor. cap. 35. fuisse Macedonium, vel secundum alios Marathonium. Hi enim expressius & copiosius aperuerunt venenum, quod latebat sub hæresi ab Ario inuenta, vel explicata contra Filium Dei, præsertim Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, contra quem, iubente Damaso Papa, celebratum est Concilium primum Constantinopolitanū, pro defendēda Spiritus sancti diuinitate. & quidē cōtraria hæresis videtur propria Macedonij. nā reliqui malè sentiētes de Spiritu sancto, malè etiam senserunt de Filio: Macedoniani verò, inquit Augustinus hæresi 52. *de Patre & Filio rectè sentiunt, quòd vnius sint, eiusdemque substantiæ, vel essentiæ: sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes.* & ideo ait, *Semiarianos vocant, quòd in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quamuis à nonnullis perhibeantur, non Deum, sed Deitatem Patris & Filij dicere Spiritum sanctum, & nullam propriam habere substantiam.* In quo sensu eos impugnabimus dubitatione sequenti contra Sabellium. Eandem ob causam posteriores Ariani nostri temporis, Transyluani, Valentinus Gentilis, & alij, vt refert & testatur Bellarminus lib. 1. de Christo c. 13. initio negarunt quidem, Spiritum sanctum esse Deum, sed pauca admodum de ea re scripserunt: quia impugnato Filio, cui multò clarius atque frequentius in Scriptura diuinitas tribuitur, videbant, credi non posse diuinitatem Spiritus sancti.

Epiphanius. Hieronym.

Quid de Spiritu sancto senserit Origenes.

Bellarminus.

Scripturæ loca, in quibus expresè habetur diuinitas Spiritus sancti.

105. *Quid in genere senserit Nazianzenus.*

De hoc argumento ita censet sapientissimus Gregorius, cognomento Theologus, oratione 5. de Theologia, multò post medium. *Vetus testamentum Patrem manifestè prædicauit, Filium autem obscurius. At nouum, cum Filium clarissime ostenderit, Spiritus deitatem tantum subindicauit. Nunc verò Spiritus nobiscum inter nos habitat, argumenta sui ipsius illustriora nobis exhibens: vt paulatim alia post aliud additamento facto,*

Constantinopolitanum I. contra Macedonium.

Augustin.

& à gloria in gloriam processibus, profectibusque, Trinitatis lux illustrioribus effulgeat. Quòd autem post Ascensionem Christi, diuinitas Spiritus sancti clarius manifestata sit, colligit ex illo Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* & infrà, *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* & cap. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* ex his ita prudentissime ratiocinatur Nazianzenus, *Cum promissum sit fore, vt vbi Spiritus venerit, doceamur omnia, eorum vnum esse puto ipsam Spiritus Deitatem, in posterum conspicuam futuram.* Verumtamen quamuis sacrarum literarum testimonia de Filio habeamus & plura, & euidentiora, tamen de Spiritu sancto habemus etiam simpliciter multa, & adeò clara, vt pro simpliciter expressis haberi possint, & *euidentia* dicuntur à S. Thoma 4. contra gentes cap. 17. initio: quorum nonnulla ipsemet Nazianzenus affert post citata verba, & efficaciter expendit, negatque hæreticis, *In scripturis de Spiritu expresè nihil reperiri;* additque, *Spiritus Deitatem in scriptura vel in primis celebrem esse demonstrabitur his, qui non sint omnino crassi, & à Spiritu alieni.* & inter opera Cyrilli in 2. tomo habetur liber quidam post Dialogos de Trinitate, hoc titulo, *Argumenta euidentia, quod Spiritus sanctus sit Deus, & non creatura.* Afferam primum quæ videntur explicitè docere, Spiritum sanctum esse Deum; deinde quæ implicitè.

Spiritus sancti diuinitas illustrior post Christi Ascensionem.

S. Thomas.

Nazianzen.

Cyrillus.

Locus ex Actorum 5.

106. Primò clarissima sunt verba, quæ post Christi ascensionem dixit Petrus ad Ananiam Actorum 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto. Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Vbi Arator, antiquus Poëta tempore Virgilij Papæ, Subdiaconus S. R. E. ita ad rem nostram pulchrè cecinit, vt habetur in Bibliotheca veterum Patrum, tomo 8.

Arator.

——quòd Spiritus almus
Sit Deus, ex multis plena est instructio libris.
Et tamen hinc capit arma Fides; quò tenditis vltrà?
Quis dubitat quod Petrus ait?

Eisdem verbis diuinitatem Spiritus sancti perspicuè tradi docuerunt Beda, Glossa, Hugo, aliique omnes Interpretes. Item Athanasius de communi essentia circa medium. & in Disputatione contra Arium in Nicæno Concilio, circa finem, vbi ait, *Vides, quòd quem in superioribus nominauerat Spiritum sanctum, in sequentibus appellauit Deum?* Basilius lib. 5. contra Eunomium, circa medium, & libro de Spiritu sancto cap. 16. circa principium. Epiphanius hæresi 74. ante medium. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 21. ante medium. *Dixit Apostolus Petrus, Ausus es mentiri Spiritui sancto. Atque ostendens, Deum esse Spiritum sanctum, Non es, inquit, mentitus hominibus, sed Deo.* Nazianzenus oratione 5. de Theologia circa finem, Hieronymus in illud Isaiæ 63. *Afflixerunt Spiritum Sancti eius.* Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 10. per totum. Vnde cap. 11. initio ait, *Hoc loco euidenter sancti Spiritus diuinitatem Scriptura testatur.* Cyrillus Alexandrinus lib. 7. de Trinitate, aliquanto post principium, sic rectè arguens, *si quidem non est consubstantialis Spiritus cum Deo, non in Deum erit peccans, qui in illum peccat.* & lib. 13. Thesauri cap. 2. circa medium. *Si Spiritui sancto mentitus, Deo mentitur, Deus certè Spiritus est, & non creatura.* Didymus lib. 1. de Spiritu sancto circa finem, & habetur tomo 9. Bibliothecæ veterum Patrum, *Si qui Domino mentitur,*

Basilius.

Epiphanius. Augustinus.

Nazianzen. Hieronym. Ambrosius.

Cyrillus.

Didymus.

mentitur, mentitur Spiritui sancto; & qui Spiritui sancto mentitur, mentitur Deo, nulli dubium est, consortium Spiritus sancti esse cum Deo.

107. *Hæreticorum instantia.* Dices cum hæreticis apud Cyrillum loco citato de Trinitate istam consequentiam non esse necessariam, *Quoniam si quis vellet in Sanctos piè agere, in Deum idem piè aget. & Apostolis dixit Christus, Qui recipit vos, me recipit*; (Matth. 10.) & tamen hinc non sequitur, colentem Sanctos, esse Deum; & Apostolos, esse Christum: ergo ex eo quòd quis mentitur Spiritui sancto, mentiatur Deo, non sequitur, Spiritum sanctum esse Deum.

Respondetur primò cum Cyrillo. Respondeo primò cum Cyrillo, manifestam esse disparitatem, quia in allatis exemplis comparantur inter se res euidenter inæquales, & inuicem separatæ; & minus præstans per metaphoram refertur ad præstantiorem. At hæc euidens inæqualitas & separatio non apparet inter Spiritum sanctum & Deum, imò potius æqualitas, & coniunctio; quia idem Spiritus, qui vocatus fuerat Deus, paulò post vocatur Spiritus Dei, cum ad Sapphiram, vxorem Ananiæ, eiusdem mendacij ream, dixit Petrus, *Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini?* hoc est, vt interpretatur Ambrosius supra, (Ambrosius.) *Dei Patris:* quod antea lib. 1. cap. 4. circa medium bene probauerat ex illo Matthæi 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quid autem est magis æquale, & coniunctum, & consubstantiale cum re habente Spiritum, quàm Spiritus eius? Præterea in Petri verbis non comparatur Spiritus ad Deum, non enim dicitur, Qui mentitur Spiritui sancto, mentitur Deo, sicut dicitur, *Qui colit Sanctos, colit Deum*; &, *Qui recipit vos, me recipit*: sed prius absolutè dicitur, *Mentitus es Spiritui sancto*; deinde hoc ipsum repetitur, & absolutè etiam dicitur, *Mentitus es Deo*; & iterum infra, *Mentitus es Spiritui Domini.* Quo loquendi modo non refertur Spiritus sanctus ad Deum, tanquam ad aliquid præstantius, sed manifestè dicitur & supponitur, Spiritum sanctum esse naturaliter & substantialiter ipsummet Deum, & Spiritum Domini.

Respondetur secundò. Respondeo secundò huiusmodi interpretationem, de vna re inferiore relata ad aliam superiorem, hîc non posse habere locum, propter illa verba, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Enim vero Ananias mentitus erat homini, nempe Petro Apostolo, & non alteri creaturæ, quia Petro, & nemini præterea dixerat, se tanti vendidisse agrum, quem verè pluris vendiderat. Ergo cum Petrus, ad ostendendam mendacij grauitatem, opponit Deum hominibus, & negat, Ananiam mentitum hominibus, sed Deo, hominum nomine comprehendere vult omnem creaturam; alioqui si Ananias mentitus esset vni creaturæ, non alteri, v.g. Angelo, non homini, neque aptè, neque etiam verè dictum esset, *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* nam Ananias respondere facilè potuisset, se neque hominibus, neque Deo mentitum, sed Angelo. Itaque planus sensus, à Petro intentus, est hic, (Actor. 5.) *Non es mentitus hominibus,* aut cuilibet alteri creaturæ, sed creatori Deo. Ergo cum paulo ante dixit, Mentitus es Spiritui sancto, non potest rationabiliter intelligi de aliqua creatura, diuersa ab hominibus & Deo, sed ex contextu sermonis intelligi debet solùm de Deo. Ergo idem fuit dicere, *Non es mentibus hominibus, sed Deo.* ac si dixisset, Non es mentitus hominibus, sed Spiritui sancto. Ex hoc loco igitur perspicuè, &, (S.Thomas.) vt ait S.Thomas 4. contra gentes c. 17. num. 16. expressè constat, Spiritum sanctum non esse creaturam, sed Deum.

Locus ex 1. ad Corinthios 3. & 6.

Secundò, non minus euidentia & conuincentia sunt alia verba 1. ad Corinthios 3. quæ ad hoc probandum afferunt Athanasius de communi essentia, 108. *Ex 1 Cor. 3. argumnt.* (Athanasius.) non longè à principio, & epistola 1. ad Serapionem Episcopum, ante medium. Basilius lib. 5. contra (Basilius.) Eunomium, initio, & iterum circa medium. & libro de Spiritu sancto cap. 21. fine, & alij infra citandi; & solum afferuntur in hoc articulo. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei, sanctum est, quod estis vos.* vbi rectè Ambrosius ita discurrit, (Ambrosius.) *Superius, templum Dei dixit: hoc autem loco, templum Spiritus sancti. Quis hinc dubitet, quia Spiritum sanctum Deum significauit?* & Theodoretus, (Theodor.) *Testatur Scriptura, quod sanctissimus Spiritus, Deus est.* Præterea hunc optimum discursum facere videtur Anselmus ibidem, (Anselmus.) illud est templum Dei, in quo habitat Deus. *Vtique in templo suo habitat Deus. Nam quid templum Dei est, nisi habitaculum Dei?* Sed Paulus aperte docet, nos esse templum Dei. Ergo qui in hoc templo habitat, Deus est. Sed in hoc templo, vt idem docet, *Spiritus Dei habitat. Deus ergo*, inquit Anselmus, *est Spiritus sanctus, cuius sumus templum & habitaculum. Neque enim templum haberet, nisi Deus esset.* Idem Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 13. circa medium. (Ambrosius.) *Quàm impudenter negatis Deitatem Spiritus, cum legeritis, Quia templum habet Spiritus.* Cyrillus (Cyrillus.) quoque lib. 13. Thesauri cap. 1. circa finem, & cap. 2. post principium ex iisdem verbis ita arguit. *Si ergo sancto Spiritu accepto, domus & templum Dei efficimur, & Deum habemus in nobis habitãtem, & inambulantem, quomodo Spiritus sanctus non erit verus Deus? aut quomodo erit creatura?* & Epiphanius hæresi 74. versus (Epiphanius.) finem. *Si templum Dei vocamur propter habitationem sancti Spiritus, quis audeat reprobare Spiritum, & abalienare ipsum ab essentia Dei? cum palam Apostolus dicat, Vos templum Dei estis propter inhabitantem in ipsis dignis Spiritum sanctum.*

109. Idem ferè habetur 1. ad Corinthios 6. illis verbis, *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quæ vltima verba exponens Augustinus epistola 66. paulò post (Augustin.) principium, subdit, *Quem Deum, nisi Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templum?* & lib. 3. contra Maximinum cap. 21. circa principium. *Corpora fidelium sunt templum Spiritus sancti, & Deus non est Spiritus sanctus? Quis hoc dicit, nisi in quo non habitat?* & bene addit, quòd Paulus verbis citatis, *dilucidè ostendit, Deum esse Spiritum sanctum, glorificandum scilicet in corpore nostro, tanquam in templo suo.* Et idem repetit 1. de Trinitate cap. 6. circa finem. Vbi præterea ex aliis verbis præcedentibus, *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* sic optime arguit ad hominem contra hæreticos asserentes, Spiritum sanctum esse creaturam ignobiliorem Filio. *Quid insanius, magisque sacrilegum est, quam vt quisquam dicere audeat, membra Christi, templum esse creaturæ minoris secundum ipsos, quàm Christus est?* & ideo lib. 1. contra Maximinum cap. vltimo circa finem ait, *Cùm audis, Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo. Et eodem loco, Nescitis, quia corpora vestra, membra sunt Christi, noli negare, Deum esse Spiritum sanctum, ne templum creaturæ facias membra creatoris,* hoc est, Christi, per quem omnia creata sunt, ad Colossenses 1. Præterea Ambrosius connectens hæc (Ambrosius.) verba cap. 6. cum prioribus verbis cap. 3. ita rectè colligit,

superius, templum Dei dixit; hîc, templum Spiritus sancti, qui in substantia, hoc est, Spiritus sanctus, quod Deus. & Anselmus ibidem, (Anselmus.) *Spiritus apertissime declaratur esse Deus: quia nisi Deus esset, templum vtique non haberet.* Quamuis enim multæ sanctæ creaturæ post mortẽ templa habeant materialia & artefacta, tamẽ solius Dei proprium est, vt docet Nazianz. orat. 25. (Nazianzen.) ad Arianos, & de se ipso, non longè à fine, dari *templum viuum Dei viui, sacrificia animata, holocausta rationabilia.* In quo sensu accipiendus est S. Thomas hîc (S.Thomas.) dicens, *Templum habere solius Dei est.* Quem sensum significauit Paulus 2. ad Corinth. 6. (*Exponitur locus 2. Cor. 6.*) *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, Quoniã inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erũt mihi populus.* Hæc inhabitatio, quæ hîc Deo manifestè tribuitur, superius verbis citatis, ex 1. ad Cor. 3. tribuitur Spiritui sancto. Ex quibus locis apertissimè concluditur, Spiritum sanctũ esse Deum, non minus ac Deus sunt Pater & Filius: vt argumẽtatur S.Thomas 4. cõtra gentes c. 17. n. 14. (S.Thomas. Basilius.) Vnde rectè Basilius de Spiritu sancto c. 21. fine ita concludit, *Non vereris ô homo, Apostolum dicentẽ, Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. An Scriptura admisit vnquam, vt seruile domicilium appellatione templi honoraret?* hoc est, vt appellaret templum illud domicilium, in quo inhabitat serua creatura, & non Dominus Deus.

Multa alia loca.

110. Tertiò manifestus etiam videtur locus 2. Reg. 23. *Hæc sunt verba Dauid nouissima. Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Dixit Deus Israël mihi, Loquutus est Fortis Israël, Dominator hominum.* Vbi Spiritus Domini, qui est Spiritus sanctus, apertissimè dicitur *Deus Israël*, quo maximè nomine ipsimet heretici fatentur significari verũ Deũ: qui hîc propterea dicitur, *Fortis Israël, Dominator hominum.* (*Deum loqui per Prophetas.*) Huc spectãt multa loca, in quibus Deus, qui per Prophetas loquutus est, dicitur esse Spiritus sãctus. Quod in genere benè probat S.Thom. suprà n. 11. ex illis Dei verbis Numer. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somniũ loquar ad illum.* Vnde Dauid Propheta ait Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* & Zacharias Lucæ 1. cum dixisset, *Benedictus Dominus Deus Israël,* mox de eo subiungit, *sicut loquutus est per os Sanctorũ, qui à sæculo sunt, prophetarũ eius.* Et ipsimet Prophetæ passim ita incipiũt, *Hæc dicit Dominus Deus,* vt notat (Basilius.) Basilius lib. 5. cõtra Eunomiũ, multò post principiũ. Igitur vniuersaliter, Deus est qui loquitur per Prophetas. Quod benè cõfirmat Basilius de Spiritu sancto c. 16. initio ex illo 1. ad Cor. 14. & sequitur Cyril- (Cyrillus.) lus lib. 13. Thesauri c. 1. post med. & lib. 7. de Trinit. ante med. *Si omnes prophetent; intret autẽ quis infidelis, vel idiota, cõuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta cordis eius manifesta fiunt; & ita cadens in faciẽ, adorabit Deum, pronuncians, quòd verè Deus in vobis sit.* (*Spiritũ sanctum loqui per Prophetas.*) Hîc autẽ loquens per Prophetas, vniuersaliter etiã, dicitur esse Spiritus sanctus 2. Petri 1. *Non enim volũtate humana, allata est aliquãdo prophetia; sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Et ideo Christus ait Marci 12. *Dauid dicit in Spiritu sãcto, Dixit Dominus Domino meo,* &c. Et Act. 1. *Oportet impleri Scripturã, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda.* (*Exponitur locus Isaiæ 6.*) In particulari autẽ habetur Isaiæ 6. quòd Dominus exercituũ, qui ibi describitur Deus gloriosissimus, dixerit ad Isaiã, *Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte videntes, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanẽ eum.* Hæc vero Dei verba, esse verba Spiritus sancti interpretatus est Paulus Actorũ vltimo. *Benè Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam prophetã ad Patres nostros, dicens, Vnde,* &c. (*Exponitur locus Actorum vltimo.*) Quid pro diuinitate Spiritus sancti afferri possit illustrius, nõ apparet. Idque notarunt Athanasius de cõmuni essentia multo post (Athanasius.) principium, Basilius lib. 5. contra Eunomium ali- (Basilius.) quanto post principium, Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto c. 22. (Ambrosius.) S.Thomas 4. contra gentes c. 17. n. 10. (S.Thomas.)

111. Similia sunt quæ affert etiam S. Thomas supra n. 12. & 13. Nam Psal. 93. de Deo manifestè dicitur, *Qui docet hominem scientiam.* & Daniel. 2. *Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Hoc autem,* inquit S.Thomas, *proprium opus Spiritus sancti esse, manifestum est ex illo Ioan. 14. Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Item Danielis 2. *Deus est qui reuelat mysteria,* quod Spiritui sancto tribuitur 1. ad Cor. 2. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum suum:* qui tanquam persona per se subsistens, statim absolutè vocatur Spiritus, cum immediate post ita subditur, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiã profunda Dei:* & paulo pòst, Spiritus Dei; *Quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei* & c. 14. *Spiritus loquitur mysteria.* Item loqui in Sãctis, tribuitur 2. ad Cor. vltimo, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Idem tribuitur Spiritui sancto Matthæi 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ergo Spiritus sanctus est eiusdem naturæ diuinæ cum Christo vt Filio Dei: quia, vt rectè sumit S.Thomas; (S.Thomas.) *Quorum est eadem operatio, oportet esse eandem naturam.* Item Ps. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* & Ieremiæ 17. *Ego Dominus scrutans cor.* & Apocal. 2. *Ego sum scrutans renes, & corda.* Quod etiam Spiritui sancto tribuitur verbis citatis, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* hoc est, vt interpretatur Hieronymus (Hieronym.) *etiam quæ in secreto Dei consilio conquiescunt.* Et ideo, inquit ibi Anselmus, (Anselmus.) *Deus esse manifestatur, qui omnia Dei occulta scire ostenditur.* nam, vt docet Epiphanius hæresi 74. prope finẽ. (Epiphanius.) *Quomodo alienus à Deo erit Spiritus, qui profũditates Dei scrutatur?* & Cyrillus lib. 7. de Trinit. fine. (Cyrillus.) *Quomodo omnia noscens, & profunda Dei scrutans ordinatur cum his, qui nesciunt ea, quæ in Deo; & seruilem gloriam in se ipso à nobis accipiet, cùm Saluator manifestè dicat, Seruus nescit quid faciat dominus suus.* & lib. 13. Thesauri c. 1. circa principiũ, *Spiritus hominis non per reuelationem scit quæ in homine sunt, sed propriè ac naturaliter occulta cordis cognoscit. Sed Spiritus sanctus similiter scit quæ sunt in Deo Patre, secundum Paulum. Sicut ergo Spiritus humanus nõ est alienus à natura hominis; sic & Spiritus Dei Patris, eiusdem substantiæ cum ipso Deo Patre est.* Vnde etiã Ambr. arguit, (Ambrosius.) Spiritum sanctũ non esse creaturam, *Quia enim de Deo est hic Spiritus, omnia nouit Dei. Profunda autem ideo ait, quia omnem virtutem, & præscientiam eius nouit: quod omnino creaturæ impossibile est.* Idque probat Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto c. 12. ante medium, *quia nemo inferior, superioris scrutatur interna.* (*Quid secundùm Athanasium sit scrutari profunda Dei.*) Probat etiam Athanasius in Disputatione contra Ariũ in Niceno Concilio, aliquanto ante finẽ, quia scrutari omnia, etiam profunda Dei, est procul dubio Deum comprehendere; quod ipsemet Arius fatebatur, qui apud Athanasium ibidem, *Profunda Dei,* inquit, *ego appello Dei infinitudinem, incomprehensibilitatem, & quod est, & quomodo est.* Sed Spiritus sanctus, teste Paulo, scrutatur profũda Dei. Ergo cõprehendit Deũ. ergo non est creatura. Quis enim, inquit Athanasius, *rem increatam à creata comprehendi dicet?* Constat enim ex Scriptura, Deum esse incomprehensibilem, non quidem respectu suiipsius, cum dicatur Matthæi 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius.* & Isaiæ 24. *ex persona Dei,* inquit S.Thomas 4. contra gentes cap. 17. n. 7. (S.Thomas.) *Secretum*

meum mihi. Ergo est incõprehensibilis respectu creaturæ. & ideo optimè Athanasius, absolutè ita sumit, *Si Deus comprehenditur ab aliqua creata natura, iam non poterit incomprehensibilis dici.* Afferunt etiam Athanasius de communi essentia, non longè à principio, Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto c. 9. initio illud Psal. 94. vbi Deus ita loquitur, *Nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me Patres vestri*, &c. quæ verba dicta esse à Spiritu sancto expressissime docet Paulus ad Hebræos 3.

Athanasius.

Ambrosius.

Expenditur locus Ioannis 4.

112. Quartò demũ inter loca expressa numerari quoque potest illud Ioan. 4. *Spiritus est Deus*; non tam ad veritatis probationẽ, quàm ad demonstrandã ignorantiã, & malitiam aduersariorum. Nam Ariani, teste Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto c. 11. hæc verba, quæ putabant dicta esse de Spiritu sancto, & expressè significare, Spiritum sanctum esse Deum, eraserunt de suis & Ecclesiæ codicibus. *Literas quidẽ*, inquit Ambrosius loquens cum Arianis, *potuistis abolere, sed fidẽ non potuistis auferre. Plus vos illa litura prodebat. Plus vos illa litura damnabat.* Et, vt doctè atque eleganter addit Bellarminus lib. 1. de Christo c. 13. ante med. *Magis eis nocuit litura sua, quàm litera Dei: si quidem verba illa Dei non necessario de Spiritus sancti persona intelligenda sunt; at litura illa clamat, Arianos in reprobũ sensum datos esse, & in Spiritum sanctum peccare; cum malint, Scripturas sanctas delere, quàm errores suos deponere.* Sed ex ignorantia veritatem vel inuiti confessi sunt. Ideo enim verba illa abstulerũt, quia certò credebant, illis contineri fidei veritatem, quã per summam infidelitatẽ impugnabant: eaque cœcutientes, non viderunt, dici facilè posse, vt habet communis Catholicorum interpretatio, hoc loco nõ sumi Spiritum, pro Spiritu sancto, sed pro substãtia spirituali, vt distinguitur contra Corpus de Prædicamento substantiæ; &, quod certũ esse dixit ibi Maldonatus, propositionis subiectũ esse, *Deus*, prædicatum vero *Spiritus*; sensumq; esse, *Deus est Spiritus*, hoc est, spiritualis substantiæ ac naturæ, non corporeæ. Vnde Augustinus lib. 1. contra Maximinum ante medium ita legit & exponit, *Dicitur, Deus Spiritus est, id est, quia corpus nõ est.* Quẽ sensum postulat ipsemet contextus: nam Christus propositionẽ illam attulit, vt probaret, Deũ esse iam adorandũ *in Spiritu & veritate*, hoc est, secundum communẽ expositionẽ Origenis, Tertulliani, Hilarij, Chrysostomi, Procopij, Theophylacti, Cyrilli, Euthymij, quam refert, & sequitur ibi Maldonatus, nõ cũ restrictione ad verbũ aliquẽ locum corporeum, extra quẽ adorari nõ possit, v. g. *Neque in monte hoc, neque in Ierosolymis*, vt ipsemet Christus antea præmiserat; sed quocũque loco, quacũque hora, abundãte iã Dei gratia post Christi passionem, posse per mentis eleuationem, & cordis affectum, spiritualiter adorari: neque legalibus illis ceremoniis, & sacrificiis, quæ vmbræ tantùm erant & figuræ rerum futurarum; sed rebus ipsis, quæ per vmbras illas figurabantur. Ad hãc spiritualem adorationem introducendam, quid conducat, subiungere, Spiritum sanctum esse Deum, non apparet; multum verò conducere videtur, si subiungi intelligamus, Deum esse nõ corporeæ ac figuratæ naturæ, sed spiritualis ac veræ; & ideo illam Dei adorationẽ in Spiritu & veritate, esse multò magis diuinæ naturæ accommodatã; atque adeo iam in vltimo ac perfectissimo statu Euangelicę legis vsurpandam. Quamquam non desunt, qui Spiritus sancti diuinitatẽ per hæc verba significari contendant, vt ipsemet Ambrosius suprà, & lib. 3. de Spiritu sancto fine. Nazianzenus orat. 5. de Theologia ante mediũ. Athanasius de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Basilius de Spiritu sancto c. 18. circa finem. Epiphanius hæresi 74. circa finem. Cyrillus lib. 7. de Trinitate ante medium, quos ex recentioribus sequutus est Valentia hic, puncto 1. §. 25. ad 1.

Maldonatus.

Augustinus.

Ambrosius. Nazianzen.

Athanasius.

Basilius.

Cyrillus.

Valentia.

Scripturæ loca ex quibus certò deducitur diuinitas Spiritus sancti.

Primus locus sit ille, de quo dixit August. lib. 1. de Trinit. c. 6. circa finem, *Maximè illo loco satis claret, quod Spiritus sanctus non sit creatura, vbi iubemur, non seruire creaturæ, sed Creatori. Scriptum est enim, Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies. Sed Spiritui sancto ab omnibus Sanctis talis seruitus exhibetur.* Quod dupliciter probat Augustinus, tum ex illo ad Philippenses 3 *Nos sumus circumcisio, qui Spiritui Dei seruiemus. Sic enim habent*, inquit Augustinus, *plures codices, etiam Latini, & Græci omnes, aut penè omnes: in nonnullis autẽ exemplaribus Latinis inuenimus, non, Spiritui Dei seruimus, sed, Spiritu Deo seruimus*; idèque obseruauit & probauit etiam Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto c. 6. Imo Thomas 4. contra gentes c. 17. n. 2. vult esse legendum, *Spiritui Deo seruimus*, vt, inquit, *Græci libri, & antiquiores Latini habent.* Tum ex verbis citatis supra n. 109. quibus Paulus docet, Membra nostra tẽplum esse Spiritus sancti: *quia*, inquit Augustinus, *cui corpus nostrum, templum exhibemus, necesse est vt huic etiam seruitutem debeamus, quæ non nisi Deo seruiendum est, quæ Græcè appellatur, λατρεία.*

113. Augustin.

Matth. 4. Deuter. 6. *Exponitur locus ad Phil. 3.*

Ambrosius. Thomas.

Locus ex Sapientiæ 1.

Secundus locus, quo solo motus est Origenes in epist. ad Rom. lib. 7. c. 9. multò ante medium ex illo Sapientiæ 1. *Spiritus Domini*, qui paulò ante expressè dicitur, *Spiritus sanctus, repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Replere orbem terrarum, pertinet ad immensitatem; continere vero omnia ad omnipotentiã; quæ sunt propriissima attributa diuinæ naturę: & immensitatem Spiritus sancti, ex illo Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* probant etiam Athanasius de cõmuni essentia multò post principiũ. Basilius lib. 5. contra Eunomium circa med. Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto c. 7. initio. Cyrillus lib. 7. de Trinit. post med. Thomas 4. contra gentes c. 17. n. 15. Vnde Origenes Deum trinũ in personis, vnũ in natura, ita ex Scripturis optimè colligit, *Si Filius Dei super omnes dicitur, & Spiritus sanctus cõtinere omnia memoratur, Deus autẽ Pater est ex quo omnia, euidenter ostenditur natura Trinitatis, & substantia vna, quæ est super omnia.* Nazianzenus quoque orat. 5. de Theologia circa finẽ diuinitatẽ Spiritus sancti probat ex eo quòd *omnia essentia sua implet, omnia continet. Explet Mundũ essentia, cũ vicissim Mundus, eius facultates nõ capiat. Implet, nõ impletur; continet, non continetur.* Itẽ Athanasius supra. & ep. 1. ad Serapionem Episcopum, circa med. Basilius lib. 9. contra Eunomiũ, aliquanto post principiũ. & iterũ circa medium, & circa finẽ, vbi docet, nõ posse non esse Deum Spiritũ sanctum, *qui adimplet orbẽ, qui vbique adest vt Deus, ac cum Deo semper est, nec ab eo separatur.* & Ambrosius suprà, *Quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat circumscriptam, determinatam virtutem? quia in omnibus, & vbique semper est; quod vtique diuinitatis est proprium.* Optime Cyrillus loco citato de Trinitate. *Si locus nullus, vbi nõ est Spiritus, & omnia implet Spiritus, quo pacto fieri potest obscurum & incognitum, quod Spiritus Deus sit, vnione naturali cum Deo. Si autem & omnia continet, quomodo esset conditus vel factus? cum verbum, Omnia,*

114. Origenes.

Immensitatẽ Spiritus sancti ex Psalm. 138. probant Athanasius, Basilius, Ambrosius, Cyrillus, Thomas.

Origenes.

Nazianzen.

Athanasius. Basilius.

Ambrosius.

Cyrillus.

Omnia, omnem speciem, & genus substantiæ factæ scilicet includat quodam modo in se ipso, & aliud manifestè præter omnia demonstret, quod continet ea. Quod autem, etiam non est in omnibus, sed extra omnia naturaliter situm erit supra creaturas, & naturam eorum, quæ ab ipso implentur ac continentur, transilit. At Deus est id, quod super creaturam.

Locus ex Matthæi vltimo.

115. Athanasius. Tertius locus ille sit, quo, vt ait Athanasius supra ad Serapionem circa finem, *Catholicæ Ecclesiæ fidem in Trinitate fundauit, & radicauit Dominus, cum diceret Discipulis, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quod si Spiritus esset creatura, nequaquam eum copulasset Patri, ne sibi ipsi inæqualis esset Trinitas, si peregrinum quidpiam, & alienum ipsi iungeretur. Quid enim deerat Deo, vt aliquid aliene substantiæ adiungeretur, simulque cum ipso glorificaretur? Absit. Non est ita. Plenus, inquit, ipse sum. Propterea ipse Dominus nomini Patris, Spiritum adiunxit, vt ostenderet, quòd sancta Trinitas non consistat ex diuersis, hoc est, ex Creatore, & creatura, sed quòd vna huius sit Deitas.* Ita etiam arguit Disputatione in Nicæno Concilio contra Arium, aliquanto ante finẽ, additque, *Si omnes gentes, quæ fidem recipiunt & sanctitatem, sanctificantur trina illa beatissima nomen Latura, certũ est etiam, Spiritum sanctum eius etiã Deitatis esse, cuius est Pater & Filius; cũ quo ipse sanctus sit ex substantia, & sanctos faciat omnes appropinquantes sibi communioni, vt ait Apostolus ad Corinthios, ad quos dixit, Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, in Spiritu eius qui est sanctus.* Vnde Augustinus, seu potiùs Fulgentius, de Fide ad Petrum, c. 1. initio facit hanc causalem, *Quia secundum regulã, Saluatoris imperio promulgatam, nosti te in vno Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine baptizatum, principaliter atque indubitanter, toto corde retine, Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum; id est, sanctã atque ineffabilem Trinitatem vnum esse naturaliter Deum.* Eodẽ loco ad eandem veritatem persuadendam vsi sunt Basilius lib. 5. contra Eunomium non semel: & lib. 5. aliquanto post principium. & iterũ paulò post, & fusius lib. de Spiritu sancto c. 10. per totũ; vbi initio ita differit cõtra hæreticos, *Si Dominus apertè in tradendo salutifero baptismate præcepit Discipulis, vt baptizarẽt omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, haud dedignatus cũ illo consortiũ; contra isti dicunt, nõ oportere Spiritum Patri, Filioque coniungere; an non Dei præcepto palã aduersantur?* Si enim, vt pluribus deinde prosequitur Basilius, in ipsa prima Christianæ fidei professione docemur, omnes à peccato liberari & saluari in nomine ac virtute Spiritus sãcti, nõ minus quàm in virtute Patris, ac Filij, quis, nõ nisi stultissimus, dixerit, ita differre ac separari Spiritũ sanctũ à Patre & Filio, sicut differt & separatur creatura à Deo Creatore? idque deinde magis probat c. 13. circa principiũ, quia, *vt aliquis fiat liber è seruo, atque vocetur Filius Dei, & à morte reuocetur ad vitã, à nullo alio potest dari, nisi, ab eo, qui cum Deo naturalem habet societatem, & à seruili conditione sit alienus. Quomodo autem sociabit nos Deo, qui ipse est alienus? Quomodo liberos reddet nos, qui ipse est iuga seruitutis obnoxius?* Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto c. 14. initio acutè dicẽs, *Diuina vocis euidens testimoniũ est, vnum nomen esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti; scriptum est enim, Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. In nomine dixit, non in nominibus. Nõ ergo aliud nomen Patris, aliud nomẽ Filij, aliud nomẽ Spiritus sancti, quia vnus Deus: non plura nomina, quia nõ duo Dij, non tres Dij*, & lib. 2. c. 10. ex hoc loco efficaciter conuincit hæreticos, qui per particulã, *In*, quę Spiritui sancto passim in Scriptura tribui solet, significari volunt ministerium Spiritus sancti infra Deũ. *Considera*, inquit, *quia ad Patrem, & Filium, hoc opinionis vestræ præiudicium deriuatur; quia hìc non dixit, Cum Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine; sed, in nomine: & tamen non ministerium aliquod Trinitatis, hac syllaba exprimitur; sed potestas.* Cyrillus lib. 7. de Trinit. non longe à principio. Nazianz. orat. 5. de Theologia aliquanto ante finẽ ita eleganter arguens, *Si Spiritus pro Deo non est adorandus, age quomodo me lauacri aspergine Deum faciet? Sin autẽ adorandus est, cur non & colendus erit? si vero colendus, quid non & Deus? Aliud enim ex alio pendet catena quadam verè aurea, & salutari.* Facere Deos per gratiã & gloriã, quod tribuitur Spiritui sancto, Deo tribuit Dauid Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Hinc Cyrillus lib. 13. Thesauri c. 1. circa medium ita concludit, *Natura igitur & essentia Spiritus sancti, Deus est: quoniam qui ipsum suscipiunt, Dij per gratiam efficiuntur.* Vnde ad Romanos 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

Fulgentius.

Basilius.

Ambrosius.

Particula, In, nõ semper significat ministerium.

Cyrillus. Nazianzen.

Loca in quibus Dei operationes tribuuntur Spiritui sancto.

116. *Spiritus sanctus sine pecc ato.* Quartus locus conflari potest ex multis, quibus Spiritui sancto tribuuntur operationes & proprietates, quæ soli Deo conueniunt: & præter superius allatas, vt adorari adoratione Latriæ, habere viuum templum, continere omnia, comprehendere Deum, expendam breuiter quasdam alias euidentiores atque vrgentiores.

Sapientiæ 7. sicut de Sapientia Dei dicitur, *Nihil coinquinatum in ea incurrit*, ita Spiritus Dei dicitur, *Sanctus & incoinquinatus*, hoc est, absque vllo prorsus peccato. *Ergo*, inquit Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 19. post principium, *Spiritus Deus est, & creatura non est. Omnis enim creatura, peccatorum capacitati obnoxia est: sola autem est à peccato immunis, & immaculata sempiterna diuinitas.*

Ambrosius.

Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis.* & Matthæi vltimo, *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* ergo homines ministerialiter tantum, vt colligit Ambrosius supra, remittunt peccata, & baptizando à peccato liberant in nomine & virtute Spiritus sancti, qui est principalis causa remittens, non minus ac sunt Pater & Filius, quibus in peccatorum remissione æqualiter connumeratur: sicut etiam 1. ad Corinth. 6. *Ablati estis, sanctificati, iustificati in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* & 2. ad Thessalonicẽses 2. *Elegit vos Deus, primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus.* At, vt dicitur Marci 2. & Lucæ 5. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* & Leuitici 22. *Ego Dominus, qui sanctifico eos.* quod argumentum facit etiam Cyrillus lib. 14. Thesauri, cap. 2. med.

117. *Spiritus sanctus remittit peccata.*

Cyrillus.

Psalmo 32. *Verbo Domini, cœli firmati sunt; & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quod exponẽs Athanasius lib. 1. de Vnita Deitate post mediũ ait, *Vtique Verbum, Filium indicauit: Dominum autem, Patrem designauit: & Spiritum oris eius Spiritum sanctum dixit.* & Iob 33. *Spiritus Dei fecit me.* & Psal. 103. *Emitte Spiritum tuũ, & creabuntur.* Quibus verbis, inquit Ambrosius suprà, *euidentissimè apparet, Spiritũ esse creatorem.* Quod à fortiori cõfirmat ex eo, quòd *ne Domini quidẽ ex Virgine assumpta generatio, quæ præstantior omnibus creaturis est, operationis exors sit spiritualis*, testante Angelo Gabriele Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vbi idẽ Spiritus sanctus est, qui vocatur Altissimus: sicut enim idem apertè sunt, *Superueniet in te*, &, *Obumbrabit tibi*; ita pariter, *Spiritus sãctus*, &, *virtus Altissimi*, vt in eo loco eruditè ostẽdit noster Maldonatus, sequẽs Euthymium,

118. *Spiritus sanctus creat.* Athanasius.

Lucæ 1. Spiritus sanctus vocatur Altissimus.

Maldonatus.

miũ,vnde Matthæi 1.solũ dicitur,*Maria inuenta est, in vtero habens de Spiritu sancto,* & iterum infra,*Quod in ea natũ est,de Spiritu sancto est* ; nulla facta alterius Altissimi mentione. Altissimum autem dici de solo Deo constat ex allatis supra n. 31. Hinc ita ratiocinatur Augustinus lib.3. contra Maximinum cap.17. Augustinus. circa medium,*Mundus per Filium factus est;& creator est Filius:caro eius,quæ data est pro mundi vita, per Spiritum sanctum facta est:& non est creator Spiritus sanctus?* ex hac creatione manifestè deducitur diuinitas Spiritus sancti,quia,vt arguit Ambrosius supra, Ambrosius. *Creator omnium non potest esse, nisi qui creatura non est. Nil mediat inter creaturam,& Creatorem. Qui creatura autem non est, sine dubio Deus est* : quoniam creatura adæquatè opponitur Creatori, ita vt nihil medium inter Creatorem & creaturam cogitari possit,vt significat Paulus ad Romanos 1. *Seruierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula,* nimirum Deus. Vnde sequitur, Spiritum sanctum, si non est creatura,esse Creatorem ; si est Creator, esse Deum. Nam ex Paulo ad Hebræos 3. *Qui omnia creauit Deus est.* Et ideo de Spiritu sancto etiam scribitur Sapientiæ 7.*Omnem habens virtutem, omnia prospiciens,& qui capiat omnes Spiritus* , & suprà c.1. *Replere & continere omnia.* Item Athanasius epi- Athanasius. stola 1. ad Serapionem Episcopum post medium à pari optimè arguit,*si quia creator est Filius,ideo nõ est creatura;& si,quia per eum condita sunt omnia,non est de numero verum conditarum ; manifestum est, ne Spiritum quidem esse creaturam; quandoquidem & de illo scriptum est, Auferes Spiritum tuum,& deficient, & in terram suã reuertentur. Emitte Spiritum tuum,& creabuntur, & renouabis faciem terræ. Quo palam est, Spiritum non esse creaturam,sed adesse in creando.*&,vt auuertit Ambro- Ambrosius. sius lib.2.de Spiritu sancto c.5.initio, *Non solum sine Spiritu omnem creaturam stare non posse, sed etiam creatorem totius esse Spiritum creaturæ.* Idque à priori sapientissimè probat ac declarat Athanasius ; *Siquidem Pater per Verbum in Spiritu creat omnia. Etenim vbi Verbum illic & Spiritus ; & quæ creantur per Verbũ, habent ex Spiritu per Verbum vim vt sint.* Vnde Ps.32. cœli ipsi,qui, vt notat Basilius lib. 5. contra Eunomium,circa principium ex Ps.18.sunt opera manuũ Dei, dicuntur habere esse & virtutem, simul inseparabiliter. *Verbo Domini,& Spiritu oris eius.*

Spiritus sanctus suscitat mortuos. Ad Romanos 8.*Spiritus eius,* hoc est,Dei, *suscitauit Iesum à mortuis.* & postea, *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra,propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*& Ezechielis 37. *A quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos,& reuiuiscant. & ingressus est in ea Spiritus,& vixerunt.* Et infra,*Scietis quia ego Dominus,cum aperuero sepulchra vestra,& eduxero vos de tumulis vestris,& dedero Spiritum meum in vobis, & viveritis.* Quem locum intelligendum esse de Spiritu Ambrosius. sancto,benè probat Ambrosius lib.3.de Spiritu sancto c.20.dicens,*Vtique cum Spiritum suum dixerit,nũquid aliud,præter Spiritum sanctum,nuncupauit? Neque enim flatilem Spiritum, suum diceret : nec hic Spiritus,* nempe flatilis ,*à quatuor mundi posset venire cardinibus,quia ventorum flatus hic,quem videmus, partis, non vniuersitatis est:& hic Spiritus,quo viuimus,singulorum, non vniuersorum est.Spiritus autem sanctus, est vt & super omnes,& in omnibus sit.*Ex his igitur locis manifestè constat,Spiritum sanctum ex innata sua virtute & authoritate suscitare mortuos. Hoc autem propriũ Dei est:vnde tribuitur Deo Patri,& Deo Filio, Ioan.5. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius,quos vult,viuificat.* Quòd si hoc opus tribuitur Spiritui sancto, eidem multo magis reliqua omnia Dei opera tribui possunt;quoniam nihil est, inquit Augustinus. Augustinus lib.1.de Trinitate c.6.med. *inter mirabilia mirabilius,quàm resuscitare,& viuificare mortuos.*

1.Ad Corinthios 12.latè exponitur,omnia diuinę gratiæ dona, quæ maximè à Deo sunt,esse à Spiritu sancto,adeo vt ne dici quidem ab aliquo possit,*Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.* & quamuis diuersæ sint gratiæ,tamen *idem Spiritus, idem Dominus ,idem Deus,qui operatur omnia in omnibus.*& subiũgitur,*Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ;alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu;alij gratia sanitatum in vno Spiritu.*& tam de his,quàm de reliquis omnibus gratiæ donis tandem concluditur, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idẽ Spiritus,diuidens singulis prout vult.*In his verbis,quibus,inquit Leo Papa serm. 1. de Pentecoste, Leo Papa. ante finem, *Spiritus sancti æqualem cum Patre & Filio omnipotentiã, vnamque Deitatem euidentissime prædicat Apostolus,*duo sunt,quę euidenter demonstrãt Spiritus sancti diuinitatẽ. Alterũ,quod notauit Basilius Basilius. lib.5. contra Eunomium , circa principiũ,de iisdem donis dici,*Idẽ Deus operatur omnia in omnibus,*&,*Omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.*Vbi clarissimè qui dictus erat Deus,statim vocatur Spiritus;& ad vnitatẽ eiusdẽ diuinæ naturę inculcandã,ter repetitur, *idem Spiritus,idẽ Dominus, idem Deus.*hoc est,vt exponit Ambr.lib.2.de Spiritu Ambrosius. sancto c.12.post medium,*Si Spiritum dicas,etsi Dominum dicas idem est;& si Deum dicas,idem est. non idem, vt ipse Pater,ipse Filius,ipse sit Spiritus sanctus. Sed quia idem est per substantiam atque virtutem ; quia non est in diuinitate,vel Sabelliana cõfusio,vel Ariana discretio.*Et, vt arguit Basilius,*Si omnia operatur Deus sicuti vult,* Basilius. *omnia vero hæc vnus ac idem Spiritus operatur diuidens singulis prout vult,quomodo diuersitas substantiæ illic est, vbi operationis identitas esse cognoscitur? Permutatis enim substantijs secundum impijssimum Eunomium,diuersas esse oportebat & operationes.*Item Ambrosius suprà,*Non* Ambrosius. *est discretio operationis inter Deum Patrem, & Spiritum sanctum , quando ea quæ operatur Spiritus , operetur & Pater Deus,qui operatur omnia in omnibus.* Alterum, Spiritum omnia operari,& singulis diuidere ,*prout vult,*hoc est, ex beneplacito ac libertate sanctissimæ suæ voluntatis,independenter à quocunque alio;&, vt eleganter exponit Ambrosius supra,*Non ex præcepto,vt operetur ; sed ex voluntate, qui sui est liber arbitrij,non alienæ famulus potestatis. Non enim quasi iussus obtemperat,sed quasi largitor,suæ moderator est largitatis.* ex quo Cyrillus lib. 14. Thesauri c. 5. initio ita vr- Cyrillus. get , *Quomodo igitur Spiritus sanctus non erit Deus de Deo;qui omnia operatur,quæ Deo conueniunt, & diuidit summa cum potestate,sicuti vult.* Quod Basilius supra probauit etiam ex illis Christi verbis Ioan.3. *Spiritus vbi vult, spirat.* Tandem magnam vim habet observatio Cyrilli lib.13. Thesauri c.3. circa medium, quia Paulus in eodem c. 12. cum dixisset , à Spiritu sancto,prout vult,prouenire omnium gratiarum distributionem, & specialiter,diuisiones ministrationum,sermonem sapientiæ,& scientiæ,gratiam sanitatum,operationẽ virtutũ,prophetiam, genera linguarũ ; deinde circa finem capitis docet,hæc omnia prouenire à Deo;*Quos*dã *quidẽ posuit Deus in Ecclesia,* 1.Cor.12. *primum Apostolos,secundò Prophetas,tertio Doctores;deinde virtutes,exinde gratias curationũ,genera linguarum.* Quò spectat illud Actor.20.*Attendite vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos,regere Ecclesiã Dei.*Sicut ibi dicitur, *Posuit Deus,*ita hic dicitur, *Posuit Spiritus sanctus.*& illud ad Hebr.2.vbi Paulus miracula,quibus Deus fidẽ Euangelij cõfirmauit,& quæ hîc,nomine virtutum,à Deo esse dicuntur,vocat *Spiritus sancti distributiones secundum suam voluntatem.* & illud Actorum 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto,& cœperunt loqui varijs linguis,prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Ibi genera linguarum dicuntur esse à Deo,hîc à Spiritu sancto. *Quis ergo,* inquit

Cyrillus. inquit Cyrillus,*mentis compos potest ambigere, Deum esse verum, Spiritum sanctum ? Ecce enim apertissimè Paulus, genera linguarum à Spiritu diuidi, quibus vult, ait : deinde Deum asserit eum, qui huiusmodi gratias in Ecclesia distribuit.*Demum Thomas 4. contra gentes Thomas. c.17.fine docet quòd Paulus his verbis,*manifestò expressit,Spiritum sanctum Deum esse:tum ex eo quòd Spiritum sanctum operari dicit, quæ supra dixerat Deum operari : tum ex hoc quòd eum pro suæ voluntatis arbitrio operari confitetur,*ergo,inquit, *non per ministerium, vt creatura,sed per authoritatem vt Deus.*

Locus ex I. *Ioannis* 5.

120. Quintus locus ex 1. Ioannis 5. *Tres sunt,qui testimonium dant in cœlo,Pater,Verbum,& Spiritus sanctus; & hi tres,vnum sunt,* est efficacissimus,& nunc etiam certissimus , cum in omnibus vulgaris nostris codicibus,Pontificia authoritate iam emendatis habeatur,licet olim de eius certitudine minus cõstiterit, cum & in editione Syra , & in nonnullis codicibus Græcis nõ reperiatur,sicut etiã apud plerosque sanctos Patres,tam Græcos , quàm Latinos, vt eruditè ostendit noster Lorinus in illum locũ.Quo fortasse factũ est,vt nec Athanasius in plerisque operibus de Trinitate & Spiritu sancto scriptis,quæ ipsius certò sunt,nec Basilius lib.5.contra Eunomium , nec Nazianzenus oratione 5.de Theologia,nec Ambrosius in tribus libris de Spiritu sancto , nec Epiphanius hæresi 74.nec Cyrillus lib.13.& 14.Thesauri,& lib. 7.de Trinitate,vbi Spiritus sancti diuinitatem ex instituto contra hæreticos ex Scripturis copiosissimè demonstrare conati sunt,hæc verba aliquando attulerint;quantũ ego , tam apud ipsos,quos omnes accuratè legi,quàm apud alios , qui de eadem materia fusissimè disseruerunt , videre potui. Nobis verò B. Hieronymus testis est locupletissimus,qui in prologo in septẽ epistolas canonicas scripsit , *Ab infidelibus translatoribus multum erratũ esse à fidei veritate cõperimus,triũ tantummodo vocabula,hoc est, aquæ,sanguinis,& Spiritus,in ipsa suæ editione ponentibus:& Patris, Verbique,ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo & maximè fides catholica roboratur,& Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna Diuinitatis substantia comprobatur.* Higinus Põtifex. Enim vero Higinus Põtifex anno Domini 139.epistola 1.Decretali ad omnes Christi fideles, in prima parte epistolæ sub finem,vt probet , quòd *in natura Diuinitatis vnum sunt Pater,& Filius , & Spiritus sanctus,*citat ex epistola Ioannis,vt ipse ait ,*ad Parthos,* hæc verba,hoc ordine, *Tres sunt qui testimonium perhibent in terra,aqua,sanguis,& caro.& tres in nobis sunt, qui testimonium perhibent in cœlo,Pater,Verbum,& Spiritus;& hi tres vnum sunt.*Eadem verba,& eodem ordine citat etiã Ioannes 2.Papa anno 532. nisi quod Ioan.2. loco carnis ponitur *Spiritus* ; & non habet illud , *in nobis* ; vnde multò magis accedit ad textum nostrum. Concilium deinde Lateranense 2.sub Innocentio 3.cap. 2. refert eadem verba , eodemque ordine sicut nos habemus. Concilium Lateranense.

121. Præterea Athanasius lib. 1. de vnita Deitate, aliquanto ante finem,probat quòd his Ioannis verbis, Athanasius. *nomina personarum euidenter sunt ostensa, & vnitum nomen naturale clausè est declaratum.* Notat autem dictũ esse,*Vnum sunt;non tamen,Vnus est ; quia non est eorum vna persona. Nam vnum, quod dixit de vtrisque , quid aliud intelligitur , quam quod Deus Pater natura idem ipse dicatur,& Deus idem ipse sit; & Filius,& Spiritus, Deus ?* Et paulo post,ad rem nostrã ait,*Hic est Spiritus sanctus,sed planè de vnita natura est.Ideo in Deitate vnita commune nomen est ei:sicut Filius testatur dicens,* Ioan.15.16. *de Patre procedit. & de meo accipiet.* & disputatione in Nicæno Concilio contra Arium,cũ multis Scripturæ testimoniis probasset Spiritus sancti diuinitatem,in fine ita concludit,*Insuper prater ista Ioannes dicit,& hi tres vnum sunt.* Sed Cardinalis Bellarmi- Bellarminus nus in libello de scriptoribus Ecclesiasticis, verbo, *Athanasius* , in obseruatione 4. tomi, censet septem libros de vnita Deitate, non esse Athanasij. Et in obseruatione 3. tomi dubitat , an eiusdem sit citata disputatio. Eadem Ioannis verba referunt Cypria- Cyprianus. nus tractatione 3. de Ecclesiæ vnitate , multò post principium, Augustinus lib.3. contra Maximinum, Augustinus. c.22.Quamuis enim torus sit in exponendis difficilioribus verbis sequentibus,*Tres sunt qui testimonium dant in terra,Spiritus,& aqua,& sanguis; & hi tres vnum sunt* ; ita vt alia verba præcedentia, citata initio huius numeri 120.omisisse videatur,tamen eorum nõ obscurè meminit in fine capitis , cum dixit , *Baptizantur gentes in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti:in nomine,non in nominibus,Hi enim tres vnum sunt; & hi tres vnus est Deus.*Fulgentius libro contra obie- Fulgentius. ctiones Arianas sub finem,probans,*In Patre,& Filio, & Spiritu sancto vnitatem substantiæ:*& pro eodem referens Cyprianum vt supra.Bernardus sermone pri- Bernardus. mo in Octaua Paschæ,fine,*Tres sunt qui testimonium dant in cœlo,Pater,& Filius,& Spiritus sanctus. Et ne quam forte dissonantiam sustineres , Hi tres vnum sunt.* Idacius Clarus libro aduersus Vandalũ, pagina 2. Idacius Cla- ab initio sequens lectionẽ Higini supra.Victor Vti- rus. censis in Fidei ratione ad Hunericum Vandalorum Regem,paulo post medium dicens , *hoc Ioannis testimonio luce clarius,vnius diuinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum sanctum comprobari.* vt habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum.

122. Contra hãc interpretationẽ,& ipsa euidenti ver- *Obijciunt hæretici ex Augustino.* borum significatione,& Patrum authoritate firmissimam, proponunt moderni hæretici argumentum scriptum ex Augustino lib.3.contra Maximinũ c.22. post mediũ.Per illud *Vnum,* non significari substantiæ vnitatem.Quoniã immediate post,de Spiritu,& aqua,& sanguine, quæ certũ est diuersas esse substãtias,dicitur etiã,*& hi tres vnum sunt.* Quo etiam argumento dicebat Abbas Ioachim contra Petrum Abbas Ioa- Lombardum sententiarũ magistrum ,quẽ Abbatem chim. refert & damnat Concilium Lateranense 2. sub Innoc.3.c.2.Patrem,Filium,& Spiritum sanctum esse vnum,non vnitate rei,sed aggregationis.

Responsio Augustini omnium optimè saluare vi- *Respondetur cum eodem Augustino.* detur & literalem Scripturæ sensum , & intentam sanctissimæ Trinitatis naturalem vnitatem. Ait,non eadẽ ratione dici vnum,Patrem,Verbum, Spiritum sanctum; & Spiritum,Aquam,Sanguinem. Illa dici vnum,vt res quædam sunt in se ipsis. Hæc verò dici vnum,non vt res sunt , sed vt sunt rerum signa. Patrem igitur, Verbum , & Spiritum sanctum esse vnũ realiter,quoad realem & intrinsecam eorum naturam in se ipsis.Spiritum verò,Aquam, & Sanguinẽ, esse vnum significatiuè,quoad res significatas,nempe, Patrem , Filium , & Spiritum sanctum , qui tres vnũ sunt. Hæc omnia pulcherrime exponit ac pro- *Quo modo vnum esse dicantur Spiritus, Aqua, & Sanguis.* bat Augustinus his verbis. *Hæc Sacramenta sunt ; in quibus nõ quid sint,sed quid ostendant,semper attenditur: quoniam signa sunt rerum,aliud existentia,& aliud significantia. Si ergo illa,quæ his significantur , intelliguntur, ipsa inueniuntur vnius esse substantiæ ; tanquam si dicamus,Petra & aqua vnum sunt,volentes per Petram significare Christum,per Aquam Spiritum sanctum. Quis dubitat,petram & aquam diuersas esse naturas ? Sed quia Christus & Spiritus sanctus vnius sunt eiusdẽque naturæ, ideo cũ dicitur,Petra & aqua vnum sunt,ex ea parte rectè accipi potest , quia ista duæ res , quarum est diuersa natura , aliarum quoque signa sunt rerum, quarum est vna natura. Tria itaque nouimus de Corpore Domini exisse, cum penderet in ligno.Primo Spiritum,vnde scriptum est,* Ioan.19.

& inclinato capite tradidit spiritum; deinde, quando latus eius lancea perforatum est, sanguinem & aquam. Quæ tria, si per se ipsa intuemur, diuersas habent singula quæque substantias; ac per hoc non sunt vnum. Si verò ea, quæ his significata sunt, velimus inquirere, non absurdè occurrit ipsa Trinitas, quæ vnus, solus, verus, summus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; de quibus verissimè dici potuit, tres sunt testes, & tres vnum sunt: vt nomine Spiritus, significatum accipiamus Deum Patrem; de ipso quippe adorando loquebatur Dominus, vbi ait, Spiritus est Deus; nomine autem sanguinis, Filium; quia, Verbum caro factum est: & nomine aquæ, Spiritum sanctum; cum enim de aquæ loqueretur Iesus, quam daturus erat sitientibus, ait Euangelista, Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum.

Spiritus significat Patrem, Sanguis, Filium, Aqua, Spiritum sanctum. Ioan. 4. Ioan. 1. Ioan. 7.

Expenditur locus ex 2. ad Corinthios 3.

123. Prima interpretatio de Spiritu sancto. Chrysost.

Sextus & vltimus locus, ex nonnullorum sententia efficax, est illud 2. ad Corinthios 3. *Dominus autem Spiritus est.* quod de Spiritu sancto intelligunt in illum locum Chrysostomus, id probans, tum quia in Græco, Spiritui additur articulus; tum quia de eo Spiritu loquitur, de quo supra dixerat, *Nos fecit ministros noui Testamenti, non litera, sed Spiritu; litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* & paulo post, *Ministratio Spiritus erit in gloria.* & post illud, *Dominus autem Spiritus est*, immediatè sequitur, *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Theodoretus referens quòd *Ariani & Eunomiani impudenter dicunt, Dominum hoc in loco Spiritum appellari, non ipsum Spiritum, Dominum.* Quòd, inquit, *insciti & impudentia plenum est.* Theophylactus & Anselmus dicentes, sensum esse, *Spiritus sanctus Dominus est.* Præterea Athanasius de communi essentia initio, *De Spiritu sancto per Diuum Paulum ita loquitur, Dominus autem Spiritus est. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* & paulò post, *De Spiritu sancto ait Apostolus, litera occidit, Spiritus viuificat.* Basilius de Spiritu sancto cap. 21. circa medium. *Audiant aliud testimonium, euidenter Spiritum sanctum appellans Dominum. Dominus, inquit, Spiritus est.* Epiphanius hæresi 74. circa finem, *Apostolus clarè de ipso*, hoc est, Spiritu sancto, *dicit, Dominus autem est Spiritus.* Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 1. Ex his verbis ita concludens, *Habes ergo, Dominum dictum etiam Spiritum sanctum.* & fusius lib. 3. cap. 16. *Si euidentem conceptionem verborum exigitis, quibus Dominum Spiritum Scriptura memorauerit, scriptum est, Dominus autem Spiritus est. Quod vtique dictum esse de Spiritu sancto, totius series lectionis ostendit.* Idque probare nititur per totum caput Cyrillus lib. 13. Thesauri, c. 2. initio dicens, *esse plus quàm apertum.* & lib. 7. de Trinitate circa medium.

Theodoret. Theophyl. Anselmus. Athanasius. Basilius. Epiphanius. Ambrosius. Cyrillus.

Secunda Iustiniani interpretatio de Spiritu legis, qui est Christus Dominus.

Verùm non obstante hac interpretatione, antiquitate & authoritate non solum probabili, sed etiam valdè venerabili docuit noster Iustinianus in illum locum, probabilius dici, si hæc propositio, *Dominus Spiritus est*, intelligatur vt iacet, nimirum vt Dominus sit subiectum, & Spiritus prædicatum: & per Dominum significetur Christus; per Spiritum verò, non Spiritus sanctus, sed legis ille Spiritus, quem Moses, eiusque lex indicabant, & quasi occultè continebant, & non obscurè significare videtur Paulus supra, illum distinguens contra literam legis, illis verbis, *litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Hæc expositio, inquit Iustinianus, *magis videtur cum superioribus cohærere.* Dixerat enim Paulus, *super cor Iudæorum in lectione veteris testamenti esse positum velamen*, nimirum ignorantiæ, & infidelitatis, quia inquit, *obtusi sunt sensus eorum*, nolentes credere in Christum, verum Messiam, in veteri testamento promissum & figuratum: & ideo dicit, quòd prædictum velamen *euacuatur in Christo*, hoc est, per Christi fidem. Vnde addit, *Cum conuersus fuerit ad Dominum*, hoc est, Christum, *auferetur velamen.* Cuius rei statim rationem reddens, ait, *Dominus autem Spiritus est*, hoc est, Christus est vere Spiritus ille legis, qui Iudæorum perfidia, veluti quodam velo, absondebatur, ne videretur. & sequitur, *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas*, hoc est. vbi est Spiritus Christi, ac legis euangelicæ, ibi est vera libertas, ad distinctionem antiquæ legis, quam Paulus ad Romanos 8. vocat Spiritum seruitutis in timore. Hæc secunda expositio nihil aliud desiderare videtur nisi authoritatem. Non inuenio ex antiquis qui eam tradiderit, præter S. Thomam ibi lectione 3. qui primam etiam tradit primo loco. Quam vero præferat, docere noluit: & ideo nos etiam id sapientioribus discutiendum ac iudicandum relinquimus. Ex hac vero duplici intelligentia iste locus redditur minus efficax ad probandum intentum.

S. Thomas.

124. Spiritus sanctus vocatur Dominus 1. ad Thessalon. 3.

Sed Spiritum sanctum vocari Dominum, efficacius probatur illo 1. ad Thessalonicenses 3. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram, ad confirmanda corda vestra in sanctitate ante Deum & Patrem nostrum in aduentu Domini nostri Iesu Christi.* Quibus verbis, inquit Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 15. initio. *Diuinitatem atque dominatum Spiritus sancti Apostolus euidentissimè declarauit.* Quia hoc loco, *Dominus*, non potest alium significare nisi Spiritum sanctum. Quod Ambrosius dupliciter probat, primo quia, *Patrem dixit, Filium dixit: quem ergo cum Patre & Filio præter Spiritum iunxit?* Secundo quia ab hoc Domino prouenire dicuntur charitas & sanctificatio, quæ Spiritui sancto manifestè tribuuntur: nam 1. ad Corinthios 12. *hæc omnia operatur Spiritus prout vult*, & ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* & 1. ad Corinth. 6. *Sanctificati estis in Spiritu Dei nostri.* & 2. ad Thessalonicenses 2. *Elegit vos Deus in salutem in sanctificatione Spiritus.* & idem, inquit Ambrosius, *docet Deus Pater* Ioannis 1. illis verbis, *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Baptizare & sanctificare, quod Matthæi vltimo tribuitur Patri, Filio, & Spiritui sancto, hoc loco, sicut etiam 1. ad Cor. 12. *In vno Spiritu baptizati sumus*, tribuitur soli Spiritui sancto, non ad excludendum Patrem & Filium, quia cum hi tres vnum sint, ac proinde Pater & Filius sint in Spiritu sancto, sicut Filius in Patre, & Pater in Filio est, Ioannis 14. nihil facere potest Spiritus sanctus quod simul non faciant Pater & Filius; sed vt intelligamus, Spiritum sanctum non solum non esse sanctitatis authorem minus præcipuum, vt blasphemant hæretici, sed etiam magis appropriatum, ratione suæ peculiaris processionis per voluntatem. Præterea Spiritum sanctum appellari Dominum, probat Ambrosius ibidem, quod etiam alij Patres supra citati faciunt, ex illo 2. ad Thessalonicenses 3. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Hoc etiam loco, præter Deum Patrem, & Christum Filiũ, Dominus dirigens corda nostra in charitate & patientia, alius esse non potest, nisi Spiritus sanctus. Hic igitur est Dominus Deus.

Ambrosius. Charitas tribuitur Spiritui sancto. Ambrosius. Idem.

Rationes probantes Diuinitatem Spiritus sancti.

125. Prima ratio ab authoritate negatiua.

Prima ratio sit ab authoritate negatiua. Quod argumenti genus tunc est validum, cum etsi aliquid dictum, aut factum nõ sit, tamen dici, aut fieri debebat;

debebat; & nulla est ratio cur dictum aut factum non sit, nisi quia verè dici, aut fieri non potuit. Spiritus sanctus in nullo planè Scripturæ loco dicitur creatus, aut factus; neque vnquam cum creaturis connumeratur, sed cum Patre & Filio. Etenim Psalm. 102. & fusiùs ac distinctiùs Psalm. 148. & in Cantico puerorum Danielis 3. omnia creaturarum genera inuitantur ad benedicendum & laudandum Deum; & nominatim Angeli, Cœli, Sol, Luna, Stellæ, homines, bestiæ, elementa, &c. nulla omnino facta mentione Spiritus sancti, qui si esset præcipua aliqua creatura, debuisset ad maiorem Dei gloriam præcipuè nominari. Hoc argumentum de Filio, sed eadem prorsus ratio est de Spiritu sancto, eleganter explicat Athanasius serm. 3. contra Arianos multò ante finem, illis verbis, *Martyres illi Babylonij, Ananias, Azarias, Misael, refutant Arianorum impietatem: dicentes enim, Benedicant omnia opera Dominum, tum ea, quæ in cœlo sunt; tum ea, quæ in terris degunt. In ea summa omnes creaturas, vt opera, adnumerarunt: sed in numero eorum, Filium ipsum non constituerunt. Non enim dixerunt, & tu Verbum benedic, & hymnum cane tu Sapientia; vt ostenderent, alia omnia esse ex eorum catalogo, quæ & opera sunt, & hymnum cantant.* Basilius quoque lib. de Spiritu sancto c. 18. circa medium ait, *Spiritus sancti cum Patre & Filio consortium satis illud declarat, quod in turbâ creaturarum positus non est, sed solitariè profertur. Neque enim vnus est è vulgo, sed quemadmodum vnus est Pater, vt vnus Filius, ita & vnus est Spiritus sanctus, à creaturarum natura tantum semotus, quantum par est, solitariũ à rebus compositis, ac multitudinem habentibus, abesse.* Epiphanius in Ancorato, pag. 6. & 7. idem pluribus prosequitur. Docet, pueros in citato hymno numerasse omnes creaturas in particulari, & tamen, inquit, *non numerauerũt Filium inter creaturas, imò neque Spiritum sanctum, sed nouerunt, eamdem Deitatem esse in Trinitate, & eamdem Trinitatem esse in vna Deitate.* Et paulò post. *Non dixit, Benedic Fili Dei Dominum: neque, Benedic Spiritus sancte Dominum: sed, Benedic omnia opera Domini Dominum.* Quod si obiicias, inquit Epiphanius, *Non dixerunt Cherubim, & Seraphim; ergo neque hæc sunt opera Dei:* respondet, hos Angelos expressè nominatos illis verbis in eodem Cantico, *Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. Benedictus es in throno Regni tui.* Per thronum autem vult Epiphanius intelligi Seraphim. Sed dici possunt, intelligi nomine Angelorum, illis verbis, *Benedicite Angeli Domini Domino:* quo nomine intelligi nequeunt Filius & Spiritus sanctus etiamsi essent creaturæ; quia tunc procul dubio essent creaturæ multò superioris Ordinis, connumeratæ cum ipso Deo Patre, eiusque administræ, vt aduersarij dicunt, in rerum omnium, etiam Angelorum creatione. ergo non possunt intelligi communi nomine Angelorum, sicut Seraphim, & Cherubim, aliæque Angelorum species; ergo alio nomine magis proprio debuissent inuitari ad benedicendum Deum, in Cantico vbi omnes creaturæ specialiter ad hoc inuitantur. Quod si nullo modo inuitati sunt, sed semper cum Deo Patre connumeratæ, certum signum est, non esse creaturas. Sic etiã Chrysostomus tom. 5. hom. in id 1. ad Corinth. 15. *Cum subiecta fuerint illi omnia*, &c. post medium ait, *Dauid inducens laudantium creaturarum chorum Ps. 148. nullam Spiritus mentionem facit; increatam naturam creaturæ non connumerat. Tres pueri, qui in camino induxerunt, & ipsi creaturarum chorum Danielis 3, non recordati sunt Spiritus sancti. Item & Paulus ad Colossenses 1. adnumerat inuisibilia, dicens, Siue Throni, siue Principatus, siue Potestates, siue Dominationes; non dicit, siue Spiritus. Est autẽ inuisibilis etiam qui adoratur Spiritus. Igitur ne quis ipsum cum aliis inuisibilibus copulet, seorsum numerantur supernа omnia, ne in ordine ministrantium sit & Dominus. Seorsim numerat, quæ non adorantur, vt segregetur, quod adoratur.*

Athanasius. Basilius. Epiphanius. Solvitur quædam obiectio. Chrysost.

126. Secunda ratio ex Augustino.

Secunda ratio similis primæ, significatur ab Augustino lib. 1. contra Maximinum ante medium, quia de Filio Dei incarnato quamuis in Scriptura legantur multa, quibus docemur, illum esse æqualem Patri, ratione Diuinitatis, tamen multò plura leguntur, quæ probant, eumdem esse Patre minorem, ratione Humanitatis. At de Spiritu sancto nihil omnino legitur, quod creaturæ naturam sapiat; sed quicquid de eo scriptum est, diuini atque increati rationem habet, vt hactenus demonstratum est. Hinc specialiter docet Augustinus, quod si legatur in Scriptura de Filio, *Quoniam hic adorat Deum, admittitur facile, secundum hominem dictum: sed quibus Scripturarum testimoniis legitur, Adorari Patrem à Spiritu sancto*, fatetur ingenuè se nescire.

127. Tertia ratio, quòd Spiritus sanctus sit maior Christo. Augustinus. Epiphanius.

Tertia ratio ad hominem; quia hæretici, teste Augustino lib. 1. de Trinitate c. 6. circa finem Spiritum sanctum esse contendunt minorem Christo, & solum Deum esse maiorem Christo, quem puram creaturam constituunt. nam, vt ait Epiphanius hæresi 69. multò post principium, *volunt Spiritum sanctum creaturam esse*, Christum verò esse creaturam ipsius Creatoris Dei immediate. Sed constat euidenter ex Scriptura, Spiritum sanctum esse Christo maiorem. Ergo ad hominem sequitur, Spiritum sanctum esse Deum. Consequentia est in forma, vt paret. Maior est aduersariorum. Probatur minor iisdem argumentis quibus hæretici probant, Deum Patrem esse Christo maiorem, quæ colligit, & acriter vrget Bellarminus lib. 1. de Christo c. 13. § *septimaclassis.* Probant primò, quia Pater misit Christum, vt ipsemet de se testatur Ioannis 8. *Qui misit me Pater.* Sed Isaiæ 48. *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Secundò, quia Pater sanctificat Christum Ioannis 10. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Sed Isaiæ 61. & Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Tertiò, quia Pater est causa incarnationis Christi. Ad Romanos 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Sed Matthæi 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* & Lucæ 1. Virgini quærenti, *Quo modo fiet istud?* respondet Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quartò, quia Christus miracula faciebat in virtute Patris. Ioannis 14. *Pater in me manens, ipse facit opera.* Sed Matthæi 12. Christus de se ait, *Ego in Spiritu Dei eiicio dæmones.* Quintò, quia Pater Christum obtulit ad mortem. Ad Romanos 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Sed ad Hebræos 9. *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit.* Sextò, quia Pater Christum suscitauit. Actorum 2. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni.* Sed ad Romanos 8. *Spiritus suscitauit Iesum à mortuis.* Hæc omnia manifestè probant excellentiam Spiritus sancti supra Christum, nimirum vt hominem, & rationi humanæ naturæ: propter quod etiam Matthæi 12. dicitur grauius peccatum in Spiritum sanctum, quam in Christum. Si igitur Christus est pura creatura, non agnoscens aliam creaturam superiorem, non poterit Spiritus sanctus esse creatura.

Bellarmin.

128. Quarta ratio Athanasij, ducta ex æternitate Trinitatis.

Quarta ratio sumitur ex Athanasio epistola 1. ad Serapionem Episcopum, circa finem, qui in ea præcipuam vim esse existimauit: nam post multa alia argumenta, tandem ait, *Qui blasphemiam iaciunt in Spiritum, dicentes, illum esse creaturam. si minus ex his, quæ dicta sunt, resipiscunt, vel ex his, quæ dicentur, pudefacti deiiciantur;* & statim ita arguit. *Si Trinitas est, & in Trinitate est fides*, quia nimirum necessarium est ad

salutem credere non solum vnum Deum in natura, sed etiam trinum in personis, *dicant, Vtrum Trinitas semper sit, an fuerit cum non esset Trinitas? si sempiterna est Trinitas, non est creatura Spiritus, qui semper adest Verbo, cum sit in ipso; nam erat, cum creatura non essent. Quod si creatura est, creaturæ verò sunt ex non existentibus, manifestum est, quòd aliquando non fuerit Trinitas, sed Dualitas. Isto vero quid magis impium, si quis dicat, ex mutatione profectúque consistere Trinitatem, ac Dualitatem quidem esse, ceterum recipere ex creatura generationem, quæ cum Patre & Filio commisceatur, itaque fiat Trinitas? Absit vt tale quidpiam vel in mentem veniat Christianis. Quemadmodum enim Filius, quia semper est, non est creatura, ita quoniam semper est Trinitas, nulla est in ea creatura, quapropter non est creatura Spiritus.*

129. *Trinitatem significari Isai. 6.* Hanc sempiternam increatamque Trinitatem in vnitate naturæ, significarunt Seraphim, quando super solium Domini Isai. 6. *clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius:* & quando quatuor animalia plena oculis ante & retro, in cœlo coram viuente in sæcula sæculorum, Apocalypsis 4. *requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.* quod plures & graues Patres adnotarunt.

Athanasius. Hæc enim verba exponens Athanasius disputatione in Nicæno Concilio contra Arium, circa finem ait, *Cur neque supra hunc numerum in hoc hymno modulando transcendunt, neque inferius descendendo eden illam comminuunt? Certè ea de causa, quod præter Trinitatem, nefas sit quemquam istiusmodi honoribus affici: nefasque item sit, ob beatam Trinitatis Deitatem, in vnitate consistentem, quidquam de huiusmodi hymno decerpi.* Et lib. de communi essentia non longè à principio, *Vnus est Dominus secundùm sanctificationem Cherubinorum, nam & illi clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus*

Basilius. *Dominus.* Item Basilius lib. 3. contra Eunomium, ante medium, *Si sanctitas ei, hoc est, Spiritui sancto, natura est, sicuti Patri etiam, & Filio, quo pacto tertia atque aliena natura est? Hæc propter, vt arbitror, & apud Esaiam, Seraphim tertio sanctus exclamare conscripta sunt: quoniam in tribus hypostasibus naturalis sanctitas perspicitur.*

Epiphanius. Et Epiphanius in Ancorato non longè à principio, *Non per duas voces glorificatio in cœlo perficitur, neque quartum acclamant eadem sancta, & inuisibilia spiritualia animalia; neque quartam vocem edunt, neque vnâ solam, sed tres voces singulares, Sanctus, Sanctus, Sanctus, non dicùt, Sancti, Sancti, Sancti; quo singulare celebre pronuncient, neque triũ numerũ occultent; sed ter quidem dant sanctificationem, vniformiter autem, & singulariter proferunt sermonem, ne multitudinem Deorum nominent.* Et iterum post quatuor paginas, *Sancti Angeli in cœlo victoriælem hymnum canunt, cum Seraphim & Cherubim Trinitatem concorditer, & æqualiter, & coëssentialiter glorificantes, ac dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus; tres voces absoluentes, in vnitate autem dicentes, & non multis vocibus. Non enim dicunt Sanctus quartum, ne addant Trinitatis nomen creaturæ; non dicunt bis Sanctus, ne defectuosa sit gloria perfectionis; sed ter, vt Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum, in eodem honore sanctificent. & non dicunt, Sanctus, & Semisanctus, sed æqualiter dicunt, Sanctus, vna voce, & vno sermone, & vnâ perfectione Trinitatem glorificantes simul in vnitate,*

Ambrosius. *& vnitatem in Trinitate.* Et eadem ferè habet Ambrosius verbis citatis initio huius operis, n. 3.

Hæreticorum obiectiones.

130. *Prima obiectio apud Nazianzen.* Obiiciunt primò apud Nazianzenum oratione 5. de Theologia aliquanto post principium. Spiritus sanctus vel est ingenitus, vel genitus. Si primum, *duo erunt Principij expertia.* Si secundum, vel est genitus ex Patre, vel ex Filio. *Si ex Patre, duo erunt Filij & Fratres, si ex Filio, tum prodibit nobis & nepos Deus. Quo quid absurdius fingi possit?*

Respondetur, Spiritũ sanctum non generari, sed procedere. Respondet Nazianzenus, Spiritum sanctum, neque esse ingenitum, sicut Patrem, neque genitum, sed alio modo procedere à Patre & Filio: sicut enim, inquit, Eua procedit quidem ab Adamo, tamen vt *factum quiddam ex figmento*, non vt quid genitum, quo modo procedit Seth, & nihilominus est eiusdem naturæ humanæ cum Seth; ita Spiritus sanctus procedit quidem à Patre & Filio, tamen non per generationem, sed per alium modum inferius explicandum: & ideo non est Filius, nec Filij frater, nec Patris nepos; sed eamdem cum Patre & Filio diuinam naturam habet.

131. *Secunda obiectio apud Nazianz. & Epiphanium.* Obiiciunt secundò apud eumdem Nazianzenum, & apud Epiphanium hæresi 69. multò post principium, *Omnia per Verbum facta sunt*, Ioannis 1. sed inter omnia est Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus per Verbum factus est.

Respondetur exponendo illud Ioannis 1. Omnia per ipsum facta sunt. Nazianzen. Respondet optimè Nazianzenus, per illud, *Omnia*, Ioannem intellexisse, *Omnia quæ facta sunt, & non simpliciter vniuersa. Neque enim in hunc ordinem redigendus est Pater, nec quæ non facta sunt*, sed fieri poterant, nec ipsummet Verbum, quæ in omnibus simpliciter continentur. *Da ergo*, inquit Nazianzenus, *factum aliquid, & tunc Filio tribue, ac creaturis commumera.* Spiritum verò sanctum ex superius probatis inter res factas & creatas numerari non posse. Quare, vt docet Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 2. eodem modo respondens, *Hoc tunc valeret, vt inter omnia dicerent esse Spiritum sanctum, si factum probarent*, nimirum aliunde quàm ex his Ioannis verbis. Idque ex simili optimè confirmat: nam cum 1. ad Corinthios 8. dicitur *Vnus Deus Pater ex quo omnia*, non includitur Filius; & cum ibidem dicitur, *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, non includitur Pater; ita cum dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*, non necesse est includi Spiritum sanctum, sicut nec Patrem, nec Filium. Intelligendum autem esse Ioannem de omnibus, non simpliciter, sed factis, probat Chrysostomus homilia 4. in Ioannem, contendens

Chrysost. non esse legendum cum puncto post *nihil*, sic, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* sed cum puncto post *factum est*, sic, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Hinc ait Chrysostomus, & sequutus est Theophylactus ibidem, *Cum dixisset Ioannes, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ne*

Theophyl. *quis suspicaretur, Spiritum quoque per ipsum factum esse, ea fuit adiectio necessaria. Ergo si quid factum est, id per ipsum factum dixit.* Sed responsio Nazianzeni, & Ambrosij sufficientissima est, etiam si demus hæreticis, quod ipsi maximè flagitant, vt testantur Chrysostomus suprà, & Epiphanius in Ancorato, multò post

Epiphanius. medium, ponendum punctum post *nihil*, quo modo legunt Origenes, Augustinus, Beda, & Cyrillus in illum locum; & præterea Irenæus lib. 3. c. 8. & 11. & lib. 5. c. 18. Tertulliano lib. aduersùs Hermogenem c. 20. 45. & lib. de Resurrectione carnis, c. 5. & lib. 5. aduersùs Marcionem, c. 19. & lib. aduersùs Praxeam cap. 7. 15. 16. 19. Marius Victorinus lib. 1. aduersùs Arium, aliquanto post principium. & lib. 4. post medium in tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, Gaudentius tractatu 8. in Exodum, ante medium, Petrus Damianus epistola 4. ad Desiderium Abbatem Cassinensem, de Dei omnipotentia c. 4. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi c. 6. circa principium. & lib. 2. c. 9. in medio. & lib. 6. stromatum, multo ante medium. Quamquam aliam lectionem, quæ ad Eunomianos & Macedonianos refellendos

Irenæus. Tertullian. Marius Victorinus. Gaudentius. Petrus Damianus. Clemens Alexandrinus.

aptior

Maldonatus. aptior est, de positione puncti post illud, *factum est*, probabiliorem esse multis ostendit noster Maldonatus ibi, eamque tribuit Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, & aliis. Inter quos Ambrosius lib. 3. de Fide c. 3. circa finem ita testatur, *Plerique docti & fideles sic pronunciant, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Alij sic, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et pro prima sententia numerari potest Cyprianus lib. 2. aduersùs Iudæos, paulò post principium.

132. *Tertia obiectio apud Nazianzenum.* Obiiciunt tertiò apud eumdem Nazianzenum suprà, *Si, inquiunt*, Deus, & Deus, quomodo non tres sic erunt Dij? aut quomodo, quod glorificatur, non erit πολυαρχία, id est, multorum principatus.

Respondetur tres personas esse vnum Deum. Respondet Nazianzenus primò ad hominem, contra eos, *qui in secunda impietatis parte collocati, de Filio candidius sentiunt, & quamquam à Spiritu deficiunt, Filium tamen colunt.* Macedonianos significans, qui fatebantur, Filium esse Deum, sed Spiritum sanctum creaturam esse volebant, vt suprà n. 104. Dicit igitur, quòd sicut contra eos non sequitur, Duos esse Deos; ita neque contra nos sequitur, Tres esse Deos: vt respondet etiam Ambrosius lib. 3. de Spiritu

Ambrosius. sancto c. 14. & 17. Respondet secundò fusissimè. Sed breuius & planius, Cum numerantur Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus, illam non esse numerationem trium Deitatum, sed trium personalitatum in vna Deitate; vt conatur etiam explicare Athanasius lib. de communi essentia §. 7. *Quod non tres Dij sint.* Vnde acutè atque eleganter Augustinus

Athanasius. Augustinus. tractatu 6. in Ioannem circa principium cum dixisset, *Spiritus sanctus Deus, sicut Dei Filius Deus, & Pater Deus*, ita subdit, *Ter dixi, Deus; sed non dixi, Tres Deos: magis enim Deus ter, quam Dij tres; quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus.*

133. *Quarta obiectio apud Athanasiũ. Amos 4.* Quartò ipsemet Arius, apud Athanasium disputatione in Nicæno Concilio contra Arium, circa finem refertur ita obiicere. *Qua de causa à Propheta dictum est sub persona Dei, Ego Deus vester firmans tonitru, & creans Spiritum; nisi ille esset vis quædam, & potentia per creationem condita?* Atque hanc aduersarij vocabant Demonstrationem, vt ibi testantur Basilius lib. 3. contra Eunomium propè finem, Nyssenus lib. de fide circa finem.

Respondetur cum multis Patribus exponendo illud Amos 4. Creans Spiritum. Respondet Athanasius, Basilius, Nyssenus, Cyrillus lib. 7. de Trinitate multò ante finem, & omnium optimè Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto c. 7. id dictum esse, non de Spiritu sancto, sed de vento, qui Spiritus etiam dici solet, vt Psalmo 10. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum.* & Psalmo 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.* Idque Ambrosius, *euidens & manifestum* esse dixit ex antecedentibus & subsequentibus. *Nam si de Spiritu sancto dicere voluisset, non de tonitruo vtique præmisisset. Neque enim antiquiora tonitrua sunt, quam Spiritus sanctus; quamuis impij sint, tamen id non audeant dicere. Deinde cum subiectum videamus esse de luce, & nebula,* quia post verba citata sequitur, *Faciens matutinam nebulam, non ne manifestum est, quòd de creatura mundi dictum intelligendum sit?* Præterea Athanasius, Basilius, Ambrosius, vim faciunt in eo quòd non dicitur, *Qui creauit Spiritum*, sed, *creans Spiritum*, quod propriè non dicitur nisi de iis, quæ, vt ait Ambrosius, *frequenter*, vel, vt ait Athanasius, *perpetuò creantur, cum fiunt.* Quod tamen minus necessarium videtur, quia de rebus etiam semel factis scriptum similiter legimus, *extendens cœlum sicut pellem*, Psalmo 103. *Dominus extendens cœlum, & fundans terram*, Zachariæ 12. *Ædificans Hierusalem Dominus*, Psalmo 143. Vnde Nyssenus suprà, legit, quod idem verè reipsa est, *Qui firmat tonitruum, & creat Spiritum.*

134. *Quinta obiectio apud Augustinum.* Obiiciunt quintò illud ad Romanos 8. quod Augustinus lib. 1. contra Maximinum, non longè à principio tribuit Maximino hæretico, Arianorum Episcopo, *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Postulare verò, ac ita gemere, non solum creaturæ subiectionem, sed etiam summam miseriam, atque impotentiam demonstrat. Nam, vt ait Augustinus epistola 105. ante medium, *Indigentis certissimum inditium est, interpellare gemitibus.*

Respondetur exponendo eũ Augustino loco ad Rom. 8. Respondet cumulatissimè Augustinus suprà, vtroque loco in illud, *Gemitibus interpellat*, idem esse hoc loco, quod, *gemitibus interpellare nos facit*: siue, vt addit epistola 105. ante medium, *nobis interpellandi, & gemendi inspirat affectum, sicut*, inquit, *Matth. 10. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Neque enim, & hoc ita fit de nobis, tamquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, vt ipse facere diceretur, quod vt faciamus facit.* Quod quidem Spiritui sancto appropriatur, quia, vt tangit Augustinus, &

Thomas. fusius explicat Thomas 4. contra gentes c. 23. ad 8. *Cum Spiritus sanctus procedat per modum amoris, quo se ipsum Deus amat; eodem autem amore Deus se, & alia propter suam bonitatem amet; manifestum est, quòd ad Spiritum sanctum pertinet amor, quo Deus nos amat.* Sed ex hoc amore Dei nascitur, vt desideremus ipso frui, & desiderantes postulemus. Ergo Spiritus sanctus qui facit nos amare, facit etiam nos postulare, & interpellare. Hanc autem expositionem à simili

Exponitur locus ad Galatas 4. & ad Rom. 8. rectè probat Augustinus, quia Paulus ad Galatas 4. dixit, *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Hoc verò exposuisse videtur ad Romanos 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Quæ duo loca inter se comparans Augustinus ait, *Exposuit quid sit, clamãtem Abba, Pater, dicendo, In quo clamamus. Ac per hoc, quid est, clamantem, nisi clamare facientem?* Probat etiam ex alio loco ad Galatas 4. *Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis à Deo. Sic dixit*, inquit Augustinus, *vt intelligerent, Deum feciſſe in eis cognitionem suam. Quid est, cognoscentes Deum? nolite vobis arrogare, nolite superbire. Cogniti estis à Deo? Quid est, Cogniti estis à Deo? Cognitores suos vos Deus fecit. Deus vobis dedit, vt cognoscatis.* Demum probat ex illo Genesis 22. quem locum affert etiam Thomas suprà, quando Deus dixit Abrahæ postquam immolare voluerat Filium suum,

Exponitur locus Genes. 22. *Nunc cognoui, quòd times Deum. Quid est*, inquit Augustinus, *Nunc cognoui? Id est, nunc cognoscere te feci.* Siue, vt vniuersalius exponit Thomas suprà, *cognoscere feci.* Præterea probare possumus cum eodem Augustino epistola 105. ex verbis immediatè antecedentibus, quã eamdem expositionem non obscurè indicant. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Illud, *sed*, relatum ad superiora, quibus opponitur, apertè significat, Spiritum postulare, supplendo nostram infirmitatem, & ignorantiam orandi. Hæc autem respectu creaturarum liberarum naturaliter supplentur, dando illis vires & scientiam, atque amorem, vt ipsæmet pro se ipsis orent, & ardentissimè postulent æternam salutem, sicut oportet. Ergo cum subditur, *Spiritus postulat pro nobis*, sensus esse debet, Spiritus suis gratiæ donis ac beneficiis facit nos postulare: &, vt ait Augustinus tractatu 6. in Ioannem, circa principium, *In nobis gemit, quia gemere nos facit; insinuat enim nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare, & ipso desiderio gemimus.*

135. *Sexta obiectio apud Basilii.* Obiiciunt sextò aliqui apud Basilium de Spiritu sancto

sancto cap. 12. dicentes, *sufficere baptisma tantùm in nomine Filij.* Qua sententia ruit argumentum pro Spiritu sancto factum supra n. 115. sententiam probant ex illo ad Romanos 6. *Baptizati sumus in Christo Iesu.* & ad Galatas 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* & Actorum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.*

Respondetur exponendo illud ad Rom. 6. ad Gal. 3. Actor. 2. Baptizati in Christo.

Respondeo, hoc nulla ratione impugnare diuinitatem Spiritus sancti, tum quia eadem ratione impugnaretur diuinitas Patris, contra omnes, etiam hæreticos: tum quia, vt arguit Basilius, *interdum & Spiritus tantum in baptismate mentio fit.* vt 1. ad Corinthios 12. *In vno Spiritu omnes baptizati sumus.* Et tamen per hoc nemo sapiens arguet, excludendum Patrem, & ipsummet Christum; tum quia locis citatis non traditur ex professo institutio & forma baptismi, sicut Matthæi 28. vbi æqualiter omnium trium personarum fit expressa mentio; sed solum incidenter nominatur baptismus, qui tribui rectè potuit soli Christo, non solum ex ratione, quam attulit Basilius suprà, quia scilicet, *Christi appellatio, totius Deitatis est professio; quippe quæ simul declarat & Deum qui vnxit, & Filium qui vnctus est, & Spiritum sanctum qui est vnctio;* *quemadmodum à Petro in Actis didicimus, Iesum Nazarenum, quem vnxit Deus Spiritu sancto,* hæc enim ratio probare videtur, valere baptismum collatum in nomine Christi tantum, quam opinionem hoc loco omnino falsam esse supponimus, sed etiam quia Christus est baptismi Author, & causa meritoria, & res etiam per baptismum significata, cum ex Paulo ad Romanos 6. Baptismi immersio & emersio mortem, & sepulturam, & resurrectionem Christi, significet. Concludamus igitur cum Augustino lib. 3. contra Maximinum c. 17. circa principium. Quod sicut ex illo Ioannis, *Omnia per ipsum facta sunt,* probari non potest, Spiritum sanctum, sicut etiam Patrem, non esse creatorem: ita cum leguntur fideles baptizari in Christo, & in nomine Christi, non potest colligi, illos non fuisse baptizatos etiam in nomine Patris & Spiritus sancti, qui cum Filio sunt vnus Deus; & propterea, quod vni personæ tribuitur conueniens illi ratione naturæ, intelligi non potest negatum reliquis personis, eamdem prorsus naturam habentibus.

Basilius.

Actor. 10.

Augustinus.

136. *Septima obiectio apud Ambrosium.* Obiiciunt septimò apud Ambrosium lib. 3. de Spiritu sancto c. 12. initio illud Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Si non Spiritum sanctum, sed Spiritu sancto iubemur adorare Deum, ergo Spiritus sanctus subiectus est Deo: ergo non est Deus.

Respondetur exponendo locum Ioan. 4. Respondeo primò cum Ambrosio, illud, *in Spiritu*, non necessario significare Spiritum sanctum, sed sum: posse vel pro gratia spiritali, quam Spiritus sancti gratiam accipientes, ipsum Spiritum sanctum vt verum Deum adoramus: vel pro Spiritu, vt distinguitur contra corpus, iuxta sensum traditum suprà n. 112. qua ratione ipsemet Spiritus sanctus spiritualiter adoratur. Respondeo secundò, esto illud dictum sit de Spiritu sancto, adhuc vitari facilè posse sensum hæreticum. Enim vero adorare Deum in Spiritu sancto, non est, Ab ipso Spiritu sancto Deum adorari; sed est, Adorare Deum virtute & gratia Spiritus sancti, quo modo adoramus ipsummet Spiritum sanctum: sicut 1. ad Corinthios 12. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*: non quidem quod ipsemet Spiritus dicat, sed quia absque speciali sancti Spiritus impulsu dici non potest.

137. *Octaua obiectio apud Cyrillum.* Obiiciunt octauò apud Cyrillum lib. 13. Thesauri, cap. 1. initio his verbis, *Si quoniam Spiritus ex Deo, à Scripturis dicitur, idcirco consubstantialis Patri est; erunt omnia consubstantialia Patri. Omnia enim ex Deo esse scribuntur: & ita innumerabilis multitudo Deorum introducetur, quod non solum impium, verum etiam stultum est.*

Respondetur Spiritum sanctū, & creaturas, ex Deo esse diuersa ratione. Respondet optimè Cyrillus, *Quòd non similiter Spiritus & cæteræ omnia dicuntur ex Deo esse. Nam Spiritus quidem sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex eo prodit. Creaturæ verò ex Deo Patre per Filium in Spiritu sancto ad extra productæ sunt. & ita Spiritus sanctus, Deus verus vnà cum Patre & Filio est, & non creatura.* Hinc intelligitur, illud Ioann. 16. de Spiritu sancto, *Non loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur*; non esse dictum propter illius imperfectionem, vt contendunt impij & stulti homines apud Cyrillum suprà c. 3. initio, aut propter inæqualitatem Filij cum Patre, vt dicebant Ariani apud Augustinum tractatu 71. in Ioannem, circa principium, ex alio simili loco Ioannis 14. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.* Sed potius propter perfectionem, & summam æqualitatem, quæ est identitas; quoniam scilicet non habet alium intellectum, & aliam voluntatem Spiritus sanctus, nisi intellectum, & voluntatem Filij, quam à Filio accepit per veram ac realem processionem ab ipso: siue, vt loquitur Augustinus suprà, *Quia sic æqualis est alter alteri, vt tamen alter sit ex altero, ideo non loquitur à semetipso, quia non est à se ipso.* Sensus igitur Ioannis est, quòd Spiritus sanctus, vt exponit Cyrillus suprà, *non ex propria voluntate, aut aliena à voluntate Filij, in quo, & ex quo est, loquitur; sed, veluti ex substantia eius naturaliter prodiens, totam ipsius voluntatem, operationémque habet.* Et hoc est, quod paulò post, Filius de Spiritu sancto dicit, *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Nam, vt sapientissimè explicauit deinde idem Cyrillus c. 4. circa principium, *Quoniam Christus ascensurus erat ad Patrem, & Paracletum missurus, ne quis suspicaretur, alienam foris assis doctrinam Spiritus sancti à sua fore, vt ostenderet suum esse Spiritum sanctum, ac ideo non alia verba locuturum, quàm ipse vellet, & eamdem voluntatem, ac vnam doctrinam suam & Spiritus ostenderet, Non loquetur, inquit, à se ipso, sed quæcumque audiet, loquetur, quia ex meo accipiet.* Igitur Spiritus sanctus non loquitur à seipso, nimirum in Sanctis, nullam aliam ob causam, nisi quia vim loquendi accipit per processionem à Patre & Filio. *Audire autem ipsius,* inquit S. Thomas 4. contra gentes c. 23. ad 2. *est accipere scientiam, sicut & essentiam, à Patre & Filio; eo quòd nos per auditum scientiam accipimus: est enim consuetum in Scriptura, vt diuina per modum humanorum tradantur.*

Exponitur locus Ioan. 16. & 14.

Cyrillus.

S. Thomas.

138. *Nona obiectio apud Augustin.* Obiiciunt nonò apud Augustinum lib. 2. de Trinitate c. 5. initio. *Maior est qui mittit, quàm qui mittitur; sed Filius à Patre se missum, assiduè commemorat.* Sanctus etiam Spiritus mittitur à Patre & Filio. Ioannis 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* & c. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* & c. 16. dicit Filius de Spiritu sancto, *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo Filius est minor Patre, & Spiritus est minor Patre & Filio. ergo Spiritus non est Deus, sed creatura, quia nihil esse potest minus Deo, nisi creatura.

Respondetur cum S. Thoma missionem non semper esse cum minoratione. Respondet latissimè Augustinus, quamplurima docens de missione diuinarum personarum, de qua infrà ex instituto agendum in q. 43. propria huius materiæ. Interim breuiter dico cum S. Thoma infrà q. 43. a. 1. ad 1. *Quòd missio importat minorationem in eo, qui mittitur, secundum quòd importat processionem à principio mittente, aut secundum imperium, aut secundum consilium; quia imperans est maior, & consilians est sapientior. Sed in diuinis non importat nisi processionem originis, quæ est secundum æqualitatem.* Sicut igitur Filius Dei missus à Patre dicitur, quia factus homo, apparuit

fuit visibiliter in mundo, in quo tamen semper fuerat inuisibiliter vt Deus; & quia vt hoc ageret, ei à Patre fuit, à quo vt Deus processit: ita Spiritus sanctus à Patre & Filio missus dicitur, quia ipse quoque, & in specie columbæ super Christum in baptismo, & in linguis igneis super Apostolos in die Pentecostes visibiliter apparuit, non quidem factus columba, aut ignis, sicut Filius factus est homo; sed sicut in signis quibusdam visibilibus, ipsum visibiliter significantibus; & quia vt hoc ageret, ei fuit à Patre & Filio, à quibus processit vt Deus, ac proinde æqualis illis. Quæ omnia expressè docent SS. Augustinus, & Thomas suprà ad 3. & non arguunt in persona missa minorationem, aut inferioritatem, sed puram processionem originis à persona mittente.

139. *Decima obiectio ex Matth. 11. Ioan. 17. ad Rom. 1. & 1. Cor. 8.* Obiiciunt decimò, quia Matthæi 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius:* & nihil dicitur de Spiritu sancto, sicut Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* & ad Romanos 1. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* & 1. ad Cor. 8. *Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.*

Respondetur Spiritum sanctum aliquando non connumerari cū Patre & Filio absque vllo absurdo. S. Thomas. Respondeo; ex hac negatiua inclusione male deduci positiuā exclusionē; vt suprà n. 35. ad 38. pluribus ostendi soluens simile argumentū contra Filiū. Tum quia, vt respondet S. Thomas 4. contra gentes c. 23. ad 4. *Quicquid ad Diuinitatem pertinens, de vno trium dicitur, de omnibus est intelligendum, eo quòd sunt vnus Deus. Nec etiam potest Deus Pater sine Verbo, & Amore intelligi, nec è conuerso.* Tum quia verbis citatis Matthæi 11. *Neque Patrem quis nouit, nisi Filius:* & tamen nemo negat, Patrem noscere se ipsum; & de Spiritu sancto scriptum est 1. ad Corinthios 2. *Omnia scrutatur, etiam profunda Dei, & quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei:* per quam exclusionem intelligi nequeunt excluſi Pater & Filius, qui Matthæi 11. manifestè sunt inclusi. Tum quia Spiritus sanctus in multis aliis locis, relatis suprà n. 124. in his quæ ad diuinitatem spectant, connumeratur, & associatur Patri & Filio: sicut etiam 2. ad Corinthios 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

DVBITATIO II.

An Processio in diuinis sit secundùm modum, quo causa procedit in effectum.

SVMMA.

1 *Declaratur titulus, & statuitur conclusio negatiua contra Sabellium, n. 140. ad 143.*
2 *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse vnam Personam, n. 143. ad 150.*
3 *Patrem & Filium non esse vnam personam, n. 150. ad 156.*
4 *Patrem & Spiritum sanctum non esse vnam personam, n. 156.*
5 *Filium & Spiritum sanctum non esse vnam personam, num. 157. ad 161.*
6 *Sabellianis obiectionibus satisfit, n. 161. ad 168.*

140. *In quo conueniant & discrepent Arius & Sabellius.* BEatissimæ Trinitatis mysterium duas in se continet arduas veritates, expresè tamen reuelatas, & certissima fide credendas: alteram, Vnum esse Deum: alteram, Plures esse personas. Arius retento secundo tamquam nimis apertè tradito in Scripturis sanctis, putauit facilius esse negare primum, dixitque, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse quidem tres veras ac reales personas, non tamen vnius naturæ, sed solum Patrem esse Deum; Filium verò & Spiritum sanctum esse creaturas. Contra Sabellius, retento primo, quod benè videbat, esse in sacris literis apertissimè reuelatum, vt hactenus demonstrauimus, arbitratus est posse subtilius negari secundum; & confessus est, dari quidem Patrem, Filium, Spiritum sanctum, hanc tamen Trinitatem, non esse plurium personarum, sed plurium effectuum ab vna diuina persona prouenientium: quæ scilicet secundum quòd omnia efficit, dicitur Pater; secundum quòd carnem assumpsit, nascendo ex Virgine, dicitur Filius; secundum quòd creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam mouet, dicitur Spiritus sanctus, vt his ferè verbis refert S. Thomas in corpore huius articuli. Sed, vt rectè scripsit Gregorius Nazianzenus oratione 5. de Theologia propè finem, *Paris impietatis est, cum Sabellio personas confundere, & cum Arianis distinguere naturas.* Verum enim verò impij homines dum inter se pugnant, veræ Fidei famulantur. Arius aduersùs Sabellium, Trinitatem personarum negari non posse contendit; Sabellius aduersùs Arium, vnitatem naturæ certissimam esse asserit: ex qua aduersariorum pugna illustrior quodammodo redditur fides tanti mysterij. Nam, vt docet Athanasius in Symbolo, *Hæc est fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur, non confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.* Hanc firmissimam fidem execranda Arij atque Sabellij perfidia, cum destruere vellet; non potuit ita negare, vt non etiam fateretur. De hac pugna Augustinus tractatu 71. in Ioannem aliquanto post principium, loquens cum Sabellianis & Arianis, ita elegantissimè scribit. *Contraria dicitis, sed non eo modo, sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria, errando in diuersa itis; in medio est via, quam relinquitis. Inter vos ipsos longiore interuallo separati estis, quam ab ipsa via cuius desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc, huc venite. Alteri ad alteros transire nolite, sed hinc, atque illinc ad nos veniendo, inuicem vos inuenite. Sabelliani, agnoscite quem prætermittitis. Ariani, æquate quem subditis; & in via vera nobiscum ambulabitis: est enim quod inuicem ex vobis, alteri ex alteris admoneri vtrique debeatis. Audi Sabelliane, Vsque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, vt cum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane, Vsque adeo Filius æqualis est Patri, vt Sabellianus eumdem esse dicat & Patrem. Tu adde, quem tollis. Tu adimple, quem minuis; & nobiscum ambo consistitis, quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui & alter est à Patre, vt cōiuncas Sabellianum; & æqualis est Patri, vt coniuncas Arianum: Virisque enim clamat, Ego & Pater, vnum sumus. Quod ait, Vnum, audiant Ariani. Quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani.*

Differentia inter Arium & Sabellium.

141. *Conclusio negatiua.* Vnica conclusio, Processio in diuinis non est per modum vnius causæ increatæ, procedentis in plures creatos effectus. Quapropter diuina processio non est plurium creaturarum extra Deum, sed solum plurium diuinarum personarum in ipso Deo. Hæc secunda conclusionis pars est tam contra Arium, quàm contra Sabellium; quia, vt refert S. Thomas hîc, *Si quis diligenter consideret, vterque accipit processionem, secundùm quod est ad aliquid extra. Vnde neuter posuit processionem in ipso Deo.* Cum hac tamen differentia, quòd Arius posuit ad extra processionem plurium personarum creatarum, quas connumerabat cum increata persona Patris, & ita verè saluabat Trinitatem personarum simpliciter.

S. Thomas.

Sabellius

Sabellius verò posuit ad extra processionem plurium effectuum creatorum, quos cum nulla diuina persona connumerabat, sed solùm ab vna diuina persona causari asserebat; & ideo Trinitatem diuinarum personarum omnino sustulit, sicut Arius omnino sustulit vnitatem naturæ in tribus personis.

Secunda cōclusionis pars probatur ex præcedentibus.

Sequitur autem euidenter ex prima parte conclusionis, & ex probatis dubitatione præcedente, & ex quibusdam aliis certissimis Theologiæ principiis. Neque enim fingi potest alius modus procedendi à Deo, nisi vel extra Deum, vel intra Deum. Extra Deum autem non est cogitabilis alius modus procedendi, nisi vel per creationem ex nullo alio effectu præsupposito, qui modus à S. Thoma hìc esse dicitur, *secundum quod effectus procedit à causa*: vel per eductionem ex alio præsupposito effectu, & vocatur à S. Thoma, *secundum quod causa dicitur procedere in effectum, in quantum vel mouet ipsum, vel similitudinem suam in si imprimit*: hi enim duo modi contradictoriam oppositionem inter se intrinsecè includunt, vt patet. Igitur si Filius & Spiritus à Deo procedunt, quod omnes & Catholici, & hæretici fatentur, vt notaui supra num. 1. & non procedunt neque vt effectus à causa, quod in prima dubitatione ostensum est, neque vt causa in effectum, vt dicit prima pars præsentis conclusionis, sequitur quod non procedunt ad extra. ergo procedunt ad intra. Sed intra Deum esse non potest aliquid inhærens, seu non subsistens, ex demonstratis supra q. 3. de simplicitate Dei. ergo Filius & Spiritus sanctus procedunt vt subsistentes intra ipsam personam Dei Patris, ergo vt personæ.

142. Solùm igitur probanda supereſt prima conclusionis pars, nimirum Filium & Spiritum sanctum non esse ipsummet Patrem, diuersimodè denominatum, secundùm diuersos effectus in creaturis ab eo procedentes, sed veras ac proprias personas inter se, & à Patre realiter distinctas. Quod est contra Sabellium, de quo Athanasius oratione contra Arianos in hoc dictum, *ex Deo Deus*, versùs finem, ita refert, *Insanit Sabellius, cum dicit, Patrem esse Filium, & vice versa, Filium esse Patrem: essentia, personáque esse vnum eos, sed nomine duos. Insanit dum pro eius rei similitudine gratiis vtitur Spiritus sancti. Ait enim, Quemadmodum discrimina sunt gratiarum, idem autem Spiritus: ita quoque Pater, cum idem sit, dilatatur in Filium, & Spiritum.* Hunc errorem quem accuratè etiam referunt Epiphanius hæresi 62. initio, & Leo Papa epistola 93. c. 1. hausisse dicitur Sabellius à Magistro suo Noëto, qui vt refert Epiphanius hæresi 57. initio, *ausus est dicere, Patrem passum esse.* & iterum infrà, *Asserit eumdem Patrem, & eumdem Filium, & eumdem passum.* Sed multò ante, apud Ignatium Martyrem epistola ad Philippenses, paulò ante medium, & habetur tomo 3. Bibliothecæ veterum Patrum, nonnulli asserebant, Patrem natum & passum esse: quos ita refert & confutat Ignatius loquens cum Diabolo, quem omnium hæresum inuentorem vocat, *Quomodo nec dum ex Virgine natus tibi videtur Christus, sed Deus Pater? Quis igitur hunc misit? Quis huius Dominus est? Cuius voluntati hic obediuit? Cuius legem impleuit, qui nec alicuius voluntati, nec potestati paruit? & cum Christum eximis à nascendi lege, ingenitum doces genitum esse; & qui omni principio caret, hunc dicis cruci affixum.* Eumdem errorem, etiam ante Sabellium, tenuit Praxeas cum suis, vt testatur Tertullianus lib. de Præscriptionibus in fine. Et lib. aduersùs Praxeam in principio dicens de Praxea, *Iste primus ex Asia hoc genus peruersitatis intulit Romanæ humo, & aliàs inquietus.* Omnésque postea ob id dicti sunt Patripassiani. Vnde Augustinus tractatu 71. in Ioannem circa principium, ita exponit, *Sabelliani, id est, Patripassiani.* Et S. Optatus Mileuitanus lib. 5. aduersùs Parmenianum post primam columnam, vt extat tomo 4. citatæ Bibliothecæ, vocat *Praxeam Patripassianum*; & deinde sectatores, *Patripassianos*: quo nomine eos etiam vocant Cyprianus epistola 73. ad Iubaianū, & passim alij. Vnde Leo Papa epist. decretali 93. ad Turibium Austeriensem Episcopum c. 1. de Discipulis Sabellij ait: *Patripassiani meritò nuncupantur: quia scilicet ipse est Filius, qui & Pater, Crux Filij, Patris est passio; & quicquid in forma serui, Filius Patri obediendo sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit.* Vt autem hanc hæresim distinctius confutemus, & perfectè probemus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non esse vnam eamdemque personam, sicut sunt vna eademque natura, id ostendendum est primò in communi, secundò de Patre & Filio, tertiò de Patre & Spiritu sancto, quartò de Filio & Spiritu sancto.

Sabellij hæresis ex Athanasio, Epiphanio, Leone Papa.

S. Ignatius.

Tertullian.

Patripassiani vnde dicti ex Augustino, Optato, Cyprian. Leone.

Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non esse vnam personam.

143. Primò omnium euidentissima videntur verba illa 1. Ioannis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* De vno enim habente tria nomina esset omnino falsum, ac ridiculum, asserere, Isti sunt tres testes qui dicunt hoc, v. g. Tres sunt qui causas defendunt in Republica Romana, Marcus, Tullius & Cicero. vel, Tres sunt qui præsunt Romanis militibus, Marcus, Fusius, & Camillus: siue, vt nostris exemplis vtamur, Quatuor sunt qui pro salute humani generis mortui sunt in Hierusalem, Christus, Iesus, Filius hominis, & Filius Dei. Itaque rectè dixit Athanasius suprà num. 121. Quòd his verbis, *nomina personarum euidenter sunt ostensa*: &, vt declararet, se non loqui de puris nominibus, sed de personis per nomina significatis, statim addidit, dictum esse, *Vnum sunt, non tamen, Vnus est, quia non est eorum vna persona.*

Probatur primò ex verbis 1. Ioan. 1.

144. Secundò multum vrgent alia verba Ioannis 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Vbi fit expressa mentio Spiritus, Patris, & Filij; & de vnoquoque agitur, tamquam de persona: qui enim mittitur vt alios doceat, & consoletur, proculdubio persona est; similiter is, qui hanc personam mittit ad hos effectus; & denique is, in cuius locum, vt eius vices gerat, alius mittitur, & qui alios alloquitur. Manifestum autem est, hæc munera de vna eademque persona intelligi non posse. Quis enim dixerit, eumdem mittere se ipsum: & eum, in cuius locum alius mittitur ab alio, esse eumdem cum misso, aut cum mittente? Eamdem vim habet alia verba eiusdem Christi paulò ante, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: neque enim quæ rogat, & quæ rogatur; quæ dat, & quæ datur, eadem potest esse persona: & cum Christus Spiritum sanctum vocat *alium Paracletum*, & consequenter, vt docet Augustinus tractatu 74. in hæc Ioannis verba; *Ostendit se ipsum esse Paracletum; paracletus enim Latinè dicitur aduocatus, & dictum est de Christo, Aduocatū habemus ad Patrem Iesum Christum iustum*, manifestè indicat personam Spiritus sancti aliam esse personam à persona sua. Vnde Cyrillus lib. 9. in Ioannem c. 4. ait, *Alium paracletum vocat, quia in propria subsistentia est.* Et Chrysostomus eumdem locum tractans homilia 74. in Ioannem meritò scripsit, *Pudeat Sabellianos, & qui de Spiritu non rectè sentiunt; etenim hoc mirum est, quod diuersas è regione hæreses vno ictu deiicit: dicendo enim, Alium, persona differentiam; dicendo Paracletum,*

Probatur secundò ex verbis Ioan. 14.

Augustinus.

1. Ioan. 2.

Cyrillus.

Chrysost.

Paracletum, substantia cognationem demonstrat. Similiter Theophylactus ibidem, *Confundatur hoc loco & Sabellius, dicens, Vnam personam Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ecce enim audit, Alium paracletum dabo, & ita aliam personam Spiritus.* Ex hoc eodem loco, & ex alio Ioannis 7. *Ab eo sum; & ipse me misit*, ita pulchrè arguit Athanasius oratione contra Gregales Sabellij non longè à principio, *Cum de se Filius loquitur, Ego, inquit; cum de Patre, Ille dicit; cum de Spiritu sancto, Alium subiungit. Cur non igitur manifestè defectionis & apostasiæ crimen sit, negare tria, & illum, qui ista loquutus est, vnum solum esse dicere?* Item Basilius sermone contra Sabellianos & Arianos, *Non ne*, inquit, *palam impudens es cum audis, Ego, de Filio; Ille, de Patre; Alius, de Spiritu sancto; & omnia tu misces, omnia confundis, & vni rei omnes appellationes attribuis?*

Theophyl.

Probatio Athanasij ex verbis Io. 7. Basilius.

145. Tertiò arguo ex illo Matthæi vltimo, *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quibus verbis, inquit Athanasius suprà n. 115. *Catholicæ Ecclesiæ fidem in Trinitate fundauit, & radicauit Dominus.* In Trinitate scilicet diuinarum personarum, non in Trinitate nominum vnius personæ. Quale enim esset ieuissimum istud, atque inane vocum fundamentum? & quis non rideret, si de vna persona tribus nominibus appellata id audiret? v. g. Si baptismus Ioannis datus esset sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Ioannis, & Baptistæ, & Præcursoris. Quamuis enim dici posset, Baptizo te in nomine Ioannis Baptistæ Præcursoris, tamen idem dicere cum duplici particula, *Et*, quæ ita coniungit plura separata, vt ea simpliciter separata esse significet, appareret omnino absurdum. Sicut etiam factum, aut dictum in nomine Simonis Petri Vicarij Christi, siue in nomine Pauli Doctoris gentium, vel in nomine Ioannis Euangelistæ Filij Zebedei, quis nisi stultus asserat, Factum, aut dictum in nomine Simonis, & Petri, & Vicarij Christi; & in nomine Pauli, & Doctoris gentium; & in nomine Ioannis, & Euangelistæ, & Filij Zebedei? Meritò igitur Martyr Ignatius sub principium epistolæ citatæ suprà n. 142. ex hoc Matthæi loco ita docet, *Dominus mittens Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non in vnum trinominem*, vt postea blasphemauit impius Sabellius, *sed in tres eiusdem honoris.* Vnde in Scriptura, inquit Epiphanius hæresi 62. ante medium, *Trinitas numeratur, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non velut vnum quiddam tribus nominibus appellatum, sed verè perfecta nomina.* Idque paulò post probat ex his Matthæi verbis, quibus, inquit, *redarguit Matthæus Sabellium, coniunctionem introducentem*, nimirum trium nominum in vnam Dei naturam ac personam, & suadet, quòd Matthæus *significat verè Patrem, & verè Filium, & verè Spiritum sanctū, quia in medio positi sunt articuli syllabæ, τοῦ, τοῦ, & τοῦ, ad nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti pro Græca linguæ ratione.* Quare cum Sabelliani ex his verbis, teste Basilio epistola 64. ante medium, *Manifestum est*, inquiunt, *vnum esse nomen; non enim dictum est, in nominibus, sed, in nomine*: & hinc deducere volunt vnam personam Patris, Filij, & Spiritus; ieuissimè euanescunt in cogitationibus suis: quoniam dictum singulariter est, *in nomine*, propter singularitatem vnius naturæ, non propter singularitatem vnius personæ. Si enim illud, *in nomine*, referretur ad personam, dicendum omnino fuisset, *in nominibus*, quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus manifestissimè sunt plura nomina, & vt plura significata per particulam, &, vt suprà. *Quemadmodum enim*, inquit Basilius, *qui Paulum, & Siluanum, & Timotheum nominat, tria quidem nomina*

S. Ignatius.

Epiphanius.

Ex Ioan.

Meritò Basil.

146. Quartò multa alia loca sunt, in quibus non obscura omnium trium personarum mentio fit 1. ad Thessalonicenses 3. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram, ad confirmanda corda vestra in sanctitate ante Deum & Patrem nostrum in aduentu Domini nostri Iesu Christi.* Et Ioannis 1. dicit Baptista, *Qui misit me baptizare in aqua*, scilicet Deus Pater, vt docent Chrysostomus homilia 16. in Ioannem, Cyrillus lib. 2. in Ioannem, Theophylactus in hunc locum, *ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* & 2. ad Thessalonicenses 3. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Quæ omnia loca sufficienter explicata sunt suprà, num. 124. In iis satis distinctè nominantur Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & quæ de illis dicuntur, non possunt de vna persona commodè intelligi. Item Isaiæ 48. dicit Filius Dei, *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*, qui asserit, se missum non solum à Deo Patre, sed etiam à Spiritu sancto, apertè distinguit Patrem, & Spiritum; & se ipsum, tamquam missum ab vtroque, tamquam à mittente distinguit.

Probatur quarto ex 1. ad Thessal. 3.

Chrysost. Cyrillus. Theophyl.

147. Quintò arguo eadem proportionali ratione, qua arguit Athanasius suprà, n. 128. si per Sabellianos diuina Trinitas consistit, non in tribus diuinis personis, sed in tribus creatis effectibus ab vna, eademque persona promanantibus, nempe Creationis, Incarnationis, Sanctificationis; igitur Trinitatis, quæ testimonium dat in cœlo 1. Ioannis 5. quamque omnes Angeli, ac Beati in cœlo adorant, ac prædicant, Isaiæ 6. & Apocalypsis 4. ex communi Patrum sententia, vt suprà, n. 129. non est quid increatum, atque diuinum, sed totaliter est creatura; & post non esse in tota æternitate, in qua non fuit, cœpit in tempore; & potuit simpliciter non incipere, & numquam esse, & postquam fuit, potest simpliciter in suū nihilum redigi. Quæ omnia sicut necessarium est asserere de creatis rebus; ita impium ac stultum est cogitare de Beatissima Trinitate: de qua propterea sapienter dixit Augustinus, siue, vt alij probabilius credunt, Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c. 1. aliquanto post principium, *Trinitas vera non esset, si vna eademque persona diceretur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: si enim sicut est Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna substantia, sic esset vna persona, nihil omnino esset, in quo veraciter Trinitas diceretur.*

Probatur quintò ex ratione Trinitatis.

Fulgent.

148. Sextò, posita definitione Concilij Syrmiensis apud Hilarium lib. de Synodis, cuius Concilij authoritate nititur etiam S. Thomas infrà quæst. 41. art. 2. multum vrgent illa loca, in quibus Deus

Probatur sextò ex verbis Genes. 1.

Concilium Syrmiense.

loquitur in numero plurali, vt Genesis 1. *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* De quibus verbis prædictum Concilium can. 13. ita statuit, *Si quis, Faciamus hominem, non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum loquutum, anathema sit.* & ideo eamdem vim habere debent alia verba Genesis 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* & c. 11. *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Vnde Basilius homil. 10. in Hexaëmeron, multò post principium ita scripsit, *Dixit, Faciamus, vt hoc insigni dicto agnoscas Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* Et Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c. 1. post medium qui habetur tomo 3. operum Augustini, docet, pluritatem personarum, & vnitatem naturæ, *nobis maximè in ipso sanctarum Scripturarum initio demonstrari, vbi Deus dicit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum enim in singulari numero dicit, Imaginem, ostendit, vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cum verò dicit pluraliter, nostram, ostendit eumdem Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam esse personam. Si enim in illa natura vna, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna esset persona, non diceretur, Ad imaginem nostram sed, Ad imaginem meã; nec dixisset, Faciamus, sed, Faciam. Si verò in illis tribus personis tres essent intelligẽdæ, vel credendæ substantiæ, non diceret, Ad imaginẽ nostram, sed, Ad imagines nostras: vna enim imago trium naturarum inæqualium esse non posset. Sed dum ad vnam imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vna sancta Trinitatis essentialiter Diuinitas intimatur. Denique & paulò post, pro eo quod superius dixerat, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, sic hominem factum Scriptura narrauit, vt diceret, & fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Vbi quicquid in plurali significauerat per illud, *Faciamus*, &, *Nostram*, nimirum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ, apertè indicat, vnum esse Deum. Eadem verba multi fusiùs ad idem probandum pertractant, Augustinus lib. 3. de Genesi ad literam c. 19. & lib. 12. de Trinitate c. 6.

Basilius.

Fulgentius.

Augustinus.

Hilarius.

Magister, Cyrillus.

Hilarius lib. 4. de Trinitate ante medium, quã multis exponit Magister lib. 1. sent. dist. 2. Breuius & clarius Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 2. circa medium, *Si in vnum numero Trinitas sancta contrahitur, vt impij contendunt, quis est qui dicit, & ad quem dicit, Faciamus hominem ad imaginem nostram? Aut cur nostram, & nõ, meam imaginem, scriptum est? Faciamus igitur, plurali numero dictum, &, immaginem nostram, adiectum ideo est, vt clara magnaque hac voce, tu audire, atque intelligere queas, Trinum esse personarum in sancta Trinitate in vna substantia numerum.* Demum iisdem verbis probat Marcellinus epistola Decretali 1. circa medium, *Quod communem operationem habeant Pater & Filius.* Si operationem, ergo etiam naturam, quæ est operationis principium.

Marcellin.

149. *Probatur septimò ex loco Genes. 1.*

Septimò idem Magister loco citato affert illud Genesis 1. *In principio creauit Deus*, Hebraicè, *Dij.* Quod, inquit Magister, *ad pluralitatem personarum refertur*, sicut infrà Genes. 3. illud, *Eritis sicut Dij*, idem est, *ac si diceret, Eritis sicut diuina persona.* Hoc autem argumentum, quo etiam vtuntur Torres hîc d. 1. parte 4. §. *In primis.* Molina disp. 5. initio, Cardinalis Bellarminus Hebraicæ linguæ peritissimus, multis probat lib. 2. de Christo c. 6. initio non esse admodũ solidum; & sequutus est Vazquez hîc, d. 108. n. 10. & 11. quia sicut nos Itali per pronomen plurale, *Voi*, significamus rem singularem; ita Hebræi, cum de illustribus personis est sermo, per nomina pluralia, coniuncta etiam cum verbo singulari, solent interdum significare rem singularem. vt illud Exodi 20. *Non habebis Deos alienos*, in Hebræo ad verbum est, *Non erit tibi Dij alij.* & illud Genesis 24. *Posuit manum super femur Abraham Domini sui*, Hebraicè est, *Dominorum suorum.* & Exodi 21. *Si dederit Dominus eius vxorem illi*, Hebraicè, *Si dederit Domini eius.* Dixi, *Coniuncta etiam cum verbo singulari*, quoniam aliquando significatur singulare, etiamsi nomen & verbum sint in plurali, vt 2. Regum 7. illud, *Iuit Deus*, Hebraicè legitur, *Iuerunt Dij.* Ergo per vocem Hebræam, Dij, siue, Domini, vt Psalmo 36. *Dominus irridebit eum*, Hebraicè, *Domini ridebit*, non cogimur intelligere diuinas personas, sed solum vnum Deum: imò illud ne probabile quidem videtur; quia sicut Latinis, & Italis, & ceteris aliarum linguarum hominibus, non licet, plures personas nominare plures Deos, ita neque Hebræis: quia cum propriissimum increatæ Diuinitatis sit, vt in ea sint plures personæ, & tamen vnus Deus, cuilibet linguæ ex natura rei prohibitum esse debet, Tres personas diuinas appellare tres Deos; tunc enim sicut per eumdem loquendi modum de creaturis, vt cum dicimus, Petrum, Paulum, & Ioannem esse tres homines, significamus in pluribus personis plures naturas, ita pariter videremur nimis expressè significare in diuinis naturarum multitudinem cum multitudine personarum. & ideo sapientissimè neque Septuaginta Græcè, neque Hieronymus Latinè verterunt in plurali Deos, aut Dominos, sed semper Deum & Dominum: significantes per pluralem illũ Hebræorum loquendi modum, non significari tres personas, sed vnum Deum. Et sanè cum in Testamento veteri, vnius Dei veritas frequentissimè inculcetur illis hominibus ad Idololatriam valde pronis, fuisset res contradictionis, & periculi plenissima, tam sæpè plurium Deorum mentionem facere. Neque contra hoc argumentum Bellarmini, efficax est instantia Vazquez suprà, nempe, *Non esse Latinis consuetum, nomine, Deus, significare personas diuinas, sed naturam*: quia ex locis infrà afferendis apparebit, de diuinis personis passim vsurpari Deum, & Dominum. & cum in Symbolo fatemur, *Deum de Deo*; non naturam, sed personas significamus. Igitur si non licet Latinis, diuinas personas vocare Deos, cur id Hebræis licitum esse putabimus?

& Exodi 21.

& 2. Reg. 7.

& Psal. 36.

Exponitur locus Exodi 20. & Genes. 24.

Soluitur instantia Vazquez contra Bellarmin.

Patrem & Filium non esse vnam personam.

150. *Probatur primò, cum S. Thoma ex verbis Ioan. 5.*

Hoc tantùm membrum probat hîc S. Thomas contra Sabellium ex illo Ioannis 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat.* Quæ verba correspondent illis aliis præcedentibus, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Vbi tanta inter Patrem & Filium distinctio exprimitur, vt Arianis erroris sui occasionem dederit, vt narratum est suprà, n. 53. sed ex his verbis loco citato probauimus contra Arianos vnitatem naturę: nunc clàrius probatur pluralitas personarum contra Sabellianos. Filius de se ipso dicit, *Ego operor*; ergo est Persona. Testatur quoque de Patre, quòd *operetur*; ergo Pater etiam est persona, quo nomine omnes intelligimus completũ operandi principium in natura intellectuali. Præterea dum hæc Filij persona de se ipsa, & persona Patris ita loquitur, *Pater meus, & ego*, certè non potuit euidentius, atque distinctius duas personas explicare. Item cum dixit, *Ille & Filius.* & præterea, *Sicut Pater, sic & Filius.* Dixit etiam, Filius potest facere quod videt Patrem facientem. hæc enim propositio necessaria includitur in illa, *Non potest Filius facere nisi*, &c. At quis quæso non rideat, si de eadem vna persona hoc dictũ intelligat? tunc enim hic esset sensus, Hæc persona potest facere quod videt

S. Thomas.

Confirmatur ex verbis Ioan. 8.

Athanasius.

151. *Probatur secundò ex verbis Ioan. 7. 8. 16. Eccles. 24. Prou. 8. Mich. 5. Psal. 2. v. 109.*

Cyrillus.

Augustinus.

Ex Concilio Syrmiensi exponitur locus Ioan. 5.

152. *Probatur tertiò ex aliis verbis Ioan. 5.*

Fulgentius.

det eamdem personam facientem. Huius generis dicta in Scriptura, præsertim in eodem Ioannis Euangelio sunt, inquit S. Thomas hîc circa medium corporis, *multa alia, per quæ ostenditur, quòd non est ipse Pater qui Filius.* præsertim illud Ioan. 8. vbi Filius Dei dicit, *Iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater. Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Quę verba nemo, nisi fatuus sit, de vna eadémque persona intelligere potest. Et ideo Athanasius orat. contra Gregales Sabellij, aliquanto post principiũ ait, *Cur non planè defectionis & apostasiæ crimen sit, negare tria, & solum illum, qui ista loquutus est, vnum esse dicere? Non sum solus, quoniam qui misit me Pater, mecum est. En tibi duas personas. Et nisi dicas, verè duos esse cum hæc loquitur, non permittus, testimonium verum existere: id enim testimonium confirmat, si non ab vno, sed à duobus perhibeatur.*

Arguo præterea secundò ex multis locis quibus dicitur Filius Dei procedere à Deo Patre, & generari, & accipere, & habere esse. Ioan. 7. *Ego ab ipso sum.* & c. 8. *Ego ex Deo processi.* & c. 16. *Ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum.* Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Prouerbiorum 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, ante quã quidquam faceret à principio. Non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram: ante omnes colles ego parturiebar.* Michææ 5. *Egressus eius ab initio, ex diebus æternitatis.* Psal. 2. *Ego hodie genui te.* Psal. 109. *Ex vtero ante Lucifernm genui te.* quæ omnia loca abundè in superioribus explicata sunt. In quibus considerandum est primò in generatione, non posse eamdem personam respectu sui ipsius esse generatam, & generantem. *Quare*, inquit Cyrillus lib. 1. in Ioan. c. 2. aliquanto post principium, *quoniam genitũ à Patre Scriptura prædicat, & veritas ita se habet, quòd necessario à generante genitum re ipsa distinguitur, tam Filius per se ipsum, quam Pater verè subsistit.* Et August. lib. 1. de Trinitate c. 1. ante medium. *Qui putat, eius esse potentiæ Deum, vt se ipsum ipse genuerit, eò plus errat, quòd non solum Deus ita non est, sed nec creatura: nulla enim omnino res est, quæ se ipsam gignat, vt sit.* Secundò Filiũ Dei generatum ab æterno, saltem, quod ne ipsi quidem Ariani negare potuerunt, ante reliquas omnes creaturas. Ergo Filius Dei non potest in diuinis admitti solum per ordinem ad incarnationem in vtero Mariæ Virginis, quæ contigit multò post mundũ conditum. Tertiò, Filium Dei esse Filium naturalẽ, quod probatum est suprà à n. 70. ergo est persona; & æterna, sicut est æterna persona Dei Patris; & distincta, sicut omnis persona Patris producentis non potest nõ esse realiter distincta à persona filij à se producti, *nulla enim ratio patitur*, inquit Cyrillus supra post medium cap. *vt quod ab alio effluxit, ab eo, à quo effluxit, non distinguatur.* Denique ex authoritate Syrmiensis suprà canone 2. valde vrget locus Ioan. 5. *Si quis*, inquit Concilium, *audiens Filium dicentem; sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso: eumdem dicat, qui accepit à Patre vitam, qui confitetur hoc idem, Ego viuo propter Patrem, quem & illum, qui dederit, anathema sit.*

Arguo tertiò, ex Ioan. 5. vbi Filius ita loquitur, *Alius est, qui testimonium perhibet de me*; quibus verbis, inquit Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum, non longè à principio, *errorem Sabelliana confusionis excludit.* & per illud, *Alius* intelligi Patrem, optimè probat Fulgentius, quia paulò post idem Filius ita exponit, *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Nullus qui est vera persona, si verè est alius ab aliquo, intelligi potest esse eadem persona cum illo. Sæpe etiam Filius dicitur missus à Patre. Inter personam autem missam, & personam mittentem, realis distinctio proculdubio intercedere debet; nã,

Epiphanius.

Vt ait Epiphanius hæresi 69. post tres paginas. *Alius est qui mittit, & alius qui mittitur.* Et si eadem persona sunt Pater & Filius, cur semper legimus, missum Filium, & nunquam missum Patrem?

153. *Probatur quartò ex verbis Ioan. 1.*

Arguo quartò ex illo Ioannis 1. *Verbum erat apud Deum*, nimirum Patrem, vtmones ferè exponunt. & probatum est supra n. 25. & mox iterum, *Hoc erat in principio apud Deum.* Vbi Cyrillus lib. 1. c. 2. circa principium ita rectè discurrit contra Sabellianos. *Cum apud Deum, Verbum esse prædicet, verum quidem esse Filium, subsistentémque in se ipso, & vnum rursus Deum Patrem, apud quem Verbum est, apertissimè ostendit. Quomodo enim, quod vnum numero est, ipsum apud se ipsum esse intelliget.* Hoc etiam loco docet Theophylactus, quòd *Sabellius arguitur manifestè ex hoc quod dicitur, & illud Verbum erat apud Deum. Manifestum enim Euangelista hoc loco, alium dicit esse Verbũ, & alium Deum, hoc est, Patrem. Nam, quia Verbum erat apud Deum, manifestum quòd duæ personæ introducantur, etiamsi vna natura in his duobus.* Vnde Ambrosius lib. 1. de Fide c. 5. paulò post principium ita scripsit. *Quod autem erat apud Deum, non commixtione confundatur, sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, vt Sabellius obmutescat.* Et Athanasius contra Gregales Sabellij, circa principium, *Si Deus verbum in mente habet, non autem ve vera ex ipso genitum, vt Deum ex Deo, quo modo esse potuit apud Deum, Verbum? aut quomodo Deus fuerit? Non enim verbum in mente hominis conceptum, homo est apud hominem, cum nec viuat, nec subsistat, sed vitæ dumtaxat, ac subsistentis pectoris motus sit.*

Cyrillus.

Theophyl.

Ambrosius.

Athanasius.

154. *Probatur quintò ex verbis Genes. 19.*

Concilium Syrmiense.

Arguo quintò cum Cyrillo suprà, ex illo Genesis 19. *Pluit Dominus à Domino.* De quo eadem Syrmiensis Synodus suprà, can. 17. ita decernit. *Si quis, Pluit Dominus à Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre. Neque enim pluit ex se, sed à Domino, authoritate scilicet Patris:* hoc est, Filius qui à Deo Patre procedit Deus, ac proinde æqualis ipsi Deo Patri; sed à Deo, seu Domino Patre pluere dicitur, quia cum habeat esse à Patre, ab eo etiam habet operari. Quod sapientissimè explicat Cyrillus suprà dicens. *Quis Dominus à Domino, ignem descendere fecit? Patet, quia Pater per Filium omnia peragit: brachium enim & virtus Patris Filius cum sit, ipse in Sodomitas ignem immisit. Quod si Dominus à Domino, ignem pluit, quomodo alius à Patre Filius, & Pater à Filio non est? Cùm enim dicitur, Dominus à Domino, vnus ex vno profectò significatur.* Eademque verba passim alij Patres ad idem probandum vsurpant, imò Cyrillus suprà in fine eiusdem capitis vniuersaliter efficacissimum ducit argumentum, ex omnibus illis locis, in quibus Scriptura docet, Omnia fieri à Patre per Filium, vt suprà n. 84. Quod clarissimè explicauit Paulus initio epistolæ ad Hebræos illis verbis, *Per quem fecit & sæcula.* Necessarium enim est, inquit Cyrillus, *alium esse qui facit, alium per quem facit. Ita cum per Filium cuncta fieri scriptum sit, duæ personæ proculdubio designantur. Quomodo enim vnus numero, propriè atque verè per Filium cuncta creasse dicitur, si nulla prorsus alia persona intelligitur? nihil ad hæc arbitror, aduersarios, si Scripturam admittunt, respondere posse. Per Filium sanè à Patre cuncta fieri, & Scriptura prædicat, & nos credimus. Quomodo igitur necesse non est, Patrem per se, ac Filium similiter subsistere?*

Cyrillus.

Ad Hebr. 1.

Cyrillus.

155. *Probatur sextò ex verbis Ioan. 10.*

Postremò Patres communissimè arguunt ex illo Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Ipso numerandi modo, dũ dicitur, *Ego & Pater*, & adiũcto verbo illo, *sumus*, apertissimè demonstrantur plures personæ. Quo fit vt illud, *Vnum*, ad vnitatem naturæ, non ad vnitatem personæ referendum sit. *nisi enim* vterque subsisteret, inquit Cyrillus lib. 1. in Ioannem

Cyrillus.

cap. 2. circa medium, *Non sumus; sed sum vnum ego & Pater, dixisset. Nunquam enim de vno, sumus, etiamsi disrumpantur hæretici, prædicari potuit.* Et ideo Augustinus. optimè distinguit Augustinus citatus suprà n. 141. *Quod ait, Vnum, audiant Ariani. Quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando, sint vani.* & lib. 2. de Trinitate cap. 6. post medium. *Et vnum dixit, & sumus. Vnum, secundum essentiam, quod idem Deus. Sumus, secundum relationum, quòd ille Pater, hic Filius.* Et tract. 36. in Ioannem multò post medium. *Non dixit, Pater ego sum: aut, Ego & Pater vnum est: sed cum dicit, Ego & Pater vnum sumus, vtrumque audi, & Vnum, & sumus, & à Charybdi, & Scylla liberaberis. In duobus istis verbis, quod dixit vnum, liberat te ab Ario; quod dixit sumus, liberat te à Sabellio, si vnum, non ergo diuersum, si sumus, ergo & Pater, & Filius. Sumus enim non diceret de vno: sed vnum non diceret de diuersis.* Eademque ferè verba legimus apud Cyrillum Cyrillus. Nazianzen. lib. 7. in Ioannem cap. 10. ante medium. Et Nazianzenus lib. de Fide non longè à principio, *Vnum, ad vnitatem diuinitatis refert; sumus, personis assignat.* Hilarius. Idque probat Hilarius lib. 7. de Trinitate aliquanto post principium, illis verbis, *Non enim solitarium significat, Ego & Pater vnum sumus: nam coniunctio ea quæ significat, Et Patrem, intelligentiam non admittit vnius, & illud, sumus, non patitur singularem.* Ambrosius. Eadem docet Ambrosius lib. 1. de Fide c. 1. & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. ante medium, vbi acutè addit, *Hæreticam iugulari prauitatem Sabellianorum, quia vnum dixit sumus, non, vnus sumus: & Arianorum, quia, Ego & Pater, non, Pater & ego, dixit. Quod vtique non contumacia, sed pietatis & præscientiæ fuit, ne nos errorem in ordine putaremus: nescit enim vnitas ordinem; gradum nescit æqualitas; nec cadit in Dei Filium, vt per contumaciam pietatem laederet Magister ipse pietatis.* Vult, Dominum in loquendo ordinem generationis, quo dicendum fuisset, *Pater & ego*, non, *Ego & Pater*, non seruasse data opera, ad significandum scilicet omnimodam æqualitatem Patris & Filij in vna natura, in qua Pater Filium non præcedit, & ratione cuius non est necessario nominandus primo loco Pater, secundo Filius, sed indifferenter & æquè rectè nominari potest primo loco Filius, cum nihil omnino plus Deitatis habeat Pater supra Filium, tametsi eam Filius à Patre acceptam habeat, quod non ad naturam, sed ad naturæ processionem & personas spectat: qua alia ratione ordinate numeramus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. In eodem sensu Epiphanius hæresi 69. longè post medium adfert illud Ioannis 17. vbi Filius cum Patre loquens dicit, *Nos vnum sumus*, sive, Epiphanius. vt legit Epiphanius, *Ego & tu vnum sumus.* Qui ita arguit, *Non dixit, Ego vnus sum, sed, Ego & tu: &, vnum sumus; vt redargueret Sabellium, & ipsius scholam, qui putant, Filium & Patrem coniunctionem esse; & Patrem & sanctum Spiritum similiter.* Item antea hæresi 62. ante medium illis verbis, *Filius dicit, Ego & Pater vnum sumus: & non dixit, Vnus sum. Sed ego & Pater significant in substantia Patrem, & in substantia Filium; & duo dixit, non dixit vnus: & rursus, Vnum sumus, & non dixit, Vnus sum.*

De ordine nominandi diuinas personas.

Patrem, & Spiritum sanctum non esse vnam personam.

156. *Probatur ex verbis Ioannis 15.*

Præcipuum argumentum, quo suprà n. 151. probatum est, Patrem esse personam distinctam à persona Filij, probat pariter esse distinctam à persona Spiritus sancti, quia de hoc etiam scriptum est Ioan. 15. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me.* Is, qui mittitur, & venit ad testificandum, procul dubio subsistens quædam persona est. Persona verò procedens & missa non potest esse eadem cum persona à qua procedit, & mittitur, cum vel ipso naturæ lumine certum sit, idem à se ipso procedere, & seipsum mittere non posse. Sed Dominus apertissimè dicit, Spiritum sanctum procedere à Patre, & venire missum à Patre ad testimonium ferendum. Ergo euidenter sequitur, Spiritum sanctum esse personam realiter distinctam à persona Patris. Eamdem vim habet illud Ioan 14. *& Ioan. 14.* *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Hìc enim & Pater rogatur, & Filius rogat, & Paracletus est, de quo mittendo Filius Patrem rogat. Quamuis autem alium Paracletum intelligamus, id est, distinctum ab ipso Filio, vt infrà dicemus; manifestum tamen est, quòd si ego Patrem rogo, vt mittat quempiam à me distinctũ, non rogo, vt mittat ipse se ipsum. Idem non obscurè significat Paulus illis verbis ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est & ad Rom. 5.* *in cordibus nostris per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis.* Si charitas, & amicitia cum Deo Patre, causatur in nobis per Spiritũ sanctum, Ergo Pater & Spiritus idem omnino in se ipsis esse nõ possunt. Si Spiritus sanctus, seu gratia Spiritus sancti datur nobis à Deo Patre, quis audeat asserere, Spiritum sanctum esse Patrẽ, & Patrem esse Spiritũ sanctũ? Hoc enim loco cùm Paulus Deum nominat; Petrum intelligi inde fit manifestum: quia sic idẽ Paulus loquitur 2. Cor. vlt. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus*, &c. quo loco cũ personæ tres exprimantur, Dei nomine non nisi Pater potest intelligi. Et ad Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Si Spiritus sanctus accipitur, datus nimirum à Deo Patre; & est causa, vt nos Deum, Patrem appellemus, satis indicatur non esse eamdem Patris & Spiritus sancti personam. Neque alia particularia occurrunt ad probandam distinctionem inter Patrem & Spiritum sanctum. Sed hæc abundè probata remanent ex dictis in communi de distinctione Patris, Filij, & Spiritus sancti, à n. 143. ad 150.

Filium & Spiritum sanctum non esse vnam personam.

157. *Probatur primò ex verbis Ioan. 16.*

Præterea, quæ loco citato in communi scripta sunt, ad hanc eamdem veritatem in particulari demonstrandã occurrit 1. illud Ioan. 16. vbi Filius Dei ita loquitur, *Cùm venerit ille, Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Duo illa verba, *Ille me*, apertissimè significant duas personas. Sicut etiã illud, *de meo accipiet*, quicquid tandem illud significet, de quo multiplex & incerta est interpretatio. Enim vero *accipere ab alio*, in quocumque sensu id dicatur, duas distinctas personas clarissimè demonstrat; & de diuinis personis verificari omnino nequit, nisi propter processionem vnius ab alia. Quare hoc loco, Spiritus sancti processio à Filio, & consequenter distinctio, si non directè ac per se traditur, vt multis placet, tamen necessario concluditur. Solum enim persona procedens dici potest ab alia accipere & mitti. Vnde Pater numquam legitur acceptus, aut datus, aut missus: quòd de reliquis duabus personis procedentibus, passim scribitur. Quamquam mihi visa semper est probabilissima interpretatio, communis Scholasticorum, de acceptione per processionem, & post

Ex hoc loco Dan. 16. probatur processio Spiritus sancti à Filio. S. Thomas. post hæresim Græcorum, negantium, Spiritum sanctum à Filio procedere, libentissimè amplectenda: quam significat S. Thomas infrà, quæst. 36. art. 2. ad 1. docens, *In sacra Scriptura non inuenitur per verba, quòd Spiritus sanctus procedit à Filio*, sicut inuenitur quod procedit à Patre; *inueniri tamen quantum ad sensum, præcipuè Ioannis 16. De meo accipiet.*

158. Sensus igitur est, Cùm venerit Spiritus sanctus docebit omnem veritatem: quia non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur: hoc est, quia cum Spiritus sanctus, vt exponit Augustinus tractatu 99. in Ioannem circa medium, & Augustinus. sequitur Beda in hunc locum, *non sit à semetipso*, Beda. sed à Patre Filioque procedat, non loquetur à semetipso, nempe, ipse solus, sicut quæuis creatura loquitur, sed ipso loquente loquentur etiam Pater & Filius, vnus verus Deus, qui nec falli potest, nec fallere; & ipse non loquetur nisi quæ audiet, quia omnem scientiam, & veritatem, ac loquendi vim à Patre & Filio habet. *Ab illo audiet*, inquit Augustinus, *à quo procedit. Audire illi scire est: scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit; à quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud, quam scientia.* & statim sufficientissimè remouet obiectionem, quæ quosdam recentiores Interpretes aduersùs huiusmodi interpretationem impulit, dicens, *Nec moueat, quòd verbum futuri temporis positum est: non enim dictum est, Quæcumque audiuit, aut, Quæcumque audit, sed, Quæcumque audiet, loquetur. Illa quippe audientia, sempiterna est, quia sempiterna est scientia. In eo autem quod sempiternum est sine initio, & sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis, siue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat, Fuit, &, Erit, sed tantum, Est; ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, & ideo illi tantum conuenerat dicere, Ego sum, qui sum; &, Qui est misit me ad vos: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & Fuit, & Erit, & Est. Fuit in præteritis seculis, Est in præsentibus, Erit in futuris. Fuit, quia numquam defuit. Erit, quia numquam deerit. Est, quia semper est. Neque enim, velut qui iam non sit, cum præteritis occidit: aut cum præsentibus, velut qui non maneat, labitur: aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde cum secundum volumina temporum, locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora; vera de illo dicuntur cuiuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit. Ergo & sciuit, & scit, & sciet: ac per hoc, & audiuit, & audit, & audiet. Ab illo igitur audiuit, audit, & audiet, à quo est: ab illo est, à quo procedit.*

Quomodo Deo conueniat tempus futurum, præsens & præteritum.

158. *Continuatur expositio verborũ Ioan. 16.*

Iuxta hunc sensum sequitur, *Ille me clarificabit*, nimirum clarius, ac firmius, atque vniuersalius docendo omnem veritatem eorum quæ fecit, & dixit Christus, & quæ ad duas Christi naturas, atque vnam personam pertinent, & ad Ecclesiam Christianam ab ipso fundatam, tam militantem, quam triumphantem. Quam clarificationem ideo ait Christus futuram à Spiritu sancto, non à Patre, quia Spiritus sanctus, inquit, *de meo accipiet*, hoc est, à me procedit, non Pater. Quod ipsemet statim exponit, subdens huius processionis rationem à priori. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, Quia de meo accipiet.* Si quis diligenter attendat, videbit, hunc esse Christi discursum. Quicquid Spiritus sanctus à Patre accipit, accipit pariter à me. Sed Spiritus sanctus à Patre procedit, & accipit omnem suum diuinum esse; ergo etiam

Probatur Spiritum sanctum procedere à Filio.

âme. Maiorem à priori ita demonstrat, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, nimirum sola excepta paternitate, cum ex terminis manifestè implicet, Filium esse Patrem sui ipsius. Sed Pater habet voluntatem fœcundam ex qua procedit Spiritus sanctus. Ergo eamdem habet Filius. Ergo Spiritus sanctus, *qui à Patre procedit*, vt idem Christus paulo antè in præcedenti c. 15. expressè docuerat, non potest non procedere, & non accipere omne suum esse à Filio. Hunc discursum non obscurè tradidit Concilium Florentinum in Definitione Fidei illis verbis, *Quo-* Concilium Florentinũ. *niam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo, gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.* Eumdem clarius expressit S. Tho- S. Thomas. mas infrà quæst. 36. art. 2. ad 1. probans, quòd cum dicitur, Spiritus sanctus procedit à Patre, intelligendum etiam sit quòd procedat à Filio. *quia*, inquit, *quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponuntur Pater & Filius, sed solum quantum ad hoc, quòd hic est Pater, & ille Filius. Quod verò in sacra Scriptura de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, nisi solum in illis, in quibus Pater & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur.*

160. *Probatur secundò, quia Spiritus sanctus à Filio mittitur.*

Secundò, esto Spiritus sanctus neque per verba expressa, neque per sensum aliis verbis expressum, sed per solam deductionem dicatur in Scriptura, procedere à Filio, tamen ad demonstrandam personalem distinctionem vnius ab alio, satis est quod apertissimè & sæpe dicatur missus à Filio. Ipsemet enim Filius dicit Ioannis 14. Spiritus sanctus, *quem mittet Pater in nomine meo.* & cap. 15. *Quem ego mittam à Patre.* & cap. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos.* Præterea Ioannis 14. expressissimè docet, Spiritum sanctum esse *alium Paracletum*, scilicet, alium à se ipso. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quis quæso vel Superior, vel concionator, vel Magister verè dicat, Rogo Deum, vt alium superiorem, vel concionatorem, vel Magistrum det vobis: & nihilominus qui intelligit, audeat asserere, eamdem esse personam, & qui rogat, & qui dandus rogatu? nam, vt ait Basilius oratione aduersùs eos qui calumniantur, Quod tres Deos Basilius. colamus. post medium, *Qui & alium dixit, non se ipsum ostendit ante alium?* Vnde meritò Syrmiensis Synodus canone 20 apud Hilarium lib. de Synodis, ita definiuit, *Si quis, sicut docuit nos Dominus, non* Concilium Syrmiense. *alium dicat Paracletum à Filio, dixit enim, Et alterum Paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo eum, anathema sit.* Item Ioannis 15. Filius de Spi- Ioan. 15. ritu sancto ait, *Ille testimonium perhibebit de me.* Quod, nisi concipiantur duæ distinctæ personæ, altera significata pronomine, *Ille*, altera significata pronomine, *Me*, est prorsus inintelligibile.

Sabellianis obiectionibus satisfit.

161. *Prima obiectio.*

Obiiciunt primò illud Ioannis 14. *Pater in me manens, ipse facit opera.* Quo loco moti Sabelliani dicebant, vt refert Augustinus tractatu 71. in Ioan. circa principium. *Ecce qui Pater est, ipse & Filius.*

Respondetur eũ Aug. exponendo locum Ioan. 14.

Respondet acutè Augustinus, *Si quoniam dixit, Pater in me manens, ipse facit opera, propterea putatur, non alius esse Pater, alius ipse; audiatur, quod dixit, Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit: & intelligatur non bis vnus, sed duo vnum.* hoc est, non vna persona bis nominata, sed duæ personæ quæ sint vnus numero Deus, qui omnium operum efficiens causa est: & propter hanc vnitatem, non in persona, sed in natura, est impossibi-

le, vt vna persona non sit & maneat in alia, & vt opera quæ facit vna persona, non faciat alia. Præterea si in illa propositione affirmatiua, *Pater in me manens, ipse facit opera*, intelligatur inclusa hæc negatiua, *Filius à se ipso non facit opera*, similis illi, quæ immediatè ante ibidem habetur, *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor*; id dictum esse docet Augustinus, quia etsi Pater & Filius indiuisibiliter operentur, tamen Filius non est à se ipso, sed à Patre; Pater verò ex se ipso est, non à Filio; sicut, inquit Augustinus, *quia sic æqualis est alter alteri, vt tamen alter sit ex altero, ideo non loquitur à semetipso, quia non est à seipso.* Quæ responsio sufficientissima est, etiam si domus aduersariis, verba Ioannis esse dicta de Christo in quantum est Deus, vt interpretantur Augustinus & Beda: alioqui explicari commodè possunt de Christo, in quantum est homo, quemadmodum interpretantur Cyrillus, Leontius, & Theodorus Mopsuestiensis, quos refert & sequitur Maldonatus in illum locum: & tunc facillimè diceretur, Deum Patrem in Christo homine manentem facere opera, non propter vnitatem personæ, nec propter vnitatem naturæ humanæ cum diuina, sed solum propter essentialem dependentiam, quam in operando habet natura humana Christi à Deo Patre, simul & principaliter cooperante.

162. *Secunda obiectio.*

Obiiciunt secundò, Verbum mentis nostræ non est persona, sed conceptus quidam, quo quis aliquid sibi repræsentat, & intellectualiter dicit, seu loquitur. Ergo ita pariter sentiendum de mentis diuinæ Verbo.

Respondetur cum Athanasio diuersam rationem esse de Verbo creato & increato.

Respondeo cum Athanasio sermone 3. contra Arianos, ante medium, negando consequentiam, & similitudinem Verbi creati cum increato. Neque *quæremus est*, inquit Athanasius, *cur non tale sit Dei verbum, quale nostrum est; cum Deus nequaquam talis sit, quales nos sumus.* Verbum igitur vt Verbum, siue creatum, siue increatum, quia propriè importat ordinem ad loquentem ac dicentem, esse essentialiter debet aliquid productum, ac manens in ipsomet intellectualiter loquente. Hoc in nobis, inquit Athanasius, *Neque viuit, neque agendi vires habet, neque hominis naturam possidet, idque ita accidit, quoniam homo est qui illud gignit, ex non ente sortitus est naturam.* hoc est, quoniam hominis natura, sicut quæuis alia creata natura, imperfecta est, non potest in se ipsa subsistere pluribus personalitatibus, & ideo eius Verbum accidens est, in se ipsa receptum, & ab ipsa distinctum. At verò diuinum Verbum, subdit Athanasius, *ipsum est genitum quiddam, & perfectè ex perfecto, ac proinde Deus est.* Nimirum quoniam quidquid in Deo est, ipsemet Deus sit necesse est: & si Deus à Deo producitur, necessarium omnino est, vt Deus productus distinguatur realiter à Deo producente. Nullæ autem duæ res inter se distinctæ esse possunt in diuina natura, nisi relatiuæ, & inuicem oppositæ personalitates. Ergo si Verbum Dei est in ipsomet Deo, & à Deo productum, implicat vt sit aliud quam vera ac realis persona. In quo discursu multa inuoluuntur difficillima, inferius in propriis locis commodius explicanda.

163. *Tertia obiectio apud Epiphanium.*

Obiiciunt tertiò teste Epiphanio hæresi 62. paulò post principium omnes Scripturas veteris ac noui Testamenti, quibus docemur, omnes diuinas personas vnum esse Deum, vt Exodi 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* & Deuteronomij 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* & Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* & cap. 8. *Ego & Pater vnum sumus.* de quo suprà num. 155. Sicut illud Matthæi vltimo, *In nomine Patris*, &c. de quo suprà num. 145.

Respondetur ex vnitate naturæ diuinæ non sequi vnitatem personæ.

Respondeo, Christianæ fidei duos esse articulos, alterum de Diuinæ naturæ vnitate, alterum de Trinitate diuinarum personarum: & sicut infideliter Arius ex Trinitate personarum arguit trinitatem naturæ, ita contrà pari infidelitate Sabellius ex vnitate naturæ, arguit vnitatem personæ. Oportebat sanè non humanæ intelligentiæ tenebras, sed certissimam diuinæ reuelationis lumen sequi, quo euidenter constat, quòd, vt ait Athanasius in Symbolo, *Hæc est fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Similiter ait Epiphanius suprà, *Confitemur Trinitatem; sed vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate: vnam Deitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Athanasius.

164. *Quarta obiectio.*

Obiiciunt quartò, quia nos in Superioribus, arguentes contra hæreticos, semper supponimus, eamdem personam esse Verbum & Christum. Hanc autem veritatem, *quidam ex discipulis Samosatenis*, teste Athanasio oratione in illud dictum, *Deus de Deo*, non longè à fine, impugnant ex verbis Petri, Actorum 10. *Verbum misit Deus Filiis Israël annuncians pacem per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus.* Hinc hæretici, inquit Athanasius, *aiunt, Verbum ita loquutum per Iesum Christum, quemadmodum etiam in Prophetis loqui solet: ac proinde, aliud Propheram esse, aliud Dominum.*

Respondetur cum Athanasio, & aliis exponendo locū Act. 10.

Respondet primò Athanasius accipiendo Verbum pro persona Verbi, & tunc, inquit, *non intelligendum est, aliud esse Verbum, aliud esse Christum; sed vnum, eumdemque ob susceptam humanæ naturæ conditionem.* & sensum esse, *Verbum misit Pater carnem factum, vt cum iam homo esset, ipse per se ipsum euangelizaret. Atque ideo statim subiungit, Hic est omnium Dominus: Dominus autem omnium Verbum est:* & non alia persona à Verbo distincta. & confirmat ex simili loco 1. ad Corinthios 1. *Expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos, vsque in diem sine crimine in die aduentus Domini nostri Iesu Christi.* vbi idem Christus bis repetitur. In qua prima expositione illud, *annuncians*, refertur ad Verbum, quod per Christum, hoc est, per ipsummet hominem factum, nunciauit pacem, &c.

Exponitur locus 1. Cor. 1.

Respondeo secundò, cum multis, quos melius sentire probat noster Lorinus in hunc locum, accipiendo Verbum, ex vsu phrasis Hebraicæ, pro re, Matthæi 2. *Videamus hoc verbum, quod factum est.* Pro qua interpretatione dixit Maldonatus in c. 1. Lucæ, versiculo 2. *Sæpe obseruaui, à nemine, nisi à D. Ioanne, Christum Verbum appellari.* & tunc, *Verbum*, iungendum est cum illo, *Vos scitis.* Sensus igitur erit, Quid fecerit Deus Pater, annuncians pacem per Christum, vos omnes scitis, quid, inquam, fecerit per vniuersam Iudæam, &c. quo sensu penitus ruit commentum hæreticorum.

Maldonatus.

165. *Quinta obiectio ex Augustino.*

Obiiciunt quintò, quia Pater etiam, & Filius, sunt Spiritus sanctus, vt ex Scripturis probat Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 19. ergo Spiritus sanctus non est aliqua tertia persona distincta à Patre & Filio.

Respondetur tertiam personam dici propriè Spiritum sanctū.

Respondeo cum eodem Augustino circa finem capitis, quòd etsi *non solus sit in illa Trinitate, vel Spiritus, vel sanctus, quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus, quod non ambigit pietas; tamen iste non frustra, propriè dicitur Spiritus sanctus,* vt ex multis Scripturæ locis demonstratum est suprà.

166. *Sexta obiectio.*

Obiiciunt sextò, quia Spiritus sanctus dicitur pignus, vnctio, hæreditas, signaculum, charitas 2. ad Corinth. 1. *Vnxit nos Deus, & signauit*, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. & ad Ephes. 1.

Signati

Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. & 1. Ioannis 4. *Deus charitas est.* hoc est, vt interpretatur Augustinus libr. 15. de Trinitate cap. 15. post medium, *Ipse Spiritus eius est Deus charitas.* Quæ omnia nomina conueniunt quidem donis Dei, non autem diuinæ personæ.

Augustinus.

Athanasius. *Respondetur personas diuinas sæpe in Scriptura vocari nomine donorum.*

Respondeo primò afferendo instantiam cum Athanasio libro de communi essentia multò post medium, quoniam de Patre etiam, quem personam esse aduersarij quoque fatentur, scriptum est Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei,* & Ps. 141. *Tu es spes mea: portio mea in terra viuentium.* Secundò soluendo argumentum, ipsas personas vocari nomine donorum. Quod manifestè probatur, quia à donis aliquando apertissimè distinguitur persona Spiritus sancti ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* & 1. ad Corinthios 12. vniuersaliter de omnibus Spiritus sancti gratiis dicitur, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* & ad Galatas 5. *Fructus Spiritus est, charitas, gaudium, pax,* &c.

Instantia hæretica.

Dices cum Francisco Dauid apud Valentiam hîc, puncto 1. §. 4. versiculo, *Sed habent,* nihil valere citata Pauli verba, quibus omnes Patres vtuntur ad probandam Spiritus sancti Deitatem, & personalitatem, *diuidens singulis prout vult.* nam similiter Ioannis 3. de vento dicitur, *Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat.*

Respondetur exponendo locū Ioan. 3.

Respondeo primò longè maiorem ac meliorem Patrum & Interpretum partem, vt videre est apud Maldonatum in illum locum, hæc etiam verba intelligere de Spiritu sancto, non de vento. Secundò esto cum Chrysostomo, Cyrillò, Theophylacto, Euthymio, & aliis intelligantur de vento, ex ipso contextu manifestum est, verba Pauli non posse intelligi metaphoricè & impropriè, sicut intelliguntur verba Ioannis de vento, cui eb varios, & repentinos, & oppositos motus, ac sonos, voluntas, & vox metaphoricè tribuitur. Nam ibi Paulus tribuit Spiritui sancto operationes, quæ necessario postulant personam operantem, vera ratione ac voluntate præditam; vt sermo sapientiæ, scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio Spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, diuidere singulis. Itaque hæretici vento leuiores à maligno Spiritu agitantur, dum vanissimo venti exemplo contendunt, diuinam Spiritus sancti personam confundere.

167. *Huius operis obiectum probari, non præsupponi.*

Habemus hactenus, quod potissimum ex diuina reuelatione demonstrare necesse fuit, dari huius operis obiectum, nempe, Deum trinum in personis, qui est vnus in essentia. Quamuis enim reliquæ scientiæ non probent, sed aliunde notum accipiant, ac præsupponant obiectum; sacra tamen Theologiæ sapientia, cum de rebus altissimis disputat, cuiusmodi in primis est hæc, de qua agimus, Trinitas personarum in vna natura, hoc peculiare sibi vendicat, vt omnes suos scientificos discursus fundet in principiis reuelatis & fide diuina creditis, quibus tanquam propriis, ad existentiam etiam sui obiecti demonstrandam extendi potuit ac debuit. Quamobrem dixit Magnus Dionysius cap. 2. de diuinis nominibus aliquanto post principium, *Qui omnino diuinis scriptis aduersatur, procul omni ex parte à nostra Philosophia aberit, & abhorrebit: ac nisi ei cura est Dei sapientia, quæ ex diuinis libris hauritur, quomodo nobis vrnæ erit illius in diuina scientia institutio?* Vnde teste Augustino lib. 1. de Trinitate cap. 4. initio, *Omnes catholici tractatores, qui scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius eiusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem.* Quam scribendi methodum hac etiam adultæ fidei ætate seruandam esse censeo. Enim verò quod tot tantisque incommodis maximè adoleuit, si ex quo principio ortum habuerit, atque vnde illi crescendi periculum fuerit, cognoscatur, & illustrius redditur, & firmius retinetur, & tutius sequentibus de eo discursibus fundamentum se se præbet. Hanc ob causam hodie quoque retinemus consuetudinem illam, vt singulis Psalmos, & sacros Hymnos non solum claudamus illo versiculo, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quæ per traditionem ab ipsis Apostolis haberi colligitur ex Basilio de Spiritu sancto cap. 7. & 27. & 29. ad declarandam eandem trium personarum naturam æquali glorificatione dignam, sed etiam vt ex decreto Concilij Vasensis cap. 7. aduersus Arianos de Filio blasphemantes, *erat quando non erat*, prædicto versiculo adiungamus, *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.* Iacto igitur solidissimo fidei fundamento ex sanctis Scripturis, ac Patribus, de Patre, Filio, & Spiritu sancto, tribus personis, & vno Deo, & hoc ipsum quæstionibus, Scholasticæ Theologiæ propriis, subtilius examinandum, eiusdem sanctissimæ Trinitatis ope iterum accedamus.

In disputatione de Trinitate Scripturis maximè agendum.

De versiculo, Gloria Patri, & Filio, &c. Basilius.

Concilium Vasense.

DVBITATIO III.

An diuina processio dici rectè possit actio, & passio.

SVMMA.

1. *Probatur dici verè ac propriè actionem, num. 168. ad 171.*
2. *Soluuntur argumenta in oppositum, numer. 171. ad 176.*
3. *An diuina persona producens rectè dicatur agens, num. 173.*
4. *Quam ob causam persona procedens accipiat esse ab alio absque vlla imperfectione, n. 174. & 175.*
5. *Probatur processionem minus rectè dici passionem, num. 176. & 177.*

168. *Prima conclusio affirmatiua de actione.*

PRima conclusio. Diuina processio absolutè & simpliciter dici potest actio. Hæc conclusio, quia est de significato cuiusdam nominis, non potest aliunde probari, quam ex communi vsu loquentium Theologorum, qui ferè omnes processionem diuinarum personarum vocant simpliciter & absolutè actionem. Quamuis Molina hic, disputatione 1. fine contendat, Processionem in diuinis non esse actionem, sed emanationem. Nihilominus S. Thomas hîc ait, *Omnis processio est secundum aliquam actionem:* sed processionem in diuinis omnes propriè vsurpamus, authore ipsomet Christo dicente de se ipso Ioannis 8. *Ego ex Deo processi*, & de Spiritu sancto Ioannis 15. *Qui à Patre procedit;* ergo & actionem. & paulò post, *secundum actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intra.* Et clarius art. 3. initio corporis, *In diuinis non est processio, nisi secundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente.* Et paucis interiectis, *Processio Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem.* Rursus art. 5. initio corporis. *Processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent.* & ad 2. *Processiones diuinas secundum aliquas actiones necesse est accipere.* Clarissimè quæst. 28. art. 4. loquens de duabus diuinis processionibus, circa medium corporis ait, *Vna*

Molina.

S. Thomas.

accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi: alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio Amoris. & quæst. 41. art. 1. ad 2. aperte concedit, *in diuinis actio personalis producentis personam.*

169. Henricus. Eadem voce vruntur reliqui omnes Doctores, & veteres & recentiores. Inter quos Henricus in summa art. 54. quæst. 3. ad 10. docet, Generare & spirare esse actum, *qui*, inquit, *propriè est actio.* & Ægidius 1. d. 10. p. 1. quæst. 1. ante medium corporis, Origo, inquit, *actionem quandam importat*: ideo ex actione diuina *oportet nos accipere pluralitatem personarum.* Optimam huius vsus rationem tradit S. Thomas infra, quæst. 41. art. 1. ad 2. quia etsi *actio secundum primam nominis impositionem, importat originem motus*, hoc est, motum per respectum ad principium, à quo incipit & originatur; docente Philosopho de actione & passione 3. Phys. 19. *Vtraque sunt motus*, & tit. 22. *Neque actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc motus*; tamen sicut deinde factum est, vt creatio, siue origo qua creaturæ procedunt à Deo, essentialiter ab ipso distinctæ, sed sine subiecto, & consequenter sine motu, qui 3. Phys. tit. 6. definitur, *Actus eius quod potentia existit, quatenus huiusmodi*, & tit. 16. *Actus mobilis, quatenus mobile existit*, diceretur actio, actionis nomine vniuersalius & abstractius vsurpato; ita etiam congruenter fieri potuit, vt verissima ac purissima origo, qua scilicet ab vna persona procedit realiter alia, sed sine motu & subiecto, & sine essentiæ diuersitate, appellaretur actio cum maiori vniuersalitate & abstractione, nimirum prout actionis nomen importat meram originem, secundum quam vnus producit alium, etiam si non producat ex subiecto, vt actio physicè generatiua, neque ex nihilo termini producti, vt actio creatiua, sed ex ipsamet substantia personæ producentis per communicationem eiusdem numero naturæ. & quidem actio, si præcisè attendere velimus rem tali nomine expressè significatam, nihil aliud exprimere videtur, nisi vim quamdam, seu formalitatem, seu rationem producendi vltimatam atque completam. Certum est autem, totum istum conceptum reperiri in diuinis processionibus, per quas fide constat, vnam personam in actu secundo completo ac perfecto oriri ab alia: ergo in illis ipsa origo, siue actio reperiatur necesse est. Quicquid verò præterea ad rationem actionis requiritur, vt quòd sit Accidens de Prædicamento actionis, quòd sit cum motu, quòd sit eductio, siue ex aliquo præsuppositio subiecto, quòd sit ex negatione termini ad quem, quòd sit finita, temporalis, creata, media inter producens & productum, quòd emanet ab aliquo principio, quòd sit causalitas causæ tendentis ad effectum, quòd sit via ad terminum præexistentem, vel habentem diuersam naturam à principio actiuo, aliaque similia, quæ in creatis tantùm actionibus inueniuntur, non videntur expressè importari nomine actionis: sicut nec eædem imperfectiones importantur nominibus substantiæ, Virtutis, Relationis, aliisque quamplurimis, quæ omnes propriè tribuimus Deo cum perfectione, & creaturis cum imperfectione. Et ideo Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 6. circa finem cum concessisset, *Actionem esse generationem Patris*, subdit limitando, & separando diuinam processionem à reliquis actionibus, *sed sicut actiua est, sic naturalis, & substantialis, & inseparabilis ab hypostasi: cum generare, inseparabile sit ab hypostasi Patris.*

Proprium actionis, passionis, & motus significantium ex S. Thoma, & Aristotele.

Quid significet actio prout vsurpatur de diuinis processionibus.

Cyrillus.

170. *Diuina processio dicitur propriè generatio, productio.* Confirmari & explicari potest exemplo aliarum vocum. Primò generationis: quam vocem ex Scriptura & Sanctis omnes propriissimè vsurpamus de Verbi processione. Generatio autem procul dubio est quædam actio. Secundò productionis, quæ est etiam quædam actio producentis aliud distinctum. Tertiò ipsiusmet processionis, quam vocem à Christo acceptam, vt dixi, iam vt propriam in hac materia omnes frequentissimè vsurpamus. Quod quidem nomen, vt docet S. Thomas de potentia quæst. 10. art. 1. initio corporis, & explicat Durandus 1. d. 13. quæst. 1. art. 1. videtur primariò fuisse impositum ad significandum motum localem progressiuum animalium, quo mouent seipsa, ordinatè ab vno loco per medium in extremum. *& sic dicitur processio*, inquit Durandus, *quasi propter virtutem incessio.* Inde translatum est ad significandum omnem localem motum, & mutationem: *sicut dicimus*, inquit S. Thomas, *quòd corpus procedit ab albedine in nigredinem, & de parua quantitate ad magnam, & de non esse in esse, & è conuerso.* Postremò vniuersalius extendendum est ad significandam quamliber emanationem, secundum quam aliquid est ab alio; vel tamquam à causa, vel tamquam à principio: *sicut dicimus*, inquit S. Thomas, *quòd radius procedit à Sole, & omnis operatio ab operante, & etiam operatum.* & in hac vniuersalissima & præcisissima acceptione processionem Deo tribuimus. Enim verò in rerum diuinarum denominationibus valde notanda est regula à S. Thoma tradita ibidem ad 9. nimirum, *Diuina, quia comprehendi non possunt à nobis, conuenientius à nobis significari per nomina communia, quæ indefinitè aliquid significant, quam per nomina specialia, quæ diffinitè rerum species exprimunt. Vnde hoc nomen, Qui est, conuenientissimum Dei nomen dicitur esse, vt patet Exodi 3.* & probatum est supra quæst. 13. art. 11. & ratio est, quia nomina communia exprimunt conceptus quosdam analogos, communes Deo & creaturis, & non creaturis proprios, qui semper aliquam imperfectionem includunt. Igitur nomina processionis, actionis, productionis, emanationis, & id genus alia, quia vniuersalia sunt, & nullam exprimunt imperfectionem, sed accipiuntur prout important, vt loquitur Durandus supra, & sæpe etiam Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. *solos respectus, à quo aliud, & quod ab alio*, qui in diuinis reperiuntur, de diuinis vsurpari rectè possunt. Huiusmodi sunt illa, de quibus ait Bessarion in quadam Declaratione orationis dogmaticæ, quæ habetur post Concilium Florentinum, ante Decretum Eugenij, *Doctores sæpissime dicunt, Spiritum sanctum mitti, profluere, prodire, emanare, scaturire, oriri, & huiusmodi.* Quæ omnia, quia generalia sunt, dici etiam possunt de processione Filij.

Explicatur nomen Processionis.

Thomas.

Durandus.

Generalis regula sancti Thomæ nominibus diuinis.

Ioan. Theologus.

Bessarion.

171. *Obiectio prima.* Obiicies ex Molina primò, quia S. Thomas hic in fine corporis concludit, Processionem in diuinis non esse accipiendam *per actionem alicuius causæ in exteriorem effectum, sed secundum emanationem intelligibilem*: & non dixit, secundum actionem intelligibilem. ergo opponit emanationem actioni, & significat, processionem non esse actionem, sed emanationem.

Respondetur declarando verba S. Thomæ hic in fi. corp.

Respondeo, emanationem non opponi actioni simpliciter, & vniuersaliter, sed actioni alicuius causæ, transeunti in exteriorem effectum: vnde paulò ante, hanc emanationem intelligibilem vocauerat actionem; nam volens explicare quòd *secundum actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intra*, ita subdit, *Hoc maximè patet in intellectu, cuius actio, scilicet intelligere, manet in intelligente.* Et infrà, art. 3. *Processio Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem.* Negandum tamen non est, diuinam processionem ad intra, quæ est per communicationem eiusdem numero naturæ, & per nihil medium inter personam producentem & personam productam, multò purius

Diuina processio aptius dicitur emanatio, quàm actio.

purius ac simplicius significari nomine emanationis, quàm actionis. Vnde multi, qui existimant, proprias passiones ab essentia, relationes à fundamento, saltem ipsasmet actiones non fieri media aliqua actione, sed se ipsis immediatè resultare, seu pullulare à suis principiis, nolunt dicere, eas produci, siue agi, sed emanare: quæ magis communis & abstracta vox est, ac proinde iuxta regulam supradictam, multò aptior ad diuinas processiones exprimendas. & ideo Sapientiæ 7. de increatæ Sapientiæ processione dicitur, *emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.* & Ioannis 16. & 17. *exiui.* Ecclesiastici 24. *Prodiui.* Michææ 5. *egressus.*

172. *Obiectio secunda.* Obiicies secundò quia necessarium est ad rationem actionis, vt per eam producatur verus effectus, distinctus essentialiter à producēte. At vero in diuinis, licet detur productio ad intra rei distinctæ à producente, quod satis est ad rationem emanationis & productionis, illa tamen res non distinguitur essentialiter à producente. ergo non dabitur illi actio, sed solum productio, & emanatio, quæ latius patet quam actio: omnis quippe actio, productio est, & emanatio; sed non è contrario.

Respondetur declarando ex S. Thoma, & Aristotele, quid propriè sint actio & passio. Respondeo ex S. Thoma infrà, quæst. 41. art. 1. ad 2. hæc omnia recte dici de actione præsè sumpta, *secundum primam nominis impositionem, secundum quam importat originem motus. Sicut enim motus, prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio; ita origo ipsius motus, secundum quòd incipit ab alio, & terminatur in id quod mouetur, vocatur actio.* Quod significauit Philosophus 3. Phys. 22. Actionem definiens, Actum & motum *huius in hoc*, nimirum agentis in passo; & Passionem, Actum & motum *huius ab hoc*, nempe passi ab agente. Actio enim vt actio formaliter, primariò ac directe respicit agens, à quo originatur & emanat in passum; Passio vero vt passio formaliter, primario ac directè respicit passum, in quo recipitur ab agente. At verò quoniam actio motum verè non exprimit, vt ex se pater, vsus deinde obtinuit, vt in latiori significatione sumeretur: & ita, inquit S. Thomas, *remoto motu, actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, secundum quod à causa aliqua, vel principio, procedit in id quod est à principio. Vnde, cum in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est quam habitudo principij ad personam, quæ est à principio.*

173. *Obiectio tertia.* Obiicies tertiò. Vbi non est agens, ibi actio esse nequit: sicut enim Sapientia v. g. est intrinsecè in Deo, denominare sapientem; ita, si intra Deum esset aliqua actio, deberet intrinsecè denominare Deum agentem. Ergo si ita non denominat, signum est, non esse ibi actionem.

Respondetur explicando, an persona diuina dici possit agens. Respondeo, hanc denominationem Dei agentis in ordine ad diuinas personas productas, esse minus in vsu apud Theologos, quia nomine Agentis, communiter significamus & intelligimus causam effectiuam respectu alicuius effectus, quæ ratio causæ in diuinis processionibus non reperitur, vt inferius adnotabo, sed solum reperitur ratio principij respectu termini producti. Quamquam S. Thomas locis & verbis citatis supra num. 168. admittere videtur prædictam denominationem agentis, dum non semel docet, *Processionem diuinam ab intra esse secundum actionem, quæ manet in ipso agente.* Saltem Cyrillus suprà n. 169. fine vocat *generationem actiuam.* Quem loquendi modum posteriores omnes Theologi retinuerunt vsque ad hanc diem, vocantes etiam pariter Patrem æternum, Principium actiuum. Igitur ex eo quòd diuina processio sit actio, non est necessarium, illa denominari Patrem, causam agentem, vel simpliciter agentem; sed satis est denominari, Principium agens, vel potius actiuum.

174. *Obiectio quarta.* Obiicies quartò. Vbi est actio, & vera productio vnius ab alio, ibi necessario esse debet saltem esse receptum, siue acceptum ab alio; ergo esse potentiale, quia quod actu producitur, non potest non intelligi prodire à potentia producentis; ergo etiam esse dependens, & participatum, quia nomine entis dependentis, & participati, nil aliud significatur, quam esse quod non habetur ex se, sed est ab alio habitum & communicatum. Hæc autem omnia pugnare videntur cum diuinis personis, quæ sunt essentialiter Deus, cuius esse purissimum, à nullo plane est, sed à se, & ex propria sua essentia, ac proinde non est potentiale, sed omnino actuale atque independens, & imparticipatum. Ergo concipi non potest in diuinis ratio actionis & productionis.

Respondetur ostendendo ex S. Thom. modum, quo personæ diuinæ accipiunt esse ab alio sine imperfectione. Respondeo cum S. Thoma de potentia quæst. 10. art. 1. ad 6. *quòd habere originem ab aliquo, quod sit in essentia diuersum, derogat dignitati diuinæ, hoc enim est proprium creaturæ: sed habere originem ab aliquo coëssentiali, magis ad perfectionem diuinam pertinet.* nimirum, non ex parte acceptionis formaliter, quia vt idem postea explicat ad 7. *accipere, in quantum huiusmodi, perfectionem non dicit*, alioqui Pater, qui à reliquis duabus personis nihil accipit, esset minus perfectus quam aliæ, quæ ab ipso accipiunt: sed ex parte rei acceptæ, quæ in casu nostro est plenitudo diuinitatis. Cui responsioni consonat quod dicitur hic ad 3. *Quòd procedere à principio, vt extraneum & diuersum, repugnat rationi primi principij; sed procedere vt intimum, & absque diuersitate, per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij*, in cuius scilicet natura includuntur intellectus & voluntas, quibus positis, inquit responsione citata ad 6. necesse est poni Verbi & Amoris processionem. Vbi acute aduertendum est, S. Thomam, ad hoc vt diuinæ personæ productæ habeant quidem esse ab alio, & tamen absque vlla imperfectione, in duobus facere vim. Primo quòd productum habeat eandem prorsus naturam cum producente. Secundo quòd productum, sit *intimum* producenti, hoc est, vt ego quidem explico, vt id in quo productum distinguitur à producente, esto non sit de quidditatiuo seu constitutiuo conceptu ipsius essentiæ, tamen sit essentialiter identificatum ex natura rei cum essentia: ita vt tam essentia respectu personalitatis, quàm personalitas respectu essentiæ petat essentialiter actualem identificationem; vt probaui in 1. tomo quæst. 4. art. 1. num. 32. Dico igitur nullam esse imperfectionem in vna persona diuina, quòd habeat esse productum & receptum ab alia; quoniam in hac productione accipitur natura diuina, omnino eadem quæ est in producēte: & præterea additur personalis quædam subsistentia, prorsus intima illi naturæ, scilicet per omnimodam actualem, & essentialem connexionem atque identificationem cum illa ex natura rei.

175. *Cur esse personæ diuinæ productæ, non sit potentiale.* Declarato hoc antecedente, nego primam consequentiam, quòd hoc esse receptum, siue acceptum per actionem & productionem, sit esse potentiale: hoc enim nomine non solum intelligimus ens quod actu producitur, & consequenter, potest produci simpliciter à suo producente, sed etiam quod ita producitur & potest produci, vt possit simpliciter non produci & non esse, tunc enim propriè intelligitur ens non purum actuale, sed compositum ex actualitate & potentialitate. Persona vero diuina producta, etiam considerata præcisè ratione suæ personalitatis, per quam realiter distinguitur à persona producente, ita producitur vt non possit non produci, sed producatur & habeat esse actu per summam necessitatem ex duplici capite. Primo quia ipsamet natura essentialiter exigit illam personalitatem,

ſonalitatem,vt oſtendam infra quæſt. 28. art.2. n.7. & 108.Secundò quia perſonalitas etiam,ex eo quòd diuina eſt,& infinitæ perfectionis,eſſentialiter exigit eſſe actuale,& actualiter produci & identificari cum perfectiſſima Deitatis natura.Quo fit , vt nullum eſſe diuinum productum , ſi concipiatur rectè ſecundum quod poſtulat fundamentum rei , quæ concipitur , concipi poſſit ſub non eſſe , ſed concipiendum eſt ſub actualitate eſſendi , quamuis hoc eſſe actuale ſit per veram actionem & productionem acceptum ab alio : vt docet Scotus 1. d. 2. q.7. §.*Tenendo*.ad 3.

Nullam rationem diuinam poſſe cõcipi ſub non eſſe.

Scotus.

Neque enim , ſicut in rebus creatis, ita etiam in diuinis , res ideo accipit eſſe actuale ab alio,quia per eſſentiam ſuam non petit eſſe actu , & poteſt ſimpliciter non eſſe , vnde vt actu ſit indiget opera alterius agentis : ſed contra potius , quia per eſſentiam ſuam petit eſſe actu,& non poteſt ſimpliciter non actualiter eſſe, vnde actu producitur non ex indigentia rei productæ,ſed ex perfectiſſima neceſſitate eſſentiali tam rei productæ, quàm producentis.Quare perſona producta in diuinis, dicenda & concipienda eſt poſſe produci, non per ordinem ad negationem eſſendi,ſub qua eſſe poſſit,ſed ſolum per ordinem ad actiuam ſeu productiuam potentiam ſui principij, quod realiter producit cum reali potentia producendi.

In quo ſenſu perſona diuina dicatur poſſe produci.

Ex quo patet,negandas etiam eſſe reliquas omnes conſequentias : hoc enim eſſe ab alio non eſt per dependentiam,quoniam non accipitur ex libertate dantis,& indigentia ſine ſubiectione atque imperfectione accipientis, ſed ſolum ex ſumma neceſſitate,ſiue eſſentiali exigentia tam accipientis quàm dantis: & accipiens,vt ratiocinatur S.Thomas de Potentia quæſt.1.art.1.ad 13.*receptioni non præexiſtit, ſed ſemper eſt in recepiſſe ; & non ſic accipitur quaſi prius non habens , & poſtea accipiens, ſed quia hoc ipſum quod eſt, habet ab alio ; vnde non ſequitur , quod ſit indigens.*

Eſſe perſonæ diuinæ productæ non eſt dependens, indigens,participatum.

S.Thomas.

Neque eſt eſſe ab alio per participationem , quia accipitur totum eſſe diuinum,& totaliter, quantum ſcilicet accipi ſimpliciter poteſt.Non igitur valet iſta conſequentia , Hoc eſſe eſt ſimpliciter acceptum ab alio , ergo eſt eſſe potentiale,dependens,participatum. Si enim ſit acceptum non imperfecto modo,ſed perfecto , vt explicatum eſt,erit eſſe puriſſimum actuale, independens,atque imparticipatum. Similiter non valet, vt ſubtiliter adnotauit Scotus 1.d.2.quæſt.7.§. *Tenendo*.Perſona diuina eſt ens neceſſarium,quod ſignificat,eſſe ens ex ſe : ergo non eſt ens ab alio.quia illud,*ex ſe*, intelligendum eſt,inquit Scotus , *formaliter,non productiuè.* Non ſunt autem oppoſita , & incompoſſibilia,eſſe ex ſe formaliter , & eſſe ab alio productiuè,ſiue originaliter,hoc eſt , exigere ex neceſſitate eſſentiæ ac formæ ſuæ eſſe ab alio productiuè.

Eſſe neceſſarium & à ſe, quomodo ſtet cum eſſe ab alio,ex Scoto.

In quo perſonæ Filij & Spiritus ſancti diſtinguuntur à perſona Patris, quæ eſt ens neceſſarium, & ex ſe,tam formaliter,quam productiuè:& diſtinguerentur à creaturis, etiam ſi illæ neceſſariò producerentur à Deo ; tum quia hoc non haberent creaturę ex neceſſitate propria entitatis,ſicut de facto habent diuinæ perſonæ productæ , ſed ſolum ex neceſſitate naturæ producentis . tum quia eſto id haberent etiam creaturæ ex neceſſitate propriæ formæ,tamen adhuc non eſſent neceſſariæ,inquit Scotus,*tanta neceſſitate , quanta eſt nunc Filius neceſſarius* ; qui habet eandem omnino naturam cum producente;& conſequenter eandem ſummam neceſſitatem eſſendi formaliter;creatura autem cum habeat naturam longè imperfectiorem natura Dei producentis , haberet etiam longè minorem neceſſitatem eſſendi formaliter. *Stat ergo de Filio* , vt benè concludit Scotus , *quòd ſit à ſe formaliter neceſſarius , & nomen ab alio producente , cum quo habet eandem entitatem neceſſariam.* Et eadem eſt ratio de Spiritu ſancto qui non eſt minus perſona producta & diuina,quàm Filius.

176\. *Secunda concluſio negatiua de paſſione.*

Secunda concluſio. Diuina proceſſio rectè dici non poteſt paſſio. Ita S.Thomas infra quæſt. 41. art.1.ad 3.& reliqui omnes. Et ſumitur ex Cyrillo lib.1.Theſauri cap.6.circa finem,vbi cum conceſſiſſet , *actiuam eſſe generationem Patris* , ſubdit , *Quamquam abſque paſſione Deus generat.*Ratio eſt,quia paſſio ex propria vocis ſignificatione , nimis explicitè importat ordinem ad paſſum,ſeu paſſiuum,quod eſt ſubiectum.Ratio autem ſubiecti , ſeu materiæ contradicit puriſſimæ atque actualiſsimæ Dei naturæ, vt ſupra quæſt.3.art.2.6.& 7.

Cyrillus.

Thomas.

Nam,vt docet S.Thomas de Potentia quæſt.10. art.1. ad 3. *In proceſſione, quæ importat originis ordinem , procedens ſe habet ad proceſſionem vt terminus,non vt ſubiectum*; vt infra,n.197. vberius dicam. In quo nomen paſsionis differt à nomine actionis,quia actio ſolum importat expreſſum & directum ordinem ad agens , ſiue actiuum, non ad patiens,ſiue paſſiuum,ſicut importat paſſio. Ratio autem agendi , ſiue actiui , nullam inuoluit imperfectionem : vnde creatio , in qua non reperitur imperfectio ſubiecti,non dicitur paſſio , quamuis dicatur actio. ex quo ſequitur, quod notauit S. Thomas infra quæſt.41.art.1.ad 3. quòd non omnis actio infert ex ſe paſſionem,ſed ſolum illa quæ importat originem motus.

Ex quauis actione non inferri paſſionem.

Cur autem actio ſumi potuerit vt præſcindens à motu & ſubiecto , non autem paſſio,reddenda eſt ratio ex dictis, quibus conſtat , Paſſionem importare explicitum & directum ordinem ad ſubiectum,Actionem verò non niſi implicitum & indirectum ; nam paſſio eſt actus patientis ab agente,actio eſt actus agentis in patiente. Facilius autem præſcindi poſſunt nomina ab ordine quem implicitè & indirectè important, quàm ab ordine quem important explicitè & directè.

177\. *Quomodo diuina proceſſio dici poſſit paſſio.*

Verùm non omnino damnarem qui diceret, proceſſionem diuinam eſſe paſſionem, non abſolute & ſimpliciter,abſque vllo addito , ſed paſsionem terminatiuè.Sicut enim ex communi vſu iam in Scholis vocamus , generationem paſſiuam , & ſpirationem paſſiuam,nimirum non ſubiectiuè , ſed terminatiuè,quia perſona producta eſt quidam terminus qui verè ac realiter producitur,generatur, ſpiratur, quæ ſunt paſſiuæ verborum ſignificationes : ita eadem limitatione vocare licebit , Paſſionem terminatiuè. Vnde S.Thomas ſupra ait , *Procedens ſe habet ad proceſſionem vt terminus* : ſimiliter Scotus ſupra, ad 2.*Filius eſt terminus potentiæ productiuæ, quæ abſtrahit à ratione potentiæ effectiuæ* : non eſt autem terminus,niſi qui paſſiuè producitur , ſiue ad quem paſſiuè terminatur productio,& potentia principij productiui.

S.Thomas.
Scotus.

Igitur iſta paſſiua proceſſio vocari poteſt paſſio ſecundum quid,nempe terminatiuè : ad eum modum,quo in Phyſicis formam, quæ verè non eſt mobilis,hoc eſt,ſubiectum motus,ſed terminus,vocare ſolemus , mobilem terminatiuè ; & materiam, generabilem ſubiectiuè , quæ tamen non eſt verè generabilis,hoc eſt,terminus generationis,ſed ſubiectum.

DVBITATIO IV.

An diuina proceſſio dici rectè poſſit factio, vel creatio.

SVMMA.

1. *Diuina proceſſio nullo modo dici debet factio* , *n.*178. & 179.

2. *Nec dici poteſt creatio propriè , & ſimpliciter, num.*180.
3. *Sed impropriè,& ſecundùm quid,n.*181.

178\. *Prima concluſio negatiua de factione.*

Athanaſius.

PRima concluſio.Nullo modo dici debet factio. Eſt de fide,qua Eccleſia in omnibus ſuis Symbolis credit,& fatetur , Filium Dei eſſe natum, & genitum , *non factum.* Quod vltimum Athanaſius in ſuo Symbolo diſtinctè docet etiam de Spiritu ſancto,Qui , inquit , *à Patre & Filio eſt , non factus, nec creatus , nec genitus , ſed procedens.* Quam veritatem Patres Niceni Concilij,vt refertur lib.4.in Formula Fidei, & alij , quorum loca & verba attuli ſupra num.84. collegerunt ex illo Ioan.1. *Omnia per ipſum facta ſunt.*Quæcumque igitur facta ſunt,per Filium Dei facta ſunt. Sed Filius Dei facere non potuit ſe ipſum. Ergo Filius Dei non eſt factus : *ſi enim ipſe factus eſt* , inquit Auguſtinus lib. 1. contra Maximinum,ante medium,*non per illum ſunt omnia facta, ſed cætera.*

Colligitur ex verbis Io.1.

Auguſtinus.

Ergo eius proceſſio dici non poteſt factio, idemque eadem ratione ſentiendum de Spiritu S. quia etiã per ipſum facta ſunt omnia,vt ex Scripturis & Sanctis probatum eſt ſupra n. 118.Huc ſpectãt omnia quibus ſupra à num.80.ad 103.oſtenſum eſt, Filium Dei non eſſe creaturam , etenim tam apud Catholicos,quam apud hæreticos indubitatum eſt, nullam rem eſſe factam , quæ non ſit creatura : & nullam eſſe creaturam,quæ non ſit facta. In eodem ſenſu Cyrillus lib.1.Theſauri cap.6.circa finem proceſſionem negat eſſe operationem , impugnatque Eunomium , quòd in Filij generatione , *operantem Deum induceret* : atque , *Verum quoniam non opus Filium credimus, nec ad extra productum fatemur , ſed genitum ex ſubſtantia eius prædicamus,cur infeſti eſtis, operatorem in generando Patrem fuiſſe,impiè contendentes ? præſertim cum generatio,etiam in nobis hoc non patiatur : operamur enim quæ extra ſunt ; generamus autem ex nobis.*

Diuina proceſſio non eſt operatio ex Cyrillo.

S.Thomas.

Vnde S.Thomas de potentia quæſt. 10. art.1.ad 11. non vult concedere , vnam perſonam eſſe alterius *principium operatiuum , vel factiuum.* Quamquam 1. d.4. quæſt. 1. art.1. ad 1. ſcribit , *In Deo non eſt mutatio ,ſed operatio diuinæ naturæ.*

179\. *Concluſionis ratio inſufficiens.*

Huius concluſionis rationem aliqui afferunt primò ex infinitate , & æternitate perſonæ productæ. Sed non ſufficienter, ſi loquamur ſimpliciter de quacumque infinitate , & æternitate : quia ſecundum multos,&,vt ego quidem exiſtimo, probabiliter ſentientes,vt ex 1.tomo conſtat quæſt. 2. & 7. non implicat creatura aliqua æterna , & infinita, quæ propriiſſimè fieret , & haberet veram dependentiam effectus à prima cauſa efficiente.

Refertur & reijcitur alia concluſionis ratio.

Secundò ex conſubſtantialitate perſonæ productæ cum perſona producente : eſt enim in omnibus diuinis perſonis vna numero diuina natura,quæ vt ſic,hoc eſt, vt ſupponitur pro Deitate abſtracta à perſonis , eſt omnino improducta , nullum habens principium. Quoniam verò,inquiunt Arrubal diſp.98. cap.4. & alij perſonæ, quæ ab aliis perſonis verè producuntur,& principium habent,ſunt omnino identificatæ cum illa natura,dici non debent factæ , quia nomina effectus , dependentis , cauſati,facti, facturæ, operis,& ſimilia,tribuuntur propriè rebus , quæ ita ſunt ab aliquo principio, vt ab eodem ſit quicquid eſt identificatũ cum illo quod verè eſt ab illo principio.

Arrubal.

Durandus.

Qua eadem ratione philoſophari videtur Durandus 1.d.5. quæſt.2.fine dicens, *Nullo modo eſt dicendum, quod Filius ſit de nihilo : quia eſſe de nihilo, eſt non habere in ſe aliquid,quod non ſit ab alio productum. In Filio autem eſt eſſentia diuina , quæ non ab alio producta.* Verum non videntur ſatisfacere: quia ſicut denominatur produci perſona , non autem natura identificata cum perſona ; ita,ſi nil aliud obſtaret, denominari poſſet perſona facta , etiam ſi natura, identificata cum illa , neque eſſet facta , neque producta.Non enim eſt neceſſarium , vt quicquid dicitur de perſona diuina, dicitur etiam de natura,v.g. perſona refertur, eſt triplex, aſſumit humanitatem, & alia habet quæ de natura affirmare non licet.Igitur.Tertiò nullam aliam rationem afferri poſſe puto,niſi communiſſimum loquentium Philoſophorum ac Theologorum vſum , qui prædictas voces tribuunt ſolum creaturis,ſeu rebus , quæ ex aliquo ſubiecto,ſeu ex nihilo ſui producuntur, quo modo neque natura,neque etiam diuinæ perſonæ producuntur,vt ex ſuperioribus conſtat, & conſtabit etiam ex dicendis.

Probabilior concluſionis ratio.

Vnde , vt teſtatur eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 6. §.*Refellitur.Verbum numquam in tota Scriptura dicitur factum* , nimirum ſimpliciter, & abſolute , alioquin Ioannis 1. dicitur , *Caro factum.* & Athanaſius ſermone 3. contra Arianos multo poſt medium,Scriptura, inquit,*vbique hoc verbum,Fecit, in rebus creatis vſurpat.*

Bellarminus.

Athanaſius.

180\. *Secunda concluſio negatiua de Creatione.*

Secunda concluſio. Diuina proceſſio dici rectè non poteſt creatio propriè & ſimpliciter,ſed ſolum impropriè & ſecundum quid. Prima pars eſt de fide,ſicut de fide eſt , Perſonas procedentes non eſſe creaturas , quales ſine dubio eſſent, ſi procederent per creationem,proprie & ſimpliciter dictam.Hanc ob cauſam omnes Patres citati ſupra à num. 9. ad 14. illud Prouerb. 8. *Dominus creauit me.* quod fuit præcipuum Arianorum fundamentum ad probandum,Filium Dei eſſe creaturam, vt dictum eſt ſupra num.90. nolunt intelligere de perſonali Dei Sapientia ſecundum ſe,ſed prout incarnata. & perſonas procedentes,non eſſe creatas , docent demonſtrari ex illis Scripturæ locis,quibus dicuntur, omnia creata per Filium & Spiritum ſanctum,vt ſupra à num.84.ad 98.& num. 118. Vnde Cyrillus lib. 5. Theſauri cap.5.paulò poſt principium ait de Filio Dei,*Quomodo creandi virtutem habet ſi creatus eſt ? aut quomodo Creator omnium eſt ipſe creatus ?* & propter hoc notat Chryſoſtomus homilia 3. in epiſt. ad Coloſſenſes,non longè à principio,quod Paulus ad Coloſſenſes 1. *non dixit,primocreatus, ſed primogenitus omnis creaturæ.*& Ambroſius in hunc locum ait,*Ante omnem creaturam genitum Filium,non creatum teſtatur , vt ſecerneret natiuitatem eius à creaturæ factura : & vt hoc penitus clareſcat,ſubiecit, Quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis,& in terra ; omnia per ipſum,& in ipſo creata ſunt.* quia , vt idem optimè arguit lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 19. poſt principium , *Creator omnium non poteſt eſſe , niſi qui creatura non eſt.*

Cyrillus.

Chryſoſt. ad Coloſſ. 1.

Ambroſius.

Athanaſius.

Definita expreſſe eſt hæc veritas in Symbolo Athanaſij; vbi non ſolum Pater , ſed etiam Filius , & Spiritus ſanctus ſingillatim dicitur , *Non creatus.* Item , ſi non nomine , ſaltem reipſa in Concilio Nicæno: nam in confeſſione Fidei *anathematizant eos, qui dicunt, quia ex nullis ſubſtantibus factus eſt* , nimirum, Filius Dei. & in epiſtola Synodica,ſcripta Eccleſiis; *anathemate condẽnatur impia opinio Arij,ſectatorumque eius, ex non extantibus Verbum Dei eſſe dicens.*& paulo poſt, in Fidei Formula in Cõcilio edita,initio anathema denunciatur iis , *qui dicunt , quòd ex nihilo ortus eſt.* & circa finem iterum grauiſſimè decernitur, *omnino vitandam hanc vocem tanquam à Scripturis abhorrentem , quam nulla Scriptura diuinitus inſpirata vſurpauit , Filium Dei ex nihilo ortum eſſe.* Fieri autem,ſiue oriri,ſiue eſſe ex non extantibus,aut ex nihilo , eſt propriè creari.Præterea Toletanum 11. in Profeſſione Fidei fatetur quidem Filium Dei de Deo Patre genitum , & natum , *nec tamen factum , nec de nihilo. & Spiritum ſanctum non creatum.*

Concilium Nicænum.

Concilium Toletanum.

S V M M A.

1. *Probatur conclusio negatiua, num. 182. ad 185.*
2. *Quam ob causam in nullo priori persona procedens concipi possit sub non esse, n. 183. & 184.*
3. *Contraria argumenta dissoluuntur, n. 185. ad 191.*

181. *In quo sensu possessio diuina dici possit creatio ex Hilario, & Thoma.*

Secunda conclusionis pars præcipuum authorem habet Hilarium, quem sequutus est Thomas infra, quæst. 41. art. 3. ad 4. in tertia responsione, & 4. contra gentes cap. 8. fine, quorum, & aliorum verba attuli supra num. 14. & quidem ipsamet Scriptura de Filio Dei secundum se, creandi vocabulum satis clarè vsurpare videtur Ecclesiastici 24. vbi eadem personalis Sapientia, quæ prius dicitur, *Primogenita ante omnem creaturam*, deinde de se ipsa ait, *Qui creauit me.* &, *Ab initio, & ante secula creata sum.* In tali autem denominatione dico, Creationis vocem vsurpari *impropriè & secundum quid*; quia creationis vox propriè & simpliciter importat simul duo, alterum perfectionis ex parte creantis, quod scilicet producat absque vlla omnino sui mutatione: alterum imperfectionis ex parte creati, quòd scilicet procedat ex nihilo, & consequenter diuersum à natura creantis. Diuina verò processio dici potest creatio, solum ratione primi, non ratione secundi. ergo impropriè, & secundum quid, hoc est, secundum dimidiatam, & non integrâ vocis significationem; cur autè persona diuina procedens consideri non possit sub nihilo, nec consequenter sub processione, quæ sit perfectè creatio, acutè probauit S. Thomas de Potentia. q. 10. art. 1. ad 15. negans istam propositionẽ, si vniuersalissime accipiatur, etiã de diuinis personis productis, *Omne quod non habet aliquid, nisi secundum quod recipit illud ab alio, in se consideratum caret illo, & nihil est.* Quoniam, inquit, persona producta considerari non potest nisi vel absolutè secundum naturam, vel relatiuè secundum personalitatem. Primo modo non potest in se considerari, vt nihil, sed vt vnum cum persona producente. Nec etiam secundo modo, quia sic consideratur vt recipiens esse à persona producente. *esset autem persona producta, in se considerata, nihil. si esset in ea aliquid absolutum, distinctum à producente, sicut est in creaturis.* Sed quoniam in creaturis relationes prædicamentales nihil habent absoluti, cum totum earum esse sit ad aliud se habere, & tamen illæ etiam, in se consideratæ, nihil sunt, & ex nihilo earum fiunt, & oriuntur ex fundamento, vt tenet multò communior & probabilior opinio, quam in logicis sequutus sum, addendum est vt supra num. 174. & 175. diuinas personalitates, quas esse pure relatiuas infra probabimus, ex eo quòd essentialiter diuinæ sint, hoc habere proprij, vt illud idem esse actuale relatiuum, quod ab alio recipitur, seu potius procedit, sit illis essentiale: alioquin personalitas diuina considerata secundum suam essentiam relatiuam, esset in genere suo relatiuo ens quoddam potentiale & imperfectum, & componeretur ex essentia potentiali, & actuali existentia. Quamuis enim esse actuale, si est absolutum, & de intrinseco conceptu essentiali, non possit ab alio produci, vt est in natura diuina, quia ab alio esse & produci in diuinis cogitari non potest sine relatione: tamen si est respectiuum, hoc est, ad alium terminum distinctum se habens, nullum est inconueniens, illud & ab alio procedere, & intrinsece includi in conceptu essentiali procedentis. Implicat igitur ipsas etiam personalitates præcisas ab essentia, in se considerari vt nihil sub non esse actuali: quoniam implicat, Rem in se considerari, & non considerari secundum essentiam suam. ergo implicat, personas diuinas procedentes, posse dici, creari, & procedere ex nihilo.

Esse actuale est de essentia diuinarum personalitatum.

Persona diuina producta concipi nõ potest sub nihilo.

S. Thomas.

DVBITATIO V.

An processio diuina dici rectè possit mutatio.

182. *Conclusio negatiua.* Alensis. S. Thomæ. Scoti. Henrici. Damascen.

VNica conclusio, diuina processio dici nulla ratione potest mutatio. Ita expressè docent Alensis p. 1. quæst. 4. membro 1. ad 5. & 6. S. Thomas 1. d. 13. art. 1. ad 1. Scotus 1. d. 2. quæst. 7. §. *Tenendo*, ad 3. 4. & 5. & vltimum Henricus in summa, art. 54. quæst. 3. ad 12. & reliqui omnes. Vnde Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 8. circa medium cum docuisset quòd *non ex non ente ad esse deductus est Filius Dei*, id probat, quia sic Pater esset *immutatus de non Patre in Patrem, quod*, inquit, *omni blasphemia est grauius.* & Ambrosius verbis citandis infrà, num. 190. vocat *amentiam.* ex his Damasceni verbis, & fusius ac distinctius ex Scoto supra, sumitur huius veritatis ratio à priori. Mutatio, quantumuis vniuersaliter & abstractè accepta, est alicuius rei transitus vel de non esse ad esse, si est mutatio acquisitiua, vel de esse ad non esse, si est mutatio deperditiua. Processio verò diuina terminatur quidem ad esse, quod à persona producente accipit persona procedens; tamen hoc ipsum esse, in nullo priori respicere potest sub non esse, neque ratione essentiæ, in qua prius non sit personalitas, posterius sit, atque adeo de non habente personalitatem fiat habens; neque ratione personalitatis, quæ ex non esse transeat seu producatur in esse. Maior est ipsemet essentialis conceptus, quem audito nomine mutationis omnes formamus. Mutatio enim concipi nequit, nisi vbi est aliqua res quæ mutatur: rem autem tunc solum mutari concipimus, cum de vno termino, seu statu, transit in alium, vnum abiiciendo quem antea habebat, & alium accipiendo, quem non habebat, siue hi termini sint ambo positiui, vt cum aqua frigida mutatur in calidam; siue alter negatiuus, alter positiuus, vt cum aër tenebrosus mutatur in lucidum; siue contra, alter positiuus, alter negatiuus, vt cum aër lucidus mutatur in tenebrosum. Minor igitur solum probanda est, quia consequentia est clara. & minorem de Verbi processione acutè colligit S. Th. 4. contra gentes cap. 11. circa finem ex verbis Prouerbiorum 8. dicens, *Hinc est, quòd postquam ex ore Sapientiæ dictum est, Ante omnes colles ego parturiebar, ne intelligeretur, quod dum parturiretur non esset, subditur, Quando præparabat cœlos, aderam. Nam Verbum Dei simul concipitur, parturitur, & adest.*

Ratio à priori.

Essentialis conceptus mutationis.

Exponitur locus Prouerb. 8. ex S. Thom.

183. *Vnde oritur, vt esso persona procedentis, concipi nequeat sub non esse.*

Ergo quod vna persona diuina, etiam procedens & accipiens esse ab alio, concipi nequeat procedere ex non esse, & consequenter mutari, relinquendo non esse, & accipiendo esse, oriri omnino potest ex quatruplici capite. Primo quia non procedit per eductionem ex præiacente materia, seu subiecto. Secundo quia procedit ab æterno. Tertio quia procedit per summam essendi necessitatem. Quarto quia procedit consubstantialis producenti in eodem numero natura, cui essentiale est esse, ac proinde, repugnat non esse. Primum euidenter non sufficit, quia anima nostra etiam producitur independenter à subiecto eductionis, & tamen adhuc per aliquam mutationem ex non esse accipit esse. ex eo igitur quòd res non educatur, sequitur solum, produci ex non esse subiecti; sed non necessario sequitur, produci ex non esse simpliciter sui, quod necessarium est ad productionem absque vlla mutatione. Secundum quoque non sufficit, ex communissima & valde probabili sententia de possibilitate alicuius creaturæ ab æterno, saltem sine motu, & successione:

Quo modo creatura, si esset æterna, produceretur ex non esse.

successione: quæ creatura æterna produceretur etiam ad esse ex non esse; non quòd aliquando non fuerit, quia supponitur, ab æterno, & semper esse, sed quia tunc etiam ab alio acciperet esse, quod sibi non conuenit ex natura sua: & consequenter, prius natura non esset, quam esset in æterna duratione, & in hoc sensu transiret de hoc non esse prius natura ad esse in æternitate, & ita aliqua vera ratione mutaretur, recipiẽdo esse, quod non habet ex natura sua. Tertium de summa essendi necessitate, quod affertur à Durando 1. d. 5. quæst. 2. fine dicente, *Filius nullo modo potest non esse, sed necessario est; & ideo ei non competit esse de nihilo*; & à multis aliis, non appareat sufficiens, nisi magis explicetur iuxta doctrinam traditam supra, num. 174. & 175. Suppono enim ex infra probandis, quòd in Deo neque personalitas sit de essentia naturæ, neque natura de essentia personalitatis. ergo, data quacumque alia essendi necessitate, posset quis dicere, per processionem naturam diuinam de non habente in essentia sua personalitatem, fieri, siue esse, habentem; & ex non personata in essentia sua, accipere esse personatam. Personalitas quoque, quamuis ex sua essentia habeat esse actu simpliciter, ac proinde intelligi nequeat mutari de non esse simpliciter ad esse simpliciter, tamen adhuc de non esse in essentia, quod esse non competit sibi essentialiter, vt supponimus, posset intelligi transire ad esse in essentia; & ita tam natura, quam personaliras aliquo modo mutari de non esse ad esse.

Durandus.

184. *Traditur essentialis conceptus cuiuslibet diuinæ perfectionis.*

Addendum igitur, aliud esse, rem non esse de essentia, aliud, Actualem rei coniunctionem, & identificationem non esse de essentia, v. g. Rationalitas & Brutalitas non sunt de essentia animalitatis existentis, tamen de huius essentia est actualis coniunctio cum illis vel per omnimodam identificationẽ ex natura rei, vel saltem per identificationem realẽ, secundum varias Philosophorum opiniones. Et vniuersaliter de essentia intrinsece constitutiua modi cuiuscumque, v. g. Motus, Vnionis, Figuræ, & similium, non est ipsa res modificata, sed solum actualis coniunctio cum illa, ita vt implicet existere modum separatum à re cuius est modus. Simile quid in 1. tom. q. 4. ex instituto probaui de Dei essentia, eiusque Attributis, & Personalitatibus. Horum vnumquodque includere quidem essentialiter actualem existentiam, tamen non includere alia, sed solum actualem coniunctionem cum aliis per maximam identificationem ex natura rei. Hinc oritur, vt nullum eorum concipi possit, aut non existens in se, aut non existens cum aliis; sic enim simpliciter nõ conciperentur, quia non conciperentur secundum id quod essentialiter sunt. Ergo persona accipiens esse ab alio, neque quoad naturam, neque quoad personalitatem dici potest mutari, hoc est, vel esse ex non esse, vel habere ex non habere: quia vtraque essentialiter includit esse, & altera essentialiter coniungitur & identificatur alteri, ac proinde est essentialiter habens alteram, non intra conceptum suum quidditatiuum, sed cùm illo. In quo differt diuina processio à creatione æterna; quia creatura ita acciperet semper esse in æternitate, vt illud esse nec essentialiter includeretur in creatura, nec essentialiter coniungeretur cum creatura, quæ propterea secundum integram essentiam creaturæ concipi posset sub non esse actu, & transire ad esse actu, & propriè mutari. At si essentia diuina conciperetur vel non esse actu in se, vel non esse actu cum aliqua personalitate, & similiter si diuina personalitas cõciperetur sub non esse in se, vel sub non esse cum essentia, non conciperentur secundum integram quidditatem propriam. Nulla igitur ratione persona procedens dici potest per processionem accipere

Differentia diuinæ processionis à creatione æterna.

Exponitur necessitas essendi personæ diuinæ procedentis.

Hilarius.

185. *Obiectio prima.*

Obiicies primò id, quod contra se proponit Scotus 1. d. 2. quæst. 6. argumento 4. *Essentia diuina, circumscripta productione non habet illud productum, habet enim illud productum per productionem, ergo per illam fit essentia diuina de non habente illud, habens illud: & ita mutatio.*

Respondetur cum Scoto iuxta doctrinam prius traditam.

Respondet optime Scotus quæst. sequenti 7. §. *Tenendo.* ad 4. negando consequentiam. Quoniam esi essentia personam Filij & Spiritus sancti habeat per productionem, sine qua non esset illa persona in essentia; tamen, *non sequitur, ergo essentia de se non habet personam, ergo essentia de non habente fit habens: sed sequitur, ergo essentia de ratione sua non habet illam, vel non includit illam personam.* Quibus verbis satis clarè significauit doctrinam & distinctionẽ à nobis vberius explicatã. Apertè distinguit duo, quorum alterũ negat, alterũ concedit. Primum, *De se non habere personam*, hoc est, ex proprio conceptu essentiali non esse actu cũ persona, seu, non esse coniunctum & idẽtificatũ personæ; & hoc negatur de essentia diuina. Secundũ, *De ratione sua non habere vel non includere personam*; hoc est, ipsam personalitatẽ, quæ relatiua est, non esse quidditatiuum prædicatum inclusum in essentia diuina, quæ absoluta est; & hoc de eadẽ essentia diuina conceditur. Hac distinctione posita, absoluit Scotus responsionem, dicens, *Non autem sequitur mutatio ex hoc, quòd aliquid ineat alicui, quod non est de ratione eius: sed mutatio requirit, quod aliquid insit alicui, cui prius infuit oppositum; quod non habetur in proposito:* quia scilicet diuina essẽtia, neque esse aliquãdo actu in re, neque perfectè, quoad omnia quæ sibi essentialiter cõperunt, concipi potest sine personalitatibus: ac proinde neque prius duratione, neque prius natura esse potest non habens aliquã personalitatẽ.

186. *Obiectio secunda.*

Obiicies secundò ex eodem Scoto, argumento 5. In diuinis est productio ad esse per modum naturæ: ergo generatio, ergo mutatio. Probatur vltima consequentia, quia generatio est species mutationis. Species autem essentialiter includit genus.

Respondetur cum Scoto generationem non esse speciẽ mutationis.

Respondeo cum eodem Scoto ibidem ad 5. Negando, generationem, vt generatio est, esse sub mutatione, tanquam speciẽ sub genere: sed rationes generationis & mutationis cõcomitanter tantũ reperiri in creaturarũ generatione; *quæ*, inquit, *vt formaliter est mutatio, est forma subiecti mutati: vt formaliter est productio, est termini producti vt via. Et quoniã hæ rationes formales non includũt se essentialiter, cum primò respiciant diuersa vt patet*, hoc est, sub ratione mutationis respiciat subiectũ, sub ratione productionis respiciat terminum, *potuit generatio transferri ad diuina*

sub ratione productionis, licèt non sub ratione mutationis. Et idem repetit ad vltimum, & d. 5. quæst. 2. §. *Ideo tenendo.* Vbi non est intelligendus Scotus de ratione generica productionis, sed de ratione specifica talis productionis quæ formaliter tendit ad communicationem eiusdem naturæ quæ est in principio producente, & est proprie generatio, vt formaliter generatio, quæ vt sic non respicit subiectum, & consequenter, non includit conceptum mutationis. Neque in hoc Scotus contrariatur Sancto Thomæ 1. d. 4. quæst. vnica, art. 1. post med. corp. docenti, Quòd *est generatio in Deo secundum rationem differentiæ, non generis*, quod inquit, *est mutatio.* nam expressè limitat, se loqui de generatione, *secundum quod inuenitur in inferioribus*; & non de generatione vt generatio est, siue secundum ea quæ essentialiter conueniunt generationi consideratæ secundum præcisum conceptum generationis communis creatæ & increatę. Quare cum deindead 1. respondet, *Generatio secundum suum genus, quod est mutatio, in diuinis non inuenitur*, est intelligendus de generatione contracta ad creaturas, non præcisa à creaturis.

Prælictam responsionem non esse cõtra S. Thomam.

187. *Obiectio tertia.*

Obiicies tertiò. Pater diuinus, quia generat, ideo potest generare, & habere dicitur potentiam generatiuam actiuam, ergo pariter, quia Filius generatur, ideo potest generari, & habere debet potentiam generatiuam passiuam correspondentem actiuæ. ergo Filius est generabilis; ergo possibilis; ergo mutabilis. Probatur vltima consequentia, quia quod est passiuè possibile, continetur in potentia actiua sui principij, vbi non habet esse actu: sed in potentia tantum: ergo possibile prius natura est in potentia, posterius natura est in actu. ergo non potest non transire de non esse actu ad esse actu; quod essentialiter est mutari.

Respondetur in diuinis non esse potentiam passiuam subiectiuam, sed secundum quid. Scotus.

Respondeo, in diuinis non esse potentiam passiuam subiectiuam, quæ propriè & simpliciter est potentia passiua: in quo sensu non est necessarium, vt cuilibet potentiæ actiuæ correspondeat passiua; quod benè probat Scotus 1. d. 5. quæst. 2. §. *Sed obijcitur.* exemplo potentiæ creatiuæ, quæ ex nullo subiecto, seu passo, producit terminum. esse verò potentiam passiuam secundum quid, quam supra num. 177. concessi & vocaui terminatiuam; & Scotus supra vocat *obiectiuam.* Ex dictis autem constat, non esse terminatiuam, siue obiectiuam, qualis est in creatura, etiamsi crearetur ab æterno absque vllo subiecto, hoc est, per indifferentiam ad esse & non esse; sed per essentialem determinationem ad esse, modo superius explicato. Quod significat Henricus in summa, art. 54. quæst. 3. ad 12. docens, *Quòd ipsa persona producta, habet esse ab alio principiative, sed à se formaliter, hoc est, ex forma sua, quæ est sua essentia, habet esse, sicut & ipsa persona producens: quia Ioannis 17. sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Quamobrem paulò post docet, personam diuinam procedere non posse de non esse ad esse, quia, inquit, *Nihil produci potest de non esse in esse, nisi sit tale, quod eius substantia est in potentia ad esse & non esse.* Hinc patet, Filium diuinum neque esse, neque propriè & simpliciter dici posse generabilem & possibilem, vt notat S. Thomas infra, quæst. 41. art. 4. ad 2. Sed solum impropriè, & secundum quid; nempe possibilem per purum respectum ad potentiam generatiuam Patris sui, non per respectum & indifferentiam ad actum essendi, vel non essendi; & possibilem possibilitate terminatiua non præscindente ab actu, sed coniuncta essentialiter cum actu. Vnde negatur vltima consequentia. Et ad eius probationem dico, Filium contineri quidem aliqua ratione in potentia generatiua Patris, tamen coniunctum essentialiter cum actu, & ne mente quidem ab actu separabilem. Quapropter concipi nequit, prius esse in potentia, posterius in actu. Neque enim idem sunt esse in potentia generantis, & esse potentia non actu in illa potentia: quę duæ res etsi in creaturis non separentur, in quibus natura geniti est realiter distincta à natura generãtis; separantur tamen in diuinis, vbi persona genita est essentialiter identificata cum natura & potentia generantis. Et ideo diuinis personis procedentibus accommodari maximè potest dictum illud Philosophi, *In æternis idem esse posse & esse.*

Quomodo persona diuina procedens dici possit possibilis. S. Thomas.

Quo modo Filius Dei sit in potentia generatiua Patris.

Aristoteles.

188. *Obiectio quarta.*

Obiicies quartò quædam nimis implicata ac dura verba Authoris libri de speculo cap. 27. initio apud Augustinum tomo 9. *Natura diuinitatis tuæ immobilis est omnino, & immutabilis. Personæ verò mobiles sunt secundum relationem, non iuxta proprietatem.* Non potest Author intelligi de mutabilitate extrinseca, quæ in tempore incœpit per creationem; hoc enim modo ipsa diuinitas, seu diuina natura personarum, cui primò conuenit creandi potentia, esset multò magis mutabilis quàm personæ, quæ vt vnus Deus creant, & sunt vnicum creandi principium. Ergo loquitur de mutabilitate æterna & intrinseca; quam excludit à natura diuinitatis, admittit in personis. Præterea infra probabimus, Personarum proprietates aliud non esse, nisi relationes. Cur igitur dictæ sunt *personæ mobiles secundum relationem, non proprietatem?*

Respondetur declarando verba Authoris libri de speculo. Gillius.

Respondent Gillius libro 2. tractatu 8. cap. 7. num. 9. & alij, Personas dici mobiles *metaphoricè*, in quantum ab alio producuntur: quod Diuinitatis naturæ non conuenit. Verum nec id conuenit omnibus personis, quia Filius & Spiritus sanctus producuntur, non autem Pater. Per hanc verò mobilitatem Author vult à Diuinitate distinguere omnes tres personas, & non tantùm duas: alioqui quod dixit de natura diuinitatis, dicere potuisset de solo Patre. Ergo debet vniuersalius explicari de mobilitate metaphoricè, sumpta pro quauis tendentia vnius rei ad aliam: ita vt personas esse mobiles, idem sit quod personas non sistere in se ipsis, sed ad alium terminum ordinari, & quodammodo ferri. In quo eodem metaphorico ac similitudinario sensu supra, quæst. 9. art. 1. num. 16. cum sanctis Dionysio & Thoma exposuimus illud Sapientiæ 7. *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia.* Ita & includuntur omnes personæ, quia non solum referuntur Filius ad Patrem & Spiritus sanctum, & Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, sed etiam Pater ad Filium & Spiritum sanctum: & excluditur Diuinitas, quæ neque refertur ad vllam personam, neque vlla persona ad ipsam: & assignari potest conueniens ratio, cur personæ sint mobiles secundum relationem, non secundum proprietatem; quia scilicet, etsi tres proprietates personales sint relationes, tamen illam quasi mobilitatem tendendi, & veluti attingendi alium terminum, quam purè respiciendo habent inuicem personæ, non habent ex personalitatibus in quantum sunt formaliter & explicite proprietates, sed in quantum sunt formaliter & explicitè relationes; ita vt si per impossibile essent proprietates nõ relationes, vt sunt personalitates creaturarum, prædictam mobilitatem nõ haberent; contra verò haberent, si essent relationes non proprietates, vt de facto habẽt Pater & Filius respectu Spiritus sancti per relationem spirationis actiuæ, quæ non est proprietas, sed mera relatio, vt suo loco inferius ostendimus. Hanc autem fuisse mentem illius Authoris colligo ex verbis immediate sequentibus, quibus tradens prædictæ mobilitatis effectum, subdit, *Ideo in relatione personarum, Trinitas; in natura vero substantia, Vnitas.* Si

Si ex eo quòd personæ mobiles sunt secundum relationem, oritur Trinitas personarum quæ non oritur nisi ex oppositione relatiua, vt infra demonstrabitur, ergo illa mobilitas non potest esse alia, nisi purè respectiua, qua vna persona refertur, & quasi mouetur ad aliam.

189. *Obiectio quinta.*

Obiicies quintò quòd sibi obiicit Alensis supra. Per creationem Deus mutatur de non creatore in creatorem: ergo per processionem mutari potest Deus de non Patre in Patrem.

Respondetur eum Alensi nõ esse eandẽ rationem de diuina processione & creatione.

Respondetur falsam esse consequentiam, quia, vt optime docet Alensis supra ad 5. *Non est similis ratio argumentandi in relatione personali, qua dicitur Pater ad Filium, & in relatione temporali, qua dicitur Creator ad creaturam:* quia scilicet relatio Patris est realis, existens realiter & intrinsece in ipso Deo; relatio vero creatoris non est nisi rationis, existens tantum obiectiuè in intellectu. Quare illa mutatio, quæ sumitur in Antecedente, non est mutatio Dei, sed solius creaturæ, à qua transeunte de non esse ad esse, denominatur extrinsece Deus. Fieri creatorem de non creatore, & rationem huius disparitatis à priori bene affert idem Alensis, *quia creatio non est ex Dei substantia, sed de nihilo; vnde versio, quæ est in creatione, non tangit Dei naturam, sed creaturæ. Generatio verò est ex substantia generantis similis in natura productio. Ergo si esset mutatio ex parte paternitatis, sequeretur mutatio ex parte substantiæ.*

190. *Obiectio sexta.*

Obiicies sextò, si processio diuinarum personarum non esset æterna, sed inciperet in tempore, illa sine dubio esset vere mutatio, non solum in personis procedentibus, quæ euidenter mutarentur ex non esse ab æterno ad esse in tempore; sed etiam in personis producentibus; *nam si Pater esse cœpit*, inquit Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 5. aliquantò post principium, probans contra Arianos, generationem Patris non esse temporalẽ, *Deus ergo primò erat, postea Pater factus est: Quomodo ergo immutabilis Deus? Si enim ante Deus, postea Pater, vtique generationis accessione mutatus est. Sed auertat Deus hanc amentiam.* & Damascenus lib. 1. Fidei c. 8. circa mediũ. *Si Pater, postea effectus est Pater, cum ante id, Pater non esset, immutatus est de non esse Patrem in fieri Patrem.* ergo idem de facto dicendum de æterna processione. consequentia probatur ex dictis supra de creatione, quæ siue temporalis, siue æterna, semper mutatio est. Quod enim in tempore existens, est essentialiter tale, debet remanere tale essentialiter, etiam si ponatur existens in æternitate, vt patet de Angelis, & hominibus, motu & tempore, si hæc ponerentur ab æterno existere.

Ambrosius.

Damascen.

Respondetur ex processione diuina temporali nihil colligi contra conclusionem.

Respondeo, negando consequentiam: aliud enim est, creaturam, quæ neque essentialiter est temporalis, neque essentialiter æterna, sed potest salua essentiæ suæ ratione coniungi cum vtraque duratione, transire de esse temporali ad esse æternum: aliud verò, Processionem diuinam, quæ essentialiter est æterna, supponi esse temporalem, & fieri, siue incipere in tempore. Creatio igitur, quia secundum se & essentialiter est mutatio, cum sit productio rei ex nihilo, & quia hoc ipsum stare potest cum æternitate, vt in hoc argumento supponitur, remanere potest mutatio etiam si supponatur de esse in tempore transire ad esse in æternitate ex suppositione simpliciter possibili. Contra verò, processio diuina, quia vt diuina est, habet essentialiter non esse mutationem, & esse ab æterno, non potest supponi incipere in tempore, nisi ex suppositione omnino impossibili, destruentè essentiam illius, & introducente prædicatum mutationis, essentialiter illi oppositum. Quare posita processione diuina in tempore, illam esse mutationem, sequeretur non ex natura processionis diuinæ, cui potius contradicit ratio mutationis; sed præcisè ex temporalitate, quæ in antecedente supposita est contra naturam processionis diuinæ. ex hac autem suppositione manifestum est peruersè colligi, processionem diuinam de facto, etiam si æterna sit, esse mutationem.

Fasoli in D. Thom. Tom. I I I.

DVBITATIO VI.

An diuina processio sit actio transiens, vel immanens.

S V M M A.

1. *Probatur esse immanentem, non transeuntem, n. 191.*
2. *Radicem huius immanentiæ esse constitutionalitatem, num. 192.*
3. *Hinc ostenditur esse immanentiam perfectiorem quauis immanentia creata, ibidem.*

191. *Est immanẽs, nõ transiens.*

VNica conclusio. Processiones diuinæ non sunt ad extra, secundũ actionem in aliud transeuntem, sed ad intra, secundum emanationem, & productionem, siue actionẽ manentem in ipso producẽte. Hoc etiam expressè docet S. Thomas in hoc articulo, & in fine rectè ait esse de fide, ita concludens, & *sic fides catholica processionem ponit in diuinis.* & art. 3. initio corporis. *In diuinis non est processio, nisi secundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente.* Idem ad 1. & 2. & art. 5. & Patres omnes & Scholastici, colligentes ex illo Ioãnis 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si enim Verbum est idẽ omnino Deus, qui est Pater à quo procedit, non potest non procedere à Patre in natura ipsius Patris, & consequenter non esse apud Patrem, seu non manere in ipsomet principio à quo procedit. Quod idẽ Ioannes magis significauit infra dicens, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Quibus verbis, inquit ibi Cyrillus lib. 1. c. 22. *Nihil aliud quàm ex ipso, & in ipso Filium esse intelligimus.* Ex quibus duobus Ioannis dictis Athanasius in expositione Fidei circa medium eandem immanentiam ita optimè probat, *Apud Patrem semper exiſit, qui est in sinu Patris, numquam exinanitus est Filius Dei tate, Patris sinus.* Item idem Ioannes c. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* & c. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ob hanc immanentiam dicitur Christus Isaiæ 45. vt exponit ibi Hieronymus verbis citatis supra, n. 28. *Deus in quo est Deus.* & Hilarius lib. 12. de Trinit. non longe à medio, de vnigenito Deo ait, *Ex manente natus est.* Quod si hoc dicitur de processione Filij respectu Patris propter consubstantialitatẽ, dici multò magis debet de Spiritu sancto respectu spirãtis qui sũt Pater & Filius, quoniã & habetur eadẽ consubstantialitas; & facilius intelligimus, Spiritum manere in principio à quo spiratur, quam Filiũ manere in Patre in quo generatur. Quamquam verè de vtroque par est ratio: quia sicut Athanasius, Basilius, Ambrosius, & Cyrillus citati supra n. 63. arguunt, Filium semper esse in Patre, ex eo quòd sit virtus & Sapientia Patris: ita arguere possumus, Spiritum sanctum semper esse in Patre & Filio à quibus procedit, quia est eorum amor, & charitas, & Spiritus. si enim *Spiritus hominis, in ipso est*, 1. ad Cor. 2. multò magis Spiritus Dei esse debet in ipso Deo. & ideo eleganter dixit Athanasius in expositione Fidei, in fine, *Spiritus sanctus, progressio Patris, semper est in manibus Patris, & in manibus Filij.*

S. Thomas.

Colligitur ex Ioannis 1. & 10. & 14.

Cyrillus.

Athanasius.

Exponitur ex Hieronymo locus Isai. 45.

Hilarius.

Spiritum sanctum manere in Patre & Filio.

192. *Conclusionis ratio à priori.*

Conclusionis igitur ratio à priori petenda est ex prædicta consubstãtialitate, omnes n. diuinæ personę quæ procedũt, producũtur subsistentes in natura

producentis, quæ natura in re non differt, neque à persona procedente, neque à persona producente. Ergo personæ procedentes, sicut non possunt non esse in se ipso, ita non possunt non esse manentes in personis producentibus à quibus procedunt. Ergo in iisdem manentes sunt processiones & actiones. Si enim termini processionum in Deo manent propter identitatem quam habent cum natura diuina, debent pariter manere ipsæmet processiones, quia illæ non minorem identitatem cum natura, & terminis habent, quàm habeant termini cum natura.

Confirmatur primò ex S.Thom.

Confirmatur primò, quia, vt docet S.Thomas hic ad 2. *Id quod procedit secundum processionem, quæ est ad extra, oportet esse diuersum ab eo, à quo procedit:* si enim procedens est extra producentem, euidenter necessarium est, naturam procedentis esse realiter separatam, & diuersam saltem numero à natura producentis, vt patet in omnibus creatis generationibus, quæ in exteriorem materiam transeunt. Ergo si processiones Filij & Spiritus sancti non essent actiones immanentes, sed transeuntes, sequeretur, illos habere naturam diuersam à natura Dei Patris, & consequenter non diuinam: quia ex demonstratis supra quæst. 11. art. 3. Deorum pluralitas, siue specifica, siue tantum numerica omnino repugnat. & ideo sapientissimè scripsit S. Thomas hic circa principium corporis ex hæresi Ariana accipiente processionem diuinam secundum quod effectus procedit à causa, sequi, neque Filium, neque Spiritum sanctum esse verum Deum; & infra de Ario & Sabellio, *Vterque*, inquit, *accipit processionem, secundum quod est ad aliquid extra. Vnde neuter ponit processionem in ipso Deo.* Ergo asserere, processionem diuinam nõ esse actionem immanentem, sed transeuntem, est negare vel cum Ario diuinitatem personarum procedentium, vel cum Sabellio earumdem pluralitatem.

Confirmatur secundò ex eodẽ S.Thom.

Confirmatur secundò ex S.Thoma hic in fine corporis & ad 2. *Cũ Deus sit super omnia, ea quæ in Deo dicuntur, non sunt intelligenda secundum modum infimarum creaturarum, quæ sunt corpora, sed secundum similitudinem supremarum creaturarum, quæ sunt intellectuales substantiæ.* ergo processio in diuinis accipienda est modo omnium perfectissimo, nimirum per actiones intellectus & voluntatis, quæ sunt supremarum creaturarum propriæ, & sunt immanentes, non autem per actiones transeuntes, quæ in corporibus reperiuntur. Ipsæ quoque intelligendi & volendi actiones, perfectiori modo sunt immanentes in Deo, quàm in creaturis: in Deo quidem sunt immanentes per omnimodam identitatem, qua terminus procedens, vt dicitur ad 2. fi. *est perfectè vnum cum eo, à quo procedit, absque omni diuersitate:* in creaturis vero sunt immanentes per solam inhærentiam terminorum in principiis, à quibus imperfectè procedunt per eductionem. Quapropter in creaturis actiones intelligendi & volendi sunt etiam aliqua ratione transeuntes, nimirum in aliquem effectum, à parte rei diuersum ab ipsa quoque natura & essentia sui principij: sed in Deo sunt perfectissimè immanentes, quoniam earum termini per se subsistentes non habent aliam naturam & essentiam nisi principij producentis, in qua procedens ac producens, vnum atque idem ex natura rei omnino sunt. Quomodo autem huiusmodi personalitates quæ non sunt inclusæ in essentia naturæ, possint intelligi aduenire, seu recipi in natura, absque vllo conceptu potentiæ passiuæ, mutabilitatis, distinctionis, vel cuiuslibet alterius imperfectionis, explicaui in primo tomo quæst. 9. art. 1. num. 14.

Intellectiones & volitiones in Deo. sunt perfectius immanentes quàm in creaturis.

DVBITATIO VII.

Quisnam sit terminus à quo actionis immanentis diuinarum processionum.

S V M M A.

1. *Neque in processionibus diuinis, neque in creatione æterna dari propriè terminum à quo, num.* 193.
2. *Diuinarum processionum terminum quasi à quo esse substantiam producentis, num.* 194.

Ratio dubitandi.

DIfficultas hæc ex dictis nascitur. Probatum est, diuinas personas non posse procedere de non esse ad esse: neque diuinam essentiam transire de nõ personata in personatã, aut de vno aliquo esse, quod abiiciatur, ad aliud esse oppositũ, quod acquiratur. Præter quas rationes nulla alia ratio superesse videtur in diuinis processionibus, quæ constituat terminum à quo; & sine tali termino minus intelligibilis redditur conceptus processionis & actionis: quia impossibile apparet, aliquod agens procedere ad producendum aliquem terminum ad quem, & tamen ex nullo termino à quo procedere neque negatiuo, neque positiuo.

193. Conclusio.

Vnica conclusio. Terminus quasi à quo diuinarũ processionũ, vnde procedunt tantum personæ quæ producuntur, non est ex nihilo, sed ex aliquo, quod non est aliud nisi substantia personæ producẽtis, de qua, siue ex qua substantia procedit alia persona. Dico, *quasi à quo*, quia per terminum, qui propriè dicitur à quo, Philosophi cõmuniter intelligunt non solum terminum quacumque ratione præsuppositũ actioni, vnde incipit actio, qui procul dubio reperitur in casu nostro, cum natura diuina prius saltem origine, esse præintelligatur, & verè sit in persona producente; sed intelligunt etiam terminum oppositum termino ad quem, & incompossibilem cũ illo, & ideo deperdatur adueniente termino ad quem; vt cum ex frigido fit calidũ, vel ex tenebroso luminosum. Quæ propria ratio termini à quo nõ habet locum in processionibus diuinis, vt dictũ est, & docet S.Thomas 1. d. 5. q. 3. art. vnico, dicens, *In generatione diuina non est terminus à quo*; sicut nec locum haberet in creatione si fieret ab æterno, v.g. si crearentur ab æterno Sol & aër, & consequenter, Sol ab æterno aërem illuminaret, talis creatio non procederet de non esse simpliciter, quia hoc non esse, numquam simpliciter existeret, quia semper & in tota æternitate supponitur existere contradictorium illius, ac proinde illud non esse simpliciter, dici non posset præcedere esse neque prioritate durationis, neque prioritate naturæ; sed solum procederet de nihilo, hoc est, vt explicat S.Thom. 1. d. 5. quæst. 2. art. 2. med. corp. *de non esse ex parte sui*, siue ex se, & ex natura sua, habendo esse distinctũ dependẽs ab alio, quæ negatio antecedit quidẽ terminũ ad quem, nẽpe esse Solis & aëris, tamẽ illi nõ apponitur, nec illo adueniente deperditur; quia etsi prius natura sit, rem nõ habere esse ex se, quàm habere esse ab alio, tamen hoc esse ab alio cohæret cum illa negatione essendi à se; res enim tunc maximè apparet non esse ex se, cum accipit esse ab alio. Similiter illa æterna illuminatio educeret quidem lumen ab aëre per physicam actionem à materia prima dependentẽ, sed nõ ex negatione luminis simpliciter, sed luminis conueniẽtis aëri ex se; cum qua negatione staret, numquam omnino esse simpliciter tenebrosum, sed habere semper in tota æternitate lumen à Sole. Dico præterea in conclusione, *Vnde procedunt tantum personæ:* vt excludẽ essentiã à personalitatibus præcisam, quæ nullo modo procedit, neque terminatiuè, quia non

In processionibus diuinis non dari terminum à quo propriè.

S.Thomas.

Creatio, si esset æterna, nõ haberet propriè terminum à quo.

non producitur; neque subiectiuè, quia essentiam diuinam, vt 1. d. 5. quæst. 2. §. *Ideo tenendo*, verissime testatur Scotus, *Omnes Doctores antiqui à tempore Augustini vsque ad istud, non sunt ausi nominare materiam, nec quasi materiam:* quia scilicet materia secundum suum essentialem & explicitum conceptum importat imperfectionem potentiæ passiuæ, & carentiæ termini ad quem, seu perfectionis: essentia verò diuina, neque re ipsa est, neque cum fundamento in re concipi rectè potest cum huiusmodi imperfectionibus, vt supra, dub. 5.

Essentiam diuinam nullo modo esse subiectum personalitatẽ, ex Scoto.

194. *Terminum quasi à quo diuinarum processionum esse substantiam producentis.* Concilium Nicænum.

Conclusio igitur sic explicata tenetur ab omnibus certa de Fide: quia Concilium Nicænum in Confessione Fidei credit, *Filium Dei de Patre natum, vnigenitum, id est*, inquit, *de substantia Patris.* & postea, *anathematizat eos qui dicunt, Quia ex nullis extantibus factus est.* Idemque docet in epistola, & in Formula Fidei, vt refero supra, num. 180. vbi quod superius dixerat, *De substantia Patris*, dicitur, *Ex substantia Patris:* & explicatum est non esse aliud quàm, *non ex alia quàm Patris subsistentia & essentia genitum.* Toletanum quoque primum in Assertione Fidei fatetur, *Filium Dei de Patris esse natura.* & Toletanum 11. *Filium de substantia Patris natum.* & postea exponens Patris & Filij consubstantialitatem subdit, *Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris vtero, id est, de substantia eius, idem Filius genitus, vel natus esse credendus est:* respiciens, & interpretans pro hac conclusione illud Psalmi 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Vnde Augustinus lib. 1. contra Maximinum, multo post medium ait, *Audi authoritatem Synodicæ lectionis, quia in Arimino Patres nostri inter catera & hoc dixerunt, Si quis ex nihilo Filium dicit, & non ex Deo Patre, anathema sit.* ex qua consubstantialitate, quæ ex superioribus conuenit etiam Spiritui sancto, sequitur, idem dicendum de processione Spiritus sancti, & ideo rectè idem Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. initio, *Si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus.* & infra, *Non est à se ipso Spiritus sanctus, sed ab illo, de quo procedit.* Quod non obscurè significauit ipsemet Filius Dei, de Spiritu sancto dicens Ioannis 16. *Ille de meo accipiet.* Vnde addit, *Propterea se dixisse, De meo accipiet, Quia*, inquit, *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt:* significans, quòd sicut Pater habet vt de eius substantia procedat Spiritus sanctus, ita etiam idem habeat Filius. Fundamentum Theologicum vniuersale, supra tactum est: quia persona procedens habet eandem naturæ substantiam cum persona producente, ergo sicut hæc prior est origine, ita præintelligitur habere prius naturam diuinam, quam propterea communicat personæ procedenti, & non ab ea accipit. Sed hæc prioritas est originis, & ideo communiter dicitur prioritas à quo: ergo illa natura præcedit aliqua ratione diuinas origenes, & processiones, tamquam earum terminus à quo. Neque dici potest cum posterioribus quibusdam Arianis, quorum sententiam refert Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianorum Episcopum, cap. 14. aliquanto post principium illis verbis, *Vos nec Filium de Patris substantia genitum vultis, & tamen eum nec ex nihilo, nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse conceditis.* Sic enim apertè conceditur, quod impiè negatur. nam quod non est ex aliqua materia, vt quæ naturaliter generantur; non ex nihilo vt quæ à solo Deo creantur; *non ex aliqua re alia, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non potest*, & consequenter, non potest non, *hoc esse quod Deus est, de quo est*; *hoc est*, inquit Augustinus, *Deus de Deo.* Sed vt hoc distinctius intelligatur, videndum est, cuius generis habitudo importetur in hoc termino à quo, cum dicitur, Vna persona procedere de substantia alterius: & ideo sit

Exponitur locus Psalm. 109. Augustinus.

Exponitur locus Io. 16.

Probatur cõclusio ex consubstantialitate.

Duo Arianorum dicta nõ cohærere ex Augustino.

DVBITATIO VIII.

Quid sit in Diuinis vnam personam procedere de substantia alterius.

S V M M A.

1. *Per illud* De *importari habitudinem originis simpliciter in aliquo genere principij, n.* 195.
2. *Hanc habitudinem non importari in ordine ad essentiam vt præcisam à personalitatibus, n.* 196. *ad* 201.
3. *Sed importari in ordine ad essentiam vt contractam ad personalitatem in genere principij actiui, & consubstantialis, num.* 201.
4. *Satisfit contrarijs argumentis, n.* 202. *ad* 205.

195. Conclusio.

VNica conclusio. Cùm dicitur, Filius procedere de substantia Patris, & Spiritus sanctus de substantia Patris & Filij, per particulam, *De*, non significatur aliqua habitudo originis ad substantiam & essentiam absolutam, quatenus mente præcisam à personalitate, neque primò in genere principij producti, & quasi actiui: neque secũdo in genere principij materialis: neque tertio in genere principij formalis: sed solùm significatur quarto habitudo originis personæ procedentis ad substantiam & essentiam absolutam quatenus contractam ad personalitatem personæ producentis, vt ad principium quasi actiuum, & consubstantiale in eadem essentia. Hæc conclusio vnum supponit, quod apud omnes indubitatum esse debet, per illud, *De*, significari aliquam habitudinem originis in aliquo genere causæ, vel quasi causæ, siue effectiuæ, siue materialis, siue formalis: tribuitur enim soli personæ procedenti, quæ expressè dicitur procedere, hoc est, originari de substantia: ergo per illud, *De*, manifestè significatur processionis & originis habitudo ad substantiam. Hoc supposito, facile erit probare conclusionem per singulas partes.

Illud, De, importat aliquam habitudinem originis.

196. Non ad essentiam secundum se in genere principij actiui.

Prima pars est apud omnes certa, quia persona producta, nec realiter procedit, nec mentaliter rectè concipi potest procedere ab essentia vt præcisa à personalitatibus: quoniam essentia & persona non habent inter se realem distinctionem, & oppositionem, necessariam inter producens & productũ; alioqui persona producta dici non posset hic Deus, à quo producta esse supponitur, sicut de facto ob hanc rationem Filius dici non potest Pater. Confirmatur primo si per prædictam locutionem significaretur habitudo originis productiuæ ad essentiam secundum se, tam dici posset, Filius procedit de substantia Patris, quàm de substantia Spiritus sancti, imò de substantia sua; &, Pater procedit de substantia Filij, vel Spiritus sancti; quia essentia secundum se omnino eadem est in Patre, Filio, & Spiritu sancto. ergo si propositio verificatur præcisè per habitudinẽ ad essentiam, nihil prorsus referre debet, si in propositione addatur & exprimatur, in qua persona sit illa essentia, siue in Patre, siue in Filio, siue in Spiritu sancto. Confirmatur secundo quia Concilium Lateranense, relatum cap. *Damnamus* de summa Trinitate ex eo quòd *vna quædam summa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina, veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus idem omnino* definit quod *illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit; vt*

Concilium Lateranense.

distinctiones sint in personis, vnitas in natura. Igitur cum dicitur vna persona procedere de substantia alterius, non licet replicare de substantia secundum se generante aut spirante.

197. *Nec in genere principij materialis.* Secunda pars est S. Thomæ verbis citatis supra num. 176. Scoti 1. d. 5. quæst. 2. §. *Ideo tenendo.* expressè negantis, essentiam diuinam habere rationem materiæ, vel quasi materiæ, & potentiæ passiuæ; *& ideo*, inquit, *generationi, vt est in diuinis, non assignatur materia, nec quasi materia, sed tantùm terminus.* Et sequuntur alij communiter, contra Henricum in summa art. 54. quæst. 3. ad 5. litera E. dicentem quòd *in generatione Filij, & spiratione Spiritus sancti, ipsa diuina essentia est quasi subiectum generationis, & vt aliquid in potentia, licet necessario semper coniuncta actui.* Et ad 12. *De alio*, inquit, *notat circumstantiam principij quasi materialis circa essentiam, de qua producitur persona.* Durandum 1. d. 5. quæst. 2. num. 8. probantem quòd in prædicta propositione, *illa præpositio, De, dicit circumstantiam materiæ, vel quasi materiæ.* Referunt etiam aliqui esse contra S. Thomam 1. d. 5. quæst. 2. art. 1. Sed non bene, vt patet legenti. Probatur primò ex Augustino libr. 7. de Trinitate cap. 6. circa medium illis verbis, *Non sic Trinitatem dicimus tres personas, vel substantias, vnam essentiam & vnum Deum, tamquam ex vna materia tria quædam subsistant.* & paulo post, *Tres personas eiusdem essentiæ, vel vnam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus:* quia scilicet sic essentia vt quædam personalitatum materia significaretur; sicut cum dicimus, vt ibidem exemplificat Augustinus, Tres statuas ex eodem auro, significamus, aurum esse materiam statuarum. Secundò ratione à priori, quia materia, vt materia, debet concipi per id, per quod distinguitur à forma, alioqui non poterit aliquid dici, habere rationem materiæ potius quam formæ oppositæ, sed habebit rationem communem intrinsecæ partis, seu substantiæ; sub quo communi conceptu ne quasi materia quidem dici, aut concipi potest potius quàm forma. Proprium autem materiæ est, ita inesse, seu esse in aliquo toto, vt sustineat, seu recipiat in se aliam compartem, siue aliud comprincipium cum quo coniungitur ad constituendum aliquod tertium. Quod in casu nostro non reperitur: quoniam essentia ad personalitatem, seu relationem comparatur, tamquam intimè identificata in re cum illa, & non tamquam sustentans illam, aut recipiens, aut componens cum illa aliquod tertiũ: quia primus conceptus essentialiter includit imperfectionem in personalitate, quæ sustentari concipitur; secundus verò in essentia, quæ concipitur vt aliquid potentiale, & perfectibile cum oppositione ac distinctione; & si natura diuina essentialiter petit concipi vt actualiter identificata personis, vt non semel superius dictum est, inde manifestè sequitur, illam non posse rectè concipi vt recipientem personas: quod enim concipitur recipere in se aliud, euidenter concipitur vt distinctum à termino recepto, & vt non habens illum sibi essentialiter semper vnitum; alioqui idem posset concipi recipere se ipsum, quod nemo non iudicat absurdum. Tertius demum compositionis conceptus ponit apertam imperfectionem in ipsa persona, quæ simplicissima cum sit, concipitur vt aliquod tertium ex duobus vnitis compositum: quam rationis compositionem rectè fieri non posse cum fundamento in re concepta, ex instituto probaui tomo 1. quæst. 3. art. 7. à num. 13.

S. Thomas, Scotus & alij contra Henricum.

Ratio à priori.

Quo modo essentia comparanda sit ad personalitatem.

198. *Soluitur prima obiectio Durandi.* Ex dictis haud difficile est respondere ad ea, quæ in contrarium affert Durandus supra. arguit enim primo, quia in diuinis, *substantia Patris secundum nostrum modum intelligendi præexistit Filio generando, & inexistit Filio genito.* Sed hoc partim falsum est, loquendo de nostro modo intelligendi cum fundamento in re ex parte ipsius Dei, & non solũ ex parte creaturarum contra naturam & essentiam obiecti quod concipitur; cum probatum sit, non posse bene concipi essentiam diuinam præexistentem sine vlla personalitate, aut cum vna personalitate Patris, & non cum alia Filij, seu Spiritus sancti; & consequeter, Filium generandum, & non genitum, in quo essentia *inexistit* quidem, tamen sine vlla imperfectione inhærentiæ, distinctionis, receptionis, compositionis, sed cum maxima simplicitate per summam atque essentialem identificationem: partim non cõcludit intentum de conditione materiæ, etiam si verum esset; nam præexistere, & inexistere in toto producto, conuenit non solum materiæ, sed etiam termino formali productionis, cum forma etiam insit intrinsecè composito, & prius natura sit fieri & esse formã, quàm ex illa constitui compositũ: esto igitur essentia diuina inexistat & præexistat Filio, in quantum Filius verè producitur, essentia verò neque producitur, neque comproducitur, sed tantum communicatur, vt dicam infra tractando de actibus notionalibus, tamen hinc non sequitur, illam esse quasi materiam potius quam quasi formam.

Arguit secundò. *Filius constituitur ex essentia & proprietate relatiua: ergo oportet, quòd alterum istorum se habeat quasi in ratione materiæ, & alterum quasi in ratione actus. Sed essentia intelligitur quasi substare relationi; & non è conuerso: ergo essentia magis videtur se habere in ratione materiæ.* Hæc quoque ratio clarè ostendit, Durãdum loqui, quo modo etiã loquitur Henricus, nõ secundum rem, nec secundum nostrum modum cognoscendi imperfectũ imperfectione tenente se solum ex parte cognoscentis, sed etiam tenente se ex parte obiecti cogniti, ita vt tali modo cognoscatur aliquid obiectiuè repugnans Deo, ac proinde cognoscens procedat cum fundamento habito non ex parte Dei, cui contradicit id quod concipitur, sed ex parte creaturarum imperfectarum, ad quarum similitudinem concipit aliquam imperfectionẽ in Deo. Itaque Filius neque re ipsa est, neque absque obiectiua sui imperfectione concipi potest vt constitutus, seu cõpositus ex essentia & personalitate, vt loco citato accuratè probatũ est. Quod apertissimè apparet cum dicitur essentia intelligi substare relationi tanquam actui: tunc enim intelligitur distinctio in ipsa essentia & relatione; & imperfectio essendi in personalitate, quę vt sit indiget substante; & in eadẽ essentia intelligitur passiua quædam actuabilitatis potentia. Enim verò diuina essentia absoluta, & in genere suo intrinsece perfectissima, verè non determinatur per personalitatem, sicut dicitur in creaturis materia determinari per formam, sed solum terminatur tanquam natura per subsistentiam personalem, seu terminum substantialem, non habentem rationem formæ, sed puri termini cum ipsa essentia essentialiter & simplicissime identificati, & ideo absque vlla distinctione, compositione, potentialitate, & consequenter, materialitate.

199. *Soluitur secunda obiectio Durandi.*

Diuina essentia terminatur, non determinatur.

Arguit tertiò, quia *essentia diuina recipit in se formam, per quam constituitur genitum, scilicet proprietatem relatiuam: ergo ipsa est quasi subiectum & materia de qua est generatio:* sed iam ostensum est pugnare cum essentia diuina conceptum recipientis, & constituentis.

Soluitur tertia obiectio Durandi.

200. *Nec in genere principij formalis.* Tertia pars de habitudine originis ad essentiam in genere principij formalis probatur, quia esto persona, secundum rationis considerationem imperfectam comparari possit ad essentiam, tamquam ad suum principium formale, intrinsecè constitutiuum, ac veluti specificatiuum, vt multis Theolo

S. Thomas. Theologis placet in quantum in ipsa persona, essentia concipitur, vt infinita & essentialis perfectio illius, in quo sensu ipsemet S. Thomas infrà q. 41. a. 3. ad 2. essentiam diuinam vocat, *principium formale*, tamen id non sufficit; vt possimus dicere, Vnam personam esse, seu procedere de substantia alterius in genere principij formalis. Quod euidenter suadeo primò, quia tunc etiam liceret dicere, Pater est de substantia diuina, contra S. Thomam suprà ad 3. communissimè receptum, negantem istam propositionem, *Tres personæ sunt de essentia diuina*, quia, inquit, *non ponitur aliquid, respectu cuius possit importari distinctio per præpositionem significata*: si enim, vt dictum est initio conclusionis n. 195. præpositio *De*, siue *Ex*, importat habitudinem originis, distinctionem quoque importet necesse est, qua aliquo modo ex natura rei distinguantur originans & originatum, cum implicet, idem originari à se ipso in quocumque genere causæ. Hæc autem distinctio non est inter personas & essentiam, vt infrà probabitur. In quo differt hæc propositio, quam cum S. Thoma negamus, *Persona diuina est de essentia diuina*, ab ista alia, quam idem S. Thomas ibidem ad 2. bene concedit; *Angelus aliquis est de natura intellectuali*; quia in hac secunda non deest necessaria distinctio, sicut deest in prima, cum persona huius vel illius Angeli non sit omnino idem cum eius natura, sicut sunt personæ diuinæ cum essentia; & ideo secunda verificatur per habitudinem originis ad naturam angelicam in genere principij formalis, vt ibi docet S. Thomas. Secundò esto addatur aliquid quo significetur distinctio, vt si dicatur, *Filius est de substantia diuina Patris*; adhuc non sufficit præcisus respectus principij formalis, quia consignificando eamdem distinctionem, liceret pariter asserere, Filius est de substantia Spiritus sancti, & ipsemet Pater de substantia Filij, vel Spiritus sancti; vnde non solùm de Filio respectu Patris, & de Spiritu sancto respectu Patris & Filij, vt cum Augustino extendit Albertus 1. d. 27. a. 9. & concedit Henricus quodlibeto 6. q. 1. initio corporis. & ad 1. Sed etiam de Patre respectu Filij, & de Patre ac Filio respectu Spiritus sancti, possemus confiteri, *Deum de Deo*: quod nullus Catholicus concedet.

Bonè dicitur, Angelus est de natura intellectuali, nõ autem, Filius est de natura diuina.

Albertus. Henricus.

201. *Illud, De, importat habitudinem originis in genere principij actiui, & cõsubstantialis ad essentiam, vt contractæ ad personam producentem.* Quarta denique pars de principio actiuo & consubstantiali est Magistri 1. d. 5. litera L. quem sequitur, & benè explicat Scotus q. 2. §. *Ideo tenendo.* versiculo *secundo dico.* probatur primò de principio actiuo, ex confutatione aliorum modorum dicendi: nam reiecta habitudine ad essentiam præcisam, in quocumque genere principij; & ad essentiam contractam, in genere principij materialis, & formalis, non potest remanere aliud, nisi vt importetur habitudo originis in genere principij actiui, quam habitudinem persona habet, vt quod, substantia habet vt quo: quia vt docet Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. multo pòst medium, *Pater generatiuum principium est, & suppositum quoddam significat; diuina verò substantia, quæ cum Patre realiter idem sunt, non quidem generat, sed est principium quo generatio fit.* Hanc verò principij habitudinem habent solum Filius ad substantiam Patris, & Spiritus sanctus ad substantiam Patris & Filij; non autem Pater ad substantiam Filij, neque Pater & Filius ad substantiam Spiritus sancti: & ideo, Procedere & esse de substantia alterius, & esse Deum de Deo, conuenire non potest nisi Filio respectu Patris, & Spiritui sancto respectu Patris & Filij. Secundò de principio consubstantiali probatur ex differentia, quam maximè habet particula *De*, à particula, *Ex*, vt notat S. Thomas infrà q. 41. art. 3. ad 2. quoniam, *De*, significat originem vnius ab alio, & præterea consubstantialiratem, siue in genere principij actiui, vt cum dicitur Filius de substantia Patris, siue in genere principij materialis, vt cum dicitur, Cultellus est de ferro, siue in genere principij formalis, vt cum dicitur, Gabriel est de natura intellectuali. Particula verò, *Ex*, significat solam originem, & non necessariò consubstantialitatem: *possemus enim dicere*, inquit S. Thomas, *quod creatura est ex Deo essentia, non tamen quòd sit ex essentia Dei*; & multo minus de essentia Dei; procedit enim creatura ex Deo, non autem de Deo. *Vnde non dicitur, quod domus sit de Ædificatore, cum non sit causa consubstantialis*, sed dicitur esse ex ædificatore. Quam differentiam perspicuè atque eleganter tradidit Augustinus lib. de natura Boni aduersùs Manichæos c. 27. dicens, *Ex ipso, non hoc significat quod, De ipso. Quod enim De ipso est, potest dici, ex ipso: non autem omne quod ex ipso est, rectè dicitur De ipso. Ex ipso enim cœlum & terra, quia ipse fecit ea; non autem De ipso, quia non de substantia sua: sicut aliquis homo si gignat filium, & facit domum, ex ipso filius, ex ipso domus; sed filius de ipso, domus de terra & ligno*, quam distinctionem sequitur S. Thom. 1. d. 5. q. 2. art. 1. init. corp. Igitur vt vna persona verè dicatur esse, seu procedere de substantia alterius personæ, non sufficit sola consubstantialitas personarum, quamuis eam sufficere dicat Suarez lib. 6. c. 6. n. 6. neque etiam substantialitas cum distinctione; sed præter hæc duo est necessaria habitudo principij actiui ad alterum personam, de cuius substantia esse altera dicitur: *ita quod*, vt optimè exponit Scotus suprà, *Totalis intellectus huius sermonis, Filius est de substantia Patris, est iste, Filius est originatus à Patre, vt consubstantialis ei. Et isto modo exponit Magister authoritates, non præcisè per substantialitatem, nec per originem præcisè, sed per vtrumque.* Cum enim dicit Augustinus de Fide & Symbolo c. 3. *Deus cum Verbum genuit, id, quod est ipse, genuit*: sensus est, inquit Magister suprà, *Pater genuit Filium, qui est hoc quod Pater*, quia scilicet vna prorsus essentia sunt Pater & Filius. Quod ipsemet Augustinus declarauit lib. 1. contra Maximinum, aliquantò ante medium dicens, *Hoc genuit Pater, quod est*: quod statim probans, subdit; *alioquin non est verus filius, si quod est pater, non est filius: quia veri filij hoc sunt per substantiam, quod parentes*: loquitur igitur Augustinus de esse idem *per substantiam*, non per personalitatem. Vnde postea lib. 3. c. 14. multo post principium, loquens de Filio clarissimè ita exposuit, *Non est aliud, quam est ille, de quo est, hoc est, vnius eiusdemque naturæ, vel vnius eiusdemque substantiæ.*

Suarez. Augustinus. Scotus. Augustinus. Magister.

Obiicies primò contra tertiam & quartam conclusionis partem videri apertè S. Thomam infrà, q. 41. art. 3. ad 2. vbi non probat expositionem Magistri dicentis, *Quòd cum dicitur, Filius genitus de essentia Patris, designat habitudinem principij quasi actiui.* & postea ipse ex propria sententia docet, designari *principium formale.*

202. *Obiectio prima.*

Ioannes Theologus in Florẽtino.

Respondeo, S. Thomam, si attentè consideretur, non docere, expositionem Magistri esse falsam, sed solum, non esse sufficientem. *Sed hoc*, inquit, *non videtur sufficere ad sensum huiusmodi locutionis.* Vnde ipse postea non reiicit habitudinem illam principij quasi actiui, quam expressè admiserat prius in solutione ad 1. dicens, *Cum Filius dicitur natus de Patre, hæc præpositio, De, significat principium generans substantiale, non autem principium materiale*; sed solum contendit, addendam esse consubstantialitatem, quam etiã Magister vel expressè admittit, vel supponit, vel saltem non negat. Deinde addit, Denotari principium formale, non vt excludat actiuum, sed vt explicet consubstantialitatem, quæ cum esse possit, vt ipsemet distinguit, in triplici genere principij, siue

Respondetur exponendo S. Thomam infrà q. 41. a. 3. ad 3.

S. Thomas.

actiui, siue materialis, siue formalis, rectè docet, Per illam propositionem importari consubstantialitatem in tertio genere principij formalis; cum quo benè stat, Illam eamdem personæ producentis substantiam, de qua esse alia persona dicitur, importari etiam vt principium quasi actiuum personæ procedentis: verissimè enim docuit & probauit Scotus supra, quòd in prædicta propositione, *per ly, De, non notatur tantum efficientia, vel origo, tunc enim creatura esset de substantia Dei; nec notatur tantum consubstantialitas, quia tunc Pater esset de substantia Filij, sed notatur simul originatio & consubstantialitas*: quam statim explicat iuxta S. Thomam in genere principij formalis dicens, consubstantialitatem consistere in hoc, *quod Filius habet eamdem substantiam, & quasi formam cum Patre.* Aliud igitur est substantiam Patris esse principium quasi actiuum in Filij generatione, quod nemo potest negare: aliud, illam esse principium consubstantiale actiuum in genere consubstantialitatis. Primum non negat S. Thomas, sed secundum: quia consubstantialitas propria diuinarum processionum & personarum cum sit in eadem numero natura manente in producto & producente, non potest explicari per principium actiuum, *Sicut*, in humanis inquit S. Thomas, *Filius dicitur esse de Patre*, neque per principium materiale, sed per principium formale, forma nimirum subsistente, tamquam purissimo actu, non adueniente alteri, sed cum omnibus prorsus identificato.

203. *Obiectio secunda ex Driedone.*

Obiicies secundò, ex Driedone lib. 3. de Regulis & Dogmatibus sacræ Scripturæ, tractatu 2. c. 1. non longè à fine, contendente, Differentiam illam Augustini inter, *Ex*, &, *De*, à Theologis communissimè receptam, *non per omnem locum seruari in sacris literis. Nam & Matthæi 1. legitur. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Item in Symbolo, Qui conceptus est de Spiritu sancto, &, Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Christus autem non est natus, nec conceptus, nec incarnatus ex Virgine, aut in Virgine de substantia Spiritus sancti, sed sola operatione & efficientia Spiritus sancti.

Respondetur exponendo loci Matth. 1.

Respondeo, non esse facilè recedendum à communi Regula loquendi, præsertim in re tanti momenti. Dicendum igitur, his etiam locutionibus, non solùm significari Christum vt hominem, siue secundum humanam naturam, esse factum opera & efficientia Spiritus sancti, sed etiam vt Deum habere eamdem essentiæ consubstantialitatem cum Spiritu sancto. Etenim cum solus Christus inter omnes creaturas, ita sit creatura ex Deo, vt sit etiam Deus de Deo, ipse solus, qui secundum quòd est creatura, formatus est ex peculiari concursu effectiuo Spiritus sancti, dici potuit, esse de Spiritu sancto; quia etsi vt Deus non procedat à Spiritu sancto, tamen ab illo procedit vt homo, & illi consubstantialis est, vt Deus. Ergo eo modo rectè dicitur, Christus creatus de Spiritu sancto, quo non diceretur v. g. Adamus creatus de Deo. Quamquam, quod attinet ad textum Matthæi, vbi Latinus habet, *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, & paulò post, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, Græcus habet, vt obseruauit Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto c. 5. circa finem *ex Spiritu sancto.*

Ambrosius.

204. *Obiectio tertia ex Suarez. Florentinus. Hilarius.*

Obiicies tertiò cum Suarez supra, *Patres cum dicunt, Vnam personam producere aliam de sua substantia, non aliud explicare intendunt præter consubstantialitatem, vt egregiè dixit Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. & sumitur ex Hilario lib. 8. de Trinitate, scilicet à principio.*

Respondetur exponendo mentem Patrum.

Respondeo, si his verbis Suarez ita vult per illud, *De*, importari solam consubstantialitatem, vt nolit importari vllam processionem, quod non credo, quia importari aliquam originis habitudinem, est nimis clarum, vt notaui suprà n. 195. non possumus illum sequi: neque Ioannes & Hilarius citati, ita docent consubstantialitatem, vt aliquid dicant, quo indicent, excludi processionem. Imò eam Ioannes circa medium illius sessionis, vbi hac de re agit, apertè includit illis verbis, *Qui ex Patre dicit, Patris etiam essentiam intelligere debet. Præpositio autem, Ex, processionem à principio consubstantiali significat.*

DVBITATIO IX.

An essentia personæ producentis sit immediatum principium diuinarum processionum.

S V M M A.

1 *Ratio dubitandi, & explicatio terminorum, n.* 205.
2 *Diuinæ processionis actionem non habere principium à quo, sed in quo, n.* 206.
3 *Processiones diuinas non esse immediatè ab essentia, vt præcisa ab intellectu & voluntate, num.* 207. *ad* 211.
4 *Occurritur obiectionibus Durandi, n.* 211. *ad* 214.

205.

HAnc quoque difficultatem de immediato diuinarum processionum principio tangit in hoc articulo S. Thomas, in fine corporis ita concludens, *Non ergo accipienda est processio, secundum quòd est per actionem alicuius causæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum; sed secundum emanationem intelligibilem.* Et quidem processio vt ipsa in se qualis sit cognoscatur, petit vt eius immediatum principium explicetur: est enim quædam actio; omnis autem actio, est vltimata quædam ratio qua agens agit; ergo postulat in agente formalem aliquam virtutem ac potentiam agendi; implicat enim agens actu agere; & non posse actu agere. Hanc verò potentiam vocamus principium processionum; quod potest esse vel immediatum & proximum, vel mediatum & remotum. Et quoniam non quicquid est in eo quod denominatur agere vt quod, & quasi materialiter, est formale, siue vt quo, agendi principium, sicut Petrus, v. g. est qui discurrit, non tamen per materiam, aut potentiam aliquam materialem, sed vt quo proximè & immediatè per potentiam discursiuam, vt quo remotè & mediatè per essentialem differentiam rationalitatis, ideo in diuina persona potente producere, quæ producit vt quod, quatuor omnino rationes formales mentaliter distingui debent, quæ videri possint principia formalia quibus persona producit. Primò personalitas. Secundò natura. Tertiò intellectus. Quartò voluntas. De personalitate, nemo ferè contendit, esse aliquod formale agendi principium; est enim personalitas purè relatiua, quæ vt formaliter relatio, non habet afferre aliquem effectum, sed tantum referre ad aliquem terminum; vt formaliter personalitas, non potest habere aliud munus nisi formaliter constituendi personam: vnde de facto tertia Spiritus sancti persona habet suam relatiuam personalitatem, distinctam realiter à persona Patris, & à persona Filij, & tamen nihil omnino producit. De natura, omnes conuenimus, esse aliquod producendi principium, saltem remotum: quæcumque enim alia virtus pro principio quo agendi assignata fuerit, illa procul dubio esse debet radicata in natura, tamquam virtus ipsius, vt scilicet ipsa natura agat mediante tali sua virtute immediatè agente. Solum controuersia est de principio immediato, An hoc sit natura, an potius intellectus & voluntas, de quibus constat

S. Thomas.

Personalitatem non esse formale agẽdi principiũ.

Naturam esse formale agẽdi principiũ.

In quo versetur controuersia.

stat in creaturis, esse immediata & formalia agendi principia. Quod multum refert ad penetrandam quidditatem diuinæ processionis, quæ si habet pro suo immediato principio naturam, illa neque erit intellectio, neque volitio, sed quædam alia naturalis processio innominata: si intellectum, erit intellectio: si voluntatem, erit volitio. Vt distinctius procedam, tribus dubitationibus dicam prius de natura, tum de intellectu, postremò de voluntate.

206. *Prima conclusio. Processio non est actio ab aliquo principio.*

Prima conclusio. Processio diuina si actiuè sumatur, vt est actio personæ producentis, non habet principium, à quo sit, sed solum principium in quo sit, seu cuius sit: ac proinde, processio ita sumpta, est quidem actio manens in suo principio, vt suprà dubit. 6. non tamen est actio manans à suo principio. Ab hac conclusione exorsus sum, vt explicarem, in quo sensu de processione hîc disputemus, inquirendo illius principium, à quo realiter emanet, nimirum de processione passiuè accepta, quæ secundum omnes est in persona producta, & magis propriè significatur nomine processionis simpliciter absque vllo addito; sicut enim procedens, importat solam personam quasi passiuè productam, ita processio, si nihil addatur, importare debet solam originem quasi passiuam eiusdem personæ procedentis: & in hoc sensu deinceps absolutè loquemur. Fundamentum huius conclusionis breuiter sumitur ex infra probandis, quòd processio actiua, siue actio personæ producentis, non est in producto, sed in producente. Quo posito, sic argumentor, In quauis persona diuina, quæ perfectissima & simul simplicissima est, neque est, neque cogitari rectè potest aliqua distinctio in re ipsa, vt suprà q. 3. & q. 4. art. 2. à n. 89. ad 111. & infrà iterum, loquendo specialiter de diuinis rationibus relatiuis. Sed si processio actiua, existens tantum in persona producente, haberet in ea aliquod principium, à quo verè & realiter emanaret, vel emanare conciperetur, inter processionem, & principium deberet realiter esse, & concipi distinctio in vna eademque persona. Ergo processio actiua non potest habere principiũ à quo sit. Minor patet, quia ex essentiali terminorum ratione, atque adeo etiam in diuinis, sicut inter producens, & productum non potest non esse, & non concipi oppositio, & distinctio ex natura rei, ita etiam vniuersalius inter id quod ab alio emanat, & id à quo emanat aliud: quoniam alioqui semper vrget eadem implicantiæ ratio, vt idem respectu sui ipsius sub eadem originis, siue emanationis ratione sit prius & posterius, sit dans esse & accipiens esse. In sensu huius primæ conclusionis dixit S. Thomas de Veritate q. 4. art. 2. ad 7. quod propter identitatem perfectionum in quauis diuina persona, *non est in diuinis processius vt operationis ab operante.*

Quid sit processio absoluta prolata.

Ratio conclusionis.

Inter principium & principiatum est necessaria distinctio.

S. Thomas.

207. *Secunda conclusio, Processio non est immediatè ab esse vt præcisa ab intellectu & voluntate.*

Secunda conclusio. Diuinæ processiones non sunt immediatè ab essentia, seu ex fœcunditate naturæ diuinæ, in quantum natura est, & ab intellectu & voluntate secundum rationem distinguitur: & consequenter, processiones actiuæ personarum producentium, non sunt actiones naturæ formaliter, præscindendo eam ab intellectu & voluntate. Ita planè omnes, & Patres, & Scholastici, vno excepto Durando 1. d. 6. q. 2. Enim vero qui scripsere ante Durandum de diuinis processionibus, vel eas expresè tribuunt intellectui & voluntati, vt referam sequentibus dubitationibus; vel si tribuunt naturæ, siue essentiæ, siue substantiæ, intellectum & voluntatem nulla ratione excludunt; quæ tamen expresè excludit Durandus, vt maximè patet illis verbis n. suo 11. *Licet natura Dei sit in Deo intelligens & volens, ex hoc tamen nulla fœcunditas ineſt ei ad producendum quantumcumque personam: sed sicut calor ignis, si esset intelligens, causaret caliditatem sibi similem fœcunditate naturæ sua, sicut nunc facit, nec ad hoc aliquid cooperaretur suum intelligere, aut velle; sic natura diuina, licet sit intelligens & volens, ex infinitate sua habet fœcunditatem, quòd virtute eius, persona sit à persona; ad quam tamen nihil, intelligere aut velle cooperatur.* Et paulò ante ita concluserat. *Ergo exclusis à Deo per intellectum intellectu & voluntate cum omnibus actibus suis, adhuc esset in diuinis generatio Filij, & spiratio Spiritus sancti.*

Est omnium contra Durandum.

Qui verò scripserunt post Durandum, eius sententiam non solum omnes rationibus impugnarunt, sed grauius etiam plerique censuris damnarunt. Argentinas 1. d. 10. q. vnica art. 2. ait quòd à *dictis sanctorum Doctorum videtur expresiè deuiare.* Marsilius q. 14. art. 2. quod *satis differt, & distat à dictis Sanctorum.* Torres hîc, art. 5. disp. vnica, p. p. fine eam vocat *falsam, periculosam, & temerariam, ne dicamus erroneam.* Rada controuersia 9. art. 1. conclusione 1. *Non solum falsam, sed etiam temerariam, & fortè erroneam.* & infrà, *in fide periculosam.* Bagnes ibidem, conclusione 1. *periculosam, valde temerariam, & proximam errori.* Zumel disp. 1. conclusione 2. *temerariam, & fortè erroneam.* Molina disp. 3. *Non solum falsam & temerariam, sed etiam periculosam in fide, imò etiam erroneam.* Valentia puncto 2. *temeritatem alienam à sententia orthodoxa.* Suarez lib. 1. c. 5. n. 4. *temerariam, & errori proximam.* Arrubal disp. 97. n. 4. *erroneam*, & ipsemet S. Thomas hic in fine corporis, cum docuisset quòd in diuinis *accipienda est processio secundum emanationem intelligibilem, vt potè Verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipso*, immediatè post subdit, *& sic Fides Catholica processionem ponit in diuinis.*

Opinio Durandi non saluat numerum processionum.

Rada. Bagnez. Zumel. Molina. Valentia. Suarez. Arrubal. S. Thomas.

208. *Rationes cõclusionis.*

Probatur conclusio primò, quia duabus sequentibus dubitationibus cum omnibus Scholasticis probabimus, Scripturam & Patres omnes valde expresè tradidisse diuinas processiones per intellectum & voluntatem. Ergo temerè dicitur, Intellectum & Voluntatem impertinenter ad illas se habere. Secundò Durandi sententia mysterium diuinarum processionum, ex se profundissimum ac difficillimum, adeò implicat, vt illud reddat inintelligibile, & euidenter impossibile, & incredibile; cum non possit rationabiliter explicare nonnulla, quæ de illis Fides docet, v. g. Fide credimus, duas tantum esse processiones in diuinis, alteram Filij, alteram Spiritus sancti: hunc autem processionum numerum sententia Durandi nullo modo tueri potest. Enim verò quæuis vna diuina processio est simpliciter infinita & necessaria, communicans tantum, quantum communicari potest, hoc est, totam absolutam perfectionem sui principij. Ergo si hoc principium non est aliud nisi ipsa natura vt sic, eius fœcunditatem adæquatè explebit vna processio, per quam secundum Durandum non communicatur formaliter, & per se ex vi formali processionis, quæ ponitur merè naturalis, nisi natura vt formaliter natura. Quòd si vna processio prædictam fœcunditatem non expleuit, & propterea additur alia processio, non poterit vlla congrua ratio assignari, cur hæc secunda expleuit, & non possint aliæ processiones introduci post secundam, sicut introducta est secunda post primam. nulla enim prorsus ratio fingi potest excludens tertiam, quæ secundam pariter non excludat, cum secunda sit omnino similis primæ, ab eodem scilicet principio, sub eadem prorsus formalitate considerato. Confirmatur, quia si aliquis assereret, per intellectum eadem ratione procedere duas personas, vt duo Verba, duos Filios, non posset intelligibiliter vitare aliarum æquè similium personarum processionem per eumdem intellectum. Nam si secunda non procedit alio formali modo quàm prima, hoc est, per intellectum, vt intellectum

lectum formaliter, ergo eodem modo procedere deberet tertia, & sic de quarta, & alij in infinitum. Et idem, si diceremus, per voluntatem procedere eodem modo duas personas. Ergo cum Durandus velit, primam personam per naturam producere secundam, & secundam per eamdem naturam producere tertiam, cur similiter hæc tertia post secundam non producet aliam quartam personam per eamdem naturam habentem fœcunditatem infinitam, sicut secunda post primam eodem modo, eademque ratione produxit tertiam.

209. *Non saluat ordinem processionum.*

Docet quoque Fides, processionem Filij prioritate originis esse priorem processione Spiritus sancti, & propterea Filium esse & numerari secundam personam, tertiam verò Spiritum sanctum; & Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, non autem procedere Filium à Patre & Spiritu sancto. At verò si ambæ personæ procedunt eodem formali modo, immediatè ab ipsa natura diuina vt præcisa ab intellectu, & voluntate, &, vt supra dicebat Durandus, eodem modo procederent, etiamsi per impossibile illa natura non esset intelligens & volens, nulla prorsus apparet ratio, cur altera sit prior, altera posterior; & quæ necessitas fuerit ob quam Spiritus sanctus processerit à Filio, & non Filius à Spiritu sancto, & consequenter, Filius non sit tertia persona, Spiritus sanctus secunda.

210. *Non saluat diuersitatem processionum & principiorum.*

Præterea fide constat, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio: & ex duabus personis procedentibus vnam generari & esse filium, non autem aliam. Hæc autem nulla ratione percipi & credi posse videntur, si processionis diuinæ principium immediatum, & formale, tam respectu vnius, quam respectu alterius personæ procedentis, est prorsus idem, & eodem formali atque indiuisibili modo se habens: tunc enim nulla esset ratio, cur ambæ personæ procedentes, non procederent à solo Patre immediatè, & omnino simul simultate originis; quia in Patre est sufficiens virtus ad immediatam productionem vtriusque personæ, nec ordine originis processio Spiritus sancti præsupponere deberet processionem Filij, quoniam in ea sententia Spiritus sanctus non originaretur per volitionem, quæ ex natura sua præsupponit intellectionem, sed ex præcedente alia natura, siue essentia, qua nihil aliud fingi potest aliqua ratione prius. Præterea in ea persona, quę dicitur genita, & Filius, id profecto, seclusis intelligendi, & volendi rationibus, quæ ad hoc dicuntur nihil cooperari, non aliunde haberetur, nisi quia procedendo immediatè ex ipsa indiuisibili ac simplicissima natura sui principij, eam naturam accipit ex vi formali suæ processionis. Sed hoc totum, & eadem omnino ratione non minus haberet alia persona, procedens immediatè ex eodem principio, & eodem formali modo, ergo hæc etiam non minus esse ac dici deberet genita, & Filius. Verè igitur ista opinio præcipuas huius sanctissimi mysterij veritates grauissimè perturbat & confundit; & ideo videtur à fidelium mentibus penitus reiicienda. Demum, vt sapientissimè obseruauit noster Suarez suprà n. suo 10. Durandus in ipsa sua opinione minus rectè procedit, loquendo de essentia Dei vt præcisa ab intellectu; quia, inquit Suarez, & nos in primo tomo latè probauimus, *essentia diuina in suo essentiali, & quasi specifico esse constituitur per suum intelligere.* Si igitur diuinæ processiones sunt immediatè ab essentia, erunt maximè immediatè ab intellectu, qui nostro modo intelligendi, in ipsorum terminorum natura fundato, est gradus illius essentiæ vltimò constituendus.

Obseruatio Suarez contra Durandum.

211. *Prima Durandi obiectio.*

Obiicies ex Durando primò in n. 4. *Hilarium lib. de Synodis, vbi dicit, Quòd omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, Filio verò natura dedit. Et Augustinus 15. de Trinitate dicentem, Verbum, per quod omnia facta sunt, esse Filium Dei natura.*

Respondetur Hilarium & Augustinum esse pro conclusione.

Respondeo, similes propositiones non solum in Hilario & Augustino, sed passim in cæteris Patribus legi, quos infrà, q. 41. art. 2. in proprio loco referam. Nimirum in sensu longè diuerso ab eo, quem intendit Durandus. Vnde ipsemet Hilarius eodem libro de Synodis, canone 5. & lib. 12. de Trinitate aliquantò ante finem Filium Dei vocat, *Sapientiam genitam.* Sapientia autem non gigni potest à natura, vt præcisa ab intellectu. Idem etiam Augustinus eodem lib. 15. de Trinitate c. 14. clarissimè ait, *Verbum Dei de scientia Patris natum est.* Ergo cum vocat, *Filium Dei natura*, per naturam non potest intelligere aliquid à scientia & intellectu Dei præcisum. & c. 20. initio vbi leguntur verba, quæ Durandus citat, ipsemet ita exponit, *Filium Dei esse natura, hoc est, de substantia Patris genitum*: nimirum in sensu explicato dubitatione præcedenti: vnde in hac Dei natura idem Augustinus c. 6. & c. 13. & sæpè alibi sapientiam includit, & propterea docet, Filium Dei esse *sapientiam de sapientia*: à qua tamen sapientia vult Durandus in processione Verbi, naturam Dei Patris præscindere. Præterea si sensum Durandi spectassent Patres, non solum docere debuissent, *Filium à Patre procedere natura, non voluntate*: sed etiam, imò potiori ratione, loquentes de *Verbo quod multò magis pertinet ad intellectum, quàm ad voluntatem, addendum fuisse, procedere natura, non intellectu, nec voluntate*; quod tamen in nullo legitur. Illud igitur sæpè Patres docuerunt in aliis sensibus.

Quid sit apud Patres, Filium procedere natura, non voluntate.

Vel primò quia vt docet S. Thomas infrà q. 30. a. 2. ad 2. processio Filij est generatio à voluntate nullo modo procedens, sed ab intellectu per modum naturæ, cum ex vi talis processionis communicetur ipsa natura diuina, vt dicetur art. sequenti. Vel secundò quia Verbum, quamuis ex Patris intellectu ac sapientia genitum, tamen est filius naturalis per essentiam, non adoptiuus per gratiam, & liberam Patris voluntatem. Vel potius tertiò quia processiones diuinæ, siue ab intellectu, siue à voluntate immediatè principiętur, non sunt voluntariæ ex libera producentis voluntate, sed necessariæ necessitate naturali; in quantum non possunt simpliciter non esse, neque aliter esse, quàm sunt, ex ipsa natura sui principij, quodcumque illud sit.

212. *Secunda obiectio Durandi.*

Obiicies secundò ex eodem Durando n. suo 10. Generatio Filij, & spiratio Spiritus sancti sunt radicaliter ex fœcunditate naturæ. Hanc autem fœcunditatem habet natura ex sua infinitate, & non ex eo, quòd sit intelligens, aut volens.

Respondetur in natura esse fœcunditatē remotam.

Respondeo, fœcunditatem quasi remotam & radicalem habere ex infinitate; proximam verò & quasi formalem habere ex intellectione & volitione; per quos actus vitales debet necessario fieri vitalis communicatio illius perfectissimæ naturæ viuentis tantum vita intellectiua, vt plenius ostendam infrà, n. 225.

213. *Tertia obiectio Durādi.*

Obiicies tertiò ex n. 11. *Secundùm idem proportionaliter competit fœcunditas creaturis, & Deo, sed fœcunditas aliquid producendi competit creaturis, non ex hoc quòd sunt intelligentes & volentes, sed per aliquid aliud prius, & communius, nempe naturam, seu formam, in qua intellectus & voluntas radicantur. Vnde & virtus generandi inuenitur in rebus inanimatis, carentibus intellectu,* vt in brutis; *& vbi inuenitur in rebus habentibus intellectum,* vt in homine, *hoc non est per intelligere & velle, aut per aliquid ad hoc pertinens. Ergo similiter est in Deo.*

Respondetur processiones increatas

Respondeo, inconuenienter Durandum in hoc comparare Deum cum creaturis, enim verò posset eodem

malè comparari cum creatis.

modo argumentari aliquis Arianus, scilicet non dari in Deo processionem ad intra personæ consubstantialis, quia nulla creatura potest suam substantiam communicare, etiam per immediatam actionem ipsius naturæ, sicut ponit Durandus. Disparitas igitur manifesta est, quoniam creatura, vt creatura, non potest ita perfectè generare, vt producat aliud sibi consubstantiale in eadem numero natura: & propterea non potest generare vt viuens intellectuale, per actus immanentes, sed necessariò generat per actionem transeuntem in naturam externam à se diuersam; ad quam productionem habent, se omnino per accidens intellectus & voluntas. At in diuinis est perfectissima generatio per communicationem eiusdem numero naturæ, & ideo fieri debet perfectissimo modo, & longè diuerso à modo imperfecto generationis creatæ, nimirum per actiones immanentes, & nobilissimas intellectionis, & volitionis.

DVBITATIO X.

An intellectus personæ producentis sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis.

SVMMA.

1 *Conclusio affirmatiua. Probatur primò ex nomine ac ratione Verbi, n. 214. ad 218.*
2 *Probatur secundò ex eo quòd filius Dei vocetur sapientia, n. 218.*
3 *Probatur tertiò ex illo Eccles. 28.* Ego ex ore Altissimi prodiui, *n. 219.*

214. *Conclusio affirmatiua S. Thomas.*

VNica conclusio. Prima processio Filij Dei est immediatè per actionem intellectus Patris, *scilicet intelligere*, vt exponit S. Thomas hîc post medium corporis, qui in fine de hac conclusione explicitè tantùm loquens dixit, *Sic Fides Catholica processionem ponit in diuinis*: & ideo ab Arrubal disp. 97. n. 4. meritò dicitur, *conclusio certa secundum fidem*, à qua, præter Durandum, de quo suprà, verè nullus Theologus dissentit, vt ostendam dubitatione sequenti. Inter alios, vt præcipuos tantum afferam, eam expressè docuerunt S. Thomas tum in hoc primo articulo, & secundo loquens iuxta hanc conclusionem de sola processione Filij, tum art. 3. 4. & 5. loquens etiam de processione Spiritus sancti: & in multis aliis locis, quem Thomistæ & Interpretes omnes sequuntur. Item Alensis p. p. q. 42. membro 2. & q. 43. membro 3. art. 1. & 4. Magnus Albertus 1. d. 10. art. 3. & d. 27. art. 6. & in summa p. p. tractatu 7. q. 30. membro 2. Bonauentura 1. d. 2. q. 4. & d. 27. art. 2. q. 1. Ægidius 1. d. 5. part. 2. q. 1. fine corporis, & d. 10. p. p. q. 1. & 2. & part. 2. q. 3. circa fin. corporis propositione 2. & ad 1. & d. 27. part. 2. q. 1. 2. & 3. Henricus quodlibeto 6. q. 1. & in summa, art. 54. q. 9. & 10. & art. 60. q. 1. Riccardus 1. d. 2. art. 2. q. 2. & d. 27. a. 2. q. 1. & 2. Scotus d. 2. q. 7. & d. 27. q. 1. & 2. & quodlibeto 2. q. 1. & 2. Scotistæ, & reliqui omnes.

Arrubal. Alensis. Albertus. Bonauent. Ægidius. Henricus. Riccardus. Scotus.

215. *Probatur ex Scriptura.*

Hæc veritas creditur potissimum authoritate Scripturæ, in qua etsi diuersis verbis non dicatur, Filius Dei procedere per intellectum Patris, tamen ea de Filio Dei dicuntur, quæ commodè ac probabiliter intelligi nequeunt, & à Sanctis omnibus non intelliguntur absque illius processione ab intellectu paterno. Primò sæpe vocatur Verbum, vt Ioannis 1. & 1. Ioannis c. 1. & 5. & Apocalypsis 19. vbi euidenter constat esse propriissimam denominationem: tum quia Ioannes initio sui Euangelij intendens ex instituto docere naturam & diuinitatem Filij Dei, illum quater, & absolutè ac simpliciter appellat Verbum, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum est.* manifestè indicans, Filium Dei vel nullum aliud simpliciter habere nomen, vel saltem nullum aliud magis proprium, præter nomen Verbi. tum quia maxima vocis proprietas apertius significatur verbis Apocalypsis 19 *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse; & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei.* Vnde S. Thomas infrà q. 34. art. 1. ad 1. testatur, *quod Ariani, ex eo quòd posuerūt, Filiū alium à Patre esse in diuersitate substantiæ, conati sunt, cum Filius Dei Verbum dicitur, astruere, non esse propriè dictum; ne sub ratione Verbi procedentis cogerentur fateri, Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam Verbum interius sic à dicente procedit, quòd in ipso manet.* & ideo 1. d. 27. q. 2. art. 1. initio corporis grauissimè scripsit, *Absque omni dubio cōstendum est, Deum esse Verbum & propriè Verbum dici.* Hoc igitur propriissimo Filij Dei nomine satis declaratur eius processio per intellectionem, quoniam Verbum in re merè spirituali atque intellectuali non esse potest aliud nisi mentale, quod spiritualiter dicitur, hoc est, ab intellectu producitur. Atque ob hanc personalis ac subsistentis Verbi consubstantialis incomprehensibilem processionem ab intellectu Patris, de qua scriptum est Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* De hoc nomine dixit Ioannes suprà, *Quod nemo nouit nisi ipse.* Et Ecclesiastici 1. dicitur, *Fons sapientiæ, Verbum Dei*: quod scilicet ex infinita Patris sapientia emanauit. Neque refert quòd in allatis Ioannis Verbis, vbi Latinus noster Interpres vertit Verbum, multi veteres & graues Authores vertant sermonem, seu rationem; vt Tertullianus aduersùs Hermogenem c. 18. & 20. & 45. & aduersùs Praxeam c. 7. & 8. 12. 13. 15. 20. 21. & sæpius infrà. Cyprianus lib. 2. aduersùs Iudæos c. 3. & 5. Ambrosius lib. de Fide contra Arianos c. 2. circa medium. Hieronymus in c. 11. Isaiæ circa principium. Augustinus tractatu 108. in Ioannem ante medium. *In quibusdam*, inquit, *codicibus scriptum est, In principio erat sermo*, & alij; nam & Ratio manifestè ad intellectum pertinet; & sermo Dei, apud ipsummet Deum, alius esse non potest nisi intellectiuus, prolatus ab intellectu Dei Patris, spiritualiter & intellectualiter dicentis & loquentis intra se ipsum. Quamquam Augustinus lib. 83. qq. q. 63. ait, *In principio erat Verbum. Quod Græcè λόγος dicitur, Latinè & Rationem & Verbum significat. Sed hoc loco melius Verbum interpretamur, vt significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt.* Verbum autem vt formaliter Verbum, non potest alium magis formalem, & immediatum respectum habere ad Patrem, nisi vt ad spiritualiter loquentem per intellectum suum.

S. Thomas. *Cur Ariani negauerint Filium Dei propriè Verbum.*

Apoc. 19.

Tertullian. Cyprianus. Ambrosius. Hieronym. Augustinus

Filium Dei vocari propriè Verbum & Ioanne.

216. *Probatur ex ibus. Nazianzen.*

Hoc idem argumentum ductum ex nomine ac ratione Verbi, Patres communiter vrgent ad idem probandum. Nazianzenus oratione 4. de Theologia non longè à fine, docet, Filium Dei dici sermonem, *quoniam ita se habet ad Patrem, vt ad mentem sermo.* Basilius homilia 16. in initium Euangelij Ioannis, paulò post medium ait, *Cur Verbum? Vt quod ex mente procedit, ostendatur.* Et lib. 5. aduersùs Eunomium, aliquanto post medium, *Pater, Filij genitor: vt mens Verbi, pater; vt potentia potentis; vt sapiens qui sapientiam genuit.* Immediata Filij processio ab intellectu clarè exprimitur, dum Pater dicitur, *vt mens Verbi*, genuisse Filium: & sapientia à sapiente ita esse, vt est potentia à potente: sed potentia est immediatè à potente vt formaliter potente, ergo sapientia est à sapiente vt formaliter sapiente. Athanasius de sententia Dionysij paulò post principium, *Quis hominum*

Basilius.

Athanasius.

ausit

ausit dicere, Verbum, quod ex corde Dei progressum est, ex non entibus existere, neque id esse eius, qui loquitur, partum? & non longè à fine, refert Dionysium Alexandriæ Episcopum, ita docere, *Verbum promanationem mentis nominari conuenit, idémque, vt quasi de hominibus loquamur, ex corde per os effunditur.* Et paulò post, quemadmodum, inquit, *noſtra mens eructat ex se verbum; est que mens, verbi pater, verbum autem veluti filius mentis, quod ab illa progerminatum est: eodem quoque modo Pater maximus, & in solidum mens, Filium suum Verbum, interpretem & nuntium sui habet.* & oratione 5. contra Arianos in illud, *Ex Deo Deus*, multò post medium, *Quis ex Patre est, nisi Verbum ex corde progressum, & ex vtero genitum?* Irenæus lib. 2. aduersùs hæreses, c. 28. fine clarissimè habet, *Ex cogitatione Verbum emittitur: hoc vtique omnes sciunt homines.* Quãuis initio eiusdem capitis quædam legantur, minus clarè scripta, quæ ingeniosioribus dilucidanda relinquo, Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 6. non longè à fine cum docuisset, in Trinitate Deo esse, *Dicentem & Verbum eius, id est*, inquit, *Patrem & Filium, atque inde procedentem charitatem, vtrique communem scilicet Spiritum sanctum.* Vnde in fine capitis concludens, ita Trinitatem explicat per ordinem ad intellectum & voluntatem, *Ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, & notitia sui, & dilectio sui. Sic enim & in homine inuenimus trinitatem, id est, mentem, & notitiam, qua se nouit, & dilectionem qua se diligit.* & c. 10. circa finẽ, vt explicèt illud, *In principio erat Verbum*, &c. ait, *Necesse est enim cum verbum loquimur, id est, cum scimus loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod eiusmodi sit omnino, cuiusmodi est illa scientia de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus*: hoc est, in intellectu, quia paulò ante probauerat, his loquendi modis, cordis nomine mentem significari, vt Lucæ 5. *Quid cogitatis in cordibus vestris?* & Matthæi 15. *De corde exeunt cogitationes malæ.* Et c. 14. prope principium, *Se ipsum dicens Pater, genuit Verbum, sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integrè, perfectéque dixisset si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso. Et ideo Verbum hoc verè veritas est, quoniam quicquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est.* Fulgentius lib. 3. ad Monimum, aliquanto ante finem, *Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum. Cum enim mens apud se verbum habet, vtique cogitando habet: quia nihil aliud est, apud se dicere, quam apud se cogitare. Cùm ergo mẽs cogitat, & cogitando, verbum intra se generat, re sua substantia generat verbum; & sic illud verbum generat de se, vt genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum quod ex mente nascitur, quàm est mens de qua nascitur, quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum.* Et alia multa addit, quæ intentum noſtrum perspicuè demonstrant. Non minus clarè ac doctè Cyrillus multis in locis. Nam lib. 1. in Ioannem c. 5. paulò post medium, *Filius appellatur Verbum ac sapientia, quoniam ex intellectu immediatè, atque indiuisibiliter est.* Nam vt priùs in c. 4. non longè à medio vniuersalissimè docuerat, *Omne verbum alicuius verbum est, eius videlicet qui lingua loquitur, aut eius qui corde cogitat.* Et lib. 1. Thesauri c. 7. multò post principium, *Si stultum est, arbitrari nihil ab humano intellectu prodire: quomodo non erit absurdum, supremum intellectum, qui Deus est, quique omnem intellectum excedit, infœcundum opinari?* & post multa, *Intelligendum, sic ex Patre natum Filium, vt sapientia ex mente.* Et lib. 6. c. 1. circa principium docet, separabilem non esse Filium Dei à Patre, quia separari non potest, inquit, *Verbum è mente, siue intellectu.* Et lib. 7. c. 1. initio, *Verbum ipse* (hoc est, Ioannes initio sui Euangelij;) *Filium hic appellat, vt hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filij maximè significatiuum, elegisse videatur.* Et ideo, inquit, *cum verbum dixerit, nihil aliud opposuit, nec dixit: sufficit enim sibi ad significandum ipsum esse Filij, Verbum dixisse.* & iterum c. 2. fine, *Ioannes Euangelista appellationem Verbi, tanquam maximè propriam Filio Dei posuit.* Theodoretus in epitome diuinorum decretorum c. de Filio, multo post medium, *Vnigenitus Filius ex Patre est genitus: est autem vnà cum mente, vt Verbum cum eo qui genuit.* Damascenus lib. 1. Fidei c. 18. circa finem loquens de Deo, *qui est substantiale Verbum, & in propria subsistens hypostasi*, ait, *Verbum est naturalis mentis motio, Verbum est, quod internum, & in corde premitur. Verbum est nuntius intelligentiæ.* Anselmus in Monologio c. 30. circa mediũ, *Si nullum in illo Verbum esset, nihil apud se diceret; cum idem sit illi sic dicere aliquid, quod est intelligere. Non aliquid intelligeret, si nihil intelligeret. Ergo summa sapientia nihil intelligeret, quod absurdissimum est*, & in fine loquens de æterna Dei Patris sapientia, ita optimè arguit, *Si æternè se intelligit, æternè se dicit. Si æternè se dicit, æternè est Verbum eius apud ipsum.* Et c. 32. initio, *Quis neget, summam sapientiam, cum se dicendo intelligat, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est, Verbum suum.* Deinde ex eo quod, vt docet c. 46. paulò post principium, *Rem cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est, mente eam dicere; Verbum verò rei, est ipsa cogitatio ad eius similitudinem ex memoria formata*; colligit, quod *sicut Verbum congruè intelligitur proles, ita memoria, parentis nomen aptissimè suscipit.* Vnde c. 47. concludit, quòd Filius Dei sit, *memoria nata de memoria, sapientia nata de sapientia.* Euthymius exponens illud, *In principio erat Verbum*, ait, *Verbum propriè significat Dei Filium. Dicitur namque Verbum, prout dicit Gregorius Theologus, quòd ad Patrem ita se habeat, sicut Verbum ad mentem; non tantum ob generationem, quæ omni affectu caret humano, verum etiam propter connexionem, & manifestationem.*

Eadem docent passim alij tam Patres, quàm Scholastici, ex quibus formatur hæc demonstratio Theologica ex Maiori nota lumine naturæ, & Minori certa de fide, & in bona consequentia, cuius conclusio vt inclusa in propositione fidei, & explicata, est de fide, ex probatis tomo 1. q. 1. a. 2. dub. 5. Omne Verbum internum & spirituale, vt formaliter Verbum, procedit per se, & immediatè ex intellectu & intellectione eius, cuius est Verbum. Sed Filius Dei est propriè Verbum Dei Patris internum, apud ipsum Deum Patrem, & spirituale. Ergo Filius Dei procedit per se, immediatè, & formaliter ex intellectu, & intellectione Dei Patris. Ergo processio Filij Dei non habet pro suo principio immediato naturam Patris, vt præcisam ratione ab intellectu, & intellectione Patris.

Secundò, sæpè etiam in Scriptura idem Filius tamquam proprio nomine vocatur sapientia. Ecclesiastici 1. *Prior omnium creata est sapientia. Fons sapientiæ, Verbum Dei.* Et cap. 24. sapientia Dei genita dicit de se ipsa, *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Quod de Verbi generatione intelligendum esse, ostendi suprà n. 4. Sicut eadẽ Prouerbiorum 8. vt explicatum est suprà à n. 6. ad 17. dixerat, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* Et Paulus 1. ad Corinthios 1. Christum Filium Dei vocat, *Dei sapientiam*, & propterea ad Colossenses 2. de Christo Iesu, Filio Dei Patris, ait, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientia absconditi.* Sapientia autem, ex formali sua ratione, generari non potest, nisi à Patre vt formaliter sapiente, & intelligente, vt ex Basilij verbis argumentatus sum suprà n. 216. initio. Vnde Augustinus lib. 6. de Trinitate c. 2. initio de Patre ait, *Ea sapientia sapiens est, quam genuit.* Quod lib. 7. c. 1. fusiùs probat, potissimum ex eo quòd Paulus suprà, Christum esse dicat, *Dei sapientiam*: & ideo in fine capitis 1. & c. 2. Christus dicitur, *sapientia de sapientia*, &, *nata sapientia*, quæ profectò immediatè nascitur ex intellectu, ita vt præciso intellectu sit prorsus impossibile, sapientiam nasci. *Sapientia quidem Patris, Filius appellatur*, inquit Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 5. post medium, *Quoniam ex intellectu immediate atque indiuisibiliter est.* Eodem Spiritu clarè supponunt Patres, nullam aliam sapientiam esse in Deo Patre præter sapientiam personalem Filij ab ipso genitam, & consequenter, ab ipsius intellectu immediatè procedentem, dum contra Arium asserentem, Deum Patrem esse æternum, non Filium, arguunt, vt scripsi suprà n. 57. Inde sequi, Patrem aliquando fuisse sine sapientia. Et ideo Augustinus de Fide & Symbolo c. 4. initio probat, Filium Dei non esse ex tempore genitum, *Quoniam sempiternus Deus sapiens, sempiternam secum habet sapientiam suam. Quæ ratiocinatio*, inquit lib. 6. de Trinitate c. 1. circa initium, *ad id cogit, vt dicamus, Deum Patrem non esse sapientem nisi habendo sapientiam, quam genuit.* Certè autem constat sapientiã absque intellectu haberi, & gigni non posse.

Illud denique, *Ex ore Altissimi prodiisti*, videtur potissimum ad rem facere: quia ibi per os Patris non potest aliud significari nisi intellectus Patris. Et ideo, rectè, inquit, Ambrosius lib. 1. de Fide, c. 5. paulò ante medium, *Audis os, cognosce sapientiam*, sicut enim in substantiis sensibilibus illud propriè dicitur os, quo corporaliter dicunt & loquuntur; ita in substantiis intellectualibus illud per metaphoram dictum est os, quo spiritualiter dicunt ac loquuntur, & non est aliud quam intellectus: qui etiam nomine vteri significatur Psalmo 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*: & nomine sinus, Ioannis 1. *Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris*, & ideo additur, *Ipse enarrauit*, quod ad intellectum pertinet. Quamquam oris nomine voluntatem etiam significari, negandum non est: quoniam illud Psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Patres & Interpretes omnes, quos eruditè refert ibi noster Lorinus, de sanctissima Trinitate dictum accipiunt, cum ibi fiat expressa mentio & Verbi, & Domini Patris, à quo dicitur, & per intellectum generatur Verbum; & Spiritus sancti, qui per os eiusdem Patris & Filij procedit, nimirum per voluntatem. Cum enim ex ore hominis non solum procedat Verbum vocale externum, quo Verbum mentale internum in ipsomet intellectu conceptum significatur; sed etiam habitus corporeus & exterior, quo significatur amor internus, à voluntate, & in voluntate spiratus, Deo Patri accommodatissima vocis translatione tribuitur os, non solum ratione intellectus, à quo immediate procedit secunda Verbi, ac Filij persona, verum etiam ratione voluntatis, à qua immediate procedit tertia Amoris, & Spiritus sancti persona. Quare siue illud, *Eius*, referatur ad Verbum, & intelligatur, *Spiritu oris Verbi*, vt accipit Tertullianus contra Hermogenem c. 45. & contra Praxeam c. 7. & 19. siue, quod verborum structuræ videtur cõgruentius, referatur ad Patrem, & intelligatur, *Spiritu oris Domini Patris*, vt ibi accipiunt Basilius, & Apollinaris, idem omnino sensus redditur; quia verè Spiritus sanctus procedit, & spiratur per vnicum os, nempe voluntatem Patris & Filij: & si hoc os alteri tantum tribuitur, non propterea alter excluditur. Atque hæc, quæ ex Scripturis, & Patribus certiora visa sunt, sufficiãt ad conclusionem confirmandam. Nam quæ ad rationem spectant, commodius afferentur dubitatione sequenti, vbi etiam Durandi obiectionibus satisfiet.

Cordis nomine significari intellectum Luc. 5. Matth. 15.

Ioan. 1.

Ireneus.

Augustinus.

Cyrillus.

Fulgentius.

Damascen.

Anselmus.

Euthymius.

Augustinus.

Theodoret.

Cyrillus.

Augustinus.

Ambrosius.

Exponitur locus Ioan. 1.

Exponitur locus Ps. 32.

Lorinus.

Tertullian.

Basilius. Apollinaris.

217. *Probatur ratione.*

218. *Filium Dei vocari sapientiam Ecclesiast. 1. 24.*

219. *Exponitur locus Ecclesiast. 24.*

DVBITATIO XI.

An voluntas personæ producentis sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis.

SVMMA.

1 *Conclusio affirmatiua omnium cõtra Durandũ, n. 220.*
2 *Nec Ariminensem, nec Ocamum, nec Riccardum Victorinum esse in contrarium, n. 221. ad 224.*
3 *Conclusionis probationes, n. 224. ad 227.*
4 *Responsiones ad obiectiones Durandi, n. 227. ad 234.*

VNica conclusio. Secũda Spiritus sancti processio est immediatè per actionem volũtatis, quæ propriè dici potest velle, sicut suprà n. 214. actio intellectus, per quam procedit Verbũ, dicta est intelligere. Hæc non minus certa, & communis est, quàm conclusio præcedentis dubitationis. Eam expressè docuerũt S. Thomas infrà, a. 3. & 5. Alensis p. p. q. 43. membro 3. a. 1. & 4. Albert. l. d. 10. a. 2. 4. 6. & 7. & in summa, p. p. tract. 7. q. 31. membro 2. Bonauent. l. d. 6. q. 2. & d. 10. per totam, præsertim a. 1. q. 1. Ægidius 1. d. 10. p. p. q. 1. & 2. & parte 2. distinct. q. 3. circa finem corporis propositione 2. & ad 1. Henricus quodlibeto 6. q. 1. & in summa a. 43. q. 9. & 10. & a. 60. q. 1. Riccardus l. d. 2. a. 2. q. 2. & d. 10. a. 1. q. 1. Scotus d. 2. q. 7. & d. 10. q. 1. & quodlib. 2. q. 2. & Thomistæ, & Scotistæ, aliique omnes, præter Durandum l. d. 6. q. 2. à quo in n. fuo 5. ram hæc, quàm præcedentis dubitationis conclusio, quæ est verissima atque omniũ communissima sententia, temerè dicitur *imaginatio quorumdã non bona*. Nam cum ipso nemo verè sentit.

220. *Conclusio affirmatiua.* S. Thomas. Alensis. Albertus. Bonauent. Ægidius. Henricus. Riccardus. Scotus. *Contra Durandum.*

Non primò Ariminensis, quẽ pro ipso citant Valẽtia hîc, púcto 3. Zumel disp. 4. initio, Arrubal disp. 97. n. 3. Quamuis n. 1. d. 10. q. 1. a. 2. dicat, & probandum sumat, *Quòd voluntas non est principium Spiritus sancti productiuum*, tamen expressè declarat, se hoc asserere in eo sensu quò prius in dist. 7. q. 1. a. 2. probauerat, *Quod essentia diuina non est principium productiuum Filij*. Vbi nihil aliud intendit, vt sæpè, & clarè ibi notat, nisi: Neque re ipsa, neque ratione posse in diuinis assignari duo processionum principia, alterum *quod*, alterum *quo*; sed solum dari vnicũ ac simplicissimum principium *quod*, & nullum prorsus principium *quo*; quæ est alia quæstio longè diuersa, inferius tractanda, cum de notionalibus disseremus. Sed posita distinctione, saltem rationis ratiocinatæ inter Dei essentiam, intellectũ, & voluntatem, dicturus sine dubio fuisset Ariminensis, Processionum diuinarum principium *quo* proximum, & immediatum, non esse essentiam, sed intellectum, respectu processionis Verbi; & voluntatem, respectu processionis Spiritus sancti. Vnde primo loco citato apertè fatetur, *quòd voluntas diuina sit Pater, qui est principium productiuũ Spiritus sancti*. & ad 3. concedit, *quòd Spiritus sanctus est charitas Patris & Filij*. & propter hoc statim asserit, *quod Spiritus sanctus producitur à Patre & Filio, qui sunt voluntas; & Pater & Filius, qui sunt voluntas, sunt principium producti iuum Spiritus sancti*. Quibus verbis sentire videtur, quòd Pater & Filius sunt immediatum principium processionis Spiritus sancti secundum explicitum conceptũ voluntatis, in quo tamen conceptu implicitè includãtur paternitas, & filiatio: aliter non posset intelligibiliter saluare, cur solus Spiritus sanctus, non Pater, aut Verbum, dicatur charitas duarum personarum. Et similiter sola secũda persona dicitur personaliter Verbum, quia secundum conceptum explicitum intellectus non voluntatis, aut paternitatis, à Patre procedit; esto ille conceptus explicitus intellectus includat implicitè voluntatem, paternitatem, & reliquas omnes diuinas rationes, tam absolutas, quàm respectiuas. quod pertinet potius ad controuersiam de distinctionibus diuinorum terminorum, de qua

221. *Quid sentiat Ariminensis.*

disputatum est in 1. tomo q.4. quam ad præsentem controuersiam de principio diuinarum processionũ. Denique in eodem planè sensu loquitur Arriminensis 1.d.17.q.vnica.vt patet ex §. *Alij assignant*.vbi tãtum obiter de eadem re breuissimè scripsit. Rectè igitur & cum pleno examine Suarez lib.1. c.5. n.2. Vazquez disputat.111. n.3. Gregorium excusarunt ab opinione Durandi.

222. *Quid sentiãt Ochamus & Gabriel.*

Non secundò Ochamus,quem refert,& explicat, & sequitur Gabriel 1.d.7.q.2.quia isti etiam nitũtur eodẽ falso fundamento de omnimoda indistinctione,etiam rationis,inter essentiã,intellectum, & voluntatem. Quare non negant,Processionem Filij per intellectum simpliciter,& Spiritus sancti per voluntatem simpliciter,sed solum, per intellectum aliquo modo distinctum ab essentia & voluntate,& per voluntatem aliquo modo distinctam ab essentia & intellectu, & per essentiam aliquo modo distinctã ab intellectu & volũtate;in quo vltimo sensu, ipsimet Durando expresè contradicunt.Tota igitur eorum dissensio est de distinctione,non de processione; de qua sanè nobiscum consentirent contra Durandum, si cum Durando distinctionẽ admitterent.Vnde pro communi sententia contra Durandum expresè dicunt, quòd si termini diuini sumantur,*vt connotant actum generandi,vel spirandi,conceditur.quòd Filius producitur per modum intellectus, & non Spiritus sanctus,id est, Filius generatur, & Spiritus sanctus non generatur, sed spiratur.* Et superiùs dixerant, *Quid nominis intellectus est illud principium producendi Verbum ; & voluntatis est illud principium spirandi Spiritum sanctum.* Connotare processionem Filij tribuunt nomini significanti intellectum , non voluntatem: connotare verò processionem Spiritus sancti tribuunt nomini significanti voluntatem , non intellectum : sed connotare aliquam processionem, siue Filij,siue Spiritus sancti,numquam tribuunt nomini significãti essentiam, non intellectum,nec voluntatem. Quo ad conclusionem nostram maximè accedunt contra Durandũ. Neque refert,quòd sæpè dicant, *essentiam sub ratione essentiæ esse principiũ eliciuũ vtriusque emanationis ; & diuinas productiones non fundari in actibus essentialibus,puta intelligere & velle*:quoniam id asserunt non formaliter propter processionem , quæ ex natura & formalitate sua postulat esse immediatè à principio quod sit essentia,vel præcisè, vt dicebat Durãdus, vel vt indistinguibiliter includens intellectum & voluntatem;sed solum materialiter propter ipsam essentiam diuinam secundum se, in qua contendunt isti nominales,vt patet ex Ochamo 1. d.2 q.1. & 2.ne mente quidem concipi posse vnum prædicatum absolutum sine alio Vnde dictas propositiones ex hac materialitate ita probãt, *Quia nulli sunt ibi actus essentiales quomodocunque distincti ab essentia;sed tantum est ibi vna essentia, quæ realiter & formaliter omnibus modis est intellectus,voluntas, intelligere,velle. Et ideo quicquid conceditur,vel negatur de vno horum terminorum , negatur vel conceditur de reliquo.* Quod autem in sensu formali nobiscum sentiunt nominales contra Durandum, colligo euidenter ex quadam hypothesi impossibili , quam in sententia sua facit Ochamus 1.d.10.q.1.litera Q. circa finem, vbi cum probasset, Spiritum sanctum nõ procedere *mediante sola voluntate,quia non est aliqua distinctio inter essentiam, voluntatem, actum volendi, & intelligendi*; ita statim conditionaliter limitat iuxta communem sententiam contra Durandum: *Si tamen esset aliqua distinctio,posset rationabiliter dici,quod sola voluntas esset principium Spiritus sancti: & eodem modo,quòd solus intellectus esset principium elicitiuum Verbi.*

223. *Quid sentiat Riccardus cæ Victorinus.*

Non tertiò cõtra conclusionem sentit Riccardus de S.Victore,quem non solum pię, sed verè etiã defendit Vazquez suprà c.1. tametsi aliqui posteriores contradicant.contendentes dixisse Riccardum, tam Spiritum sanctum, quam Verbũ procedere per voluntatem.Quod de Verbo ex terminis ipsis apparet incredibile;quia voluntatis formaliter nõ est loqui, seu dicere,& proferre Verbum;sed solum amare res per intellectum dictas,& Verbo præconceptas.Riccardus igitur toto lib.2.de Trinitate,qui maximè in contrarium affertur , solum probat pluralitatem & trinitatem personarum ex summa bonitate , & perfectissima charitate , ac felicitate diuinæ naturæ, quam contendit esse non posse sine tribus personis: an verò ex his personis vel omnes, vel duæ,vel vna procedat per volũtatem,ne verbum quidem. Quare sicut dixit Greg tom 3.homil.17.in Euangelia, initio, *Minus quàm inter duos charitas haberi non potest:nemo enim propriè ad semetipsum habere charitatẽ dicitur, sed dilectio in alterum tendit,vt esse charitas possit*;quod verum est,quicquid sit de processione personarum, quæ se mutuò diligunt:ita Riccardus sumens idem principium initio cap.2.*Nullus pro priuato & proprio sui ipsius amore dicitur propriè charitatẽ habere. Oportet itaque vt amor in alterum tendat,vt charitas esse queat. Vbi ergo pluralitas personarum deest,charitas omnino esse non potest*:incipit hinc probare personarum numerũ, non processionem:quam probationem iterum prosequitur lib.5. à cap.16. vbi in superioribus capitibus , processionem quidem probat vnius personæ ab vna inproducta , & alterius ab vna producta, & alia improducta : tamen an istæ processiones sint per voluntatem,an per intellectum, an per essentiã, ne leuissimè quidem tangit:sicut nec etiam lib.6.vbi etiam de processionibus ex instituto agit. Quare ex eo quòd Riccardus numquã dixerit,aliquam personam procedere per intellectum,non sequitur,ipsum sensisse,ambas procedere per volũtatem:quia neque hoc etiam vnquam dixit. Nã verba illa ex lib.6.c.6. quæ sola afferuntur, *Quamuis vterque procedat de voluntate paterna*:& iterũ in fine capitis, *Quamuis vtrinsque personæ productio procedat de voluntate paterna*;non probant indignã tanto viro sententiam,si mens Authoris ex præcedentibus diligenter attendatur.nam ex c.3.& 5.& ex ipsomet c.6 manifestum est in allatis verbis sumi voluntatem,non pro principio processionum,de quo nũc disputamus, sed pro actu volendi ipsas processiones ex suis principiis,quęcũque illa sint.Nam,vt docet S.Thomas infrà q.41.a 2.*Pater genuit Filium voluntate, non quidem importante habitudinem principij,sed designante concomitantiam tantũ: sicut & est voluntate Deus,quia vult se esse Deum,& vult se generare Filiũ.* Quærit igitur ibi Riccardus, cur in diuinis ex duobus procedentibus,vnus sit Filius,nõ alius ? & respondet citato c.6.rationem petendã esse *iuxta intentionem producentis innascibilis* , qui, inquit, *vnum habere voluit vt condignum,alium vt condilectum.* Quæ ratio repetitur c.7. & sicut est Authoris sui grauitate venerabilis,ita certè sententiã de vno eodẽque processionis modo non indicat:tũ quia aperte loquitur de voluntate respiciente processiones vt formaliter obiectum,non vt principiatum:tum quia dicendo, voluntatem Patris respicere Filium vt cõdignũ,non vt condilectũ;contra verò respicere Spiritum sanctum vt condilectũ,non vt condignũ:manifestè significat solum Spiritum sanctum,& nõ Filium esse terminum procedentẽ per dilectionem & voluntatẽ,aliter esset etiã condilectus Filius:tũ quia non obstãte illa conuenientia vtriusq; processionis, quòd vtraque sit *de voluntate paterna* , hoc est , quòd Pater vtramque voluerit , clarissimè tamen addit Riccardus , paulò ante medium capitis 6. *quod est in hac gemina processione causa diuersa.* & iterum in fine, *est tamen in hac productione vel processione gemina , ratio alia , & alia causa , & diuersa.* & in fine sequentis capitis septimi , *Est tamen alius procedendi modus in*

Gregorius.

S.Thomas.

in vno,& alius procedendi modus in alio. Ergo immeritò tribuitur Riccardo sentẽtia de vno eodẽque procedendi modo per voluntatem.Nec erat,cur cõtra illum scriberet Henricus in summa a.60.q.1.litera Q. *In hoc dicto suo Riccardus absque dubio,nimium attribuendo voluntati,excedit.* Adde, ipsum in c.11.nõ obscurè docuisse Verbi diuini processionem per intellectum.Docet enim solum Filium,ex sua proprietate dici Verbum,quia ipse solus est is, per quẽ *Patris sapientia manifestatur:& Verbum quod corde concipitur;& quod per cogitationem in corde habetur*,& infrà, *Verbum de solo corde procedit. In Patre omnis veritatis conceptio.In eius verbo omnis veritatis prolatio.*

Henricus.

Conclusionis probationes.

224. *Spiritũ sanctum vocari charitatem.*

Probatur breuiter conclusio primò ex Scriptura & Patribus,à quibus Spiritus sanctus ex proprietate personę suæ vocatur Charitas,& Amor,& Dilectio. Et propterea ad Rom.5.dicitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.*& vt notaui suprà,n.124.Spiritus sanctus dicitur, *Dominus dirigens corda nostra in charitate Dei.* Charitas autem & amor,& dilectio, propriè ad voluntatem pertinent. Hanc ob causam Toletanum XI. in confessione fidei fatetur , quòd *Spiritus sanctus charitas Patris & Filij esse agnoscitur.*Et August.lib.9.de Trinitate c.vlt. circa principium ait , *Sicut Dei Verbum , Filium esse nullus Christianus dubitat ; ita,charitatem esse Spiritum sanctum* , quã deinde sæpè amorem vocat,qui nullũ aliud principium magis immediatum habet, quàm voluntatem.& lib.15.c.17.initio,*Spiritus sanctus cõmunem,qua inuicem se diligunt Pater & Filius,nobis insinuat charitatem.*Et statim docet,quòd Spiritus sanctus ,*propriè charitas nuncupanda est*:sicut,inquit,*factũ est,vt propriè Dei Verbum,etiam Dei sapientia diceretur.* Vnde c.sequenti 18.circa finem ita concludit.*Dilectio igitur,qua ex Deo est, & Deus est , propriè Spiritus sanctus est.*Dilectio autem ex voluntate oritur.Vnde c.20.circa medium,*Voluntas Dei,si & propriè dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui sancto competit. Nam quid est aliud charitas, quàm voluntas ?* Anselmus quoque in Monologio à c.48. sæpissimè Spiritum sanctum amorem vocat. Clarius c.55.paulò post principium ait,*Pater pariter & Filius spirant suum amorẽ.*Amor autem à voluntate spiratur.

Toletanum XI.

Augustinus.

Anselmus.

225. *Ratio conclusionis ex S.Thoma.*

Secundò ratione significata à S.Thoma infrà,a.5. Deus essentialiter viuens, quãdo producit personas essentialiter viuentes , debet producere vt formaliter ac perfectè viuens, & vitali modo : alium enim producendi modum imperfectum,& propriũ rerum omnino materialium,& inanimatarum,Deo tribuere nefas est.Neque enim alia res quocumque modo genita,dicitur propriè Filius,sed solum per vitalem generationem : & eadem ratione esse debet vitalis processio Spiritus sancti.In Deo autem non est alia vita nisi intellectiua;nam negatiua & sensitiua manifestè important materiæ, & quantitatis imperfectiones, à perfectissima Dei natura prorsus alienas. Sed vita intellectiua non habet alias actiones , per quas possit vitaliter cõmunicari , nisi intellectionẽ, & volitionem.Ergo in Deo est processio per intellectionẽ,nempe Verbi;& per volitionẽ,nempe Amoris. Sicut igitur quia in Angelis, & homine est vita intellectiua imperfecta , fit per intelligere,& velle, communicatio accidẽtalis & imperfecta, terminata nimirum ad aliquem terminũ accidentalẽ : ita,quia in diuinis est perfecta vita intellectiua , debet fieri communicatio substantialis, & perfecta,per intelligere,productiuum Verbi subsistentis, & per amare, productiuũ Amoris subsistentis ac personalis.Quod si processio esset immediatè à natura,præscindendo ab intellectu & voluntate,vt vult Durãdus,illa sanè non esset formaliter vitalis,quia nec esset vegetatio, nec sensatio,nec intellectio,nec volitio,præter quas nullam aliam processionem agnoscimus formaliter vitalem;sed esset emanatio quædam simpliciter naturalis, simillima emanationibus , quibus quælibet creatura,quantumuis imperfecta , producit aliquid in se ipsa, vel in extrinseco aliquo subiecto:eiusque immediatum principium vnde oriretur, esset quidẽ vita radicalis, & veluti habitualis , non autem formalis & actualis.Ergo Durandi opinio non ponit in diuina processione omnem perfectionem , quæ cogitari in ea potest : cum omnes intelligamus multò maiorem perfectionem esse in processione formaliter vitali,quam in merè naturali,& non vitali;& in principio substantiali , formaliter & actualiter viuente,quam viuente tantum radicaliter,& habitualiter,& quasi potentialiter.

Confirmari præterea maximè potest conclusio, quia non ponendo idem immediatum principium respectu vtriusque processionis,sed intellectum respectu processionis Filij. Voluntatem respectu processionis Spiritus sancti, aperimus nobis viam reddendi aliquam rationem de multis huius mysterij difficultatibus , quas in opinione Durandi esse omnino insolubiles ostẽdimus supà ,n.208.209.& 210. Possumus igitur asserere primò duas tantum in diuinis esse processiones,quia ponimus in Deo modũ, se communicandi determinatum ad intellectionẽ, & ad volitionem;qui duo modi sunt in se valde diuersi;quamuis enim in Deo,ob infinitatem naturæ, sint identificati,tamen sunt virtualiter distincti.Cũ igitur in Deo non sit nisi vnicum intelligere,& hoc in Patre,vt est prior origine , habuerit pro termino adæquato Filium,idem intelligere nec in Patre,nec in Filio,nec in Spiritu sancto,poterit alium Filium, aut terminũ producere , quia illa virtus productiua per intellectionem,iam est completa,& totaliter expleta in Patre. Similiter nõ est nisi vnum amare,cuius adæquatus & completus terminus non est nisi vnum spiratum esse,qui est Spiritus sanctus.Ita verò philosophari non potest Durandus, quia per ipsum fœcunditas naturæ nõ fuit adæquata & expleta per vnicam processionem naturalẽ , sed admittitur alia, eadem prorsus ratione naturalis:qua admissa , difficillimum est vitare tertiam,& alias in infinitum.Secundò Processionem Filij esse origine priorem processione Spiritus sancti , quia ex natura & formalitate terminorum secundum se , prius est intelligere quam velle;& velle,vnde procedit Spiritus sanctus, præsupponit intelligere , vnde procedit Filius. Et ideo Filium esse secundam personam,Spiritum sanctum tertiam:& consequenter,Spiritum sanctũ procedere à Patre & Filio,Filiũ autem à Spiritu sancto procedere nõ posse; quia in illo posteriori originis in quo spiratur Spiritus sanctus per voluntatẽ, iam præsupponitur genitus Filius per intellectum;ergo etsi possit intelligi productio Spiritus sancti à Filio,intelligi tamen non potest productio Filij à Spiritu sancto. Tertiò processionẽ per intellectum esse generationem,non autem processionem per voluntatem;quia,vt probabimus art.2. intellectus est vltima differentia essentialis constitutiua diuinæ essentiæ;voluntas verò non est nisi quædam proprietas,extra intrinsecum & quidditatiuum conceptum illius essentiæ.

226. *Conclusio saluat primũ. Cur duæ tãtum sint diuinæ processiones.*

Responsiones ad obiectiones Durandi.

227. *Prima obiectio.*

Obiicies primò ex Durando suprà à num.suo 6. si personæ producuntur per actus intellectus & voluntatis , *vel isti actus sunt ipsa productiones personarum , vel sunt principia productionum : sicut calor manus dicitur produci ab igne per calefacere,*

Saluat secundò processionũ ordinem , & principia.

Saluat tertiò processionum differentiam quasi specificam.

tamquam per productionem, & per calorem, tamquam per principium productionis. Non primum primo, *quia productiones personarum secundum omnes sunt actus notionales, non essentiales*, hoc est, non sunt communes omnibus tribus personis, sed proprij vnius personæ, vel duarum tantum; sicut generare, est proprium Patris: generari, proprium Filij; spirare, proprium Patris & Filij; spirari, proprium Spiritus sancti. *Sed intelligere & velle sunt actus essentiales, non notionales. Ergo nō sunt ipsæ productiones.* Secundò intelligere & velle sunt etiam in Filio & Spiritu sancto. Ergo si intelligere, est producere Filium; & velle, est producere Spiritum sanctum; Filio etiam conueniet producere Filium, & Spiritui sancto producere Filiū, & Spiritum sanctū. Tertiò, *Productiones personarum differunt realiter*, quoniam identificantur cum personis productis, realiter distinctis. *Sed intelligere & velle in Deo non differūt aliquo modo realiter, nec absoluta, nec relatiua*, hoc est, nec si sumantur absolutè secundum se, nec si sumantur relatiuè vt identificata cum personalitatibus relatiuis. *Ergo non sunt productiones.* Non secundum de principiis productionum, quia ex 9. Metaph. 16. actus immanentes sunt infœcundi. ergo non possunt esse principia actiua processionum.

Respondetur retorquendo argumentum contra Durandum.

Respondeo, totum ferè hoc argumentum posse retorqueri cōtra Authorem suum, qui vult, Processiones immediatè & totaliter oriri à natura: quoniā natura etiam in diuinis non est notionalis, sed essentialis, & cōmunis, & identificata cum omnibus personis. Cur igitur per hanc naturam, siue essentiam, Pater solus, & non Filius & Spiritus sanctus generāt Filium? & cur Pater & Filius, & nō Spiritus sanctus producunt Spiritum sanctum? Et quicquid attulerit Durandus pro sua natura, afferri pariter à nobis poterit pro nostra intellectione & volitione. Dicendū igitur tam pro Durando, quàm pro nobis, Actus diuinos intelligendi & volendi, diuerso modo concepros dici posse & principia productionum, scilicet passiuarum, iuxta sensum primæ conclusionis dub. 9. & ipsas actiuas productiones. Quare ad primū primi membri, distinguendo minorem, dico, Intelligere & velle considerari posse dupliciter, vel per se, & secūdum esse absolutum. & sic sunt actus essentiales, & communes, & ipsemet Deus, & non productiones, siue actus notionales: & nihil aliud dicunt nisi purā tendentiam ad obiectum, nulla cōsiderata relatione ad aliquem terminum productū. Vel secundum esse respectiuum, ita vt præter tendentiam in obiectum, considerentur etiam cum habitudine ad aliquē terminum productum; & sic sunt actus notionales, & proprij, & ipsæmet productiones, & processiones.

Quomodo intelligere & velle in Deo sint principia productionū, & productiones.

Actus notionalis quid sit.

Actus enim notionalis, vt probabitur infra cum de notionibus differemus, est essētialiter ipsemet actus essentialis, sed vt modificatus, & quasi cōtractus per relationem. Sicut ipsa substantia, seu natura diuina, quæ etiam secundum omnes, est principium personarum productiuum, saltem remotum, potest considerari, & vt absoluta, qua ratione est communis omnibus personis, & consequenter, nullius personæ est productiua; &, vt relatiua per substantialem relationem personæ producentis & productæ; &, vt sic non est in omnibus personis, sed in solo Patre est vt productiua Filij, & in solis Patre & Filio est, vt productiua Spiritus sancti. Intelligere igitur vt est in Patre, præter rationem intelligendi cōmunem, includit paternitatē, & sic est dictio, & productio quasi actiua Filij, & proprium Patris, & notionale. Vt autem est in Filio, includit filiationem, & respectum processionis ab alio, & sic etiam est notionale, sed proprium Filij. Similiter volitio, vt est in Patre & Filio, includit relationem spirationis actiuæ, & est notionalis: vt est in Spiritu sancto, includit processionem quasi passiuam, eiusque respectum, & est propria Spiritus sancti, & notionalis.

228. *Cur non omnes diuinæ personæ producant.*

Ad secundum respondeo, idem prorsus argumentum fieri posse contra Durandum ipsum de essentia, quam vtique ponit in Patre solo principium generandi, & in Patre & Filio, nō in Spiritu sancto principium spirandi; & tamen eadem prorsus essentia est communis omnibus personis. Ergo dicendum tā de principio productionis, quam de ipsa productione, ideo in Patre v.g. aliquid commune, esse generatiuum, & non in aliis personis, quia illud commune Pater habet à se prius origine, & non per aliquam productionem; aliæ vero personæ habent per productionem, & communicationem ab ipso Patre, ac proinde post expletam adæquatè fœcunditatem, seu virtutem illius communis; quod non potest nisi semel prodire in actum communicationis, & productionis: qui actus esse prius debet in persona, quæ est prior origine, quàm in alia persona producta.

229. *Quomodo distinguantur actus notionales.*

Ad tertium nego simpliciter minorem, & dico vt supra, eosdem actus secūdum esse absolutum, esse indistinctos, secūdum esse respectiuum esse distinctos, sicut distinctæ sunt ipsæmet personæ, quamuis habeāt vnam communem essentiam. Igitur intelligere, & velle prout sumuntur per habitudinē ad obiecta, sunt quid vnum atque idem, omnino indistinctum in tribus personis distinctis, sicut omnes sunt vnus indistinctus Deus: sed prout sumuntur per habitudinem ad personas productas, secundum quā intelligere quasi passiuū, est ipsamet processio Filij, & velle quasi passiuū, est ipsamet processio Spiritus sancti, includunt ipsasmet Filij & Spiritus sancti personalitates, per quas realiter inter se distinguuntur: quia sub hac respectiua ratione non tam sunt intelligere & velle, quàm generari & spirari, quæ certissimè distinguuntur. An autem, & qua ratione hoc importent absolutum simul & respectiuum, dicemus infrà, tractantes de actibus notionalibus.

230. *Qua ratione actus immanentes sint infœcundi.*

Denique ad id quod vltimo loco dicebatur cōtra secundum membrum suprà n. 227. de infœcunditate actuum immanētium, respōdeo, hanc infœcunditatem, esse quoad externa, non quoad interna: nam per immanentes actus, etsi nō producatur aliquid extra subiectum in quo manent, cum v.g. vt loco citato exemplificat Philosophus, *nihil præter visionem aliud à visu fiat opus, à quibusdam verò fiat aliud, vt ab ædificatiua fit domus præter ædificationem*; tamen producitur aliquis intrinsecus terminus, in eodem subiecto manens simul cū actione; qui in intellectu vocatus est verbum; in voluntate non habuit peculiare nomen, sed nomine ipsius actus, dictus est amor, vel dilectio, vt fusè & optimè explicat S. Thomas infrà q. 37. art. 1. de qua re nos etiam in 1. tomo, q. 12. art. 2. à dub. 3. ad 8. occasione explicādi Verbum beatificum creaturarum beatarum, multa disseruimus: vbi n. 15. hanc ipsum Durandi obiectionem soluimus.

Aristoteles.

S. Thomas.

231. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò ex eodem Durando n. suo 12. *Qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo rationis inter differentia secundum rationem. Sed vbi naturæ intellectus & voluntatis differunt realiter, productio est realiter vi naturæ, nō intellectus, vel volūtatis. Ergo sic est in Deo, in quo ista sunt differētia solū secundū rationē.*

Respondetur comparando processiones diuinas cum creatis.

Respondeo, si hoc argumento intendatur cōparatio inter substantialem generationem hominis intelligentis & volentis, quæ fit vi naturæ vegetatiuæ hominis, non vi intellectus & voluntatis, & substātialem generationem Dei, eam comparationē minus rectā esse, ostensū est suprà n. 213. si verò intendatur comparatio, quæ sola esset ad rē, inter intellectū & volūtatē creaturę, in qua hæc distinguūtur secundū rē, & intellectum ac volūtatem Dei, in quo hæc distinguuntur secundum rationem, & sanè admittēda est,

est, remotis imperfectionibus, creaturarū propriis. Sicut enim ex creato intellectu & voluntate procedunt verbum, & amor; ita etiam ex intellectu & volūtate Dei, & sicut ibi ordine reali præcedit processio verbi, sequitur amoris processio; ita hic ordine rationis, tametsi ibi sit imperfecta processio in natura distincta accidentali, per potentiam accidentalem distinctam ab actu, & natura substantiali intellectiua: hic autem sit perfectissima processio consubstantialis in eadem numero natura, per purissimū & substantialem actum, omnino identificatum cum substantia & essentia eius, à quo est processio.

Produci ab vno & à duobus male explicari primò per produci per modum intellectus & voluntatis.

232. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò ex eodem in n. 16. *Qualibet persona diuina producitur ex necessitate immutabilitatis, & virtute determinata ad vnum. Ergo per modum naturæ. Ergo non per voluntatem, & modo voluntario.* Vltimam consequentiam probat, *quia agens per voluntatem, & modo voluntario, habet in potestate sua agere vel non agere, & est indifferens ad oppositā, & non determinatum ad vnum.*

Respondetur explicando, quid sit agere per modum naturæ.

Respondeo, distinguendo primum consequens. Nam agere per modum naturæ, sumi potest vel pro agere necessariò, quo modo agit natura; vel pro agere per naturam ipsam, vt natura distinguitur ab intellectu & voluntate. Primo modo, concedo consequentiam, sed non est ad rem, quia de illo nunc non disputamus, sed tractabitur infrà q. 41. art. 2. Neque enim opponuntur agere necessariò, & agere per voluntatem simpliciter, quæ duo in processione Spiritus sancti reperiri nunc defendimus. Secundo igitur modo, de quo solo præsens est controuersia, nego consequentiam primam & secundam etiam, simpliciter loquēdo; quia, vt suppono ex propria materia, non sunt idem voluntarium & liberum; omne liberum est voluntarium; non contra, omne voluntariū est liberum, vt patet in primis volūtatis motibus, & sine deliberatione, vt in pueris & stultis, & in amore beatifico, qui actus sunt maximè voluntarij, & tamē minimè liberi. Potest igitur de Deo Patre & Filio dici, quòd producant Spiritum sanctum immediatè per voluntatem & modo maximè voluntario, & nihilominus producant ex necessitate immutabilitatis, & virtute determinata ad vnum, & ita producant, vt non habeant in potestate sua producere, vel non producere.

Secundò, per produci prima & secunda emanatione.

233. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò, ex eodem in n. 17. & 18. quia quę Patres docent de processione Filij per intellectū, & Spiritus sancti per voluntatem, *dicunt solum secundum quamdam adaptationem ad ea, quæ inueniuntur in imagine creata.* Cuius adaptationis duplicem rationē reddit. Primam, quia Filius procedit ab vno, Spiritus sanctus à duobus. Secundam, quia Filius procedit prima emanatione, Spiritus verò sanctus secunda emanatione. Vnde postea dist. 27. q. 3. n. 6. & 10. negat, Filium esse propriè Verbum, & Spiritum sanctum esse propriè amorem.

Respondetur Scripturæ & Patres temerè explicari in sensu metaphorico.

Respondeo, cum Scriptura, & Patres, & Scholastici omnes Durando antiquiores, loquuntur de terminis, qui formaliter ac propriè Deo conueniunt, cuiusmodi sunt intellectus, voluntas, Verbū, Sapiētia, amor, charitas, eos perperā ac temerè metaphoricè explicari, & non accipi in propria & communissima significatione, secundum quam ab omnibus de Deo prædicantur. huiusmodi enim terminorū impropriętatem nullus ante Durandum, ne leuissimè quidem aliquando significauit: imo interdū proprietatem expresse inculcarunt, vt suprà n. 215. probaui ex verbis Ioannis, & Thomæ: & n. 216. verbis Cyrilli, de Verbi nomine dicentis, *esse proprium, & Filij maximè significatiuum*: & Euthymij dicentis, *Verbum propriè significat Dei Filium*: & n. 224. verbis August. de Spiritu sancto dicentis, *Propriè charitas nuncupāda est.* & tursus, *propriè Dei Verbum, etiam sapientia dici-*

Verbum & charitatem dici propriè de Deo.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

tur. & postea, *Dilectio propriè Spiritus sanctus est.* Præterea quis non videat esse metaphoras longissimè petitas, & manifestè extortas, denominare Filiū genitum per modum intellectus, & Verbum, & sapientiam, solum ex eo quòd est productus ab vno: Spiritum verò sanctum non esse genitum, sed procedentem per modū voluntatis, quia est productus à duobus? Quam enim similitudinem habeāt generari ab vno, & generari per intellectum, vt illud significari rectè possit per hoc, non apparet. Quāplurima enim inter creaturas ab vna causa fiunt, quæ non nisi ridiculè dicerentur, fieri per modum intellectus. Deinde si rerum creatarum imaginem spectemus, multò magis cum naturali modo substantialis generationis conuenit, produci ex duobus, quàm produci ex vno tantum. Ergo hinc liceret asserere minus impropriè, Spiritum sanctum esse genitum & Filium, quàm Verbum ipsum. Adde, maximè proprium esse creaturarum per liberam voluntatem operantium, operari secretò absque arbitris, & consortio ac testimonio aliorum. Ergo ineptissimè diceretur Spiritus sanctus procedere per modum voluntatis ex eo solum, quòd procedat à duobus. Demum non minus inconueniens est secunda ratio de prima & secunda emanatione: quamuis enim emanatio per intellectū sit prior emanatione per voluntatem, tamen hinc non fit, vt aliquæ duæ emanationes, ad quas nihil cooperari dicūtur intellectus & voluntas dici rectè possint per intellectum & voluntatem, etiamsi altera dicatur prior, altera posterior: alioquin in humanis primus filius denominari posset genitus per modum intellectus, secundus verò genitus per modum voluntatis: scribere etiam potuisset Moses Genes. 1. Cœlum & terram esse producta per modum intellectus, quia in principio creata; firmamentum verò reliquasque creaturas productas per modum voluntatis, quia sequentibus diebus creauit eas Deus. Quę metaphoræ sunt omnino inusitatæ & intelligibiles. Præterea supponitur, quòd in opinione de duabus emanationibus immediatis ab eadem natura, sumpta sub vna simplicissima naturæ formalitate, possit altera cogitari prior, altera posterior, contra probata suprà, n. 209. & 210.

DVBITATIO XII.

An facta aliqua Fidei suppositione demonstrari naturaliter possint processiones diuinarum personarum.

Ratio propositæ dubitationis ex S. Thoma.

SVMMA.

1 *Posita fide de tribus diuinis personis, naturali ratione, probatur primò, vnam personam necessariò esse improductam, n. 234. & 235.*
2 *Probatur secundò, reliquas duas personas esse necessariò productas, n. 236.*
3 *Probatur tertiò, non posse esse productas ab alio quam à persona improducta, n. 237.*
4 *Posita fide de vno Deo in tribus diuinis personis multas alias veritates euidenter deduci de diuinis processionibus, n. 238.*
5 *Soluuntur rationes in oppositum, n. 239. ad 243.*

HOc etiam articulo non solùm Scripturæ authoritate, verum etiam ratione videtur S. Thomas diuinas processiones probare voluisse. Nam reiectis duobus procedendi modis, ab Ario & Sabellio excogitatis, de quibus suprà dubitatione 1. & 2. statuit tertium & Catholicum procedendi modum, *secundum emanationem intelligibilem*, sumpto hoc vniuersali principio, *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum,*

quod est cõceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniẽs, & ex eius notitia procedens: quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur Verbum cordis, significatum Verbo vocis. Vnde probari videtur processio diuini Verbi: quoniam Deus etiam intelligens est, vt rationibus naturalibus demonstratum est suprà q. 14. art. 1. Ergo, si ex quocumque intelligente, hoc ipso quòd intelligens est, procedit Verbum, ex Deo etiam intelligente procedet suum Verbum. Vt igitur hanc probationem melius intelligamus, de aliis etiam breuiter disseremus.

234. *Primæ conclusio simpliciter affirmatiua.*

Prima conclusio. Posito supernaturali lumine Fidei de Trinitate diuinarum personarum, possumus naturali lumine per Theologicam demonstrationem euidenter probare processionem simpliciter vnius personæ ab alia. Loquor de processione *simpliciter*, vt significẽ, me non intendere hoc loco probare processionem in eadem numero natura, aut vnius tãtum personæ, vel duarum personarum, quarũ altera per intellectum generetur ab vna sola, altera per volũtatem spiretur à duabus simul personis, aliaque similia, quæ vel sola fide creduntur, & defendi quidem possunt ab hæreticorũ impugnationibus, probari tamen à nobis ostensiuè nulla ratione possunt; vel si probantur, supponunt probatam processionem simpliciter, quod in hac conclusione intendimus, quæ est omnium communis; & probatur afferendo certam, atque euidentem demonstrationem, quę tribus principiis nititur. Primò, quòd ex tribus diuinis personis, vna necessariò esse debet omnino producta. Secundò, quòd aliæ duæ debent esse productæ, & non possunt esse improductæ sicut prima. Tertiò, quòd non possunt esse productæ ab alio, quam à prima persona improducta. Ex his principiis euidenter probatis, probata euidenter remanet processio simpliciter inter ipsasmet personas, vt est ex se manifestum attentè consideranti quæ in his tribus principiis dicuntur.

235. *Dandam esse vnam diuinam personã improductã.*

Primum principium de vna persona improducta ne Arius quidem negat, & verò negare nullus potest nisi stultus aliquis Atheista, negans ipsummet Deum; sed nunc omissis probationibus ductis ex lumine reuelationis, quas inferius afferam in propriis locis, probo ex naturæ lumine. Si omnes tres personæ essent productæ, vel esśt productæ inter se ipsas tantum, & tunc sequeretur. Idem respectu eiusdem esse primò producens, & primò productum; quod apud omnes sapientes implicat, vt constat ex demonstratione facta in 1. tomo q. 2. art. 3. dub. 1. Vel omnes essent productæ ab alia quarta persona: quod etiam dici nequit, quia hæc quarta persona necessa[illegible] esse deberet Deus, & sic in diuinis darentur plures personæ quàm tres, contra suppositum Fidei. Enim vero inter tres personas, quas conclusio supponit, vna saltem, etiam secundum hæresim Ariană, supponitur esse essentialiter Deus. Ergo alia quarta persona produceret totam Trinitatem, produceret necessario Deum: ergo ipsa etiam non potest non esse Deus, & non efficere quatuor itatem diuinarum personarum, quarum duæ saltem [illegible] essentialiter Deus. Si enim non esset Deus, ergo esset creatura & à Deo dependens; quia lumine naturæ notissimum est, inter Deum & creaturam non posse dari aliquid medium: &, vt docet Nazianz. orat. 5. de Theologia, aliquanto post principium, *Medium inter creatura & Deum, quod vel neutrum horum sit, vel vtrinque compositum, ne illi quidem, qui hircocervos finxere nobis, comminisci poterunt.* Ergo creatura, & non Deus, produceret suum creatorem & Deum; quod ex terminis ipsis patet, stultissimè cogitari; cum igitur nullum aliud producens fingi possit, nisi vel intra ipsas tres personas, vel extra ipsas, & neque intra ipsas, neque extra ipsas assignari possit aliquid producens omnes tres personas, necessariò sequitur, vnam saltem inter illas esse debere prorsus improductam; quia quod realiter est, & non est ab alio, neque à se productum, necesse est esse ex propria essentia, & nullo modo productum.

Non dari medium inter Deũ & creaturam ex Nazianzeno.

236. *Probatur, duas personas diuinas debere esse productas.*

Secundum principium de reliquis duabus personis productis probatur efficaciter ex eo, quòd illæ aliæ duæ personæ realiter distingui debent à persona improducta, quia cum persona sit essentialiter substantia perfectissimè constituta, & vltimò ac totaliter terminata in genere substantiæ, est omnino impossibile, ex pluribus personis fieri vnum quid in genere substantiæ, ac proinde, vnam personam cum alia realiter identificari. Non possunt autem in casu nostro illæ duæ personæ, quæ supponũtur vnus numero Deus, quia loquimur ex fidei suppositione de tribus personis in essentia, seu natura nullo modo differentibus, distingui per hypostases seu personalitates absolutas. Ergo solũ superest, vt distinguantur per hypostases relatiuas, absolutũ enim & relatiuum adæquatè diuidunt omne ens, ideoque fingi nequit personalitas realiter existẽs, & determinata, quæ neque absoluta, neque relatiua sit: quæ relatiuæ hypostases inuicem oppositæ, aliter esse nequeunt, quam per origines, seu relationes originum, nimirum producentis & procedẽtis; ad quas relationes & oppositiones necessaria est processio illarum personarũ à prima persona improducta. Totus discursus euidẽs est, excepta minori illa propositione. *Reliquæ duæ personæ non possunt realiter distingui per personalitates absolutas.* Hanc autẽ probant duæ illæ demonstrationes quibus tom. 1. q. 11. a. 3. n. 3. & 4. ostensum est, dari nõ posse plures Deos. Sic igitur breuiter arguo. Primò ex maxima, simplicitate cuiuslibet diuinæ personæ; sicut enim natura diuina ex simplicitate sua habet, vt non possit esse diuisa in plures naturas, cum quibus oppositionem non habet; ita persona diuina vt diuisa & realiter distincta esse non possit à quacumque alia ratione diuina, quæ sibi opposita non est: & propterea sicut natura habet essentialiter, vt identificet sibi omne sibi non oppositum; ita pariter persona. Ergo cõtra simplicitatem essentiæ personæ diuinæ ponitur vna persona distincta realiter ab alia, cum qua non habet oppositionem. Secundò ex maxima personæ diuinæ infinitate, vnde quæcũque persona, eo ipso quòd diuina est, essentialiter habet, non posse carere aliqua positiua perfectione, sibi nõ repugnante; tunc enim ex tali carentia, nó esset simpliciter infinita, sed terminata, quia non vlterius tẽderet ad illam perfectionẽ, quam posset habere, sed non habet. Quæcumque autem personalitas diuina, si absoluta est, esse etiam debet positiua quædã perfectio, nulli personæ diuinæ simpliciter repugnans, quia cum nulla oppositionẽ haberet. Ergo non posset ab aliqua diuina persona realiter distingui. Confirmatur ex manifesta paritate cum natura diuina singulari absoluta, quæ sicut ex simplicitate & infinitate habet, vt à nulla prorsus ratione formaliter diuina distingui re ipsa possit, & ideo demonstratiuè cognoscimus, dari non posse plures naturas diuinas re ipsa inter se distinctas: ita personalitas diuina singularis, si esset etiam absoluta, ac proinde nulli prorsus alteri diuinæ rationi opposita, habere deberet ex suà simplicitate & infinitate, non posse realiter diuidi in plures alias absolutas personalitates, sed continere in sua simplicissima personalitatis ratione, omnem simpliciter possibilem atque intelligibilem personalitatis rationem, quæ est omnis illa personalitas cum qua non dicit oppositionem, & non est personalitas absoluta, sed solum respectiua. Maneat igitur, in Deo esse non posse

Diuinas personas inter se distingui non posse absolutis personalitatibus.

posse veram ac realem personarum multitudinem, nisi in quantum repugnat, personas esse inuicem identificatas: quæ repugnantia non potest aliunde oriri, nisi quia inter ipsas personas est oppositio formalis & relatiua; quæ esse non potest alia, quam producentis & procedentis. ergo in diuinis esse nequeunt tres realiter distinctæ personæ, nisi vna ab alia producatur.

237. *Filium & Spiritum sanctum, non posse produci nisi à persona improducta.*

Tertium principium de duabus personis productis, non ab alia persona, quàm à prima improducta, probatum ferè remanet ex dictis. Si enim non producuntur à prima improducta, ergo vel producuntur inter se mutuo, vel ab alia quarta persona non diuina, quia diuinas hîc supponimus non esse nisi tres. Non primum, quia producens, in quantum est realiter producens, præsupponi debet, saltem prioritate originis, habere esse in se ante terminum, qui ab ipso producitur; productum verò vt formaliter productum debet sequi saltẽ posterioritate originis post esse principij à quo producitur. Est autem aperta contradictio, idem respectu eiusdem, & in eodem agendi genere, esse ante se ipsum, & simul esse post se ipsum. Hoc verò sequeretur, si ex duabus diuinis personis altera produceret effectiuè alteram, & simul etiam ab eadem altera effectiuè produceretur per illud idem omnino esse quod ab illa productum accipit. tunc enim vna persona secundum idem indiuisibile esse, esset prior origine, vt producens; & simul etiam esset posterior origine, vt producta. Et sanè ex terminis ipsis, si benè penetrentur, apparet manifesta repugnantia, vt vna persona, quæ, vt producat, habere debet virtutem & naturam suam, intelligatur in priori signo rationis dare illam naturam alteri, à quo in posteriori signo rationis eandem naturam accipit. Non secundum, quia persona diuina, quæ est Deus, non potest produci à persona non diuina, quæ non est Deus, sed creatura, vt supra num. 235.

238. *Secunda conclusio quinque partes habens.*

Secunda conclusio. Facta fidei suppositione de vno Deo in tribus personis, naturale rationis lumen certo demonstrat primo dari duas tantum diuinas processiones. Secundo, ex his duabus processionibus alteram esse per intellectum, alteram per voluntatem. Tertio processionem per intellectum esse priorem, processionem per voluntatem esse posteriorem. Quarto processionem per intellectum esse solum à prima persona improducta. Quinto processionem per voluntatem esse simul à persona improducta, & à persona producta per intellectum. Hæc conclusio sufficienter constat ex superius probatis. Nunc breuissime demonstro singulas partes.

Primam duas tantùm esse processiones.

Primum, manifestè sequitur ex proximè dictis, quibus demonstratum est, non dari nisi duas tantùm personas diuinas productas. Sed naturali lumine certum est, tot esse personarum processiones, quot sunt personæ productæ, seu procedentes. ergo eodem lumine certum est, dari duas tantum diuinas processiones.

Secundam vnam processionem esse per intellectum, aliam per voluntatem.

Secundum probatum remanet ex dictis contra Durandum dub. 9. 10. 11. Nam ratione naturali euidens est, in diuina natura saltẽ intellectuali non posse cogitari aliud processionis principium, nisi vel essentiam, vel intellectum, vel voluntatem ex essentia immediate, prout nec concipitur, vt intelligens, nec vt volens, esse non possunt ambæ processiones, cur enim duæ solæ, & non plures? vt supra, num. 208. neque esse potest vna tantum, cur enim hæc potius, quàm illa? & si illa, quæ non est ab essentia, est ab intellectu, cur non à voluntate? & si à voluntate, cur non ab intellectu? ex intellectu solo, vel à sola voluntate esse non possunt ambæ processiones, vt de essentia supra, n. 208. ergo euidenter sequitur à sufficienti partium enumeratione, alteram esse per intellectum, alteram per voluntatem.

Tertium vnã processionem esse priorem, aliam posteriorem.

Tertium apertè sequitur ex ipsamet natura intellectus vt intellectus est, & voluntatis vt voluntas est: etenim cum intelligere sit pura obiecti apprehensio intentionalis, velle verò sit intentionalis inclinatio in obiectum apprehensum, fit, ipsorum natura essentialiter id exigente, vt concipi debeant, illud præcedere, hoc sequi: neque enim intellectus ferri debet in obiectum volitum, sicut voluntas in obiectum intellectum. ergo quamuis in Deo idem re ipsa sint intellectus & voluntas, tamen quia ab illa simplicissima perfectione vt est formaliter intellectus procedit vna persona, & ab eadem perfectione, vt est formaliter voluntas, procedit alia persona, fit vt processio per intellectum ordine originis censeri debeat prior, posterior verò processio per voluntatem.

Quartam vnam processionem esse ab vna persona.

Quartum ex hoc tertio euidenter deducitur, quo constat, personam productam per voluntatem esse origine posteriorem persona producta per intellectum. Sed naturali lumine manifestum est, nihil prius secundum originem, posse originari ab eo quod est ipso posterius secundum originem. Ergo persona producta per intellectum non potest originari, seu procedere à persona producta per voluntatem. Superest igitur vt processio diuina per intellectum sit solum à prima persona improducta. Nam ex superius demonstratis vna persona diuina non potest procedere ab alia persona nisi diuina, sed personæ diuinæ, vt in hoc discursu semper supponimus, non sunt nisi tres, & persona procedens per intellectum non potest procedere ab alia persona procedente per voluntatem, vt probatum est; nõn à se ipsa, vt demonstratum est supra, quæst. 2. art. 3. dub. 1. ergo à prima persona nullo modo procedente.

Quintam aliam processionem esse à duabus personis.

Quintum patet, quia in illo priori originis, in quo intelligitur processio per intellectum præcedere processionem per voluntatem, præintelligitur persona producta per intellectum, quæ habeat totam naturam personæ à qua procedit, supponimus enim ex Fide tres personas in vna numero natura diuina. Sed in illo priori originis, persona à qua procedit, intelligitur in sua natura habere voluntatem fœcundam; ergo eandem voluntatem fœcundam in eodem priori habebit persona procedens per intellectum, ergo ambæ istæ personæ simul spirabunt aliam tertiam diuinam personam procedentem per voluntatem.

Soluuntur rationes in oppositum.

239. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Maior perfectio est, esse improductum & producere, quàm producere & produci, vel etiam produci tantum & non producere. Vnde Actor. 20. testatur Paulus, illud fuisse verbum Domini Iesu, *Beatius est magis dare, quàm accipere.* ergo perfectior erit persona improducta & producens reliquas, quàm secunda producens tertiam, sed producta à prima; & quam tertia producta, & nullam producens. ergo processio stare non potest cum æqualitate diuinarum personarum, quarum quælibet est essentialiter Deus, nulla prorsus carens perfectione.

Respondetur non esse in diuinis maiorem perfectionem producere quàm produci.

Respondeo, antecedens esse verum in processionibus creatis, quibus semper communicatur natura distincta, & distinctum esse, ac proinde, esse participatum ac dependens. Esse verò falsum in processionibus diuinis, in quibus persona producta, quamuis distincta realiter à producente, tamen ita producitur, vt sit producenti consubstantialis per

omnimodam identitatem infinitæ naturæ,cum qua identificantur omnes personæ, siue productæ, siue producentes. Quapropter in diuinis, esse productum,nullam importat imperfectionem, sicut nec vllam perfectionem supra productum importat esse producens; quia productum recipit idem numero infinitum & independens esse, quod est in producente; nec producitur ab alio qui sit alius Deus,sed qui sit idem Deus. Vnde producere & produci,seu communicare & communicari, non est aliud & aliud esse; nec est aliquid *in quo*, siue in alio; sed potius est aliquid *à quo*, siue ab alio: idem enim indiuisibile & totale esse vt est *à quo aliud*, est producens & communicans; vt est *quod ab alio*,est productum & communicatum. Vbi, vt ait Augustinus respondens ad hoc idem argumentum Arianorum lib.3.contra Maximinum,cap.14.post medium, *non est inæqualitas substantiæ,sed ordo naturæ: non quod alter prior esset altero, sed quòd alter esset ex altero.* &, vt antea dixerat loquens de Patre & Filio, sed eadem ratio est etiam de Spiritu sancto. *Vita est Pater,vita est Filius: sed ille de nullo vita, iste vita de vita, sed talis qualis illa, tanta quanta illa, hoc omnino quod illa. Quomodo ergo tu dicis, Quia ille dedit, ille accepit, ideo æqualem Filium Patri non esse; cum eum, cui data sunt omnia,& ipsam æqualitatem videas accepisse?* & statim verissimè atque elegantissimè respondet ad locum Actorum 20. dicens, *Scriptum est quidem Beatum est magis dare, quàm accipere: sed in hac vita, vbi est inopia, qua vtique melior est copia; melius enim est habere, quàm egere; & melius est donare, quàm accipere; erogare, quàm mendicare. Vbi autem qui dedit, gignendo dedit; & qui accepit,nascendo accepit; non inopi subuentum est,sed ipsa copia generata est.Nec potest qui accepit, ei qui dedit, esse inæqualis, quia & hoc accepit vt esset æqualis. Nihil enim Patre minus habet ille qui dicit, omnia quæ habet Pater, mea sunt. Æqualis est igitur.*

Confirmatur solutio ex Augustino.

Exponitur locus Actor. 20.

Ioan.16.

240. *Secunda obiectio.* Obiicies secundo contra primum principium supra,num.235. quia videtur diminutè probatum. nam prima persona, quæ duas reliquas producit, etsi produci nequeat ab alia persona, aut à persona sua, tamen produci posset ab hoc indiuiduo Deo, qui secundum se non est persona, sed est omnibus tribus personis communis: & est sufficiens agendi principium, tum quia est in se perfectissime subsistens, tum quia opera Trinitatis ad extra ideo dicuntur communia,quia omnes tres personæ agunt vt vnus numero Deus.

Respondetur primam Trinitatis personam non posse produci à Deitate. Respondeo,id dici non posse, tum vniuersaliter, quia natura est quidem principium quo agendi, non autem principium quod in quo sensu omnes pronunciamus,Actiones esse suppositorum,non naturæ; nulla autem actio intelligi potest,nisi intelligatur agens quod agit, & non satis est intelligere agens quo: tum particulariter, quia ex inferius probandis, hic Deus nullo modo ex natura rei distinguitur à persona. Nulla autem vera ac realis productio esse potest nisi cum oppositione originis ac reali distinctione inter producens & productum. & ideo si aliqua persona produceretur ab hoc Deo præscindente à qualibet persona, non posset persona producta accipere totam naturam producentis, & esse hic numero Deus,sed procederet secundum aliam naturam distinctam ab hac numero natura diuina, quæ propterea non posset esse diuina, sed necessario esse deberet creata. Præterea si persona diuina procederet ab hoc Deo, vel procederet à Deitate vt præcisa ab intellectu & voluntate, vt de facto dixit Durandus,vel ab intellectu,vel à voluntate,quia aliud agendi principium intra Deum præter ista tria nullus adhuc assignauit, nec assignari potest. Nullum autem horum trium rectè dici,probatum est supra, num. 238. secunda parte conclusionis.Quare cum nonnulli Theologi de prima Patris personalitate dicunt, illam non produci, sed pullulare ab ipsa natura Deitatis, eo loquendi modo, orto ex nostra imperfectione concipiendi res diuinas,nihil aliud explicare intendunt, nisi personalitatem quamdam illi naturæ ex se ipsa immediatè conuenientem, & nulla processione mediante; quo modo eidem naturæ conueniunt aliæ duæ personalitates personarum procedentium. Demum non vrgent duæ contrariæ probationes. Non prima,quia Deitas, est quidem perfectissimè subsistens in genere naturæ, non autem in genere substantiæ simpliciter,hoc est,& naturæ & personæ, quod necessarium est ad rationem principij actiui vt *quod*. Non secunda,quia Trinitas per Deitatem simpliciter, agit vt quo; per Deitatem vero vt vltimatò subsistente in tribus personis,agit vt quod. Præterquam quòd diuersa satis est ratio de Deitate ad extra producente natura distinctas, & de Deitate ad intra producente terminum, qui non potest non esse sibi consubstantialis, & ex natura rei identificatus.

In quo sensu dicatur personalitas Patris pullulare ex Deitate.

Quomodo Trinitas per Deitatē agat ad extra.

241. *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò contra secundum principium, negans,posse poni duas diuinas personas distinctas, & improductas:quia dici potest distingui relationibus,non originis vnius personæ ab alia, quia ambæ supponuntur improductæ simpliciter, sed originis respectu aliarum distinctarum personarum,ex quibus vna procedat ab vno improducto, alia ab alio.

Respondetur duas personas non posse produci à duabus improductis. Henricus. Respondeo, hoc non posse dici, primo quia sic essent quatuor diuinæ personæ, duæ improductæ, & duæ productæ, contra Fidei suppositionem, ex qua nunc discurrimus,Secundo esto non supponantur tres tantum personæ, sed supponantur solum vnus numero Deus in pluribus personis, quotquot illæ sint, idem euidenter probo cum Henrico quolibeto 6. quæst.1.litera S. quia duæ personæ improductæ,si essent vnus numero Deus,haberent agendi virtutem prorsus eandem, absque vlla distinctione in ratione principij *quo*; nam hæc ratio virtutis, qua agens agit, non sumitur ex personalitate, sed ex natura,in qua ambæ personæ,quæ finguntur improductæ,supponuntur omnino vnum. & ideo, inquit Henricus, *ratio principiandi in eis non posset esse, quin esset communis vtrique, eo quòd fundaretur super aliquid essentiale vnicum in ambobus, cuius fœcunditas esset inexhausta in vtroque.* Sed à pluribus agentibus vt *quod*, simul existentibus, & eodem tempore, eademque necessitate ad agendum applicatis, in quibus est idem formale principium *quo* agendi, non potest non procedere idem terminus; vt de facto omnes dicimus, sicut exemplificat Henricus, eumdem Spiritum sanctum procedere à Patre,Filioque, habentibus eamdem voluntatem fœcundam; & hunc mundum procedere à Patre, Filio, & Spiritu sancto habentibus eamdem omnipotentiam, ergo plures personæ improductæ, quarum vna non posset esse aliqua ratione prior aut posterior alia, neque habere aliam naturæ necessitatem aut applicationem ad producendum Deum, non possunt distingui per ordinem ad duos terminos distinctos, quorum vnus producatur ab vna tantum, alius ab alia tantum: sed quicquid procedit ab vna, siue ad intra,siue ad extra,debet necessario simul procedere ab alia. Vnde quæcumque relatio originis respectu alterius termini,quæ esset in vna, esset etiam in alia. Igitur per has relationes, quas Henricus *disparatas* vocat,inuicem distingui non possunt. ergo si per relationes distinguuntur, hæ aliæ esse non possunt

possunt nisi secundum originis oppositionem inter ipsasmet, ita vt vna sit producta, alia producens.

242. *Quarta obiectio ex Scoto.* Obiicies quartò ex Scoto 1.d.2. quæst.7.§. *Ad secundam quæstionem*, versiculo *contra*, *istæ probationes.* arguente contra Henricum supra, qui demonstrat pariter, implicare duas diuinas personas improductas, quia duæ personæ in diuinis distingui non possunt nisi per relationes oppositas oppositione originis vnius ab alia. Dici enim posset, inquit Scotus, quòd plures personæ essent absolutæ, vel relatiuæ,non per relationes originis, sed per alias relationes.

Respondetur personas non posse multiplicari per alias relationes nisi originis. Respondeo, neutrum posse rectè dici. Primum de personalitatibus absolutis, manifestè videtur impugnatum supra,num.236.& diligentius examinabitur infra quæst.40. art.2. Secundum de aliis relationibus, quæ non sint producti & producentis, est etiam euidenter impossibile ex sufficiente enumeratione omnium relationum, quæ hactenus excogitatæ sunt.Tria enim relationum genera in vniuersum assignant, qui omnium copiosissime huiusmodi entia multiplicarunt. Primum fundatum in actione & passione.Secundum in vnitate. Tertium in ratione mensuræ & mensurati. Hoc vltimum apertissime repugnat Deo, quia esse mensuratum dicit imperfectionem dependentiæ à suo mensurante:præterquam quod inter duas personas æque improductas,& æquè diuinas ac perfectas,fingi non potest hæc mensurans & non mensurata, illa mensurata & non mensurans. Secundum etiam habere non potest locum inter personas, quæ sunt omnino vnum in natura vnitas enim quæ fundat relationem non est simpliciter vnitas, sed vnitas immixta distinctioni,secundum quam duo dicuntur æqualia in quantitate in qua distinguuntur & similia, vel in qualitate in qua etiam distinguuntur,vel in substantia & aliis habentibus distinctas numero aut specie essentias cum vnitate specifica, aut generica. Restat primum, quod duplex omnino est, vel enim actio & passio sunt respectu aliorum terminorum qui distincti sint ab ipsis duobus improductis,& relationes sic fundatæ, iam exclusæ euidenter sunt supra,ad 3.vel sunt respectu ipsarummet personarum, & sic habetur intentum, vt vna producat & quasi agat,alia sit producta & quasi patiatur. Et hæ tandem relationes originis solæ sunt,quæ sapienter admitti possunt inter plures personas vnius prorsus naturæ; quia sola origo non supponit, sed facit distinctionem inter correlatiua:vnitas vero & mensura huiusmodi distinctionem non faciunt,sed supponunt. Vnde optimè Riccardus Victorinus lib. 4. de Trinitate cap.15. cum docuisset omnes diuinas personas *consimiles & coæquales esse*, & ideo, *secundum qualitatem differre non posse*, hoc est, secundum aliquam absolutam perfectionem,seu rationem, secundum quam vna persona non sit talis, qualis est alia;quoniam habent,inquit,*per omnia vnum & idem summè simplex esse, nullo modo possunt aliqua qualitatis differentia abinuicem distare:* ita concludit, *Igitur relinquitur, vt credantur iuxta modum originis aliquam differentiam habere.* & rursus paulò post, *Quoniam identitas substantiæ,omnem qualitatis differentiam penitus excludit,differentes personarum proprietates circa solam originem quærere oportebit.*

Riccardus de S.Victore.

DVBITATIO XIII.

An nulla facta fidei suppositione demonstrari naturaliter possit processio intra ipsum Deum.

SVMMA.

1. *Ex qualibet creata intellectione procedere Verbum, num.243.ad 248.*
2. *Verbum creatum non procedere ex actu intellectus, sed ex actione intelligendi,num.248.& 249.*
3. *Verbum creatum non esse id* in quo, *sed id* quo *intelligitur,num.250.ad 259.*
4. *Ex voluntate creata procedere amorem eodem modo quo ex intellectu procedit Verbum, num. 259. ad 266.*
5. *Ex processione Verbi creati non posse naturaliter demonstrari processionem Verbi increati, n. 266. ad 272.*
6. *Diuinas processiones non posse ex creaturis aptius explicari quàm per processiones verbi & amoris, num.272.ad finem articuli.*

Ratio & occasio dubitādi ex S. Thoma.

VNiuersa controuersia versatur circa principium illud vniuersale Sancti Thomæ in hoc articulo, sumptum ad persuadendam processionem diuini Verbi, *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit*, producit verbum. si enim hoc principium naturaliter demonstrabile est ex ipsa natura intellectionis secundum se, demonstrabilis pariter erit processio Verbi etiam in Deo, de quo supra q. 14. art.1.naturali lumine demonstratum est, quòd intelligit. Quo posito,demonstrabitur similiter processio diuini amoris: quia si verbum producitur à quocumque intelligente, eo ipso quòd intelligit, cur non producetur amor à quocumque amante, eo ipso quòd amat? Et Deum amare, non minus notum nobis est, quam Deum intelligere. Itaque duo potissimum videnda sunt. Primum, An illud principium sit vniuersaliter verum in creaturis.Secundum,An posita tali veritate, inde necessario sequatur diuini Verbi processio ex Deo intelligente. Vbi minus fusè agemus, quia multa ad hanc materiam pertinentia scripsimus in primo tomo q. 12. art.2.disputando de verbo beatifico.

Ex qualibet creata intellectione procedere Verbum.

243. *Prima conclusio S.Thomæ.* Prima conclusio. Vniuersalissimè verum est in creaturis,quòd quicumque intelligit, eo ipso quòd intelligit,producit verbum. Quare & Beati videntes Deum,& idem intelligens se ipsum, & homines in hac vita abstractiuè intelligentes spiritualia, formant Verbum.Hanc esse S.Thomæ sententiam mihi quidem indubitatum est: quamquam nonnulli Thomistæ dubitant,vel etiam negant,propter connexionem cum aliis ipsorum opinionibus: cum enim putent in sententia S. Thomæ implicare speciem impressam diuinæ essentiæ,vt supra quæst.12. art.2.à dubitatione 10.ad 16.& rectè asserant, eamdem,imò etiam maiorem implicantiæ rationem esse de specie expressa,quam alio nomine nunc vocamus Verbum, consequenter ipsis dicendum fuit, Beatos per intuitiuam diuinæ essentiæ intellectionem non formare verbum propter intimam illius essentiæ præsentiam ad intellectum creatum: & quoniam essentia intelligentis creati non minus intimè præsens est proprio intellectui, addiderunt præterea,neque formari verbum ab eo qui se ipsum intelligit. Vnde cum secundum ipsos multi sint intellectus creati,qui intelligunt, & non producunt verbum,necessariò aduersantur huic generali conclusioni de formatione verbi ex quacumque creata intellectione. Authores omnes diligenter refero loco citato dubitatione 3. certè verba S. Thomæ in hocarticulo nimis aperta sunt:si format verbum

Cur aliqui Thomistæ sint in contrarijs.

quicum

Probatur ex S. Thoma.

quicumque intelligit, eo ipso quòd intelligit, ergo nullus potest intelligere quin formet verbum: alioqui non formaret verbum *quicumque intelligit*; & qui intelligit & format verbum, non vtique formaret, *eo ipso quòd intelligit*, sed solum ex eo quòd intelligit tale particulare obiectum à se distans; nam aliud obiectum sibi præsens intelligeret, & tamen non formaret verbum eadem vniuersalitate, & formalitate reduplicationis. Loquitur 4. cõtra gentes c. 11. multò post principium, *omne intellectum, in quantum intellectum, oportet esse in intelligente. Intellectum autem in intelligente, est intentio intellecta & verbum.* Quam doctrinam propter suam omnimodam vniuersalitatem, ibidem expressè extendit ad intelligentem se ipsum, & ad intellectionem ipsiusmet Dei, quia, inquit, *etiam intellectus noster se ipsum intelligens, est in se ipso, vt à se apprehensum intelligendo. & ipsemet Deus in se ipso est, vt intellectum in intelligente.* Clarissimè loquitur de veritate quæst. 4. art. 2. post medium corporis, *Verbum intellectus nostri est id, ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod dicitur conceptio intellectus; & vniuersaliter est de omni, quod à nobis intelligitur, siue per essentiam intelligatur, siue per similitudinem: ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi.* & ad 3. magis explicando addit, *Verbum esse medium inter intellectum & rem intellectam; & esse id quo res intelligitur; & quo mediante operatio intellectus pertingit ad rem intellectam.* & ad 5. *Non aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo; & ideo omne intelligere in nobis, propriè loquendo, est dicere.* Et de Potentia q. 8. art. 1. paulò post medium corporis, *Propter hoc intellectus conceptionem rei in se formar, vt rem intellectam cognoscat.* ergo non propter distantiam, aut absentiam rei intellectæ, vt volunt aduersarij. & statim addit quòd *conceptio intellectus in nobis, propriè verbum dicitur. Huiusmodi conceptio, siue verbum, oritur quidem ab intellectu per suum actum, est verò similitudo rei intellectæ.* & hoc etiam loco iterum dicitur, *differre verbum ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsum constitutum.* & postea apertissimè subdit, *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, cum ipsum intelligere cõpleri nõ possit sine verbo prædicto.* Vnde de Potentia q. 9. art. 5. ante medium corporis verbum docet esse *de ratione eius quod est intelligere.* Et 1. d. 27. quæst. 2. art. 2. ante medium corporis loquens de operatione intelligendi, quæ est intelligere, & de similitudine rei intellectæ, quæ est verbum, ait, quod sine illis *non potest quis intelligere: vtrumque enim istorum est id, quo quis intelligit formaliter, & ideo impossibile est, quòd aliquis intelligat nisi verbo intellectus sui.* His S. Thomæ dictis conclusio adeo clarè exprimitur, vt verè ne queat clarius explicari.

244. *Probatur ex Augustino.*

Illam præterea probo 1. euidentissima authoritate Augustini, & Anselmi. Nam Augustinus lib. 9. de Trinitate cap. 11. ait, *Cum Deum nouimus, illa notitia verbum est, & fit aliqua Dei similitudo.* Quam vniuersalissimam cognoscendi rationem rectè extendit etiã ad sensum, dicens, *Cum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro quæ phantasia memoria est.* Additque vlterius, quod maximè negant aduersarij, *Cum se mens ipsa nouit, est eadem notitia verbum eius.* Non loquitur Augustinus vt rectè exponit eum Henricus part. 1. Summæ, art. 33. quæst. 2. litera I, de specie & similitudine impressa, sed de similitudine, *quæ est*, inquit Henricus, *verbum conceptum de Deo in intellectu per actum intelligendi.* Manifestum est enim ex verbis allatis, eum loqui non de aliquo antecedente actũ, sed de ipso actu, ait enim, *Cum nouimus, cum discimus, cum se mens ipsa nouit:* quæ exprimunt actualem cognoscendi operationem, qua, inquit, *fit similitudo*, nimirum obiecti cogniti, quam similitudinem vocat notitiam, & verbum. ergo verbum per Augustinum, ipsa intelligendi operatione semper fit; ergo est quid posterius illa, *vt terminus illius, & quasi quoddam per ipsam constitutum*, vt loquitur S. Thomas supra. Deinde Augustinus in sequenti cap. 12. idem distinctius & clarius docet, tamquam rem omnino indubitatam, dicens, *liquido tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat nobis notitiam sui: ab vtroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito.* Quam vniuersalissimam doctrinam extendit ad casum omnium difficillimum de cognitione sui ipsius, immediate post ita addens. *Itaque mens cum se ipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ, & cognitum enim & cognitor ipsa est.* Atque hac sui ipsius notitia, quam verbum vocat, maximè vtitur in fine capitis ad explicandam Verbi diuini generationem. *Est*, inquit, *quædam imago Trinitatis, ipsa mens, & notitia eius, quod est proles eius, ac de se ipsa verbum eius. Nec minor proles, dum tantam se nouit mens, quanta est.* In verbo creato, genito ex cognitione sui ipsius, duo sunt, increato Verbo proportionata, quæ in aliis verbis creatis non reperiuntur. Alterum, quòd obiectum, seu species loco obiecti, quod præter intellectum ad cuiuslibet verbi generationem concurrit, vt disertis verbis docuit idem Augustinus, non sit aliquid ab ipsomet intelligente distinctum, sicut distinctum est cum v. g. beatus intelligit Deum, & vnus Angelus aliũ intelligit. Alterum, quòd verbũ obiecti sit æquale obiecto, à quo genitum est vt sui manifestatiuum; quam æqualitatem non habet verbum beatorum manifestans Deum, nec verbum inferioris Angeli manifestans Angelum superiorem. Ista autem duo reperiuntur sine dubio in Verbo increato, quod procedit ex cognitione comprehensiua ipsiusmet cognoscentis, quem adæquatissimè repræsentat. Verbum igitur ex doctrina Augustini, *paritur à cognoscente & cognito*; ergo est aliquid distinctum à cognito, hoc est, ab obiecto, seu specie, obiecti vices gerente; & à cognoscente, hoc est, ab intellectu actualiter operante cognitionem, seu notitiam obiecti. Ergo per sanctos Augustinum & Thomam, in cuiuslibet verbi productione quatuor distinguenda sunt necessaria & sufficientia. 1. obiectum. 2. intellectus. 3. ipsa formalis productio verbi. 4. verbum ipsum productum. Quæ duo vltima, tamquam veritates omnibus notissimas apertè distinxit Irenæus illis verbis lib. 2. aduersus hæreses cap. 28. fine. *Ex cogitatione verbum emittitur. Hoc vtique omnes sciunt homines.* Præterea idem Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 10. circa finem vniuersaliter ita docet. *Necesse est cum scimus, ex ipsa scientia nascatur verbum. Formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus.* & cap. 15. circa medium, *Verbum nostrum intimum nisi nostra cogitatione non dicitur.*

Verbi diuini generatio explicatur cum Augustino per productionem verbi creati.

Augustinus.

Irenæus.

Clarissima quoque sunt Anselmi verba in Monologio c. 31. circa medium, *Nulla*, inquit, *ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione; imo ipsam cogitationem, sui esse imaginem, ad suam similitudinem, tamquam ex eius impressione formatam. Quamcumque enim rem mens cupit veraciter cogitare, eius vtique similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere. Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secum imaginem suam, ex se natam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam: quæ imago eius, verbum eius est.* Loquitur vniuersalissime, vt patet ex illo, *quamcumque rem*, &c. & ideo Verbum ponit etiam in cognitione sui ipsius, quod tamen expressè negarunt

245. *Probatur ex Anselmo.*

Henricus. Caietanus.

garunt Henricus Quodlibeto 4. quæst. 8. Caietanus hic §. *Ad tertium dubium*, & alij. Præterea verbum quod Augustinus sæpius vocat *notitiam*, Thomas *conceptionem*, Anselmus appellat *cogitationem*: eamque docet esse *similitudinem atque imaginem ex mente natam, & ex mentis impressione formatam.* Quibus verbis apertè distinguit actionem intellectus à verbo intellectus, ad quod producendum actio illa terminatur. Rursus cap. 46. *Liquet cum mens humana se cogitat, quòd verbum eius nascitur de memoria. Vnde si semper se cogitaret, semper verbum eius de memoria nasceretur.* Quo manifestè supponit, nullam plane cogitationem esse posse sine verbo. & statim rationem assignat, *Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est mente eam dicere. Verbum verò rei, est ipsa cogitatio ad eius similitudinem ex memoria formata.* Vbi nomine memoriæ non est intelligendus actus intellectus, qui est ipsummet verbũ repræsentans actualiter rem obiectã, sed intelligenda est potentia intellectiua informata specie impressa rei intelligibilis, ex qua proximè per actionem intelligendi nascitur actus intellectus, & sic formatur ea intentionalis similitudo obiecti, quam vocamus verbum. Quod ipsemet non obscurè significauit infra in cap. 60. dicens, *Cum homo cogitat aliquid, quod extra eius mentem est, non nascitur verbum cogitatæ rei ex ipsa re, quia ipsa absens est à cogitatione intuitu, sed ex rei aliqua similitudine, vel imagine, quæ est in cogitantis memoria; aut forte quæ tunc, cum cogitat, per corporeum sensum ex re præsenti in mentem attrahitur.* Duplicem similitudinem distinguit, alteram habitualem, quæ antecedit, & causat cogitationem; & eam nos vocamus speciem impressam: alteram actualem, quæ est ipsa cogitatio, & à nobis dicitur species expressa, & est propriè verbum.

246. *Probatur cõclusio ratione.*

Probo secundò ratione ducta ex dictis Sanctorum, Augustini, Anselmi, Thomæ. Constat intellectum quemlibet creatum, esse actiuam quamdam potentiam, quæ aliquando est in actu, aliquando non; nam etiam Angelus, qui vt probatur infra, quæst. 56. art. 1. semper & necessario se ipsum actu intelligit, posset saltem per diuinam omnipotentiam ab illa actuali intellectione impediri, & cessare. Ergo semper ac intelligimus, quicquid prorsus & quocumque modo intelligamus, habemus aliquid verè ac realiter causatum ab intellectu & in intellectu, quod antea non erat. Per hoc enim quod quis intelligit, amat, sentit, (eadem enim est de omnibus ratio) incipit tendere vitaliter & intrinsece circa aliquod obiectum, circa quod antea non tendebat: qui realis ac nouus effectus intelligi non potest sine aliquo reali ac nouo addito in ipsa potentia. Hoc autem esse non potest mera actio de prædicamento actionis, quod ipsemet Caietanus fatetur infra quæst. 79. art. 2. aliquanto ante §. *Circa tertiam* tam de intelligere, quàm de quacumque alia immanente actione vniuersaliter docens, *esse qualitates, non actiones, aut passiones.* Tum quia omnis actio causæ effectiuæ, est essentialiter id, quo aliquid efficitur. ergo sicut per calefactionem v. g. quia est actio causæ calefacientis, debet necessario produci calor; ita quia actio potentiæ intellectiuæ est actio causæ intelligentis, debet necessariò per eam produci actus, seu qualitas actualis intelligendi. Tum quia si actio intellectus non afferret aliquem terminum intrinsecum, deberet saltem afferre terminum aliquem extrinsecum, vt patet in ipsamet latione, quæ sola, in valde probabili sententia negante vbi intrinsecum, videtur esse quædam actio, quæ non est productio termini in subiecto, sed potius adductio subiecti ad præexistentem terminum extrinsecum, nempe locum, seu spatium; & tamen per lationem etiam acquirit subiectum mobile aliquem locum in quo antea non erat: omnis enim actio vt actio, quæcumque illa sit, siue productiua, siue adductiua, consistit essentialiter in conceptu viæ seu tendentiæ ad aliud; ergo omnis causa agens non potest verè concipi agere, nisi præter actionem afferat aliquid aliud, ad quod per actionem tendat. Sed cum intellectus creatus se ipsum intelligit, vel cum per beatam visionem intelligit Deum, si non produceret aliquem intrinsecum terminum, ad nullum alium extrinsecum terminum adduceret, quia & idem sibimet, & Deus creaturæ semper sunt intimè præsentes. ergo in istis casibus esset in agente noua actio, hoc est, noua quædam ratio essentialis tendendi ad aliud, siue acquirendi aliud, & tamen præter actionem nihil aliud de nouo acquireretur: quæ videtur implicantia manifesta. Neque dici consequenter potest, acquiri de nouo obiectum, non in esse reali, sed in esse intentionali; hoc enim verissimum est, sed contendo, hoc esse intentionale, non esse ipsammet puram actionem potentiæ intellectiuæ, vt conuincit argumentum, sed esse debere aliquem alium intrinsecum terminum ab ipsa productum, ratione cuius formaliter fiat obiectum de nouo præsens potentiæ non realiter, sed intentionaliter, hoc est, nunc in intellectu de nouo reluceat obiectum, quod antea non relucebat, esto obiectum sit eodem modo indistans realiter à potentia, quo erat antea: alioqui saluari nulla ratione potest essentialis conceptus actionis, quem omnes planè habent. ergo si in istis duobus casibus de cognitione sui ipsius, & diuinæ essentiæ, in quibus id maximè & solum negatur ab aduersariis, per actualem intellectionem non solum datur actio, sed etiam terminus, seu forma & qualitas aliqua de nouo producta, nulla vniuersalissima actio intelligendi, quæcumque illa sit, carebit eodem termino producto.

Caietanus.

Actionem esse non posse sine termino.

247. *Terminum actionis intellectualis esse verbum, ex Soto, Victoria, Torres.*

Hunc autem terminum esse verbum mentis, docuerunt duo Thomistæ, tamquam S. Thomæ sententiam, Victoria & Sotus, quos refert & sequitur Torres hic disput. 4. part. 1. post medium dicentes, Actum intelligendi, & verbum mentale, differre sicut calefactionem & calorẽ. Idque ego breuiter sic ostendo. Hunc terminum nullam aliam ob causam in se producit potentia intellectiua, nisi vt actu intelligat obiectum, quod antea non intelligebat actu, vel potest non actu intelligere. ergo hic terminus est aliqua forma creata, in ipso intellectu manens, qua intellectus fit formaliter in se actu intelligens. ergo est expressa & actualis repræsentatio, seu intentionalis quædam similitudo actualiter & expresè repræsentatiua obiecti. ergo est verbum. Primum antecedens patet ex terminis ipsis, quoniam potentia qua possumus intelligere obiectum, expressissimè terminatur ad actu intelligere obiectum. Vnde S. Thomas quæst. 8. de Potentia art. 1. dixit, *Propter hoc intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat.* Prima consequentia probatur aperte ex optimo discursu S. Thomæ 4. contra gentes cap. 11. multo post initium, vbi tamquam notissimum principium ex ipsa nominis significatione sumit, quòd *ipsum intelligere*, nimirum sumptum secundum totam realitatem suam, secundum quam complectitur & actionem & terminum intrinsecum actionis intellectus, *significat apprehensionem eius quod intelligitur per intellectum:* vitalem nimirum atque intentionalem apprehensionem, qua repræsentetur & reluceat intellectui, & propterea intentionaliter possideatur, & quodammodo ponatur obiectum intra intellectum. Quod cum fieri non possit per ipsum obiectum in se, & in suo esse

S. Thomas.

Quid sit intelligere.

esse reali,tum quia plerumque est absens, & extra; tum quia esto sit præsens, tamen est improportionatum ptincipio vitali, ac repræsentatiuo; debet necessario fieri per aliquam inhærentem formam, quæ sit ipsum obiectum secundum aliud esse intentionale, & proportionatum illi principio, scilicet secundum esse vitale & repræsentatiuum, quod nihil est aliud,quàm quædam actualis imago ac similitudo, quæ se ipsa formaliter est ipsamet actualis expressio ac repræsentatio obiecti, quæ dicitur ipsum obiectum in esse intentionali, seu repræsentatiuo vitaliter, & propter hanc obiecti repræsentationem infert ibidem S. Thomas vniuersalissimè, *Omne intellectum,in quantum intellectum, oportet esse in intelligente.* Vltima consequentia, quod scilicet prædicta similitudo sit verbum, & consequenter, quòd ex quacumque creata intellectione procedat verbum, constat ex conceptu,quem omnes sapientes nobis de mentali nostro verbo tradiderunt. Nam à sanctis Augustino,Anselmo, Thoma, nihil aliud esse dicitur verbum, nisi rei intellectæ similitudo, atque imago ex intellectu facta: nimirum non realis, sed intentionalis, vt expresse limitat S. Thomas de Veritate quæst. 4. art.4. ad 2. dicens, *Ad veritatem verbi non exigitur similitudo ad rem, quæ per verbum dicitur, secundum conformitatem naturæ, sed secundum repræsentationem.* Vnde ab Augustino supra, verbum dicitur similitudo, quæ fit dum rem aliquã cognoscimus.Præterea Gulielmus Parisiensis de Rerributionibus sanctorum,ante medium,verbũ vocat expressam similitudinem,dicens, quòd intellectus beatus *faciem Dei repræsentabit expressa similitudine,* quam paulò post vocat potentiæ nostræ intellectiuæ *filium & verbum.* & S.Thomas loco citato de Potentia ait, *Conceptio intellectus in nobis, propriè verbum dicitur*, quod,inquit,*oritur quidem ab intellectu per suum actum,est verò similitudo rei intellectæ.* Sicut enim vocale verbum est signum quoddam sensibile, ad placitum repræsentans audientibus & conceptus animæ,& res per illos conceptus apprehensas, ita verbum mentale esse debet illud signum spirituale,quod naturaliter repræsentat menti ipsas res, quas mens ipsa intelligere & apprehendere vult. Quod munus, vt probatum est, habet quiuis terminus productus per quamlibet actionem intelligendi: & habere non potest intellectio, acceptã formaliter vt actio de prædicamento actionis;quia vt optime probat illustrissimus Bellarminus l. 2. de Christo cap. 17. in medio, *Similitudo in forma, seu qualitate fundatur.*

Quid sit Verbum.

S.Thomas.

Guilielmus Parisiensis.

Bellarminus.

Verbum creatum non procedere ex actu intellectus,sed ex actione intelligendi.

248. *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio. Verbum creatum procedit immediate à potentia intellectiua per actionem terminatam immediatè ad ipsum verbum; & non procedit ex termino illius actionis, qui terminus, vt probaui, est ipsemet actus vitalis, & immanens intellectui, ab eo productus per actionem intelligendi. Hæc conclusio ex dictis ferè probata remanet; & nullam in re difficultatem habere potest, sed solum in modo loquendi, in quo video Doctores non nihil esse varios. Quo factum est,vt Torres hîc disp.4.part.1.aliquanto post principium, & alij referant Scotum 1. d.27. in responsione ad primam quæstionem.Durandum quæst.2.Paludanum q.4.& alios, quòd malè dixerint, per intellectionem non produci verbum,sed ipsammet intellectionem esse verbum; qui intelligi facilè possunt de intellectione prout est actualis similitudo repræsentans intentionaliter obiectum, quam ego voco actum intellectus, non de intellectione prout est quædam potentiæ intellectiuæ actio de prædicamento actionis,quam ego voco actionem intelligendi. Factum quoque est, vt ipsemet S. Thomas in hac articulo videri possit contrarius, sed verè non est. Verbum enim circa finem corporis dicitur,*Conceptio rei intellectæ,ex vi intellectiua prouenies,& ex eius notitia procedens.* Quibus verbis videtur significare,prius esse actum notitiæ productum à potentia intellectiua, deinde ab hoc actu procedere conceptionem & verbum. Verum aliter intelligendus est, duplicem emanationem distinguere, alteram immediatam à potentia intellectiua; & hæc est propria actionis intelligendi,quæ se ipsa,& non per aliam actionem, prouenit à potentia: alteram immediatam à notitia intellectus,hoc est,ab actu, siue actione intelligendi procedentem immediate; & hæc est propria verbi, & termini actionis intellectus. Eodemque modo notitiam,pro ipsa cognoscendi actione vsurpat infra quæst.34. art.1. vbi paulò ante finem corporis, loquens de verbo, quod vult etiam propriè interiorem mentis conceptum, ait, *Ipse conceptus cordis de ratione sua habet,quòd ab alio procedat, scilicet à notitia concipientis.* Alioquin ipsemet in hoc ipso articulo,immediate ante verba in contrarium citata,cum dixisset, *Intelligere est actio intellectus, manens in intelligente,* statim in ea propria significatione loquens,subdit,*Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit,procedit verbum intra ipsum:*non obscurè significans, verbum habere immediatam connexionem cum intelligere; aliter minus rectè diceretur,Verbum procedere in intellectu, *ex hoc ipso quod intelligit,*tunc enim ex intelligere procederet actus, seu notitia, ex cuius deinde operatione procederet verbum.& in citata quæst.34. art. 1. ad 2.exponens Augustinum docentem,*Verbum esse notitiam*, ait,*non accipitur, notitia pro actu intellectus cognoscentis; sed pro eo,quod intellectus concipit cognoscendo.* Vbi apertè distinguit duo, & aliquid conceptum, seu productum intra intellectum per cognitionem, siue actũ intellectus,& ipsum actum intellectus, siue actionem, qua mediante intellectus parit in se verbum: & non obscurè indicat, se sumpsisse notitiam pro actu,siue actione intellectus,quam etiam cognitionem,vocat.Vnde optime ipsemet Capreolus,quamuis aliquando nobiscum non plene sentiat, tamen 1.d.35. quæst.1. art.1. conclusione 1. omnimodam verbi cõstitutionem ita complexus est, *Intelligere in nobis est actio intellectus, cuius principium est species intelligibilis,& terminus est conceptio,seu verbum rei intellectæ.*Ergo potentia intellectiua per suam intelligendi actionem non terminatur ad aliquem terminum, qui non sit verbum,sed sit notitia; nec deinde hæc notitia per aliam actionem terminatur ad alium terminum, qui sit verbum. Omne igitur verbum creatum procedit per actionem intelligendi promanantem immediate ab ipso intellectu,& non per aliam actionem promanantem immediate ab aliquo intellectus actu prius producto.Quapropter ne hac in re,vocum ambiguitate confundamur, obseruandus est modus loquendi, quem tradit Heruæus tractatu de verbo,quæst.1.art.2.initio corporis dicens, Verbum non esse actum intelligendi, sed actum intellectus, quia, inquit, *est quædam forma informans intellectum; & omnis forma est actus eius,cuius est forma.* Actus vero intelligendi,seu clarius,actio intelligendi,magis significat fieri verbi, quam verbum ipsum. ergo ponere actum, seu formam intellectus, productam ab intellectu per actum, siue actionem intelligendi;& tamen asserere, illud non esse adhuc verbum, est prorsus alienum à communi sensu omnium bonorum Theologorum. Vnde

Quid sentiat S.Thomas.

Notitiam aliquando sumi pro actione intellectus.

Capreolus.

Heruæus.

Quid sentiãt Scotus,Durandus,Paludanus, qui in cõtrarium referuntur à Torres.

S.Thomas

S.Thomas. S.Thomas de Veritate q.4.art.2. post medium corporis simpliciter dixit,*Verbum intellectus nostri est id, ad quod operatio intellectus nostri terminatur.* Non dixit, esse id ad quod terminatur operatio notitiæ siue alterius actus intellectus. ergo dato aliquo termino producto per operationem intellectus, nihil aliud ex S. Thoma requiritur ad perfectam verbi rationem.Quare cum de potentia q.8.art.1.post medium corporis docet, *verbum oriri ab intellectu per suum actum,& non esse actum intellectus*, non est accipiendus de actu in facto esse, sed de actu in fieri, quam ibidem vocat actionem intellectus, dicens, *Differre verbum ab actione intellectus,quia prædicta conceptio*, quam paulò ante dixerat esse propriè verbum, *consideratur vt terminus actionis.* & iuxta modum loquendi obseruatum ab Heruæo supra, de Veritate quæst.4.art.2.post medium corporis vocat actum intelligendi,dicens,quòd conceptio,seu verbum,*est effectus actus intelligendi.*

Durandi. Fonsecæ. Molinæ. Suarez. Vasquez. Salas. Becani. Arrubal. Zunigæ. Sylueſtri. *Contra Henricum, Ægidium, Heruæum,Capreolum, Caietanum,Ferrariensem, Palatium, Bagnes, Zumel,Naturrete, Ripam, Valentiam.*

249. *Probatur cõclusio ratiõibus.*

Præter hanc authoritatem, conclusio suaderi breuiter potest ratione. Primo quia posita prima forma actuali, prius producta ab intellectu per actionem intelligendi, apparet euidenter superflua, & irrationabilis alia secunda forma, etiam actualis producta à prima. Quid enim muneris fingi potest obiti à secunda, quod non æquè benè obiti possit à prima? Ergo nulla necessitas est multiplicandi secundam.Secundo verbum,quodcumque tandẽ illud sit, procul dubio est aliquis actus intellectiuæ potentiæ,quem Augustinus notitiam,Anselmus cogitationem,Thomas conceptionem vocat;quę omnia nomina manifestè important actualem obiecti perceptionem. Vnus autem actus non fit ab alio actu, sed omnes actus efficiuntur immediate à communi potentia, cuius sunt actus. ergo verbum non efficitur immediate ab actu intellectus, sed ab intellectu ipso. Tertio actio illa per quam verbum immediate produceretur ab actu intellectus,non ab intellectu, nõ potest esse actio intelligendi, quia intelligere est proprium potentiæ intellectiuæ,& non actus, cum non actus intellectus,sed intellectus ipse dicatur intelligere. ergo per illam actionem non potest produci verbum.consequentia patet ex eo quod Sancti, Augustinus,Anselmus, Thomas, & alij omnes docent, verbum non aliter produci nisi intelligendo. Quarto ille primus actus, à quo fingitur produci verbum,est productus per actionẽ intelligendi,quia est productus immediate à potentia intellectiua,cuius actio alia esse non potest nisi actio intelligendi. Est etiam forma quædã repræsentatiua obiecti,quid enim aliud esse,aut quod nam aliud munus habere, aut ad quem alium finem atque vsum ab intellectu per actionem intelligendi productus fingi potest? ergo ipse per se, absque alio consequente actu, est propriissime & adæquatissime verbum.Quæ consequentia satis constat ex omnium Doctorum dictis supra relatis de natura verbi creati:præsertim ex illis verbis S.Thomæ de Veritate q.4.art.2. ad 5.*Non aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem*, hoc est,verbum, *exprimendo. & ideo*, inquit, *omne intelligere in nobis propriè loquendo, est dicere.* Sed illa actio,qua fit primus actus, est intelligere. ergo est dicere. ergo actus, per illud immediate productus, est verbum; quia dicere non terminatur immediate ad aliud, nisi ad verbum.

S.Thomas.

Verbum creatum non esse id in quo, *sed id* quo *intelligitur.*

250. *Tertia conclusio.*

Tertia conclusio. Verbum creatum non est medium *quo*,& simul *in quo*; siue obiectum immediatum actus directi intelligendi, ducens ad aliud obiectum mediatum & principale:sed est solum medium formale *quo*, incognitum cognitione directa. Hoc benè probat Durandus 1.d.27.q.2.à n.19.quem nostri Theologi communiter sequuntur,Fonseca 7. metaph.c.8.q.3.sect.5.ad 3.Molina supra q.12.art.2. disp.1.concluſ.1.§.*Ad hoc.* & in hoc articulo disp.8. membro 3.Suarez part.1,tr.1.lib.2.c.11. n.10. ad 2. & c.13.n.5.& 6.Vasquez part.1.disp.39.cap.2.n.13. Salas 1.2.tract.2. disp.5.sect.2.n.16.Becanus part.1. tract.1.c.9.q.2.n.7.fine.Arrubal disp.97.n.2. Zuniga disp.1.dub.5.n.2. & inter Thomistas Sylueſter part. 1.Conflati q.27. art.3. §.1. notando 4.& §.3.& alij, contra multos antiquos & modernos, Henricum quodlibeto 4.q.8.Ægidium quodlibeto 5.q.5.Heruæum tractatu de Verbo q.1.art.1.ad 3.& 4. & art.2. paulo post principium,& a.3.per totum,Capreolum 1.d.27.q.2.a.2. ad argumenta Aureoli contra primã conclusionem ad 3. Caietanum hic, §. *Ad quartam dubitationem.* Ferrariensem 1.contra gentes c.53.§. *Quinta est.*Palatium 1.d.27.disp.2.concluſ.3. Torres hic disp.5.part.1.assertione 4.Bagnes supra,q.12.a.2. dub.1.not.1.& in hoc articulo dub.2.post septimam conclusionem ad 3. Zumel supra q.12. art.2.disp.1. circa principium.Nauarrete controuersia 34.§.4.ad 6.Ripam quæst.12.art.2. dub.1. c.1. Valentiam hic, puncto 3.§.*Restant.*

251. *Probatur cõclusio ex S. Thoma.*

Probatur conclusio primò ex S.Thoma, quẽ sine vllo dubio existimo illius authorem; tametsi interdum ita loquatur,vt contrarium sentire visus sit nõ solum multis Thomistis, sed etiam nostro Vasquez disp.39. à n.8. Verum pro conclusione nimis clara sunt verba in 1.d.27.q.2.art.1.ad 4.Deus, inquit, *intelligit essentiam suam per essentiam suam: vnde essentia se habet vt intelligens,& vt intellecta,& vt quo intelligitur; & in quantum se habet vt id quod intelligitur, est ibi verè ratio intellecti; sed in quantum se habet vt quo intelligitur.sic est ibi ratio verbi.* Rationem obiecti intellecti opponit rationi verbi, quo obiectum intelligitur:manifestè significans ac supponens,Verbum nõ habere rationem intellecti,quæ est ratio obiecti & medij *in quo*,sed tantum formalem rationẽ medij *quo* obiectum est intellectũ. Vbi non potest S.Thomas explicari de ratione intellecti extra ipsum intelligentem, quia loquitur de essentia diuina, quæ maxime est intra Deum intelligentem;& tamen de hac essentia dicitur,non habere rationem intellecti, sed verbi,scilicet non intellecti,dum Deus illam essentiam per eandẽm essentiam intelligit.Et ideo deinde in art.2.post medium corporis cum dixisset, *In nobis nihil aliud est verbum nisi species intellecta*, vt declararet, hoc esse accipiendum effectiuè, non obiectiuè,vt sit sensus. Verbum est species producta per intellectionem, tanquam actionem tendentem ad terminum,nõ autem est species obiecta intellectioni,tamquam actui tendenti ad obiectum,paulò post id magis explicans in bono sensu effectiuo subiungit,*Verbum est similitudo ipsius rei intellectæ,prout est cõcepta in intellectu,& ordinata,ad manifestationem,vel ad alterum.*Quod dixerat,*species intellecta*, nihil aliud esse postea exponit, nisi *similitudo rei intellectæ prout est concepta in intellectu*: esse autem conceptum, seu intranatum,importat rationem effectus,non obiecti. Vnde statim addit,*Ista species in diuinis potest accipi secundum quod dicit id, quo aliquid formaliter in diuinis intelligitur, & sic ipsa essentia erit verbum.* Si verbum est id quo formaliter intelligitur aliquid, ergo ipsum non est id quod intelligitur: quia vniuersaliter nulla forma, qua formaliter habetur aliquis effectus, recipere potest in se effectum illum, v.g. quantitas non quantificatur, albedo non albificatur,quia sunt id quo formaliter aliquid quantificatur, albificatur.

In quo sensu dicatur verbum species intellecta.

252. *In quo sensu verbũ dicatur* intentio intellecta, *& conceptio intellectus.*

Non minus vrgent alia verba in 4. contra gentes c. 11. vbi cum non semel, sicut etiam sæpe alibi, verbum esse dicat *intentionem intellectam*, vt significet, se hoc dicere de intellecto non in ratione obiecti, sed in ratione effectus producti per intellectionem, expresse notat multò post principium, *Verbum non esse ipsam rem, quæ intelligitur, sed quandam similitudinem conceptam intellectu de re intellecta*, hoc est, obiecti similitudo, quam concipit, ac parit intellectus intra se ipsum. Hoc enim loco *concipere*, non esse sumendum obiectiue, per apprehendere ac repræsentare sibi, sed effectiuè, pro parere & formare intra se, patet ex illis verbis, quæ ibidem habet circa medium, *Verbum est quasi terminus intellectualis operationis. intellectus enim intelligendo concipit & format intentionem, siue rationem intellectam, quæ est interius verbum.* Vbi pro eodem vsurpat concipere & formare, quod est efficere: & verbum esse terminum atque effectum intellectualis operationis, probat ex conceptione; ad quem finem facit conceptio effectiua, non obiectiua. Verum quoniam verbum etiam ipsum potest obiectiuè intelligi non minus ac res ipsa, quæ per verbum intelligitur, sic ibidem inter ista duo distinguit, optimè ad nostrum propositum; *Aliud est intelligere rem, & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit dum super suum opus reflectitur.* Intentionem intellectam vocat *opus intellectus*, non obiectum. ergo illa dicitur intellecta effectiuè, non obiectiuè. & si dum intellecta intelligitur, tunc fit obiectum intellectum, ergo non dicitur intentio intellecta simpliciter, tamquam obiectum intellectum: in quo sensu sumitur ab aduersariis supra citatis. Denique apertissime dicitur, non aliter intelligi obiectiue, *nisi* per actum reflexum. quod docuit etiam præcipuus Thomista Syluester part. 1. Conflati quæst. 27. art. 3. §. 1. initio. Distinguit enim S. Thomas duos obiectiuos intelligendi modos, alium quo intelligitur res, quæ quidem intelligitur actu directo: alium quo intelligitur intentio intellecta, hoc est, verbum productum per actionem intelligendi: quem secundum modum opponit primo modo directè intelligendi, & expresse ait esse per intellectionem reflexam non supra obiectum directum, sed supra opus & effectum suum, dicens, *Intellectus intelligit intentionem intellectam, dum super suum opus reflectitur.* ergo actu illo directo, quo per verbum formaliter intelligitur obiectiuè res, non intelligitur obiectiuè ipsummet verbũ. Quare cum in eodem c. 11. circa medium, quo loco maximè mouetur Vasquez supra, verbum quo homo se ipsum intelligit, dicitur *homo intellectus tantum. quasi quædam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa*; per hominem intellectum, nihil aliud significatur, vt ipsemet exponit aliis verbis sequentibus, nisi *similitudo hominis veri*, qui intelligitur. Vnde illa similitudo dicitur *homo intellectus*, non quia ipsa similitudo sit intellecta tamquam obiectum, sed quia per ipsam formaliter, tamquam per intentionalẽ quamdam imaginem intelligitur homo verus: ipsa igitur actualis intellectio & repræsentatio hominis denominatur homo intellectus. sicut imago, v.g. Christi, vulgò denominatur Christus. Dicitur præterea *quasi quædam similitudo*, quia, vt ipsemet exponit de Veritate quæst. 4. art. 4. ad 2. *non est similitudo secundum conformitatem naturæ, sed secundum repræsentationem*: quæ secunda est similitudo minus propriè dicta, & ideo *quasi similitudo*, quia non est formalis, sed virtualis, hoc est, non continet in se formaliter esse hominis, sed solum habet in se virtutem atque actualem vim actualiter repræsentãdi illud esse. Denique dicitur similitudo *ab intellectu apprehensa*, scilicet nõ obiectiuè, sed effectiuè, quia, vt idem explicat in aliis locis superius citatis, est ab intellectu per apprehensionem, vt formaliter actionem, producta, & concepta intra ipsum intellectum.

Verbum intelligi reflexè tantum ex S. Thoma.

Syluester.

Exponitur locus S. Thomæ 4. contra gentes c. 11.

253. *Probatur cõclusio ratione Durandi.*

Probatur secundò ratione Durandi supra n. 19. quam Molina supra meritò docuit esse sufficientissimam, quia si expressa ac directa cognitione cognosceremus duo obiecta, nempe immediatè imaginem alicuius rei, mediatè rem ipsam, sicut experimur nos cognoscere rem, quæ est obiectum extrinsecum & remotum, ita multò magis experiri deberemus, nos cognoscere imaginem, quæ est obiectum intrinsecum & proximum: hanc enim ob causam, cũ cognoscimus aliquid in speculo, aut imaginatum in sua imagine, quia cognoscimus verè duo obiecta, id (nisi fallor) euidenter experimur & aduertimus. Hãc autem experientiam atque aduertentiam se habere in omnibus suis directis cognitionibus nullus verè dicere potest. ergo hoc primum & immediatũ verbi obiectum omnino fingitur cognosci. Quis enim ignorare posset, quod immediate & intuitiue cognoscit? Enim vero vt sapienter expendit idem Durandus n. 20. si verbum esset obiectum immediatũ, esset visum intuitiuè ac nudè prout immediate in se ipso est, ac proinde eius visio esse deberet certissima ac notissima cognoscenti: saltem esse deberet obiectum notius alio obiecto mediato, quod per verbum, & in verbo abstractiuè cognosceretur; sicut cognoscenti Cæsarem in sua statua, notius est se cognoscere statuam, quam Cæsarem: & tamen contrà accidit, quoniam de cognitione rei sumus certissimi, de cognitione verbi nihil planè scimus, nec scire possumus, quantumuis diligentissimè, atque attentissimè aduertere velimus.

254. *Speciem expressam cognatam dari in sensu, si datur in intellectu.*

Tertiò nonnulli aduersarij dicunt, quod Vasquez supra tribuit Capreolo, hanc specie expressam prius cognitam, dari solum in intellectu, non autem in sensu. Quod minus conuenienter & cõsequenter dictum videtur: tum quia tunc oculus corporeus, v.g melius ac perfectius videret suum obiectum visibile, scilicet non mediante alio prius viso, quam humanus, vel etiam angelicus intellectus suum obiectum intelligibile, nimirum mediante alio prius intellecto. Tum quia eadem omnino ratio est de sensu & de intellectu: numquam enim assignari probabiliter poterit aliqua necessitas, ob quam intellectus, præsertim angelicus, qui intelligit etiam per proprias rerum species, & non sensus, indigeat huiusmodi intrinseco & immediato obiecto prius cognito, vt in alia obiecta ferri possit, & ideo consequenter Torres hic disp. 4. circa finem in prima & secunda assertione, negat, sensu externo produci similitudinem; & concedit, sensum internũ in similitudine, à se producta videre obiectum: sed hanc sententiam inferius impugnabimus. Quare ex hoc ipso, quòd huiusmodi obiectum non reperiatur in sensu, possumus rectè arguere, non reperiri in intellectu: sicut ex alia simili paritate cum voluntate idem Durandus n. 22. ita benè arguit, *In voluntate non est aliqua forma, quæ sit primò obiectiuè dilecta, & ratio diligendi alterum: ergo in intellectu non est aliqua forma, quæ sit primò obiectiuè cognita, & ratio cognoscendi alterum.*

Torres.

Durandus.

255. *Quadam inconuenientia ex contraria opinione.*

Quartò, in hac sententia de verbo cognito vt *quod*, si distinctius explicetur, apparebunt nonnulla si non simpliciter impossibilia, saltem inconuenientia & superflua. Tunc enim verbum deberet prius fieri, scilicet per actionem intelligendi, manantem immediatè à potentia intellectiua: sed per actionem intelligendi omnes concipimus produci ipsum intelligendi actum, quo formaliter intelligitur obiectũ; sicut per actionem potentiæ calefactiuę producitur calor, quo formaliter & immediate aqua

aqua v.g. calefit: ergo verbum productum per actionem intelligendi, est ipse actus quo formaliter & immediate intellectus intelligit. Deinde si verbum est prius obiectum *quod*, ergo in aliquo priori saltem naturæ, datur verbum productum & informans intellectum, & non habetur adhuc intellectus intelligens; quia tunc dicit hæc opinio intellectum intelligere res, cum producto, & habito iam intra se verbo, incipit illud intelligere, hoc autem consequens tam est absurdum, quam absurdum est, me proferre verbum & dicere, & tamen non loqui; nam loqui intellectualiter, nihil est aliud quam intelligere manifestando sibi aliquod obiectum. Tunc vero loquimur, cum verbum dicimus atque exprimimus. Ergo si iam dicto & expresso verbo non habetur intellectus intelligens, nec habebitur intellectus intellectualiter loquens. Quod ex ipsis terminis videtur irrationabile; sicut in sensibilibus, aliquẽ proferre & exprimere verbũ sensibile, rem aliquam alij sensibiliter manifestando, & tamen per hoc non adhuc loqui sensibiliter. Præterea si post productum & habitum iam verbum, tamquam immediatum obiectum *quod*, tunc tandem incipimus intelligere, quid quæso erit hoc intelligere? an sola actio de prædicamento actionis? At hoc efficaciter reiectum est supra n. 246. An etiam aliquis terminus de prædicamento qualitatis per illam actionem productus, quo intellectus reddatur formaliter intelligens res? At hoc initio poni poterat absque superflua multiplicatione alterius productionis & qualitatis. Denique quòd vnum videatur in alio viso, præsertim visione clara & intuitiua, intelligi non potest nisi quia illud vnum in alio continetur vel formaliter, sicut figura Cæsaris continetur in eius statua; vel eminenter, sicut continentur, & propterea videntur creaturæ in Deo. In verbo autem, quod non est nisi quædam simplex qualitas ab intellectu producta, contineri non potest neque formaliter, neque eminenter obiectum, quod plerumque est multò nobilius ipso verbo, præsertim cum videtur Deus à beatis; vbi propterea aduersarij, consequenter quidem, tametsi falsò simpliciter, volunt non interuenire verbum; scilicet speciem, seu similitudinem aliquam obiectiuam, in qua visa videatur intuitiuè Deus: quam implicare probaui tomo 1. quæst. 12. art. 2. dub. 2.

256. *Obijcitur S. Thomæ.*

Dices, cum S. Thoma quæst. 4. de Verirate art. 1. in medio, & in fine corporis ait, *Verbum esse ipsum interius intellectum, quod actu consideratur per intellectum.* & lib. 1. contra gentes cap. 53. & lib. 4. cap. 11. & sæpe alibi, verbum vocat, *intentionem intellectam*, illum à nobis supra non benè explicatum fuisse de esse intellecto effectiuè, non autem obiectiuè: hanc enim distinctionem non esse ad mentem S. Thomæ videtur aperte ostendi ex eo quòd de Veritate quæst. 4. art. 2. post medium corporis docet, *Verbum intellectus in nobis, duo habere de sua ratione; scilicet, quòd est intellectum, & quod est ab alio expressum.* Verbum esse ab alio expressum, est esse ab intellectu productum: ergo cum præter hoc esse expressum, dicitur verbum habere de ratione sua aliud distinctum esse intellectum, non potest intellectum accipi effectiuè, & exponi per esse productum ab intellectu: ergo accipiendum est obiectiuè.

Declaratur.

Respondeo, propter hoc argumentum in 1. tomo quæst. 12. art. 2. n. 18. scripsi, verbum apud S. Thomam dici intellectum, neque effectiuè, neque obiectiuè, sed tantum repræsentatiuè in quantum est expressa quædam imago intentionaliter repræsentans rem, quæ per verbum formaliter & actualiter intelligitur. Nunc vero iterum accuratius perpendens verba citata de Veritate & alia antecedentia,

Fasoli in D. Thom. Tom. I I I.

Quot modis verbum à S. Thoma dicatur intellectũ.

Inter quos, nescio quo pacto Torres hic disp. 5. parte 1. assertione 4. contra hanc conclusionem maxime motus authoritate S. Thomæ, ita cum referat loco citato de Veritate quæst. 4. art. 2. ad 3. & sequutus est Bagnes hic dub. 2. post septimam conclusionem ad 3. *Conceptio intellectus non solum est id quod intellectum est, sed etiam est id in quo res intelligitur.* Enim vero accuratè legi omnes diuersarum impressionum codices, & in nullo habetur, *id in quo res intelligitur.* Sed solum quod nobis magis fauet, *id quo res intelligitur.* Præterea Torres esse ait *apertius* pro se illud de potentia quæst. 9. art. 5. *Id autem quod est per se intellectum, non est res illa, cuius notitia per intellectum habetur; sed est primò & per se intellectum, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta.* Vbi etiam dici facilè potest accipi intellectum pro re intellecta, non realiter, nec obiectiuè, sed repræsentatiuè, secundum esse intentionale actuale, quo actu intelligens constituitur formaliter in ratione intelligentis & apprehendentis obiectum. Et in hoc sensu ibidem S. Thom. dixit, *De ratione eius quod est intelligere, est quod intelligens sit intellectum*, hoc est, informatum actuali similitudine obiecti, qua forma intellectus fit formaliter intelligens in actu secũdo. & paulò post, *Oportet quòd intellectum sit in intelligente, & vnum cum ipso;*

257. *S. Thomæ textum non referri à Torres, & Bagnes.*

Exponitur locus S. Thomæ de pot. q. 9. art. 5.

scilicet per informationem in creaturis, per identitatem in Deo,& ideo hoc intellectum dicitur *primò & per se*,quia res prius natura habet hoc esse intellectum repræsentatiuè intra animam, quàm esse intellectum obiectiuè extra animam : & hoc est ab illo,non illud ab hoc. Demum hoc esse intentionale, & actualiter repræsentatiuum est illud, *quod intellectus in se ipso concipit de re intellecta*, hoc est, concipit, non sibi obiiciendo, sed in se ipso pariendo & formando. Vnde ibidem vocatur, *intelligendi terminus*,non autem obiectum:& quod hîc dicitur, *concipit*, alibi dicitur, *format*, quod clarius explicat sensum effectiuum:vt 1.contra gentes c. 53. *necessarium est, vt intellectus intelligendo formet in seipso quamdam intentionem rei intellectæ*. quam paulo post vocat, *terminum intelligibilis operationis*. Et de Veritate q. 4. art.2.ad 5. *non aliter possumus intelligere nisi huiusmodi conceptionem exprimendo*. & de potentia q.8. art. 1. *Propter hoc intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat*.& lib.4. contra gentes c.11. Intellectus intelligendo concipit & format verbũ. Addens,*format*.declarare voluit,illud,*concipit*, accipiendum esse effectiuè,non obiectiuè. Valde etiam fundatur Torres in aliis verbis S. Thomæ in cap.1. Ioannis lectione 1.non longè à principio. *Ipsud ergo sic expressum,scilicet formatum in anima, dicitur verbum interius:& ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit,sed sicut in quo intelligit, quia in ipso expresso,& formato, videt naturam rei intellectæ*, sed ex antecedentibus clarissimum est, negari de verbo esse id *quo*,ex eo quòd non est species impressa, quæ, inquit, *est quo intellectus intelligit*; alioqui aliis locis supra citatis sæpe dicitur, verbum esse id *quo*. Affirmari autem esse id *in quo*,nimirum non tamquam in obiecto,sed tamquam in effectu,vi cuius formaliter videt obiectum. patet ex ipsis verbis citatis, quibus illud *in quo*,ita statim probatur & explicatur:*quia in ipso expresso & formato videt*.Verbum vt expressum & formatum, clarissime importat rationem effectus, non obiecti. Vnde paulo ante dixerat, *Illud est propriè verbum quod intellectus intelligendo format*; & non dicit,*intelligit*.

Expenitur S. Thomas in cap.1.Ioan. lect.1.

258. *Quid ex S. Thoma sit, videre immediatè.*

Ex dictis deducimus,in quauis intellectione, atque adeo intuitiua,etiã diuinæ essentiæ, obiectum intelligi immediate,vt *quod*, non tamen vt *quo*:quoniã verbum ad quamuis intellectionem necessariũ, vt probatũ est,non est res intellecta, sed ratio tantũ intelligendi. Visio autẽ dicitur & esse debet immediata,non ex eo,quòd inter potentiam & obiectum, nihil simpliciter mediet,nam in omni sententia saltem actus ipse cognitionis,quicquid ille sit,mediet necesse est:sed solum ex eo,quòd nihil aliud mediet vt obiectum visum.Quæ immediatio obiectiua necessaria est, vt intelligatur Deus videri à Beatis intuitiuè prout in se ipso est,& vt dicitur 1.ad Cor.13. *facie ad faciem*.& 1. Ioan.3.*sicuti est*. Nam vt docet S. Thomas quodlibeto 7. q.1. art.1. circa principium corporis,medium *in quo*, facit visionem mediatam, quia tunc visus fertur in medium,*sicut invisibile*:medium vero *sub quo*,hoc est, lumen, & medium *quo*, hoc est,species visibilis,nõ faciunt mediatam visionem; *immediate enim dicitur aliquis videre lapidem, quamuis eum per speciem eius in oculo acceptam,& per lumen videat:quia visus non fertur in hac media,tanquam in visibilia,sed per hæc media fertur in vnum visibile,quod est extra oculum*.Ex qua S. Thomæ doctrina manifestum est,Thomistas,& alios asserentes, intellectum ferri in verbum sicut in intelligibile,negare immediationem in omni intellectione, in qua interuenit verbum,atque adeo in omni intellectione simpliciter,quia secundum S.Thomam omnis intellectio in quantum intellectio de necessitate parit verbum.

Ex voluntate creata procedere amorem eodem modo,quo ex intellectu procedit verbum.

259. *Quarta conclusio.*

Quarta cõclusio.Quicquid in creaturis hactenus dictum est de processione verbi respectu intellectus, accõmodandũ proportionaliter suo modo est processioni amoris respectu volũtatis. Ex quauis igitur creata volitione procedit amor, non quidẽ ex volitione quę sit actus volũtatis,sed ex volitione,quę sit actio volendi terminata ad actũ,quem amorem vocamus.Hic autẽ terminus nõ est ipsum obiectũ amabile in quod immediate fertur volũtas,sed est ratio actualis & formalis qua voluntas fertur immediate in obiectũ amabile.Ira ferè omnes,exceptis quibusdã Thomistis apud Torres hic disp.5.part.2. dub.5. circa mediũ,inter quos fuit Magister Cano, contra quem disputat Bagnes infra,art.3. Quibus cõsentit noster Valentia hic, puncto 3. circa finem. Præterea opusculo 1.lib.1.c.4.n.5.initio testatur, multos dicere, actum voluntatis esse solam actionem sine vllo termino intrinseco. Verum apertissimè contradicunt Sanctis,Augustino,& Thomæ.

Contra Cano apud Bagnes. Et contra Valentiam & alios apud Torres & Suarez.

260. *Probatur ex Augustino.*

Probo primò ex Augustino lib.9.de Trinit.c.12. initio.*Cur mens notitiam sui gignit cum se nouit,& amorem suum non gignit cum se amat? Nam si propterea est notitia suæ causa, quia noscibilis est; amoris etiam sui causa est,quia est amabilis*. Vbi loquitur de amante se ipsum, vt magis explicaret Spiritus sancti processionem,quæ est per actum quo Deus se ipsum amat; vt supra,n.244.notaui de Verbi processione: sed eadem,imo maior ratio est in aliis casibus,quia amore medio inter amantem & amatum, multò magis indigemus quando amatum est extrinsecum, quàm quando est intrinsecum, & ipsimet amanti identificatum, & quamuis Augustinus allatis verbis neget,amorem produci per generationem;tamen non negat,sed tamquam omnino indubitatũ supponit, produci simpliciter,& hinc maximè mouetur ad inquirendum,cur non producatur per generationem, sicut producitur verbum. Vnde infra post medium capitis absolutè docet creati amoris processionem, tamquam rem manifestam,dicens, *In eo quidem manifestè ostenditur, hoc amoris esse principium vnde procedit: ab ipsa quidem mente procedit, quæ sibi est amabilis antequam se amet; atque ita principium est amoris sui, quo se amat*. Mentem vsurpat pro ipsa natura rationali, composita ex intellectu & voluntate: & in amante ponit duo, & processionem,& amorem ad quem processio terminatur; eumque explicat esse id *quo* amamus, non autem id *quod* amatur.

261. *Probatur ex Thoma.*

Probo secundò ex Thoma infra art.3.circa finem corporis. *Secundum operationem voluntatis inuenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum, est in amante; sicut per conceptionem verbi, res dicta, vel intellecta, est in intelligente*: nimirum, vt explicat 4. contra gentes cap.19. *aliter & aliter: in intellectu enim est secundum similitudinem suæ speciei; in voluntate autem amantis est sicut terminus motus in principio motiuo proportionato per conuenientiam quam habet ad ipsum; sicut in igne quodammodo est locus sursum ratione leuitatis*. & infrà, *amatum in voluntate præexistit vt inclinans, & quodammodo impellens intrinsecus amantem in rem amatam*. Clarius infra, quæst.37.art. 1. aliquanto post principium corporis.*Similiter secundum vtramque processionem considerare oportet. Sicut enim ex hoc, quòd aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ita ex hoc, quòd aliquis rem aliquam amat, prouenit quædam impressio (vt ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante,sicut & intellectum in intelligente*. Docet apertè,quod hæc conclusio intendit, eadem ratione philosophandum de processione amoris respectu voluntatis, & de processione verbi respectu intellectus,& per illam formalem atque vniuersalem reduplicatiuam, quam infra repetit,*ex hoc,quòd amat*,manifestè indicat, nullam omnino esse amantis actionẽ,per quã non producatur amor; sicut suprà à n.243. nulla prorsus est intelligẽtis actio,per quam non producatur verbum.Præterea si ex hoc,quòd quis amat,prouenit amor,ergo amor distinguitur ab actione amandi, sicut omnis effectus distinguitur à causa sua; & amor non prouenit ab actu producto prius per actionem amandi, sed est ipsemet actus voluntatis per amandi actionem à voluntate immediatè procedens. Vnde in compendio Theologiæ cap.52.vt refert,& sequitur Sylvester part. 1. Conflati q.27. art.3. cum dixisset, *procedere verbum,secundum operationem intellectus,vt in ipso intellectu dicentis existens,sed ab eo distinctum secundum ordinem originis*;apertissime pro hac quarta conclusione subdit,*Eadem ratio est de processione, quæ attenditur secundum operationem voluntatis*. & rursus infra,*Est commune in omni intellectu,quòd oportet,id quod intellectu concipitur, ab intelligente quodammodo procedere,in quantum intelligens est,& sua processione quodammodo distinguitur.Similiter oportet, quòd affectio amantis,per quam amatum est in amante, procedat à voluntate amantis,in quantum est amans*.

Sylvester.

262. *Probatur ratione.*

Probo tertiò ratione,applicando breuiter rationes fusius explicatas & probatas supra de processione verbi.Voluntas creata,est quoddam actiuũ principium, quod de non volente actu,fit actu volens; ergo per actionẽ volendi:omne enim principiũ potens agere, non potest aliter reduci ad actũ agendi, nisi per actionem. Nulla autẽ noua actio esse potest nisi per eam vel producatur aliquis intrinsecus terminus,vel adducatur agens ad aliquem extrinsecũ terminum,cum quo,vel in quo antea non erat. Sed actio volendi non potest explicari per adductionem ad terminum extrinsecũ,quia constat, Beatos amare Deum, præsupponendo illum ipsis intrinsece præsentem,etiam intellectualiter per lumen glorię, & visionem beatificam in intellectu; & quamlibet creaturam rationalem amare se ipsam, vbi dici non potest, idem adduci ad se ipsum : & cum amamus alia bona extrinseca ac distantia, constat id immobiliter fieri, neque adducendo obiectum ad voluntatem, neque voluntatem ad obiectum. ergo actio volendi immanens, est necessario per productionem alicuius termini intrinseci intra ipsam voluntatem. Hunc terminum vocamus amorem, & formalem atque vltimatum actum voluntatis, volitum quidem, non tamen vt *quod*, vt concedunt etiam qui volunt,Verbum videri vt *quod*, vt Ferrariensis, Caietanus & Torres infrà citandi, quia non est id quod directè amatur, sed vt *quo*, quia est forma, siue actualis ratio amandi aliud obiectum. Confirmari potest tam hæc, quàm alia conclusio de processione verbi creati, ex eo, quòd omnes Doctores, præsertim sancti Augustinus & Thomas, nulla alia naturali ratione magis apta conantur explicare incomprehensibile mysterium diuinarum processionum,Filij per intellectum, Spiritus sancti per voluntatem, nisi per similitudinem ac proportionem cum creaturarum intellectu ac voluntate,in quibus non solùm est actio intelligendi & amandi, sed etiam terminus actionis in facto esse, quo formaliter & actualiter esse dicitur res intellecta in intelligente,& res amata in amante. ergo qui nostras intelligendi & volendi actiones vel semper, vel aliquando admittit absque vlla vera ac propria

productione termini intrinseci & immanentis,præcidit sibi vnicam viam naturalem persuadendi infidelibus diuinos actus notionales, eorumque terminos.

263. *Obijcitur ex Valentia.*

Obiicies fundamentum Valentiæ supra.In nobis per voluntatem non producitur aliquid tamquam principium actus voluntatis, quia nullum principium produci potest per actum cuius est principium : neque tamquam actionis terminus in quo amemus rem; quia natura amoris est, vt per illum feramur in rem,prout est in seipsa, absque alio medio termino.Præterea,inquit,*multò minus producitur aliquid per voluntatem, tamquam terminus, quem amemus: amamus enim,vt patet,rem ipsam, quæ ante erat. Sequitur ergo nihil produci per voluntatem,seu amorem in creaturis*.

Respondetur negando consequentiam.

Respondeo, nullam esse consequentiam, quia præter produci vt principium, vel vt terminum *in quo* amamus,vel vt terminum *quem* amamus, quæ tres producendi rationes in antecedente distinguuntur,quamquam tertia videtur eadem cum secunda,datur alia ratio secundum quam amor producitur vt terminus *quo* amamus, vt loquitur ipsemet Augustinus supra:vitalis enim potentia voluntatis,quæ ex non amante fit amans, postulat intrinsecam & manentem in se formam actualem, qua fiat formaliter & actualiter amans; quæ alia esse non potest nisi intrinsecus & vitalis amor, per actionem suam in se productus, quo intrinsece & vitaliter amando tendat in obiectum suum : sicut enim in genere actionum transeuntium,cum ignis, v.g.agit calefaciendo,per actionem calefaciendi tẽdit ad calorem tamquam intrinsecum terminum illius actionis,& tendit ad aliquod subiectum extrinsecum,reddendo illud formaliter calidum;ita in genere actionum immanentium, vbi idem est agens & patiens,cum voluntas agit amando,per actionem amandi tendit immediate ad amorem,vt terminum intrinsecum actionis : per amorem verò tamquam per formam in se productam, tendit formaliter in obiectum,illud immediatè amando.

264. *Per actiones sensitiuas produci etiam intrinsecum terminum.*

Quæ doctrina, ex eodem fundamento superius tradito,extendi debet ad sensibilia, in quibus sentire sensus siue interni siue externi, & appetere appetitus sensitiui, est tum producere in se aliquem terminum intrinsecum per veram ac realem actionem, tum per ipsum terminum productum, tamquam per formam, versari actualiter & formaliter circa obiectum sensibile; vt consequenter concesserunt Molina hic disp.8.membro 3.§.*Petes*,& membro 4. ad 2.Arrubal disp.97.num.1. aliique authores nostræ sententiæ, atque adeo ipsemet Augustinus,vt noraui supra, num. 244. nam aduersarij tenentes,quòd verbum non producitur, vbi intellectus præsens est obiectum,dicunt consequenter,nec in sensibus,intuitiuè cognoscentibus res præsentes, produci aliquid per sensationem. Illis tamen non fauet S.Thomas quodlibeto 5. art. 9. ad 2. quamuis Torres hîc disp. 3. circa finem in prima assertione dubij occurrentis,asserat, eum esse expresse pro sua sententia. Dicit enim, *quòd cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus à sensibili. Vnde per formam, quæ sibi à sensibili imprimitur, sentit: non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem. Hoc autem facit vis imaginatiua*.Vbi clarissime fermo est de specie impressa : nos autem loquimur de alia specie expressa producta à sensu & priori specie impressa, vt suppono ex libris de Anima. Verum in nostra sententia, quæ vniuersaliter asserit, à quacumque potentia vitali per vitalem actionem produci aliquem terminum, solus terminus productus ab

Ita Molina, Arrubal.

Contra Torres. cui nõ fauet S. Thomas quodlibeto 5. art. 9. ad 2. Solum terminum productum per intellectum esse Verbum.

intellectu habet rationem verbi: quia ad hoc vt terminus productus à potentia vitali sit verbum & vox interior, duo necessaria sunt, 1. vt ille terminus sit similitudo seu signum alterius rei; 2. vt potentia ordinare possit illud signum ad alios audientes; verbum enim est terminus loquutionis, loqui autem est manifestare aliquid alicui audienti. ergo ille terminus tantum est propriè verbum, quod producitur à principio potente ordinare vnũ ad aliud, quod munus non est alterius potentiæ, nisi intellectiuæ. Terminus productus à sensu cognoscente, habere potest primum, vt visus, & imaginatiua, sed nõ secundum. Terminus productus ab appetitu siue sensitiuo, siue rationali, neutrum habet; quoniam nullus appetitus agit per assimilationem & speciem, sed per solam impressionem & inclinationem. Et ideo Thomistæ communiter, aliique aduersarij, non timentes rationem similitudinis, quæ in amore non est, sicut est in termino producto per intellectionem & per visionem sensitiuam, non dubitant concedere, per actionem voluntatis amantis produci semper intrinsecum amoris terminum,

Capreolus.

vt inter alios clarissimè Capreolus fauens etiam primæ conclusioni supra n. 243. num 1. d. 10. q. vnica, art. 2. ad argumenta Durandi secundo loco inducta contra primam conclusionem ad 2. ita habet, *Dico, quod licet non sit de ratione intellectus & voluntatis, quòd per suos actus constituatur aliquid extrinsecum actui; tamen per actum intellectus semper producitur aliquid distinctum ab actu, scilicet verbum, & per actum voluntatis, aliquid distinctum ab actu, scilicet impressio amati in amantem: talia autem, scilicet verbum & impressio, non sunt totaliter extrinseca ipsi actui, imo sunt termini actus quasi intrinseci, nec actus sine illis completur.* Idem

Ferrariensis. Caietanus. Torres.

de amore tenent Ferrarienses lib. 4. contra gentes cap. 19. à §. *Sed remanet*, vsque ad finem. Caietanus infra, art. 3. §. *Ad euidentiam.* Torres hic disput. 5. part. 2. dub. 5. quamuis quantum cohærenter hi Authores ponant terminum intrinsecum in qualibet volitione, non autem in qualibet intellectione, & sensatione, difficile sit iudicare, vt contra eos rectè notauit Molina infra art. 3. disput. 2. §. *Petes.* Minus cohærenter Bagnes hic dub. 2. ponens in conclusione 6. & 7. terminum intrinsecum in omni intellectione, negat deinde ad 1. eumdem terminum in qualibet externa sensatione, quem sequitur Zumel hic disp. 2. in dubio ad 3.

Molina. Bagnes.

Zumel.

265. *Exponitur S. Thomas de Ver. q. 4. art. 2. ad 7.*

Neque S. Thomas dicit contrarium illis verbis de Veritate q. 4. art. 2. ad 7. *Hæc est differentia inter intellectum & voluntatem, quod operatio voluntatis terminatur ad res, sed operatio intellectus terminatur in mente. & ideo voluntas non habet aliquid progrediens à se ipsa quod in ea sit per modum operationis: sed intellectus habet in se ipso aliquid progrediens ab eo, non solum per modum operationis, sed etiam per modum rei operatæ.* Non enim tradit differentiam rerum, sed nominum

Differentia inter Verbum & Amorem.

inter has voces, *Verbum* & *Amor*. Vnde immediate post verba citata, ita concludit expresè diuersas tantum vocum significationes: *& ideo verbum significatur vt res procedens; sed amor, vt operatio procedens: vnde amor non ita se habet ad hoc vt dicatur personaliter, sicut verbum*: quia scilicet cum vna persona diuina procedens ab alia, sit non sicut operatio ab operante, sed sicut operatum ab operante, si amare, & amor ex vi nominis non significant terminum productum à potentia per operationem potentiæ, sed tantum significant operationem potentiæ circa obiectũ, non possunt in diuinis vsurpari personaliter, & secundum rem, sed essentialiter & secundũ rationem propter imperfectum modum nostrum concipiendi, quo in Deo, sicut in nobis, concipimus amorem, & amare, & volitionem ac velle progredi à potentia voluntatis. Et in hoc eadẽ est ratio de amore & amare, quæ de intellectione & intelligere, quę significant aliquid per modum operationis ab operante intellectu circa suum obiectum. Sed præterea intellectus, ex eo quòd operatur ex similitudine obiecti, percipiendo, & quodammodo ponẽdo inter se obiectum, habuit aliud vocabulum, nimirum *verbũ*, quo significaretur aliquis terminus productus ab ipso intellectu loquente ac dicente, qui propterea diuinis personis secundum rem applicari potuit. Et ideò facilius nos ex rebus creatis explicare possumus processionem per intellectum, quàm per volũtatem, quia pro illa plura suppetunt vocabula, quàm pro hac. Sensus igitur prędictorum verborũ S. Thomæ est hic. Ex eo quod voluntas per suos actus versetur circa res simpliciter & secũdum se, intellectus verò versetur circa easdẽ res vt apprehensas, & perceptas, ac veluti positas intra se, factum est vt volũtas *non haberet aliquid progrediens à se ipsa per modum operationis*, hoc est, non haberet ab hominibus impositum nomen significans in ea aliquid per actionem suam productam, sicut habuit intellectus. *& ideo*, inquit, *verbum significatur vt res procedens, sed amor vt operatio procedens.* conceptus autem rei procedentis reperitur realiter in diuinis, non autem conceptus operationis procedentis. Hanc expositionem affert secundo loco Ferrariensis supra, §. *Ad hoc.* eamque minus probat: fortasse quia eam tradiderat Caietanus supra, dicens breuiter, *quòd res quæ in intellectu est terminus, habet modum & nomen termini, vt patet de verbo & conceptu. Res verò terminans in voluntate, licet secundum rem sit terminus, nec modum tamẽ nec nomen habet termini; quoniam & est, & significatur vt in aliud tendens*; nimirum per amorẽ alterius, impulsum & affectionem circa alterum. Quæ expositio mihi maximè videtur ad mentem Authoris. Plura legi possunt apud Ferrariensem, & Syluestrum part. 1. conflati quæst. 27. art. 6. §. 2. not. 2. vbi hanc quartam conclusionem sequitur.

Ferrariensis.

Caietanus.

Sylueſter.

Ex processone verbi creati non posse naturaliter demonstrari Verbi increati processionem.

Quinta conclusio directè respondens ad dubitationem propositam decimamtertiam, iuxta materiã, quæ in hoc primo articulo tangitur. Ex processione verbi creati per intellectum, hactenus explicata, & probata, nõ potest naturali lumine certitudinaliter deduci processio diuini Verbi: sicut eadẽ ratione ex processione amoris creati per voluntatẽ demõstrari nõ potest processio Spiritus sancti. Ita omnes fateri tenentur dicentes profundissimũ sanctissimæ Trinitatis mysteriũ non posse naturaliter probari, vt referã infra q. 32. art. 1. Quod saltem intelligendum est de probatione certa per euidentẽ demonstrationẽ: iuxta verba S. Thomæ 1. d. 4. q. vnica art. 1. initio corporis docentis, *generationem esse in diuinis, ratione efficaciter confirmari non potest, sed authoritate, & fide tenetur.* Hãc conclusionẽ sumo ex illis verbis Augustini lib. 15. de Trinit. c. 11. paulò post principiũ, *Quicumque cupit ad qualemcumque similitudinem Dei Verbi, quamuis per multa dissimilem, peruenire, non intueatur verbum nostrum, quod sonat in auribus, sed ad illud perueniat hominis verbum, per cuius qualemcumque similitudinem, sicut in ænigmate, videtur vtrumque Dei verbum.* Cognitionem quam de increato Verbo ex verbi creati cognitione habere possumus, vocat similitudinariã, ænigmaticam, imperfectã, in multis dissimilẽ. ergo illa ex hac habere non potest demõstratiuè. Sumo etiam ex verbis huius articuli: primo enim illud principium, *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit, format verbum*, assumptum est de creata hominis

266. *Quinta conclusio.*

S. Thomas.

Probatur ex S. Augustino.

Probatur ex S. Thoma.

hominis intellectione, & non vniuersalissimè de intellectione secundum conceptum analogicè communem intellectioni creatæ & increatæ; quia statim illud docet esse *verbum cordis significatum verbo vocis.* quod in solo humano verbo locum habet. Deinde ex hoc principio non probat diuini Verbi processionem, sed tantum ait, hanc esse accipiendam *secundum similitudinem* ad processionem verbi nostri intellectualis, vbi, inquit, *& similitudo acceptæ deficit à repræsentatione diuinorum.* Quod benè notarunt hic Bagnes post septimam conclusionem ad 4. Zumel disp. 2. ad 1.

Bagnes. Zumel.

267. *Prima ratio insufficiens.*

Quæ ratione probari debeat hæc conclusio, colligi facilè potest ex hactenus dictis de natura verbi creati. Aliqui, vt Bagnez & Zumel suprà, probant, quia verbum mentale ab intellectu creato, non producitur, quando illi præsens est obiectum, vt cum Beati intelligunt Deum, & idem intelligit se ipsum. Sed Deus nihil intelligit nisi in se ipso, & intelligendo se ipsum, sibi præsentissimum. Igitur ex Verbi processione ab intellectu creato, non potest deduci processio Verbi ab increato intellectu. Verùm hæc ratio, & falsum assumit, vt patet ex conclusione 1. & si assumptum verum esset, nimium probaret. Enim verò si præsente obiecto est in nobis impossibilis, vel saltem superflua verbi processio; hinc verbi diuini processio non solum non probaretur, sed etiam impugnaretur. Cur enim præsentia obiecti arguet superfluitatem verbi in creaturis, non in Deo? imò verò multò magis arguet in Deo, à cuius natura multò magis abhorret entium superfluitas; & in quo obiectum intelligibile multò maiorem vnitatem habet cum intellectu, & specie intelligibili, & actu intelligendi, quàm in creaturis. Neque satisfiet, si dicatur cum Valentia hîc puncto 3. aliquanto ante finem ad 1. per notitiam intuitiuam obiecti præsentis non produci in nobis verbum, produci autem in Deo, *quia natura diuina fœcunda est.* Hanc enim fœcunditatem, loquendo de fœcunditate verbi per intellectum, quam quidem fide rectè credimus, non leuiter impugnare posset Philosophus gentilis si naturali lumine cognosceret, non esse in nobis necessarium verbum præsente obiecto: hoc enim non esset, propter aliquam nostram intelligendi imperfectionem, sed potius propter perfectionem, qua ad intelligendum quæ nobis vnita sunt, non indigemus alia actuali intelligendi forma superaddita intellectui. Quæ perfectio potiori ratione videretur ponenda in Deo.

Valentia responsio impugnatur.

268. *Secunda ratio insufficiẽs.*

Probant secundò alij, vt Zumel suprà, *Quia non est per se euidens, quòd per actionem intellectus nostri producatur verbum.* Ergo ex huius verbi incerta processione non potest certò demonstrari processio alterius verbi. In hac etiam probatione Antecedens est falsum. Puto enim certo & euidenter probari naturali lumine, non posse dari de nouo aliquam actionem ab aliquo Agente manantem, per quam actionem nullus de nouo terminus acquiratur: hoc enim est contra essentialem conceptum, quem omnes tamquam per se notum habent de actione, vt suprà n. 246. & 262. Ergo si intellectus noster, qui est quoddam agens, aliquando agit intelligendo, quod vel ipsa experientia omnibus notissimum est, euidens naturaliter est, per quamlibet nostri intellectus actionem produci terminum, ac proinde verbum: quia vt docuit S. Thomas de Veritate q. 4. a. 2. post medium corporis, *Verbum intellectus nostri est id, ad quod operatio intellectus nostri terminatur, & est effectus actus intelligendi*; vel, vt loquitur lib. 1. contra gentes c. 53. & lib. 4. c. 11. de Potentia q. 8. a. 1. *est terminus intellectualis operationis & actionis.*

S. Thomas.

269. Probant tertiò vel saltem probare possent omnes Authores citati suprà n. 250. pro verbo obiectiuè viso. In quorum sententia, necessitas ponendi verbum in creaturis, vel sola, vel præcipua est, vt in illo habeant intra se immediatum & proportionatum intelligendi obiectum: ob quam necessitatem non producitur verbum in diuinis; nam ipsum intelligere Dei, vt absolutum est, & æqualiter commune omnibus tribus personis, & vt præscindendo etiam ab omnibus personis Deo conuenit, habet essentialiter videre omnia in ipsamet absoluta diuina essentia: ex qua visione sui comprehensiua, de facto concipimus, priùs ratione, tamquam ex actiuo originis principio procedere Deum Patrem ad generationem Verbi sui. Vnde si Deus esset vna persona absque vlla processione, intelligeret etiam omnia in se ipso. Nullum autem actiuum principium moueri potest ad producendum terminum, vt per ipsum habeat, quod in ipso principio essentialiter præsupponitur. Ergo ratio propter quam datur verbi creati processio, probare efficaciter non potest Verbi increati processionem. Hæc quoque probatio eodem modo insufficiens est, quia fundatur in falsa necessitate obiectiua verbi creati, vt constat ex conclusione 3.

Tertia ratio insufficiens.

270. *Quarta ratio insufficiens.*

Probare pariter possunt iidem Authores quartò, quia verbum creatum producitur per intellectionem propter aliquam imperfectionem obiecti intelligendi; quia scilicet est finitum, & per se ipsum non satis intelligibile, & non intimè præsens intelligenti. Vnde Deus per cognitionem essentialem suiipsius, nullum in se ipso, absolutè considerato, verbum producit, quia est sibi ipse præsentissimus, & per se intelligibilissimus, & vndequaque infinitus. Cùm igitur processio Verbi diuini sit per intellectionem comprehensiuam ipsius diuinæ essentiæ, ac proinde absque vlla imperfectione obiecti, quod per illam intelligitur, fit vt illa probari non possit per processionem Verbi nostri causati propter imperfectionem obiecti intellectus nostri. In hac etiã probatione sumitur falsum, quia ex rationibus superius adductis, & ex sanctis Augustino, Anselmo, & Thoma locis citatis tum hîc, tum in 1. tomo q. 12. art. 2. dub. 3. est certum, primò, Beatos etiam formare verbum obiecti beatifici, in quo nulla fingi potest imperfectio finitatis, aut intelligibilitatis, aut distantiæ. Secundò, idem intelligere se ipsum per verbum, cum maxima præsentialitate. Quare, quòd in diuinis non procedat verbum aliquod absolutum ex absoluta intellectione, aliunde oritur quam ex perfectione obiecti, vt mox dicam: alioquin de facto cum eadem obiecti perfectione producitur Verbum personale respectiuum.

271. *Quinta ratio sufficiens.*

Quintò igitur probanda conclusio est ex alio vero Antecedente de verbi creati natura hactenus probata, sumendo scilicet, Verbum absolutum in creaturis intellectualibus non produci propter absentiam, vel propter aliquam aliam imperfectionem obiecti, sed præcisè propter imperfectionem, & naturalem conditionem potentiæ intellectiuæ creatæ ac limitatæ: quæ ex eo, quòd non est actus purus, sed potentialis, indiget forma, per quam redigatur in actum: ex eo quòd est vitalis, indiget forma, à se, & intrinsecè intra se producta: ex eo quòd est intellectiua, indiget forma quæ sit actualiter repræsentatiua obiecti; quam formam vocamus verbum. Et ideo optimè S. Thomas 4. contra gentes c. 11. aliquanto post principium, probat Angelos, sibi ipsis omnino præsentes etiam quando se intelligunt, producere intentionem intellectam, seu verbum, *quia*, inquit, *non est idem in eis intelligere & esse*: quæ ratio, vt patet, redditur ex imperfectione ipsiusmet intelligentis creaturæ. Ergo secundum S. Tho-

S. Thomas.

Cur Deus per intelligere essentiale non producat Verbum absolutum.

mam processio verbi absoluti in intellectu creato oritur ex imperfectione subiecti intelligentis; non autem obiecti intelligibilis. Atque hinc rationem veram reddere possumus, cur Deus per cognitionem sui, vt essentialem & absolutam, nullum producat absolutum & essentiale verbum; id enim non oritur ex indistantia, vel ex infinitate, vel ex perfectissima intelligibilitate obiecti, cum hæc omnia non impediant de facto processionem Verbi personalis, sed solum oritur ex summa perfectione diuinæ naturæ intelligentis, in qua ob maximam ipsius puritatem, ac simplicitatem, non possunt ex natura rei distingui esse & operari, & vniuersaliter, duæ perfectiones absolutæ; quæ distinctio esset necessaria, si in ea natura essent producens & productum. Quamobrem intelligere diuinum essentiale & absolutum, præscindendo à relationibus personarum, non potest concipi vt intelligere effectiuè, sine vt actio intelligendi per habitudinem ad terminum productum, sed solum vt intelligere obiectiuè, seu repræsentatiuè, per habitudinem ad obiectum, cuius est actualis atque expressa perceptio, ac repræsentatio: & ratione huius secundi conceptus, qui sine primo non habet integram & propriam rationem verbi, concedit S. Thomas de veritate q. 4. art. 2. fine corporis, *Verbum in diuinis si accipiatur impropriè & communiter, posse etiam dici essentialiter.* & 1. d. 27. q. 2. art. 2. simpliciter docet, *Verbum si accipiatur prout dicit relationem rationis, secundum quam refertur ad illud, ad quod est, scilicet ad scibile, dici in diuinis essentialiter.* Ex hoc antecedente hactenus explicato, nempe, verbi creati processionem ex nullo alio capite haberi, & cogitari naturaliter posse, nisi ex imperfectione intelligentis creaturæ, quæ imperfectio non reperitur in Deo, apertè sequitur, ex hac processione nos non posse naturaliter, & certò deuenire in cognitionem processionis Verbi Dei. Et summa totius huius differentiæ breuiter tangitur in citatis verbis S. Thomæ, *Quia non est idem intelligere & esse* in creaturis, sicut est in Deo: & clarius, quia creatura intelligit per potentiam intellectiuam procedentem ad actum intelligendi, Deus verò intelligit per purissimũ actũ intelligendi, nulla ratione procedentem ab alio priori, & potentiali, seu radicali intelligendi principio, vt in 1. tomo q. 4. art. 2. à n. 54. ad 82. latè probatum est. Vnde fit, vt in creaturis verbum procedat ex intellectu potentiali, non ex actuali, sed ipsemet actus absolutus intelligendi, siue intellectus, sit verbum vt suprà conclusione 2. in Deo autem ex intellectu prorsus actuali, siue ex purissimo intelligendi actu essentiali & absoluto, modificato tamen relatione personæ producentis, procedat Verbum personale respectiuum. Inter quas differentias nemo non videt, non posse alteram processionem, ex altera demonstrari.

Quomodo ex S. Thomæ verbum in diuinis dici possit essentialiter.

272. *Sexta conclusio. Diuinas processiones ex creatis processionibus intellectus & voluntatis aptissimè declarari.*

Sexta conclusio. In rebus creatis nihil aptius ac propinquius reperiri & cogitari potest ad explicandum & suadendum infidelibus incomprehensibile mysterium diuinarum processionum, Filij à solo Patre, & Spiritus sancti à Patre & Filio, quàm processiones verbi & amoris hactenus explicatæ. est Augustini citati suprà, n. 244. & 266. & omnium Scholasticorum. Vnde in hoc art. volens S. Thomas explicare processionem Verbi diuini, ait, *Hoc maximè patet in intellectu*, & statim diligenter tradit verbi creati processionem, docétque, *secundum similitudinem* ad illam, quæ tamen, inquit, *similitudo accepta deficit à repræsentatione diuinorum*, esse accipiendam processionem diuini Verbi, & similiter art. 3 ad declarandam Spiritus sancti processionem, nihil aliud affert nisi processionem amoris creati. Quod latius de vtraque processione præstitit infrà, q. 37. art. 1.

S. Thomas.

Quare cum lib. 4. contra gentes c. 11. in medio ita discurrit, *Est de ratione interioris verbi, quòd procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis; intellectus enim intelligendo concipit, & format intentionem, siue rationem intellectam, quæ est interius verbum. Oportet igitur quod à Deo secundum ipsum suum intelligere procedat verbum ipsius*; mens eius non est contra quintam conclusionem ratione demonstrare incomprehensibile mysterium, sed solum exemplo, iuxta hanc sextam conclusionem, quoad eius fieri potest explicare. Præterea Augustinus vt explanet, quantum potest increati Verbi processione, sæpissimè ac fusissimè totus est in explicãda natura verbi creati. Vnde lib. 15. de Trinitate c. 10. post medium sic concludit. *Quisquis igitur potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione volutantur, iam potest videre per hoc speculum, atque in hoc ænigmate aliquando verbi illius similitudinem, de quo dictum est, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et ideo Gulielmus Parisiensis de Retributionibus Sanctorum, ante medium, verbum nostrum vocat *exemplum pulcherrimum, ac perfectissimum primi Verbi.* Cyrillus quoque lib. 1. Thesauri c. 7. multò post principium ait, *Oportet, si quis generationem illam, in quantum homini licet inuestigare velit, quæ ex mente, ac intellectu prodeunt considerare; & ex huiusmodi similitudine ad generationem Verbi, quantum in hac vita possumus intelligere, capiendam manu duci.*

Augustinus.

Ioan. Gulielmus Parisiensis.

Cyrillus.

273. *Similitudines inter increatas & creatas processiones.*

Probatur conclusio, tradendo distinctè plures, & manifestas similitudines inter vtriusque generis processiones. Primò, conueniunt in nomine, omnes enim dicuntur processiones verbi, & amoris. Secundò omnes sunt veræ, ac reales processiones, ad reales terminos, realiter distinctos à principiis producentibus. Tertiò omnes sunt spirituales, & immanentes, absque vlla sensibili, & extrinseca mutatione. Quartò omnes sunt in natura purè intellectuali, vt in Angelis, & in hominibus, non secundum gradum vegetatiuum, & sensitiuum, sed secundum gradum intellectualem: vnde in anima nostra separata, cessantibus ob carentiam corporis cæteris vegetatiuæ ac sensitiuæ vitæ processionibus, & remanente intellectuali gradu, indè pendente prorsus à corpore, & à quacumque alia re corporea, & materiali, semper remanent processiones verbi, & amoris. Quintò, tam in creaturis, quàm in Deo, immediatum principium processionis verbi, est intellectus; amoris, est voluntas: vt omnes fatemur contra Durandum. Sextò, in creaturis nullus prorsus intellectus actus est sine verbo, & nullus actus voluntatis est sine amore. Hoc secundum omnes ferè dant, primum multi negant; sed plures & grauiores concedunt, intra quos apertissimè sunt sancti, Augustinus, Anselmus, & Thomas. Qua concessione explicatio ac perceptio huius profundissimi mysterij multò illustrior ac facilior sine dubio redditur: & propterea, non solum sapientis, sed pij etiam Theologi est, in eam sententiam propendere. Hinc septimò oritur alia potissima similitudo, quam maximi facit Augustinus lib. 9. de Trinitate c. 12. vt refero & explico suprà n. 244. & sequitur Anselmus in Monologio c. 31. ante med. & c. 32. ini. 10, nempe, dariin nobis verbi & amoris processionem, etiam quando mens intelligit se ipsam, & voluntas se ipsam amat: sic enim de facto in Deo ex intellectione, & amore sui ipsius, procedunt Filius & Spiritus sanctus. Vnde vlterius oritur, vt sicut verbum Angeli, v. g. intelligentis se ipsum, est ex cognitione comprehensiua, adæquata obiecto intelligibili, & amor amantis se ipsum est adæquatus obiecto amabili; ita in diuinis

Augustinus. Anselmus.

Verbum

Verbum & Amor ad omnimodam æqualitatem correspondeant suis principiis. Octauò, sicut in nobis procedunt verbum & amor, non obstante obiecti intelligibilis & amabilis intima præsentia, summa intelligibilitate, & infinitate, & quauis alia obiectiua perfectione, vt in Beatis respectu diuinæ essentiæ, quam intuitiuè vident, & amant: ita in diuinis nulla perfectio ex parte obiecti, impedire potest processionem Verbi & Amoris, vt suprà n. 267. & 270. Nonò, sicut in nobis verbum & amor sunt processionum termini, non obiecta, vt suprà conclusione 3. ita in Deo, vt suprà n. 269. Decimò, sicut in creaturis, verbum procedit à sola mente, & amor procedit tum à voluntate, tum etiam à Verbo, saltem in quantum nihil volitum quin præcognitum, & præter has duas processiones verbi & amoris, non datur alterius generis processio; ita in diuinis, Verbum procedit à solo Patre, Amor verò à Patre & Verbo, & præterea nõ habetur alia processio. Vndecimò, sicut hæc tria, mens, verbum, & amor, sunt in vna eademq; natura ac substantia creata, in qua propterea quamdam veluti consubstantialitatem habent; ita tres diuinæ personæ sunt omnino consubstantiales in vna numero natura.

274. *Dissimilitudines inter easdem processiones.*

Contra verò habent aliquas grauissimas dissimilitudines, quibus tamen non impugnatur hæc sexta conclusio, sed potius probatur præcedens quinta. Nostræ enim processiones sunt mutationes quædam temporales, & nouæ, de non esse ad esse, imò veræ eductiones ex præsupposito subiecto multiplicantur in infinitum: sunt ad terminos absolutos, & accidentales habentes essentias distinctas tũ inter se, tum ab essentia suorum principiorum: sunt demum ex necessitate imperfectæ, atque indigentis naturæ potentialis, vt suprà n. 271. Diuinæ verò processiones sunt duæ tantum, æternæ purissimæ, ac simplicissimæ productiones, de esse vnius naturæ sub vna personalitate respectiua, ad idem omnino esse eiusdem naturæ sub alia respectiua personalitate: ac proinde sunt ad terminos respectiuos subsistentes, & personales, & omnino consubstantiales inter se, & cum suis principiis. Atque ideo Deo conueniunt, non ex aliqua subiecti necessitate, siue indigentia, sed ex infinita fœcunditate & communicabilitate perfectissimæ naturæ, & purissimi actus intelligendi & volendi. Verum enim vero in hac ipsa dissimilitudine iuuari possumus illa paritate, quam eleganter expressit Cyrillus suprà, dicens, *Pari mens hominis cogitationes bonas, vt Saluator dixit. A corde namque boni hominis, inquit, bona procedunt. Si ergo stultum est arbitrari, nihil ab humano intellectu prodire, quia & Dominus hoc asserit, & res ipsa clamat; quomodo non erit absurdum, supremum intellectum, qui Deus est, quique omnem intellectum excedit, infœcundum opinari?* Verè enim in natura spirituali creata, operante per intellectum & voluntatem, potest considerari, primò fœcunditas quædam spiritualis seu productiua simpliciter terminorum spiritualium [illegible] in suo conceptu nullam necessario imperfectionem inuoluit. Secundò quòd hæc fœcunditas sit finita, & limitata cum prædictis imperfectionibus. Si primum conuenit creaturis, inde [illegible] probabiliter possumus, conuenire etiam De[illegible]is imperfectionibus, quas in creaturis con[illegible]tas habet, non ex essentiali conceptu illius fœcunditatis sub illa analogica vniuersalitate consideratæ, sed ex essentiali imperfectione creaturæ, [illegible] ex eo, quòd aliqua creatura sit intellectiua, [illegible]o præciso conceptu nihil apparet imperfectionis, omnes arguimus, esse intellectum in Deo, sed absque imperfectionibus intellectus creati, v. g. [illegible] intellectum non potentialem, sed actualem; non accidentalem, sed sub-

Cyrillus. Matth. 12.

stantialem, & essentialem; non finitum, sed infinitum. Ita pariter discurrere possumus, prædictam fœcunditatem in Deo esse intellectus & voluntatis actualis, non potentialis; esse infinitam ad infinitum terminum, ac proinde ad vnicum Verbum intellectus, & ad vnicum amorem voluntatis; esse ad terminos substantiales, non accidentales; esse denique ad terminos personales respectiuos, in vna eademque numero natura: quod quidem vltimum fateor esse adeò remotum ab essentialibus omnium rerum creatarum conditionibus, vt nullius menti possit occurrere absque diuina reuelatione.

Multa alia de diuinis processionibus dicenda supersunt: sed ea locum habent, vel in sequentibus articulis huius quæstionis 27. vel in q. 41. vbi iterum disputat S. Thomas de processionibus sub nomine actuum notionalium, qui à processionibus re ipsa non differunt, sed sola voce. Nomen enim processionis, significat simpliciter originem, siue actiuam, siue passiuam; vnde S. Thomas initio præsentis quæstionis, originem cum processione confundit. Nomen verò actus notionalis exprimit, processionem esse quemdam actum non omnibus tribus personis communem, quo vna aliqua persona, vel ad summum duæ separatim dignosci possunt, non autem communiter omnes. Cuius generis actus sunt, generare, generari; spirare, & spirari. Primus est solius Patris. Secundus est solius Filij. Tertius est Patris & Filij tantum. Quartus est solius Spiritus sancti.

An processio, & actus notionalis idem sint.

ARTICVLVS II.

Vtrùm aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd processio quæ est in diuinis non possit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Conclusio affirmatiua. Probatur primò authoritate Fidei, num. 1.*
2 *Probatur secundò rationibus, num. 2. ad 5.*
3 *Definitio generationis prõponitur & declaratur, num. 5. ad 9.*
4 *An liceat inquirere rationem ob quam verbi processio sit generatio, n. 9. ad 19.*
5 *An processio Verbi, seu Spiritus sancti se ipsa præcisè sit, aut non sit generatio, n. 19. ad 24.*
6 *An procedere ab vno solo faciat ad rationem diuinæ generationis, num. 24. ad 35.*
7 *An procedere prius origine faciat ad rationem generationis diuinæ, n. 35. ad 40.*
8 *An ratio generationis Verbi reddi possit ex communicatione naturæ diuinæ fœcundæ, n. 40. ad 60.*
9 *An sola similitudo intentionalis sufficiens sit, vt processio Verbi sit generatio, n. 60. ad 68.*
10 *An similitudo intentionalis sit necessaria vt processio Verbi sit generatio, n. 68. ad 72.*
11 *An sola realis similitudo sufficiens sit vt processio Verbi sit generatio, n. 72. ad 83.*
12 *An ratio imaginis sufficienter probet processionem Verbi esse generationem, n. 83. ad 94.*
13 *An præter similitudinem in natura sit necessaria etiam similitudo in obiecto ad hoc vt processio Verbi sit generatio, n. 94. ad 107.*
14 *An ratio generationis Verbi reddi possit per intellectionem realiter non essentialem, num. 107. ad 111.*

15. *An ratio generationis Verbi reddi possit per intellectionem præcisiuè non essentialem, num.* 111. *ad* 121.

16 *An ratio diuinæ generationis reddenda sit per intellectionem essentialem, num.* 121. *ad finem articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua fidei.*

ONCLVSIO affirmatiua de processione verbi, est de fide, etiam subiungendo generationem propriè ac strictè, prout distinguitur contra factionem & creationem. Quia Concilium Nicænum in Formula Fidei, *Credimus*, inquit, *in vnum Filium Dei, natum ex Patre vnigenitum, non factum.* Et Athanasius in Symbolo, *Filius à solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Ad hanc Fidei definitionem mota est Ecclesia expressis sacræ Scripturæ testimoniis, quibus docet, Filium Dei generari, concipi, parturiri, significans, quod notauit S. Thomas hic ad 2. generationem, quam Fides tribuit Filio Dei, non esse communem illam ad omnia generabilia & corruptibilia, quæ corruptioni opponitur, & benè definitur hic initio corporis *mutatio de non esse ad esse*, de qua dixit Philosophus lib. 2. de generatione c. 51. *Necessarium est, generationem esse circa possibilia esse & non esse*; sed aliam magis particularem, propriam viuentium. Scripturæ loca cum Patrum expositionibus supra art. 1. allata, & fusiùs explicata sunt. Nunc satis fuerit præcipua breuissimè significare Ps. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem locum affert S. Thomas hîc in argumento, *sed contra*. Et fusè explicauimus suprà art. 1. n. 72. & 73. Præterea Ps. 109. magis declaratur vitalitas, & æternitas generationis illis verbis, ibidem explicatis n. 74. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Si enim posteriora verba, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, interpretatur Paulus ad Hebræos 5. de Christo Domino: & priora verba, *Dixit Dominus Domino meo*, ipsemet Christus Matthæi 22. de seipso interpretatus est ad diuinitatem suam confirmandam; non possunt hæc media verba non intelligi de vitali atque æterna generatione eiusdem Christi Domini, veri ac viuentis Dei. Item Isaiæ 53. apertissimè de Christi generatione dicitur, *Generationem eius, quis enarrabit?* Quem locum etsi multi Patres rectè intelligant de humana ac temporali Christi processione à Matre sine Patre, tamen iidem, & alij planè omnes intelligunt etiam de eiusdem diuina & æterna processione à Patre sine Matre; de qua processione omnino incomprehensibili maximè verificatur illud, *Quis enarrabit?* Eumdem enim Scripturæ locum plures interdum habere sensus literales ex hoc potissimum loco probaui cum sanctis Augustino, & Thoma, & reliquis Theologis communiter in 1. tomo q. 1. art. 10. dub. 7. Multis etiam Scripturæ locis adductis & declaratis supra n. 71. Filius Dei dicitur vnigenitus. Sicut etiam communiter Patres relati n. 101. illud ad Colossenses 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, exponunt de Christo vt Deo. Et idem multò clarius de illo Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui, Primogenita ante omnem creaturam*: de quo n. 4. & 14. Demum Prouerb. 8. *Non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* De quo loco fusissimè n. 6. ad 17.

Concilium Nicænum. Athanasius. S. Thomas. Aristoteles. Exponitur locus Ps. 109. Exponitur locus Isa. 53.

2. *Probatur conclusio demonstratione Theologica.*

Ad eamdem definitionem moueri potuit Ecclesia per hanc Theologicam demonstrationem. Expressa sacræ Scripturæ reuelatione constat, dari in diuinis duas Personas, quarum altera est verè ac propriè Pater, altera verè ac propriè Filius. Sed naturali lumine euidens est, verè ac propriè Filium esse à Patre per processionem, quæ est verè ac propriè generatio viuentium. Ergo in expressa illa reuelatione, censeri etiam debet implicitè reuelatum, Processionem diuini Verbi esse verè ac propriè generationem viuentium. Consequentia patet ex probatis tomo 1. q. 1. art. 2. dub. 5. Maior, vt testatur S. Thomas 4. contra gentes c. 2. initio, *in Scriptura noui Testamenti frequentissimè reperitur*: & præter loca, quæ ipse citat, maximè faciunt, illud ad Romanos 8. *Proprio Filio suo non pepercit.* & 1. Ioannis 5. *Vt simus in vero Filio eius*, & Ioannis 1. *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* & Matthæi 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Vnde Concilium Nicænum lib. 2. §. *Sancta & magna.* In beata Trinitate, inquit, *confiteri nos oportet, semper verè Patrem veri Filij, & Filium verè Filium veri Patris.* & §. *Sæpenumero*, circa finem. *Vnus verè Deus & Pater. Vnus etiam verè ineffabiliter ex eo genitus Filius, Deus Verbum. Quemadmodum autem non solo nomine Pater est Deus; sic neque solo nomine Filius, sed verè est Filius. Verus est Pater, non adulterinus, verus etiam Filius. Perfectus Pater, perfectus & eius Filius.* & lib. 4. §. *Sicut ab Episcopis.* iterum inquit, *Credimus, Patrem verè patrem esse; Filium verè filium.* Quam veritatem ac proprietatem, tamquam Fidei doctrinam, Patres passim confitentur. Inter quos Nazianzenus tractatu de Fide, paulò ante medium, *Si Arianus non es, verum Filium de vero Patre natum, non factum agnoscis.* & paulò post, *Quia verus Filius de vero Patre natus, non factus est, verè, & confidenter Deus de Deo dicendus est.* Et rursus multò post medium, *Nos Filium verum, de vero Patre natum, non factum defendimus.* & tandem in fine ita concludit, *Nos Patrem, verum Patrem confitemur: & Filium Dei, verum Filium Dei, & Spiritum sanctum, verè Spiritum sanctum credimus.* Hilarius lib. 3. de Trinitate aliquanto ante medium ex illis verbis Ioannis 12. *Pater clarifica Filium tuum.* veritatem ac proprietatem Filij ita optimè deducit, *Non solum nomine contestatus est esse se Filium, sed & proprietate, qua dicitur, tuum. Multi enim nos filij Dei, sed non talis hic filius est. Hic enim & verus, & prior ius est filius, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.* Cyrillus lib. 1. Thesauri c. 9. fine, *Si quis audebit dicere, Non verè filium appellari Deum, contemnetur à nobis.* Demum Pater diuinam tanta veritate ac proprietate pater est, vt de eo dixerit Paulus ad Ephesios 3. *Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Quem locum fusè explico tomo 1. q. 13. art. 6. n. 5. & non solum de paternitate essentiali, qua Deus dicitur omnium creaturarum pater, hoc est, creator & conseruator, in quo sensu oratione dominica omnes dicimus, *Pater noster*, &c. Sed etiam de paternitate personali intelligunt Damascenus mox referendus, & Thomas infrà, q. 33. art. 2. ad 4. & alij multi. Idemque ob eamdem omnino rationem ad alia diuina nomina rectè extendit Damascenus lib. 1. Fidei c. 9. post medium dicens, *Scire oportet, nomen paternitatis, filialitatis, & processionis non esse ex nobis ad beatam illam diuinitatem translatum, sed contrà, inde nobis traductum. Propterea, inquit, Apostolus, flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas*, &c. Quòd intelligendum esse de traductione quantum ad rem significatam per nomen, non quantum ad impositionem nominis, notaui loco citato S. Thomæ, ex qua impositione prius facta creaturis, ad significandas perfectiones creatas, quæ semper habent multas imperfectiones admistas, moti interdum aliqui Patres dixerunt, huiusmodi nomina propriè non reperiri in diuinis, nimirum cum illis perfectionibus admistis, ad quas significandas prius imposita sunt. In quo sensu Magnus Dionysius de mystica Theologia c. vltimo docuit, Deum authorem omnium, & infinitè superexcedentem omnia, nihil esse eorum, quæ à nobis intelli-

S. Thomas. Concilium Nicænum. *In diuinis esse verè Patrem, & verè Filium.* Nazianzen. Hilarius. *Exponitur locus Ioan. 12.* Cyrillus. *Exponitur locus Ephes. 3.* S. Thomas. Damascen. Dionysius.

intelliguntur; & in particulari, quod ad præsentem materiam pertinet, *Nec Spiritum esse, vt nos sciamus, nec filij aut patris rationem, nec aliquid eorum, quæ nobis, aut cuiquam naturæ sunt cognita*: quoniam, vt ipsemet ratiocinatur in fine capitis, *perfecta illa, & singularis ea, ipsa omnium, vniuersa multum superat.* De rebus quoque diuinis, ob maximam earum perfectionem, dixit Nazianzenus oratione de Deitate ad Euagrium, *licet multimodis nominibus apud singulas gentes vocentur, extra omnem tamen sunt nomenclaturam, & nullum nomen proprium habent.* Item Basilius tractatu de vera & pia fide, circa medium ait, *Vocabulum Patris, si cum integra eius significatione, sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo, impiè facimus: quandoquidem vna cum eo, necessariò simul, & affectio, & defluxio seminis geniti, & ignorantia, & infirmitas, & talia quæcumque ipso nomine euulgantur.* Per integram significationem, intelligit, non solum id, quod ipsa vox, Pater, ex se expressè importat, quod nihil est imperfecti, aliquin ea ad diuinum Patrem propriè significandum numquam transferri potuisset; sed etiam id ad quod significandum vox imposita est ex intentione & vsu hominum, qui vocem illam excogitarunt, & adhuc inter nos vsurpant cum prædictis imperfectionibus. & in eodem sensu lib. 5. contra Eunomium, § *Nec enim*, initio ait. *Nec Filius, nec generatio, Deitatis proprium est nomen; sed ex humana similitudine adductum; ex quæ etiam Scriptura dicta traducta est.*

Nazianzen. Basilius.

3. *Verè filium verè generari.*

Minorem denique allatæ demonstrationis, nempe, Verè ac propriè patrem & filium, non esse nisi per veram ac propriam generationem viuentium, probant tum manifestè ipsimet termini, quis enim concipere potest Patrem & Filium, quin concipiat generantem & genitum? Ergo si quis est verè ac propriè Pater, seu Filius, erit etiam verè ac propriè generans, seu genitus: tum expressa Patrum testimonia. *Quis Filium dicat*, inquit Fulgentius in responsione ad secundam obiectionem Arianam, paulò ante finem, *& genitum nesciat? Quis Patrem valeat credere, quem non consideret genuisse?* Quod ad diuina applicans, statim ita addit, *Genuit verè Pater, & verè natus est Filius.* & infrà in septima responsione circa principium, *Verè Pater est. Quod si vera est paternitas Patris, vera est natiuitas prolis.* Et Cyrillus lib. 2. Dialogorum de Trinitate non longè à principio, *Propriè certè Deum patrem, patrem nominari, & esse affirmauimus, & non ob aliam causam, quam quòd genuerit ex se ipso Filium. Propriè autem & Filium esse, & nominari asserimus, quia natus est ex Deo Patre.* Et Augustinus sermone 38. de tempore, multò post medium, *Patrem dum dicimus, significamus, eum filium genuisse; quia filius propriè de eo genitus dicitur; quia Patrem habet, qui eum genuit.* Et lib. 5. de Trinitate c. 6. paulò ante medium, *Ideò quippe Filius, quia genitus: & quia Filius, vtique genitus.* Quod repetit c. 7. initio. Et ante omnes Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobum, Fratrem Domini, circa medium ait, *Patrem cũ audis, agnosce quòd habeat Filium veraciter genitum: sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet; & Dominus, qui habet, cui dominetur. Deus ergo Pater, secreti Sacramenti vocabulum est, cuius verè Filius est Verbum.* Quam eamdem connexionem inter Patrem, & Filium, à Patre genitum, non obscurè significant verba illa Ps. 2. quibus Dominus Pater dicens ad Filium, *Filius meus es tu*, statim tamquam necessariò consequens, subiungit, *Ego hodie genui te.*

Fulgentius. Cyrillus. Augustinus. Clemens Romanus. *Exponitur locus Ps. 2.*

4. *Probatur cõclusio ratione S. Thomæ.*

Ratio, quæ supposita Fide de processione diuina Verbi per intellectum in, eadem numero natura cum principio à quo procedit, conclusionem naturaliter probat, alia esse non potest, præter eam, quam S. Thomas hic affert, nempe, quòd tali processioni conueniat conceptus essentialis, quem importat generatio viuentis, præcisè considerata, vt generatio viuentis est, & non considerata contractè, vt est generatio viuentis creati, qua ratione multas inuoluit imperfectiones motus & mutationis, alterationis, & accidentis; materiæ & subiecti, passionis, incœptionis, dependentiæ, factionis, termini à quo ex non esse, distinctionis saltem numericæ in natura inter generantem & genitum, aliasque similes, essentiales illas quidem generationi vt creata est, accidentales tamen generationi, vt est simpliciter generatio: sicut, v. g. sapientia creata multas includit imperfectiones, quas non includit sapientia, vt sapientia simpliciter est, & ideo eam sub hac præcisa ratione in Deo formaliter esse omnes fatemur.

5. *Definitio generationis viuentium ex S. Thoma,*

Propria igitur viuentium generatio, quæ, inquit S. Thomas hîc, circa principium corporis *propriè dicitur natiuitas*, secundum se essentialiter definitur, *origo*, seu, *Processio alicuius viuentis à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei.* Ita S. Thomas hîc, & sumitur ex Basilio lib. 2. contra Eunomium, aliquantò post principium dicente, *Genitum coniunctissimè se habere prosiliò debet, ac simillimè ad genitorem.* Et ex Damasceno lib. 1. Fidei c. 8. post medium illis verbis, *Generatio est, ex substantia gignentis proferri quod gignitur, simile secundum substantiam.* Et ex Riccardo de S. Victore lib. 6. de Trinitate c. 18. ante medium vbi loquens de illo productionis modo, *qui inanimatis inesse non potest, & secundum quem solum genitor & pater dicitur ille, qui generat; genitus & filius, ille qui generatur*; ait, *Idem videtur esse naturalis productio animantis de animante conformitatem substantiæ, quod parenti, prolem generare.* Eamdemque definitionẽ recipiunt reliqui omnes Theologi, cui necessarium nõ videtur addere cum Alliacensi 1. sent. q. 8. art. 3. concl. 3. post quartam opinionem, in tertia acceptione generationis, Maiore 1. d. 13. q. vnica post medium; §. *Dicetur itaque.* Molina hîc §. *Tertiò aduerterim.* Vazquez hîc disp. 113. n. 6. & 7. *Viuentis cognoscentis*; vel secundum Alliacensem & Maiorem, ad excludendam generationem hominis quatenus factam à sole, vel secundum Molinam & Vazquez, ad excludendam generationem plantarum, quarum altera alterius filia non dicitur. Hæc enim duo motiua huiusmodi additionem non suadent. Non primum de sole, quia Sol, cum nullo modo viuat, & ad hominis generationem non concurrat per aliquid sibi coniunctum, communicatum effectui, sed extrinsecus tantum agendo in materiam sublunarem, sicut ignis generat ignem, agendo in lignum, facillimè excluditur per illam particulam, *A principio viuente coniuncto.* Non secundum de planta, quam primo loco in generatione viuentium includit S. Thomas 4. contra gentes c. 11. quoniam in ipsis etiam, inquit initio capitis, *Emanatio ex interiori procedit, in quantum scilicet humor plantæ intraneus in semen conuertitur; & illud semen, terræ mandatum creuit in plantam.* Plantæ igitur participant essentialem vitæ gradum, proprium viuentium, & communem omnibus viuentibus etiam cognoscitiuis; *nam viuentia*, inquit deinde S. Thomas, *sunt quæ se ipsa mouent ad agendum*: ergo participant etiam communem rationem generationis viuentium. Quapropter si planta genita, non dicitur filia plantæ generantis, non est ex defectu generationis propriæ viuentium, sed quia vel in plantis id non est loquentium vsu receptum, vel quia de plantis non est communiter ita notum, quæ nam ex alia nata sit, sicut notum est de Brutis, & Hominibus. Non possumus autem dicere, hoc esse filium illius, nisi præsciamus, hoc esse natum ex illo. Quòd si de hac planta constaret, esse natam ex illa, denominari rectè posset hæc filia illius; sicut omnes plantæ simpliciter denominantur

Basilius. Damascen. Riccardo Victorino.

Non esse necessarium definitioni addere, viuentis cognoscẽtis, *contra Alliacensem, Maiorem, Molinam, Vazquez.*

Definitionem conuenire etiam Plantis, ex S. Thoma.

An Planta dici possit filia plantæ, à qua generatur.

viuentes

Plantæ denominantur nasci, occidi, & mori,

viuentes, animatæ, nasci vitali modo ab intrinseco. Psalmo 106. *Seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis.* Item denominantur occidi, mori, &c. Ps. 77. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Quod non metaphoricè, sed propriè dictum esse confirmat Augustinus

Augustinus.

1. de ciuitate c. 20. med. *Nam & hoc genus rerum*, inquit, *quamuis non sentiat, dicitur tamen viuere; ac per hoc potest & mori; proinde etiam, cum vis adhibetur, occidi.* & probat tum ex verbis Psalmi citati, tum ex verbis Pauli 1. ad Corinthios 15. *Quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Vnde Dominus Ioan. 12. ait, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.*

6. *Exponuntur particulæ definitionis & primò illud*, A principio.

In prædicta igitur definitione illud, *A principio*, intelligi debet de Principio producente & actiuo. Manifestum enim est, generare esse quoddã agere, & generans esse quoddam agẽs. Huiusmodi principium non fuit Adamus respectu Euæ; & ideo hæc non est vitaliter generata, aut nata ex Adamo, eiusque filia; quamuis ex illius costa, tamquam ex aliquo simpliciter principio coniuncto processerit. Fuit quidem illa costa, pars quædam substantiæ Adami, eique intrinsecè coniuncta; tamen nullum, saltem naturaliter, effectiuum concursum, ne instrumentalem quidem habuit in Euam; neque illam partem Adamus in se ipso præparauit ac ministrauit ad Euæ productionem. Quam rationem non obscurè exponit Riccardus Victorinus lib. 6. de Trinitate c. 16. circa finem illis verbis, *Eua de Adam secundum operationem naturæ non est producta; & idirco non dicitur generata.* Per illud, *Secundum rationem similitudinis*, S. Thomas à ratione geniti, & filij excludit pilos & capilles: quia scilicet nullo modo animati sunt. Si verò essent animati, nempe eadem anima totius viuentis in quo sunt, & à quo producuntur, adhuc eorum productio non esset *processio viuentis à viuente*, nempe filij à Patre; quoniam his verbis duo realiter distincta suppositа clarissimè exprimuntur; cuiusmodi non sunt ea quæ vnam numero animam communem habent. Demum per illud, *in natura eiusdem speciei*, idem S. Thomas hîc, & ante ipsum Bernardus epistola 190. aliquanto post principium Riccardus Victorinus lib. 6. de Trinitate c. 18. & alij omnes à ratione geniti, & filij excludunt vermes, qui ex corrupta hominum ac brutorum substantia generantur: quamuis enim procedant viuẽtes de substantia eorum, à quibus procedunt; tamen recipiunt similitudinem in natura generica animalis, non in natura specifica, v.g. hominis, vel equi. Sed quoniã si per possibile, vel per impossibile huiusmodi vermes prodirent ex putrefactione similiũ vermium in natura eiusdem speciei, adhuc talis productio non esset à viuente per vitalem generationem, addendum est, eos ab hac definitione excludi etiam per alias præcedentes particulas: quia scilicet in hoc casu vermis viuens non procedit à viuente per principium coniunctum: nascitur enim ex corruptis, ac proinde mortuis potius quam viuentibus animalium carnibus; vnde iidem vermes eodem modo oriuntur ex mortuorum animalium cadueribus, & ex aliis corporibus quæ numquam fuerunt animata, vt ex caseo. ergo ex modo quo procedunt, quicumque ille sit, non habent vt procedant à viuente formaliter, & vitali modo. Præterea nullum viuens habere potest naturaliter in se intrinsecam aliquam potentiam vitalem, cuius vi intra se ipsum, materiam aliquam sibi coniunctam præparet, eamque ministrare, atque à se decidere, per se intendat, in consecrationem suæ speciei, ad generanda huiusmodi animalia imperfectissima, ex putri nascentia. Rectè igitur docuit Torres hîc, part. 2. commentarij

Riccardus Victorinus.

Secundò illud, Secundũ rationem similitudinis.

Torres.

post medium quòd ad excludendum vermes ab hac definitione, præter rationem S. Thomæ, *est alia ratio, quia non procedunt à viuente formaliter, secundum quòd viuens, & per operationem vitalem.* Quo nam autem modo hæc oriantur, difficile quidem est, sed planè physicum negotium, suo loco in Philosophia à nobis olim diligenter tractatum.

7.

Verùm enim verò, hæc eadem vltima particula de identitate naturæ specificæ, videtur etiam excludere duas generationes, propriissimè vitales, secundum omnes: altera Filij Dei, qui procedit similis in vna eademque numero natura cum Patre, alteram muli, qui specificè distinguitur à natura parentum. Sed de prima facilè dicitur, numericam illam, & omnimodam naturæ identitatem facere potius ad maiorem similitudinem, ac proinde ad perfectionem vitalis generationis rationem. Quare in definitione illud, *in natura eiusdem speciei*, non est positum vt necessarium, ad excludendam maiorem similitudinem in natura numerica, sed tantum vt sufficiens, ad excludendam minorem similitudinem in natura generica. De secunda, quæ difficilior est, multa scribunt Maior 1. d. 13. q. vnica versùs finem, Torres suprà, Vazquez disp. 113. n. 4. & 5. Sed responsio omnium optima colligi potest ex verbis Philosophi 7. metaph. t. 28. *Manifestum est, quòd generans tale est, quale quod generatur; non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie, vt in naturalibus, homo namque hominem generat: nisi quod præter naturam fiat, vt equus mulum: & hæc quoque similiter; quod enim est commune equo & asino, non est nominatum propinquissimum genus; fuerint autem ambo fortassis, vti mulus.* Vnde habemus primò, quòd cum in hac definitione dicitur, Omne viuens cum generat, generare sibi simile in specie, est intelligendum per se & naturaliter, hoc est, posita naturali coniunctione per se intenta à natura; quod tamen impediri potest per accidens & innaturaliter, siue, vt loquitur Aristoteles, *præter naturam*, hoc est, posita aliqua accidentali, atque innaturali coniunctione. Secundò, quoniam posito huiusmodi impedimento, cum specifica dissimilitudine, adhuc retinetur essentialis ratio generationis viuentis & filij, cum equus non minus vitaliter generet mulum, quàm equum; & mulus non minus quam equus sit equi filius; dicendum, generare sibi simile in natura specifica, esse quidem de connaturalitate, & perfectate, seu proprietate generationis viuentium, non autem de essentia, seu de conceptu essentiali. Quod significat Philosophus suprà, qui docens, Genitum & generans esse vnum specie, limitando addit, *vt in naturalibus*, hoc est, vt patet in viuentibus naturali modo operantibus. Tertiò, in hoc etiam casu de mulo, adhuc generans tendere per se, & ex intentione naturæ viuentis, & vitaliter operantis, ad similitudinem naturæ in gradu generico immediato, in quo proximè conueniunt equus, asinus, & mulus, tametsi gradus ille sit nobis ignotus, & ideo nomen non habeat. *Vt si v.g. dicamus*, inquit S. Thomas ibi lectione 7. circa finem, *quod illud proximum genus sit iumentum, poterimus dicere, quòd licet equus non generet equum, sed mulum, iumentum tamen generat iumentum. Patet igitur quòd omnia generata consequuntur speciei similitudinem ex virtute generantis.* In quo differt hæc muli processio, à supradicta vermium processione; quamuis enim vtraque sit generatio respectu termini procedentis, quia vtraque est productio viuentis; & in vtraque reperiatur similitudo secundum genus, non secundum speciem, tamen respectu principij producentis, processio muli est generatio, non autem processio vermium; quia illa est ex vitali virtute equi, per se, & naturaliter intendente illam similitudinem genericam; hæc verò non est ex vitali

Non excludi mulum. Maior. Torres. Vazquez. Aristoteles.

S. Thomas.

Differentia productionis muli, & vermis.

vitali virtute illius animalis, ex cuius corruptione vermes prodeunt; ab eoque nulla ratione per se, & naturaliter intenditur similitudo illa generica, quam cum ipso vermes habent.

8. *Generationis definitionem conuenire processioni Verbi.*

Quod autem tota hæc essentialis, pura, ac perfecta generationis ratio, hactenus explicata competat processioni Verbi, patet; quoniam ex Fidei articulis ex instituto probatis art. 1. dub. 1. & 2. constat, Verbum esse suppositum viuens originatum ab alio, supposito viuente, tamquam à principio producente, & coniuncto, nimirum perfectissima coniunctione in eadem numero essentia. Si enim in generationibus viuentium naturalium saluatur ratio principij coniuncti per solum semen formatum à generante ex substantia sibi coniuncta, & intra illam, ab eaque decisum, & genito communicatum intrinsecè, ita vt quod antea erat intrinseca pars substantiæ genitoris, fiat deinde vi generationis intrinseca pars substantiæ geniti, eoque modo genitor coniungatur genito; & per hoc satis distinguuntur animata ab inanimatis, quæ generant ex materia extrinseca: quantò magis in hac diuina generatione saluabitur per eamdem numero naturam, à genitore communicatam genito, & manentem in vtroque supposito, tam generante, quàm genito. Vnde etiam habetur perfectissima ratio similitudinis in natura, non solum per identitatem specificam, vt in reliquis naturalibus viuentium generationibus, sed etiam per identitatem individuam. Quoniam verò hanc ipsam naturæ similitudinem, omnino eamdem, viuens etiam Spiritus sancti suppositum recipit per suam processionem, quam fide credimus non esse generationem, ingens hinc oritur difficultas & controuersia, quæ, vt ait Maior 1. d. 13. quæst. vnica, paulò post principium, *semper acerrima reputata fuit apud Maiores, & meritò, secundum illud Isaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit?* & multò magis apud recentiores nostra ætate agitatur ac feruet, quæ nam sit illa ratio propria Verbi, ob quam eius processio, & non processio Spiritus sancti sit generatio, & ideo hæc ratio sequentibus dubitationibus diligenter inquirenda est; sed prius de ipsa inquisitione sit

Ratio sequẽtium dubitationum.

DVBITATIO I.

An liceat inquirere rationem ob quam processio Verbi sit generatio.

SVMMA.

1. *Affertur sententia multorum Patrum & Scholasticorum, n. 9. ad 12.*
2. *Esse impossibile hanc rationem reddere nulla facta fidei suppositione, num. 12. ad 15.*
3. *Posse autem reddi assumpto aliquo fidei principio, num. 15. & 16.*
4. *Nullam tamen rationem posse esse euidentem, sed tantum probabilem, n. 17. & 18.*

9. *Rationes dubitandi.*

NEgotium facessunt primò multi Patres, huiusmodi inquisitionem reprehendentes. Secundò nonnulli Scholastici, qui multum inquirendo, & nihil inueniẽdo quod ipsis satisfaciat, tandem cõcludunt, prædictam rationem à nobis in hac vita reddi non posse; quod etiam Patres affirmasse videntur. Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobum, Fratrem Domini, circa medium loquens de Deo Patre, ait, *Nec quæratur, quomodo genuit Filium; quod & Angeli nesciunt, Prophetis incognitum est. Vnde illud, Generationẽ eius quis enarrabit? Quam secretam originem, cũ proprio*

Clemens Romanus.

Isaiæ 53.

Filio nouit ipse solus qui genuit. Nec Deus à nobis discutiendus est, sed credendus, qui in nobis ipsis nescimus, quomodo mens nostra generat verbum. Similia scribit Irenæus lib. 2. c. 48. post medium. *Si quis nobis dixerit, Quomodo ergo Filius prolatus à Patre est? dicimus ei, quia prolationem istam, siue generationem, inenarrabilem existentem, nemo nouit, neque Angeli, neque Archangeli, nec Principatus, neque Potestates; nisi solus, qui generauit Pater, & qui natus est Filius: inenarrabilis itaque generatio eius cum sit, quicumque nituntur enarrare, non sunt compotes sui, ea, quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittentes.* Irenæus.

Eleganter & latè Hilarius lib. 2. de Trinitate multò post principium, *Si quis fortè intelligentiæ suæ imperabit, generationis huius Sacramentum non posse se consequi; maiore istud dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro; & consolabor me tamen: Archangeli nesciunt. Angeli non audierunt. Sæcula non tenent. Propheta non sentit. Apostolus non interroganit. Filius ipse non edidit.* & paulò post, *Intellige per Prophetam clamantem Spiritum sanctum, Generationem eius quis enarrabit?* & multa deinceps addit de eiusdem mysterij incomprehensibilitate. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 11. circa medium, *Genuit ipsum Pater, non ita vt aliquis intellexerit, sed vt ipse solus nouit. Neque enim quomodo genuerit, dicere promittimus; sed quòd non ita genuerit, confirmamus. Neque nos tantum hanc ex Patre Filij ignoramus generationem; sed etiam vniuersa creata natura.* Hilarius. Cyrillus Hierosol.

Quod deinde pluribus eloquenter explicat Nazianzenus oratione 29. de statu Episcopali & dogmate, non longè à fine, cum superius ostendisset, sciri diuinam generationem; eius tamen modum ignorari, subiungit, *Audis generationem, quomodo autem sit, noli nimis curiosè inquirere, Audis Spiritum procedere à Patre; sed quomodo id fiat, noli nimis anxiè indagare.* Et orat. 3. de Theologia, aliquanto ante mediũ ad Hæreticos interrogãtes de Filio Dei, *Quomodo generatus est?* ita respondet, *Dei generatio silentio est colenda: & sanè, quòd generatus sit, didicisse te, magnum quiddam fuerit; verum quomodo sit generatus, nosse ne Angelis quidem ipsis, ne dum tibi datum esse concessero. Sic generatus est, vt nouit & qui genuit Pater, & qui genitus est Filius.* & oratione 5. aliquanto post principium contra Spiritus sancti aduersarios quærentes, *Quæ hæc est processio?* ita respondet, *Quia tu rationem ingeniti Patris mihi explicas, & ego vicissim tibi & Filij generationem, velut naturæ eius interpres expediam, & Spiritus processionem aperiam; vt ambo insaniamus, Dei secreta rimando.* Basil. lib. 2. contra Eunomium, multò post medium, *Nec mihi dicas, Quæ nam est hæc generatio, qualis, & quomodo facta? Non enim quia ineffabilis omnino modus, & incomprehensibilis est, idcirco etiam firmiter in Patrem & Filium credere recusabimus. Nam si cuncta intelligentia nostra mensurare voluerimus; & quod mente non capimus, id nihil omnino esse putauerimus, amitteretur profectò fides, amitteretur etiam spei remuneratio.* Item homilia 25. de humana Christi generatione, initio, *Christi generatio propria, ac præcipua, diuinitatis est, quæ quidem silentio magis, ac fide veneranda, quam disputatione aliqua nostra, seu curiositate, vestiganda. Pater erat, & Filius est genitus. Ne dicas, Quando? Ne quæras, Quomodo? est enim hîc impossibilis responsio. Nam Quando, tempus habet. Quomodo vero, ad modos corporeos imaginationem quamdam. Fateor indeprensum, ac verbis humanis inenarrabilem, diuinæ generationis esse modum.* Similia scribit in oratione aduersùs eos qui calumniantur, *Quòd tres Deos colamus*, post medium. Basilius.

Præterea Patres Nicæni Concilij lib. 4. in Fidei formula, medio fatentur, *Modum eius generationis à nulla mortali natura, vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi posse.* Item Ambrosius libro 1. de

10. Concilium Nicænum. Ambrosius.

de Fide cap.5.multò post principium ait, *Generatio diuina supra omnes cogitationes ascendit, & sensus.* Et paulò post, *Mihi impossibile est, generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed Angelorum. Licet scire, quòd natus sit; non licet discutere, quemadmodum natus sit. Illud negare mihi non licet; hoc quærere, metus est.* Chrysost. Chrysostomus hom. 2. in epistolam ad Hebræos circa principium, *Dico, quoniam Filium genuit ex se ipso: sed nescio qualiter intellectu hoc percipiam.* Et homilia 4. in Matthæum longè à principio, *Erubescant & confundantur, qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur. Si enim istam,* nempe temporalem Christi natiuitatem, *quæ mille celebrata testibus, & ex multis est prædicata temporibus, quæ oculis inspecta, manibúsque contrectata est, interpretari tamen nullus potest; quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei, humanis vel cogitationibus inuestigari putant, vel vocibus indicari?* Aptius ad rem Augustinus. nostram, & clarius Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap.14. circa principium, *Quid autem inter nasci & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur; quamuis omne procedat quod nascitur: sicut non omne quod bipes est, homo est; quamuis bipes sit omnis qui homo est. Hæc scio. Distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc, quia & illa, & ista est ineffabilis, sicut Propheta de* Isai.53. *Filio loquens, ait, Generationem eius quis enarrabit? ita de Spiritu sancto verissimè dicitur, Processionem eius quis enarrabit?* Rursus tractatu 99. in Ioannem, paulò post medium, *Quid autem illic intersit inter procedere & nasci, & longum est quærendo disserere; & temerarium, cum disserueris, definire: quia hoc, & menti vtcumque comprehendere, & , si quid forte mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare, quantuslibet sit Doctor, quantuslibet* Beda. *adsit auditor.* Quæ verba vsurpauit etiam Beda in id Ioannis 16. *Quæcumque audiet, loquetur.* Fulgent. Item Fulgentius responsione ad secundam obiectionem Arianam, initio, *Filij generatio inenarrabilis est, ignorabilis non est.* Quod postea pluribus explicat, & ita concludit, *Veram ergo Filij natiuitatem datum vobis est cognoscere, licet datum non sit, qualiter natus fuerit, enarrare. Quoniam & Propheta non dixit, Generationem eius quis agnouit, sed, quis enarrauit?* Et in fine optimam huius inenarrabilitatis rationem assignat, dicens, *Inenarrabilis enim proculdubio est Filij natiuitas vera, quia vna est illi cum inenarrabili genitore substantia.* Damascen. Damascenus lib.1. Fidei c. 10. circa medium, *Generationis & processionis differentiam esse didicimus; at quis differentiæ modus, nequaquam.* Atque his similia apud alios Patres passim reperiuntur.

11. Magister senten. Inter Scholasticos verò ipsemet Magister 1. sent. dist. 13. §.3.ait, *Inter generationem Filij, & processionem Spiritus sancti, dum hîc viuimus, distinguere non sufficimus.* Idque §.4.probat verbis Augustini ad Maximinum suprà. Magistrum sequuti sunt ibi Ariminensis. Ariminensis q.vnica, initio corporis. *Differentiam spirationis à generatione, in vita ista per tales, quales nos sumus, explicari reputo impossibile.* & idem repetit in Ochamus. fine quæstionis. Ochamus q.vnica, litera H. *Secundum B. Augustinum plenè distinguere inter illas processiones non est nobis possibile pro isto statu.* & litera K. fine. *Ad inuestigandum distinctionem inter generationem & spirationem, & quare spiratio non sit generatio, scio me totaliter insufficientem.* Quòd repe- Gabriel. tit litera O. & sequitur Gabriel ibidem, afferens illud, quod olim canebatur in quadam sequentia de Trinitate, vt testatur Holkot, q.10. determinationum, art.1. Holkot.

Dignè loqui de personis,
Vim transcendit rationis,
Excedit ingenia.
Quid sit gigni, quid processus,
Me nescire sum professus, &c.

Quæ verba, inquit Holkot, *non dicuntur in persona alicuius laici, sed in persona cuiuscumque Theologi, & cuiuslibet viatoris qui non est illuminatus aliqua reuelatione singulari.* Eamdem ignorantiam sæpe fatetur Marsilius q.16.art.2.& tandem sequitur noster Valentia hîc puncto 4.ante solutionem argumentorum. Marsilius. Valentia.

12. *Prima conclusio, non licet, neque est possibile, independenter à Fide.* Prima conclusio, nullo alio assumpto principio reuelato, & fide diuina credito, est planè impossibile rationem reddere, cur ex duabus diuinis personis productis, vna generetur, & sit Filius, non item alia. & consequenter, hanc rationem velle reddere independenter ab aliquo principio Fidei, est illicitum ac temerarium. Iuxta hanc conclusionem intelligendi sunt Patres superius allati. Quod in Irenæo sapienter obseruauit Franciscus Feuardensis annotat.3. in Feuardensis. citatum c.48. docens, reprehendi ab Irenæo Gnosticos, qui de Verbi generatione, *non scripturis, sed Aristotelicis ratiocinationibus nixi, audacter disserunt, colligunt, definiunt.* Vnde Irenæus paulò post princi- Irenæus. pium eiusdem capitis, in eorum audaciam his verbis inuehitur, *Vos generationem eius ex Patre diuinantes, & verbi hominis per linguam, factam prolationem, transferentes in Verbum Dei, iustè detegimini à vobis ipsis, quòd neque humana, neque diuina noueritis. Irrationabiliter autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dixitis.* Idem quoque vitium est, illud, quod Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11. circa me- Cyrillus Hierosolym. dium vocat, *audacem curiositatem.* Eodem Spiritu Nazianzenus Nazianzen. oratione 23. ad centum quinquaginta Episcopos, post medium inuehitur contra eos, *qui nimis anxiè generationem Dei scrutantur, & processum ineffabilem; audactérque contra diuinitatem interrogant, quasi illi soli attingere possint ad ea, quæ supra rationem sunt; aut nihil sint cuncta, quæ ipsi comprehendere nequeũt. Nos verò scripturas sequimur diuinas,* &c. Solum igitur reprehendit inquisitionem non fundatam in Scripturis diuinis. Basilius quoque homilia 25. citata su- Basilius. prà n.9. fatetur se nolle aliquid dicere, de modo generationis, quia non poterat *curiositati satisfacere:* satisfacturus sanè fideli ac pio Theologo, humiliter ac prudenter disputanti ex præuio Fidei lumine de mysterio obscurissimo, ac difficillimo.

13. *Prima conclusionis probatio ex Dionysio.* Probatur conclusio 1. generaliter ex illo Magni Dionysij axiomate de diuinis nominibus c.1. quod maximè in nostro proposito, propter altitudinem mysterij, de quo disputamus, locum habet, & affertur à Feuardensi suprà, *De supersubstantiali, secretissimaque Deitate, neque dicere quidquam, neque cogitare præsumendum est, aliter quam sacra eloquia piè, admodumque castè nobis tradiderunt.* *Secunda probatio ex aliis Patribus.* Secundò, quia ipsimet Patres, quos infrà referam, nonnullas rationes differentiæ inter has processiones, doctè & vtiliter afferre conati sunt. Ergo putarunt, huiusmodi inquisitionem non esse nobis simpliciter impossibilem, atque prohibitam. Et vt nunc alios omittam, ipsemet Augustinus, qui omnium clarissimè & rei profunditatem, & nostram de illa ignorantiam fatetur & exaggerat, vt supra n.10. postea in eodẽ tractatu 99. in Ioannem post verba ibi citata, assignat aliquam differentiæ rationem, circa finem tractatus, dicens, *Hîc vtcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus: quoniam si,* &c. vt infra. Quod etiam libro 9.

de Trinitate c.12.iterum inquirit: vbi initio ait, *Hæc quæstio de Trinitate solet mouere homines, quos veritas Dei per humanam locutionem inuitat ad fidem. Cur non Spiritus quoque sanctus à Patre Deo genitus vel credatur, vel intelligatur, vt filius etiam ipse dicatur. Quod nunc vtcumque inuestigare conamur; si tamen veritas ipsa persuaserit, sicut Dei Verbum filium esse nullus Christianus dubitat, ita charitatem esse Spiritum sanctum.* Si hæc est quæstio hominum, *quos veritas Dei inuitat ad fidem;* ergo est prudens ac pia de re possibili, & simpliciter scibili à fidelibus viatoribus. Si huius quæstionis determinationem Augustinus *inuestigare conatur;* ergo etiam nobis, & reliquis omnibus Theologis, eumdem conatum adhibere, erit licitum ac laudabile. Denique Augustini conatus est conditionatus, *conamur,* inquit, *si tamen,* &c. clarè significans esse impossibilem, ac temerarium conatum non procedentem ex aliquibus præsuppositis fidei principiis, nempe, secundam personam, quam filium vocamus, esse Verbum, & tertiam personam, quam vocamus Spiritum sanctum, esse charitatem.

14. *Tertia probatio de facto.* Tertiò, quia de facto, vt inferius videbimus, etiam reliquæ omnes rationes allatæ ab eodem Augustino, & aliis Patribus & Scholasticis, assumunt aliquod fidei principium, quod præsupponunt vltra illud de duabus diuinis personis productis in sanctissima Trinitate. *Quarta probatio à priori.* Quartò, à priori, quia cum ex vna parte credamus, inter diuinas personas cum distinctione personali esse maximam similitudinem in natura, nimirum sine vlla prorsus dissimilitudine ac distinctione; ex alia verò parte euidenter sciamus naturali lumine, illas personas generari, quæ procedunt in similitudinem naturæ cum suo principio; si nihil aliud credamus de Trinitate, nisi vnum Deum, & tres personas, & ex his duas productas, apparet planè impossibile, dicere rationabiliter, vnam personam, & non aliam produci per generationem. Igitur vt possibile ac licitum sit aliquam huius differentiæ probabilem, & congruam rationem assignare, necessario recurrendum est ad fidem, quæ aliquid aliud præterea doceat de modo diuinarum processionum; v. g. quòd vna sit ab vna persona, alia à duabus personis; quòd vna, & non alia sit processio personæ potentis producere aliam personam, quod vna sit Verbi per intellectum, alia amoris per voluntatem. His igitur differentiis, ex fide petitis, niti debet qui reddere vult rationem, ob quam diuinæ processiones ita differant, vt vna sit essentialiter generatio, non autem alia.

15. *Secunda conclusio est possibile ac licitum, dependẽter à Fide.* Secunda conclusio, per humilem dependentiam à Fide, respiciendo & diligenter considerando omnia, quæ de diuinis processionibus Fides docet, possibile simpliciter est, reddere conuenientem aliquam rationem, ob quam processio Verbi, & non Spiritus sancti sit generatio. Et ideo hanc rationem de facto inquirere dependenter à fide, nullam meretur reprehensionem, sed potius laudem & præmium. Hoc sequitur ex præcedenti conclusione, & notant Bagnes infrà, art.4. conclusione 2. Ruiz disp.5. sect.2. n.9. & ex instituto probat Petrus de Alliaco 1.sent, q.8. art.3. concl.3. contra Gregorium Ariminensem, cuius dictum appellat *insufficiens, absurdissimum, scandalosum.* Bagnes. Ruiz. Alliacensis. Quam reprehensionem referens Maior 1.d.13.q.vnica post medium, videtur approbare, quia ita subdit, *Verè enim turpe est Theologo materiam tractanti, nihil penitus discriminis dare.* Maior. *Contra Ariminensem.* nimirum in casu nostro, vbi de processionibus duarum personarum omnino similium, & inter se, & cum alia persona à qua procedunt, docet Fides maximam dissimilitudinem, nempe, alteram esse generationem, alteram non esse generationem. Enim verò tantæ dissimilitudinis inter res simillimas, quæ dissimilitudinem illam apparenti quodam euidentia improbare videntur, nulla posset à nobis dissimilitudinis ratio assignari, neque ex parte principiorum, quæ sunt intellectus & voluntas, neque ex parte terminorum, qui sunt Verbum & Amor, neque ex parte modi procedendi, quo vna est prior origine ab vna persona, & alia est posterior origine à duabus personis, quas omnes differentias ex fide etiam habemus, non mediocriter perturbaretur credibilitas huius articuli de generatione & spiratione, & impossibile esset gentilibus Philosophis rationabiliter ac suauiter persuadere tantam differentiam sine vlla differentiæ ratione, vbi tot aliæ suppetunt differentiæ, ex principiis, ex terminis, ex modis, vnde & simpliciter possumus, &, pro Fidei credibilitate ac defensione, sanè debemus petere rationem huius particularis differentiæ, de qua disputamus. Nam, vt 1.Petri 3.in genere monemur, omnes fideles, quoad eius fieri potest, esse debent *parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est spe:* & consequenter de fide, quæ spei Christianæ fundamentum est.

16. *Conclusionis ratio.* Ex his patet ratio conclusionis, quia differentia processionum oritur ex differentia principiorum, terminorum, modorum procedendi. Ergo qui nouit has differentias, potest de illa ratione reddere. Sed nos qui in lege Euangelica, & post tot Concilia, & Ecclesiæ definitiones, habemus iam distinctissimam fidem de augustissimo Trinitatis mysterio, cognoscimus & certò credimus prædictas differentias principiorum, terminorum, & modorum procedendi. Ergo ex his possumus simpliciter probare aliam differentiam processionum inter se. Confirmatur, quia reliqui omnes Scholastici, & ipsimet Patres hanc rationem inquirunt. Ergo præstat potius laborare cum illis, quàm eorum labores de se impossibili irritos ac vanos existimare. Vnde Augustinus lib.15. de Trinitate c.27. initio, non di- Augustinus. xit, esse impossibile, sed solum, *difficillimum, generationem à processione distinguere.* Quam tamen distinctionem ipse eodem loco tradere conatur. Quamuis circa finem capitis, iuxta sensum sequentis conclusionis iterum addat, *Cum Spiritus sanctus sit communicatio quædam consubstantialis Patris & Filij, amborum Spiritus, non amborum, quod absit, dictus est filius. Sed ad hoc dilucidè, perspicuéque cernendum, non potest ibi aciem figere. Scio quia non potes. Verum dico, mihi dico, quòd non possim, scio.*

17. *Tertia conclusio, per dependentiam etiam à Fide non est possibile cum omnimoda certitudine.* Tertia conclusio, prædicta differentiæ ratio, etiam procedẽdo ex aliis Fidei principiis, non potest omnino certò, & euidenter reddi, sed tantum validè probabiliter. & ideo non curiosè & anxiè, vt olim hæreticos fecisse testantur Patres, sed diligenter & pacatè inquirenda est, cum omnimoda certitudine de veritate differentiæ reuelatæ. In hoc sensu planè loquuntur Patres superius adducti. Vnde Augustin. Augustinus. tractatu 99. verbis citatis supra n.10. hanc rem; dixit *esse temerarium disserendo definire,* hoc est, certa & euidenti probatione concludere: & statim rationẽ reddit. *quia hoc & menti vtcumque comprehendere, & linguæ difficillimum est explicare,* &c. Contrariam hæreticorum inquisitionem vocat Cyrillus Hierosolymitanus suprà n.12. *audacem curiositatem,* qua scili- Cyrillus Hierosolym. cet ad eam inquisitionem de veritate rei reuelatæ, ac proinde certissimæ, audacter procedebant tamquam curiosi iudices, non tamquam fideles ac diligentes defensores. Ita etiam Nazianzenus suprà nu.9. eiusdem differentiæ inquisitorem monet. Nazianzen.

Noli nimis curiosè inquirere. Noli nimis anxiè indagare. Nimis curiosè inquirit, qui non credit ita esse, sed vult videre an ita sit. Nimis anxiè indagat, qui vult quidem credere, sed minus firmiter credit, dubitando, & propterea nimia similitudine per rationem probando, verum esse, quod certissima fide verum esse credendum est. *Non enim quia ineffabilis omnino modus, & incomprehensibilis est*, inquit Basilius suprà n.9. *idcirco etiam firmiter in Patrem & Filium credere recusabimus.* Idem Nazianzenus oratione 3. ibidem citata notat, se superius loquutum contra eum, *qui generationem curiosè atque anxiè explorat.* In eamdem curiositatem expresè inuehuntur Basilius, Chrysostomus verbis citatis n.9.10.& 12. & Author expositionis symboli, quæ posita est in lib. S.Cypriani, sed nomine Ruffini habetur inter opera S.Hieronymi; & Ruffini esse, probat Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, verbo, Cyprianus, ait initio Symboli, *Quomodo sanè Deus Pater genuerit Filium, nolo discutias, nec te curiosius inseras in profundi huius arcanum; ne fortè, dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum, qui mortalibus diuino munere concessus est, perdas aspectum.* Quamquam ipsemet statim ad hoc mysterium inuestigandum multa prudenter ac diligenter affert.

Basilius. Nazianzen. Ruffinus.

18. *Conclusionis authores Scholastici.*

Hæc conclusio est Durandi 1.d.4.q.1.n.5. & expresè Alliacensis suprà in conclusione sua secunda, quam iisdem verbis ponit Gabriel 1.d.13. quæst. vnica art. 1. propositione 1. & fortasse Ochamus, & ipsemet Gregorius, & alij citati supra num. 11. non plus volunt. Sequuntur Valentia de rebus fidei lib.2. de Trinitate cap.5. ante medium. Bellarminus infrà. Bagnes infrà art. 4. conclusione 1. Colligitur clarè ex Augustino suprà num. 13. qui etsi ad hanc differentiæ rationem assignandam procedat ex aliis fide notis, nihilominus rationis incertitudinem apertissimè significans, ait, *Hic vtcumque intelligitur, quantum à talibus, quales nos sumus, intelligi potest, Cur,* &c. hoc est, imperfecto modo, cum aliqua probabilitate, non cum exacta certitudine. Et alibi iterum, *Quod nunc vtrumque inuestigare conamur.* Colligitur etiam ex reliquis omnibus huius controuersiæ tractatoribus, qui eamdem rationem inquirunt: nam adeò diuisi sunt, vt quot Patrum ac Scholasticorum capita, tot ferè diuersas rationes excogitauerint; & nulla hactenus ratio allata sit, quæ non habeat plures aduersarios quàm patronos. Quod euidens signum est, nullam rationem esse satis certam. Ratio est, quia, vt docet illustrissimus Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 14. post medium, *Huius rei causa, non est adeò certa. Scriptura siquidem rem docuit, causam tacuit, non in hac re solum, sed in multis etiam aliis, vt semper nos exerceat, & humiles discipulos habeat.* Adde, quòd potissimum huiusmodi inquisitionem, difficultatis, & incertitudinis plenissimam efficit. In Scriptura tradi quidem multas differentias superius significatas, quibus ad diuinas processiones inter se distinguendas, niti posse videmur; tamen simul tradi tantam inter eas conuenientiam, nempe, per vtramque processionem produci viuens à viuente principio coniuncto, & communicari similitudinem in eadem integra natura diuina, vt in vtraque essentialem generationis rationem esse, efficaciter probati videatur.

Augustinus.

Conclusionis ratio ex Bellarmino.

DVBITATIO II.

An processio Verbi, seu Spiritus sancti, se ipsa præcisè sit, aut non sit generatio.

SVMMA.

1 *Probatur conclusio negatiua contra Scotum, num. 19. & 20.*
2 *Insufficienter probari generationem ex eo quòd terminetur ad filium, num. 21.*
3 *Quòd vnus terminus procedat quo modo natus, alius quo modo datus non probat sufficienter differentiam processionum, num. 22. & 23.*

AD eos, qui volunt, inter diuinas processiones non posse à nobis assignari sufficientem discriminis rationem, quorum sententiam præcedenti dubitatione examinauimus, propius accedunt nonnulli veteres, & graues Theologi, contendentes, huius mysterij nullam aliam rationem esse, nisi quia processiones in se consideratæ, se ipsis tales formaliter sunt: hoc enim verè est, discriminis rationem negare potius quàm afferre.

Connexio cũ præcedẽti dubitatione.

19. *Conclusio negatiua omniũ contra Scotum, & Bonauenturam.*

Prima conclusio, nullo habito respectu ad processionum principia, ad terminos, ad modos, insufficienter dicitur, quòd processio vnius personæ, se ipsa formaliter est generatio, alterius verò personæ processio, se ipsa formaliter est spiratio, & non generatio. Ita omnes contra Scotum 1.d.13. q.vnica: vbi reiectis multis rationibus distinguendi diuinas processiones, tandem in §. *Ad quæstionem,* ipse respondet, *Quòd productiones se ipsis formaliter distinguuntur. Generatio enim formaliter se ipsa est generatio, & spiratio se ipsa formaliter spiratio; & ex rationibus formalibus eorum, impossibile est generationem esse spirationem, circumscripte per impossibile quocumque alio. Ita quòd non oportet quærere, quibus distinguuntur; quia tota ratio formalis vnius est non eadem toti rationi formali alterius.* Sicut, inquit paulò post, *differentiæ specificæ sunt se ipsis primò distinctæ formaliter.* Explicat autem quòd, *distingui primò formaliter, non est distingui per aliquod inclusum in vno aliquo, & in aliquo conuenire; sed se toto formaliter distingui, etiamsi per impossibile, omne aliud à ratione sua circumscribatur.* Idem ferè ante Scotum scripserat Bonauentura ibidem q.3. in corpore fusè, & breuius ad 4. Cum his etiam referuntur Ægidius parte 2. distinctionis quæst. 1. Ochamus q.vnica, litera C. Ariminensis q. vnica, circa finem §. *Dico ergo.* Durandus q.2.num.34. Argentina quæst. 1. art.2. Gabriel quæst.vnica. art.2. conclusione 3. Sed hi Authores, dum dicunt, Diuinas processiones realiter distingui seipsis, clarè loquuntur de ratione distinctionis processionum. Vnde scilicet habeant processiones, quæcumque illæ sint, vt inter se realiter distinguantur: quæ est alia quæstio inferius tractanda de actibus notionalibus quæst.41. & longè diuersa ab ea, quam nunc tractamus, de ratione naturæ, seu speciei processionum, vnde scilicet habeant, quocumque modo illæ distinguantur, vt essentialiter altera sit processio in specie generationis, altera verò sit processio in alia specie spirationis. Prima enim quæstio spectat ad existentiam processionum, secunda verò ad earumdem essentiam. Et fortasse, etiam Bonauentura & Scotus loquuntur in sensu primæ quæstionis, non secundæ, tametsi multò maiorem occasionem dederint existimandi, eos esse contra præsentem conclusionem, impugnando etiam rationes ab aliis traditas de essentialibus conceptibus harum processionum. Alioqui conclusio est nimis certa, & tamquam indubi

Quid sentiãt Ægidius, Ochamus, Ariminensis, Durandus, Argentina, Gabriel.

indubitata præsupponi videtur ab omnibus Patribus & Scholasticis, tam qui aliquam huius essentialis discriminis rationem afferunt, quàm qui nullam afferri posse dicunt; quia hi non negant dari verè talem rationem, sed solùm contendunt, illam à creaturis ignorari; vnde expresè dicunt, illam sciri à Deo.

20. *Conclusionis ratio prima.*

Probatur conclusio primò, quia constat, diuinas processiones in multis conuenire, vt quòd sint immanentes, vitales, & origines viuentis à principio viuente coniuncto, & diuinæ communicationes eiusdem numero naturæ; ergo quæri pariter potest, cur non conueniant etiam in hoc, vt vtraque sit generatio; & si negetur, potest ac reddi debet ratio disparitatis, & disconuenientiæ. Secundò, quòd aliqua processio sit generatio à multis essentialiter pendet, esse enim debet productio viuentis, à principio actiuo, viuente, coniuncto, & per se tendente ad producendum sibi simile in natura. Ergo si aliqua processio non est generatio, necessario debet illi deesse aliquod ex his prædicatis; ergo ex hoc defectu reddi potest ratio, cum dicitur aliqua processio non esse generatio. Sicut igitur S.Thomas hîc, vt suprà n.6.& 7. & reliqui omnes Patres & Scholastici, cum docent processionem Euæ, pilorum, vermium, non esse generationem, assignant rationem ex defectu alicuius prædicati, ad generationem essentialiter requisiti, eumque defectum probant, & non putant satis esse asserere processionem se ipsa formaliter non esse generationem; ita cum dicitur Spiritus sancti processio non esse generatio, explicari omnino debet, quòd illi desit necessarium ad essentialem rationem generationis, & non satis est respondere, illam se ipsa formaliter talem esse. Sic enim æquè gratis dicere falsò quis posset, processiones aliquas, quæ generationes sunt, vt Verbi diuini, hominis, muli, se ipsis formaliter non esse generationes; alias verò, quæ generationes non sunt, vt Spiritus sancti, Euæ, pilorum, &c. se ipsis formaliter esse generationes. Tertiò probo, quod ex modo dictis intelligi facilè potest, non esse simile quod Bonauentura & Scotus supra adducunt de duabus differentiis; quia cum hæ sint duo conceptus simplices & indiuisibiles non constituti ex aliis conceptibus, sed potius simul cum genere componentes & constituentes aliquam tertiam speciem, non potest in illis assignari aliquid per quod differant, & aliquid in quo conueniant, sicut assignari potest ac debet inter duas species, ex vno genere & duabus differentiis conflatas. At verò in casu nostro, processiones Verbi & Spiritus sancti non sunt veluti duæ differentiæ specificarum processionum, sed ipsæ in se sunt veluti duæ species processionum, constitutæ ex multis conceptibus, partim conuenientibus, partim discrepantibus. Ergo si altera affirmatur, altera negatur esse generatio, aliquis essentialis conceptus generationis affirmari debet de vna processione, & negari de alia: alioqui gratis ac temerè de qualibet processione generatio affirmaretur potius quàm negaretur, & è contra.

Ratio secunda. *Tertia ratio.*

21. *Secunda conclusio, processionem terminari ad filiũ, non satis probat esse generationem.*

Secunda conclusio. Eadem ferè insufficientia dicitur, quòd vna processio, & non alia sit generatio, ex eo quòd terminus vnius sit Filius, terminus verò alterius sit Spiritus sanctus, & non Filius. Videtur contra Ægidium 1. d. 13. parte 2. q.1. initio corporis, vbi ita concludit, *Cur igitur generatio sit proprietas relatiua Filij, quia eo est Filius quo genitus, generatio, non conuenit Spiritui sancto.* Et significatur à Nazianzeno, nam post verba citata supra num 9. ex oratione 5. statim inquirit, *Quid Spiritui dedit, quo minus sit Filius?* & respondet, nihil deesse, nisi solam relationem filiationis. Item ab Augustino lib.3. contra Maximinum, cap. 14. initio vbi quærenti, *Si de substantia Patris sunt Filius & Spiritus sanctus, cur vnus, filius sit, & alius non sit filius?* ita respondet, *De Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus: sed ille genitus est, iste procedens; ideo ille filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus vtriusque, quoniam de vtroque procedit.* Conclusio manifesta est ex eo, quòd eadem omnino difficultas est de processionibus, vnde habeant, vt altera sit generatio, altera non, & de processionum terminis, vnde habeant, vt alter sit filius, alter non. Ergo idem in re est quærere, Cur hæc processio, & non illa sit generatio; quod quærere, Cur hic procedens, & non ille sit filius, seu genitus. Ergo si quærenti, Cur vna processio, & non alia sit generatio, respondeas, Quia vna & non alia terminatur ad filium, censeberis verè, & re ipsa, afferre pro ratione quæsiti illud ipsum, de quo ratio quæritur: tametsi verissimè dicas, illam processionem, quæ est generatio, terminari ad filium; illam verò, quæ non est generatio, non terminari ad filium. Quapropter censendi sunt Nazianzenus & Augustinus voluisse mysterium magis explicare, non autem mysterij rationem reddere.

Ægidius. Nazianzen. Augustinus. *Ratio conclusionis.*

22. *Tertia conclusio de ratione Augustini lib.5. de Trinitate, c.14.*

Tertia conclusio. Eodem ferè modo, verè etiam, sed non omnino sufficienter, vna processio, & non alia, dicitur generatio, quia per vnam terminus procedit *quomodo natus*, per aliam verò terminus procedit *quomodo datus.* Huius rationis author est Augustinus lib. 5. de Trinitate c. 14. qui cum docuisset, intra ipsammet Trinitatem, Deum esse principium, & eius quem gignit, quem vocamus Filium, & eius quem dat, quem vocamus Spiritum sanctum, de quo sæpe in Scriptura legimus, A Deo dari, & ab hominibus accipi; hinc ait, *& illud elucescit, vtpote quod solet multos mouere, cur non sit filius etiam Spiritus sanctus cum & ipse à Patre exeat, sicut in Euangelio legitur.* Et statim respondet, assignando rationem quæsiti. *Exigit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus; & ideo non dicitur filius, quia neque natus est sicut Vnigenitus, neque factus vt per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos.* Explicat autem cap. sequenti 15. cum dicitur Spiritus sanctus procedere *quomodo datus*, esse intelligendum de dato non actualiter, sed aptitudinaliter, quod ipse vocat **donum*, & *donabile*, quod ab æterno est Spiritus sanctus; non autem *donatum*, quod Spiritus sanctus habuit in tempore. Hanc rationem recipiunt Hugo de sancto Victore, tomo 3. summæ sententiarum tractatu 1.c.7. medio, Magister sententiarum d.13.§.2.& ibi Ægidius parte 2. dist. q.1. aliquanto post principium corporis, Ochamus q.vnica, ad 2.

Eamdem rationem sequuntur Hugo Victorinus, Magister, Ægidius, Ochamus.

23. *Confutant Ariminensis, Alliacensis, Marsilius, Maior, Gabriel.*

Sed multò plures tam ex antiquis, quàm ex recentioribus distinctius tenent, eam esse quidem veram differentiam, tamen non adæquatam, & omnino satisfacientem. Ita Ariminensis 1. d. 13. q. vnica. med. Alliacensis q. 8. art.3. conclusione 3. opinione 4. Marsilius q. 16. art. 2. opinione 3. Maior q. vnica med. Gabriel q. vnica, non longè à principio. Probatur conclusio breuiter primò, quia quærentes rationem, ob quam vna processio, & non alia sit generatio, quæ, inquit S.Thomas hîc, *propriè dicitur natiuitas*, hoc ipsum quærunt, nempe, vnde oriatur, vt vnus & non alius diuinarum processionum terminus exeat *quomodo natus.* Ergo si nihil aliud addatur, inquit Gabriel, *non patet nodus quæstionis*, sed, vt ait Maior, *manet res caliginosa.* Secundò, illud, *quomodo datus*, ipsomet Authore interpretante, vt suprà, sine

Conclusionis prima ratio. *Secunda ratio.*

siue explicetur per donatum, siue per donum, siue per donabile, inuoluit habitudinem ad creaturas accipientes. Deberet autem reddi aliqua ratio, Trinitati prorsus intrinseca, præscindendo à quocumque ordine ad creaturas, quia agimus de quadam differentia, nempe generationis & spirationis, quæ intra ipsammet Trinitatem reperitur, eique, saltem primariò, conuenit per ordinem ad se ipsam, non per ordinem ad res creatas. Tertiò, si hæc vox, *Datus*, non magis declaretur, scimus, eam nonnunquam tribui etiam Filio: vt Isaiæ 9. *Filius datus est nobis.* & Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & ad Titum 2. loquens Paulus de IESV, magno Deo, ait, *Dedit semetipsum pro nobis.* Reddenda igitur disparitas est, cur sicut Filius, qui est natus, est simul etiam datus; ita Spiritus sanctus, qui est datus, non sit simul etiam natus. Quarò, si per illud, *quomodo natus, quomodo datus*, intelligas modum procedendi ab vno, & modum procedendi à duobus, vt exponunt Alliacensis suprà, & alij recentiores, in Augustini textu non efficaciter fundati, hanc differentiam mox examinabo in sequenti dubitatione. Si verò intelligas modum procedendi per intellectum, cuius proprium est concipere intra se natum verbum, & modum procedendi per voluntatem, cuius proprium est velle aliis dare, seu donare, & gratificari, vt probabilius interpretari possumus Augustinum; verissima quidem & adæquatissima est differentiæ ratio: sed tunc supereſt explicandum & probandum, quam ob causam, quod in diuinis procedit per intellectum, procedat quomodo natum; quod autem procedit per voluntatem, non procedat quomodo natum, sed quomodo datum, seu spiratum; quod inferius pro viribus præstare conabor.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

DVBITATIO III.

An procedere ab vno solo faciat ad rationem diuinæ generationis.

SVMMA.

1 *Probatur simpliciter non facere, num. 24. ad 33.*

2 *Posse tamen hanc differentiam reuocari ad bonum sensum, num. 33. & 34.*

24. *Prima conclusio, non est ratio sufficiens, si non magis explicetur.*

PRima conclusio, ex eo quod Verbum procedat ab vna persona, Spiritus verò sanctus procedat à duabus personis, declaratur quidem verissima differentia inter Verbi, & Spiritus sancti processionem; non tamen sufficienter affertur, seu potius, explicatur ratio, ob quam processio Verbi, & non Spiritus sancti, sit generatio. Huius quoque discriminis author est Augustinus; sed ipsemet non obscurè indicat, quod in secunda parte conclusionis asserimus, per illud non plenè satisfieri quæsito. Nam tractatu 99. in Ioannem, prius dicit, *Quid interſit inter procedere & nasci, esse difficillimum vtrumque comprehendere, & explicare.* Deinde cum pluribus docuisset, & probasset, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere, tamdem ex hac veritate ad rem nostram ita colligit, *Hîc vtcumque illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos sumus, intelligi potest*, hoc est, modo quodam imperfecto & obscuro. *Cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus: quoniam si & ipse filius diceretur, amborum vtique filius diceretur, quod absurdissimum est: filius quippe nullus est duorum, nisi patris & matris. Absit autem vt inter Deum Patrem, & Deum filium tale aliquid suspicemur.* Quod iisdem verbis transcribit lib. 15. de Trinitate cap. 27. vt in principio ipsemet fatetur, & postea ita concludit, *Hæc de illo sermone in hunc librum transtuli, sed fidelibus, non infidelibus loquens.* Quo significat rationem allatam talem esse, quæ inclinare possit fideles, vt suauius credant; non autem conuincere infideles, vt veritatem euidenter cognoscant, & necessario fateantur. Vnde ipsemet paulò post, clare significat, eam non esse *liquidissimam rationem.* & cum eamdem rationem attulisset etiam lib. 3. contra Maximinum cap. 14. circa principium, nihilominus ibidem statim ita confessus est, *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio.* Eamdem rationem sequuti sunt Anselmus in Monologio cap. 53. Magister sententiarum, d. 13. §. 3. & ibi Bonauentura q. 3. post medium corp. quamuis in fine addat, *non esse rationem sumptam à priori*, sed à posteriori, ex creatis viuentium generationibus, in quibus cum duo viuentia concurrunt ad vnum filium generandum, alterum concurrit vt pater, alterum vt mater. Ægidius parte 2. dist. q. 1. §. *Tertia via.* Alliacensis q. 8. conclusione 3. post quartam opinionem. Durandus d. 4. q. 1. n. 8. & d. 6. q. 2.

Anselmus. Magister. Bonauent.

Ægidius. Alliacensis. Durandus.

25. *Conclusionẽ tenent Henricus, Scotus, Aureolus, Ariminensis, Bassolus, Marsilius, Maior, Gabriel. Conclusionis prima ratio.*

Alij verò multò communius eam minus probant, Henricus in summa, art. 60. q. 1. in fine corporis litera E. Scotus 1. d. 13. q. vnica, §. *Alio modo.* Aureolus q. vnica, art. 2. propositione 2. Ariminensis q. vnica, aliquanto post principium corporis. Bassolus q. vnica §. *Ex quo patet.* Marsilius q. 16. art. 2. post medium. Maior q. vnica ante medium. Gabriel q. vnica circa principium, & recentiores ferè omnes. Et prima difficultas, quam omnes proponunt, est, quia etsi Pater & Filius sint duo suppositа, tamen ad spirandum Spiritum sanctum concurrunt eodem prorsus modo, eademque indiuisibili virtute, scilicet per eamdem voluntatem fœcundam. Vbi autem est idem formale principium producendi, & idem productionis modus, non variatur ratio productionis, ex varietate, seu pluralitate suppositorum producentium, v. g. inquit Scotus, *Albedo in lapide, & in equo est principium immutationis visus eiusdem rationis; ita etiam si eadem albedo esset in duobus, vt in vno esset principium immutationis vnius rationis.* &, vt ait Ariminensis, *productio vnius ignis à duobus, non minus dicitur generatio, quam productio vnius ab vno.* Ergo si in productione Spiritus sancti nihil aliud spectetur, nisi præcisè esse à duobus suppositis eiusdem numero naturæ & virtutis productiuæ, & consequenter, eodem modo, eumdemque terminum producentibus, non habetur sufficiens impedimentum formalis generationis. Confirmatur & explicatur magis ratio, ex duplici hypothesi impossibili: si enim idem Spiritus sanctus, qui nunc procedit de Patre & Filio, procederet de Patre solo, vel de Filio solo, adhuc non esset genitus, vt benè arguit Henricus suprà, quia adhuc procederet per voluntatem, non per intellectum; ac proinde, adhuc esset amor spiratus, non Verbum conceptum, & Filius. Præterea à contrario, si Verbum per impossibile procederet à duabus personis per eumdem intellectum, eodémque modo, quo de facto procedit ab vna persona, adhuc profecto generaretur, & esset Verbum, & Filius; nihil enim minus, aut plus, aut alio modo acciperet, quàm de facto accipit. Ergo ista variatio vnius, aut plurium producentiũ, præcisè spectata, absque vlla variatione in principio formali, in modo procedendi, in termino procedente,

Ariminensis

Henricus.

cedente, non potest rationaliter arguete varietatem in ipsa intrinseca formalitate productionis. Sicut igitur mundi creatio, quia est à tribus diuinis personis per eamdem omnipotentiam & actionem, & eodem prorsus modo, eiusdem rationis est, etiam si consideretur esse ab vna sola persona: ita eiusdem rationis esse debet productio Spiritus sancti siue consideretur esse à duabus personis, siue ab vna tantum; quia per eamdem omnino voluntatem, & actionem, & modum est ab vna sola, sicut de facto est à duabus simul.

26. *Secunda ratio.*

Secunda difficultas, ita credimus, Spiritum sanctum procedere à duobus, vt tamen prorsus vniformiter procedat ab vno, & ab alio, vt suo loco inferius ostendam. Sed vbi genitum procedit ab vno, tamquam à Patre, & ab alio, tamquam à Matre, non procedit vniformiter ab vtroque, *alioquin*, inquit Ariminensis, & iisdem verbis sequitur Maior, *non esset vnus pater, vel mater, potius quàm alter, nec è conuerso*, ergo si Spiritus sanctus procedens à duobus, procederet vt ab illis generatus, & vt amborum filius, non sequeretur, alterum eorum esse patrem, alterum esse matrem: sed esset vterque genitor, & pater, eadem omnino ratione; sicut de facto vterque spirator est, absque vlla prorsus differentia in ratione spirandi. Vnde si per impossibile, Verbum generaretur à duobus eodem modo, quo de facto generatur ab vno, hinc sanè nullus posset patris ac matris diuersitatem in illis cogitare. Neque mouere debent viuentia creata procedentia à duobus, quorum alter est pater, & alter mater, quoniam non ideo procedunt à patre & matre, quia procedunt à duobus simpliciter, sed solum quia procedunt à duobus diuerso modo. Et sicut olim Ariani perperam arguebant, Verbum esse creatum, non genitum, quia si esset genitum, deberet procedere à duobus, idque probabant ex creatis generationibus: ita hanc consequentiam, Spiritus sanctus est generatus à duobus, ergo à patre & matre, non debet esse nobis licitum probare ex eo, quòd videmus omnia creata viuentia, quæ generantur à duobus, generari à patre & matre. Igitur rationem patris & matris non probat præcisè pluritas generantium, quasi materialis; sed solum pluritas formalis, hoc est, cum diuersitate modi concurrendi, ac generandi. In casu autem nostro, vt optimè ait Ariminensis suprà, & sequitur Maior vt supra, *productum eodem modo penitus est à duobus, nec aliter ab vno, quàm ab altero; neque ab ambobus simul, quam ab altero tantum.*

Secunda ratio.

Ariminensis. Maior.

27. *Tertia ratio contra Alliacensem.*

Tertia difficultas est peculiaris contra modum discurrendi Alliacensis supra, qui cum præmisisset, quòd generatio, *strictissimè sumpta*, definiri debeat, *productio non de nihilo, alicuius viuentis cognoscentis, ab vno solo producente, eiusdem naturæ numero vel specie*; hinc nimis facilè reddit rationem, cur productio Spiritus sancti non sit generatio; quia scilicet, non est ab vno producente, sed à duobus: & in hoc sensu accipit rationem Augustini. Verum non immerito contra ipsum scripserunt Gabriel 1. d. 13. quæst. vnica, ante primum articulum, & Maior quæst. vnica, circa medium. *Hic Doctor imponit terminos ad placitum, & videtur petere principium in re ipsa.* tum quia illam particulam, *Ab vno solo producente*, ipse primus, & solus, in generationis definitionem inuenit, quasi vero productio hominis v. g. à duobus producentibus patre & matre, non sit propriissimè ac strictissimè generatio. tum quia quærentes, cur Verbum generetur & non Spiritus sanctus, verè hoc ipsum quærunt, quod Alliacensis pro ratione sumit, scilicet, cur Verbum procedens ab vno, generetur; Spiritus vero sanctus procedens à duobus, non generetur. ergo petit principium, reddendo pro ratione id ipsum, de quo quæritur ratio, qui dicit, ideo Verbum generari, quia procedit ab vno; non generari Spiritum sanctum, quia procedit à duobus.

Gabriel Maior.

28. *Quarta ratio Scoti.*

Quarta difficultas acute tangitur à Scoto supra, *Si tantum*, inquit, *esset distinctio per vnitatem suppositi agentis, & pluralitatem, & non esset distinctio per rationes producendi, possent poni infinitæ personæ in diuinis.* Probatur sequela, quia de facto nulla alia ratione probari potest, esse in diuinis duas processiones, seu duas personas procedentes, & non plures, nisi quia ibi duæ tantum esse possunt procedendi rationes, nimirum, per intellectum, & per voluntatem, vt enucleatius dicetur infra, art. 5. At vero si in hac diuinarum personarum multiplicatione nihil aliud spectetur, nisi præcisè quòd secunda sit à prima, & tertia sit à prima & secunda, non apparet aliqua probabilis ratio, cur addi non possit quarta persona, quæ sit à prima, secunda, & tertia; & idem de quinta, & sexta, & aliis in infinitũ. Cur enim persona improducta simul cum vna persona producta potest producere aliam, & non simul cum duabus personis productis? & quæcumque ratio afferetur, illa profectò erit prior ratio ad probandum, vnam personam procedere per generationem, aliam procedere per spirationem; & præter hos duos, non posse alium procedendi modum cogitari in diuinis; & ideo in illis non posse excedi binarium numerum procedentium personarum.

29. *Quinta ratio contra Durandum.*

Quinta difficultas est contra Durandum, qui breuiter 1. d. 4. quæst. 1. num. 8. & fusius d. 6. quæst. 2. num. 17. ita discurrit, *Quod accipit ab alio esse, & naturam, & modo naturæ, dicitur ab eo generari. Sed prima persona producta in diuinis accepit à persona producente esse, & naturam, & modo naturæ. ergo generatur ab ea.* Minorem quoad tertiam partem de *accipere modo naturæ*, probat, *quia procedit ab vna persona tantum.* idque magis probat, *quia modus naturæ in creaturis est, quòd vnum sit ab vno tantum, & non à pluribus eiusdem gradus & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfectè faciendum.* Hinc deducit, non generari Spiritum sanctum, *quia procedit à duobus, ita quod aque perfectè producit vnus sicut ambo, nec perfectius ambo simul quam alter.* Et ideo vult, dici de Spiritu sancto *produci per modum voluntatis*, quia, inquit, *Quæ fiunt per voluntatem, possunt fieri à pluribus eiusdem gradus & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfectè producendum. Plures enim concurrunt moderando per voluntatem virtutem suam; sicut patet de pluribus trahentibus nauem, vbi alter ad totum sufficeret.*

30. *Quid sit procedere modo naturæ.*

In hoc discursu multa sunt, quæ probari non possunt, præsertim posita Authoris opinione impugnata supra art. 1. dub. 9. 10. & 11. de immediata processione à natura diuina, præcisa ab intellectu & voluntate. Primo quia si duæ personæ, re ipsa, præscindendo à nostris imperfectis conceptionibus & vocabulis, procedunt immediatè à natura, quatenus natura formaliter, ac proinde, per idem formale principium, absque vlla prorsus diuersitate principij, & modi procedendi, est plane inintelligibile, quam ob causam ex his duabus personis procedentibus, hæc potius quam illa procedat ab vno, & sit prima persona producta, & prior origine; & è contrà, illa potius quam hæc procedat à duobus, & sit secunda persona producta, & posterior origine. Secundo videtur nimis dura, ac longè petita explicatio, quòd procedere modo naturæ, sit procedere ab vno. Tunc sufficientissimè dicitur viuens à viuente procedere modo naturæ, cum procedit vitaliter à principio coniuncto, se ipsum mouẽte ab intrinseco

ad agendum: siue hoc principium sit vnicum, siue multiplex. Vnde modo naturæ procedit non solum planta ab vna planta, sed etiam homo à duobus, patre & matre. Sicut igitur in aliis actionum generibus, idem ignis v.g. per generationem substantialem communiter dictam fit modo naturæ, siue fiat ab vno tantum igne, siue à duobus, eodem tempore & modo applicatis; & idem calor, seu lumen, per accidentalem alterationem fit modo naturæ, siue fiat ab vno, siue à pluribus agentibus: ita per generationem viuentium propriam, produci potest aliquid modo naturæ, siue producatur ab vno, siue à pluribus. ergo si productio vnius diuinæ personæ in nulla alia re differt à productione alterius diuinæ personæ, nisi quod vna est ab vno, & alia à duobus, hinc non tolletur quo minus vtraque sit modo naturæ, & si vna est generatio, sit etiam & alia.

31. Quartò esto modus naturæ sit, fieri ab vno, non à pluribus, quando illud vnum ita sufficiens est ad faciendum totum, vt ex natura rei non requirat coniungi cum alio ad idem totum faciendum, quod tantum probat exemplum à Durando allatum de pluribus trahentibus; tamen modus etiam naturæ est, fieri à pluribus, quando illa plura per se ex natura rei requiruntur, & omnino, hoc est, naturaliter & essentialiter, necessaria sunt ad faciendum totum. Qui naturæ modus manifestè reperitur in processione Spiritus sancti à pluribus; qui non minus naturaliter postulat produci à Patre & Filio, quàm postulet Filius produci à solo Patre; quia non minus ex natura sua, siue ex naturali atque essentiali vi suæ processionis Spiritus sanctus est mutuus nexus & amor Patris & Filij, quàm sit Filius imago Patris. Quòd si hic naturalis producendi modus, nimirum à pluribus, quorum quodlibet producere potest, & actu producit totum, non reperiatur in rebus creatis id non oritur ex innaturalitate simpliciter talis modi, sed ex imperfectione agentium creatorum, quæ ad aliquid producendum conuenire non possunt per eamdem numero naturam, & virtutem, & actionem, sicut ob infinitam diuinæ naturæ perfectionem naturalissime conueniunt duæ personæ, Pater & Filius, ad productionem Spiritus sancti. Quod illustrari valde potest exemplo creationis, quæ naturalissime est à tribus diuinis personis, ad extra agentibus vnica numero actione, virtute, natura. Sicut igitur in hoc casu tres creant, quorum quilibet creare potest, & actu creat perfectè totum, quia non plus, aut alio modo creant tres simul, quàm si per impossibile crearet vnus tantum: tamen, non obstante tali pluralitate, naturalissime creant, eam scilicet pluralitatem postulante ipsamet natura atque essentia Dei producentis ad extra, quæ essentialiter præsupponit personarum productionem ad intra in vna numero natura: ita in casu nostro, duo spirant, quorum quilibet spirare potest, & actu spirat perfectè totum Spiritum sanctum, quia non plus, aut alio modo spirant duo simul, quam si per impossibile spiraret vnus tantum; tamen quia ad spirandum concurrunt duo simul per summam naturæ necessitatem, ita scilicet postulante natura atque essentia Dei spirantis per voluntatem, quæ essentialiter præsupponit in originis prioritate generationem Filij per intellectum, cum eadem natura, & voluntate ad spirandum fœcunda, & per naturalissimam atque omnino necessariam inclinationem spirante, negari rationabiliter non potest, Spiritum sanctum spirari modo naturæ; ac proinde generari, si nihil aliud in eius processione ad rationem generationis requiritur, vt vult Durandus, nisi procedere modo naturæ.

32. *Quo modo Spiritus sanctus procedat per voluntatem.*

Quintò ferri non potest, Spiritum sanctum procedere per voluntatem ex eo solum, quòd procedit à pluribus, quo modo per voluntatem liberam attemperando concursum, conuenire solent plura creata agentia ad producendum aliquid, quod singula per se, & ab aliis separata, producere possent. si vellent. Enim verò Pater & Filius oppositò prorsus modo conueniunt ad productionem Spiritus sancti, nimirum in falsa opinione Durandi, per nullam voluntatem, neque liberam, neque necessariam, sed per omnimodam necessitatem naturæ, vt præcisæ à voluntate; & in vera sententia, per eamdem numero voluntatem necessariam, producentem quidem cum inclinatione, sed simul cum summa naturalitate ac necessitate, non moderando concursum, sed concurrendo tantum, quantum simpliciter potest. Qui modus concurrendi, est potius ille modus quo vnum fit ab vno tantum, qui à Durando dicitur modus naturæ, quam alius modus quo vnum à pluribus fit, & negatur à Durando esse modus naturæ; sed contrà dicitur esse modus voluntatis. Præterea si voluntas libera solet cum aliis ad agendum conuenire, moderando concursum, solet etiam sæpius, & cõformius suæ libertati, ratione cuius à nullo alio naturaliter sciri possunt liberi cordis secreta, per seipsam sola concurrere absque vllo alio. ergo si solum per respectum ad modum concurrendi liberæ voluntatis creatæ, denominatur Spiritus sanctus procedens à pluribus, procedere per modum voluntaris, multò magis Verbum procedens ab vno, denominari poterit, procedere etiam per modum voluntatis. Denique vel ex ipsis terminis apparet, esse leue atque imaginarium commentum, dicere, quòd Spiritus sanctus procedens immediatè à duarum personarum natura, omnino eadem, & vt natura formaliter præscindente à voluntate, nihilominus procedat non per modum naturæ, sed per modum voluntatis.

33. *Secunda conclusio est ratio sufficiens in aliquo bono sensu.*

Secunda conclusio, procedere ab vna diuina persona, & procedere à duabus diuinis personis, si magis explicentur, & probentur, afferre possunt veram & sufficientem differentiæ rationem, cur processio Verbi, & non Spiritus sancti sit generatio. Hanc ego conclusionem indicare volui initio primæ conclusionis, dum asserens, quòd per procedere ab vno & à pluribus, prædictæ differentiæ ratio *non sufficienter affertur*, statim iuxta hanc secundam conclusionem limitando addidi, *seu potius explicatur*. Rem igitur sic explico, & probo conclusionem primo. Diuina persona procedens ab vno, non potest procedere nisi per intellectum. Sed procedens per intellectum diuinum, procedit propriè vt genitus, & vt filius. ergo diuina persona procedens ab vno, propriè generatur, & procedit vt filius. Maior probatur, quia in diuinis dari non potest, nisi vna persona improducta, supra art. 1. num. 236. & 237. & non potest dari aliud producendi principium, nisi intellectus & voluntas, ibidem dub. 9. 10. & 11. & processio per intellectum est secundum originem prior processione per voluntatem, ibidem num. 238. in tertia probatione. ergo processio per intellectum non potest originaliter præsupponere aliquam personam productam. ergo esse non potest nisi ab vna persona improducta. ergo in diuinis procedens ab vno, non potest non esse procedens per intellectum. Quòd autem persona diuina ideo propriè generetur, quia procedit per intellectum, quæ erat Minor huius primi argumenti, non potest paucis intelligi, sed pluribus probandum est in sequentibus dubitationibus. Nunc satis sit scire, ex præsupposita illius veritate necessariò sequi, per rationem quandam remotam & subobscuram,

Quo modo proberur diuina generatio per procedere ab vno.

obscuram, quòd ideo persona diuina generatur, quia procedit ab vno.

34. *Quo modo excludetur diuina generatio per procedere à duobus.*

Secundò, diuina persona procedens à duobus, non potest procedere nisi per voluntatem, sed procedens per voluntatem non potest propriè generari, & procedere vt filius. ergo diuina persona procedens à duobus, non potest propriè generari, & esse filius. Hic secundus discursus, ferè totus probatus remanet ex priori. Maior igitur patet, quia duo producentes in diuinis non possunt esse duæ personæ, ambæ improductæ, vt supra; neque ambæ productæ, sic enim darentur tres diuinæ personæ productæ, quod ne hæretici quidem asserunt. ergo esse debent, altera improducta, altera producta; nimirum per primam productionem, quæ non præsupponat aliam personam productam in priori originis. ergo præsupponitur altera persona producta per intellectum; quia, vt dixi, processio per intellectum, ordine originis est prima processio in diuinis, & consequenter, persona producta per intellectum, est prima persona producta. ergo alia persona producta à duobus, vna improducta, & altera producta per intellectum esse non potest producta nisi per voluntatem; quia ex supra dictis, præter processionem per intellectum non datur in diuinis alia processio nisi per voluntatem. Quòd autem hæc secunda processio esse non possit generatio, vt dicitur in Minori huius secundi argumenti, probabitur etiam infra. Igitur in aliquo bono sensu, inferius magis explicando, & probando, dicere possumus cum Augustino, Anselmo, & Magistro, ideo Verbum generari, quia procedit ab vno; non autem Spiritum sanctum, quia procedit à duobus. Qui sensus intenditur infra q. 36. art. 2. ad 7. illis verbis, *Ipsa differentia originis est propter hoc, quòd Filius est solum à Patre; Spiritus sanctus verò à Patre & Filio: non enim aliter processiones distinguerentur, vt supra ostensum est.* nimirum in hac quæst. 27. vbi hanc rationem assignat ex modo procedendi per intellectum & voluntatem, vt inferius ostendam.

S. Thomas.

DVBITATIO IV.

An procedere priùs origine, faciat ad rationem diuinæ generationis.

SVMMA.

1. *Prioritas originis per se sola non probat rationem generationis, num. 35. & 36.*
2. *Probat autem pro vt consideratur in Deo, num. 37. ad 40.*

35. *Prima conclusio negatiua.*

PRima cõclusio. Quòd ex duabus diuinis processionibus, altera sit origine prior, altera posterior, est quidem in se verissima differentia, vt probatum est art. 1. num. 238. tamen per se sola, non est sufficiens ratio, vt prior sit generatio, posterior non sit generatio. Hanc rationem afferre videtur Augustinus libro 9. de Trinitate cap. 12. post medium, vbi exemplo creati verbi & amoris, significat, quamuis minus clarè loquatur, ideo Spiritum sanctum non esse genitum, quia præsupponit processionem Verbi, & notitiæ, quæ, propter similitudinem, quam habet cum eo à quo procedit, habet rationem partus, & prolis. Eamdem paulò clarius affert Riccardus Victorinus lib. 6. de Trinitate. Cum enim c. 6. initio de hac cõtrouersia dixisset. *Hæc tantò sunt diligentiori indagatione inquirenda, quantò sunt occultiora, & necdum inueniantur ratiocinationis enodatione discussa*; postea in eodem capite, & capite sequenti 7. & 8. docet, ideo Verbum, & non Spiritum sanctũ, esse genitum & filium, *quia prius ordine naturæ*, vti ipse loquitur, *est procedere vt condignũ*, quo modo procedit Verbum, *quàm procedere vt condilectum*, quo modo procedit Spiritus sanctus. Verbi igitur processio, secundùm Riccardum est generatio, quia, vt concludit cap. 7. med. *Quantum ad naturæ ordinem principalior est processio illa*: &, vt addit cap. 8. initio, *vbi est principalitas processionis, ibi & principalitas germanitatis, quæ*, inquit, *est patris ad filium*. Iuxta eumdem sensum ait cap. 17. post medium. *Ex generatione procedere, idem videtur, quòd in procedendo, principalem procedendi modum habere. Sine generatione procedere, idem videtur, quòd in procedendo principalem procedendi modum omnino non habere.* & tandem ex fusiùs dictis colligit has duas propositiones, quas *verbum abbreuiatum* ipse vocat, dicens, *Ingenitum velle habere de se sibi conformem atque condignum, idem mihi videtur quod gignere filium. Tam genitum, quam ingenitum, velle habere condilectum, idem mihi videtur, quod producere Spiritum sanctum.* Et in fine significat se loqui de ea conformitate, secundum quam *solus Filius Patris imaginem portat*: non obscurè indicans, idem esse procedere vt condignum, siue vt conformem, quod procedere per intellectum, vnde formaliter est conformitas cum producente., & ratio imaginis in producto; sicut procedere vt condilectum, est clarissime procedere per voluntatem, cuius proprium est diligere. Vnde etiam confirmatur quod probauimus supra art. 1. n. 223.

Augustinus.

Riccardus Victorinus.

36. *Quorumdam opinio apud Scotum.*

Porrò conclusioni magis repugnant quidam, quos refert & impugnat Scotus 1. d. 13. q. vnica §. *Præterea istæ productiones*, dicentes, quòd productio Verbi est generatio, *& productio filij per modum naturæ, quia non præsupponit aliam productionem.* Productio verò Spiritus sancti non est generatio, & per modum naturæ, *sed est per modum voluntatis, quia Spiritus sanctus producitur simili modo illi productum, quæ propriè dicitur esse productio voluntatis, scilicet præsupponendo aliam productionem, illam videlicet, quæ est per modum naturæ & intellectus.* Quæ opinio, in quantum dicit, processiones Verbi & Spiritus sancti, vere & realiter non esse per intellectum & voluntatem, sed tantum denominatiuè & similitudinariè, propter similitudinem quamdam, quam habent cum processionibus intellectus & voluntatis, reiecta est contra Durandum supra art. 1. dub. 10. & 11. præcipuè num. 233. de qua sapientissimè, vt ibi num. 215. 216. & 224. ostendi, ita scripsit Scotus, *Ista expositio non videtur secundum intentionem sanctorum, attribuentium istas productiones propriè intellectui & voluntati.* & optimè arguit, quia spectando diuinas processiones secundum id, quod intrinsece in seipsis sunt, & non extrinsece secundum similitudinem quam habent ad aliquas processiones creatas, *non videtur ratio ex productionibus, quare Filius sit magis filius, vel verbum ex vi productionis suæ, quam Spiritus sanctus; nec quòd Spiritus sanctus ex vi productionis suæ, magis sit amor, quam Filius; quod videtur absurdum.* Confirmat præterea deducendo ad inconueniens à pari: quia si Spiritus sanctus dicitur per modum voluntatis procedere, solum ex eo quòd eius processio præsupponit aliam, ad eum modum quo amor procedens à voluntate, præsupponit verbum procedens ab intellectu; dici pariter posset procedere per modum artis; quia etiam opus ab arte productum, præsupponit, inquit Scotus, *aliam productionem, scilicet productionem verbi interioris in mente artificis.*

Scotus.

37. In quantum vero eadem opinio dicit, quòd procedere prima processione, constituit rationem formalem generationis, procedere autem secunda processione, eam rationem tollit, quocumque modo hæ

hæ processiones dicantur prima, & secunda, siue quia vere, siue quia metaphoricè ac similitudinariè illa est per intellectum, hæc per voluntatem; impugnari facilè potest, si nihil aliud addatur. Primo quia productio secundi filij, & productio nepotis, præsupponunt productionem primi filij, & nihilominus illæ etiam productiones sunt veræ generationes. ergo præter originis prioritatem & posterioritatem, aliqua alia differentia attendenda est, vt vna origo, & non alia dici possit generatio. Secundo videmus etiam ordine naturæ aliquando, generationem esse posteriorem alia processione alterius speciei: vt in non viuentibus, substantialis generatio ignis est posterior accidentali calefactione; & in viuentibus, productio instrumentaria seminis, quæ non est generatio, præcedit viuentis generationem. De hoc igitur dicendi modo verè dixit Zumel infra, art. 4. disp. 1. conclusione 4. ratione 5. *Debilis est hæc ratio.*

Prima conclusionis ratio.

Secunda ratio.

Zumel.

38. Secunda conclusio, Prioritas & posterioritas originis, si non considerentur simpliciter ac præcisè, sed prout sunt in Deo, & secundum omnes rationes, quas essentialiter habet in diuinis processionibus, reddunt sufficienter rationem differentiæ, cur vna prior origine sit generatio, & non alia posterior origine: ita vt impossibile planè sit, personam diuinam procedere prius origine, & non generari; & è contrà, procedere posterius origine, & generari. In hoc sensu intelligo & recipio differentias traditas supra num. 35. ab Augustino & Riccardo, qui, vt patet ex allatis eorum verbis, non faciunt præcisè vim in sola prioritate & posterioritate, sed addunt diuersitatem modi procedendi per intellectum, & voluntatem; & rationes verbi, notitiæ, similitudinis, cõformitatis, imaginis, & amoris atque dilectionis: ex quibus tandem clarius reddi debet istius differentiæ ratio. In eodem sensu clarius loquitur S. Thomas de Potentia quæst. 10. art. 2. fine corporis. dicens, eam processionem, *quæ non præexigit aliam processionem, esse per modum naturæ & intellectus: quæ verò præexigit, esse per modum voluntatis: nam amor alicuius rei non potest à voluntate procedere, nisi præintelligatur processisse ab intellectu, illius rei verbum conceptum: bonum enim intellectum, est obiectum voluntatis.* Quod fusius explicat ad 7. & 11. & in eodem sensu loquitur infra art. 4. ad 1. dicens, *Oportet quòd propria ratio huius vel illius processionis accipiatur secundum ordinem vnius processionis ad aliam.* nã manifestè significat, non esse sistendum præcisè in hoc ordine, cum immediate post ita subdit. *Huiusmodi autem ordo attenditur secundum rationem voluntatis & intellectus.* Itaque processio prior per intellectum, est generatio, non quia prior est, sed quia est per intellectum, cuius actio prior est actione voluntatis. Quamobrem perperam quidam dicunt, processionem per voluntatem, si per impossibile illa esset prior processione per intellectum, futuram generationem. Tunc enim attenderetur prioritas & posterioritas simpliciter quæ ad generationem non se habet formaliter per se, sed incomitanter per aliud; & non attenderetur prioritas & posterioritas, vt ait S. Thomas, *secundum rationem intellectus & voluntatis.*

Secunda conclusio, qua prædicta ratio ad bonum sensum reducitur.

Quid de hac re senserit S. Thomas.

39. Hæc conclusio simillima est alteri conclusioni positæ supra num. 33. de procedere ab vno, & à duobus. eam igitur eodem ferè modo breuius sic probo. In diuinis nulla processio esse potest immediate à natura, sed ab intellectu & voluntate, vt probaui art. 1. dub. 9. 10. & 11. & processio ab intellectu est prior origine, processio à voluntate est posterior origine. Sed diuina processio, ex eo quòd est per intellectum, est generatio Verbi & Filij; ex eo quòd est per voluntatem, est spiratio diuini amoris, & Spiritus sancti non generatio, vt constabit ex multis opinionibus inferius referendis, inter quas esse debet vera opinio. & tamquam doctrinam indubitatam tradidit S. Thomas infra art. 4. ad 1. illis verbis, *Oportet quòd propria ratio huius vel illius processionis accipiatur secundum rationem voluntatis & intellectus.* ergo ex eo quod diuina processio sit origine prior tali modo, hoc est, formaliter ac præcisè per diuinum intellectum, oritur vt illa sit propriè generatio Filij; & à contrario, ex eo quòd sit posterior origine, scilicet per diuinam voluntatem formaliter, oritur vt illa non sit generatio.

Probatur secunda conclusio.

S. Thomas.

DVBITATIO V.

An ratio generationis Verbi reddi possit ex communicatione naturæ diuinæ fœcundæ.

SVMMA.

1. *Auctores vtriusque partis, num. 40. & 41.*
2. *Fœcunditas naturæ communicata, per se considerata, non est sufficiens ratio generationis, num. 42. ad 50.*
3. *Potest tamen ad bonum sensum trahi ex alijs adiunctis, num. 50.*
4. *Satisfit oppositis argumentis, n. 51. ad 60.*

40. NOnnulli veteres, & graues Authores scripserunt, ideo Verbum generari, quia ex vi suæ processionis est simile suo principio, non solum in natura, sed etiam in virtute communicandi eam alteri, per hanc enim virtutem, ab alio accepram, Verbum producit Spiritum sanctum. At vero Spiritum sanctum non generari, quia naturam diuinam à Patre & Filio ita accipit, vt eam alteri communicare non possit. Ita Riccardus de S. Victore lib. 6. de Trinitate cap. 11. vbi cum dixisset, *In hoc solus Filius expressam in se Patris similitudinem habet, & imaginem tenet; quòd sicut diuinitatis plenitudo manat de vno, sic & eadem plenitudinis largitio manat de alio; nec minus aliquid, nec alio modo accipit Spiritus sanctus ab vno, quam ab alio: nulla autem persona omnino à Spiritu sancto plenitudinem diuinitatis accipit, & idcirco imaginem Patris in se ipso non exprimit:* hinc deinde in cap. 18. circa finem ita infert, *Meritò eius filius dici debuit, cui Pater hanc proprietatis suæ figuram, & imaginis formam intimè impressit, & plenè expressit. Propter hanc conformitatis expressionem solus Filius, imago Patris dicitur. Quoniam ergo Pater in producendo Spiritum sanctum, ei, vt sic dicam, imaginis figuram non impressit, eius filius dici non debuit, quamuis de eo naturaliter processerit.* & idem repetit cap. 19. & 20. eamdem apertè reddidit Alensis part. 1. quæst. 42. membro 2. medio dicens, ideo Verbum generari, quia procedit *secundum modum principalem*, qui, inquit, est, *produci habendo virtutem, & proprietatem producendi ex se alium, scilicet Spiritum sanctum.* Non generari verò Spiritum sanctum, cum aliter procedat, *secundum modum non principalem; quia producitur de substantia, sed non retinet proprietatem producendi alium ex se.* & ideo per ipsum generatio in diuinis definitur, *Productio vniuoca similis in natura de tota substantia secundum modum principalem.* & in fine iterum ait, *Spiritus sanctus est totam essentiam Patris eloquatur, scilicet potentiam, sapientiam, bonitatem; non tamen in se eloquitur proprietatem Patris, qua producat ex se alium; ideo non dicitur verbum, sicut Filius; nec dicitur eius productio generatio, sicut productio Filij.* Quam doctrinam tradit etiam membro 3. art. 2. ad 2. & sequi videtur

Partis affirmatiuæ Authores.

Riccardus Victorinus.

Alensis.

Bonauentura. videtur Bonauentura 1. d. 13. art. vnico quæst. 2. ad 1. docens Spiritum sanctum non esse filium genitum, *quia ista conditio, per modum fœcunditatis naturæ, deficit in productione Spiritus sancti.* Idemque non obscurè significat postea in d. 31. art. 2. q. 2. vbi cum in medio corporis ita docuisset, *solus Filius est imago, quia secundum omnem respectum habet rationem exprimendi; & in quantum comparatur ad illum, à quo est, quia exit per modum naturæ, & ita per modum verbi, & speciei, & per modum similitudinis expressæ; & in quantum comparatur ad illum, qui ex ipso est, quia omnia, & eodem modo spirat Filius, vt Pater; Spiritus sanctus autem in nullo horum conuenit, ideo ratio imaginis est in solo Filio:* ita paulò post concludit, *concedendum igitur quod solus Filius propriè loquendo est imago; & eo, quo filius, eo est imago, & eo ipso verbum.* Si per eam formalem rationem, qua Filius constituitur in esse filij, constituitur in esse imaginis, & in esse imaginis constituitur per rationem spirandi eodem modo quo spirat persona à qua procedit; ergo per hanc rationem constituitur formaliter in esse filij.

Maior. Clarius Maior 1. d. 13. quæst. vnica post medium, qui in ipsa generationis definitione ab ipsomet conficta posuit vltimo loco, *quòd res producta potest sic facere in productione sicut res generans.* & hæc, inquit, *vltima particula separat Spiritum sanctum, qui non generatur.*

Alliacensis. Quod significat etiam Alliacensis 1. sent. quæst. 8. art. 3. conclusione 3. post quartam opinionem, §. *Secundò sequitur.* dicens, *quòd non potest à nobis explicari, quare Filius procedit quomodo natus, & non Spiritus sanctus nisi per hoc, quòd Spiritus sanctus est à duobus, quorum vnus dat alteri, scilicet Pater Filio, quòd Spiritus sanctus sit, vel procedat ab eo.*

41. Hanc sententiam iamdiu satis antiquatam nuper pro viribus diligenter excitare conatus est noster Zuniga in suo breui, sed absolutissimo ac præclarissimo opere de Trinitate, disput. 2. dub. 20. à membro 9. ad 18. inclusiuè, pro se referens initio membri noni Magistros sapientissimos huius ætatis, præsertim Academiæ Salmanticensis. eam verò reliqui omnes Theologi tam veteres, quam recentiores, vel non receperunt, afferentes aliam huius discriminis rationem, vel etiam expressè reiecerunt, vt Magnus Albertus part. 1. Summæ tract. 7. quæst. 31. membro 2. fine corporis de prædicta differentia ita pronuncians, *Nihil rationis affert, quare Spiritus sanctus non dicatur filius, vel genitus.* S. Thom. infra quæst. 35. art. 2. aliquanto post principium corporis dicens, *Hoc non videtur sufficere.* Henricus in summa art. 60. quæst. 1. in fine corporis. Aureolus 1. d. 27. parte 2. art. 3. §. 2. dicens, *Hic modus stare non potest.* Gabriel 1. d. 13. quæst. vnica, immediatè ante primum articulum, dicens contra Alliacensem supra, *Hoc videtur petere principium, & imponere, vt placet, terminum.* Bagnes infra, art. 4. dub. 1. §. *Propter huiusmodi,* & §. sequenti, dicens, *Hic modus dicendi insufficiens est.* Zumel art. 4. disp. 1. conclusione 4. ratione 4. Suarez de Trinitate lib. 11. cap. 6. num. 4. Vasquez disp. 113. num. 21. & 22. Arrubal disp. 98. num. 13. ad 16. à quo dicitur, *sententia falsa.* Albertinus tomo 2. pagina 463. dub. 4. & pagina 464. num. 10. Florauantius post librum 2. folio 81. Ruiz disp. 8. sect. 1. n. 21. ad 25. Lorinus in cap. 7. Sapien. vers. 26. §. *Characteris.*

Reijcitur Albertus. S. Thomas. Henricus. Aureolus. Gabriel. Bagnes. Zumel. Suarez. Vasquez. Arrubal. Albertinus. Florauãtius. Ruiz. Lorinus.

Zuniga.

42. Prima conclusio. Fœcunditas naturæ communicatæ, per se considerata, non est sufficiens ratio, vt diuina processio sit generatio. Fundamentum præcipuum sumitur ex S. Thoma supra, quod sic explico. Diuina fœcunditas, seu potentia communicandi se ad intra, duo importat, quocumque modo illa importet, de quo infra, quæst. 41. art. 5. & essentiam, seu naturam absolutè consideratam secundum omnia prædicata absoluta, æqualiter communia omnibus tribus personis; & talem relationem, seu proprietatem personalem, scilicet, vel simpliciter priorem omni origine, qualis est paternitas, vel priorem vna tantum origine per voluntatem, qualis est filiatio. Sed ratio similitudinis & imaginis in diuinis attendi non debet secundum proprietates personales relatiuas, sed secundum communitatem naturalem absolutam. ergo ratio similitudinis & imaginis in diuinis non debet attendi secundum potentiam communicandi naturam, prout hæc potentia importat proprietatem personalem, sed solum prout importat communem naturam. ergo neque ratio Filij geniti per veram ac propriam viuentium generationem. Hoc secundum consequens euidenter sequitur ex primo, etiam secundum aduersarios, quia omnes vel ipso naturæ lumine scimus, Filium, eo quo est filius, esse imaginem & similitudinem Patris. ergo quod non facit ad rationem imaginis & similitudinis, neque faciet ad rationem filij, & consequenter, ad hanc probandam assumi rectè non potest. ergo si ratio imaginis & similitudinis diuinæ non habetur per comparationem ad proprietatem personalem, seu potentiam producendi prout præcisè dicit proprietatem, neque ratio Filij haberi poterit per eamdem comparationem. Probanda igitur solùm est veritas primi consequentis, quod, vt patet, in bona forma deductum est ex duabus præmissis, quarum prima & maior conceditur ab aduersariis, & communissimè ab omnibus, admittentibus in diuinis potentiam rationalem ad intra. Secunda vero & minor expressè ponitur & declaratur à S. Thoma infra quæst. 35. art. 2. illis verbis, *Sicut secundum relationes non attenditur in diuinis neque æqualitas, neque inæqualitas, vt Augustinus dicit*, nimirum libro 5. de Trinitate cap. 6. post medium, *ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis.*

Prima conclusio simpliciter negatiuè probatur ex S. Thoma.

Rationem imaginis in diuinis, ex S. Thoma, non haberi ex relatione, sed ex sola natura.

43. Potest vlterius suaderi ac probari primo ex ipsamet generationis definitione communiter recepta, vt supra num. 5. vbi nulla alia similitudo ad generationem exigitur nisi *in natura eiusdem speciei.* ergo contra communem conceptum, quem sapientes habent de generatione ad eius essentiam superfluè additur vt necessaria alia similitudo in potentia productiua & personali proprietate. *Non enim,* inquit Albertus supra, *exigitur ad id, quòd aliquis sit filius, quòd in modo existendi conueniat cum patre, sed quòd conueniat in natura & specie.* Per modum existendi, quem contra distinguit à natura & specie, aliud intelligere non potest, nisi id in quo distinguuntur inter se generans & genitum, siue illud sit tantum personale, vt in diuinis, siue etiam indiuiduale, vt in humanis. Vnde ibidem approbat, quod initio illius membri obiiciendo dixerat, & clarius prædictam intelligentiam exprimit, *Non oportet, quòd genitus similis sit generanti, nisi in naturalibus, & quæcumque naturam consequuntur, & non in existentiæ modo, quia hoc est impossibile, numquam enim vnum existentia modum habent genitus & generans. Videtur ergo, quòd hoc non impediat, quia Spiritus sanctus posset dici genitus: quòd enim dicitur, à quo nullus, ad modum existendi pertinet, & non ad naturam;* hoc est, non oritur ex impotentia naturæ, seu defectu alicuius naturalis virtutis; sed solum ex conditione talis personalitatis, terminantis vltimam processionem, quæ in diuinis esse potest.

Probatur primò ex definitione generationis.

Albertus.

44. Secundò ex Henrico supra, quia in hac ipsa naturæ communicatione, quæ ad probandam similitudinem Filij cum Patre affertur, sunt Pater & Filius inter se valde dissimiles: vnde, vt ait Henricus, *secun*

Probatur secundò cum Henrico.

ſecundum hæc etiam non eſſet Filius perfecta imago & ſimilitudo Patris. Non enim per omnem modum manat conſimiliter plenitudo diuinitatis à Patre & Filio. A Patre manat in ipſum Filium, & etiam in Spiritum ſanctum; à Filio autem in Spiritum ſanctum tantum: & cum hoc à Filio manat in Spiritum ſanctum immediatè tantum; à Patre autem & immediatè, & mediatè: & iterum, quod à Patre manat, hoc à ſe habet, & non ab alio; quod vero manat à Filio, hoc non habet Filius à ſe, ſed ab alio. Præterea à Patre manat non ſolum per ſpirationem, quo ſolo modo manat à Filio, verum etiam per aliam realiter, & quaſi ſpecie diſtinctam proceſſionem generationis. Perperam igitur ad probandam ſimilitudinem requiſitam ad generationem affertur id, in quo plures ſunt diſſimilitudinis, quàm ſimilitudinis rationes. Enim verò in diuinis ratio imaginis eſſe debet, vt benè ſumpſit Henricus, *perfecta*; cuiuſmodi procul dubio non eſt illa, quæ cum vna ſimilitudine tot diſſimilitudines miſtas habet. Vnde quoniam Filius Dei ſecundum omnes eſt Patris imago in natura, in nulla prorſus ratione ad naturam ſpectante, poteſt illi eſſe diſſimilis, alioquin eſſet imperfecta illius imago. ergo eadem ratione, ſi eſſet imago illius, etiam in potentia productiua, in nulla ratione ad eam potentiam pertinente deberet eſſe illi diſſimilis. Explicatur magis ratio, quia hæc potentia productiua in Patre & Filio, præter naturam diuinam communem Patri, Filio, & Spiritui ſancto, quæ propterea in aſſignanda hac differentia inter Filium genitum, & Spiritum ſanctum non genitum, non attenditur ab aduerſariis, & addit in Patre paternitatem, in Filio filiationem. Sed Pater & Filius in paternitate & Filiatione non ſolum ſunt realiter, & quaſi ſpecificè diſtincti, ſed etiam oppoſiti. ergo in potentia productiua, ſecundum quòd hæc eſt in ipſis, non in Spiritu ſancto, ſunt diſſimiles potius quàm ſimiles: ſolum enim conueniunt in quadam ratione veluti generica, in quantum vtraque eſt relatio, & perſonalis proprietas, origine antecedens proceſſionem per voluntatem; ſub qua ratione natura diuina in Patre & Filio intelligitur fœcunda ad ſpirandum Spiritum ſanctum per voluntatem.

45. *Probatur tertiò à poſteriori.*

Tertiò à poſteriori non mediocriter vrgere videtur exemplum muli, qui per veram ac propriam Filij generationem, vt concedunt ipſimet contra quos diſputamus, accipit naturam infœcundam, ſaltem in Europa, quicquid ſit de aliis Aſiæ & Aphricæ mulis, qui generare dicuntur. Neque ſatisfaciunt reſpondentes primo *hoc eſſe per accidens, ratione alicuius impedimenti accidentarij, auferentis ſolum potentiam proximam, aut certè ſolam conditionem aliquam operandi: muli enim per ſe gignere poſſunt, ſaltem radicaliter, ratione principij intrinſeci, atque coniuncti, ſaltem remoti.* Nam ex doctrina S. Thomæ infra quæſt. 41. art. 5. eo loco vberius explicanda, quicquid in diuinis eſt potentia notionalis, vt formaliter potentia, eſt non ſolum in Patre & Filio, ſed etiam in Spiritu ſancto. *Illud* enim, inquit, *propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit. & illud eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum ſimilatur generanti.* Deinde circa finem corporis ita ſubſumit, *Vnde neque paternitas poteſt intelligi vt quo Pater generat, ſed vt conſtituens perſonam generantis; alioquin Pater generaret Patrem: ſed id quo Pater generat, eſt natura diuina, in qua ſibi Filius aſſimilatur.* ex quibus duabus præmiſſis manifeſtè ſequitur potentiam generatiuam & ſpiratiuam in diuinis non eſſe paternitatem & Filiationem, ſed eſſentiam. Quod clarius exprimit ad 1. dicens, *Potentia non ſignificat ipſam relationem principij, ſed id quod eſt principium, non quidem ſicut agens, ſed ſicut id quo agens agit.* & poſtea ſubdit, quòd in diuinis, *id quo generans generat, eſt commune genito & generanti, & idem numero, non ſolum ſpecie ſicut in rebus creatis: & quod eſſentia diuina & principium quo generans generat.* ergo eſſentia diuina, & non relatio, ſeu proprietas perſonalis, habet in diuinis formalem rationem potentiæ ad intra productiuæ. & ideo tandem ad 3. ita concludit, *Quantum ad eſſentiam quæ ſignificatur in recto, potentia generandi communis eſt tribus perſonis. Quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria eſt perſonæ Patris.* ergo eſſentia diuina eſt potentia; perſonalitas verò non eſt potentia, ſed potentiæ connotatum. Quare potentia generatiua eſt eſſentia in Patre, potentia ſpiratiua eſt eſſentia in Patre & Filio. Igitur Spiritui ſancto nulla verè deeſt formalis potentia producendi ad intra, ſiue radicalis & remota, ſiue proxima, ſed deeſt tantum potentiæ connotatum: ſicut etiam Filio deeſt connotatum potentiæ generatiuæ, non autem ipſa formalis potentia, quam hoc loco ex S. Thoma ſupponimus eſſe eſſentiam, non relationem. Hinc ita arguimus. Mulo, taliter & taliter generato, hoc eſt, poſita tali coniunctione duarum ſpecierum, per ſe deeſt aliqua potentia ad producendum, & nihilominus eſt propriè genitus, & Filius eorum à quibus procedit. ergo multò magis Spiritus ſanctus, cui nulla deeſt formalis producendi potentia, ſed tantum aliquod connotatum neceſſarium ad actualiter producendum, erit propriè genitus, & Filius, ſi ad hoc nihil aliud requiritur, quàm recipere naturam fœcundam cum potentia communicandi illam. Cum enim natura Dei ita non producat in Spiritu ſancto, vt tamen eadem omnino producat in Patre, & producat in Filio; natura vero muli in nullo mulo producat, quis non videat, maiorem fœcunditatis rationem eſſe in Spiritu ſancto, quam in mulo? Ergo ſi ex fœcunditatis defectu mulus non reiicitur à generatione, multò minus reiiciendus eſt Spiritus ſanctus.

Impugnatur prima reſponſio.

Quid ſit potentia productiua in diuinis ex S. Thoma.

Tertia ratio breuiter proponitur.

46. *Impugnatur ſecunda reſponſio.*

Neque etiam ſatisfaciunt reſpondentes ſecundo, mulum procedere quidem per ſe inhabilem ad gignendum, illam tamen proceſſionem eſſe generationem, *quoniam ea inhabilitas eſt præter intentionem naturæ, ex qua deberet oriri habilis ad naturam communicandam, ſicut & ſpecie ſimilis producenti.* Tum quia minus cohærenter dici videtur, illam inhabilitatem eſſe *per ſe*, & tamen eſſe *præter intentionem naturæ*. Tum quia eſto ea inhabilitas ſit præter intentionem naturæ, conſiderata per ſe natura equi, & conſiderata per ſe natura aſinæ; tamen poſita horum animalium coniunctione, ex illa per ſe ac naturaliter ſequitur animal ad gignandum inhabile. Tum quia non obſtante huiuſmodi innaturali coniunctione, adhuc muli proceſſio retinet eſſentialem conceptum generationis, & mulus procedens retinet eſſentialem conceptum filij; & tamen non habet habilitatem ad gignendum; ergo hæc habilitas ad eſſentialem generationis & Filij conceptum minimè pertinet. Quo eodem argumento hoc ipſum ſupra num. 7. concluſimus de ſimilitudine in natura ſpecifica. Tum quia ſæpe fatentur aduerſarij, ad rationem generationis, & filij, ſatis eſſe, quòd generans *intendat generare ſibi ſimilem in forma ſubſtantiali, & in virtute radicali gignendi, quæ eſt de eſſentia talis formæ.* Certum autem eſt, quòd Pater & Filius ſpirantes Spiritum ſanctum, ſi intendunt producere ſimilem in forma & eſſentia, vt iidem concedunt, intendunt pariter generare ſimilem, in virtute radicali generandi, quæ eſt de eſſentia talis eſſentiæ, vt ex S. Thoma probauimus.

Impugnatur ſecunda reſponſio.

Quartò, diſſimilitudo, quam de facto habet Filius cum

Probatur quintò à contrario.

cum Patre in virtute communicandi naturam per generationē, nihil demit de perfecta ratione imaginis, & de ratione filij: ergo à contrario, ſimilitudo communicandi naturam per ſpirationē, nihil ponit ad eandem rationem faciens. Si enim Filius poteſt naturam communicare vno modo quo communicat Pater, & non poteſt naturam communicare alio modo, quo communicat Pater, ergo nō poteſt Filius in virtute cōmunicandi naturam dici potius ſimilis quā diſſimilis Patri. ergo ſi hæc diſſimilitudo in virtute eſt omnino impertinens ad generationē & filiationē, quam ſcilicet neque deſtruit, neque vllo modo minuit, videtur intelligibile, & gratis dici, quòd ſimilitudo in eadē virtute ſit ad generationem & filiationē adeo pertinens, vt ea ſola poſita in Verbo ponat formalem generationē & filiationē, & ablata à Spiritu ſancto, auferat ab eo formalē generationē & filiationem. Confirmatur & augetur difficultas, quā tangere videtur Aureolus citatus n. 41. quia Pater vt pater conſtituitur ſolum per potentiam generatiuā, per quam reſpicit filium genitum, non Spiritum ſanctum ſpiratū; potentia enim ſpiratiua, ſicut non producit filium, ſed Spiritum ſanctum, ita non conſtituit Patrem in eſſe formali Patris, ſed in eſſe formali ſpiratoris. ergo Filius, vt filius, debet potius aſſimilari Patri in potentia generatiua, ex qua habet vt ſit formaliter filius, quā in potentia ſpiratiua, ex qua habet vt ſit formaliter ſpirator, non filius, hæc enim potentia omnino eadē eſt in Patre & Filio, ergo neque poteſt conſtituere formaliter Patrē, neque Filium. Sed ſimilitudo in potentia generatiua non eſt neceſſaria ad rationē formalem Filij, neque hanc rationē tollit, aut minuit contraria diſſimilitudo: ergo multò minus ad rationē formalem filij neceſſaria eſſe debet ſimilitudo in potentia ſpiratiua; & nulla probabili ratione dici poteſt, quòd hæc ſimilitudo ſola formaliter, conſtituat Filiū in eſſe formali filij, & diſtinguat à Spiritu ſancto; preſertim cum in omnium viuentium creatorum generationibus naturaliter procedentibus, inductione conſtet, Filios accipere naturam fœcundam, non alia fœcunditate, niſi ea, qua ipſimet producti ſunt; & non alio modo communicare eamdem naturam aliis, niſi eo, quo ipſis eſt communicata, nempe per generationem. Vnde Bagnes ſupra meritò dixit, *Quòd poſſe producere aliam perſonam non per modum generationis, impertinentiſſimum eſt ad rationem geniti.*

Confirmatur ratio ex Aureolo.

Bagnes.

48. *Probatur quintò cum Vaſquez ex hypotheſi impoſſibili.*

Quintò, mihi videtur efficax & acuta ratio, quam tangit Vaſquez diſp. 113. n. 22. procedens ex quadā hypotheſi impoſſibili, quę clarè demonſtrat falſitatē rationis, quā impugnamus. ſi per impoſſibile Spiritus ſanctus per eandē voluntatem, qua ipſe producitus, produceret aliam perſonam, adhuc nō eſſet Filius. ergo vis communicandi naturam diuinam per voluntatē non conſtituit Filium. conſequentia manifeſta eſt. Antecedēs, quod ab aduerſariis negatur, probari poteſt, tū quia prædicta hypotheſis petit, vt Spiritus ſanctus per voluntatem procedat & ſimul producat. Quod autē in diuinis procedit per voluntatē, non poteſt eſſe Verbum, ergo neque Filius: quia in diuinis, vt omnes fatemur cū Auguſtino lib. 7. de Trinit. c. 2. initio *eo Verbum, quo Filius, & eo Filius, quo Verbum.* Tum quia quod de facto in diuinis producit per voluntatem, non ſolum eſt Filius, ſed etiam Pater. ergo producere per voluntatem non arguit, producentē eſſe Filium, ſicut nec arguit eſſe Patrē, ſed præcisè ac formaliter, arguit ſolū, eſſe ſpiratorē. ex nullo igitur capite, data illa hypotheſi, ſequeretur Spiritum ſanctum eſſe Filium. ergo de facto ex tali productione per voluntatē dici nō poteſt Filius conſtitui in ratione formali Filij, & geniti; ſicut ex eadē omnino non poteſt conſtitui Pater in ratione

Auguſtinus.

Faſoli in D. Thom. Tom. III.

formali Patris. Neque rectè dicitur, antecedēs ſupra poſitū negari à Baſilio lib. 5. contra Eunomiū c. 12. vbi initio quærit, *Cur & Spiritus Filius Filij non aiciturſ?* & reſpondet, *ne Trinitas filios ex filijs habere ſuſpecta, vt eſt in hominibus, infinita putetur multitudo.* & rurſus poſt medium. *Si quis Filium ex Filio diceret, in ſuſpicionem multitudinis Trinitatem Deitatis, hominibus adducebat. Facile namque ſuſpicari erat, quòd ſi Filius ex Filio natus eſt, ex hoc alius vtique natus eſſet.* His verbis, inquiunt, ſupponit Baſilius, eò Spiritum non eſſe filium, quòd non producat aliā perſonam, ac proinde ſi eam produceret, fore filium, ſicut Verbum; alioqui ex eo quòd eſſet filius, nō ſequeretur producere aliū. Sed iſta gloſſa longè abeſt à mente Baſilij, qui, vt ſatis clarū eſt ex verbis citatis ſi attentè conſiderētur, nihil aliud intendit niſi probare, Spiritum ſanctum non eſſe Filium Filij, quia per hoc poni videretur in diuinis infinita multitudo perſonarum & filiorum. Quæ probatio non fundatur in hoc diſcurſu, quem faciunt aduerſarij, *Spiritus ſanctus eſt filius. ergo producit:* ſed in hoc alio, Spiritus ſanctus eſt ſecundus Filius productus à primo, ergo ipſe etiā producit tertiū Filiū: quæ conſequentia nō fundatur in eo, quòd Spiritus ſanctus ſi producit, debet eſſe filius, hoc enim ad prædictū Baſilij intentum apparet euidenter impertinens, ſed ſolum in eo, quòd data ſemel diuina productione Filij ex Filio, nulla maior ratio aſſignari probabiliter poteſt, cur primus filius generet ſecundum Filium æqualis naturæ, & virtutis, & ſecundus pariter non generet tertium & tertius quartum, & ſic in infinitum. Quam infinitatē facilè remouēt Catholici docentes, in diuinis ſolam ſecūdam perſonā producere vt Filium à Patre. Tertiam vero perſonam procedere à Patre & Filio, non vt filium, ſed vt Spiritum Patris & Filij. Vnde deduci nequeunt plures & infiniti filij, aut Spiritus; ſicut etiam deduci nequeunt plures Patres.

Cur ex Baſilio Spiritus ſanctus non poſſit eſſe Filius.

49. *Spiritus ſanctus etiam ſi ſpiraret, non eſſet Filius.*

Cōfirmatur hæc quinta ratio, confutando aduerſatiorū diſcurſum, quo nituntur probare, falſum eſſe antecedens ſumptū initio numeri præcedentis. De ratione, inquiūt, Filij increati eſt, ſpirare, & producere per voluntatem. ergo ſi Spiritus ſanctus per hypotheſim impoſſibilē ſupponitur ſpirare, nō poteſt non ſupponi Filius. ergo falsò diximus, Quòd ſi per impoſſibile Spiritus ſanctus ſpiraret, adhuc nō eſſet filius. In hoc diſcurſu prima propoſitio vel eſt ſimpliciter falſa, vel in aliquo ſenſu, in quo eſt vera, nō eſt ad rē. Eſt ſimpliciter falſa in ſententia aduerſariorū dicentiū, Patrem & Filium conſtitui formaliter cōpletum principium ſpiratiuum, & ſpirans, nō per relationes perſonales paternitatis, & filiationis, ſed per aliā quartam relationē non perſonalem ſpirationis actiuæ. Hoc poſito, falsū apparet, de ratione Filij eſſe ſpirare: nā de ratione Filij non eſt niſi natura diuina cum perſonalitate filiationis; ſed relatio ſpirationis actiuæ non eſt de ratione naturæ, nec de ratione Filiationis, & ſine illa ſecundum iſtā ſententiam non habetur poſſe ſpirare. ergo ſpirare nō eſt de ratione Filij. ergo ſi per impoſſibile ponatur, Spiritū ſanctū ſpirare, nō ſequitur ex vi formalis cōſequentiæ, ipſū eſſe Filium. Non eſt autem ad rem in ſententia, quā vt veram infra ſequar, dicentium, per ipſammet perſonalem filiationis relationem compleri Deum Filium in ratione principij ſpiratiui, & ſpirantis: tunc enim ſpirare eſſet de ratione Filij, non quatenus Filij reduplicatiuè, quaſi nullus poſſit ſpirare niſi ſit Filius, quia de facto ſpirat Pater, qui non eſt filius, imò relatiuè opponitur Filio, ſed quatenus perſonæ, quæ prioritate originis antecedit proceſſionem per voluntatē; ſub qua communi ratione conuenit Filius cum Patre; & ſi conueniret etiam Spiritus ſanctus, nimirum ſi ordine originis eſſet prior pro-

cessione per voluntatem, non prima, qua ipse productus præsupponitur, sed secunda, cuius per impossibile ipse ponitur esse principium, sequeretur quidem, ipsum etiam esse personam, quæ prioritate originis antecedit secundam processionem per voluntatem, tamen non sequeretur, ipsum esse Filium, aut Patrem; sicut de facto ex eo quòd Pater & Filius spirant, non vt Pater, aut vt Filius, ita vt spirare sit proprium Patris, aut Filij, sed spirant vt personæ ordine originis antecedentes processionem per voluntatem, non sequitur, aut Patrem esse Filiũ, aut Filium esse Patrem. Verissimè igitur in quinta ratione initio n. 46. sumpsimus, quod si per impossibile Spiritus sanctus per eamdem voluntatem, qua ipse productus est, produceret aliam personam, adhuc non esset filius. Ex qua hypothesi impossibili ita sequitur, de facto Filium in esse formali Filij non constitui per vim spirandi, sicut ex illa alia, de qua infra, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur à Filio, sequitur de facto Filium distingui à Spiritu sancto per processionem.

50. *Secunda conclusio in qua ratio de naturæ fœunda in bono sensu recipitur.*

Secunda conclusio, Quòd Filius, & non Spiritus sanctus per processionem accipiat naturam fœcundã, si profundius explicetur & probetur, potest esse sufficiens ratio, cur processio Filij, & non Spiritus sancti sit generatio. Hæc breuiter addere libuit in reuerentiam Riccardi, & aliorum grauium Doctorum supra n. 40. quos in alio sensu, ab ipsis fortasse non intento, hactenus impugnauimus. Conclusio probanda est eodem fere modo, quo probauimus conclusionem secundam dub. 3. & conclusionem secundam dub. 4. Etenim in diuinis processio communicans naturam fœcundam ad productionẽ alterius personæ, non potest esse nisi prima processio per intellectum, quæ ordine originis antecedit aliam secundam processionem per voluntatem. Sed, vt in sequentibus vberius ostendẽdum est, ideo vna diuina processio, & non alia, est generatio, quia vna est per intellectum, alia per voluntatem. ergo etiam idem probare possumus ex eo, quòd per vnam processionem, & non per aliam accipitur natura fœcunda.

Cur Spiritus sanctus non possit ad intra producere.

Maior certa est, quia ex superius probatis, & inferius probandis, omnes fatemur, in diuinis non posse esse nisi duas processiones, alteram per intellectum, alterã per voluntatem; & illam esse priorem origine, hanc posteriorem. Vnde oritur, vt persona producta per voluntatẽ, ad nullius personæ productionem possit concurrere: non ad eam quæ producitur per intellectũ, cum secundum originem sit posterior illa: non ad aliam productam per voluntatem, quia cum persona diuina producatur cũ omni perfectione possibili in genere suæ processionis, nõ possunt in eodẽ genere processionis per voluntatẽ, sicut nec in eodem genere processionis per intellectum, esse & cogitari duæ personæ productę. Igitur Spiritus sanctus, quia procedit per voluntatem, non potest accipere naturam fœcundam. At verò Filius, quia procedit per intellectum, cuius generis processio est secundum originem prior processione per voluntatem, non potuit ex vi suæ propriæ processionis non accipere naturam fœcundam ad productionem alterius personæ per voluntatem. Si igitur bona est ratio, quæ probat, ideo Verbum generari quia procedit per intellectum, & ideo Spiritum sanctum nõ generari quia procedit per voluntatem, in eodẽ bono sensu locum habere potest ista ratio, quæ idem probat ex eo quòd Verbum, & nõ Spiritus sanctus, ex vi suæ processionis accipiat naturam fœcundam.

51. *Prima obiectio.*

Satisfit oppositis argumentis.

Aduersarij arguunt primò Verbum, & non Spiritus sanctus, habet cum Patre similitudinem notionalem in relatione spiratoris, quæ est aliqua perfectio determinans Deitatem ad esse principium intrinsecum spirationum; eamque perfectionem Verbũ & nõ Spiritus sanctus accipit à Patre. ergo hæc specialis, ac maior similitudo extensiua, est ratio sufficiens vt Verbũ sit Filius, non vero Spiritus sanctus.

Respondetur negando antecedens, & consequentiam.

Respondeo, in antecedenti assumi nonnulla falsa, vt infra probabitur. Neque enim relatio spiratoris concipienda est vt determinans Deitatem ad spirandum, sed potius vt substantialis quædam correlatio, consequens ad personalem spirationis passiuæ relationem, constitutam personæ Spiritus sancti: vnde ea non accipitur à Patre, saltem vt formaliter præsupposita in Patre. esto autem verum sit totum antecedens, adhuc nulla est consequentia: quia hęc similitudo notionalis in relatione spiratoris, neque est in natura, neque in potentia formali, sed solum in quadam determinatione naturæ, seu potentiæ formalis, vt in ipsa etiam obiectione conceditur. Quòd autem ad essentialem rationem filij geniti, præter similitudinem in natura, & in formali naturæ potentia, seu principio operandi, sit necessaria alia similitudo in determinatione potẽtiæ, facilius dici potest quã probari sufficienter. Si enim dissimilitudo, imo etiam oppositio, quam in huiusmodi determinatione habet Filius Dei, vt filius, ad Patrem, vt patrem, quia natura diuina ad generandum determinatur per paternitatem, quæ est Patris propria, & relatiuè opponitur Filio, non tollit rationem filij, nulla probabilitatis specie intelligi potest, eamdem filij rationem poni in Filio per similitudinem in spirandi determinatione, quam habet Filius, non, vt filius, sed vt spirator, sicut & Pater; & tolli à Spiritu sancto per dissimilitudinem, quam in eadem determinatione habet cum Patre & Filio.

52. *Secunda obiectio.*

Arguunt secundò probando, de ratione Filij creati esse, habere similitudinem cum suo producente in virtute præcipua communicandi naturam receptam à Patre. Filius creatus, est animal quidditatiuè. ergo quod est de ratione animalis geniti ab alio, est de ratione filij creati. Sed de ratione animalis geniti ab alio, est esse simile producenti in forma substantiali ab eo recepta: ergo & in principio intrinseco & radicali communicandi naturam, abstracto à principio gignendi & spirandi quod principium est de essentia formæ.

Respondetur concedendo totum argumentum.

Respondeo, Antecedens posse negari ex probatis supra num. 5. quòd ratio generationis & filiationis extendatur etiam ad viuentia vegetatiua. Sed nunc illud concedo cum sua consequentia. Concedo etiã minorem subsumptam, & totum argumentum, in quantum deducit similitudinem in forma, quæ essentialiter est principium radicale generationis. Hinc vero non concluditur intentum: nam probandum erat, de ratione filij esse similitudinem non solum in forma, seu natura, ac specie, quæ est potentia radicalis communicandi aliis eamdem naturam, sed etiam in potentia formali, & proxima, atque completa respectu eiusdem communicationis. Alioqui ex creatis nihil deduceretur de increatis, de quibus disputamus, vbi potentia solum proxima & omnino completa non reperitur in omnibus personis, in quibus tamen æqualiter reperitur potentia radicalis, & formalis, quæ est diuina essentia, tametsi hæc potentia in Patre habeat determinationem quamdam necessariam ad generandum & spirandum; in Filio ad spirandum tantum; in Spiritu sancto nullam determinationem habeat, nec ad generandum, nec ad spirandum. Verum sicut in humanis, Petrus v. g. filius Pauli, est essentialiter filius propter solam similitudinem, vi

vi generationis acceptam, in specifica natura humanitatis, quamuis sit dissimilis Patri in propria singularitate, & personalitate: ita in diuinis, si Spiritus sanctus ex vi suæ processionis, vt volunt aduersarij, habet cum suo principio similitudinem in specifica atque indiuiduali natura Deitatis, esse necessario deberet filius genitus, non obstante dissimilitudine, quam ratione suæ personalis proprietatis spirationis passiuæ habet cum paternitate & filiatione, seu relatione spiratoris; quæ etsi communis sit Patri & Filio, tamen ad Deitatis naturam communem Patri, Filio, & Spiritui sancto, non pertinet. Denique in fine obiectionis minus rectè de ratione Filij creati esse deducitur similitudo in principio, *abstracto à principio gignendi & spirandi*. Nam creaturæ viuentes non habent alium modum communicandi naturam nisi per generationem: & alius modus communicandi naturam per spirationem, est propriissimus diuinæ processionis per voluntatem.

53. *Tertia obiectio.*

Arguunt tertiò probando, de ratione Filij increati esse habere similitudinem cum Patre in virtute communicandi naturam, non per generationem, quo modo ipse accepit naturam, & habet vt sit formaliter filius, sicut Pater vt sit formaliter pater; sed per spirationem, quo modo neque principium habet rationem patris, sed spiratoris; neque terminus productus habet rationem filij, sed procedentis & spirati. Hoc probant primo authoritate Anselmi in Monologio cap. 16. fine dicentis, *Nihil dicitur quod de eius essentia verè dicitur, in eo quòd qualis vel quanta, sed in eo quòd quid sit accipitur.* Sed de Filio Dei prædicatur virtus communicandi naturam. ergo prædicatur in quid, ac proinde est de essentia illius. Secundo ad hominem, quia Suarez, aliique Authores primæ conclusionis supra n. 42. dicunt, si Spiritus non esset à Filio, per locum intrinsecum sequi, non fore eumdem numero qui nunc est. ergo de ratione huius Filij diuini est, vt ab eo procedat Spiritus, sicut à Patre. Tertio ratione, Fœcunditas naturæ identificatur cum Filio Dei, ergo est illi essentialis. Consequentiam probant, tum quia nihil est magis essentiale, quam quod est ipsa res tota absque vlla distinctione actuali ab illa: tum quia v. g. anima, quæ est pars hominis, est homini essentialis; ergo multò magis quod est in Deo, cum sit ipsemet totus Deus, esse debet essentialis Deo.

Primò ex Anselmo.

Secundò ad hominem.

Tertiò ex ratione.

54. *Respondetur ad primum exponendo Anselmum.*

Respondeo ad primum de mente Anselmi in illo loco, plura diximus tomo 1. q. 4. art. 2. num. 29. Nunc breuiter dico, citatis verbis, in quibus solis vim faciunt aduersarij, tantum intendi, omne quod de Deo prædicatur non esse accidens; quare Anselmus dici essentialiter, & in quid, non accipit, vt distinguitur contra dici attributaliter, & notionaliter, sed solum vt distinguitur contra dici accidentaliter; ita vt idem sit dici essentialiter & in quid, quod dici substantialiter. Vnde ipsemet Anselmus, dici *in eo quòd quid*, opponit contra dici *in eo quòd qualis, vel quanta*; quod est dici accidentaliter, cui tantum opponitur dici substantialiter.

55. *Ad secundum si Filius non spiraret, non esset aliqua ratione idem filius, qui nunc est.*

Ad secundum in ratione Filij increati, esse duo distinguenda per intellectum cum fundamento in re: alterum quasi genericum, in quo conuenit cum Patre, quòd sit persona, prioritate rationis à quo, antecedens processionem per voluntatem: alterum quasi specificum, in quo à Patre distinguitur, eique opponitur, quòd sit persona producta per generationem, seu procedens ab alio principio coniuncto, & ex vi formali talis processionis accipiens similitudinem in natura cum suo principio. His positis respondeo in forma, distinguendo antecedens. nam data illa hypothesi impossibili, sequeretur per locum intrinsecum, variari Filium quoad primam rationem genericam, quia tunc Filius non esset persona antecedens alterius personæ processionem per voluntatem, sed ipse solus terminaret vnius personæ processionem per intellectum ac voluntatem; non autem sequeretur, variari filium quoad secundam rationem specificam, quia tunc etiam Filius esset formaliter filius vt procedens per intellectum, sub qua ratione nunc quoque gignitur in similitudinem naturæ, non autem vt procedens per voluntatem. Quæ omnia infra vberius & planius explicabuntur. Hinc apparet, verum esse consequens de ratione Filij generica communi cum Patre; falsum de ratione specifica, qua à Patre distinguitur: alioqui si fœcunditas spirandi conueniret Filio vt formaliter filio secundum vltimam quasi differentiam constitutam filij, ea conuenire non posset Patri. Igitur ex eo præcisè quod Spiritus sanctus non accipit naturam fœcundam ad spirandum, non sequitur non esse filium, sed solum sequitur, non esse personam quæ antecedat processionem per voluntatem, quæ non solum est persona filij, sed etiam persona patris. Denique prædicta hypothesis non leuiter vrget aduersarios: nam nullus Theologus hactenus dixit, Quod si Spiritus sanctus non procederet à Verbo, Verbum non esset filius, sed Scotistæ dixerunt, distingueretur Spiritus sanctus à Verbo, alij vero, quòd non distingueretur: omnes autem tamquam indubitatum supponunt, Verbum futurum simpliciter filium, etiam si non spiraret Spiritum sanctum. ergo ratio filij simpliciter non habetur per virtutem spirandi.

56. *Ad tertium non sequi, esse de essentia, quod est idem cum essentia.*

Ad tertium falsam esse consequentiam, constat ex fusè probatis tomo 1. quæst. 4. art. 2. præsertim num. 37. vbi hoc ipsum argumentum ex instituto soluitur, & vniuersaliter ostenditur, ex negatione distinctionis inter vnum & aliud, non necessario deduci inclusionem essentialem vnius in alio: alioquin personalitates essent de essentia naturæ diuinæ, quod communiter non tenetur, & infrà, ferè euidenter probabitur esse falsum. Quare ad primam illius consequentiæ probationem, insufficienter dici, Vnum esse essentiale alteri, nihil esse aliud quam, Vnum esse simpliciter alterum, hæc enim est definitio identitatis entitatiuæ, non inclusionis essentialis quæ consistit in hoc, quòd vnum sit de intrinseco conceptu alterius, ita vt alterum concipi non possit quid in se ipso intrinsecè sit, nisi in se ipso concipiatur aliud; siue hoc aliud sit in ipso realiter distinctum, vt contingit in rebus creatis in quibus forma v. g. est essentialis composito, tamen in composito realiter distinguitur à materia, quæ est etiam compositio essentialis; siue sit omnino identificatum ex natura rei, vt in diuinis. Vnde patet responsio ad secundam probationem eiusdem consequentię. Maior enim ratio est vt anima sit essentialis homini, quam personalitas v. g. naturæ diuinæ, licet anima non identificetur ex natura rei cum omni eo quod est in homine, sicut identificatur personalitas cum natura diuina; quia homo in intrinseco suo conceptu claudit animam, ita vt impossibile planè sit concipere hominem non concepta anima; at natura diuina, perfectè & adæquatè cõmunis tribus personis, ratione cuius nihilominus est Deus vna quam alia, non solum facilè concipitur non concepto in illa, essentialiter & intrinsecè incluso prædicato personalitatis, sed ne cõcipi quidem rectè potest cum huiusmodi prædicato: aliter si paternitas v. g. clauderetur in intrinseco conceptu Deitatis, non totum id quod est de intrinseco & adęquato cõceptu Deitatis cõueniret Filio, & de Filio cõcipi posset, de quo cõcipi nõ posset, esse patrẽ, docente Florẽtino Cõcilio, Concilium Florentinũ.

Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo, gignendo dedit, præter esse Patrem.

57. *Quarta obiectio.* Arguunt quartò. Quod de ratione Filij creati, & non dicit imperfectionem, nec aliunde repugnat Filio increato, est de ratione filij vt sic, abstracti ab vtroque. Sed esse similem Patri in natura fœcunda, id est, in virtute communicandi naturam ab eo receptam, est de ratione Filij creati, & non dicit imperfectionem, nec repugnat Filio increato. ergo est de ratione Filij vt sic.

Respondetur explicando, quid sit de ratione filij vt sic. Respondeo, distinguendo Minorem de virtute communicandi naturam, iuxta responsionem datam supra num. 51. quædam enim est radicalis, seu remota, sicut agens *vt quo*, & est ipsamet forma, seu natura; quædam est proxima, sicut agens *vt quod*, & integratur non solum ex potentia formali, sed etiam ex quocumque connotato, seu determinatione, seu conditione, seu quauis alia ratione antecedenter prærequisita ad hoc vt potentia formalis exeat in actum secundum. De ratione igitur Filij creati, sicut etiam increati, & consequenter filij vt sic ab vtroque præcisi, est esse similem Patri in natura fœcunda, & virtute, seu potentia primo modo accepta, non secundo. Quis enim dixerit, Filium creatum esse debere similem Patri non solum in specifica natura ac potentia eam naturam communicandi, sed etiam in singularitate, in existentia, in suppositalitate, quæ sunt rationes necessario prærequisitæ ad actualem communicationem? Ita quoque in diuinis, Filius habere quidem debet similitudinem cum Patre in eadem singulari Deitatis natura, quæ est ipsa formalis potentia agens *vt quo*, & æqualiter reperitur in singulis personis; non autem in personalitate, seu relatione, ad essentialem naturæ conceptum non pertinente, ex qua constituitur natura, & potentia formalis, agens *vt quod*. Quamobrem si quicquid spectat ad naturam diuinam, eodem prorsus modo recipit Spiritus sanctus, quo Verbum, vt vult hæc opinio, quam impugnamus, habebit Spiritus sanctus similitudinem sufficientem ad rationem Filij, quamuis habeat dissimilitudinem in personalitate, seu alia relatione spiratoris, necessaria antecedenter ad diuinæ naturæ communicationem.

58. *Quinta obiectio.* Arguunt quintò. De ratione filij creati est esse similem Patri in forma sensitiua ab eo recepta; ergo in virtute radicali, ac præcipua communicandi naturam, essentialiter clausa in forma sentiente. ergo eadem similitudo est de ratione Filij increati. Sed hanc similitudinem habet Verbum, non Spiritus sanctus. ergo Verbum, & non Spiritus sanctus est filius.

Respondetur Spiritum sanctum habere radicalem potentiæ producendi ad intra. Responsio patet ex dictis. Concedo igitur, quòd sicut de ratione filij creati est esse similem in virtute radicali communicandi naturam, quæ virtus, est ipsamet forma creata; ita de ratione Filij increati sit esse similem in virtute radicali communicandi naturam, quæ virtus nihil est aliud nisi ipsamet essentia diuina: & ideo nego minorem subsumptam, quia sicut similitudinē in eadem numero essentia, ita in huiusmodi radicali virtute æqualiter habent Pater, Verbum & Spiritus sanctus. In quo sensu dixit S. Thomas infra, quæst. 41. art. 5. ad 3. *Quantum ad essentiam, quæ significatur in recto, potentia generandi communis est tribus personis: quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ Patris.* S. Thomas.

59. *Sexta obiectio ex S. Thoma.* Arguunt vltimò, ex doctrina S. Thomæ supra q. 13. art. 6. in primo tomo à nobis explicata, nomen quod non metaphoricè, sed propriè Deo tribuitur, vt intellectus, voluntas, Filius, & similia, etsi quantum ad rem significatam per prius dicatur de Deo, quam de creatura, tamen quantum ad impositionem nominis per prius dicitur de creatura, quàm de Deo: ergo hoc nomen, Filius, tributum Verbo, non Spiritui sancto, priusquam extenderetur ad diuina, significabat in creatura aliquam perfectionem, seu rationem, conuenientem Verbo, non Spiritui sancto. Hæc autem perfectio non potest esse alia, nisi acceptio naturæ fœcundæ, quam Verbum per suam processionem accepit, non Spiritus sanctus per suam.

Respondetur de ratione Filij non esse similitudinem in fœcunditate naturæ. Respondeo, hanc perfectionem, seu rationem, non posse esse similitudinem in hac naturæ fœcunditate, de qua nihil omnino significarunt sapientes maiores nostri in definitione quam nobis tradiderunt de generatione communi Filiis creatis, & increato Filio: sed iuxta prædictam definitionem, esse necessario debere similitudinem in ipsa essentia naturæ simpliciter, quam ex vi formali suæ processionis acceperit Verbum, & non Spiritus sanctus. Quod quamuis ostendere, sit difficillimum, nulla tamen difficultate perturbandum est principium ex naturali Philosophia euidenter certum, quod scilicet Filius, vt sic præcisè consideratus absque vlla imperfectione, sit essentialiter is, qui à suo intrinseco atque coniuncto principio viuente ita vitaliter producatur, vt ex vi formali suæ processionis sit similis suo principio in natura, quicquid sit de fœcunditate, aut quauis alia naturæ proprietate, non constitutiua naturæ, sed extra essentialem naturæ conceptum. Vnde sapientissime S. Thomas S. Thomas. in hoc articulo, volens ostendere, processionem diuini Verbi esse generationem Filij, præmisit hoc principium, tamquam naturali lumine notum ac receptum, definiendo generationem communem omnibus viuentibus, etiam increatis, *Processionem alicuius viuentis à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei:* neque præterea addit fœcunditatem, aut alia, quæ ingeniosè potius, quam solidè recentiores excogitarunt. Præstat enim pro dignitate ac suauitate nostræ Fidei, qua credimus Spiritum sanctum non esse genitum, processionem Spiritus sancti à communissima notione generationis excludere, quàm ibi inclusam putare, & nouam aliquam generationis definitionem astruere.

DVBITATIO VI.

An sola similitudo intentionalis sufficiens sit vt processio Verbi sit generatio.

SVMMA.

1. *Proponitur conclusio negatiua, num. 60.*
2. *Probatur conclusio primò authoritate Patrum, n. 61.*
3. *Probatur conclusio secundò authoritate Scholasticorum, num. 62. & 63.*
4. *Probatur conclusio tertiò rationibus, n. 64. ad 68.*

Ratio & ordo tractandorum. NEmo negat, & propterea, tamquam certissimum, in ipsamet generationis definitione positum est, Genitum esse simile generanti. Hinc duplex insurgit difficultas & controuersia, vtraque grauis ac præcipua in hac materia. Altera de ipsa similitudine secundum se, quæ vel esse potest in repræsentando, & vocari solet similitudo intentionalis seu formalis; vel in essendo, & dicitur similitudo realis. Altera de termino similitudinis, quæ in definitione generationis dicitur *natura*. Differam prius de similitudine, quoniam inde pendent aliquæ opiniones inferius examinandæ. De termino autem partim actum est dubitatione præce-

cedente, excludendo fœcunditatem à natura, siue essentia; partim in sequentibus dubitationibus agendum est.

60. *Prima conclusio negatiua.* Prima conclusio, sola similitudo intentionalis & repræsentatiua, quam habet Verbum ex eo quòd procedit per intellectum, non habet Spiritus sanctus ex eo quòd procedit per voluntatem, non per intellectum, non est sufficiens ratio vt processio Verbi potius, quàm processio Spiritus sancti sit generatio. In hac conclusione conuenire debent omnes qui conueniunt in ipsa generationis definitione tradita supra num. 5. vbi nulla alia similitudo exprimitur nisi *in natura eiusdem speciei*, quæ non est simpliciter similitudo intentionalis, sed realis tantum, vel saltem non est sola intentionalis. Quamquam video nonnullos recentiores Theologos, positis quibusdam eorum opinionibus de conceptu essentiæ diuinæ, eiusque attributorum, parum huic mysterio consentaneis, ita premi contrariis argumentis, vt ad solam intentionalem similitudinem tandem confugiant, vel confugere conuincantur. *Aduersæ conclusioni.* Etenim cum existiment, ad essentiam Dei non minus pertinere diuinum velle, quod ex vi formali suæ processionis communicatur Spiritui sancto, quàm diuinum intelligere, quod ex vi formali suæ processionis communicatur Verbo, tenentur consequenter asserere, nulla prorsus alia ratione Verbum procedere simile Patri similitudine reali & in essendo, siue in eadem numero natura & essentia, qua Spiritus sanctus non procedat similis Patri & Filio, eadem similitudine, & in eadem natura. Et ideo cum quæritur, cur processio Verbi, & non processio Spiritus sancti sit generatio filij, nil aliud dicendum ipsis superesse videtur, nisi quia illa ex propria vi talis processionis per intellectum terminatur formaliter ad similitudinem intentionalem & repræsentatiuam, hoc est, ad intellectionem, qua Pater æternus intelligit se ipsum, ac proinde ad intellectionem, quæ in esse intentionali ac repræsentatiuo est similitudo ipsiusmet Patris intelligentis: quam similitudinem non habet alia processio Spiritus sancti ex vi propria talis processionis per voluntatem, quæ terminatur formaliter ad amorem, non ad verbum. Clarius contra hanc conclusionem sentire videtur Aureolus 1. d. 9. part. 1. art. 2. 3. & 4. multis contendens, non esse in diuinis generationem, quæ sit productio terminata ad substantiam, sed solum terminata ad imaginem, siue similitudinem, seu speciem, siue apparentiam, siue relucentiam obiectiuam, quam non vult vocare intentionalem, vt vocatur in creaturis, sed realem, quia Filium Dei nihil aliud esse vult, nisi ipsummet Deum, vt habet esse apparens, & formatum mentaliter. Aureolus.

Probatur ex definitione generationis.

Probatur conclusio primò authoritate Patrum.

61. Verùm in explicatione generationis, quam fide credimus conuenire processioni Verbi, non Spiritus sancti, spectandam esse non solam similitudinem intentionalem siue obiectiuam in repræsentando, secundum quam habet Verbum ratione suæ processionis per intellectum, vt repræsentet personam à qua procedit, non habet Spiritus sanctus ratione suę processionis per voluntatem vt repræsentet personas à quibus procedit, sed spectandam esse similitudinem naturalem ac realem in essendo, nimirum quoad ipsam naturam & essentiam Dei, quæ similitudo ratione propriæ processionis sit in Verbo, non in Spiritu sancto, probari potest primo ex communissimo consensu Patrum, & veterum ac grauiorum Scholasticorum. Ex Patribus, Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobum, circa medium cum docuisset, quòd Verbum *verè filius est, & speculum, & character, & imago Patris, in omnibus Patri similis*: statim explicat istam similitudinem esse realem, ita immediate post subdens, *eiusdem naturæ, in diuinitate genitus, & genitori per omnia coæqualis*. Alexander Alexandrinus Episcopus, de quo supra art. 1. num. 18. in quadam epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, aliquanto post medium, vt habetur tomo 1. Conciliorum in Concilio Nicæno libro 1. ante medium, Filium Dei *habere paternam effigiem, & esse perfectam Patris imaginem, & expressam figuram*, probat ex eo quòd *eius similitudinem à natura in se impressam habeat*. & præter naturalem similitudinem, quam bene probat ex illo Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus*. & cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem*, nihil prorsus addit ad intentionalem repræsentationis similitudinem pertinens. Nazianzenus oratione quinta, quæ est secunda de Filio, aliquanto ante finem loquens de Filio Dei ait. *Videtur is mihi Filius quidem dici propterea, quod idem cum Patre sit ratione essentiæ: neque hoc modo, verum etiam quod ex eo sit*. Adæquatum Filij conceptum tradit per solam realem similitudinem, nempe per procedere in eadem essentia cum suo principio, scilicet ex vi formali suæ processionis; alioquin etiam Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio in eadem essentia cum illis, quorum tamen non est Filius. Vnde eius interpres Elias Cretensis, exponens quædam verba Nazianzeni oratione 1. non procul ante medium pro eadem veritate clarissimè ait, *Generatio propriè est, cùm ex gignentis essentia, id quod gignitur, genitori quantum ad essentiam simile producitur*. Basilius quoque Patrem & Filium per naturalem similitudinem absque vlla similitudine repræsentatiua ita definit libro 2. contra Eunomium, aliquanto post medium. *Pater est, qui essendi principium alteri, secundum similem sibi naturam, præbuit. Filius verò, qui ab altero essendi principium per generationem habuit*. Vnde infra, multò post docet, *Quòd propriè ac meritò Deus dicitur Pater, non passionis, sed coniunctionis nomen est, vel eius, quæ est per gratiam, vt in hominibus; vel eius, quæ secundum naturam est, vt in Vnigenito*. & postea addit, per generationis vocabulum cum de Deo Patre vsurpatur, *significari naturæ coniunctionem ad genitum*. & epistola 43. ad Gregorium Nyssenum circa finem similitudinem, quam Paulus ad Hebræos 1. tribuit Filio Dei, explicat non intentionaliter, sed realiter, his verbis, *Quoniam & Patrem videt, qui Filium videt, hac ratione Vnigenitum Apostolus characterem paternæ hypostaseos esse dixit. Quæcumque enim Patris sunt, in Filio peruidentur; & omnia Filij Patris quoque sunt: quoniam & totus Filius in Patre manet, & totum vicissim in se ipso & Patrem habet*. Epiphanius hæresi 69. multò ante medium ait, *Omne quod generat, simile quid generat*. Quam similitudinem esse realem in ipsa natura, non intentionalem in sola vi repræsentandi naturam, significat statim ita exponens quod dixerat, *Homo hominem gignit, & Deus Deum*. Idem multò fusius explicat hæresi 79. circa medium, nempe, Filium Patri similem dici ab Apostolo, *in quantum est vita ex vita, lumen ex lumine, verus ex vero, sapientia ex sapientia. Et in summa est similis secundum scripturas, non iuxta actionem ac voluntatem solum, sed secundum ipsam essentiam, & substantiam, ac existentiam, similis est per omnia Patri genitori, velut Filius Patri*. Cyrillus libro 1. Clemens Romanus. Alexander Alexandrinus. Nazianzen. Elias Cretensis. Basilius. *Exponitur locus ad Hebr. 1.* Epiphanius. Cyrillus.

Filij generationem per similitudinem realem explicant.

Thesauri cap. 5. multo post medium. *Si Pater in Filio videtur, & Filius substantiæ genitoris imago est, sicut ab ipsis dicitur, Qui videt me, videt & Patrem meum, necesse est vt ei æternaliter insint omnia, quæ Patri etiam insunt; sic enim character erit non diminutus. Sed Pater immortalis est, & Rex, & Creator, & omnipotens, & Deus verus. Filius ergo etiam hæc est.* & non dixit, *hæc repræsentat.* Vult igitur de ratione Filij esse similitudinem: & imaginem in essendo, non in repræsentando: alioqui nulla esset eius argumentatio, vt patet. Eusebius libro 4. Demonstrationis Euangelicæ cap. 2. medio ait, ideo in Scriptura solum Filium dici *Deum genitum, tamquam eum qui diuinæ naturæ solus in se ipso ferat imaginem; propter quam Deum quoque & esse illum, & dici.* si ratione imaginis habet Filius *esse Deum*, ergo est imago Dei Patris in essendo, & non tantum in repræsentando. Idem Hilarius libro de Synodis, longè à fine ita concludit, *Omnis itaque Filius secundum naturalem natiuitatem, æqualitas Patris est, quia est & similitudo naturæ.* Et Ambrosius libro 4. de Fide cap. 4. non longè à principio ita impugnat Arianos, *Si negatis esse verum filium, hoc est, eiusdem naturæ, non est ergo generatus: quia generatio ad proprietatem refertur naturæ.* Et Augustinus libro 5. Quæstionum, quæst. 4. in Deuteronomium circa medium cum vniuersaliter docuisset, Filium esse expressam Patris similitudinem & imaginem eiusdem substantiæ, hinc ita deducit, *Vnde illud, quod in Genesi scriptum est, Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, manifestum est ita dictum, vt non eiusdem substantiæ sit imago quæ facta est: si enim eiusdem esset, non facta, sed genita diceretur.* ergo differentia, per quam generatio ab aliis productionibus distinguitur, est vt terminetur ad similitudinem realem in substantia, non intentionalem in repræsentatione. Eamdemque doctrinam, vt naturali lumine notam, passim tradunt alij Patres.

Ioan. 14.

Eusebius.

Hilarius.

Ambrosius.

Augustinus.

Gen. 1.

Probatur conclusio secundò authoritate Scholasticorum.

62. S. Thomas.

Consentiunt Scholastici, in primis S. Thomas in hoc articulo vbi ex instituto de Verbi generatione disserit, & consequenter, censendus est ita exactè eam explicare, vt non omiserit quod ad essentialem ac præcipuum generationis diuinæ conceptum pertinet: & tamen ne leuissimè quidem significat intentionalem similitudinem in repræsentando, sed clarissime ac sæpe tradit realem similitudinem in essendo, nam initio generationem propriam viuentium, & communem creatæ & increatæ secundum conceptum analogicum præscindentem ab omni imperfectione, quæ, inquit, *propriè dicitur natiuitas*, definit, *originem alicuius viuentis à principio viuente coniuncto*; ita tamen, vt non omne quod hoc solo modo procedit, dicatur genitum, *sed propriè & solum quod procedit secundum rationem similitudinis, non cuiuscumque, & secundum genus, sed requiritur ad rationem talis generationis, & filiationis, quòd procedat secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei, sicut homo procedit ab homine, & equus ab equo.* Vbi nulla prorsus reperitur similitudo, nisi realis. Hæc autem definitio, ac definitionis explicatio, esset valde absurda, si cum tota ista reali similitudine daretur aliqua processio, quæ nihilominus non esset generatio; sed ad essentialem vniuersaliſſimæ generationis & filiationis conceptum participandum desideraret aliquam aliam similitudinem, nempe intentionalem, cuius nulla omnino mentio, sit in exacta atque adæquata definitione & explicatione talis generationis. Deinde hunc communem generationis conceptum docet conuenire peculiari generationi, subdens, *Sic igitur processio Verbi in diuinis, habet rationem generationis, quæ est propria viuentium: procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, & à principio coniuncto, & secundum rationem similitudinis; quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere & esse.* Vbi affert quidem similitudinem intentionalem, tamen manifestum est, eam afferre non posse vt necessariam ad generationē simpliciter, in cuius definitione paulo antè non hanc, sed aliam realem similitudinem tantum posuerat, ac declarauerat; affert igitur vt essentialiter inclusam in particulari similitudine reali, quam ratione intellectionis habet Filius Dei cum Deo Patre, vt planius intelligetur ex sequenti conclusione. Quare sensus rationis S. Thomæ hic est, Verbum est filius genitus, procedens vt realiter similis in natura, ratione suæ propriæ processionis per intellectionem; quia hæc in Deo non solum est, vt in nobis, intentionalis similitudo rei intellectæ, sed etiam est (quod formaliter ac præcisè probat intentum) realis similitudo in eadem natura diuina existens, cuiusmodi non est vlla creata intellectio; quia hoc est peculiare in diuina natura, vt propriissima ratio illi essentialis, sit intelligere. quod iterum vberius infrà declarabitur. Hic sensus confirmatur ex responsione ad secundum docente, quod creato verbo, *non proprie & completè competit ratio generationis*, quia, inquit, *intelligere in nobis non est ipsa substantia intellectus. Vnde verbum in nobis non est eiusdem naturæ cum eo à quo procedit: sed intelligere diuinum est ipsa substantia intelligentis. Vnde Verbum procedens, procedit vt eiusdem naturæ subsistens: & propter hoc propriè dicitur genitum, & Filius.* Nullam aliam rationem assignat, propter quam Verbum increatum, sit propriè genitum, & filius, nisi quia ex vi propriæ processionis, accipiendo intelligere diuinum, quod est ipsa substantia, & essentia Dei, *procedit vt eiusdem naturæ subsistens*; quod ad similitudinem realem in essendo apertissimè spectat; & non dicit, Verbum esse propriè genitum & filium propter aliam similitudinem intentionalem; ergo hæc non est formaliter necessaria ad rationem diuinæ generationis & filiationis: alioqui non rectè dictum esset, *& propter hoc*, id est, propter realem similitudinem essendi in eadem natura, *propriè dicitur Verbum genitum, & filius.*

Cur S. Thomas hic processionem Verbi explicet etiam per similitudinē intentionalem.

Præterea Alensis, Bonauentura, Maior, Alliacensis, sequentes Riccardum de S. Victore, vt supra num. 40. similitudinem requisitam ad generationem, realiter explicant per naturæ fœcunditatem. Vnde Riccardus libro 6. de Trinitate cap. 3. medio discrimen inter processionem Verbi, & processionem Spiritus sancti, tradendum esse docet, *quantum ad naturæ ordinem.* Illi etiam qui dixerunt, ideo Verbi processionem esse generationem, quia eius terminus procedit quomodo natus, non quomodo datus, vt Augustinus, Hugo Victorinus, Magister, Ægidius, Ochamus citati supra n. 22. vel quia Verbum procedit ab vno, Spiritus verò sanctus à duobus, vt Augustinus, Anselmus, Magister, Bonauentura, Ægidius, Alliacensis, Durandus supra num. 24. in eodem discrimine spectarunt realem, non intentionalem similitudinem: sicut etiam multò plures, præsertim ex antiquioribus, docentes, Verbum generari, quia procedit per modum naturæ, non generari Spiritum sanctum quia procedit per modum voluntatis. Ita Albertus in summa p. 1. tractatu

63.

Riccardus Victorinus.

Verbum procedere per modum naturæ, Spiritū sanctum per modum voluntatis, dixerunt. Albertus.

tractatu 9. q. 42. membro 3. initio corporis distinguens duo diuinæ communicationis principia, *Naturam & voluntatem*, & antea in tractatu 7. quæst. 30. membro 3. art. 2. quæstiuncula 1. initio corporis dixerat, *quod Filius non sit opus voluntatis, sed opus naturæ quod concomitatur voluntas.* Vbi Albertum vsurpare naturam per intellectum secundum realem similitudinem, quam habet respectu subiecti, non secundum similitudinem intentionalem respectu obiecti, clarè intelligitur ex sequenti q. 31. membro 2. circa medium corporis, *In generationis*, inquit, *intellectu est, quòd sit processio naturæ in similitudinem speciei & formæ. In processionem autem Spiritus sancti nihil tale est secundum intellectum*; hoc est, secundum quod intelligitur, vt formalis ac propria processio Spiritus sancti. & in fine corporis, *Non exigitur ad id, quòd aliquis sit filius, quòd in modo existendi conueniat cum Patre, sed quòd conueniat in natura, & specie*: & non addit in obiectiua, atque intentionali repræsentatione. Vnde ad 2. nullam aliam rationem assignat, cur Spiritus sanctus non generetur, nisi quia ex proprio modo emanationis suæ, *non procedit in similitudinem speciei, & formæ, & substantiæ, & naturæ, sed voluntatis.* Addendum profectò fuisset, Non procedere in similitudinem intentionalem repræsentandi; si putasset, ex hoc solo processionem Spiritus sancti non habere rationem generationis; & in alio genere naturalis similitudinis quoad speciem & substantiam, omnino conuenire cum processione Verbi. Ita etiam Alensis p. p. q. 43. membro 1. argumento suo 1. 2. 3. & 6. & ad 5. in oppositum S. Thomas de potentia q. 10. art. 2. fine corporis, & ad 7. & 11. Bonauentura 1. d. 31. art. 2. q. 2. post medium corporis. Ægidius 1. d. 13. q. 1. §. *Secunda via.* Henricus quodlibeto 5. q. nona, circa principium corporis, & in summa art 53. q. nona, litera C. & art. 60. q. 1. latissimè per totam. Riccardus 1. d. 13. art. 1. q. 3. circa finem corporis, & ad 1. Scotus 1. d. 2. q. 7. §. *Dico tunc*, & infrà, §. *Ad tertiam instantiam.* & d. 10. q. vnica. §. *Quantum ad* 1. Durandus 1. d. 6. q. 2. per totam. Dionysius Carthusianus 1. d. 13. q. 1. §. *In oppositum*, & proinde referens ex Alberto, quòd *Filius, & non Spiritus sanctus dicit rationem accipientis naturam*, & ex Vdalrico, *quòd generatio est opus naturæ, sub ratione naturæ, ita quod per propriam rationem eius communicetur natura.* & postea ex propria sententia contra Ægidium addens, quòd *modus distinguendi inter processiones diuinas, penes pluralitatem modorum producendi per modum naturæ; & voluntatis, est euidenter Anselmi. Vnde Henricus & Scotus approbant ipsum.* Et idem repetit ad 1. & ad 3. Capreolus 1. d. 13. q. vnica, art. 1. conclusione 3. & passim alij, qui in huiusmodi differentia, duo significant valde notanda. Alterum, quod ex instituto demonstrauit in 1. tomo q. 4. art. 2. à dubitatione 4. & infetius, occasione præsentis controuersiæ, iterum significabo, & solum, vt ego quidem existimo, reddere potest de hoc fidei quæsito rationem aliquam planè intelligibilem, Voluntatem esse in Deo perfectionem attributalem extra intrinsecum conceptum naturæ, siue essentiæ, quandoquidem tradunt, vt distinctos procedendi modos, procedere per voluntatem, & procedere per naturam; intellectum verò esse de conceptu intrinseco, & vltimate constitutiuo naturæ, siue essentiæ; quandoquidem modum procedendi per intellectum explicarunt in diuinis, esse modum procedendi per naturam. Alterum, quod nunc ad propositum huius quæstionis magis directè facit, in modo quo procedit Verbum diuinum per intellectum, in quo essentialiter reperitur vtraque similitudo, & naturalis in essendo, & intentionalis in repræsentando, non esse formaliter, & præcisè spectandam intentionalem, sed naturalem similitudinem, vt probemus Verbum esse formaliter genitum & filium: quamuis enim Verbum diuinum, vt sit formaliter verbum, habeat ex intellectione in quantum est intentionaliter similis; tamen vt sit formaliter filius, habet ex eadem intellectione, in quantum est naturaliter similis: & ideo sapientissimi Theologi, vt significarent hanc formalem rationem diuinæ generationis, ac filiationis, eamque à Spiritus sancti processione distinguerent, dixerunt quidem, processionem Spiritus sancti esse *per voluntatem*, tamen processionem Verbi noluerunt similiter dicere esse *per intellectum*, quo exprimitur potius esse formale Verbi intentionaliter repræsentantis, sed dixerunt, esse *per naturam*, quo clarius exprimitur esse formale filij realiter repræsentantis eamdem naturam, atque essentiam Patris.

Explicatur præcisa procedendi differentia.

Alensis. S. Thomas. Bonauent. Ægidius. Henricus. Riccardus. Scotus. Durandus. Carthusian.

Probatur conclusio tertiò rationibus.

64. *Prima ratio à priori.*

Arguo primò à priori, sumendo ex prædicta authoritate hanc maiorem propositionem. Generatio Filij præcisè & analogicè considerata, est essentialiter productio similis in natura, & esse reali cum Patre generante. Sed productio Verbi in diuinis est verè ac propriè generatio Filij. Ergo est essentialiter productio similis in natura, & esse reali cum Deo Patre. Ergo sola similitudo intentionalis, qua obiectiuè tantum repræsentetur natura principij producentis, non est sufficiens terminus diuinæ generationis, & sufficiens ratio constitutiua diuinæ filiationis. Duæ consequentiæ sunt euidentes. Minor est de fide. Maior apud omnes naturali lumine nota esse debet ex communissima omnium hominum conceptione, cum in Filiis realem aliquam ac naturalem parentum similitudinem nemo non cogitet; & certa ex dictis omnium Sanctorum, & Scholasticorum suprà. Suaderi præterea potest ex verbis Christi Domini Ioannis 3. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Cuius propositionis veritas manifestè supponit, in quauis natiuitate, siue carnali, siue spirituali, terminum eiusdem esse naturæ, cuius est principium vnde nascitur. Et c. 14. de se ipso, vt Dei Filio tamquam aliquid proprium dicit. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Quod verificari docet Cyrillus suprà n. 61. *Quia Filius substantiæ genitoris imago est.* imago scilicet in ipso esse reali Filij; alioqui videns Filium non videret Patrem, sed quamdam Patris mentalem repræsentationem, quæ facit videre Patrem respectu mentis, quæ per eam formaliter videt, non respectu mentis quæ eam obiectiuè tantum videt: sicut omnes beati vident comprehensionem Dei, & tamen nemo Deum comprehendit. Et ex verbis Philosophi 7. metaph. t. 28. *Manifestum est, quòd generans tale est, quale quod generatur; non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie, vt in naturalibus; homo namque hominem generat.* Et 2. Phys. t. 24. ita definit. *Generatio, via est ad naturam.* Vbi loquitur de generatione propria viuentium, quia statim explicat, illam esse generationem, qua aliquid *nascitur*; nasci autem est viuentium proprium. Et 2. de anima t. 49. docet, quòd generationis viuentium *finis est, generare quale ipsum.* Quæ omnia ad realem similitudinem in natura manifestè spectant. Sicut antea in t. 34. & 35. clarius ac fusius ait, *Naturalissimum opus, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum; animal quidem animal, plantam autem plantam.*

Exponuntur loca Ioan. 3. & 14.

Cyrillus.

Aristoteles.

Arguo secundò ex paritate cum processione

65.

Secunda ratio ex verbo & amore euaturarii.

verbi accidentalis,& processione accidentalis amoris in creaturis: hæ enim duæ processiones sunt quædam accidentales generationes in vno genere Alterationis,quamuis processio verbi, & non amoris, terminetur ad similitudinem intentionalem. Ergo pariter in diuinis, si processio Verbi personalis nullo alio modo distinguitur à processione Spiritus sancti, siue amoris personalis, nisi per solam intentionalem similitudinem,adhuc vtraque pertinere deberet ad idem genus substantialis generationis. Si enim processio amoris creati, quia terminatur ad esse accidentale, non habens intentionalem similitudinem, est alteratio;& item processio verbi creati, quia terminatur etiam ad esse accidentale, adhuc est alteratio, tametsi hoc esse habeat præterea similitudinem intentionalem;cur pariter processio amoris increati terminata ad esse substantiale,ac personale eodem plane modo, quo terminatur processio Verbi increati, non erit in eodem genere natiuitatis substantialis viuentium, non obstante sola intentionali similitudine, quæ in vno termino est,& non in alio?

66. *Tertia ratio ex veritis viuentiũ generationibus.*

Arguo tertiò à posteriori ex creatis generationibus,quæ sunt notiores nobis:scimus enim omnes productiones tam Plantarum, & Brutorum, quam Hominum, esse essentialiter generationes viuentium, in quibus tamen nulla est intentionalis similitudo in repræsentando, sed sola realis in essendo. Ergo processio Spiritus sancti, si in ea reperitur eadem realis similitudo in essendo, quæ reperitur in processione Verbi, non potest ex præciso defectu solius similitudinis in repræsentando, rationabiliter excludi à communi ratione generationis. Ex illa enim differentia oritur quidem, vt vna, & non alia sit generatio Verbi intentionalis, tamen non impeditur, quo minus vna, & non alia sit generatio Filij naturalis.

67. *Quarta ratio contra Aureolum.*

Arguo quartò specialiter contra Aureolum suprà n.60. fine, cuius opinio in hac materia est singularis,& omnino reiicienda, quia non solum vult ad rationem generationis Filij Dei esse necessariam similitudinem intentionalem, siue obiectiuam, quod multi alij tenent,in hac tantum ponentes differentiam inter processionem Verbi, & processionem Spiritus sancti, sed etiam contendit, non esse necessariam,& de facto non dari, imò esse impossibilem aliam similitudinem realem in substantia & natura:quod est contra omnes planè Theologos superius allegatos,tam Patres,quàm Scholasticos,qui omnes eadem certitudine, qua fatentur, processionem Verbi diuini esse verè ac propriè generationem Filij naturalis, fatentur quoque illam per se,& essentialiter terminari ad naturam, siue ad realem similitudinem in substantia: quamquam nonnulli volunt, præsertim ex recentioribus, hanc similitudinem,quam putant eadem ratione reperiri in processione Spiritus sancti,ita esse necessariam, vt non sit sufficiens ad generationem Filij Dei,nisi accedat ratio imaginis, siue alia similitudo in repræsentando,& consequenter, per hanc solam, vltimatò, & quasi specificè in ratione generationis constitui processionem Verbi, & non Spiritus sancti. Quam opinionem hactenus impugnauimus,& iterum impugnabimus infrà, dub.8. Nunc contra Aureolum est,tum quia si naturalis filiatio, ac generatio Filij Dei, non necessariò inferret similitudinem in natura, nullius momenti essent argumenta relata suprà art.1.n.70. quibus omnes Patres ex Scripturis sanctis aduersùs Arianos demonstrant, Verbum Dei esse essentialiter Deum, consubstantialem Patri, quia est naturalis Filius Dei. Quam consequentiam facit ipsemet Paulus ad Hebræos 1. nam volens probare, quòd Christus sit eiusdem naturæ diuinæ cum Patre, *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, supra omnem naturam creatam, etiam supremam angelicam,ita arguit, *Cui enim dixit aliquando Angelorum,Filius meus es tu,ego hodie genui te?& rursum,Ego ero illi in Patrem,& ipse erit mihi in Filium?* Eiusdem consequentiæ vim senserunt etiam Iudæi,& Diabolus, vt citato n.70. ostendi. Sensit quoque ipsemet Arius, qui Filio Dei concessit solum filiationem adoptiuam,& negauit naturalem, ne cogeretur illi tribuere diuinitatem, quam ex naturali filiatione necessariò sequi, euidenter cognoscebat. Tum quia similitudo intentionalis reperitur in intellectu creato, vbi habet quidem rationem formalem Verbi,non tamen Filij; nullam sanè aliam ob causam, nisi quia non procedit, vt realiter,& in natura simile principio suo. Igitur si ab intellectu diuino non procedit terminus, nisi vt intentionaliter similis, ille non erit plus quam formaliter Verbum: quæcumque enim differentia assignabitur, faciet quidem ex parte Verbi diuini infinitum excessum,semper tamen in eodem analogico genere Verbi; sicut quòd similitudo intentionalis in Deo sit increata, independens,infinita,&c. facit quidem excessum in genere similitudinis intentionalis, non tamen transitum ad aliud genus similitudinis naturalis. Tum quia totum id quod Aureolus vult satis esse ad generationem Filij Dei, includitur essentialiter in ipsa natura Dei absolutè considerata,vt communis est Patri,Filio,& Spiritui sancto. Etenim similitudo intentionalis præcisè, habetur adæquatè per solam habitudinem ad obiectum intelligibile, non autem per habitudinem ad terminum producibilem: quia eo ipso quòd quis concipitur intelligere aliquam rem, concipitur necessariò habere quicquid requiritur ad intentionalem, siue obiectiuam illius rei similitudinem. Sed omnes tres personæ,in quantum sunt hic numero Deus, habent absolutè & essentialiter prædictam similitudinem, qua per habitudinem ad obiectum æqualiter intelligunt,& comprehendunt diuinam eorum naturam: & nihilominus generatio non omnibus conuenit, sed actiuè Patri tantum, passiuè Filio tantum. Ergo generatio diuina insufficienter explicatur per puram similitudinem repræsentatiuam cum sola habitudine ad obiectum: & nimis diminutè dixit Aureolus citatus art.4.§.2. ante medium, *Deus verè & realiter se ipsum generauit, si seipsum veraciter intellexit.* Sic enim gentiles Philosophi, quibus naturali lumine notum est, Deum intelligere se ipsum, naturaliter etiam cognoscerent ac demonstrarent diuini Verbi generationem; & daretur occasio negandi diuinas personas. Enim verò ipsimet Sabellianinegantes Patrem & Filium,tamquam duas distinctas personas, non negarunt Deum intelligentem,& Deum intellectum. Ergo Pater & Filius in diuinis, præter similitudinem obiectiuam, quam Deus vt intelligens habet cum se ipso,vt intellecto, importare necessariò debent aliam similitudinem naturalem, quam vna diuina persona vt naturaliter genita habet cum alia persona,vt naturaliter generante.

Exponitur locus ad Heb.1

DVBITATIO VII.

An similitudo intentionalis sit necessaria, vt processio Verbi sit generatio.

SVMMA.

1 *Probatur esse necessariam essentialiter concomitanter, num.68.ad 72.*
2 *Probatur non esse necessariam formaliter,ibidem.*

Secunda

68. *Secunda conclusio in qua distinguitur, & declaratur veritas.*

SEcunda conclusio, similitudo intentionalis est essentialiter necessaria ad diuinam generationem,& filiationem: tamen concomitanter tantum, non formaliter. hoc est, generatio diuina, etsi esse simpliciter non possit absque intentionali similitudine, tamen formalem conceptum generationis non habet ex intentionali similitudine, sed ex sola similitudine naturali. Item Filius Dei essentialiter importat,vt sit etiam Verbum Dei, sed esse Filij, vt Filij formaliter, habet ex sola reali similitudine in natura diuina,sicut esse Verbi, vt Verbi formaliter, habet ex sola intentionali similitudine in repræsentando obiectiuè naturam sui principij producentis ac dicentis, respectu cuius processio habet, vt sit formaliter dictio Verbi, non autem vt sit formaliter generatio Filij. Secunda conclusionis pars, quæ dicit, similitudinem intentionalem non esse necessariam essentialiter formaliter,constabit ex dubitatione sequenti,in qua probabo, per solam similitudinem in natura diuina haberi sufficientissimè totum formalem conceptum diuinæ generationis & filiationis;ita,vt processio per intellectum diuinum, quæ essentialiter affert similitudinem intentionalem in repræsentando per habitudinem ad obiectum, præcisè considerata vt affert similitudinem realem in essendo per habitudinem ad subiectum, habeat totum formalem conceptum naturalis generationis Filij Dei, etiamsi per impossibile ab ea realiter separaretur similitudo intentionalis.

69. *Similitudinẽ intentionalẽ requiri essentialiter concomitanter.*

Prima verò conclusionis pars, quæ dicit, in diuina generatione includi essentialiter aliquo modo similitudinem intentionalem, esse debet certa apud omnes, tanta certitudine, quanta certum est, Generationem Filij Dei nihil aliud essentialiter esse, quam processionem diuini Verbi personalis per intellectum Dei Patris. Sed Verbum intellectuale essentialiter includit prædictam similitudinem, cum sit formalis & expressa obiecti repræsentatio; ergo eam etiam essentialiter includit generatio Filij Dei. Eamdem similitudinem diuinæ generationi passim tribuunt Patres. Sed omnium expressissimè ac formalissimè loquitur Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 2. initio, cuius verba recipit Magister lib.1. sent. d. 27. litera E. cum omnibus Scholasticis, *Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Et paulò post, *Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia; vt sit & Filius, & imago. Et hæc duo cum dicuntur, id est, nata sapientia, in vno eorum,eo quòd nata est, & verbum,& imago, & filius intelligatur.* Cum dicitur, *eo Filius*, &c. sensus est,Per eamdem sapientiam,per quam,ex vi formali suæ processionis acceptam, secunda persona diuina habet,vt sit Filius, habet etiam vt sit Verbum; & è conuerso,Per eamdem sapientiam, qua habet vt sit Verbum, habet etiam vt sit Filius. Non est autem sensus, Per eamdem sapientiæ habitudinem, per quam formaliter habet Verbum vt sit Verbum,habet etiam quòd sit Filius vt formaliter filius. Nam ipsemet Augustinus illis verbis, *Vt sit & Filius, & imago*, satis clarè significat, distinctam aliquam rationem formalem esse, per quam Filius sit formaliter filius,& per quam sit formaliter imago, scilicet intentionaliter repræsentans principium vnde est: quoniam eadem sapientia diuina à Patre Filio communicata ex vi propria suæ processionis, habet essentialiter habitudinem ad obiectum, in quantum est ipsa actualis repræsentatio obiecti, & sic est intentionaliter similis Patri, & formaliter Verbum habet etiam eadem essentialiter habitudinem ad subiectum, in quantum est veluti quædam forma, seu perfectio diuinæ essentiæ, & quasi vltimum illius constitutiuum & specificatiuum, & sic est realiter,& in essendo similis Patri,& formaliter Filius. Quam doctrinam breuiter significauit Capreolus Capreolus. 1.d.9.q.1.art.1. ad 1. Aureoli contra primam conclusionem dicens, *Quod eadem est proprietas, qua Filius Dei est filius, & qua est Verbum;sed alia est ratio vtriusque.*& benè confirmat ex S.Thoma infrà,q.34.art.2. S.Thomas. ad 3.dicente, *Quòd in nomine Verbi eadem proprietas importatur, qua in nomine Filij. Vnde dicit Augustinus eo dicitur Verbum,quo Filius.*

*Exponitur illud Augustini,*Eo Filius, quo Verbum,*&c.*

Non minus clarè ac formaliter loqui videtur Athanasius, qui in eodem sensu est accipiendus. Nam oratione 2. contra Arianos propè medium probat, Filium Dei esse genitum sine vlla passione, cum qua generantur filij hominum,quia,inquit, *ex sacris literis, Eo ipso quo Verbum, Patris sui est Filius; & Filius, Verbum est Patris, eiusque sapientia.* & oratione 5.in illud dictum, *Ex Deo Deus*, initio volens probare,Filium esse vnum Deum cum Patre, & Deum de Deo,ait,*Cum enim ratio sit vnius Dei, ideo Filius in eum refertur cuius est Filius.* hoc est, vt ego quidem interpretor, Cum Filius Dei sit ipsum intelligere Dei Patris, &, vt dicitur hîc in fine corporis, *in Deo idem sit intelligere & esse*, ideo Filius refertur in Patrem, tamquam Deus in Deum: atque hanc vnitatem in Deitate, & realem similitudinem in natura,spectasse Athanasium,patet,quia immediatè post verba citata, sic subdit,quod dixerat declarando; *ita vt duo quidem sint Pater & Filius, sed tamen vnitas Deitatis remaneat,eaque & indiuisibilis, & minimè discissa.* Et de Decretis Nicænæ Synodi,circa medium, *Porrò Filius Dei quis nam fuerit, nisi Verbum eius?* Et paulò post, *Filius Dei, vt ex ipsis scripturis patet, ipse est Dei Verbum, & sapientia, & imago.* & statim indicat, alia formali ratione esse Filium, alia Verbum, dicens, *Siue enim Filium dixeris, eo ipso naturaliter eum ex Patre declarueris. Siue eum rationem, siue Verbum Dei esse cogitas, rursum eum ex illo esse cogitueris.* Nimirum non *naturaliter*,vt dixerat de Filio, qui vt sic per naturalem similitudinem refertur ad Patrem,vt generantem: sed intentionaliter, in quantum refertur ad Patrem vt formaliter dicentem,estque illi simile in repræsentando. Quare cum paulò post subdit, *Quòd si eum imaginem nominesi, Filium hoc ipso eum esse indicaueris*, loquitur de imagine naturali, non intentionali: quia immediatè post ita id probat, *Quid enim simile Deo,nisi sua ipsius progenies?* Præterea Damascenus lib.1.Fidei c.8.post medium cum pro sequenti conclusione 3. & parte 2. huius conclusionis dixisset, *Generatio est,ex substantia gignentis proferri, quod gignitur,simile secundum substantiam*; quibus verbis, in definitione generationis, nulla alia similitudo exprimitur nisi naturalis, ac realis: deinde post longam explicationem generationis Filij Dei, tandem circa finem capitis pro prima parte huius conclusionis ita concludit, *Generat ergo Deus suum Verbum.* Quod prius vocauerat, simile secundum substantiam,nunc vocat, Verbum, hoc est,intentionaliter simile,secundum formalem repræsentationem. Item Theodotus Ancyræ Episcopus in quadam homilia habita in Concilio Ephesino, vt ibi refertur tomo 6.c.10. circa medium ait, *Generationis impatibilitatem Verbum significat, consubstantialitatem Filius indicat.* Et similiter à reliquis Patribus, eadem secunda persona genita, sicut ob naturalem similitudinem dicitur, Deus de Deo procedens; ita ob similitudinem intentionalem dicitur, Verbum procedens ex mente.

70. *In eodem sensu loqui Athanasium.*

Damascen.

Theodotus.

71. *S.Thomas generationem Dei aliquãdo explicat etiã per similitudinem intentionalem.*

Hinc quoque factum est, vt S.Thomas aliquando essentialem rationem diuinæ generationis explicauerit per solam similitudinem in essendo, vt notaui suprà n.62.sicut etiam alij relati n.63. quia hæc tantum formaliter specificat formalem illius generationis

rationis conceptum: aliquando etiam per similitudinem repræsentando, quia hæc etiam necessariò, & essentialiter concomitatur realem conceptum illius generationis, quæ est per intellectum. Sic in hoc articulo in fine corporis probatur, Verbum generari procedendo, *Secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere, & esse.* Sic infrà art. 4. vbi fauere videtur aduersariis dicentibus, similitudinem in natura, non satis esse ad formalitatem Filij Dei, nisi accedente alia similitudine in repræsentatione; sed verè non fauet, quia si faueret, nimis faueret, cum ibi nullam aliam similitudinem necessariam ad diuinam generationem afferre videatur, nisi intentionalem. Igitur S. Thomas ibi, vt probet, Spiritum sanctum non generari, sed generari Verbum, sumit quidem vniuersaliter, *Processio, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis*; quæ similitudo conueniens intellectui, vt sic, ac proinde omni intellectui, tam creato, quàm increato, non potest esse alia, nisi intentionalis & repræsentatiua: sed cum immediatè post subdit, *Et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile*; manifestè non sistit in similitudine intentionali, sed facit transitum ad aliam similitudinem realem, secundum quam, *Omne generans generat sibi simile*: nam omnia planè generantia generant sibi simile in essendo, & nullum generans generat sibi simile in repræsentando, nisi vnum generans diuinum, quod, quia singularissimo modo generat per intellectum, non solum generat Filium similem in essendo, sed simul etiam Verbum, quod est simile in repræsentando. Itaque sensus discursus S. Thomæ, vt integer sit, & clarius percipiatur, supponere debet aliquid prius probatum in art. 2. in fine corporis, nimirum, Verbum diuinum ex propria vi processionis suæ per intellectum, procedere *in eadem natura existens*, quod est procedere in realem similitudinem naturæ, *quia*, inquit, *in Deo idem est intelligere & esse.* Sensus igitur est hic, In tantum processio Verbi potest habere rationem generationis, in quãtum per eam Deus generans generat sibi simile in essendo; sed Deus illud tantum generare potest sibi simile in essendo, quod per intellectum generat sibi simile in repræsentando, quia intelligere in Deo est ipsa substantia & natura Dei; velle autem in Deo, per quod procedit Spiritus sanctus, non est ipsa natura Dei, sed proprietas quædam naturæ, siue, vt additur eodem art. 4. tum ad 1. tum propè finem corporis, *est vnum cum diuina natura, & quædam vitalis motio, & impulsio naturæ.* Igitur processio Verbi per intellectum, & non Spiritus sancti per voluntatem, habere potest in diuinis rationem generationis. Quo tandem discursu nil aliud habetur, vt patet, nisi quod intendimus in hac secunda conclusione, nempe similitudinem intentionalem in Verbi diuini generatione interuenire necessario, & essentialiter, tamen non formaliter, sed concomitanter; quia non interuenit vt de essentia generationis, sed solùm vt de essentia intellectionis, quæ est de essentia diuinæ generationis, licet de essentia diuinæ generationis non sit illa intellectio in quantum similis intentionaliter in repræsentando, sed solum in quantum similis realiter in essendo. Quod non obscurè expressit Riccardus 1. d. 2. art. 2. q. 2. ad 2. illis verbis. *Dico quòd processio per modum naturæ, qua procedit Filius, & processio per modum intellectus, qua procedit Verbum, non distinguuntur in diuinis realiter; nec etiam Filius & Verbum: vnde sola ratione differunt. Filius enim procedit per modum naturæ: Verbum autem per modum naturæ, qua est intellectus.* In processione diuina

Riccardus.

per intellectum, duo per rationem ratiocinatam, & in rebus ipsis fundatam, distinguit; alterum quòd intellectus ille sit natura, sub qua formali ratione illa processio tendit ad similitudinem in natura, & habet vt sit formaliter generatio Filij; alterum quod sit intellectus, & sic illa processio non est generatio Filij, sed productio Verbi. Et iuxta hunc sensum paulò post ita addit, *Id quod procedit per modum intellectus, vt Verbum, ex ratione modi procedendi procedit per modum similitudinis*, nimirum intentionalis in repræsentando: *sicut & Filius qui procedit per modum naturæ.* hoc est, per modum similitudinis realis in essendo. Expressit quoque Scotus 1. d. 10. q. vnica, dub. 1. post medium illis verbis, *Ratio qua productum natura eliciente dicitur Filius, est prima: & ratio, qua dicitur verbum, est respectu illius, quasi secunda.*

DVBITATIO VIII.

An sola realis similitudo sufficiens sit, vt processio Verbi sit generatio.

SVMMA.

1 *Conclusio affirmatiua, & auctores vtriusque partis, num. 82.*
2 *Probatur conclusio duabus rationibus, num. 73. ad 74.*
3 *An Spiritus sanctus procedat formaliter, vt similis in natura, num. 75. ad 83.*

72. *Tertia conclusio affirmatiua de necessitate & sufficientia formali.*

TErtia cõclusio, Similitudo simpliciter necessaria, & formaliter sufficiens, ob quam formalitas generationis, & filij, conuenit processioni Verbi, non processioni Spiritus sancti, est sola similitudo realis in essendo, secundum quam terminus ex vi formali talis processionis, recipiat eamdem naturam siue essentiam, quam habet principium illius processionis. Hæc conclusio, occasione præcedentium conclusionum, ex connexione materiæ, est sufficienter explicata, & ferè probata. Maximè aduersatur Aureolus supra n. 60. volens, nullam diuinam processionem posse terminari ad similitudinem quoad substantiam & naturam. Secundò minus aduersantur plerique recentiores dicentes, hanc similitudinem realem, esse quidem necessariam, tamen, quia illa eodem modo reperitur in processione Spiritus sancti, non esse sufficientem, sed requiri præterea similitudinem intentionalem, ad quam sine dubio tendit processio Verbi per intellectum, non Spiritus sancti per voluntatem. Tertiò minimè omnium aduersantur quidam moderni, rectè dicentes, Verbum, & non Spiritus sanctum, ex vi formali suæ processionis produci in realem similitudinem naturæ: & nihilominus confugientes ad intentionalem similitudinem, vt rationem reddant, cur Verbi processio, & non Spiritus sancti sit generatio. Cuius opinionis cohærentiam non satis percipio, quia si conceditur, Verbum in similitudinem naturæ procedere diuersa ratione formali ab illa, qua procedit Spiritus sanctus, iam sistendo præcisè in sola similitudine reali, habetur sufficiens ratio asserendi, illam processionem, & non hanc, esse formaliter generationem naturalem ac substantialem; & nullam video necessitatem addendi præterea aliam similitudinem intentionalem, vt intelligamus, Processionem Verbi esse formaliter generationem Filij, & distinctam à Spiritus sancti processione, quæ non est generatio. Sed intentionalem similitudinem à ratione formali generationis & filij expressè excludunt Ruiz disp. 8. sect. 3. num. 10. Zuniga disp. 2. dub. 20. membro 5. num. 2. & sæpe deinceps.

Contra Aureolum, & alios.

Est Ruiz, Zuniga,

Florauantij.

ceps. Florauantius post librum 2. notatione 7. ad 1. & 3.

73. *Prima ratio ex definitione generationis.*

Prima conclusionis ratio sit, quia ex authoritatibus allatis suprà, n. 59. 60. & 61. communiter Patres, & antiquiores, ac doctiores Scholastici, generationem definiunt, atque explicant per solam similitudinem in natura, quæ est realis, non intentionalis. ergo per ordinem ad realem similitudinem præcisè, & non per intentionalem, reddenda est ratio, qua rectè probemus, quod fide credimus, vnam processionem in diuinis, & non aliam esse generationem.

74. *Secunda ratio ex conceptu generationis in communi.*

Secunda ratio. Generationis conceptus, analogicè communis increatæ, & creatæ generationi, continere solum debet ea prædicata, in quibus conueniunt omnes istæ generationes. Sed hæ conueniunt in sola reali similitudine in natura, vt omnes concedimus contra vnum Aureolum, & non in similitudine intentionali in repræsentatione, quæ solum reperitur in vna generatione increata, & in nulla omnino creata generatione: ergo perfecta, atque integra ratio generationis communis creatæ & increatæ, consistit essentialiter in sola reali similitudine. Ex quo certissimè discursu, propter quem in ipsamet definitione communis generationis, posita est similitudo realis, & non intentionalis, duo euidenter deducuntur. Alterum, processionem Verbi in tantum formaliter esse generationem, in quantum præcisè tendit ad similitudinem in natura, & solum differre à reliquis generationibus, quia tendit ad similitudinem in natura diuina, ita vt per illam procedat Deus de Deo; aliæ verò tendunt ad similitudinem in aliqua natura creata, v. g. humana, equina, &c. ita vt per illas procedat homo ab homine, equus ab equo, &c. Sicut, quia conceptus animalis præcisus ab omnibus animalium speciebus, includit essentialiter solum principium substantiale sentiendi, quælibet animalis species in tantum est formaliter animal, in quantum participat prædictum sentiendi principium; licet vna species illud participet cum rationalitate, aliæ vero species participent cum irrationalitate. Alterum multò euidentius, Processionem Spiritus sancti, vi sua propria ac formali non posse tendere ad similitudinem in natura, quia sic participaret essentialiter communem conceptum formalis generationis contra fidem, esto non participaret particularem conceptum talis generationis, nempe Verbi, ex defectu similitudinis intentionalis. Sicut Brutum est essentialiter animal, quia essentialiter participat communem animalis conceptum, quamuis illum non participet cum rationalitate, quo modo participat homo.

75. *Tertia ratio ex modo quo procedit Spiritus sanctus.*

Tertia ratio contra secundum & tertium dicendi modum suprà n. 72. nam primus Aureoli sufficienter impugnatus est n. 65. Certum apud omnes esse debet Spiritum sanctum procedere simpliciter similem in natura; sicut certum est, illum esse verum Deum de Deo Patre, & de Deo Filio. Vnde oritur, vt quanta certitudine verum est, Spiritum sanctum non esse genitum, tanta verum etiam sit, ad essentiam conceptum generationis non satis esse, procedere simpliciter similem in natura. Igitur præterea requiritur saltem, vt hanc realem similitudinem in natura, persona procedens habeat ex vi formali suæ processionis, hoc est, præcisè considerata intrinseca ratione sui formalis termini, secundum id quod in se formaliter est, non secundum id cum quo est à parte rei identificatus; & præcisè etiam considerata vi formali, & non identica, talis processionis, per se, & ex propria virtute tendentis ad talem terminum, etiamsi per impossibile nullam idẽtificationem haberent cum aliis rebus. Hanc formalitatem ac reduplicationem significat S. Thomas in hoc articulo cum loquens de hac reali similitudine requisita ad generationem viuentium, quæ propriè dicitur natiuitas, non dixit simpliciter, Requiri quòd generans procedat *in similitudinem naturæ*, sed in sensu formali ac reduplicatiuo, quarer, ac semper dixit, *Secundum rationem similitudinis in natura.* Idque, vt ex Thomistarum sententia benè interpretatur Torres hic 3. parte commentarij, idem est quod, *Ex vi processionis.* & lib. 4. contra gentes c. 11. multò post medium, *Hæc est*, inquit, *vera generationis ratio in rebus viuentibus, quòd id, quod generatur, à generante procedat, vt similitudo ipsius, & eiusdem naturæ cum ipso.* Illa reduplicatio, *vt similitudo*, declarat, Processionem, quæ est generatio, respicere suum formalem terminum, non qui materialiter & identicè est similis, ex eo nimirum, quòd sit identificatus cum alia re, quæ est similis, sed quia formaliter, & per se est similis, sub ea ratione formali præcisè, sub qua formaliter terminat processionem. Illa additio, *& eiusdem naturæ cum ipso*, explicat, prædictam similitudinem, necessariam ad generationem viuentium, non esse aliam, nisi naturalem ac realem, quòd in hac tertia conclusione tuemur.

S. Thomas.

Torres.

76.

His positis, quæ nemo ferè negat, ita arguo. Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis, vel procedit vt similis, vel non. Si dicatur, non procedere, vt dicendum esse mox probabo in impugnatione primi membri, ergo per solam similitudinem realem in natura, habetur sufficiens distinctiuum formale inter processionem Verbi & Spiritus sancti, quia conceditur, Verbum, & non Spiritum sanctum ex vi formali propriæ processionis, accipere similitudinem in natura: conceditur etiam, ad formalem generationis conceptum, esse necessarium, procedere similem, non quomodocumque, sed ex vi formali processionis; ergo Spiritus sanctus, si non procedit hoc modo, non habet aliquid essentialiter necessarium ad rationem geniti & filij. Ergo per solam realem similitudinem, quæ formaliter non reperitur in processione Spiritus sancti, sed secundum omnes reperitur formaliter in processione Verbi, illa sufficienter excluditur à ratione generationis, hæc sufficienter includitur, & constituitur in eadem generationis ratione. Alia enim similitudo intentionalis quamuis constituat, ac distinguat in ratione formali Verbi, & non Verbi, tamen quòd sit etiam essentialiter necessaria ad constituendum, & distinguendum in ratione formali Filij geniti, & non Filij geniti, dici facilius potest, quàm vlla probabili ratione suaderi: præsertim cum videamus, in reliquis omnibus viuentium generationibus, essentialem filiationis & generationis conceptum, totum & adæquatum, sufficientissimè saluari sine ista intentionali similitudine.

77.

Si dicatur primum, nempe, Spiritum sanctum procedere non solum similem, sed etiam vt similem ex vi formali suæ processionis; & consequenter, hoc non satis esse, vt processio Verbi, & non Spiritus sancti sit generatio; & ideo, vt reddatur sufficiens, & adæquata ratio huius discriminis, addendam esse aliam similitudinem intentionalem, quæ secundum omnes reperitur formaliter in sola processione Verbi per intellectum, non Spiritus sancti per voluntatem; arbitror, id nullo modo posse conuenienter dici. Primò authoritate, quamuis enim Vazquez disp. 113. c. 6. sæpe, & disp. 145. n. 11. & alij multi recentiores, vel inuiti, in eam propositionem inciderint, sequentes Torres hîc in 4. parte commentarij, primum illius propositionis authorem, sed non nisi trepidè, & sub dubio ita dicentem, *Hæc argumenta conuincerent apud me, (fortè propter ignorantiam meam)*

Genitum procedit simile formaliter, non materialiter.

Spiritus sanctum non procedere vt formaliter similem in natura contra Vazquez, Gillium, Torres, & alios.

Spiritus

Spiritum sanctum procedere similem Patri & Filio ex vi productionis; *quod nequaquam concedere volo, ne à communi Doctorum nostræ tempestatis sententia discedam*; licet paulò post eam concedat in §. *Quocirca*, dicens, contraria argumenta probare, *Spiritum sanctum procedere similem ex vi processionis*, & solum contendit, *non procedere per modum imaginis ex vi processionis*, de quo disputabimus infrà; tamen longè alius est veterum & grauiorum Theologorum consensus. Satis sint tres, omnium grauissimi ac doctissimi.

Sed illud docent Albertus, S. Thomas.

Magnus Albertus loco, & verbis allatis, atque explicatis, n. 61. illam propositionem non semel clarissimè negat. S. Thomas, cum in hoc articulo docuisset, Verbum ideo generari, quia procedit, *secundum rationem similitudinis*; *in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere & esse*; deinde in art. 4. cohærenter scribit, Spiritum sanctum ideo non generari, quia non procedit, *secundum rationem similitudinis*: & argumento 1. obiiciens sibi, Spiritum sanctum generari, quia procedit *in similitudinem naturæ*; respondet, hoc conuenire Spiritui sancto, quia, *quicquid est in diuinis, est vnum cum natura diuina*; & non ex propria ratione suæ processionis per voluntatem, sicut conuenit verbo ex propria ratione suæ processionis per intellectum: *& inde est*, inquit, *quòd procedens per modum amoris, & diuinam naturam accipit, & tamen non dicitur natum*. Si Spiritus sanctus accipit naturam diuinam, non ex eo quòd formalis terminus suæ processionis, per se & præcisè consideratus, sit natura, sed solùm ex eo quòd sit identificatus, & vnum quid cum natura, Ergo Spiritus sanctus ex propria & formali vi processionis suæ non habet realem similitudinem in natura: & hanc solam rationem assignat S. Thomas, vt probet, illum non esse natum, non confugiens ad similitudinem intentionalem, quam facillimè assignare potuisset, & dicere, illam non reperiri in processione Spiritus sancti per voluntatem, si putasset, eam facere ad formalem generationis ac filij rationem.

78. *Exp[illegible] locus S.[illegible] ma 1. d. q. [illegible] 3.*

Hinc intelligi & explicari potest, quod dixit 1. sent. d. 13. q. vnica art. 3. ad 3. *Processio amoris, in quantum huiusmodi, non habet quòd per ipsam natura aliqua communicetur; sed hoc habet, in quantum est in diuinis, vbi non potest esse aliquid imperfectum. & ideo Spiritus sanctus secundum rationem processionis suæ (communiter loquendo) non habet, quòd communicetur sibi natura. & ideo talis processio, non potest dici generatio secundum suam propriam rationem. Ex ipsa autem ratione generationis est, quòd natura genito communicetur.* Illa reduplicatiua, *in quantum est in diuinis*, potest reduplicare, vel primo diuinitatem amoris, vt sit sensus, Processio amoris, vt amoris simpliciter, non est generatio, vt patet in processione amoris creati, sed generatio est processio amoris, vt diuini, sicut si diceretur, Non sapientia vt sapientia, sed vt diuina, est substantia; in quo primo sensu reduplicatur ipsa intrinseca formalitas amoris diuini præcisè considerati, prout ratione ratiocinata distinguitur ab aliis diuinis perfectionibus: vel secundò conditionem amoris diuini, in quantum ex natura rei identificatur, & vnum quid est cum aliis perfectionibus diuinis. Quòd S. Thomas intelligendus sit in secundo sensu, non in primo, ipsemet videtur exponere voluisse, dum quod in sententiis dixerat, *In quantum est in diuinis*, in summa deinde clarius dixit, *In quantum quicquid est in diuinis, est vnum cum natura diuina.* Non igitur spectauit formalitatem amoris diuini in se ipso præcisè, sed vnitatem & identitatem cum aliis, alioquin dixisset, *In quantum diuini*, potius quam, *In quantum est in diuinis.* Præterquam quòd mens eius per hoc est, distinguere processionem diuini amoris à processione Verbi diuini, & per hanc distinctionem reddere rationem, cur hæc & non illa sit generatio. Quod quidem non præstitisset in primo sensu, in quo etiam de alia processione similiter dicere potuisset, *Processio Verbi, in quantum huiusmodi, non habet quòd per ipsam natura aliqua communicetur, sed hoc habet in quantum est in diuinis.* Nam etiam processio verbi, in quantum verbi simpliciter, non communicat naturam, vt patet in processione verbi creati, sed hoc habet processio verbi in quantum est in diuinis. Hæc igitur non debent intelligi dicta in eodem sensu de vtraque processione, alioquin inde pariter liceret deducere, Processionem Verbi diuini non esse generationem. Igitur de processione amoris sunt intelligenda in sensu identico, non formali; de processione verò verbi in sensu non solum identico, sed etiam formali. Nimirum, ideo processionem intellectionis diuinæ esse generationem, quia per illam, *secundum suam propriam rationem*, communicatur natura, quia scilicet, ipsa intellectio diuina per se, & formaliter præcisè considerata in primo sensu, est natura diuina, siue vt dicitur hîc in fine corporis, *quia in Deo idem est intelligere & esse.* Processionem verò amoris diuini ideo non esse generationem, quia per illam non communicatur natura in primo sensu, *secundum rationem processionis suæ, communiter loquendo*, scilicet propter ipsam amoris formalitatem communem creato & increato amori, quæ est proprietas quædam naturæ diuinæ, & non ipsa natura, & propter identificationem amoris cum natura diuina, quæ identificatio est communis etiam aliis diuinis rationibus, sed communicatur natura in secundo sensu, in quantum proprietas naturæ in diuinis est à parte rei omnino eadem cum natura, & nulla ratione separabilis à natura. Idem igitur apud S. Thomam est, Spiritum sanctum non generari, &, Spiritui sancto ex propria & formali ratione suæ processionis non communicari naturam.

Expenditur cum Syluestro locus de Potentia q. 10. a. 2. ad 22.

Vnde cum q. 10. de Potentia art. 2. ad 22. sibi obiecisset, quod Spiritus sanctus generatur, quia *sua processione accipit formam, id est, essentiam diuinam*, respondet, *Processio Spiritus sancti est processio amoris, per quam non producitur aliquid vt recipiens formam eius à quo procedit, siue naturam: & ideo processio amoris non habet rationem generationis, vel natiuitatis. Sed quòd Spiritus sanctus naturam & formam Dei Patris accipiat sua processione, hoc habet in quantum est amor Dei, in quo non est aliquid, quod non sit natura ipsius.* Quæ verba exponens Syluester p. p. Conflati q. 27. art. 6. ad 17. ait, *Nota quòd hoc intelligitur dictum secundum formalem rationem talis processionis, quamuis materialiter considerata, vt est hæc, puta diuina, per eam procedat aliquid vt recipiens formam eius à quo procedit.* Spiritus sancti processio, considerata formaliter secundum vltimam suam differentiam, non est processio amoris in communi, seu præscindentis à diuino, sed est processio amoris, vt diuini formaliter, sicut ipsa processio in se formaliter est diuina, accepta scilicet diuinitate non specificè pro essentia Deitatis, sed quodammodo genericè, pro prædicato communi omnibus rationibus in Deo formaliter existentibus, siue sint essentiales, siue attributales, siue personales. Ergo cum S. Thomas & Syluester docent, quòd processio Spiritus sancti vt materialiter diuina tendit ad amorem diuinum, & ad essentiam, non possunt sumere diuinum secundo modo genericè, sed primo modo specificè. Quod expressit S. Thomas cautius dicens, *In quantum est amor Dei*, hoc est, essentiæ diuinæ, cum qua omnino identificatur quicquid est in Deo; & non dixit, *In quantum est amor diuinus*, ad quem non potest non formalissimè tendere processio per voluntatem formaliter diuinam. Ergo putarunt, amorem, etiam vt formaliter

ter diuinum in aliquo bono sensu, non esse ipsam essentiam diuinam, sicut & ipsum intelligere diuinum; quod propterea ex vi propria suæ processionis recipiens Verbum, generatur, & procedit vt formaliter simile in natura.

79. Præterea infrà, q. 33. art. 2. ad 4. de generatione, etiam diuina, ait, *Manifestum est, quòd generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati; nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundum formam*: quę similitudo procul dubio est realis, non intentionalis. Si ratio formalis & specifica generationis diuinæ habetur ex eo quòd terminetur ad communicandam eamdem numero naturam; ergo non potest Spiritui sancto, qui non generatur, communicari eadem natura, non solùm identicè, sed etiam formaliter ex propria ac præcisa vi suæ processionis: tunc enim, vt docet S. Thomas ex hoc formali naturæ termino talis processio acciperet speciem generationis, contra fidem.

Scotus, & alij.

Scotus quoque 1. d. 10. quæst. vnica ad 1. ait, *Spiritus sanctus non producitur vt similis ex vi productionis suæ, & non est imago Patris, sicut Filius qui ex vi productionis suæ procedit vt similis Patri.* Demum Alensis, Bonauentura, Ægidius, Henricus, Riccardus, & alij citati supra num. 61. docentes, Spiritum sanctum non procedere per modum naturæ, sicut procedit Verbum, sed per modum voluntatis, censentur manifestè dissentire ab eadem propositione: si enim Spiritus sanctus procederet formaliter à natura Patris & Filij, & ex vi propria ac formali suæ processionis eam naturam acciperet, in nullo probabili sensu negari posset, procedere per modum naturæ.

Præterea Bagnes, Zumel, Suarez, Molina, Bellarminus, Valentia, Albertinus, Arrubal, Becanus, Florauantius.

& ex recentioribus eamdem propositionem exprèssè negant Bagnes infra, art. 4. dub. 1. ad 5. & 6. Zumel supra num. 124. Suarez lib. 11. cap. 5. num. 13. & 16. Molina art. 4. §. *His ita.* Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 14. fine. Valentia hic puncto 4. ad 1. & ad 4. Albertinus tomo 2. folio 467. num. 25. & 26. Arrubal. disp. 98. idem tribuens sanctis Anselmo & Thomæ cap. 4. & 5. Becanus cap. 1. à num. 10. Florauantius libro 2. folio 15.

80. *Idem probatur Theologica demonstratione.*

Secundò argumentor ratione, quæ videtur demonstratio quædam theologica, ex maiore euidenter nota lumine naturæ, & ex minori certa de fide. Generatio definitur, origo viuentis à principio viuente coniuncto secundum rationem similitudinis in natura: sed processio Spiritus sancti non est generatio: ergo non est origo viuentis à principio viuẽte coniuncto secundum rationem similitudinis in natura. Quod totum exquisita sanè ratione haberet, si illa processio, ex propria ac formali vi, qua talis processio est, præcisè considerata in se ipsa, tenderet ad similitudinem in natura. Quapropter minus tutum semper mihi visum est, quod hodie nonnulli Theologi, difficultatibus huius controuersiæ nimis oppressi, concedere non reformidant, Spiritum sanctum procedere non solum simpliciter similem in natura, sed etiam vt similem ex vi propria ac formali processionis suæ. Sic enim grauiter perturbari video veritatem & credibilitatem fidei, qua credimus, Spiritum sanctum non procedere vt genitum, & filium, nec eo modo quo procedit Filius Dei à Deo, nec eo modo quo procedit filius hominis ab homine.

Anselmus.

Huius argumentationis euidentia, motus Anselmus in Monologio cap. 53. subtiliter distinguens docet, quòd Spiritus sanctus ideo non est filius, *quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, eius, ex quo est, similitudinem: quamuis ipsum considerata ratio docet, omnino id ipsum esse, quod est Pater & Filius.* Aperte loquitur de sola similitudine reali, qua scilicet, Spiritum sanctum dicit, *omnino id ipsum esse, quod est Pater & Filius.* Et de hac similitudine duo docet, & illam esse simpliciter in Spiritu sancto, & illam non esse in Spiritu sancto ex propria ac formali ratione suæ processionis, siue, vt ipse loquitur, *dum à Patre & Filio procedere intelligitur.* Ergo idem prorsus esse censet Anselmus, Spiritum sanctum non esse Filium, quod fide credimus, &, Spiritum sanctum ex propria processionis suæ ratione non procedere vt formaliter similem, quod ad formalem filij rationem satis esse, naturali lumine scimus.

81 *Quorumdam responsio refertur & impugnatur.*

Ad hanc rationem respondent aduersarij, vtramque personam ex vi processionis formaliter procedere similem in natura, sed cum ista differentia, quòd Verbum, & non Spiritus sanctus procedat vt imago & per modum imaginis, quia nimirum, Verbum & non Spiritus sanctus ex intentione naturæ destinatur ad repræsentandum principium, ex quo procedit; & ideo Verbum, & non Spiritum sanctum esse genitum, & filium. Neque enim ad rationem imaginis, & filij satis esse procedere, & esse simpliciter simile, vt patet in vno igne producto ab alio igne, & tamen ignis productus neque est imago, neque filius ignis producentis; sed præterea requiri, vt procedens simile destinetur ad repræsentandum id vnde procedit.

Idem esse procedere vt similem, & vt imaginem.

Verùm non satisfaciunt. Tum quia, etsi rectè asserant, Verbum & non Spiritum sanctum procedere vt imaginem, & per modum imaginis, & ideo Verbum, & non Spiritum sanctum esse filium, quod passim docent Patres & Scholastici supra citati, & infrà etiam citandi, tamen contra istorum mentem, gratis & falsò distinguunt inter procedere vt simile, & procedere vt imaginem. Enim vero Patres, & graues ac veteres Scholastici vel rationem imaginis explicant per solam similitudinem in natura, vt Clemens Romanus, Alexander Alexandrinus, Basilius, Epiphanius, Cyrillus, Eusebius, Augustinus relati num. 61. Item Athanasius citatus num. 70. vel dum accuratè exponunt generationis ac filiationis rationem, non afferunt aliud nisi processionem, & similitudinem in natura ex naturali vi processionis, vt Nazianzenus, Elias Cretensis, Basilius, Hilarius, Ambrosius supra num. 61. Riccardus Victorinus supra num. 63. Damascenus num. 70. Anselmus num. 80. Thomas num. 62. 75. 78. 79. Alensis, Bonauentura, Albertus, & multi alij num. 63. Vnde in ipsamet generationis definitione explicantur solum processio, & similitudo in natura; ergo non licet Theologo in re tam graui, ex proprio ingenio his præterea addere distinctam aliam rationem imaginis. Tum quia non satis explicant, nec rationabiliter assignare possunt, quid sit illud, quod procedere vt imaginem, addit supra procedere vt simile. Nam destinari ad repræsentandum ex intentione naturæ, quod solum afferunt, non potest non conuenire illi, qui ex formali ac naturali vi suæ propriæ processionis producitur vt similis in natura, vt patet in humanis vbi nullam aliam ob causam filius est verè ac propriè realis ac naturalis imago Patris, nisi quia est viuens, ita procedens à viuente, vt ex naturali ac vitali virtute processionis communicetur illi natura Patris. Et alia similitudo intentionalis non facit ad formalem rationem generationis, & filiationis, & imaginis, ac naturalis repræsentationis, vt superius probatum est. Neque contra hanc doctrinã est exemplum supra dictum de igne, quod obiiciunt. Nam ad rationem, & propriam ac rectam denominationem filij, & imaginis rerum viuentium, præter similitudinem in natura, & processionem simpliciter, requiritur processio viuentis à viuente principio coniuncto; cuiusmodi non est

processio ignis ab igne, oui ab ouo, & similium formaliter non viuentium. Quapropter S. Thomas 4. contra gentes c. 11. post medium cum docuisset illum esse filium, qui procedit vt similis in natura suo producenti, ita limitando addit, *Dummodo hoc in viuentibus accipiatur.* S. Thomas.

82. Addunt præterea, Spiritum sanctum, quamuis procedat vt formaliter similis Patri & Filio, à quibus procedit, tamen nulli repræsentare Patrem & Filium: quia neque Pater & Filius se ipsos cognoscunt in Spiritu sancto, neque vllus intellectus creatus in Spiritu sancto cognoscit Patrem & Filium. Hoc aliqui impugnant, quia ad rationem imaginis non est necessaria repræsentatio actualis, sed satis est aptitudinalis. Verum obiectio si quam vim habet, probat etiam de aptitudinali, de qua sola expresse loquitur Vasquez disput. 113. cap. 8. & disput. 145. num. 15. in fine, vbi hanc additionem affert. Nam præter intellectum creatum & increatum intellectum Patris & Filij, nullus alius intellectus possibilis est, cui seipsum repræsentare possit Spiritus sanctus. Ideo aliter impugnandum, quia non cohærent ista duo, Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis procedit vt similis Patri & Filio, &, Spiritus sanctus in se ipso cognito à Patre & Filio non potest repræsentare Patrem & Filium; nimirum ex vi formali suæ processionis, alioqui simpliciter loquendo, nulli potest esse dubium, quòd sicut in tribus diuinis personis est vna numero natura cum tribus personalitatibus omnino identificata, ita quælibet persona & in se ipsa, & in qualibet alia diuina persona cognoscit se ipsam. Etenim secundum necessario sequitur ex primo: si enim Pater & Filius videntes Spiritum sanctum, necessario videre debent similitudinem, quam ex vi processionis cum ipsis habet, est euidenter impossibile, Patrem & Filium ex vi processionis Spiritus sancti non videre se ipsos in Spiritu sancto viso. Neque enim cogitari rationabiliter potest alia ratio, ob quam de facto Pater videat se in Filio viso, nisi quia Filius ex vi suæ processionis est similis naturæ Patris, loquendo præcisè de vi repræsentandi, quam realiter habet Filius vt filius, non quam intentionaliter habet vt Verbum. Vasquez.

DVBITATIO IX.

An ratio imaginis sufficienter probet, processionem Verbi esse generationem.

SVMMA.

1. *Traditur differentia inter imaginem & similitudinem, num.* 83.
2. *Probatur pars affirmatiua simpliciter n.* 84. *&* 85.
3. *Distinguitur & declaratur pars affirmatiua num.* 86. *ad* 89.
4. *Excluditur sensus Torres & Vasquez n.* 89. *&* 90.
5. *Excluditur alius nouissimus sensus n.* 91. *ad* 94.

83. *Quid sit imago ex Nazianzeno, & Augustino.* EX dictis de similitudine in tribus præcedentibus dubitationibus, constare facilè potest quid de imagine dicendum sit: etenim imago est ipsamet similitudo, addita aliqua dependentia, seu processione ab eo cuius est similitudo. *Imago dicitur*, inquit Nazianzenus oratione 4. de Theologia non longe à fine, *qui sit eiusdem essentiæ, & quòd hic ab illo: hæc enim est imaginis natura, vt princeps exemplar, vnde deducatur, figura sua referat.* & ideo, vt docet Augustinus libro Quæstionum super Deuteronomium, quæst. 4. paulò post principium, *Omnis imago, etiam similitudo est; non omnis similitudo, etiam imago est. Vnde si gemini inter se similes sint, similitudo diici potest alterius cuiuslibet in altero, non imago. Si autem Patri Filius similis sit, etiam imago rectè dicitur, vt sit Pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur: quarum aliæ sunt eiusdem substantiæ, sicut Filius; aliæ non eiusdem, sicut pictura.* Et rursus infrà, *si imago, vtique & similitudo; non autem si sit similitudo, continuò sit imago.* Sicut, vt exemplificat idem Augustinus eandem doctrinam tradens libro 83. quæstionum q. 74. initio, *in speculo est imago hominis, quia de illo expressa est; est etiam necessario similitudo. Sed in ductus oris paribus inest similitudo; imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Et de parente expressa est similitudo filij, vt rectè dicatur imago.* Superius vero disputantes de similitudine ad generationem requisita, processionem, & consequenter rationem imaginis vel expressimus, vel non excluximus. Sed quoniam plerique in ratione imaginis formaliter vim faciunt; ideo de illa etiam explicitè disputandum. Augustinus.

Probatur pars affirmatiua simpliciter.

84. *Prima conclusio.* Prima conclusio, absolutè loquendo, in aliquo bono sensu inferius examinando, & explicando, nullus Theologus negare rectè potest, ideo processionem Verbi, & non Spiritus sancti esse generationem Filij, quia illa, non hæc ex vi sua formali habet producere terminum, qui sit imago eius à quo procedit. Hoc est, quod copiosissimè, & eruditissimè, authoritatibus ac rationibus nuper probare conatus est noster Didacus Ruiz disput. 6. Res autem certissima est, cum nemo sit, qui ignoret, omnem filium, vt formaliter filium, esse quamdam Patris imaginem: & generationem ex vi sua formali terminari ad filium vt formaliter filium; quamobrem de Filio Dei rectè dixit Hilarius l. 8. de Trinitate aliquanto ante finem, *Qui cùm sit Filius, imago Dei est.* ergo omnis generatio, atque adeo diuina, ex vi sua formali terminari debet ad imaginem generantis. Sed Fide constat processionem Verbi, & non Spiritus sancti esse generationem; ergo indubitatum apud omnes Catholicos esse debet, Verbum, & non Spiritum sanctum procedere formaliter per modum imaginis; & ideo processionem Verbi, non processionem Spiritus sancti, esse generationem, quia illa formaliter, non hæc, est ad terminum, qui ex formali sua procedendi ratione est imago eius à quo procedit. Hanc ob causam non de Spiritu sancto, sed de Verbo legimus Sapientiæ 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius:* ad eum scilicet modum, quo, vt interpretatur Origenes libro 1. Periarchon c. 2. multo ante medium, *imago dicitur eius qui genuit is qui natus, cum in nullo similitudinem lineamenta eius qui genuit, in eo qui natus est, mentiuntur.* Et, vt eleganter exponit Ambrosius lib. 1. de Fide c. 4. post medium. *Imago non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris, sed simplex de Deo, egressa de Patre, expressa de fonte. Per hanc imaginem Philippo Patrem Dominus demonstrauit, dicens, Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Et quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Videt enim in imagine Patrem, qui videt in Filio. Vides ergo, quia dum imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius, quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.* Hunc Sapientiæ locum spectare videtur Paulus, cũ ad Hebræos 1. de eodem Filio scripsit, *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura eius substantiæ eius*, hoc est, Dei Patris. Vbi figura, vt ex Græca voce notant omnes interpre- Hilarius. *Exponitur locus Sap. 7.* Origenes. Ambrosius. *Exponitur locus ad Hebr. 1.*

interpretes, propriè significat characterem, hoc est, formam impressam, siue expressam ab alio; & ideo Ambrosius supra, hæc verba exponens, *Character*, inquit, *expressum esse significat.* Præterea idem Filius ad Colossenses 1. & 2. ad Corinthios 4. dicitur *imago Dei.* Et propter hanc imaginis rationem, competentem Filio, non Spiritui sancto, ipsemet Filius de se ipso dixit Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem*, vt aduerterunt Alexander Alexandrinus, Basilius, Cyrillus locis & verbis citatis supra num. 61. Et idem Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 1. medio. *Si Patris incommutabilis imago Filius est, vt Pater in ipso videatur, sicut scriptum est, Qui videt me, videt & Patrem meum, necesse est, non esse factum confiteri, quod ex Patre non facto emanat.* Itaque, ne in re clarissima explicanda plus quam par est immorer, præsens controuersia certò supponit, esse proprium Filij, & non Spiritus sancti procedere per modum imaginis, & propterea Filium, non Spiritum sanctum generari: quamuis enim eadem prorsus natura sit in Filio à Patre, & in Spiritu sancto à Patre & Filio; quamobrem plerique Græci Patres nomen imaginis extenderunt etiam ad Spiritum sanctum, vt referam infra quæst. 35. art. 2. tamen eadem certitudine qua constat, solam Verbi processionem, quam generationem propriè esse credimus, ex vi sua formali terminari ad Filium similem Patri in natura, eadem tenemur consequenter asserere, eamdem processionem solam, sub eadem formali vi spectatam terminari ad imaginem Patris. Igitur laborandum est solum, vt inquiramus, & explicemus, Quid sit illud in processione Verbi, vnde Verbum, & non Spiritus sanctus, ex formalitate processionis habeat procedere per modum imaginis, qui modus faciat ad formalem rationem substantialis generationis Filij. Ambrosius. *Exponitur locus Ioannis 14.* Cyrillus. *Exponitur locus Sapien. 7.* Basilius. Augustinus. Ioan. 5.

85. *Secunda conclusio, Filius Dei est perfectissima imago intentionalis & realis.* Secunda conclusio, Filius in diuinis ex vi formali suæ processionis est perfectissima Patris imago, tum in repræsentando, tum in essendo. De hoc nulla apud Theologos dubitatio esse potest, quia apud omnes certum est, Filium Dei generari per intellectionem Dei Patris. Sed omnis intellectio, vt intellectio parit Verbum, vt supra art. 1. dub. 13. à num. 243. Ergo Dei Patris intellectio, quæ est omnium perfectissima, si parit Verbum, vt fide credimus, non potest non parere Verbum omnium perfectissimum; & consequenter, perfectissimam Patris imaginem in repræsentando. Ergo Filius in diuinis, ex vi formali suæ processionis, hoc est, vt procedens per intellectionem, quæ est ipsius propria procedendi ratio, est perfectissima Patris imago in repræsentando, hoc est, intentionaliter repræsentat Patrem, comprehendendo omnia quæ in illo sunt siue formaliter siue eminenter. Præterea, ex eadem formali intelligendi vi non solum procedit vt perfectissimum Verbum, sed etiam vt perfectissimus Filius. Sed Filius vt filius essentialiter est imago Patris in essendo, vt constat ex superioribus, & nemo negat; ergo Filius Dei ex vi formali suæ processionis est etiam perfectissima Patris imago in essendo, quæ scilicet acceptam refert eamdem numero Patris naturam, & omnino id ipsum quod est Pater, excepto duntaxat esse formaliter Patrem & generantem. Quam imaginis perfectionem, præter Filium Dei, nullus alius filius habet, nec habere potest. & ideo solus Filius Dei Ioannis 16. asserere potest, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* & cap. 17. ad Patrem dicere non solum, *& mea omnia tua sunt, & tua, mea sunt.* Eamdem ob causam rectè dicitur Ioannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Et paulo ante, *Pater meus operatur, & ego operor. Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Et alia similia de Filio Dei passim leguntur, quæ supponunt, & arguunt, illum esse Patris imaginem adeò perfectam, vt alia maior cogitari nequeat. Quod Sapiens videtur exprimere voluisse, cum Sapien. 7. Filium Dei esse dicit, *speculum sine macula Dei maiestatis.* hoc est, sine vlla dissimilitudine, sine vllo defectu habens in se ac referens totum Deum Patrem, quantus, quantus est: & quantum est ex se, vt ait Basilius libro 2. contra Eunomium, circa medium, *totum in seipso Patrem ostendit, ex tota eius maiestate resplendens.* Quod magis explicans Augustinus, aut quisquis alius est author, libro 1. de Incarnatione Verbi cap. 14. post medium ait, *Sicut in speculo omnibus motibus, atque omnibus actibus, quibus is, qui speculum intuetur, mouetur, vel agit, ipsdem ipsis etiam imago, quæ per speculum deformatur, actibus, vel motibus, commouetur, vel agit, in nullo prorsus declinans; ita etiam Sapientia de se vult intelligi, cum speculum immaculatum paternæ virtutis, inoperationisque Dei nominatur: sicut & Dominus, qui Sapientia Dei est, de semetipso pronunciat, dicens, Quia opera, quæ facit Pater, hæc etiam & Filius facit similiter. Et iterum dicit, Quoniam non potest Filius à semetipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quoniam ergo in nullo prorsus Filius à Patre virtute operum immutatur, ac differt, nec aliud est opus Filij, quàm Patris, sed vnus atque idem, vt ita dicam, etiam motus in omnibus est, idcirco eum speculum immaculatum nominauit, vt per hoc nulla dissimilitudo Filij intelligatur à Patre, cum in Euangelio Filius similia facere non dicatur, sed eadem similiter facere.*

Distinguitur & declaratur pars affirmatiua.

86. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio, ex sola formali ratione imaginis in realiter essendo, habet Verbum vt sit formaliter Filius: ex formali verò ratione imaginis in intentionaliter repræsentando habet Filius vt sit formaliter Verbum. Quare processio secundæ personæ diuinæ, vt formaliter generatio tendit ad suum formalem terminum vt formaliter imaginem in essendo, & concomitanter tantum vt imaginem in repræsentando. Totum hoc sufficienter probatum remanet ex dictis dubitatione 6. 7. & 8. vbi ostensum est, quòd sola similitudo realis in essendo est essentialiter formaliter necessaria & sufficiens ad rationem Filij geniti: similitudo verò intentionalis in repræsentando, quæ sola necessaria & sufficiens est ad constituendum Verbum; neque sufficiens, necessaria essentialiter formaliter est ad constituendum Filium Dei, sed tantum est necessaria essentialiter concomitanter. Quæ omnia superius sunt fusè ac diligenter explicatæ. Nunc satis sit ea confirmare ex Patribus, qui declarantes rationem imaginis, ac similitudinis, propter quam Filius Dei, & non Spiritus sanctus, habet esse filij geniti, afferunt solam realem similitudinem in natura, & nihil omnino dicunt de alia intentionali similitudine in repræsentatione. *Generationem Dei per solam similitudinem realem explicãt Patres.*

87. Ita Clemens Romanus, Alexander Alexandrinus, Nazianzenus, Elias Cretensis, Basilius, Epiphanius, Cyrillus, Eusebius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, quorum verba refero, & expendo supra num. 61. In eodem sensu dixit Athanasius de decre- Athanasius.

tis Nicænæ Synodi in medio, *si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Nam paulò ante tradens Filij rationem distinctam à ratione Verbi, apertè significat, se deinde loqui de imagine, non intentionali, sed naturali, qua constituitur formaliter Filius. *Siue enim*, inquit, *Filium dixeris, eo ipso naturaliter eum ex Patre declaraueris.* Idem quoque Hilarius libro 7. de Trinitate aliquanto ante finem declarans Filij imaginem, propter quam dicit ipsemet Filius Ioannis 14. *Qui me videt, videt & Patrem*, ait, *Agnitus in eo Deus est ex virtute naturæ: & intellectus Deus Filius id præstat, vt intellectus & Pater sit, dum ita imago est, vt non differat genere, sed significet authorem.* Si Filius imago est ex eo, quòd non differt à Patre in virtute & natura, ergo in quantum est formaliter Filius, est imago naturalis & realis in esse, non intellectiua & intentionalis in repræsentare; & significat authorem realiter, non intentionaliter. Quod statim magis explicat docens, imaginem Filij Dei differre ab imaginibus arte factis, ex eo quòd *Filius Patri imago est, quia viuentis viuens imago est, vt ex eo natus non habet naturæ diuersitatem, & in nullo diuersos tenet naturæ eius, in qua non diuersus est, potestatem. Quod ergo imago est, eò proficit, vt Deum Patrem, vnigeniti Dei significet natiuitas: significet autem vt forma & imago inuisibilis Dei, & per hoc non amittat naturæ vnitam similitudinem, quia nec careat virtute naturæ.* Vbi semper Hilarius imaginem, Filij Dei propriam, realiter explicat per similitudinem in natura receptam, scilicet ex vi formali processionis Filij. Item libro de Synodis, exponens Canonem tertium Orientalium Episcoporum definientium, illud ad Colossenses 1. *Qui est imago Dei inuisibilis*, esse intelligendum de imagine *iuxta essentiam*, ita discurrit, *Cum enim vnigenitus Filius, imago inuisibilis Dei sit, necesse est per speciem atque naturam similis essentia sit.* Iuxta hunc sensum in fine addit, *Omnium in se diuinitatis paternæ, qualis & quanta est, formam inuisibilis Dei Filius, & imago complectitur: & hoc verè est esse Filium, paternæ scilicet formæ veritatem, coimaginatæ in se naturæ perfecta similitudine retuliſſe.* Denique Riccardus Victorinus libro 6. de Trinitate c. 11. cum initio docuisset, *quòd solus Dei Filius imago Dei dicitur, pro ratione expressæ in eo similitudinis*; deinde hanc sitam esse ait in eo, *quòd sicut diuinitatis plenitudo manat de vno, sic & eadem plenitudinis largitio manat de alio: nec minus aliquid, nec alio modo accipit Spiritus sanctus ab vno, quàm ab alio. Nulla autem persona omnino à Spiritu sancto plenitudinem diuinitatis accipit, & idcirco imaginem Patris in se ipso non exprimit.* Vis communicandi naturam, in qua sola rationem imaginis ponit Riccardus, manifestè facit ad similitudinem realem, & subiectiuam, non intentionalem, & obiectiuam.

Hilarius exponens locum Ioannis 14.

Exponitur locus Coloss. 1.

Riccardus Victorinus.

88. Patribus consentiunt Scholastici veteres & graniores: & ne sim longior, referam tantum duos, aliorum facilè Principes, S. Thomam, & Scotum. Ille 4. contra gentes cap. 11. post medium cum docuisset in genere, quòd *verbum in intellectu conceptum, est imago substantiæ rei intellectæ*, nimirum in repræsentando intentionaliter, idque applicasset Verbo Dei, statim in hoc Verbo duas similitudines distinguit, intentionalem, & realem, dicens, *Verbum Dei & imago dicentis, quantum ad ipsum eius essentiam, & quòd in eadem natura cum dicente communicat.* Ex quibus sic ad nostrum propositum concludit, *Relinquitur ergo quòd Verbum Dei non solum sit imago, sed etiam Filius: non enim sic esse imaginem alicuius, vt eiusdem naturæ cum illo sit, in aliquo inuenitur, qui Filius dici non possit, dummodo hoc in viuentibus accipiatur: nam quod procedit ex aliquo viuente in similitudinem speciei, dicitur Filius eius.* Apertissimè distinguit in Filio Dei & esse imaginem, scilicet intentionaliter repræsentatiuam, & esse Filium; deinde Filij rationem explicat solum per *sic esse imaginem alicuius, vt eiusdem naturæ cum illo sit*, & per procedere in similitudinem speciei. Quod non nisi ad naturalem similitudinem & imaginem spectat. Item Scotus 1. d. 10. quæst. vnica ad 1. cum initio quæstionis obiecisset, Spiritum sanctum produci per naturam, & consequenter esse filium, quia producitur *similis in natura*, respondet, *quòd Spiritus sanctus non producitur vt similis ex vi productionis suæ; & verum est, quod non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi productionis suæ procedit vt similis.* Loquitur de similitudine *in natura*, quæ est similitudo naturalis in esse, non intentionalis in repræsentare. Et nullam agnoscit differentiam, vt verè nulla est, inter esse Filium, siue imaginem Patris, & procedere vt similem in natura ex vi productionis suæ.

Eodem modo explicant S. Thomas.

Scotus.

Excluditur sensus Torres & Vasquez.

89. Quarta conclusio, cùm aliquod viuens, ex vi formali productionis suæ procedit in similitudinem naturæ cum suo producente, sufficientissime habet rationem imaginis, & filij, & superfluè additur, quòd præterea procedat vt simile ordinatum à natura ad repræsentandum id à quo procedit. Videtur communissima sententia Patrum & Scholasticorum supra, qui explicantes rationem imaginis, quæ est in Filio, numquam aliud requirunt, nisi procedere in similitudinem naturæ ex vi productionis. Vnde Augustinus citatus supra num. 81. ait, *si Patri Filius similis sit, etiam imago rectè dicitur*, ex similitudine infert imaginem. ergo ratio imaginis non addit aliquid supra similitudinem vitaliter expressam ex vi formali productionis: alioqui dictum Augustini esset apertè falsum. Solum in contrarium reperio Torres hîc parte quarta Commentarij à §. *Verum in præsentia.* quem sequitur Vasquez disp. 13. cap. 7. & disput. 145. cap. 3. 4. & 5. qui cum sibi persuasissent, quod multò clarius scripsit Vasquez, *non minus ex vi suæ processionis Spiritum sanctum procedere similem in natura, quàm Filium*, & consequenter, totum hoc non satis esse ad reddendam rationem, cur processio Verbi, & non Spiritus sancti, sit generatio Filij, addiderunt, id esse in Verbo, non in Spiritu sancto, per modum imaginis, hoc est, cum naturali institutione, & intentione, siue ordinatione ad repræsentandum; & propter hanc solam differentiam Verbum, non Spiritum sanctum generari vt Filium. Quam doctrinam multis impugnaui supra dubitatione 8. præsertim num. 81. & 82. & impugnant Suarez de Trinitate libro 11. cap. 5. & 6. Zuniga disp. 2. dub. 20. membro 4. & 5. Ruiz disput. 8. sect. 3. Bagnes infra, art. 4. post tertiam conclusionem §. *Hæc sententia*, quamuis in contrarium inclinare videatur. Sicut etiam Zumel art. 4. disput. 1. licet in §. *Defensio rationis Sancti Thomæ.* Ad secundam difficultatem, illud simpliciter impugnet. Item Albertinus tomo 2. folio 463. dub. 5. & folio 464. num. 8. Arrubal disp. 98. num. 17. Ripa art. 4. dub. 1. cap. 1. notabili vltimo, Nazarius controuersia 1. §. 5. Florauantius post librum 2. folio 82.

Quarta conclusio.

Augustinus.

Suarez.
Zuniga.
Ruiz.
Bagnes.
Zumel.
Albertinus.
Arrubal.
Ripa.
Nazarius.
Florauantius.

Nunc

90. Nunc iterum breuiter ita arguo. Rectè quidem sumitur, de ratione imaginis esse, habere ordinem, seu vim repræsentandi alteri illud, cuius imago esse dicitur. Quis enim concipiat, aliquam statuam, seu picturam esse imaginem v.g. Christi, & tamen nulli posse repræsentare Christum? Verum quod non capimus est, aliquod viuens reali, naturali, & vitali modo procedere à suo viuente principio, & ex formali vitalis processionis accipere omnimodam similitudinem in natura eius à quo procedit, & tamen cum toto hoc adhuc in se non habere realem & naturalem ordinem atque vim repræsentandi alteri naturam illius à quo procedit. Enim verò cum in vna re est similitudo respectu alterius, non potest omnino in illa negari ordo ad repræsentandum rem, cui similis esse dicitur, nisi vel primo ex defectu processionis, quo defectu duo oua, duo fratres, duæ picturæ, duo parietes æquè albi, & id genus alia habent inter se similitudinem, sed non repræsentationem & rationem imaginis. Vel secundo ex defectu vitalitatis, quo defectu vnus ignis procedens ab alio igne, non dicitur illius imago, nec repræsentare illum. Et Eua procedens ex Adami costa in similitudinem eiusdem speciei, non fuit imago repræsentans Adamum. Atque hi duo defectus non sunt in Spiritu sancto, quem credimus ex Patre ac Filio vitaliter procedere. Vel tertio ex defectu liberi arbitrij ordinantis effectum vniuocum ad rapræsentandam causam suam. Sed hic defectus & nihil verè impedit, vt patet in Brutis generantibus filios, & imagines suas, quas ordinare nequeunt ad repræsentandum; & si impediret, non minus esset impedimentum respectu Verbi naturaliter procedentis per intellectum, quàm respectu Spiritus sancti procedentis per voluntatem: & ideo ipsimet aduersarij expressè dicunt sufficere ordinationem ex natura rei, vt Torres in §. *Sed vt hæc.* & Vasquez disput. 115. cap. 8. ad 3. & disp. 145. cap. 5. §. *Præterea.* Vel quartò ex defectu repræsentationis intentionalis, seu formalis, seu obiectiuæ *vt quo*; quia scilicet non est verbum, quo formaliter intellectus percipit intra se intentionaliter & obiectiue principium à quo procedit verbum. In quo defectu videntur facere vim Torres §. *Tandem*, & sequenti, *Quo fit.* & Vasquez citato cap. 8. ad 2. quia Filius procedens per intellectum, Patrem repræsentat etiam intentionaliter; quo modo nihil repræsentare potest Spiritus sanctus procedens per voluntatem. Vnde Torres in §. *His præmissis*, nulla alia ratione probat, Verbum & non Spiritum sanctum procedere per modum imaginis, nisi quia Verbum, & non Spiritus sanctus procedit per actum intellectus. Sed superius latè ostensum est, hanc intentionalem similitudinem, & repræsentationem, non esse necessariam ad rationem Filij, & imaginis, sed satis esse rationem obiectiuam, & rei visæ *vt quod*, si res talis sit, vt qui eam in se videt, videre possit naturam principij, vnde procedit. Quamobrem ipsemet Torres in §. *Atqui* de filio humano, in quo est sola repræsentatio obiectiua *vt quod*, non formalis *vt quo*, dixit, *Absque dubio tenendum est, filium esse imaginem Patris, vel habere se per modum imaginis in ordine ad Patrem.* Quod Vasquez etiam supra ad vltimum, rectè fatetur, id verum esse non solum in hominibus, sed etiam in brutis. Vel demum quinto ex defectu intellectus, cui naturam sui principij repræsentet, & repræsentare possit. Quod acutè à solo Vasquez excogitatum, reiectum est supra num. 82. Quamuis enim verisimum sit, Patrem & Filium non videre se ipsos in in Spiritu sancto viso ab ipsis procedente: tamen certò putamus, id ex nullo alio capite oriri posse, nisi ex eo quòd Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis non procedit vt similis in natura Patri & Filio. Hinc enim solum potest probabiliter intelligi, vt Spiritus sanctus visus, neque sibi, neque Patri & Filio queat ex vi formali suæ processionis repræsentare naturam personarum à quibus procedit. Qui igitur concedit, Spiritum sanctum ex vi formali suæ processionis accipere similè, eandemque naturam viuentem Patris & Filij, à quibus procedit, non potest cohærenter negare, Spiritum sanctum ex vi formali suæ processionis repræsentare hanc naturam videntibus ipsum. Et propterea contra rationem istam Torres, rectè dixit Suarez supra c. 6. n. 10. *Hanc rationem neque intelligere, nec probare possum.*

Ratio conclusionis.

Torres.
Vasquez.

Excluditur alius nouissimus sensus.

91. Quinta conclusio, Qui asserit, diuinam naturam non minus essentialiter constitui per velle, per quod formaliter procedit Spiritus sanctus, quam per intelligere, per quod formaliter procedit Verbum; & præterea, intentionalem similitudinem ac repræsentationem non requiri ad rationem imaginis & filiationis, sed sufficere solam realem similitudinem ac repræsentationem, qualis est in filio equi, vel filio hominis; & demum impugnat sensum Torres & Vasquez, vt in conclusione præcedenti; non potest cohærenter, & intelligibiliter asserere, ideo productionem Verbi, & non productionem Spiritus sancti esse generationem Filij, quia illa, non hæc, *secundum suum explicitè formalissimumque conceptum ordinatur ad personam, quæ secundum suam vltimam, & formalissimam rationem personæ est expressa similitudo & perfectissima imago producentis, & consequenter est eiusdem naturæ cum illo.* Hunc dicendi modum nuper fusissimè ac doctissimè scriptum inuenio: quem tamen probare non possum. Primo quia in meo primo tomo q. 4. art. 2. & authoritatibus & rationibus, quæ nunc etiam apud me magnam vim habent, latissime demonstraui, intelligere, esse vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ; & velle, esse extra totum intrinsecum illius essentiæ conceptum. Nec in quamplurimis impugnationibus, quas Author huiusmodi accuratissimè & acutissimè scripsit contra hanc sententiam, post diuturnam & diligentem inquisitionem aliquid reperio, cui non existimem me loco citato abundè satisfecisse: & ideo non est operę pretium nunc eadem repetere. Secundo verbis relatis ratio similitudinis & imaginis attendi primario videtur *secundum vltimam & formalissimam rationem personæ, & consequenter secundùm identitatè naturæ.* Quod dictum etiam à quibusdã, quos sine nomine refert & impugnat Suarez lib. 11. de Trinit. c. 5. n. 10. teor me non satis intelligere: quia cum inter diuinas personas producentes & productas sit in vltimis ac formalibus conceptibus personalitatum non solum dissimilitudo, sed etiam oppositio, non video quo modo in his fundari primariò possit ratio imaginis, & similitudinis repræsentatiuæ. Vnde Patres & Scholastici planè omnes attendunt in hac controuersia similitudinem in natura, non in persona: & propterea in ipsamet generationis definitione non expresserunt similitudinem in persona, sed solum in natura: ergo minus rectè dici videtur, rationem imaginis esse formalissimè secundum personam, & non nisi consequenter secundum naturam. & ideo, tamquam aliquid omnino certum, absque vlla probatione cum Augustino dixit Molina hic. §. *Hæc vltima. Similitudo inter Patrem & Filium est ratione absoluti, non ratione respectiui.*

Suarez.

Molina.

Tertiò, si diuinum velle, non minus quàm in- 92.

telligere pertinet ad naturam Dei producentis: ergo Deus productus formaliter per veile, non minus quàm Deus productus formaliter per intelligere, ex vi formali suæ processionis producitur vt similis in natura, & vt habens rationem imaginis repræsentantis naturam eius à quo procedit. ergo Spiritus sanctus non minus quàm Verbum esset formaliter filius. Primum consequens euidenter deducitur ex Antecedente, vt patet. Secundam consequentiam rectè faciunt ipsimet aduersarij, qui disputantes contra Torres & Vasquez iuxta præcedentem

Item sunt procedere vt simile, & vt imaginem.

conclusionem ita concludunt. *Ergo Spiritus sanctus esset filius, si ex vi processionis formaliter procederet vt similis in natura:* quamquam antea scribunt, *similitudinem in eadem numero substantia conuenire Spiritui sancto ex vi suæ processionis, per se, formaliter, & essentialiter*; sed quàm cohærenter, alij iudicent. Magis probo, & absolutè verum illud aliud mihi videtur,

Probatur ex Suarez ex Anselmo & Thoma.

Patres pro eodem semper vsurpant, procedere vt similem ex vi processionis, & procedere vt imaginem; quod est procedere vt filium per generationem. Quem vsum Suarez lib. 11. cap. 5. num. 7. bene probat in particulari ex Anselmo in Monologio cap. 53. probante, Verbum esse filium, *promptam præferens parentis imaginem.* Spiritum vero sanctum non esse filium, *quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, eius, ex quo est similitudinem:* quam vocauerat imaginem, statim indifferenter vocat similitudinem. Et ex Thoma 4 contra gentes cap. 11. post medium, qui cum dixisset, *Non enim sic esse imaginem alicuius, vt eiusdem naturæ cum illo sit, in aliquo invenitur, qui filius dici non possit, dummodo hoc in viventibus accipiatur:* statim imaginem probat per solam similitudinem ex vi processionis, dicens, *Nam quod procedit ex aliquo viuente in similitudinem speciei, dicitur filius eius.*

93. Quartò, si intentionalis similitudo, vt benè conceditur, nihil facit ad formalem rationem imaginis, qua filius formaliter constituitur in esse naturali filij, & non magis essentia Dei est intelligere se, quam se amare, qui hæc duo dicit, non potest intelligibiliter asserere, *similitudinem & imaginem ideo conuenire Filio, quia procedit vt Verbum ex mente:* quamuis enim hoc verum sit de similitudine intentionali, tamen de reali ac naturali similitudine, quæ sola facere dicitur ad rationem Filij, non potest intelligi verum in sententia dicentis, quòd ad naturam Dei non plus spectat Verbum procedens ex mente, quam Amor procedens ex voluntate. Quintò ex formalissimo & explicito conceptu processionum per intellectum & voluntatem, nihil aliud per se formaliter & præcisè habetur, nisi vt procedens per intellectum sit verbum, & sapientia producentis; procedens vero per voluntatem sit amor, & impulsus, siue inclinatio producentis. Sed per te actualis volitio, seu amor naturam Dei producentis constituit, non minus quam actualis intellectio seu sapientia. Ergo ex formalissimo & explicito conceptu processionum, Spiritus sanctus procedens per voluntatem, procedit vt similitudo, & imago naturæ producentis, non minus quam Verbum procedens per intellectum. ergo processio Spiritus est formaliter generatio filij, non minus quàm processio Verbi. Sicut enim in processionibus creatis, quia sapientia producta per intellectum, & amor productus per voluntatem, sunt eadem ratione coaccidentales producenti, ideo pertinent ad idem genus productionis, nempe alterationis, seu generationis accidentalis, non obstante quod solus terminus productus per intellectum, & non alius terminus productus per voluntatem, sit intentionaliter similis obiecto: ita si in processionibus increatis sapientia & amor ponuntur eadem ratione consubstantialis & coessentiales producenti, non poterit vna processio pertinere ad aliud substantialis productionis genus, quam pertinet alia; sed vtraque æqualiter erit in eodem genere generationis substantialis, non obstante similitudine & imagine intentionali, quæ reperitur in termino vnius processionis, & non in termino alterius. Verè igitur hic nouissimus explicandi modus multa dicit, quæ euidenter, nisi fallor, minus cohærentia atque intelligibilia esse videntur.

DVBITATIO X.

An præter similitudinem in natura, sit necessaria etiam similitudo in obiecto, ad hoc vt processio Verbi sit generatio.

SVMMA.

1. *Declarantur termini dubitationis, num. 94.*
2. *Prima conclusio negatiua de viuentium generatione in communi, num. 95.*
3. *Secunda conclusio etiam negatiua si obiectum non concurrit effectiuè, sed finaliter, num 96.*
4. *Tertia conclusio negatiua, etiamsi obiectum effectiuè concurrat, num. 97. & 98.*
5. *Quarta conclusio simpliciter negatiua multis probatur n. 98. ad 107.*

94. *Connexio cū præcedentibus & sequentibus.*

CEleberrimam ac difficillimam hanc controuersiam initio dubitationis 6. ad duo capita reuocauimus, nempe ad similitudinem, de qua hactenus abundè disputatum est; & ad terminum similitudinis, qui in sequentibus supereſt explicandus. De hoc termino nunc inquirimus, Quotuplex sit, an sola natura, vt semper vsque ad hæc tempora omnes prorsus Patres & Scholastici docuerunt, & propterea in ipsamet generationis definitione suprà num. 5. expresserunt; an etiam obiectum, vt posteriores quidam excogitarunt. Sed reiecto obiecto, vt similitudinis termino, etiam secundum rationem solam distincto à natura, & retento dumtaxat communissimo naturæ termino, de ipsa natura deinde quærendum est, Quo peculiari modo respectu illius se habeat Verbi processio per intellectum, vt per eam formaliter sit in Verbo similitudo in natura, qui peculiaris modus non reperiatur in processione Spiritus sancti per voluntatem. Et quidem ex dubitatione 5. constat, hoc non prouenire ex eo, quòd per primam processionem, non per secundam communicetur natura fœcunda, cum vi communicandi illam alteri. Constat etiam ex sæpe dictis, ex vi propria & formali primæ processionis, quæ est per intellectum, communicari formaliter intelligere, & ex vi propria & formali secundæ processionis, quæ est per voluntatem, communicari formaliter velle. Quamobrem ex nullo alio capite hoc diuinarum processionum discrimen prouenire posse videtur, reiectis reliquis omnibus, nisi ex his formalibus earum terminis, Quomodo scilicet intelligere & velle in Deo se habeant ad diuinam naturam, siue essentiam; si enim eodem planè modo ad naturam pertineant, videtur difficillimum, ne dicam impossibile, vnam processionem, & non aliam terminari formaliter ad similitudinem in natura. Erit autem hoc facile, ac rationabiliter intelligibile, si intelligere ad naturam se habeat formaliter & constitutiuè, tamquam vltima ac veluti specifica differentia essentiæ diuinæ; velle vero se habeat identicè & consequenter tamquam

tamquam proprietas quidem illius essentiæ identificata essentialiter cum illa. Quod sequentibus dubitationibus est agitandum.

95. *Prima conclusio negatiua de generatione in communi.*

Prima conclusio, Viuentium generatio vt sic, essentialiter & communiter, siue analogicè considerata, præter similitudinem in natura, non postulat similitudinem in obiecto. Hæc conclusio esse debet apud omnes tam certa, quàm certa est definitio generationis, quæ nullam obiecti, sed solius naturæ mentionem facit, vt suprà num. 5. & manifestè patet ex omnibus creatis viuentium generationibus, in quibus præter naturam, nulla prorsus cogitari ac distingui potest obiecti ratio. Quod autem non reperitur in vna inferiori specie, non potest esse prædicatum essentiale generi illius speciei, v. g. brutalitas esse non potest de essentia animalis generici, cum non reperiatur in vna specie animalis, nimirum in homine. Ita pariter cum ratio obiecti, & obiectiuæ similitudinis non habeat locum in vna generationis specie, nempe creata, esto habeat in alia increata, vt mox exponam, illa non potest esse prædicatum essentiale generationis, vt sic, communis creatæ & increatæ.

96. *Secunda cōclusio negatiua si obiectum non cōcurrit effectiuè.*

Secunda conclusio, cum in aliqua substantiali viuentis productione, præter naturam, reperitur obiectum, quod tamen non concurrit effectiuè, sed finaliter, similitudo in obiecto, præter similitudinem in natura, dici non potest formaliter necessaria ad formalem conceptum generationis. Hæc conclusio posita est propter Spiritus sancti processionem, quæ est substantialis quædam productio personæ viuentis, & quia est processio per voluntatem, quæ non solum est quædam natura naturaliter influens, sed etiam est inclinatio in obiectum, vt bonum & conueniens sibi ab intellectu propositum, ad eam productionem sine dubio concurrunt simul & natura, & obiectum; sed natura concurrit effectiuè producendo; obiectum verò concurrit finaliter trahendo, seu mouendo non per atiquam vim effectiuam, & efficientiam, sed solum per puram bonitatem apprehensam & præcognitam, cuius gratia mouetur natura ad productionem; vt hoc loco supponendum est ex communissima opinione probata partim in 2. Physicorum, de causis, partim in 1. 2. de actibus humanis, partim etiam in 1. tomo

Torres. q. 5. art. 4. & rectè notat Torres hîc 4. p. commentarij in 1. responsione ad 1. argumentum. Facta ista suppositione, probatur conclusio 1. quia cum generatio, de qua loquimur, sit formaliter quædam vitalis actio, seu productio, esse debet à principio viuente coniuncto effectiuo; nec ex sua formalitate postulat aliud principium finale obiectiuum, vt ostensum est: ergo in suo termino formali, vt formaliter genito, non postulat aliam assimilationem cum principio formali obiectiuo, sed solum cum suo principio effectiuo. Secundò bonum vt formaliter bonum, siue obiectum per formalem suam bonitatem, ex sua propria ratione finaliter causandi, nihil verè operatur, aut sibi assimilat, sed tantum immediate per suam amabilitatem mouet, seu trahit agens vt producat, & communicet naturam, & ita assimiler sibi aliud. Ergo cum agitur de natura aliqua producente mota finaliter ab obiecto, non est attendenda similitudo cum obiecto, sed solum cum producente.

97. *Tertia conclusio negatiua, etiamsi obiectum præter naturam concurrat effectiuè.*

Tertia conclusio, etiamsi in aliqua viuentis generatione, præter naturam, reperiatur obiectum effectiuè concurrens, adhuc similitudo in obiecto, præter similitudinem in natura, non est formaliter necessaria ad formalem conceptum generationis. Probatur primo euidenter à posteriori. Formalis conceptus generationis vt sic, integer & adæquatus reperitur vbi nullus simpliciter est influxus obiecti vt formaliter obiecti, aliqua ratione distinctus ab influxu naturæ producentis, vt manifestum est ex substantialibus generationibus omnium creatorum viuentium, hominum, brutorum, & plantarum, quæ quidem vitaliter generantur, tamen non per vitalem tendentiam in aliquod præsuppositum obiectum cognoscibile, aut apperibile, sed immediatè per vitalem naturæ tendentiam in aliquem effectum, seu terminum producibilem. Ergo si in aliqua alia vitali ac substantiali generatione, vt in diuina Verbi generatione, reperitur influxus productiuus non solum naturæ, sed etiam obiecti, similitudo cum obiecto, quæcumque illa sit, non potest se habere formaliter ad essentialem conceptum generationis, sed tantum concomitanter, & identicè. Consequentia est manifesta, quia vbi est tota essentia, ibi deesse non potest aliquid ad essentiam illam formaliter pertinens: sed in generatione filij hominis, v. g. est tota ac perfecta essentia generationis ac filij, & tamen est influxus solius naturæ, non obiecti, & consequenter est similitudo in natura, non in obiecto: ergo similitudo obiectiua, cum reperitur simul cum similitudine naturali, cogitari probabiliter non potest, vt formaliter & intrinsecè pertinens ad constituendam essentiam perfectæ generationis vt sic: sicut quoniam totus essentialis conceptus animalis vt sic, reperitur in asino, vbi non est rationalitas, hæc dici non potest pertinere intrinsecè ad essentiam animalis, quamuis reperiatur identificata cum essentia animalis in homine.

Prima ratio à posteriori.

98. *Secunda ratio à priori. S. Thomas.*

Secundò à priori, declarando influxum productiuum, quem habet etiam obiectum intelligibile, vt formaliter obiectum in productione verbi. Nam, vt docet S. Thomas 4. contra gentes c. 11. multo ante medium, *Intelligere significat apprehensionem eius, quod intelligitur per intellectum.* Vnde deducit, *quòd omne intellectum, in quantum intellectum, oportet esse in intelligente.* Quod adeo necessarium esse existimat, vt vniuersalissimè dixerit, quòd *etiam intellectus noster, se ipsum intelligens, est in se ipso, non solum vt idem sibi per essentiam*, hoc est, secundum suum esse reale, naturale, & essentiale, *sed etiam vt à se apprehensum intelligendo*, hoc est, secundum aliud esse intentionale, & repræsentatiuum: nam, vt paulò post magis explicat, *in homine intelligente se ipsum, verbum interius conceptum non est homo verus, naturale hominis esse habens, sed est homo intellectus tantum, quasi quædam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa.* Idémque extendit ad ipsummet Deum intelligentem se ipsum, dicens, *Oportet, quòd Deus in se ipso sit, vt intellectum in intelligente. Intellectum autem in intelligente est intentio intellecta, & verbum. Est igitur in Deo intelligente se ipsum, verbum Dei quasi Deus intellectus; sicut verbum lapidis in intellectu est lapis intellectus.* Consonat S. Augustinus lib. 9. de Trinit. c. 12. dicens, *Liquidò tenendum est, quod omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat nobis notitiam sui: ab vtroque enim notitia paritur, à cognoscente, & cognito.* Ex hac essentiali intellectionis, seu verbi ratione deducimus, obiectum vt formaliter obiectum, & vt ratione distinctum à natura, ad intellectionem concurrere, vt essentialem intellectionis terminum in esse repræsentabili, exprimendo se ipsum, non secundum suum esse reale ac proprium, quod in se ipso habet, sed secundum aliud esse repræsentatiuum & intentionale, longè diuersum ac dissimile. Aliter verò concurrere naturam, nimirum, vt principium communicans, quantum potest, suum esse reale, proprium ac naturale. Sed generatio viuentis, cum sit naturalissima quædam actio, & origo viuentis à viuente, principio realiter coniuncto, ex sua propria & essentiali ratione,

Augustinus.

ne, respicere tantum debet realem ac naturalem similitudinem cum natura sui principij sibi realiter coniuncti, quæ est verè ac propriè, & simpliciter similitudo, nõ intentionalem ac repræsentatiuam similitudinem cum obiecto, quę est similitudo secundum quid, & simpliciter dissimilitudo potius, quàm similitudo simpliciter, vt fusius ostensum est in superioribus. Ergo etiam si in aliqua generatione, nempe diuina, cum similitudine in natura, reperiatur similitudo in obiecto, dicendum est, hanc secundam similitudinem ibi non reperiri vt necessariam formaliter ad puram ac præcisam essentiam generationis, sed vt necessariam concomitanter & identicè.

99. *Quarta conclusio simpliciter negatiua de diuinis processionibus in particulari.*

Quarta conclusio, quæ ex præcedentibus probata remanet, reiicienda est vt singularis, & omnino falsa sententia dicentium, Verbi processionem non esse essentialiter generationem, ex eo tantum, quòd vi sua propria ac formali sit origo viuentis à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis in natura eadem numero; totum enim hoc esse veluti quoddam prædicatum genericum, æquè commune processioni Spiritus sancti, quæ non est generatio: sed præterea, proprium & quasi specificum generationis conceptum haberi ex eo, quòd sit etiam secundum rationem similitudinis in obiecto; eamque obiectiuam similitudinem non reperiri in processione Spiritus sancti, & ideo illam non esse formaliter generationem. Hanc sententiam esse singularem probo, quia nullum habet idoneum authorem; quod ipsimet aduersarij fatentur, dum se primos illius inuentores fuisse gloriantur: verum enim verò in re tanti momenti præstat antiqua suscipere, quàm noua comminisci. Quamuis enim nonnulli graues Doctores ad conceptum diuinæ generationis, duplicem similitudinem necessariam esse dixerint, nimirum & realem, & intentionalem; tamen vtramque volunt esse respectu vnius eiusdemque termini, nempe naturæ, cuius duntaxat in ipsamet generationis definitione fit mentio; hæc autem noua opinio, reiiciens hanc de duplici similitudine respectu eiusdem naturæ sententiam, introducit duplicem similitudinis terminum, & non satis esse contendit similitudinem, aut similitudines in natura, sed præterea necessariam esse similitudinem in obiecto; de quo alio similitudinis termino, distincto à natura, nullum extat vestigium, aut in ipsa generationis definitione, aut in aliquo Theologo, qui definitionem illam explicarer; nisi fortè in Zumel infrà, art. 4. disp. 1. Animaduersione 3. qui videtur eam significare, sed in tota illa disp. nimis confusè procedit, nunc significando istum modum; postea defendendo modum Ferrariensis, de quo infrà, dub. 12. denique assignando alium suum modum impugnandum infrà n. 118. Denique tradendo modum nostrum, vt dub. 13. n. 126.

Zumel.

100. *Probatur cõclusio ratione præcipua.*

Esse verò sententiam omnino falsam, probo primò, quia si Spiritus sanctus ex vi formali ac propria processionis suæ accipit formalem similitudinem in natura cum suo principio, ergo habet totum id quod habet filius hominis procedens ab homine per veram ac propriam generationem. Consequentia est manifesta, quia in humanis nulla alia ratio fingi potest, ob quam vnus homo habet essentialem rationem filij geniti, nisi quia ex vi formali ac propria suæ processionis procedit, vt viuens à principio viuente coniuncto secundum rationem similitudinis in natura humana, quæ est in principio suo; quod totum de Spiritu sancto dicitur ab aduersariis. Consequens autem esse valde absurdum nemo non videt: inde enim nimis clarè contra fidem sequitur, Spiritum sanctum esse verè ac propriè filium genitum. Si enim hæc est necessaria consequentia, Verbum diuinum à Deo procedens habet totum id quod habet filius hominis procedens ab homine. ergo Verbum diuinum per generationem procedit à Deo Patre: cur non erit pariter necessaria consequentia, Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio habet totum id, quod habet filius hominis procedens ab homine. ergo Spiritus sanctus per generationem procedit à Patre & Filio? Enim vero prædicata, quæ in vno subiecto adæquatè constituunt essentiam alicuius rei, eamdem essentiam eodem modo constituant necesse est in quocumque subiecto fuerint. v. g. si esse animal rationale adæquatè constituit essentiam hominis in hoc indiuiduo, constituet in omnibus aliis indiuiduis. Sed essentia filij geniti constituitur adæquatè in homine per hæc prædicata sumpta analogicè absque vlla imperfectione, ex vi propria ac formali suæ processionis oriri viuens à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis in eadem natura. Ergo si eadem prædicata formaliter & adæquatè tribuuntur non solum Verbo, sed etiam Spiritui sancto, sequitur necessario contra fidem, Spiritum quoque sanctum esse filium à Deo genitum. Explicatur magis hæc prima ratio, in qua præcipuam vim esse sentio. Certum est apud omnes Theologos, essentialem conceptum filij geniti, præcisè & analogicè spectatum, conuenire formaliter tam Deo, quàm creaturis. sicut conuenit v.g. sapientia. Vnde S. Thomas hîc docet, communem illam & analogicam generationis rationem, qua Deus à Deo procedit, esse etiam illam qua, inquit, *Homo procedit ab homine, & equus ab equo.* Certum pariter est, quòd formalis ille conceptus filij geniti, analogicè communis filio Dei, & filio hominis, in quocumque alio fuerit, faciet illum formaliter filium genitum, sicut quia est etiam in equo, equus etiam est formaliter filius genitus. Ergo si totus prædictus filij geniti conceptus, qui est formaliter in homine, & in Verbo Dei, non minus formaliter est in Spiritu sancto, hic etiam non minus formaliter erit filius genitus.

101. *Refertur responsio aduersariorum.*

Respondent, Spiritum sanctum in sui processione non habere totum id quod in sui processione habet Filius Dei, aut filius hominis, aut quiuis alius filius genitus. Quamuis enim Spiritus sanctus habeat ex vi formali processionis esse similem suo principio in natura, cuius vi procedit, tamen non habet esse similem in obiecto, cuius etiam vi procedit, Filius vero creatus, etsi non habeat aliam similitudinem nisi in natura, id tamen ex eo oritur, quòd filius creatus nullum aliud habet principium, vi cuius procedat, nisi solam naturam: integrum autem conceptum essentialem filij geniti, necessario postulare, vt vi processionis sit similis omnibus suis formalibus principiis, à quibus procedit, & non vni tantũ. Cum igitur formalia principia processionis Spiritus sancti sint natura, & obiectum, ad essentialem rationem filij postularet similitudinem, & in natura, & in obiecto; & tamen habet solam similitudinem in natura, non in obiecto. At verò Verbum, habens etiam pro formalibus principiis naturam & obiectum, habet quoque vtramque similitudinem, & in natura, & in obiecto; & ideo eius processio est essentialiter generatio filij.

Confutatur prædicta responsio.

Hæc responsio, quæ in specie videtur aliquid dicere, si distinctius examinetur, apparebit planè nulla. Eam igitur impugno, & simul eamdem sententiæ falsitatem probo secundò. Generationis communis definitio, ab omnibus Patribus & Scholasticis tradita, quam posteriores omnes recipere tenemur, nullam aliam similitudinem exprimit nisi in natura.

Dicitur

Dicitur enim, *Origo viuentis à principio viuente coniuncto, secundum rationem similitudinis in natura*: non dicitur, in natura & in obiecto non exigitur ratio similitudinis cum omni suo principio, sed additur, *in natura*, siue principium sit vnicum, siue multiplex. Vnde Philosophus 2. Physicorum t. 24. loquens de generatione viuentium, vt ostendi suprà n. 62. ait, *Generatio via est ad naturam*: ad illam scilicet secundum quam, vt magis explicat 7. Metaphys. t. 28. *Generans tale est, quale quod generatur; non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie.* Alia igitur similitudo, quæ non sit similitudo in natura, contra omnes Theologos & Philosophos omnino fingitur vt necessaria essentialiter ad conceptum generationis.

Aristoteles.

102. *Arguitur ex verbis Philosophi.*

Tertiò, ex citatis Philosophi verbis, ea similitudo ad generationem requiritur, qua *generans tale est, quale quod generatur.* Ergo solum requiritur similitudo inter substantiam viuentem genitam, & aliam substantiam viuentem generantem. Ergo si aliquid aliud præter generans ad generationem concurrit, sicut ad diuinam generationem præter Deum Patrem dicitur concurrere obiectum, similitudo inter genitum, & hoc aliud simpliciter concurrens, & non propriè generans, censenda est impertinens ad essentiam generationis, vt generatio formaliter est. Sed inter propriè generans, & genitum nulla alia fingi potest similitudo, nisi in natura. Ergo hæc tantum formaliter se habet ad generationem. Et ideo verissima est hæc causalis, ideo hæc persona, v.g. humana est filius genitus, quia vi formali suæ processionis est ab alia persona in similitudinem naturæ. Ergo si diuina Spiritus sancti persona vi formali suæ processionis est ab alia persona in similitudinem naturæ, non potest non esse filius genitus. Confirmatur, quia de facto ad generationem hominis concurrunt Deus, vt causa prima, & Sol, de quo omnes cum Philosopho 2. phys. t. 26. pronuntiamus, *Sol & homo generant hominem*, & alius homo non solum per substantiam, & naturam suam, sed etiam per accidentalem suam potentiam generatiuam, & per semen decisum: & nihilominus nemo est, qui in explicanda similitudine, ad essentialem rationem generationis requisita, postulet in homine similitudinem cum natura Dei, aut Solis, aut potentiæ generatiuæ, aut seminis, sed solum cum natura ipsius hominis generantis. Ergo esto ad productionem Verbi & Spiritus sancti concurrat non solum Dei Patris natura, sed etiam obiectum, tamen ad hoc vt talis productio, sit vel non sit essentialiter generatio, non debet attendi similitudo cum obiecto ad productionem simpliciter concurrente; sed similitudo cum sola natura Dei producentis. Ergo non licet Catholico hanc similitudinem eadem prorsus ratione tribuere Verbo genito, & Spiritui sancto non genito.

103. *Quarta conclusionis ratio.*

Quartò, ex vi formali productionis procedere, vt simile in natura, secundum omnes reperitur formaliter in vno homine procedente ab alio homine, & in Verbo procedente à Deo Patre, & per aduersarios non minus formaliter & integrè reperitur etiam in Spiritu sancto procedente à Deo Patre, & Deo Filio. Per hoc autem sine dubio habet homo adæquatam rationem formalem, & essentiam filij geniti: eamque non habet ex eo, quòd præter naturam hominis producentis, non interueniat obiectum, aut aliud principium ad illam generationem effectiuè concurrens, cui etiam principio terminus productus similis esse debeat; sed habet ex eo, quòd præcisè spectato principio viuente, & vitaliter concurrente *vt quod*, per aliquid realiter coniunctum, quod principium vnicum est, quicquid sit de aliis principiis effectiuis alia ratione concurrentibus, sola similitudo in natura cum illo principio, est sufficientissima ad adæquatum filij geniti conceptum, siue adsit, siue non adsit alia similitudo cum alio quouis principio. Quis enim intelligat, Rem constitui in aliqua positiua essentia, non per id quod res est positiuè in se ipsa, sed per negationem alterius positiui quod in ipsa non est? Itaque si sola similitudo in natura sufficit in homine ad positiuam essentiam generationis filij, sufficit sanè non propter negationem alterius principij, aut alterius similitudinis cum alio principio, sed solum propter positiuam similitudinem in natura, cum principio viuente. Ergo hæc eadem similitudo in quocumque alio subiecto censeri debet sufficientissima ad rationem generationis filij.

104. *Quinta ratio ex S. Thoma.*

Quintò arguo ex verbis S. Thomæ infrà art. 4. initio corporis continentibus optimam doctrinam. *Hæc est*, inquit, *differentia inter intellectum, & voluntatem; quod intellectus fit in actu per hoc, quòd res intellecta, est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu, & non per hoc, quòd aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quòd voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam.* Si voluntas non fit in actu per rem volitam, sicut intellectus fit in actu per rem intellectam; ergo obiectum diligibile non concurrit effectiuè cum voluntate, sicut obiectum intelligibile concurrit effectiuè cum intellectu: fieri enim intellectum in actu, secundum modum loquendi familiarem Philosopho, Commentatori, & S. Thomæ, vt explico tomo 2. q. 14. ar. 1. n. 6. & 7. nihil est aliud, quam intellectum constitui in vltima & completa actualitate, seu proxima determinatione principij intellectiui, seu productiui intelligibiliter; quod non fit sine aliquo coefficiente, & determinante ad producendum. Hoc igitur modo non fit in actu voluntas per obiectum diligibile: ergo hoc respectu voluntatis non est comprincipium comproductiuum. Ergo voluntas ex sua propria ratione, in termino per ipsam producto non postulat similitudinem cum obiecto diligibili, sicut postulat intellectus cum obiecto intelligibili. Ergo ex defectu similitudinis cum obiecto amabili non potest processio per voluntatem excludi à ratione generationis: tunc enim cum aliqua probabilitatis apparentia posset excludi, quando illa similitudo in genere volitiui esset possibilis, & tamen actu deesset. Sicut igitur defectus obiectiui principij, & obiectiuæ similitudinis, qui defectus reperitur in homine, non reperitur in Verbo Dei, nihil aufert ab homine pertinens ad essentialem filij geniti rationem, ita nec eamdem rationem auferre deberet à Spiritu sancto, si eius processio haberet reliqua omnia necessaria ad rationem filij geniti.

105. *Sexta ratio.*

Sextò, esto ad productionem amoris cum voluntate effectiuè concurrat obiectum diligibile, vel ratione ipsius rei, quæ ab intellectu voluntati proponitur, vt dicunt quidam, quos refert, & benè impugnat Sylvester p. p. Conflati q. 27. art. 6. ad 3. vel ratione ipsius intellectionis proponentis, vt dicunt Sylvester ibi, & apud ipsum Heruæus, & multi alij, quos cum communiore, & meliore sententia impugnaui p. 2. q. 9. art. 1. & esto ad rationem generationis necessaria sit non solum similitudo in natura, sed etiam in obiecto, vbi ad productionem concurrit non solum natura, sec etiam obiectum, adhuc tamen à productione Spiritus sancti excludi non potest ratio generationis: quia Spiritus sanctus si ex vi formali suæ productionis est similis in natura, est etiam similis in obiecto; nam hoc obiectum primarium, & formaliter motiuum in Deo, esse non potest aliud, nisi ipsamet diuina natura, vt de obiecto intelligibili ostendi tomo 2. q. 14. art. 2. dub. 2. &

Sylvester.

eadem

eadem est ratio de volubili: sed conceditur, Spiritum sanctum ex vi formali productionis procedere vt similem in natura: ergo concedi consequenter debet, procedere vt similem etiam in obiecto, hoc est, in eadem natura repræsentata, & quasi applicara intentionaliter voluntati per intellectum; nisi fortè confugere velint ad similitudinem intentionalem in repræsentando, quam non potest habere formalis terminus productus per voluntatem, sed solum formalis terminus productus per intellectum. Sed hoc effugio non fit satis: tum quia non erat cur tamquam nouam & propriam opinionem asserererent, Spiritum sanctum non generari ex defectu similitudinis cum obiecto, non ex defectu similitudinis cum natura; sed asserere debebant cum antiqua & communi opinione, Spiritum sanctum non generari ex defectu perfectæ similitudinis cum natura; nimirum tum in essendo, tum etiam in repræsentando; quam tamen opinionem ipsi etiam reiiciunt. Tum quia, vt in superioribus probatum est, similitudo intentionalis est quidem necessaria ad formalem rationem Verbi, non autem ad formalem rationem filij: ergo illius defectus in formali termino producto per voluntatem, esse quidem potest ratio, vt terminus ille non sit verbum; non tamen vt non sit filius.

106. *Alia aduersariorum responsio.*

Dices postremò cum aduersariis, In noua eorum opinione non fieri vim in defectu similitudinis intentionalis, sed in defectu realis similitudinis; eumque consistere in hoc, quòd ersi formalis terminus processionis Spiritus sancti sit diuina voluntas, quæ est ipsamet natura & essentia Dei, tamen hæc natura in Spiritu sancto ex vi formali suæ processionis est formaliter vt terminus productus, non vt principium productiuum; sed in Patre & Filio eadem natura est formaliter vt principium productiuum, non vt terminus productus: & propter hanc dissimilitudinem, quæ sine dubio realis est, & non intentionalis, Spiritus sancti processio non est, inquiunt, formaliter filij processio.

Confutatur. Verùm per huiusmodi responsionem, reducitur tandem hæc opinio, quæ prædicatur vt noua, ad antiquissimã opinionem Riccardi, Victorini, Alensis, Bonauenturę, & aliorum veterum, quos refero & impugnò supra à n. 39. Quòd scilicet natura diuina fœcunda sit in Patre & Filio, non in Spiritu sancto, & ideo Spiritum sanctum non procedere vt imaginem in similitudinem naturæ, & consequenter, non esse Filium genitum. In qua opinione sapientius antiqui non distinguunt duplicem similitudinis terminum, naturam, & obiectum, quæ sola distinctio, seu multiplicatio, nouum ac vitiosum inuentum fuit, sed in ipsa natura assignant dissimilitudinem, quam putant sufficere ad reddendam rationem, ob quam Spiritus sanctus non sit filius. Demum si Spiritus sanctus ideo non est filius, quia procedit à voluntate, vt fœcunda, siue vt principio productiuo amoris, sub qua formali ratione voluntatem communicatam non habet: ergo similiter, Verbum non erit filius, quia procedit ab intellectu vt fœcundo, siue vt principio productiuo verbi, sub qua formali ratione intellectum communicatum non habet.

DVBITATIO XI.

An ratio generationis Verbi reddi possit per intellectionem realiter non essentialem.

SVMMA.

1 *Declarantur termini huius & sequentis dubitationis, num.* 107.

2 *Probatur breuiter intellectionem esse de essentia Dei, num.* 108.

3 *Si intellectio non est Deo essentialis, non posse reddi rationem generationis verbi, n.* 109. *&* 110.

107. *Declarantur termini.*

Diuina intellectio duobus modis dici potest non essentialis. Primò realiter, quia re ipsa non est prædicatum intrinsece constitutiuum essentiæ diuinæ, sed attributalis quædam proprietas non inclusa essentialiter in essentia, sed entitatiuè tantum identificata cum essentia. Secundò præcisiuè, quia siue sit, siue non sit verè de essentia, tamen præscindendo ab hoc, consideratur tantum vel primo vt est perfectissima species processionis: vel secundo vt est similitudo infinita: vel tertio vt intellectio includens in se diuinam essentiam: vel quartò vt intellectio substantialis, omnibus enim istis modis rem hanc explicatam inuenio apud diuersos Authores, & ideo de singulis breuiter disputandum.

108. *Prima conclusio negatiua.*

Prima conclusio, Sententia dicens, actualem intellectionem, siue absolutum actum intelligendi, non esse de essentia Dei, & est vniuersaliter in se falsa, & particulariter est insufficiens ad reddendam rationem cur processio diuini Verbi sit generatio. Vtraque pars est contra Albertinum tomo 2. pagina 467. à n. 21. scribente, *Ideo Verbum generari, quia procedit per intellectionem, tamquam per viam, per quam communicatur primò & formaliter principium intellectiuum, quod est constitutiuum naturæ diuinæ: Spiritum verò sanctum non generari, quia procedit per velle, per quod, tamquam per viam, communicatur primò, & formaliter principium volitiuum, quod non constituit naturam diuinam, sed est concomitans & consequens illam.*

Albertini opinio.

Prima pars de falsitate, ex instituto probata est tomo 1. q. 4. art. 2. dub. 7. 8. & 9. Nunc distinguo duas falsitates valdè notabiles. Alteram quòd intellectio sit, aut saltem cum aliquo fundamento in re possit rectè concipi, tamquam via ad principium intellectiuum; nam vel ex ipsismet creaturis, & ex ipsa terminorum natura manifestum est, quòd intellectio præexigit & præsupponit principium intellectiuum; & vniuersaliter, omnis actus secundus præsupponit, & præexigit actum primum eiusdem generis, non contrà. Ergo intellectio non potest rectè concipi vt via ad principium intellectiuum; quia qui concipitur per viam tendere ad terminum, prius, saltem ratione, concipi debet in via, quam in termino. At quis quæso iudicare potest, rectè concipere eum, qui prius concipit, aliquem intelligere per actualem intellectionem, quam posse intelligere per principium intellectiuum? Præsertim cum ipsemet Albertinus supra præcedente n. suo 20. & si nolit concedere principium intellectiuum, quòd sit *quasi elicitiuum intellectionis*: tamen illud concedit, vt sit *principium seu radix intellectionis, quasi ratio exigitiua intellectionis: sicut*, inquit, *à pari, supposito quòd potentiæ sint identificatæ cum anima, verum est dicere, quòd anima in aliquo priori est principium, seu radix exigitiua suarum potentiarum.* Si in diuinis principium intellectiuum non potest aliter concipi, nisi vt ratio exigens intellectionem, ergo intellectio non potest concipi, vt via ad intellectiuum, tamquam ad terminum; sed contrario prorsus modo, intellectiuum concipiendum est tanquã principium exigens intellectiuum tanquã terminum. Semper enim id quod exigit præsupponitur, & progreditur, ac terminatur ad rem quam exigit; & res quæ exigitur, terminatur ad suum exigens: vt videre est in ipsomet exemplo, quod affertur de anima & potentiis; nam eo ipso, quòd anima sit ratio exigitiua potentiarum, & non potẽtiæ sint ratio exigitiua animæ, nemo potest rationabiliter

Intellectio Dei non potest concipi tamquã via ad principiũ intellectiuũ.

tionabiliter apprehendere, potentias esse viam ad animam, sed potius esse terminum quem exigit anima vt earum principium. Altera falsitas est, quòd in ipsamet diuina natura absoluta concipitur principium intellectionis, quod nimis confusè & insufficienter explicatur per radicem, aut rationem exigitiuam simpliciter; nam & essentia est radix suarum passionum, & intellectio radix est volitionis, & multa alia radices dicuntur, quæ tamen alio modo comparantur ad res, quarum sunt radices, quàm comparetur principium intellectiuum ad intellectionem, ergo hoc confusissime explicatur per simplicem atque vniuersalem radicis conceptum, sed ex propria & essentiali ratione petit concipi vt principium vitale, ac proinde in intrinseca sua ratione non habens actualem vitalitatem. Et consequenter imperfectum in genere vitalitatis, & productiuum, ac susceptiuum in se vlterioris vitalitatis in eodem genere intellectiui. Quæ omnia in Deo cogitare, manifestum est absurdum, vt fusius ostendo loco citato.

In Deo non datur principium intellectiuum.

109. *Verbi diuini processio immediatè est ab actu intelligendi, nõ à principio.*

Secunda pars de insufficientia, pluribus etiam probata est in tomo 1. q. 4. art. 2, n. 79. Esto igitur ratione distinguamus in Deo principium intellectionis essentiale, & actum intelligendi non essentialem, certum omnino apud Theologos esse debet, processionem diuini verbi, esse, saltem immediatè ab actu intelligendi, non à principio huius actus: in hoc enim verbum creatum & imperfectum maximè differt ab increato & perfectissimo Verbo; quia illud procedit de intellectu nó intelligente, sed agente, & producente verbum vt intelligat; hoc vero procedit de intellectu sapientissimo ac perfectissimè intelligente, & producente Verbum non ex indigentia intelligendi, sed ex fœcunditate communicandi suum intelligere: & ideo Sancti omnes, vt constat ex multis locis superius sæpe citatis, illud fatentur esse sapientiam de sapientia. Et Theologi omnes, tamquam rem prorsus indubitatam supponentes, illud procedere ex cognitione, solum inquirunt, Ex quarum rerum cognitione procedat. Verbum igitur diuinum procedit immediatè ex actu intelligendi, non ex principio intellectiuo, hoc est, procedit ex Deo Patre non præcisè vt potente, siue exigente intelligere actu, sed vt actu intelligente. Sed per actionem actus intelligendi non potest immediatè, & per se primò, ac formaliter communicari nisi ipsemet intelligendi actus, qui per istam opinionem est extra totam essentiam Dei: ergo per istam opinionem ex vi formali immediata processionis Verbi, nihil communicatur Verbo, per se primò & formaliter pertinens ad essentiam Dei. Quod quàm longè differt ab essentiali ratione filij Dei, nemo non videt: præsertim quia principium intellectiuum, quod solum hæc opinio vult esse de essentia Dei, non est quid consequens intellectionem, sed antecedens illam; ergo formalis processio Verbi nullo modo, hoc est, neque formaliter, neque etiam consequenter, dici posset terminari ad naturam & essentiam Dei, sed omnino antecedenter eam præsupponeret aliunde habitam. Idem inconuenientis deducitur ex eo quòd processio Filij Dei, est processio Verbi; &, vt cum Augustino lib. 7. de Trinitate c. 2. initio omnes fatemur, *eo Filius, quo Verbum.* Sed Verbum essentialiter importat ipsam expressam atque actualem notitiam, seu conceptionem. ergo hanc recipit communicatã ex vi formali suæ processionis, & per hãc constituitur in esse formali filij, sicut in esse formali Verbi, ergo non potest non pertinere ad naturam & essentiam Dei. Omitto alia plura, quæ habentur in citatis dubitationibus, & præterea in dubitatione 4.

Augustinus.

Secunda conclusio, *Si intelligere & velle in Deo sint rationes attributales, & non realiter essentiales, non potest inter processionem Verbi, & processionem Spiritus sancti assignari sufficiens ratio discriminis, quo illa, & non hæc est generatio.* Hæc conclusio sumitur ex verbis S. Thomæ de potentia, q. 10. art. 2. corporis inter medium & finem. *Non potest processionum differentia inueniri secundum rationes attributorum diuersas, ita vt per vnam processionem attendatur communicatio vnius attributi, & per aliam communicatio alterius.* Ratio sumitur ex dictis, partim de generatione, quòd illa pro termino formali habere essentialiter debeat similitudinem in natura & essentia, non autem in essentiæ proprietate; partim de termino formali processionis Verbi, & generationis Filij Dei, quem probauimus esse ipsum actum intelligendi. Ex quibus duobus principiis necessario sequitur, non posse probabiliter intelligi, processionem Verbi esse substantialem viuentis Dei generationem, nisi actualis intellectio verè ac realiter pertineat ad essentiam naturæ diuinæ. Confirmatur quia inter generans & genitum maior similitudo est in natura, quàm in quacumque alia re supponente naturam, Generatio autem vt sic tendit formaliter ad similitudinem inter generans & genitum; ergo illa est perfectiór generatio præcisè in essentia & ratione generationis, quæ ex vi sua formali perfectiorem similitudinem confert: sed generatio v.g. humana, per se primò & formaliter communicat naturam humanam, & solum consequenter communicat quæ naturam humanam consequuntur. Ergo si generatio diuina contrario ordine procederet, communicando scilicet per se primo intellectionem & similitudinem intentionalem, quæ per istam opinionem supponit naturam, & naturalem similitudinem, sequeretur, generationem humanam præcisè quatenus generationem, quantum ad formalem modum communicandi, & attingendi suum terminum formalem, esse perfectiorem diuina: & consequenter, diuinum Patrem, formaliter in ratione Patris superari à Patre humano, in modo scilicet communicandi formaliter naturam; & Filium diuinum ab humano in modo recipiendi formaliter naturam: & tamen S. Thomas infrà, q. 33. art. 2. ad 4. docet, nomina generationis, paternitatis, & similia, quæ propriè dicuntur in diuinis, per prius ac perfectius dici de Deo, quàm de creaturis, quantum ad rem significatam, non quantum ad modum significandi; quod notaui etiam suprà n. 2. Præterea sequeretur, quoad naturæ communicationem nihil differre generationem Filij à processione Spiritus sancti, quia sicut in generatione Filij communicatur natura non formaliter, sed identicè, & quasi materialiter, quia scilicet formaliter communicatur intellectio quæ identificatur cum natura; ita etiam communicato formaliter amore Spiritui sancto, communicatur necessario natura cum illo amore omnino identificata.

110. *Secunda conclusio, Differentia processionum non assignatur per rationes attributales.* S. Thomas.

Confirmatur ex propria ratione generationis.

S. Thomas.

DVBITATIO XII.

An ratio generationis Verbi reddi possit per intellectionem præcisiuè non essentialem.

SVMMA.

1 *Explicantur termini, & ratio dubitationis, n.* 111.

2 *Verbi generatio insufficienter probatur ex eo quod sit perfectissima species processionis verbi, num.* 112. *&* 113.

3 *Insufficienter etiam probatur ex infinitate & diuinitate intellectionis, num.* 114. *ad* 117.

4 *Item*

4 *Item ex inclusione essentiali diuinæ essentiæ in intellectione diuina, num.* 117.

5 *Item ex eo quod intellectio sit substantialis, & comprehensiua, & ab infinito principio, num.* 118. *ad* 121.

111. *Explicantur ex S.Thoma formales termini, & formalia principia processionum.*

SAnctus Thomas infrà, art.4. ad 1. sapientissimè docuit, *Oportet quòd propria ratio huius, vel illius processionis accipiatur secundum rationem voluntatis, & intellectus. Vnde secundum horum propriam rationem sortitur in diuinis nomen vtraque processio, quod imponitur ad propriam rationem rei significandam.* Cùm enim in Deo formalia producendi principia, quibus personæ diuinæ producunt ad intra, alia esse non possint nisi intellectus, & voluntas, ex probatis suprà art.1.dub.9.10.& 11.& quòd est formale producendi principium ex parte producentis, sit formalis terminus per se, & formaliter communicatus ex parte producti, docente eodem S.Thoma infrà q.41. art.5.initio corporis quòd *omne producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam, quæ agit*; & ad 1. *Id quo generans generat, est commune genito, & generanti*, & antea q.33.art.2.ad 4. *Manifestum est quòd generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati*, formales termini, ex quibus solum dignosci potest, an aliqua diuina processio sit, vel non sit generatio, alij esse non possunt nisi Dei intellectus & voluntas, quæ in Deo non sunt nisi purissimi actus intelligendi & volendi, ex probatis tomo 1. q.4. art.2. dub.8. Hi igitur actus tripliciter comparari possunt ad diuinam naturam. Primò, vt neuter sit de illius essentia, quod ab Albertino suprà, & quibusdam aliis admodum paucis, iisque iunioribus, dictum inuenio; & secundum hanc opinionem, quàm difficile sit, generationem Verbi à Spiritus sancti processione distinguere, explicatum est dub.præcedenti. Secundò, vt vterque sit de essentia, quod multò plures, tam veteres, quàm recentiores opinantur: ex qua secunda sententia ortos censeo plures alios dicendi modos, suprà n. 105. significatos & in hac dubitatione examinandos. Si enim intelligere & velle, sunt Deo æquè essentiales, non potest ex eorum essentialitate formaliter prouenire tanta processionum differentia, vt altera sit generatio, altera non sit generatio: & ideo authores huius opinionis ex aliis capitibus, quàm ex essentialitate, quæ sola verè satisfacit, eiusdem discriminis rationes petere conati sunt. Tertiò vt vnus, nempe actus intelligendi, sit de essentia, & non alius, nempe actus volendi: quam sententiam cum multis, & antiquis, & modernis in 1. tomo locis citatis sequutus sum, & iuxta illam tantum arbitror posse prædicti discriminis rationem vtcumque assignari, vt ostendam dubitatione sequenti.

Actus intelligendi & volendi considerantur tripliciter.

112. *Prima conclusio, Perfectissima Verbi processio nõ probat generationem.* Ferrariensis. Bagnez. Suarez.

Prima conclusio, Ex eo quod processio Verbi diuini, sit perfectissima species processionis verbi, habentis in se perfectissimam intellectionem, ex qua immediatè procedit, non probatur sufficienter, illam esse generationem. Est communis, contra Ferrariensem 4.contra gentes c.11.§. *Consideratur secundò.* quem sequuntur Bagnes infrà, art. 4. dubio 1. conclusione 3.& alij, quorum opinionem vt probabilem defendit Suarez lib.11. c.5.n.14. & 15. Vult igitur Ferrariensis, quòd processio diuini Verbi habet vt sit generatio, *Non in quantum verbi processio est absolutè*, vt patet in processione verbi creati; *sed in quantum talis species per se processionis verbi, quæ est perfectissima, vtpote perfectissimam cognitionem concomitans.* Eiusque fundamentum totale est, quia verbi processio perfectissima, inquit, *ex communi ratione processionis verbi habet, quòd productum sit simile producenti secundum eamdem rationem: ex eo vero quod est perfectissima, habet vt productum habeat idem etiam esse naturale cum producente.* Quod secundum probat ex eo quòd, *quantò cognitio perfectior est, tantò verbum, per ipsam productum, est intimius, & magis vnitum*; vt apertè docet S.Thomas suprà, art.1.ad 2.

Sed contrà primò, quia per hunc discursum nihil aliud concluditur, nisi, perfectissimam diuini Verbi processionem, esse generationem, non per se, & formaliter ratione sui termini formalis, qui est perfectissima cognitio, sed solum per accidens, siue per aliud, & quasi materialiter, atque identicè, ratione scilicet naturæ & essentiæ, cum qua formalis ille terminus perfectissimæ cognitionis est omnino identificatus, & vnitus. Quæ vnitas ad constituendam generationem non est satis, vt optimè probat S.Thomas infrà, art.4.ad 1. quia *quicquid est in diuinis*, hoc est non solum diuina cognitio, sed etiam diuinus amor, diuina potentia, & vniuersalissimè quicquid est formaliter in Deo, *Est vnum cum diuina natura. Vnde ex parte huius vnitatis non potest accipi propria ratio huius processionis, vel illius, secundum quam vna distinguatur ab alia: sed oportet quòd propria ratio huius vel illius processionis accipiatur secundum ordinem huius processionis ad aliam: huiusmodi autem ordo attenditur secundum rationem voluntatis & intellectus.* Ergo ad probandam essentialem rationem diuinæ generationis, cuius vi formali generans communicet genito suum esse naturale, & similitudinem in eadem natura, spectari debet formaliter & præcisè ipsa ratio diuinæ ac perfectissimæ intellectionis, quæ sit ipsa Dei essentia ac similitudo in eadem natura, & non satis est, quòd hæc intellectio sit vnum, atque idem cum natura. Secundò, quòd diuina generatio, sit verbi processio absolutè. nihil habet formaliter pertinens ad conceptum generationis, in quantum simpliciter generatio est; sic enim verbum, absolutè vt verbum, nullam aliam similitudinem habet cum producente, nisi intentionalem, quæ ad essentiam generationis neque sufficiens est, neque necessaria ex dubitatione 6.7.& 8. Quamobrem si per impossibile Deus de Deo procederet, vt naturaliter similis in essendo, non vt intentionaliter similis in repræsentando, adhuc talis processio esset adæquatè generatio filij, sicut de facto est processio hominis ab homine, etsi non esset generatio Verbi. Quòd autem sit perfectissima verbi diuini processio, & intellectio perfectissima, nimirum diuina, & propterea productum habeat idem esse naturale cum producente, ac naturalem similitudinem in eadem natura, totum prorsus eadem ratione reperitur in perfectissima processione amoris diuini perfectissimi, qui ex eo quòd talis sit, non minus essentialiter quam diuina intellectio petit identificari, & vniri cum natura diuina. Ergo per hoc tantum non assignatur adhuc sufficiens ratio, cur processio diuini verbi, potius quam processio diuini amoris sit generatio. Tertiò in perfectissima Verbi diuini processione, qua formaliter & per se primo communicatur intellectio perfectissima, idem esse naturale producti cum producente, seu realis in natura similitudo, quæ sola facit ad formalem rationem generationis, vt superius probatum est, vel habetur ex eo quòd illa intellectio est absolutè intellectio, & hoc benè negatur; vel ex eo quòd est intellectio perfectissima, vt dicitur, & tunc peto vt explicetur, quid supra intellectionem addat illud, *perfectissima.* Vel enim addit summam perfectionem in eodem genere intellectionis, vt explicat Bagnes suprà, sicut cum dicitur intellectio Angeli supremi perfectior intellectione infimi Angeli, & hoc non sufficit, quia intellectio vt intellectio genericè considerata, est solum similitudo in repræsentando, ergo perfectio summa addita in eodem genere erit solum summa similitudo in repræsentando: generatio autem postulat aliam longè diuersam, perfectiorem & intimiorem similitudinem in essendo. Vel addit vim identificandi sibi essentiam Dei; & neque hoc sufficit, quia idem, & eadem ratione habet amor perfectissimus, & quæuis alia perfectio, seu ratio, quæ in Deo formaliter est. Vel addit in ipsomet intrinseco suo conceptu, sed implicito tantum, habere essentialiter inclusam ipsammet essentiam Dei, ex eo quòd est intellectio essentialiter diuina, vt hodie multos iuniores dicere audio; & hoc etiam est insufficiens, quia æquè commune reliquis omnibus prædicatis in Deo formaliter existentibus, ac proinde non minus essentialiter diuinis. Vel denique addit, intellectionem diuinam, secundum suum essentialem & explicitum conceptum intellectionis diuinæ, esse prædicatum essentiale, ac specificum, & quasi vltimo constitutiuum diuinæ essentiæ, & propterea Verbum diuinum vi generationis procedat, vt ait S.Thomas hîc in fine corporis *in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere & esse*; & hæc quidem perfectio summa videtur planè sufficiens, vt ostendam dubitatione sequenti. Sed ab aduersariis aut non exprimitur, aut expresè negatur.

113. *Impugnatur discursus Ferrariensis.*

S.Thomas.

114. *Secunda conclusio. Intellectio infinita & diuina nõ probat generationem.* Zumel. Arrubal.

Secunda conclusio, Ex eo quòd Verbum diuinum procedat per intellectionem, quatenus infinitam & diuinam, quæ sub propria ratione intellectionis, & diuinæ intellectionis, est similitudo, & infinita similitudo, insufficienter dicitur, quod habeat formalem rationem filij geniti. Est contra Zumel infrà, art.4.disp.1. §. *Defensio rationis S.Thomæ.* Ad secundam confirmationem, Arrubal disp.98.cap.4. & alios recentiores, qui Ferrariensis opinionem magis explicantes, ingeniosè dicunt, producere simile in natura, conuenire intellectioni diuinæ per se intra proprium genus intellectionis diuinæ, etiam vt secundum rationem distinctæ à quauis alia diuina perfectione: quia, inquiunt, omnis intellectio, quatenus intellectio habet producere simile aliquo modo, nempe verbum repræsentatiuum obiecti & principij. Quatenus verò diuina, habet intellectio vt perficiatur in suo esse assimilatiuo, & fiat etiam productiua similis in natura, & formaliter generatio; & propterea, processionem secundæ personæ per intellectionem, esse generationem. Producere autem simile in natura, conuenire volitioni diuinæ, non per se, quatenus volitioni, & intra proprium genus volitionis; quia volitio, vt volitio, est inclinatiua in obiectum, & affectiua, nullo tamen modo est assimilatiua: sed solum conuenire illi, quatenus diuinæ, vel quatenus identificatæ cum diuina intellectione & natura; & ideo processionem Spiritus sancti per volitionem, non esse generationem. Quæ opinio à Torres hic 4. p.commentarij §. *Fortè*, tribuitur Ferrariensi, & vocatur, *sophistica*, & impugnatur etiam ab Albertino tomo 2.fol.465.n.12. Vazquez d.113.c.6.

Torres. Albertinus. Vazquez.

115. *Probatur primò.*

Et contrà primò, Diuinitas adiuncta voluntati, dat illi producere simile in natura; ergo quando idem dat adiuncta intellectui, non dat illi per se, & formaliter quia est intellectus, sed solum, quia est simpliciter principium productiuum, & ideo id non dat adiuncta aliis rationibus, ex propria ratione non productiuis, v.g. spirationi passiuæ, ergo intellectus, ex eo quòd sit diuinus, non habet producere simile in natura, quia est intellectus, sed solum quia est productiuus. Hæc autem formalis ratio non sufficit ad generationem, quia tota reperitur in voluntate diuina, quæ non generat. Confirmatur, quia sicut in-

tellectioni, vt sic, conuenit producere simile in repræsentando, ita volitioni, vt sic, producere simpliciter suum terminum. Omnis autem productio, ex eo quòd est diuina, debet esse productio termini similis in natura. Ergo pariter, producere simile in natura, conuenit volitioni diuinæ, quatenus volitioni: nam si illa volitio diuina, quatenus volitio, non esset simpliciter productiua, esse diuinum non daret illi producere simile in natura. Ergo si huiusmodi conuenientia ratione generis, est satis ad rationem formalem generationis, vt dicitur, erit etiam propriè, ex vi formali suæ processionis, genitus Spiritus sanctus procedens per volitionem diuinam. Neque refert, quòd volitio, vt volitio, non habet producere terminum, vt similem in repræsentando, sicut habet intellectio, vt intellectio; quia ad hoc vt diuinitas alicui principio productiuo det producere terminum similem in essendo, vnde solum formaliter habetur ratio generationis, per accidens, & impertinenter se habet, quòd illud principium sit productiuum similis in repræsentando, sed satis est, quòd sit simpliciter productiuum alicuius termini, quicumque ille sit; vt patet ex ipsamet volitione, quæ vt volitio non habet producere terminum similem in repræsentando, sed simpliciter producere terminum; & nihilominus propter hoc tantum, ex diuinitate habet producere terminum vt similem in essendo: quamobrem si per impossibile intellectio haberet producere terminum, & non similem in repræsentando, vel si nos in eius termino consideraremus solam rationem termini diuini producti, præscindendo mentaliter à repræsentatiua illius similitudine, adhuc in illo termino formaliter diuino concipi deberet ratio similitudinis in essendo.

116. *Probatur secundò.*

Ex quo argumentor secundò, Tota essentialis ratio generationis habetur per solam similitudinem realem in natura, sine vlla similitudine intentionali in repræsentatione, vt superius probauimus, & ex creatis generationibus adeò manifestum est, vt ne ipsi quidem aduersarij, contra quos disputamus, id negare audeant. Ergo formalis ratio generationis non debet tribui per se, & formaliter intellectui, quatenus intellectui; quia intellectus vt sic, nihil aliud dat nisi similitudinem intentionalem. Tertiò, intellectio, dum per esse diuinum recipit esse productiuum similis in natura, non contrahitur per hoc intra suam genericam latitudinē; quoniam intellectio vt sic, est similis tantum intentionaliter, quam similitudinem non præsupponit per se similitudo in natura, quæ habetur ex differentia diuinitatis adiuncta. Ergo producere simile in natura, non habet intellectus propter diuinitatem, tamquam propter differentiam, qua ratio generica intellectionis, vt intellectionis, contrahatur per se intra suam latitudinem: semper enim ratio differentialis præsupponit, tamquam aliquid necessariò prærequisitum, rationē genericam; sicut rationale præsupponit animal: sed esse diuinum, vnde habet intellectio producere simile in natura, non præsupponit per se, & necessario similitudinem intentionalem, vt det esse productiuum similis in natura, quia hoc dat etiam volitioni diuinæ; ergo producere simile in natura non potest conuenire intellectioni diuinæ ratione generis, in quantum est similitudo intentionalis: non enim possunt inuicem comparari similitudo naturalis & similitudo intentionalis, tamquam genus & species, sed solum tamquam duæ species, cum aliquando reperiantur in re inuicem omnino separatæ, vt in productione Verbi creati

Probatur tertiò.

est similitudo intentionalis, non naturalis; in productione verò hominis, v.g. est similitudo naturalis, non intentionalis. Quartò esto intellectio, quatenus simpliciter assimilatiua, cõducat aliqua ratione ad generationem, tamẽ si solum quatenus diuina haberet formalem & adæquatam rationem generationis, sequeretur formalem rationem generationis conuenire processioni Verbi non ratione alicuius, quod per se reperitur in processione Verbi, tamquam proprium illius processionis; nam conueniret illi, solum quia diuina est: at vero processio Spiritus sancti non est minus formaliter diuina, quam processio Verbi. Quapropter dici rectè non potest, secunda persona genita, & filius similis in natura ex vi formali propriæ suæ processionis; quia id illi conueniret non ratione intellectionis, quæ est propria illius processionis, sed ratione diuinitatis, quæ est æquè communis processioni Spiritus sancti.

Probatur quartò.

Probatur quintò ex S. Thomæ.

Quintò demum hęc opinio videtur expressè contra S. Thomã infrà, art. 4. ad 1. docentem, propriam rationem huius & illius processionis esse attendendam solum secundum rationem intellectus & voluntatis, non secundum quòd intellectus & voluntas sunt vnum cum natura diuina, ratione cuius habent esse diuinum, saltem secundum aduersarios putantes, naturam diuinam esse de intrinseco conceptu cuiuslibet perfectionis in Deo formaliter existentis, quæ ex hac essentiali inclusione habeat formaliter esse diuinum. Hæc autem opinio totam rationem formalem, qua processio Verbi est generatio, reuocat ad esse diuinum, æquè commune multis aliis diuinis rationibus. Et sæpissimè S. Thomas locis superiùs citatis, & inferius etiam citandis, assignans rationem diuinæ generationis, facit vim præcisè in intellectione, quæ diuina est, non ipsa diuinitate intellectionis. Quomodo autem alibi non faueat aduersariis, expositũ est supra n. 71. 78. & 79.

117. *Tertia conclusio, Intellectio includens essentialiter naturã non probat generationẽ.*

Tertia conclusio, Processio Verbi falsò, & insufficienter dicitur generatio ex eo tantum, quòd diuina intellectio, quæ communicatur ex vi processionis Verbi, includat essentialiter diuinam essentiam, sicut includit quæuis alia Dei ratio attributalis, seu personalis, cum quælibet sit formaliter diuina. Est contra aliquos modernos in hac materia minus probabiliter discurrentes. Falsitatem suppono ex probatis in 1. tomo q. 4. art. 2. dub. 10. & 11. quòd diuina essentia non sit essentialiter inclusa in quocumque diuino attributo, sicut ens in quocumque inferiori ente: & ex probandis q. sequenti quòd de essentiali & intrinseco conceptu diuinæ relationis non sit essentia Dei. Insufficientiam manifestè probo, quia eadem opinione, & eodem discursu probaretur, esse etiam generationem processionem amoris diuini: quoniam amor diuinus includeret essentialiter naturam diuinam non minus quàm intellectio diuina; ergo Spiritus sancti processio, qua formaliter communicatur amor diuinus, non minus tenderet in similitudinem diuinæ naturæ, & consequenter esset generatio, quàm processio Verbi, qua formaliter communicatur intellectio diuina.

118. *Quarta conclusio contra Zumel.*

Quarta conclusio, Neque etiam sufficienter dici potest, Verbum diuinum generari, & procedere formaliter vt filium, & vt similem in natura suo principio, ex eo quòd procedat vt intellectio, & similitudo substantialis, comprehensiua Dei; & procedat ab ipsa substantia ac natura diuina infinita, tamquam à principio quasi elicitiuo. Est contra Zumel infrà, art. 4. disp. 1. §. *Defensio rationis S. Thomæ*, &c. aliquantò post principium, & alios recentiores. Probatur primò, quia ex eo, quòd intellectio diuina sit substantialis, & infinita, & à principio infinito, non sequitur, cum illa communicatur, communicari naturam ratione illius formaliter, & præcisè, sed solum identicè, & quasi materialiter, vt patet exemplo amoris diuini, etiam substantialis, & infiniti, & communicati à principio infinito, & nihilominus eius communicatio non est formalis communicatio naturæ, alioqui per istum modum dicendi non esset in hoc diuersa ratio de processione Verbi, & processione Spiritus sancti, & sic vtraque æqualiter esset generatio. Confirmatur, quia personalitates Dei, vt ratione ratiocinata distinctæ à natura cuius sunt personalitates, sunt etiam substantiales, & infinitæ perfectionis, & aliquæ sunt productæ à natura infinita, & tamen non sunt per se, & formaliter ipsa natura, & consequenter, earum productio formaliter & per se non est communicatio naturæ, sed solum identicè, & materialiter, siue entitatiuè.

119.

Secundò, ratio comprehensiui nihil aliud ponit in Verbo, nisi esse cognitionem perfectissimam in ratione cognitionis, quæ vt sic formaliter, & vt distincta secundum rationem à natura, importat similitudinem in repræsentatione, non in natura. Enim vero eo ipso, quòd per aduersarios ponitur, seu consideratur natura Dei vt intellectionis principium ac species, ipsa autem intellectio ad modum actus secundi, ac proinde vt intellectio distincta per rationem cum fundamento in reà natura, non potest formalis & præcisa cõmunicatio intellectionis esse formaliter communicatio naturæ; quia tunc intellectio se ipsa formaliter non potest aliud communicare, nisi quod ipsa est ex proprio suo conceptu formali: sicut quia amor vt amor, etiam in diuinis non est intellectio, aut natura, non potest communicatio amoris esse per se formaliter communicatio intellectionis, & naturæ, sed solùm identicè. At verò generatio, cum per se, & ex propria sua ratione sit naturalis & formalis via, qua communicetur natura, debet ex se communicare naturam, tamquam suum proprium, directum ac formalem terminum.

120.

Tertiò, si intellectio vt essentialis, qua ratione, vt ex superioribus constat, ponenda & concipienda est vt improducta & incommunicata, quantumuis infinita, non est similitudo in natura ipsius Dei, vt aliqui ex aduersariis dicunt; ergo hanc similitudinem recipere non potest, vt personalis & communicata; quia vt sic nihil illi additur, nisi relatio, quæ neque ad rationem naturæ, neque ad rationem intellectionis formaliter facit, sed solum ad terminationem naturæ, & ad constitutionem ac distinctionem personæ. Ergo ex eo quòd intellectio sit infinita, & ab infinito producente, non potest induere formalem rationem similitudinis in natura.

DVBITATIO XIII.

An ratio diuinæ generationis reddenda sit per intellectionem essentialem.

SVMMA.

1 *Non posse reddi si intellectio sit essentialis æquè ac volitio, num. 121.*
2 *Posse reddi, si intellectio sit essentialis, & vltimo constitutiua diuinæ essentiæ, num. 122.*
3 *Esse simpliciter reddendam ex eo quòd volitio non sit essentialis, & intellectio sit vltimo constitutiua diuinæ essentiæ, n. 123. & 124.*
4 *Hæc vltima conclusio probatur authoritatibus, n. 125. ad 133.*
5 *Soluuntur octo obiectiones, n. 133. ad 144.*

6 *Satisfit*

6 *Satisfit quatuor difficultatibus, num. 144. ad finem articuli.*

121. *Prima conclusio, Intellectio simpliciter essentialis non probat generationẽ.*

PRima conclusio, Si in essentiali conceptu naturæ diuinæ ponatur intrinsecè inclusa non minus diuina volitio, quàm intellectio, dici probabiliter non potest, Verbum potius quam Spiritum sanctum esse propriè ac formaliter filium genitum. Hoc contra multos obiter notaui suprà n. 109. Nũc probatur primò, quia si prædicta opinio vera esset, tunc Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis produceretur in similitudinem naturæ, & consequenter, vt in superioribus demonstratum est, esset propriè ac formaliter filius genitus, non minus quàm Verbum; quoniam ad diuinam naturam, atque essentiam, vt conceditur, non minus pertineret formalis terminus processionis Spiritus sancti, qui est volitio, siue amor, quàm formalis terminus processionis Verbi, qui est intellectio, siue sapientia. Secundò, quia maiori etiam ratione tunc dici posset, processionem Spiritus sancti esse generationem filij: nam volitio, ad quam illa processio formaliter terminatur, si esset essentialis gradus diuinæ naturæ, multò magis ad illam naturam pertineret, quàm intellectio, etiam essentialis, vt probaui tomo 1. q. 4. art. 2. num. 21. & 22.

122. *Secunda conclusio, Intellectio si ponetur vt vltimò constitutiua essentiæ, probaret generationẽ.*

Secunda conclusio, De sola Verbi processione planè atque efficaciter probaretur ratio generationis, si poneretur in Deo intellectio ita essentialis, vt esset vltimum quasi constitutiuum, & specificatiuum diuinæ essentiæ; volitio autem simpliciter non essentialis, sed proprietas consequens, seu potius præsupponens essentiam, eique ex propria ratione conueniens. Hæc conclusio in isto sensu conditionali, ex suppositione prædictæ sententiæ, esse debet apud omnes certa, & expressè notatur ab Albertino tomo 2. folio 466. num. 16. & minus consequenter negari videtur à Nazario infrà, art. 4. controuersia 1. §. *Sciendum*, vbi cum velit, intellectionem esse formale constitutiuum diuinæ naturæ, & ideo Verbum, cui ex vi formali suæ processionis communicatur intellectio, generari in similitudinem naturæ: deinde addit primò, *hoc non aduertisse Suarez in suo illo satis prolixo discursu*, nempe lib. 11. cap. 5. à num. 16. vbi certè multò breuius ac distinctius quàm Nazarius scribit. Addit secundò, Diuinum amorem procedere quidem vt quid consequens naturam ex propria sua ratione: tamen hoc non satis esse, vt non generetur Spiritus, cui ex formali vi processionis suæ communicatur amor, quia, inquit, *ita consequitur naturam, vt sit idem, quod ipsa natura*: vbi omissa formalitate amotis, quam fatetur extra naturam, vitiosus transitus fit ad identitatem & vnitatem cum natura, contra doctrinam S. Thomæ art. 4. ad 1. Ratio conclusionis clara est, quia terminus formalis, ad quem Verbi processio terminatur per se, & ex vi sua formali, hoc est, præcisè considerata secundum quod est processio per intellectum diuinum, & non secundum quòd cum aliis diuinis rationibus identificatur, est intellectio; sicut formalis terminus processionis Spiritus sancti, est volitio: ex termino autem formali maximè attendenda est propria ac formalis ratio processionum. Ergo si intellectio est essentialis, & propriissima ratio constitutiua Dei, vt Dei essentialiter, Verbum ex vi formali suæ processionis erit Deus, vt Deus essentialiter, & producetur formaliter in similitudinem naturæ diuinæ, quod est essentialiter, esse filium Dei genitum. Spiritus verò sanctus ex vi formali suæ processionis non producetur formaliter vt Deus in similitudinem naturæ, siue essentiæ diuinæ, sed solum identicè; quia scilicet volitio, quæ est ipsius terminus formalis, licet in se intrinsecè considerata non pertineat ad essentiam diuinam, est tamen essentialiter identificata cum illa essentia, quamobrem nec in aliquo esse potest qui non sit Deus, nec alicui communicari, cui non communicetur ipsa etiam essentia Deitatis.

Est Albertini contra Nazarium.

123. *Tertia conclusio, Intellectio, quia est vltimũ constitutiuum essentiæ, probat generationem.*

Tertia & vltima conclusio, Absolutè dicendum, quòd non videtur posse sufficienter ac probabiliter naturali lumine intelligi, ac probari, quod fide credimus, processionem Verbi, & non processionem Spiritus sancti, esse generationem Filij Dei, nisi ex eo quòd intellectio, quæ est formalis terminus processionis Verbi, sit ipsa essentia Deitatis; volitio verò, quæ est formalis terminus processionis Spiritus sancti, sit solum quædam essentiæ Deitatis proprietas, extra totum essentialem, atque intrinsecum conceptum illius essentiæ. In hac conclusione tria distinctè dicimus. Primum, supponitur vt vera quædam opinio, & authoritatibus, & rationibus, & multarum obiectionum solutionibus satis superque probata tomo 1. quæst. 4. art. 2. quòd vita intellectualis Dei non sit aliud, nisi ipsummet actualissimum ac purissimum intelligere, per quod Deus essentialiter constituatur in vltima, & quasi differentiali ac specifica sua ratione Deitatis. Secundum, per hanc opinionem afferri sufficientem, & probabilem rationem, cur Verbi processio, & non processio Spiritus sancti sit generatio. Quod præcedenti conclusione euidenter ostensum est: & potest dupliciter explicari ex dictis tomo 1. q. 4. art. 2. n. 60.

Duobus modis consideratur intellectio diuina.

Etenim si diuina intellectio consideretur secundum omnes suas essentiales rationes tam explicitas, quàm implicitas, secundum quas non solum est intellectio omnino infinita, sed etiam ens à se, & substantia, & Spiritus, & vita, tunc facillimè intelligimus, communicationem diuinæ intellectionis esse formalissimam communicationem naturæ diuinæ, & perfectissimam generationem filij, similis in natura formaliter vi processionis; quia secundum istam considerationem ponimus intellectionem diuinam esse formaliter & essentialiter totam ipsam diuinam naturam. Si verò consideretur dumtaxat secundum conceptum explicitum intellectionis, secundum quem, cum sit perfectio omnium maxima, & ex propria ratione supponens aliis omnes essentiales conceptus explicitos existentiæ, substantiæ, & Spiritus, meritò dicitur, & concipitur tamquam vltima differentia constitutiua, & quodammodo specificatiua diuinæ naturæ, tunc etiam idem commodissimè intelligimus: nam differentia est ratio formalis constituens naturam talem formaliter in esse talis naturæ; ergo formalis communicatio solius differentiæ essentialis dici iure potest formalis communicatio naturæ, siue talis essentiæ, & consequenter, formalis generatio. Hanc enim ob causam in viuentibus creatis, v. g. in Leone, ad formalem, ac perfectam filij generationem satis est si per productionem formaliter communicetur non materia, quæ pars est essentiæ physicæ, sed forma, quę in rebus physicis correspondet differentiæ in rebus metaphysicis, & à corpore abstractis, licet forma genita, sit diuersa numero à forma generantis; imò licet ipsa etiam forma aliquando non generetur à Patre; vt in homine, in quo plerique volunt, saluari rationem generationis per productionẽ solius vnionis inter animam & corpus. Ergo eadem essentialis ratio generationis multò magis saluatur in Verbi diuini processione, vbi eadem vita intellectualis, quæ est formalis constitutio diuinæ naturæ, &

formale principium quo Pater producit Verbum, communicatur formaliter Verbo, tamquam formalis, & explicitus, & per se primò terminus processionis ipsius Verbi. Quapropter secunda persona ex vi formali suæ processionis habet vt sit similis generanti, non solum vt obiecto cognito per ipsam intellectionem, in quantum Pater generat per intellectionem sui ipsius vt obiecti, vnde habetur solum formaliter ratio Verbi, & similitudinis intentionalis in repræsentando, sed etiam vt generanti formaliter, in quantum eadem numero intellectio, vt terminata relatione paternitatis, est ratio formalis generandi, & vt terminata relatione filiationis, est ratio formalis terminandi generationem, vnde habetur formaliter ratio generationis filij, & realis similitudinis in essendo.

124. *Cur processio Spiritus sancti non sit generatio.* Contrà verò de Spiritus sancti processione, si diuinum velle, secundum explicitum volitionis conceptum non ponatur de essentia Dei, quod ex instituto probamus tomo 1. quæst. 4. art. 2. num. 21. & 22. optimè intelligimus, illam non esse generationem; quia per se & formaliter, hoc est, si consideretur præcisè ratione voluntatis, per quam procedit Spiritus sanctus, non communicat naturam, sed solum eam communicat identicè; quod quidem nihil referre debet ad formalem rationem generationis, & filij, vt acutè monet S. Thomas infrà art. 4. ad 1. quem explicaui suprà num. 111. & 113. quia hoc modo non communicatur natura ex vi formali processionis, & termini, vt formaliter termini illius processionis, sed solum ex vi termini materialiter; quia scilicet amor diuinus, per se consideratus, non potest à parte rei separari ab essentia diuina: si enim fingeremus esse separabilem, illa processio amoris nullo modo communicaret essentiam diuinam. Et quidem si prædictam identitatem, ac veluti materialitatem velimus attendere, confusissima ac dutissima redditur intelligibilitas, & credibilitas huius mysterij. Enim verò per generationem Verbi communicatur identicè amor, & per productionem Spiritus sancti communicatur identicè intellectio; ergo si ex communicatione identica naturæ colligitur communicatio similis in natura, & filij productio, colligere eadem ratione licebit, communicationem intellectionis esse communicationem amoris, & productionem Spiritus sancti: communicationem quoque amoris esse communicationem intellectionis, & productionem Verbi. Sicut igitur ex eo, quòd Spiritui sancto communicetur identicè intellectio, non dicitur Spiritus sanctus procedere vt Verbum, & similis in repræsentando, quia scilicet amor ex proprio conceptu non includit essentialiter intellectionem, sed solum præsupponit; ita ex eo quòd communicetur identicè natura, non debet dici procedere vt filius, & similis in natura; quoniam amor, vt amor, qui est formalis terminus suę processionis, non ingreditur formalem & essentialem constitutionem naturæ, sed solum consequitur. Quòd declarari magis potest mysterio Incarnationis, vbi Verbi personalitas, non natura terminat vnionem cum natura humana, quamuis illa personalitas sit essentialiter identificata cum natura diuina: & in hoc ipso Trinitatis mysterio propter eamdem virtualem distinctionem inter paternitatem & naturam, Pater communicat naturam, & non paternitatem; ita in casu nostro processionem Spiritus sancti per se primò & formaliter terminat proprietas quædam naturæ diuinæ, nempe amor, non autem essentia illius naturæ: & ideo persona Spiritus sancti, hoc modo procedentis, non est filius genitus, sed amor spiratus.

S. Thomas.

125. Tertium, quod in conclusione distinctè asserimus, est, nullam aliam prædicti discriminis rationem ita probabilem ac sufficientem afferri posse, præter hanc de diuina intellectione essentiali, & diuino amore non essentiali. Quod distinctè & abundè in Superioribus ostensum est, examinando reliquas omnes rationes ab aliis, tam veteribus, quàm recentioribus hactenus traditas.

Authores tertiæ conclusionis.

126. Qui sint Authores opinionis, in qua fundatur tertia conclusio, nempè, quòd intelligere, & nō velle, sit aliquo modo formaliter ipsum esse, siue essentia, & natura Deitatis, diligenter inuestigatum, & relatum est tomo 1. q. 4. a. 2. dub. 1. 2. 3. 5. & 7. Authores verò rationis probantis, vnam & non aliam processionem esse generationem, qui propriè ad præsentem conclusionem pertinent, sunt ex recentioribus Suarez de Trinitate lib. 9. c. 1. n. 5. & 8. breuiter; latius lib. 11. c. 5. à n. 16. & c. 6. n. 14. Zumel infrà, a. 4. disp. 1. §. *Defensio rationis S. Thomæ* in fine. Vnde suprà paulò ante respondens ad secundam confirmationem benè aduertit, *Quòd in processione diuini amoris, duo possumus considerare. Primum est, si sit processio secundum præcisam rationem formalem suam. Secundum est identitas, quam illa processio & eius terminus habent cum diuina natura. Primo modo considerata illa processio, neque secundum se, neque vt diuina habet quòd sit per modum similitudinis: quia processio amoris secundum se in communi id non habet: ergo processio diuini amoris, ex ratione sua formali & specifica, solum habet producere infinitam quamdam affectionem: sicut, inquit, quia grauitas vt sic, non habet producere simile, sed motum; perfectissima grauitas formaliter contracta in esse grauitatis, habebit producere perfectissimum motum, non simile, neque similitudinem. Secundo modo habet quod terminus illius sit Deus, & quidquid est in Deo, est Deus.* Vnde paulò post cohærenter ait, *Processio diuinæ voluntatis habet producere simile, non quia perfectissima formaliter, sed quia perfectissima identicè.* Et istam propositionem, *Spiritus sanctus, in quantum Spiritus sanctus, est Deus*, ita distinguit. *Si reduplicat præcisam rationem formalem, in quantum Spiritus præcisè, nego si reduplicat totam entitatem Spiritus sancti, concedo.* Et clarius vult dicere, Spiritum sanctum consideratum in se ipso, esse Deum; sed consideratum in ordine ad suam formalem & præcisam processionem, ratione formalis termini per illam communicati, non esse Deum; seu potius, non procedere vt Deum, & in similitudinem diuinæ naturæ. Et iuxta hunc sensum, loquens de diuina Spiritus sancti processione, statim ita subdit, *Processio diuina habet quòd sit communicativa diuinæ naturæ, non ex propria ratione formali, sed ex speciali ratione illius naturæ, quæ sibi identificat omnia, quæ in ea sunt. Quidquid enim est in Deo, essentialiter est Deus, siue id habeat ex formali ratione processionis, siue non.* Et tandem ita concludit, *Deus ex infinitate sua habet, quòd identificet sibi in essentia quidquid in illo est: & ideo non solum producit sibi simile ex vi processionis, sed etiam aliunde, scilicet, ex identitate naturæ.* Idem, inquit Zuniga disp. 2. dub. 20. membro 6. initio, *placet hoc tempore multis tam nostræ, quàm Dominicanæ familiæ*; & anno 1596. in Romano nostro Collegio publicè docuit præstantissimus Societatis nostræ Theologus P. Michael Vazquez, quem postea Pesantius infrà, art. 4. & ex parte Nazarius suprà num. 120. & alij viri doctissimi sequuti sunt, inter quos nouissimè vidi

Ex recentioribus eam tenet Suarez.

Zumel.

Alij apud Zunigam.

Michael Vazquez, Pesantius, Nazarius.

vidi F. Petram de Herrera Ordinis Prædicatorum in commentario art. 4. huius quæstionis, quamquam multò pluris impugnauerint, vt Gillius lib. 2. tractatu 1. cap. 12. fine obiter, immeritò dicens de hac ratione, *quod in re tam graui sit noua, nec ab antiquis tradita*, vt mox ostendam. Fusius Albertinus tomo 2. pagina 465. à num. 14. ad 21. Fusissimè Ruiz disp. 8. sect. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. Zuniga disp. 7. dub. 20. membro 6. 7. & 8. & communiter alij iuniores. Quamquam Zuniga initio membri 8. censet eam non carere probabilitate, aitque sibi aliquando non parum placuisse.

Contra Gillium.

Albertinum,

Ruiz,

Zunigam.

127. Ex antiquioribus verò nostra sententia, etsi non multos habeat patronos, nullum tamen expressum habet aduersarium, imò aliquos grauissimos patronos expressè habet, præsertim Doctorem Angelicum, eiusque Magistrum Albertum Magnum. Igitur S. Thomas in hoc ipso articulo docet, *Requiri ad rationem talis generationis*, nimirum viuentium, quæ, vt paulò antè explicauerat, *propriè dicitur natiuitas, quòd procedat secundum rationem similitudinis in natura; sicut*, inquit, *homo procedit ab homine, & equus ab equo.* Quæ exempla ostendunt, illam similitudinem in natura esse accipiendam formaliter ex vi processionis, & formalis termini ad quem processio formaliter tendit: præsertim cum hæc similitudo ponatur in generationis definitione, cuius verba sunt sine dubio formaliter accipienda. Quam formalitatem satis expressè significant ipsamet verba, quibus sæpe vtitur S. Thomas tum hic, tum infrà, art. 4. *Secundum rationem similitudinis.* Deinde ait, hanc propriam viuentium generationem conuenire processioni Verbi, & ideo eam terminari ad similitudinem in natura, *quia*, inquit, *conceptio intellectus*, nimirum diuini, per quam procedit diuinum Verbum, *est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens*; hoc est, similitudo tum intentionalis in repræsentando, tum naturalis in essendo. Quod secundum statim probans subdit, *quia in Deo idem est intelligere, & esse*, hoc est, essentia seu natura, vt ipsemet se exponit 4. contra gentes cap. 11. multò post principium his verbis, *Esse Dei est eius essentia, seu natura, quæ idem est, quod ipse Deus.* Et necessariò intelligendum est esse idem, non in sensu identico tantum, sed in sensu formali; sicut in simili modo loquendi accipitur suprà quæst. 2. art. 1. fine corporis, vbi loquens de hac propositione, *Deus est*, in qua prædicatum est de essentiali & formali conceptu subiecti, vt ibi demonstratum est, ait, *Prædicatum est idem cum subiecto: Deus enim est suum esse*: alioquin eius discursus non cohæreret, nec concluderet intentum; quia etiam velle, quod formaliter communicatur per processionem Spiritus sancti, est identicè ipsum esse Dei: & tunc per eumdem prorsus discursum probaretur, hanc quoque processionem esse generationem. Quapropter discursus huius articuli, vt sit conueniens & efficax, necessario postulat, vt in aliquo sensu verè dicatur, *In Deo idem est intelligere & esse*, in quo dici verè non possit, *In Deo idem est velle & esse.* Sed hoc secundum veriſſimè dicitur in sensu identico. Ergo primum & non secundum habet veritatem in sensu formali. Quod multò clarius exprimit ad secundum dicens, *Intelligere diuinum est ipsa substantia intelligentis. Vnde Verbum procedens, procedit vt eiusdem naturæ subsistens. Et propter hoc, propriè dicitur genitum, & filius.* Fide constat, Spiritum sanctum non esse genitum, & filium. Ergo id, propter quod Verbum est genitum, & filius, non potest competere Spiritui sancto. Sed Verbum ex S. Thoma est genitum, & filius *propter hoc*, quia scilicet, *procedit vt eiusdem naturæ subsistens*: ergo Spiritus sanctus non procedit vt eiusdem naturæ subsistens, nimirum ex vi formali processionis suæ per voluntatem. Præterea si inde habet Verbum, procedere vt eiusdem naturæ subsistens, quia ex vi formali processionis suæ per intellectum, accipit intelligere diuinum, quod est ipsa substantia intelligentis Dei; ergo velle diuinum, quod Spiritui sancto communicatur ex vi formali suæ processionis per voluntatem, non est ipsa substantia Dei volentis. Si igitur cum S. Thoma verè asserimus, ideo Verbum esse genitum, & filium, & procedere vt eiusdem naturæ subsistens, quia procedit per intelligere diuinum, quod, inquit, *est ipsa substantia intelligentis*; ergo à contrario ex eius doctrina licebit asserere, ideo Spiritum non esse genitum, & filium, & non procedere vt eiusdem naturæ subsistentem, quia procedit per velle diuinum, quod secundum se formaliter & præcisè consideratum, non est ipsa substantia, atque essentia voluntatis, & sanè hæc responsio ad 2. videtur euidentissimè probare, S. Thomam esse huius tertiæ conclusionis authorem.

Ex antiquis eum tenet S. Thomas.

Exponitur ratio huius secundi articuli.

128. Præterea idem 1. d. 13. q. vnica art. 3. ad 4. ita habet, *Natura non est principium processionis Spiritus sancti sub ratione naturæ, sed sub ratione voluntatis, à qua procedit amor; & ideo sua processio non dicitur natiuitas, cum natiuitas à natura dicatur.* Apertissimè distinguit voluntatem à natura; ergo putat, & supponit, voluntatem non esse de intrinseco conceptu diuinæ naturæ, siue essentiæ. Atque ex huius opinionis suppositione reddit rationem, cur processio Spiritus sancti non sit viuentis generatio, seu natiuitas; quia scilicet illa per se primo formaliter non tendit ad communicandam naturam, sed solum quamdam naturæ proprietatem, quæ est voluntas. Ex qua doctrina necessariò intelligimus è contrario dici à S. Thoma de processione Verbi, quæ propriè natiuitas est, *Natura est principium processionis Verbi sub ratione naturæ, & ideo sua processio dicitur natiuitas, cum natiuitas à natura dicatur.* Vnde vlterius colligo, quòd cum processio Verbi sit sub ratione intellectus, non minus quàm processio Spiritus sancti, est sub ratione voluntatis, si processio Verbi, & non Spiritus sancti est sub ratione naturæ, spectabit intellectus, & non voluntas ad intrinsecam naturæ diuinæ constitutionem, & quidem hæc omnia S. Thomæ dicta fundantur in hac Theologica demonstratione, Generatio filij est processio, quæ vi sua propria, & ratione sui termini formalis terminatur ad communicandam naturam & essentiam principij producentis; quod naturali lumine notum est. Sed fide certum est, quòd processio Verbi, & non processio Spiritus sancti, est generatio filij. Ergo processio Verbi, & non processio Spiritus sancti, vi sua propria, & ratione sui termini formalis terminatur ad communicandam diuinam naturam & essentiam. Sed processio Verbi vi sua propria & formali terminatur ad communicandum diuinum intelligere, sicut processio Spiritus sancti ad diuinum velle. Ergo diuinum intelligere, & non diuinum velle, est per se & formaliter natura, & essentia Dei.

Demonstratio Theologica ex S. Thoma.

129. Multum quoque vrgere videntur verba de veritate quæst. 4. art. 3. ad 3. *Notitia est de ratione Verbi, quasi importans essentiam Verbi. Sed amor est de ratione Verbi, non quasi pertinens ad essentiam eius, sed quasi concomitans ipsum: & ideo non potest concludi, quòd Spiritus sanctus sit Verbum, sed quòd procedit ex Verbo.* Essentia Verbi diuini est ipsamet essentia Dei. ergo si notitia, & non amor, pertinet ad essentiam Verbi, notitia, & non amor, pertinet ad essentiam Dei. Hinc S. Thomas aperte & efficaciter deducit, ideo Spiritum sanctum non esse Verbū, & filium genitū, quia ratione propriæ suæ processionis

terminatur formaliter ad amorem, qui non pertinet ad essentiam Dei, intrinsecè illam constituendo, sed tantum illam concomitatur tanquam proprietatem per summam identificationem. Contra verò Verbum, ideo esse verbum, & filium genitum, quia ratione propriæ suæ processionis terminatur formaliter ad notitiam, quæ intrinsecè & constitutiuè importat essentiam Dei.

130. *Tenet Albertus.* Manifestè consentit Magnus Albertus p.p. summæ, tractatu 7. q. 31. membro 2. ad 2. Nam cum in illo argumento obiecisset, Spiritum sanctum produci per generationem, *quia producitur in similitudinem speciei, & formæ, substantiæ & naturæ*, iuxta definitionem generationis, respondet, *quòd modus emanationis amoris*, quo modo in corpore docuerat procedere Spiritum sanctum, *secundum communem modum intelligendi non dicit emanationem naturæ, sed voluntatis: & quòd productum per modum amoris, in similitudinem substantiæ, & speciei cum producitur, non est ex ratione emanationis, sed ex simplicitate naturæ procedentis, in qua nihil est nisi quod est ipsa*, quia, vt clarius dixerat ad 1. *in Deo quidquid est, Deus est*; *& ideo*, inquit, *cum aliquid procedit ab ipso, tali in procedendo communicat naturam diuinam.* Clarissimè docet, quod processio Spiritus sancti ideo non est generatio, quia est emanatio amoris, & voluntatis, non naturæ, & speciei, siue essentiæ; nimirum ex propria & formali vi talis emanationis. Ergo à contrario, censendus est docere, quòd ideo processio Verbi est generatio, quia ex propria ac formali vi sua, est emanatio naturæ & essentiæ; sed est formaliter emanatio sapientiæ, & intellectus; ergo sapientia, siue intellectus, & non amor, seu voluntas, est per se & formaliter ipsa natura & essentia Dei. Atque hinc consequenter addit, respondendo directè ad obiectionem, procedere quidem Spiritum sanctum in similitudinem naturæ, tamen *non ex ratione emanationis, sed ex simplicitate naturæ*, identificantis sibi omnino inseparabiliter quicquid in ipsa est, quamuis non sit formaliter ipsa natura, sed aliqua attributalis proprietas naturæ, sicut per ipsum est voluntas, quam apertè distinguit contra naturam, dicens, *emanationem amoris, non esse emanationem naturæ, sed voluntatis*. Demum, si ideo Spiritui sancto communicatur natura diuina, *quia in Deo quicquid est, Deus est*; ergo Spiritus sanctus ex formali ratione suæ processionis non procedit vt Deus, sed vt amor diuinus, cum quo essentialiter est identificata natura Deitatis; & ratione huius identitatis cum Deitate, non ratione formalis termini suæ processionis, Spiritus sanctus procedit Deus, & diuina persona; & propterea eius processio formaliter non est generatio; sicut est processio Verbi, quippe quæ terminata formaliter ad intellectionem diuinam, quæ secundum se, & in se ipsa formaliter ac præcisè est ipsa essentia Dei viuentis vita intellectuali perfectissima, hoc est, per purissimum & actualissimum intelligere. Idem docuerat circa finem corporis illis verbis, *Ideo processio secundum primam, & simplicem rationem processionis attribuitur Spiritui sancto, eo quòd nihil addit, quo in speciem trahatur processio, sicut addit generatio, in cuius intellectu est, quòd sit processio naturæ in similitudinem speciei & formæ. In processione autem Spiritus nihil talium est secundum intellectum*, hoc est, prout à nobis præcisè intelligitur secundum ea, quæ sunt propria & formalia ipsius. Apertissimè negat, processionem Spiritus sancti, esse processionem naturæ in similitudinem speciei & formæ, idque concedit de processione Verbi, & propterea non hanc, sed illam vult esse generationem.

Eamdem conclusionem non obscurè significasse videntur communiter antiqui Scholastici citati suprà num. 61. docentes, Ideo Verbum generari, quia procedit per modum naturæ; non generari Spiritum sanctum, quia procedit per modum voluntatis; vt ibidem expendi, & rectè obseruauit Suarez lib. 11. cap. 5. num. 19. acutè addens, Verbum, quod negari non potest, ex propria ratione procedere per modum intellectus, dictum esse à sapientissimis Theologis, procedere per modum naturæ, *quia modus intellectus*, inquit, *est quasi constitutiuus illius naturæ*: sicut à contrario dixerunt Spiritum sanctum procedere per modum voluntatis, non per modum naturæ, quia modus voluntatis ad intrinsecam illius naturæ constitutionem non pertinebat. Huc spectant verba Bonauenturæ suprà num. 39. circa finem, quibus loquens de Verbo procedente, ait, *Exit per modum naturæ; & ita per modum verbi, & speciei, & per modum similitudinis expressæ*. Ex eo quòd exeat per modum naturæ, arguit, exire per modum Verbi, & expressæ speciei, seu similitudinis. Sed hic modus est ipsum intelligere. ergo hoc est ipsa Dei natura. Præterea si bona est consequentia Bonauenturæ de Filio, erit à contrario bona etiam ista consequentia de Spiritu sancto, Non exit per modum Verbi; ergo nec per modum naturæ: sed exit per modum voluntatis; ergo voluntas non pertinet ad naturam & essentiam Dei.

Tenent dicêtes, Verbum, & non Spiritum sanctum procedere per modum naturæ. Suarez.

Bonauent.

132. *Colligitur ex Athanasio & Augustino, & aliis.* Ex Patribus etiam, quamuis minus clarè loquantur, idem colligimus. Athanasius & Augustinus verbis citatis suprà num. 67. & 68. asserunt, secundam personam diuinam per id, per quod est Verbum, esse Filium; & è conuerso, Per id, per quod est Filius, esse Verbum. Hinc ita licet arguere. Verbum sine dubio est Verbum per actualem intellectionem; ergo per hanc Filius Dei est filius, quia *eo Filius, quo Verbum*, inquit Augustinus. Sed Filius Dei est filius per Deitatem, acceptam ex vi formali suæ processionis; ergo actualis intellectio diuina est ipsa Deitas. Vnde oritur vt processio Verbi sit generatio omnium perfectissima, terminata scilicet formaliter ad similitudinem omnium maximam, & naturalem, & intentionalem. Enim verò ex vi sua formali terminatur ad intellectionem, quæ æquè formaliter habet vtramque similitudinem. Vnde secunda persona genita habet vt sit & formaliter Filius, & formaliter Verbum. Denique in eamdem sententiam referri possunt multi Patres citati supra, num. 85. docentes, ideo Verbum, & non Spiritum sanctum procedere vt filium; quia Verbum, & non Spiritus sanctus procedit per modum imaginis naturalis in essendo. Si enim formalis terminus processionis est intellectus, qui est ipsa essentia principij, iam terminus euidenter apparet realis imago principij. Si verò formalis terminus processionis est voluntas, quæ est extra intrinsecum conceptum totius essentiæ, iam nulla imaginis ratio haberi potest in termino respectu naturæ, siue essentiæ principij sui.

Occurritur contrarijs argumentis.

133. *Prima obiectio.* Obiicies primò, Prima & secunda persona distinguuntur quasi specie, nimirum per oppositas, & quasi specie distinctas relationes producentis, & producti, siue ingeniti & geniti. Ergo secunda persona non procedit, vt similis primæ personæ ex vi formalissima suæ productionis. Consequentia videtur manifesta, quia in rationibus oppositis, formaliter consideratis, fundatur dissimilitudo potius quàm similitudo.

Responsio & opinio Ruiz d. 6 sect. 9. Respondent aliqui, argumentum non posse aliter solui, nisi negando consequentiam, & dicendo, ex illo antecedenti sequi potius oppositum: *quia*, inquiunt, *differentia constituiua Verbi, in ratione Verbi, & in ratione secundæ personæ, non est alia nisi relatio similitudinis & imaginis perfectissimæ, productæ per intellectionem à perfectissimo intelligente, comprehendente se ipsum. Quapropter eisdem partialibus relationibus, per quas Pater & Verbum quasi specie distinguuntur, Pater essentialiter constituitur tanquam principium producens sui perfectissimam imaginem. Verbum autem constituitur perfectissima imago, afferens eamdem naturam sibi communicatam. Vnde per eamdem differentiam formalissimam Verbum procedit vt simile in natura, & vt distinctum quasi specie in ipsa ratione similitudinis.* Quæ solutio est fundamentum opinionis reiectæ supra, num. 91. ad 94. & minus placet primo quia vult Verbum procedere vt simile Patri, formalissimè propter ipsam personalitatem Verbi, seu Filij, quæ vocatur *relatio similitudinis & imaginis perfectissimæ*. Quod quidem apertissimè contradicit S. Thomæ infra, quæst. 35. art. 2. illis verbis, *sicut secundum relationes non attenditur in diuinis neque æqualitas, neque inæqualitas, vt Augustinus dicit; ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis*. & quæst. 41. art. 5. docet, Filium assimilari Patri in natura, non in paternitate, quia, inquit initio Corporis, *omne producens aliquid, per suam actionem producit sibi simile, quantum ad formam, quæ agit*. In diuinis autem, vt subsumit circa finem Corporis, *neque paternitas potest intelligi vt quo Pater generat: sed vt constituens personam generantis; alioquin Pater generaret Patrem; sed id, quo Pater generat, est natura diuina, in quæ sibi Filius assimilatur*. Ex quibus verbis arguitur secundo, quia in prædicto art. 5. per totum expressè docet S. Thomas, principium producendi in diuinis, in recto & principaliter esse naturam, in obliquo & connotatiuè esse relationem: hæc autem solutio videtur oppositum supponere, dum dicit, quòd per paternitatem *Pater essentialiter constituitur principium producens*. Tertiò peto, cur de personalitate secundæ personæ, & non tertiæ, dicitur quòd sit relatio similitudinis & imaginis perfectissimæ. Vel propter personalitates in se præcisè cõsideratas; & hoc neque dicunt, neque verò dici potest; quia hoc modo personalitates non habent nisi terminare substantialiter naturam, & opponi aliis personalitatibus suorum principiorum, & consequenter afferre realem distinctionem, & dissimilitudinem, potius quàm similitudinem. Vel propter personalitates consideratas in ordine ad naturam, quod videntur dicere illis verbis, *Verbum constituitur perfectissima imago, afferens eamdem naturam sibi communicatam*. Sed adhuc non quiescit animus, quia scire desiderat rationem, cur vim afferendi hanc identitatem habeat personalitas Verbi, & non personalitas Spiritus sancti. Enim vero omnis personalitas, qua personalitas habet æque essentialem & immediatam connexionem cum natura, cuius est personalitas. Et ideo diuina Spiritus sancti personalitas ex propria sua ratione non minus connectitur diuinæ naturæ, eamque affert, quam personalitas Verbi. Vel, quod solum probabiliter dici potest, propter personalitates cõsideratas in ordine ad suas processiones: & tunc sanè reddenda adhuc superest discriminis ratio, cur eamdem naturam diuinam communicatam afferat personalitas Verbi producta per actionem intellectus, & non personalitas Spiritus sancti producta per actionem voluntatis. Quæ ratio, vt in superioribus demonstratum est, nequit esse alia, nisi quia productio per actionem intellectus ex sua propria & formali ratione non potest aliud communicare nisi intellectionem, quæ est ipsamet natura & essentia Dei: productio autem per actionem voluntatis ex sua propria & formali ratione non potest aliud communicare nisi volitionem, quæ est extra totum intrinsecum conceptum essentiæ diuinæ.

Sed confutatur primò ex S. Thoma.

Secundò ex eodem S. Thoma.

Tertiò magis declarando contrariam opinionem.

Ex his facilè soluitur obiectio; esto enim verum simpliciter sit in antecedente asserere, *Diuinæ personæ distinguuntur quasi specie*, cum potius debeat hoc dici de personalitatibus, non de personis, conuenientibus in naturam diuinam, eamdem non solum quasi specie, sed etiam numero: tamen consequentia est simpliciter falsa, quoniam ex Antecedente accepto in bono sensu explicato, sequitur solum non posse esse in secunda persona rationem similitudinis & imaginis ex vi formalissima suæ productionis, vt terminatæ ad producendam suam personalitatem secundum se formaliter & præcisè, quod vltro concedimus contra Authores prioris solutionis; sed vt terminatæ ad communicandam intellectualem Dei vitam, quæ est essentia Dei viuentis; cum processio tertiæ personæ ex vi formalissima terminetur ad communicandam voluntatem, quæ per se formaliter est solum posterior quædam proprietas essentiæ Dei; & ideo huic processioni deest formalis ratio similitudinis in natura, & consequenter formalis ratio generationis. Sicut etiam in humanis filius, v.g. Petrus, procedit vt similis Paulo Patri ex vi formalissima suæ productionis, non vt formaliter terminatæ ad producendam Petreitatem, in qua Petrus & Paulus sunt primò differentes & dissimiles, sed vt formaliter terminatæ ad communicandam humanitatem, in qua Petrus & Paulus specie conueniunt, & identificantur.

134. *Responsio vna aliter, negando consequentiam.*

135. *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, Spiritus sanctus est Deus, & habet essentialiter naturam diuinam, non à se, sed communicatam à Patre & Filio: ergo ex vi suæ processionis, præter quam non potest fingi alia communicatio, vi cuius communicatur natura.

Respondetur declarando quo modo Spiritus sanctus sit Deus ex vi processionis. Respondeo negando consequentiam de vi formali, seu de processione formaliter sumpta respectu sui formalis, ac proprij termini; concedendo de vi reali, vel identica, & quasi materiali, seu de processione realiter, vel identicè, & quasi materialiter sumpta respectu alterius termini, cum quo terminus eius formalis identificatur. In quacumque enim processione diuina duplex vis considerari ac distingui debet: prima secundum id, quod formaliter est ratione suæ intrinsecæ ac propriæ formalitatis, qua vna processio ab alia distinguitur; hoc est, in quantum vna est per intellectum Dei, alia per voluntatem Dei: secunda secundum id, cum quo ex natura rei est necessariò & omnino identificat. Ex prima vi formali, sicut processio Verbi non habet nisi communicare intellectionem, quæ ex se formaliter est natura diuina, non autem habet communicare diuinum amorem; ita contra, Processio Spiritus sancti non habet nisi communicare amorem, qui ex se formaliter neque est intellectio, neque natura diuina, sed solum eam consequitur tamquam Attributum substantiale. Ex secunda vi identica, & quasi consequente, quælibet processio habet communicare totum id, quod communicat alia; quia eo ipso quòd diuina processio identificatur cum natura diuina, in quacumque persona reperitur processio, natura quoque diuina reperiatur necesse est; & vbi reperitur formalis terminus processionis, debet reperiri natura. Ergo non potest esse processio alicuius termini diuini, nisi sit etiam communicatio naturæ diuinæ; ergo etiam omnium

Attributorum, & cuiuscumque alterius perfectionis, seu rationis existentis formaliter in illa natura, quæ propter suam omnimodam infinitatem, identificat secum omnem aliam perfectionem seu rationem diuinam, tam absolutam, quàm respectiuam in Deo formaliter existentem. Quoniam verò per hanc secundam vim confunduntur omnes processiones, ac termini in diuinis, ideo sapientissimè S. Thomas infra, art. 4. ad 1. monet, *ex parte huius vnitatis*, siue identitatis, *non posse accipi propriam rationem huius processionis, vel illius, secundum quam vna distinguatur ab alia*; sed oportere respicere ad aliam primam vim formalem, secundum quam vna processio per voluntatem, dicit ordinem ad priorem aliam processionem per intellectum.

S. Thomas.

136. *An Spiritus sanctus procedat vt Deus.*

Iuxta hanc doctrinam, si petas, An Spiritus sanctus procedat vt Deus? non est simpliciter negandum, sed distinguendum: procedit enim vt Deus ex vi reali, ac necessaria, imo etiam essentiali processionis, quia non solum est necessarium, sed etiam essentiale, vt diuina Spiritus sancti processio, & diuinus amor, qui est formalis terminus illius processionis, identificentur cum diuina natura. Non procedit autem vt Deus ex vi formali processionis, vt concedunt Bagnes infra art. 4. dub. 1. ad 5. Zumel supra, num. 124. Suarez lib. 11. cap. 5. num. 13. & 16. Molina art. 4. §. *His ita.* & §. *Ad maiorem.* & §. *Ad secundum.* Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 14. fine. Valentia hic puncto 4. ad 1. & ad 3. & ad 4. Albertinus tomo 2. folio 467. n. 25. & 26. Arrubal disp. 98. num. 18. id tribuens sanctis Anselmo & Thomæ. & cap. 4. & 5. Becanus cap. 1. à num. 10. Florauantius post librum 2. notatione 7. ad 3. Sicut non procedit, vt Filius Dei, quod omnes fideles fatemur: si enim Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis procederet vt Deus, procederet formaliter in similitudinem naturæ; ergo formaliter generaretur, & esset Filius. Rursus si petas, An iuxta opinionem nostram Spiritui sancto communicetur natura per accidens, vel per se? Negandum simpliciter, communicari per accidens, quia non communicatur contingenter, sed per summam necessitatem; & licet non communicetur per se perfeitate formali, tamen communicatur per se *perfeitate rei*, vt loquitur Suarez lib. 11. cap. 5. num. 12. siue perfeitate reali ac necessaria, imo etiam essentiali in sensu prædicto. Verum ad hoc vt processio sit generatio, non satis est, terminum procedere quomodocumque similem in natura, sed esse necessarium, procedere similem ex vi formali processionis; vt ex S. Thoma probaui supra num. 73. & docent Albertus verbis citatis & explicatis supra, num. 61. Scotus 1. d. 10. quæst. vnica ad 1. & d. 13. quæst. vnica. §. *Præterea istæ productiones.* & Quodlibeto primo art. 3. §. *Si quæratur.* sæpe limitans, *ex vi productionis suæ.* Ochamus 1. d. 13. quæst. vnica litera G. limitans, *Ratione suæ productionis.* Gabriel ibidem, art. 1. & passim posteriores omnes.

Negant in aliquo sensu Bagnes, Zumel, Suarez, Molina, Bellarminus, Valentia, Albertinus, Arrubal, Becanus, Florauantius.

An Spiritui sancto communicetur natura per se.

Suarez.

S. Thomas. Albertus. Scotus. Ochamus. Gabriel.

137. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò, Spiritus sanctus non minus est persona diuina, quam Filius. Sed persona diuina est formalissime Deus, sicut persona humana est formalissime homo. ergo Spiritus sanctus est formaliter Deus, non minus quam Filius.

Respondetur distinguendo de persona Spiritus sancti in ordine ad Deitatē.

Respondeo, concedo totum de persona Spiritus sancti secundum se, & in se præcisè considerata. Sed quæstio nostra est de persona Spiritus sancti aliter considerata in ordine ad suam processionem: per quem ordinem potest prædicari aliquid de Deitate Spiritus sancti, quod non prædicetur de eadem numero Deitate, prout est Filij. Sicut igitur diuina persona Filij habet Deitatem communicatam à Patre, persona vero Patris habet Deitatem à nullo communicatam; & sicut secunda diuina persona, non tertia habet Deitatem communicatam per filij generationem; ita mirum esse non debet, Spiritum sanctum esse quidem formalissimè Deum, tamen habere à Patre & Filio Deitatem communicatam, nō ex vi formali suæ processionis, sicut habet diuina persona Filij, sed solum ex vi reali & identica; tametsi talis vis identificandi sibi Deitatem sit simpliciter essentialis suæ processioni, & formali termino ipsius, qui est amor diuinus.

138. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Omnis personalitas, vt sic, debet intelligi immediatius, & prius coniungi naturæ quam proprietatibus naturæ, v. g. Petrus prius debet intelligi substantialiter perfici in esse essentiali hominis per existentiam & subsistentiam personalem, deinde compleri per risibilitatem, aliasque naturales proprietates. Ergo si voluntas est proprietas naturæ diuinæ, deberet prius cum fundamento in re concipi personalitas Spiritus sancti vt immediate afficiens essentiam diuinam, quam amor diuinus vt afficiens essentiam. Sed in illo priori non potest intelligi Spiritus sancti personalitas producta vt afficiens naturam, nisi intelligatur natura communicata Spiritui sancto. Hæc autem non potest intelligi communicata ex vi reali & identica, ratione proprietatis, quia hæc concipitur esse in Spiritu sancto post essentiam & personalitatem: ergo ex vi formali. Ita acutè arguunt aliqui iuniores.

Respondetur diuinam personalitatem non prius cōiungi essentiæ quàm proprietati.

Respondeo, primum antecedens, vnde tota obiectio pendet, esse simpliciter falsum. Esto enim verificetur de creatis personalitatibus, tamen id contingit ex triplici earum imperfectione; prima quia proprietates naturæ creatæ, sunt accidentia, quæ ex eo quòd sint entis entia, supponunt substantiam perfectè constitutam, & terminatam in suo genere substantiæ, ad quod genus pertinet personalitas. Secunda quia proprietates creatæ non habent essentialem connexionem cum natura creata, potest enim intelligi. imo, saltem per diuinam omnipotentiam, realiter esse natura humana v. g. perfecta in esse essentiæ & substantiæ, absque visibilitate. Tertia quia proprietates creatæ realiter producuntur ex essentia: vt autem essentia sit causa efficiens realiter, debet habere suum completum esse existentiæ substantialis, cuius complementum est personalis subsistentia: sicut enim accidens non agit, nisi existat & inexistat, ita non agit substantia nisi existat & subsistat. Nulla autem harum imperfectionum reperitur in diuinis, vbi quælibet proprietas est substantialis, & essentialiter identificata cum essentia quæ propterea neque realiter esse, neque mentaliter concipi rectè potest absque suis proprietatibus, & demum est omnino improducta, ac proinde non potest recte concipi, vt fluens ab essentia, sed solum concipitur vt ratio simpliciter posterior essentia, eamque supponens vt purissimam rationem propter quam illi conueniat talis proprietas. Propter has rationes, neque necessarium, neque conueniens est intelligere personalitatem diuinam vniri naturæ siue essentiæ, & non proprietatibus.

139. *Instantia.*

Instabis, ergo saltem per nostram sententiam cogimur intelligere, Spiritui sancto prius aliquo modo communicari proprietatem naturæ, posterius naturam ipsam. Quod videtur absurdum, quia natura, si non est principium proprietatis, saltem est ratio simpliciter prior proprietate, eamque aliqua ratione antecedens. ergo rei fundamentum postulat, vt prius sit, & concipi debeat communicatio naturæ, quam proprietatis.

Respondeo, nos ita intelligere cogimur ex fide, qua

Respondetur Spiritui sancto prius communicari proprietatem naturæ.

qua credimus, Spiritum sanctum non procedere vt filium genitum; si enim illi per se primò & immediate ex vi formali suæ processionis communicaretur natura, vtique generaretur proprissime vt filius. Itaque nullum est absurdum, imò prorsus necessarium est, vt quod in se est prius, communicetur posterius, quando communicatur per processionem immediate & formaliter tendentem non ad prius, sed ad posterius. Et sanè si quis attente prudenterque consideret, animaduertet, non esse verè aliud, Spiritui sancto communicari prius proprietatem naturæ, posterius naturam, nisi Spiritum sanctum non procedere formaliter vt filium genitum, sed vt amorem spiratum.

140. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò, Spiritus sanctus ex vi suæ processionis formaliter sumptæ non est similis in natura producentis, ergo est non similis.

Respondetur declarando, quo modo Spiritus sanctus procedat vt non similis.

Respondeo, concedendo consequens, si negatiuè significet, processionem vi sua formali non communicare Spiritui sancto similitudinem in natura; negando autem si positiuè significet, processionem excludere istam similitudinem; nam processio potius eam confert, etiam si sumatur, & consideretur quasi materialiter, secundum ea quæ ratione identitatis cum natura diuina potest conferre.

141. *Sexta obiectio.*

Obiicies sextò, Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis est amor, non quicūque, sed increatus, & diuinus. Sed omnis ratio diuina, quatenus diuina includit essentialiter existentiam à se, ac proinde infinitam, & prorsus illimitatam in ratione entis; ergo includere etiam essentialiter debet omnes perfectiones absolutas & essentiales, ac proinde totam naturam diuinam: ergo Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis est Deus, & procedit vt similis in natura.

Respondetur amorem diuinum essentialiter includere esse à se, non tamen totam essentiam diuinæ.

Respondetur negando primam & secundam consequentiam: quia ratio existendi à se, formaliter considerata, importat solum omnem perfectionem spectantem formaliter ad existentiam quatenus existentiam; vt quòd illa sit etiam perfectissima subsistentia, sit omnino infinita, & independens, & completa in formali, ac præcisa ratione essendi: non autem importat alias perfectiones, spectantes non ad formalem & intrinsecam existendi rationem, sed ad alias rationes entis, v. g. esse intellectuum, volitiuum, &c. ac proinde non importat diuinam naturam, quatenus talem, secundum vltimam rationem: alioqui sicut de essentia est existentia, ita etiam esset non solum omnia Attributa, verum etiam omnes personalitates, quæ non possunt præscindere ab esse diuino & increato, contra probata supra quæst. 4. art. 2. de attributis, & probanda quæst. sequenti de relationibus. Solum igitur concludit obiectio, Amorem diuinum, sicut quodcumque aliud diuinum attributum, & quamlibet diuinam personalitatem, si hæc nullam aliam existentiam habeat, nisi eam quam habet natura, quod infra discutietur, formaliter includere vnum prædicatum essentiale diuinæ naturæ; quod cum non sit vltimum, & constitutiuum diuinæ naturæ in esse formali naturæ, sed veluti genericum, & transcendentale, conueniens omnibus diuinis rationibus, in Deo formaliter existentibus, siue essentialibus, siue attributalibus, siue personalibus, non potest ex se tantum, & ex sua præcisa ratione formali, constituere Spiritum sanctum vt Deum essentialiter, & similem Patri & Filio in esse formali naturæ diuinæ: sicut si ab homine procederet aliquid, quod ex vi formali processionis non haberet vltimum esse hominis, sed alium gradum superiorem essentialem, v. g. entis, vel substantiæ, vel corporis, id quidem non diceretur generari, nec filius, nec procedere vt similе in natura. Confirmatur solutio, quia hunc gradum essentialem existendi à se, habet ex vi formali processionis communicatum tam Spiritus sanctus quam Filius; ergo ille præcisè in formali distinctione diuinarum processionum non debet attendi; præsertim cum ille gradus reperiatur essentialiter inclusus non solum in formalibus terminis diuinarum processionum, sed in quacumque alia diuina perfectione; ergo ad processionem Spiritus sancti pertinere non potest vt aliquid proprium, ac formale illius processionis: sicut transcendentalis ratio entis, aut creaturæ, non pertinet ad propriam ac formalem vim creatarum productionum, & ideò acutè S. Thomas infra, quæst. 30. art. 2. ad 2. dixit, *Amor, in quantum huiusmodi non procedit vt similitudo illius à quo procedit, licet in diuinis amor sit coëssentialis, in quantum est diuinus: & ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.* Certum est, quædam prædicata, vt esse ens, esse substantiam, esse Spiritum, esse viuens, & similia, esse Deo essentialia, non solum in quantum diuina, sed etiam in quantum huiusmodi. ergo si amor non est coëssentialis in quantum amor, sed solum in quantum diuinus, non potest secundum suam propriam rationem numerari inter prædicata essentialia diuinæ naturæ, sed solum secundum communissimam rationem diuini, conuenientem omnibus prædicatis, quæ Deo formaliter competunt: quæ ratio diuini, non potest esse ipsa essentia diuina, quæ dici solet Diuinitas, seu Deitas, tunc enim Spiritus sanctus procedens per modum amoris formaliter vt diuini, procederet per modum naturæ, quod ibi S. Thomas expressè negat: ergo est ratio essendi independenter ab aliqua causa, quod omnibus diuinis rationibus conuenit: & ideo esse nequit formalis terminus generationis, ex propria ratione communicantis similitudinem in natura. Notandum quoque est, S. Thomam numquam de Verbo dixisse, sicut dixit de Amore, illud esse coëssentiale in quantum diuinum, non in quantum Verbum. Imò oppositum ibidem non obscure significat dicens absolutè, *quòd id quod procedit per modum intellectus vt verbum, procedit per modum similitudinis, sicut etiam id quod procedit per modum naturæ: & ideo processio Verbi diuini est generatio per modum naturæ.* Si Verbum diuinum non esset coëssentiale in quantum Verbum, sed in quantum diuinum, & propterea eius processio esset generatio per modum naturæ, idem dici posset de amore diuino, qui dicitur pariter essentialis in quantum diuinus, non in quantum amor. Sed S. Thomas id negat de Amore, affirmat de Verbo; ergo putat, Verbum diuinum esse essentiale, non solum secundum communem rationem diuini, sed etiam secundum propriam rationem, Verbi: & ideo ex formali ac propria vi suæ processionis dici potest filius genitus.

S. Thomas.

142. *Septima obiectio.*

Obiicies septimò, si per vim formalem suæ processionis communicatur Spiritui sancto amor, non natura, ergo Spiritus sanctus non producitur vt persona formaliter, sed tantum materialiter & identicè: quia Persona definitur, naturæ rationalis, siue intellectualis, indiuidua substantia.

Respondetur Spiritum sanctum produci vt personam formaliter,

Respondeo, diuinam processionem, cum per eam producatur personalitas, & communicetur, non producatur natura, esse necessariò considerandam & vt formaliter productionem, & vt formaliter communicationem. Qua communi distinctione posita, in omni opinione dicendum est, Diuinam processionem habere rationem generationis, non præcisè respectu personalitatis, cuius tam est productio processio Verbi, quæ est generatio, quàm processio Spiritus sancti, quę non est generatio; neque præcisè

quatenus

quatenus est productio, quoniam hæc in diuinis non est nisi præcisè respectu personalitatis, quæ æquè formaliter producitur in vtraque processione: sed quatenus est personalitatis productio communicans formaliter naturam, seu respectu personalitatis propter formalem naturæ communicationem. His positis, nego simpliciter consequentiam, quia ad producendam personam formaliter vt personam, non est necessarium producere, vel communicare formaliter naturam intellectualem, sed satis est communicare formaliter proprietatem naturæ, essentialiter connexam cum natura; quæ communicatio immediatè & formaliter afferens proprietatem naturæ, non naturam ipsam, non est essentialiter generatio. Itaque si in consequente illud, *vt persona formaliter*, reduplicer personalitatem, nego, Spiritum sanctum ex vi formali suæ processionis non produci vt personam formaliter; & in hoc non differt hæc processio à processione Verbi, quia vtraque considerata formaliter vt productio, non potest in diuinis habere alium formalem terminum, nisi personalitatem; hæc enim sola producitur, cætera communicantur. Si verò reduplicet etiam naturam, tam de persona Spiritus sancti, quam de persona Verbi, falsum est, illam produci quoad naturam, hæc enim non producitur, sed communicatur cum productione personalitatis; & in hac formali ac præcisa communicandi ratione differunt diuinæ processiones, nam altera Verbi ita producit personalitatem, vt formaliter & immediatè communicet naturam, & propter hoc est generatio; altera verò Spiritus sancti ita producit personalitatem, vt formaliter & immediate communicet proprietatem naturæ, prorsus inseparabiliter identificatam cum natura, & ideo naturam communicet non nisi mediatè & identicè, hoc est, mediante alio suo formali termino identificato cum natura, qui non potest communicari nisi simul cum natura; & propter hoc processio Spiritus sancti non est generatio, sed substantialis, quædam processio alterius rationis.

143. *Octaua obiectio.* Obiicies octauò, Essentia diuina secundum se ipsa immediate & formaliter potit terminari tribus personalitatibus, & esse in tribus personis. Sed sicut in prima persona improducta petit terminari absque processione, ita in reliquis personis productis petit terminari per processionem. ergo per processionem tertiæ personæ à secunda & prima, non minus formaliter & immediate, quam per processionem secundæ personæ à prima, debet communicari diuina essentia vt immediatè & formaliter terminetur à duabus personalitatibus productis.

Respondetur personalitatem Spiritus sancti immediate terminare naturã, sed hanc non immediate cõmunicari. Respondetur, falsam esse consequentiam: alio enim modo comparari debet natura diuina ad personalitates secundum se consideratas, & alio ad processiones, quibus producuntur personalitates vt terminent naturam, & communicatur natura vt terminetur personalitatibus. Primo enim modo personalitates consideratæ quasi in facto esse, nihil aliud habent, nisi esse immediatos & formales terminos naturæ. Secundo autem modo natura comparatur ad duas processiones, quarum altera est generatio, ac proinde per se primarió, & immediatè ac formaliter communicans naturam; altera non est generatio, ac proinde communicans naturam per se secundarió, & mediatè, atque identicè. Aliud igitur est, naturam terminari per personalitatem, quod simpliciter esse potest absque vlla processione, vt patet in prima persona, quæ à nulla alia persona procedit; aliud, naturam communicari per processionem. Quapropter non est necessarium vt ea formalitate atque immediatione, qua terminatur per quamlibet personalitatem, communicetur per quamlibet processionem. Et ratio disparitatis est, quia personalitas vt sic, est se ipsa formaliter terminus naturæ, vndecumque & quomodocumque habeatur natura; quid enim ad personalitatem referat, quòd natura habeatur ab hoc principio, & hoc modo, non ab alio principio & alio modo, non apparet: processio verò vt sic, non est se ipsa formaliter communicatio naturæ, hæc enim est vna tantum particularis processio, quæ dicitur generatio. Quare potest esse alia processio quæ non sit se ipsa formaliter communicatio naturæ, sed solum se ipsa identice, &, vt loquitur Suarez lib. 11. cap. 5. num. 12. *quasi materialiter*, ratione sui formalis termini, identificati prorsus inseparabiliter cum natura. Suarez.

Satisfit quatuor difficultatibus.

144. *Prima difficultas.* Obiicies vltimò quatuor difficultates quibus Zuniga disp. 2. dub. 20. membro 8. coactus est mutare sententiam. Prima difficultas, *quia intellectio diuina non magis præcedit volitionem, est que radix illius, quàm volitio intellectionem.* Hanc propositionem expresè contrariam doctrinæ S. Thomæ art. sequenti ad 3. & ex terminis ipsis euidenter falsam, quia omnis planè volitio est de obiecto prægnito, ita vt communis opinio sit, ne per diuinam quidem omnipotentiam posse voluntatem ferri in obiectum, quod non sit illi propositum ab intellectu, nulla autem intellectio est de obiecto præuolito & non præintellecto, probat ex eo quòd volitio diuina est ipsummet obiectum intuitiuè cognitum ab intellectione diuina; ergo prius illa. Deinde addit, quòd esto intellectio diuina sit omnino prior virtualiter quam volitio, & radix illius, inde tamen non sequitur, esse adæquatè Dei essentiam: quod probat exemplo materiæ primæ, quæ, inquit, *est prior quam forma in genere causæ materialis, tamquam vera radix, & principium materiale illius: forma verò in nullo causæ genere est prior, nec principium materiæ, sed omnino posterior: & tamen essentia naturalis non consistit in materia præcisè, sed etiam, & præcipuè in forma.*

Respondetur volitionem in Deo non esse priorem intellectione. Respondeo, primum argumentum, de quo plura diximus in 1. tomo quæst. 4. art. 2. num. 74. ad 78. contra Albertinum, facilè solui, primo afferendo manifestas instantias; nam diuinæ intellectionis obiectum, non solum est volitio, sed etiam personalitas, quam in Deo nemo dixerit esse virtualiter priorem intellectione. Diuina etiam intellectio fertur obiectiuè in Filium & Spiritum sanctum, & tamen nullus Theologus asserere potest, Filium esse priorem intellectione, per quam procedit; & priorem intellectione esse Spiritum sanctum procedentem à Verbo. Item Deus intelligit futura contingentia in se ipsis, adeo vt communis Sanctorum doctrina sit, quam nullus nostræ Societatis Doctor negat, ideo Deum videre res futuras, quia sunt futuræ; non ideo res esse futuras, quia illas esse futuras videt Deus. Hinc autem nullus sapiens arguere potest, res creatas esse priores ipso increato intelligendi actu. Demum non minus volitio est obiectum intellectionis, quàm intellectio sit obiectum volitionis, Deus enim necessario intelligit & vult quidquid in se ipso est; & propterea intelligit etiam suam intellectionem, & vult etiam suam volitionẽ. ergo si ex hac obiecti ratione rectè colligeretur prioritas obiecti, colligeretur eadẽ omnino rationẽ & volitionem esse priorẽ intellectione, & intellectionem esse priorem volitione; imò tam intellectionem, quàm volitionem esse priorem se ipsa. Nullius igitur momenti ab omnibus censeri debet huiusmodi

huiusmodi deductio, volitio est obiectum intellectionis, ergo *intellectio diuina non magis præcedit volitionem, quam volitio intellectionem.* Hinc enim vlterius sequeretur, quod in hac materia apud omnes etiam fideles malè sonat, secundam Trinitatis personam non magis esse Filium procedentem per intellectionem, quàm Spiritum sanctum procedentem per volitionem: & similiter, tertiam Trinitatis personam non magis esse Spiritum sanctum quàm Filiũ. Secundò afferendo responsionem tam ad argumentum cõtra nos factum, quàm ad alia argumenta similia, quæ nos contra omnes fecimus; cum enim dicitur, volitio est obiectum intellectionis, ergo prius illa, distinguo consequens; est prius quoad esse, & nego; est prius quoad terminationem, & concedo. Intellectio igitur quoad esse est prior volitione, sed vt intelligatur intuitiuè terminari ad volitionem, præsupponere debet volitionem actu esse. Quam distinctionem tam in loco citato primi tomi, quàm in aliis locis secundi tomi non semel explicauimus.

145. *Vnde probatur, intellectionem, & non volitionem esse essentiam Dei.* Ad id quod additur, dico, Authores nostræ sententiæ, intellectionem, & non volitionem, esse Dei essentiam, non probare ex prioritate simpliciter, quam intellectio habet respectu volitionis; sic enim ad essentiam spectare possunt & prius & posterius, imò magis posterius quàm prius; vt patet non solum allato physico exemplo materiæ primæ & formæ, sed etiam metaphysico exemplo generis & differentiæ: sed probare ex prioritate, simul & maiori perfectione, & ratione propter quam sit posterius. Sicut in homine v.g. quia rationalitas est prior, & perfectior, & ratio ob quam homini conueniant discursiuum, admirativum, risibile, omnes rectè colligimus, rationalitatem esse vltimum essentiale, constitutiuum & specificatiuum essentiæ hominis; cætera verò esse proprietates illius essentiæ: ita quia in Deo intellectio est prior, & multò perfectior volitione, & ratio propter quam volitio conueniat Deo, docente ipsomet S. Thoma supra, quæst. 19. art. 1. initio Corporis loquente de intellectu & voluntate Dei, *Voluntas intellectum consequitur*, & iterum in fine Corporis, *Oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus*, probabilissime colligimus, intellectionem in Deo esse essentialem, & vltimum quasi constitutiuum, & specificatiuum diuinæ essentiæ: volitionem verò hac vltima essentiali differentia posteriorem, & ab ea quasi prouenientem, habere solum rationem cuiusdam proprietatis extra totum intrinsecum essentiæ diuinæ conceptum. S. Thomas.

146. *Instantia.* Instabis cum eodem Zuniga in hac prima sua difficultate, Natura intellectualis creata non minus essentialiter est intellectiua per radicem intelligendi, quam volitiua per radicem volendi. Sed natura intellectualis increata, est intellectiua & volitiua, non per radicem, aut potentiam intelligendi, & volendi, sed per purissimum actum intellectionis & volitionis; ergo non minus essentialiter ad naturam Dei spectabit volitio, quam intellectio.

Respondetur non esse in nobis duas essentiales radices intelligendi, & volendi. Respondeo iuxta dicta in primo tomo quæst. 4. art. 2. num. 26. in natura intellectuali creata non esse duas radices, alteram intellectionis, alteram volitionis, distinctas à potentiis intelligendi & volendi, sed esse vnam radicem essentialem, vnde oriantur & potentiæ, & actus. Si vero essent istæ duæ radices, profectò negarem, radicem volendi esse essentialem; quia tunc radix intelligendi esset prior, & perfectior radice volendi, & ratio vnde proueniret radix volendi; quæ, vt superius adnotaui, benè probant, radicem intelligendi præcedere vt essentialem atque vltimam differentiam constitutiuam; radicem verò volendi consequi vt proprietatem. Neganda igitur est consequentia instantiæ: quia, vt habeat vim, supponere debet, duos purissimos actus intelligendi & volendi in Deo, correspondere & equiualere duabus essentialibus radicibus intelligẽdi & volendi in nobis; quod est falsum, quia de facto in nobis est vna essentialis ac remota radix, exigens velle & intelligere; in Deo autem non est vnus virtualiter actus intelligendi & volendi, sed cum magno fundamento in re, intra ipsum etiam Deum, distinguimus duos actus, alterum intelligendi, alterum volendi. Ex hac autem dissimilitudine colligi rectè non potest, quòd sicut in nobis radix intelligendi & volendi est essentialis; ita in Deo essentialis sit non solum intellectio, sed etiam volitio.

147. *Secunda difficultas.* Secunda difficultas, quia nostra ratio supponit, *quod omne producens vniuocum assimilat sibi productum formaliter ac primario in illa perfectione, quæ sibi est ratio ac virtus producendi; in aliis autem materialiter & secundario; ac proinde illam communicat ei primario, reliquas secundario.* Hoc principium, expresè traditum à S. Thoma infra, quæst. 41. art. 5. initio Corporis illis verbis, *Omne producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile, quantum ad formam, qua agit; sicut homo genitus, est similis generanti in natura humana, cuius virtute Pater potest generare hominem*; & ad 1. *Id quo generans generat, est commune genito & generanti*; & communissime receptum, displicet Zunigæ primo, quia homo assimilat sibi filium primariò non solum in forma, sed etiam in materia; & tamen ratio & virtus agendi non est materia, sed sola forma. Secundo quia esto principium illud sit vniuersaliter verum in creaturis, tamen falsum est in Deo, in quo omnes perfectiones sint quidditatiuæ & æquè primariæ. Alioquin, inquit, *videtur incredibile, Patrem & Filium magis intendere communicare Spiritui sancto suum amorem, quàm suam Deitatem & intellectionem, ac proinde vt primariò prodeat Amor, secundariò Deus.* S. Thomas.

Respondetur hominem generare similẽ in forma, non in materia. Ad primum negatur assumptum. Sicut enim homo non constituitur in specie hominis æquè primariò per formam, per quam ita habet esse actuale hominis, vt nullius alterius speciei esse habeat; & per materiam, per quam habet esse hominis potentiale, & commune cum reliquis omnibus corporearum rerum speciebus: ita per generationem intendit naturaliter assimilare sibi filium primariò in forma, secundariò in materia. Ad 2. nego in Deo omnes perfectiones esse quidditatiuas, & æquè primarias. Et ad id quod videtur incredibile, dico, esse incredibile oppositum, posito quòd credamus, Verbum procedere per intellectum, & vt filium genitum; Spiritum vero sanctum procedere per voluntatem, & non vt filium genitum, sed vt amorem spiratum. Enim vero si tam Filius quàm Spiritus sanctus æque primariò, vt conceditur ab arguente, reciperet intellectionem & volitionem, nec Filius magis esset sapientia, quàm amor Patris; nec Spiritus sanctus magis esset Patris & Filij amor, quàm sapientia; quod omnium Sanctorum dictis repugnat. Neque conuenienter respondetur, Filium dici sapientiam genitam quia etsi illi æquè primariò detur intellectio ac volitio, datur tamen per intellectum, non per voluntatem; Spiritum verò sanctum dici amorem spiratum, quia etsi æquè primariò detur illi volitio atque intellectio, tamen datur per voluntatem, non per intellectum: in hac enim responsione nimis clarè apparent duo absurda; alterum, quòd per intellectum, non per voluntatem, communicetur primariò amor; & è contrario, quod per voluntatem, non per intellectum, communicetur

Per diuinam processionem non æque primariò communicari intellectionem & volitionẽ.

municetur primariò intellectio ; alterum , quòd non eſt maior ratio , cur in termino formali communicationis ſit ſimul æquè primariò ratio intellectionis ac volitionis , in formali autem principio eiuſdem communicationis non ſit ſimul æquè primariò ratio intellectus & voluntatis.

148. *Tertia difficultas.*

Tertia difficultas, *quia prædicta ratio vtitur diſtinctione illa, ex vi proceſſionis , &c. quæ ſanè diſtinctio potius videtur inuenta ad eludendam vim argumentorum, quæ fiunt in contrarium, quàm ad veritatem explicandam, vt probat Vaſquez diſp.113.cap.6.*

Reſpondetur aſſerendo Authores vſurpantes illam diſtinctionem, Ex vi proceſſionis.

Reſpondeo, immeritò repudiari illam diſtinctionem, quam grauiſſimi Theologiæ Magiſtri S.Thomas, Albertus , Scotus, Ochamus, & alij veteres citati ſupra num. 133. nobis tradiderunt , & deinde amplexati ſunt Caietanus infra , art. 4. Ferrarienſis 4. contra gentes cap.11. poſt vndecimam concluſionem ſæpe Syluester part. 1. Conflati quæſt. 27. art. 7. §. 3. Torres in 3. parte Commentarij huius articuli, §. *Nunc dicimus.* & 4.p. ſæpe. Bagnes infra, art.4. dub.1. concluſione 3. Suarez libro 9. cap. 1. num.4. & libro 11. cap.5. ſæpe, præſertim art. 11. & 12. & cap.6. à num.6. Molina infra , art.3. diſput. 4. §. *Secundum eſt.* & ſæpius art.4. Zumel art. 4. diſp.1. per totam, Bellarminus libro 2. de Chriſto cap. 14. fine. Valentia libro 2. de Trinitate cap.5. ad 1. & hic puncto 4. ad 1. Arrubal hic diſput.98. num.2. 18. & cap.4. & 5. Ruiz diſp.6. per totam, præſertim ſectione 7. & iterum diſp.7. & 8. Albertinus tomo 2. pagina 462. num.5. & pagina 467. num. 25. Becanus cap.1. à num. 10. Ripa & Nazarius art.4. Florauantius poſt librum 2. notatione 7. ad 3. & alij omnes communiſſimè. Cuius diſtinctionis neceſſitatem optima ratione oſtendit S.Thomas infra, art.1. ad 1.

Prædicta diſtinctio probatur ex S. Thoma & declaratur.

quia *quicquid eſt in diuinis , eſt vnum cum diuina natura. Vnde ex parte huius vnitatis non poteſt accipi propria ratio huius proceſſionis , vel illius , ſecundum quam vna diſtinguatur ab alia : ſed oportet quòd propria ratio huius vel illius proceſſionis accipiatur ſecundum rationem voluntatis , & intellectus.* Cum igitur Theologi ex fide haberent, vnam proceſſionem, & non aliam, eſſe generationem, & vnam eſſe proceſſionem Verbi per intellectum, aliam eſſe proceſſionem amoris per voluntatem, vt tantam diſtinctionem ac differentiam in re ſimpliciſſima ac indiſtinctiſſima, quoad eius fieri poterat, explicarent , coacti ſunt mente diſtinguere ipſa formalia proceſſionum principia, quæ in re ſunt vnum & idem, & conſiderare , quam vim haberet vnumquodque ſecundum propriam rationem, ſecundum quam ab alio diſtinguitur : idque dixerunt, *Ex vi proceſſionis* , hoc eſt, ſecundum illud proprium quod intelligitur habere vna proceſſio vt diſtincta ab alia, ſcilicet ſecundum quòd vna eſt proceſſio verbi per intellectum , non amoris per voluntatem ; alia verò eſt proceſſio amoris per voluntatem, non verbi per intellectum. Quod minimè ſignificabis , ſi dixeris , *per proceſſionem* ; quia quælibet proceſſio re ipſa per ſe & neceſſariò communicat amorem, intellectionem , & naturam, & omnia quæ formalem diuini rationem habent: qua confuſione fidelis intellectus minus aptus redditur ad percipiendam diuinarum proceſſionum differentiam , quam credit. Itaque prædicta diſtinctione non eluditur vis contrariorum argumentorum, ſed eorum vanitas clarius apparet, & fidei veritas fit illuſtrior. Imo ſine iſta dubitatione, ne ſuam quidem ſententiam, ſupra dubitatione 5. relatam, & reiectam de naturæ fœcunditate, explicare ſatis poteſt. Nam quicquid tandem ſit iſta fœcunditas, certum eſt eſſe aliquid inſeparabile à natura, ergo non poteſt eſſe in Spiritu ſancto in quo eſt natura ; ergo per proceſſionem ; tamen non ex vi formali proceſſionis.

149. *Quarta difficultas.*

Quarta & vltima difficultas eſt, quia Patres & Scholaſtici communiter docent , *quòd principium ſaltem radicale ac præcipuum vtriuſque proceſſionis eſt eſſentia , quam doctrinam negat prædicta ratio.*

Reſpondetur declarando principia vtriuſque proceſſionis.

Reſpondeo , nos id non negare de principio radicali, & remoto ; ſed de principio immediato , & proximo , quod ex ſententia omnium Patrum & Scholaſticorum , vno excepto Durando , vt ſupra art.1. dubitatione 9. 10. & 11. non eſt eſſentia præciſa ab intellectu & voluntate, ſed eſt intellectus , & non voluntas in proceſſione ſecundæ perſonæ; eſt voluntas, non intellectus in proceſſione tertiæ perſonæ. Quoniam vero de eſſentia Deitatis eſt intellectus, non eſt voluntas, quod arbitramur ſufficienter probari vel ex hoc ipſo myſterio , de quo diſputamus, addimus , Principium proximum proceſſionis Spiritus ſancti non eſſe ſimpliciter eſſentiale: principium vero proximum proceſſionis Verbi eſſe eſſentiale tamquam vltimum ac præcipuum eſſentiæ conſtitutiuum. Quod ſatis apertè ſignificat S.Thomas 1. d. 13. quæſt. vnica art.3. ad 4. illis verbis , *Natura non eſt principium proceſſionis Spiritus ſancti ſub ratione naturæ, ſed ſub ratione voluntatis.* In quo diſtinguit Spiritus ſancti proceſſionem à proceſſione Verbi , cuius principium erit natura ſub ratione naturæ, & tamen eſt ſub ratione intellectus. Significant quoque reliqui ferè omnes antiqui Theologi citati ſupra num. 61. docentes, Filium procedere per naturam, Spiritum ſanctum per voluntatem. A quo communiſſimo loquendi & ſentiendi modo coguntur manifeſtè diſcedere, qui volunt, de eſſentia Deitatis non minus eſſe intellectum, quàm voluntatem; & ex propria ac formali vi vtriuſque proceſſionis æquè primariò communicari naturam, & intellectum, & voluntatem, & reliqua omnia attributa diuinæ naturæ. S.Thomas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſit in diuinis alia proceſſio à generatione Verbi.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd non ſit in diuinis alia proceſſio, &c.

1. *Probatur cõcluſio affirmatiua.*

CONCLVSIO affirmatiua fidei euidenter ſequitur ex multis aliis fidei veritatibus ſuperius probatis. Primò quòd Spiritus ſanctus ſit Deus, art.1. dub.1. puncto 6. à num.103. Secundo quod Spiritus ſanctus ſit perſona diuina diſtincta à perſona Patris, & perſona Filij, ibidem dub.2. n.143. Tertio quod Spiritus ſanctus ſit perſona producta & procedens, ibidem num.156. Quarto quòd Spiritus ſanctus non ſit perſona genita, ſicut eſt perſona Filij. art. 2. Hinc formatur huiuſmodi demonſtratio Theologica, quam tangit S.Thomas hic in argumento *ſed contra.* ex Maiori nota lumine naturæ, & minori certa ſecundum fidem ; ex quibus per euidentem conſequentiam deducitur concluſio de fide, vt in ſimili notaui ſupra art. 1. num. 217. Vbi ſunt duæ diſtinctæ perſonæ procedentes, altera genita, altera non genita, ibi ſit alia proceſſio à generatione neceſſe eſt. Sed in diuinis ſunt duæ diſtinctæ perſonæ procedentes, altera genita, quæ dicitur Verbum , altera non genita , quæ dicitur Spiritus ſanctus. ergo in diuinis eſt alia Spiritus ſancti proceſſio à generatione Verbi : nimirum, vt explicatur in Corpore, non ſecundum actionem intellectus, per quam procedit Verbum ; ſed ſecundum actionem voluntatis, per quam procedit amor, etiam in nobis, vt ex inſtituto oſtendi ſupra art. 1. à n.259. ad 266. Quo autem modo huiuſmodi alia amoris proceſſio in diuinis naturaliter probari, aut non probari poſſit, ſatis explicatum eſt ibidem à n.266. ad finem articuli. Qua in re , vt notat S. Thomas de potentia q.10. art.2. initio Corporis errauit Macedonius: ſicut enim *Arius exiſtimauit , quòd eſſe ab alio diuinæ repugnaret naturæ ; vnde poſuit quòd Filius & Spiritus ſanctus, qui in Scripturis ſanctis ab alio eſſe dicitur, ſint creaturæ :* ita eo quòd *Spiritus ſanctus non dicitur in Scripturis natus, vel genitus, & tamen dicitur eſſe à Deo, exiſtimauit Macedonius, quòd non ſit coëſſentialis Patri , ſed ſit eius creatura: non enim credebat, quòd aliquis poſſit ab alio eius naturam accipere , niſi ab eo naſceretur , & eius filius eſſet. Vnde exiſtimauit, infallibiliter ſequi , ſi Spiritus ſanctus accipit à Patre naturam & eſſentiam eius, quod ſit genitus & filius.*

Hæreſis Macedonij ex S. Thoma.

2. *Declaratur reſponſio ad 3.*

Solùm notanda valdè eſt reſponſio ad 3. quo obiiciebatur, non poſſe intra ipſum Deum, duas diſtinctas proceſſiones oriri ab intellectu & voluntate, quæ in Deo nullam habent diſtinctionem ex natura rei , ait enim , *quòd licet in Deo non ſit aliud intellectus & voluntas, tamen de ratione voluntatis & intellectus eſt, quòd proceſſiones, quæ ſunt ſecundum rationem vtriuſque , ſe habeant ſecundum quemdam ordinem. Non enim eſt proceſſio amoris , niſi in ordine ad proceſſionem Verbi. Nihil enim poteſt volũtate amari, niſi ſit in intellectu conceptum ; & de ratione amoris eſt, quòd non procedat niſi à conceptione intellectus.* & clarius loco citato de potentia fine Corporis , *amor alicuius rei non poteſt à voluntate procedere , niſi præintelligatur proceſſiſſe ab intellectu illius rei verbum.* Quod ſtatim à priori optime probat dicens, *Bonum enim intellectum , eſt obiectum voluntatis* ; & tamen ſunt , qui coacti neceſſitate defendendi alias ſuas minus probabiles opiniones, dicant , in Deo ne ratione quidem ratiocinata poſſe diſtingui intelligere & velle : & intellectionem non magis præcedere volitionem , quàm contrà, vt ſupra art.2. num.141. Dicendum igitur eſt, intellectum & voluntatem in Deo diſtingui non actualiter, ſed virtualiter; tali ſcilicet virtualitate, vt ex propriis ac præciſis rationibus eſſentialibus, quia intellectio vt ſic, eſt ſimplex obiecti apprehenſio ſeu conceptio, volitio vero vt ſic, eſt inclinatio in obiectum apprehenſum, ſeu conceptum, petant , vt ſi ex illa re, ſimpliciſſima, quæ eſt intellectus & voluntas, procedere debet aliquid , prius prioritate quadam originis procedat ex illa in quantum eſt formaliter intellectus, quàm in quantum eſt formaliter voluntas. Quo fit in diuinum Verbum in priori originis productum per intellectum , concurrere debeat in poſteriori originis ad proceſſionem amoris, ſeu Spiritus ſancti per voluntatem. Vnde tam Verbum, quàm eius proceſſio habet vt realiter diſtinguatur à Spiritu ſancto eiuſque proceſſione: vt benè explicat Bagnes in fine huius articuli.

Bagnes.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm proceſſio amoris in diuinis ſit generatio.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd proceſſio amoris in diuinis ſit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Pars negatiua. Probatur primò ex definitione Eccleſiæ, num.1.*

2. *Probatur ſecundò ex Scriptura, num.2.*
3. *Probatur tertiò ex Patribus, num.3. & 4.*
4. *Probatur quartò ratione, num.5. & 6.*
5. *Cur productio Spiritus ſancti dicta ſit proceſſio, n.7.*

1. *Probatur cõcluſio negatiua ex definitione Eccleſiæ.* Athanaſius. Toletanũ 1.

CONCLVSIO negatiua , ex expreſſa Fidei doctrina, quam omnes fideles profitemur in Symbolo Athanaſij, illis verbis , *Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus , nec genitus, ſed procedens.* & in Toletano primo, Prouinciali quidem Concilio , ſed confirmato authoritate Papæ Leonis primi , iubemur credere in Spiritum ſanctum, *qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre , Filioque procedens.* & quoniam qui non eſt Filius , non procedit per generationem , ſtatim additur , *Eſt ergo non genitus Paracletus , ſed à Patre , Filioque procedens.* Et in Toletano XI. in Fidei confeſſione, Spiritus ſanctus , *nec ingenitus , nec genitus creditur ; ne aut , ſi ingenitum dixerimus , duos Patres dicamus ; aut, ſi genitum , duos Filios prædicare monſtremur.* Et in Concilio VVormatienſi in Profeſſione Fidei , *Spiritum ſanctum credimus eſſe Deum , nec tamen genitum, vel creatum , ſed à Patre, Filioque procedentem.* & infra, *Habet Spiritus ſanctus æternitatem proceſſionis à Patre, & à Filio, ſine natiuitate.* Nec hactenus repertus eſt aliquis hæreticus , qui fateretur, Spiritum ſanctum eſſe Deum, & procedere intra ipſum Deum, & nihilominus procedere per generationem: tametſi hæretici omnes , negantes Spiritus ſancti diuinitatem, hoc ipſum indirectè aſſerant, deducendo nos ad impoſſibile, cum arguunt , Spiritum ſanctum futurum filium genitum , ſi procederet vt Deus, vt patet ex dictis art. 1. num.130. Solum inuenio Raymundum Lullium , qui libro de Eccleſiaſticis prouerbiis ita temerè ſcribit , *Spiritus ſanctus eſt conceptus de Patre, & Filio.* Quæ propoſitio eſt articulus 19. inter centum eius errores damnatos à Gregorio XI. quos refert Eymericus in Directorio Inquiſitorum, part.2. q. 9. & Petrum Abailardum, qui dicebat , vt refert Bernardus epiſtola 190. non longè à principio, *Spiritum ſanctum procedere quidem ex Patre, & Filio, ſed minimè de Patris eſſe, Filijvè ſubſtantia ; quia ſi eſſet de ſubſtantia Patris , profectò genitus eſſet , & duos Pater filios haberet. Quaſi vero,* vt illũ Bernardus rectè impugnat, *omne quod de ſubſtantia aliqua eſt, continuò ipſum , à quo eſt, habeat genitorem,* vt patet de vermibus, qui ſunt de ſubſtantia animalis , cuius non ſunt filij geniti ; & de Eua producta , ſed non genita de ſubſtantia Adami.

Toletanum 11. Concilium VVormatienſe. *Error Raymundi Lullij, Petri bailardi.*

2. *Probatur ex Scriptura.*

Porrò Eccleſia ad prædictas Fidei definitiones ſufficientiſſime mota eſt ex Scripturis ſanctis. Primo quia multis in locis ſæpe citatis in articulo 1. ſola ſecunda perſona dicitur generari, naſci, parturiri, cõcipi, Filius tertia verò perſona nũquam prorſus his vocibus nominatur, ſed dicitur ſimpliciter procedere, Ioan.15. Ita probat Athanaſius Dialogo 3. de ſancta Trinitate contra Macedonium , aliquantò poſt principium, *Nec enim ſcriptum eſt, Spiritus ex me genitus eſt. ſed, ex me procedit. Et Filius dicit , Spiritus veritatis, qui à Patre procedit , non autem Genitus eſt.* Similiter Auguſtinus lib.15. de Trinitat. c.27. circa med. *Filius vnigenitus , non de Patre genitum , alioquin frater eius eſſet, ſed procedere dixit Spiritum ſanctum.* Secundo quia quoties fit Trinitatis mentio , connumeratur Spiritus ſanctus vt perſona contra diſtincta à perſona Filij , ſicut etiam à perſona Patris. Matthæi vltimo *Baptizantes in nomine Patris , & Filij , & Spiritus ſancti.* 1. Ioannis 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo , Pater , Verbum , & Spiritus ſanctus.* Ergo Spiritus ſanctus non eſt filius , ſicut nec eſt Pater : ergo ſicut non generat

Ex Ioan. 15. cum Athanaſio & Auguſtino. *Ex Matth. vltimo, & 1. Ioannis 5.*

tamquam pater, ita nec generatur tamquam filius. Procedit igitur alio modo, quàm per generationem. Tertio præcipuè, quia locis & verbis citatis supra, art. 1. num. 71. Filius Dei dicitur *vnigenitus*. Quod magis explicantes Apostoli in Symbolo, Christum fatentur *Filium Dei vnicum*. Si igitur non solum secunda persona, sed tertia etiam generaretur, iam in diuinis non filius vnigenitus, & vnicus, sed essent duo geniti, & duo filij. Neque obstat, quòd Ioannis 1. dicatur, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: quia illud, *Quasi*, vt Patres omnes, & posteriores interpretes ferè omnes exponunt, vt videre est apud Maldonatum in hæc verba, non denotat assimilationem, sed rei veritatem, & conuenientiam, seu decentiam: vt sit sensus, vidimus Christi gloriam talem, ac tantam, vt non nisi vnigenitus filius Dei eam habere posset, qui scilicet eamdem haberet cum Patre naturam, essetque Deus non minùs quàm ipsemet Pater. Ideo enim, vt rectè significat Basilius homilia 15. de Fide, circa medium, Christi gloria dicta est, *quasi vnigeniti*, & non, *quasi filij*, vt filij gloria æqualis ostenderetur gloriæ Patris: quia filius, inquit Basilius, *vt vnigenitus, omnia, quæ sunt Patris, in se ipso comprehendit, nihil cum altero diuidens*, sicut diuidit filius, si non fuerit vnigenitus. Hæc particula, *Quasi*, eodem modo sumitur 1. ad Corinthios 3. vbi Paulus ait, se loquutum Corinthiis, *quasi carnalibus*, & tamen statim probat, illos esse verè carnales, dicens, *Adhuc enim carnales estis: cum enim sit inter vos zelus, & contentio, non ne carnales estis?* Et Iacobi 2. cum contra veros legis transgressores dictum esset, *Si personas accipitis, peccatum operamini*, immediatè post additur, *Redarguti à lege quasi transgressores*, hoc est, sicut redarguuntur, qui sunt veri transgressores. Vnde ipsemet Ioannes in eodem cap. 1. statim appellat Christum absolutè, & antonomasticè, Vnigenitum, dicens, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris*.

Ex eo quòd Filius Dei sit vnigenitus.

Exponitur locus Ioan. 1.

Basilius.

Exponitur locus 1. Cor. 3. & Iacob. 2.

3. *Ex ratione Vnigeniti arguunt Athanasius,*

Ex hac Vnigeniti ratione frequenter Patres eamdem veritatem probant: Athanasius oratione in illud dictum, *Deus ex Deo*, non longè à principio, illis verbis, *Christus ideo vnigenitus est, eo quòd nullus alius ex Patre sit genitus.* & libro 3. de vnita Deitate Trinitatis, in fine *Vnigenitum dum Scriptura refert, secundum diuinitatem indicat; quia in Deitate Vnigenitus à Deo Patre, omnino fratres non habet.* Et Dialogo supra citato; cum concessisset Macedonio, *Spiritus est ex Dei essentia*, negat ei hanc consequentiam, *Ergo & Spiritus est Filius*: quia, inquit, *Filius quidem ex essentia genitus est, ideoque est vnigenitus filius. Spiritus autem ex essentia procedit.* Vnde paulò ante acutè docuerat, *Filium Dei non propterea vnigenitum vocari, quoniam alius similis non est*; sic enim sequeretur, inquit, *Spiritum sanctum esse Filium vnigenitum, nec enim alius est Spiritus similis; sed quoniam solus ex essentia genitus est.* Et in hoc sensu concludit, *Non ergo dicitur vnigenitus eo quòd solus sit talis, sed quoniam solus ex essentia genitus est.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11. initio, *Propterea vocatur vnigenitus, quòd in dignitate Deitatis, & ex Patre generatione, fratrem non habet.* Nazianzenus oratione 5. de Theologia, multò post principium, *Neque Spiritus, propterea quòd ex Deo proficiscitur, & filius est; vnus enim est vnigenitus; sed quod Filius est, hoc & Spiritus est*: quia scilicet sunt vnus numero Deus. Basilius libro 3. contra Eunomium, paulò ante finem, *Nullus sic omnino impudens est, vt audeat alium, etiam filium appellare; cum vnus sit vnigenitus.* Ambrosius libro 4. de Fide cap. 4. ante medium, *Vnus natus ex Patre Dominus Iesus: & ideo vnigenitus.* Cyrillus Alexandrinus libro 1. in Ioannem cap. 22. circa medium, *si vnigenitus est, non inter fratres esse intelligitur, sed solus ex Patre.* Et libro 10. Thesauri cap. 4. initio, *Non est vnigenitus, nisi qui solus ita natus est, vt nullos habeat fratres.* Fulgentius in responsione ad tertiam obiectionem Arianam circa finem. *In illa natiuitate verè est vnigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus.* Damascenus libro 1. Fidei cap. 9. aliquantò post principium, *Vnigenitus etiam dicitur, quòd solus ex solo Patre singulariter est genitus.* Eamdem rationem non obscurè significarunt Patres Concilij Niceni libro 2. circa medium §. *Sapenumero.* illis verbis. *Vnus ingenitus Deus, & Pater. Vnus ex eo genitus vnigenitus Filius, Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, neque posterior filius, diuersus à Deo vnigenito filio eius, Deo Verbo.*

Cyrillus Hierosolymitanus,

Nazianzen.

Basilius.

Ambrosius.

Cyrillus Alexãdrinus.

Fulgentius.

Damascenus.

Concilium Nissænum.

Huius argumenti vis non infringitur ex eo quòd Salomon, qui multos habuit fratres, tum ex eodem Patre Dauid, tum etiam ex eadem matre Bethsabee, vt narratur libro 1. Paralipomenon cap. 3. de se ipso dicat Prouerbiorum 4. *Ego filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea.* Nam, vt benè exponit ibi Ianssenius, quem sequuntur Vasquez disput. 113. num. 13. Suarez libro 11. cap. 5. num. 2. Ruiz disput. 4. sect. 6. à num. 14. Zuniga disput. 2. dub. 20. membro 2. num. 5. Florauantius post librum 2. notatione 7. ad 1. ita se vocat Salomon, non per proprietatem, sed per similitudinem, quòd tamquam filius vnigenitus, à matre tenerè & vnicè diligeretur. Quæ expositio ex ipsis verbis planè colligitur: neque enim dicitur, *Vnigenitus matris*, sed, *coram matre*; siue, vt teste Iansenio habent Hebræa, *vnicus in facie matris meæ.* hoc est, ita tenerè respiciebatur & amabatur à matre, ac si esset filius eius vnicus. Iuxta quem sensum Septuaginta, teste eodem Iansenio, verterunt, *Dilectus in facie matris.* Filius vero Dei dicitur simpliciter & absolutè vnigenitus: & illa maior amoris ratio non habet locum in Filio respectu Spiritus sancti, cum ipsemet Spiritus sanctus sit amor Patris & Filij.

4. *Exponitur locus Prouerbiorum 4.*

Ianssenius.

Vasquez.

Suarez.

Ruiz.

Zuniga.

Florauãtius.

Probari præterea solet conclusio ratione ducente ad incommodum, ex Basilio libro 5. contra Eunomium cap. 12. verbis allatis supra, art. 2. num. 46. Si enim processio Spiritus sancti esset generatio, ac proinde Spiritus sanctus esset Filius, iam in diuinis darentur duo Filij. ergo prima generatio primi filij non expleuisset fœcunditatem Patris, nec fuisset omnino infinita in ratione generationis. Ergo secunda etiam generatio secundi filij fuisset pariter finita, & non expleuisset Patris fœcunditatem. Cur enim expleuerit secunda & non prima? Ergo si post primam generationem introducta est secunda, propterea quòd non est per primam expleta illa fœcunditas, debet eadem ratione post secundam introduci tertia, & post tertiam quarta, & sic infinita filiorum naturalium turba in diuinis. Hac ego ratione non vtor, quia distingui facilè posset primum consequens, asserendo, per primam generationem primi filij esse expletam fœcunditatem Patris intellectiuam, seu vim generandi per intellectum, & ideo non posse in diuinis dari duos filios, qui sint duo verba; non esse autem expletam fœcunditatem volitiuam, seu vim generandi per voluntatem, & ideo in diuinis posse dari duos filios, quorum alter sit Verbum, alter Amor; non

5. *Examinatur alia Basilij probatio.*

non posse autem dari duos filios intellectus, aut duos filios voluntatis. Ratio autem Basilij efficax est contra hæreticos, qui istis subtilitatibus non nitebantur, sed nimis crasso ac materiali modo, quo imaginabantur, ita Spiritum sanctum à Filio procedere, quomodo in humanis ab eo, qui est filius alterius, procedit alius, qui est etiam filius. Si enim ita res haberet, sicut in humanis, non solum procedit secundus filius à primo, sed etiam tertius à secundo, & quartus à tertio, & sic in infinitum, ita procedere deberent infiniti filij in diuinis.

Durandus.

De nomine spirationis.

Bonauentura.

Riccardus

Vdalricus.

Petrus de Tarant.

Carthusian.

Syluester.

6. *Qua via probetur Spiritus sancti processionem non esse generationem.*

Itaque nulla alia superesse videtur via probandi per naturalem rationem, quod processio Spiritus sancti non est generatio, nisi ostensiua aliqua ratione probemus, processionem per diuinam voluntatem, per quam omnes fatemur procedere Spiritum sanctum, non esse generationem. In qua probatione illud apud omnes certum esse debet, tum ex authoritate maioris ac melioris partis Theologorum, tum ex ipso essentiali generationis conceptu, vt art. 2. ostensum est, ideo processionem Spiritus sancti per voluntatem non esse generationem, quia ex sua propria ac formali vi non communicat naturam, ac proinde non producit terminum formalem, in natura formaliter similem principio ex quo emanat. Cur autem persona diuina, quæ est formaliter & essentialiter Deus, omnino consubstantialis, & eiusdem numero naturæ cum aliis personis diuinis, à quibus procedit, ex eo quòd procedit per voluntatem, non procedat vt formaliter similis in natura, hoc opus, hic labor est, quo sudare quidem possumus in hac vita, vt aliquid probabiliter afferamus, quod pro viribus articulo 2. præstare conati sumus, non tamen vt rem certò demonstremus. Hoc enim est, quod esse planè impossibile docent omnes Patres citati supra art. 2. num. 9. & 10. inter quos Augustinus, *Sicut Propheta de Filio loquens ait, Generationem eius quis enarrabit? ita de Spiritu sancto verissime dicitur, Processionem eius quis enarrabit.* Et Nazianzenus, *Rationem ingeniti Patris mihi explica, & ego vicissim tibi & Filij generationem, & Spiritus processionem aperiam, vt ambo insaniamus.* Præterea Athanasius in Dialogo citato supra num. 2. ait, *Qui discrimen generationis, & processionis nouerit, modum quoque generationis, & processionis nouit. Neminem verò nosse generationis modum, vociferatur Propheta, cum inquit, Generationem eius quis enarrabit?* Chrysostomus homilia 1. de incomprehensibili Dei natura, multo ante medium, *Filium esse à Patre Deo immortali genitum, noui; sed quemadmodum, ignoro. Spiritum ex eo procedere, scio; sed quemadmodum, nescio.* Damascenus libro primo Fidei cap. 9. aliquanto post principium, *Tametsi enim Spiritus sanctus à Patre procedit, non tamen per generationem, sed per processionem. Alius autem subsistentia modus incomprehensibilis, & incognoscibilis, quemadmodum & Filij generatio.* Et ideo dixit Bernardus sermone 1. in Pentecostem, non longè à principio, *Processio à Patre, & Filio, ponit tenebras latibulum suum.*

Id non posse à nobis certò sciri, docent.

Augustinus.

Nazianzen.

Athanasius.

Chrysost.

Damascen.

Bernardus.

7. *De nomine processionis.*

Ex horum, aliorumque Patrum dictis, quibus Scholastici omnes consentiunt, constat, processionis nomen, simpliciter & absolutè probatum, appropriatum esse particulari Spiritus sancti processioni, cum tamen ex se sit commune, etiam generationi Verbi: eumque loquendi vsum ab ipsomet Christo Domino accepisse videmur Ioannis 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Huius appropriationis multæ à Theologis rationes assignantur. Sed *melior est*, inquit S. Thomas 1. d. 13. quæst. 1. art. 2. ad 2. quam propterea solam hic affert ad 3. & de potentia quæst. 10. art. 2. ad 16. & primo loco tradit Durandus 1. d. 13. quæst. 1. num. 5. *quia Deum nominare non possumus, nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per generationem, processio in diuinis non habet proprium, vel speciale nomen, nisi generationis. Vnde processio, quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine. Sed potest nominari spiratio, quia est processio Spiritus.* quo nomine appellatur etiam à Bonauentura 1. d. 13. art. 1. quæst. 2. ad 3. Riccardo art. 1. quæst. 2. fine Corporis. Vdalrico, & Petro de Tarantaria apud Carthusianum 1. d. 13. quæst. 2. & aliis communiter; inter quos Syluester part. 1. Conflati q. 27. art. 7. ad 3. & 4. primum huius nominis authorem facit S. Thomam.

S. Thomas.

Faseli in D. Thom. Tom. III.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sint plures processiones in diuinis quàm duæ.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd sint plures processiones in diuinis, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Pars negatiua probatur primò ex Scriptura, n. 1.*
2. *Probatur secundò ratione fundamentali, n. 2.*
3. *Soluuntur duæ obiectiones probantes vnam tantùm esse processionem n. 3. & 4.*
4. *Soluitur tertia obiectio probans plures processiones intellectus & plures voluntatis n. 5. ad finem articuli.*

ONCLVSIO negatiua de fide, sicut de fide est, ex probatis supra art. 1. num. 235. & 236. duas tantum esse personas productas, seu procedentes, vt arguit S. Thomas hic in argumento *sed contra.* Persona enim procedens constituitur intrinsecè in ratione talis personæ per relationem procedentis; & processio, passiuè sumpta, identificatur adæquatè cum persona procedente; nihil enim aliud sunt processiones, nisi ipsæ personæ in producendo, seu procedere: ergo sicut personæ in producto esse, realiter distinguuntur, ita etiam in producendo; cum oppositio relatiua, ex qua in diuinis nascitur distinctio, tam sit inter personas in producto esse, quàm in producendo. Has duas processiones in diuinis expressè habemus in Scriptura. Nam secunda persona de se ipsa ait Ioannis 8. *Ego ex Deo processi, & veni.* Quæ verba fusè explicaui supra, art. 1. n. 1. 2. & 3. & eandem tertiam Spiritus sancti personam vocat Ioannis 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* De quo loco plura ibidem, num. 156. & præter has duas diuinas processiones, nullam alterius diuinæ personæ processionem legimus in Scriptura. Ergo non est temerè introducenda tertia processio. Vnde Cócilium Constantinopolitanum primum in Symbolo, quo in Missa vtitur Ecclesia, duarum tantum processionum meminit, credens, *in vnum Filium Dei ex Patre natum: & in Spiritum sanctum ex Patre*, & vt deinde Romana Ecclesia addidit, *Filioque procedentẽ.*

1. *Conclusio negatiua probatur cum S. Thomæ.*

Constantinopolitanũ 1.

Rationem fundamentalem traditam in Corpore huius articuli explico hunc in modum. Posita fide diuinarum processionum simpliciter, hoc est, quòd simpliciter detur processio intra ipsum Deum, quod naturali lumine non probatur, sed sola fide creditur, vt supra art. 1. à num. 266. certum est, quòd processiones in diuinis accipi non possũt, nisi secundũ actiones, quæ in agente manent.

2. *Explicatur ratio articuli.*

Quæ propositio sic non probatur, quia, vt benè docuit Sylvester part. 1. Conflati, quæst. 27. art. 8. initio, *eius ratio est euidens*; loquimur enim de processione diuina, qua procedit persona diuina, quæ sit verè & realiter Deus de Deo; qua ratione cogitari non potest procedere aliquid per actionem transeuntem extra Deum, quo modo procedit creatura, cum in vna simplicissima Dei natura fingi nequeat aliquis Deus extra Deum. *Sic enim*, vt probat S. Thomas 4. contra gentes cap. 26. num. 2. *procedens non esset coëssentiale suo principio*. Ergo processio diuina accipienda necessariò est per actionem in ipso Deo immanentem, qua procedat Deus intra ipsum Deum. *Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali & diuina non sunt nisi duæ, scilicet intelligere & velle.* Neque maior ratio est, vt sit in Deo processio per actionem intelligendi potius quam per actionem volendi, vel è contra. Neque ex his duabus actionibus intelligi potest vna eiusdemque rationis processio, vt probatum est supra, art. 3. num. 2. & profundius explicatum est art. 2. dub. 13. Ergo in diuinis processiones duæ sunt; & non plures, quia, vt suppletur loco citato contra gentes, *possibile non est quod in Deo sit nisi vna processio secundum intellectum, eò quòd suum intelligere est vnum, & simplex, & perfectum. Similiter oportet, processionem amoris esse vnam tantum; quia etiam diuinum velle est vnum tantum & simplex*, vt etiam ratiocinantur idem S. Thomas de potentia quæst. 9. art. 9. paulò post principium Corporis. Henricus quodlibeto 6. quæst. 1. litera X. Riccardus 1. d. 2. art. 2. quæst. 2. Corp. & alij passim.

Sylvester. S. Thomas. *Cur processiones diuinæ nõ possint esse plures quàm duæ.* S. Thomas. Henricus. Riccardus.

3. *Primæ obiectio.*

Obiicies primò, In Patre actio productiua Filij non differt realiter ab actione productiua Spiritus sancti; ergo nec processiones passiuæ, quibus producuntur Filius & Spiritus sanctus, & quæ correspondent illis actionibus erunt realiter distinctæ: sicut enim intelligitur in duabus personis, Patre & Filio, vna spiratio actiua Spiritus sancti, ita poterit intelligi vna passiua processio Filij & Spiritus sancti à Patre.

Respondetur distinguendo processionum terminos, non principia.

Respondetur nullam esse consequentiam & ratio disparitatis, quæ communiter affertur, est, quia processiones identificantur cum personis productis, quæ sunt realiter distinctæ inter se, quia constituræ per oppositiones relatiuas. Actio autem generandi, & actio spirandi in Patre, sunt in vna persona simplicissima, sine vlla oppositione relatiua ad se ipsam. Neque vrget exemplum adductum de spiratione; quia actio spirandi in Patre & Filio est vna eademque formaliter actio, nimirum voluntatis vt formaliter voluntas est, existens in duabus personis realiter distinctis; sed processiones passiuæ Filij & Spiritus sancti sunt diuersarum formalitatum, illa intellectus vt est formaliter intellectus, hæc voluntatis vt est formaliter voluntas. Neque etiam vrget correspondentia actionum cum passionibus, quam videmus in creatis, vbi tot sunt actiones, quot passiones; quia in his actio non differt realiter à passione, vt probaui in Philosophia; sed in diuinis actio, qua producitur persona, & processio passiua, qua procedit, differunt realiter, sicut ipsæ personæ. In casu igitur nostro realis distinctio inter personas, & processiones quasi passiuas, non oritur ex processione quasi actiua, sed ex oppositione relatiua, quam vna persona habet cum alia. Quæ quidem vera simpliciter sunt, sed non plenè satisfaciunt propositæ difficultati, quia præcisè fit vis in eo, quòd sicut processio actiua intelligendi & volendi est formaliter vna, & in vna persona Patris generantis & spirantis, absque vlla oppositione relatiua in ipso Patre quatenus generante & spirante; ita pariter huic correspondeat processio passiua intelligendi & volendi, quæ sit vna formaliter, & in vna persona genita & spirata, absque vlla oppositione relatiua intra ipsammet personam quatenus genitam, & spiratam. Ideo addendum cum S. Thoma supra art. 3. ad 3. vt nos ibi num. 2. notauimus, intellectum & voluntatem, etiam in Deo, saltem virtualiter ita distingui, vt ex propriis rationibus non possit ab illis procedere aliquid, nisi ordine quodam originis præcedat processio Verbi per intellectum, & deinde sequatur processio amoris per voluntatem: ita vt ad amoris processionem non solum concurrat ipsa voluntas, sed etiam Verbum in intellectu præconceptum: quia, inquit S. Thomas, *nihil potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum; & de ratione amoris est, quòd non procedat nisi à conceptione intellectus*. Quod in intellectu & voluntate Dei est magis clarum, quam in intellectu & voluntate creaturæ; quoniam in Deo præcedit processio Verbi perfectissimi, habentis eamdem omnino naturam, quam habet persona producens ac proinde eamdem voluntatem fœcundam; quo fit, vt in posteriori originis neque esse, neque intelligi possit processio amoris à persona productiua Verbi, & non etiam ab ipsamet producta Verbi persona: cum in creaturis Verbum imperfectum, ac proinde non habens in se realiter naturam principij sui, non possit ad productionem amoris hoc modo concurrere, sed solum præcisè in pura intelligendi ratione, secundum diuersas opiniones, nempe vel coëfficiendo cum voluntate, vel, quod tamquam multò probabilius & communius in part. 2. sequutus sum, proponendo ac repræsentando obiectum, eu bonum, cuius amorem producit voluntas. Disparitas igitur cur in diuinis esse possit vnum producens, quod sit simul generans per intellectum, & spirans per voluntatem, non autem vnum productum, quod sit simul genitum per intellectum & spiratum per voluntatem, est, quia in producente, ita sunt duæ processiones actiuæ, vt inter eas nulla sit passiua processio vnius ab alia, & consequenter nulla oppositio, nulla distinctio: sed in producto, ita sunt duæ passiuæ processiones, vt processio amoris sit à processione Verbi, seu, quod idem est, vt amor procedens non solum procedat à Patre, vnde procedit Filius Verbum, sed etiam ab ipsomet Filio Verbo: cum qua processione, & relatiua oppositione inter amorem procedentem & Verbum producens, stare non potest identificatio Amoris ac Verbi, seu passiuæ processionis Amoris, & processionis passiuæ Verbi. Quo fundamento præcipuè nitar inferius ad probandum, nullam futuram realem distinctionem inter Spiritum sanctum & Verbum, si Spiritus sanctus non procederet à Verbo: tunc enim esset planè efficax obiecta paritas, quòd sicut in vna persona producente, vbi nulla est passiua processio vnius termini ab alio, non est realis distinctio inter actiuas processiones intellectus & voluntatis; ita in vna persona producta esse deberet vna passiua processio Verbi & simul Amoris, absque vlla reali distinctione, si Verbum non esset principium productiuum Amoris.

S. Thomas.

4. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò, Vnica processio est simpliciter infinita: ergo exhaurit totam producendi virtutem quæ est in Deo. ergo non possunt dari duæ processiones.

Respondetur assignando rationem, cur non sit vna tantum processio.

Respondetur, vnam processionem sumptam identicè, ratione essentiæ simpliciter infinitæ, esse simpliciter infinitam: sumptam vero formaliter, quatenus præcisè est processio Verbi per intellectum,

ctum, & processio Amoris per voluntatem, non esse infinitam nisi in sua propria ratione, nimirum vel generationis passiuæ, vel passiuæ spirationis. Sub qua proprietate, ac formalitate, vna processio non potest exhaurire totam virtutem & actionem Dei producentis. Quam solutionem sic magis explico. Actio illa Dei simplicissima, qua Filius & Spiritus sanctus producuntur, habet virtutem actionis intellectus & simul actionis voluntatis, ita vt non minus possit facere propter hanc identificationem, quam si esset in duas illas actiones à parte rei distincta. Adæquatus igitur terminus illius actionis diuinæ, simpliciter sumptæ, est Filius, & Spiritus sanctus; sumptæ vero formaliter, & præcisè solum vt intellectionis est Filius, & solum vt volitionis, est Spiritus sanctus. Præterea sicut in vna simplicissima actione distinguimus ratione duas actiones, alteram intellectus, alteram voluntatis; ita etiam possumus distinguere simplicissimam infinitatem illius actionis in duas infinitates, alteram in genere intelligendi, alteram in genere volendi; & dicere, Filij productionem requirere infinitatem in primo genere, productionem Spiritus sancti requirere infinitatem in secundo genere, non autem infinitatem absolutè & simpliciter in omni genere; quapropter si per ita possibile actio diuina esset re ipsa infinita in genere intellectionis, non in genere volitionis: adhuc produceretur Filius, & non Spiritus sanctus.

5. *Tertia obiectio. Respondetur cum S. Thoma ad 3.*

Obiicies tertiò in nobis procedunt plura verba, & plures amores; ergo multò magis in Deo in quo est multò maior fœcunditatis virtus.

Respondet optimè S. Thomas hîc ad 3. Disparitatem esse, quia Deus ob virtutem intelligendi, & volendi, simpliciter infinitam, vno simplicissimo, ac perfectissimo actu, intelligendo & volendo se ipsum, omnia alia simul intelligit & vult, vt clarius docet 4. contra gentes cap. 26. num. 2. Vnde oritur, vt vnius intellectionis diuinæ vnicum sit & infinitum, atque adæquatum Verbum; & vnius volitionis vnicus Amor infinitus & adæquatus. *Et in hoc*, inquit S. Thomas hîc ad 3. *eius perfecta fœcunditas manifestatur.* At vero creaturæ, sicut ob imperfectionem nunc intelligunt & volunt hoc, & postea aliud obiectum, ita ob eamdem imperfectionem producunt successiue plura verba, & plures amores. Quod de Verbo diuino sapientissimè docuit Athanasius de Decretis Nicenæ Synodi, paulò ante medium, cùm Eusebium & Arium dicentes, *Multa verba profert Deus*, vocat stultos, quia *Deum ita inducunt loquentem, quasi qui priora verba posterioribus mutet; & quasi vnum ex Deo Verbum non sufficiat, quod vniuersam mundi, ex voluntate Patris creationem, curamque, & prouidentiam sustineat. Si enim Deus multa verba loquitur, hoc ipsum indictio est, in omnibus eius verbis esse quandam imbecillitatem, ac proinde singula quæque ab eo repudiari, & aliud semper nouum requiri. Contra autem, si vno verbo vtatur, vt re vera vtitur, id & eius potestatem, & Verbi ex eo nati perfectionem declarat.* Et eadem ratio est de vnitate diuini Amoris.

Athanasius.

6. *Defenditur responsio cõtra Scotum & Radam.*

Hæc ratio, qua probatur, non posse in diuinis plures processiones eiusdem rationis, v. g. duas generationes, vel duas spirationes, immerito dicitur à Scoto, vt refert & sequitur Rada controuersia 9. art. 2. post tertiam conclusionem, *consequentia enthymematica*, hoc est, fundata in hoc falso principio, *Vbi non potest esse nisi vnicum intelligere, ibi non potest esse nisi vnicum dicere, & vnicum Verbum.* Volunt igitur hoc principium esse verum in creaturis, in quibus *omne intelligere, seu omnis intellectio exprimitur per dicere, seu per dictionem, & est intrinsecus dictionis terminus, sicut calor calefactionis; & ideo si est vnum intelligere, est vnicum dicere, per quod producitur*: falsum vero in diuinis, in quibus *non omne intelligere est per aliquod dicere; nam intelligere paternum*, inquiunt, *est notitia improducta, præcedens natura dicere paternum. In formali autem consequentia, ex vnitate prioris non infertur vnitas posterioris; quia cum pluritate posteriores stat vnitas in priori*, v. g. cum pluritate actuum intelligendi, volendi, &c. stat vnitas intellectus & voluntatis, &c. & cum pluritate creabilium, & generabilium stat vnitas Dei creantis omnia, & Solis omnia sublunaria generantis. Præterea ita arguit secundo Rada, *Non est bona, & formalis consequentia, est vnica essentia, ergo vnica productione communicatur. ergo similiter non est hæc formalis consequentia, est vnicum intelligere, ergo vnicum dicere.*

7. *Quo principio nitatur data responsio.*

Per hæc autem nihil minuitur vis optimæ rationis, quæ non solum est S. Thomæ, sed etiam S. Athanasij, vt supra. Primò igitur diminutè refertur principium, in quo fundatur illa consequentia enthymematica; quod quidem ex verbis S. Thomæ relatis supra num. 2. ita est integrè assumendum, *Vbi est vnicum, & simplicissimum, & perfectissimum intelligere, ibi non potest esse nisi vnicum dicere, & vnicum verbum.* Hoc principium, vt vel ex ipsis terminis patet, nullo modo habere potest locum in creaturis, sed in solo Deo, cuius duntaxat increatus intellectus, est purissimum & actualissimum intelligere, vnicum, & simplicissimum, & perfectionis omnino infinitæ. Euidens autem est, quòd si hic intellectus dicit verbum, non potest non dicere simplicissimo ac perfectissimo modo: quo sane modo non ageret, si pluribus dictionibus plura verba proferret: hinc enim manifeste sequeretur, vt arguit Athanasius supra, *in omnibus eius verbis esse quamdam imbecillitatem. Contrà vero si vno verbo vtatur, id & eius potentiam, & Verbi, ex eo nati perfectionem declarat.* Explicata ac probata veritate principij, ad eius impugnationem, nego quòd intelligere paternum præcedat natura dicere paternum; nam, vt inferius ostendam, dicere in Deo non est aliquis actus, ne mentaliter quidem distinctus ab intelligere, neque est aliqua intelligendi actio ab intellectu Patris in ipso Patre procedens, sed est ipsemet intellectus paternus in quantum formaliter est vltima ac formalis & distincta actualitas producendi verbum, esto etiam ponatur cum Scotistis dicere paternum distinctum ab intelligere paterno, tamquam quid posterius à suo priori, adhuc per formalem consequentiam ex vnitate talis prioris, nimirum perfectissime loquentis per summam necessitatem naturæ, infertur necessario vnitas posterioris dictionis & verbi. Quare cum dicitur pluralitas posterioris stare cum vnitate prioris, id falsum est, quando prius agit perfectissimo & naturalissimo modo quantum potest absque vllo prorsus impedimento, quo modo se habet intellectus Dei Patris dicendo, siue exprimendo Verbum suum: & non se habet Deus liberè credendo: nec Sol generando ex necessitate naturæ, sed modo imperfecto, per dependentiam à motu suo, à subiecto extrinseco eiusque dispositionibus, & præsentia, & similibus, vnde prouenit pluralitas in posterioribus effectibus. Similiter ex imperfectione intellectus creati, & creatæ voluntatis oritur, vt inde per plures dictiones plura verba, & per plures spirationes proueniant plures amores. Ad secundum Radæ negatur illa similitudo, quæ solum vim haberet contra opinionem Durandi de immediata processione diuinarum personarum ab essentia præscindente ab intellectu & voluntate.

Tunc enim sicut non valeret, est vna essentia, ergo vna processio ab essentia; ita pariter non valeret, est vnus intellectus, ergo vna dictio vnius Verbi. Itaque in contraria sententia, quę est etiam arguentis, disparitas manifesta est, quia de facto ab essentia vt præcisa ab intellectu nihil procedit, & si procederet, talis processio non posset esse nisi vnica, & vnius formalis rationis. At verò à diuino intellectu, quatenus formaliter intellectu, immediate procedit Verbum, quod propterea non potest esse nisi vnicum expressum per vnicam dictionem. Et idem de Amore immediate procedente à voluntate.

8. *Cur vna tantum processio esse possit per intellectum in Deo, & vna per voluntatem.*

Quod vlteriùs confirmari potest ratione ducente ad impossibile, quam latè explicat Rada supra, & expressè sumitur ex Basilio, verbis relatis supra, art. 2. num. 46. quia in diuinis si essent dictiones, vel spirationes, plures quàm vna esse deberent actu infinitæ, quod est absurdum. Sequela patet, quia nulla prorsus maior ratio in casu nostro cogitari probabiliter potest, cur vnum infinitum principium, quod per primam productionem non est exhaustum, siue adæquatum, & propterea processit ad secundam productionem eiusdem rationis cum prima, sit exhaustum per secundam productionem, vel per tertiam, vel per quamlibet aliam productionum multitudinem finitam. Hanc rationem non obscurè tangit etiam Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 12. fine. nam cum ille diceret, potentiorem Filio futurum Patrem, si Pater, & non Filius generasset, ita probat Augustinus absurdum esse, Filium quoque generare; *immoderata enim esset diuina generatio, si genitus filius nepotem gigneret patri, qua & ipse nepos, nisi auo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur. Similiter etiam ille si nepotem non gigneret auo suo, & pronepotem proauo suo, non à vobis appellaretur omnipotens: nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur; nec eam perficeret vllus, si non sufficeret vnus omnipotens.*

Augustinus.

QVÆSTIO XXVIII.

De relationibus diuinis, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de relationibus diuinis, & circa hoc quæruntur quatuor, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Deo sint aliquæ relationes reales.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd in Deo non sint aliquæ, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio simpliciter affirmatiua. Probatur primò ex Scriptura & Patribus, num. 1. & 2.*
2. *Probatur secundò ex Relationis definitione, & proprietatibus, num. 3. ad 7.*
3. *An diuinæ relationes sint reales, etiam secundum propriam rationem essendi Ad. num. 7. ad 33.*
4. *Qua ratione probari possint in Deo reales relationes, num. 33. ad 41.*
5. *An ex diuinis relationibus demonstrari possint prædicamentales relationes in creaturis, num. 41. ad finem articuli.*

1. *Probatur cõclusio affirmatiua ex Scriptura.*

ONCLVSIO simpliciter affirmatiua de relationibus ad intra, hoc est, inter ipsasmet personas diuinas, meritò censetur ab omnibus veritas fidei. Inter quos ipsemet S. Thomas 1. d. 26. quæst. 2. art. 1. initio Corporis ait, *Apud omnes Catholicos certum est, Relationes esse in diuinis.* Et clarius de Potentia quæst. 8. art. 1. initio Corporis *sententiam fidei Catholicæ sequentes, oportet dicere, in diuinis relationes reales esse.* Et manifestè colligitur in Scriptura semper vocante simpliciter & absolutè diuinas personas, non in comparatione ad creaturas, sed in comparatione ad se ipsas, nominibus relatiuis, præsertim Patris & Filij, imo *veri Filij*, 1. Ioannis 5. & *proprij Filij*, ad Rom. 8. quæ apud omnes certissime sunt nomina propriè significantia realem relationem, neque vmquam aut ex contextu, aut ex subiecta materia, aut ex aliqua additione, seu limitatione indicat aliquam sermonis metaphoram, vel improprietatem. In quibus circumstantiis nefas est, diuinæ Scripturæ vocabula accipere in sensu non proprio. Et ideo ex his, & ex omnium Patrum dictis mox referendis vsque ad num. 7. intelligi facilè potest quantum errauerit Ochamus 1. d. 30. quæst. 4. præsertim à litera F. quam ibidem sequitur Gabriel art. 1. conclusione quinta asserens quòd *debiles sunt viæ negandi omnes respectus in diuinis, sustinendo opinionem de constitutione personarum per proprietates absolutas, quæ*, inquit, *condemnata non est, tamquam erronea.* Sed de censura huius opinionis infra in proprio loco. Nunc solum addo, multò magis certum esse ex expressissima doctrina Scripturæ & omnium Patrũ, Relationes in Deo esse, quã, per relationes constitui diuinas personas. Nõ licet igitur ex hoc minus certo negare primum maximè certum; sed præstat potius ex primi certitudine confirmare secundum, quia verè, vt inferius probabitur, in diuinis locum non haberent relationes, si ad personarum constitutionem ac distinctionem non pertinerent.

Quid sentiant Ochamus & Gabriel.

Addo igitur communem Patrum sensum, intelligentium relatiua scripturarum vocabula. De realibus relationibus proprie dictis Athanasius Dialogo primo de S. Trinitate contra Anomæum, non longè à fine, *Dei nomen naturam indicat. Nomen autem Patris, eam rationem, quam ad Filium habet.* Et Dialogo 2. aliquantò post mediũ, *Spiritus veritatis, Patrẽ nobis & Filium prædicauit: quæ nomina relationes in diuina essentia nobis indigitant.* Relationes si sunt in diuina essentia, non possunt esse nisi realiter & reales. & Dialogo primo contra Macedonium, initio, *Vocabulum, Deus, naturam significat; nomina vero Patris & Filij relatiua sunt.* Clarissime sermone 3. contra Arianos, inter medium & finem, *Pater propriè ad Filium refertur, non ad creaturam,* Nazianzenus oratione 5. de Theologia, aliquanto post principium, loquens de personis diuinis ait, *Relationis, quia se inuicem respiciunt, diuersitas, diuersam quoque appellationem ipsis dedit.* Cyrillus libro 11. Thesauri cap. vnico non longè à fine, loquens de diuinis Patris & Filij nominibus, ait, *Relationem quamdam, ad exprimendam distinctionem, ostendunt.* Et libro 12. verbis referendis infra num. 6. fine tamquam absurdum infert, quòd Filius Dei *non poterit ad Patrem verè referri.* Et Dialogorum de Trinitate libro 2. longè à principio, docet, Christum iussisse baptizare, non in nomine ingeniti, & incorruptibilis, & aliis similibus nominibus absolutis quæ soli Deo cõueniunt, sed

2. *Probatur ex Patribus.*

Athanasius.

Nazianzen.

Cyrillus.

sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia per alia nomina videbat, inquit, *sanctam nobis Trinitatem minimè declarari. Sed collegit, & præ aliis proposuit nomina, distinctissimè nobis constituentia, vnius cuiusque significati propriam existentiam.*

Augustinus.

Augustinus sermone 38. de tempore, multò post medium, *Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem & Filium verissimè refertur.*

Bernardus.

Bernardus epistola 190. propius ad medium, quàm ad principium, *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum designatio est, non vnitatis diuisio.* Et post aliqua, *Non quod ad se, sed quod ad filium est, patris nomine designatur; & item nomine filij, non quod ad se, sed quod est ad patrem exprimitur.* Si in diuinis Pater & Filius, in eo quòd tales formaliter sunt, dicuntur *ad alterum, non ad se*, hoc est, relatiuè, non absolutè, & vt sic dicuntur *veracissimè*, vt loquitur Bernardus, & *verissimè*, vt loquitur Augustinus, & *verè*, vt loquitur Cyrillus, & *propriè*, vt loquitur Athanasius; ergo in diuinis relationes sunt maximè reales, absque vlla improprietate & metaphora. Demum qua veritate ac proprietate Deus est trinus in personis, ea quoque sunt relationes

Boëtius.

in Deo, quoniam, vt ex Boëtio libro de Trinitate cap. 12. omnes Theologi pronunciant, *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Sed Trinitas realiter ac propriè reperitur in diuinis; ergo etiam relatio, sine qua Trinitas simpliciter ibi non esset. Et ideo Toletanum

Toletanum XI.

XI. in Fidei professione, multò post principium ita docet, *In relatiuis personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur; quæ cum relatiuè tres personæ dicantur, vna tamen natura, vel substantia creditur. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est: & quòd Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur, in eo quod Spiritus Patris & Filij prædicatur.* Et paulò post, *In relationes personarum numerus cernitur. Hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt; & in hoc, numero carent, quòd in se sunt.* Quæ omnia prioris loci verba in sua Fidei professione posuit deinde

Concilium VVormatiense. Florẽtinum.

Concilium VVormatiense. Et in Concilio Florentino sessione 18. §. *Diuinæ substantia*, Ioannes Theologus loquens de proprietatibus diuinarum personarum, ait, *Proprietates nequaquam communicabiles sunt*: additque, *Quod quidem ex relationis vi creditur euenire; quemadmodum etiam Doctores vestri*, hoc est, Græci, *præsertim sanctus Gregorius Theologus in Epiphania sermone tenet.* Et §. *Dixi equidem.* Declarans naturæ diuinæ vnitatem in personis distinctis, ita ratiocinatur, *Sola namque relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat: ita vt nonnulla alia ratione, quàm vi relationis, Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant.*

3. *Probatur ex Aristotelica, Relatiuorum definitione.*

Eandem realitatem ac proprietatem demonstrant Relationum definitio & proprietates à Philosopho traditæ in Prædicamentis cap. *De his quæ ad aliquid.* Quæ analogicè considerata, præscindendo ab imperfectionibus creatarum relationum, verificantur etiam in diuinis, quibus ea Patres communiter applicant. Quamuis enim relationes diuinæ non sint prædicamentales, hoc est, positæ in Prædicamento, vt in 1. tomo q. 3. art. 5. præsertim n. 17. tamen sunt prædicamentales quantum ad definitionem & proprietates, quæ sub analogica & præcisa communitate consideratæ conueniunt tam relationibus in Prædicamento positis, quam relationibus diuinis. Igitur Philosophus confutata alia antiquorum definitione, cuius memenit initio capitis, circa finem ex propria sententia ita definit, *Sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere.* Vbi illud, *quodammodo*, non est accipiendum vt limitans illud, *habere*, quasi vero relatiua, non simpliciter ac propriè, sed secundum quid & impropriè habeant se ad aliquid; sed vt extendens ad multos modos quibus relatiua se propriè habent ad aliud; alio enim modo se habet simile ad simile, alio dissimile ad dissimile: item æquale ad æquale, maius ad minus, minus ad maius: item alio modo se habet Pater ad Filium, alio Filius ad Patrem. Et ideo rectè Caietanus hunc locum exponens ait, *Quod verò dicit, quodammodo, comprehendendo multos modos, quibus relatiua referuntur, inseruit.* Et ipsemet Philosophus quod dixerat, *quodammodo*, paulo post non semel clarius dicit, *aliquo modo.* Hanc definitionem de diuinis relatiuis exprimunt Patres citati num. præcedenti, præsertim Athanasius, *Nomen Patris indicat eam rationem, quam ad Filium habet.* Bernardus, *Non quod ad se, sed quod ad Filium est, Patris nomine designatur. Itẽ nomine Filij, non quod ad se, sed quod est ad Patrem exprimitur.* Quæ verba habet etiam Toletanum ibidem relatum. Præterea Basilius libro 2. contra Eunomium, aliquanto post medium ita docet, *Diligenter considerantis palam est, non corporeæ passionis, primò ac propriè, Patris ac Filij nomina, sensum facere solere, sed solam, ex se ipsis cum dicantur; quam inter se habeant habitudinem ostendere.* Item Augustinus libro 5. de Trinitate cap. 5. *In Deo*, inquit, *quia & Pater non dicitur pater nisi ex eo quòd est ei Filius, & Filius non dicitur nisi ex eo quòd habet patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur; quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad inuicem, atque ad alterutrum ista dicuntur.* Tres autem proprietates hoc ordine traduntur à Philosopho in citato capite de omnibus relatiuis mutuis, cuius generis relatiua tantum sunt in Deo. Primò aliquanto post principium, *dici ad conuertentia.* Secundò paulo post medium, *simul esse natura.* Tertiò aliquantò ante finem, esse simul cognitione: *Manifestum est*, inquit, *si nouit aliquis hoc quod ad aliquid, est, & illud nouit ad quod hoc aliquo modo se habet.* Quas tres proprietates sic alio ordine breuius complexus est Cyrillus libro 2. Thesauri cap. 3. post medium. *Quæ ad aliquid sunt, & natura, & ratione simul sunt, & alterum ex altero infertur*: easque conuenire propriè diuinis relatiuis, certum est.

Toletanum XI.

Augustinus.

Tres relatiuorum proprietates traditæ ab Arist.

& Cyrillo.

4. *Eas conuenire diuinis, & primò dici ad conuertẽtia.*

Primò igitur hæc dicuntur ad conuertentia. Quod, vt patet ex exemplis, quibus statim hoc explicat Aristoteles, nihil est aliud, quàm sicut vnum relatiuum dicitur esse aliquid alterius, ita vicissim hoc alterum dicitur esse aliquid illius: & manifestè reperitur in diuinis, vbi sicut verè ac propriè dicitur, Pater est Filij pater, ita è conuerso, Filius est Patris filius. Hoc docuit Athanasius de vnita Deitate libro 2. paulò post medium, *Plane Pater Filij est, quem genuit; & Filius est Patris, qui verè de ipso genitus est.* Item Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7. circa principium, *Si Pater, omnino Filij est Pater, & Filius, omnino Patris est Filius.* Epiphanius hæresi 73. circa medium, *Pater, Filij pater dicitur. Filius, Patris filius dicitur.* Isidorus libro 7. Etymologiarum cap. 4. §. 2. *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus relatiuè dicuntur, quia ad se inuicem referuntur. Nam Pater non ad se ipsum, sed ad Filium, relatiuè dicitur. Sic & Filius relatiuè dicitur, quia est ei Pater. Sic Spiritus sanctus, quia est Patris Filiique Spiritus.*

Athanasius.

Cyrillus Hierosol.

Epiphanius.

Isidorus.

5. *Secundò esse simul natura.*

Secundò dicuntur simul natura. Quam proprietatem explicauit Cyrillus libro 2. Thesauri cap. 3. post medium illis verbis. *Quæ ad aliquid sunt, sicut vno posito, alterum ponitur; sic & vno interrupto, alterum interimitur.* Quod diuinis personis applicat Thomas: nam de illis loquens 3. p. q. 3. ar. 3. corp. ait, *Quarum vna tollitur, sublata alia; quia distinguuntur*

Cyrillus Alexandrin.

S. Thomas.

Bernardus.

solum relationibus, quas oportet esse simul. Item Bernardus epistola 190. longè à principio illis verbis, *Verissimè dicitur, si Pater est, Filius est: &, si Filius est, Pater est.* In hac simultate videtur niti dictum illud Ioannis epistola 1. cap. 2. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet, qui confitetur Filium, & Patrem habet:* nam, vt exponit Cyrillus libro de recta fide ad Theodosium, multò post principium, *ambo, per ambos, tam à nobis ipsis, quam sanctis Angelis, agnoscuntur.* Nititur etiam argumentum illud, quo contra Arianos admittentes, Patrem esse æternum, frequenter arguunt Patres, ex hoc necessariò sequi, Filium quoque ab æterno esse, quod illi negabant. Nam, vt acute distinguens docet Athanasius oratione 2. contra Arianos, aliquantò ante medium, *Opifex quidem & dici, & esse potuit, etiamsi nondum opera exstant. Pater verò nec esse, nec dici poterit, si non sit ei Filius*, & Basilius libro 2. contra Eunomium, multò ante medium. *Ex quo Pater est, & Filius est: nam Pater, Filij videlicet Pater.* Et libro 4. paulò post principium, *Si Pater ante Filium erat, cuiusdam alterius necessariò pater erat: nam absque Filio Pater non diceretur.* Et non multis interiectis, *Cum nos asseramus, Patrem esse semper, necesse est etiam, Filium esse semper. Patrem dicere impossibile est, nisi sit Filius. Qui & Patrem dixit, non solum Patrem, sed alicuius Patrem dixit.* Hilarius libro 8. de Trinitate multo post medium, *Audiat unum Deum Patrem, quisquis negat Filium: quia cum Pater non nisi per Filium pater sit, Filius per id significatur à Patre.* Et idem alij passim scribunt. Vnde Toletanum XI. in professione Fidei, aliquantò post principium ait, *Sempiternus quoque est & Filius, quoniam si Pater semper fuit, semper habuit Filium, cuius Pater esset: & ob hoc, Filium de Patre natum sine initio confitemur.*

Exponitur cum Cyrillo locus 1. Ioan. 3.

Athanasius.

Basilius.

Hilarius.

Toletanum XI.

6. *Tertiò esse simul cognitione.*

Tertiò dicuntur simul cognitione. quod diuinis relatiuis propriè conuenire docent Patres. Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobum Fratrem Domini, aliquantò post medium, exponens illud symboli, *Credo in Deum Patrem*, ait, *Patrem cum audis, agnosce quòd habeat Filium veraciter genitum: sicut Possessor dicitur, qui aliquid possidet; & Dominus, qui habet, cui dominetur.* Athanasius oratione 2. contra Arianos, paulò post medium loquens de personis diuinis, *Pater ad Filium refertur. Qui Deum Patrem vocat, statim quoque Filium intelligit.* Et propterea paulò post addit, *Pater in solo Filio intelligitur. Patris nomen Filium significat.* Quod probat ex verbis Christi Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus*, & cap. 14. *Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me est.* Et iterum post nonnulla, *Qui vidit Filium, vidit & Patrem; Filiique cognitio, Patris cognitio est.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7. circa principium *Patris nomen, simul cum ipsius nominis appellatione exhibet intelligendum & Filium. Quemadmodum similiter Filium quis nominans, statim & Patrem intelligit.* Hanc ob causam statim notat, in symbolo Missæ prius dici, *Credo in vnum Deum Patrem*, deinde addi, *Factorem cœli & terræ*, ne quis, inquit, *arbitretur cœlo & terra posteriorem esse ordine Vnigenitum. Propterea ante illorum nominationem, Patrem Deum nominauimus, vt simul atque cognouerimus Patrem, noscamus & Filium; nam inter Patrem & Filium nihil est medium, quod existat.* Expressius Basilius libro 1. contra Eunomium, multo post principium, *Patris vox, propter relationem, coniunctam sibi Filij cogitationem adducit.* Et libro 2. multo ante medium. *Illico cum quis Patris cogitationem capit, Filij etiam incurrit.* Epiphanius hæresi 73. circa medium. *Patris & Filij nomen cognationem ad aliquid; & relationem significat. Quare etiam si Patrem solum nominemus, habemus in nomine subintellectam notionem Filij. Et si Filium solum nominauerimus, habemus notionem Patris.* Ambrosius libro 1. de Fide cap. 5. paulò post principium, *Inuicem in se & Pater in Filio, & Filius in Patre cognoscitur. Cum enim Patrem dixeris, eius etiam Filium designasti; quia nemo ipse sibi pater est. Cum Filium nominas, etiam Patrem eius fateris: quia nemo ipse sibi filius est.* Gregorius Nyssenus libro de differentia essentiæ & hypostaseos, circa medium. *Qui Patrem mente percepit, & Filium simul eadem contemplatione assumpsit.* Augustinus sermone 38. de Tempore, multò post medium. *Nominantur quidem illæ personæ aliquando singulæ; sed in se voluit ipsa Deus Trinitas inseparabilem ostendere in personis, vt nullum ibi nomen sit in qualibet persona, quod ad aliam secundum relationis regulam non referatur.* Quod paulò post ita probat, seu potius magis explicat. *Si Patrem dicis, Filium ostendis. Si Filium nominas, Patrem prædicas. Si spiritum sanctum appellas, alicuius esse spiritum necesse est intelligas, id est, Patris & Filij.* Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 8. aliquanto ante finem. *Si Pater scit, semper se esse patrem; semper in se ipso cognitionem de Filio suo habet. Pater enim ad Filium & est, & dicitur. Et conuersim, Filius Patrem nouit, quia scit quid ipse sit. A filiatione namque paternitas intelligitur, & à paternitate filiatio.* Et libro 12. cap. 15. multò post medium illud Christi Ioannis 8. *Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, probat ex eo quòd *relatiua nomina, alterum ad alterum dicantur; & vno dicto, alterum statim intelligitur. Nam qui Patrem dixit, Filium illicò intellexit; & qui Filium appellauit, ad Patrem confestim retulit.* Et hinc statim efficaciter probat, Filium Dei non esse creaturam, quoniam, inquit, *si creatura Filius est, non poterit ad Patrem verè referri, sed ad creatorem: & ita non poterit aliquis à cognitione Filij, cognitionem Patris habere. Sed qui nouit Filium, nouit & Patrem.* Anastasius Synaita lib. 1. de rectis fidei dogmatibus prope med. *Si hæc dictio, Pater, habitus est, nimirum per eam, & Filius intelligitur.* Ex definitione igitur ac proprietatibus eorum quæ sunt in reali Prædicamento Relationis constat, Relationes diuinas esse reales, & verè ac propriè relationes. Reliquum est videre, quo modo, seu, sub qua ratione reales sint.

Ambrosius.

Nyssenus.

Augustinus.

Cyrillus.

Exponitur locus Ioan. 8.

DVBITATIO I.

An diuinæ relationes sint reales etiam secundùm propriam rationem essendi Ad.

SVMMA.

1 *Exponitur duplex esse cuiusuis relationis & esse* Ad *& esse* In *num.* 7.
2 *Diuinas relationes esse reales secundum esse* In *n.* 8.
3 *In aliquo sensu non esse reales secundum esse* Ad *n.* 9. *ad* 12.
4 *Esse simpliciter reales secundum esse* Ad. *Probatur authoritate, n.* 12. *ad* 17.
5 *Idem probatur rationibus, num.* 17. *ad* 23.
6 *Multa in contrarium obiiciuntur, num.* 23. *ad* 33.

7. *In quauis relatione est ex S. Thoma esse* Ad, *& esse* In.

EX articulo sequente initio corporis habemus, quod nemo negat, *quòd in quolibet nouem generum accidentis, est duo considerare. Quorum vnum est esse, quod competit vnicuique ipsorum, secundum quod est accidens: & communiter in omnibus est ineſſe subiecto; accidentis enim est ineſſe.* Et hoc dici breuius solet, *esse In.* Aliud est propria ratio vniuscuiusque illorum generum. Et in aliis quidem generibus à Relatione, vtpote Quantitate, & Qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subiectum:

subiectum: nam Quantitas dicitur mensura substantiæ, Qualitas verò dispositio substantiæ. Sed ratio propria Relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra, & hæc, communiter vocari consueuit ratio essendi *Ad*. Has duas rationes S. Thomas deinde docet reperiri proportionaliter in diuinis relationibus: quæ nimirum habent esse *In*, quantum, inquit, *relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ diuinæ, idem omnino ei existens.* Habent quoque esse *Ad*, in quantum, inquit, per relationem diuinam *in hoc quòd ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum.*

Esse reales secundùm esse In.

8. *Prima conclusio.*

Prima conclusio, Relationes diuinæ sunt reales secundùm esse *In*, hoc est, per comparationem ad essentiam diuinam, cum qua omnino ex natura rei identificantur, & in qua, quasi in subiecto, esse concipiuntur. Hæc conclusio tam est apud omnes certa, quàm certum est, Relationes diuinas esse simpliciter reales, quod in superioribus ostensum est esse Fidei dogma: nam cum relatio essentialiter nihil aliud sit nisi actualis ordo vnius ad aliud, ex sua formali ratione postulat non posse simpliciter esse nisi in illo vno, cuius est ordo, in quo actu sit, vel per inhærentiam, vt in creaturis, vbi relationes sunt accidentales & inhærentes; vel per identificationem, vt in diuinis, vbi relationes sunt substantiales, seu subsistentes. Igitur in omnibus relationibus, atque adeò in diuinis, nullum aliud esse considerari potest nisi esse *In*, & esse *Ad*, fundatum quodammodo in esse *In*; quia prius ratione concipimus Relationem aduenire subiecto, in eoque esse, quàm illud ad alium distinctum terminum ordinare, atque referre. Ergo si relationes diuinæ non essent reales secundum esse *In*, nec etiam essent reales secundum esse *Ad*, & consequenter nihil reale prorsus esset. Quod nullus Catholicus asserit, præter Ochamum, & Gabrielem suprà n. 1. qui etiam non plenè contradicunt: nam Ochamus initio quæstionis litera B. veritatem simpliciter fatetur dicens, *Teneo propter dicta Sanctorum, quòd paternitas verè & realiter est in Deo, & non est formaliter diuina essentia.* Et paulò post, *Non conceduntur in diuinis plura distincta absoluta realiter, ergo oportet quod sint ibi plures relationes distinctæ realiter.* Et similia verba habet Gabriel art. 1. conclusione 1. Præterea Ochamus postea in litera F. loquens de via negandi diuinas relationes, videtur nullam spectare veritatem, sed loqui dubitatiuè; & de possibili ad exercenda ingenia, dicens, *Posset per istam viam responderi sine sit vera, sine falsa, sine etiam ista via sit erronea, sine non, quòd etiam in diuinis nulla est talis relatio distincta quocumque modo ab omnibus absolutis: ita quod Pater non plus importaret præter absolutum; quam creans importat aliquid præter Deum qui creat. Et fortè talis responderet ad omnes authoritates,* &c. Cum Ochamo & Gabriele sentire videtur Gregorius Ariminensis 1. d. 28. quæst. 2. Sed ibi, quamuis omnem planè realitatem relationibus creatis negare videatur; tamen nihil expressè habet de diuinis; & non satis constat, an de creatis neget, esse formaliter ens relatiuum à parte rei, vel potius, quod non solum olim, sed hodie etiam multi tenent, esse ens ex natura rei distinctum ab ente absoluto; sicut nos affirmamus, in Deo formaliter esse relationes, sed negamus, illas esse distinctas ex natura rei ab absoluto. Clarius contrà sentit Gulielmus Parisiensis verbis relatis à Dionysio Carthusiano 1. d. 26. q. 2. post medium. Verum posita contraria veritate superius probata, & inferius etiam magis probanda de vera formalitate, ac realitate relationum in diuinis, patet præsens conclusio, quia earum esse *In*, nihil est aliud, quàm ipsummet relatiuum ac reale esse ipsarum, prout realiter & omnino à parte rei identificatum cum esse reali essentiæ diuinæ; vbi nihil apparet, quod non sit verè ac propriè esse reale. Et in hoc esse *In*, conueniunt relationes diuinæ cum Attributis, quæ etiam sunt realiter in essentia per omnimodam identificationem.

Quid sentiat Ochamus, Gabriel, & Ariminensis.

Gulielmus Parisiensis, apud Carthusianum.

In aliquo sensu non esse reales secundum esse Ad.

9. *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio, Relationes diuinæ secundum earum esse *Ad*, consideratum præcisè, prout est analogicè commune ad esse *Ad* reale, & ad esse *Ad* rationis, sicut non est ens rationis, ita nec est ens reale, sed per imperfectam præcisionem abstrahitur à reali, & rationis. Ita omnes, & patet ex probatis in Philosophia de terminis analogicè communibus, qui nullum significant particulare analogatum, sed aliquam aliam rationem omnibus analogatis communem. Sic ens commune substantiæ & accidenti, neque est accidens, neque substantia. Similiter substantia prout analogicè communis diuinæ & creatæ, neque est diuina, neque creata, vt suprà quæst. 3. art. 5. per multas dubitationes. Ergo pariter esse *Ad*, prout analogicè commune relatiuo reali, & relatiuo rationis, non est esse reale, sed esse simpliciter, præscindens à reali & rationis.

10. *Tertia conclusio.*

Tertia conclusio, Relationes diuinæ secundum earum esse *Ad*, consideratum non vt commune, sed vt proprium, prout est tale esse *Ad*, nempe diuinum, siue increatum, non ponunt, nec important aliquid reale in subiecto, seu quasi subiecto, quod est diuina essentia; & in hoc sensu dici possunt, non esse reales aliquo modo, nimirum subiectiuè, seu per habitudinem ad subiectum. Hoc adnotare distinctè placuit, vt explicarem nonnulla dicta Boëtij, & S. Thomæ, quæ arbitror intelligenda iuxta sensum huius tertiæ conclusionis, non autem secundæ, vt à multis accipiuntur; nec contradicere sequenti quartæ conclusioni, in qua mox dicam, idem esse *Ad*, vt tale formaliter, esse in se ipso, & in sua formali, atque explicita ratione essendi *Ad*, simpliciter reale. Igitur Boëtius lib. 1. de Trinitate c. 11. circa medium ita concludit, *Non igitur dici potest, Per prædicationem relationum, quidquam rei de qua dicitur, secundum se addere, vel minuere, vel mutare, quæ tota nō in eo, quod est esse, consistit; sed in eo, quod est, in comparatione aliquo modo se habere.* Loquitur de relatione vt relatio est, quæcumque illa sit, siue realis, siue rationis, cuius exemplum, scilicet dextri & sinistri, ibi posuit Boëtius: sub qua propria ac formali ratione, secundum quam distinguitur ab alio entis genere absoluto, relatio non dicit esse *In*, sed esse *Ad*; & secundum hoc esse, ait Boëtius, Relationem nihil reale addere, scilicet respectu *rei de qua dicitur*; hoc est, respectu subiecti, vel quasi subiecti; licet respectu rei ad quam dicitur, & in ipsa intrinseca ac formali ratione respectiua ad terminum, sit aliquod esse verè reale: & statim optimam, atque euidentem rationem assignat, quia relatio secundum propriam suam rationem, per quam ab aliis distinguitur, *non consistit in eo quod est esse*, nimirum, in subiecto, vel quasi subiecto, quod vulgò vocamus, esse *In*, *sed in eo quod est, in comparatione aliquo modo se habere*, hoc est, in esse, *quod*, inquit Caietanus, hîc §. *Ad has dubitationes. Optimè significatur dictione simplici per ly Ad.* Præterea cum c. 6. initio docuisset, reliqua omnia prædicamenta de Deo prædicari aliquo modo posse, de prædicamento relationis

Explicantur nonnulla Boëty dicta.

Caietanus.

S.Thomas. Syluester. Torres. Zuniga. Suarez. Vazquez. Arrubal.

relationis subdit, *Ad aliquid vero omnino non potest prædicari.* Quia scilicet, vt exponit S.Thomas hîc ad 1.& 1. d.26. q.2. art.1. ad 1. & sequitur, & benè exponit Syluester p. p. Conflati q. 28. art. 5. ad 1. Torres hîc post medium. Zuniga disputatione 3. dub.1.num.1. quamuis immerito contradicant Suarez libro 5.cap.1.num.4. Vasquez disputatione 114. num.10. Arrubal disputatione 99. num.7. Ad aliquid, vt formaliter tale, non est aliquid in Deo, quod ad prædicationem de Deo requiritur; quicquid enim de Deo, tamquam de subiecto prædicatur,Deo aliqua ratione insit necesse est; sed est aliquid ad Deum.Igitur Boëtius,inquit S.Thomas,*non excludere voluit, quòd relatio non esset in Deo, sed quòd non prædicaretur per modum inhærentis secundum propriam relationis rationem; sed magis per modum ad aliud se habentis.* Quod eadem ratione dici etiam debet de relationibus creatis. Et in hoc sensu c. 11. initio de Relatiuis docet, *Maximè non videntur secundum se facere prædicationem, quæ perspicuè ex alieno aduentu constare perspiciuntur.* hoc est,quæ,vt formaliter relatiua, non constant ex aliquo esse in proprio subiecto, sed ex alio esse ad alienum, seu distinctum terminum. Vnde c.sequenti 12. circa medium apertè concedit, Relationem de Deo prædicari, illis verbis. *Quoniam nulla relatio ad seipsum referri potest, idcirco quòd ea secundum seipsum est prædicatio, quæ relatione caret, facta quidem est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis.* & libro 2. post medium, manifestum esse docet, relationes de Deo prædicari, *non substantialiter*, hoc est, absolute & ad se, *sed alio quodam modo*, hoc est, vt ipsemet statim explicat, *ad aliquid*, referendo subiectum, de quo prædicantur, ad alium terminum realiter distinctum.

11. *Explicantur nonnulla S. Thomæ dicta.*

Item S.Thomas hîc initio corporis notat, Inter nouem genera Accidentium, solum reperiri propriè relationem rationis, non autem quantitatem rationis, aut qualitatem rationis, & idem de cæteris, & rationem esse ait, *Quia alia genera secundum propriam rationem, significant aliquid alicui inhærens;* & est id quod dicitur esse *In: ea vero quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, & est realis: aliquando est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri, & tunc est relatio rationis tantum.* Ex qua diuisione constat, de omni relatione, etiam reali, dictum esse, quòd secundum propriam rationem non significat aliquid in subiecto, sed ad terminum.Ergo ad mentem S.Thomæ dicit conclusio in particulari de diuina relatione, quòd considerata præcisè secundum esse *Ad*, nihil reale ponit in essentia diuina. Et ideo in articulo 2. Gilbertum Porretanum, qui dixit, *Quòd relationes in diuinis sunt assistentes, sine extrinsecus affixæ*, exponit de relationibus secundum esse *Ad*,non secundum esse *In*; nam, inquit, *Si consideremus,etiam in rebus creatis,relationes, secundum id quod relationes sunt, sic inueniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ quasi significantes respectum, quodammodo contingentem ipsam rem relatam prout ab ea tendit in alterum.* Et deinde specialiter de diuinis ita addit, *Relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ diuinæ,idem omnino ei existens. In hoc verò quòd ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum.* Si esse *Ad* diuinarum relationum, nullam dicit habitudinem ad essentiam, ergo diuinæ relationes per esse *Ad* præcisè,non ponunt aliquid in essentia diuina. Clarius ac distinctius de Potentia q. 2. art. 5. circa medium Corporis loquens de diuinis relationibus paternitatis & filiationis, ita de illis in communi docet, *Ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio,non habet, quòd sit aliquid, sed solum quòd sit ad aliquid. Quòd sit verò aliquid secundum rem, habet ex illa parte qua inest, vel vt idem secundum rem, vt in diuinis, vel vt habens causam in subiecto, sicut in creaturis.* De relatione diuina, vt est formaliter relatio, siue secundum proprium esse *Ad*, non negat esse simpliciter aliquid, sed solum negat esse aliquid *secundum rem*, hoc est, per habitudinem ad suum quasi subiectum, quod est essentia, cuius re ipsa relatio est. Et 1.d.20.q.1.a.1.ad 3.prius concedit, *quòd ad aliquid habet esse,& est aliquid*: postea ita limitat, *sed non quantum ad rationem ad aliquid,secundum quòd ad aliud refertur: sic enim non habet quòd sit aliquid simpliciter.* hoc est, aliqua simpliciter res per se distincta ab aliis rebus; relatio enim cum sit essentialiter actualis ordo vnius ad aliud, esse necessario debet aliquid alterius, & res alterius, vel illi inhærens, vt in creaturis, vel illi identificatum, vt in Deo; & non potest esse per se aliquid, & per se res. Et d.26. q.2. art.1. aliquanto post principium Corporis pro hac tertia Conclusione clarissimè ita loquitur. *In relatione, sicut in cæteris accidentibus, est duo considerare, scilicet esse suum, secundum quòd in subiecto fundatur,secundum quòd ponit aliquid in ipso,prout est accidens, & rationem suam, secundum quam ad aliud refertur, ex qua in genere determinato collocatur; & ex hac ratione non habet quòd ponat aliquid in eo, de quo dicitur; sicut omnes aliæ formæ absolutæ, ex ipsis sua ratione habent, quòd aliquid in eo, de quo dicuntur, ponant. Et ideo inueniuntur quædam relationes, nihil ponentes in eo, de quo dicuntur.* Perspicuè loquitur de relationibus realibus, & prædicamentalibus, quæ non possunt esse nisi reales; & non negat Relationes omnes, etiam reales, consideratas præcisè secundum esse *Ad*, esse simpliciter aliquid reale; imò dicit, quod secundum esse *Ad*, Relatio *in genere determinato collocatur*: vbi non sunt relationes rationis, sed reales tantum. Et statim, idem significans,ita addit, *Quædam sunt quæ habent aliquid in re, supra quod esse eorum fundatur, sicut æqualitas fundatur, supra quantitatem, & huiusmodi relationes aliquid realiter in re sunt:* sed solum negat, ponere aliquid in eo de quo dicuntur;quod tantum negat præsens Conclusio, quæ sufficienter probata remanet ex dictis Boëtij & S. Thomæ, eorumque explicatione;quælibet enim relatio, atque adeo diuina, in quantum relatio formaliter est,non dicit esse in alio,quod commune est multis aliis quæ non sunt relatio, sed solum præcisè dicit esse ad aliud. Ergo relatio diuina vt formaliter relatio, non potest ponere aliquid reale in essentia: quoniam vt relatio,spectat terminum, à quo distinguitur;non essentiam,cum qua identificatur.

Esse simpliciter reales secundum esse Ad.

12. *Quarta conclusio.*

Quarta conclusio, Relationes diuinæ secundum proprium earum esse *Ad*, etiam præscindendo ab esse *In*, hoc est, non considerando eas per ordinem ad essentiam diuinam, sed solum per ordinem ad terminum diuinum, ac proinde considerando eas vt relationes formaliter ac reduplicatiuè, adhuc in se,ipsis intrinsecè & essentialiter non sunt entia rationis, sed sunt entia verè realia;nimirum non subiectiuè, quasi ponant aliquid reale in subiecto, sed solum respectiuè, seu terminatiuè, quia sunt reales respectus realiter referentes ad terminum. Hæc Conclusio ita explicata videtur adeò certa, vt non sine magna occasione à Valentia hic, Puncto 1. §. *Aliter*, dicatur *esse de fide*: & contrarium vocetur à Molina hic art. 2. disp. 5. ante primam Conclusionem *error in fide.* Quam censuram sequitur Albertinus

Valentia.

Molina.

Quid sentiãt S.Thomas, & Thomistæ.

tinus tomo 2. pagina 424. num.6. & à Bagnes infra q.32. art.3. dub.2. §. *Alius* dicatur *sententia intolerabilis ex qua sequuntur hæreses.* Neque enim verè aduersantur S.Thomas, Capreolus, Ferrariensis, Caietanus, Syluester aliique Thomistæ,qui in contrarium à multis referuntur. Nam nihil aliud habent, nisi duo, quæ cum hac Conclusione minimè pugnant, imò, si rectè intelligantur in sensu ab Authoribus suis intento, vera sunt. Alterum, nullam relationem, etiam realem & diuinam, secundum se consideratam,esse aliquid,& esse rem:quia scilicet omnis relatio fundatur essentialiter in aliquo absoluto, cum quo essentialiter habet actualem connexionem; ac proinde per se non est simpliciter ens, siue res,siue aliquid,sed tantum secundum quid,hoc est, ens,& res,& aliquid entis absoluti. Alterum,quamlibet relationem,etiam realem & diuinam,consideratam secundum propriam rationem, secundum quam ab ente absoluto distinguitur, nihil reale ponere in subiecto: quia scilicet relatio, vt formaliter relatio, non dicit esse in alio,hoc est, subiecto, sed tantum dicit esse ad aliud,hoc est,terminum. Atque hinc maximè oriri volunt, vt inter entia rationis reperiatur relatio rationis, quæ est propriè relatio, non autem reperiatur propriè quantitas rationis aut qualitas,aut aliud ex absolutis accidentium generibus, quæ etiam secundum propriam rationem dicunt afficere subiectum aliquo reali modo; vt ex S.Thoma notaui suprà n.7. & 11. & intelligi debet de ente rationis habente reale fundamentum in rebus:hoc enim ens rationis est sola relatio;nam quãtitas,aut qualitas rationis,sicut etiam substantia rationis,vt hircoceruus, & similia sunt entia rationis per veram fictionem absque vllo reali fundamento ea postulante. De quo secundo genere etiam sunt entia rationis, vt benè notauit Arrubal hîc n.2. non loquitur S.Thomas cum initio corporis ait, *Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum,& non secundum rem.* hoc est, secundum rationem in re fun datam. Cuius generis relatio dicitur inueniri in his quæ dicuntur ad aliquid; non quod ponatur in eodem reali prædicamento, sed quòd participet propriè idem commune nomen,& eamdem analogicam rationem relationis vt sic,scilicet secundum esse *Ad*.

Exponuntur eum Arrubal verba S.Thomæ hic initio corp.

13. *Probatur cõclusio cum Capreolo ex S.Thoma.*

Hanc autem esse mentem Thomistarum, probo primo ex multis locis S.Thomæ quæ affert Capreolus 1. d.33.q.1. Igitur S.Thomas 1.d.33. q.1. art.1.initio corporis ait, *In relatione sunt duo, scilicet relationis respectus,quo ad alterum refertur, in quo consistit relationis ratio,ex quo non habet, quòd aliquam rem inhærentem ponat; vnde etiam inueniuntur aliquæ relationes, nihil realiter in re ponentes: & iterum ipsum esse relationis, quod habet secundum quòd in aliqua re fundatur,vel quantitate, vel essentia,vel aliquo huiusmodi.* In relatione præter esse *Ad*,distinguit *ipsum esse relationis*,quod ait,*fundari in essentia*, ergo est aliquod esse reale, ratione saltem distinctum ab esse reali essentiæ: & eadem collectio fieri facilè potest ex verbis relatis suprà n.7.Item 1.d.2.q.1.art.5.circa medium corporis,*Potest dupliciter considerari relatio in diuinis, vel per comparationem ad essentiam;vel per comparationẽ ad illud,ad quod refertur,& sic per propriam rationẽ relationis distinguit ab illo,*vtiq; reali distinctione.Si relatio diuina secundũ esse *Ad*, distinguit realiter,ergo illud esse *Ad*,non potest non esse reale. Præterea de potentia q.8.art.2.circa finem corporis docet, *quòd nihil prohibet aliquid esse inhærens, quod tamen non significatur vt inhærens,sicut actio significatur vt ab agente,*& tamen est in agente,vel in passo, secundum diuersas Philosophorum opiniones. *Similiter licet ad aliquid non significetur vt inhærens, tamen oportet vt sit inhærens.* Relatio secundum propriam rationem relationis non significatur vt inhærens; & tamen de hac dicitur, *oportet vt sit inhærens.*Et deinde ad 3.ait, *Licet relatio non addat supra essentiam aliquam rem, sed solum rationem, tamen relatio est aliqua res in Deo, licet non differat ab essentia nisi ratione; & similiter est de sapientia. Et ideo illud, quod est proprium realis relationis, scilicet opponi & distingui, realiter in diuinis inuenitur.* Per rationem non intelligit ens rationis, sed ens aliquod à parte rei positiuum, quod non est per se aliqua res, sed potius formalis aliqua ratio rei per se. Alioquin ista ratio dici non posset *aliqua res in Deo*:& si proprium est relationis, vt formaliter relatio est,*opponi est distingui realiter*; ergo esse *Ad* relationis,est aliquo modo reale; licèt S.Thomas nolit vocare ens reale simpliciter & per se, quia non potest concipi in re nisi vt identificatum cum essentia. Demum relationem comparat cum sapientia, quæ sine dubio est secundum se, & secundum formalem rationem sapientiæ, ens aliquod reale, siue à parte rei:ergo idẽ de relatione. Et 1.d.26.q.2. a.2.ad 3.similiter docet,*quòd quælis relatio,ex hoc quòd ad alterum dicitur,non sit res quædam; est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo quod refertur.*Vbi nullum aliud est mysterium,nisi quòd idem indiuisibile esse diuinæ relationis, quod verè & essentialiter est reale, non habet hoc esse reale per esse *Ad*,siue per comparationem ad terminum, cui realiter opponitur, & à quo realiter distinguitur; sed per esse *In*, siue per comparationem ad essentiam,in qua realiter est,& cum qua realiter identificatur.Solum posset esse difficultas, an relatio diuina sit vnum esse reale cum essentia, ex eo quòd secundum se,& vt per rationem ratiocinatam distincta ab essentia, nullum prorsus habeat esse, nullam prorsus actualitatem, sed sit mera quædam ratio essentialis respectiua, habens tantum esse absolutum essentiæ: an potius, quod magis credo, & inferius ostendam, habeat quidem suum proprium esse respectiuum, tamen identificatum cum esse absoluto essentiæ, tamquam aliquid essentialiter illius: & ideo non dicatur secundum se,& per se,sed ratione essentiæ,esse res,& aliquid,& entitas,& esse simpliciter reale, sed potius ratio & formalitas quædam essentiæ. In quo sensu nulla est quæstio nisi de nomine. Sicut enim esse relationis accidentalis in creaturis, quamuis sit proprium esse in re distinctum ab esse substantiæ, tamen non dicitur simpliciter esse, sed inesse; ita esse respectiuum relationis substantialis in Deo, quamuis sit proprium ac verum esse ratione distinctum ab esse essentiæ, tamen quia non minus essentialiter est esse essentiæ, quàm sit accidens aliquid substantiæ, non dicitur esse per se,& simpliciter aliquid,aut res,aut realitas, aut entitas,& similia. Vnde idem S.Thomas de potentia quæst. 8. art.2. circa finem corporis loquens de reali relatione, tam creata, quam increata, ait, *Sicut in rebus creatis oportet quòd sit accidens,ita oportet quòd in Deo sit substantia.* Ergo sicut in relatione creaturæ ipsum esse *Ad*, est esse accidentale re distinctum ab esse entis absoluti; ita in Dei relatione ipsum etiam esse *Ad*, erit substantiale, ratione distinctum ab esse absoluto essentiæ diuinæ. Demum valde fauent verba 4.cont.gent.cap.14.ad 9. *Esse relationis proprium, quod substantiæ superaddit non solum dependet ab esse substantiæ; sed etiam ab esse alicuius exterioris.*Esse proprium relationis est esse *Ad*; & hoc dicitur dependere ab esse substantiæ, respectu cuius illud idem esse est esse *In*.

Defenditur conclusio, etiamsi ponatur in Deo esse relatiuũ ratione distinctum ab esse absoluto.

14. *Probatur ex Capreolo.*

Hanc ipsam doctrinam fideliter refert ac sequitur Capreolus 1.d.33.q.1.art.2.respondens ad argumenta Aureoli contra tertiam conclusionem. Nam ad

ad primum cõcedit quòd *relatio est quædam res, & est relatio in diuinis. Distinctio personarum venit ex relatione in quantum huiusmodi. Quod autem illa distinctio sit realis, venit ex relatione, in quantum est res, scilicet diuina essentia.* Sed quoniam sæpe ita loquitur, vt videatur asserere, relationem secundum esse *Ad*, esse ens rationis, præsertim ad tertium, vbi ait, quòd relatio *per esse respectum non habet quòd sit aliquid in rerum natura: relatio enim non prædicat aliquid, sed ad aliquid; non enim relatio habet quòd sit ens, aut aliquid, aut res ex parte suæ rationis, sed ex parte fundamenti quod habet: tale enim potest naturaliter esse in re relata, & tunc relatio referens erit ens reale; sin autem, erit solum ens rationis:* ideo hanc opinionem apertè reiiciens, ita se explicat, *Cum dicitur, quòd relatio in diuinis distinguit personas secundum rationem respectus, non sumus ita asini, vel deliri, quòd intelligamus, sicut arguens imponit, scilicet, quòd relatio distinguat per rationem, qua est in anima nostra, quantum habet esse in anima nostra, sed secundum quod habet esse in re, scilicet tanquam in fundamento suæ veritatis.* Cum igitur negat, relationem vt relatio est, siue secundum esse *Ad*, esse aliquod ens reale, non sumit ens reale provt distinguitur contra ens rationis, in qua acceptione, hodie in Scholis magis vtitata, loquitur quarta Conclusio, sed provt distinguitur contra ens formale, seu modale, quod ex propria sua ratione vt simpliciter sit in rerum natura, in alio præsupposito fundari debet: quod quidem habet relatio diuina per comparationem ad essentiam, siue per esse *In*, non autem per comparationem ad terminum, siue per esse *Ad*: essentia verò non habet per comparationem ad relationem; nam relatio in essentia, non essentia in relatione fundatur; & relatio præsupponit essentiam, eique quasi subiicitur, non essentia relationem: & per hoc tantum dicitur, quòd essentia per se, & non relatio per se, sed ratione essentiæ, est aliquid, est ens reale, est res, &c. Et hoc significat S. Thomas verbis citatis supra num. 12. post medium dum de relatione secundum esse *Ad*, non negat vniuersaliter & absque vlla limitatione, quòd sit aliquid, sed solum limitanter negat, *quòd sit aliquid simpliciter*, hoc est, non fundatum in alio, in quo necesse est vt sit, & quasi recipiatur: nam tale esse *Ad*, inquit Capreolus supra, *potest naturaliter esse in re relata, & tunc relatio referens est ens reale.*

15. *Probatur ex Ferrariensi.* Neque dissentit Ferrariensis libro 2. contra gentes c. 9. ante medium. Nam libro 4. c. 14. §. *Ad primi dubij.* se magis enplicans, ita optimè distinguit; *Propria ratio relationis, quæ est esse ad alterum, dupliciter accipi potest. Vno modo in generali, & illimitatè, in quantum scilicet absolutè importat dici ad aliud.* Et hoc docet esse commune relationi reali, & relationi rationis; & propterea non posse esse vltimum completiuum realis Prædicamenti relationis, quamuis sit illius proprium in quantum esse ad aliud non conuenit alteri Prædicamento, sed soli Prædicamento relationis. *Alio modo in speciali & limitatè, in quantum scilicet importat dici ad aliud ex natura rei, siue habens fundamentum in re.* Et hoc est, inquit, *propria ratio Prædicamenti relationis, tanquam vltimum complementum illius.* Hac distinctione posita, S. Thomam docentem, quòd relatio secundum propriam rationem sui generis non dicit aliquid inhærens, non vult esse intelligendum de ratione propria secundo modo, *Qua*, inquit, *vltimatè complet rationem Prædicamenti, quia cum illa includat, habere fundamentum in re, oportet vt aliquid in eo, de quo dicitur, ponat: sed intelligitur de propria ratione primo modo sumpta; nam cum ista ratio, sit relationi reali & relationi rationis, communis, constat quòd abstrahit ab vtraque, & per consequens ex illa ratione absolutè & illimitatè sumpta nihil reale ponitur in eo quod dicitur relatiuè:* vt dixi supra in secunda Conclusione. Et paulò post, enucleatius & profundius ita addit in fauorem huius quartæ Conclusionis, pro qua S. Thomam esse benè contendit; *Proprius modus vltimatè constitutiuus Prædicamenti relationis, non excludit modum accidentis, imò eius quandam determinationem dicit, sicut & alia Prædicamenta accidentium: dicit enim modum accidentis, qui est inhærere substantiæ per modum referentis illam ad alterum, in natura rei fundatum. Nec oppositum tenet S. Thomas, imò hic dicitur, quod habet proprium modum essendi, secundum propriam rationem:* (quæ verba habentur multò post medium citati capitis 14.) *Arguit autem Aureolus, ac si diceremus, quòd relatio secundum propriam rationem, vltimatè Prædicamenti completiuam, nihil poneret in re; quod non dicimus, sed dicimus, quod secundum propriam rationem, quæ ei conuenit absolutè, in quantum relatio est, non autem in quantum relatio prædicamentalis est, non habet quòd aliquid in re, de qua prædicatur, ponat.* Hæc Ferrariensis dicta, quantum ad totam doctrinam, quam continent, vera sunt, & conformia secundæ, & quartæ nostræ Conclusionis; quantum verò ad expositionem S. Thomæ, quòd scilicet loquatur de esse *Ad*, commune reali, & rationis, vt dixerunt etiam Caietanus hîc §. *Ad has dubitationes.* Torres §. *Quo fit.* Syluester p. p. Conflati q. 28. art. 5. §. 1. in 2. Responsione, quam meliorem esse dicit, & Bagnes hic in 1. Responsione; Molina supra num. 12. Ruiz disp. 9. sect. 7. num. 2. Valentia puncto 1. ad 1. Vazquez disp. 114. cap. 3. initio minus placent: quia multò probabilius existimo, S. Thomam & Capreolum, vt ex multis eorum dictis superius allatis videri facilè potest, de ipso esse *Ad*, quod est proprium realis relationis, siue creatæ, siue diuinæ, dixisse, non esse aliquid, nec aliquid ponere in subiecto, siue in re relata, sed tantum esse ad aliquid, siue ad terminum cui opponitur. Verum, vt probaui, nõ loquuntur de esse aliquid quomodocumque, provt distinguitur contra esse ens rationis, & nihil omnino reale: sed de esse aliquid per se & simpliciter, in nullo alio præsupposito fundatum, prout distinguitur contra esse aliquid in alio, & secundum quid; quo modo relatio diuina est aliquid essentiæ, non autem essentia est aliquid relationis; & ideo dicunt, Relationem diuinam esse aliquid per comparationem ad essentiam, & non per suam propriam rationem essendi *Ad*.

De quo esse Ad loquantur S. Thomas, & Capreolus. Caietanus. Torres. Syluester. Bagnez. Molina. Ruiz. Valentia. Vasquez.

16. *Probatur ex Caiet.* Idem fusius docuit Caietanus supra. Nam expresse vult esse realem propriam rationem relationis realis, non autem relationis simpliciter, communis reali, & rationis. Vnde ita concludit, *Aliter loquendũ est de relationibus necessario realibus ex propriis rationibus, vt paternitas, & filiatio, & alia huiusmodi; & aliter de relationibus absolutè: istæ enim significant tantum ad aliquid, illæ verò ad aliquid reale.* Quod non semel in sequentibus reperit. Similiter Syluester p. p. Conflati q. 27. art. 5. §. 1. ad 3. concedit, *Quòd ad aliquid prædicamentale dicit respectum realem; quia ibi ista duo sunt idem, Respectus, & respectus realis. Non tamen sequitur, Dicit respectum realem, ergo realitatem inhærentem, vt alia genera accidentis; sed realitatem* Ad. *Realitas autem inhærens, quam habet ratione fundamenti, est quæ negatur ab eo.* Sed si relationi prædicamentali, quæ tota & totaliter est accidens, conceditur esse *Ad* reale, talis realitas necessario debet esse accidentalis, & consequenter inhærens, saltem aptitudinaliter; ideo melius est concedere simpliciter prædictam consequentiam cum Ferrariensi supra, qui optimè dixit, *Quòd proprius modus vltimatè constitutiuus Prædicamenti relationis non excludit modum accidentis, qui est inhærere substantiæ per modum referentis illam ad alterum.* Quamuis enim realitas *Ad* prædicamentalis, ratione fundamenti habent, quòd sit inhærens fundamentaliter; tamen ex se, & ratione suæ intrinsecæ formalitatis habet, quòd sit inhærens formaliter. Soncinas quoque 5. metaph. q. 26. conclusione 2. cum dicit, *Relatio non habet ex sua propria ratione, quod dicat ens reale;* loquitur iuxta tertiam conclusionem: quia hoc deinde explicat ex eo quòd *relatio ex ratione sibi propria non ponit aliquid in eo, de quo dicitur; quia non dicit esse In, sed solum dicit esse Ad. & propter hoc patet quòd relatio ex sua propria ratione nihil ponit reale in eo de quo prædicatur.* Quod deinde probat *ex eius definitione, in qua non dicitur quod relatio sit esse eius,* scilicet subiecti, *sed esse ad aliud,* scilicet terminum. Præterea Torres hîc planè sequitur Ferrariensem suprà, & Bagnes hîc in secunda responsione sequitur Caietanum. & in eodem sensu exponi piè potest Paludanus 3. d. 1. q. 2. circa fin. §. *Ad solutionem tertij.* qui omnium maximè aduersari videtur, cum ait, *Relatio in diuinis, prout distinguitur ab essentia, non habet entitatem realem, sed solum rationis.* Demum Henricus in summa a. 34. q. 2. qui etiam in cõtrarium refertur, verè contrarius non est; nam etsi litera R. sequens S. Thomam, dicat, Respectum realem, vt respectum, hoc est, per esse *Ad* præcisè, nihil realitatis ponere super illud, cuius est respectus; tamen ibidẽ concedit, *quòd persona in Deo habet aliquid realitatis, in quantum dicuntur tres personæ esse tres res.* Quod nõ potest intelligi de persona ratione essẽtię, quæ est vnica realitas, & non triplex; nec de persona ratione relationis personalis secundùm esse *In*, quia realitas, quam per esse *In*, habet relatio, est realitas essẽtiæ, quæ non est triplex, sed vna cõmunis omnibus personis: ergo est intelligendũ de persona ratione relationis personalis secundũ esse *Ad*. & litera V. *Ponere oportet, quòd in Deo duplex est res; vna quæ dicitur quidditas, vel essentia, vt Deitas; alia quæ dicitur suppositum subsistens in forma Deitatis:* & litera Y. clarissimè pro hac 4. conclusione ita habet. *Verè dicitur de personis, quòd sunt res. Non autem dicitur, quòd relationes sunt res; sed solum, quòd sunt relationes reales.*

An relatio Prædicamentalis sit inhærens secundum esse Ad.

Ex Soncinate, Torres, & Bagnes.

Ex Paludano.

Ex Henrico.

Idem prorsus esse sicut esse Ad, *& esse* In.

realiter Filium, & Spiritum sanctum non esse realiter Spiritum, si in Filio non est quid reale esse *Ad* Patrem, & in Spiritu sancto non est quid reale esse *Ad* Patrem & Filium. Tum quia in quauis relatione est idem esse, prorsus indiuisibile, etiam mentaliter, esse *Ad*, & esse *In*: idem enim esse relatiuum, si comparetur ad terminum ad quem refert subiectum, dicitur esse *Ad*; si comparetur ad subiectum, quod refert ad terminum, dicitur esse *In*. Quod clarè apparet in reali Prædicamento creatæ relationis, in quo Relatio generalissima, etiam vt relatio, hoc est, secundum esse *Ad*, est accidens, sicut Quantitas, & Qualitas, &. alia summa accidentium genera sunt accidentia, etiam considerata secundum proprias suas rationes. Sed esse accidentis prædicamentalis est esse *In* reale; ergo in relatione creata idem simpliciter esse reale sunt, esse *Ad*, & esse *In*. Vbi acutè distinguendum est, aliud esse, quòd aliqua res habeat esse subiecti; & aliud, quod habeat esse suum in subiecto, siue in esse subiecti. v. g. calor ignis, consideratus secundum totum suum esse accidentale caloris, dicitur habere esse *In*, non quòd habeat in suo esse intrinseco, esse substantiale ignis, sed quod suum intrinsecum esse accidentale habeat inhærens in esse substantiali ignis: sic igitur esse respectiuum diuinum, vt ratione ratiocinata distinctum ab esse diuino absoluto, cum consideratur secundum esse *In*, non consideratur vt habens in se formaliter esse absolutum essentiæ, hæc enim consideratio esset planè falsa, quia etsi absolutum, & respectiuum in Deo re ipsa identificentur, tamen sicut esse absolutum, siue *Ad se*, non est in se ipso formaliter, siue in essentiali & intrinseco suo conceptu, esse respectiuum, siue *Ad aliud*, vt ex ipsis ferè terminis manifestum est, ita contra, esse respectiuum nõ potest esse intrinsecè in se ipso esse absolutum. Ergo cum consideratur diuina relatio secundum esse *Ad*, & secundum esse *In*, non consideratur duplex esse, siue aliud, & aliud esse, sed idem vnum esse respectiuum, omnino indiuisibile, & re, & ratione, consideratur secundum duplicem comparationem, siue habitudinem, alteram ad terminum, & dicitur esse *Ad*, alteram ad essentiam, & dicitur esse *In*. Vnde manifestè sequitur, quòd si illud esse, per quod relatio comparatur ad terminum; & denominatur esse *Ad*, non est reale, neque poterit esse reale illud esse per quod relatio comparatur ad essentiam, & denominatur esse *In*. Ergo qui non ponit realitatem in esse *Ad* relationis diuinæ, conuincitur non ponere etiam realitatem in esse *In*, ac proinde nullam prorsus realitatem in diuinis relationibus ponere. Sicut, quia in relationibus rationis, esse *Ad*, non est reale, nec etiam reale est esse *In*, & per consequens, tota & totaliter relatio non est realis, sed rationis.

Quartæ conclusionis probationes.

17. *Prima ratio ex absurdo.* Arguo primò, si diuinarum relationum esse *Ad*, non esset reale, sed solùm esset reale esse *In*, sequeretur contra conclusionem Fidei suprà num. 1. in Deo non esse simpliciter relationem realem. Sequela videtur euidens; tum quia præciso esse *Ad*, quod est propria ratio formaliter constitutiua relationis, relatio non remanet simpliciter relatio, sed ens absolutum, saltem non remanet ens formaliter relatiuum potius quam formaliter absolutum; sicut præcisa ab homine rationalitate, non remanet simpliciter homo, aut magis homo quam brutum. Ergo præcisa realitate essendi *Ad*, non erit simpliciter relatio realis; aut non erit realis aliqua ratio, quæ magis pertineat ad relatiuum, quàm ad absolutum. Tum quia ego non loquor de esse *Ad*, vt præciso à relatione reali & rationis, quod quidem præscindit ab *Ad* reali, & ab *Ad* rationis, & non est reale potius quàm rationis; sed loquor de esse *Ad* particulari ac determinato, nẽpe diuino & increato, vt præciso tantum ab esse *In*. Si igitur hoc esse *Ad*, non est reale, neq; erit realis relatio diuina, vt relatio diuina est. Tũ quia si in Deo Patre, esse *Ad* Filiũ, formaliter & præcisè consideratũ ab essentia, non est quid reale; ergo Deus Pater vt formaliter Pater, non erit realiter Pater, sed tantum erit realiter Deus: quia præciso à Deo Patre esse *Ad* Filium, non potest concipi in eo remanere aliud nisi esse Deum: & eadem prorsus ratione inferri potest, Filium non esse

18. *Secunda ratio ex eo quòd esse* Ad, *& formaliter in Deo.* Arguo secundò esse *Ad*, increatum ac diuinum, consideratum secundum totum suum intrinsecum conceptum, ratione distinctum à toto esse absoluto diuinæ naturæ, est formaliter in Deo, sicut ipsũ formale esse relationis; v. g. non minus formaliter est in Deo paternitas vt paternitas, quàm potentia, aut iustitia. Ergo hoc esse *Ad*, in se ipso formaliter habet saltem conceptum entis realis: nihil enim quod in se ipso formaliter non est aliquid reale, cõsiderari potest ratione ratiocinata distinctũ à Deo, & dici esse in Deo formaliter absque vllo intellectu cogitante, & esse ex natura rei identificatum cum reliquis omnibus perfectionibus, quæ in Deo formaliter esse dicuntur. Neque refert, esse *Ad* dici analogicè de relationibus diuinis, creatis, & rationis: si enim hinc sequeretur, esse *Ad* relationis realis ac diuinæ non esse ens reale, sequeretur pariter, ipsammet ra-

tionem entis in Deo, seu diuini, non esse realem; quia ratio entis competit etiam analogicè enti diuino, & enti rationis. Verum ambæ sequelæ nullius momenti sunt; quia hoc proprij habent Analoga, vt ratio communis intrinsecè imbibat omnes rationes inferiores; ac proinde vt inferior ratio non addat aliquid in re supra rationem superiorem, sed solum explicet suam peculiarem rationem, in termino communi contentam quidem formaliter, tamen cõfusè. Quo fit vt esse *Ad* commune reali & rationis, consideratum explicitè vt tale esse *Ad*, nimirum reale & diuinum, non possit non esse reale, tam secundum rem, quam secundum explicitum ac determinatum conceptum.

19. *Tertia ratio ex eo quòd relatio constituat ac distinguat.* Toletanum XI.

Arguo tertiò, Personæ diuinæ, vt formaliter personæ, constituuntur, & distinguuntur, & opponuntur per proprietates merè relatiuas, hoc est, per id formaliter quo sunt ad aliud, non per id formaliter quo sunt ad se, siue in se. De diuinis enim personis ita confitetur Toletanum II. verbis relatis suprà n. 2. *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium est; & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter & Spiritus sanctus, non ad se, sed ad Patrem & Filium.* Et paulò post, *In relatione, personarum numerus cernitur.* Et statim hoc explicans esse intelligendum de esse *Ad*, nõ de esse *In*, ita subdit, *Hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt; & in hoc numero carent, quòd in se sint.*

VVormatiense Athanasius.

Eademque verba vsurpat Concilium VVormatiense in professione Fidei. Idem docent alij Patres ibidem relati: præsertim Athanasius, *Nomen Patris indicat eam rationem, quam ad Filium habet.* Et alibi,

Augustinus, Bernardus.

Pater propriè ad Filium refertur. Et Augustinus, *verissimè refertur.* Et Bernardus, *Quòd alter ad alterum verissimè dicitur, personarum designatio est, non quod ad se, sed quod ad Filium est, Patris nomine designatur. Item nomine Filij, non quod ad se, sed quod est ad Patrem, exprimitur.* Præterea Augustinus loquens de diuinis personis lib. 5. de Trinitate c. 5. ait, *Non quisquam eorum ad se ipsum, sed ad inuicem, atque ad alterutrum ista dicuntur.* Et c. 11. initio, *Quod propriè singula in Trinitate dicuntur, nullo modo ad se ipsa, sed ad inuicem relatiuè dicuntur.* Et paulò post, *Spiritus sanctus in eo quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relatiuè dicitur ad Patrem & Filium.* Et Psal. 68. exponens illud, *non est substantia,* non semel ait, *Pater non ad se, sed ad Filium dicitur. Ad se autem Deus dicitur.* Et tractatu 39. in Ioannem aliquanto post principium, *Id quod Pater ad se est, Deus est: quod ad Filium est, Pater est. Quod Filius ad se ipsum est, Deus est: quod ad Patrem est, Filius est.* Et paulò post, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt, non quòd ad se sunt.* Igitur firmissima Patrum doctrina est, diuinas personas in ea formali ratione qua tres personæ sũt, non qua sunt vnus Deus, constitui formaliter, & inter se distingui, atque opponi per formalem, atque explicitam rationem essendi *Ad*, non autem essendi *In*. Sed personæ diuinæ, non solum vt vnus Deus, sed etiam vt tres personæ, sunt aliquod ens verè ac propriè reale positiuum, contra distinctum ab ente rationis; per diuersas enim personalitates habentur in diuinis diuersa munera realia, nempe, vt vna persona generet, & non generetur; vt alia contra generetur, & non generet: vt duæ personæ spirent, & non spirentur, vt alia contra, spiretur, & non spiret, nec aliam diuinam personam omnino producat: vt vna tantum terminet vnionem hypostaticam cum natura humana. Præterea eædem personæ, vt formaliter personæ, habent vt inter se distinguantur realiter, & realiter opponantur. Ergo esse *Ad*, vnde formaliter proueniunt omnes istæ realitates, non potest non esse reale, & non concipi vt reale: alioqui si hæc personarum constitutio, distinctio, oppositio, intelligeretur aduenire per additionem *Ad* non realis, sequeretur, quod vel ex ipsis terminis apparet manifestum absurdum. Diuinas personas, verè reales in ratione formali personæ, constitui realiter, & realiter distingui, atque opponi per rationem formalem non realem.

20. *Quarta ratio ducta ex persona Patris.*

Arguo quartò, Persona Dei Patris est ens reale, non solum vt identificata cum essentia Deitatis, cum qua æqualiter identificantur duæ aliæ personæ Filij, & Spiritus sancti, sed etiam formaliter vt persona Patris: si enim personalitas creata ex suo proprio conceptu realis est, cur non item personalitas increata, infinitè perfectior? & si diuinus Pater, vt pater, & sub formali ratione paternitatis, realiter refertur ad Filium, & realiter à Filio distinguitur, eique realiter opponitur, & potest realiter personare, atque assumere naturam aliquam creatam, & constituitur completum principium producendi realiter distinctam personam, non potest sanè intelligi Pater, vt pater esse ens non reale. Sed Pater, in quantum pater reduplicatiuè essentialiter in suo formali & explicito conceptu dicit esse Ad Filium, ergo Pater vt pater, secundum esse *Ad*, debet necessariò esse aliquid reale. Confirmatur, quia quæ superius explicauimus dici de vna personalitate relatiua, & negari de alia, non possunt intelligi secundum esse *In*, quod æquè commune est omnibus, ac proinde non potest esse ratio propriæ constitutionis, & distinctionis, atque oppositionis inter se. Ergo intelligi debet secundum esse *Ad*. quia in relationibus præter esse *In*, fingi nequit aliud esse nisi esse *Ad*. Ergo realitates supra numeratæ proueniunt ab esse *Ad*, secundum præcisam & explicitam rationem essendi *Ad*. Ergo relationes diuinæ, secundum hoc esse *Ad*, præcisè & formaliter, & non solum secundum esse *In*, sunt reales. Vnde colligimus, quòd quãuis etiam relationes creatæ, sint reales secundum earum esse *Ad*, per quod formaliter constituunt reale Prædicamentum à cæteris distinctum, & contrahunt accidens reale, ad determinatam ac realẽ speciem accidentis; tamen multo maior ratio est, vt hoc asseramus de relationibus diuinis; quia hæ, & non illæ sunt subsistentes, imò ipsæ subsistentiæ personales, quæ realiter constituunt ac inter se distinguunt diuinas personas, & per se pertinent aliqua reali ratione, inferius explicanda, ad reales ac diuinas processiones, tam actiuas, quam passiuas. Quibus omnibus proculdubio habetur multò maior realitatis ratio, quàm in aliis proprietatibus, seu muneribus creaturarum relationum. Confirmari potest vlterius, quia Theologus negare non potest diuinã Trinitatem, secundum rationem qua Trinitas est, esse quid reale. Sed Trinitas, non est formaliter Trinitas secundum esse *In*, sed secundum esse *Ad*; quia secundum esse *In*, omnes tres personæ conueniunt in vnã communem essentiam ac naturam, cum qua omnes æqualiter identificantur, & non opponuntur, & cõsequenter nec distinguuntur, nec multiplicantur. At secundum esse *Ad* opponuntur relatiuè, & habent vt sint vna & alia, & plures, & omnino tres. Ergo hoc esse *Ad*, per quod habetur vt diuina Trinitas, in quantum Trinitas, sit realis, esse debet reale. Declaratur magis vis rationis, quia duæ huius Trinitatis personæ sunt Deus Pater, vt pater formaliter, & Deus Filius, vt filius formaliter: sed ex omnium Sanctorum dictis superius allatis, Pater vt pater, & Filius vt filius, non dicuntur secundum esse *In*, seu per ordinem ad naturam in qua sunt vnum & idem, sed secundum esse *Ad*, seu per ordinem ad terminum, ad quem referuntur, tamquam ad aliquid distinctum cum quo aliquam oppositionem habent. Igitur Trinitas formaliter habetur

Relatio increata, magis quam creata, est ens reale.

Confirmatur ex eo quòd realis est Trinitas, vt Trinitas.

habetur per esse *Ad*, non per esse *In*. Ergo si trinitas vt Trinitas est realis, erit etiam reale esse *Ad*, nempe in Patre esse ad Filium, & in Filio esse ad Patrem.

21. *Quinta ratio ex eo quòd Pater nõ dedit Filio esse Patrem, ex Florentino.*

Arguo quintò ex illo certissimo axiomate, quod in fine Concilij Florentini vsurpauit Eugenius 4. in literis vnionis, in medio, *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Hoc est, non præter esse *In*: quia sine dubio Filius Dei à Patre accepit, esse *In* diuina essentia, sed præter esse *Ad*; enim verò nihil aliud considerari potest in Patre, quod non sit in Filio, nisi solum esse *Ad* Filium. Sed illud quod Pater non dedit Filio, non potest esse aliquid non reale, alioquin in nullo reali differrent inter se Pater & Filius, ac proinde non essent duæ realiter personæ, inter se realiter distinctæ, quod est hæresis Sabelliana. Ergo in Patre esse formaliter *Ad* Filium, est quid reale: & eadem ratione erit reale in Filio esse *Ad* Patrem; & in Spiritu sancto esse *Ad* Patrem & Filium.

22. *Sexta ratio ex verbis S. Thomæ.*

Arguo sextò ex S. Thoma in c. 16. Ioannis lectione 4. post medium docente, *Quod relatio in diuinis dupliciter consideratur. Vno modo per comparationem ad essentiam, seu personam Patris; & sic relatio Patris non est alia res, quàm essentia, seu persona Patris.* Et hæc consideratio vocatur à nobis, secundum esse *In*. *Alio modo potest considerari per comparationem ad oppositam relationem, puta ad filiationem*, quod nos vocamus esse *Ad*, *& sic paternitas est relatio realis.* Quibus vltimis verbis perspicuè significat quartam conclusionem dicentem, Relationes diuinas, etiam formaliter & præcisè consideratas secundum proprium earum esse *Ad*, esse reales. Quod S. Thomas statim ita probat. *Quia secundùm hoc*, scilicet secundùm esse Ad, *importat ordinem naturæ, quem Pater dat Filio per æternam generationem: qui quidem ordo est in Deo secundum rei veritatem.* Sensus est, quia Pater per hoc formaliter, quòd est ad Filium, habet esse principium realiter generandi Filium in omnimodã eiusdem naturæ similitudinem. Sed istud sine dubio est quid reale. Ergo etiam est reale id vnde habetur, hoc est, paternitas est realis etiam, secundum esse *Ad* Filium. Quod etiam apertè docuit, ac probauit vetustissimus Thomista Heruæus quodlib. 1. q. 4. art. 2. circa principium.

Heruæus.

Obiectiones contra quartam conclusionem.

23. *Obiicitur primò Cyrillus.*

Obiicies primò verba Cyrilli lib. 2. Thesauri c. 3. aliquanto post principium, *Cum non composita, sed simplex natura Deitatis sit, numquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem, & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtriusque persona in propria hypostasi constituitur, nec ab vnitate Deitatis propter identitatem naturalem potest excludi: & sic nulla confusio, nulla quasi mistio Patris & Filij excogitari potest.* Differentia, quam secundum solam relationem, non secundum essentiam, habent diuinæ personæ, dicitur, *extrinsecus intellecta*, igitur est differentia, seu relatio rationis, non intrinsecè in re ipsa, sed extrinseca in solo intellectu concipiente obiectiuè existẽs.

Respondetur & exponitur Cyrillus.

Respondeo, cum Cyrillus doceat, Relationem diuinam esse talem differentiam, per quam plures diuinæ personæ distinguuntur, vtique personaliter, atque adeo realiter; & per quam, inquit, *persona in propria hypostasi constituitur*, quod maximè reale, ac substantiale munus est, non potest per illud, *extrinsecus intellecta*, significare relationem rationis. Significat igitur, relationem illam realem quidem esse, & cum essentia realiter identificatã, tamen extra quidditatiuum & intrinsecum conceptum essentiæ; & propter hanc solam extraneitatem essentialem, dicitur differentia ac relatio *extrinsecus intellecta*, scilicet ratione ratiocinata habente fundamentum in re. Atque hoc tantum probat ratio Cyrilli, de compositione, & multiplicitate, & mistione essentiæ ex pluribus personis; si in intrinseco & essentiali eius conceptu includerentur, & intrinsecus intelligerentur relationes, quibus multæ personæ realiter inter se distinctæ & oppositæ constituuntur. Dicta est autem relatio intellecta cum addito diminuente, *quasi extrinsecus*, & non simpliciter extrinsecus, quia non est omnimodo extra essentiam; sed est extra essentialiter, & intra identicè: relatio enim diuina ex propria sua ratione petit à nobis intelligi potius cum essentia, quàm in essentia, tamquam aliquod essentiale prædicatum illius, vt ostendam inferius.

24. *Obiicitur secundò Boëtius.*

Obiicies secundò, multa Boëtij, & S. Thomæ dicta, quæ sufficienter explicata sunt suprà à num. 10. ad 14. solum ex Boëtio explicandum superest, quod dicit lib. 1. de Trinitate c. 12. circa finem, *Similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum, vt eius quod est idem, ad id quod est idem.* quæ relatio identitatis, eiusdem ab se ipsum, censetur ab omnibus relatio rationis.

Expenitur eti S. Thoma.

Respondeo cum S. Thoma hîc ad 2. Relationem identitatis, esse rationis, *si ascipiatur simpliciter idem: quia huiusmodi relatio non potest consistere nisi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad se ipsum, secundum aliquas eius duas considerationes.* Esse autem relationem realem, si accipiatur idem non simpliciter, sed solum in natura eiusdem generis, vel speciei, vel etiam indiuidui, modo sit distinctio saltem in persona. *Boëtius igitur relationes, quæ sunt in diuinis, assimilat relationi identitatis non quantum ad omnia, sed quantum ad hoc solum, quòd per huiusmodi relationes non diuersificatur substantia, sicut nec per relationem identitatis.* Addo, Boëtium loqui de relatione identitatis, non qua idem refertur ad se ipsum; nam paulò ante hanc excluserat dicens, *sed quoniam nulla relatio*, nimirum realis, *ad se ipsum referri potest*; sed qua duo simpliciter distincta referuntur ratione alicuius in quo sunt idem, vt cum duæ species dicuntur idem in vno genere, & duo indiuidua dicũtur idem in vna specie. Vnde exemplificat de reali relatione, qua *æquale æquali æquale est*, *& simile simili simile est*, *& idem*, inquit, *ei quod est idem, idem est.* Non dicit, *idem sibi ipsi*, sed ait, *idem ei*, sicut aliis verbis in obiectione citatis, *eius ad id quod*, &c. clarè significans identitatem duorum in aliqua communi ratione reali, non identitatem vnius ad ipsummet. Itaque non primæ relationi identitatis, quæ rationis est, sed secundæ, quæ est realis, assimilat relationes diuinarum personarum. In qua similitudine magnam quoque dissimilitudinem esse significat sequentibus illis verbis, *Quod si in cunctis aliis rebus non potest inueniri, facit hoc cognata caducis rebus alteritas*: quia scilicet omnis alia relatio realis identitatis est inter duas res distinctas in substantia, siue natura, saltem numerica; in Deo autem relatio est inter plures res, seu personas, in eadem indiuiduali natura identificatas.

25. *Obiicitur tertiò paritas principij generatiui cum principio creatiuo. Creatorem nõ referri realiter ad creaturas, cum S. Thoma, Scoto, & Ochamo.*

Obiicies tertiò, Relatio principij quam Deus Pater, vt principium creaturarum, habet ad creaturas, est rationis, & non realis: ergo etiam relatio principij, quam habet ad Filium. Antecedens est S. Thomæ supra, q. 13. art. 7. & Scoti 1. d. 30. q. 2. & Thomistarum, ac scoristarum omnium, contra Nominales citatos supra n. 8. qui tamen in hoc non plus videntur ponere in Deo respectu creaturarum, quàm in ipsis creaturis inter se; in quibus nihil reale ponunt, quod sit verè ac formaliter relatiuum. Sed tantum fundamentaliter per extrinsecam denominationem. Eorum enim Author Ochamus ita do-

cet 1.d.30.q.4.litera C. *De paternitate, & filiatione dico, quòd in creaturis non important plus, nisi istum hominem qui genuit, & istum hominem qui genitus est: quia istis positis, & omni alio circumscripto, verè iste est pater, & iste est filius.* Similiter dicit quòd *similitudo non importat plus, nisi quòd sint duo alba simul existentia.* Et postea in litera F. expresè ait, *Quod Pater non plus importaret aliquid præter illud absolutu à parte rei, quàm creans importat aliquid, præter Deum qui creat.* Alioqui valdè certum in bona Theologia videtur, non posse Deum habere veram ac proprìam relationem prædicamentalem ad creaturas, ita vt realiter respiciat illas vt purè terminum, sicut in humanis pater respicit filium, & filius patrẽ. Primò, quia creaturæ sunt contingentes, & possunt simpliciter non esse: ergo relatio prædicamentalis ad illas est pariter contingens. Ergo si hæc esset in Deo, in ipso necesse esse poneretur formaliter aliqpid contingens, quod posset esse, & non esse. Secundò Deus ab æterno fuisset in reali potentia ad realem relationem ad creaturas, recipiendam in tempore, quo facta est creatio. Tertiò Deus in principio quo quo creauit cœlũ & terrã, per receptionẽ nouæ, ac realis relationis ad creaturas, aliter se ipsa; & in se ipso formaliter se haberet quã antea; ac proinde esset verè ac realiter mutatus.

Respondetur assĩrendo disparitatem cũ S. Thoma.

Respondetur concesso antecedente, negandã esse consequentiam cum S. Thoma hîc ad 3. qui disparitatem assignat, quia Pater & Filius in diuinis sunt eiusdem naturæ & ordinis; & ideo mutua relatione reali inter se referri possunt. At verò Deus & creatura sunt diuersissimæ naturę sub diuersissimo ordine, ita vt creatura tota ac totaliter pendeat à Deo creãte, Deus verò nulla prorsus ratione pẽdeat, aut perficiatur à rebus quas creat, ad quas propterea nullam habet inclinationem naturalem, siue ex necessitate naturæ. *Nec aliquod bonum,* inquit S. Thomas de potentia q.7.a.10.circa finem corporis, *Accresit creatori ex creatura productione; vnde sua actio est maximè liberalis, vt dicit Auicenna: & absque omni sua mutatione mutabilia facit.* Quo fit, vt Deus realiter referri non possit ad creaturam, creatura verò ad Deum creantẽ referri possit ac debeat. Quæ disparitas melius intelligetur ex dicẽdis in sequentibus dubitationibus.

26. *Obiicitur quartò.*

Obiicies quartò, Relationes paternitatis & filationis in diuinis consequuntur Verbi generationem, quæ est per operationem intellectus: ergo consequuntur operationem intellectus: ergo sunt relationes rationis.

Respondetur cũ S. Thoma filationem diuinam consequi intellectionem realiter, non obiectiuè.

Respondet optimè S. Thomas ad 4. negando vltimam consequentiam: quia illæ relationes non consequuntur operationem intellectus, *in ipsis rebus intellectis, quia scilicet eas relationes ratio adinuenit, inter duas res intellectas.* hoc est, non consequuntur intellectus operationem vt habentem se tantum intentionaliter, siue obiectiuè circa obiectum intellectum quatenus purè intellectum, quod proprium est relationum rationis: sed vt habentem se realiter, seu productiuè circa terminum verè ac realiter procedentem ab intellectu, non minus ac corporaliter procedunt termini per actiones corporeas, & non intellectuales, vbi relationes rationis locum habere non possunt.

27. *Obiicitur quintò ex Soncinate.*

Obiicies quintò, ex Soncinate supra, in sua prima ratione. *Relatio realis nullum reale ponit per id, quòd conuenit cum relatione rationis; alioquin etiam relatio rationis aliquid poneret. Sed cum relatione rationis conuenit in propria ratione relationis, id est, in hoc, quod est, ad aliud se habere. Ergo relatio realis non habet ex sua ratione quòd ponat aliquam realitatem, siue absolutè, siue in eo de quo dicitur.*

Respondetur negando consequentiam.

Respondeo, negando consequentiam, quia argumentum non est in forma. Propria ratio relationis realis non est, esse *Ad*, simpliciter, siue in genere, commune *Ad* reali, & *Ad* rationis; sed est esse *Ad* tale, nimirũ reale. Maior & Minor verificantur, quia sumunt esse *Ad* primo modo. Sed deinde in consequẽte variatur huius termini suppositio, & sumitur esse *Ad*. Secundo modo, cum dicitur, *Ergo relatio realis ex sua ratione non habet quòd ponat*, &c. Relatio enim realis ex sua ratione habet esse *Ad* reale; & esse *Ad* non reale, non est ratio propria relationis realis, sed est ratio communis relationi reali & rationis. Quòd si velit Soncinas concludere in forma, propriam rationem relationis, vt relatio est, siue essendi *Ad*. Primo modo, non esse realem potius quam rationis, sed præcisam & communem; concedo totum, quod non est contra quartam conclusionem, sed pro secunda cõclusione. Neque enim putari debet absurdum, *Ad* non reale continere sub se *Ad* reale; sicut ens commune enti reali, & enti rationis, non est ens reale, quod tamen sub se continet, & ens reale, commune substantiæ & accidenti, neque est substantia, neque est accidens, & tamen sub se continet vtrumque. Et ratio omnium est, quia huiusmodi continentiæ non sunt vniuocæ, per aliquẽ gradum superiorem, perfectè præcisum ab inferioribus gradibus, eosque propterea excludentem; sed sunt analogæ, per imperfectam præcisionem, implicitè & confusè continentem omnes gradus inferiores, ac proinde non excludentem, sed tantum non explicantem illos. Itaque in casu nostro, *Ad*, non est reale, non quidem exclusiuè, seu negatiuè, quasi sit aliquid quod non sit reale, neque rationis; sed solum præcisiuè, siue distinctè atque explicitè, quia scilicet est vtrumque, hoc est, *Ad* reale, & *Ad* rationis, sed sub vno imperfecto, & confuso conceptu implicitè apprehensum. Quod autem est tale explicitè, potest esse analogicè inferius ad id quod non est tale explicitè, sed tamen est implicitè ac realiter tale; vt ex Logicis hoc loco supponendum est.

28. *Obiicitur sextò ex eodem.*

Obiicies sextò, ex eodem Soncinate in secunda ratione, contra esse *Ad* relationis creatæ accidentalis. Relatio, vt relatio, non ponit realitatem per se existentem, quia esset substantia; neque inhærentem, quia relatio secundum propriam rationem non definitur per esse alicuius subiecti, sed per esse ad aliquem terminum. Ergo nullam realitatem ponit; quia præter realitatem subsistentem & inhærentem, alia media realitas fingi non potest.

Respondetur Ad relationis creatæ esse aliquo modo inhærens.

Respondeo, esse *Ad* relationis accidentalis, non posse non esse aliquo modo realitatem inhærentem; sicut relatio accidẽtalis, etiam vt relatio, non potest non esse accidens prædicamẽtale & reale: nimirum inhærentem, non explicitè, & in actu signato, quia relatio vt relatio non concipitur, & significatur, aut explicatur cum expressa habitudine ad subiectum inhæsionis, sed solum cum habitudine ad terminum referentiæ: sed inhærentẽ implicitè, & in actu exercito, quia nec à parte rei, nec in ratione ratiocinata, aliud esse est esse *Ad*, & aliud esse *In*. Quare esse *Ad*, etiam vt tale formaliter, & vt imperfectè præcisum ab esse *In*, est adhuc ipsum esse *In*, sed implicitè, hoc est, non consideratum, & significatum per comparationem ad subiectum, cui verè ac realiter inhæret: tametsi ipsum esse *Ad*, consideratum explicitè tantũ per habitudinem ad terminum, habeat verè ac realiter in sua intrinseca ratione essendi *Ad*, essentialiter inclusam habitudinem ad subiectum, & rationem essendi *In*. Neque obstat definitio relationis, tradita solum per comparationem ad terminum, non ad subiectum: quoniam habitudo ad subiectum est omissa, non quòd simpliciter excluderetur, sed solùm quòd non esset propria accidentis relatiui, sed communis cum reliquis omnibus

Exponitur definitio relationis.

bus accidentibus absolutis aliorum generum. Et ideo in communi illa definitione, quæ ex Aristotele collecta tradi solet, *Relatio est, cuius totum esse est, ad aliud se habere*, hoc est, terminum respicere, illud, *Totum*, non excludit, sed supponit, esse Accidens, & esse *In*. Sensus itaque est, totum esse prædicamentalis relationis, quod est verè & indiuisibiliter accidentale, est esse ad terminum, ita vt nullum aliud munus habeat, nisi referre siue ordinare subiectum ad terminum, quo relatio prædicamentalis distinguitur à relationibus trãscendentalibus, quæ non solum referunt, sed constituunt aliquid essentialiter, vt respectus formæ ad materiam, constituit essentialiter formam: nec purè respiciunt aliud, sed etiam ab illo aliquid accipiunt, cum non respiciant terminum sub pura ratione termini, sed causæ, seu perfectibilis, vt tetigi in primo tomo q.12. art.8. n. 68. & ex instituto fusius in logicis explicatum, &c.

inclusa in qualibet relatione.

29. *Obiicitur septimò contrarietas duarũ conclusionũ.*

Obiicies septimò. Videtur quarta Conclusio pugnare cum tertia. si enim relatio realis, siue diuina, siue creata, secundum propriam suam rationem essendi *Ad*, est realis, vt vult quarta Conclusio, ergo relatio realis, etiam præcise considerata secundum suum esse *Ad*, ponit aliquid reale in subiecto, quod negatur in tertia conclusione. Consequentia probatur, quia relatio secundum esse *Ad*, non potest non ponere quod ipsa est secundum esse *Ad*. Sed secundum esse *Ad*, conceditur esse aliquid reale: ergo secundũ esse *Ad*, non potest non ponere aliquid reale.

Respondetur primò de specificatione.

Respondetur explicando magis conclusiones.

Respondeo, distinguendo primum consequens, iuxta doctrinam traditam num. præcedente aliquid reale in subiecto poni potest dupliciter primò explicitè, ponendo realitatem cum expressa habitudine ad subiectum; & hanc realitatem in subiecto ponit relatio secundum esse *In*, non secundum esse *Ad*, iuxta tertiam conclusionem: ita vt si per impossibile Relatio esset ens omnino per se, non in alio inhærens, nec cum alio identificatum, adhuc in ea intelligeretur esse *Ad*, non autem esse *In*. Secundò implicitè, ponendo realitatem, quæ se ipsa realiter & essentialiter importat habitudinem ad subiectum, non tamen hanc habitudinem exprimendo, seu significando: & hanc realitatem in subiecto implicitè ponit relatio, etiam præcisè considerata secundum esse *Ad*, non secundum esse *In*; vt rectè adnotauit Suarez in metaph. tomo 2. disp.54. sect.4. num.6. Quod non negatur in tertia conclusione, sed re ipsa affirmatur in quarta. Ad probationem consequentiæ, concedo totum argumentum, quo concluditur, Relationem per esse *Ad* præcisè, ponere aliquid reale simpliciter; nos autem in tertia conclusione negamus hoc aliud, nempe, ponere aliquid reale in subiecto, cum expressa habitudine ad subiectum, per quam idem esse *Ad*, habet formaliter vt sit esse *In*. Atque hoc est, quod S. Thomas art. sequenti circa medium corporis docet illis verbis, *Relationes secundum id quod relationes sunt, inueniuntur esse assistentes; non intrinsecus affixæ, quasi significantes respectum, quodammodo contingentem rem relatam.* Relationes secundum esse *Ad*, docet non esse intrinsecus affixas subiecto; non ex defectu rei significatæ per nomen, sed ex defectu explicitæ significationis nominis; quia relationum nomina non significant expresè respectum contingentem subiectum, sed respectum tendentem ad alterum.

Suarez.

S. Thomas.

30. *Obiicitur octauò imperfectio specificationis & dependentiæ essentialiter*

Obiicies vltimò. Purus conceptus relatiuus, vt formaliter relatiuus, nihil aliud essentialiter importat, nisi esse ad aliud. Ergo importat imperfectionem specificationis & dependẽtiæ ab alio: specificationis quidem quoad essentiam, sicut enim relatio est simpliciter relatio secundum essentiam, quia est ad terminũ; ita est in tali specie relationis, quia est ad talẽ specie terminum, v.g. est in specie paternitatis, quia est ad Filium: est in specie filiationis, quia est ad Patrem; & idẽ de relatione spirationis actiuæ ad spiratũ, & spirationis passiuæ ad spiratorem: dependentię verò quoad existentiam, quia si esse relatiui, vt formaliter relatiui, est totũ ac totaliter esse ad terminũ, ergo nullum purè relatiuum, vt formaliter relatiuũ, potest esse in re, aut rectè concipi in re esse, non existente termino; ergo relatiuum, in esse relatiuo, pendet necessario ab existentia termini. Ergo purus conceptus relatiuus, vt formaliter relatiuus, non potest esse aliquid reale, realiter existens in Deo, sed tantum in creatura; quia hæc, & non Deus, imperfectionis in se capax est.

31. *Secundò de dependentia.*

Secundò quoad dependentiam, nego etiam, illam essentialem connexionẽ, quam correlatiua, præsertim diuina, inter se habent; vt implicet, alterum existere sine alio esse propriè dependentiam, aut indigentiam. Hanc enim vocẽ admittere inter diuinas personas, nefas esse censet Bessarion, maximæ vir auBessarion. thoritatis in Concilio Florentino, qui in quadã declaratione, quæ in illo Concilio posita est ante Decretum Eugenij, volens exponere quasdam voces ab ipso vsurpatas in quadam sua oratione dogmatica, habita ad Græcos illius Concilij Patres, ita habet initio. *Sancti Doctores Orientales; etiam in diuinis vtuntur nomine causæ, vt causati, largo modo; non quidem vt limitationem, & dependentiam importat; sed prout productionem, & emanationem à principio, eius quod est à principio, significat.* Si in eo, quòd vna diuina persona producitur, & quidquid habet, verè ac realiter accipit ab alia persona, non vult Bessarion vti voce dependentiæ, multò minus eadem voce vti licebit in eo quòd vna persona est alteri personæ formaliter correlatiua; quia referri ad aliũ, non est formaliter, accipere ab alio, vt constat ex Patre, qui refertur ad Filium, non accipiendo aliquid ab illo. Eamdem quoque vocem veteres & graues Scholastici minus probant. S. Thomas 4.cont.gent. S.Thomas. c.14.ad 9. *Quamuis in Deo ponatur esse relatio, non tamẽ sequitur, quòd in Deo sit aliquid habens esse dependens. In nobis enim relationes habent esse dependens, quia earũ esse est aliud ab esse substantiæ. Vnde esse earum propriũ, quod substantiæ superaddunt, non solum dependet ab esse substãtiæ, sed etiam ab esse alicuius exterioris. Hoc autem in diuinis locum non habet, quia non est in Deo aliquod aliud esse, quam substantiæ*, nimirum omnino necessariæ & immutabilis; quod addo vt clarius excludam secundam dependentiam à termino; nam substantiale esse termini, ad quod diuina relatio terminatur, quodque essentialiter postulat vt existat, est prorsus indefectibile: ergo defectus diuinæ relationis, nec secundum communem rationem essendi *In*, per comparationem ad essentiam, nec secundum propriam rationem essendi *Ad*, per comparationem ad terminũ, haberi potest, sicut ex vtroq; capite haberi potest in relationibus creatis, & ideo hæ, non illæ, dici possunt propriè pẽdere à subiecto, & à termino. Alenſ.p.p.q. Alensis. 48. fine ait, *secundũ quòd intẽtio relationis cõsideratur in creatura, notat dependentiam, vel in vtroque, vel in alte-*

ro extremorum relationis ; & ita ponit indigentiam. Ergo secundum quod consideratur in Deo, relatio non notat dependentiam. Bonauentura 1.d.26.ar.1. q.2.in medio,& in fine Corporis docet, Relationes esse in diuinis,*quantum ad veram distinctionem,& veram originem, & habitudinem*; *non quantum ad dependentiam.* Scotus 1.d.2.q.7.§. *Adsecundum principale,* ait,non valere istam consequentiam, *est ab alio,ergo dependens. Quia*, inquit, *dependentia, sequitur entitatem formalem dependentis,ab illo,à quo dependet. Quando igitur habet eandem entitatem, non ex ibi dependentia :* vt est in casu nostro, vbi eadem natura diuina est in persona producente & producta, & est, vt bene addit Scotus, *æquè independenter.* Si secundum Scotum non valet, *est ab alio, ergo dependens*; multò minus valere debet, *est ad alium,ergo dependens.* quia vel ex ipsis terminis apparet, multò magis accedere ad rationem dependentis, esse acceptum ab alio, quam esse purè terminatum ad aliud. Aureolus 1. d.9 parte 1.art. 3.§. penultimo, ex instituto probat, neque in Dei Filio esse dependentiam à Patre, à quo generatur : neque in Patre & Filio, qui mutuò referuntur, esse mutuam dependentiam. Idem alij passim docent. Et ratio sumi potest ex dictis supra q.27.art.1.n.175.

Bonauent. Scotus. Aureol.

32. *Vnam diuinam personã pendere ab alia dicunt,* Nyssenus.

Quamquam nonnulli, & Patres & Scholastici illam mutuam diuinarum personarum ac relationum exigentiam, qua vnam sine aliis esse implicat, dependentiam vocare non dubitent. Gregorius Nyssenus libro de differentia Essentiæ & hypostaseos, multo post principium ait, *Spiritus sanctus à Filio pendet. A Patris verò causa, vndè etiam procedit, ipsum esse habet dependens.* Quæ eadem ferè verba leguntur in Basilio epistola 43. col. 3. circa finem. Item Cyrillus libro 13.Thesauri c.2.aliquanto post principium loquens de Spiritu sancto,inquit, *Modo quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter inde dependet, sicut ex humana manu digitus.* Præterea ab Alberto p.p.q.39. membro 1. circa finem relatio realis mutua,vt paternitas & filiatio,non semel definitur, *Quæ secundum esse & dependentiam est in vtroque relationum.* Alensis quoque 4. p.q.91. membro 1.ad 2.concedit in Filio respectu Patris, & in Spiritu sancto respectu Patris & Filij, dependentiam, quæ,inquit, *nullam importat imperfectionem* : tametsi statim, se corrigendo ita addat, *si licet ibi dependentiam ponere quadam improprietate loquendi.* & Ferrariensis 4.contra gentes c.14.§. *Ad secundum dubium.* quem sequitur Zumel hic disp.1. ad 1. *Verum est,* inquit,*quòd paternitas diuina, sub ratione paternitatis, ab alio pendet, quia in ratione ipsius includitur Filius, & sic nec potest vnum esse sine alio, nec intelligi : ipsum tamen esse paternitatis non dependet ab esse alterius, cum sit vnum esse numero vtriusque relatiui, quod est esse diuinæ essentiæ.* Sed videtur clarè contradicere sancto Thomæ ibi ad nonam rationem, quia paternitas diuina sub ratione paternitatis, est relatio considerata formaliter per comparationem ad terminum, seu secundum esse *Ad* ; sub qua etiam ratione docet ibi S.Thomas illam non dependere in Deo, sed tantum in creaturis. *In Deo*,inquit,*esse relationis non est esse dependens, neque à substantia, neque ab aliquo exteriori*, qui est terminus. & paucis verbis interiectis, ita concludit, *Non igitur per hoc quòd relatio in Deo ponitur, sequitur quòd sit in eo aliquod esse dependens, sed solum quòd in Deo sit respectus aliquis, in quo ratio relationis consistit* : quæ profectò consistit in esse *Ad*, non in esse *In*. Ergo sentit S. Thomas, quod paternitas diuina est independens, non solum secundum esse *In*, per ordinem ad essentiam; sed etiam secundum esse *Ad*, per ordinem ad Filium. Neque ratio, qua Ferrariensis probat, esse paternitatis non esse dependens, quia, inquit, *est vnum esse numero vtriusque relatiui* ; est conformis rationi S. Thomæ, qui idem aliter melius probat, ex eo quod esse diuinæ relationis non est accidentale, sed substantiale ; nimirum substantiale relatiuum,non absolutum, & consequenter distinctum realiter ab alio esse substantiali relatiuo oppositæ correlationis ; vt pluribus ostendam inferius.

Albertus. Alensis. Ferrariensis. Zumel. Contra S. Thomam.

DVBITATIO II.

Qua ratione probari possint in Deo reales relationes.

SVMMA.

1. *Non possunt naturaliter probari sine dependentia ab aliquo principio fidei, n.33.& 34.*
2. *Posito aliquo fidei principio possunt naturaliter demonstrari, n.35.& 36.*
3. *Affertur ratio ob quam dantur relationes prædicamentales in creaturis,n.37.*
4. *Dari in creatura ad Deum relationem realem, non autem contra,n.38.*
5. *Non posse Deum extrinsecè denominari relatum realiter ad creaturas per realem relationem creaturæ ad ipsum,n.39.& 40.*

INitio huius primi articuli, existentiam diuinarum relationum probauimus potissimum authoritate Scripturæ,& Patrum : quas deinde in dubitatione 1. multis ostendimus esse reales duplici formalitate, & per comparationem ad essentiam, &c. & per comparationem ad terminum correlatiuum. Inquirendum superest, quid possit naturalis rat.o circa earum probationem.

33. *Prima conclusio.probari nequeùt sine fide.* S.Thomas.

Prima conclusio. Nullo assumpto principio,fide diuina credito, naturalis ratio demonstrare non potest, esse aliquam realem relationem in Deo. Hoc ego sumo ex S. Thoma de Potentia q. 8. art.1. ad 12. docente, *quòd licet ratio naturalis possit peruenire ad ostendendum, quòd Deus sit intelligens, modum tamen intelligendi non potest inuenire sufficienter. Sicut enim de Deo scire possumus quòd est, sed non quid est; ita de Deo scire possumus quòd intelligit, sed non quomodo intelligit.* Atque hinc colligit, non posse sciri de Deo, quòd intelligat producendo Verbum, quia hoc, inquit, *pertinet ad modum intelligendi : vnde ratio hoc sufficienter probare non potest, sed ex eo quòd est in nobis, aliqualiter per simile coniecturare.* Eademque ratione, scire naturaliter possumus, quòd Deus amat, sed non modum quo amat, nempe, producendo Spiritum sanctum. Igitur naturali ratione ignoramus, esse processionem intra ipsum Deum, & consequenter, dari plures diuinas personas. Vnde manifestè sequitur, nos non posse naturaliter scire, dari realem aliquam relationem in Deo ad aliquid intra ipsum Deum : quia non vnius personæ ad aliam personam, cum pluralitas personarum in Deo à nobis ignoretur : non vnius diuinæ perfectionis ad aliam, quia in natura Dei simplicissima non dantur à parte rei plures distinctæ perfectiones, quarum vna ad aliam realiter referri possit ; non denique ipsiusmet Dei ad se ipsum, quia idem ad seipsum realiter referri, omnes censemus impossibile ex ipso essentiali conceptu relationis. Neque præterea scire possumus, dari aliquam realem relationem in Deo ad aliquid extra ipsum Deum : imo contrarium potius scimus, quia, vt testatur sanctus Thomas 1. dist. 30. quæst. vnica artic. 3. initio Corporis *secundum Theologos & Philosophos, verum*

verum est communiter, quòd relationes, quibus Deus ad creaturam refertur, non sint in Deo secundum rem, sed secundum rationem tantum ; quia intellectus noster non potest accipere,aliquid relatiuè ad alterum dici, nisi ipsum sub opposita habitudine intelligat,vt ibi ex instituto probat, & etiam de potentia quæst.7.art.10.& 11.& in hac part.1.quæst.13.art.7.& nos supra num.25.breuiter tetigimus.

34. *Conclusionis ratio.*

Ex dictis habetur fundamentum conclusionis: nam nulla alia realis relatio formaliter in Deo conderari potest, nisi vel primo ad creaturam, quam relationem omnes negamus; vel secundo inter ipsas absolutas perfectiones in Deo formaliter existentes, v.g. inter intellectum & voluntatem ; & hæc etiam relatio non potest admitti, præsertim in verissima opinione probata in 1.tomo quæst.4. art. 2. dubitatione 12.& 13. de omnimoda Dei simplicitate absque vlla in se ipso distinctione ex natura rei;& propter hoc ibi esse à parte rei non possunt vnum & aliud,inter quos terminos, re ipsa inuicem distinctos, versari necessario debet omnis realis relatio, ac relatiua oppositio : vel tertio inter plures diuinas personas, quarum altera sit producens, altera producta ; & hæc relatio verè in Deo est,sed à nobis naturaliter sciri non potest, quia non est scibilis absque diuinarum personarum pluralitate, ac processione, ad quam naturale atque imperfectum rationis nostræ lumen peruenire non potest.

35. *Secunda conclusio, posita fide, relationes diuinas demonstrantur primo.* S.Thomas.

Secunda conclusio.Naturalis ratio,adiuta aliquo Fidei principio,diuinas relationes demonstrare potest dupliciter. Hæc conclusio esse debet communissima, quia nemo fere est, tam ex antiquis, quàm ex modernis, qui sequentes duas demonstrationes, vel saltem alterutram non afferat ad probandas in Deo reales relationes. Prima sumitur ex articulo Fidei de Trinitate diuinarum personarum in vna numero Deitatis natura ; & hunc in modum clarè & efficaciter proponitur à S. Thoma de potentia quæst.8.art.1. initio Corporis, *Ponit Fides Catholica in Deo tres personas vnius essentiæ,numerus autem omnis aliquam distinctionem consequitur. Vnde oportet, quòd in Deo sit aliqua distinctio, non solum respectu creaturarum, quæ à Deo per essentiam differunt, sed etiam respectu alicuius in diuina essentia subsistentis. Hæc autem distinctio non potest esse secundum aliquid absolutum ; quia quidquid absolutè in diuinis prædicatur, Dei essentiam significat ; vnde sequeretur,quòd personæ diuinæ per essentiam distinguerentur, quod est hæresis Arij. Relinquitur ergo, quòd per sola relatiua, distinctio in diuinis personis attenditur. Hæc autem distinctio non potest esse rationis tantum, & secundum nomina, quod est hæresis Sabelliana. Relinquitur ergo quòd oportet dicere, Relationes in Deo, quasdam res esse.* Itaque posito prædicto Fidei principio, ita naturaliter & certò discurrimus. Tres personæ inter se realiter distinctæ in vna natura, scilicet per tres realiter distinctas personalitates, non possunt realiter distingui per tres reales absolutas. Ergo per tres rationes reales relatiuas. Consequētia est manifesta ex eo quòd ens reale adæquatè diuiditur per esse absolutum & esse relatiuum, hoc est,esse ad se,siue in se,& esse ad aliud. Ergo distinctio realis;quæ necessariò ex aliqua ratione reali oriri debet,si non oritur ex ratione reali absoluta, non potest non oriri ex alia ratione reali relatiua. Antecedens etiam certum est,tum ratione naturali, eadem nimirum,qua demonstramus,plures numero Deitates absolutas implicare : sicut enim quia plures singularitates absolutæ non opponuntur, si illæ in Deo essent,sequeretur, vnamquamque esse limitatam & imperfectam, carentem videlicet perfectione alterius cum qua oppositionem non habet, ac proinde nulla esset singularitas essentialiter diuina, vt fusius arguo in 1.tomo quæst. 11. art.3. n.4. ita sequeretur,nullam personalitatem esse essentialiter diuinam,si plures essent personalitates absolutæ,nullam inuicem oppositionem habentes. Tum etiam ex diuina reuelatione, qua omnes Theologi cum Boëtio supra num. 2. pronuntiant, *sola relatio multiplicat Trinitatem :* & cum Toletano ibidem citato omnes fatemur, *In relatione,personarum numerus cernitur. Hoc solo numerum insinuant, quod adinuicem sunt :* & cum Ioanne Theologo in Concilio Florentino, *sola relatio apud omnes, tam Græcos, quàm Latinos Doctores diuina processione personas multiplicat; ita vt non vlla alia ratione, quàm in relationis, Pater à Filio,ac vna persona ab alia differant.*

Boëtius. Toletanum 11. Ioannes Theologus.

36. *Demonstrantur secundo.* S.Thomas.

Secunda demonstratio sumitur ex alio Fidei articulo de processionibus intra ipsum Deum, eamque habet S.Thomas hic circa finem Corporis & in responsione ad 3.hunc in modum. *Cum aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, & ex necessitate naturæ, necesse est quòd ambo, scilicet procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant; & sic oportet,quòd habeant reales respectus adinuicem. Cum igitur processiones in diuinis sint in identitate naturæ, necesse est, quòd relationes,quæ secundum processiones diuinas accipiuntur, sint relationes reales.* Eodem ferè modo arguit de potentia quæst.8,art.1. fine Corporis his verbis, *Vbicumque est origo alicuius ab aliquo,ibi oportet ponere realem relationem ; vel tantum ex parte eius, quod oritur, quando non accipit eandem naturam, quam habet suum principium.sicut patet in exortu creaturæ à Deo ; vel ex parte vtriusque, quando scilicet oriens attingit ad naturam sui principij,sicut patet in hominum generatione,vbi relatio realis est & in Patre,& in Filio. Verbum autem in diuinis est coëssentiale suo principio. Relinquitur ergo quòd in diuinis sit realis relatio ex parte Verbi,& ex parte proferentis Verbum.* Totus discursus fundatur in hac propositione, Processio, quæ est vnius ab alio, ac proinde duorum entium realiter inuicem distinctorum,si fuerit cum identitate naturæ ex parte vtriusque, non potest esse sine reali relatione mutua in vtroque extremo. Cuius ratio colligitur ex q.7. de potentia art.10. ab initio Corporis, quia scilicet tunc,hoc est,posita prædicta naturæ identitate, *attenditur quoddam bonum & perfectio*, non solum in procedente respectu producentis, quod euidens est, sed etiam in producente respectu procedentis; quia procul dubio, cæteris paribus, perfectior est natura actualiter pluribus communicata,si ea communicatio non implicat, quam si in vno tantum reperiatur. Quæcumque autem res naturaliter ex alia re, seu respectu alterius rei, habet aliquod bonum, quod illi non conuenit ex intrinseco essentiæ suæ conceptu, sed ex alio conceptu superaddito essentiæ,debet ex natura rei habere cum alia re aliquam vnionem seu colligationem ; non compositionis intrinsecæ cum illa,sed referentiæ,seu relationis ad illam extrinsecè. Quæ colligatio, ac relatio, cum non sit intra rei essentiam,sed superaddita essentiæ, non potest esse trranscendentalis, sed esse debet prædicamentalis, siue ad terminum vt purè terminum.

37. *Ratio ob quæ dantur reales relationes creatæ.* Aristoteles.

Hinc duo intelligere breuiter possumus, quæ in materia de Relationibus vberiorem habent explicationem. Alterum,de quo Doctores in scholis nostro tempore maximè digladiantur, vniuersalem ac naturalem rationem,ob quam Aristoteles, S. Thomas, aliique multò plures & grauiores Philosophi, relationes reales prædicamentales introduxerunt, non solum fundatas in actione & passione, quas tantum recentiores hodie admittere volunt, sed etiam fundatas in Quantitate,siue Vnitate ac numero, & in mensura ac mensurato, iuxta doctrinam

Aristot. expressam Philosophi 5. Metaph. 20. esse ex eo quòd vna res, per habitudinem ad aliam rem extrinsecam habet aliquod bonum, ex natura rei, licet non intra essentiam, sed extra essentiam sibi conueniens, cuiuscumque rationis bonum illud sit. Hinc enim rationabilissime postulat natura rei, vt aliam rem, vnde aliquod bonum naturaliter sibi prouenit, aliquo naturali modo respiciat, & quamdam cum ea connaturalem veluti connexionem habeat. Quæ respicientia, non est per relationem omnino intrinsecam & in rei absolutæ essentia inclusam, quam transcendentalem vocamus, sed per relationem aliquo modo extrinsecam, siue superadditam essentiæ rei absolutæ; quia non est fundata in aliquo bono essentiali, sed in alterius generis bono, simpliciter extra conceptum intrinsecum essentiæ. Hoc modo bonum est non solum cuilibet effectui, seu principiato, procedere actualiter à sua causa, seu principio, sed etiam cuilibet causæ creatæ, producere aliquem effectum; quoniam quælibet causa agendo, vel conseruat suum esse specificum, vt causa vniuoca, vel saltem conseruat & auget suam virtutem actiuam, & suam simpliciter perfectionem, vt causa etiam æquiuoca, nam posito effectu, plus potest omnis causa cum illo effectu, quam sine illo; saltem plus perfectionis est in causa simul & effectu, quam sit in sola causa. Item bonum est cuilibet enti creato identificari in aliquo essentiali prædicato cum alio ente, quia essentia creata quò in pluribus actu est, eò perfectius esse habet: sicut etiam bonum est Quantitati, vt detur alia quantitas eiusdem extensionis, vel maioris, vel minoris, à qua mensurari, & dignosci possit: & Qualitati, vt detur alia qualitas eiusdem intensionis, à qua etiam possit & cognosci in suo esse & iuuari in agendo ac resistendo. Denique bonum est cuilibet mensurato, v.g. scientiæ, vt actu mensuretur à sua mensura, v.g. ab obiecto scibili: tametsi ex parte mensuræ, nullum ipsius bonum sit mensurare; quia hoc non fit per aliquid deriuatum à mensura in mensuratum, sed per ipsum esse mensuræ prorsus inuariatum in se, & omnino extrinsecè se habens ad mensuratum: vnde non est magis vel minus perfectum cœlum v.g. quia datur, vel quia non datur de illo physica scientia. His igitur bonis ad mentem S. Thomæ probantur non solum relationes reales prædicamentales fundatæ in actione & passione, sed etiam fundatæ in substantia, Quantitate, & Qualitate, & in mensurato respectu mensuræ, non autem in mensura respectu mensurati, iuxta sententiam Philosophi supra, & omnium bonorum Peripateticorum.

38. *Ex S. Thoma dari relationem in creatura ad creatorem, non contra.*

Alterum, de quo S. Thomas hîc ad 3. & nos etiam supra num. 25. aliquid diximus, dari in creatura relationem realem, etiam prædicamentalem ad Deum creatorem, non autem contra, in Deo ad creaturam, *quia*, inquit S. Thomas, *creaturæ continentur sub ordine diuino*, hoc est subiiciuntur diuinæ omnipotentiæ Creatoris, *& in earum natura est, quòd dependeant à Deo.* Igitur quòd creatura actu pendeat à Deo per actualem creationem, est manifestè aliquod ipsius bonum, non essentiale illi; vnde oritur, & probatur realis relatio, non transcendentalis, sed prædicamentalis. At verò *cum creatura procedat à Deo in diuersitate naturæ Deus est extra ordinem creaturæ*, hoc est, per creaturæ productionem nullum ei bonum aduenit, sicut aduenit creaturæ: *Non enim producit creaturas ex necessitate suæ naturæ: & ideo in Deo non est realis relatio ad creaturas.* Vbi intelligere debemus, fieri vim, non *in diuersitate naturæ*, simpliciter; hæc enim naturæ diuersitas non solum est in Deo respectu creaturarum, sed etiam in creaturis respectu Dei, quæ tamen ad Deum realiter referuntur; & rana v.g. à cœlo producta, habet relationem realem producti ad cœlum, & hoc vicissim relationem realem producentis ad ranam, & tamen cœlum & rana diuersissimis constant naturis: neque in negatione simpliciter necessitatis agendi, nam homo pater realiter refertur ad filium, quem liberè simpliciter producit; & voluntas creata refertur etiam realiter ad suos actus liberè productos. Igitur intelligi debet facta vis in tali naturæ diuersitate, & in tali agendi libertate, secundum quam, vt idem S. Thomas de Potentia verbis relatis supra num. 25. clarius explicauit, *nullum bonum accrescit agenti*: quod non habet locum in creatura agente, sed in solo Deo agente ad extra; de quo in 1. tomo q. 6. art. 2. à num. 3. & autoritatibus & rationibus efficaciter probauimus, quòd Deus simul cum creatura, non sit aliquod bonum, simpliciter maius ac perfectius, quàm sit solus Deus sine creatura. Vbi autem ex natura rei, nullum in vna re habetur bonum ex consortio, seu coëxistentia cum alia distincta re, nulla suppetit probabilis ratio, seu necessitas, vt in illa re sit relatio realis ad aliam: quam ob causam in tertio Relatiuorum genere 5. Metaph. 20. nemo est qui ponat relationem realem mensuræ ad mensuratum, sed solum mensurati ad mensuram.

39. *Per relationem creaturæ dici non posse Deum realiter relatum ad illam, contra Caietanum.*

Dices cum Caietano suprà q. 13. art. 7. §. *Quarto sic*, & deinceps, posse dici, Deum referri realiter ad creaturas, propter realem relationem realiter existentem non in Deo, sed in creatura: *Ita quòd*, inquit Caietanus, *quædam sunt relatiua realia per denominationem, seu prædicationem intrinsecam; quædam vero per denominationem extrinsecam.* Quam sententiam fundare videtur tum in Philosopho 5. Metaph. t. 20. aliquanto ante finem ita docente de obiecto scibili & intelligibili respectu scientiæ, & intellectionis. *Sunt ad aliquid, eò quòd aliud ad illud dicitur*: tum in S. Thoma citato art. 7. post medium Corporis similiter de iisdem asserente, *Non dicuntur relatiuè eò quòd ipsa referantur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa.* Aristotel. S. Thomas.

Probatur ex S. Thoma.

Respondeo, in hoc Caietanum contradicere S. Thomæ libro 2. contra gentes cap. 13. vbi ex instituto probat, *quòd relationes, quibus Deus ad res alias refertur, non sunt res extra Deum existentes.* Et inde ita colligit, *Cum relationes, quibus Deus ad creaturas refertur, non sint in ipso realiter, & tamen dicuntur de Deo, relinquitur quòd ei attribuantur secundum solum intelligentiæ modum, ex eo quòd alia referuntur ad ipsum. Intellectus enim noster, intelligendo aliquid referri ad alterum, eo intelligit relationem illius ad ipsum.* Quibus verbis se & Philosophum explicauit, nimirum per illud, *Eò quòd*, &c. non significari rationem referendi formalem, sed fundamentalem. Vnde Philosophus supra ait, obiectum esse ad aliquid, *eò quòd aliud ad illud dicitur.* Et S. Thomas, *eò quòd alia referuntur ad ipsum.* Ergo obiectum ipsum non dicitur, aut refertur ad aliud, nimirum verè ac realiter, sed tantum per opus intellectus. Vnde idem S. Thomas art 7. citato, concludit circa finem Corporis. *Manifestum est, quòd creaturæ realiter referuntur ad Deum.* Deus verò ad creaturas refertur, inquit, *secundum rationem tantum, in quantum creaturæ referuntur ad ipsum.* Si illud, *in quantum*, significaret, Deum referri ad creaturas, seu denominari relatum ad creaturas, per eam relationem formaliter, per quam creaturæ referuntur ad ipsum, dicendum sanè fuisset, referri realiter, & non *secundum rationem tantum.* Ergo illud, *in quantum*, debet significare fundamentum referendi, non formam. Neque plus verè dicit in responsione ad 4. quamuis paulò obscurius loquatur pro Caietani sententia. Enim verò initio respon

sionis pro vera sententia ita habet, *Relationes significatæ per huiusmodi nomina*, vt Dominus, & Creator, *quæ dicuntur de Deo ex tempore, sunt in Deo secundum rationem tantum.* Ergo Creator non denominatur relatiuè per relationem creaturæ, alioqui Creator significaret relationem secundum rem, & non *secundum rationem tantum. Oppositæ autem relationes sunt in creaturis secundum rem. Nec est inconueniens, quòd à relationibus realiter existentibus in re, Deus denominetur*; nimirum non formaliter, sed fundamentaliter; & ideo limitando, statim sic addit; *tamen secundum quòd cointelliguntur per intellectum nostrum oppositæ relationes in Deo, vt sic Deus dicatur relatiuè ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum; sicut Philosophus dicit in 5. Metaph. quòd scibile dicitur relatiuè, quia scientia refertur ad ipsum.* Sensus est. Deus denominatur Creator à relationibus realibus creaturarum, secundum quòd cointelliguntur per intellectum nostrum in Deo oppositæ relationes rationis, quibus Deus denominatur formaliter creator, & dicitur relatiuè ad creaturam. Ergo per alias relationes creaturarum, non denominatur Deus nisi fundamentaliter. Eamdem fundamenti rationem spectauit Henricus cum dixit Quodlibeto 3. q. 10. fine. *Quòd Deus refertur ad creaturam, non solum secundum dici, quia non propter solam operationem intellectus circa ipsum; sed quodammodo secundum esse, sed per accidens; quia scilicet aliud secundum esse, & per se refertur ad ipsum, sicut contingit in relatione inter scientiam, & scibile.* Henricus.

40. *Cur dari nequeat extrinseca dominatio relatiua, ex S. Thoma.*

Cuius rei ratio vniuersalis est, quia, vt docet & probat S. Thomas citato cap. 13. *Duplex est modus, quo aliquid denominatiuè prædicatur. Primo ab eo quod extra ipsum est, sicut à loco dicitur aliquid esse alicubi, & à tempore, aliquando. Secundo ab eo quod inest, sicut ab albedine, albus. A relatione verò non inuenitur aliquid denominari quasi exterius existente, sed inhærente; non enim denominatur aliquis pater, nisi à paternitate, quæ ei inest. Non igitur potest esse, quòd relationes, quibus Deus ad creaturas refertur, sint res aliquæ extra ipsum.* Cur autem aliquod subiectum denominari extrinsecè possit à formis absolutis existentibus in alio extrinseco, & non à formis relatiuis in alio extrinseco similiter existentibus, probari aliter non potest nisi ex ipso essentiali conceptu denominationis relatiuæ, qua scilicet non significatur simpliciter, subiectum esse terminum quasi passiuum relationis, sicut cum dicimus v. g. Paulum esse visum; sed significatur, subiectum esse ordinatum ad aliud extrinsecum, sicut cum dicimus, Paulum esse patrem, significare volumus, illum habere ordinem & respectum ad filium. Ex hoc autem, quòd denominatio relatiua vt sic, concipitur & significatur per ordinem & habitudinem ad aliud, euidenter sequitur, quòd forma denominans non potest esse illa quæ formaliter est ordo & habitudo ad ipsum denominatum: quia ex ipsis fere terminis notum apparet, quòd forma, quæ essentialiter & formaliter est ordo ad aliud extrinsecum, in quo ipsa non est, non potest modo planè opposito naturæ suæ denominare ordinatum ad ipsummet intrinsecum subiectum suum, in quo ipsa intrinsece est per inhærentiam, vel per identificationem: tunc enim illa, quæ est denominatio intrinseca subiecti ad terminum, v.g. paternitas, quæ est intrinseca denominatio generantis ad genitum, fieret inuerso ordine denominatio termini ad subiectum, nempe geniti ad generantem: ita vt quod ex natura sua respicit vt terminum, denominaret vt subiectum: & quod respicit vt subiectum, denominaret vt terminum; in quo cernitur manifesta repugnantia, contra rationem formalem relatiui, & relatiuæ denominationis. Et potest clarè intelligi exemplo formæ absolutæ, v.g. visionis, quæ quoniam intrinsece respicit parietem, v.g. vt terminum, bene potest illum extrinsece denominare visum, quia esse visum, significat esse terminum visionis. At v.g. relatio creaturæ ad Deum, respicit intrinsece creaturam vt subiectum creatum, & Deum vt terminum creantem; si autem extrinsece denominaret Deum relatum ad creaturam, per huiusmodi denominationem contraria ratione cõpararetur ad Deum vt subiectum, & ad creaturam vt terminum. Confirmatur primo quia si per eamdem relationem creatura referretur ad Creatorem, & Creator ad creaturam, sicut etiam scientia ad scibile, & scibile ad scientiam, vt vult Caietanus, eadem relatio haberet duos oppositos terminos; respiceret enim vt formaliter terminos ad quos, creaturam & creatorem, scientiam & scibile, qui sunt termini relatiuè oppositi: præterquam quòd denominationes creaturæ & Creatoris, scientiæ & scibilis, & vniuersaliter denominationes accipientis & dantis, mensurabilis & mensuræ, dependentis & independentis, sunt diuersissimarum rationum: ergo non possunt ab eadem forma relationis formaliter prouenire. Confirmatur secundo. Si Deus refertur realiter per relationem existentem in creaturis, & scibile per relationem existentem in scientia, ergo similiter Pater v. g. potest referri realiter per relationem existentem in Filio; & vniuersaliter ab altero terminorum tolli posset relatio, & poni in vno tantum extremo; quo pacto Prædicamentum Ad aliquid penè destrueretur. Plura ad eamdem materiam spectantia scripsimus in 1. tomo q. 13. art. 7.

Explicatur exemplo denominationis absolutæ.

DVBITATIO III.

An ex diuinis relationibus demonstrari possint prædicamentales relationes in creaturis.

SVMMA.

1 *Certum est non posse demonstrari vniuersaliter. numero 41.*
2 *Probabilius est ne illas quidem quæ fundantur in actione & passione posse probari efficaciter n. 42. ad finem articuli.*

Connexio.

HOc quoque spectat ad realem diuinarum relationum existentiam persuadendam. Etenim si creatæ relationes ex increatis non probantur, vt mox ostendam, dari oportet naturalem aliquam rationem, quæ creatas probet, eaque consequenter ad diuinas proportionali quodam modo suadendas vti possimus.

41. *Prima conclusio non posse demonstrari omnes. Tria relatiuorum genera ex Aristotele & S. Thoma.*

Prima conclusio. Probatio creatarum relationum ex increatis, esto sit efficax, adhuc tamen minus apta censeri debet, quia non est vniuersalis. Hæc esse debet sententia omnium verè Peripateticorum, & Thomistarum; quia Philosophus, quem S. Thomas locis superius allatis semper clarissimè sequitur, tam in logica in Prædicamento ad aliquid, quam in Metaph. lib. 5. t. 20. de relationibus realibus ex instituto agens, inter reales ac prædicamentales relationes admittit non solum vnum genus fundatum in actione & passione, siue in potentia actiua, ac passiua, verum etiam duo alia genera fundata in quantitate, siue in Vnitate ac multitudine, & in mensura & mensurato. Quo fit vt in bona ac receptissima Philosophia referantur realiter non solum Agens & Patiens, sed etiam duæ substantiæ, duæ quantitates, duæ qualitates. Hoc posito, conclusio

cluſio eſt manifeſta, quia cum omnes relationes diuinæ, ſint relationes proceſſionum actiuarum & paſſiuarum, pertinent ad vnum genus fundatum in actione & paſſione. Ergo huius generis relationes probari ex illis poſſunt, & non aliæ aliorum generum. Ergo huiuſmodi probatio non eſt vniuerſalis; ſicut vere eſſe deberet: quia cum omnes relationes prædicamentales conueniant in vna determinata ratione generica, vnam quoque communem exiſtentiæ ſuæ rationem habeant neceſſe eſt. Neque valeret, ſi quis diceret, Probatis relationibus Agentium & Patientium, probari conſequenter reliquas ex eo, quòd non eſt maior ratio de illis, quam de reliquis. Enim vero hoc negari facile poſſet, cum euidenter appareat, multò maiorem naturæ connexionem eſſe inter duo, quorum alterum ſit agens, alterum patiens, quam inter duas quantitates, aut qualitates, aut ſubſtantias ſimpliciter, quocumque in loco ſint, aut quomodolibet inuicem ſe habeant. Ab aliquo vero naturali duarum rerum connexione pendere quamcumque relationem realem prædicamentalem, expreſsè docet S. Thomas hic, paulo poſt principium Corporis, ita declarans relationes reales, vt diſtinctas à relationibus rationis, *Quæ dicuntur ad aliquid, ſignificant ſecundum propriam rationem ſolum reſpectum ad aliud. Qui quidem reſpectus aliquando eſt in ipſa natura rerum, vt potè quando aliqua res ſecundum ſuam naturam adinuicem ordinatæ ſunt, & inuicem inclinationem habent; & huiuſmodi relationes oportet eſſe reales; ſicut in corpore graui eſt inclinatio & ordo ad locum medium, vnde reſpectus quidam eſt in ipſo graui, reſpectu loci medij: & ſimiliter eſt de aliis huiuſmodi.* Per inclinationem & ordinem, *vnde reſpectus quidam eſt in ipſo graui*, non poteſt intelligere S. Thomas ipſum formalem reſpectum, quoniam hunc docet eſſe ex illo; ſed intelligit præcedentem alium ac fundamentalem ordinem, qui conſiſtit in aliqua perfectione, ſeu bonitate, quam vna res habet ex coniunctione cum alia; vt ex S. Thoma, Auerroë, ac Syluestro probaui in 1. tomo quæſt. 12. art. 8. num. 68. & fuſius, atque vniuerſalius explicaui in hoc art. num. 36. & 37.

Vnde pendeat relatio prædicamentalis ex S. Thoma.

42. *Secunda concluſio nullam poſſe demonſtrari.*

Secunda concluſio. Probatio creatarum relationum prædicamentalium, etiam earum particularium quæ fundantur in actione & paſſione, non videtur ſimpliciter efficax ex increatis. Huius controuerſiæ nullum, quod ſciam, apud veteres Theologos ac Philoſophos veſtigium extat, eam vero recentiores mouerunt, ſubtilius indagantes rationem aliquam, ex qua efficaciter probetur, prædicamentum realium relationum, quod maiores noſtri, primi Philoſophiæ parentes, præter reliqua omnia entium abſolutorum Prædicamenta conſtituerunt, non ſine neceſſitate fuiſſe multiplicatum. Cuius rationis inquiſitio noſtro tempore in Logicorum ſcholis maximè viget. Et quoniam difficile ſanè eſt, conuincentem aliquam rationem afferre, ex natura rei ductam, hinc nonnulli Prædicamentum ad aliquid magna ex parte peſſum dedere, vix retinentes relationes in actione & paſſione fundatas, quas tantum iuxta primam concluſionem ex ſimilibus relationibus diuinis efficaciter probari putarunt. Si enim, inquiunt nonnulli, quos ſequutus eſt noſter Albertinus tomo 2. pagina 372. num. 35. ex fide conſtat, has eſſe reales, & ſubſtantiales; ergo non repugnabit, in creaturis etiam dari relationes reales accidentales. Relatio enim vt ſic, dicit eſſe ad aliud, ergo ſi in diuinis coniungitur cum ſubſtantia, quæ eſt ens in ſe, multò magis coniungi poterit in creaturis cum accidente, quod eſt ens in alio. Et ſicut de facto Deus Pater habet reale eſſe reſpectiuum ad Deum Filium, quia generat; ita pariter in humanis, v.g. in Petro generante Paulum, præter eſſe abſolutum, concedi de facto debet eſſe reſpectiuum reale ad Paulum.

Albertinus.

Duo motiua contrariæ ſententiæ.

43. *Refelluntur cum Suarez prædicta motiua.*

Hic autem diſcurſus pluribus, & doctioribus meritò non probatur, inter quos eſt Suarez in Metaphyſica d. 47. ſect. 1. num. 13. contra igitur arguo, Primò quia eſto ex priori parte diſcurſus quem facit Albertinus ſupra num. 37. rectè probetur, non repugnare realem exiſtentiam creatarum relationum, tamen vniuerſaliter nulla eſt illa conſequentia, Hoc non implicat, ergo de facto datur: quia poteſt nulla eſſe naturalis ratio, ſeu neceſſitas, vt actu detur, quod actu dari poſſibile eſt. Nos autem probare contendimus, non poſſibilitatem, ſed actualitatem prædicamentalium relationum, & inquirimus, an ex eo quòd actu dentur inter perſonas diuinas producentes & procedentes, ſequatur quòd actu dentur inter producentes & procedentes creaturas: quod eſt inquirere, An quæ ratio probat actu dari in diuinis, probet ſimiliter, actu dari in creaturis. Quapropter arguo ſecundo contra poſteriorem partem diſcurſus, quæ videtur hoc ſecundum oſtendere, ſed ſi magis explicetur, illud verè non oſtendit.

Aureolus.

44. Quando igitur ita diſcurris, *Pater æternus refertur, quia generat*, termini vel ſumuntur vniuerſaliter ſub analogico conceptu generandi & referendi, communi ad generationem, & relationem, tam increatam, quàm creatam; vel particulariter ſub proprio conceptu diuinæ generationis ac relationis. Si primum, iam totus diſcurſus fundatur in hac vniuerſaliſſima propoſitione, *Omne generans, quia generat, refertur ad genitum*: ſi enim quis negaret, Patrem æternum referri ſimpliciter, quia generat ſimpliciter, qui eſt primus ſenſus analogicè communis, quẽ nũc impugnamus, ſed diceret, referri tali particulari modo, ſcilicet relatione formaliter cõſtitutiua perſonę Patris, & diſtinctiua à perſona Filij, quia generat tali particulari modo, ſcilicet cõmunicando eãdem numero naturam omnino infinitam, ac proinde identificantem eſſentialiter ſibi omnia, cum quibus oppoſitionem non habet, & ideo in generante & genito poſtulantem perſonalitates formaliter & purè relatiuas, per quas ſolas poſſunt in ſe ipſis conſtitui, & inter ſe ipſas realiter opponi, ac diſtingui, non poſſet profecto aliter refelli, niſi ſumendo prædictam vniuerſaliſſimam propoſitionem, *Omne ſimpliciter generans, ex eo ſolum quod ſimpliciter generet, refertur realiter ad genitum*, hæc autem propoſitio à multis negatur, qui negant relationes, formaliter ſuperaddiras abſolutis rebus generantibus, & genitis; vt ab Aureolo 1. d. 30. parte 1. art. 2. præſertim propoſitione 2. impugnante in particulari relationes producentis & producti; & de Ochamo, Gregorio, Gabriele diximus ſupra num. 1. 8. & 25. nec poteſt probari, niſi naturali ratione, vt probat hic S. Thomas ex eo quòd *aliqua res ſecundum ſuam naturam adinuicem ordinatæ ſunt, & inuicem inclinationem habent*; & clarius q. 7. de Potentia art. 10. quam rationem explicaui ſupra num. 36. 37. & 41. & denique eſto ſumatur tamquã per ſe certa abſque vlla alia probatione, tunc relationes creatæ ex tali propoſitione demonſtratæ, non probarentur ex relationibus diuinis, vt contendunt aduerſarij; ſed ex alia veritate, præſcindente à relationibus creatis, & increatis, tam probarentur relationes creatæ, quàm increatæ. Si dicatur ſecundùm, quòd Deus Pater refertur tali modo, quia tali modo generat, hinc nihil omnino colligi poterit de creaturis, quæ referuntur & generant modo diuerſiſſimo ab eo, quo referuntur & generant increatæ perſonæ. Præterquam quòd, vt rectè adnotauit Suarez ſupra, *Paternitas*

S. Thomas.

Suarez.

nitas diuina non eſt reſultans, neque conſequens generationem, ſed potius conſtituit perſonam, quæ eſt generationis principium.

45. *Inſtantia ducta ex relatione ſpirationis actiuæ.*

Inſtant aduerſarij ex dicendis infra de quarta diuina relatione ſpirationis actiuæ in Patre & Filio ad Spiritum ſanctum præter tres relationes conſtitutiuas, & diſtinctiuas trium diuinarum perſonarum. Hæc igitur quarta relatio datur in Patre & Filio, non vt aliquam perſonam conſtituat, aut diſtinguat, ſed ſolum vt ſimpliciter ac purè referat Patrem & Filium ad Spiritum ſanctum, idque nullam aliam ob cauſam, niſi quia Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum. ergo à pari inter duas humanas perſonas, quarum vna aliam producit, dari debet mutua relatio, quæ non conſtituat, aut diſtinguat perſonas, ſed tantum referat, ex eo quòd vna producta ſit ab alia.

Arguitur cõtra inſtantiam.

Reſpondeo, hoc quidem videri minus improbabile, vere tamen, ſi profundus penetretur, non eſſe ſatis firmum. Primò quia, vt ſuo loco dicetur, multi ſunt, qui dari nolunt quartam relationem, vt ſimpliciter referat, ſed vel vt concurrens ad perſonalem conſtitutionem Patris & Filij; vel vt conſtituat eorum vnum adæquatum principium ſpiratiuum, & productiuum Spiritus ſancti, aut tamquam formalis potentia ſpiratiua, aut tamquam huius potentiæ formale complementum, ſeu connotatum; quas relationum rationes certum eſt non reperiri in humanis. Secundò eſto omnes iſtæ rationes minus probabiles ſint, ſaltem tenemur omnes fateri, Relationem ſpirationis actiuæ in Patre & Filio dari, non vt aliquid conſtituat, aut diſtinguat, nec vt ſimpliciter referat ad terminum productum, ſeu ſpiratum; ſed ſolum vt referat ad correlationem ſpirationis paſſiuæ, formaliter conſtitutiuam & diſtinctiuam perſonæ Spiritus ſancti; ita vt ſi perſonalitas Spiritus ſancti non eſſet pura relatio, impoſſibilis planè eſſet in Patre & Filio relatio ſpirationis actiuæ ad Spiritum ſanctum: tunc enim Spiritus ſanctus per ſuam proceſſionẽ nõ reciperet diuinam naturam, quæ ex ſua perfectiſſima infinitate non poteſt perſonari, & diſtingui realiter à reliquis diuinis perſonis per conceptum aliquem abſolutum, ſed purè reſpectiuum: ſi autem Spiritus ſanctus à Patre & Filio produceretur, & non eſſet Deus, vtique eſſet creatura, quæ refertur quidem realiter ad Deum, ſed in Deo correſpondentem relationem realem non habet. ergo Pater & Filius referuntur ad Spiritum ſanctum, non quia eſt res ſimpliciter ab ipſis producta, ſed quia eſt res producta conſubſtantialis in eadem numero natura Deitatis. Quare ſpirationis actiuæ relatio dici ſimpliciter debet pertinens ad relationem perſonalem: quia etſi ipſa non ſit formaliter relatio perſonalis, tamen eſt relatio eſſentialiter referens ad correlationem perſonalem, eamque eſſentialiter terminans. Ex hac igitur referendi ratione, quæ eſt propriiſſima diuinæ relationis ſpirationis actiuæ, fundata eſſentialiter in omnimoda naturæ identitate inter perſonam producentem & perſonam procedentem, quæ propterea reperiri non poteſt in creaturis, manifeſtum eſt non poſſe conuenienter probari creatas relationes ex increatis, ne ex illa quidem quæ non eſt formaliter inſtitutiua ac diſtinctiua perſonæ, nec vllo modo pertinens ad principium productiuum.

Cur detur in Patre & Filio relatio ſpirationis actiuæ.

46. *Alia concluſionis ratio.*

Tertiò, viſa mihi ſemper eſt prudentiſſima illa ratio, ex eo quòd Plato, Ariſtoteles, aliique gentiles Philoſophi præclariſſimi Philoſophiæ, & omnium Philoſophorum Magiſtri non ſine aliqua probabiliſſima ratione realium relationum Prædicamentalium, diſtinctum à reliquis omnibus rerum abſolutarum Prædicamentis conſtituerunt: quam rationem non potuerunt deſumere ex incomprehenſibili Trinitatis myſterio, quod aut omnino ignorabant, aut non credebant. Et ſanè Chriſtiani Philoſophi promptiores eſſe debent ex rebus naturalibus, quoad eius fieri poteſt, myſterium Fidei, quam ex his naturales veritates comprobare, præſertim cum myſteria, vt eſt in caſu noſtro, omnem creatæ intelligentiæ captum longiſſimè ſuperant: ſic enim res fidei fiunt credibiliores, & facilius ab hæreticorum, aliorumque infidelium impugnationibus defenduntur. Præſtat igitur in indagandis naturalibus rationibus, ad creatas relationes introducendas inſudare, ex quibus deinde increatas perſuademus, quam ex his creatas aſtruere. Quamobrem nullus ex grauioribus Theologis, quem ſciam, creatas relationes ex increatis vmquam probauit: ſicut S. Thomas; vt alios breuitatis cauſa nunc omittam, de Potentia quæſt. 7. art. 9. ex inſtituto probans, *eſſe non poſſe, quod relatio non ſit in rebus extra animam*, nihil prorſus affert ex diuinis relationibus, ſed ſolum ex eo quòd, *ſi relatio non eſſet in rebus extra animam, non poneretur ad aliquid, vnum genus Prædicamenti*; & præterea ex *perfectione & bono*, quod plura ex natura rei inuicem habent, vt explicaui ſupra, num. 36. & 37. & quidem nihil facilius erat ſancto Thomæ, aliiſque ſummis Theologis, relationes prædicamentales in diuinis probare, ſi eam viam firmam eſſe putaſſent. Vide Aureolus qui 1. d. 30. omnes planè creatas relationes de medio tollit, tamen in 1. d. 26. diuinas relationes admittit. Nec Capreolus 1. d. 30. quæſt. 1. art. 1. latè diſputans contra primum dictum Aureoli, vnquam illi obiicit, quod ſecundum dictum non cohæret primo; nec ipſum, aut Ochamum primo Aureoli dicto conſentientem, quem ibi etiam multis impugnat, ex diuinis relationibus aliquando redarguit.

Quo modo S. Thomas probet creatas relationes.

Aureolus.

Capreolus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm relatio in Deo ſit idem quod ſua eſſentia.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Doctrina articuli tribus concluſionibus explicatur, num. 1. ad 4.*
2. *An inter Dei relationem & eſſentiam ſit aliqua actualis diſtinctio à parte rei, n. 4. ad 30.*
3. *An, & quo modo ratione diſtinguantur in Deo relatio, & eſſentia, n. 30. ad 58.*
4. *An relatio ſit de eſſentia Deitatis, n. 58. ad 90.*
5. *An Deitas ſit de eſſentia relationis, num. 90 ad 119.*
6. *An relatio diuina ſecundùm ſuum proprium conceptum dicat perfectionem, n. 119. ad 163.*
7. *Quomodo in rebus creatis relatio prædicamentalis diſtinguatur à fundamento, n. 163. ad finem art.*

1. *Articuli concluſio prima.*

RES concluſiones ex textu colligũntur. Prima, *Relatio realiter exiſtens in Deo*, hoc eſt, conſiderata per ordinem ad diuinam eſſentiam, in qua eſt, non per ordinem ad oppoſitum terminum, ad quem refert, *eſt idem omnino eſſentiæ ſecundum rem.* Illud, *ſecundum rem*, limitat illud, *omnino*, eſſe intelligendum de omnimoda identitate ſecundum rem, ſiue ex natura rei, vel illa dicatur realis, vel formalis, vel modalis, vt explicaui in primo tomo q. 4. art. 2. num. 89. non de omnimoda identitate ſimpliciter, etiam ſecundum conceptibilitatem; quaſi velit, relationem adeò identificari eſſentiæ, vt ſit de

de quidditatiuo atque intrinseco essentiæ conceptu, ita vt ne concipi quidem cum fundamento in re possit essentia, quin in ea intrinsecè inclusa concipiatur relatio; quod infra dubitatione 3. cum communissima opinione negabimus. Hanc conclusionem S. Thomas non tam probat, quam explicat hunc in modum. *Sicut relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto*, nimirum per inhærentiam; *ita relatio realiter existens in Deo habet esse substantiale essentiæ diuinæ, idem omninò ei existens*, quia, inquit, *quicquid est in Deo est eius essentia*, & per se formaliter consideratum, & non solum identicè, est substantia, vt authoritatibus & rationibus demonstraui in primo tomo quæst. 3. art. 6. num. 3. 4. & 5.

2. *Conclusio secunda.* Secunda conclusio. Per diuinam relationem, secundum propriam rationem relationis, siue, *in hoc, quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum.* Hoc satis constat ex dictis art. 1. ferè per totum. & breuiter ratio est, quia prædicatum diuinum relativum, hoc habet proprij, quo differt à reliquis omnibus prædicatis diuinis absolutis, vt sit realis habitudo ad terminum distinctum oppositum; reliqua verò sunt solum reales quædam rationes essentiæ: vnde factum est, vt illud significatum sit nomine importante expressam habitudinem ad oppositum, non autem ad essentiam; vt nomine paternitatis significatur explicitè habitudo ad Filium; & nomine filiationis, habitudo ad Patrem: nomine autem sapientiæ, voluntatis, & similium, significatur habitudo ad essentiam & naturam ipsam Dei sapientis, volentis, &c. & ideo teste S. Thoma de Potentia quæst. 8. art. 2. ante medium Corporis, *dicit Philosophus* 5. *Metaph. quòd scientia, in quantum est relatio, non est* S. Thomas. *scientia, sed scibilis. Ad aliquid enim*, inquit S. Thomas, *non significatur vt aliquid eius in quo est, sed vt ad id, quod extra est.*

3. *Conclusio tertia.* Tertia conclusio. Diuina relatio ab essentia *non differt, nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ.* Quæ omnia, aliaque ad eamdem materiam pertinentia, diligentiori examine indigent in sequentibus dubitationibus.

DVBITATIO I.

An inter Dei relationem & essentiam sit aliqua actualis distinctio à parte rei.

SVMMA.

1. *Conclusio negatiua contra Gilbertum Porretanum, num. 4. & 5.*
2. *Quid sentiant Durandus, Scotus, & Nominales, num. 6. ad 10.*
3. *Probatur conclusio auctoritate Ecclesiæ, num. 10. ad 13.*
4. *Probatur conclusio auctoritate Patrum, num. 13. & 14.*
5. *Probatur conclusio ex diuina simplicitate, num. 15. ad 26.*
6. *Probatur eadem conclusio aliis rationibus, num. 26. ad 30.*

4. *Conclusio negatiua Magistri.* S. Thomæ. Alensis. Alberti. Bonauenturæ. COnclusio negatiua Magistri 1. d. 33. & 34. per totam, & omnium fere Scholasticorum ibidem. S. Thomæ quæst. 1. art. 1. & de Potentia q. 8. art. 2. & in hoc articulo. Alensis 1. 1. quæst. 68. membro 5. art. 6. §. 3. Alberti art. 3. & 5. & 1. 1. Summæ tractatu 9. quæst. 39. membro 2. art. 1. particula 2. & art. 2. Bonauenturæ 1. d. 7. quæst. 3. obiter initio Corporis & latè d. 33. art. 1. quæst. 1. & 2. & d. 34. art. 1. quæst. 1. & 2. Ægidius d. 33. part. 1. q. 2. 3. & 4. & d. 34. part. 1. quæst. 1. 2. & 3. Henrici Quodlibeto 5. quæst. 6. Riccardi d. 33. art. 2. quæst. 1. & d. 34. art. 1. quæst. 1. & 2. Aureoli d. 33 quæst. vnica. & posteriorum ferè omnium, contra Gilbertum Porretanum, Pictauiensem Episcopum, quem omnes referunt dixisse, Relationes in diuinis non esse interius insistentes, siue infixas, sed exterius assistentes, siue affixas. Quibus verbis vel significare voluit, vel saltem significare visus est aliquam distinctionem actualem in re inter relationem & essentiam Dei. Quod secundum addo propter S. Thomam, qui hìc Porretani dictum pie accipit in bono sensu; cum enim distinguat relationem primo modo secundum esse *Ad*, & secundo modo secundum esse *In*, vt supra art. 1. num. 7. subdit, *sed Gilbertus Porretanus consideravit relationem primo modo tantum.* quo modo ipsemet S. Thomas paulò antè dicit, *Si consideremus, etiam in rebus creatis, relationes secundum id quòd relationes sunt, sic inueniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ, quasi significantes respectum, quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum*: quia, vt idem prius docuerat, *Ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra.* Ergo considerata tantum ista propria ratione, quam solam relationum nomina explicitè significant, & non propter distinctionem prædictam asserere potuit Gilbertus, vt refert S. Thomas initio Corporis, *Quòd relationes in diuinis sunt assistentes, siue extrinsecus affixæ.* & eamdem excusationem habet 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. initio Corporis, sicut etiam Alensis supra, nam relata ex Bernardo sententia Gilberti, eiusque damnatione in Rhemensi Concilio, ait, *Non est probabile tam peritos viros hæresim sensisse, licet verba eorum viderentur aliquibus hæresim sonare. Nec fuit inter eos contradictio secundum rem, vel ad intellectum.* Et statim, licet paulò obscurius, eodem modo exponit illum loquutum de relationibus secundum esse *Ad*, non secundum esse *In*; afferens etiam dicta Boëtij. vt supra art. 1. num. 10.

Ægidij. Henricj. Riccardi. Aureoli. *Quid senserit Gilbertus Porretanus.* S. Thomas. Alensis.

5. Albertus. Sed hanc Alensis excusationem ratione satis apparente reiicit Albertus 1. d. 33. art. 5. post medium dicens, *Quidam modernorum dicunt, tam peritum virum non errasse. Sed quia hæresis hæc ab ore authoris sui in Concilio Rhemensi damnata est, ideo contra obijcitur*, &c. Præterea Magister, Porretani temporibus multò propinquior, cum eius sententiam narrasset, eam litera E. vocat *doctrinam nouam, & humanum commentum.* & litera F. de eadem opinione ait, *Hæreticorum improbitas instinctu diabolica fraudulentia excitata, nondum quieuit.* Et à Bonauentura d. 33. quæst. 1. aliquanto post principium Corporis vocatur quidem *positio rationabilis aliquo modo, tamen*, inquit, *stare non potest, quia ponebat relationes in diuinis nec Deum esse, nec creaturam. Vnde etiam in principio sui, modicum continet errorem, tamen ducebat ad magnum, & ideo retractata fuit in Concilio Rhemensi; & Magister Gilbertus Porretanus ore proprio retractauit*: vt testatur Bernardus sermone 80. in Cantica, circa finem non agens de hoc errore in particulari, sed de aliis similibus, & in generali ita referens, *Nuper in Concilio quod Papa Eugenius Rhemis celebrauit, Gilbertus Episcopus Pictauiensis, sententia Episcoporum humiliter acquiescens, tam hæc, quam cætera digna reprehensione inuenta, proprio ore damnauit.* Aureolus quoque supra, art. 1. §. 3. eamdem Gilberti sententiam absolutè vocat *errorem*, & in fine ait, *Tales viæ nullatenus sunt sectandæ.* Quamobrem hanc conclusionem, tamquâ aliquod Fidei dogma ponit Magnus Albertus loco citato summæ, initio ita scribens, *Dicendū est, quòd*

Bonauentura. Bernardus. Aureolus. Albertus.

S. Thomas. *quòd proprietas in personis secundum Catholicam fidem & est persona, & essentia diuina.* Idem significat S. Thomas 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. initio Corporis, *Dicendum, quòd simpliciter confitendum est, proprietates esse diuinam essentiam.* Demùm argumenta, quibus Gilbertum motum refert Magister d. 33. litera D. nimis clarè ostendunt, ipsum verè negasse identitatem diuinarum relationum cum essentia, sic enim arguebat primo. *Si proprietates sunt personæ, non eis personæ determinantur.* quia scilicet nullus determinatur à se ipso. Secundo. *Si proprietates ipsæ diuina essentia sunt, cum essentia non differant tres personæ, nec proprietatibus differunt.* Tertio in litera F. *Si paternitas & filiatio in diuina essentia sunt*, nimirum per omnimodam identitatem ex natura rei; *eadem ergo res sibi Pater est & Filius: nam in quo paternitas est, Pater est; & in quo filiatio est, Filius est. Si ergo vna eademque res habet in se paternitatem & filiationem, ipsa generat & generatur; quod dicentes, in Sabellianam hæresim pertrahuntur, extendentes Patrem in Filium, cum ipsum sibi Filium proponant & Patrem.* Gilbertus igitur inter relationes & essentiam verè posuit actualem distinctionem ex natura rei, non quidem maximam, quam vocamus rei à re, sed minorem, vel formalem, vel potius modalem: quia, teste Alberto p. p. summæ quæst. 39. membro 1. art. 1. particula 2. aliquanto ante finem *dixit, quòd proprietas nec essentia est, nec persona, nec est propriè res, sed ratio ex comparatione rei ad rem sumpta.*

Argumenta Gilberti apud Magistrum.

Albertus.

Quid senserint Durandus, Scotus, & Nominales.

6. *De Durando.* Cum Gilberto ex Scholasticis sentire planè videtur Durandus 1. d. 33. quæst. 1. latissimè probans, *Relationem & essentiam in diuinis differre non purè & præcisè secundum rationem, nec realiter simpliciter & absolutè, sed realiter aliquo modo, & secundum quid, & ex natura rei, excluso omni actu rationis; siue dicantur differre vt res & modus habendi rem, siue formaliter*; alioquin, inquit in fine quæstionis, *qui negant hoc, videntur clarè incidere in hæresim Sabellianam; quia impossibile est saluare, quòd paternitas & filiatio differant realiter inter se, & non differant ab essentia ex natura rei, & sic realiter; in hoc quòd essentia est formaliter in qualibet persona, per quam qualibet est Deus formaliter; & paternitas, vel filiatio eius est in qualibet persona formaliter, alioquin qualibet persona esset formaliter Pater & Filius, & sic periret distinctio personarū sicut posuit Sabellius.* Hæc est summa sententiæ & motiui Durandi, collecta breuiter & fideliter ex ipsis verbis, quæ sparsa habet in tota illa quæstione. Idem breuius tetigerat supra, d. 5. quæst. 1. num. 6. & 8. dicens vniuersaliter, *Esse impossibile, quando aliqua sunt penitus idem re, quòd vnum realiter differat ab aliquo, à quo non differt realiter alterum; & quòd aliquod prædicatum realiter dicatur de vno, quod non dicatur de alio. Si enim*, inquit, *illa quæ sunt vnum & idem in tertio, sunt necessario vnum & idem inter se, illo modo; fortiori ratione quæ sunt omni modo vnum & idem generaliter inter se, sunt omni modo vnum & idem respectu cuiuscumque tertij, siue quoad conuenientiam, & affirmando, siue quoad differentiam, & negando.* Vnde in particulari contendit, ex eo quòd persona generat, necessariò sequi, essentiam generare, *si persona & essentia nullo modo realiter differunt, seu ex natura rei, sed solum secundum rationem.* & rursus tangit infra, d. 34. quæst. 2. dicens, *Essentia & relatio differunt ex natura rei, quia non sunt idem adæquatè & conuertibiliter; vel quia differunt sicut res, & modus habendi rem; vel quia licet sint idem identicè, non sunt tamen idem formaliter: & talis differentia cum sit ex natura rei, circumscripto omni actu rationis, est aliquo modo realiter, licet non sit simpliciter & absolutè, sed cum determinatione alicuius prædicatorum modorum.* & idem in 3. d. 1. quæst. 2. num. 14. vbi ex eo, *quòd natura assumpta, sit vnum personaliter cum Filio, & non cum Patre, & Spiritu sancto*, infert quod differt ex natura rei proprietas relatiua Filij ab essentia communi.

De Durando.

In eamdem sententiam solet communiter referri Scotus. Verum enim vero non loquitur ita clare ac determinatè, vt illustrissima eius schola subtilissimum Doctorem, de vniuersa Theologia optimè meritum, ab huiusmodi opinione liberare nequeat. Etenim 1. d. 2. quæst. 7. longè post medium in §. *Sed hic restat*, vbi de hac distinctione inter diuinam essentiam & relationem ex instituto tractat, ait quidem, *quòd ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus, creati, & increati*: tamen addit, se id dicere, *sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris.* Quod non assertiuè dicitur, dubitatiuè tantum, & non ex propria ac determinata sententia dicitur. Deinde post multa, quibus probat illud dictum suum sine assertione, inquirit, *Qualis sit ista differentia, quæ ponitur præcedere omnem actum intellectus*: & primo ait, *quòd est minima in suo ordine, id est, inter omnes, quæ præcedunt intellectionem.* Postea vlterius petit, *sed numquid hæc distinctio dicetur realis?* & ait secundo, *Respondeo, non est propriè realis actualis, propter simplicitatem diuinam. Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam; non quòd ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed vt ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quòd quidditas est obiectum intellectus. Vel alio modo potest vocari differentia virtualis; quia illud quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rem. Sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter, quasi duas realitates: quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati ac si ipsa esset res distincta: ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista, esset vna res, & illa alia.* Eodem planè modo hanc suam distinctionem explicat Scotus, quo nos in primo tomo quæst. 4. art. 2. dubitatione 14. explicauimus cum communissima opinione distinctionem rationis ratiocinatæ, seu potius fundamentum eius distinctionis inter essentiam diuinam, & attributa. Clarissimè etiam significat, essentiam & relationem in Deo distingui ante opus intellectus, in hoc solo sensu, quem nos etiam cum opinione valde communi, infra dubitatione 3. & 4. probabimus, vt de ratione quidditatiua essentiæ non sit relatio, nec contra, de ratione quidditatiua relationis sit essentia.

7. De Scoto.

8. Hunc sensum apertissimè exprimit etiam aliis verbis sequentibus, quibus ait, se nullam aliam ponere distinctionem nisi oppositam identitati formali, quam sic explicat, *Voco identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui est sic idem, in ratione sua formali, & per consequens, per se primo modo. In proposito autem essentia non includit in ratione sua formali proprietatem suppositi, nec è conuerso; & ideo potest concedi, quòd ante omnem actum intellectus est realitas essentiæ, quæ est communicabilis, & realitas suppositi, qua suppositum est incommunicabile; & ante actum intellectus, hæc realitas formaliter non est illa, vel non est eadem formaliter illi.* Concedit distinctionem, ante intellectum inter essentiam & relationem ea solum ratione, quia altera alteram *non includit in ratione sua formali.* Hæc autem negatio inclusionis essentialis, non est propria ea, quam vulgo vocamus distinctionem, quæ est alia negatio longè diuersa, vt cum Suarez explico & probo in 1.

Differunt negatio inclusionis essentialis & distinctio.

tomo quæst. 4. art. 2. num. 32. tractans simillimam difficultatem de distinctione inter essentiã & attributa. Propriè enim distinctio ex natura rei, est negatio identitatis entitatiuæ in re ipsa, inter duo, quæ in rerum natura realiter ita existunt, vt non sint hæc entitas & illa entitas, sed vna eademque entitas, in qua ob sui perfectionem æquiualentem pluribus, concipere potest intellectus plures rationes formales, quæ verè sunt à parte rei, licet identificatæ, sed ita se habent ex intrinseca earum natura, vt cum concipitur illa res secundum vnam rationem, in illa ratione sic concepta non includatur alia ratio. Vnde ipsemet Scotus statim post verba immediate citata, cum concessisset, essentiam in ratione sua formali non includere relationem, quærit. *Numquid igitur debet concedi aliqua distinctio?* & sapientissimè respondet, indicans, istam negationem inclusionis essentialis, seu formalis, non esse distinctionem oppositam simplicitati, siue vnitati, & identitati ex natura rei. *Respondeo*, inquit, *melius est vti ista negatiua, Hoc non est formaliter idem, quam, Hoc est sic, & sic distinctum. Et non oportet sequi, A & B non sunt idem formaliter, ergo sunt formaliter distincta.* & sanè inter Theologos & Philosophos nemo est, qui non aliquando teneat, duo à parte rei non distingui, quorum tamen alterum in alterius essentia à parte rei non includitur. v. g. quis est qui non teneat in creaturis, non distingui vel essentiam ab existentia, vel actionem à passione, vel relationem à fundamento, vel vnum gradum Metaphysicum ab alio, vel potentias ab anima, vel figuram à quantitate, vel vnam partem ab alia in continuo, vel tempus à motu, vel quidpiam aliud simile? & nihilominus certum apud omnes est, quòd ex his à parte rei inter se indistinctis, alterum à parte rei non includitur in alterius essentia, seu formali ratione. ergo certum pariter apud omnes esse debet, quod identitatis negatio, quam distinctionem vocamus, non est illa, quam in primo tomo vocaui negationem inclusionis, & postea animaduerti ita etiam vocari à Scoto verbis citatis. ex quibus confirmatur eadem expositio, quam ibidem quæst. 4. art. 2. n. 92. affero in simillima controuersia, in qua Scotus similem distinctionem ante intellectum ponere videtur inter essentiam & attributa. Neque enim verisimile est, illum posuisse maiorem distinctionem inter absolutum & absolutum, quæ sunt eiusdem generis, quam inter absolutum & relatiuum, quæ sunt diuersi generis, & propterea Ochamus 1. d. 2. quæst. 1. littera F. & G. inter essentiam & relationes posuit distinctionem formalem ex natura rei, non autem inter essentiam, & attributa. Scotum in hoc bono sensu accipiunt Rubionensis 1. d. 8. quæst. 3. art. 2. propè finem: &, vt testatur Ariminensis ibidem quæst. 1. art. 1. litera F. *aliqui sequaces eius*, præterea Palacius 1. d. 33. disput. 1. col. 3. & 5. Suarez libro 4. de Trinitate c. 4. num. 2. & 5. & alij. Quamuis repugnent Ariminensis supra, Vasquez hîc disput. 116. num. 10. Et ipsimet Scotistæ, vt inter alios ex recentioribus doctissimus Rada controuersia 4. conclusione 3. Illi enim per distinctionem formalem actualem ex natura rei, nolunt plus quam prædictam negationem inclusionis essentialis, quam S. Thomas non negat, vt inferius ostendam, & manifestum est ex Scotistarum argumentis quibus distinctionem probant.

Rubionensis. Ariminensis. Palacius. Suarez. Vasquez. Rada.

9. *Quid sentiant Ochamus, Gabriel, Marsilius.*

Neque etiam cum Durando sentire videntur Ochamus 1. d. 2. quæst. 1. litera F. & G. & d. 30. q. 4. circa principium, vbi etiam Gabriel, & Marsilius quæst. 6. art. 2. conclusione 4. quamuis dicant, relationem & essentiam distingui formaliter, & non ratione. Nam, vt explicat Gabriel d. 2. quæst. 1. art. 1. notabili 3. apud ipsos *Distinctio formalis est quando termini de se inuicem prædicantur, & tamen non quidquid prædicatur de vno, prædicatur de altero. Sic*, inquit, *distinguitur essentia & relatio siue essentia & personalitas: nam essentia est paternitas siue Pater, & filiatio, vel Filius est essentia: & tamen Filius non est Pater, neque filiatio est paternitas.* Si talis est hæc distinctio, quam formalem vocant, vt ea non obstante, adhuc verè à parte rei essentia sit relatio, & relatio sit essentia, quod Ochamus etiam expressè concedit littera G. & Marsilius supra bene dicit esse propositiones fidei, certè illa non potest esse actualis à parte rei, hoc est, duorum inter se actualiter in re distinctorum, tũc enim vnum non esset verè alterum; ergo est solum illa distinctio quam ipsemet Scotus supra, & alij communiter vocant virtualem, seu fundamentalem, quæ, vt ego noto in tomo 1. quæst. 4. art. 2. num. 113. circa finem est potius fundamentum distinctionis, quàm formaliter distinctio. Clarius deinde addit Gabriel notabili 4. non longè à principio. *Vbicumque aliqua distinguuntur realiter, non essentialiter*, quod paulo post ait esse proprium diuinarum personarum inter se, *id est dare aliquod vnum, quod est idem cum quolibet sic distinctorum; & per consequens, formaliter à quolibet illorum distinguitur.* Et statim exemplificat de essentia diuina, quæ est idem cum Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui inter se distinguuntur realiter. Ponit igitur distinctionem formalem cum omnimoda identitate in re, inter duos terminos qui sunt, inquit, *eandem rem significantes, & pro eodem supponentes.* Et ideo statim notat, quòd *solum in diuinis inuenitur distinctio formalis, & non in creaturis.* quia solum in diuinis, vt ipsemet se exponit, *vna res singularis & indiuisa, est plures res; quarum plurium vna non est realiter alia.* idque docet Ochamus suprà. Præterea idem Gabriel quæst. 11. art. 3. dubio 2. contendit, hanc suam distinctionem formalem neque esse realem, neque rationis, sed mediam, *licet*, inquit, *non sit medium inter rem, & rationem.* quibus verbis significat, se loqui vniuersalissimè de omni vera & propria distinctione, quæ actu est in rebus. Talem igitur esse negat distinctionem, quam vocat formalem inter essentiam & relationem; neque aliud vult ista conclusio, vt patet ex titulo propositæ dubitationis. Vnde infra Corollario 1. rem magis explicans ad sensum huius conclusionis ita habet. *Ista consequentia non valet, essentia diuina & paternitas distinguuntur formaliter, igitur in Patre sunt formalitates distinctæ; vel, est ibi aliqua formalitas, vel modus non identitatis, qui, vel quæ, conueniat paternitati, & non essentiæ, vel è conuerso.* Et post corollarium secundum probat illud Oytæ dictum, *Videtur mihi, quòd non alio modo concedendum sit, essentiam diuinam distingui formaliter à persona, vel proprietate personali, nisi quia Deus est talis naturæ, quòd aliquod idem verè affirmatur de essentia, & negatur de persona; & è contrario. Et ad illam mentem videntur Scotus & Ocham finaliter tendere. Et talis interpretatio nec contradicet Adam, nec Gregorio, nec Holkot.* Et quidem contradicere nullus Catholicus potest, quia essentia, & non persona, aut aliqua personalis proprietas, est communis tribus personis, est absoluta. Persona quoque producit, & producitur, non essentia. ergo si ista distinctio formalis, *non est rei, sed propositionis*, vt postea dicit ad 1. nullus eam verè negare potest: quamuis hodie non sit ita loquendum, quoniam per distinctionem formalem intelligimus aliquam distinctionem actualem in rebus ipsis, inter entia verè duo, & non omnino identificata à parte rei. Quã distinctionem inter essentiam & relationem vere negant etiã Scotus, Ochamus, & omnes Scotistæ, & Nominales, & omnes planè Scholastici, vno excepto Durando.

Vnde

Vnde Ochamus 1. d. 2. quæst. 1. litera Q. *Concedo*, inquit, *cum Doctoribus antiquis quod ista prædicatio, essentia est Paternitas, est per identitatem; quæ non est formalis; nec in quid.* Verè igitur non vult distingui hæc per negationem identitatis, quam aperte fatetur, sed solum per negationem inclusionis formalis, & quidditatiuæ; & clarissimè Marsilius supra ad 1. de essentia, & persona Patris ait, *licèt non distinguantur, tamen distinguitur formaliter, eo quod non conuertibiliter idem sint, quia essentia est tres personæ, & persona non est tres personæ*; & paulo post, *sunt idem, sed non conuertibiliter idem.* quod sæpe repetit in responsionibus ad alia argumenta. & quæst. 37. art. 3. dub. 1. conclusione 10. dicit. *Quod res, quæ est persona diuina vt Pater, vel Paternitas, nihil omnino addit essentiæ: quia si aliquid adderet, non esset persona æque simplex, sicut essentia.*

Probatur conclusio authoritate Ecclesiæ.

10. Toletanum XI.

Præter hanc primam probationem ex authoritate Scholasticorum, potest conclusio probari secundo fortius authoritate Ecclesiæ. Nam Toletanũ XI. citatum supra art. 1. num. 19. loquens de tribus diuinis personis, ita docet, *Hoc solo numerum insinuant, quòd adinuicem sunt: & in hoc, numero carent, quòd in se sunt.* Sed tres personæ, *in se sunt* per comparationem ad essentiam; ergo per comparationem ad essentiam numero carent: ergo non sunt tres, sed vnum simplicissimum. Et in Concilio Florentino Florentinum. Ioannes Theologus nomine Ecclesiæ Latinæ ad Græcos dicit in sessione 18. aliquantò post medium. *Vos quæritis an idem sit in diuinis persona substantia & persona, siue hypostasis. Nos verò dicimus, esse idem re, differre autem nostro modo intelligendi, ita vt persona constet ex substantia & proprietatibus. Nunc igitur quoniam intelligentia & ratione distinguuntur, substantia quidem communicatur personis, proprietates verò nullo modo communicantur, idque prouenit ex vi relationis.* Et Marcus Ephesius Metropolita, agens partes Græcorum, videtur consentire respondens, *Quo modo inter se differant essentia & hypostasis in diuinis, non est huius temporis disputare; fortasse enim in hac parte, nulla est inter nos discrepantia.* & sessione 19. aliquanto ante medium Andreas Rodi Archiepiscopus; concilians dicta Ioannis & Marci, ait, *In communi tam Græcorum, quam Latinorum Theologia differt, diuinam substantiam dicere, & substantiam Patris, & Filij: ne tamen ve differre hoc putetis, sed apprehensione tantum & intelligentia.* Rursus Ioannes sessione 24. med. *Non re, sed sola ratione distinguitur paterna hypostasis à sua essentia.* Demum sessione 25. multò ante medium Latini, de mandato sanctissimi, miserunt ad Græcos quamdam Fidei confessionem, quæ incipit, *Credimus in vnum Deum*, &c. vbi inter alia ita habetur, *sed ne identitatem, vnitatemque essentiæ diuidamus, atque vt essentiam ab hypostasibus non re differentem, sed ratione tantum, & actu intelligendi asseueremus*, &c. Quæ omnia apertè indicant sententiam & consensum totius Concilij, tametsi deinde id de fide definitum non sit ab Eugenio 4. in literis vnionis: quia ea de non erat inter Græcos & Latinos controuersia. Quoniam verò connexionem aliquam habere videbatur cum processione Spiritus sancti à Patre & Filio, tamquam ab vnico principio, de quo potissimum in eo Concilio actum est, hoc etiam de identitate essentiæ cum personis, omnes tam Græci quam Latini non semel confessi sunt. Et ideo tantæ authoritatis apud omnes esse debet, vt ab ea recedere nemo possit absque magna temeritate.

11. Præterea grauissimi Theologi, Alensis, Albertus, Bonauentura, Thomas supra num. 4. & 5. referunt, Gilbertum Porretanum fuisse in contraria sententia, eamque retractasse ac damnasse in Concilio Rhemensi coram Eugenio 3. & S. Bernardo. In quo Concilio de quo plurima Vasquez hic disput. 120. cap. 2. ita refertur decretum fuisse, *Credimus solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum æternum esse: nec aliquas omnino res, siue relationes, siue singularitates, vel vnitates dicantur, & huiusmodi alia in Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* quæ verba refert Otho Frisingensis l. 1. de gestis Friderici c. 56. fin. Et quamuis hoc decretum, sicut & totum illud Concilium non sit deinde confirmatum, nihilominus illa Porretani humilis retractatio, & confessio, acceptata à toto Concilio, præsertim à Papa & S. Bernardo, qui præsentes aderant pro veritate huius conclusionis, grauissimam atque omnino irrefragabilem absque vllo dubio authoritatem illi conciliat: maxime quia post prædictum Concilium Eugenius adhibito consilio Cardinalium, vt refert Otho supra cap. 57. hanc aduersus Porretani sententiam definitionem edidit. *Nec aliqua ratio Theologica inter naturam & personam diuideret: néve Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam ex sensu nominatiui.* hoc est, non diceretur tantum, Deus est Deitate Deus, sed etiam Deus est Deitas. Vbi illud, *ratio*, non sumitur pro intellectu, qui inter naturam & personam mentaliter diuidit, sed pro definitione, seu sententia, modo loquendi apud Aristotelem, & reliquos omnes Philosophos satis vsurpato. Quod autem hic dicitur, & in sequentibus dicetur de natura & persona, intelligi debet de natura & relatione; quia persona supra naturam non addit nisi relationem.

Concilium Rhemense sub Eugenio 3. Vasquez. Otho Frisingensis.

12. *Lateranense sub Innocentio III.*

Adde in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in cap. 2. *Damnamus*, omnes credere & confiteri, *quòd vna res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & ideo in Deo, Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina.* Addunt aliqui quod paulo post subditur; *Id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino.* Quæ verba non videntur ad rem, quia ex contextu manifestum est illud, *idem omnino*, referri ad identitatem naturæ in tribus personis, *vt secundum orthodoxam, & catholicam fidem*, immediate post subdit Concilium, *Consubstantiales esse credantur*; &, vt immediate ante dixerat, *licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud*: & non referri ad identitatem cum tribus personis. Qui duo sensus non sunt idem. Vnde Gilbertus & Durandus negarunt secundum sensum, non primum; quia non negarunt, tres personas habere vnam & omnino eamdem naturam, sed solum negarunt, illas esse omnino identificatas cum communi natura: & quid simile reperitur in nobis secundum probabilem opinionem de eadem omnino formaliter humanitate specifica in Petro & Paulo, tamen distincta formaliter à Petreitate, & Pauleitate. Solum igitur ad rem facit, quia negatur in Deo *quaternitas*; & ratio assignatur, non quia in Deo non est quarta persona distincta realiter à tribus, sed quia *qualibet trium personarum est illa natura*: ità scilicet vt non liceat in re ipsa numerare quatuor inter se distincta, sed tantum tria. Et præterea quia ponitur ista propositio vt vera secundum fidem, *Qualibet trium personarum est essentia, siue natura diuina*: quam propositionem vt catholicam sæpe facit Bernardus libro 5. de consideratione circa medium. Maximè fauet illis verbis; *Personarum proprietates non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam*

Bernardus.

vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam & ſummam maieſtatem Fides catholica confitetur. Et immediate poſt, id multò magis explicando, ita concludit. *Numera ergo, ſi potes, aut ſine ſubſtantia perſonas, quæ ipſa ſunt; aut ſine perſonis proprietates, quæ ipſæ ſunt: aut ſi diuidere quis conetur vel perſonas à ſubſtantia, vel proprietates à perſonis, neſcio quomodo Trinitatis ſe profiteri cultorem poſſit, qui in tantam rerum numeroſitatem exceſſerit.* Si in perſonis, proprietas, quæ non eſt niſi relatio, eſt à parte rei actu diſtincta à natura, ergo proprietas eſt aliud quam perſona, & perſona eſt aliud quam natura, contra fidem, teſte Bernardo: ſicut in humanis, quia perſonalitas re ipſa diſtinguitur à natura humana, perſonalitas aliud eſt quam perſona, & perſona aliud eſt quam humanitas. Si igitur *perſona non aliud eſt quam natura,* ergo in perſona non eſt aliquid aliud re ipſa diſtinctum à natura; alioqui falsò diceretur, perſona non aliud quam natura, quia præterea eſſet perſonalitas à parte rei diſtincta à natura. Item, ſi abſque Trinitatis præiudicio, præter tres perſonas non poſſumus numerare ac diuidere quartam rem, quæ ſit natura, hæc nullo modo diſtincta erit à parte rei in diuinis. & ſermone 80. in Cantica, aliquanto ante finem ait, *Non immerito in Concilio quod Papa Eugenius Rhemis celebrauit, tam ipſi, quàm cæteris Epiſcopis peruerſa viſa eſt, & omnino ſuſpecta expoſitio illa Gilberti, Pater eſt veritas, id eſt, verus. Quam verius ſaniuſque per contrarium ita dixiſſet, Pater eſt verus, id eſt, veritas.* Quod ſtatim confirmat authoritate Fulgentij. Iſtæ vero propoſitiones in quibus natura in abſtracto prædicatur de ſuppoſito in concreto, eſſent omnino falſæ, ſi ſuppoſitalitas, v.g. paternitas diſtingueretur quomodocumque actualiter ex natura rei ab eſſentia. Enim verò propter hanc actualem diſtinctionem, in re omnium minimam, quæ eſt inter naturam & ſuppoſitum in rebus creatis, falſa eſt hæc, Petrus, ſeu, hic homo ſubſiſtens in humanitate, eſt humanitas, ergo propter eamdem rationem actualis diſtinctionis, deberet pariter eſſe falſa hæc in diuinis, Pater eſt Deitas, ſiue eſſentia & natura Deitatis; quia vtrobique prædicaretur pars de toto, quæ eſt radix harum falſitatum.

Probatur concluſio authoritate Patrum.

13. Tertia authoritas, eaque firmiſſima, ſumitur ex dictis Patrum: & omiſſis qui minus clarè loquuntur, vel non de identitate relatiui cum abſoluto, ſed de identitate abſolutarum perfectionum inter ſe, quos Patres refero in 1. tomo quæſt. 4. art. 2. dubitatione 12. maximè ad rem vrgent,
Athanaſius.
Athanaſius Dialogo 1. de ſancta Trinitate non longe à principio, *Aliud*, inquit, *eſt hypoſtaſis, & aliud Deitas; non vt alia & alia res; ſed quod hypoſtaſis quidem aliud, aliud verò Deitas ſignificet.* Quod non ſemel repetit poſt medium eiuſdem Dialogi. Differentia verò quæ non eſt in re, ſed in ſola nominum ſignificatione, quæ ab intellectu ortum habet, eſt differentia ſolius rationis.
Auguſtinus.
Auguſtinus libro 7. de Trinitate cap. 6. initio, *Non aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omnino idem.* & paulo poſt, *Neque in hac Trinitate, cum dicimus perſonam Patris, aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris. Quocirca vt ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt*, quia ſcilicet Pater eſt paternitate Pater, & per ſubſtantiam, ſiue eſſentiam eſt eſſe; *ita & perſona Patris non aliud quam ipſe Pater.* Et circa medium eiuſdem capitis, *Tres perſonas ex eadem eſſentia non dicimus, quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, aliud quod perſona: ſicut tres ſtatuas ex eodem auro poſſumus dicere; aliud enim illic eſt eſſe aurum, aliud eſſe ſtatuas.* Ergo ſecundum Auguſtinum ne illa quidem diſtinctio eſt inter perſonalitatem & eſſentiam, quæ eſt inter figuram ſtatuæ aureæ & aurum, inter quæ eſt diſtinctio à parte rei omnium minima.
Anſelmus.
Anſelmus in Monologio cap. 43. fine, loquens de Patre & Filio ait, *Congruè dici, & intelligi poteſt, quòd ſic eſt alter idipſum quod alter, vt alter habeat eſſentiam alterius. Hac itaque ratione, quoniam vtrique non aliud eſt habere eſſentiam, quam eſſentiam eſſe, ſicut habet alter alterius eſſentiam, ita eſt alter alterius eſſentia.*
Damaſcenus.
Damaſcenus libro 1. Fidei cap. 11. ex inſtituto oſtendit, in diuinis nihil eſſe re diſtinctum, niſi tres perſonas inter ſe. Vnde aliquanto poſt principium ait, *In ſancta Trinitate vnum re conſideratur propter coæternitatem, & identitatem ſubſtantiæ*; &, vt oſtendat ſe loquutum de identitate propriè dicta, ſubdit, *non dixi ſimilitudinem, ſed identitatem.* Et paulo poſt, *ſecundum omnia vnum ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, præter ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem. Ratione autem & intelligentia hoc diſtinctum*: nimirum, illud in quo dixerat, quod *vnum ſunt* tres perſonæ. Et ſtatim, hanc vnitatem per indiſtinctionem à parte rei ab ipſis perſonis magis explicando, ita ſubdit, *nam vnum agnoſcimus Deum; in ſolis quidem proprietatibus, paternitatis, filialitatis, & proceſſionis, differentiam agnoſcimus.* Si in ſolis relationibus eſt diſtinctio ex natura rei, ergo non in natura & relationibus. & poſt medium cum de perſonis dixiſſet, *in quibus eſt Diuinitas*, ad demonſtrandam omnimodam identitatem perſonarum cum eſſentia in ſe corrigit, *ſiue, vt exactius loquar, quæ ſunt Diuinitas.*
Nazianzen.
Quod ſumpſit ex Nazianzeno oratione in ſancta Epiphaniarum lumina, ante medium, vbi loquens de Deo vno in tribus perſonis, eleganter ait, *diuiditur indiuiſibiliter, vt ita dicam, & coniungitur diuiſibiliter*, hoc eſt, Deitas indiuiſa à tribus perſonis, eſt vna & eadem in tribus perſonis inter ſe diuiſis: & in hoc ſenſu immediate ſequitur, *Vnum enim in tribus Deitas, & tria in quibus eſt Deitas, vel, vt exactius loquar, quæ eſt Deitas.* Eademque exactione loquitur Bernardus cum Fulgentio, & Eugenio Papa, & reliquis Patribus Concilij Rhemenſis, vt num. præcedente explicatum eſt.
Riccardus Victorinus.
Demum Riccardus de S. Victore lib. 5. de Trinit. c. 20. ſæpe habet iſtam propoſitionem, *Nihil aliud eſt ibi perſona, quàm dilectio*, hoc eſt, nihil aliud ex rei natura diſtinctum; alioqui alia plurima ſunt in diuinis perſonis præter dilectionem.

14. *Contrariæ opinionis cenſura.*
Hæ omnes authoritates, adeò graues & vrgentes ſunt, vt Torres hìc concluſione prima quem ibidem ſequuntur Valentia, Molina, Bagnes, dicat, hanc concluſionem eſſe *de fide tenendam.*
Torres. Valentia. Molina. Bagnes.
& diſp. 3. de contraria opinione Durandi ita pronuntiet, *Periculoſa eſt, ne dum falſa; atque, vt apertè loquamur, parum abeſt vt ſapiat errorem.* Eamdem Molina diſp. 5. concluſione 2. putat *non eſſe tutam in fide.* Valentia q. 13. de Trinitate puncto 1. ante medium, & Bagnes hic dub. 3. concluſione 3. *Parum fidei conſentaneam.*
Arrubal.
Arrubal diſp. 100. num. 6. *Non eſſe in fide tutam.*
Suarez. Vaſquez.
Mitius cenſent Suarez lib. 4. c. 4. n. 5. Vaſquez diſp. 120. num. 16. nam ille hanc concluſionem ſimpliciter dixit, *eſſe certum.* Hic vero dubitat, *An aliquid habeat probabilitatis opinio Scoti*, & ait, *Aliorum eſto iudicium.* Verum ex multò maiori ſuorum Authorum grauitate, grauiſſimæ ſunt cenſuræ allatæ ſupra num. 4. & 5. Nam ſententiam Gilberti Bonauentura, Aureolus, & reliqui omnes veteres Doctores, qui eam referunt, vocant errorem; imò Magiſter, Alenſis, Magnus Albertus apertè hæreſim. Nec dici poteſt cū nõnullis, tam rigidam cenſuram latam contra Gilbertum,

quia potuit, relationem & eſſentiam, realiter diſtingui tamquam rem & rem.
Albertus.
quia ex irrefragabili Alberti teſtimonio expreſſe conſtat, quòd relatio diuina ſecundum Gilbertum *non eſt propriè res, ſed ratio ex comparatione rei ad rem ſumpta.* Et quidem omnes opiniones admittentes actualem diſtinctionem ex natura rei inter diuinam relationem & eſſentiam, eamdem erroris cenſuram merentur, ſi aliquam merentur: quia ſi relatio diuina eſt propriè res, vt hodie in Scholis communiter dici audio, ſumpto ſtrictè nomine rei, vt diſtinguitur contra modum, ea diſtinctio non poteſt non eſſe propriè & ſtricte realis: ſi vero eſt modus, ſeu formalitas, vt ab antiquioribus communius ſcriptum lego, illa diſtinctio erit modalis, ſeu formalis. Et omnino improbabile, ac ridiculum videtur, grauius errare Gilbertum ſi dixit Relationem eſſe proprie rem, quod fortaſſe ſecundum ſe eſt quid probabilius, quam ſi dixit, Relationem eſſe potius quamdam modalitatem, ſeu formalitatem, ſeu rationem, & non propriè rem aliquam; quod etiam ſecundum aliquos ſatis probabiliter aſſerere potuiſſet, quia inquiunt cum relatio, etiam diuina, ſit eſſentialiter merus ordo rei ad rem, non videtur ipſa in ſe dicenda propriè res: ſaltem ita eam vocare non vult S. Thomas locis & verbis citatis ſupra art. 1. dub. 1. & tam ipſe, quàm alij graues & veteres Theologi docent, relationem non eſſe aliquid, ſed ad aliquid. Cenſura igitur opinionis Gilberti, aliunde pendet, quam ex iſtis opinionibus Theologicis, quare quælibet ſine vlla erroris nota teneri poteſt. Quamobrem minus probo eorum ſententiam, qui aſſerunt grauius erraſſe Gilbertum, quàm Durandum, modo vterque poſuerit, Relationem verè & actualiter diſtingui re ipſa ab eſſentia.

Vnde concluſionem de omnimoda identitate ex natura rei inter relationem & eſſentiam, quicquid ſit, an relatio diuina ſit, vel non ſit propriè res, docet Magnus Albertus eſſe tenendam *ſecundum fidem catholicam*: & S. Thomas, *eſſe ſimpliciter confitendam*: & contrariæ opiniones, inquit Aureolus *nullatenus ſunt ſectandæ*; vt refert ſupra num. 5. & Capreolus 1. d. 7. quæſt. 1. circa fin. reſpondens ad 2. Durandi ait. *Iſte Doctor errat non modicum, ponendo quod relatio diuina ſecundum rem ab eſſentia diſtinguatur.*

Probatur concluſio ex diuina ſimplicitate.

15. Rationes probantes identitatem diuinarum relationum cum eſſentia, aliæ eſſe non poſſunt, niſi illæ, quibus in primo tomo quæſt. 4. art. 2. dubitatione 12. probauimus eamdem identitatem diuinorum Attributorum cum eſſentia. Cum enim minus inter ſe cohæreant illa, quæ ſunt relatiuum & abſolutum, quam iſta, quæ ſunt abſolutum & abſolutum, non poteſt cogitari aliqua maior ratio, quæ illorum potius, quàm iſtorum identitatem probet. Itaque illas eaſdem ad præſentem materiam accommodatas vrgebo, quæ ſine dubio ſunt theologicæ quædam demonſtrationes, ex vna præmiſſa certa lumine Fidei, & alia nota lumine naturæ.

Prima ſit illa, quæ & rationis, & authoritatis robore potiſſima videtur, & propterea illam ad hoc ipſum directè probandum omnes Theologi afferunt, & breuiter, ſed clarè tangunt
Bernardus.
Bernardus ſermone 80. in Cantica, non longè à fine, vbi cum docuiſſet, *verius ſaniuſque* corrigi, Pater & Deus, hoc eſt, Deitas, quam, Pater eſt Deitas, hoc eſt, Deus, ita ſubdit, *Bonus corrector, qui veraciſſimè de veritate loqueretur, qui piè catholicéque ſentiret de vera & mera diuinæ ſimplicitate ſubſtantiæ, in qua nihil eſſe poſſit quod ipſa non ſit, & ipſa Deus.* Qui igitur diſtinguit in Deo paternitatem, aliaſque perſonalitates ac relationes, & conſequenter aſſerere tenetur, eas non eſſe Deum, qui eas ponit re ipſa diſtinctas à Deo, ex Bernardi ſententia non piè catholicéque ſentit de ſimplicitate diuina.
Riccardus Victorinus.
Et Riccardus Victorinus 5. de Trinitate cap. 20. circa principium, cum enim tamquam aliquid omnino impoſſibile interrogaret, *Numquid ex his tribus aliud aliquid eſt, & aliud aliquid amor ſuus? Numquid eorum alicui, aliud eſt eſſe quam diligere, diligere quam eſſe?* & reſpondet, id non poſſe dici propter ſimplicitatem, his verbis. *Vbi ergo eſt vera illa, & ſumma ſimplicitas? Oportet itaque abſque dubio vt in ſumma ſimplicitate idem ipſum ſit eſſe quod diligere.*
Lateranenſe ſub Innocentio 3.
Et Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. cap. 1. quod cum initio docuiſſet, *Pater, Filius, Spiritus ſanctus vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura*: ſtatim hanc omnimodam vnitatem atque identitatem ex ſimplicitate probans ſubiungit, *ſimplex omnino.*
Formatur demonſtratio Theologica.
Sic igitur arguo in forma, Deus eſt omnino ſimplex; ſed ſi relatio & eſſentia eſſent in Deo duo actualiter ac propriè inter ſe diſtincta, Deus non eſſet ſimplex omnino. Ergo talis diſtinctio non eſt in Deo. Maior eſt iiſdem verbis definita à Lateranenſi, eamque eſſe certam de fide probaui in 1. tomo quæſt. 3. art. 7. initio. Minor eſt euidens naturali ratione:
Quid ſit compoſitio ex S. Thoma.
quia compoſitio, quæ ſecundum omnes & Patres, & Scholaſticos, vt ſupra quæſt. 3. art. 7. num. 2. & 3. opponitur ſimplicitati, nihil eſt aliud in genere, niſi vnio plurium à parte rei diſtinctorum. In hoc ſenſu ſcripſit S Thomas de Potentia quæſt. 7. art. 1. ad 10. *Omnis compoſitio eſt vnio.* Eumdem compoſitionis conceptum, quem habet genus humanum vniuerſum, reliqui omnes ſapientes paſſim tradiderunt re ipſa, arguendo ex ſumma ſimplicitate nullam eſſe in Deo actualem diſtinctionem ex natura rei: vel ex negatione huius diſtinctionis, non eſſe in Deo compoſitionem.
Ex ſimplicitate identitatem probant.

16. Hilarius.
Hilarius lib. 8. de Trinitate multo poſt medium, *non humano modo*, inquit, *ex compoſitis Deus eſt, vt in eo aliud ſit, quod ab eo habetur, & aliud ſit ipſe qui habeat.* Ergo qui dicit, aliud eſſe relationem, quæ à Deo habetur, & aliud eſſe Deum, qui illam relationem habet, iam Hilario iudice ſimpliciſſimum Deum compoſitum facit.
Marius Victorinus.
Marius Victorinus lib. 1. aduerſus Arium, non longè à principio. *Dei eadem ipſa eſt & potentia & ſubſtantia, & diuinitas, & actio; omnia enim vnum ſimplex.* Identitatem probat ex ſimplicitate; quæ probatio nulla eſſet, ſi in Deo ſtare poſſet ſimplicitas cum plurium diſtinctione.
Nyſſenus.
Nyſſenus libro ad Ablabium, *De eo, quòd non putandum ſit, tres dici Deos oportere,* paulò ante finem, *Omnem circa eſſentiam diuerſitatem reijcit diuina ſimplex natura*: ſed relationes ſunt circa eſſentiam; ergo ſimplicitas Dei nullam admittit relationum diuerſitatem circa eſſentiam ſuam.
Auguſtinus.
Auguſtinus ſententia 366. deſumpta ex tractatu 99. in Ioannem cum dixiſſet, ſcientiam & eſſentiam in Deo *non eſſe aliud & aliud, ſed vtrumque vnum*; ita ſtatim ſe corrigit; *quamuis non vtrumque dicendum ſit, quod veriſſimè ſimplex eſt.* Eamdem identitatem ex ſimplicitate deducit libro 7. c. 1. fine. *Quia in illa ſimplicitate non eſt aliud ſapere, quàm eſſe, eadem ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia.* Ergo ſi relatio & eſſentia in Deo, non ſolum dicuntur, ſed propter actualem ex natura rei inter ſe diſtinctionem ſunt veriſſimè *vtrumque*, Deus non erit veriſſimè ſimplex.
Maximus apud Cypariſſiotum.
S. Maximus apud Cypariſſiotum Decade 10. cap. 4. de virtute Dei ait, *Hæc nihil aliud eſt, præterquam ſubſtantia Dei; ne compoſitio in Deo eſſe exiſtimetur.* Ergo qui ſentit, Relationes in Deo eſſe re ipſa aliquid aliud præter ſubſtantiam eius, non poteſt non

Theodor. existimare in Deo compositionem. Theodorus apud eumdem ibidem, de Dei substantia & energia, siue operandi virtute, vt ipsemet Cyparissiotus explicat, deinde in fine capitis 6. ait, *Nihil ista differre; quia non sunt hæc inter se discernenda, ne quod est supra omnem simplicitatem, compositum esse intelligatur.* Ergo pariter si relatio & essentia in Deo inter se à parte rei discernuntur, non potest simplicissimus Deus non intelligi compositus. Idem Cyparissiotus cap. 6. refert Cyrillum Alexandrinum ita dicentem, Cyrillus. *Sicut vnitas non potest diuidi in duas vnitates (siquidem vnitas in has diuisa non erit vnitas, sed duo) sic quod est vnum summa copulatione*, hoc est, non compositione, sed identitate, *non potest diuidi in duo*; & pro ratione affert simplicitatem, subdens, *alioqui non amplius erit Deus vniuersi, simplex natura; siquidem est alia præter ipsum, quæ est in ipso vita.* Ergo neque erit simplex, si est alia præter ipsum, quæ est in ipso relatio. Et iterum addit, *non est simplex natura Deus, sed potius compositus, & ex duobus constans, si quidem est alia præter eum, quæ in eo est vita.* Pro eodem vsurpat, esse compositum, & esse vnum ex duobus constans. Sed per Gilbertum & Durandum persona diuina est quid vnum, verè ac propriè ex duobus constans; ergo est quid compositum, & non simplex omnino. Similiter Isidorus libro 1. de summo Bono cap. 1. sententia sexta. Isidorus. *Ideo Deus dicitur simplex, quia non aliud est ipse, & aliud, quod in ipso est.* Ergo si aliud est Deus, & aliud relatio in Deo, non est simplex Deus. Anselmus in Monologio cap. 16. Anselmus. *Cum illa natura nullo modo composita sit, & tamen omni modo tot illa bona sit, necesse est, vt illa omnia, non plura, sed vnum sint.* Hoc vtique non necesse erit, si distinctio relationis & essentiæ, & quæcumque alia verè duo ac plura, esse possent in Deo absque vlla compositione. Bernardus libro 5. de consideratione prope medium. Bernardus. *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholicèque, sed multa vnum: & nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideras, habebis multiplicem Deum.* Si multiplicem, ergo non simplicem. ergo si in Deo relatio & essentia non sunt vnum, sed duo, & simpliciter plura, non saluatur in Deo simplicitas. Præterea idem Cyrillus lib. 11. Cyrillus. Thesauri cap. 1. fine apertissime ita habet, *Non compositus, sed simplicissimus Deus esse ab omnibus prædicatur. Impium ergo est, cognitionem suam de se ipso, nostræ cognitioni similem putare. Aliud enim nos sumus, aliud cognitio nostra. Quod si similiter esset in Deo, vt aliud ipse aliud cognitio sua esset, compositio in ipso profectò esse videretur. Verum quoniam simplex est, non erit, aliud ipse, aliud cognitio sua.* Item Athanasius de Athanasius. Decretis Nicænæ Synodi, multò post medium, & refertur etiam à Cyparissioto Decade 4. cap. 8. *Si simplex est Deus, vt re vera est, certum est, cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorum, quæ circa eum sunt, sed ipsius substantiam significare.* Sed nomine Patris maximè intelligimus paternitatem. Ergo paternitas non est aliquid circa substantiam, sed est ipsa Dei substantia: ergo non est aliquid re ipsa distinctum à substantia Dei. Irenæus libro 2. cap. 48. circa initium, Irenæus. *Qui dicit, quòd aliud quiddam sit Deus, aliud autem mens Dei, compositum eum pronunciat.* Ex distinctione plurium in Deo infert in eo compositionem. Neque referre debet, Patres frequentius loqui de perfectionibus diuinis absolutis. Enim verò si ex distinctione harum inter se, sequitur necessario compositio, vt omnes clamant, eadem multo clarius sequitur ex distinctione diuinæ relationis & essentiæ absolutæ: quia omnes facilius, intelligimus compositum ex partibus heterogeneis, vt hominem, quem nemo negat compositum ex anima & corpore; quàm ex partibus homogeneis, vt continuum, quod multi probabilissime negant compositum ex partibus actu distinctis. Præterea Damascenus lib. 1. Fidei c. 12. initio, *Deus simplex est, & omnino incompositus. Quod autem ex multis, & differentibus coaluerit, compositum est.* Vnde necessaria consequentia deducitur, Deum non coalescere ex essentia & relatione, quæ à parte rei differant, & consequenter non sint vnum, sed multa. Et idem passim legimus apud alios Patres, & apud eosdem aliis in locis. Quare ex omnibus Patribus planè constat, certissimam esse minorem huius primæ rationis, quòd scilicet actualis distinctio plurium rationum in Deo repugnet diuinæ simplicitati. Damascenus.

17. *Durandi responsio.* Ad rationem hanc respondet Durandus 1. d. 33. q. 1. n. 37. *Quòd pluritas illorum, quorum quodlibet est res propriè, & simpliciter, facit compositionem. Sed illud, quod est modus essendi solum, cum nullo facit compositionem, nec tollit simplicitatem. Et sic est de essentia, quæ est verissimè res, & de relatione, quæ est modus habendi essentiam.* Deinde responsionem sic probat; *paternitas, filiatio, & processio differunt realiter, & tamen totaliter à Deo, & à diuinis, secundum totum suum ambitum tollitur compositio: ergo non omnis realis differentia semper facit compositionem.* Nec valet, inquit, si dicatur, quòd realis differentia trium diuinarum personalitatum non est plurium in eodem supposito, & ideo non facit compositionem: quia ad compositionem satis est realis differentia plurium in vna subsistentia: in diuinis autem tria supposita in vna natura absoluta subsistunt per vnicam subsistentiam absolutam; quod non probat nisi ex Augustino 5. de Trinitate c. 4. & 5. docente, quòd Deus subsistit ad se, & hoc est Deo esse quod subsistere. *Probatio responsionis Durandi.* Augustinus.

18. *Dari compositionem ex re & modo.* Contra hanc responsionem arguo primo, quia in creatis propter solam actualem distinctionem rei & modi, est aliqua vera compositio ex natura & suppositalitate, ex re locata & vbi, in sententia ponentium vbi, ex quantitate & figura, ex mobili & motu, ex fundamento & relatione; ex essentia & existentia in sententia eas distinguere, ex anima & potentia, & ex multis aliis, inter quæ esto non sit aliquis vnionis modus à parte rei distinctus ab extremis, tamen est identitas realis, æquialenter, imo fortius vniens quàm ipsamet vnio, cum faciat vnum & idem aliquo modo, vnio autem non faciat nisi vnitum. Secundò quia per compositum vniuersaliter omnes concipimus vnum aliquod tertium, constitutum, & conflatum, ac veluti simul positum ex duobus à parte rei distinctis, quæ remanent inter se distincta, etiam in illo constituto & conflato ex ipsis. Quòd autem componentia, seu constituentia illud tertium, sint res & res, seu res & modus, non tollunt vniuersalem conceptum compositi simpliciter, sed solum efficiunt, vt illud sit compositum propria & simpliciter reale, hoc verò sit alterius generis compositum modale: sicut quia partes sunt metaphysicæ, fit metaphysicum compositum, vt humanitas ex animalitate & rationalitate; quia sunt physicæ, fit compositum physicum, vt homo ex corpore & anima; quia sunt ambæ substantiales, vel altera substantialis, altera accidentalis, efficitur compositum substantiale, vel accidentale; quia sunt heterogeneæ, vt materia & forma, vel homogeneæ, vt duo semipalmi, coalescit compositum heterogeneum, vel homogeneum. ergo eadem ratione quia partes ex quibus conflatur, & constituitur vnum tertium, sunt res & modus, non propterea perire debet ratio compositi simpliciter, sed solum coalescere debet quædã particularis ratio talis compositi, nempe modalis. Quæcumque autē vel *Traditur exceptus compositi in genere.*

vel minima ratio compositi, quæ verè sit in ipsa re, facit sine dubio, vt Deus dici verè non possit *simplex omnino*, contra fidem, &, vt eum vocant Patres citati tomo 1. quæst. 3. art. 7. num. 2. *Simplicissimus, & omnino incompositus, & ab omni compositione remotissimus, & summa, vera, ac mera simplicitas, & purissimum simplex, & supra omnem simplicitatem.* Damascenus.

19. *Arguitur ex Bernardo.* Tertiò, quia omnes damnant sententiam Gilberti, vt suprà, qui tamen dicebat, Relationem non esse rem, sed modum, vt testatur Magnus Albertus supra, n. 5. fine, & colligitur etiam non obscurè ex decreto Concilij Rhemensis suprà num. 11. Et tamen omnes impugnant, quòd perperam introduxerit aliquam compositionem simplicitati diuinæ repugnantem; &, vt ait Bernardus suprà n. 15. *Quòd non piè, catholicèque sentiret de vera, & mera diuinæ simplicitate substantiæ:* eamque sic explicat dicens, *in qua nihil esse possit quod ipsa non sit, & ipsa Deus.* Sed per Durandum verissimè est in Deo aliquid, v.g. paternitas, quæ non est Deitas, nec Deitas est paternitas, quia ponuntur à parte rei distingui, ac proinde quòd altera à parte rei non sit altera. Ergo Durandus apertè contradicit Bernardo per vniuersalem illam particulam, *nihil*, excludenti vniuersalissime omne, quod est aliquid, siue sit res, siue modus rei. Et, vt superius adnotabam num. 14. est prorsus inuerisimile, Gilberti errorem manasse duntaxat ex eo, quòd sentiebat, Relationem esse rem, quæ sententia in bona Theologia teneri potest: quia tunc mutata ista sententia merè posita in libertate discurrentium Theologorum, & retenta tota sua opinione de distinctione actuali relationum ab essentia, & consequenter de relationibus assistentibus, & extrinsecus essentiæ affixis, facillimè a bsque vlla retractatione, & assertione prauæ sententiæ, respondere & satisfacere potuisset Papæ Eugenio, & Bernardo, & vniuerso illi Rhemensi Concilio, si tantum dixerit, Relationem non esse rem, sed modum rei, ex re autem, & modo nullam veram compositionem, à simplicitate diuina abhorrentem posse coalescere. Hoc igitur Durandi effugium, sicut olim Gilbertum non liberasset ab errore suo, ita nec authorem suum deinde ab eodem errore tueri potest.

20. *Arguitur ex Nysseno,* Quartò, Patres relati suprà num. 16. vniuersalissime loquuntur, excludentes à diuina simplicitate distinctionem quorumlibet plurium distinctorum ex natura rei; quemadmodum de Bernardo paulo ante dictum est. Sic etiam Nyssenus, *Omnem*, inquit, *circa essentiam diuersitatem reiicit diuina simplex natura.* Si omnem, ergo non solum realem, verum etiam modalem. Isidorus, *Ideo Deus simplex, quia non aliud est ipse, & aliud quod in ipso est.* Sed per Durandum relatio verissimè est in Deo; & quia est ens reale, & ponitur actu ex natura rei distinctum à Deo, ergo verissimè aliud est ipse Deus, & aliud relatio, quæ in ipso Deo est. Ergo falsa simpliciter est causalis Isidori. Præterea de essentia diuina eiusque relatione, si à parte rei distinguuntur, absolutè dicuntur, *vtrumque, & plura, non vnum*: quod contra Dei simplicitatem esse docent Augustinus & Anselmus. Idem Anselmus, ad eamdem simplicitatem necessarium esse ait, vt quodlibet bonum, quod in diuina natura est, *Omni modo sit illa natura, nullo modo composita.* Sed personalitas diuina est aliquod bonum, & si ponitur aliquo modo distincta à natura, non est omni modo natura. Ergo ex doctrina Anselmi per hanc distinctionem esse non potest illa natura *nullo modo composita.* Athanasius ex eo quod simplex sit Deus, ita docet, *Cum nominamus Patrem, nos nihil circa eum, sed ipsius substantiam significare.* Sed paternitas, quam explicitè significamus nomine Patris, si ex natura rei distinguitur à diuina substantia, est proprissimè circa illam, & non illa. Ergo ex Athanasij sententia, cum Dei simplicitate minimè cohæret. Similiter Damascenus, compositum, & non simplex esse pronunciat, *quod ex multis & differētibus coaluerit.* Sed Deus Pater v.g. coalescit ex Deitate & paternitate, quæ si actu differunt inter se, non possunt non absolutè ac verè dici multa, & differentia. Ergo Deus Pater, simpliciter loquendo, coalescit ex multis & differentibus. Ergo est simpliciter compositus, & non simplex omnino. Igitur Durandi responsio, seu distinctio non saluat Patrum dicta de simplicitate Dei. *Isidoro,* *Augustino, Anselmo,* *Athanasio,* Damasceno.

21. *Reiectio probatio responsionis Durandi.* Præterea nullius momenti est ratio, qua Durandus suam responsionē probare nititur ex tribus personalitatibus diuinis, inter se realiter distinctis, & tamen nullam in Deo compositionem efficientibus. Primò, quia concedit Durandus tres personalitates diuinas differre propriè realiter, quemadmodum per illas differunt tres diuinæ personæ, & tamen his non obstantibus, inquit, *totaliter à Deo, & à diuinis secundum totum suum ambitum tollitur compositio.* Petо igitur ab eo, cur in diuinis istæ tres res, realiter distinctæ, nullam faciant compositionem? Profectò nihil aliud congruentius respondere poterit iuxta sua principia, nisi quia illæ personalitates differunt quidem realiter tamquam res & res, si præcisè considerentur vt comparatæ inter se; tamen si considerentur vt comparatæ cum essentia differunt tantum modaliter tamquam res & modus. Hoc autem secundo modo, quo cum essentia vniuntur, & non primo modo, quo inter se distinguuntur tantum, & opponuntur, considerari debent vt faciant compositionem, ad quam præter plurium distinctionem necessaria maximè est aliqua vnio. Personalitates igitur comparatæ ad essentiam non faciunt compositionem, quia licet distinguantur ex natura rei, tamen distinguuntur sicut res & modus, non sicut res & res. Nulla autem distinctio, seu pluralitas, quæ sit rei & modi, & non rei & rei, causat aliquam compositionem. Quo tandem discursu petitur principium, quia cum probandum sumpsisset Durandus, Personalitates nihil componere cum essentia, id postremò probare conuincitur ex eo, quod personalitates nihil componant cum essentia, seu, quod idem realiter est, quòd res & modus compositionem inter se facere nequeant; quod erat probandum.

22. *Cur in diuinis sit pluralitas absque compositione ex S. Thoma.* Hinc arguo secundò afferendo disparem rationē, cur pluralitas personalitatum in sententia Catholica nullam afferat compositionem, afferat autem in Durandi sententia pluralitas personalitatum & essentiæ: quoniam vt optimè docet, & clarissimè explicat S. Thomas de Potentia quæst. 7. art. 1. ad 10. *Pluralitas personarum nullam compositionem in Deo inducit: personæ enim dupliciter possunt considerari; vno modo secundum quòd comparantur ad essentiam, cum qua sunt idem re; & sic patet quòd non relinquitur aliqua compositio;* quia scilicet deest distinctio plurium, ad quamlibet compositionem essentialiter requisita; *alio verò modo, secundum quòd comparantur ad inuicem, & sic comparantur vt distincta, non vt adunata; & propter hoc, nec ex hac parte potest esse compositio, nam omnis compositio est vnio.* Ad rationem igitur compositi, duo simul sunt essentialiter necessaria, & plurium distinctio, & vnius constitutio ex illis pluribus distinctis. Tres personæ, seu personalitates habent quidem vnionem, imò perfectissimam vnitatem, sed propterea carent distinctione: contra verò comparatæ inter se, habent distinctionem, sed carent vnione. Etenim personalitates diuinæ non vniuntur inter se ad vnum aliquod conflandum, cum essentia verò non vniuntur, sed identificantur.

At in sententia Durandi personalitates comparatæ cum essentia habent vtrumque requisitum, & distinctionem, & vnionem, & ita ex illis verè ac propriè componeretur persona diuina.

23. *Quæ ratione ex Bernardo diuina Trinitas augeat vnitatem.*

Ex his duo possumus intelligere. Alterum, quod rectè atque eleganter scripsit Bernardus lib. 5. de consideratione aliquanto post medium. cum enim dixisset, *Non est compositus Deus, merum simplex est, si dici possit, vnissimus est.* ita sibi obiicit, *Trinitas est, tamen Deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de vnitate, quia inducimus Trinitatem? Non, sed statuimus vnitatem.* Quomodo autem per Trinitatem statuatur vnitas, sapientissime ac subtilissime probat per omnimodam identitatem ex natura rei inter vnam Dei essentiam, & tres personalitates, seu personas, quoniam, inquit, *Personarum proprietates, non aliud quàm personas; ipsasque non aliud quàm vnum Deum, vnam diuinam substantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam, & summam maiestatem Fides Catholica confitetur.* Ex eo igitur quòd Trinitas personarum in diuinis omnino identificatur cum vno Deo, sicut in ratione entis statuit, & non destruit, diuinam naturam, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita etiam in ratione vnius; cum vnitas entitatem consequatur. Alterum, minimè cohærere cum hac Bernardi doctrina Alliacensem 1. sent. q. 5. art. 1. aliquanto post medium in quadam prima propositione, vbi dicit, *Quòd Deus, seu diuina essentia non est simpliciter simplex, quia non excludit pluralitatem suppositorum. Et quòd essentia diuina non est tam simplex, quàm simplex est diuina persona, quia essentia plures res, & non persona.* Ex eo erasse videtur, saltem in modo loquendi, quia illam rerum, & suppositorum pluralitatem, quæ est in diuina Trinitate, & verè est solum pluralitas per comparationem ad ipsasmet personas, considerauit etiam vt pluralitatem per comparationem ad essentiam, respectu cuius non est pluralitas, & Trinitas, sed simplicissima vnitas, & propterea est quædam pluralitas statuens vnitatem. Imò contrà potius videtur esse maior quodammodo simplicitas, & vnitas in essentia, quàm in persona; tum quia persona ab alia persona realiter distinguitur, quo pacto à nulla persona distinguitur essentia; vbi autem est minor distinctio, cæteris paribus, maior est vnitas, tum quia persona est, secundum nostrum modum concipiendi, quid conflatum ex essentia & personalitate: essentia verò est quidem personalitatibus identificata, tamen non composita ex illis, neque re, neque ratione: sed compositio directè opponitur simplicitati; ergo maior quodammodo simplicitas in essentia, quàm in persona.

Reiicitur dictum Alliacensis.

24. *Soluitur instantia Durandi.*

Ex his quoque patet, quòd, sustinendo responsionem, quam suprà n. 17. ipsemet Durandus contra se affert pro catholica sententia, nempe, non fieri compositionem ex reali differentia trium personarum, quia non est plurium in eodem supposito, non valet instantia Durandi dicentis, Ad compositionem sufficere quòd illa realis differentia sit plurium in eadem subsistentia absoluta; tum quia respectu subsistentiæ absolutæ, nulla est pluralitas, nulla distinctio, vt tum S. Thoma dictum est: tum quia falso assumit, vt inferiùs ostendam, in tribus personis non esse nisi vnicam subsistentiam absolutam. Augustinus autem ibi citatus, affirmat quidem in Deo esse vnicum subsistere absolutum, sed non negat tribus personis tres proprias subsistentias relatiuas. Quicquid verò sit de hac controuersia, veritas diuinæ simplicitatis ex illa non pendet, sed solum ex eo quòd inter tres personas & essentiam nulla prorsus est actualis distinctio in ipsa re, siue tres personæ subsistant tantum vnica subsistentia absoluta, siue præterea tribus subsistentiis relatiuis.

Ad authoritates Patrum docentium, in diuinis non esse aliud quod habet, & aliud quod habetur, respondet primò Durandus num. 39. *quòd omnes intelligantur de absolutis, quæ nullo modo differunt ab essentia, nisi secundum rationes.* & pro hac responsione affert affert Augustinum, ita dicentem, *In quo ad semetipsum dicitur Deus, & non ad alterum, hoc est quod habet; sicut ad semetipsum dicitur vnius habendo vitam, & eadem vita ipse est. Illa autem,* addit Durandus, *sunt absoluta, in quibus ad semetipsum dicitur Deus, & non ad alterum.* Quod ratione confirmat, *quia relatio non est quod, sed cuius. ergo relatio, vt relatio est, non est quod habetur, vel quod inhæret.*

25. *Quid Durandus respondeat ad Patres.*

Respondeo, Patres sæpissimè loqui de absolutis, sæpe etiam loqui de relatiuis, & de omnibus in genere; vt patet ex Athanasio, ipsomet Augustino, Anselmo, Damasceno, Nazianzeno, Bernardo, Riccardo Victorino citatis n. 13. Quare Augustinus non putandus est sibi contrarius, sed explicandus de relatiuo in ordine ad suum correlatiuum, seu secundum esse *Ad*, sub qua formali ratione dicitur ad alterum, à quo distinguitur; non de relatiuo in ordine ad essentiam, seu secundum esse *In*, sub qua formali ratione dicitur ad semetipsum, sicut dicitur ipsamet essentia cum qua identificatur. Ex quo ad rationem patet ex dictis suprà art. 1. dub. 1. quòd relatio vt relatio non solum est *Cuius*, secundum esse *Ad*, sed etiam est *Quod*, secundum esse *In*: tametsi clarius explicet illud, quàm hoc. Verè enim diuina paternitas non solum est respectus ad Filium, sed etiam est respectus Dei Patris ad Filium. Et ipsemet Durandus eam vocat modum; omnis autem modus essentialiter est aliquid rei modificatæ, quæ in relatione est subiectum, vel essentia quasi subiectum, & non terminus.

Durandi responsio confutatur.

Et ideo, intelligendo melius authoritates etiam de relatiuis, respondet secundò quòd essentia habens, & relatio habita, *non sunt idem adæquatè & conuertibiliter; vel si sunt idem identicè, non tamen idem sunt formaliter.* Verum hoc etiam effugium est contra mentem Patrum, vniuersalissime loquentium, ita vt Athanasius solam esse doceat differentiam rationis, & significationis nominum. Et Augustinus neget etiam modalem differentiam quam habet modus figuræ à quantitate modificata. Et Damascenus inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum idétitatem ponat *secundum omnia*, exceptis tantum relatiuis proprietatibus: distinctionem verò ab essentia ponat solum *ratione & intelligentia.* Et tam Damascenus, quam Nazianzenus, Bernardus, & alij velint verius, & exactius prædicari in diuinis abstractum de concreto, vt Pater est Deitas, quam concretum de concreto, vt Pater est Deus. Quæ omnia euidenter ostendunt, nullam esse in re actualem distinctionem, neque realem, neque formalem, neque modalem. Saltem Patres eodem plane modo loquuntur de absolutis, cum ab illis, etiam secundum ipsum Durandum, omnem ex natura rei distinctionem tollunt. Demum quod dicitur de non esse idem *adæquatè & conuertibiliter*, potest quidem habere locum in sententia ponentium identificationem à parte rei, quæ duplex esse potest, vel adæquata, & conuertibilis, quomodo identificantur in Deo, v. g. sapientia & potentia, vel inadæquata, & non conuertibilis, quomodo identificantur Deitas & paternitas; sed qua ratione locum habere possit in sententia ponentium aliquam veram ac propriam distinctionem à parte rei inter duo, seu plura, quorum vnum re ipsa non est aliud, est inintelligibile: quia illa duo dicuntur non esse idem adæquatè, quia sunt idem inadæquatè; at quando duo sunt à parte rei inuicem distincta, ita se habent, vt totum

Alia Durandi responsio refertur & impugnatur.

totum quod est vnum, nihil omnino sit alterius, à quo totaliter, hoc est, secundum totum suum esse distinguitur: inter quæ nulla prorsus identitas, neque adæquata, neque inadæquata fingi potest.

Probatur eadem conclusio aliis rationibus.

26. *Arguitur secundò ex diuina vnitate.*

Secunda demonstratio Theologica sumitur ex Dei, & trium personarum vnitate, quæ tanta est, vt Filius Dei propriè dixerit Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus.* & Ioannes epistola 1. c. 5. *Tres sunt, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Athanasius. Quæ verba exponens Athanasius lib. 1. de vnitate Deitate, multò post medium, ait, *Per omnia vnum sunt.* Et Cyrillus. Cyrillus lib. 1. dialogorum de Trinitate columna 5. *Diuinam si quis agnominaret naturam, integram nobis quasi in vno significato ostenderet statim sanctam Trinitatem, quæ in vna Deitate intelligitur.* Et Damascenus. Damascenus lib. 1. Fidei c. 21. *Secundum omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* & omnium clarissime & elegantissime Bernardus. Bernardus lib. 5. de consideratione circa medium Deum nouo nomine vocat, *vnissimum.* Et paulò post ita cum Boëtio addit, *Hoc verè vnum, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præter id, quod est. Compara huic vni omne quod vnum dici potest, & non erit vnum.* Et post multa, numeratis pluribus vnitatum generibus, subdit. *Verum hæc omnia quid ad illud summum, atque (vt ita dicam) vnicè vnum? Huic vni quodvis illorum si assimiles, erit quoquo modo vnum: si compares, nullo. Igitur inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt.* Et Riccardus de sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 17. Riccardus Victorinus. *Vbi summa simplicitas, vbi vera & summa vnitas. Quicquid ergo in summo bono est, verè & summè vnum est; nec aliud, & aliud ibi esse potest, sed idem ipsum est totum quod est.* Sed iste conceptus maximæ vnitatis, quem per Scripturas, & Patres explicata Fides tradit, euidenter stare non potest cum actuali distinctione diuinæ naturæ à tribus personis. Vbi enim est distinctio, ibi aliquo vero modo plura, & multa sint necesse est; ergo non simpliciter & absolutè vnum. Aliud enim est de pluribus dicere, sunt vnum tale, aliud vero sine vllo addito sunt vnum. v. g. de Petro & Paulo in aliquo vero sensu dici potest, sunt vnus homo, sed falsò simpliciter dicerentur, sunt vnum; tametsi in natura humana specifica vniantur, vel omnino ex natura rei, vt hodie multi tenent, vel saltem realiter, si non formaliter, quo solo modo vult Durandus vniri tres personas cum Deitate. Et si, quod est magis ad rem, eadem individua Christi humanitas assumpta à Filio, assumeretur etiam à Patre, & Spiritu sancto, adhuc tres personæ, vt personantes vnam naturam humanam, essent vnus singularis homo, non autem essent simpliciter & absolute vnum; scilicet propter solam in re ipsa distinctionem illius humanæ naturæ à tribus diuinis personalitatibus. Propriè igitur vnum, si nil aliud addas, significat aliquid in se indiuisum, siue indistinctum. Ergo si Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum in Deitate, ergo in Deitate sunt in se indistincti simpliciter; alioqui non essent vnum potius quam plura; & essent vnum tale, nempe, vnum realiter, non formaliter, & vnus Deus, non tamen vnum; &, vt ait Athanasius, *vnum per omnia*, &, vt ait Damascenus, *vnum secundum omnia*: nec nomine Deitatis significaretur, & intelligeretur sancta Trinitas, contra Cyrillum; nec Trinitas esset vnissima, & omnino incomparabilis cum aliis vnitatibus, contra Bernardum: quia etiam in rebus creatis datur vnum realiter, in quo sint plura formaliter, vel modaliter distincta, vt in eadem quantitate sunt vnum realiter multa inter se, & à quantitate modaliter distincta; v. g. inhærentia, figura, extensio localis, &c. Ex diuina igitur Trinitatis vnitate, quæ summa ac maxima est, & suprà omnem aliam vnitatem, secundum quam tres personæ comparatæ cum natura, & natura comparata cum tribus personis, sunt absolutè, & simpliciter & propriissimè vnum, euidenter deducitur, nullam prorsus distinctionem ex natura rei esse inter Deitatem, & tres personas. Nam, vt docet Ambrosius. Ambrosius. 2. ad Corinthios 5. aliquanto ante finem, *Ibi est vnitas, vbi nulla est differentia.* Quod debet intelligi potissimum de eo, *in quo nullus numerus, nullum aliud, præter id quod est*, vt dicunt Boëtius & Bernardus suprà, & quod *verè & summè vnum est, & non aliud & aliud*, vt ait Riccardus suprà.

27. *Arguitur tertiò ex diuina infinitate.*

Tertia ducitur ex omnimoda infinitate, & illimitatione naturæ diuinæ, quam fide credimus, vt probaui tomo 1. q. 7. art. 1. n. 2. nam teste Theodoreto in epitome diuinorum decretorum in 1. cap. Theodoret. *De principio*, circa medium, *Deum esse infinitum, non circumscribi posse, aut quoad substantiam, aut quoad potentiam, & ex veteri, & ex nouo Testamento didicimus.* Quæ infinitas tanta est, vt de diuina magnitudine dixerit magnus Dionysius de diuinis nominibus cap. 9. initio, Dionysius. *omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit.* & Nazianzenus oratione 2. in Pascha, non longè à principio Deum vocauerit, Nazianzen. *pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatum*: quod, vt magis explicat Damascenus lib. 1. Fidei, c. 12. paulò post principium, *totum in se ipso comprehendens, habet ipsum esse, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminum.* & Patres, & Scholastici communiter, citati suprà q. 2. art. 1. n. 20. Deum definiuerint, *Id quo maius cogitari non potest.* Ex hac infinitate necessario sequitur, vt diuina essentia, quæ essentialiter habet esse à se, & omni ratione irreceptum, non sit hoc tantum ens, & non aliud, sed sit omne prorsus ens, quod nullam includit imperfectionem, & cum quo nullam dicit oppositionem; alioqui non esset omni modo, & simpliciter, & prorsus infinita; & respectu illius rationis entis perfecti, & non oppositi, si esset in Deo, & non identificaretur cum diuina natura, sed ab ea distingueretur, esset sine dubio illa natura aliquo vero modo limitata in ratione entis. Sed relationes diuinæ nullam includunt imperfectionem, & sunt in diuina natura, cum qua non opponunt, sed maximè cohærent, tamquam personalitates cum natura intellectuali, & tamquam relationes cum suo fundamento. Ergo à parte rei illa natura sibi omnino identificat relationes. Hoc argumentum facere videtur Gregorius Nyssenus Nyssenus. lib. ad Ablabium, *De eo, quod non putandum sit, tres dici Deos oportere*, illis verbis aliquanto ante finem, *Quod prorsus est infinitum non aliqua quidem re definitur, aliqua vero non, sed omni ratione infinitas effugit definitionem.* Et tangit Riccardus Victorinus lib. 2. de Riccardus Victorinus. Trinitate c. 20. medio, dum de vera, ac summa vnitate, simplicitate, atque identitate diuinæ naturæ, ait, *In infinitate identitate habet summe simplex, & incommutabile esse.*

28. *Arguitur quartò ex diuina actualitate.*

Quarta sumitur ex purissima naturæ diuinæ actualitate, excludente omnem passiuam potentialitatem; in quo sensu omnes Patres, & Scholastici confitentur, Deum esse actum purum, si enim Deus & relatio, v. g. paternitas, ita sunt plura à parte rei distincta, vt tamen sint etiam simul vnita, si non ad propriè componendum aliquod compositum, saltem ad constituendum aliquod vnum, tertium, quod neque est Deus tantum, neque paternitas tantum, sed Deus Pater, ex Deo & paternitate constitutus; est plane inintelligibile, alterum illorũ non

S. Thomas.

non esse potentiam, alterum actum. *Non enim plura possunt simpliciter fieri vnum*, inquit optimè S. Thomas 1. contra gentes c.18. initio, *Nisi aliquid ibi sit actus, & aliquid sit potentia. Quæ enim actu sunt, non vniuntur nisi quasi colligata, vel sicut congregata, quæ non sunt vnum simpliciter; in quibus etiam ipsæ partes congregatæ sunt sicut potentia respectu vnionis; sunt enim vnitæ in actu, postquam fuerint in potentia vnibiles.* Hoc autem ego probo primo, quia quod est formaliter, & per se primò tale per aliquid à se distinctum, & non per illud idem quod ipsum est, habet respectu huius distincti, tamquam formæ, rationem informati, & subiecti; ergo potentialis. Sed Deus denominatur, & verè est formaliter Pater, per paternitatem à se distinctam ex natura rei. Ergo Deus est verè ac propriè subiectum informatum, & potentiale respectu paternitatis, non minus quàm homo pater per creatam paternitatem, eodem modo à se modaliter distinctam. Addidi in prima propositione, vnde cætera euidenter deducuntur, *per se primò*, ad satisfaciendum

Scotus.

Scoto 1.d.8.q.4. §. *contra istam solutionem.* obiicienti exemplum de toro physico, quod denominatur tale formaliter à forma physica, cuius tamen non est subiectum ipsum totum. Enim verò forma substantialis non denominat formaliter per se primo, & immediatè totum, sed partem totius materialem, & potentialem, quæ immediatè & per se primò informatur, & subiicitur alteri parti materiali. V.g. anima per se primò, & immediate denominat formaliter animatum, non hominem, sed corpus, sicut verè non informat hominem, sed solum corpus. Ergo pari ratione, si nihil præter Deum fingi potest, qui intrinsecè denominetur formaliter Pater, per paternitatem à Deo distinctam ex natura rei, paternitas respectu Dei non potest non se habere vt forma, verè ac propriè informans. Vnde in Deo, necessario deducitur imperfectio passiuæ potentialitatis. Secundò, Deus vt distinctus actualiter à paternitate, non est formaliter, neque omnino identicè à parte rei ipsa paternitas: est verò capacitas paternitatis, qua fieri possit formaliter Pater, qualis non est in sua intrinseca natura, secundum quam re ipsa à paternitate distinguitur. Sed ista capacitas, est manifestè receptiua, & passiua, atque potentialis. Ergo per distinctionem actualem relationum, ab essentia, defendi & concipi non potest in Deo prædicatum essentiale purissimi actus.

29. *Arguitur quintò ex duplici axiomate de Trinitate.*

Quinta & vltima via sumitur ex eo, quòd contraria opinio teneretur negare duo Axiomata receptissima in sana Theologia. Alterum est, In diuinis omnia sunt vnũ, & indistincta, nisi obstet relationis oppositio. Hãc autem oppositionem habent diuinæ relationes solum comparatæ cum aliis correlationibus, non verò comparatæ cum essentia. Ergo relationes sunt prorsus vnum, & idem cum essentia. Alterum, nullam in diuinis dari posse distinctionem absque reali processione. Sed certum apud omnes fideles est, Paternitatem non procedere realiter ab essentia diuina. Ergo certum quoque esse debet, Paternitatem nullo modo in re distingui ab essentia diuina.

DVBITATIO II.

An, & quo modo ratione distinguantur in Deo relatio & essentia.

SVMMA.

1 *Probatur distingui ratione simpliciter, & non à Deo, & beatis, sed à viatoribus, num.30. & 31.*
2 *Probatur distingui sola ratione, num.32.*
3 *Probatur non distingui sola ratione ratiocinata, n.33. & 34.*
4 *Distingui ratione ratiocinata, probatur primò ex Patribus, n.35. ad 38.*
5 *Idem probatur secundò ratione, num.38. ad 42.*
6 *Obiiciuntur Patrum authoritates, n.42. ad 46.*
7 *Obiiciuntur rationes, n.46. ad 58.*

30. *Prima conclusio, Distinguuntur ratione.*

PRima conclusio, Distinguuntur simpliciter ratione. Hoc est omnium Patrum, & Scholasticorum, paucis exceptis, omnem rationis distinctionem negantibus, quos refero, & impugno tomo 1.q.4. art.2.dub.14.num.111. & manifesta experientia certum est, quia nemo non format alium conceptum de Deitate Dei Patris, & alium de paternitate Dei Patris. Constat autem Deitatem & paternitatem non esse synonyma. Ergo Deus Pater aliud esse obiectiuum, siue in apprehensione creaturæ habet, vt conceptus & significatus conceptu & nomine Dei, aliud vt conceptus, & significatus conceptu, & nomine Patris. Nihil autem aliud est distingui ratione, nisi substare pluribus rationis, siue intellectus conceptionibus, & per ordinem ad illas habere aliud, & aliud esse obiectiuum. Dixi, *in apprehensione creaturæ*, quia distinctionem rationis non posse habere locum respectu intellectus diuini, ostendi loco citato n.118. & 119. tamquam ex terminis ipsis ferè notum: cum euidenter absurdum appareat, aliquid per rationem actu indistinctum, qualis est ratio diuina, fieri ac denominari actu distinctum per rationem. Forma enim extrinsecè denominans rem actu distinctam ratione, est ratio actu distincta. Sed ratio diuina esse non potest actu distincta, quia Deus, vt docet S. Thomas suprà q.14. art.14. circa medium corp. *Vnumquodque cognoscit, per simplicem intelligentiam intelligendo essentiam vniuscuiusque: sicut si nos in hoc ipso, quod intelligimus quid est homo, intelligeremus omnia, quæ de homine prædicari possunt.* Ergo nihil, neque creatum, neque increatum, denominari extrinsecè potest actu distinctum ratione per ordinem ad rationem diuinam, sed solum per ordinem ad rationem creatam.

Non distingui ratione per intellectũ diuinum & beatum.

S. Thomas.

31. *Rationis distinctionem non esse ab æterno.*

Vnde sequitur primò, distinctionem rationis non fuisse ab æterno, quia ab æterno nullus intellectus fuit nisi diuinus, qui vt rectè ait Capreolus 1. d.8.q.4.art.2. circa finem ad 1. *ab æterno intellexit essentiam suam sub vnica ratione, quæ includit indistinctè omnes rationes de essentia sua formabiles, ideo ipse non concipit distinctas rationes de ipsa.* Sequitur secundò eamdem distinctionem, vt notat idem Capreolus suprà ad 9. oriri ex intellectu imperfectè, atque inadæquatè concipiente. Quod pulchrè exprimit Bernardus lib.5. de consideratione inter medium, & finem, cùm enim interrogasset, *Quid est Deus?* & respondisset, *Longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*; & sibi obiecisset, *Quid inquis? tenemus te quaternitatis, quam abominatus es, professorem*, ita respondet, *minimè: Abominatus sum, & abominor. Visus sum protulisse plura, sed vnum est. Vnus Deus signatus est pro capite nostro, non pro suo statu. Diuisus est hic, non ille. Voces diuersæ, semita multa, sed vnus per eas significatur, vnus quæritur.* Et paulò post, *Nobis autem quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quatruplicatum. Facit hoc, speculum & ænigma, per quod solum interim videre datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissiliere in suam pluralitatem. Colliget se magis, adunabit, conformabitur vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei.* Imperfectionem distinguentis, apertè significant illud, *pro captu nostro*: & illa

Capreolus.

Bernardus.

illa causalis, *Quia non possumus cum Deo simplicitate contendere*, &c. & quia distinctionis originem refert ad cognitionem specularem, & ænigmaticam, & cũ doceat, ipsas etiam beatas creaturas, quia vident Deum sicuti est, non posse circa Deum facere distinctionem rationis, eam multò minus facere potest Deus, qui infinitè perfectius se ipsum videt comprehendendo. Præterea plures actus ad distinctionem rationis necessarios non obscurè significat, dum dicit, *Diui sus est hic, non ille*, hoc est, intellectus distinguentis, non Deus, qui ratione distinguitur. & subdit, *Voces diuersæ, semitæ multæ, sed vnus per eas significatur, vnus quæritur*: hoc est, multæ cogitationes sunt, quibus ad diuinam vnitatem apprehendendam imperfectè tendimus, quam imperfectionem postea vocat, suam pluralitatem, ob plures apprehendendi actus. Constat demum contra Durandum 1.d.33. q.1.n.36. quaternitatem, quam Bernardus dicit, se abominatum esse, & abominari, non esse solam quaternitatem personarum, aut rerum propriè, ad quod genus non spectant *longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*, quam quaternitatem à Deo reiicit, sed quorumcumque entium actu distinctorum, & verè plurium à parte rei. & ideo statim loquitur indefinitè & vniuersaliter de pluribus & vno, dicens, *Visus sum protulisse plura, sed vnum est.* Quod autem est simpliciter vnum, imò vnissimum, imò ipsa mera, & simplicissima vnitas, quibus verbis vnitatem Dei superiùs explicauerat Bernardus, in eo certè nulla potest esse pluralitas, nulla distinctio.

Quam quaternitatem Bernardus neget in Deo.

32. *Secunda cõclusio, Distinguuntur sola ratione.*

Secunda conclusio, Distinguuntur sola ratione. Ita in Concilio Florentino fatentur omnes tam Latini, quàm Græci, vt refero suprà n.10. Dicunt enim distingui, vel *sola ratione*; vel, quòd idem est, tantum ratione, apprehensione, intelligentia. Et sentire debent omnes Patres; & Scholastici, qui contra Gilbertum, & Durandum tenent, non distingui aliquo modo ex natura rei: quia, sicut non datur medium aliquod ens inter ens à parte rei, & ens rationis, ita neque datur media aliqua distinctio inter distinctionem à parte rei, & distinctionem rationis, vt cum Heruæo Quodlibeto 1. q. 2. §. *Modò restat tertiò*, probaui in 1.tomo q.4.art.2.num.113. Ergo si relatio & essentia simpliciter distinguuntur, ex conclusione prima & nullo modo distinguuntur à parte rei; ergo distinguuntur sola ratione.

Heruæus.

33. *Tertia conclusio, Distinguuntur ratione ratiocinata.*

Tertia cõclusio, Distinguuntur, non sola ratione ratiocinante, absque vllo fundamẽto in re, quo modo distinguitur Deus à se ipso, cum dicitur, Deus est Deus; sed etiam ratione ratiocinata cum maximo fundamento in re. Quas duas distinctionis rationis veluti species explico, & probo loco citato à n.114. Hanc conclusionem omnes expressè admittunt, vel in his terminis, quibus recentiores vsi sunt, vel in aliis terminis æquiualentibus, quibus Patres, & veteres Scholastici loquuti sunt. Quamquam S. Thomas ad hos nostros terminos propinquissime accedit 1. d.2. q.vnica, art.2. in medio corporis de diuinis attributis dicens, *quòd sunt diuersa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei: quæ quidem rationis distinctio*, inquit d.22.q.vnica, art.3. in fine corporis, *saluatur in proprietate & veritate: & non tantum in intellectu ratiocinantis.* Et eadem, imò, vt mox ostendam, multò maior ratio est de essentia & relatione. Neque arbitror posse aliquem dissentire, modo non neget omnem rationis distinctionem simpliciter. Nam in contrarium refertur communiter Præpositiuus dicens, vt refert Altisiodorensis apud Maiorem 1. d.25.q.vnica circa principium, *quòd paternitas est Pater, nec est differentia nisi in modo loquendi, siue in modo significandi*, siue, vt refert S. Thomas infrà, q.4. art.1. initio

S. Thomas.

Præpositiuus apud Altisiodorensem, & Maiorem, & S. Thomã.

corporis, *Quòd cum dicitur in diuinis paternitas, intelligitur Deus Pater.* Verum in bono sensu dixerunt Altisiodorensis & Maior supra, *Opinio Magistri Præpositiui est multum probabilis*: qua nihil aliud significare voluit, vt ipsi exponunt, nisi quia, quod verissimum simpliciter est, *Deus Pater, cum sit omni modo simplex, se ipso refertur ad Filium, se ipso generat Filium: sicut Deus se ipso creat, se ipso & iustificat, propter omnimodam simplicitatem.* Potest igitur ac piè debet explicari de paternitate, quæ sit Pater à parte rei, & propterea, quòd nomine paternitatis significetur, & intelligatur id, quod re ipsa est Deus Pater.

34. *Quid sentiat Aureolus.*

Refertur præterea à multis Aureolus 1.d.1.q.1. art.2. initio dicente, *Quòd impossibile est, diuinam essentiam seorsum concipi a personis*: quia, inquit, *essentia non habet propriam vnitatem realiter, nec etiam intelligibiliter, sed essentia & paternitas fundant penitus eamdem vnitatem, & secundum rem, & secundum intellectum, sic quòd nullus intellectus, etiam diuinus, potest præcisè concipere essentiam, & præcisè paternitatem, quamuis essentia sit res, & paternitas res.* Verùm infra in tertia ratione principali in fine apertè concedit duos actus, quorum altero concipiatur *directè*, tantum paternitas, & *coincluſiuè essentia*; contra autem altero concipiatur directè essentia tantum, & paternitas *per coincluſionem.* Quæ tandem opinio reducitur ad aliam, quam art.5.ad 12. magis explicat, de essentiali inclusione paternitatis in concepru intrinseco, & quidditatiuo essentiæ diuinæ, & de inclusione essentiali essentiæ in conceptu intrinseco, & quidditatiuo diuinæ paternitatis. Vnde necessariò sequitur, essentiam & relationem distingui quidem ratione ratiocinata, tamen non perfectè per omnimodam exclusionem alterius in esse obiectiuo, sicut in rebus creatis distinguuntur rationalitas & animalitas, vel essentia, & existentia, in sententia eorum; qui hæc à parte rei distinguunt; sed imperfectè per solam exclusionem explicitam alterius in esse obiectiuo, sicut in communi & vera sententia ratione distinguuntur ens, & substantia: qui enim explicitè concipit ens, non concipit explicitè substantiam, vel accidens, sed implicitè; & qui corripit explicitè substantiam, vel accidens, non corripit explicitè ens, sed tantùm implicitè. Quæ quidem opinio, etsi mihi non placeat, tamen nullam merctur notam, cum multos graues patronos habeat, vt constabit ex sequentibus dubitationibus. In eodem, vel aliquo alio bono sensu, explicari possunt alij nonnulli, qui contra hanc conclusionem afferuntur. In quam explicationem valdè propensi debent esse Theologi ad honorem, & defensionem huius sacrosancti mysterij de Trinitate personarũ in vnitate naturæ. Quod quidem sine hac distinctione rationis ratiocinatæ efficitur prorsus intelligibile. Et ideo referuntur Ariani eam acriter impugnasse. Inter quos Eunomius apud Basilium lib.1. contra Eunomium, multò post principium dicebat, Innascibilitatem in Deo *non esse quid consequens, sed in substantiæ ratione contentum: vt hoc demonstrato, consentaneum habeat, alterius esse substantiæ vnigenitum, quam Pater sit.* Quamobrem è contrario Patres in hac ipsa rationis ratiocinatæ distinctione asserenda, atque explicanda, frequentissimi, ac diligentissimi sunt.

Necessitas distinctionis ratiocinatæ in materia de Trinitate.

Basilius.

Distinctio rationis ratiocinatæ probatur ex Patribus.

35. Iustinus.

Probatur igitur conclusio primò ex Patribus. Iustinus Martyr in expositione Fidei de Trinitate, non procul à principio ait, *Hæc verba, ingenitum, genitum, profectum, non naturæ, essentiæque sunt nomina, sed modi,*

modi, ac rationes, quibus res constant. Essentiæ verò explicatio, Dei significatur, ac declaratur appellatione. Qua veritate declarata, nonnullis interiectis, ita iterum concludit, *Non igitur ingeniti, geniti, & profecti, nomina essentiam declarant, sed hypostases.* Nominum significatio opus est humanarum conceptionum; ita vt id mente concipiamus, quod significamus voce. Sed per Iustinum nominibus personarum propriis significamus subsistentias personales, non essentiam; ergo concipimus subsistentias personales, non concepta essentia. Quando autem duo ita se habent, vt dum concipitur vnum, nihil alterius concipiatur, est maxima rationis distinctio, quam vocamus, rationis ratiocinatæ. Idem clarius Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinitate, paulò post principium, *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas; non vt alia, & alia res*; hoc est, non vt ea quæ re ipsa inter se distinguuntur; *sed quod hypostasis quidem aliud, aliud verò Deitas significet.* Quod post medium reperit, & hoc exemplo explicat, *vt granum frumenti dicitur, & est tum semen, tum fructus, non vt res alia, atque alia; aliud enim declarat semen, aliud fructus: quoniam semen quidem, futuræ culturæ semen, fructus verò est, præteritæ culturæ fructus.* Et statim explicat, esse valde diuersum, quod in esse significatiuo, & obiectiuo declarat essentia, ab eo quod declarat hypostasis. *Essentia*, inquit, *declarat communitatem; & si quid est essentiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. Hypostasis autem præterquam quòd numerum admittit, proprietatem habet minimè communem hypostasibus, quæ essentia subsunt.* Eamdem doctrinam cum eodem frumenti exemplo latius affert Basilius aliquanto post verba citata. & lib. 2. contra Eunomium, aliquanto post principium ita breuius, *In Patre ac Filio non significant substantiam nomina, sed proprietates designant.* Nazianzenus oratione habita in præsentia centum quinquaginta Episcoporum, paulò post medium loquens de personalitatibus Patris, Filij, & Spiritus sancti ait, *Circa naturam hæc considerantur, non autem ipsa natura sunt.* Et oratione 3. de Theologia multò ante finem Arianis interrogantibus, & contendentibus nomen Patris esse nomen essentiæ vel operationis, vt hinc inferant, eius Filium esse ab eo essentia diuersum, & opus ab ipso factum respondet, *Pater neque essentiæ, neque operationis est nomen: sed tantum relationis habitum quemdam significat, nimirum vt Pater se habeat ad Filium, & vicissim Filius ad Patrem.*

Athanasius.

Basilius.

Nazianzen.

36. De eadem distinctione rationis ratiocinatæ, & non de maiori distinctione ex natura rei, dixit Hilarius lib. 8. de Trinitate, aliquantò ante medium, *Non idem est enim natura, quod natura res*, hoc est, personæ, vt omnes explicant cum Magistro 1. d. 34. circa principium: hæc enim verba affert Hilarius occasione eius quod immediatè ante quærit de nomine Spiritus Dei in Scriptura, *Utrumne naturam, an rem naturæ significatam existimes?* hoc est, an naturam ipsam diuinam, quæ Spiritus est, an potius aliquam naturæ diuinæ personam, quæ sit Spiritus Dei sanctus. Quare cum subdit, *Non idem est enim*, &c. ex contextu non cogimur intelligere de non esse idem re, sed satis est intelligere de non esse idem, vel re, vt in rebus creatis, de quibus statim, tamquam de notioribus, exemplificat Hilarius, vel saltem ratione & significatione, de qua solum expressè quæsierat. Ambrosius lib. de Incarnationis Sacramento, c. 9. circa medium, *Si naturam cupio designare diuinam, Deum verum debeo nominare. Cum autem Filium dico, generatum significo. Cum Patrem quoque dico, generasse declaro.* Inter hæc igitur, quæ in re sunt idem omnino, perfectam significationis, & consequenter, rationis distinctionem agnoscit Ambrosius. In quo sensu Nyssenus toto lib. de differentia, essentiæ & hypostaseos, docet *hæc nomina differre significatione, atque ratione.* Augustinus, etsi sæpe locis & verbis citatis supra n. 13. ad excludendam omnem distinctionem ex natura rei doceat, nō esse in Deo aliud naturam, aliud personam; tamen perfectam rationis distinctionem apertè tradit lib. 7. de Trinitate c. 1. paulò post medium, vbi cum vniuersalissime, tam de rebus creatis, quam increatis dixisset, *Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est etiam aliquid excepto relatiuo*; nimirum vel re ipsa, vt in creaturis, vel ratione ratiocinata, vt in Deo, id paulo post diuinis accommodat, illis verbis. *Quapropter si & Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino, qui relatiuè dicatur ad aliquid.* Sed Pater diuinus ad se ipsum dicitur per essentiam Dei: ergo hæc secundum Augustinum, *est aliquid excepto relatiuo.* Vnde consequenter subdit c. 2. paulò post principium, *Non eo Verbum, quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relatiuè ad eum, cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem; sapientia verò eo quo essentia.* Propter eamdem rationis distinctionem, dicit c. 4. circa finem, *Aliud Deo est esse, aliud Patrem esse: quod enim est, ad se dicitur; Pater autem ad Filium dicitur.* Damascenus loco, & verbis citatis supra num. 13. docet, Deitatem à personalitatibus distingui ratione, & intelligentia. Esse autem intelligendum de ratione ratiocinata, ipsemet explicat deinde lib. 3. Fidei c. 6. circa principium de natura Deitatis dicens, *Substantia secundum se ipsam hypostasis non est, sed in hypostasibus seruatur.* Et ex hac distinctione rationis ratiocinatæ cum omnimoda vnitate ex natura rei oriri ait, quòd, *patiente vna hypostaseon, omnis substantia, quatenus passa hypostasis, passa esse dicitur in vna sui ipsius hypostaseon; non tamen necesse est, omnes eiusdem speciei hypostases simul pati cum hypostasi patiente. Sic & in humanatione vnius sanctæ Trinitatis Dei Verbi, dicimus Diuinitatis naturam in vna sui ipsius hypostaseon vnitam humanæ naturæ; nulla tamen nos cogit necessitas, vt dicamus, omnes hypostases vnitas esse; nam nulla ratione communicauit Pater, & Spiritus sanctus incarnationi Dei Verbi, nisi secundum acceptationem, & voluntatem.*

Nyssenus.

Augustinus.

Damascen.

37. Eamdem perfectam rationis distinctionem clarissimè explicant Patres per particulam aliquam reduplicatiuam, qua docent, aliud verè ac realiter tribui Deo in quantum Deo, & aliud personæ in quantum personæ. Quod est distinguendi fundamentum adeò vrgens, vt inde nonnulli maiorem ex natura rei distinctionem ante omne opus intellectus arguere non dubitauerint. Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinitate circa medium ait, *Deus à Deo nihil differt, quatenus Deus est, siue in Deum esse, sed in Patrem esse. & Filium esse: quoniam ille quidem genuit, hic verò genitus est.* Basilius lib. 5. contra Eunomium, initio, Spiritum sanctum esse Deum inde maximè probat, *Quoniam quæcumque Patri vt Deo, non vt Patri insunt, & quæcumque Filio vt Deo, non vt Filio insunt, ea etiam Spiritui insunt.* Chrysostomus homilia 2. ad Hebræos, multò post principium, *Causa Filij Pater est, secundum quòd Pater est.* Ambrosius lib. 2. de Fide c. 2. fine, *Pater est Filius distinctionem habent, vt Pater & Filius; separationem diuinitatis non habent.* Augustinus in Psalmum 68. in id, *Et non est substantia*, ait, *Quicquid est Pater, quòd Deus est*, hoc est, in quantum Deus, *hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus. Cum autem Pater est*, hoc est, in quantum autem Pater, *non illud est, quod illud est*, hoc est, vt exponit Magister 1. d. 33. litera I. *Non illo Pater est, quod, vel quo ipse est, id est essentia, sed notione.* Differre autem Patrem vt Patrem, & Patrem vt Deum, probat Augustinus immediatè post subdens. *Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur. Ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quòd Deus est, hoc*

Athanasius.

Basilius.

Chrysost.

Ambrosius.

Augustinus.

Magister.

hoc ipso substantia est; & quia eiusdem substantiæ Filius, proculdubio & Filius Deus. At verò quòd Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse. Vbi Augustinus accipit substantiam stricte, pro natura & essentia, prout distinguitur contra personam, non largiùs prout distinguitur contra accidens; nam, vt interpretatur Magister suprà, *ipsam proprietatem, substantiam esse non negauit.* & benè reiicit Gilberti sectatores, qui ex his Augustini verbis conabantur ostendere realem distinctionem inter personam & naturam Dei. Neque enim Augustinus dixit, Paternitatem non esse Deitatis substantiam, siue essentiam & naturam, nec è contra, quia contrarium planè docet verbis citatis suprà n. 13. sed solum dixit, Patrem non esse Deum, seu substantiam Deitatis ex formali ratione paternitatis: neque contra, esse Patrem ex formali ratione substantiæ Deitatis, vnde non deducitur necessario nisi distinctio rationis cum fundamento in re, quæ, licèt omnino vnitè & indiuisibiliter, tamen est in se, & formaliter Pater, & formaliter Deus: & illud habet ex illa re quatenus paternitate, non quatenus Deitate; hoc contrà habetur ex eadem re quatenus Deitate, non quatenus paternitate. Idem Augustinus lib. 5. de Trinitate c. 6. fine, *Non secundum hoc, quòd ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri*; *restat vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quicquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo vt secundum substantiam sit æqualis.* Hic rursus opponit substantiam relatiuo, hoc est, naturam personæ; *quod tamen relatiuum*, vt ipsemet expressè se declarat paulò ante in c. 5. *non est accidens, quia non est mutabile.* Cyrillus lib. 1. Dialogorum de Trinitate multò post medium concedit in diuinis, *Filium esse non in substantia alia ab ea, quæ vt Dei; sed in substantia, quæ vt Filij.* hoc est, Filium vt Deum non habere aliam substantiam ab ea quam habet Pater; Filium verò vt Filium habere aliam subsistentiam realiter distinctam à subsistentia Patris. Cuius sententiæ occasione, cum interrogaretur ab Hermia, *Aliud igitur est substantia, alia subsistentia*; respondet, *Etiam, magnum enim inter illa discrimen est.* Nihilominus esse simpliciter rationis, & non rerum discrimen, colligitur ex eo quòd statim illud probat tantum per diuersas nominum declarationes ac significationes, quæ rationis opera sunt. Quod magis explicat lib. 7. multò ante medium illis verbis, *Non in hoc, quòd est Pater, Deus est Pater: neque in hoc, quòd est Filius, Deus est Filius.* hoc est, Pater non est paternitate formaliter Deus, sed Pater. Filius non est Filiatione formaliter Deus, sed Filius. *Non enim Pater*, subdit Cyrillus, *Deus est quia genuit; neque Filius, Deus quia genitus est: sed Deus existens genuit Pater*; *& Filius existens Deus, genitus est Filius.* Eisdem formalibus reduplicationibus passim alij Patres distinctissimè, & verissimè loquuntur de Dei natura & personalitatibus, tribuentes illis prædicata non solum diuersa, sed etiam in verborum speciem contradictoria.

Cyrillus.

Idem probatur ratione.

38. Probatur secundò conclusio ratione, assignando in rebus ipsis quatuor fundamenta, quibus intellectus creatus nisi potest vt ratione ratiocinata, atque perfecta distinguat in Deo essentiam, & relationem inter se. Primum in genere est, quod à reliquis fundamentis necessario præsupponitur, entitatiua quædam plenitudo, siue eminentia, siue infinitas diuinæ naturæ, quæ in sua simplicissima vnitate essentialiter claudit quicquid in vnum identificari non implicat absque vlla imperfectione.

Prædicta distinctionis ratiocinatæ fundamentum primum.

Hoc fundamentum commune est etiam distinctioni attributorum & essentiæ. & non obscurè tangitur à Riccardo Victorino libro 2. de Trinitate cap. 20. illis verbis, *Ibi vera vnitas cum plenitudinis vniuersalitate. Ibi summa simplicitas cum perfectionis immensitate. Ibi summè simplex identitas cum totius consummationis infinitate.* Verè enim essentialis conceptus relationis, vt sic, nullam inuoluit imperfectionem, sed simpliciter ac præcisè sumptus importat tantum aliquam duorum connexionem, habentium inter se aliquem ordinem, seu potius respectum. Et in casu nostro est consubstantialitatis connexio, quæ perfectissima est; & est respectus dantis & accipientis, non ex indigentia vnius, & abundantia alterius, sed ex perfectissima eiusdem omnino communis substantiæ, seu naturæ fœcunditate, quæ essentialiter petit esse in pluribus suppositis, in quibus absque vlla processione, & consequenter, absque vllo respectu dantis, & accipientis esse non potest. Implicat enim in diuinis dari plures personas improductas; sed earum vna improducta, & ab hac aliæ productæ sint, necesse est. ex probatis suprà art. 1. dub. 12. conclusione 1. Neque præterea aliqua necessitas cogit vt relatio, quatenus relatio, sit accidens: sicut enim ratio præcisa speciei, sine expressæ, siue impressæ, non petit esse accidens, quia propriè & formaliter reperitur, etiam in Deo, tametsi accidens sit in creaturis, vt cum S. Thoma, & Caietano notaui tomo 1. quæst. 12. art. 2. num. 28. ita pariter, nihil obstat quo minus ratio relationis, quæ in creaturis est accidens, subsistantia sit in Deo. Neque demum conceptus relationis, siue essendi ad aliud, est oppositus essentiæ absolutæ, quæ habet rationem essendi ad se, vt sæpissimè loquitur Augustinus. non enim absolutum dicitur esse ad se per oppositionem ad esse ad aliud, sed per negatiuam quamdam præcisionem ab illo esse; quia scilicet res vt concepta, & significata nomine absoluto non importat esse ad aliud. Nam, vt docet S. Thomas de potentia q. 9. art. 4 ad 12. *Per se existens quod est esse absolutum opponitur ad non per se existens; non autem ei, quod est ad aliquid.* Quapropter tenent multi, etiam in creaturis, relationem esse à parte rei omnino identificatam cum fundamento, quod semper, vel ferè semper est absolutum. Igitur nihil prorsus impedit, quo minus relatio identificetur omnino ex natura rei cum essentia diuina, quæ in sua simplicissima, atque eminentissima ratione vnitum, & formaliter continet omnem rationem entis, vbi nulla est imperfectio, nulla oppositio.

Relatiue vt sic non dicit imperfectionem.

Relatiuum non est ponendum absolutè.

39. Secundum fundamentum magis proprium est, quia relatio, secundum meam sententiam, quam inferius probabo cum S. Thoma hîc ad 2. in creaturis re ipsa distinguitur ab absoluto, seu fundamento. Quæcumque autem rationes, tam Deo, quàm creaturis formaliter conuenientes, si videntur in creaturis realiter distinctæ, præbent nobis sufficiens fundamentum concipiendi distinctis actibus, & ratione distinguendi easdem rationes vnitas in Deo. Quod fundamentum desumptum per ordinem ad creaturas, ex æquipollentia vnius entis increati ad plura entia creata, habemus etiam ratione distinguentes inuicem Dei essentiam, & attributa, vt fusiùs explico tomo 1. quæst. 4. art. 2. num. 117. & expressè traditur ab Augustino libro 15. de Trinitate cap. 17. multò post principium illis verbis, *Nec distent in eis*, hoc est, Patre, Filio, & Spiritu sancto, *ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud dilectio, siue charitas; sed vnum*

Fundamentum secundum.

Augustinus.

S.Thomas. *aliquid sit, quod omnia valeat.* Sicut, inquit S.Thomas 1.contra gentes c.31. paulò post principium, *Calor & siccitas, quæ in igne sunt qualitates diuersæ, soli attribuuntur per vnam virtutem.*

40. Tertium fundamentum, secundo valdè affine, est, Rationes diuinas, etsi in Deo in vnum essentialiter identificatas, tamen etiam in quantum diuinas in seipsis consideratas, tales esse, vt in suis intrinsecis conceptibus altera alteram essentialiter non includat. In hac enim negatione essentialis inclusionis fundatus intellectus planissima via procedere potest in vnius diuinæ rationis conceptione, per quam nihil omnino de alia diuina ratione concipiat. Alioquin, vt contra Aureolum notabam suprà num.34. si vna ratio essentialiter includit aliam, ac proinde non potest intellectus vnam rationem concipere non concepta alia, iam intellectus concipiendo vnam, adunat, atque identificat vnam cum alia, etiam in esse obiectiuo, seu mentaliter, potius quam vnam ab alia isto modo distinguat: quia per vnicam suam conceptionem non apprehendit vnam tantum rationem diuinam, sed vtramque simul. Neque saluari potest vera ac propria rationis distinctio in esse obiectiuo, quam rectè Patres superius allati explicarunt per *aliud*, & *aliud*, solum ex eo quòd eadem prorsus res per vnum actum concipitur explicitè, ac directè, per aliam verò concipitur implicitè, & indirectè: enim verò hoc non est esse conceptum aliud, & aliud obiectum, sed est esse conceptum semper vnum atque idem, & solum esse conceptum alio, & alio modo, alietate tenente se ex parte modi concipiendi, non ex parte obiecti, seu ipsius rei conceptæ: quæ tandem distinctio reuocatur ad distinctos actus concipientes vnam atque eamdem rem, non ad duas res conceptas, quæ per duos actus habeant aliud & aliud esse obiectiuum. Quam distinctionem

S.Thomas. apertè expressit S.Thomas hîc ad 2.sine concedens, *quòd in Deo, præter relationem sit aliquid aliud, considerata nominum ratione.* Hoc fundamentum, mea quidem sententia negante essentialem inclusionem inter essentiam & relationes & inter essentiam, & attributa, locum habet in vtroque casu; sed maiori ratione in primo de essentia & relationibus, quàm in secundo de essentia & attributis: quia minus conueniunt in suis intrinsecis rationibus relatiuum & absolutum, quàm absolutum & absolutum, cuius secundi generis sunt essentia & attributa. Ergo ex ipso genere multò difficilius est, Relatiuum includi in essentiali conceptu absoluti, & è contrà, quàm vnum absolutum includi in conceptu essentiali alterius absoluti. Et ideo plures reperiuntur, qui affirmant attributa esse de essentia Deitatis, & Deitatem de essentia attributorum; negant autem Deitatem esse de essentia relationis, vel saltem relationem de essentia Deitatis.

41. *Fundamentū quartum.* Quartum fundamentum, propriissimum huius materiæ, de qua disputamus, est quia quædam realia prædicata realiter conueniunt essentiæ, non relationi; & quædam alia conueniunt relationi, non essentiæ. Atque hoc dupliciter, primo extra Deum. Nam ratio creandi in Deo est essentia, non relatio; hanc enim ob causam opera Trinitatis ad extra dicuntur indiuisa, nempe ratione vnius essentiæ, quæ est totalis ratio agendi in tribus personis, non ratione relationum, quæ in multis ac distinctis inter se personis multæ sunt, & inter se realiter distinctæ. Contra vero ratio terminandi naturam humanam in Christo Domino est relatio, non essentia. Et ideo credimus, solum Verbum esse incarnatum, non Patrem, aut Spiritum sanctum. Secundò intra ipsum Deum, ita vt ipsamet personarum Trinitas in vna numero natura, præbeat nobis maximum & certissimum fundamentum distinguendi naturam à relatione, & relationem à natura. Etenim natura est vna, non distinguitur à parte rei à personis; non producit, nec producitur, licet sit formalis ratio, seu potentia producendi, & formalis ratio terminandi productionem; non constituit formaliter personas, nec eas realiter distinguit, nec refert. At verò persona, quæ supra naturam nihil aliud addit nisi meram relationem, multiplex est; vna persona realiter distinguitur ab alia; persona est quæ realiter producit, & producitur; personalitas, seu relatio est, quæ formaliter constituit personas, & realiter inter se distinguit, & vnam ad aliam refert; & ideo est propria vnius, & opposita alteri, cum natura sit omnibus communis per omnimodam identificationem, & nulli opposita. Hoc fundamentum expresè tradunt nonnulli Patres ex citatis suprà num.35.36. & 37. Athanasius, *Essentia declarat quod commune est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. Hypostasis numerum admittit, & proprietatem habet minimè communem hypostasibus.* Athanasius. Damascenus docet, Naturam ratione distingui ab hypostasi, quia patiente Christo Filio Dei, dicitur passus Deus, non Pater, aut Spiritus sanctus. Et incarnato Verbo, incarnatus est Deus, sed, inquit, *nulla ratione communicauit Pater & Spiritus sanctus incarnationi Dei Verbi, nisi secundum acceptationem & voluntatem*: vnionem enim hypostaticam terminat immediatè, & formaliter Filius vt Filius, non Filius vt Deus. Idem Athanasius acutè dixit, Deum, quatenus Deum, non differre à Deo, sed differre Deum Patrem, quatenus Patrem, à Deo Filio, quatenus Filio: *quoniam*, inquit, *ille quidem genuit, hic verò genitus est.* Idem fundamentum in genere significat Basilius dicens, *Quæcumque Patri, & Filio, vt Deo, non vt Patri, & vt Filio insunt, ea etiam Spiritui insunt.* Præterea Augustinus, Deum Patrem differre vt Deum, & vt Patrem, ita probat, *Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur. Ad se autem Deus dicitur.* Et alibi docet, Deum Filium vt Deum, non vt Filium, esse æqualem Patri. Cyrillus quoque Deum Patrem non esse Deum ex eo formaliter quòd est Pater; & Deum Filium non esse Deum, ex eo formaliter quòd est Filius, ita probauit ex eodem fundamento. *Non enim Pater, Deus est, quia genuit: neque Filius, Deus, quia genitus est.* Sed ille genuit, quia Pater; hic est genitus, quia Filius. Eodem fundamento Thomas 1.d.26.q.2.a.1.ad 4. probat, Relationem ratione differre ab essentia, quia, inquit, *relatio habet quòd distinguat in diuinis, quod non conuenit essentiæ.* Per idem fundamentum clarissimè Scotus verbis allatis supra n.7. suam sententiam de distinctione ante omne opus intellectus; quę ab ipso vocatur, (vtinā omnes Scotistæ ita loquerentur) *differentia rationis, non realis actualis, sed realis virtualis*, ita optimè explicat, *Illud, quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rem, sed est vna res, habens virtualiter, siue eminenter, quasi duas realitates, quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta, ita enim hæc realitas distinguit*, scilicet realitas relationis, *& illa non distinguit*, scilicet realitas essentiæ, *sicut si ista esset vna res, & illa alia*; hoc est, sicut si relatio & essentia distinctæ essent à parte rei. Initio loquitur euidenter de distinctione, non actuali, sed fundamentali: quam enim vocauerat, *talem distinctionem in se*, non vult deinde in se habere vnū, & aliud actu in re ipsa, sed vnum simpliciter, propter suam virtualitatem, & eminentiam æquipollens pluribus distinctis.

S.Thomas. Scotus. Cyrillus. Augustinus. Basilius. Athanasius. Damascen.

Quæ

Quæ demum distinctio ante omnem intellectus actum, in rei veritate non est aliud, nisi reale fundamentum distinctionis rationis.

Obiiciuntur Patrum authoritates.

42. *Primò qui dicunt, diuinam relationem esse modum.* Obiicies primò ex Durando 1. d.33. q.1. n.27. Damascenum lib.1. Fidei cap.3. vbi multò post principium ait, *Quæcumque habet Pater, Filij sunt, præter non generationem, quæ non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed substantiæ modum.* Damascen. Et cap.13. prope initium, *Ingenitum, genitum, & procedens, non substantiæ sunt indicatiua, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.* Et Augustinus. Augustinum 7. de Trinitate, qui, inquit Durandus, *reputat absurdum, dicere in Deo, quòd substantia sit relatio. Quare relatio propriè est modus habendi essentiam.*

Respondeo potuisse Durandum afferre multos alios Patres, qui diuinarum personarum proprietates vocant non substantiam, sed modos substantiæ. Iustinus. Iustinus martyr in expositione Fidei de Trinitate, propè initium docet, *Ingenitum, genitum, procedentem, nomina hæc non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ; quòd modus subsistentiæ, vocibus his exprimatur; vt Pater à Filio iuxta subsistentiæ modum differat, saltem identitate iuxta rationem essentiæ.* Alexander Alexandrinus. Alexander Alexandrinus Episcopus epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, columna 3. aliquantò ante finem, & habetur lib.1. Concilij Nicæni, Ioannes, inquit, *proprium eius*, hoc est, Filij Dei, *subsistentiæ modum declarauit his verbis, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, &c. Basilius. Basilius lib.4. contra Eunomium §.2. ex instituto probat, *Quòd nomen, Ingenitus, modum essendi, non substantiam significat.* Et ideo post nonnulla sic concludit, *Quare innascibilitas, substantiæ modus, non substantiæ nomen est.* Nyssenus. Nyssenus libro ad Ablabium, *Quòd non tres Dij*, prope finem, docet in diuinis, *Modo*, solum separari personas, non vero naturam earum: quoniam, vt subdit paucis interiectis, *alia est ratio eius, quod quid est; alia eius, quod quomodo est. Quo circa si quis dicat, Aliquid ita esse, quasi non genitum sit, quomodo sit ponit; quid autem sit, hac voce simul non indicat.* Et paulò ante de Patre & Filio dixerat, *Causam, & id, quod ex causa est, dicentes, non naturam per hæc nomina significamus, sed eam, quæ est secundum aliqualiter esse*, hoc est, aliquo modo esse, *differentiam indicamus.* Cyrillus. Cyrillus lib.11. Thesauri c.vnico, multò post principium, *Vndique colligitur, quòd ingenitum non quid est esse Dei, nec essentiam eius significat, sed modum ostendit, quo est.* & idem repetit paulò post. Et Dialogorum de Trinitate lib. 7. aliquantò ante medium loquens de proprietate nominum Patris, Filij, & Spiritus sancti, ait, *Non quæ Diuinitatem indicet; sed qua benè significet, quis modus existentiæ singulorum nominatorum à nobis intelligitur.* Theodoret. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum lib.5. cap.3. de Spiritu sancto initio ait, *Spiritum sanctum ex Deo & Patre substantiam habere dicimus: substantiæ autem modus nec creaturæ est similis, nec vnigenito Filio. Nullus enim sanctus, sancti Spiritus substantiam appellauit generationem.* Riccardus Victorinus. Riccardus Victorinus lib.4. de Trinitate cap.24. initio omnem personam, etiam diuinam, ita definit, *Quòd sit existens per se solum, iuxta singularem quemdam rationalis existentiæ modum.* Et clarius in medio, *Personalis proprietas singularis existentiæ modum requirit, sine quo persona numquam subsistit.*

43. *In quo sensu relatio à Patribus dicatur modus.* Verùm tam hi, quàm alij Patres eodem modo loquentes, nolunt personalitatem, seu relationem esse realiter modum diuinæ naturæ, sic enim eam reipsa modificaret, & afficeret, ac proinde realiter, seu re ipsa modaliter distingueretur ab illa natura: sed volunt duntaxat, cum aliquo fundamento in re esse rectè concipiendam vt modum; non quidem vt propriè modum, actualiter afficientem, & modificantem, sic enim conciperetur cum aliqua imperfectione repugnante rei conceptæ: sed vniuersalius, præscindendo ab omni imperfectione, vt simplicem quamdam rationem, seu terminum, identificatum quidem naturæ, cuius est essentialiter aliquid, tamen extra totum essentialem naturæ conceptum. Quòd sine dubio mihi videtur fuisse Patribus vnicum, & optimum fundamentum distinguendi ratione ratiocinata in Deo personales proprietates à natura, & vocandi eas modos, non substantiam. Quod colligo potissimum ex Basilio initio §.2. citati, qui ad id maximè mouetur, quia, inquit, *si ingenitum esse, substantia est; & genitum esse, substantia; ac ideo non consubstantialis est Pater Filio, necessariò*, &c. Vult igitur, vt diuinarum personarum consubstantialitatem defendere possit contra Arianos; paternitatem & filiationem, in quibus Pater & Filius realiter distinguuntur, & plures sunt, non pertinere ad intrinsecam rationem constitutiuam diuinæ substantiæ, seu naturæ, ac proinde non esse ipsam substantiam, in qua tres vnum sunt; & idem omnino, sed potius substantiæ modum, *circa naturam enim hæc considerantur, non autem natura ipsa sunt*, inquit Nazianzenus oratione habita in præsentia centum quinquaginta Episcoporum, circa medium. Nazianzen. Item ex Iustino suprà, qui docet, Voces quibus personales proprietates exprimuntur, *non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ*; & statim rationem ac fundamentum huius conceptionis, & distinctionis, ita assignat, *vt Pater à Filio iuxta subsistentiæ modum differat, saltem identitate naturæ, iuxta rationem essentiæ.* Iustinus.

44. Quòd autem Patres loquantur de modo, non secundum rem, sed secundum nostram considerationem rationabilem ex prædicto fundamento in re ipsa, apertè colligo ex ipsis eorum verbis. In primis ipse Damascenus, quem maximè pro se affert Durandus, non dicit, non esse substantiam, aut esse modum, sed dicit, Non significare, & non indicare substantiam, sed modum: sicut etiam supra loquuntur Iustinus, Alexander, Basilius, Nyssenus, Cyrillus. Significare autem, & indicare, est per opus intellectus. Idque multò clarius explicat cap.11. paulò ante medium, nam cum præmisisset, quòd exceptis personalitatibus, *Secundum omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ratione autem & intelligentia hoc distinctum*; statim huius realis identitatis, & mentalis distinctionis, ita rationem reddit, *Nam vnam agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, & processionis, secundum causam, & causale, & personalem perfectionem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Quòd personalitates sint modi, ad intellectum apertissime reuocat. Præterea Augustinus ab eodem Durando citatus, *reputat absurdum, quòd substantia sit relatio*, nimirum, non solum re, sed etiam ratione: alioquin in eodem libro 7. verbis citatis suprà num. 13. non semel apertissimè docuit, nullam prorsus à parte rei esse distinctionem inter substantiam & relationem in Deo. Et ideo cum ibi cap.2. dixisset, *Non eo Verbum, quo sapientia*, quem solum locum nobis obiicere voluit Rada controuersia 4. conclusione 3. statim indicat, se loqui sub his formalitatibus, non re, sed sola ratione distinctis, ita immediatè subiungens, *Verbum enim relatiuè, sapientia vero essentialiter intelligitur.* Veritatem igitur illius propositionis refert ad nostram

Damascen. Quomodo substantia nō sit relatio apud Augustinum. Rada. Quid apud Augustinum sit, Non eo Verbum, quo sapientia.

ſtrum intelligendi modum. Id enim per quod à parte rei eadem ſimpliciſſima perſona Verbi indiuiſibiliter, & indiſtinctiſſimè eſt, & formaliter ſapiens, ſeu Deus, & formaliter Verbum, ſeu relatio filiationis ad Patrem, cum per duos conceptus, in eminentiſſima obiecti vnitate, ac virtute fundatos, quæ pluribus à parte rei diſtinctis æquiualeat, in plures rationes, ſeu formalitates diuiditur, tunc dicere poſſumus, natura non eſt relatio; &, relatio non eſt natura; &, non eo Verbum, quo ſapientia; non eo Deus, quo Pater; nec eo Pater, quo Deus; & alias ſimiles propoſitiones formare: quarum ſenſus eſt, natura, ſeu ſubſtantia, non accepta in ſe, quaſi materialiter, prout ſe habet in re, ſed accepta formaliter prout ſubſtat conceptui, & nomini ſubſtantiæ, non eſt relatio prout ſubſtat conceptui, & nomini relationis: & in hoc ſenſu, Non eo Verbum, quo ſapientia; quia licet non ſecundum eſſe reale, tamen ſecundum eſſe obiectiuum, alia eſt formalis ratio relationis, ſecundum quam Verbum relatiuè dicitur verbum; alia formalis ratio ſubſtantiæ, ſeu naturæ, ſeu Deitatis, ſecundum quam Verbum abſolutè dicitur ſapientia, ſeu natura, ſeu Deus.

45. *Secundò, qui videntur rationis diſtinctionem negare.* Obiicies ſecundò alios Patres, qui ex oppoſito dicere videntur, nullam diſtinctionem, ne rationis quidem ratiocinatæ eſſe inter eſſentiam & relationem. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 6. initio adductis verbis 2. ad Corinthios 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*. ita ratiocinatur, *ſimul vt enim intelligitur Deus, intelligitur & Pater; vt indiuiſa Patris & Filij gloria perficiatur.* Cyrillus Alexandrinus lib. 11. Theſauri cap. vnico, multo poſt principium, *Falſum eſt*, inquit, *quòd ingenitum de Deo prædicetur ſicut ſubſtantialis differentia: videmus enim ſubſtantialem differentiam in compoſitis ſolum inueniri: Deus autem ſimpliciſſimus eſt.* Anaſtaſius Synaita de rectæ fidei dogmatibus lib. 1. inter principium & medium. *Per quod Deus, per illud & Pater.* Anſelmus in Monologio cap. 16. prope finem, *Illa ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid, vt illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit: quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum, quod ipſa eſt.*

Cyrillus Alexandrin. Anaſtaſius Synaita. Anſelmus.

Explicatur primus Cyrillus. Reſpondeo, apud Cyrillum Hieroſolymitanum illud, *ſimul vt*, idem valere quod *ſtatim ac*. Itaque non vult, illo eodem actu præcisè, quo intelligitur Deus, intelligi Patrem; ſed tantum vult, ſtatim ac intelligitur Deus, immediatius & in recto intelligi Patrem, non Filium, aut Spiritum ſanctum: quia inter diuinas perſonas prior origine eſt Pater, qui eſt perſona improducta, & principium reliquarum duarum. Alius Cyrillus verbis allatis ſuprà num. 37. eſt manifeſtè pro diſtinctione rationis. Ergo non cenſendus eſt hanc negare loco citato, ſed tantum velle, quod veriſſimum eſt, eſſe ingenitum, quod eſt perſonalis proprietas Patris, & ipſamet paternitas, non habere rationem differentiæ ſubſtantialis, componentis cum natura, ſeu Deitate, tamquam cum genere, vnam aliquam ſubſtantiæ ſpeciem. *Explicatur Anaſtaſius.* Anaſtaſius loquitur de eo quod eſt à parte rei, quo modo per eamdem ſimpliciſſimam, & re ipſa omnino indiuiſibilem rationem, idem eſt formaliter & Deus, & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Rationis autem diſtinctionem clarè indicat prope medium illius libri dicens, *Non enim qui pronuntiat Patrem, mox ſignificauit eius ſubſtantiam, ſed ſolùm omnino eius habitudinem.* *Explicatur Anſelmus.* Anſelmus diſtinctionem rationis in eodemmet cap. initio non obſcurè indicat illis verbis, *Si illa ſumma natura, tot bona eſt*, v.g. iuſtitia, ſapientia, potentia, &c. *erit ne compoſita tot pluribus bonis; an potius, non ſunt plura bona, ſed vnum bonum tam pluribus nominibus ſignificatum?* & ſtatim reiiciendo primam partem de compoſitione, approbat ſecundam de pluralitate nominum, & ſignificationum, quæ non poteſt eſſe abſque rationis diſtinctione. Igitur verbis in contrarium allatis loquitur de alia conſideratione, cui correſpondeat aliud, non ſecundum eſſe obiectiuum, ſed ſecundum eſſe reale: hæc enim realis alietas, & non obiectiua faciebat ad eius propoſitum de diuina ſimplicitate, quam in toto illo capite probandam ſuſceperat. Quem ſenſum ipſemet aliis verbis antecedentibus apertè exprimit, *Quemadmodum itaque vnum eſt, quicquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur: ita ipſa vno modo, vna conſideratione eſt, quicquid eſt eſſentialiter. Cum enim aliquis homo dicitur corpus, & rationalis, & homo; non vno modo, vel conſideratione hæc tria dicitur: ſecundum aliud enim eſt corpus, & ſecundum aliud rationale; & ſingulum horum non eſt totum id, quod eſt homo.* Itaque apud Anſelmum nihil eſt aliud, Deum eſſe vno modo, vna conſideratione, niſi Deum in re ipſa vnum, & idem ſimpliciter eſſe; & ideo non poſſe conſiderari alio modo ac eſt, nimirum vt re ipſa plurificatum, & diſtinctum, & compoſitum, ſicut conſideratur homo. Hoc autem non prohibet, quia poſſit Deus diſtinctis conceptibus conſiderari: tunc enim diſtinctio non conſideratur in ipſa re, ſed tantum in conſiderante.

Explicatur ſecundus Cyrillus.

Obiiciuntur rationes.

46. *Obiicitur fundamentum Durandi.* Obiicies tertiò fundamentum Durandi 1. d. 33. quæſt. 1. num. 23. *Eſſentia diuina eſt in aliquo ſuppoſito formaliter, in quo non eſt qualibet relatio formaliter; v.g. in Patre eſt eſſentia diuina formaliter, in quo tamen non eſt filiatio eodem modo formaliter; alioquin ſicut Pater formaliter eſt Deus per diuinam eſſentiam exiſtentem in eo, ſic Pater eſſet formaliter filius per filiationem formaliter exiſtentem in eo: & ſic periret perſonalis diſtinctio inter Patrem & Filium, quod eſt hæreſis Sabelliana.* Idemque motiuum acrius repetit in fine quæſtionis, verbis adductis ſupra n. 6. Vnde putat deduci neceſſario ſuam illam actualem diſtinctionem in re inter eſſentiam & relationem.

Reſpondetur non argui diſtinctionē in re ex eo, quòd eſſentia, non filiatio ſit formaliter in Patre. Reſpondeo, ex eo quòd eſſentia, & non filiatio ſit in Patre, ſiue, quod prorſus idem eſt, ex eo quòd Pater ſit formaliter Deus, non ſit formaliter Filius, non ſequi actualem diſtinctionem ex natura rei inter eſſentiam & relationem; ſed ſolum ſequi vnam relationem, v.g. paternitatem, & eſſentiam non eſſe idem adæquatè, & conuertibiliter, quia vna relatio non identificatur cum aliis relationibus, cum quibus tamen omnibus identificatur eſſentia. Hinc verò non ſequitur, eſſentiam & relationem diſtingui actualiter in re: quia illa inadæquata identitas non prouenit ex diſtinctione relationum ab eſſentia, ſic enim duo non eſſent idem adæquatè, vt contra Durandum notaui ſuprà n. 25. fine, ſed prouenit ex diſtinctione relationum inter ſe; quoniam relationes opponuntur inter ſe, non cum eſſentia, ſine qua oppoſitione diſtinctionē in diuinis cogitare nefas eſt. Igitur non eſſe idē adæquatè cum eſſentia, non eſt diſtingui ab eſſentia, ſeu non eſſe identificatum ſimpliciter cum eſſentia; ſed ſolum eſt, non eſſe identificatum cum omni eo, cum quo identifi atur eſſentia; ſcilicet propter oppoſitionem, quam plura habent inter ſe, & non cum eſſentia. Vnde ſumitur paritas, quæ poſſit Catholicum

Quid ſit, non eſſe idē adæquatè cum eſſentia.

tholicum Doctorem conuincere. Enim vero ſicut omnes fatemur, Relationes inter ſe oppoſitas, eſſe formaliter in eſſentia abſque vlla oppoſitione cum eſſentia; & ideo non ſequi, Relationes opponi eſſentiæ, quia ipſe, inter ſe habentes oppoſitionem, ſunt formaliter in eſſentia: ita pariter intelligere ac fateri facilè poſſumus, Relationes inter ſe diſtinctas, eſſe formaliter in eſſentia abſque vlla diſtinctione ab eſſentia; & ideo non ſequi, Relationes diſtingui ab eſſentia, ex eo quòd ipſe, habentes inter ſe diſtinctionem, ſunt formaliter in eſſentia. Denique retorqueri poteſt argumentum aduersùs Authorem ſuum, qui vult, eſſentiam ac relationem diſtingui *non realiter ſimpliciter & abſolutè, ſed realiter aliquo modo, & ſecundum quid*: & nihilominus omnes credimus, Relationes diuinas inter ſe diſtingui realiter ſimpliciter & abſolutè, & non tantum aliquo modo, & ſecundum quid. Ergo ſicut intelligebat Durandus, inter eſſentiam & relationem non eſſe à parte rei tantam diſtinctionem, quanta eſt inter vnam & aliam relationem; ita intelligere poterat omnem diſtinctionem in relationibus, & nullam in eſſentia; quoniam oppoſitio, quæ ſola eſt diſtinguendi ratio in diuinis, eſt totaliter in relationibus, & nullo modi in eſſentia.

Retorquetur obiectio contra Durandum.

47. *Obiicitur ex Durando, & Porretano illud,* Quæ ſũt eadem vni tertio, *&c.* Obiicies quartò, aliud fundamentum Durandi 1. d. 5. q. 1. n. 6. & 8. & d. 34. q. 2. & 3. ſent. d. 1. q. 2. n. 14. verbis adductis ſupra n. 6. quod etiam fuit fundamentum Gilberti Porretani, vt refert Magiſter 1. d. 33. litera D. fine. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Sed relationes inter ſe diſtinguuntur realiter. Ergo non poſſunt eſſe idem omnino realiter cum eſſentia. In hoc argumento, quod euidenter eſt in recta forma, Minor eſt certa ex Fidei doctrina, vt art. ſequente. Maior eſt vnum ex principiis lumine naturæ notiſſimis, à Philoſopho traditum lib. 7. Topicorum cap. 1. in medio illis verbis, *Si cui alterum idem, & alterum*, hoc eſt, prout ex verbis immediatè ſequentibus exponit, & ſupplet ibi Magnus Albertus, *ſi eſt aliquod tertium, cui alterum duorum eſt idem, & reliquum eidem tertio ſit idem, ſequitur quòd ipſa inuicem ſunt idem. Nam*, vt ſubdit Philoſophus, *ſi non ſunt ambo eidem eadem, manifeſtum quoniam nec ſibi inuicem.*

Ariſtoteles. Albertus.

Primò retorquetur argumentum. Reſpondeo primò retorquendo argumentum contra aduerſarios, præcipuè contra Durandum, qui expreſsè voluit, relationem ab eſſentia diſtingui minima diſtinctione ex natura rei, nempe non reali ſimpliciter & abſolutè, tamquam rem à re, ſed reali ſecundum quid & aliquo modo, hoc eſt, modali, tamquam modum habendi à re habita. Certum autem apud omnes fideles eſſe debet, Tres diuinas perſonas, & conſequenter tres relatiuas perſonalitates, quibus perſonæ conſtituuntur formaliter in eſſe perſonæ, inter ſe diſtingui realiter, pluſquam ſecundum quid, & aliquo modo, & modaliter: tria enim ſuppoſita veriſſimè ſunt tres res, ergo non poteſt vnum ab alio non diſtingui realiter ſimpliciter & abſolutè, tamquam res à re. Igitur ne ipſe quidem Durandus ſuam ſententiam fundare poteſt in prædicto axiomate, quod ipſemet ſuprà num. 6. ita refert, *Quæ ſunt vnum & idem in tertio, ſunt neceſſario vnum & idem inter ſe illo modo.* Nam per ipſum diuinæ perſonæ alio modo ſunt diſtinctæ inter ſe, & alio modo ab eſſentia: & cum eſſentia ſunt idem realiter ſimpliciter & abſolutè, quo modo non ſunt idem inter ſe. Quod re vera æquè premit Scotiſtas, & Nominales, & quoſuis alios Doctores Catholicos, ſi ponunt aliquam actualem diſtinctionem ex natura rei inter eſſentiam & relationem. Enim vero nullus Catholicus hactenus aſſeruit, nec in ſana Theologia aſſerere poteſt, Diuinas perſonas ſecundum ordinem ad eſſentiam, ſecundum quam dixit ſacra Scriptura, *Vnum ſunt*, eodem modo realiter diſtingui, quo diſtinguuntur ſecundū ordinem ad ſeipſas, ſecundum quem eadem Scriptura dixit abſolutè & ſimpliciter, *Tres ſunt*. Itaque contra omnem ſententiam, ſiue non diſtinguentem, ſiue diſtinguentem relationes ab eſſentia, ſemper ex Philoſophia obiici poteſt prædictum Axioma. Et ideo

48. *Secundò exponitur prædictum Axioma.* Reſpondeo ſecundò, omiſſis multis ſolutionibus, quas latè referunt, & impugnant, Molina infrà, art. 3. diſp. 2. Suarez lib. 4. de Trinitate c. 3. Vazquez hic diſp. 123. & alij, ſolutionem communem, & omnium optimam eſſe, illud principium habere locum in iis tantum, quæ ſunt eadem vni tertio ſingulari, & finito. Sicut igitur ſingulares homines, v.g. diſtinguuntur realiter perfectè inter ſe, non tamen cum ſpecie naturæ humanæ, præſertim in ſententia, quæ hodie communis eſt, non admittente vllam diſtinctionem à parte rei inter gradum ſpecificum, & differentias illius indiuiduantes; quia ſic, illi ſingulares homines comparantur ad aliquod tertium vniuerſale, ſeu non ſingulare: ita pariter, ex reali diſtinctione diuinarum relationum inter ſe, non ſequitur diſtinctio realis, ſiue ex natura rei, relationum ab eſſentia; quia comparantur cum diuina eſſentia, ſingulari quidem, tamen ſimpliciter infinita, atque illimitata vniuerſaliſſime in tota latitudine entis, ac proinde ſecum identificante omnes entis rationes, nullam includentes imperfectionem, & ſibi non oppoſitas, tamerſi oppoſitas inter ſe, & conſequenter inter ſe realiter diſtinctas. Quapropter omnes bene docent, hunc terminum, *Deus*, ſiue, *Eſſentia diuina*, non eſſe aptum medium in ſyllogiſmo expoſitorio, propter realem eius communitatem, & identitatem cum pluribus realiter diſtinctis.

49. *Proprietà Dei eſt, duo diſtincta inter ſe, eſſe idem cum vno tertio ſingulari.* Hanc ſolutionem vt veram ac neceſſariam non potuimus aliunde accipere ac diſcere, quàm ex hoc ipſo auguſtiſſimo myſterio fidei, qua credimus, Tres perſones eſſe vnum numero Deum, qui eſſentialiter eſt ens à ſe, ac proinde eminentiſſimæ, & prorſus infinitæ perfectionis, vnde deinde naturæ lumine euidenter deducimus, non poſſe in eo eſſe aliquam pluralitatem ac diſtinctionem, quæ & limitationem, & compoſitionem, & potentialitatem, aliaſque imperfectiones, Dei natura indigniſſimas, perſpicuè inuoluit. Quæ perſonarum ac naturæ conditio huic myſterio proprijſſimè ac ſingulariſſime conuenit, abſque vllo exemplo, & creato, & ereabili. Quod explicat Nyſſenus libro de Differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos, panlò poſt medium illis verbis, *Idem & coniunctum, & ſeparatum, atque diſcretum dicimus. & quoddam quaſi per ænigma excogitamus, nouum, & à communi ſenſu, & opinione abhorrens. Tum diſcrimen coniunctum, tum diſcretam coniunctionem.* Item Baſilius epiſtola 43. ad Nyſſenum, fratrem ſuum, circa medium, *Rem eamdem, tamquam in ænigmate, nouam quamdam, & inſolitè coniunctam diſcretionem, & diſcretam coniunctionem eſſe dicimus.* Et ideo prudentiſſime Thomas 1. diſt. 33. quæſt. vnica, art. 1. ad 2. ſoluens hanc ipſam obiectionem ita monet. *Neque oportet in his aliquid ſimile inquiri; quia in nulla re creata inuenitur aliquid ſimile diuinæ ſimplicitati, vt habens ſit id quod habetur. Omnia enim ſimilia, quæ poſſent induci, vel de punctis, vel de differentiis exiſtentibus in genere, plus habent de diſſimilitudine, quam de ſimilitudine: & ideo magis abducunt à veritate, quàm in verum intellectum inducunt.*

Nyſſenus. Baſilius. S. Thomas.

additque cum Boëtio, quòd *in his, quæ sine materia sunt, oportet non ad imaginationem deduci, quia hoc plurimum officit in diuinis.* Quorum veritatem Deus, vt ait Epiphanius hæresi 76. respondens ad septimum Aëtij caput, *reuelat per Spiritum sanctum non his, qui de ipso per syllogismos ratiocinantur, sed qui in ipsum legitimè ac perfectè credunt:* quoniam, vt piè, eleganterque scripsit Hilarius lib.1. de Trinitate, aliquanto ante medium, *reſpuit captiosas, & inutiles Philosophiæ quæstiones Fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, stolium se præbet veritas falsitati.* Quamobrem si cui fortasse data solutio minus euidens videatur, & credita potius, quam scita, audiat Anselmum, ad præsentis materiæ propositum, ita sapientissimè docentem lib. de Incarnatione Verbi c.6. paulò ante finem, *Si negat, tria dici de vno posse, & vnum de tribus; cum tria non dicantur de inuicem, sicut in his tribus personis, & vno Deo facimus: quoniam hoc in aliis rebus non videt, nec in Deo intelligere valeat; sufficerat paulisper aliquid, quod intellectus eius penetrare non possit esse in Deo: nec comparet naturam, quæ super omnia est, libera ab omni lege loci, & temporis, & compositionis partium, rebus quæ loco, aut tempore clauduntur, aut partibus componuntur: sed credat, aliquid in illa esse, quod in istis esse nequit; & acquiescat authoritati Christi, nec disputet contra illam.*

Epiphanius. Hilarius. Anselmus.

50. *Obijcitur fundamentũ Nominalium de contradictorijs.*

Obijcies quintò, præcipuum fundamentum Nominalium suprà num.9. quod etiam tangit Durandus suprà num.6. & Scotus num.7. & 8. quia de vna eademque simplicissima re non possunt contradictoria verificari, vnum & idem omnino prædicatum affirmando & negando de illa re. Sed multa affirmantur, vel negantur de essentia, quæ contradictoriè negantur, vel affirmantur de relatione, verè enim dicitur, Essentia non generat, non generatur, non distinguit, est communicabilis, est communis tribus personis, est absoluta, est vna: contra verò dicitur, Pater generat, Filius generatur, Relatio distinguit, non est communicabilis, non est communis tribus personis, non est absoluta, non est vna. Ergo essentia & relatio esse non possunt vna eademque simplicissima res.

Reſpondetur ne in diuinis quidem posse verificari cõtradictoria.

Respondeo, Maiorem à nonnullis concedi de rebus creatis, negari de rebus diuinis, de quibus volunt verificari contradictoria, quos impugno tomo 1. quæst.4. art. 2. num.102. Maiori igitur concessa simpliciter vt iacet, quoniam naturali lumine res omnium euidentissima est ex ipsis immediatis terminis. Idem, secundum quod est idem, non posse esse hoc, & simul non esse hoc; quia esse hoc, se ipso immediatè & formaliter tollit non esse hoc; & è contra, non esse hoc, se ipso immediatè, & formaliter tollit esse hoc. Distinguo minorem: si enim primò in ea sumantur essentia & relatio, prout ratione ratiocinata distinctis actibus concepta sunt, & distinctis nominibus significata, concedo illam; & tunc neganda est consequentia, quia tunc negatio numquam cadit supra eamdem rationem obiectiuam, supra quam cadit affirmatio, sed supra aliam, & aliam, ratione ratiocinata distinctas: & ita nulla est contradictio in prædictis affirmationibus, & negationibus; quia contradictio est affirmatio & negatio de eodem secundum eamdem omnino rationem. Vel, vt loquitur S. Thomas 1. d. 34. quæst.1. art.1. ad 2. *De eodem, secundum quòd idem est, impossibile est aliquid idem affirmare, & negare.* Atque hoc modo semper loquimur de essentia & relatione, scilicet, prout ratione ratiocinata distinctis, cum aliquid affirmamus de altera, quod de altera negamus, & è contra: sic enim essentia & relatio non habent rationem vnius, sed duorum, non re, seu in esse reali, sed ratione, siue in esse obiectiuo. Quod planè docet S.Thomas infra, quæst.39. art.1. ad 2. dicens, *Quòd in quantum essentia & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur quòd aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de altero; & per consequens, quòd supposito vno non supponatur alterum.* & multis aliis in locis, quæ colligit Capreolus 1. d.2. quæst.3.art.3. Et ideo Alensis p.p.q.56.membro 7.art.1.fine, istam propositionem, *Intellectus distinguit personam ab essentia*, ita acutè distinguit: *Si intelligatur, Intellectus ponit personam non esse essentiam, falsa est. Si autem sic, Intellectus ponit aliquid in esse personæ, quod non essentia, vera est.* & Bonauentura 1.d.34. art. vnico q.1. ad penultimum, ad illam propositionem, *Affirmatio & negatio non est simul vera de eodem*, ita respondet, *Dicendum quòd quantulacumque differentia rationis sufficit ad affirmationem & negationem. Vnde intelligenda est propositio de eodem re, & ratione.*

Capreolus. Alensis. Bonauent.

51. *Nihil affirmari & negari de essentia & relatione, vt in re vnum sunt.* S.Thomas.

Si autem secundò in eadem Minori sumantur essentia, & relatio prout à parte rei sunt idem, & vnum quid simplicissimum, nego simpliciter illam, nempe, de hoc indiuisibili vt sic, posse verificari contradictoria, siue eiusdem rei affirmationem, & negationem, & vniuersaliter esse, & non esse. Hoc apertè colligo ex S. Thoma: nam verbis paulò ante citatis ait, quod posse idem affirmari & negari de essentia & relatione, *sequitur in quantum differunt secundum intelligentiæ rationem.* Ergo si sumantur in quantum non differunt ratione, sed re idẽ sunt, id non sequitur. & 1.d.34.q.1.art.1.ad 2. ponit hanc causalem, *Quia persona & essentia distinguuntur ratione, quicquid pertinet ad rationem illam, in qua distinguuntur, quòd prædicatur de vno, potest negari de alio; & dicatur, quòd essentia est communis, persona non est communis, persona generat, essentia non generat; & sic de aliis.* Si autem hæc conuenirent essentiæ & relationi, etiam prout ratione non distinguuntur, falsum esset, ideo conuenire, *quia distinguuntur ratione.* Et de Potentia q.7.art.1. ad 5. *De eo, quòd est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, vt dicit Philosophus 3. Phys. sicut patet quòd idem punctum re, & differens ratione, est principium & finis; sed secundum quod est principium, non est finis, & è contra. Vnde cum essentia & proprietas sint idem re, & differant ratione, nihil prohibet quin vnum sit communicabile, & aliud incommunicabile.* Semper igitur S. Thomas ad veritatem affirmationis, & negationis requirit necessario aliquam actualem distinctionem, ratione cuius id, cui affirmatio & negatio verè conueniunt, non sit vnum & idem, sed multiplex: ita enim fiet, vt saluetur illa regula contradictoriorum, *De eodem, secundum quod idem est, impossibile est, aliquid idem affirmare, & negare.* Ergo si essentia & relatio considerentur non prout stant sub distinctione rationis; sed prout stant sub omnimoda vnitate, & identitate rei, non potest illis formaliter, siue actualiter conuenire esse, & non esse, sed solum fundamentaliter, propter eminentiam, & infinitam perfectionis plenitudinem illius rei simplicissimæ, æquialentis multis rebus, quibus re ipsa verè conueniunt eiusdem rei affirmatio & negatio, quæ sine propria ac formali contradictione conuenire non possunt eidem, secundum quod est idem.

t.21.& 22.

52. *An affirmatio sit vera, falsa negatio, vt dicunt Molina, Ruiz, & alij.*

In hac igitur secunda acceptione, dicunt Molina hic disp.5. ad 1. & alij quorum sententiam sequutus sum in primo tomo quæst.4.art.1.num.103. & sequitur Ruiz disp.15. sect.8. n.5. affirmationem semper esse veram, & negationem semper falsam, ob

Quid sit contradictio ex S.Thoma.

ob rationem ibi assignatam, quæ videbatur probabilis. Nunc verò re maturius considerata, id non videtur dubio carere: cuius quia non occurrit mihi sufficiens solutio, illud hoc loco, aliis dissoluendũ propono. Sicut enim ante omne opus intellectus verum est, quòd illa res, quæ à parte rei est essentia, est communis; & falsum, quòd non est communis: ita contra, vera est negatio, quòd illa res, quæ à parte rei est Pater, non est communis; & falsa affirmatio, quod est communis. Et si hoc negaueris de re quæ à parte rei est Pater, non video cur illud negare alius pariter non possit de eadem re quæ à parte rei est essentia. Eadem enim res simplicissima non minus re ipsa est formaliter Pater, quàm sit formaliter Deus. ergo non minus est non communis quàm communis; quia re ipsa absque vllo intellectu cogitante Diuinitas est communis, paternitas non est communis. Similiter non minus verum in re est, quòd illa res quæ à parte rei est essentia generat, spirat, quæ est affirmatio, quàm quòd eadem res quæ à parte rei est Pater, seu prima persona, non generatur, & quæ à parte rei est Filius, seu secunda persona, non generat, & quæ à parte rei est Spiritus sanctus, seu tertia persona, non generatur, non generat, non spirat, quæ sunt verissimæ negationes in re ipsa, independenter ab omni opere intellectus. Præterea sicut de eadem re, quæ à parte rei est sancta Trinitas vnus Deus, verum affirmatiuè est, quod est vna natura, ita negatiue verissimum est, quòd non est vna persona.

53. *Traditur alia S. Thomæ regula.*

Itaque in hac secunda acceptione de essentia & relatione prout se habent à parte rei præscindendo ab actibus eas considerantibus, procedendum est secundum aliam regulam, quam deinde animaduerti traditam esse à S.Thoma 1.d.34.quæst.1. art.1. ad 2. illis verbis, *Si aliqua eadem in aliquo distinguantur*, vt sunt in casu nostro Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui nullo intellectu cogitante sunt idem in natura, distinguuntur in relationibus, seu personis, *affirmationes, & negationes, pertinentes ad illam distinctionem, de ipsis verificari poterunt; quia omnis distinctio, siue rei, siue rationis, fundatur in affirmatione & negatione*; hoc est, fundatur in hoc, & in illo, quorum vnum non est aliud; *sicut patet etiam in Synonymis; tunica enim & vestis significant eamdem rem, tamen nomina sunt diuersa, & similiter indumentum: vnde affirmationes & negationes, quæ pertinent ad rem, non possunt verificari vt dicatur, tunica est alba, Indumentum non est album. Sed affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad nomina, possunt verificari, vt dicatur, Indumentum est neutri generis, Vestis non est neutri generis. Ita etiam, cum persona & essentia sint idem secundum rem, nihil quod ad naturam rei pertinet, quod prædicatur de essentia, potest negari de persona; vt dicamus, quòd essentia est increata, & persona non est increata; vel, essentia est Deus, Persona non est Deus.* Quam regulam ita explico. In diuinis à parte rei est vnitas naturæ cum personis, & distinctio personarum inter se, non cum natura. Hinc oritur primo vt quicquid à parte rei, siue affirmatiuum, siue negatiuum, conuenit naturæ secundum se, conuenire debeat personis cum natura identificatis; v.g. natura est Deus, non est creatura, sic etiam quæuis persona est Deus, non est creatura. Secundo quicquid à parte rei conuenit personis, vt personis, siue in eo quòd inter se distinctæ sunt, non conuenire debeat naturæ secundum se, identificatæ personis, v.g. Pater generat, non generatur; natura neque generat, neque generatur. Hanc ob causam in his affirmationibus ac negationibus nulla interuenit vera contradictio: quia nunquam illæ cadunt supra idem, secundum quòd est idem, sed secundum quod est distinctum. Quod vt clarius intelligatur,

Explicatur regula.

Obijcio contra regulam, quia à parte rei natura est communis, est vna, est indistincta, est communicabilis. At persona non est communis, non est vna, non est indistincta, non est communicabilis. Ergo prima pars Regulæ videtur apertè falsa. Secundo natura diuina à parte rei non generat, non generatur, non spirat, non spiratur. At aliqua persona generat, aliqua generatur, aliqua spirat, aliqua spiratur. Ergo falsa eadem prima pars Regulæ. Tertio à parte rei in diuinis natura non distinguit, relatio distinguit. Sed distinguere & non distinguere sunt contradictoria. Ergo si natura & relatio sunt à parte rei idem omnino, vitari non potest quin à parte rei per veram contradictionem conueniant affirmatio & negatio eidem, secundum quod est idem.

54. *Contra regulam obijcitur primò.* *Obijcitur secundò.* *Obijciturtertiò.*

Respondeo ad 1. cum à parte rei natura diuina non solum sit formaliter natura, sed sit etiam formaliter persona, licèt cum omnimoda identitate in re; cum dicitur, natura est communis, vna, &c. est intelligendum de natura in ratione naturæ, siue secundum quòd est formaliter natura, non secundum quòd est formaliter persona. In quo sensu concessa Maiori, nego Minorem: quia persona etiam, secundum quòd est formaliter natura, non secundum quod est formaliter persona, est communis, est vna, est indistincta, est communicabilis.

Ad 1.

Ad 2. similiter dico, Generare, generari, spirare, spirari, non conuenire naturæ diuinæ, prout formaliter natura est; conuenire vero prout formaliter persona est. Ita etiam conueniunt personæ prout formaliter est persona, non conueniunt personæ prout formaliter est natura. Quod si instes, hoc ipsum esse absurdum, quod ex communi sententia deducere intendunt aduersarij, nempe, eiusdem rei affirmationes & negationes conuenire eidem secundum quòd est idem; quia persona vt persona, & vt natura, sunt re ipsa idem omnino: facile dicitur, quòd etsi persona vt formaliter persona sit idem omnino cum natura per comparationem ad naturam, tamen per comparationem ad aliam personam, est quid realiter distinctum ab illa, & consequenter à natura non prout subsistente in eademmet persona, sed prout subsistente in alia persona realiter distincta. Nunquam verò idem prædicatum, quod affirmatur vel negatur de natura, negatur vel affirmatur de persona prout identificatur cum natura, sed prout realiter distinguitur ab alia persona, v.g. natura est communis, secundum quòd natura formaliter est; sed persona non est communis, non secundum quod est formaliter natura, sed secundum quod est vna persona opposita alteri, & distincta realiter ab illa. Ergo affirmatio & negatio communitatis competunt eidem, tamen non secundum quòd est idem, sed secundum quòd est ab alio distinctum. Similiter natura est per processionem communicabilis Filio & Spiritui sancto. Quælibet verò persona, non propter identitatem cum natura, sed propter oppositionem & distinctionem ab aliis personis non est communicabilis: & sic non est contradictio, quia negatio communicabilitatis non conuenit personæ identificatæ vt identificatæ cum natura, sed vt distinctæ realiter ab alia persona. Ita etiam persona generat, generatur, spirat, spiratur, sicut etiam, quod idem prorsus est, natura in Patre generat, spirat, non generatur, non spiratur, non per comparationem ad naturam, cui est idem omnino, sed per comparationem ad aliam personam, à qua distinguitur realiter. ergo affirmatio & negatio non sunt de eodem, secundum quod est idem, sed secundum quod est distinctum. ergo nulla contradictio.

Ad 2.

Ad 3. eodem modo dicendum, quod natura, vt formaliter natura, non distinguit, sed distinguit, vt formaliter relatio, non respectu naturæ cum qua identificatur, sed respectu correlationis, cui opponitur. Hac autem ratione manifestum est, contradictoria non conuenire eidem quatenus eidem, sed quatenus distincto, & cõsequenter absque vlla vera contradictione. Atque hic videtur multò probabilior dicendi modus, quam si ad illud argumentum, *Quando duæ formalitates sunt omnino idem secundum rem, impossibile est vnam communicari realiter, & alteram non communicari realiter; sed Deitas, non Paternitas realiter communicatur Filio; ergo impossibile est, Deitatem & Paternitatem esse omnino idem secundum rem*; cum quibusdam recentioribus respondeas, *Maiorem esse veram in rebus finitis, falsam in ente simpliciter infinito.* Tum quia essentialis & adæquata definitio contradictionis apud omnes est, eiusdem rei affirmatio & negatio de eodem, secundum quòd est idem. ergo totum hoc inconuenienter admittitur reperiri in diuinis, in quibus etiam contradictionem simpliciter reperiri impossibile est; vt loco citato probaui. Tum quia contradictio fundatur in esse & non esse, vt supra num. 50. diccbam; quę communia sunt entibus finitis & infinitis; & ideo non minus implicat, Deum, vel quoduis aliud ens infinitum esse simul & non esse, quam hominem v. g. esse simul & non esse. Tum quia infinitas entis addit maximam perfectionem enti. Sed quòd affirmatio & negatio conueniant eidem, secundum quòd est idem, est entis imperfectio omnium maxima, scilicet implicans contradictionem, & ipsammet entis rationem destruens. ergo minus recte dicitur, hoc conuenire posse enti propter eius infinitatem. Hac igitur in re non confugiendum est ad infinitatem Dei, sed præcisè & formaliter spectandum, quòd non communicari Filio conueniat Paternitati, non secundum quod est idem cum Deitate, sed secundum quòd est realiter distincta à Filio: quæ conditio duntaxat tollit rationem formalem contradictionis.

Ad 3.

Aliorum responsio confutatur.

55. *Instantia pro sententia Molinæ, & aliorum supra num. 52.*

Dices pro sententia quam mutaui supra num. 52. non esse dicendum, Res hæc, quæ est essentia communicatur, Res hæc, quæ est Pater non communicatur, sic enim vtrumque esse verum, quia in primo inuoluitur expressa significatio essentiæ, ac proinde rationis ratiocinatæ distinctio essentiæ à paternitate; sub qua ratione essentiæ conuenit communicari, & non conuenit non communicari: contra vero in secundo inuoluitur expressa significatio paternitatis, ac proinde rationis ratiocinatæ distinctio paternitatis ab essentia; sub qua ratione paternitati conuenit non communicari, & non conuenit communicari. Sed dicendum esse simpliciter & absolutè, absque vlla maiori significatione vnius quam alterius, Res hæc communicatur, Res hæc non communicatur: & tunc primum affirmatiuum esse verum, quia ad affirmationem satis est vt communicatio conueniat illi rei sub vna ratione, scilicet sub ratione essentiæ, quod est verum; ad negationem vero esset necessarium vt communicatio sub nulla ratione conueniret illi rei, quod à parte rei est falsum.

Respondetur cũ Vasquez.

Respondeo, hoc quidem acutè dici, tamen non sufficienter, vt benè aduertit Vasquez disput. 120. num. 24. quia Deus Pater, secluſa quacunque operatione intellectus, verè est à parte rei, non solum sub formali ratione confusa & implicita rei & entis, sed etiam multò magis sub formali ratione distincta & explicita Deitatis & paternitatis, sicut etiam iustitiæ, potentiæ, & similium rationum attributalium. Quis enim dixerit, à parte rei non esse Deum vt Deum, & Deum vt Patrem, & solum dari Deum vt rem quamdam? Hinc verò oritur difficultas, quæ me in sententiæ mutationem impulit, quia non minus Deitas accepta formaliter, prout est à parte rei, verè communicatur, quam paternitas accepta quoque eodem modo formaliter, prout est à parte rei, verè non communicatur. Sed illa res, quæ à parte rei est formaliter Deitas, illa eadem omnino est formaliter paternitas. ergo à parte rei de eodem, secundum quòd est idem, verificantur communicari & non communicari, quæ sunt contradictoria. Videtur igitur necessarium addere, quòd à parte rei illa res, quæ est Deitas, non est omnino idem quod paternitas, scilicet adæquatè & conuertibiliter; quia Deitas est etiam idem filiationi, à qua paternitas realiter distinguitur: & non communicari conuenit paternitati non per ordinem ad essentiam cui identificatur, sed per ordinem ad filiationem, à qua distinguitur, & cui opponitur: ex qua reali conueniendi diuersitate tollitur ratio veræ contradictionis. Sicut in materia de Incarnatione dicimus, vnionem hypostaticam à parte rei terminari immediate ad personam Verbi, non ad naturam: quia licet natura & persona nihil re ipsa differant in diuinis; tamen persona propter relatiuam oppositionem, quam habet cum aliis personis, non cum natura, distinguitur realiter ab aliis personis, non à natura: & propter hanc realem oppositionem ac distinctionem, quam habet persona, & non natura, oritur vt personæ & non naturæ, vel è contra, possint multa realiter conuenire, v.g. non natura, sed persona incarnatur; non persona, sed natura per processionem communicatur. & iuxta hanc regulam optimè dixit Ægidius 1. d. 34. p. quæst. 2. ad 1. *Dicuntur personæ aliquid incommunicabile propter relationem, secundum quam ab aliis distinguuntur.* esse incommunicabile tribuit relationi, non simpliciter, nec vt identificatæ cum essentia, sed vt distinctæ ab aliis personalibus relationibus. Ægidius.

56. *Obijcitur sextò.*

Obiicies 6. Magis distinguuntur paternitas & essentia, quam paternitas & Pater; quia neque essentia in suo formali conceptu includit paternitatem, neque paternitas essentiam, vt mox ostendam: at Pater in suo intrinseco & formali conceptu includit paternitatem. Magis etiam distinguuntur ab essentia relationes, quam attributa; quoniam attributa & non relationes, sunt idem adæquatè & conuertibiliter cum essentia: & attributa pertinent ad idem genus entis absoluti, relationes verò ad aliud genus entis respectiui. Sed Pater & paternitas, essentia & attributa distinguuntur ratione ratiocinata. ergo paternitas, & essentia distinguuntur ex natura rei.

Respondetur negando consequentiam.

Respondeo, consequentiam non esse necessariam. Solum enim ex Antecedente sequitur, distingui magis; quod potest contingere non per aliud distinctionis genus, sed intra idem genus distinctionis rationis ratiocinatæ: seu magis fundamentaliter & virtualiter, hoc est, cum maiori fundamento, quod habet intellectus ad illa distinguenda. In quo differt hæc distinctio inter essentiam & relationes, à distinctione inter essentiam & attributa, & vnum attributum & aliud attributum, vt. benè notant Molina hic disput. 5. conclusione 3. & 4. Suarez libro 4. de Trinitate cap. 4. num. 16. Nazarius controuersia 1. conclusione 6. Zumel disput. 2. ad 4. quoniam illa habet sufficiens fundamẽtum intra ipsum Deum, scilicet tres personas realiter distinctas cum omnimoda vnitate in natura communi: hæc vero non tam fundatur in Deo, quam in ipsis creaturis, quarum distinctis ac finitis perfectionibus æquipollet vna simplicissima & omnino infinita perfectio

Differentia inter distinctionem relationum, & attributorum ab essentiam.

ctio Deitatis. Et quamuis aliquando ipsas quoque perfectiones absolutas ratione ratiocinata distinguamus, fundati solum in iis, quæ sunt intra Deum, vt cum distinguimus intellectum & voluntatem, ex eo quod per illum procedit vna persona, per hanc alia persona realiter distincta, tamen hæc etiam distinctio relationes inuoluit; quia nec intellectus absque relatione paternitatis est principium Filij: nec voluntas absque relationibus paternitatis & filiationis, vel absque relatione actiuæ spirationis est principium Spiritus sancti.

57. *Obijcitur septimò.*

Obiicies septimo si intellectus posset Deum Patrem ratione distinguere in Deitatem & paternitatem, posset pariter eumdem ratione componere ex Deitate & paternitate. Sed hoc secundum pugnat cum maxima Dei simplicitate. ergo primum quoque pugnare debet cum maxima eiusdem vnitate atque identitate.

Respondetur ex primo tomo.

Respondeo, falsam esse consequentiam, & non esse parem rationem de rationis distinctione ac compositione, & quomodo consequens secundum aliquos Doctores concedi, inter quos est Vasquez hic disput. 121. cap. 3. ad 3. & secundum alios negari possit, sufficienter explicatum est tomo 1. quæst. 3. art. 7. à num. 13. Quibus nihil nunc addendum occurrit. Si placet, legi potest Argentina 1. d. 33. quæst. vnica art. 1. conclusione 1. pluribus agens contra Aureolum, qui rationis distinctionem inter essentiam & relationem, ex eo potissimum negauit, quòd ex tali distinctione sequeretur compositio secundum rationem, repugnans etiam illi qui definitur, *simplex omnino.*

Fundamentum Aureoli ex Argẽtina.

DVBITATIO III.

An relatio sit de intrinseco & quidditatiuo conceptu diuinæ essentiæ.

SVMMA.

1. *Conclusio negatiua explicatur, num.* 58.
2. *Referuntur authores vtriusque partis, num.* 59. *ad* 63.
3. *Probatur conclusio primo authoritate Patrum, n.* 63. *ad* 69.
4. *Probatur secundò rationibus, num.* 69. *ad* 75.
5. *Exponuntur oppositæ Patrum authoritates, num.* 75. *ad* 82.
6. *Soluuntur oppositæ rationes, num.* 82. *ad* 89.
7. *An personalitas sit de essentia personæ, num.* 89.

58. *Conclusio negatiua explicatur.*

VNica conclusio negatiua valde communis, & veterum & recentiorum: cuius clarior sensus apud omnes, rectè sentientes de summa vnitate, & identitate diuinæ naturæ, hic esse debet. A parte rei in Deo, tribus personis identificato, quamuis non sit vnum quod sit de essentia, & aliud quod non sit de essentia; quia non sunt ibi simpliciter vnum & aliud, sed vnum & idem omnino; tamen est formaliter essentia, seu natura, seu Deitas, & est formaliter relatio: nos enim quando in Deo Patre, v.g. ratione distinguimus Deitatem & paternitatem, quæ relatio quædam est, causamus quidem distinctionem in re ipsa per extrinsecam denominationem à distinctis conceptibus, quorum singulis res inadæquatè, & quasi partialiter subsitat, tamen Deitatem ipsam ac paternitatem minimè causamus, sed eadem formaliter Deitas à parte rei, quæ in esse reali est indistincta à paternitate, concipitur, & fit in esse obiectiuo distincta. Affirmat igitur cõclusio, quòd à parte rei relatio, quamuis identificetur cum Deitate, tamen in eiusdem Deitatis intrinseco & essentiali conceptu non includitur: & propter hoc nos potuimus nostro modo concipiendi, quamuis imperfecto, tamen in re ipsa fundato, in simplicissima Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti entitate ita distinguere Deitatem à relationibus, vt verè conciperemus, ac diceremus, illam, vt sic mentaliter distinctam à relationibus esse essentiam Dei perfectè constitutam in intrinseca ratione essentiæ absque vlla relatione.

Authores vtriusque partis.

59. Ita omnium expressissimè tenent, licet falso fundamento, qui actualiter in re distinguunt essentiam Dei à relationibus, vt Gilbertus Porretanus, Durandus, Scotus, Ochamus, Gabriel, Marsilius, & alij, de quorum sententia dictum est supra à num. 4. ad 10. ex reliquis verò illam distinctionem negantibus, idem sine dubio docuisse videtur S. Thomas in pluribus locis. Nam hìc ante finem Corporis limitando dixit, essentiam & relationem identificari *omnino secundum rem*, vt supra num. 1. Et in fine Corporis ait, *In relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ.* Ergo essentia vt essentia non includit respectum, & respectus non est aliquid intrinsecè pertinens ad constituendam essentiam in intrinseca ac perfecta essentiæ ratione; alioqui nomine essentiæ, sicut importatur v. g. intellectio, importaretur etiam respectus. Clarius infra quæst. 33. art. 3. ad 1. *Communia absolutè dicta, secundum ordinem intellectus nostri sunt priora quam propria; quia* inquit, *includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso. In intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus sed non conuertitur.* Qui ordinatè concipit Deum, procul dubio concipit quicquid est Deo essentiale; nam essentiales rerum species sunt sicut numeri, à quibus detracta vnitate, detrahitur essentia numeri, v.g. ternarius detracta vnitate non est essentialiter ternarius, sed est alia essentialis species binarij. Ergo si quis conciperet Deum, & non conciperet vel vnum essentiale Dei prædicatum, verè non conciperet Deum, sed aliquam aliam entis speciem, vel veram, vel fictitiam. Sed ex S. Thoma, qui ordinatè concipit Deum, non concipit Patrem; ergo de intrinseco & essentiali conceptu Dei non est paternitas. Item 3. p. quæst. 3. art. 3. fine Corporis concludit quòd, *abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam.* ergo personalitas non est de conceptu, siue intellectu naturæ. Clarissimè 1. d. 33. quæst. vnica art. 1. paulò ante finem Corporis, *Quia manet in paternitate verus respectus, pertinens ad naturam relationis, qui non pertinet ad rationem essentiæ, ex illo respectu relatio potest distinguere, quamuis essentia non distinguat, de cuius intellectu non est iste respectus oppositionem habens, & per consequens distinctionem causans.* & postea ad 3. docet, *quòd est alia ratio paternitatis & essentia in diuinis; non secundum quòd ratio est in ratiocinante tantum, sed secundum quòd significat definitionem rei. Quamuis enim,* inquit, *in diuinis non possit esse definitio, nec genus, nec differentia; tamen si intelligatur ibi aliquid definiri, alia erit definitio paternitatis, & alia definitio essentiæ*; nimirum per rationem ratiocinatam, vt statim explicat, quia istæ definitiones, inquit, *habent aliquid in re, respondens ei, in quo fundatur intellectus.* In eodem sensu ad 1. dixerat, *Paternitas & essentia non vniuntur in esse, quòd significat definitio rei; quia alia est ratio paternitatis, qua ad aliud refertur, & alia ratio essentiæ.* & ad 2. ait, *Paternitas habet aliquid, in quo non vnitur cum essentia, scilicet rationem paternitatis, quæ est alia à ratione essentiæ.* Ex qua diuersitate ita optimè infert, *Vnde secundum suam rationem respectus potest esse in Patre, & non in Filio,*

S. Thomas.

Filio, scilicet distinguere Patrem à Filio. & de Potentia quæst. 8. art. 2. ad 6. docet, quòd cum prædicatur essentia diuina de paternitate, vel paternitas de essentia diuina, *non prædicatur per se. secundum propriam rationem, sed propter rei identitatem: quia alia est ratio essentiæ, & relationis.*

60. Alensis. Idem sequuntur Alensis p. p. quæst. 68. membro 5. art. 5. fine illis verbis, *Intellectus personæ ponit essentiam, & non è converso. Similiter notio ponit essentiam, sed non è converso.* Si essentia non ponit notionem & personalitatem, ergo hoc non est essentialiter intra

Bonauentura. conceptum essentiæ. Bonauentura 1. d. 34. art. vnico q. 1. paulò post principium Corporis, *Constans est, quòd quantum ad intellectum, addit persona supra naturam.* Quod autem addit non potest esse natura, quoniam idem addi supra idem, est inintelligibile. Sed persona, vt paulò post explicat Bonauentura, *addit supra intellectum naturæ, proprietatem*, quæ est relatio.

Ægidius. Ergo relatio non includitur in conceptu naturæ. Ægidius 1. d. 33. p. p. quæst. 2. ad 1. *Cum dicitur, quòd relationes in diuinis, & inter se, & per comparationem ad subsistantiam, distinguuntur secundum esse, intelligendum est de esse quidditatiuo, quia si definiretur paternitas, filiatio, & essentia eorum non esset definitio vna: sed propter talem differentiam non habetur, quòd relatio à subsistantia realiter differat, licet ipsæ relationes inter se realiter differant.* Apertissime distinguit duas differentias, alteram *in esse quidditatiuo*, quam concedit, & est illa, quam nos hic intendimus; alteram in esse reali, quam omnes negamus. & d. 34. p. p. quæst. 2. circa principium Corporis clarius ita habet, *si ratio proprietatis in ratione essentiæ claudetur, nec simpliciter ratione ab ea differret, inter essentiam & personam non simpliciter saluare possemus differentiam rationis.* Quod inconueniens significaui supra num. 34. referens opinionem Aureoli, & mox diligentius vrgebo. Et in medio Corporis loquens de esse, siue essentia Dei, prout à parte rei est in se, ita discurrit, *Licet in illo esse, in se considerato, contineatur omne esse*, nimirum absolutum, vt superius declaraueram; *non tamen in eo, in se accepto, modo consimili, comprehenditur omne referri. Et ideo, licèt cuicumque communicatur esse diuinum, ei communicetur omne esse, non tamen oportet, quòd cui communicatur tale esse, communicetur omnis respectus. & ideo* subdit paulò post, *non est inconueniens, quod vna persona sit Pater, & non alia; quia esse Patrem non dicitur ad se, sed ad aliud, & secundum suam quidditatem non dicit esse*, nempe absolutum essentiæ, *sed referri. Poterit igitur alicui communicari omne esse*, scilicet absolutum essentiæ, seu naturæ, *absque eo quòd ei communicetur talis respectus.* & in fine Corporis ita concludit, *Differt ergo persona ab essentia ratione, cum dicat essentiam, & proprietatem; & etiam ratio proprietatis non includatur in ratione substantiæ.* Item ad primum. *Quia ratio relationis non includitur in ratione substantiæ, persona ab essentia ratione distinguitur.* Quam rationem, iuxta sensum huius conclusionis initio explicatum, optimè declarat ad 3. dicens, *Quod isti rationi respondet aliquid in re; quia in ipsa re est, vt possit inde sumi diuersa ratio: nam eo ipso, quòd in Deo est essentia & relatio, vel essentia & persona, potest inde sumi alia ratio essentiæ, & alia ratio proprietatis.* Quod reale fundamentum nullum esset, imo planè oppositum rationi illud distinguenti, si essentia in ipsa sua ratione formali essentiæ, seu conceptibilitate essentiæ, includeret relationem: tunc enim potius non posset ex re sumi alia ratio essentiæ, & alia ratio relationis eo ipso quòd in ipsa re esset essentia & relatio; quia tunc, vt consequenter benè discurrebat Aureolus supra n. 34. ipsa essentia prout in re ipsa est, nimirũ includens intrinsece & essentialiter relationem, peteret per rationem concipi etiam vt relationem.

Consentiunt Riccardus 1. d. 34. art. 1. quæst. 1. ad 1. & quæst. 2. ad 2. & in fine. Ochamus 1. d. 1. q. 5. litera G. ad 1. Argentina quæst. vnica, conclusione 3. Ariminensis quæst. vnica art. 2. conclusione 4. Marsilius quæst. 37. art. 3. dub. 1. conclusione 2. Caietanus infra quæst. 39. art. 6. ad 2. concilians S. Thomam ibi dicentem, has prædicationes, Deitas est relatio, Relatio est Deitas, esse per se; quas de Potentia q. 8. art. 2. ad 6. docet non esse per se; & ait, esse per se identicas, non esse per se formales; quia, vt ego magis explico, & in superioribus non semel notaui, licet relatio non sit inclusa in formali conceptu Deitatis, & è contra, tamen relatio est essentialiter identificata cum Deitate, & è contra. Et propter hanc identitatem per se, siue essentialem, & non propter essentialem inclusionem, vt Torres hic disput. 2. dub. vltimo col. 2. & alij interpretantur, dicitur supra quæst. 27. art. 2. ad 3. fine. *In ipsa perfectione diuini esse continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad eius perfectionem pertinent.* Hoc enim affert ibi S. Thomas vt probet, quòd vna persona procedens ab alia *habet esse diuinum, non quasi aliud ab esse diuino existens. In ipsa enim perfectione*, &c. vt supra. Ad hoc autem vt non sit aliud, sufficit si quicquid in esse diuino continetur, contineatur vt essentialiter identificatum cum illo, non vt in illo essentialiter inclusum. Nec plus vult ibi Caietanus, sic interpretans, *Perspicuè apparet hic, quòd nulla est distinctio formalis actu inter essentiam diuinam & proprietates personales, & attributa, & reliqua, quæ in Deo formaliter soluuntur.* & immediate post, ad hanc identitatem probandam subdit, *Ipsa enim perfectio diuini esse, si secundum se definiretur, hæc omnia in se concluderet: & propterea omnem huiusmodi distinctionem in Deo non nisi virtualiter ponit.* Illud, *secundum se*, significat, vt Molina infra bene exponit, secundum omnia quæ à parte rei continet siue essentialiter formaliter, siue essentialiter identice; vel vt ipsemet Caietanus in alio loco loquitur, siue per se formaliter, siue per se identice. Item Ferrariensis 2. contra gentes cap. 9. paulò ante medium manifeste pro hac conclusione ita scripsit, *Paternitas, vt relatio est, non esse de ratione Deitatis, etiamsi secundum quòd est conciperetur*: & quamuis nitatur falso fundamento, inferius impugnando, de relatione quòd non dicat perfectionem, oppositum dictuius, si relatio, vt relatio, esset perfectio, cum ibi vniuersaliter antea scripserit. *Si conciperetur Deitas secundum se, in intellectu eius esset potentia, & actio, sicut & omnis alia perfectio, cum sit perfectio infinita*; tamen his verbis vt expresè constat ex antecedentibus, & subsequentibus, non spectat essentialem inclusionem, de qua nunc disputamus, sed solam identitatem ex natura rei.

61. Riccardus. Ochamus. Argentina. Ariminensis. Marsilius. Caietanus.

Exponitur ad Torres S. Thomæ quæst. 27. art. 2. ad 3.

Ferrariensis.

Eamdem sententiam ex recentioribus amplexati sunt Torres hic disput. 2. dub. vltimo, columna 2. fine. & disput. 3. part. 2. ad 2. & ad 3. & ex instituto infra, quæst. 39. art. 6. disput. vnica, part. 2. conclusione 3. Molina disput. 6. conclusione 3. Suarez libro 4. de Trinitate cap. 5. & 6. & obiter in Metaphysica disput. 30. sect. 6. num 13. & 3. p. disput. 11. sect. 3. §. *Deinde*, & §. *Ex his*. Vasquez disput. 121. cap. 4. Bellarminus tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 9. circa finem. Rada controuersia 4. post tertiam conclusionem, §. *Ex his sequitur*. Fonseca libro 2. Metaph. cap. 1. quæst. 2. sect. 3. § *Hæc tamen*. Gillius libro 2. tract. 3. cap. 2. num. 3. & cap. 10. num. 10. Becanus cap. 2. q. 5. conclusione 1. Arrubal disput. 101. cap. 3. Nazarius hic controuersia 1. conclusione vltima, & apud ipsum Pesantius, & Albertinus. Item Ruiz disp. 14. sect. 2. Zumel hic disput. 3. conclusione 4. tametsi contrarium planè scripserat supra quæst. 12. art. 7. conclu

62. *Alij recentiores conclusionis Authores.*

conclusione 3. fine. & ad 1. 2. 4. & ad 5. & 6. secundo loco proposita. Florauantius libro 2. pag. 24. initio. & pag. 105. initio. Zuniga disput. 3. dub. 16. 17. 18. & plures alij, contra Aureolum 1. d. 1. quæst. 1. art. 2. & sequentibus. & d. 33. quæst. 1. art. 1. & 3. Sotum 4. d. 49 quæst. 3. art. 3. §. *Clara ergo*. Bagnes hîc, dubio 3. ad 6. Zumel supra. Valentiam libro 1. de Trinitate cap. 29. & in hac p. p. q. 4. de Trinitate puncto 1. §. *Quartum argumentum*. & supra quæst. 12. puncto 6. quæstiuncula 2. ad 1. ex hoc ipso fundamento de intrinseca inclusione relationum in essentia, tenet contra Scotum, implicare intuitiuam visionem essentiæ diuinæ absque personis. Refertur etiam in contrarium Capreolus 1. d. 2. quæst. 3. fine, vbi dicit,

Contra Aureolum, Sotum. Bagnes. Zumel. Valentiam.

Quid sentiat Capreolus.

Quod conceptus essentiæ addit ad conceptum relationis, & è contra; illo modo, quo ratio substantiæ dicitur addere ad rationẽ entis: quia scilicet secundus conceptus aliquid explicat, quod nõ explicabatur per primũ. Similiter ratio relationis addit ad rationẽ essentiæ, quia explicat illud, quod non explicabatur per rationem essentiæ. Sed fidelissimus Thomista verè non sentit contra expressam doctrinam S. Thomæ, supra: loquitur enim de re concepta, non secundum quòd obiectiuè se habet respectu concipientis, sed secundum quòd realiter se habet respectu sui ipsius: & vult dicere, quòd qui concipit diuinam essentiam, concipit id, quod verè in se ipso est etiam relatio. & ideo huiusmodi conceptus, spectando id quod in se ipsa est res, quæ concipitur, non est conceptus essentiæ, quæ sit essentia, & non sit relatio, sed est conceptus rei simplicissimæ, quæ in se indiuisibiliter est & essentia & relatio; licet eam explicet vt est essentia, non vt est relatio. Quare qui concipit essentiam tantum, ex parte concipientis neque explicitè, neque implicitè concipit relationem, quia ita concipit ac si essentia vere & realiter non esset relatio; sed ex parte rei conceptæ, concipit explicitè essentiam, implicitè tantum relationem. Atque ad hanc identitatem explicandam, non ad suadendam inclusionem essentialem relationis in essentia, & essentiæ in relatione, attulit Capreolus exemplum de ente & subsistantia. Quòd autem hæc sit eius mens, patet ex aliis verbis, quæ ibidem habet; nam explicans quomodo conceptus essentiæ addat ad conceptum relationis, ait, *Addit sic, quòd qui præintellexit essentiam solum, & post intelligit relationem, aliquid intelligit quod prius non intelligebat.* Quibus verbis apertè significatur perfecta rationis distinctio ex parte concipientis inter essentiam & relationem. Deinde significans imperfectam rationis distinctionem ex parte rei conceptæ, subiungit, *& sic addit, non quidem aliquid realiter distinctum à primo intellecto, sed illo modo quo ratio substantiæ*, &c. vt supra. ex quo, paulò post inquit, *non sequitur, quòd in illa re sint duo ponentia in numerum, secundum esse reale, sed solum in intellectu, & in esse obiectiuo.* Si relatio & essentia in esse obiectiuo sunt duo ponentia in numerum, ergo essentia in suo conceptu quidditatiuo non includit relationem, nec relatio essentiam: sic enim duobus conceptibus formalibus mentis, semper corresponderet vnum & idem esse obiectiuum, vt volebat Aureolus, quem ibi Capreolus impugnat. Solet etiam pro contraria sententia referri Ariminensis 1. d. 27. quæst. vnica, art. 2. conclusione 3. probatione 3. Sed nihil ibi lego, quod eam significet. Item Henricus Quodlibeto 5. q. 6. Sed adeò obscurè loquitur, vt modo pro vna, modo pro alia opinione esse videatur. Certè pro hac conclusione ita scribit litera X. fine. *Non dicitur, quòd Deitas est relatio, nec è converso; eo quòd de se respectum non notat, neque includitur præcisè in ratione respectus.*

Quid sentiat Ariminensis & Henricus.

Probatur conclusio authoritate Patrum.

Essentialis inclusio relationis in quidditatiu essentiæ diuinæ ratione, nimis clarè pugnare vide tur cum omnium Patrum dictis, imo cum iis, qu de hoc mysterio fideles omnes credimus. Adeò v non solùm docti, verum etiam pij Theologi parte esse existimem, huiusmodi inclusionem excludere qua præcipuum atque omnium difficillimum fid nostræ mysterium, absque vllą necessitate reddi vi deo implicatissimum. Ergo ante omnia vrgebo quæ in Conciliis ex peculiari Spiritus sancti assi stentia docent Patres. Nicæna fides, quam refer Nazianzenus in breuissimo tractatu de Fide Nicæ na, confitetur Filium Dei, *Deumde Deo, perfectum d perfecto, totum à toto, plenum à pleno.* Vnde dixit Am brosius libro de fide contra Arianos cap. 7. paul ante medium. *Tantus est Filius, quantus videbitur Pa ter, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto consummataque virtute, sicut Apostolus dicit, in quo om nis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat.* Quo Pau li loco idem confirmat Nazianzenus in alio fusior tractatu de Fide, multo post medium. Dixit etiar Hilarius libro de Synodis col. 7. *Ex perfecto Deo per fectus Deus natus est.* & libro 9. de Trinitate aliquan tò ante finem loquens de diuina natura Patris & Filij, ait, *Naturæ indiuiduæ sacramentum apprehend dum tamquam speculum vnius vnius est. Speculum autem ita, vt non imaginatam speciem exterioris naturæ splen dor emittat; sed dum viuens natura naturæ viuenti in differens est, quippe quæ ex tota tota sit.* Et Athanasi serm. 4. contra Arianos, circa principium, *Plenitud* inquit, *Deitatis est Filius.* Et Damascenus libro 3. F dei cap. 6. aliquantò post principium, *Confitemu Deitatis naturam omnem in vnaquaque suarum hyp staseon perfectè esse; omnem in Patre, omnem in Fili omnem in Spiritu sancto. Quapropter & perfectus Dei Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritu sanctus. Sic & in humanatione vnius sanctæ Trinitatis Dei Verbi dicimus, Omnem & perfectam Diuinitat naturam in vna sui ipsius hypostaseon vnitam omni hu manæ naturæ, & non partem parti. Ait enim diuinu Apostolus, quòd in ipso habitat omnis plenitudo Diu nitatis corporaliter.* Hinc ex duabus præmissis de f de in recta forma sic arguo. Certum est certitudi Fidei, Filium Dei esse perfectam, totam, plenam, i tegram, omnem diuinam naturam, & Deitatem, Diuinitatem, & ipsammet Deitatis ac Diuinitat plenitudinem. Certum quoque est eadem certit dine, quòd Filius Dei non est Pater, cui realiter o ponitur, & à quo realiter distinguitur: *Omnia enim* vt definit Florentinum in literis Vnionis, *quæ P tris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo, gignendo ded præter esse Patrem.* ergo esse Patrem non est aliqu essentiale, intrinsece & essentialiter inclusum in n tura Deitatis. Quis enim capiat, aliquam habe pleniſſimè omnem perfectam, & integram esse tiam alicuius naturæ, & non habere aliqua qu sunt de essentia illius naturæ, eamque essentialit implent atque integrant? Hoc ipsum euident conuincitur asserere, qui tenet, Relationem esse tialiter includi in essentia diuinæ naturæ; quia es Patrem, esse Spiritum sanctum sunt duæ relation diuinæ. Sed Filius Dei non habet esse Patrem, es Spiritum sanctum. ergo qui habet omnem int gram, & perfectam plenitudinem naturæ diuin non habet aliqua, quæ ad plenitudinem, & integr tatem, & totalitatem diuinæ naturæ essentialit pertinent. Vis discursus, quem propter eius effic ciam, & rei grauitatem, iuuat iterum, atque iteru inculcare, sub his terminis clarius & breuius pr poni & intelligi potest. In Filio Dei habitat omn

plenitu

plenitudo Diuinitatis. Sed in Filio Dei non habitat esse Patrem. ergo esse Patrem non est aliquid intrinsece & essentialiter inclusum in omni plenitudine Diuinitatis. Maior est expressa doctrina Apostoli Pauli. Minor est expressa definitio Concilij Florentini. Consequentiæ forma, seu bonitas, est naturali lumine euidens. Aliter sic, Docet Fides, quam Damascenus supra confitetur in persona omnium fidelium, *Deitatis naturam omnem in vnaquaque persona perfectè esse.* Sed in Patre non est esse Filium, esse Spiritum sanctum; nec in Filio est esse Patrem, esse Spiritum sanctum; nec in Spiritu sancto est esse Patrem, esse Filium. ergo esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum non sunt aliquid naturæ Deitatis.

64. Augustinus. Eamdem omnimodam diuinarum personarum consubstantialitatem exponens Augustinus illud Psalmi 68. *Infixus sum & non est substantia.* ita docet, *Quidquid est Pater quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus. Pater quod Deus est, hoc ipso substantia est: & quia eiusdem substantiæ Filius, procul dubio & Filius Deus. At vero quod Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus, Filium Patrem esse. quomodo dicimus, Filium Deum esse.* Si Filius est vniuersalissime *quidquid est Pater* in quantum Pater, Deus est; & Filius non est Pater, sed ad Patrem relatiuè sibi oppositum, & à se realiter distinctum; manifestè consequens est, quòd esse Patrem non sit aliquid essentialiter inclusum intra Deum, in quantum Deus est. Item, Filius est quidquid est Pater, in quantum Deus, non in quantum Pater. ergo Pater non est pater in quantum Deus. ergo paternitas non est de essentiali conceptu Deitatis: sicut quia homo est quicquid est equus in quantum animal, non in quantum equus, sequitur manifestè, quod equinitas non est de essentia animalis, esto identificetur omnino ex natura rei cum animali. Et ideo sapientissime ipsemet Augustinus nullam aliam rationem assignat, cur de Filio affirment Catholici esse Deum, negent esse Patrem, nisi quia esse Patrem non significat substantiam siue essentiam & naturam Deitatis, sed solum respectum ad Filium; quem respectum ad Filium Filius in diuinis habere non potest, vt superius demonstratum est.

65. Boëtius. Eodem spiritu Boëtius libro 2. de Trinitate paulò post principium ita scribit, *Quæcumque de diuina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia: idque erit signi, quæ sint, quæ de Diuinitatis substantia prædicentur.* Sed esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum non sunt tribus communia. ergo de Diuinitatis substantia minimè prædicantur. Et iterum post medium non semel docet, *Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum non de ipsa Diuinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo,* nimirum *ad aliquid,* vt postea explicat: *si enim,* inquit, *substantialiter prædicaretur, & de singulis, & de omnibus singulariter diceretur.* Si esse Patrem esset de essentia Diuinitatis, id sanè de Diuinitate ipsa substantialiter prædicaretur, & consequenter, de reliquis etiam personis, quæ in diuinitatis substantia sunt *idem omnino*, vt definit Lateranense supra num. 12. Clarius paulò post, *si personæ diuisa sunt, substantia vero indiuisa sit, necesse est, quod vocabulum ex personis originem capit, id ad substantiam non pertinere. At Trinitatem, personarum diuersitas facit. Trinitas igitur non pertinet ad substantiam:* scilicet tamquam essentiale illius prædicatum. Optimus sanè discursus, quo ex eo quòd credimus, tres diuinas personas habere indiuisionem in substantia siue essentia, diuisionem in personalitatibus, colligit Boëtius, quamlibet personalitatem, & ipsammet personarum Trinitatem ad Deitatis substantiam siue essentiam essentialiter non pertinere.

Aliter non minus essentia esset diuisa, quam diuisæ sint personæ: quia in personis diuisio formaliter oritur ex personalitatibus, quas essentialiter includunt: ergo si ens etiam essentialiter includit essentia, in hac pariter diuisionem esse necesse est. Vnde receptissimum & grauissimum est illud Axioma, quod ex Conciliis & Patribus probatum est supra num. 2. Sola relatio in diuinis multiplicat Trinitatem. Vbi idem Toletanum cum dixisset, *In relatione numerus cernitur. Hoc solo numerum instruant.* ita opponens addit, *In Diuinitatis vero substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur.* Quod vtique facilimè comprehenderetur, si in Diuinitatis substantia inclusa essentialiter essent relationes, in quibus, inquit ibi Concilium, *numerus cernitur.* Et Boëtius, quem refert & sequitur Bernardus libro 5. de consideratione, circa medium de Deo ait, *Hoc verè vnum, in quo nullus est numerus.* Toletanum XI. Bernardus.

66. Toletanum XI. Præterea Patres frequenter, præsertim Augustinus multis in locis docent, quod deinde Toletanum supra posuit in Professione Fidei, *Cum dicimus, Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, sed ad se specialiter Deus dicitur.* Si autem Deus, vt Deus, essentialiter includeret tam perfectiones absolutas, quam relationes, non minus diceretur *ad aliquid* propter esse essentiale relatiuum, quam *ad se* propter esse essentiale absolutum. Nihil quoque frequentius in Conciliis, & Patribus, quam vt de singulis personis prædicetur Deus, imo magis propriè Deitas, vt supra num. 12. & 13. dictum est de Nazianzeno, Augustino, Damasceno, Anselmo, Bernardo, Riccardo Victorino. Et ideo Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 2. *Damnamus,* ita definit, *Quælibet trium personarum est illa res, videlicet, substantia, essentia, siue natura diuina.* Et Toletanum XI. in Professione Fidei col. 2. *Tres personæ vna natura vel substantia creditur.* Et Bernardus supra, *Personas non aliud quam vnum Deum, vnam diuinam substantiam, vnam diuinam naturam Fides catholica confitetur.* Quod magis explicat Athanasius contra Gregales Sabellij paulò post medium illis verbis, *Vniuersa plenitudo & integritas Deitatis est Pater vt Pater: vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius vt Filius; quandoquidem amborum vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque & solide exhibet.* Quæ ratio de vna eademque omnino Deitatis forma in Patre & Filio, clare significat, quòd particula illa, *vt*, non sumitur vt reduplicans rationem formalem paternitatis, vel filiationis, sic enim esset falsa propositio, quia Pater & Filius non sunt integer Deus ex formali ratione paternitatis, aut filiationis, alioqui vel Filius, vel Pater non esset integer Deus, quia nec Filius est Pater, nec Pater est Filius; sed sumitur vt specificans naturam Patris & Filij. Hinc euidenter per Theologicam demonstrationem ita iterum placet discurrere, Pater essentialiter est integra natura diuina, & vniuersa plenitudo Deitatis, sicut etiam Filius. Sed Pater non est Filius, & Filius non est Pater. ergo ad vniuersam plenitudinem, atque integritatem Deitatis, siue diuinæ essentiæ non spectat paternitas aut filiatio. Et sanè ex contraria sententia posset Sabellius catholicam fidem de Sanctissima Trinitate diuinarum personarum efficacissime impugnare, hunc in modum. Essentia Deitatis est esse Patrem, sed Filius est integra & vniuersa essentia Deitatis. ergo Filius est Pater. Simili demonstratione quiuis facilè probare potest, Filium esse etiam Spiritum sanctum; & Patrem esse Filium & Spiritum sanctum; & Spiritum sanctum esse Patrem & Filium. Qua confusione plane destruitur mysterium Trinitatis. Prædictam demonstrationem non obscurè tangit Boëtius

Concilium Lateranense. Athanasius. *Eadem Theologica demonstratio inculcatur ex verbis Athanasij.*

Boëtius libro 2. de Trinitate. Cum enim circa medium vniuersaliter dixisset, *Ea, quæ cum in singulis separatim dici conuenit, nec tamen in omnibus dici queunt, non substantialiter prædicari*; id statim in particulari ita explicat, & probat, *Nam qui Pater est, hoc vocabulum non transmittit ad Filium, neque ad Spiritum sanctum. Quo sit, vt non sit substantiale nomen hoc indictum. Nam si substantiale est, vt Deus, vt veritas, vt iustitia, vt ipsa quoque substantia, de ceteris diceretur.* Ex eo quòd esse Patrem, vel esse Filium, vel esse Spiritum sanctum non prædicetur de omnibus diuinis personis, optimè deducit, non prædicari substantialiter. Quæ vero de Deo non prædicantur substantialiter, dici non possunt esse de essentia diuinæ substantiæ; hæc enim omnium maximè prædicarentur substantialiter.

67. Concilium Lateranense. Ita ex Lateranensi supra, *Illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina, non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus sanctus, qui procedit.* Hæc doctrina stare non potest, si paternitas, filiatio, spiratio, sunt rationes essentiales in ipsamet essentia diuina essentialiter inclusæ. Sic enim quia Pater generat, quia Filius gignitur, quia Spiritus sanctus procedit, verissime essentia diuina esset generans, esset genita, esset procedens. Quid enim quæso fingi potest deesse essentiæ in quantum essentiæ, vt non sit generans, aut genita, aut procedens, si Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus sanctus qui procedit, sunt intrinsece & essentialiter ipsa formaliter essentia? Si enim in homine, v. g. de eius essentia esset intellectus, voluntas, risibilitas, non ne essentia intelligeret, vellet, rideret? Et si dum Pater, v. g. generat, essentia sola non generat, assignent aduersarij, quid sit illud, quod præter essentiam in Patre concurrit ad generandum. Profecto nihil assignare poterunt præter paternitatem. Hæc autem per ipsos est quædam essentialis pars essentiæ, inclusa essentialiter in ipsamet essentia. ergo syncerè effugere non possunt quia falsò doceat Lateranense Concilium, *Essentia non generat, sed Pater.* Quibus verbis paternitas, tamquam aliquid extra totam essentiam clarissimè significatur. Imo ex contraria sententia sequitur, Patrem vt Patrem, siue vt realiter distinctum à Filio & vt intelligitur prius origine præcedere Filium tamquam principium, à quo est Filius, non posse generare Filium. Deus enim Pater intelligi non potest generare Filium, nisi intelligatur cum omni eo quod est de essentia Deitatis, docente Paulo, quod in Filio est *omnis plenitudo Diuinitatis*, vtique à Patre eam ex se præhabente; & fatentibus Fide Nicæna, aliisque Patribus supra num. 63. Deum perfectum, totum plenum, integrum de perfecto, toto, pleno, & integro Deo. Sed Pater neque vere est, neque rectè à nobis intelligi potest per Filiationem, seu cum Filiatione principium generans Filium; quæ Filiatio ponitur de essentia Deitatis. ergo Pater neque est, neque intelligi rectè potest principium generans Filium cum omni eo, quod est de essentia Deitatis. Eademque ratio applicari facile potest ad probandum, quod neque generari, neque sperare, neque spirari esse possit cum omni eo, quod est de essentia Deitatis. Quod vlterius confirmatur ex eo, quod docet Epiphanius hæresi 76. in confutatione septimi capitis Aëtij, *Totus Deus ingenitus est.* Deus ingenitus non habet esse genitum & esse Filium. Sed Deus ingenitus, est totus Deus. ergo esse genitum, esse Filium, non est aliquid intrinsece pertinens ad essentiam Deitatis: alioqui Deus non genitus, & non Filius, non esset totus Deus. Item confirmatur ex eo, quòd Arianis Filij consubstantialitatem impugnantibus potissimum ex eo, quòd Patrem esse ingenitū esset de substantia Patris, id constanter negando, respondent omnes Patres: vt videre est apud Basilium lib. 1. contra Eunomium, paulò ante medium, Epiphanium supra à cap. 13. Aëtij. Cyrillum toto lib. 11. Thesauri. & Dialogorum de Trinitate lib. 2. col. 4. & omnium cumulatissime apud Augustinum lib. 5. de Trinitate c. 6. & 7. Et quamuis omnes respondeant, sufficientissime quidem ad rudes illos hæreticos, Ingenitum non posse esse substantiam, quia est quædam negatio, qua non dicitur quid sit substantia Patris, sed quid non sit; tamen si quis pro hæreticis instaret, negationem illam geniti, quoniam est proprietas Patris, vt infra quæst. 33. art. 4. fundari necessario in aliquo positivo, quod sit proprium Patris, idque consequenter esse non posse Deitatis essentiam, reliquis diuinis personis communem, sed paternitatem ipsam diuinam; & de hoc positivo proponeret idem argumentum, quod de negatiuo proponunt hæretici, nempe, illud pertinere ad substantiam Patris, ergo Filium, qui huiusmodi substantiam non habet, non esse Patri consubstantialem; vtique nihil aliud responderi rationabiliter posset, nisi negando antecedens, asserere, Paternitatem, siue esse Patrem, non pertinere ad substantiam & essentiam Patris, sed ad eius relationem & personalitatem; ac proinde paternitatem non esse de essentia Deitatis. Et ideo Augustinus citatus c. 7. *Non substantialiter, sed relatiuè aio, cum dico, Filius est,* idem, cum dico, Pater est, Spiritus sanctus est.

Basilius. Cyrillus. Augustinus.

68. Multum etiam fauent Patres supra num. 35. 36. & 37. adducti pro distinctione rationis ratiocinatæ inter essentiam & relationes. Præsertim Iustinus. *Ingenitus, genitus, procedens non significant ipsam essentiam.* Athanasius. *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas.* idque optimè probat ex eo quòd *essentia declarat communitatem; etsi quid est essentiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus. Hypostasis autem, præterquam quod numerum admittit, proprietatem habet minimè communem hypostasibus.* Idem Basilius, additque de nominibus Patris & Filij, *non significant substantiam, sed proprietates.* Nazianzenus de diuinis proprietatibus, *Circa naturam hæc considerantur, non autem ipsa natura sunt.* Et alibi, *Pater neque essentiæ, neque operationis est nomen, sed tantum relationis.* Augustinus, *Aliud Deo est esse, aliud Patrem esse.* Damascenus, *Substantia secundum se ipsam, hypostasis non est, sed in hypostasibus seruatur.* Item Athanasius, *Deus à Deo nihil differt quatenus Deus est, siue, in Deum esse; sed in Patrem esse, & Filium esse.* Iterh Augustinus. *Pater non substantiæ nomen est.* Cyrillus. *Aliud est substantia, alia substantia: magnum enim inter illa discrimen est.* Et lib. 2. Thesauri cap. 3. aliquanto post principium. *Cum non composita, sed simplex natura Deitatis sit, numquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem, quasi extrinsecus intellecta, per quam vtriusque persona in propria hypostasi constituitur.* Si personalitas esset de intrinseco conceptu essentiæ diuinæ, & esset quid formaliter essentiale, vtique esset differentia secundum essentiam, & nullo modo extrinsecus, sed maximè intra ipsam essentiam essentialiter intelligeretur. Præterea Isidorus 7. Etymologiarum cap. 1. §. *Simplex autem.* ait, *Deus quod est, & quod in ipso est, essentialiter est, excepto quòd relatiuè ad quamcumque personam est.* Demum omnium clarissima videntur verba Augustini libro 7. de Trinitate cap. 2. post medium, *In his omnibus, nominibus, Verbum, Imago, Filius, non ostenditur essentia, quia*

Basilius. Nazianzen. Augustinus. Damascenus. Cyrillus. Athanasius. Iustinus. Isidorus. Augustinus. ad Coloss. 2. Epiphanius.

quia relatiuè dicuntur. ex quo, paucis interiectis, optimam rationem assignat de huius altissimi mysterij trinitate & vnitate, dicens, *Quapropter non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non vna essentia; quia hæ nominibus relatiua eorum ostenduntur.* Quam rationem assignare minimè possunt aduersarij. Quomodo enim intelligi potest vnitas in essentia, quæ intrinsece in se ipsa, & in eo formaliter quod est essentia, includit essentialiter oppositas relationes, hoc est, pluralitatem & distinctionem? Nulla igitur alia ratio & secundum veritatem, & secundum expressam Augustini doctrinam reddi potest, cur in diuinis non valeat ista consequentia, non est vna persona, ergo non vna essentia; nisi quia persona non ostendit essentiam, sed relationem; hoc est, quia personalitas, quæ significatur per hoc nomen, persona, non est essentiale prædicatum essentiæ, sed est quædam relatio extra intrinsecum conceptum essentiæ. Et notanda valde est illa causalis, *Ideo Filius non ostendit essentiam, quia relatiuè dicitur:* nam idem vniuersaliter probat de reliquis omnibus diuinis relatiuis, Patre, Spiratore, Spirato: & præterea à simili per oppositum probat, quod sequenti dub. ostendam, Deitatem non esse de essentia relationis: si enim Augustinus efficaciter arguit, Filium non esse de essentia Dei, quia Filius relatiuè ad aliud dicitur; non apparet, cur non à contrario eadem efficacia argumentari liceat, Deum non esse de essentia Filij, quia Deus absolutè ad se dicitur.

Probatur conclusio rationibus.

69. *Prima ratio à priori.* Multas, easque grauissimas attulimus explicantes dicta Sanctorum. Præterea arguo primò à priori, quia nos, modo nostro concipiendi, per hoc nomen, essentia, non intelligimus, & significamus quicquid est in re, siue realiter distinctum, siue identificatum, sed solum perfectiones quasdam primarias, ab illa re prorsus inseparabiles, quas ex propriis rationibus præsupponunt aliæ secundariæ, ac minores perfectiones; quæ scilicet vel oriantur à primariis, vt visibilitas à rationalitate, aut quasi oriantur, quia propter illas rebus conueniunt, vt attributa conueniunt Deo, v.g. Deus vult quia intelligit, non contra; vel fundentur in primariis, vt personalitates, quæ sunt termini essentiæ, seu naturæ. *Duo necessaria ad essentialem inclusionem.* Inclusio igitur essentialis, siue id quod in alicuius essentia includi dicitur, debet habere duo simul. Primum vt ratio, quæ est de essentia alicuius rei. Sic etiam de essentia cuiuslibet alterius, cui res illa essentialiter competit, v.g. si Viuens est de essentia Animalis, vel Rationale de essentia Hominis, debet Viuens esse etiam de essentia Hominis, & Rationale de essentia Petri. Secundum vt ratio quæ dicitur de essentia, non supponat ex proprio conceptu essentiam aliunde perfectè constitutam in ratione essentiæ, ac proinde, vt non sit ratio seu formaliter, seu virtualiter consequens essentiam, vel essentiam terminans, & quodammodo complens, faciendo illam incommunicabilem. Ex defectu primi, ab essentia Dei apertè excluduntur Personalitates, & relationes omnes: si enim nulla relatio est de essentia omnium personarum, ergo nulla relatio esse potest de essentia Dei, qui est de essentia omnium personarum. Non tamen excluduntur attributa, quia hæc sunt communia omnibus personis, & adæquatè identificantur cum essentia. Ex defectu secundi excluduntur apertissime non solum relationes omnes, quæ personant, seu suppositant, ac referunt huc numero Deum perfectissimè constitutum in singulari sua natura Deitatis, sed etiam attributa, quæ sunt rationes quædam secundariæ virtualiter consequentes essentiam Deitatis, vt latè probatum est in 1. tomo quæst. 4. art. 2. Vnde sequitur, nos habere maiorem rationem excludendi ab essentia diuina relationes, quæ inadæquatè identificantur essentiæ, quam attributa adæquatè identificata cum essentia. Et ideo multi sunt, qui tenent, attributa esse de essentia Dei, non autem Relationes. Quamquam nonnulli congruentius & cohærentius asserunt, neque Relationes, neque attributa esse de essentia Deitatis; inter quos est Vasquez hîc disput. 119. agens de attributis, & disput. 121. agens de Relationibus. Alij vero nulla planè congruentia, & cohærentia philosophantur renentes, de essentia Deitatis esse Relationes, non attributa; vt Bagnes de attributis obiter supra quæst. 1. art. 7. conclusione 3. & ex instituto hîc dub. 3. conclusione 2. vbi etiam ad 6. de Relationibus.

Ab essentia Dei magis excludi relationes quàm attributa.

Vasquez.

Bagnes.

70. *Secunda ratio contra opinionem Nazarij.* Arguo secundò in particulari contra nonnullos dicentes, quòd si essentia & Relatio sumantur præcisè, prout inter se ratione ratiocinata distinctæ à nobis sunt, neque relatio est de intrinseca ratione essentiæ, neque essentia de intrinseca ratione relationis. Si vero sumantur secundum se, prout se habent in re ipsa, tam relatio est de intrinseca ratione essentiæ, quam essentia est de intrinseca ratione relationis. Quæ duo non videntur satis cohærere; quia in Deo Patre v.g. est à parte rei Deitas formaliter, & paternitas formaliter, licet absque vlla distinctione à parte rei. ergo intellectus vno actu considerans Deitatem, & alio paternitatem, & sic eas ratione distinguens, non dat rebus consideratis formale esse Deitatis, aut formale esse paternitatis, sed solam distinctionem quamdam obiectiuam, seu rationis, per extrinsecam denominationem à distinctis actibus, quorum singulis inadæquate concipitur id, quod à parte rei est vnum actu, & virtute multiplex. ergo semper remanet eadem difficultas, de qua nunc disputamus, an formale esse Deitatis, quod in quantum ad intrinsecam & quidditatiuam suam rationem idem omnino est obiectiuè in mente, & realiter in se ipsa, includat essentialiter paternitatem: sicut de paternitate, siue realiter, siue obiectiuè existente, an includat essentialiter in intrinseca sua paternitatis ratione Deitatem. Perperam igitur huiusmodi distinctio aliud dicit de Deitatis & paternitatis essentia in statu reali, & aliud in statu obiectiuo. Neque enim rerum essentiæ pendent à conceptionibus nostris, sed solum ab eo quod in seipsis intrinsece sunt, siue concipiantur, siue non. Vnde in opinione probabili non distinguente in rebus creatis essentiam & existentiam inter se ex natura rei, nemo sanè dixerit, de conceptu quidditatiuo essentiæ esse existentiam in re, non autem in mente: sed omnes indubitanter asserimus, essentiam creatam, siue consideratam secundum se in re ipsa, siue vt ratione præcisam ac distinctam, non includere in suo quidditatiuo conceptu existentiam. Et ideo cohærentius Aureolus citatus supra num. 34. cum sibi persuasisset, Dei essentiam & relationem re ipsa inuicem essentialiter claudi, idem dixit de iisdem obiectiuè in intellectu existentibus. Sicut in verissima opinione, quoniam ens secundum se includit essentialiter substantiam & accidens, ideo

ideo ne consideratione quidem perfectè præscindit à substantia & accidente. ex his igitur

71. *Tertia ratio ex concessis.* Arguo tertiò Deitas secundum esse obiectiuum ratione præcisum à relatione, in ipsa reali entitate, quæ obiicitur, non includit intrinsece & essentialiter relationem. ergo neque secundum se in re ipsa. Consequentia benè tangitur ab Ægidio verbis relatis supra num. 6. docente, quòd si Deitas secundum se, & à parte rei clauderet *essentialiter relationem, inter essentiam & relationem non simpliciter saluare possemus differentiam rationis.* Et patet ex modo dictis: quia Deitas, quæ est in re, & Deitas quæ concipitur, non differunt quoad intrinsecam rationem Deitatis, sed solum quoad identitatem & distinctionem, in quantum Deitas secundum esse reale identificatur relationi, secundum esse obiectiuum à relatione distinguitur. Antecedens, etsi concedatur ab aduersariis neotericis, tamen quia negatur ab Aureolo, prebo primo ex dictis Patrum supra num. 35. 36. 37. & 68. & omissis, quæ possent explicari de præcisione impertecta quoad explicitum & implicitum, clarissima videntur verba Athanasij, *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas.* Id quod est vnum & idem, & solum differt in modo concipiendi illud explicitè & implicitè, falsò dicitur *aliud & aliud*, v.g. quia conceptus substantiæ & accidentis est explicitus, & conceptus entis est implicitus conceptus substantiæ & accidentis, falsò diceretur simpliciter, aliud est ens, aliud substantia & accidens: sed solum verum est, quòd alius sit conceptus entis, alius conceptus substantiæ & accidentis; & in ipsismet conceptibus alius sit modus implicitus, & alius modus explicitus concipiendi substantiam & accidens. ergo cum vno actu concipitur hypostasis, & alio Deitas, si etiam in esse concepto hypostasis esset Deitas, & Deitas esset hypostasis, de ipsis rebus conceptis, falsò diceretur absolutè & simpliciter, *Aliud est hypostasis, aliud Deitas.* Item Nazianzeni; *circa naturam hæc considerantur, non autem ipsa natura sunt.* Si personalitas consideratur circa naturam; ergo in esse considerato non est natura. & Augustini, *Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est etiam aliquid, excepto relatiuo.* Si diuina essentia, etiam in esse obiectiuo, est aliquid, excepto relatiuo, ergo ipsa in esse obiectiuo nulla ratione est relatio. Vnde quia v.g. Ens, etiam in esse obiectiuo est implicitè substantia & accidens, dici non potest, ens in esse obiectiuo est etiam aliquid excepta substantia & accidente. Et alibi, *Aliud Deo est esse, aliud Patrem esse.* Et Damasceni, *substantia secundum se ipsum hypostasis non est.* Loquitur de substantia præcisa secundum rationem, alioqui substantia diuina in re est hypostasis; & nihilominus dicit, quòd huiusmodi substantiæ *secundum se ipsum hypostasis non est*, hoc est, secundum id quod ipsa in se intrinsece & essentialiter est; quod semper retinet, siue consideretur vt existens in re, siue vt existens in intellectu. Item Athanasij, qui docuit, quòd Deus Pater à Deo Filio *nihil differt quatenus Deus, siue in Deum esse; sed in Patrem esse, & Filium esse.* ergo qui concipit esse Deum, ne implicitè quidem concipit esse Patrem; alioqui Pater in esse Deum differret etiam aliquo modo; & tamen Athanasius dicit, *nihil differt.* Et Cyrilli, *Aliud est substantia, & alia subsistentia: magnum enim inter illa discrimen est.* Quod vtique discrimen in genere distinctionis rationis, non esset magnum, si ipsæ res ratione distinctæ non essent duæ. Sed vna & eadem duobus actibus & modis concepta. Et ab eodem differentia quæ est in Deo secundum relationem, dicitur, *Differentia extrinseca*

Ægidius.

Deitatem ratione præcisam non includere essentialiter relationem, cõtra Aureolum.

Athanasius.

Nazianzen.

Augustinus.

Damascenus.

Athanasius.

Cyrillus.

72. *Quarta ratio contra eamdem opinionẽ.* Arguo quartò contra eumdem modum narratum supra num. 70. initio, quia si Deitas secundum se, & à parte rei, in sua quidditatiua formalitate includeret essentialiter relationem, & eodem modo relatio Deitatem; & ista essentialis inclusio non esset in iisdem præcisè consideratis, & prout ratione distinctis; sequeretur, Deitatem, eiusque relationem non distingui ratione ratiocinata cum fundamento in re, sed ratione omnino apposita, illi, quam rei ipsius fundamentum exigit. Si enim in re ipsa, relatio vt formaliter relatio includitur quidditatiuè intra ipsam Deitatem, in quantum re ipsa secundum se est formaliter Deitas; ergo qui concipit relationem, vt relatio est, extra Deitatem, vt Deitas est, concipit contrarium illius, quod essentialiter exigit fundamentum ipsum quod concipitur. Confirmatur, quia vrgentissimum fundamentum distinguendi ratione ratiocinata Deitatem à paternitate, quod intellectus noster inuenit intra ipsum Deum maximè est, quia re ipsa Pater gignendo Filium, communicat illi esse Deum, & non communicat esse Patrem. Hoc autem est efficacissimum fundamentum non solum concipiendi paternitatem extra Deitatem, sed etiam asserendi, in re ipsa paternitatem non esse prædicatum essentiale Deitatis secundum se. Imo hoc ipsum est vnica ratio ob quam intellectus noster possit ratione ratiocinata perfectè distinguere Deitatem à paternitate. Vbi aduerto contra Nazarium hic controuersia 1. §. *Sextò obseruandum*, esse optimam istam consequentiam, *quidquid continetur in essentia secundum se quidditatiuè*, quod ipse ibi defendit; *Ergo Pater communicans Filio totam essentiam, communicat etiam illi paternitatem.* Neque videtur satisfacere dicens, fallam esse consequentiam, *quoniam paternitas non includitur in diuina essentia secundum rationem communicabilis; & consequenter non includitur communicabiliter.* Quam responsionem ac doctrinam sumpsisse videtur ex Bagnes circa finem huius articuli. Hoc enim apertè destruit opinionem Authoris. Quamuis enim rectè sumat, Paternitatem non includi in essentia Deitatis secundum rationem, qua Deitas est communicabilis, cum diuina paternitas sit ipsa Dei personalitas, & formalis ratio incommunicabilitatis; tamen hinc sequitur, Paternitatem non includi simpliciter in essentia Deitatis secundum rationem Deitatis secundum se: quoniam Deitas in quantum Deitas dicit essentialiter rationem communicabilis. Sed Paternitas non includitur in Deitate secundum quod illa est communicabilis; ergo neque secundum quod illa est essentialiter & formaliter Deitas. Si quis malè sentiret, Petreitatem v.g. esse de essentia humanitatis: & impugnaremus, quia humanitas vt humanitas est essentialiter communicabilis pluribus individuis, quibus Petreitas est incommunicabilis; & ille responderet Petreitatem esse quidem de essentia humanitatis, tamen non secundum rationem qua humanitas est communicabilis; non ne id ipsum censeretur negare, quod affirmauerat? Scilicet, Humanitatem, quæ quatenus humanitas est, in suo formali conceptu includit rationem communicabilis, & propterea non potest in sua essentia includere aliquid secundum rationem humanitatis, & non secundum rationem communicabilis, non

Defenditur sequentia contra Nazarium.

Bagnes.

posse quatenus humanitatè in sua essentia includere formam ipsam incommunicabilitatis, quæ est Petreitas. Ita prorsus in casu nostro. Et qui negauit, Paternitatem includi in essentia diuina secundum rationem communicabilis, tenebatur explicare, secundum quam aliam rationem in illa essentia paternitatem includeret. Sed ista ratio non explicata est, quia verè explicari non poterat; quæ enim, præcisa ratione communicabilis ab essentia diuina, alia ratio fingi potest secundum quam in illa essentia, quæ secundum vltimam suam rationem formalem est essentialiter communicabilis pluribus personis, includatur essentialiter ratio incommunicabilis omnino oppositæ?

73. *Quinta ratio contra alium dicendi modum.*

Arguo quintò contra alios recentiores, quos idem Nazarius supra refert, & impugnat dicentes, Diuinas relationes, neque collectiuè, neque diuisiuè sumptas, hoc est, neque omnes simul, neque seorsum singulas, esse de essentia Dei: sed solum sumptas disiunctim, ita vt essentia sit vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus: in quantum de essentia Diuinitatis est, vt modificata ad vnam aliquam personam excludat reliquas. Hic dicendi modus displicet primo, quia argumenta superius facta ab essentia Dei excludunt non solum omnes relationes, aut aliquam determinatè, sed etiam aliquam indeterminatè. Si enim de essentia Deitatis est aliqua persona; ergo aliqua incommunicabilitas. Sed Deitas vt Deitas essentialiter est communicabilis tribus personis. ergo non potest in essentiali suo conceptu includere oppositam incommunicabilitatem, esto non sit incommunicabilitas determinata, sed vel hæc, vel alia: quia cum esse communicabile pluribus personis pugnet esse simpliciter incommunicabile pluribus personis, quocumque modo sit, & vndecumque proueniat incommunicabilitas. Secundo essentia Deitatis est aliquid in se, & in reipsa omnino determinatum. ergo in illa irrationabiliter ponitur prædicatum aliquod essentiale determinatum: essentia enim determinata essentialibus prædicatis determinatis constituatur necesse est. Quis enim concipiat, ad constituendum hoc determinatum totum concurrere partem aliquam indeterminatam? Tertio cum essentialiter sit Deitati, connecti per summam identificationem à parte rei tribus personis, non rectè sumitur, de essentia Diuinitatis esse, vt modificata ad vnam aliquam personam excludat reliquas. In hoc igitur modo dicendi nihil apparet probabilitatis.

74. *Sexta ratio minus efficax.*

Arguunt sextò alij. Essentia & relatio non differunt actualiter re ipsa, immo vna est essentialiter altera, vt supra num. 61. concessi cum Caietano ex quibusdam S. Thomæ. ergo non potest vna à parte rei essentialiter includere alteram; quia realis, & actualis inclusio ex natura rei, intelligi non potest absque aliqua distinctione actuali ex natura rei; qua includens sit realiter totum; & inclusum, sit realiter pars. Videtur tamen ratio leuioris momenti si de solo modo loquendi, quo probaretur pariter, essentiam & relationem nec se mutuo excludere essentialiter. Vt igitur rectè dicatur aliquid re ipsa essentialiter in alio includi, vel ab alio excludi, satis est vt in re actualiter & formaliter sit illa essentia in qua aliud dicitur includi, vel à qua aliud dicitur excludi: esto non actualiter, sed virtualiter tantum in re sit distinctio inter includens & inclusum, vel excludens & exclusum. Sic communiter dicimus, ens à parte rei essentialiter includere substantiam & accidens; & è contra, substantiam & accidens includere ens; & tamen inter ens, & substantiam & accidens, nulla est in re actualis distinctio; & in intellecta non est distinctio nisi imperfecta, per solum explicitum & implicitum conceptum. Sic etiam probabilissima opinio non distinguens actu ex natura rei in continuo partes, v. g. in Palmo semipalmum A, & semipalmum B, concedit, vel tenetur concedere, A non esse à parte rei inclusum & penetratum cum B. Sed esse extra B, non intra B. Et in alia opinione communi de omnimoda gradum metaphysicorum identitate ex natura rei, & creatæ essentiæ, atque existentiæ, dicimus, quidditatiuam rationem humanitatis re ipsa non includere, sed excludere existentiam: item in essentia humanitatis secundum se non autem animalitatis includi rationalitatem. Quod si quis contendat, hanc essentialem inclusionem & exclusionem esse quidem ex natura rei, tamen non esse vocandam actualem, sed virtualem, ex defectu actualis distinctionis ex natura rei, parum refert cum illo loqui, modo ipse in re nobiscum sentiat.

Exponuntur oppositæ Patrum authoritates.

75. *Prima obiectio ex Valentia.*

Obiicies ex Valentia primò quia Athanasius loco & verbis citatis supra num. 66. docet, quod essentia diuina est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt tales sunt. ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt de ratione essentiæ diuinæ.

Respondetur exponendo Athanasium,

Respondeo, argumentum retorqueri facilè posse contra Authorem: quia ex illo modo loquendi Athanasij, *Vniuersa plenitudo & integritas Deitatis est Pater, vt Pater. Vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius, vt Filius*; planissime constat, ipsum non loqui de omnibus personis collectiuè, sed de singulis diuisiuè, v. g. de Patre vt Patre, & de Filio vt Filio. Si igitur vniuersa Deitatis plenitudo est Pater vt Pater, per se singillatim & solitariè consideratus, ergo Filius, & Spiritus sanctus à quibus Pater vt Pater realiter distinguitur, non sunt aliquid pertinens ad vniuersam plenitudinem Deitatis, quod est contra ipsummet Valentiam. Mens igitur Athanasij, ex verbis ipsius fideliter collecta loco citato est vt illud, *vt Pater, vt Filius*, non sumatur reduplicatiuè, sed specificatiuè: & sensus germanus sit, tam persona, quæ est Pater, in se sola considerata, quam persona, quæ est Filius, per se etiam sola considerata, est vniuersa plenitudo Deitatis; nimirum vel quia quælibet habet quicquid est ipsa essentia, siue, vt loquitur Athanasius, *forma Deitatis*; vel quia quælibet ratione huius essentiæ, seu formæ, est identificata cum omni eo, quod est simpliciter diuinum; cum quælibet sit essentialiter Deus, qui identicè omnino est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, in quibus Deitatis plenitudo, & integritas vniuersa totaliter consistit.

76. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò alia verba Athanasij serm. 4. contra Arianos non longe ab initio, *clarissimè*, vt ait Valentia, dicentis, *ipsam proprietatem Patris, essentiam Filij constituere.*

Respondetur exponendo alia Athanasij verba.

Respondeo, Qui attentè legit alia antecedentia & consequentia Athanasij verba, clarissime intelliget, ipsum per *proprietatem Patris*, nihil aliud significare nisi propriam Patris naturam. Deitas enim dicitur natura siue essentia propria Patris, non quia non sit eadem etiam Filij, & Spiritus sancti, sed quia illa quamuis sit communis reliquis diuinis personis, tamen est etiam

sua, & sibi etiam essentialiter, ac proinde, propriissimè conueniens. Quomodo proprium sumitur non vt opponitur communi, sicut proprium Patris est esse Patrem; sed vt opponitur extraneo, sicut dicimus, proprium Petri est esse hominem, tametsi etiam Paulus, & alij sint homines. Quare verborum, quæ obiiciuntur, sensus est, ipsam eamdem Patris naturam, quæ non est extranea, sed sua, sibique essentialiter ac propriissime conueniens, essentiam Filij constituere. Hanc autem esse veram Athanasij mentem, manifestum est ex eius discursu & verbis. Ibi enim probare intendit, Filium esse imaginem Patris; & rationem affert, & simul tacitæ obiectioni respondet his verbis, *Nam, quamquam alius est Filius, quatenus est genitus; attamen idem existit, quatenus est Deus. Siquidem vnum sunt Pater & Filius, suitate & proprietate naturæ, & identitate vnius Deitatis.* Quibus verbis expressissime constat, ipsum loqui de *proprietate naturæ*, quæ est communis omnibus personis; non de proprietate personæ, quæ tantum vni conuenit: & *proprietatem* cum *suitate* coniungere, vt significet, quòd natura *propria* idem sit quod natura *sua*, & non aliena atque extranea. Paulò post, explicans eamdem Patris & Filij vnitatem, addit, *Cum vna sit illis Deitas, eadem dicuntur de Filio, quæcumque de Patre dicuntur, excepto quòd Pater non appellatur.* At verò si ipsa personalis proprietas Patris, de qua Valentia vult Athanasium esse intelligendum, *essentiam Filij constituere*, sine dubio Filius ab ipsomet intrinseco & quidditatiuo paternitatis prædicato constituente essentiam suam appellari posset Pater. Et nonnullis interiectis, verba obiecta ita integrè habet. *Quoniam Filius est imago Patris, necessum est vt cogites, Deitatem & proprietatem Patris, ipsam essentiam Filij constituere. Et hoc est, quod ait, Qui cum in forma Dei esset. Non autem ex parte aliqua, forma Deitatis consurgit, sed ex integra Deitate Patris, essentia Filij consurgit, & solidus Deus.* Proprietatem non aliunde probat, quam ex imagine. Filius autem est imago Patris in proprietate naturæ, in qua sunt vnum & idem omnino; non in proprietate paternitatis, in qua realiter opponuntur ac distinguuntur. Imò si præter naturæ proprietatem, esset etiam in essentia, Filij constitutiua, personalis proprietas quæ est in Patre, iam Filius non esset Patris imago, quæ necessario postulat aliquam realem distinctionem ab imaginato; sed mera identitas absque vlla prorsus distinctione; ita vt sicut Filius non est imago Filij, quia non distinguitur à se ipso; ita nec esset imago Patris, si in essentia Filij esset etiam paternitas, quia tunc Filius esset essentialiter Pater, & Pater esset essentialiter Filius. Præterea coniungens simul Athanasius *Deitatem & proprietatem Patris*, & explicans quòd hæc proprietas non est aliud quam, *forma Dei*, & *forma Deitatis*; & quòd constitui essentiam Filij ex proprietate Patris, est, *essentiam Filij consurgere ex integra Deitate Patris*, clarissimè significauit, se per proprietatem Patris, non significare paternitatem, sed Deitatem.

77. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò verba Nazianzeni oratione in sancta Epiphaniarum lumina, prope medium. *Vnum in tribus Diuinitas est, & tria vnum, ea in quibus Diuinitas est; vel, vt magis propriè loquar, tria sunt ea, quæ ipsa Diuinitas est.*

Respondetur exponendo Nazianzenum.

Philip. 2.

Respondeo, me supra num. 13. hæc verba, & alia similia Damasceni attulisse ad probandam omnimodam ex natura rei identitatem vnius Deitatis cum Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et verè non plus probant. Illa enim correctio, qua Patres docent, melius dici, *Deitas est tres personæ*, quàm, *Deitas est in tribus personis*, non ponitur ad significandam essentialem inclusionem personarum in essentia Deitatis; sed solum ad significandam identitatem trium personarum cum vna Deitate: quoniam per illud, *Deitas est in tribus*, videbatur significari potius opposita distinctio.

78. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò eumdem Nazianzenum in epistola ad Euagrium Monachum: quia *cum is obiecisset, videri diuinam essentiam compositam, si ex tribus personis constat, nequaquam Nazianzenus negat, illam ex tribus personis esse constitutam; sed aliis modis conatur defendere, eam nihilominus non esse compositam.*

Respondetur exponendo alium Nazianzeni locum.

Respondeo primo vt defenderet Nazianzenus, essentiam Dei non esse compositam ex tribus personis, non fuisse necessarium negare, illam essentiam non esse intrinsece & quidditatiue constitutam ex tribus personis: nam adhuc data tali negatione remanebat integra difficultas de compositione illius essentiæ, quomodo scilicet illa essentialiter constans ex tribus realiter distinctis, non sit composita. Igitur compositio tollitur solum ex eo, quòd tres personæ ita sunt in Deitate, siue sint de illius essentia, siue non, vt respectu illius nullam ab ea distinctionem habeant, vt supra num. 15. dictum est. Secundo magis ad mentem Authoris Euagrium ibi nihil obiicere, sed duntaxat quærere, vt initio refert Nazianzenus, *Qualis nam Patris, & Filij, & Spiritus sancti esset natura, num simplex, vel composita. Si enim simplex, quomodo numerum ternarium suscipiat in prædictis? Quod enim simplex, necesse est vt vnius sit speciei, & sine numero.* Et paulo post, vt satisfaciat Euagrio, inquirit, *Quo modo Diuinitas sit accipienda, num simpliciter, aut tripliciter?* & respondet, *Deus simplex est omnino & indiuisibilis essentia.* & post nonnulla, addit, per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, *quosdam crassè existimare, quasi subdiuidi essentiam.* Quapropter iterum subdit, *Quòd indiuisibilis, & vniformis diuina, & inseparabilis est essentia*: & totus vsque ad finem illius epistolæ est Nazianzenus, vt ostendat, Ternarium illum numerum, Patris, Filij, & Spiritus sancti, non esse in diuinis numerum & diuisionem essentiæ, sed personarum: & numquam, ne leuissime quidem significat illam personarum trinitatem esse de essentia Deitatis: imo verbis citatis potius significat oppositum, quia si trinitas esset de essentia Deitatis, iam hæc essentia in sua intrinseca & essentiali ratione includeret diuisionem illam, quam omnes confitemur esse in personis, non in essentia; & propterea non esset, vt à Nazianzeno dicitur, *simplex omnino, & indiuisibilis, & vniformis.*

79. *Quinta obiectio.*

Obiicit quintò Valentia quia, *Omnes alij orthodoxi Patres, cum fatentur essentiam vnam, &, quod idem est, vnum Deum esse tres personas, procul dubio intrinsecè & essentialiter esse intellexerunt; cum in Deo ipso nihil insit extrinsecum, vel accidentarium essentiæ suæ.* Obiicit etiam S. Thomam supra quæst. 27. art. 2. ad 3. de quo dixi supra num. 61.

Respondetur distinguendo duplicem vnitatem diuinæ essentiæ.

Respondeo, non esse idem, essentiam esse vnam, &, vnum Deum esse tres personas: quia secundum supra primum addit, illam essentiam vnam omnino in se absque vlla distinctione in rationibus suis essentialibus, esse etiam vnam & indistinctam à rationibus personalibus. Imo etiam hominis, v. g. essentia dicitur vna, & tamen illa non est omnes humanæ personæ. Vnde Porretanus, Durandus, & alij Catholici Doctores negantes essentiæ identificationem

cum tribus personis, non propterea negarunt, vnam & omnino eamdem Deitatis essentiam in tribus personis, vt notabam supra num. 12. Præterea ex Patribus superius allatis à num. 63. ad 69. procul dubio constat, non esse idem apud ipsos, Deum esse tres personas, &, Tres personas esse de essentia Deitatis. Neque ex eo quòd personalitates non sunt de essentia Deitatis, sequitur esse simpliciter extrinsecas, & accidentarias illi essentiæ: quoniam sunt intrinsecè, imo etiam essentialiter identificatæ cum illa, vt supra num. 61. concessi cum S. Thoma & Caietano; & sunt in se formaliter substantiæ, non accidentia. Et propter hanc essentialem identificationem, non autem essentialem inclusionem dicere potuit Cyrillus Dialogorum de Trinitate libro 2. multò post principium in columna 5. *Sancta Trinitas in vna Deitate intelligitur.* Quod ipsemet explicat, statim ita subiungens, *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum dicens, non eorum, ex quibus est indiscretè omnis Deitatis natura, manifestationem facit; sed eorum, ex quibus sanctæ Trinitatis dignoscitur identitas.* Apertè dicitur Trinitas personarum, non manifestare ea quæ ad naturam siue essentiam pertinent, sed solum ea quæ pertinent ad identitatem cum natura.

Personalitates neque esse essentiales neque extrinsecas, neque accidentales.

Cyrillus.

80. *Sexta obiectio.* Obiicies ex aliis sexto, quia Cyrillus libro 13. Thesauri cap. 1. paulò post principium ait, *Spiritus sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex eo prodit.*

Respondetur exponendo verba Cyrilli. Respondeo, ex toto illo capite, eiusque titulo constat, Cyrillum his verbis nihil aliud intendere, nisi consubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre & Filio in eadem numero essentia. Quamobrem iisdem verbis citatis dicitur, *inseparabiliter ex Deo prodire*; quia licet prodeat separabiliter ratione personæ, tamen prodit inseparabiliter ratione essentiæ. Propter eamdem coëssentialitatem infra c. 4. med. dixit, *Scriptura Spiritum Dei, sanctum semper appellat. Vnde ostenditur, non accidens aliquod, sed ipsam essentiam Spiritus sancti significari. Sanctus enim Spiritus dicitur, quia sanctus essentialiter est.*

81. *Septima obiectio.* Obiicies septimò Athanasium libro 1. de Vnita Deitate, paulò post principium dicentem, *Deitas in Trinitate consistit*: quem loquendi modum ibi sæpe vsurpat. Et Damascenum libro Primarum Institutionum, initio similiter loquentem, *Patris, Filij, & Spiritus sancti vna tribus in personis consistit Diuinitas.*

Respondetur exponendo Athanasium & Damascenum. Respondeo, consistere pro eodem vsurpari, quod apud alios Patres, imò etiam apud eosdem, communiter dicitur, subsistere. Cum enim Deitas in tribus personis ita subsistat, vt eadem numero tota simul, & per summam coniunctionem identificata subsistat in omnibus, & in singulis, eius subsistere in tribus personis dici congruè potest consistere, hoc est, simul esse ac stare.

Soluuntur oppositæ rationes.

82. *Octaua obiectio.* Obiicies octauò essentia diuina est infinita simpliciter in genere entis. Quis enim fingi potest, eam limitasse, ac finitam effecisse, cum ipsa per suam essentiam sit ens purissimum actuale? Ergo nulla est perfectio quam ipsa in sua essentiali ratione non contineat. Sed infra, dub. 5. probabimus, Relationibus diuinis, etiam in quantum relationes sunt, non deesse formalem conceptum perfectionis. ergo relationes, in quantum relationes, sunt essentialiter inclusæ in quidditatiuo conceptu diuinæ essentiæ.

Respondetur Respondeo, idem argumentum, quo multi probare conantur, attributa esse de quidditate essentiæ Dei, sufficienter solutum esse tom. 1. quæst. 4. art. 2. à num. 43. & 46. & si non est efficax pro attributis, quæ cum essentia sunt in eodem genere entis absoluti, multò minus efficax erit pro Relationibus, quæ sunt in alio genere entis respectiui. Breuiter igitur concesso simpliciter antecedente, nego omnes consequentias: quoniam, vt ibi dicebam, ad conceptum rei infinitæ simpliciter, & in omni genere entis, non est necessarium habere in se omnem simpliciter perfectionem, tali particulari modo, v. g. quidditatiuè, sed satis esse si habeat omnes perfectiones, vel essentialiter inclusas in sua quidditate, vel essentialiter identificatas in sua simplicissima entitate. Atque in hoc sensu dicit S. Thomas supra quæst. 27. art. 2. ad 3. *In ipsa perfectione diuini esse continetur & Verbum, intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quacumque ad eius perfectionem pertinent.* Neque possibile simpliciter est, Relationes esse de essentia Deitatis, quia ex propria formali ratione supponunt totam naturam completam in esse naturæ, siue essentiæ: sunt enim diuinæ relationes ipsæmet personalitates, ac proinde substantiales termini, quibus tota natura siue essentia redditur formaliter incommunicabilis: ergo totam essentiam supponunt. Repugnat autem, aliquid pertinere intrinsece ad essentiale complementum alicuius essentiæ, quam omnino completam præsupponit. Quæ ratio eamdem repugnantiam probat vniuersaliter de quacumque personalitate, siue increata, siue creata. Quamquam de relationibus increatis est alia peculiaris ratio eiusdem repugnantiæ; quoniam diuina essentia nulli opponitur, à nullo distinguitur, est omnibus communis, & vna eiusdem rationis in omnibus: relationes verò realiter opponuntur, distinguuntur, sunt singulorum propriæ, & plures diuersæ rationis. ergo his relationibus illa essentia in se ipsa intrinsece constitui non potest.

saluari infinitatem essentia, etiã si in illa nõ sint relationes.

S. Thomas.

Implicat, personalitates esse de essentia Dei.

83. *Aliorum responsio confutatur.* Respondent alij, saluari infinitudinem diuinæ essentiæ in genere entis, quia licet perfectiones relatiuæ non sint formaliter in essentia, sunt tamen radicaliter, & quasi eminenter. Sed non videntur satisfacere. Primo quia formalitas diuinæ essentiæ in perfectionibus sibi formaliter conuenientibus concipitur formaliter finita, scilicet vt non habens in se formaliter perfectiones generis relatiui, quæ etsi non sint essentiales, sunt tamen in se formaliter diuinæ. Secundo intellectus creatus, v.g. est radicaliter & virtualiter intelligens, sed quia nõ est seipso formaliter intelligens, ideo non est infinitus in genere intellectiuo. ergo si essentia diuina est ens formaliter absolutum, non formaliter relatiuum, sed radicaliter, non posset verè dici infinita in genere entis simpliciter. Tertio authores huius responsionis tenent, essentiam Dei esse actu & formaliter inclusam in quidditatiuo conceptu diuinarum relationum. Vnde sequeretur, perfectius infinitam in genere entis esse relationem diuinam, quam diuinam essentiam: quoniam illa esset infinita formaliter in vtroque genere entis, & respectiui, & absoluti; hæc autem esset formaliter infinita in vno genere entis absoluti, sed in alio genere entis respectiui esset radicaliter tantum infinita, non formaliter. Quarto Relationes Dei sunt formaliter diuinæ, & propterea sunt formaliter in diuina essentia, quæ est formaliter Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & vt explico supra quæst. 27. art. 1. num. 174. & 181. 184. ita sunt essentialiter connexæ cum essentia, vt hæc ne concipi quidem perfectè in se ipsa possit, nisi vt actu & formaliter cum illis identificata. ergo minus rectè dicuntur relationes ad essentiam pertinere radicaliter, sed dici simpliciter debent pertinere formaliter;

formaliter, tametsi non formaliter inclusæ in essentia, sed formaliter identificatæ cum essentia. Quapropter tam essentia, quam relatio dicenda est formaliter infinita in omni genere entis, tam absoluti, quam respectiui, quamuis neque relatio sit de quidditate essentiæ, neque essentia de quidditate relationis: quia & si altera in altera non sit formaliter propter essentialem inclusionem, est tamen formaliter propter essentialem identificationem.

84. *Noua obiectio.* Obiicies nonò, si per impossibile Deus esset vnus tam in essentia, quam in persona, tunc de essentia Dei esset personalitas. Sed eadem est ratio de tribus personalitatibus, ac de vna. Ergo tres personalitates sunt etiam de essentia Dei.

Respondent aliqui primò negando consequentiam. Respondent aliqui, non esse eamdem rationem, quia tunc vna Deitas non esset commuis multis essentialiter, sicut est nunc. Sed reddenda est ratio cur eadem vna Deitas si esset essentialiter addicta vni tantum personæ, contineret in essentia sua vnam personalitatem; nunc verò essentialiter communis pluribus personis, non possit in sua essentia plures personalitates continere. Addi posset, Rationem esse, quia tunc vna personalitas esset absoluta, absque vlla oppositione, ac distinctione in diuinis: & ideo posset in Deitatis essentia simplicissima pariter absoluta, & nulli opposita, & à nullo distincta, essentialiter includi: nunc vero plures personalitates sunt relatiuæ, diuersi generis ab essentia, & cum reali oppositione ac distinctione. Vnde suprà n. 82. peculiarem rationem deduximus, vt probaremus,

Respondetur secundò medius, negando antecedens. Repugnare relationes diuinas includi in essentia Dei. Quoniam verò huius repugnantiæ ibidem attuli aliam rationem magis certam, & à priori, de quacumque personalitate vt sic, ex sua propria ratione formali præsupponente totam essentiam & naturam, quę magis congruit cum alia mea sententia de attributis, quamuis absolutis, tamen non inclusis in essentia, ideo melius videtur, negare simpliciter antecedens, quia prædicta ratio probat, quòd etiam si vna tantum esset diuina persona, adhuc personalitas non esset de essentia Deitatis.

85. *Decima obiectio Bagnes.* Obiicies decimò ex Bagnes suprà num. 62. *Diuinæ relationes non pertinent intrinsecè & essentialiter ad essentiam: ergo pertinent extrinsecè vel accidentaliter:* & ita accidet Deo, *quòd sit Pater, v.g. sicut accidit enti quòd sit homo, vel equus.*

Respondetur explicando modum, quo relationes ad essentiam pertinent. Respondeo, negando consequentiam: quia pertinere essentialiter, & pertinere accidentaliter, non sunt omnes modi, quibus vnum ad aliud pertinere potest: & ideo ex negatione vnius modi non licet inferre affirmationem alterius. Igitur relationes diuinæ ad essentiam, neque pertinent essentialiter, tamquam inclusæ in essentia, neque accidentaliter, tamquam non per se, & necessariò, imò etiam essentialiter identificatæ cum essentia; sed pertinent alio tertio modo, nempe, substantialiter, tamquam rationes substantiales, spectantes ad substantialem diuinarum personarum constitutionem, ac proinde ad complementum diuinæ naturæ, non in genere naturæ, sed in genere substantiæ, quæ non intelligitur perfecta, nisi intelligatur constituta cum ex ratione naturæ, tum ex ratione personæ: sicut etiam in rebus creatis, personalitates sunt rationes substantiales, non essentiales, aut accidentales naturæ.

Non ita accidit Deo esse Patrem, sicut enti esse hominem. Nego demum, ita accidere Deo quòd sit Pater, sicut accidit enti quòd sit homo. Deus & ens conueniunt quidem in hoc, vt sicut de essentia entis simpliciter, non est homo, nam etiamsi implicaret homo, non propterea implicaret ratio entis, ita de essentia Dei non sit relatio: tamen differunt, quia de essentia entis est etiam vt sit essentialiter homo, ex suppositione quòd non implicet homo; cum de essentia entis sit vt in sua intrinseca ac formali ratione claudat quicquid est ens, sicut est homo, si non implicat. At verò de essentia Dei, non solum simpliciter considerata, sed etiam ex suppositione quòd dentur diuinæ relationes, non est relatio, quòd superius probatum est. Non obstante autem tali differentia, addo dici posse, Hominem accidere enti simpliciter considerato secundum id quod per se petit ratio entis, vt ens est; nulla autem ratione dici posse, Patrem accidere Deo: quia ratio entis simpliciter, & per se considerata, neque in sua essentia intrinsecè includit hominem, neque essentialiter petit identificari cum homine; ac proinde nulla essentiali necessitate, & nulla necessaria perfeitate, neque formali, neque identica respicit hominem, & propterea dicitur, respicere accidentaliter hominem. Essentia autem diuina, licet non claudat intrinsecè Patrem, tamen ipsa ex sua propria, & essentiali ratione, & consequenter, per se, necessariò, & essentialiter petit identificari cum Patre: & propter hoc, nulla ratione dici rectè potest, Patrem accidere Deo, sed dicendum est, Patrem ad diuinam essentiam pertinere substantialiter, imò etiam essentialiter, tamen identicè, non formaliter.

86. *Soluitur alia ratio Bagnes.* Hinc soluitur aliud eiusdem Bagnes argumentum, *Diuina essentia necessariò est Pater. Sed necessariò esse Patrem non competit tamquam propria passio, neque tamquam modus distinctus ex natura rei a diuina essentia; ergo competit ei esse Patrem necessitate intrinseca; scilicet ratione esse, quod omnino est ipsa essentia.* Totum enim concedi potest in aliquo bono sensu superius explicato; quia esse Patrem verè competit Deo necessitate intrinseca, & ratione essentiæ, quæ etsi non includat in se paternitatem, tamen essentialiter identificatur cum paternitate. Vnde coniunctio paternitatis cum essentia Dei, est magis per se, & necessaria, quam coniunctio propriæ passionis cum essentia creata, v.g. risibilitatis cum humanitate: quoniam illa est essentialis, & cum omnimoda identificatione ex natura rei; hæc verò est naturalis, & cum aliqua distinctione à parte rei; quapropter hæc, & non illa potest impediri ne actu sit in re.

87. *Vndecima obiectio ex eodem.* Obiicies vndecimò ex eodem Bagnes. Esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum est de essentia diuini esse infiniti; ergo & diuinæ essentiæ. Confirmat primò, *Si diuina essentia non includit intrinsecè, & essentialiter diuinam personam, sequitur quòd non subsistit per aliquid intrinsecum, & essentiale sibi: quia verè non subsistit, nisi per hoc, quòd in tribus personis habet subsistentiam: neque enim est quarta subsistentia distincta à tribus illis incommunicabilibus.* Confirmat secundò, *quia aliàs diuina essentia posset videri à beato quantum ad omnia intrinseca & essentialia, non visis proprietatibus personalibus.*

Respondetur negando consequentiam. Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam, quia ex mea sententia probata in tomo 1. triplex est esse, siue ens diuinum, veluti specie distinctum per rationem ratiocinatam cum fundamento in ipsa re concepta, essentiale, attributale, personale; quibus veluti genericè commune est ens diuinum, essentialiter in se ipso includens, tametsi non explicans, omnes particulares rationes diuinas; sicut secundum Philosophos, ens analogicè commune substantiæ & accidenti, includit essentialiter in se substantiam, & accidens, quamuis non explicet. Ad primam confirmationem, nego sequelam; quia inferius ostendam, præter tres subsistentias relatiuas, dari quartam subsistentiam absolutam, per quam intrinsecè & essentialiter subsistit Deitas absoluta. Ad secundam confirmationem, nego etiam sequelam, quia ad hoc vt non possit intuitiuè videri

vnum sine alio, non est necessaria essentialis inclusio alterius in altero, sed satis est identitas realis, imò etiam essentialis alterius cum altero, vt ex instituto probaui tomo 1. quæst. 12. art. 8. n. 5. & 7.

Ochamus. Quamobrem optimè dixit Ochamus 1. d. 1. q. 5. litera G. ad 1. *Quamuis relatio non sit de intellectu diuinæ essentiæ, quia non prædicatur formaliter de diuina essentia; est tamen eadem realiter cum diuina essentia: & ideo non potest intelligi essentia non intellecta persona.*

88. *Duodecima obiectio Nazarij.* Obiicies duodecimò, fundamentum Nazarij hîc controuersia 1. conclusione 7. cuius opinionem explico, & impugno suprà n. 7. *Vna est ratio formalis essentiæ & relationis. Ergo vna est de ratione alterius intrinseca.* Consequentiam non aliter probat, nisi quia contrarium non est intelligibile. Antecedens non probat, fortasse quia supponit, in eo nullum alium esse sensum nisi receptissimum, probatum supra dubitatione 1. quòd essentia & relatio non habent formalitates distinctas ex natura rei.

Respondetur distinguendo antecedens. Respondeo igitur distinguendo antecedens, formalitas essentiæ, & formalitas relationis dici possunt vna formalitas, vel primo per negationem illius distinctionis ex natura rei, quam communiter formalem vocamus, præter duas alias eiusdem generis distinctiones, realem, & modalem. Vel secundo per mutuam inclusionem essentialem formalitatis relationis in conceptu quidditatiuo formalitatis essentiæ, & formalitatis essentiæ in conceptu quidditatiuo formalitatis relationis; ita vt si velimus definire, quid sit formaliter essentia, id præstare non possimus nisi intelligendo & explicando relationem in conceptu essentiæ inclusam tamquam partem formalem illius, aut vnum aliquod prædicatum illius essentiale: & idem de definitione relationis respectu essentiæ. Antecedens non potest intelligi in hoc secundo sensu de vnitate per essentialem inclusionem, quia sic idem essent antecedens & consequens, & ideo arguens peteret principium. Est igitur intelligendum in primo sensu de vnitate per negationem distinctionis formalis ex natura rei: & in hoc sensu nego consequentiam, quia licet sit inintelligibile, Rationes formales essentiæ, & relationis esse vnã formaliter, & non esse vnam formaliter, hoc est, distingui & non distingui actu formaliter ex natura rei; tamen intelligibile valde est, eas inter se non distingui à parte rei formaliter, & alteram à parte rei non includi in alterius conceptu quidditatiuo: vt sæpe in superioribus explicatum est, præsertim in hoc articulo n. 8. & 74.

89. *An personalitas sit de essentia personæ.* Ex dictis sequitur, quod ad rectum loquendi modum spectat, Personalitatem, quæ relatio quædam est, sicut non est de essentia naturæ diuinæ, vt hactenus probatum est: ita nec esse dicendam de essentia ipsius personæ diuinæ, sed potius, rationem formalem constitutiuam personæ in esse personæ. Hoc prudenter obseruarunt Suarez lib. 4. de Trinitate c. 6. n. 4. Vazquez hic disp. 121. n. 15. & alij, quia si paternitas, v. g. diceretur simpliciter de essentia Patris, significaremus in Dei Patris essentia, quæ est ipsa Deitas, includi paternitatem: omnes enim nomine essentiæ Dei Patris intelligimus illam, quam communem habet cum Filio & Spiritu sancto: & vniuersaliter, essentia personæ siue increatæ, siue creatæ, sicut etiam essentia indiuidui, dicitur illa quæ est formale principium operandi, & dat esse simpliciter specificum, cuiusmodi non sunt personalitas & indiuiduatio, sed est aliquid aliud specificans, seu constituens in tali determinata substantiæ specie personam & indiuiduum, quod omnes vocamus essentiam, seu naturam, quæ dicitur esse in persona, & in indiuiduo. Posset autem reduplicatiuè dici personalitas de essentia personæ vt personæ: quia propter hanc reduplicationem, essentia expressè extenditur ad personalitatem, & vniuersalius ac largius accipitur pro quauis ratione formali, qua aliquid in aliquo esse formaliter constituitur.

Suarez. Vazquez.

DVBITATIO IV.

An essentia diuina sit de intrinseco & quidditatiuo conceptu diuinæ relationis.

SVMMA.

1 *Prima conclusio affirmatiua de Relatione in concreto, num. 90.*
2 *Secunda conclusio negatiua de Relatione in abstracto, & authores vtriusque partis, n. 91. ad 98.*
3 *Eadem conclusio negatiua probatur primò authoritate Patrum, n. 98. ad 101.*
4 *Probatur secundò ratione contra includentes Relationem in essentia, n. 101. & 102.*
5 *Probatur tertiò rationibus contra excludentes relationes ab essentia, n. 103. ad 111.*
6 *Occurritur argumentis in contrarium, num. 111. ad 119.*

90. *Prima conclusio affirmatiua de relatione in concreto.* PRima conclusio, Deitas est de essentia, imò ipsamet essentia relationis diuinæ in concreto acceptæ, quæ est ipsamet persona Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti. Est apud omnes certa, quia nomine personæ omnes intelligimus substantiam aliquam indiuiduam omnino completam, siue terminatam in genere substantiæ, ac proinde constantem ex natura, tamquam essentia, & personalitate tamquam modo, seu complemento, seu termino, & vltima determinatione in genere essendi, seu subsistendi, natura autem, & essentia personæ diuinæ alia esse non potest, nisi ipsa Dei natura, & essentia, quam Deitatem vocamus. Vnde verissime dicitur, quælibet persona essentialiter est Deus. In hoc sensu dixit S. Thomas infrà, q. 33. art. 3. ad 1. *Communia includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso. In intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur.* S. Thomas. Et Alensis p. p. q. 68. membro 5. art. 5. fine. *Intellectus personæ ponit essentiam. Similiter notio secundum rationem intelligentiæ ponit essentiam.* Alensis. Vbi loquitur de notione in concreto, v. g. de generante, de genito, & similibus; quia statim illud explicat concreto exemplo, dicens, *Sicut intellectus hominis ponit animal.* Item clarius Albertus p. p. summæ q. 39. membro 2. art. 2. fine. *Persona de intellectu suo ponit essentiam.* Albertus. Constat verò illum loqui de persona in concreto, quoniam de persona in abstracto, seu de personalitate, quæ est idem quod proprietas, ita subiungit, *Proprietas autem, quantum est de intellectu suo, nec ponit essentiam in recto, nec in obliquo.* Et Bonauentura 1. d. 34. art. vnico q. 1. initio corporis, *Intellectus huius nominis, Persona, includit intellectum naturæ.* Bonauent.

91. *Secunda conclusio negatiua de relatione in abstracto.* Secunda conclusio. Essentia diuina non est de intrinseco, & quidditatiuo conceptu constitutiuo diuinæ relationis in abstracto acceptæ. In quo sensu hoc sit intelligendum, patet ex dictis in tota dubitatione præcedente, præsertim initio n. 58. de simili difficultate. Enim vero putamus pari modo philosophandum de inclusione relationis in essentia, & de inclusione essentiæ in relatione; ita vt non possit altera affirmari, & negari altera; sed necessario sit vtraque vel affirmanda, vel neganda.

Authores vtriusque partis.

92. Nobiscum apertè sunt, qui vel ponunt, vel referuntur ponere actualem ac mutuam distinctionem ex natura rei inter essentiam, & relationem. vt Gilbertus Porretanus, Durandus, Scotus, & Scotistæ omnes, Ochamus, Gabriel, Marsilius. Ex aliis verò qui hanc distinctionem negant, idem quoque apertè docent Magnus Albertus verbis citatis suprà num. 90. Ægidius suprà n. 60. Ariminensis 1. d. 34. q. vnica art. 2. conclusione 4. Bonauentura art. vnico q. 1. in quantum paulò post principium corporis air, *Constans est, quòd quantum ad intellectum, addit persona supra naturam*, nimirum, vt paulò post explicat, *addit proprietatem supra intellectum naturæ.* Proprietas autem est relatio, ergo relatio est aliquid additum supra naturam: ergo in relatione quatenus relatione non includitur essentialiter natura; sic enim adderetur natura supra naturam, quod est inconueniens. nam etsi qui intelligit naturam, non intelligat relationem; tamen satis est à contrario, non posse intelligi relationem, etiam vt relationem, quin intelligatur natura, vt falsò dicatur Persona addere intellectum relationis supra intellectum naturæ. Riccardus 1. d. 34. art. 1. q. 1. ad 1. concedens, *quòd secundum rationem alia est definitio personæ, alia essentiæ*: si enim intelligens personam, nihil omnino intelligit, quod non sit formaliter essentialiter, definitio personæ dici non posset alia à definitione essentiæ. & q. 2. ad 2. concedit, *quòd ex hoc, quòd aliqua conueniunt in essentia, quæ non conueniunt in persona, sequitur, quòd de intellectu personæ sit res differens ab essentia, non realiter, sed secundum rationem fundatam super diuersum modum se habendi.* & eadem verba repetit in fine quæstionis. Rubionensis q. 1. art. 2. ad vltimum concedens similiter diuersas non in re extra, sed in anima definitiones essentiæ & personæ. Et clarius q. 2. circa finem ad 4. *Concedo*, inquit, *quòd paternitas non est formaliter, seu in primo modo Deitas: quia per istam propositionem, A est formaliter, seu in primo modo dicendi, D intelligitur, quòd ipsum B prædicatum, sit conceptus definitionis istius A. In ista autem propositione, licet conceptus Deitatis & paternitatis sint penitus eiusdem rei significatæ, non tamen vnus est alterius definitiuus, nec in definitione rei, vt significatæ per vnum istorum conceptuum, cadit seu includitur conceptus alius, nec è conuerso.* Henricus & Capreolus verbis citatis suprà num. 62. Argentina 1. d. 33. q. vnica, art. 1. conclusione 1. probans contra Aureolum, *quòd proprietas relatiua à diuina essentia differt secundum rationem quidditatiuam.* Caietanus suprà n. 61. in quantum tam de hac propositione, Deitas est paternitas, quam de alia opposita, Paternitas est Deitas, de quibus loquitur S. Thomas in duobus locis, quæ ipsa ibi conciliare intendit, ait, *esse prædicationes per se, non simpliciter, nec formales, sed per se identicas.* Sylvester p. p. Conflati q. 28. art. 2. §. 1. ad 1. fine vbi tamquam absurdum infert, quòd *relationes diuinæ ex sua formali ratione dicerent realitatem talem*, hoc est, fundamenti, siue essentiæ. Idem ex recentioribus sequuti sunt R. da controuersia 4. post tertiam conclusionem §. *Ex his sequitur.* Molina hîc disp. 6. conclusione 4. Vazquez disp. 121. c. 2. Becanus c. 2. q. 5. conclusione 2. Zuniga disp. 3. dub. 15. & 16. Nazarius hîc controuersia 1. conclusione 11. & apud ipsum Pesantius & Albertinus: quamuis Nazarius discurrat modo relato & impugnato supra à n. 70. Gillius lib. 2. tract. 2. c. 7. n. 10.

Ariminensis. Bonauent. Riccardus. Rubionẽsis. Argentina. Caietanus. Sylvester. Rada. Molina. Vasquez. Becanus. Zuniga. Nazarius. Pesantius. Albertinus. Gillius.

93. In contrarium sunt duæ Theologorum classes. Altera minus vera, sed magis cohærens eorum, qui possunt inclusionem essentialem mutuam, & essentiæ in relatione, & relationis in essentia. Hi sunt Aureolus supra n. 34. & 62. Bagnes hic dub. 3. ad 6. vbi quamuis totus sit vt probet, relationem esse de conceptu quidditatiuo essentiæ, tamen non obscure supponere etiam videtur cum Torres, essentiam esse de conceptu quidditatiuo relationis. Valentia supra n. 62. Zumel suprà q 12. art. 7. disp. 2. ad 1. & hoc art. disp. 3. conclusione 1. 2. & 3. Altera magis vera, sed minus cohærens eorum, qui non relationem in essentia, vt superiori dubitatione probatum est, sed essentiam in relatione quidditatiuè claudunt. Horum primus, fuisse videtur Bartholomæus Torres in hoc articulo disp. 2. dubio vltimo columna 2. & disp. 3. p. 2. conclusione 4. quem plures Societatis nostræ Theologi sequuti sunt, Suarez lib. 4. de Trinit. c. 7. Bellarminus tomo 1. lib. 2. de Christo c. 9. fine. Arrubal hîc disp. 101. c. 1. Florauantius lib. 2. pagina 24. fine, & pagina 107. notatione 17. Ruiz hîc disp. 13. Neque enim pro eadem sententia verè afferuntur alij antiquiores; vt Alensis citatus & explicatus suprà num. 90. pro prima conclusione. & Henricus quodlibeto 1. q. 1. fine vbi loquitur de personis in concreto. Et quodlibeto 5. q. 6. ex quo tamen loco suprà num. 62. fine adduximus verba, quæ sunt potius pro ista conclusione, sicut etiam ea quæ scribit in summa art. 75. q. 2. circa finem corporis, tametsi semper adeo obscurè loquatur, vt pro quauis parte afferri posse videatur. Et Capreolus 1. d. 2. q. 3. fine, quem tamen suprà n. 62. exposuimus, & pro nobis esse ostendimus. Et demum Marsilius 1. q. 23. art. 3. in notabilibus & corollariis. Vbi tamen nil aliud vere intendit, nisi quod initio fumit pro conclusione dubitationis 1. suprà num. 4. *Quòd in diuinis nulla est distinctio, nisi trium personarum inter se, quæ sunt vna essentia simplicissima, quæ est quælibet illarum personarum inter se.* In hoc sensu identico in notabili 2. dicit, *quòd res, quæ est Pater, nihil aliud est, quam essentia diuina. Non enim persona Patris intrinsecè est ex duobus, essentia & paternitate superaddita essentiæ.* & in corollario 1. *In re non plus potest separari paternitas ab essentia, quam essentia de se ipsa: quia paternitas est essentia.* Et idem repetit in tertio notabili. Cum maiori probabilitatis specie afferri poterat Marsilius 1. quæst. 37. art. 2. dubio 1. conclusione 1. vbi loquens de respectu, quem persona diuina addit essentiæ, ait, *Iste respectus transit in essentiam.* Sed ipsemet statim se explicat de transitu identico, non formali. ita subiungens, *Sicut quòd paternitas, vel filiatio est ipsamet essentia.* Et transitum, siue inclusionem formalem, in superioribus apertè excluserat, non solum ponendo distinctionem formalem inter essentiam & relationem, sed etiam explicatius docendo in q. 6. art. 2. ad 4. *quòd hæc, Persona est essentia diuina, vel, Persona est Deitas, non est per se, & primò; vel de per se, & de primò.* & rationem assignat, *quia ly, Persona, est ad aliquid, aliàs non essent tres personæ in diuinis; & essentia, vel Deitas non est ad aliquid.* In prædicationibus autem, quæ non sunt in primo modo dicendi per se, prædicatum non est de essentia subiecti, vt docet, Logica. Verè igitur ante Torres nullus, quem sciam, excludens relationem ab essentia, essentiam in relat one includit.

Torres. Suarez. Bellarminũ. Arrubal. Florauantiũ. Ruiz. *Multos antiquos falsò citari.*

94. *Quid sentiat S. Thomas.* Quamobrem cum S. Thomas, ipsismet aduersariis fatentibus, relationem ab essentia excluserit, vt supra n. 59. censendus pariter est, à relatione essentiam excluisse. Cuius veritatis euidens signum est, quòd cum de hac exclusione, siue inclusione, & de distinctione inter essentiam & relationem, sæpissimè loquatur, numquam aliter philosophatus est de distinctione essentiæ à relatione, & distinctione relationis ab essentia. Et ideo satis illi fuit in hoc articulo inquirere, *Vtrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia*; & numquam è conuerso quærit, Vtrum essentia in Deo sit idem quod sua relatio. Quæ quidem ex sententia aduersariorum essent diuersæ quæstiones, quia volunt, essentiam identificari relationi

relationi secundum rem, sed secundum rationem perfectè ab ea distingui, cum in conceptu quidditatiuo essentiæ nolint includi relationem: contra verò volunt, relationem identificari essentiæ etiam secundum rationem, quia cum in quidditatiuo conceptu diuinæ relationis includant essentiam, ne intellectus quidem concipiens diuinam relationem, potest ratione essentiam à relatione præscindere: & nihilominus S. Thomas hic circa finem corporis limitando dixit, *Relatio in Deo est idem essentiæ secundum rem*; quoniam satis constabat, non esse idem etiam secundum rationem. Similiter 1. d. 33. q. 1. a. 1. post medium corporis eadem limitatione dicit, *Ipsa paternitas secundum rem est ipsa essentia.* Et paulò post, *Dicendum, quod proprietates & essentia sunt idem re, sed differunt ratione.* Si essentia concepta non includeret relationem, sed contrà, relatio concepta includeret essentiam, tunc sanè non posset indifferenter dici, Relatio & essentia differunt ratione: quia differret quidem ratione essentia à relatione, non autem relatio ab essentia: tunc enim per conceptum relationis quamuis non explicaretur essentia, tamen verissimè conciperetur.

95. *Examinatur verba huius art. 2. ad 2. & 3.*

Præter istam quasi coniecturam, habemus magis directè pro eadem sententia clariora verba S. Thomæ in aliis locis. In hoc articulo ad 2. fine ait, *In Deo, præter relationem est aliquid aliud, non secundum rem, sed solum considerata nominis ratione*, hoc est, significatione, prout terminata ad res significatas; alioqui considerata solum modo significandi, & non re significata, dici non posset, *Præter relationem est aliquid aliud*; quæ verba clarissimè sunt de verbis significatis, non de modo significandi. Itaque planus sensus est, In Deo præter relationem est aliquid aliud, non prout res diuinæ in se ipsis sunt, sed prout nominibus significantur, & nostræ mentis actibus concipiuntur. Hic autem sensus esset falsus, si relatio vt relatio includeret essentiam: tunc enim & nomen significans relationem, significaret essentiam, & per consequens, præter relationem significatam non esset in Deo aliquid aliud alio nomine significatum, aut significabile, quoniam in Deo præter relationem non est aliquid aliud, nisi essentia, quam nomine relationis significari etiam volunt aduersarij: & similiter, rationis actus concipiens relationem, conciperet essentiam, & consequenter, præter relationem conceptam, non esset in Deo aliquid aliud alio actu conceptum, aut conceptibile. Quamuis enim per aduersarios, In Deo præter essentiam significatam, & conceptam, sit aliquid aliud significabile, & conceptibile, nimirum relatio, quam à conceptu essentiæ excludunt; è conuerso tamen, præter relationem, in cuius conceptu includi volunt essentiam, non est aliquid aliud in Deo significabile, aut conceptibile. Sanctus verò Thomas non dixit, Præter essentiam in Deo est aliquid aliud, nempe, non re, sed ratione, ad significationem, sed è conuerso dixit, *In Deo præter relationem est aliquid aliud*: quod falsò diceretur, si ipsa relatio formaliter esset essentia. Deinde ad 3. initio concedit, *Quòd in perfectione diuina plus continetur, quam quod significat nomen relatiuum*: sicut, inquit, *continetur ibi plus, quam quod nomine sapientia significatur.* Hoc autem esset falsum, si nomen relatiuum significans relationem, significaret essentiam; tunc enim in Deo, in quo non continetur plus quam essentia & relatio, non contineretur plus quam quod significat nomen relatiuum. Sicut igitur ex eo quod in Deo continetur plus quam quod significat nomen sapientiæ, colligimus, iustitiam v.g. quæ in Deo continetur, & proculdubio non significatur nomine sapientiæ, non esse de intrinseca ratione sapientiæ; ita ex eo quòd in Deo continetur plus quam quod significat nomen relationis, quod plus non potest esse aliud nisi essentia, colligimus, in diuinis nomine relatiuo non significari essentiam, ac proinde essentiam non esse de intrinseca ratione relationis, quæ significatur nomine relatiuo.

96. *Extenduntur verba ex 1. d. 33. q. 1. a. 1.*

Præterea 1. d. 33. q. vnica art. 1. ad 1. loquens de diuina essentia & paternitate, ait, *Non vniuntur in esse, quod significat definitio rei; quia alia est ratio paternitatis, qua ad aliud refertur, & alia ratio essentiæ.* Non solum dicitur, ratio essentiæ alia à ratione paternitatis, quod aduersarij non negant, sed magis directè è conuerso dicitur, ratio paternitatis alia à ratione essentiæ; quod dicere non possunt, qui volunt, in ipsa formali ratione paternitatis includi formalem rationem essentiæ. Item ad 2. *Paternitas habet aliquid, in quo nõ vnitur cum essentia, scilicet rationem paternitatis, quæ est alia à ratione essentiæ. Vnde secundum suam rationem respectus potest esse in Patre, & non in Filio.* Si ratio paternitatis non vnitur cum essentia; ergo saltem ratio paternitatis non est formaliter, siue essentialiter ipsa essentiæ ratio: alioqui ratio paternitatis cum essentia vniretur vnione, siue vnitate, omnium maxima. Vlterius secundum S. Thomam, ideo ratio paternitatis potest esse in Patre, & non in Filio, quia illa ratio respectus paternitatis, est aliquid in quo paternitas non vnitur cum essentia: sed aduersarij maxime vniunt paternitatem cum essentia, vt ostensum est; ergo non possunt simpliciter asserere, Paternitatem esse in Patre, non in Filio. Iterum fusiùs ad 3. ita explicat superiores solutiones, *Cum dicitur, quòd est alia ratio paternitatis & essentiæ in diuinis, non accipitur ratio secundum quod est in ratiocinante tantum, sed secundum quod significat definitionem rei. Quamuis enim in diuinis non possit esse definitio, tamen si intelligatur ibi aliquid definiri, alia erit definitio paternitatis, & alia definitio essentiæ.* Et quamuis has definitiones, seu rationes, ibi vocet intentiones existentes in anima tantum, tamen addit, *Sed habent aliquid in re respondens, scilicet veritas illius rei, cui talis intentio attribuitur; est enim in Deo, vnde possunt rationes diuersæ ibi conuenire.* Quod fundamentum in re, aliud esse non potest, nisi ipsamet paternitas, quæ in sua formalitate relatiua non includat formalitatem absolutam essentiæ; & ipsamet essentia, quæ in sua formalitate absoluta non includat formalitatem relatiuam paternitatis. Hoc enim solum in re est, vnde conuenire Deo potest, vt intellectus cum fundamento in ipsa re concepta, formare possit non solum definitionem essentiæ diuersam à definitione paternitatis, sed etiam definitionem paternitatis diuersam à definitione essentiæ.

97. *Affertur locus de potentia q. 8. art. 2 ad 6.*

Demum valde efficax est locus, quem propterea solum sibi obiiciunt aduersarij, ex q. 8. de potentia art. 2. ad 6. vbi cum in genere ita præmisisset, *Per se prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo secundum propriam rationem. Quod verò non secundum propriam rationem prædicatur, sed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per se:* statim ad rem nostram applicando subiungit, *Cum ergo dicitur, Essentia diuina est paternitas, non prædicatur paternitas de essentia diuina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei: & similiter nec essentia de paternitate.* Igitur secundum S. Thomam cum dicitur, Paternitas est essentia diuina, non prædicatur essentia de paternitate secundum propriam rationem paternitatis, nec propter identitatem rationis, quasi verò paternitas concepta, & secundum rationem præcisa ab essentia, adhuc sit idem quod essentia; sed solum propter rei identitatem, quam habet paternitas cum essentia. Si autem de essentiali conceptu paternitatis, vt est formaliter paternitas, esset essentia; iam propriissime

sime essentia de paternitate prædicaretur per se, secundum propriam & quidditatiuam paternitatis rationem; & propter identitatem rationis, quia tunc paternitas non solum re, sed etiam ratione identificaretur essentiæ. Neque satisfaciunt aduersarij dicentes primo S. Thomam mutasse sententiam infrà q. 39. art. 6. ad 2. illis verbis, *Sicut est per se ista, Pater est Deus, ita & ista, Deus est Pater, & nullo modo per accidens*: & aliis in locis, quibus inferiùs respondebo. Secundò S. Thomam negare perfectam comparationem modi significandi, non autem comparationem rei significatæ: quoniam essentia significatur per modum substantiæ, relatio verò per modum accidentis. Prima enim responsio reiecta manet ex illorum verborum expositione, quam supra n. 61. cum Caietano attuli. Secunda etiam responsio videtur voluntaria, quia nimis clarè est contra expressum sensum verborum, quibus patet S. Thomam maximè spectasse rem significatam, & non solum modum significandi: tum quia vtitur nomine abstracto paternitatis; nomina autem abstracta significant rem per modum substantiæ, seu per se stantis, non per modum accidentis, seu inhærentis in alio: tum quia eam doctrinam tradit S. Thomas occasione illius regulæ logicalis, *Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto.* v. g. quia animal prædicatur de homine, & substantia prædicatur de animali, prædicatur etiam substantia de homine; ex qua regula concludi videbatur, quòd Filiatio est paternitas; quia essentia prædicatur de filiatione, & paternitas prædicatur de essentia, ergo paternitas prædicatur de filiatione. Et respondet S. Thomas, *quòd ratio tenet in prædicabilibus per se*; & subdit alia verba citata; in quibus omnibus ne leuissima quidem vmbra appareat modi significandi; & ad propositum prædicti discursus impertinenter se habet solus modus significandi, sed potissimum faciunt res significatæ: tum quia S. Thomas de potentia negat esse per se istas prædicationes sub his terminis abstractis, *Essentia est paternitas, Paternitas est essentia*; concedit autem deinde in hac p. p. esse per se easdem prædicationes sub iisdem terminis concretis, *Deus est pater, Pater est Deus*; si autem spectaretur solus modus significandi, fuissent proculdubio potius dicendæ substantiales, & per se prædicationes in abstracto, quam in concreto: tum demum, quia ista perseitas ex modo significandi non bene colligitur ab aduersariis ex fine eiusdem responsionis ad 6. vbi ita concluditur, *Et ideo in prædicto processit*, hoc est, in relato argumento, quod sibi obiecerat, *incidit fallacia accidentis*; hoc est, fallit argumentum, quia prædicationes, quæ solum sunt veræ per accidens, accipiuntur vt veræ per se; idque statim declarando, & respondendo tacitæ obiectioni; ita subdit, *Licet enim in Deo nullum sit accidens, est tamen quædam similitudo accidentis, in quantum ea, quæ de se inuicem prædicantur secundum accidens, & differunt ratione, sunt vnum subiecto.* Apertè concedit, eas prædicationes, quas docuerat, non esse per se, esse secundum accidens, non quidem propriè, in quo sensu in hac p. p. docet, nullo modo esse per accidens, sed similitudinariè; in quantum etsi sunt vnum subiecto, hoc est, re ipsa, tamen differunt ratione, secundùm quam in esse obiectiuo, sicut essentia non includit paternitatem, ita nec paternitas includit essentiam. Hæc igitur semper fuit germana sententia S. Thomæ.

Referuntur & reiiciuntur duæ S. Thomæ expositiones.

Exclusio essentiæ à relatione probatur authoritate Patrum.

98. Iustinus. Qui potissimum fauent, sunt Iustinus in expositione Fidei de sancta Trinitate non longè à principio, vbi docet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum differre inter se, non obstante quòd sint vna numero diuina natura, *nam*, inquit, *hæc verba, ingenitum, genitum, profectum; non naturæ, essentiaque sunt nomina.* At si relatio formaliter esset essentia diuina, hæc verba maximè nominarent essentiam. Rursus clarius paulò post ita concludit, *Non igitur ingeniti, geniti, & profecti nomina, essentiam declarant, sed hypostases.* Quibus verbis hypostases ab essentia manifestè diuidit, nimirum ratione: & si hypostasis formaliter esset essentia, nomina, quæ declarant hypostasim, vtique declararent essentiam. Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate non longè à principio, *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas, quòd hypostasis quidem aliud, aliud verò Deitas significet.* Quod repetit, & pluribus explicat circa medium eiusdem Dialogi. At si Deitas in hypostasi essentialiter includeretur, quid quæso significaret Deitas, quod non significaret hypostasis? & quid quæso in Deitate esset aliud ab hypostasi? Vbi aduertendum, quòd non dicit Athanasius, Deitatem significare *alio modo* ab eo, quo significat hypostasis, nimirum explicitè & distinctè idem quod implicitè & confusè significatur ab hypostasi, quod solum asserere potest contraria opinio; sed dicit, quòd Deitas significat *aliud* ab eo, quod significat hypostasis: hoc verò *aliud* assignare nequeunt, qui totam Deitatem essentialiter includunt in hypostasi. Athanasius. Nazianzenus oratione habita in præsentia centum quinquaginta Episcoporum, paulò post medium loquens de Filio, quem vocat *Principium*, sicut & Patrem vocat, *sine principio*, ait, *Non enim in eo natura rationem habet vox principij, quemadmodum nec in illo, quòd principij expers sit: circa naturam enim hæc considerantur; non autem natura ipsa sunt.* Si de intrinseco & essentiali conceptu personalitatis esset natura, quælibet sanè personalitas contra Nazianzenum, haberet rationem naturæ, & esset ipsa natura, & non posset cum fundamento in re, considerari circa naturam. Et oratione 3. de Theologia, multò post medium cum interrogarent hæretici, *Pater, essentiane, an operationis est nomen? nam si essentiæ, astruemus Filium essentia à Patre diuersum: sin operationis, tum Filium Dei non genitum, sed factum confitebimur*; ita respondet, *Pater neque essentiæ, neque operationis est nomen, sed tantũ relationis habitum quendã significat, nimirũ vt Pater se habeat ad Filium, & vicissim Filius ad Patrem.* Sed per te diuina personalitas, vt formaliter personalitas, in sua præcisa formalitate claudit essentiam. Ergo negare non potes, quia Pater, qui est nomen diuinæ personalitatis, sit etiam nomen essentiæ, quod hæreticis dare, existimauit Nazianzenus non esse satis tantum, qui illo modo loquendi, *Non est nomen essentiæ, sed tantum relationis*, manifestè indicat, diuinam relationem esse rationem omnino distinctam ab essentia. Athanasius. Nazianzen.

99. Basilius. Similiter Basilius lib. 2. contra Eunomium, aliquanto post principium, *In Patre, ac Filio, non significant substantiam nomina, sed proprietates designant.* idémque latius ex instituto probat lib. 4. §. 2. vt notaui suprà n. 42. Hilarius lib. 8. de Trinitate aliquantò ante medium quærens de Spiritu sancto, *Vtrumnè naturam, an rem naturæ significet?* hoc est, an personam, quam vocat rem naturæ, ita subdit, apertè distinguens personam, seu personalitatem à natura, *Non idem est enim natura, quod naturæ res.* Si natura non est idem quod persona, ergo in persona est aliquid, quod formaliter ac præcisè consideratum, non est natura; vel ipsa natura est aliquid, quod non est personalitas, scilicet secundum rationem: & contrarium est prorsus intelligibile, posito quòd natura non sit idem quod persona. Ambrosius libro de Incarnationis Sacramento cap. 9. circa medium, Hilarius. Ambrosius.

Cum

Cum dico genitum non proprietatem naturæ, sed significationem generationis expressi. At verò si naturam cupio designare diuinam, Deum verum debeo nominare. Cum autem Filium dico, generatum significo. Cum Patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cum sit hoc significatorium generantis & geniti. Vult igitur Ambrosius, nominibus Patris & Filij non significari naturam, sed relationem producentis & procedentis; & ideò distinctionem Patris & Filij, non esse distinctionem plurium naturarum, sed duntaxat relationum. Quæ doctrina cum suo discursu stare minimè potest, si in ipsa intrinseca formalitate relationis includitur natura; tunc enim non solum nomen Dei, sed etiam Patris, & Filij, seu generantis, & geniti, designaret naturam. Nyssenus lib. ad Ablabium, *Quòd non tres Dij*, paulo ante finem loquens de Patre & Filio, ait, *Causam, & id, quod ex causa est, dicentes, non naturam per hæc nomina significamus, sed eam, quæ est secundum aliqualiter esse, differentiam indicamus.* & postea de diuina essentia, & persona ait, *Alia est ratio eius, quod quid est; alia eius, quod quomodo est. Quo circa si quis dicit, Aliquid ita esse, quasi non genitum sit, quomodo sit ponit; quid autem sit, hæc voce simul non indicat.* Si vox Patris, siue Ingeniti, indicat modum quo est Pater, hoc est, personalitatem, & simul non indicat quid sit, hoc est, essentiam & quidditatem; ergo personalitas Patris non est formaliter ipsa diuina essentia; alioquin indicans personalitatem Patris, indicaret vtique quid sit Pater. Nyssenus.

100. Præterea Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 2. post medium ita clarè docet, & probat, *In his omnibus nominibus, Verbum, imago, Filius, non ostenditur essentia, quia relatiuè dicuntur. Quod autem relatiuè pronunciatur*, vt docuerat libro 5. cap. 7. fine, *non indicat substantiam.* Et eodem lib. 7. cap. 4. circa finem ait, *Aliud Deo est esse, aliud Patrem esse: quod enim est, ad se dicitur; Pater autem ad Filium dicitur.* Quod negare conuincuntur, qui dicunt, quòd esse Patrem, & dici ad Filium, sit formaliter esse Deum, & dici ad se: sic enim non est aliud, sed omnino idem, & secundum rem, & secundum rationem, esse Patrem, & dici ad Filium, & esse Deum, & dici ad se. Idem fusius ac distinctius in Ps. 68. concione 1. in enarratione primæ partis col. 3. initio, *Quicquid est Pater quod Deus est*, hoc est, in quantum est Deus, *hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus. Cum autem Pater est, non illud est, quod illud est*, hoc est, in quantum verò est Pater, non est illud, quod est in quantum est Deus. *Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur. Ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. At verò quod Pater est, non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium.* Si Pater, in quantum Pater, non est id quod est Deus, & non est ipsa substantia naturæ diuinæ; ergo Pater, in quantum Pater, non includit essentialiter Deitatem. Et si Pater, *eo quod Deus est, hoc ipso substantia est*; & eo quod Pater est, hoc ipso non est substantia; ergo Paternitas formaliter non est ipsa substantia Deitatis, vt pluribus explico suprà num. 37. & 64. Item Cyrillus lib. 1. Dialogorum de Trinitate concedit, quòd in diuinis, *aliud est substantia, alia subsistentia*; & addit, *Magnum enim inter illa discrimen est*: quod vtique magnum non esset, si personalis subsistentia esset in se intrinseca ipsa diuinæ naturæ substantia. Deinde multò clarius ac profundius lib. 7. multò ante medium, *Non in hoc, quod est Pater, Deus est Pater: neque in hoc quòd est Filius, Deus est Filius. Non enim Pater, Deus est quia genuit; neque Filius, Deus quia genitus est.* At si Pater vt Pater, & Filius vt Filius, essent Deus per essentialem Deitatis inclusionem, iam Pater esset Deus, quia est Pater; & Filius esset Deus, quia est Filius, & paulò post de proprietate nominum Patris, Filij, Spiritus sancti, docet talem esse, *non quæ Diuinitatem indicet, sed quæ benè significet, quis modus existentiæ singulorum nominatorum à nobis intelligatur.* Eamdemque doctrinam habet lib. 11. Thesauri c. vnico, multò post principium, vt refero suprà num. 42. Item Anastasius Synaita, loquens de diuinarum personarum nominibus, ait lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus, prope medium, *Non id quod est Deus manifestant, sed quomodo est, tantum subindicant. Non enim qui pronunciauit Patrem, mox significauit eius substantiam, sed solum omnino eius habitudinem.* Et paulò post, idem sentit de persona respectu naturæ, & de natura respectu personæ, dicens, *Non enim natura, est persona subsistens; vt neque persona subsistens, natura.* Et Damascenus lib. 1. Fidei c. 13. prope initium, *Ingenitum, genitum, & procedens, non substantiæ sunt indicatiua, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.* Tres igitur diuinæ personæ, eorumque nomina, quæ à Patribus communiter dicuntur, non indicare diuinitatem, & substantiam Deitatis, immeritò dicuntur à Scholastico indicare aliquid, quod formaliter sit ipsa diuinitas, & substantia Deitatis. Demum Boëtius lib. 2. de Trinitate circa medium docet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, *non substantialiter prædicari.* Et in particulari de Patre ait, *non esse substantiale nomen.* esset autem maximè substantiale nomen, & propriè prædicaretur substantialiter, si Pater vt Pater, essentialiter includeret substantiam naturæ diuinæ. Anastasius Synaita. Damascen. Boëtius.

Eadem excluso rationibus confirmatur.

Arguo primo contra primam classem aduersariorum supra, num. 93. ratione quam acutè tetigit Rada supra disputans contra Bagnes; quoniam ab ipsis conceduntur hæ propositiones, Essentia includitur in conceptu formali filiationis, Paternitas includitur in conceptu formali essentiæ: ex quibus præmissis euidenter in recta forma sequitur, Ergo paternitas includitur in conceptu formali filiationis. Quod consequens, plusquam falsum esse fatemur omnes fideles, credentes, Paternitatē & filiationem realiter distingui. Consequentia verò notissima est lumine naturæ, quia fundatur in hoc principio, quod à percipiente terminos negari non potest. Quando essentia vnius rei est essentia alterius, in huius essentia non potest non includi prædicatum, quod includitur in essentia illius, v. g. quia essentia hominis, est essentia Petri, impossibile est in essentia Petri non esse quodlibet essentiale prædicatum, quod est in essentia hominis; alioqui si vel vnum deesset, ipsa quidem hominis essentia deesset; & ita falsò diceretur, quòd essentia hominis est essentia Petri. Sed per aduersarios, Essentia Dei est essentia filiationis. Per eosdem etiam, vnum ex prædicatis essentialibus constitutiuis essentiæ Dei ponitur paternitas. Ergo paternitas est prædicatum essentiale constitutiuum essentiæ filiationis. Respondet Bagnes, quòd cum dicitur, In conceptu formali paternitatis includitur formaliter diuina essentia, ergo includitur quicquid est formaliter diuina essentia, non valet, inquit, cōsequentia; *quia distributio fit etiam pro relatiuo opposito paternitati: ac proinde eodem modo peccat argumentū, ac si diceremus, Pater est hæc essentia: & hæc essentia est Filius, ergo Pater est Filius.* Verum non satisfacit, quoniam fit quidem distributio pro relatiuo opposito paternitati, quæ distributio fieri simpliciter non potest salua fide; sed quod contendimus est, huiusmodi distributionem fieri ex necessitate eius, quod ab ipso conceditur, nimirum, *Diuinam essentiam & paternitatem in suis formalibus conceptibus, intrinsecè, & ad inuicem se se includere.* Hinc enim necessariò sequitur, quòd

101. *Prima ratio ex Rada cōtra includentes relationē in essentia.*

Respondet Bagnes.

Impugnatio responsionis.

Cyrillus.

quòd in formali conceptu paternitatis includitur intrinsecè filiatio, & è contra. Necessitas autem sequelæ oritur ex ista vniuersali distributione, vera euidenter euidentia naturali, Omne prædicatum essentiale alicuius essentiæ, esse necessariò debet prædicatum essentiale omnium, quibus essentia illa conuenit. Sed diuina essentia per te essentialiter conuenit filiationi: ergo filiationi essentialiter conuenit quodlibet essentiale prædicatum diuinæ essentiæ, siue Deitatis, & essentiæ Dei: si enim filiationi non conuenit vnum aliquod essentiale prædicatum, intrinsecè inclusum in essentia Dei, illi vtique non conuenit simpliciter essentia Dei; quia dempto vno essentiali prædicato ab essentia Dei, esset cuiuslibet alterius rei essentia, iam quod remanet non est simpliciter essentia Dei aut alterius rei, sed quædam essentiæ pars, sicut dempta vnitate à quinario, v. g. non remanet essentia numeri quinarij. Si igitur per te essentia Dei essentialiter, & adæquatè constituitur non solum ex prædicatis absolutis, sed etiam respectiuis, ita vt illa exclusis prædicatis respectiuis, & considerata dumtaxat secundum prædicata absoluta, non sit essentialiter Deus; ab omni eo, quod essentialiter & simpliciter dicitur esse Deus, excludi non possunt prædicata respectiua, alioqui excluderetur Deus, & diuina essentia simpliciter. Sed per te filiatio est essentialiter Deus, & in suo formali conceptu intrinsecè includit diuinam essentiam simpliciter. Ergo includit etiam prædicata omnia respectiua: quam inclusionem absurdam esse omnes concedimus. Et si semel ab intrinseco conceptu filiationis diuinæ, excluditur vnum quodcumque essentiale prædicatum diuinæ essentiæ, eadem ratione ac facilitate excludi possunt alia; saltem nulla ratio efficax erit pro essentiali aliorum inclusione; quia rationes, quas obiiciunt, de quibus infra, si quid probant, æquè probant de quocumque essentiali prædicato diuinæ essentiæ. Sicut igitur si quis assereret, Petreitatem esse de essentia humanitatis, non posset simpliciter dicere, Humanitatem esse de essentia Paulcitatis, nisi consequenter diceret, Petreitatem esse de essentia Paulcitatis; ita si dicitur paternitas de essentia Deitatis, & Deitas de essentia filationis, necessariò dicenda est paternitas de essentia filationis.

102. *Soluitur instantia Bagnes supra.*

Neque instantia allata vim habet, imò ex eius insufficientia magis apparet vis argumenti. Ideo enim non valet, Pater est hæc essentia, Hæc essentia est Filius, Ergo Pater est Filius; quia in hoc argumento affirmatiuo nulla est affirmatiua distributio, quam Summulistæ ex Philosopho vocant, *Dictum de omni*, in quo fundari debent omnes syllogismi affirmatiui. Si enim ita distribuas, Pater est omne quod est, vel quicquid est hæc essentia, falsa est distributio; & propterea non sequitur, Ergo Pater est Filius: sicut etiam non valet, Hic Deus est Pater, Filius est hic Deus, Ergo Filius est Pater; quia fundatur in hac distributione falsa, Quicquid est hic Deus, est Pater. Ita quoque si fiat hic syllogismus negatiuus, Iste Pater non est Filius, Hæc essentia est iste Pater, Ergo hæc essentia non est Filius; quia sicut syllogismi affirmatiui nituntur, *Dicto de omni*, ita negatiui nituntur, *Dicto de nullo*, hoc est, vera aliqua distributione negatiua, quæ non est in prædicto syllogismo, qui fundatur in hac distributione falsa, Nihil quod est iste Pater, est Filius; nam aliquid, nempè essentia diuina, quod est iste Pater, est Filius, & Spiritus sanctus. At vero posita opinione, quòd paternitas sit de essentia intrinsecè constitutiua Deitatis, ita vt Deitas non esset essentialiter, & simpliciter Deitas sine paternitate; & è conuerso, quòd Deitas simpliciter, hoc est, cum quouis essentiali prædicato ipsius essentialiter constitutiuo, sine quo Deitas non esset simpliciter Deitas, est de essentia intrinsecè constitutiua filiationis, nostri syllogismi procedunt cum vniuersalissima distributione, hoc modo, Omne quod est de essentia Deitatis, est de essentia filiationis. Sed Paternitas est de essentia Deitatis, ergo paternitas est de essentia filiationis. Maior est tua, quia concedis, Filiationem intrinsecè, & essentialiter esse ipsummet Deum, & non, vt ita loquar, semi-Deum, nempe secundum quædam prædicata essentialia, hoc est, absoluta, non secundum alia, hoc est, respectiua; alioqui non esset simpliciter, & absolutè dicendum, *Paternitatem in suo formali conceptu intrinsecè includere diuinam essentiam*, sed solum partem quamdam diuinæ essentiæ. Minor etiam tua est. Ergo tua esse debet consequentia, tuum consequens. Ferè enim omnis forma syllogistica, quæ regulatur, *Dicto de omni*, & *Dicto de nullo*, efficax est tam in humanis, quàm in diuinis. Solum inefficax est, quæ regulatur illo alio principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, de quo suprà n. 47. & 48. Et disparitas est, quia in diuinis tertium singulare identificatur pluribus inter se distinctis; & ideo non licet ex identitate plurium cum tertio, deducere identitatem illorum plurium inter se; sic enim medius terminus non distribueretur per *Dictum de omni*. In rebus verò creatis non reperitur aliquod tertium singulare, quod sit idem pluribus re ipsa distinctis; & propterea, numquam deesse potest in medio termino distributio vniuersalis per *Dictum de omni*, vel, *Dictum de nullo*.

103. *Secunda ratio contra excludentes relationem ab essentia.*

Contra secundam classem aduersariorum supra n. 93. arguo secundò, si essentia diuina in intrinseco, & essentiali conceptu suo non includit relationem; ergo conceptus relationis, vt formaliter relationis, addit aliquid supra id quod includit essentia, *omnis enim essentia*, inquit optimè Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 1. paulò post medium, *quæ relativè dicitur, est aliquid excepto relativo.* Ergo hoc aliquid additum, siue exceptum consideratum præcisè ac formaliter quatenus additum, siue exceptum, non est essentia; alioqui si hoc etiam sub ista formali ratione est essentia, ergo erat inclusum in essentia, ergo non additum vltra essentiam, nec dici potest exceptum ab essentia præter essentiam. Qua ratione in Metaphysica probauimus, esse figmentum prorsus incredibile, Substantiam, vt formaliter ac reduplicatiuè substantiam, esse ens; & ens, quatenus ens, non includere in se substantiam. Formari igitur sic potest in nostro proposito euidens ratio. Essentia quatenus essentia, includit omne id quod est formaliter essentia. Sed relatio quatenus relatio est formaliter essentia, includendo illam in suo intrinseco ac formali conceptu, vt conceditur. Ergo essentia quatenus essentia, est relatio. Ergo nequit cohærenter defendi, Relationem quatenus relationem includere essentiam, & essentiam quatenus essentiam non includere relationem. Quemadmodum enim, vt benè notat Vazquez suprà num. suo 4. duo realiter distincta non possunt in re ita se habere, vt vnum realiter excludat aliud, & hoc realiter includat illud; ita nec esse possunt duo mentaliter distincta, quorum vnum concipiatur sine alio, & hoc concipi nequeat sine illo. Exemplum igitur de ente, adductum à Torres suprà, quo frequenter vtuntur reliqui aduersarij, ipsis non fauet: tum quia vnum absurdum alio absurdo confirmant; quoniam vt hoc loco suppono, probatum ex Metaphysica, ens in suo conceptu obiectiuo essentialiter includit Vasquez. *Confutatur exemplum Torres de ente.*

cludit inferiora; ita vt qui concipit ens in quantum ens, non possit non concipere omnia inferiora, quæ scilicet secundum quamlibet, quantumuis distinctam, & particularem rationem sunt ens; quod propterea, in quantùm ens, in se ipso intrinsecè & essentialiter coalescit ex omnibus inferioribus suis, tametsi nullum distinctè exprimat. At verò concipiens essentiam diuinam vt sic, nullo modo, ne implicitè quidem concipit relationem, vt conceditur; ergo non ita se habet essentia Dei respectu suarum relationum, sicut se habet ens respectu suorum inferiorum. Tum quia essentia diuina est singularis & distinctissima: sed essentia entis, quatenus entis, est vniuersalissima & confusissima. Huius argumenti vis explicari & intelligi clarius potest petendo, An qui intelligit relationem diuinam, intelligat aliquid quod non sit natura diuina, vel nihil; si aliquid, habetur intentum; nempe esse aliquid formaliter in Deo, quod in sua intrinseca formalitate non includit naturam. Si nihil, ergo relatio diuina, vt relatio diuina formaliter, nihil est aliud nisi natura: sicut quia qui intelligit substantiam vt substantiam, nihil intelligit, quod non sit ens, ideo omnes indubitanter asserimus, substantiam vt substantiam nihil verè in se aliud esse nisi ens. Diuinam verò relationem, seu personalitatem, nihil aliud esse, & in sua intrinseca formalitate nil aliud includere, nisi naturam diuinam, est plusquam falsum; quoniam multa tribuuntur relationibus & personis, non autem naturæ, vt suprà n. 50. nec de essentia diuina dici posset cum Augustino suprà, *est aliquid excepto relatiuo*: quandoquidem ipsummet relatiuum, vt formaliter relatiuum, nil aliud esse dicitur nisi ipsa essentia; & ridiculè diceretur, Essentia est aliquid excepta essentia. Nec liceret respondere Arianis cum Nazianzeno suprà n. 98. *Pater neque essentia, neque operationis est nomen, sed tantum relationis*, &c.

Explicatur magis prædicta ratio.

104. *Tertia ratio.* Arguo 3. optimum fundamentum dicendi, Naturam diuinam essentialiter non includere relationem, est, quia illa est ens absolutum, hæc respectiuum. Idem autem fundamentum probat à contrario, Relationem diuinam essentialiter non includere naturam: quia non minus distinguitur respectiuum ab absoluto, quam absolutum à respectiuo. Saltem hoc secundo modo arguit Augustinus suprà n. 100. probans, quòd nominibus Verbi, Imaginis, Filij in diuinis, *Non ostenditur essentia, quia relatiuè dicuntur.* Et ibidem, *Quòd aliud Deo est esse, aliud Patrem esse*, hoc est, quod tam distinguitur Deitas à paternitate, quam paternitas à Deitate, ita probat, *Quod enim est, à se dicitur*, nempe absolutè. *Pater autem ad Filium dicitur*, nempè respectiuè. Et rursus alibi, probans, Patrem in quantum Patrem, non esse id quod est Deus, *Pater enim*, inquit, *non ad se, sed ad Filium dicitur. Ad se autem Deus dicitur.*

Augustinus.

105. *Quarta ratio.* Arguo 4. Filiatio, & spiratio passiua, quatenus tales sunt, hoc est, personalitates Filij, & Spiritus sancti, & secundum propriam earum formalitatem, qua essentialiter habent esse realitates, siue entitates quasdam, incommunicabiles, & proprias vnius personæ, non alterius, terminant reales productiones, vt formaliter productiones; quas non potest terminare natura diuina vt sic, quæ est prorsus improducta. Ergo dici non potest natura spectare ad intrinsecam formalitatem filiationis, & spirationis passiuæ. Saltem sicut proprietates istæ personales nullo intellectu cogitante habent proprias rationes, quibus realiter terminant realem productionem secundum id quod in iis est proprium, non secundum id quod in iis commune est, quod est natura; ita multò facilius intelligi possunt secundum eamdem rationem propriam, & non communè, obiectiuè terminare nostros conceptus, quibus repræsententur, vt præcisæ à natura terminare suas productiones. Idè argumentum sumi potest ex materia de Incarnatione, ex qua constat, Vnionem hypostaticam terminari formaliter, & immediate ad diuinam Verbi personalitatem, non ad naturam, docente Damasceno lib. 3. Fidei, cap. 6. circa principium, *Quod nulla ratione communicauit Pater, & Spiritus sanctus incarnationi Dei Verbi, nisi secundum acceptationem, & voluntatem*, scilicet liberam in actu secundo per habitudinem ad creaturas, quæ poterat simpliciter non esse; non autem secundum intrinsecam naturam, se ipsa intrinsecè & immediate terminando, & assumendo humanitatem. Si igitur Verbi personalitas secundum totam suam intrinsecam formalitatem terminat, & non terminat natura, manifestè sequitur, in formalitate illius personalitatis non includi essentialiter naturam.

Damascen.

106. *Quinta ratio.* Arguo 5. Relationes personales, sunt rationes formales constitutiuæ personarum. Ergo concipi debent vt aduenientes naturæ, & vt afficientes, & quasi modificantes, seu determinantes naturam, in sensu explicato suprà n. 43. Ergo non possunt concipi, vt in sua propria formalitate includentes naturam, & vt in seipsis intrinsecè & essentialiter constitutæ ex illa natura; sic enim conciperetur, idem modificare, seu constituere seipsum, & aduenire sibi ipsi: prius enim ordine rationis naturæ concipi debet forma constituens, quam res constituta ex illa forma. Ergo si in forma constituente personam diuinam, quæ coalescit, & quasi conflatur ex natura & personalitate, siue ex absoluto & respectiuo, necesse est concipere non solum suam rationem propriam, personalem & respectiuam, sed præterea communem naturam, in ipsa essentialiter inclusam, iam in illo priori, in quo concipitur constituens, vt constituens, conciperetur constitutum formaliter.

107. *Sexta ratio.* Arguo 6. Paternitas, v.g. vt paternitas, secundum totum esse essentiale paternitatis vt sic, distinguit realiter Patrem à Filio, & vt sic distincta, est in Patre, non in Filio. Ergo in essentia paternitatis vt sic, non includitur Deus, in quo omnes diuinæ personæ vnum simpliciter, & idem omnino sunt. Saltem si paternitas, & non Deitas realiter distinguit, ergo concipi potest paternitas formaliter vt distinguens, sub quo formali conceptu non potest concipi natura. Ergo illa sine hac concipi potest. Confirmatur quia contraria opinio tenetur concedere, Paternitatem secundum totam suam rationem relatiuam, & quoad totum illud quod essentialiter importat, non esse proprietatem personalem Patris, quia in propria sua formalitate relatiua essentialiter includeret naturam communem. Præterea non saluat rationis ratiocinatæ distinctionem, quam omnes Patres citati suprà dubitatione 2. & Scholastici ferè omnes tribuunt non solum naturæ diuinæ respectu relationum, sed eriam diuinis relationibus respectu naturæ; vt probo suprà num. 40. Saltem multò magis secundum rationem distingueretur natura à relatione, quam relatio à natura; quia cum natura non includat relationem, concipiens naturam potest omnino præscindere à relatione: sed cum contrà, relatio includat naturam, concipiens relationem, non potest à natura præscindere, illam verè non concipiendo, sed tantum nõ concipiendo distinctè & explicitè: & tamen semper Patres, vt ex eorum dictis superius allatis manife

manifestum est, eodem modo æquè distinguunt essentiam à relationibus, & relationes ab essentia.

108. *Vltima ratio de communicabilitate naturæ diuinæ.* Arguo vltimò. Natura diuina est essentialiter communicabilis, seu communis tribus personis; non solum essentialiter fundamentaliter, propter eius perfectissimam infinitatem, quæ ex probatis tomo 1. q. 7. art. 2. num. 3. & 4. est essentialis Deo, in quantum diuina natura, vt simpliciter infinita in genere entis, intelligitur essentialiter capax, quasi in actu primo, ex nostro modo concipiendi, vt possit terminari & identificari tribus personalitatibus; sed etiam essentialiter formaliter, siue actualiter, & quasi in actu secundo, in quantum propter eamdem infinitatem essentialiter petit, vt actu, tum realiter, tum formaliter sit quicquid in diuinis formaliter est, sibi non oppositum, vt ostendi suprà num. 27. & in primo tomo quæst. 4. art. 2. num. 32. accipiens in hoc sensu Anselmum docentem, quòd absque attributis, & personalitatibus, nec esse, nec intelligi potest Deus. Qua ratione personalitates, sicut etiam attributa, ad essentiam pertinent, non constitutiuè, quod suprà dubitatione 3. reiecimus, sed tantum terminatiuè, seu potius identicè, per omnimodam in re identitatem cum illa, non per essentialem inclusionem in illa. Neque enim Deitas à parte rei per aliquam relationem, aut prædicamentalem, aut etiam transcendentalem, ad attributa, & personalitates terminatur, sed solum cum illis essentialiter connectitur in vna simplicissima entis ratione. Quemadmodum in simili rectè docent Philosophi, de essentia modi esse, vniri cum re modificata, eam actualiter modificando; tametsi de essentia modi non sit, includere intrinsece in se rem modificatam. Hoc igitur essentiale prædicatum communicabilitatis, seu communitatis, conuenire non potest diuinæ personalitati, quæ est ipsa incommunicabilitatis, & proprietatis forma, seu ratio formalis: ergo in sua intrinseca ac formali ratione non potest essentialiter includere diuinam essentiam, cui tale prædicatum essentialiter conuenit.

109. *Aduersariorum responsio, & instantia.* Respondent aduersarij, negando consequentiam, & afferendo instantias, quas alij omnes soluere tenentur. Enim verò supra num. 90. probauimus, Deitatem conuenire essentialiter cuilibet diuinæ personæ; & tamen Deitati, & nulli personæ conuenit neque fundamentaliter, neque formaliter, esse commune tribus personis. Item esse improductum, esse absolutum, esse indistinctum, & similia, ab omnibus prædicantur de Deitate, à nullo autem de persona. In rebus etiam creatis multa prædicantur, v. g. de anima, & materia, quæ non possunt prædicari de homine: & de homine prædicatur, esse, vel posse esse in pluribus individuis; non de Petro, qui essentialiter est homo: & natura humana potest terminari suppositò, & personari, non autem persona humana de cuius essentia est illa natura. Quamobrem pro omnium sententia dicendum videtur, Prædicata essentialia naturæ, conuenire etiam essentialiter aliis, quibus essentialiter conuenit natura, modo illa prædicata conueniant naturæ prout supponitur absolutè, seu personaliter in re, non autem si prædicata conueniant naturæ prout supponitur simpliciter, seu præcisè, siue actuali, siue naturali præcisione. Hoc secundo modo, non primo communicabilitas conuenit naturæ diuinæ, nimirum vel vt actu per intellectum distincta, & relatione rationis comparata ad diuinas personas quibus est communis; in quo sensu dixit Scotus 1. d. 23. quæst. vnica, paulò ante finem, *Communicabilitas dicit tantum relationem rationis in essentia*: vel vt virtualiter per intellectum distinguibilis, & comparabilis ad easdem personas. Persona verò essentialiter in se naturam includens, neque actu, neque virtute præscindi potest à natura; & ideo nulli personæ conuenire potest, quod non conuenit naturæ, nisi vt aliquo modo præscindit à persona. Sicut, v.g. quia esse sensibile competit animali, vt supponitur absolutè, idem competit omnibus animalis speciebus: sed quia esse contrahibile per specificas differentias competit animali, vt supponitur simpliciter, id non competit speciebus.

Scotus.

110. *Prædicta responsio examinatur contra aduersarios.* Verùm hæc responsio sufficiens quidem est in sententia nostra, quæ ratione distinguit non solum essentiam à relationibus, sed etiam relationes ab essentia: non videtur autem sufficiens in sententia, quam impugnamus, non distinguente relationes ab essentia, sed essentiam in relationibus essentialiter includente. Ac proinde, etiam in earum conceptibilitate, & esse obiectiuo. Hinc enim fit, vt nulla ratione considerari possit essentia vt præcisa, siue exclusa à relationibus, in quibus ponitur essentialiter inclusa, & penitus imbibita; & esto consideri possit vt non in se includens, sed excludens à se relationes: quæ tamen duo simul, mihi semper visa sunt absolutè inintelligibilia. Quis enim capiat, Me non esse tecum: Te verò esse mecum? v.g. Humanitatem non esse cum Petreitate, Petreitatem esse cum humanitate. Item ens vt ens non esse, & non includere substantiam, substantiam verò vt substantiam esse & includere ens. Ita pariter intelligibile minimè est, Essentiam diuinam non includere relationem; & relationem, vt relatio est, includere essentiam. Sed esto, vt dicebam, Essentia præscindat à relatione, satis est ad vim huius vltimi argumenti, quòd relatio non præscindat ab essentia: nam ex hoc secundo sequitur, quòd esse communicabile, seu commune tribus personalitatibus, siue hoc sumatur fundamentaliter, siue formaliter, conuenire non possit essentiæ: quoniam, ipsismet aduersariis fatentibus, hoc prædicatum requirit præcisionem, saltem virtualem, faciendam per intellectum; qua videlicet, non solum consideretur essentia, vt non includens personalitates, sed etiam considerentur personalitates, vt non includentes essentiam. Enim vero vt considerari rectè possit essentia communicabilis personalitatibus, non minus impedimentum est ex parte personalitatum, includere essentiam, quam esset ex parte essentiæ, includere personalitates: sicut enim si essentia includeret personalitates, non posset intelligi essentia communicari personalitatibus, quia quod communicatur, non potest esse id cui communicatur, alioquin idem communicaretur sibi; ita si personalitates includunt essentiam, intelligi quoque non potest essentia communicari personalitatibus; quia neque id cui communicatur aliquid, potest esse omnino illud ipsum, quod illi communicatur. Cur enim id quod communicatur, non potest esse id cui communicatur; & è conuerso, id cui communicatur, possit esse id quod communicatur? In nostra verò sententia asserere possumus de essentia vt præcisa, quòd sit communicabilis tribus personis; quoniam & si essentia non præscindat à personis in concreto, essentialiter constitutis ex natura & personalitatibus, nec personæ eadem ratione præscindant ab essentia; tamen tam essentia præscindit à personis in abstracto, hoc est, personalitatibus, quam hæ præscindunt ab essentia.

Vasqu. in D. Thom. Tom. III.

Occurritur argumentis in contrarium.

111. *Obiicitur primò S.Thomas.*

Obiicies primò S.Thomam suprà quæst.27.art.2. ad 3. dicentem, *In ipsa enim perfectione diuini esse continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad eius perfectionem pertinent.* Et infrà, quæst. 33. art.3. ad 1. *Communia, absolutè dicta, secundum ordinem intellectus nostri, sunt priora quam propria; quia includuntur in intellectu propriorum, sed non è conuerso.* Sed in diuinis omnes relationes sunt propriæ, & essentia est communis. Ergo essentia includitur in intellectu relationum.

Exponitur S.Thomas.

Respondeo, primum locum non esse ad rem, primo quia probat potius, contra ipsos etiam aduersarios, relationes esse de intellectu essentiæ & asserere, S. Thomam loqui de continentia, non actuali & quidditatiua, sed potentiali & transcendente, ad modum quo ens sub se continet quaslibet differentias vltimas, in quarum quidditate clauditur, est euidenter expositio nimis longè petita, nec in verbis, nec in sensu verborum vllo modo fundata. Si enim Philosophus ita scriberet, *In ente continentur substantia & accidens*, quis auderet ita interpretari, *In substantia & accidente continetur ens?* Præterea S.Thomas loquitur vniuersaliter de continentia non solum relationum, sed etiam attributorum, vt patet ex illis verbis, *Sicut & quæcumque ad eius perfectionem pertinent.* Attributa verò secundum eos, contra quos disputamus, actu quidditatiuè clauduntur in essentia. Ergo non est sermo de sola continentia potentiali & transcendente. Ipsa quoque opinio de ente, quæ supponitur, falsa est, contra Philosophum, & ipsummet S.Thomam, & communem, vt probaui in Metaphysica; quòd scilicet, ens clauditur in intellectu inferiorum, secundum quaslibet distinctas & explicitas illorum rationes, formaliter & reduplicatiuè acceptas, quia nimirum, substantia vt substantia est ens, & accidens vt accidens est ens, & sic de quibuslibet aliis; & nihilominus in intellectu entis quatenus entis, nullo modo actu, neque explicitè, neque implicitè, & in confuso claudantur substantia & accidens. Secundò quia, vt cum Caietano, Torres, & aliis ostendi supra n.61. ex ipsomet S.Thoma, ibi non agitur de continentia formali per essentialem inclusionem, sed de continentia tantum identica. Secundum etiam locum nihil probare, patet ex verbis immediatè sequentibus, quibus præcedentia explicantur. *In intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur.* Igitur non loquitur de proprietatibus in abstracto, hoc est, de personalitate, & paternitate, de quibus nunc disputamus; sed de propriis in concreto, hoc est, de persona, & Patre, iuxta primam conclusionem supra n.90. Sensus igitur illorum verborum est hic, Deus, secundum totũ, quod absolutè, & per se acceptus significat, clauditur in intellectu personæ Patris, cuius essentia est esse Deum, Persona verò Patris secundum totum, quod per se significat, non clauditur in intellectu Dei, quia essentia Dei non est esse Patrem, docente Augustino lib.7. de Trinitate c.4. circa finem, *Aliud Deo est esse, aliud Patrem esse*, idque ita optimè probante, *Quod enim est, ad se dicitur: Pater autem ad Filium dicitur.* Et ideo in diuinis prius ratione est Deum esse, quam Patrem esse.

Augustinus.

112. *Secunda obiectio ex Conciliis, & Patribus.*

Obiicies secundò, quia Concilia & Patres, quorum loca & verba adduximus supra dub.1. à n.11. de diuinis personis, tam in concreto, quam in abstracto, passim prædicant non solum in concreto Deum, sed etiam in abstracto Deitatem, Diuinitatẽ, essentiam, naturam, & substantiam diuinam: vt Concilium Rhemense, *Relationes in Deo sunt Deus,* Concilium Lateranense, *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina.* Bernardus, *Personarum proprietates, & persona ipsa non aliud sunt, quam vnus Deus, vna diuina substantia, natura, maiestas.* Et alibi, *Pater est veritas, Deitas.* Augustinus, *Persona Patris non est aliud, quam substantia Patris.* Anselmus, *Pater est essentia Filij, Filius est essentia Patris.* Damascenus, *Tres personæ sunt Diuinitas.* Riccardus de S.Victore, *Nihil aliud est ibi persona, quam dilectio.* Præterea Cyrillus, & Synodus Alexandriæ congregata, in epistola ad Nestorium, quæ habetur tomo 1. Concilij Ephesini, c.14. columna 8. ait, *Ipse quoque Spiritus sanctus re ipsa, potentia, & sapientia est.* Athanasius in compendio de Spiritu sancto non longè à medio, *Filius ipsa essentia est.* Demum communissima Sanctorum & Scholasticorum non est, *Quòd quicquid est in Deo, est ipse Deus.* Has autem propositiones esse intelligendas in sensu formali, non in sensu identico, probant primò, quia hæc est falsa, Animalitas hominis est rationalitas, quamuis in re idem sint. Secundò saltem non essent magis exactæ prædicationes, Pater est Deitas, Pater est veritas, quam Pater est Deus, Pater est verus, contra Nazianzenum, Damascenum, Bernardũ, Fulgentium supra n.12.13.& 15. Tertiò, quia si Patres non intenderent essentialem inclusionem absolutorum in relatiuis, nulla alia assignari posset ratio, cur contra communem loquendi modum Philosophorum introduxerint in diuinis prædicationes concretorum de abstractis, & abstractorum de concretis, essentialia componendo cum notionalibus. Quartò, quia Athanasius citatus supra n.66. reduplicatiuè dicit, *Vniuersa plenitudo, & integritas Deitatis, est Pater vt Pater, & Filius vt Filius.* Ergo in paternitate, secundum quam Pater est formaliter Pater, clauditur quidditatiuè tota Diuinitas; & idem de Filiatione.

113. *Exponuntur eum S. Thoma in sensu identico, non formali.*

Respondeo cum S.Thoma de Potentia q.8.art.2. ad 6. de quo loco pluribus actum est suprà num.97. prædictas propositiones esse veras in sensu identico, non formali. *Cum enim dicitur*, inquit S.Thomas, *essentia diuina est paternitas, non prædicatur paternitas de essentia diuina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei: & similiter nec essentia de paternitate.* Nullam differentiam agnoscit S.Thomas inter has propositiones, Essentia diuina est paternitas, Paternitas est essentia diuina, inter quas tamen aduersarij secundæ classis suprà n.93. maximam ponunt differentiam, dicentes, primam esse veram in sensu identico, non formali, quoniam rectè docent, in ratione formali diuinæ essentiæ non includi paternitatem. Secundam autem esse veram etiam in sensu formali, quia volunt, essentiam diuinam claudi in ratione formali paternitatis, & ne videar gratis accipere Patrum propositiones in sensu identico, illum ex ipsismet colligo primo, quia Bernardus, Augustinus, Riccardus de S.Victore verbis obiectis, ita dicunt, Personam esse essentiam, vt simul magis explicando addant, *Non esse aliud*, scilicet, à parte rei distinctum. Igitur per illas propositiones nil aliud intendunt, nisi negare actualem in re distinctionem inter Deũ, & diuinas personas. Proptrerea Bernardus, vt exponendo suprà n.15. docens cur verius, saniusque corrigatur, Pater est Deus, hoc est, Deitas, quam, Pater est Deitas, hoc est, Deus, non affert aliam rationem, nisi vt *piè, catholicéque sentiamus de vera, & mera diuinæ simplicitate substantiæ, in qua nihil aliud esse possit, quod ipsa non sit, & ipsa Deus.* Vbi etiam, & in num. sequenti 16. idem obseruo in Riccardo Victorino, Concilio Lateranensi, Hilario, Mario Victorino, Nysseno, Augustino, Maximo, Theodoro, Cyrillo, & aliis. Præterea Cyrillus idẽ innuit, dum

dum num. præcedente non simpliciter dicit, *Spiritus sanctus est sapientia*, sed identitatem ex natura rei significans, limitando addit, *re ipsa.* Secundò, quia Patres prædicant in abstracto non solum essentiam de personis, sed etiam in eodem sensu satis frequenter personas de essentia. Ita Lateranense supra num.12. non solum definit, *Quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina*; sed contra etiam, *quòd vna res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Item n.13. Augustinus non solum docet, *Persona Patris est substantia Patris*, sed etiam è conuerso, *Substantia Patris ipse Pater est.* Et sermone 38. de tempore, aliquanto post principium ait, *Hæc Trinitas vnus Deus est.* Et Nazianzenus suprà num.13. cum de tribus personis dixisset, *Tria in quibus est Deitas*, subiungit, exactius dici, Tria quæ est Deitas. Nicenum quoque Concilium libro 2. §. *Sancta & magna.* initio ita habet, *Diuinitas non est vna persona, sed tres personæ.* Et Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinitate multò post medium sicut de duobus respectiuis prædicat vnum absolutum, *Hypostasis Patris est Deitas, Filij hypostasis etiam Deitas:* ita de vno absoluto prædicat duo respectiua, *Immortalitas est hypostasis Patris, & immortalitas hypostasis Filij.* Sicut igitur aduersarij benè dicunt, His propositionibus inesse sensum identicum, non formalem; ita licebit nobis idem dicere de aliis propositionibus. Quare tam pro ipsorum opinione, quam pro nostra respondendum est ad ea, quæ superius nobis obiiciunt pro sensu formali.

114. *Soluuntur quatuor rationes contra sensum identicum.*

Ad 1. de animalitate, & rationalitate, si sint idem in re, & prout sunt idem in re, non autem prout ratione distinguuntur, nego falsò prædicari, Animalitas hominis est rationalitas. Ad 2. constat ex Patribus modo relatis, esse magis exactas prædicationes, Pater est Deitas, &c. quam, Pater est Deus, &c. Sicut è conuerso, Deus est paternitas, quam, Deus est Pater; quia per primas, non per secundas indicatur in diuinis omnimoda simplicitas, & identitas inter naturam & personas, & vniuersalius, inter id quod habet, & id quod habetur; siue inter id quod est, & id quo est. Ad 3. huiusmodi prædicationibus antea non vsitatis Patres noluisse indicare inclusionem essentialem, sed diuinam simplicitatem, & identitatem sanctissimæ Trinitatis in vna natura, vt dictum est. Ad 4. ostendi, suprà num. 66. verba illa Athanasij esse accipienda specificatiuè, non reduplicatiuè: alioqui si Pater ideo est vniuersa plenitudo Deitatis, quia formaliter & reduplicatiuè est Pater, Filius; qui non est Pater, non esset vniuersa plenitudo Deitatis. Igitur sensus est, In Patre, etiam vt distincto à Filio, esse, non per essentialem inclusionem, sed per realem identitatem, quicquid ad Deitatem quacumque ratione pertinet, etiam ipsam filiationem, quæ etsi distinguatur realiter à Patre, tamen identificatur cum Deitate, cum qua pariter identificatur paternitas.

Exponitur illud Athanasij, Pater, vt Pater est plenitudo Diuinitatis.

115. *Obiiciuntur 3. duæ disparitates.*

Obiicies tertiò contra secundam probationem, siue instantiam allatam num.113. Maiorem rationem esse accipiendi in sensu formali propositiones, in quibus essentialia prædicantur de personalibus, quam alias in quibus contra prædicantur personalia de essentialibus. Primò, quia quicquid est verè Deus continere in sua essentia debet omnem perfectionem, quæ esse aut concipi potest. Sed quælibet relatio diuina est verè Deus, ergo, &c. Secundò quia denominatio Dei, est denominatio essentialis; esse verò personam est denominatio personalis.

Fasoli in D.Thom. Tom. III.

Soluuntur & impugnãtur.

Respondeo ad 1. Quicquid est *verè*, hoc est, essentialiter, Deus, continere debet; in sua essentia omnem perfectionem essentialem Dei; non autem quicquid est *verè* Deus, hoc est, per veram, ac realem identificationem cum natura diuina: hoc enim satis est si, in sua ratione formali spectatum, contineat, siue intrinsece includat omnem perfectionem, quæ esse, & concipi potest in suo genere, siue intra totam latitudinem suæ rationis formalis. Nam quemadmodum ipsimet aduersarij, quia ab essentia Dei excludunt relationes, tenentur dicere, In essentia ipsius Deitatis non includi perfectionem, & infinitatem entis relatiui; ita nos eadem proportionali ratione à contrario asserimus, In essentia relationis non includi perfectionem, & infinitatem propriam Deitatis, & entis absoluti. Quapropter si conciperetur Deitas in essentia relationis, hæc esset in suo conceptu intrinseco essentiali magis perfecta in genere entis simpliciter, non autem in suo proprio genere entis relatiui: sic enim sunt duæ rationes reales genericæ, ratione ratiocinata distinctæ, quarum vna ex proprio conceptu non includit aliam: sicut à contrario, si natura diuina in sua essentia includeret relationes, esset magis perfecta in genere entis simpliciter, non autem in suo genere entis absoluti, seu naturæ. Demum ad hominem ita argumentor. Si ex eo, quòd diuina relatio sit verè Deus, colligitur essentia Deitatis inclusa in ratione formali relationis; ergo vice versa, quia Deus est verè diuina relatio, colligi posset essentia relationis diuinæ inclusa in ratione formali Deitatis. Neque enim per aduersarios, minus perfecta est diuina relatio quam Deitas, imò multò magis perfecta, cum velint, In essentia Deitatis nullam includi relationem; in quauis autem diuina relatione essentialiter includi vniuersam Diuinitatis plenitudinem, & præterea ipsum esse respectiuum. Ad 2. illam differentiam de essentiali, & personali denominatione non tollere vim instantiæ; scilicet, vt sicut hæc, *Deus est paternitas*, est vera tantum identicè, vt conceditur; ita etiam hæc, *Pater est Deitas*, sit tantum identicè vera, quod negatur. Enim verò sicut quia esse Deum est denominatio essentialis, ideo in Deitate concipi non debet personalitas; ita contrà, propter eamdem proportionalem rationem, quia esse Patrem est denominatio personalis naturæ diuinæ, ideo in eius essentiali conceptu intrinsecè inclusa apprehendi non debet natura diuina: quia personalitas naturæ non minus per rationem distinguitur à natura, quam natura personata à personalitate.

116. *Quarta obiectio.* S.Thomas.

Obiicies quartò, Persona quidditatiuè claudit essentiam, vt concedo suprà num.90. in prima conclusione. Sed proprietas personalis est persona, vt omnes Theologi concedunt, & expresè S.Thomas infrà, q.40.art.3. post medium corporis, *Proprietates personales ferunt secum suã suppositã, in quantum sunt ipsæ persona subsistentes; sicut Paternitas est ipse Pater.* Ergo proprietas personalis quidditatiuè claudit essentiam. Idem syllogismus magis in particulari, & clarius ita proponitur. Pater essentialiter includit Deitatem. Sed paternitas est Pater. Ergo paternitas essentialiter includit Deitatem. Minorem confirmant, quia concretum in diuinis nihil amplius includit, quam abstractum; cum ex omnium Patrum doctrina, Deus sit omnino quicquid in se habet, ita vt qui habet, & quicquid habetur, sit ipse Deus; nec fit aliud, quod habet Deus, & aliud ipse Deus.

Respondetur explicando,

Respondeo, Nego minorem in sensu, in quo solum sumi debet ab aduersariis, vt intentum

quemodo proprietas personalis distinguatur à persona.

concludant ; nempe, quòd proprietas personalis, seu paternitas, nihil prorsus aliud sit, neque re, neque ratione ratiocinata distinctum, nisi totum id quod est persona, seu Pater. Quem sensum alienum esse ab omnibus Patribus, & grauioribus Scholasticis, præsertim à S. Thoma, manifestum est, ex eorum dictis superius allatis, quibus diuinas relationes à natura ratione omnino distinguuntur. Igitur proprietas personalis, quæ non est aliud nisi relatio, non potest esse re & ratione idem cum persona essentialiter includente naturam præter relationem. Vnde idem S. Thomas citatus q. 40. ad 2. docet, *quod paternitate, Pater est persona.* Id autem, quo res aliqua est formaliter talis, non est idem prorsus, quod res illa, quæ est formaliter talis. Et antea in quæst. 34. art. 3. ad 1. docuerat, *quòd in nomine personæ diuinæ, quantum ad relationem personalem, non importatur respectus ad creaturam ; sed importatur in eo, quod pertinet ad naturam.* Si relatio personalis nulla ratione differret à persona, non potuisset asserere S. Thomas, Personam diuinam ratione naturæ, non relationis personalis, importare respectum ad creaturas. & 1. d. 33. quæst. vnica, art. 2. cum concluisset, *quòd proprietates à persona differant secundum modum significandi* ; id magis explicans, ita subdit, *Nec modus significandi diuersus veritatem haberet, sed vanitatem, nisi esset alia ratio proprietatis, & personæ, cui respondet aliquid in re. Et ideo dicimus, quòd proprietates & personæ sunt idem re, sed differunt ratione.* Ergo secundum S. Thomam persona & personalis proprietas ita differunt ratione, vt in re aliquid respondeat conceptui personæ, quod non respondeat conceptui proprietatis personalis. Neque confirmatio, quæ pro minore affertur, hanc rationis distinctionem impugnat, sed solam distinctionem ex natura rei.

S. Thomas.

117. *Quinta obiectio.*

Obiicies quinto, In conceptu essentiali relationis diuinæ includitur ratio entis diuini, & increati. Nulla enim esse, aut concipi potest ratio formaliter existens in Deo, quæ non sit essentialiter ens actuale ; quod adæquatè diuiditur per ens à se, vel ab alio : cum igitur relatio diuina, sit formaliter in Deo, & non sit ens ab alio, & creatum, debet necessario esse ens increatum, & à se. Sed hoc est proprium essentiæ diuinæ. Ergo in conceptu essentiali relationis diuinæ includitur diuina essentia.

Respondetur explicando rationem entis diuini.

Respondeo esse formaliter diuinum & increatum, quod est esse à se, siue ex se, & apprehenditur à nobis per negationem essendi ab alio, tametsi in se sit summa quædam positiua perfectio naturæ prorsus infinitæ, à qua reliquas omnes naturas essentialiter pendere necesse est, vt suprà quæst. 2. art. 3. considerari ac distingui posse quatuor modis. Primò pro non esse ab alio tamquam à causa secundum naturam distincta, & totum esse producente ; quo modo creaturæ omnes non sunt à se, sed à Deo, & inter se comparatæ, aliæ ab aliis sunt : & hæc ratio essendi à se, est communis cuicumque rationi formaliter diuinæ, siue absolutæ, siue respectiuæ ; quam significare videtur ipsemet Dei Filius, qui etsi procedat simpliciter ab alio, nempe à Patre, tamen de se ipso Ioannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso*, hoc est, non pendentem à causa extrinseca, aut à forma distincta ; sed vitam, quæ sit ipsemet Filius, cui data est. Pater enim Filio dedit, inquit Augustinus contra sermonem Arianorum cap. 17. *Non vtique vt aliud sit ipse, aliud vita quæ in ipso est, sed vt eadem vita sit idem ipse : sicut nec Pater aliud est, quam vita quæ in ipso est.* Quo significatur, vt docet idem Augustinus tractatu 19. in Ioannem, *hoc solum interesse inter Patrem & Filium, quia Pater habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit ; Filius vero habet vitam in semetipso, quam Pater dedit.* Per hanc igitur primam acceptionem essendi à se, adæquatè distinguitur ens increatum, & diuinum vt sic, ab ente creato. Secundò esse à se sumi potest pro non esse ab alio, nec tamquam à causa, nec tamquam à principio simpliciter producente : quæ ratio essendi à se conuenit essentiæ diuinæ, attributis, paternitati, spirationi actiuæ ; non autem filiationi, quæ est ex vi generationis Filij ; nec spirationi passiuæ, quæ est ex vi processionis Spiritus sancti. Et ideo quod est à se primo modo, præscindendo ab absoluto & respectiuo, non repugnat esse ex vi principij productiui. Filius igitur, & Spiritus sanctus sunt ab alio, non neutraliter, & substantiuè, quia *aliud*, hoc modo acceptum, significat diuersitatem in substantia & natura ; sed ab alio masculinè, & adiectiuè ; quia alius, alia, aliud, significat solum diuersitatem in supposito. Tertiò pro esse à se absolutè, hoc est, ita habere esse incausatum & improductum, vt nec etiam illud esse habeat ad aliud, tamquam ad terminum ; quod proprium est diuinæ essentiæ, & attributorum, non autem relationum, & personarum : nam non solum, vt docet Augustinus citatus tractatu 19. *Filius, quod Filius est, propter Patrem est* ; sed etiam, *Pater, quod Pater est, propter Filium est.* Quarto, pro esse à se fundamentaliter, seu radicaliter, hoc est, non solum sine dependentia à causa, sine origine à principio, & sine respectu ad terminum, sed etiam per modum fundamenti, & quasi radicis, tam attributorum, quam personalitatum, & relationum : & hic est proprissimus, atque explicitissimus diuinæ essentiæ, quatenus essentiæ, conceptus. Nomine enim essentiæ, seu naturæ, significari & concipi debet primarium quoddam principium, ex quo oriantur, vel propter quod conueniant rei aliæ secundariæ perfectiones, seu proprietates, & quod supponit ipsa rei personalitas. Concedo igitur Maiorem obiectionis de esse à se primo modo. Nego autem Minorem, nimirum, quòd hoc esse à se primo modo, hoc est, esse increatum, & simpliciter diuinum, quod concedo essentialiter includi in conceptu essentiali, seu potius quidditatiuo, & formali relationis diuinæ, sit proprium essentiæ diuinæ : est enim quoddam esse diuinum veluti transcendentale, hoc est, commune omnibus rationibus in Deo formaliter existentibus, siue essentialibus, siue attributalibus, siue personalibus. Quod quidem acutè obseruauit Caietanus suprà quæst. 13. art. 11. circa finem probans, Deitatis nomen magis propriè conuenire Deo, quam nomen essendi id quod est, siue, à se ; *quoniam*, inquit, *Deitas importat Dei naturam, quasi secundum differentiam specificam : ly vero, Qui est, importat eamdem, quasi secundum genus.* Essentia enim Deitatis constituitur intrinsecè non solum per primam illam rationem essendi à se, quasi per rationem genericam, sed etiam per differentialem, quasi rationem, per gradum intellectualem, seu per ipsam actualem intellectionem diuinam, vt in primo tomo quæst. 4. art. 2. pluribus ostensum est ; & ideo illi soli conueniunt etiam tres reliquæ rationes essendi à se. Confirmari potest responsio ex modo loquendi omnium Conciliorum, & Patrum, & Scholasticorum, ac fidelium omnium, confitentium in Deo esse tres diuinas personas, non autem tres diuinas essentias.

Exponitur cum Augustino locus Ioan. 5.

Quo modo Filius & Spiritus sanctus sint ab alio.

Augustinus.

Caietanus.

ergo

ergo non sumunt essentiam pro ratione essendi primo modo, quoniam illa conuenit etiam personis, seu personalitatibus, quæ etiam sunt essentialiter diuinæ & increatæ, & sic dici posset, esse in Deo plures essentias, sicut sunt plures personalitates, & relationes ; sed sumunt pro ratione essendi à se simpliciter, & omnibus quatuor modis explicatis, quæ non conuenit personalitatibus, & relationibus, sicut nec attributis, sed alteri rationi diuinæ primariæ, quam vocamus essentiam.

118. *Sexta obiectio ex Suarez.*

Obiicies sextò argumentum quod breuiter, & obiter affert Suarez 3. p. tomo 1. disput. 11. sect. 2. dicto 3. quia ex nostra opinione necessario sequitur, *essentiam & relationem diuinam, formaliter & essentialiter distingui.*

Respondetur explicando quid sit, relationem & essentiam distingui formaliter & essentialiter.

Respondeo, si hoc significat, distingui plus quam ratione, negatur id sequi ; & est manifesta instantia tum de essentia respectu relationis ; cum à parte rei, etiam secundum Suarez, essentiam non includat relationem in suo conceptu essentiali, & tamen hinc non sequitur, essentiam à relatione distingui plus quàm ratione : ergo nec ex eo, quòd relatio in suo essentiali conceptu non includit essentiam, sequi debet, Relationem plus quam ratione distingui ab essentia. Tum de spiratione actiua, & paternitate ; quia infra probabimus, alteram in alterius essentiali conceptu non includi ; & tamen Suarez etiam cum communissima opinione, de qua infra, fatetur has relationes differre solum ratione ratiocinata. Si vero significat, differre per negationem inclusionis essentialis & formalis, quo modo etiam per Suarez mutuò differunt prædictæ relationes, & essentia, à quatuis relatione, omnes admittere tenemur sequelam, sed sine vllo absurdo, quia hæc negatio inclusionis vt in superioribus non semel inculcatum est, & fatetur ipsemet Suarez libro 4. de Trinitate cap. 6. num. 1. non est propriè distinctio, quæ est alia negatio identitatis, sed est proximum fundamentum distinctionis secundum rationem, vt supra num. 40.

DVBITATIO V.

An diuina relatio dicat aliquam perfectionem.

SVMMA.

1. *Prima conclusio affirmatiua certa in duplici sensu, num. 119.*
2. *Secunda conclusio simpliciter affirmatiua, & Authores vtriusque partis, num. 120. ad 125.*
3. *Probationes partis affirmatiuæ, num. 125. ad 132.*
4. *Soluuntur rationes in contrarium, num. 132. ad 163.*
5. *An perfectio diuina relatiua sit multiplex, n. 132. ad 142.*
6. *An multiplicitas perfectionum pugnet cum æqualitate diuinarum personarum, num. 134. ad 149.*
7. *An in Deo concedenda sint plures infinitates, n. 149. & 150.*
8. *An tres Relationes integrare possint vnam Dei perfectionem relatiuam, num. 151. ad 155.*
9. *An diuina Relatio sit perfectio Dei simpliciter simplex, num. 155. ad 159.*

Tractandi ratio.

HÆc dubitatio valde affinis est illi, de qua disputatum est supra art. 1. dub. 1. quærendo, an diuinæ relationes essent reales, etiam secundum esse *Ad*, quod est proprium relationis, vt est formaliter & explicitè relatio : si enim hoc est verum & reale esse, non potest non includere essentialiter in se aliquam perfectionem, saltem transcendentalem, & vniuersalissimam entis realis : si vero non est simpliciter reale, nulla prorsus ibi potest perfectio cogitari. Ex probatis igitur dub. 1. citata de relatione essendi *Ad*, remanet à priori probata pars affirmatiua præsentis dubitationis quæ rursus probanda est, vt eadem illa realitas, etiam probata remaneat à posteriori. quam probationem in hunc articulum reiecimus, quoniam eam S. Thomas hîc ad tertium non obscure significat, vt mox ostendam.

119. *Primæ conclusio affirmatiua est in duplici sensu.*

Prima conclusio affirmatiua, apud omnes prorsus indubitata, de relatione diuina duobus modis considerata. Primo prout à parte rei est idem omnino quod diuina essentia, quæ est perfectio omnium maxima. Quo modo relatio non consideratur formaliter secundum proprium suum esse *Ad*, sed veluti materialiter, secundum esse *In*, quod commune est cum aliis omnibus absolutis attributorum perfectionibus. Et in hoc sensu dixisse videtur Maior 1. d. 33. quæst. vnica ad 2. *Quod qualibet proprietas est perfectio simpliciter, quia ipsa est Deitas.* Secundo prout in ipsomet proprio & formali esse respectiuo, etiam secundum rationem præciso, includit essentialiter eamdem perfectissimam Dei essentiam, non explicitè, sed implicitè, secundum sententiam dubitatione præcedente reiectam ; ex qua tamen euidenter sequitur, quòd diuina relatio vt formaliter talis, importat perfectionem, quia importat essentiam Dei, nimirum secundum conceptum implicitum. Tota igitur controuersia est, tum in hac sententia de relatione includente essentiam, an scilicet diuina relatio, spectata etiam præcisè secundum conceptum suum explicitum, perfectionem explicet ; tum in contraria sententia superius probata de relatione diuina essentiam excludente ab intrinseco & essentiali suo conceptu, an scilicet relatio diuina, spectata formaliter secundum totum id, quod in se ipsa intrinsece includit relatio diuina, secundum quod & virtute in re, & actu per rationem, tam explicitè, quam implicitè distinguitur à natura diuina, importat perfectionem.

Maior.

120. *Secunda conclusio simpliciter affirmatiua.*

Secunda conclusio, Relatio diuina, sumpta etiam in prædicto sensu explicito & formali, secundum propriam & formalem rationem respectiuam, quam nostro modo intelligendi concipimus superaddi essentiæ diuinæ, importat perfectionem.

Authores pro vtraque parte.

Hæc conclusio est Alensis p. p. quæst. 69. membro 2. fine. vbi tam innascibilitas Dei Patris, quam paternitas dicitur esse *summa perfectio in ipso.* Alberti p. p. summæ quæst. 42. membro 2. Particula prima ad 2. dicentis, *Persona est ens ratum, & perfectum ; & hoc numeratur in diuinis.* Non numeratur autem ratione naturæ, sed solum ratione personalitatis. ergo de personalitate formaliter dixit Albertus, *est ens perfectum.* Bonauenturæ 1. d. 23. art. 1. quæst. 1. fine Corporis illis verbis, *In Deo est reperire suppositum distinctum proprietate nobilissima.* Ochami 1. d. 19. q. 1. litera O. *Paternitas*, inquit, *ex se est quædam magnitudo relatiua ; sicut ex se est quædam entitas realis, & ex se est perfecta, imò ex se est perfectior omni creatura, & ex se est res cui repugnat omnis imperfectio.* Et litera V. concedit, *quod magnitudo relatiua*, quam esse ait aliquam realitatem positiuam, *sit in vna persona, quæ non sit in alia :* nec hinc vult lædi æqualitatem diuinarum personarum, *quia vna magnitudo relatiua vnius personæ est ita perfecta, sicut alia ; nec distinctio magnitudinum repugnat æqualitati.* Aureoli quæst. 2. art. 3. vbi etsi velit, relationes personales non esse perfectiones simpliciter, tamen in Propositione 2. probat, quòd

Alensis.

Alberti.

Bonauenturæ.

Ochami.

Aureoli.

relationes personales sunt formaliter infinitæ; & ad 2. concedit *personalitatem perfectam Patris*, quæ, inquit, *est æquè perfecta personalitas sicut Spiritus sancti, & è conuerso.* Heruæi quodl. 2. quæst. 4. & tractato de Relationibus quæst. 3. ad 10. Bacconi 1. d. 23. quæst. 1. art. 1. ita testantis initio Corporis, *Dicitur communiter, quòd relatio formaliter accepta, non dicit perfectionem aliquam.* Ariminensis quæst. 1. art. 1. §. *Hîc dicitur.* Gabrielis 1. d. 7. quæst. 3. art. 3. & d. 19. q. 1. art. 1. notabili 1. & 4. & art. 2. conclusione 1. & 3. & art. 3. ad dub. 5. Iodoci Clichtouæi in Damascenum libro 1. Fidei cap. 11. aliquanto post principium sui commentarij, vbi non semel inter ipsas diuinas personas differentiam ponit *secundum personalem perfectionem.* Bagnes hic dub. 1. conclusione 3. & in solutionibus argumentorum: à quo refertur etiam pro nobis Cano, Zumel supra quæst. 5. art. 1. quæst. vnica ad 2. & in hoc art. 2. disp. 5. Flandriæ 5. Metaph. q. 16. art. 19. ad 1. Valentiæ hic puncto 1. ad 3. & iterum quæst. sua 4. puncto 1. §. *Sed erit.* ad 1. & quæst. 16. puncto 1. circa principium. Et in controuersiis de Trinitate libro 2. cap. 12. ad 3. Suarez libro 3. de Trinitate cap. 9. & 10. & obiter Tomo 1. in 3. p. disp. 11. sect. 4. §. *Sed vrgebis.* Vasquez disp. 122. cap. 2. Arrubal disp. 105. Fonsecæ 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 7. Zunigæ de Trinitate disp. 5. dub. 12. membro 1. 2. & 3. Albertini tomo 2. fol. 424. quæst. 5. Ruiz de Trinitate disp. 29. & 30. Florauantij lib. 2. de Trinitate pagina 25. & notatione 18.

Heruæi. Bacconi. Ariminensis. Gabrielis. Clichtouæi. Bagnes. Cano. Zumel. Flandriæ. Valentiæ. Suarez. Vasquez. Arrubal. Fonsecæ. Zunigæ. Albertini. Ruiz. Florauantij.

121. *Contra Paludanum.* Contra Paludanum 3. d. 1. quæst. 2. circa finem in § *Ad solutionem tertij.* exaggeratè addentem, *quòd etsi relatio*, nimirum in rebus creatis, *dicat perfectionem, non tamen in diuinis prout distinguitur ab essentia: quia*, inquit, *nec vt sic habet entitatem realem, sed solum rationis.* Quod fundamentum vnde contrarium huius conclusionis necessario sequitur, quia vbi nulla est realis entitas, ibi fingi non potest realis aliqua perfectio, tribuitur etiam Capreolo, Ferrariensi, Caietano, Sylvestro, Soncinati, & aliis Thomistis, de quibus supra art. 1. à num. 14. & quidem expressè contrariantur Capreolus 1. d. 7. quæst. 1. art. 2. ad 3. contra primam conclusionem. Caietanus hic ad 3. Ferrariensis libro 2. contra gentes cap. 9. §. *Attendendum.* Item contra alios, qui diuinis relationibus, vt formaliter tales sunt, realem entitatem non negant; vt Scotum quæst. 5. quodlibetali art. 1. & 2. & præcipue circa finem totius quæstionis, vbi ita concludit. *Dico ergo breuiter, quòd paternitas nec formaliter est finita, nec formaliter infinita*; quia, inquit paulò post, finitum & infinitum conueniunt enti, non immediatè & præcisè quatenus ens i, sed quatenus quanto, *infinitum enim in quanto est*, vt docet Philosophus 1. physi. t. 15. Saltem conuenit enti quanto, inquit Scotus, *in se habenti quantitatem aliquam perfectionalem: talis autem quantitas, non conuenit entitati paternitatis, vt paternitas est.* Quamquam minus cohærenter, vt contra ipsum notat Ariminensis supra, scribit in 1. d. 1. quæst. 2. ad 1. principale, quod relatio diuina habeat aliquam propriam bonitatem, quæ conuertitur cum ente, sed non bonitatem fruibilem: quoniam, inquit Scotus, *ratio boni fruibilis, non est ratio boni in communi, sed boni perfecti, qualis non est relatio.* Verum vbi est ratio boni, non potest deesse ratio perfecti, vt ostensum est tomo 1. quæst. 5. art. 1. dub. 2. Durandum 1. d. 13. quæst. 2. num. 26. dicentem, *Nulla relatio secundum propriam rationem relationis est finita, vel infinita, vt alias efficaciter probatum est.* nempe 3. d. 1. quæst. 3. num. 13. vbi id probat ratione Scoti supra; & præterea probat quòd *relatio nullo modo potest habere rationem quanti, neque secundum molem, neque secundum perfectionem, quia*, inquit, *tunc cui deesset aliqua relatio, deesset aliqua perfectio, quod falsum est; quia nullum suppositum diuinum esset simpliciter perfectum.* eamdemque doctrinam tradit 1. d. 19. quæst. 9 num. 9. Riccardum 1. d. 19. art. 1. q. 3. vbi vt æqualitatem diuinarum personarum probet, nullam in illis quantitatem virtutis ac perfectionis agnoscit, nisi vnicam essentiæ. Et ideo infra d. 24. art. 1. quæst. 3. ad 1. expresse ait, *In Deo non est nisi perfectio essentialis: & ideo non ponimus in Deo bonitatem personalem.* Argentinam 1. d. 4. quæst. 1. art. 1. ad 11. Bassolum 1. d. 19. quæst. 1. art. 3. ad 4. Dionysium Cistercien sem 1. d. 29. quæst. vnica art. 3. in fine responsionis ad secundum principale. Marsilium 1. quæst. 23. art. 3. Corollario 2. 5. 6. 7. 8. nec est sibi contrarius in Corollario 4. asserens, quòd generari, spirari, & similia importent perfectionem infinitam, quoniam id solum probat ex eo quòd importent essentiam, in qua sola vult esse rationem perfectionis. Hispalensem 1. d. 7. quæst. 1. art. 3. notab. 4. & art. 4. ad 3. Aureoli. Torres hic disp. 3. in 2. p. disputationis in quarto argumento vbi non rectè refertur à nonnullis pro nostra opinione: quamuis enim ibi concludat, *ergo diuina relatio continet infinitam perfectionem*; tamen id probat ex eo quòd in sententia sua relata & impugnata in præcedente dubitatione, *Relatio diuina intrinsecus est Deus infinitè perfectionis.* Quod paulò post magis explicans, ponit perfectionem in diuina relatione quatenus essentia, negat quatenus relatione, dicens, *Eadem omnino perfectio, quæ est in paternitate, est in filiatione, sicut eadem essentia: & eadem omnino perfectio, quæ est generare & generari, spirare & spirari, essentia scilicet ipsa. Nam perfectio relationum diuinarum, & relatiuorum, dunt axat est essentia.* Et postea addit, *Perfectio diuina absolutum est.* Non putauit igitur dari perfectionem aliquam relatiuam in proprio & explicito conceptu relationis diuinæ. Item contra Radam controuersia 27. in §. De opinione Scoti conclusione 1. 2. & 3. Nazarium hic controuersia 2. Et ex nostris contra Molinam hic disp. vltima conclusione 4. ratione 4. & ad 2. & latius infra quæst. 42. art. 6. disp. 2. Bellarminum tomo 1. libro 2. de Christo, cap. 12. fine. & cap. 15. §. *Ad illud pro altera.* Becanum de Trinitate cap. 2. quæst. 6. conclusione 2.

Capreolum. Caietanum. Ferrariensé. Sotum. Durandum. Riccardum. Argentinã. Bassolum. Cisterciensem. Marsilium. Hispalésem. Torres. Radam. Nazarium. Molinam. Bellarminũ. Becanum.

122. *Conclusio est S. Th. quæst. præcedente art. 2. ad 3.* Pro qua verò parte stet S. Thomas, non satis liquet: vt propterea diuisos esse Thomistas, pro vtraque parte citatos, mirum non sit. Sed certè multò clarius fauere nobis videtur. Nam in præcedente quæst. art. 2. ad 3. ita habet, *In ipsa perfectione diuini esse continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad eius perfectionem pertinent.* Quibus verbis supponere planè vitur, Verbum procedens, & principium Verbi, quæ in diuinis supra essentiam non addunt aliquid nisi relationem, pertinere ad perfectionem essentiæ diuinæ. Idem supponit, si rectè intelligatur, in hoc art. ad 3. docens, *Quòd si in perfectione diuina nihil plus contineretur, quam quod significat nomen relatiuum, sequeretur quòd esse eius, esset imperfectum.* Quo loquendi modo aperte significatur, in perfectione diuina contineri quod significat nomen relatiuum, & præterea infinitam perfectionem absolutam essentiæ. Quare cum dicit, futurum imperfectum ens diuinum, si esset purè relatiuum, non vult à relatiuo excludere omnem prorsus perfectionem, sed solum perfectionem entis absoluti. Illud igitur *esset imperfectum*, hoc est, præter relatiuam perfectionem entis relatiui careret perfectione entis absoluti. Qui sensus valdè confirmatur exemplo, quod ad declarandum subiicit; *sicut*, inquit, *si non contineretur ibi plus, quam quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens*; & consequenter, esset aliquid imperfectum: & tamen certum est à ratione sapientiæ non excludi omnino

Et hoc art. ad 3.

omnino conceptum perfectionis. Vnde tam de nomine relatiuo, quam de quocumque alio nomine, quod de Deo dicitur, deinde ait, *Non significat aliquid perfectum*, nimirum vndequaque, & in omni genere: ex hac enim nominum imperfectione, inquit, *non sequitur, quòd diuina essentia habeat esse imperfectum: quia diuina essentia comprehendit in se omnium generum perfectiones.* Quo discursu significat, importari quidem nomine, v.g. relatiuo paternitatis, & absoluto sapientiæ, perfectionem, tamen non omnimodam & in omni genere, sed aliquam determinatam in vno solo genere: hinc autem non sequi, essentiam diuinam secundum se ipsam, quæ à nostris imperfectis conceptionibus, & nominibus nullo modo pendet, non comprehendere in se *omnium generum perfectiones*, hoc est, quibuslibet nominibus, quæ de Deo formaliter dicuntur, significatas, & significabiles.

Et de pot. q. 8. art. 1. ad 8.

123. *Et quæst. sequenti art. 3.* Apertius quæstione sequenti art. 3. loquens formaliter de diuina persona secundum totum quod intrinsecè includit, quod non est sola essentia, sed maximè præterea est ipsa personalitas, ait initio Corporis, *Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Vnde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quòd eius essentia continet in se omnem perfectionem, conueniens est vt hoc nomen, Persona, de Deo dicatur.* Si persona vt persona, est quid perfectissimum, ergo personalitas, qua persona constituitur in esse formali personæ, non potest esse, vt interpretatur ibi Caietanus, *aliquid abstrahens à perfectione & imperfectione*; per hoc enim abstrahens à perfectione constitui non posset aliquid perfectissimum. Ipse etiam S. Thomæ discursus euidenter ostendit, eamdem interpretationem non esse ad mentem Authoris; quia personalitatem esse formaliter in Deo probat ex eo quòd, *Omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum.* Deo autem non attribuitur formaliter, quod in suo conceptu formali nullam intrinsece perfectionem includit. Præterea opusculo primo contra errores Græcorum cap. 1. fine illud Basilij, *Dignitate quidem, & ordine secundus est à Filio Spiritus* (quæ verba habet Basilius libro 3. contra Eunomium paulò post principium, vbi sic abundantius ait, *Quemadmodum Filius, ordine quidem, à Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo, atque causa essendi, Pater ipsi est; natura verò nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas: ita videlicet & Spiritus sanctus, & si dignitate, & ordine secundus à Filio est, non tamen verisimiliter alienæ ipsum esse naturæ inde consequetur.* Et nonnullis interiectis, *Profectò Spiritus sanctus dignitate quidem ordinis tertius est; accepimus enim ipsum tertium à Patre & Filio numeratum*) ita interpretatur S. Thomas, *Potest hoc exponi non de dignitate naturali, sed de personali: sicut & secundum nos dicitur, quòd persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinente, secundum quem modum dicit Hilarius* (nempe l. 9. de Trinitate multò post medium, & l. 11. multò ante medium) *quòd Pater est maior Filio, propter authoritatem originis. Filius tamen non est minor Patre, propter substantiæ vnitatem.* Si in ipsa paternitate, & personalitate Patris formaliter, est dignitas, & authoritas, vt docent Sancti, Thomas, Basilius, Hilarius; ergo est magna quædam perfectio. Præterea cap. 7. circa finem ita docet de Patre, Filio, & Spiritu sancto, *Commune est cuilibet eorum, quòd nullus sine alijs duobus potest esse Deus perfectus.* Id fine quo Deus non est perfectus, diuina aliqua perfectio sit necesse est. Sed sine reliquis duabus personalitatibus vna sola diuina persona non esset Deus perfectus, ex S. Thoma & multis aliis Sanctis, quos mox referam. ergo Dei personalitates, quæ nihil aliud sunt nisi relationes, in se formaliter spectatæ, sunt perfectissimæ. Idem procul dubio docuit S. Thomas de potentia quæst. 8. art. 1. nam cum in 8. argumento ita sibi obiecisset, *Perfectum est, cui nihil deest. Sed substantia diuina est perfectissima. ergo nihil, quod ad perfectionem pertinet, ei deest. Superfluum est ergo ponere relationes in Deo.* Negat vltimam consequentiam, quia, inquit, *substantia Dei esset imperfecta, si aliquid ei inesset, quod non esset ipsa. Relatio autem in Deo est substantia eius.* Quorum verborum sensus, vt obiectioni satisfiat, esse debet hic, sine relationibus substantia diuina esset imperfecta, non quòd comparentur ad ipsam, tamquam perfectiones ab ipsa distinctæ, sic enim illa substantia esset simpliciter imperfecta in intrinseca sua entitate, etiam cum relationibus, à quibus perficeretur; sed solum ex eo quòd sunt perfectiones, quæ re ipsa sunt diuina substantia, cum illa omnino identificatæ.

Caietanus. *Et Opusc. 1. c. 1. & 7. ex Basilio, & Hilario.*

124. *S. Thomam nõ esse contrariũ infra q. 42. art. 4. ad 2.* In contrarium verò maximè affertur, quòd infra quæst. 42. art. 4. ad 2. scripserit, *Magnitudo in diuinis ad essentiam pertinet.* Sed initio Corporis dictum erat, *Magnitudo Dei non est aliud, quam perfectio ipsius.* Ergo secundum S. Thomam nulla in diuinis est perfectio nisi pertinens ad essentiam. Et paulò post, loquens de dignitate Dei Patris, ait, *Dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio.* Atque ex hoc defendit, *quòd quicquid dignitatis habet Pater, habet Filius.* Eadem autem est ratio de perfectione, quæ de dignitate. Similiter de Potentia q. 2. art. 4. ad 14. *Sicut*, inquit, *paternitas in Patre, & filiatio in Filio sunt vna essentia; ita & sunt vna dignitas, & vna bonitas.* Sicut etiam infra quæst. 30. art. 2. ad 4. dicitur, *Vna & eadem bonitas Patris est, & Spiritus sancti.* Verum his in locis S. Thomas apertè loquitur de magnitudine, dignitate, ac bonitate essentiali & absoluta: & sicut hæc, si nihil aliud addatur, limitans ad esse relatiuum, & personale, vt si dicas, v.g. tres dignitates relatiuas, sed simpliciter & sine vllo addito proferantur, non debent numerari, & dici plura, quia supponunt pro natura, quæ in diuinis est quid simpliciter perfectissimum, & simpliciter infinitum in genere entis identificans sibi omnia, tam absoluta, quam respectiua, & cum nullo habens oppositionem; ita pariter de aliis transcendentibus nominibus, cuiusmodi sunt, Perfectio, Res, Entitas, Vnitas, Veritas, & similia. Igitur, quod ad modum loquendi spectat, non nisi vna perfectio est in diuinis; triplex autem est perfectio relatiua, seu personalis. Quam expositionem colligo ex ipsomet S. Thoma: nam citata quæst. 42. non dicit initio Corporis, *Magnitudo Dei non est aliud, quam perfectio ipsius*; sed addit, *non est aliud quam perfectio naturæ ipsius:* indicans, quod Opusculo 1. supra expressè docuerat, præter hanc magnitudinem ac dignitatem naturalem, dari aliam personalem. Idem indicat ad secundum illis verbis, *Paternitas est dignitas Patris, sicut & essentia Patris.* Et in fine confundit essentiam & dignitatem, dicens, *Eadem est essentia & dignitas Patris & Filij:* & subiungit, *sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis.* Dare autem importat euidenter aliquam dignitatem ac perfectionem.

Nec de pot. q. 2. art. 4. ad 14.

Nec infra q. 30. art. 2. ad 4.

Probationes partis affirmatiuæ.

125. Omnes probationes ad hunc discursum reuocantur. Relationes diuinæ ex proprio conceptu, secundum quem non includunt intrinsecè essentiam, & ab essentia ratione ratiocinata perfectè distinguuntur,

guuntur, ex superius probatis, possunt omnino tribus modis considerari. Primo in se ipsis præcisè, neque considerando essentiam, in qua sunt; neque personas, quas constituunt. Secundo respectu personarum, quæ ex essentia & relationibus veluti conflatæ esse intelliguntur. Tertio respectu essentiæ, supra quam aliquid addere concipiuntur. Sed omnibus istis tribus modis sunt reales, ac veræ perfectiones. ergo relationes diuinæ, vt tales formaliter ex proprio conceptu important aliquam perfectionem. Solum probanda est Minor tripliciter, & distinctè per tres partes, quibus constat.

126. *Probatur primò de relationibus secundùm se.*

Probo igitur primò. Diuinæ relationes ex propria ratione, etiamsi in se præcisè spectentur, non solum sunt reales, ex art. 1. sed etiam formaliter diuinæ & increatæ, vt supra num. 117. Habere autem esse non solum simpliciter reale, sed etiam diuinum, & increatum, est maxima perfectio, præsertim in paternitate & actiua spiratione, in quarum relationum esse diuino includitur non esse ab alio, neque tamquam à causa, neque tamquam à principio. Tres etiam relationes personales, habent suas proprias ac relatiuas existentias & subsistentias, inter se realiter distinctas, vt infra probabimus. Personales autem subsistentias *dicere formaliter perfectionem*, expresse Caietanus. fatetur ipsemet Caietanus 3. p. quæst. 3. art. 1. §. *Ad horum.* loquens de personalibus subsistentiis Patris & Filij, quas docet, *necesse finitas, nec abstrahentes à finito & infinito, sed formaliter infinitas.* Tametsi non videatur rectè addere, easdem, in quantum relationes sunt, abstrahere à finito & infinito, ab imperfectione & perfectione: nam diuina relatio personalis, in quantum est singularis ac determinata relatio, in suo intrinseco conceptu imbibit esse diuinum, & substantiale, seu subsistens; sicut in rebus creatis quælibet singularis ac determinata relatio, etiam formaliter considerata in quantum relatio, intrinsecè imbibit esse creatum, & accidentale, siue inhærens. Et vniuersaliter, loquendo etiam de spiratione actiua, quæ non est personalis, hoc est, alicuius diuinæ personæ constitutiua, videtur inconueniens, Relationem in quantum est formaliter relatio, esse formaliter in Deo, ita vt diuina natura illam essentialiter exigat, & essentialiter sibi identificet, & tamen in se ipsa formaliter ab omni perfectione præscindere. Quis enim crediderit, essentiam perfectissimæ naturæ, essentialiter petere vt sit omnino idem cum illis, quæ nullam in sua formali ratione perfectionem includunt? Præterea omnis diuina relatio, etiam non personalis, ex propria sua ratione in se ipsa habet esse ad diuinum aliquem terminum infinitè perfectum. Relatio autem, quoniam specificatur à termino, vt supra art. 1. num. 30. esse debet in se summè perfecta in ratione relationis, si sit ad terminum summè perfectum in ratione termini. Denique nulli relationi diuinæ, etiam spirationi actiuæ, deest aliquid ex iis, quæ in reali entitate relatiua diuina postulantur. ergo quælibet intrinsecè in se est aliqua perfectio: etenim ex Philosopho 5. Metaph. t. 21. Perfectum nihil est aliud, quam id cui nihil deest ex his quæ possunt illi conuenire; seu, quod est integrum in sua entitate & natura, ita vt habeat omnia, quæ ad intrinsecam sui constitutionem sunt necessaria.

Quid sit esse perfectum ex Aristotele.

127. *Probatur secundò de relationibus respectu personarum.*

Probo secundò diuinas relationes personales, etiam si spectentur respectu personarum, adhuc esse dicendas earum perfectiones: quia sunt rationes formales, quibus intrinsecè & formaliter constituuntur personæ in suo esse actuali, & formali, atque explicito personæ. Sed persona diuina est perfectissima non solum in ratione formali naturæ, sed etiam præcisè in ratione formali personæ, docente S. Thoma quæst. sequenti art. 3. *Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura.* Ergo ipsa personalitas, quæ est quædam relatio, debet esse formalis aliqua perfectio; &, vt benè addit, ac probat Caietanus supra, *formaliter infinita, quoniam personalitas diuina non est constitutiua personæ, nisi infinitæ.* Præterea eædem relationes personales, sunt rationes, quibus formaliter aptæ sunt personæ diuinæ terminare substantialiter, &, vt loquitur Caietanus supra, *substantificare* quamlibet naturam creatam, supplendo eius creatam personalitatem, & dando illi formaliter per se subsistere vltimato & incommunicabiliter, ita vt natura creata, vi diuinæ personæ terminantis ipsam, neque indigeat subiecto, cui inhæreat, neque indigeat alio à quo sustentetur in suo esse substantiali. Hoc vero munus diuina persona exercet, non per essentiam, vt essentia est, aut per aliam absolutam perfectionem; sed per propriam personalitatem incommunicabilem, ratione ratiocinata omnino diuersam ab essentia & aliis absolutis perfectionibus; cum omnia absoluta in diuinis sint communia, & de facto constet, Humanitatem Christi Domini assumptam esse à Verbo, non à Patre, aut Spiritu sancto. Sicut igitur hoc munus terminandi est perfectissimum, cum ex illo in naturas creatas perfectio omnium maxima deriuetur, &, vt quamplurimis placet, sit munus, diuinarum personarum propriissimum, ita vt nulla ratione, personæ creatæ, ob essentialem eius imperfectionem, conuenire possit; ita etiam non debet perfectione sua carere relatio, vnde formaliter oritur: imo perfectione infinita, quoniam, vt rectè arguit idem Caietanus supra, *Per illud idem, quo Verbum subsistit in duabus naturis, diuina scilicet, & humana, potest subsistere, quantum est ex parte sua, in infinitis naturis. Sed Verbum per suam personalitatem, quatenus est constitutiua personæ (quod est dicere, quatenus est constitutiua subsistentis in diuina natura) habet quòd possit in duabus naturis subsistere. ergo per suam personalitatem, vt subsistentem in diuina natura, potest subsistere in infinitis naturis.* Quod, inquit, est subsistentiæ infinitæ, in qua infinitam perfectionem esse oportet.

S. Thomas.

Caietanus.

128. *Probatur tertiò de relationibus respectu essentiæ.*

Probo tertiò quòd eædem relationes, si secundum propriam rationem, quam addunt essentiæ, spectentur respectu eiusdem essentiæ, dici quoque debeant perfectiones essentiæ; quod sine dubio docuit S. Thomas verbis allatis, & declaratis supra num. 122. initio. & 123. post medium. Tum quia essentia seu natura diuina per suam personalitatem formaliter habet, vt per se subsistat incommunicabiliter, & habeat rationem personæ perfectissimæ, ac proinde vt sit terminata substantialiter, & omnino completa in genere substantiæ: vnde habetur in diuinis perfecta fœcunditas, nam sine personalitatibus nulla intra Deum esse posset productio, nulla processio; cum producere, & produci, non sit nisi distinctorum realiter suppositorum. Tum quia magna quædam diuinæ naturæ perfectio est, ad essentialem eius infinitatem pertinens, posse subsistere eamdem numero in tribus personis, quod illi propriissimum est, & nulli præterea naturæ, quantumuis perfectæ, conuenire potest, sicut etiam omnes in aliquo bono sensu, de quo supra num. 108. asserimus, ad essentialem diuinæ naturæ perfectionem spectare, esse communem, seu communicabilem tribus personis. Hæc autem naturæ perfectionem non importarent, si personales, ac relatiuæ subsistentiæ, nullam in se ipsis perfectionem includerent, qua ipsa Deitas formaliter perficeretur per summam identitatem. Neque enim perfectissima natura essentialiter exigeret terminari tribus personalitatibus, eisque omnino

omnino in re identificari, neque ipsæ personalitates essentialiter essent illi debitæ, nisi hæ essent aliquæ perfectiones, quibus illa aliquo pacto perficeretur.

129. *Deum futurum imperfectum sine relationibus docent multi Patres.*

Hanc essentiæ diuinæ perfectionem, à personalibus relationibus prouenientium, expresse significarunt Patres docentes, Deum absque relationibus futurum imperfectum. Quo dicto, duo euidenter importantur; & ipsas relationes esse aliquas perfectiones, quarum nimirum absentia redderetur Deus imperfectus; & ipsum Deum perfectionem aliquam habere à relationibus; cuius enim formæ absentia res aliqua redditur imperfecta, eiusdem præsentia perfecta reddatur necesse est. Primo igitur sunt multi Patres relati supra quæst. 27. art. 1. à n. 57. qui contra Arrium probantes æternitatem diuini Verbi, arguunt ex hoc absurdo, quia sequeretur; Deum æterno tempore fuisse *sine ratione, sine virtute,*

Athanasius. *sine sapientia*; &, vt addit Athanasius, *Lucem splendore caruisse, & fontem veluti sterilem exaruisse*: quæ sunt manifestæ imperfectiones ex carentia relationum paternitatis & filiationis. Deinde his addi possunt, qui imperfectionem Dei Patris expresse

Hilarius. obiiciunt. Hilarius libro 12. de Trinitate non longè à fine, alloquens Deum Patrem, ait, *Nec sine tuo*, hoc est, Filio, *fuisse confitendus aliquando es, ne aut imperfectus sine generatione, aut superfluus post generationem*

Epiphanius. *arguaris.* Epiphanius hæresi 69. multò post medium hoc absurdum ex Arianorum sententia deducit, quia esset, inquit, *ipse Pater profectum faciens in Deitate, qui perfectus est, & numquam perfectione indiget.*

Ambrosius. Item Ambrosius libro 4. de Fide, cap. 4. aliquantò ante finem, *si aliquando, vt volunt, non fuit, (quod nefas dictu est) non fuit ergo in Deo perfectionis aliquando plenitudo diuinæ, si postea processum generationis accepit.*

Cyrillus. Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 6. fine. *Perfectus Pater semper, semper generat. Quare stultum est interrogare,*

Phœbadius. *quando genuit.* Phœbadius libro 1. contra Arianos multò post medium, *si solus ipse*, hoc est, Deus Pater, *sine initio dicitur, vsque ad Filij generationem, imperfectus fuisse dicendus est. Imperfectus enim si cœpit habere, quod ante non habere voluit. Is autem omnia habere debuit semper, qui semper debuit esse perfectus.* Multi denique, quod ad rem nostram clarius facit, in ipsa Deitatis substantia absque relationibus imperfectionem ponunt. Athanasius oratione secunda circa

Athanasius. medium. *Proles*, inquit, *si non æternaliter coëxistat cum Patre, detrimentum adfert plenitudini illius substantiæ.*

Hilarius. Hilarius libro 12. de Trinitate circa medium. *Quantum Filio temporis, ne semper Filius fuerit, abnegabitur; tantum Patri deest, ne Pater semper sit: vt licet semper Deus, non tamen & Pater in ea fuerit infinitate qua Deus est.* Si Deus Pater carens Filio, non haberet eam infinitatem, quam nunc de facto habet Deus; ergo ipsa Deitatis substantia absque relatione paternitatis ad Filium, haberet perfectionem

Nazianzen. minorem, quam de facto habet. Nazianzenus oratione 5. de Theologia aliquanto post principium, *Perfecta*, inquit, *Deitas quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideratur? Desideratur enim si sanctitate careat. Hanc porrò quomodo habere queat, nisi Spiritum habeat?* Spiritus vero sanctus supra sanctitatem essentialem nihil Deitati addit, nisi spirationis relationem; sicut Verbum supra sapientiam essentialem non addit nisi relationem generationis. Deitas igitur absque his relationibus esset imperfecta. Et paulo post, *Quasi verò præstiterit Deo, aliquando imperfectum extitisse, ac Spiritus expertem.* Cyrillus lib. 2.

Basilius. Thesauri cap. 1. aliquantò post principium, *Non potest esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat.* Leo Papa

Leo Papa. sermone 5. de Natiuitate Domini cap. 3. post medium ita Arianos impugnat, *si ideo Patri impar est Genitus, quia, vt tibi videtur, generando, eum, qui non erat, genuit; imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ adhibendo quod non habuit, generando perfecit.*

130. *Trinitas, vt Trinitas, in diuina importat perfectionem.*

Omnes istæ probationes ductæ ex rationibus à priori, confirmari à posteriori possunt primo quia contraria sententia tenetur asserere, Augustinum Trinitatis mysterium, vt Trinitatis formaliter, qua ratione numeratur solum relatio, non essentia, nullam dicere in Deo perfectionem. Quæ assertio longè abesse videtur à pio sensu omnium fidelium, &

Iustinus. minime congruit Sanctorum dictis. *Maluimus*, inquit Iustinus in expositione Fidei de Trinitate. circa medium, *vnius Deitatis in tribus perfectis subsistentijs notitiam exponere.* Tres numerat perfectiones, quæ non possunt intelligi ratione naturæ, quæ vna & prorsus eadem perfectio est in tribus personis. ergo intelligi debent ratione personalitatū præcisè, quæ solæ realiter numerantur in diuinis. Nazianzenus

Nazianzen. oratione 2. de Pace, paulò ante medium ait, *Quantò Deus creatis est præstantior, tantò magnificentius est illi principi causa, quòd potius sit Deitatis principium, quam creatorum.* Esse Deitatis principium, vt inferius exponam, est aliquid personale, seu notionale proprium Patris, illi conueniens, non quia simpliciter Deus est, sed quia Deus Pater est, seu prima persona sanctissimæ Trinitatis producta: ergo si hoc est magnificentius, quam esse principium creaturarum, quod est proprium Deitatis, & æquè communi toti Trinitati, esse Deum Patrem, vt Patrem formaliter, erit quid perfectissimum. Vnde paulò post, *Deo quid nam aliud maius est, quam Filij Patrem esse, ac similiter productorem Spiritus? Quod quidem*, inquit, *accessio quædam est gloriæ, non imminutio.* Gloriæ accessio apertè significat perfectionem Patris & spiratoris additam perfectioni naturæ diuinæ. Et paucis interiectis clarissime dicitur, *Trinitas perfecta ex tribus perfectis.* Et, *Deitas Trinitate terminata propter perfectionem.* Basilius homilia 28. contra Sabellia-

Basilius. nos, paulò post medium. *Quandocumque sanctam Triada coniungimus, trium perfectorum inseparabilem coniunctionem intellige.* Epiphanius hæresi 69. multò

Epiphanius. ante medium, *Tria perfecta, vna Deitas.* Et iterum circa medium confitetur, *Trinitatem esse vnam Deitatem, sed tria perfecta.* Et multò ante finem, *Duo perfecta, Pater & Filius: vnum autem propter Deitatem.* Et prope finem, *Cum tres sint perfecta substantiæ*, hoc est, subsistentiæ & hypostases, *vna vero Deitas Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hieronymus epistola

Hieronym. 57. ad Damasum aliquantò ante finem, *Sufficiet nobis dicere, Vnam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas.* Acutè & Scholasticis terminis Cyril-

Cyrillus. lus libro 1. Thesauri cap. 6. paulo ante medium loquens de Deo Patre, *Perfectus*, inquit, *est, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare qui Deum, negat Patrem esse, is fœcunditatem aufert à diuina natura, vt iam perfecta non sit, cum generandi virtute careat, notio ergo perfectionis, fœcunditas est; & sigillum, quod Patris ostendit perfectionem.* Damascenus libro 1. Fi-

Damascenus. dei cap. 11. paulo ante medium, *Vnum agnoscimus Deum; in solis proprietatibus secundum causam & causule, & personalem perfectionem differentiam intelligimus.* Si differentia inter diuinas personas, consistit in personali perfectione, hæc differens, & multiplex perfectio non potest intelligi in natura, quæ in differentibus personis nullam differentiam & multiplicitatem habet, sed in relationibus, quæ solæ formaliter secundum esse ad aliud in diuinis opponuntur, & propterea differunt, ac multiplicantur. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in

Sephronius. sua Fidei professione, in epistola quæ habetur in sexta Synodo, Actione 11. multò post principium epistolæ.

epistolæ. *Numeretur*, inquit, *beata Trinitas, non essentijs, nec naturis, nec diuersis Deitatibus; sed subsistentijs, & proprietatibus intellectualibus perfectis.* Item Patres Concilium Nyssenum. Nicæni Concilij libro 2. non longè à medio §. *In libro*, ita docent. *Vna est Diuinitas sancta Trinitatis, quæ in tribus subsistentijs perfectis, & æqualibus consideratur.* Communis igitur sensus Patrum est, sicut numerant, & multiplicant in Deo personas, ita numerare & multiplicare perfectiones. ergo credebant, in ipsismet formalibus rationibus multiplicantibus, quæ in diuinis non sunt nisi relationes, esse suas proprias, ac peculiares perfectiones relatiuas. Alioqui si nulla ibi perfectio esset nisi absoluta, possent quidem dici, Tres personæ; Tria vero perfecta dici nulla ratione possent; sicut nec tria absoluta, tres naturæ, tres Dij, tres sapientiæ, omnipotentiæ, &c. aut tres sapientes, tres omnipotentes, &c.

131. *Trinitas, vt Trinitas honoratur.* Secunda confirmatio ex hac prima prouenit, eamque magis corroborat, quoniam causa propter quam Deus honoratur, & adoratur, non solum est vnitas naturæ, sed etiam Trinitas personarum. S. Thomas. *Causa autem honoris*, inquit S. Thomas 3. p. quæst. 25. art. 1. ante medium Corporis, *est id, ex quo ille qui honoratur, habet aliquam excellentiam. Nam honor, est reuerentia alicui exhibita propter sui excellentiam.* Vbi vero est excellentia, præsertim in diuinis, ibi insignis aliqua perfectio reperiatur necesse est. Quòd autem honoretur Sanctissima Trinitas, formaliter propter Trinitatem, & non solum propter vnitatem, videtur satis distinctè & grauiter exprimere Athanasius. Athanasius in suo Symbolo illis verbis, *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Si cum dicitur, *Vnum Deum in Trinitate veneremur*, veneratio refertur immediatè & directè ad Deum, non ad Trinitatem; ita cum è conuerso additur, *Trinitatem in vnitate veneremur*, debet intelligi veneratio proximè & directè terminata ad Trinitatem, non ad vnitatem. Sicut etiam cum inferius in eodem Symbolo dicitur, *Ita vt per omnia & vnitas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate veneranda sit.* Item Nazianzenus loquens de Deo Patre, quem vocat, *Deitatis principium*, ait oratione 2. de Pace, paulò post medium. Nazianzen. *Ego verò & principium honore adsitio, & pariter de Principio producta.* quæ sunt, inquit, *non minus ob relationem, quam inter se habent, laudanda, quàm vnumquodque per se acceptum, & intellectum.* Epiphanius in Ancorato pagina sexta initio loquens in rigore formali, ait, *Honoratur Pater, secundum quòd Pater est. Honoratur Filius, prout Filius est. Honoratur Spiritus sanctus, prout Spiritus verus est, & Spiritus Dei.* Sophronius supra, aliquantò post principium Professionis, *sicut subsistentias tres exorare didicimus, ita & tres glorificare personas instruimur.* Damascenus libro 1. Fidei cap. 11. non longè à fine, *Tres sunt qui adorantur, vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus.* Tharasius Sanctissimus Patriarcha Constantinopolitanus in Fidei Confessione circa initium, quæ refertur & probatur à Concilio Nicæno secundo, quod fuit septimum generale, inter alia credit, *secundum singularitatem personarum, tria adoranda.* Demum his authoritatibus mota Ecclesia in Præfatione Missæ de Trinitate canit, *Vt in personis proprietas adoretur:* quæ non est nisi relatio.

Epiphanius. Sophronius. Damascenus. Tharesius. *Missa de Trinitate.*

Quotuplex sit perfectio diuina relatiua.

132. *Prima obiectio.* Obicies primò præcipuum, ac difficile aduersariorum fundamentum. Si perfectionis ratio competeret diuinis relationibus, etiam vt formaliter & explicitè sunt relationes, sequeretur, quòd sicut in Deo dantur tres relationes personales, inter se realiter distinctæ, & mentaliter ab essentia; ita dicendum esset, dari tres perfectiones relatiuas personales, realiter distinctas inter se, & ratione ratiocinata distinctas ab essentiali & absoluta perfectione essentiæ. Hoc autē videtur non posse dici, quia ex his tribus perfectionibus diuinis oppositis, & realiter distinctis inter se, sequūtur multa, quæ ab omnibus manifesta & grauia absurda esse censentur in hac materia. Primum, In vna persona esse aliquam perfectionem, quæ non esset in alia persona: sicut in vna persona est aliqua relatio, quæ non est in alia persona, v.g. in Patre non est relatio filiationis ad Patrem, & in Filio non est relatio paternitatis ad Filium, vt ex terminis ipsis pater. Secundum plures esse perfectiones in tota Trinitate, quam in vna persona: quod ex primo apertè sequitur; sicut ex secundo sequitur tertium, Tres personas esse perfectiores vna. Quartum ex reliquis sequens, Quamlibet personam esse imperfectam, in quantum non haberet duas alias reliquarum personarum perfectiones. *Quatuor absurda, quæ sequi videntur ex multiplici perfectione relatiua.*

Respondeo, in hoc argumento duplicem tangi difficultatem. Alteram minorem de consequentia, an posita sententia, quam sequuti sumus de relatione diuina, quòd formaliter & præcisè considerata, importet in se ipsa intrinsece perfectionem, inde necessario sequatur, Tor, & eo modo esse in Deo relatiuas perfectiones, quot, & quo modo sunt in eo relationes. Alteram maiorem de consequente, an huiusmodi relatiuarum perfectionum pluralitas pugnet cum diuinarum personarum æqualitate. *Respondetur.*

133. *In Deo esse multas perfectiones, si relatio est perfectio.* Quoad primam difficultatem de consequentia, illam esse necessariam, tenent communissime & verissime tam aduersarij, authores huius argumenti, citati supra num. 121. negantes relationibus omnem perfectionem, quam alij citati supra num. 120. perfectionem in relationibus admittentes, eamque propterea multiplicantes, vno excepto Vasquez disput. 122. cap. 6. quem fusè impugnat Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 9. à num. 7. Sed fusius tuetur Ruiz tota disput. 30. Verum enim vero vis illius consequentiæ vt benè notat Arrubal disput. 105. num. 23. apparet nimis euidens, primo quia perfectio relatiua, ne ratione quidem distinguitur à relatione; sicut perfectio absoluta naturæ, est omnino ipsamet natura. ergo sicut relationes multiplicantur, ita pariter oportet multiplicari perfectiones relatiuas. & sanè contrarium difficillimè potest capi; sicut quia relatio formaliter & explicitè sumpta, est quædam res, S. Thomas infra quæst. 30. art. 1. in fine Corporis. & ad 2. & quæst. 39. art. 3. ad 3. & alij omnes fatentur plures res in diuinis, eademque ratione fatentur ibi esse plura entia, seu plures entitates, præsertim si addas, relatiuas, vt adnotani supra num. 124. Secundo ista perfectio, quam Vasquez & Ruiz admittunt in Dei relationibus, secundum proprium ac formalem relationis conceptum, non est absoluta, sed per rationem ratiocinatam distincta ab absoluta perfectione diuinæ naturæ: neque præscindit à ratione absoluta & relatiua, quia est realiter & essentialiter inclusa, siue imbibita in ipsa reali entitate purè relatiua: ergo & perfectio essentialiter relatiua: ergo essentialiter opposita: ergo realiter distincta, & multiplicata; quoniam oppositio in diuinis realem distinctionem & multiplicationem causat. Confirmatur applicando totum hunc discursum ad rationem diuinæ personæ, quæ nullam aliam ob causam de facto multiplicatur, nisi quia ratio diuinæ personalitatis in diuinis, non est alia nisi ratio personalitatis formaliter relatiuæ, & *Ex S. Thoma in diuinis esse plures res.* Vasquez. Suarez. Ruiz. Arrubal.

& consequenter oppositæ, & realiter distinctæ. Sicut igitur propter oppositionem relatiuam, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec esse, nec concipi possunt vna quædam persona; ita propter eamdem oppositionem, perfectio relatiua Patris, & perfectio relatiua Filij, & perfectio relatiua Spiritus sancti, nec esse, nec concipi possunt vt vna quædam perfectio formaliter relatiua, hoc est, in ordine ad correlatiuum, cui opponitur oppositione relatiua. Et quidquid ab aduersariis dicetur ad excludendam pluralitatem relatiuarum perfectionum, posset à Sabellianis arripi ad pluralitatem diuinarum personarum excludendam. Vnde arguo tertio, ideo dicuntur tres relationes vna perfectio totalis, quia pertinent ad Dei perfectionem transcendentalem, & integritatem; sed hæc Dei integritas, & transcendētalis perfectio est vna per summam identitatem cum essentia: ergo diuinæ relationes sunt vna totalis perfectio essentiæ diuinæ. Ita planè discurret Sabellianus pro suo errore, diuinæ relationes Patris, Filij, & Spiritus sancti, pertinent ad integritatem Dei, quam constituunt. Sed hæc integritas est vna per summam identitatem cum essentia. ergo ex his relationibus consurgit tantum vna persona Patris, Filij, & Spiritus sancti. Vtriusque vero discursus insufficientia, manifesta quidem est, quia tam relationes ipsas, quam relatiuas perfectiones considerat diminutè, secundum vnam tantum communem rationem essendi *In*, hoc est, per solam comparationem ad essentiam, cum qua omnes sunt vnum & idem omnino; sed eædem possunt ac debent considerari secundum aliam propriam rationem essendi *Ad*, per comparationem ad terminos, quibus opponuntur; sub qua formali ratione realiter multiplicantur, & sicut constituunt plures personas relatiuas, ita pariter plures relatiuas perfectiones. Hinc arguo quarto à priori ad hominem, Vasquez. quia Vasquez supra num. 20. vult, Perfectionem, & Bonitatem realem, esse hìc accipiendam pro integritate rei, seu pro re, cui in suo esse nihil deest. Sed totum hoc si accipiatur vt contractum, seu determinatum ad rem formaliter relatiuam, & considereretur non per ordinem ad essentiam, cui non opponitur, sed per ordinem ad oppositum terminum, multiplicatur realiter in diuinis. ergo si in diuinis relationibus est formalis ratio perfectionis relatiuæ, vt concipitur, hæc vt formaliter talis, non poterit non esse multiplex realiter. Quinto accepta perfectione, seu bonitate, pro conuenientia vnius ad aliud, concedit Vasquez num. 23. in pluribus personis diuinis plures bonitates; quia vnaquæque persona habet suam relatiuam personalitatem sibi conuenientem. Sed addit, has esse bonitates rationis, non reales; quoniam conuenientia eiusdem ad se ipsum, est per rationem tantum. Suarez. At, vt prudenter scripsit Suarez supra, n. 13. *hæc equiuocatio est:* quoniam esto formalis conuenientia, quam personalitas habet ad personam, v. g. paternitas ad Patrem, sit relatio rationis, cum paternitas à Patre in diuinis sola ratione distinguatur; tamen ad intentum nostrum satis est, vt realis sit conuenientia fundamentalis, hoc est, ipsa personalitas quæ conueniens denominatur: hæc enim vt per rationem ratiocinatam distincta à natura personæ, quam constituit, non potest esse aptum in re fundamentum relationis conuenientiæ, nisi ipsa in se intrinsece sit realis quædam bonitas, & perfectio personæ. ergo quot sunt personæ, & reales ac relatiuæ entitates diuinarum personarum, tot esse debent reales ac relatiuæ earum perfectiones.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

An multiplicitas perfectionum pugnet cum æqualitate diuinarum personarum.

134. *Probatur pars negatiua ex multis Patribus.* Quoad secundam difficultatem de consequente, omnes authores citati supra num. 120. vel non negant, vel supponunt, vel expressè concedunt plures perfectiones non simpliciter, sed relatiuas in diuinis personis, quæ sententia, inquit noster Zuniga disput. 5. dubit. 12. membro 2. num. 1. *est communis in nostra familia*, exceptis Vasquez, & Ruiz supra, contra quos esse videntur Patres locis, & verbis citatis supra num. 130. Quamuis Vasquez dicat, *Non inueniri aliquem ex Patribus, qui tres perfectiones, etiam relatiuas, in Deo concesserit, sed semper vnam esse dixerunt.* Verum Iustinus, vnam Deitatem esse ait, *in tribus perfectis subsistentijs.* A Nazianzeno dicitur, *Trinitas perfecta in tribus perfectis.* Basilius admittit, *Trium perfectorum inseparabilem coniunctionem.* Epiphanius sæpe vocat, *Tria perfecta.* Et Hieronymus, *Tres personas subsistentes perfectas.* Eodem modo subsistentias perfectas in plurali numerāt Sophronius, & Patres Concilij Nicæni. Non solent autem Patres id, quod in diuinis est vnum, pluraliter numerare, ne in concreto quidem cum personarum numeratione. Quapropter in Symbolo Athanasij non solum prohibetur dicere tres Deos, tres Dominos; sed etiam tres æternos, tres increatos, tres immensos, tres omnipotentes. ergo si in tribus diuinis personis nō nisi vnam perfectionē agnoscerent, profectò nō ita frequenter, & absolutè dicerēt, tres perfectos: sed sicut propter vnā omnipotentiam v.g. dicunt, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens*: ita propter vnā perfectionem dicerent, perfectus Pater, perfectus Filius, perfectus Spiritus sanctus; tamē nō tres perfecti, sed vnus perfectus. Clarissime omniū Damascenus ibidem, omnium fideliū nomine ita fatetur, *In solis proprietatibus, secundum personalem perfectionem, differentiā intelligimus.* Ergo non solū fatetur, dari simpliciter personalem perfectionem, sed præterea, dari differentiā in tali perfectione, ergo multiplicitatem. Idem quoque docere putandi sunt Patres supra n. 129. qui ex hypothesi impossibili, quòd naturæ diuinæ vel vna relatio deesset ex iis, quas de facto habet, docent, illam futuram imperfectā. Quo manifestè supponitur, nullam esse relationē in Deo, quæ non sit perfectio Dei; & consequenter, quot sunt relationes inter se realiter distinctæ, tot esse eodem modo distinctas perfectiones. Imo idem implicitè asserere conuincuntur ipsimet aduersarij cōcedentes, quamlibet relationem esse de integritate Dei, ita vt si vel vna relatio deesset, non esset Deus integrè & perfectè constitutus in tota sua substantia. Hoc enim dici verè non posset, nisi quælibet relatio secundum se formaliter, & intrinsece in se ipsa esset perfectio. ergo qua ratione diuinæ relationes plures sunt, ea ratione non possunt non esse plures diuinæ perfectiones. Athanasius.

135. *Omnes relationes esse in qualibet persona, ratione essentiæ, non eminenter, sed formaliter.* Ex hoc autem consequente de pluribus, ac realiter distinctis perfectionibus relatiuis, negandum absolutè est sequi omnia quatuor absurda deducta supra num. 132. Quamuis enim perfectio relatiua paternitatis, v.g. non sit filiatio, cum sit illi opposita, ac proinde distincta realiter ab illa; neque ob eamdem rationem sit in filiatione, considerata & significata in abstracto, vt præcisa ab essentia; tamen est verè ac realiter in Filio, ratione essentiæ, respectu cuius Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & omnes perfectiones, quæ in ipsis sunt, siue absolutæ, siue respectiuæ, sunt vnum quid simplicissimū, & idē omnino. Hoc vero esse paternitatis in Filio ratione essentiæ, duobus modis à Doctoribus explicatur.

Suarez. Primo enim nonnulli, quos sequitur Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 10. num. 7. & sequi etiam videtur
Arrubal. Arrubal disput. 105. num. 29. dicunt, perfectionem paternitatis non esse formaliter in Filio, sed solum eminenter; quoniam hic Deus, præcisis relationibus, non includit formaliter perfectiones earum, sed eminenter, in quantum est radix, & fundamentum omnium illarum perfectionum; & in quantum est infinitus simpliciter in genere entis. Sed contra primo quia, quod ad modum loquendi attinet, aliquid plus, ac nobilius significamus, & apprehendimus, cum dicitur, hoc esse eminenter in illo, v.g.
Plus est continere eminenter, quam formaliter. Creatura est eminenter in Deo, Calor eminenter in Sole, quam cum dicitur, hoc esse formaliter in illo. At Deus, quando concipitur absque relationibus, non concipitur vt quid perfectius, quam quando concipitur vt relationibus formaliter affectus, seu perfectus: imo potius concipitur contrarium; quia sine relationibus concipitur vt carens perfectione incommunicabiliter subsistendi, per quam formaliter, & non per essentiam quatenus essentiam, habetur potentia infinita, & perfectissima terminandi ac substantialiter sustentandi quamlibet naturam substantialem. Neque Deus, vt ratione præcisus à relationibus dici rectè potest, habere infinitatem simpliciter in omni genere entis, sed solum in vno genere entis absoluti: sicut v.g. intellectio diuina præcisè considerata, est infinita in genere intellectionis, non volitionis; & relatio diuina præcisè, est infinita in genere entis respectiui, non autem absoluti. Qui igitur asserit, perfectionem relatiuam paternitatis esse formaliter in Patre, sed eminenter in Filio & Spiritu sancto, videtur significare, paternitatem esse perfectiori modo in Filio & Spiritu sancto, quam in ipso Patre. Secundo quicquid sit de modo loquendi, non videtur solui difficultas, vt contra Authores huius primæ
Vasquez. responsionis notauit Vasquez disput. 122. num. 8. quia vere est quid perfectius, essentia formaliter, siue actualiter habens in se paternitatem, quæ ab aduersariis etiam dicitur perfectio diuina relatiua; quam essentia sola, vt illi fundamentaliter, seu radicaliter debita est paternitas: alioqui relatio secundum propriam rationem, nullam prorsus adderet perfectionem supra essentiam nudè consideratam, contra ipsosmet. authores huius primæ responsionis. ergo si Filius, & vt Filius, & vt Deus, vel non habet, vel concipitur non habere in se formaliter & actualiter paternitatem, necessario sequitur, Deum Filium non esse, aut non concipi perfectum ea perfectione, qua est perfectus Deus Pater: & tres personas esse, aut concipi à nobis rationabiliter posse, perfectiores ipso Deo. Tertio quia præscindendo à nostris conceptibus, essentia in re ipsa est verissimè ac formalissimè quælibet relatio, ita vt implicet contradictionem, reperiri à parte rei essentiam sine omnibus ac singulis relationibus. Sed essentia hoc modo accepta, optimè ac sinceriſſimè saluat æqualitatem diuinarum personarum, ergo ad hanc explicandam, non est recurrendum ad essentiam vt ratione præcisam à personis, in cuius eminentia radicaliter veluti lateant omnes personalitates & relationes.

136. *Quomodo paternitas sit formaliter in Filio: & tamen Filius nō sit Pater.* Quamobrem multò facilius ac verius dicunt secundo alij, perfectionem relatiuam paternitatis esse realissimè, ac formalissimè in Filio, in quantum est hoc modo in Deo, qui est in Filio; quia in Filio est tota natura diuina cum omnibus perfectionibus suis, siue absolutis, siue respectiuis, quæ à parte rei nullo modo actualiter ab ipsa distinguuntur: tametsi per illam perfectionem Filius non possit denominari Pater; sed solum denominatur Deus Pater; quia Pater & Filius opponuntur, & realiter distinguuntur; non autem opponuntur, sed vnum & idem omnino sunt Pater & Deus, Filius & Deus, Spiritus sanctus & Deus. Igitur Filium habere paternitatem, & tamen Filium non esse Patrem, quæ duo primo aspectu pugnare videntur, nullam verè pugnantiam habent, sed continent certissimam, quamuis à nobis incomprehensibilem huius mysterij veritatem, de tribus personis in vnam numero naturam re ipsa omnino identificatis, seu de vno indiuiduo identificante sibi tres personas, realiter inter se distinctas, in quo sensu 1. Ioannis 5. dicitur, *Tres sunt Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; sed hi tres vnum sunt.* Itaque nihil aliud verè ac realiter sunt nisi, Paternitatem esse in Filio, non quatenus Filio, sed quatenus Deo: siue, non ratione filiationis, cum qua realem oppositionem habet, & à qua realiter distinguitur, sed ratione Deitatis, Filio essentialis, cum qua actu in re omnimodam habet identitatem, & nullam oppositionem; quæ duo benè tangit Ariminensis. Ariminensis 1. d. 33. quæst. vnica art. 3. aliquanto ante medium. §. *Dico ergo*, dicens, *Hoc consequens Pater communicauit Filio paternitatem, potest habere duplicem sensum. Vnus est, quòd communicauit Filio entitatem illam, quæ est paternitas; & sic concedo illud, quod omnes habent concedere; sicut omnes concedunt, quòd communicauit essentiam, quæ est paternitas. Alius, communicauit Filio, quòd Filius esset Pater; & iste sensus est falsus, nec sequitur ex primo.* Et quidem primum, quòd scilicet paternitas sit simpliciter in Filio, sicut filiatio in Patre, & eadem ratione vniuersaliter, quicquid est in vna diuina persona, sit simpliciter in alia, est de fide, clarissimè expressum Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*: vt propterea idem Filius Dei Ioānis 16. vniuersalissimè dicere potuerit, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* & cap. 17. *Mea omnia, tua sunt; & tua, mea sunt.* Quod magis explicans Ambrosius Ambrosius. libro 5. de Fide cap. 8. circa finem ait, *In quo minor, qui omnia habet, quæ Pater habet? Nam & omnia à Patre iure generationis accepit, & totum Patrem gloriæ suæ maiestatis expressit.* Si totum Patrem exprimit Filius, ergo & paternitatem ipsam. Si exprimit gloria suæ maiestatis, ergo sua Deitate, quæ non minus est filiatio, quam ipsa paternitas. In quo sensu Athanasius oratione contra Sabellij gregales, Athanasius. aliquanto ante medium dixit *Perfecta paternitas in Filio subsistit.* Et sermone 4. contra Arianos, aliquanto post principium. *Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere conceditur, eò quòd quicquid est Filius, id vniuersum sit proprium*, hoc est, intimum, *substantia Patris.* Secundum quoque, quòd scilicet paternitas ita sit in Filio, vt tamen Filius non sit Pater, certum est ex fide, per expressam definitionem Concilij Florentini in literis Vnionis, in medio, *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo, gignendo dedit, præter esse Patrem.* Cum excipit *esse Patrem*, non excipit paternitatem, alioqui Pater non esset in Filio, contra doctrinam ipsiusmet Filij supra, sed excipit denominationem Patris, quam non habet Filius, non quòd non habeat in se ipso simpliciter paternitatem, sed solum quia non habet ratione filiationis per identitatem cum paternitate, quam identitatem propriè significat ista propositio, *Filius est Pater*; sed habet per identitatem cum natura diuina Patris, quæ in re est ipsamet paternitas, sicut filiatio, & quæuis alia relatio; respectu quarum relationum nullam natura diuina oppositionem habet.

137. Et ideo cautius cum Florentino dicitur, deesse Filio esse Patrem, non autem paternitatem; sicut contra, deesse Patri esse Filium, non autem filiationem. Quo modo prius loquuti etiam sunt,

Athana

Concilium Florentinū.

Cur Filius habens paternitatem non denominetur pater.

Athanasius. Athanasius oratione contra Sabellij gregales, multò ante medium, *Filius identitatem habet cum Patre; ipse interim tamen Pater non est.* & sermone 4. contra Arianos, aliquantò post principium, *Eadem dicuntur de Filio, quæcumque de Patre dicuntur, excepto quòd*
Augustinus. *Pater non appellatur.* Augustinus libro 15. de Trinitate cap. 14. initio, *Vnigenitus Dei Filius est hoc omnino, quod Pater; non tamen Pater; quia iste Filius, ille*
Gregorius Bœticus. *Pater.* Gregorius Bœticus libro de Trinitate multo post medium. *Hoc solo differens à Patre Filius, quòd ille Pater est, & hic Filius, id est, quòd ille genuit, & hic natus est.* vt habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum
Cyrillus. Patrum. Cyrillus libro 2. Thesauri aliquanto ante medium, *Nihil proprium vni est, quod alteri non insit, excepta solummodo Patris & Filij appellatione, ac re.* hoc est, Filius non solum non denominatur Pater, sed verè ac realiter non est Pater: sicut è conuerso, Pater verè ac realiter non est Filius, & propterea, non potest appellari seu denominari Filius. & lib. 3. cap. 1. columna 3. circa finem. *Si quis diligenter Scripturam scrutetur, inueniet, omnia dici de Filio, quæ de Patre dicuntur; & omnia de Patre, quæ de Filio; absque hoc solum, quòd alter Pater est, alter Filius.* & libro 4. cap. 2. paulo ante medium. *Omnia quæ Pater est, Filius similiter est, præterquam quòd Pater non est Filius, & Filius non est Pater.* Idem docet libro 10. cap. 1. paulò post principium. Hoc etiam, nempe, paternitatem esse in Filio, & nihilominus, Filium non esse Patrem
Nazianzen. significat Nazianzenus oratione 5. de Theologia inter principium & medium illis verbis, *Neque Filio aliquid deest, ad hoc vt sit Patèr (neque enim defectus est filiatio) nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc vt sit Filius; neque enim Pater Filius est.* Quamquam non desunt, qui asserant ipsam paternitatem non esse in Filio, nempe, non simpliciter, & quomodocumque, sed solum aliqua ratione; quia scilicet, paternitas non est in Filio vt realiter distincta à Filio, ratione filiationis; sed est in Filio vt identificata Filio, ratione naturæ diuinæ Filij, respectu cuius paternitas & filiatio non oppo-
Cur dicamus, Patrem esse in Filio: & non, Filiū esse Patrem, vel contra. nuntur. Et quoniam in communi modo loquendi, cum dicitur, *Hoc esse illud*, importatur identitas, siue aliqua vnitas, siue vnio absque vlla oppositione inter hoc & illud, quod non importatur cum dicitur, *Hoc esse in illo*, v. g. dicitur anima esse in Homine, & in Corpore, non autem esse homo, vel corpus; ideo licet absolutè dicere, Paternitatem, siue Patrem, esse in Filio, non obstante distinctione & oppositione inter Patrem & Filium; quæ tamen obstat, vt dici rectè possit, Filium esse Patrem; sic enim significaremus, inter Patrem & Filium nullam esse oppositionem, & consequenter, esse in re omnimodam identitatem, secundum receptissimam regulam in terminis diuinis, quòd inter quos nulla est oppositio, nulla est distinctio. Verum quia esse Patrem prouenit
Dici posse, in Filio non esse paternitatē. formaliter à paternitate, in eodem sensu, quo verè dicimus, Filium non esse Patrem, dicere quoque verè possumus, in Filio non esse paternitatem, per quā scilicet Filius formaliter sit Pater, à quo realiter distinguitur absque vlla vnione, siue vnitate inter se; tametsi per eandem paternitatem Deus, qui essentialiter est in Filio, habeat formaliter esse Patrem; eoque modo, hoc est, ratione vnius numero Dei, cum quo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus habent omnimodam vnitatem, rectè etiam dicatur, Paternitas, seu Pater, esse in Filio: imò vero ita & tutius loquimur cum ipso Filio Dei, qui Ioannis 14. bis dicit, *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et rursus, *Pater in me manens, ipse facit opera.* & cap. 17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.*

138. *Ita dicunt.* Sed illum alium modum abstractum & negatiuum, nimirum, ipsam relationem, seu proprieta-

tem vnius personæ, non esse in alia persona, vsurpant, Didymus libro 2. de Spiritu sancto ferè inter Didymus. medium & finem exponens illud Ioannis 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, illis verbis, *Procul hinc absint Dialecticorum tendiculæ, quæ dicunt, Ergo & Pater est Filius, & Filius Pater. Si enim dixisset, omnia quæ habet Deus, mea sunt, haberet impietas occasionem confingendi, & verisimile videretur esse mendacium. Cum verò dixerit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt, Patris nomine, se Filium declarauit; paternitatem, qui Filius erat, non vsurpauit:* nimirum inter illa omnia, quæ Filius dixerat, habere Patrem, & sua esse. Igitur ex Didymi sententia Filius Dei non habet paternitatem, nec dicere potest, Patris paternitas mea est. Cyrillus, vt Cyrillus. habetur in Concilio Ephesino tomo 5. cap. 1. Anathematismo 9. in eius declaratione initio. *Et si vnigenitum Dei Verbum, homo factum est; mansit tamen Deus, omnia, præter solam paternitatem, cum Patre æqualia, & communia habens.* Damascenus libro 1. Fidei Damascenus. cap. 9. multo post principium, *Quæcumque habet Pater, Filij sunt præter ignascendi proprietatem*, & cap. 11. aliquantò ante medium, *Secundùm omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & processionem.* Et libro de duabus Christi voluntatibus inter principium & medium, *Ea omnia quæ habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta.* Nazianzenus oratione in sanctam Pentecostem, paulò post medium vtroque modo lo- Nazianzen. quitur, indicans, hunc secundum modum non vsurpare, nisi in sensu priori: ait enim, *Omnia quæcumque Pater habet, sunt Filij, præterquam quòd ingenitus non est. Omnia quæcumque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis.* Thomas quoque infra, q. 42. art. 4. S. Thomas. ad 2. ait, *Nec sequitur, Paternitatem habet Pater, ergo paternitatem habet Filius.* & de potentia quæst. 2. art. 5. Corp. med. *Ipsa paternitas est diuina essentia; nec tamen paternitas Filio inest, propter oppositionem paternitatis & filiationis. Nec tamen sequitur, quòd quamuis paternitatem Filius non habeat, quam Pater habet, aliquid habeat Pater, quod non habet Filius.* Et 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. ad 2. *Paternitas secundum suam rationem respectus potest esse in Patre, non in Filio.* Et propter hos duos sensus, Suarez libro 3. de Trinitate Suarez. cap. 10. num. 6 ait, *Dedit Pater Filio suam Deitatem, & non suam paternitatem.* Sed lib. 4. cap. 16. num. 9. cum communi tenet quòd *ratione essentiæ, etiam ipsæ relationes in se inuicem existant.*

139. Dixi, Personalitatem, seu relationem vnius per- 139. sonæ esse in alia persona, non ratione personali- *Vnam personam esse in alia propter identitatem naturæ, docēt multi Patres.* tatum, & relationum inter se comparatarum, sed ratione naturæ communis omnibus personis, ita vt omnes sibi omnino identificet: hanc etiam ra- Athanasius. tionem existentiæ vnius personæ in alia, à Patribus communiter assignari video. Athanasius sermo- ne 4. contra Arianos, aliquantò post principium ait, *Cum vna sit illis Deitas, eadem dicuntur de Fi-* Ioan. 10. *lio, quæcunque de Patre.* Et paulò post, id sapienter colligit ex Ioannis Euangelio, *Ritè & congruè post* Ioan. 14. *hoc verbum, Ego & Pater vnum sumus, subintulit, Vt cognoscatis, & me in Patre esse, & Patrem in me. Qui enim cognitum habet, Patrem & Filium vnum esse, illa quoque cognitum habet, Patrem in Filio, & Filium in Patre esse. Nam Filij Diuinitas, Patris est; illaque ipsa in Filio consistit: & qui illud comprehendit, is quoque sibi persuasum habet, quòd qui vidit Filium, viderit & Patrem; quippe cum in Filio sit, & conspiciatur Patris Diuinitas.* Et rursus paucis interiectis, *si*, inquit, *cogites, Deitatem, ipsam essentiam Filij constituere, hoc est, quod ait, Pater in me. At è diuerso, quoniam Filij Deitas, & species, nullius alterius est quàm Patris, inde est illud, quod dixit, ego in Patre.* Hilarius libro 3. de Trinitate

multò ante finem, *Audis, ego & Pater vnum sumus. Quid discindis, & distrahis Filium à Patre? Vnum sunt, scilicet is qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo, à quo est.* Si Filius nihil habet, quod non sit etiam in Patre; ergo filiatio, quæ est aliquid Filij, est etiam in Patre: idque docet Hilarius ex eo, quòd Filius est *is qui est*, sicut & Pater. Quod clarius expressit paulò post, illis verbis, *Patrem in Filio, & Filium in Patre esse, plenitudo in vtroque Diuinitatis perfecta est.* Basilius homilia 15. de Fide, circa medium
Basilius. loquens de Filio Dei, ait, *Cuncta existens, quæ est & Pater. Manens igitur in essentia Filius, omnia est; quæ Pater est, secundum ipsius Domini vocem dicentis,*
Ioan 16. *cuncta, quæ habet Pater, mea sunt.* Ambrosius lib. 3.
Ambrosius. de Fide cap. 6. fine. *Cum omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter Filius habeat; iuxta Apostolum, quid*
Coloss. 2. *est, quòd Patri æstimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit?* Aug-
Augustinus. ustinus sermone 38. de tempore, aliquanto ante medium. *Absque omni dubitatione credi necessarium est, quòd non aliquid maius tres simul, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quam vnus quilibet, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus: quia eadem natura est in vnaquaque persona simul dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis.* Æqualitatem qua quælibet persona habet quicquid est in reliquis duabus, ad eamdem naturam, expressè refert. Item Cyrillus libro 3.
Cyrillus. Thesauri cap. 1. columna 3. initio, *Quoniam quod Pater est natura, id ipsum & Verbum suum est, ideo Pater in Filio est. Natura enim paterna diuinæ substantiæ, ac (vt ita dicam) species tota in Filio est, vt ostendit ipsum in se ipsa.* Clarissime Fulgentius de Fide ad Petrum
Fulgentius. cap. 1. cum præmisisset, quòd *ipse verus Deus in personis Trinitas est, & in vna natura vnus est*; ita subdit, *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu sancto est; totus Filius in Patre, & Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus sanctus in Patre, & Filio.*
Anselmus. Anselmus in Prosologio cap. 23. post medium. *Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater & Filius & Spiritus sanctus: quoniam singulus quisque non est aliud, quam summè simplex vnitas, & summè vna simplicitas; quæ nec multiplicari, nec aliud & aliud esse potest.* Demum hoc ipsum est, quod
Toletanum XI. confitetur Concilium Toletanum XI. Aliquantò ante medium illis verbis, *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona Deus singulariter dicitur; nec amplius, cum totæ tres personæ vnus Deus enunciantur.*

140. Atque hæc de diuinis personalitatibus & relationibus: quia eandem prorsus rationem esse puto de perfectionibus relatiuis. Sicut enim de fide est, relationes esse plures realiter distinctas, vnde nulla sequitur inæqualitas inter diuinas personas, quoniam ex doctrina Patrum supra, quæuis persona est integrè ac plenissime Deus, qui est omnino idem cum omnibus diuinis rationibus, tam absolutis, inter se non distinctis, quam respectiuis, inter se realiter distinctis; ita propter hanc ipsam identitatem cum natura diuina, non sequitur eadem inæqualitas ex pluribus perfectionibus diuinis relatiuis distinctis realiter inter se. Præterea sicut Patres, & Scholastici superius adducti, modo affirmant, modo etiam negant in aliquo bono sensu, proprietatem vnius personæ esse in aliis personis; ita inter Theologos authores nostræ sententiæ de conceptu perfectionis incluso in conceptu relationis, & consequenter, de reali pluralitate perfectionum relatiuarum, multi affirmant, nonnulli etiam negant, perfectionem relatiuam vnius personæ esse in aliis personis. Verum enim verò nulla est inter eos realis contradictio; quia authores affirmantes,

Perfectionem relatiuam vnius esse in alio, aliqui negãt, aliqui affirmant.

id non affirmant in sensu, in quo ab aliis negatur; nec authores negantes, id negant in sensu, in quo ab aliis affirmatur. Vnius enim personæ perfectio relatiua, vt realiter identificata cum alia persona, ratione naturæ, cum qua nec oppositionem, nec distinctionem habet, est in alia persona: sed sub alia ratione, nimirum vt distincta realiter à persona, cui opponitur, ratione alterius relatiuæ perfectionis, non est in alia persona, Quod secundum expressè concedunt Ocham 1. d. 19. quæst. 1. litera V. Ocham.
Gabriel d. 7. quæst. 3. art. 3. *Nec hoc concedere*, optimè Gabriel.
inquit, *est magis inconueniens, quam concedere, quod paternitas est in Patre, & non in Filio.* cuius sententiam laudat Rada controuersia 27. §. *Sed istæ.* ex suppo- Rada.
sitione quòd quælibet relatio vt relatio, sit aliqua perfectio. & simpliciter sequutus est Cano apud Cano.
Bagnes hic, dubio 1. ad 4. Item Bacconus 1. d. 23. Bagnes.
quæst. 1. art. 1. ad 1. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. Bacconus.
sect. 7. §. *Ad argumentum.* dicens, *Non solum non est in-* Fonsecca.
commodum fateri, aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in alijs, sed etiam necessarium. Valen- Valentia.
tia hic, puncto 1. §. *Ad hoc argumentum.* Vbi hanc propositionem, *Aliqua perfectio est in vna persona, quæ non in alia*, ita benè distinguit. *Si intelligatur, quatenus personæ opponuntur, & distinguuntur ab inuicem, conceditur. Si verò intelligatur simpliciter, ita vt nullo modo vna persona habeat perfectionem alterius, negatur. Quamuis enim vt distinguitur, non habet perfectionem alterius, tamen habet, vt est vnum in essentia cum illa.* & eadem fere verba repetit infra quæst. 4. puncto 1. §. *Sed erit.* ad 1. & sanè si prædicta propositio non distinguitur, sed vel est absolutè concedenda, vel absolutè neganda, multò melius ac rutius negatur, quam conceditur. Sicut enim, quamuis vna persona non sit alia, tamen minus recte quis absolute diceret, Vnam personam non esse in alia, *Melius dicitur, perfectio relatiua vnius est in alio.*
quia videretur contradicere verbis Christi supra, sæpe & absolutè dicentis, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre: ita & si vna perfectio relatiua existens in vna persona distinguatur realiter ab alia perfectione relatiua, existente in alia persona, tamen minus conuenit absolute dicere, Vnam perfectionem relatiuam, propriam vnius personæ, non esse in alia persona: & præterea hic modus loquendi absolutè negatiuus, minus intelligibilem facit omnimodam diuinarum personarum æqualitatem, quam explicant Patres, vt infra quæst. 42.

Et ideo S. Thomas in cap. 16. Ioannis lectione 4. 141.
paulò post medium congruentius ita loquitur, *Simpliciter concedimus, Quicquid habet Pater, habet Filius; non tamen eodem ordine; nam Filius habet, sicut ab alio accipiens; Pater verò sicut alij dans.* Quod inferius S. Thomas.
magis explicans, subdit. *Si paternitas comparetur ad essentiam Patris, omnia quæcumque habet Pater, habet Filius; quia paternitas non est alia res ab essentia Patris: sed non eo ordine habet.* hoc est, Filius paternitatem etiam habet; sed habet ratione essentiæ, quæ est ipsamet paternitas; non habet autem ratione ipsius paternitatis formaliter & precisè, prout est ordo dandi, & per relatiuam oppositionem distinguitur à filiatione, quæ formaliter est quidam alius oppositus ac distinctus ordo accipiendi. Ad hunc sensum reuocari facilè possunt alij dicêtes, Paternitatem, quæ est in Patre, esse etiam in Filio, sed non eodem modo; vt Bonauentura 1. d. 19. art. 2. q. 1. ad 3. Bonauentura.
Riccardus q. 3. ad 1. Carthusianus q. 2. §. *Cuius tota.* Riccardus.
Verum ne videamur asserere, aliquem realem ordi- Carthusian.
nem, vel modum esse in vna persona, qui non sit in alia, quod aliquam inter eas inæqualitatem significaret, dicendum potius censeo, Paternitatem esse in Filio ratione naturæ Filij, non ratione filiationis; quin alio ordine, vel modo, ab eo quo est in Patre:

tre: tametsi verè eam Filius acceperit à Patre, non Pater à Filio.

Duæ instantiæ contra doctrinam traditam.

142. Dices primò, esto paternitas sit in Filio, tamen nulla ratione in Filio est esse Patrem, vt docent Florentinum, & alij Patres supra num. 137. Sed esse Patrem procul dubio est aliqua perfectio. ergo aliqua perfectio nulla ratione est in Filio. ergo Pater & Filius non sunt æqualis perfectionis.

Quo modo in Filio sit, vel non sit, esse Patrem.

Respondeo, distinguendo in Maiori illud, *In Filio est esse Patrem.* Si enim significat, ipsum Filium esse Patrem, concedo Maiorem, quòd scilicet nulla ratione in Filio sit esse Patrem: & hoc esse Patrem, est illud, quod Florentinum supra num. 136. docet, Filium non accepisse à Patre; vt clarius explicant Patres adducti num. 137. dum hoc ipsum docentes dicunt, Filium à Patre in nullo differre, nisi solum quòd Filius non est Pater. Atque in hoc primo sensu, nego Minorem; quoniam Filiũ Dei esse Patrem, nimirum vel sui ipsius, vel alterius Filij, tantum abest quòd sit aliqua perfectio, vt sit manifesta contradictio. Si vero significat, in Filio esse aliam personam quæ est Pater, & habet esse Patrem, tunc vera est Minor, quòd esse Patrem est aliqua perfectio; sed falsissima, & contra fidem est Maior, quòd *nulla ratione in Filio est esse Patrem.*

143. *An paternitas & filiatio, vt præcisæ ab essentia, sint æquales.*

Dices secundò saltem paternitas v. g. filiatio, vt præcisæ ab essentia, & inter se comparatæ, sub qua ratione concessum est alteram non esse in altera, sed potius ab altera realiter distingui, & nullam inter se vnitatem, aut vnionem habere, erunt inæqualis perfectionis: quoniam sub hac propria ac formali ratione, sunt non solum realiter distinctæ, sed etiam oppositæ, & differunt quasi specie.

Resp̃sio Aureoli, Ochami, & Suarez.

Respondet Aureolus & Ocham verbis relatis supra num. 120. non obstante huiusmodi oppositione, ac differentia, adhuc esse æquè perfectas relationes paternitatis & filiationis; quia istæ diuinæ relationes in hoc differunt à formis creatis, quæ sunt entia per participationem, quòd vt docet Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 10. num. 11. qui hunc dicendi modum sequitur contra Clichtouæum, *non distinguantur secundum maiorem, vel minorem participationem alicuius esse, sed tantum secundum oppositionem, in qua habent æqualitatem: quia tam perfectum terminum, & fundamentum habet vna earum, sicut alia.* Quam Aureoli & Ochami sententiam ex instituto refert, & impugnat Ariminensis 1. d. 19. quæst. vnica art. 1. post §. *Hic dicitur.* contendens non posse simul stare istã duo, Quòd *paternitas & filiatio sunt distinctæ perfectiones*, & quòd *sunt æquè perfectæ*: essent enim, inquit, *eiusdem rationis; & sic vel duæ paternitates, vel duæ filiationes, & non vna paternitas, & vna filiatio.* Has diuersas Theologorum sententias omnino conciliandas esse existimo in materia tam graui, de æqualitate diuinarum personarum, ad Fidem pertinente, cum omnes in Symbolo Athanasij fateamur, *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Pro qua conciliatione aduertendum valde est, Patres hanc æqualitatem docentes, & explicantes, vt patet ex eorum dictis partim superius allatis, partim inferius afferendis in proprio loco, semper loqui de personis in concreto acceptis, secundum quod se habent in re ipsa; & non de personis in abstracto, seu de personalitatibus, ac relationibus, ratione præcisis ab essentia; æqualitatemque reuocare non ad distinctionem personarum inter se, sed ad earum omnimodam vnitatem, atque identitatem cum essentia. Hoc solidissimo fundamento ex Patrum doctrina præsuppositio, duo mihi videntur breuiter dicenda.

Quæ impugnat Ariminensis.

Athanasius.

144. *Prædicta responsio declaratur, & probatur in vno sensu.*

Primum, omnes diuinæ personalitates ac relationes, etiam si considerentur prout inter se realiter distinctæ, modo accipiantur adæquatè secundum totum id quod verè sunt in re ipsa, sunt simpliciter dicendæ inter se æqualis omnino perfectionis. Hoc arbitror à nullo bono Theologo posse negari. Etenim hoc saltem est, quod tamquam Fidei dogma, grauissime inculcat Riccardus Victorinus lib. 5. de Riccardus Victorinus.
Trinitate c. 24. initio. *Inter hæc, aliquis fortassis, humanum aliquid cogitans de diuinis personis, illam personam maioris dignitatis reputat, & ceteris excellentiorem iudicat, quæ à semetipsa habet totum, quod eam habere constat. Sed absit, quòd ibi credatur esse aliqua dignitatum distantia, vbi verè, & absque dubio est æqualitas summa.* Neque ad asserendam hanc æqualitatem, sic explicatam, moueor ex æquali perfectione terminorum, aut fundamenti; quia hanc ipsam æqualem formalem terminorum perfectionem negat Ariminensis supra, & sanè probare debemus, dato enim quod Pater dicat suam propriam relatiuam paternitatis perfectionẽ, & aliam realiter distinctam perfectionem dicat Filius, vt Filius, contendit, dici non posse esse omnino æquè perfectum Patrem vt Patrem, & Filium vt Filium; & consequenter, paternitatem terminatam ad Filium vt Filium, & filiationem terminatam ad Patrem vt Patrẽ; non habere terminos æquè perfectos. Fundamentum quoque, vel quasi fundamentũ, quod est diuina natura, est quidem idem omnino, & consequenter æquè perfectum respectu omnium relationum; tamen reddenda est ratio, cur plures relatiuæ perfectiones, sicut non obstante vnitate fundamenti retinent inter se distinctionem & oppositionem; ita pariter non obstante eiusdem fundamenti æqualitate, retinere nequeant inter se perfectionis inæqualitatem. Moueor igitur quia realis distinctio, quam habent inter se diuinæ relationes, benè stat in hoc incomprehensibili mysterio cum omnimoda identitate, quem in re habent cum diuina natura. ergo in re quælibet relatio est ipsa Deitas. Sed Deitas indiuisibiliter & simplicissime est Pater, Filius, Spiritus sanctus, & vniuersalissime quicquid habet rationem formalem entis diuini, & increati. ergo etiã quælibet relatio est in re totum hoc. ergo quælibet relatio, quantumuis distincta realiter ab alia, si accipiatur adæquatæ, secundum totum id quod verè est in re simul cum ista reali distinctione, est indiuisibiliter ac simplicissimè omnis perfectio cuiuslibet alterius relationis realiter à se distinctæ, & reliquarũ omnium simul; ita vt nec intensiuè, nec extensiuè maior sit perfectio omnium, quam vnius; aut minor perfectio vnius, quam omnium. Hæc ratio maximè nititur dictis Sanctorum supra n. 139. qui diuinarum personalitatum ac relationum æqualitatem non aliter explicant, nec aliunde suadent, nisi ex summa identitate cum essentia: & non obscurè tangitur à S. Thoma supra num. 141. probante, paternitatem esse in Filio, in quo est essentia Patris, *quia*, inquit, *paternitas non est alia res ab essentia Patris.* S. Thomas.

145. *Sed non probatur in alio sensu.*

Secundum, eædem diuinæ relationes, si considerentur tantum vt distinctæ realiter inter se, & non considerentur vt identificatæ cum essentia, sed considerentur vt ab ea omnino præcisæ mentaliter, dici non possunt æqualis omnino perfectionis. Hoc saltem concedere censentur Ocham, Gabriel, Baeconus, Fonseca, & Valentia citati supra 140. dicentes, Relatiuam perfectionem vnius personæ non esse in alia persona: vnde euidenter sequitur, in eodem sensu esse concedendum, plus perfectionis esse in tribus personis, quam in vna tantum.

Quam consequentiam vt necessariam benè notauit Ariminensis supra. Neque verè negant prædicti Authores, dum ex hoc quòd perfectio vnius non sit in alio, negant sequi, Relationes non esse æque perfectas; loquuntur enim non in abstracto iuxta hoc secundum dictum, sed in concreto de relationibus personarum iuxta primum dictum. Inter quos rem clarius expressit Gabriel 1. d. 7. quæst. 3. art. 3. concedens, quòd quælibet diuina persona *caret aliqua perfectione simpliciter*. nempe illa, quæ dicitur non esse in ipsa, sed in alia: tametsi sapienter nolit concedere, quòd aliqua persona sit imperfecta; quia Pater v. g. habet paternitatem summè & infinitè perfectam; & alia filiationis perfectio, quæ, vt ipse loquitur, *deficit sibi*, non est aliquid pertinens ad rationem, seu constitutionem Patris. vt Patris; imo potius est oppositum illi: imperfectum autem nihil dici potest nisi id cui deest aliquid ex his quæ possunt illi conuenire, vt notaui supra num. 126. fine. Et ideo si inuicem comparentur v. g. Deitas præcisa à paternitate; & paternitas præcisa à Deitate, nemo iure vocauerit aut imperfectam Deitatem, quia concipitur absque paternitate, aut imperfectam paternitatem, quia concipitur absque Deitate: quoniam scilicet, adhuc cum ista mentali præcisione, Deitas concepta haberet omnem perfectionem pertinentem ad intrinsecam Deitatis constitutionem; sicut etiam paternitas concepta haberet omnem perfectionem pertinentem ad intuitiuam constitutionem paternitatis. Valentia etiam citato §. *Sed erit*, concedit, *carere vnam personam perfectione alterius*. Idem carendi verbum vsurpat Albertinus Corollario 6. ex Prædicamento ad aliquid quæst. 5. fine dicens, *Quamuis vna persona careat formaliter perfectione alterius personæ*. Sed ne aliquam in diuinis personis imperfectionem significare videamur, præstat vti aliis verbis mere negatiuis: & non debemus dicere absolutè & simpliciter, perfectio vnius non est in alia; sed limitando ac diminuendo addere, perfectio vnius relatiua non est in alia, vt sunt personæ inuicem oppositæ & distinctæ realiter: vt ita significemus, sub alia ratione, nempe, vt sunt vnum in natura, omnes perfectiones tam absolutas, quàm respectiuas, verè esse in quauis persona.

Gabriel. Valentia. Albertinus.

146. *Secundus sensus probatur ex Patribus exponentibus illud Ioannis, Pater maior me est.*

Præterea, quod potissimum me mouit ad hoc secundum dictum, est grauissima & communissima Patrum authoritas, qui illud Christi Ioannis 14: *Pater maior me est*, vt refero supra quæst. 27. art. 1. num. 49. exponunt de Filio Dei secundum se, & non vt incarnato. Ita Athanasius, Hilarius vocans Patrem maiorem *authoritate donantis*, & *dum Pater est*: addensque efficacius, *Nulli potest dubium esse Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris maiorem esse*. Nazianzenus, à quo Pater dicitur maior *generationis dignitate*. Et à Cyrillo, *originis modo*. Et à Damasceno, *secundum causam*. Et à Chrysostomo, *in quantum principium*. Et ab Euthymio, *solo principij modo*. Neque verè plus dicit Clichtouæus in Damascenum libro 1. Fidei cap. 11. aliquanto post principium illis verbis, *Principaliter est existendi modus Patris, qui à nullo est, quam caterorum duorum, qui ab eo sumunt originem. Principaliter item modus subsistendi Filij, & ratione ordinis perfectior, quam Spiritus sancti ab eo procedentis*. Propter quæ verba grauissime, sed immerito reprehenditur à quibusdam recentioribus: loquitur enim de sola maiori originis principalitate, quam omnes Patres adducti expressè docent. Vndè immediatè ante ita scribit, *Personalis inuenitur in diuinis perfectio, non quidem secundum naturam, sed rationem originis*. Et postea subdit, *Hæc tamen personalis perfectio & eminentia originis, nullam arguit in ipsa natura differentiam, aut distantiam; nullamque vnius vltra alias, in iis, quæ ad naturalia attinent, perfectionem*: significans in sensu huius secundi dicti, esse perfectionem vnius vltra alias in iis, quæ attinent ad personalitates, & origines, præcisè consideratas.

Pro eodem secundo dicto apertius esse videntur, 147. Nazianzenus oratione de moderatione in disputationibus, multo post principium, *Agnoscamus*, inquit, *Spiritum sanctum hoc solo nomine cedentem Patri, quòd ingenitus non sit; hoc item Filio, quòd non genitus sit; cætera autem, eiusmodi omnino naturæ, dignitatis, honoris, & gloriæ*. Is cui cedit alter, esse procul dubio debet perfectior altero in ea ratione, in qua illi alter cedit. Sed Spiritus sanctus per Nazianzenum cedit Patri in ratione ingeniti, sicut etiam illi cedit Filius, qui pariter ingenitus non est: item Spiritus sanctus cedit Filio in ratione geniti: ergo Pater est perfectior Filio, & Spiritu sancto præcisè in ratione ingeniti; & Filius est perfectior Spiritu sancto, præcisè in ratione geniti. Cyrillus verbis citatis supra n. 138. *Dei Verbum omnia, præter solam paternitatem, cum Patre æqualia, & communia habens*. Diuina paternitas, vt paternitas est essentialiter aliqua perfectio relatiua, vt fatentur etiam Authores, cum quibus nunc disputamus. Sed Filius Dei per Cyrillum est inæqualis Patri in paternitate: ergo in aliqua perfectione relatiua. Augustinus libio Quæstionum veteris & noui Testamenti quæst. 122. prope finem. *In substantia minor non est Filius: aut in aliqua re maior est Pater, ipso Domino testante, & dicente, Pater maior me est*. Authoritas Patris, vt distinguitur contra substantiam Patris, alia esse non potest nisi ipse paternitas ratione præcisa à substantia; ergo præcisè ratione paternitatis, Pater maior est Filio ratione filiationis: ergo eadem ratione perfectior. Athanasius quoque in Quæstionibus anonymis, quarum prima est, *Quid est Deus?* quæst. 5. ita docet; *Omnia æqualiter habet Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter proprietates suas. Proprium enim Patris est, ingenitum esse; Filij verò genitum, at Spiritus sancti procedere*. Si ex Magni Athanasij sententia, diuinæ personæ non habent *æqualiter* proprietates suas, quæ sunt personalitates, & relationes; ergo inter has, saltem per se, & præcisè consideratas per ordinem ad suos formales terminos, non per ordinem ad essentiam, esse non potest omnimoda perfectionis æqualitas. Ideo falsum existimo, quod scripsit Vasquez disp. 122. cap. 5. circa finem. *Nullus Patrum vtitur hoc modo loquendi, Pater dignior, seu excellentior est Filio; vel maiorem, quam Filius, habet authoritatem*. Maneat igitur ex his authoritatibus, & rationibus, Relationes vnius personæ non esse simpliciter, & absolutè dicendas perfectiores, quàm alterius personæ, etiamsi spectentur, vt præcisæ simpliciter ab essentia: sed tantum perfectiores secundum quid ex aliquo modo, secundum quandam inadæquatam, ac diminutam rationem consideratas: vt clarius explicabitur infrà q. 42. art. 1. n. 8. & seqq. vbi in proprio loco agimus de personarum æqualitate. Neque adponendam maiorem perfectionis inæqualitatem nos cogunt prædictæ sanctorum Patrũ auctoritates.

Probatur etiã ex Nazianzeno. Cyrillus. Augustinus. Athanasius. Vasquez.

148. *Idem secundus sensus probatur rationibus.*

Hoc autem, quod tanta authoritate stabilitum est, potest rationibus efficaciter probari primo, quia summa æqualitas, quam tres diuinæ personæ quæuis inter se realitèr oppositæ, ac distinctæ, habent absque vlla prorsus inæqualitate, non potest aliunde prouenire, nisi ex summa identitate atque vnitate, quam vnaquæque habet cum Deitate identificante sibi omnino vniuersam sanctissimam Trinitatem; vt apertissime docent Patres locis & verbis citatis supra num. 139.

Ergo

Defenditur dictũ Clichtouæi.

Ergo si à tribus diuinis personis ratione præscindamus communem naturam, & consideremus duntaxat remanentes rationes diuinas personales ac relatiuas, realiter oppositas ac distinctas, iuxta acceptionem explicatam in secundo dicto suprà, n. 145. nulla superest in illis æqualitatis ratio. Ergo si in illis sunt realiter oppositæ, ac distinctæ rationes perfectionis, non potest inter has perfectiones omnimoda æqualitas cogitari. Secundò istæ perfectiones, quæ verè ac realiter sunt tres distinctæ, ita se habent, vt saltem extensiuè, plus sint simul tres, quam duæ, vel vna; & plus simul duæ, quam vnum tantum. Ergo non potest tanta, saltem extensiuè, perfectio esse in singulis, quanta est in tribus, vel duabus; vt expressè concedit Zuniga disp. 5. dubit. 12. membro 3. ad 3. quæ æqualitas, etiam extensiua, prædicatur à Patribus infra referendis, inter diuinas personas ratione essentiæ. Tertiò intensiua etiam inæqualitas euidenter concluditur ex eo quòd istæ relatiuæ perfectiones non solum sunt plures realiter distinctæ, quod præcisè ad extensiuam perfectionis inæqualitatem facit, quæ in illis reperiretur, etiamsi essent plures paternitates, vel filiationes, vel spirationes, sed sunt etiam diuersissimæ, atque oppositæ rationis essentialis inter se, ob quam communiter dicuntur differre quasi specie. Vnde paternitas ex sua propria, & essentiali ratione constituit personam non procedentem, sed solum producentem, tum per generationem, tum etiam per spirationem: filiatio verò constituit personam procedentem per generationem, non per spirationem; & producentem per spirationem; præterea relatio spirationis actiuæ, communis duabus personis, nullam personam constituit: relatio autem passiuæ spirationis constituit personam procedentem per spirationem, & nullo modo producentem. Sed in rebus oppositis, & specie, vel quasi specie differentibus, cum tam diuersis proprietatibus, seu muneribus, impossibile est inesse æqualem perfectionis intensionem; vbi enim est ratio entis essentialiter diuersa, ibi ratio essentialiter diuersa transcendentalis perfectionis reperiatur necesse est: quia ratio transcendentalis perfectionis in hoc, vel illo ente, nihil est aliud quam ipsa ratio huius, vel illius entis, prout illi nihil deest ex iis, quæ ad propriam suam rationem spectat. Sed quæ differunt specie in ratione entis, non possunt in ea ratione entis, in qua differunt, habere æqualitatem omnimodam: ergo nec etiam in ratione perfectionis. Sicut enim si duæ quantitates differunt in ratione magnitudinis formalis non possunt in ea magnitudine æqualitatem habere; ita pariter si duæ res differunt in ratione magnitudinis virtualis, non possunt æquales esse in eo genere transcendentalis magnitudinis, seu perfectionis. Confirmatur, quia est inintelligibile in eodem planè gradu esse inter se æquales, paternitatem v. g. & filiationem; in quo æquales sunt duæ paternitates, aut duæ filiationes: ergo illam æqualitatem intensiuam in ratione specifica, qua haberent duæ paternitates, aut duæ filiationes, habere non possunt paternitas & filiatio. Postremò omnes concipimus, loquendo præcisè, & cæteris paribus, perfectius esse producere, quam produci; & producere, seu produci per generationem, quam per spirationem quæ non fit generatio; & constituere personam, quam non constituere: quæ omnes differentiæ reperiuntur in diuinis relationibus.

Zuniga.

Satisfit reliquis obiectionibus.

149. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò. Relatio, vt præcisa ab essentia, non dicit vt volunt Scotus, Durandus, & Riccardus supra n. 121. & pluribus contendit Rada controuersia 27. & Molina infrà q. 42. art. 6. disp. 2. corollario 2. perfectionem finitã; quia etiam vt præcisa ab essentia, est quidditatiuè diuina & increata, ergo illimitata: neque dicit perfectionem infinitam, quia ex vi huius infinitatis includeret perfectiones, & cæterarum relationum, & ipsiusmet essentiæ. Ergo nullam simpliciter perfectionem dicit; cum impossibile sit, in re aliqua, siue existente realiter, siue obiectiuè, excludi verè ac realiter aliquam perfectionem, eamque neque esse in se ipsa finitam, neque infinitam, hoc est, nec habere terminum, nec non habere terminum: vt ex instituto contra Scotum probat Heruæus quodlibeto 1. q. 4. art. 2.

Respondeo cum Bauono 1. d. 23. q. 1. art. 3. & q. 15. Aureolo 1. d. 29. q. 2. art. 3. propositione 2. Heruæo suprà, & 1. d. 2. q. 4. paulò ante solutionem argumentorum. Valentia infrà. Suarez lib. 3. de Trinitate c. 10. n. 8. Arrubal disp. 105. n. 10. contra Vazquez disp. 122. n. 29. esse infinitam, tamen non simpliciter in omni genere entis, sic enim est infinita, solum quatenus à parte rei, est omnino identificata cum essentia, & ratione illius cum reliquis omnibus relationibus; sed esse infinitam secundum quid, hoc est, in suo genere, tum in ratione relationis diuinæ, vt sic, referendo ad terminum infinitum, & postulando infinitum fundamentum, in quo sit per maximam identificationem; tum in ratione relationis personalis, & incommunicabiliter subsistendi. Si enim natura est infinita in genere naturæ, ergo petit terminari à subsistentia personali proportionata, scilicet infinita in genere personalitatis, & subsistentiæ incommunicabilis. Hanc infinitatem apertè tradit S. Thomas 3. p. q. 3. art. 1. ad 2. dicens, *Hoc est proprium diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum secundum subsistentiam*. Etenim potentia assumendi, & substantialiter terminandi alienam naturam, vt hîc suppono ex illa materia, conuenit diuinæ personæ, non ratione essentiæ, vt est formaliter essentia, sed præcisè ratione eius perfectionis, quam persona addit essentiæ, secũdum quam persona ratione distinguitur ab essentia, quę est formaliter personalitas. Sed hæc personalitas potest terminare omnes naturas creatas, & creabiles in infinitum; ergo debet intrinsecè in se ipsa eminenter continere omnes personales subsistentias naturarum possibilium: ergo debet habere infinitam perfectionem in genere subsistendi personaliter, & incommunicabiliter. Ex qua infinitate, vt benè notat Heruæus suprà, prouenit quòd quælibet relatio diuina, ex eo quòd talis est, habeat identificare sibi essentiam diuinam, & ratione illius reliquas omnes diuinas relationes.

Respondetur cum multis, perfectionem relatiuã esse infinitam. S. Thomas. Heruæus.

Obiicies tertiò, si quælibet relatio includeret perfectionem infinitam, vt dictum est, sequeretur, concedendas esse in Deo tres infinitates. Quod consequens est absurdum, quia infinitas est prædicatum quoddam absolutum, ergo proprium dicit æ essentiæ, ergo vnum.

150. *Tertia obiectio.*

Respondeo cum Valentia hic, puncto 1. circa finem ad 2. quem etiam sequitur Arrubal disp. 105. c. 7. Infinitatem diuinam, absolutè & sine addito dictam, & multò magis si addas, infinitatem simpliciter, esse vnam tantum in Deo; quia sic significatur infinitas essentiæ, & perfectionum absolutarum: nullum autem absolutum multiplicatur in diuinis. Et in hoc sensu dici debent omnes personæ & relationes, habere eamdem numero infinitatem, sicut omnes sunt vnus numero Deus, absque vlla distinctione ab essentia. Infinitatem verò personalem & relatiuam multiplicari: quoniam illa competit per se relationibus diuinis, secundum quòd relationes

Respondetur cum Valentia, & Arrubal, in Deo esse vnum infinitum simpliciter, plura infinita relatiua.

diuinæ sunt,& non ratione infinitatis essentiæ, quæ cum absoluta sit, potest communicare infinitatem absoluram,non autem respectiuam, qualis est infinitas diuinarum relationum.Sed relationes,vt tales sunt secundum proprium esse ad aliud,multiplicantur in Deo:ergo pariter multiplicari debent infinitates relatiuæ. *Nec magis incommodum est id concedere*, inquit optimè Valentia suprà, *quam quod certum est de fide,Tres esse realitates infinitas relatiuas;quia realitas infinita respectiuè,& infinitas respectiua, idem sunt omnino.* Similiter concedendum est,cum eodem Valentia, esse in diuinis plura infinita respectiua;quia ita sunt plura,vt & simul omnia,& eorum singula, sint vnum simplicissimum infinitum simpliciter in omni genere,propter identitatem cum essentia.

151. *Quarta obiectio, dicit cum Vazquez, Relationes pertinere ad integritatē Dei.*

Obiicies quartò, si diuina relatio secundum proprium relationis conceptum esset perfectio, sequeretur, Relationes pertinere ad integritatem Dei: quia Dei nomine omnes intelligimus ens simpliciter perfectissimum,quo maius ac perfectius cogitari non potest. Ergo in eo quod est Deus, & in sua integra natura includi necessario debet omnis perfectio sibi non opposita, quæ nullam in se inuoluit imperfectionem : cuius generis perfectionis esse sine dubio debent diuinæ relationes si sunt perfectiones, vt probatum est. Consequens assumitur à Vazquez hîc disp.122,c.6.n.22.& latius defenditur à Ruiz disp.30.sect.7.tota,sed à Suarez lib.3.de Trinitate c.9.à n.7.impugnatur primò, *quia nullus sanctorum Patrum, aut Theologorum ita loquutus est;nimirum quòd relationes pertineant ad Dei integritatem.* Secundò, *quia inde sequitur, Patrem per se sumptum, non esse integrè Deum.* Tertiò petit; an hæc perfectionis integritas in Deo,sit simplex, vel composita?sit absoluta,vel relatiua? Nihil enim horum videtur dici posse.Quartò,quia Damascenus lib.1. Fidei cap.10. post medium illis verbis, *Non ex tribus imperfectis vnam compositam naturam perfectam intelligamus; sed in tribus perfectis personis vnam simplicem substantiam superperfectam,& anteperfectam*; significat, *totam perfectionem Deitatis, & Dei vt sic, praintelligendam esse relationibus.* Et aliis verbis, quæ apud Suarez citantur in c. 11. sed habentur in eodem c.10. prope finem.*Perfectas ipsas hypostases, personasque dicimus, vt nullam in diuina natura compositionem intelligamus*; significat,*Non posse ex personis,quatenus distinctæ sunt; vel ex relationibus vt tales sunt, & oppositionem inter se habent, vnam perfectionem consurgere sine compositione.* Quintò, quia *ex numero rerum distinctarum, vt tales sunt,non conficitur vnum, nisi vel compositione, vel collectione,vel omnino per accidens.* Sed tres relationes, vt realiter distinctæ, integrant vnam Dei perfectionem,quia,*vt sunt vnum in essentia,non vniuntur in perfectione personali, sed in essentiali tantum.* Ergo integrant vnum imperfectum, nempe, vel compositione,vel collectione,vel omnino per accidens.Sextò, vnaquæque persona, non solum est integer Deus, sed etiam integra persona. Sed in diuinis multiplicantur tres personæ: ergo si vnaquæque persona habet integritatem personalem,multiplicari pariter debent tres integritates personales. Ergo tres personæ non rectè dicuntur integrare in Deo vnam personalem perfectionem. Septimò tres personæ, quamuis identificatæ cum Deo, tamen in ipsomet Deo manent inter se distinctæ,& oppositæ;& vt sic, vnaquæque est integra in suo genere & ordine. Ergo dici simpliciter non possunt pertinere ad vnam Dei integritatem, siue ad vnam integram relatiuam,seu personalem Dei perfectionem.

Contra arguit Suarez primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò ex Damasceno.* *Quintò.* *Sextò.* *Septimò.*

152. *Respondetur distinguendo consequens.*

Respondeo,prædictum consequens, nempe, Diuinas relationes, quarum vnaquæque conceditur esse perfectio quædam relatiua, pertinere ad vnam integritatem Dei, & consequenter, constituere vnam integram perfectionem Dei relatiuam,posse duobus modis intelligi. Primò, de relationibus comparatis ad essentiam secundum esse *In*:& sic probatur initio obiectionis, & nec à Suarez, nec ab aliis negari potest; quia omnes fatentur,In Deo perfectiones vniuersas, siue absolutas,siue respectiuas, non esse nisi vnum quid simplicissimum,absque vllo numero in re.Secundò de relationibus, seu personis cõparatis inter se secundum esse *Ad*.Et in hoc sensu benè negatur à Suarez,quia vt sic vnaquæque est integra in suo proprio esse relatiuo seu personali:& in hoc esse ita realiter distinguuntur, vt in eodem nulla ratione sint vnum,aut vnitæ.Ergo vt sic, nulla ratione dici possunt, pertinere ad vnam relatiuam Dei integritatem,aut constituere vnam integram perfectionem Dei relatiuam; sed dici omnino debent tres integritates Dei relatiuæ ac personales,siue tres perfectiones relatiuæ,quarum vnaquæque est simpliciter,seu totalis, ac perfecta in genere suo. Hac distinctione præhabita, facile est videre, quid probent argumenta in contrarium facta.

153. *Ad 1.*

Ad 1.Haberi quidem multos Patres, & Scholasticos superius allatos,præsertim n.119.pro illa propositione in primo sensu; nullum verò pro eadem in secundo sensu. Sicut enim omnes docent, Tres personas esse vnam simplicissimam Deitatem, ab ea nullo modo in re distinctas; ita nullus docet, Tres personas esse vnam personam, aut aliqua ratione vnitas in ratione personæ; & eodem modo philosophandum de perfectionibus personalibus, ac relatiuis.

Ad 2.

Ad 2. ex nulla sententia sequi, Patrem per se sumptum, non esse integrè Deum: nam siue dicas cum Suarez, Paternitatem esse perfectionem quasi totalem; siue cum Vazquez, esse quasi partialem; semper dicere poteris, *Patrem per se sumptum*, hoc est, consideratum vt realiter distinctum à Filio, & Spiritu sancto,esse integrè Deum,ac proinde ratione Deitatis habere in se indiuisibiliter,etiam omnia quæ habent Filius,& Spiritus sanctus : quia, vt dicebam suprà n.144. distinctio realis,quam inuicem habent diuinæ personæ, non tollunt realem identitatem,quam habent & omnes,& singulæ cum essentia, ratione cuius quælibat ratio, seu perfectio diuina, est integrè omnis ratio, seu perfectio diuina.

Ad 3.

A 3. Duplex integritas in Deo distinguenda est; quædam propria Dei, simpliciter & in omni genere. quædam propria diuinarum personarum, secundum quid, & in determinato genere relatiuo. Prima est quædam simplex, tamen & formaliter absoluta,& formalite relatiua:hæc enim genera, quia nullam inter se oppositionem importãt, coalescere possunt in vnam simplicissimam entis diuini rationem.Secunda est quidem tantum formaliter relatiua;tamen verè, & formaliter neque est simplex,neque composita:quoniam ratio personalis,seu relatiua,vt talis formaliter, importat in diuinis oppositionem, ac proinde realem distinctionem ac multiplicitatem,quæ pugnat cum simplicitate: importat etiam negationem vnionis in conceptu personali, ac relatiuo,vt dictum est; quæ vnio ad plurium distinctorum compositionem est necessaria, vt suprà n.22. Verè igitur est intelligibilis conceptus vnius integræ perfectionis relatiuæ, conflatæ quasi partialiter ex pluribus relationibus,seu perfectionibus relatiuis.

154. *Ad 4.*

Ad 4. Totam perfectionem Dei naturalem, siue in genere naturæ, & entis absoluti, præintelligendam esse relationibus; non autem totam perfectionem

nem simpliciter, siue entitatiuam in omni genere entis, tam absoluti, quam respectiui; hæc enim non præintelligitur relationibus, sed cointelligitur cum relationibus. Quamquam alia est ibi Damasceni mens in primo loco citato. Per illud enim, *anteperfectam*, sicut per illud aliud præcedens verbum, *superperfectam*, non fit comparatio diuinæ substantiæ perfectissimæ cum personis diuinis, quæ perfectissimæ etiam sunt; sed cum rebus creatis, quantumuis perfectis, quas omnes Deus sua perfectione infinitè superexcedit, siue antecedit. Ex aliis autem Damasceni verbis secundo loco citatis concedo rectè colligi ex tribus personalibus relationibus,vt tales sunt,non posse integrari vnam Dei relatiuam perfectionem.

declarando, quo modo relatio sit perfectio naturæ diuinæ.

Ad 5.

Ad 5. concedo per illud efficaciter probari, ex pluribus relationibus, quarum vnaquæque suam habet perfectionem, non posse integrari vnam perfectionem relatiuam absque aliqua imperfecta vnitate : hæc enim vnitas non potest esse per identitatem cum essentia; quia talis identitas est in genere entis simpliciter : contratia verò opinio cogitat, ex tribus personalitatibus relatiuis consurgere vnam integram perfectionem relatiuam, siue in tali determinato genere entis respectiui:neque potest esse per identitatem relationum inter se; quia relationes inter se opponuntur, & realiter distinguuntur. Ergo si ex illis integratur, & consurgit vna duntaxat perfectio relatiua, vt formaliter relatiua, non remanet alius vnitatis,siue vnionis modus, nisi vel compositionis, vel collectionis, vel omnino per accidens:qui omnes modi pugnant cum diuina perfectione. Neque hoc argumentum efficacius pugnat aduersùs authorem, vt contra Suarez arguit Ruiz suprà n.9. quoniam Suarez dat quidem tres perfectiones personales distinctas realiter inter se, tamen vult has perfectiones vt sic distinctas, & vt formaliter relationes sunt, secundum esse *Ad*, non vniri in ratione vnius perfectionis personalis, & ideo non potest Ruiz illi obiicere vnitatem, aut compositionis, aut collectiuam, aut per accidens; sed vniri solum cum essentia per summam identitatem in ratione, & genere entis simpliciter : ita vt sint simul in Deo tres realiter distinctæ perfectiones relatiuæ, & cum hac reali distinctione eædem tres perfectiones sint vna perfectio simplicissima entis diuini:sicut omnes fatemur,in eo esse tres personas, & vnam naturam, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus, absque vlla prorsus distinctione ab essentia.

Ruiz.

Ad 6.

Ad 6. concedo totum. Persona enim diuina dicitur integra, non solum prout identificat sibi Deum, & reliquas personas ratione Deitatis; sed etiam prout opponitur alteri personæ, & realiter ab aliis distinguitur, secundum quòd vna persona verè ac realiter non est alia. Ergo si vnaquæque vt sic est perfectio, erit vnaquæque perfectio integra. Ergo sunt tres perfectiones relatiuæ integræ. Ergo non possunt benè, concipi, inter se coalescere in vnam integram perfectionem relatiuam : sicut duo integra composita in vnum integrum compositum, v.g. hircum & cerùum in hircoceruum. Ad 7. concedo etiam totum eadem ratione.

Ad 7.

155. *Quinta obiectio.*

Obiicies 5.Relatio non distinguitur in re à natura & persona. Ergo dici non potest perfectio naturæ & personæ. Consequentia probatur, quia esse perfectionem alterius, consistit in reali habitudine conuenientiæ;qua vnum dicitur conueniens alteri; & importat,integrare,seu constituere integram perfectionem alterius : quæ omnia intelligi nequeunt absque aliqua distinctione ex natura rei.

Respondetur

Respondeo iuxta dicta in primo tomo quæst.4. art.2. num.47.distinguendo consequens.Relatio in re ipsa, sine vlla intellectus nostri operatione, dici non potest perfectio naturæ, quia cum relatio in re sit idem omnino quod natura, idem verè ac realiter esset perfectio suiipsius,quod ex ipsis terminis absurdum esse omnes apprehendimus. Eadem verò relatio secundum nostrum imperfectum modum concipiendi cum aliquo fundamento in re ex parte obiecti,rectè dicitur perfectio naturæ, seu personæ diuinæ.Huius conceptionis fundamentum est,quia relatio diuina in re ipsa est quædam perfectio relatiua, non inclusa intrinsecè intra essentiam naturæ; & secundum se est talis rationis, vt si per impossibile relatio & natura in re distinguerentur; relatio perficeret naturam, non natura relationem. Hinc ductus imperfectus noster intellectus non solum distinguit relationem & naturam, sed etiam concipit relationem veluti formam, seu modum perficientem naturam, & naturam tamquam subiectum, quod à relatione perficitur : quamquam huiusmodi imperfectiones, formæ, & subiecti non sunt in Deo,sed nos concipiendis rebus creatis assueti,eas, propter nostram intelligendi imperfectionem, in Deo concipimus. Quare ad consequentiæ probationem dico,quòd esse perfectionem alterius primo modo secundum rem, requirit inter perficiens & perfectum realem habitudinem & distinctionem: sed secundo modo secundum rationem, non requirit aliam habitudinem & distinctionem, nisi rationis.

156. *Sexta obiectio, An relatio diuina sit perfectio simpliciter simplex. Negant Scotus, Aureolus, Baconus, Gabriel, Suarez, Rada, Albertinus, Arrubal, Florauantius, Zuniga.*

Obiicies 6. Relatio diuina non potest esse perfectio simpliciter simplex. Ergo nulla alia ratione concipi potest in Deo, vt perfectio. Probatur consequentia, quia naturæ ac personæ diuinæ simpliciter perfectissimæ, ac simplicissimæ, tribui non debet alterius generis perfectio, nisi simpliciter simplex.Probatur antecedens, quia Theologi communiter illud docent, Scotus 1. d.2. quæst.7. §. *Ad primam quæstionem dico.* versic. *Hoc etiam arguitur.* & d.19.quæst.1.ad secundum principale.& d.26.q.vnica.§. *Ad primum tertiæ viæ.* versic. *Et per hoc patet.* & Quodlibeto 5.art.2. in 1. & 2. ratione principali. Aureolus 1.d.19.quæst.2.art.3. propositione 1. Baconus d.23.q.1. art.1.circa med. corporis. Gabriel d.27.q.3. art.3. Suarez lib.3. de Trinitate c.10. n.4. & tomo 1.in 3.p.disp.11. sect.4.ad 1. Rada controuersia 27.§. *De opinione Scoti.* Conclusione 2. ratione 3.Albertinus suprà n.145.Arrubal disp.105.n.20. Florauantius lib.2.pagina 26.initio. Zuniga disp.5. dub.12.membro 3.ad 1.& plures alij,idque probant ex definitione perfectionis simpliciter simplicis, tradita ab Anselmo, & ab omnibus Scholasticis recepta,quam explico in 1.tomo q.4.art.2.n.4.& q.11. art.1.n.19. & benè explicat Scotus Quodlibeto citato §.*Secunda ratio.* est enim illa, *quæ*, vt loquitur Scotus,*in quolibet habente ipsam, melius est ipsam habere,quam non ipsam habere,hoc est, quam quodcumque sibi incompossibile,etiam positiuè.*Sed esse v.g.Patrem in diuinis, non est quid melius quam non esse Patrem: sed esse Filium, quod est positiuè incompossibile cum esse Patrem;vna enim diuina persona, non est melior,aut perfectior alia. Ergo esse Patrem, & eadem ratione,esse Filium,esse Spiritum sanctum,non est perfectio simpliciter simplex.

Quid sit perfectio simpliciter simplex ex Anselmo.

Si negetur, nihil sequi contra conclusionem.

Respondeo 1.admisso antecedente, negari facilè posse consequentiam. Satis enim cohæret cum perfectissima natura Deitatis, nullam habentis imperfectionem, si eius relatio sit perfectio simplex, esto non sit perfectio simpliciter, sed secundum quid; hoc est,satis est vt sit talis, quæ considerata in tota latitudine rationis suæ, habeat infinitam perfectionem sine vlla imperfectione,vt probatum est suprà n.149.

num.149.Et ideo Ocham 1.d.19.q.1.litera O. de relatione diuina rectè ait, *Ex se est perfectior omni creatura; & ex se est res, cui repugnat omnis imperfectio.* Et Gabriel suprà,*perfectio simpliciter summa, & infinita, impossibilis omni imperfectioni.*

157. *Conceditur cum Heruæo, Vazquez, Zumel, Nazario, Valentia, Ruiz, Caietano, Arimenensi.* Respondeo 2.Negari etiam simpliciter posse antecedens cum Heruæo Quodlibeto 1.q.4.ad 1.Vazquez disp.122.c.4.n.10. Zumel disp.5.fine. Nazario hic controuersia 2.§.3. Valentia hic puncto 1.ad 3. Ruiz disp.30.sect.9.tota. Quibus fauent Caietanus 3.p q.3.art.1.§. *Ad horum.* concedens, personalem subsistentiam esse perfectionem simpliciter simplicem;quamuis id neget de relatione. Et Arriminensis 1.d.19. q.1.art.1. aliquanto ante finem agens contra Aureolum, quòd inconsequenter scripserit, Relationem diuinam secundum propriam relationem entitatem esse perfectionem;& tamen, non esse perfectionem simpliciter simplicem:eumque impugnans primò ex Anselmo in Monologio c.14. aliquanto post medium, *Nefas est putare,quòd substantia summæ naturæ sit aliquid, quo melius sit aliquo modo non ipsum.* Sed substantia summæ naturæ est Pater, v.g. imò ipsamet paternitas.Ergo nefas est,ex Anselmi sententia, putare quòd esse Patrē,vel paternitas, aut quæuis alia relatio in Deo, non sit perfectio simpliciter simplex.Secundò,si paternitas nō est perfectio simpliciter simplex,ergo paternitas in Patre nō est melior quam non paternitas ; quod,inquit Ariminensis,*non potest dici,quia tunc sequitur,quòd Pater non minus esset perfectus, nec minus esset,si in ipso non esset talis entitas: & vlterius sequitur,quòd ipsa superfluè sit in eo, quod impium est sentire.* Igitur ad probationem antecedentis, concessa Maiore ex definitione Anselmi, nego Minorem, & dico, quòd esse Patrem in diuinis, est simpliciter melius quam non esse Patrem; quia si Pater diuinus non esset Pater,neque esset Filius,neque Spiritus sanctus,ac proinde, neque esset omnino Deus , qui essentialiter essentialitate identica est Pater,Filius, & Spiritus sanctus;idemque de vnaquaque persona eadem ratione dici debet. Quamobrem cum esse Patrem non est simpliciter incompossibile esse Filium ; quamuis enim esse Filium sit incompossibile Patri ratione paternitatis, cui opponitur;non tamen est eidem incompossibile ratione Deitatis , & naturæ Patris , cum qua nulla relatio oppositionem habet, sed omnes identificantur. Propter oppositionem,& realem distinctionem inter se, non est in diuinis Pater qui sit Filius , aut Filius qui sit Pater. Propter identitatem verò cum natura , in Patre sunt etiam Filius & Spiritus sanctus , & in Filio sunt etiam Pater & Spiritus sanctus,& in Spiritu sancto sunt etiam Pater & Filius. Atque ex huiusmodi identitate oritur , vt quælibet diuina relatio dici debeat perfectio simpliciter simplex,quia de nulla dici potest , quòd in aliqua diuina persona melius sit illam non habere , quam habere;cum nulla diuina persona esse possit, quæ omnes relationes diuinas in se simpliciter adunatas non habeat. Quā perfectionis radicem acutè tangit Heruæus suprà §.*Ad aliam probationem.* dicens,*Quod licet vna relatio non sit alia relatio realiter, nec vna persona habeat relationem oppositam alterius personæ;tamen omnis persona habet illud, quod est realiter & formaliter omnis relatio diuina: & ex hoc sequitur,quòd omnis persona habet omnem perfectionem, quam dicit quæcumque relatio in habendo istam essentiam.* Itaque argumentari breuiter & clarè possumus hunc in modum . In qualibet diuina persona est natura.Sed natura diuina est Pater,Filius,& Spiritus sanctus. Ergo in qualibet diuina persona est Pater , Filius , & Spiritus sanctus. Ergo de quauis diuina persona dici non potest , quod sit melius in ea non esse , v.g. filiationem , sed esse paternitatem oppositam filiationi; cum verè vtraque sit in qualibet persona. Ergo de nulla diuina relatione dici omnino potest, quòd non sit perfectio simpliciter simplex,hoc est,melior ipsa quam non ipsa sibi incompossibilis, in aliqua diuina persona. Dixi, *omnino,* quia , vt breuiter adnotaui in primo tomo quæst.4. art.2. num.43. post medium,& ex dictis probatum remanet , & si quælibet relatio considerata sub vna ratione , nempe per comparationem ad essentiam, sit perfectio simpliciter simplex ; tamen considerata sub alia ratione,nempe per comparationem ad aliam oppositam, ac realiter distinctam relationem , dici non potest perfectio simpliciter simplex , cum nulla dici possit melior alia:quælibet enim non obstante tali oppositione , ac distinctione in re , habet etiam in re ex sua infinitate identificare sibi naturam diuinam , & consequenter omnes diuinas perfectiones ratione naturæ : quæ omnium diuinarum perfectionum identificatione nihil melius cogitari potest. Atque hac duplici consideratione conciliari facilè possunt diuersæ Theologorum sententiæ de hac re.

Quo modo relatio diuina non sit perfectio simpliciter simplex.

158. Dices ; si in indiuiduo,& singulari Deo, esse Patrem,esse Filium , esse Spiritum sanctum , esset perfectio simpliciter simplex , ex huius perfectionis definitione sequeretur , hunc numero Deum cum his personalitatibus ac relationibus esse meliorem, ac perfectiorem se ipso sine relatione. Quod absurdum esse putat Suarez lib.3. de Trinitate c.10. n.6. quia,inquit,Deus vt Deus *absque relatione,est ens simpliciter infinitum in genere entis.*

Suarez.

Soluitur ratio contraria.

Deum absque relatione fore imperfectum.

Respondeo,id non esse absurdum, manifestè colligi ex S.Thoma , & multis aliis sanctis ante ipsum, docentibus vt suprà n.123. & 129. Deum fore imperfectum absque relationibus. Et quidem si relatio secundum propriam suam rationem , est perfectio relativa , secundum rationem ratiocinatam distincta ab absoluta perfectione Deitatis ; & plures realiter relationes, sunt plures realiter perfectiones relativæ, vt ipsemet Suarez supra rectè docuit , apparet minus intelligibile , tantam omnino perfectionem esse in Deitate cum relationibus,& sine relationibus, hoc est, cum diuinis perfectionibus relatiuis,& sine illis. Quod enim dici posset, In Deitate relationes omnes esse non formaliter, sed eminenter, confutatum sufficienter est supra num.135. ibique etiam solutum est fundamentum contrarium de Deitatis infinitate simpliciter in genere entis. Neque præterea quidquam vrgent verba illa Ioannis 10. ex quibus etiam argumentatur Suarez suprà,*Pater meus quod dedit mihi,maius omnibus est.* Tum quia etsi omnes Latini ita legant , tamen , vt testatur,& aptius legi putat Maldonatus, omnes authores & codices Græci aliter habent sic,*Pater meus,qui dedit mihi , maior omnibus est.* Quo sensu nihil plane concluditur contra nos. Tum quia esto cum Latinis legamus , *Maius omnibus est*, & cum iisdem ferè omnibus per hoc intelligamus Deitatem , sicut exponit ipsummet Concilium Lateranense sub Innocentio 3.& refertur cap.*Damnamus*, de summa Trinitate post medium, *Pater,ab æterno Filium generando , suam substantiam ei dedit:iuxta quod ipse testatur, Pater quod dedit mihi,maius omnibus est* : tamen nihil etiam dictis obest. Primò, quia Pater Filio dedit non solum Deitatem, sed etiam suam paternitatem , quam non potuit non dare dando Deitatem, quæ est indiuisibiliter ipsa paternitas. Secundò magis ad rem , quia per illud,Maius omnibus , non fit comparatio inter diuinam naturam & personas diuinas ; sic enim comparatio & esset falsa, quia Deitas non est quid maius omnibus diuinis personis; & contextui minimè cohæreret, quia de quibus suis

Exponitur locus Ioannis 10. Maldonatus.

Concilium Lateranense.

Heruæus.

Christus immediatè dixerat,*Non rapiet eas quisquam de manu mea.*Quod probans subdit,*Pater meus quod dedit mihi,maius omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei.Ego & Pater vnum sumus.* Ex quibus euidenter concluditur , quòd nemo etiam potest rapere de manu Christi. Quo discursu patet, comparationem fieri inter Deum,& eos qui rapere possunt oues de manu Christi & Patris ; qui raptores,alij fingi non possunt, nisi creaturæ. Solum igitur significatur , Dei naturam ac potestatem esse maiorem quacunque alia creata natura & potestate , quæ illi audeat , ac valeat contradicere. Longè autem alia est nostra comparatio Deitatis cum suis relationibus , & eiusdem Deitatis sine eisdem relationibus. Illam enim asserimus meliorem ac magis perfectam ; & ideo perfectiones relatiuas huius indiuidui Dei esse dicendas perfectiones simpliciter simplices.

159. *Septima obiectio , cuius consequentia defenditur ex Rada contra Bagnes , & Zumel.* Obiicies 7. Hæc paternitas formaliter est hæc perfectio diuina. Sed hæc paternitas non est in Filio. Ergo hæc perfectio non est in Filio. Consequentia est optima , quam concessa Maiori , & Minori , immeritò negat Bagnes hîc dub.1. post solutionem 4.argumenti dicens, deficere , sicut deficit ista , Hæc paternitas est hæc essentia diuina. Sed hæc paternitas non est in Filio. Ergo hæc essentia non est in Filio : quoniam, inquit , Perfectio etiam est quid absolutum & essentiale. Quam responsionem sequitur Zumel hîc disp.5. notabili 2. & conclusione 1.post medium , & post tertiam conclusionem : sed multis euidenter confutat Rada controuersia 27. §.*Propter hoc argumentum.* Ipse enim Bagnes paulò ante ad 2.concesserat , *quòd paternitas vt sic non est perfectio Filij , sed tamen est perfectio Patris.* Quod necessario debet intelligi de relatiua perfectione, non de absoluta ; cum absoluta omnia quæ sunt in Patre, sint etiam in Filio. Præterea in secunda conclusione, & in tertia dixerat , quòd *omnis relatio realis formaliter , & secundum propriam rationem ad aliquid,sicut intrinsecè claudit ens reale, ita intrinsecè & formaliter importat perfectionem :* quæ alia esse non potest nisi relatiua. Alioqui si in relationibus diuinis Bagnes nullam agnoscit perfectionem nisi essentiæ , non erat cur diceret , se tenere contra Capreolum & Caietanum, qui sanè non negant, quòd relatio diuina,in quantum est Deus,sit perfectio. Si igitur relatio diuina non solum secundum esse *In*, sed formaliter & explicitè secundum esse *Ad* , est perfectio , v.g. non solum Pater vt Deus , sed etiam Pater vt Pater, & secundum quòd distinguitur realiter à Filio,vitari nulla ratione potest , quia perfectio relationis sit perfectio relatiua : quia quicquid includitur in formali ac proprio relationis conceptu , præcisè secundum esse *Ad*, euidenter esse non potest absolutum,sed respectiuum. Quo posito manifesta est disparitas inter duas prædictas consequentias. Nam in prima medius terminus , qui est *hæc paternitas*,distribuitur vniuersaliter, & adæquatè sumitur cum Maiori extremo , quod est *hæc perfectio diuina*,cum omnis hæc paternitas sit hæc perfectio diuina, nimirum relatiua ad Filium. At in secunda medius terminus est etiam *hæc paternitas* , sed non vniuersaliter distribuitur, nec adæquatè sumitur respectu Maioris extremi , quod est *hæc essentia*: nam etsi omnis hæc paternitas sit hæc essentia , tamen non omnis hæc essentia est hæc paternitas; cum hæc essentia sit etiam filiatio , hæc autem paternitas non est hæc filiatio , cum ab ea realiter distinguatur : & ideo ex eo quod hæc paternitas sit hæc essentia quæ est in Patre & Filio,non sequitur, quod hæc paternitas sit etiam in Filio : sicut ex eo quòd hæc paternitas sit adæquatè & conuertibiliter hæc perfectio relativa ad Filium , de necessitate euidenter sequitur , quod si hæc paternitas non est in Filio , neque in Filio erit hæc perfectio relatiua ad Filium:non minus quam si quis ita argueret, inquit optimè Rada , *Paternitas est entitas relativa , & hæc paternitas non est in Filio , ergo aliqua entitas relativa non est in Filio.*

160. *Respondetur distinguendo Antecedens.* Respondeo , consequentiam rectè probatam esse; sed concessa Maiori , distinguo Minorem iuxta dicta suprà n.140. hæc paternitas prout realiter distincta à Filio , seu filiatione , cui formaliter opponitur , non est in Filio ratione filiationis , siue vt identificata filiationi , cum ab hac realiter distinguatur. Eadem vero paternitas prout identificata diuinæ naturæ , quæ est indiuisibiliter ipsamet filiatio,est sine dubio in Filio , non minus ac in eo est integrè ac planè quicquid est ipse Deus , qui simplicissime , & absque vlla prorsus distinctione est Trinitas personarum. Eodemque prorsus modo distinguendum , ac dicendum est de hac perfectione relatiua Patris ad Filium , quæ nihil aliud est nisi hæc paternitas.

Instantia ex Bagnes & Rada.

Dices cum Bagnes supra , si aliqua perfectio esset formaliter in Deo,quæ non esset in Filio, ergo aliqua perfectio simpliciter simplex non esset in Filio, quia,inquit,*Omnis perfectio , quæ est formaliter in Deo, est simpliciter perfectio* : ergo Filius non esset infinitè perfectus. Quid simile obiicit Rada supra probans, absurdum esse , quòd Pater habeat aliquam perfectionem infinitam , quam non habet Filius ; *quia,* inquit,*cum Filius sit infinitum ens intentiuè , & infinitè perfectum,necessario debet habere omnem perfectionem infinitam* , & præterea quia , *omnis perfectio infinita , est perfectio simpliciter ; omnis perfectio infinita potest esse in ente infinito , & si fuerit æternum, necessario est ; quia in æternis idem est posse & esse.* Ergo,&c.

Soluitur ex dictis.

Sed omnia ex dictis suprà , præsertim num.140. facilè soluuntur. Esto igitur omnis perfectio , quia est formaliter in Deo , ideo sit simpliciter simplex, quod esset vlterius probandum , vt nos facimus suprà num.159. & propterea concedendum sit primum consequens à Bagnes deductum, nempe,quòd aliqua perfectio simpliciter simplex non sit in Filio , tamen cum hinc rursus infertur. Ergo Filius non est infinitè perfectus , distinguendum est, & subiectum , & prædicatum consequentis. Si enim Filius sumatur vt Deus,& consideretur etiam ratione Deitatis ; nego non esse infinitè perfectum simpliciter in omni genere,quia sub ista ratione in illo est etiam perfectio paternitatis. Si verò sumatur vt Filius formaliter,& præcisè ratione filiationis , qua ratione concedimus , in eo non esse perfectionem paternitatis,dico,Filium vt oppositum relatiuè Patri,ab eoque realiter distinctum,esse infinitè perfectum,non infinitate simpliciter in omni genere,sed infinitate secundum quid in suo particulari genere Filij. Quod,ni fallor,omnes fideles debent asserere: nam esto dicamus , relationes personales non esse perfectiones ; negare tamen non possumus , eas esse saltem tria entia realia relatiua,inuicem realiter distincta. Ens igitur relatiuum Filij diuini , etiam vt realiter distinctum ab ente relatiuo diuini Patris, est ens infinitum ; & quia vt realiter distinctum ab ente paterno,non habet illud ens , quia verè & realiter vnum non est aliud ; ideo ens relatiuum Filij, dici non potest infinitum simpliciter in omni genere entis , sed tantum infinitum secundum quid in suo genere determinato talis entis. Hoc ipsum duplex infinitum , quod in diuinis omnes admittere tenētur in ratione entis,nos admittimus in ratione perfectionis.Ex quibus sit etiam anqifectum,quam vim habeat discursus Radæ. Nam quod addit absolutè

lutè & vniuersaliter, quòd *omnis perfectio infinita est perfectio simpliciter*; & quod *omnis perfectio infinita potest esse in ente infinito*, quomodocumque infinitum fuerit, est planè falsum, vt patet ex materia de infinito in primo tomo. Infinitus enim calor, v.g. est quædam infinita perfectio, sed non simpliciter, & in eo non potest esse omnis perfectio infinita, v.g. infiniti frigoris.

161. *Octaua obiectio ex Nazario.*

Obiicies 8. fundamentum Nazarij hîc controuersia 2. conclusione 4. *Omnis perfectio, formaliter vt perfectio, inest ei, cuius est perfectio. Sed relatio formaliter non inest. Ergo formaliter non est perfectio.* Secundò ita arguit, *Paternitas, ratione sui Ad realis, quo respicit terminum, scilicet filiationem, vel Filium, neque est perfectio Filij, neque Patris. Ergo non est formaliter perfectio.* Hæc vero omnium minimè vrgent.

Respondetur & explicatur quid sit perfectio.

Ad 1. dico 1. Maiorem simpliciter & vniuersaliter esse apertè falsam: in qua perfectio in genere, diminutè accipitur pro forma perficiente subiectum: iuxta quam acceptionem Durandus 2. d. 34. quæst. 1. num. 23. ait, *Perfectio dicit habitudinem rei ad aliam, quæ per ipsam perficitur.* At verò adæquata ac propria perfectionis, seu perfecti ratio, non est hoc modo relatiua, seu per habitudinem vnius rei ad aliam, sed potius absoluta per talem intrinsecam ipsius rei dispositionem: quia, vt ex Philosopho 5. metaph. t. 21. docet S. Thomas suprà q. 4. art. 1. fine corporis, & repetit q. 5. art. 5. initio corporis. illud propriè dicitur perfectum, *cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis*; hoc est, actu habet omnia, quæ debita sunt, & conueniunt propriæ ipsius naturæ. Qua absoluta ratione calor vt octo, dicitur calor perfectus, seu perfectio caloris; quia habet omnem intensionem, quam naturaliter habere in se potest natura caloris; quicquid sit de ineſſe alteri, seu de perficere alterum: si enim id esset necessarium ad hoc vt aliquid sit simpliciter perfectio ac perfectum, neque ipsæ diuinæ personalitates & relationes, neque etiam ipsæmet diuinæ personæ essent simpliciter perfectæ, seu aliqua perfectio, imò ne ipse quidem Deus esset perfectus; quia nec Deus, nec diuinæ personæ insunt alicui, cuius sint perfectiones. Aliud igitur omnino sunt, rem esse talem perfectionem formalem, qua perficitur subiectum; & rem esse perfectionem simpliciter, siue in se ipsa simpliciter perfectam. Dico 2. esto omnis perfectio sit formalis, seu formæ respectu subiecti, vel quasi subiecti, distingui potest maior, quòd talis perfectio debet inesse ac perficere, nimirum vel actu, vel aptitudine: sicut enim de ratione accidentis est inesse aptitudinaliter, non actualiter; & de ratione formæ non est actu informare, sed posse informare; ita de ratione perfectionis formalis, seu formæ, vt perfectio est, non est actu inesse, & actu perficere, sed satis est si ad hoc formalem habeat aptitudinem; alioqui calor separatus ab igne non esset perfectio ignis, & de facto species sacramentales non essent ex propria natura accidentales perfectiones substantiæ panis & vini. In hoc sensu nego Minorem: quia relatio, etiam secundum esse *Ad*, quamuis non explicet aptitudinem, & habitudinem ad subiectum, tamen implicitè & essentialiter eam includit, vt fusius declaro suprà, art. 2. n. 28. & 29. in rebus enim creatis hoc esse *Ad*, in sua intrinseca & essentiali ratione est accidens: in diuinis quoque esse *Ad* reale, est substantialis quædam forma, vel quasi forma, per quam formaliter vna diuina persona refertur ad aliam: hic enim formalis effectus referendi ad aliud, non potest intelligi prouenire à relatione secundum esse *In*, sed solum formaliter secundum esse *Ad*: quod solum verè inest subiecto, aut quasi subiecto, illúdque refert ad terminum. Ipsum enim esse *Ad*, & non esse *In* est id quod ponitur in subiecto cum in eo ponitur relatio.

Relationem esse formalem perfectionem, etiam secundum esse Ad.

S. Thomas.

Durandus.

Ad secundum patet ex dictis. Paterniras enim diuina per esse *Ad Filium* formaliter, est perfectio Patris ad Filium. In eo enim decipitur arguens, quòd imaginatur, quòd esse paternitatis *In Patre*, sit aliud esse, quam ipsum formale esse Patris *Ad Filium*. Idem enim prorsus indiuisibile esse relatiuum est, quod, quia est essentialiter esse vnius ad alterum, hoc est, subiecti ad terminum, habet duplicem habitudinem, alteram ad terminum, & ratione huius dicitur esse *Ad*; alteram ad subiectum, & ratione huius dicitur esse *In*. Quare idem Nazarius supra, §. *Sed hæc solutio*. minus rectè ita scribit contra Suarez, *Contradictionem inuoluit, dicere perfectionem relatiuam; nam relatiuum vt sic, extrinsecum terminum respicit, cuius non est perfectio, & multò minus subiecti, quod non respicit.* Enim verò iisdem verbis arguere posset Sabellianus contra Trinitatem diuinarum personarum relatiuarum, quòd *contradictionem inuoluit, dicere substantialem personalitatem relatiuam; nam relatiuum vt sic, extrinsecum terminum respicit, cuius non est substantialis personalitas, & multò minus subiecti, quod non respicit.* Dicendum igitur, & pro Nazario contra Sabellium, & pro Suarez contra Nazarium, Relatiuum vt sic, etiam præcisè consideratum, & significatum per esse *Ad* terminum extrinsecum, & realiter distinctum, atque oppositum, ita respicere terminum, vt illum respiciat prædicamentaliter per explicitam significationem. Verum præterea idem esse *Ad*, quantumuis præcisum à subiecto, adhuc respicere subiectum alia ratione, scilicet non explicitè, sed implicitè; non prædicamentaliter, sed transcendentaliter; hoc est, non tamquam *id ad quod* ordinat aliud; quod proprium est relationum prædicamentalium; sed tamquam *id quod* ordinat ad aliud; quod respicere tamquam *id quod*, est commune omnibus relationibus transcendentalibus, v.g. Quantitati, quæ essentialiter est id quod quantificat subiectum; & Qualitati, quæ etiam essentialiter est id quod qualificat subiectum; ita etiam Relationi, seu Rationi essendi *Ad*, quæ est etiam essentialiter id quod ordinat subiectum ad aliud. Illa enim ratio quæ explicitè dicitur esse *Ad aliud*, seu terminum, eadem in se ipsa intrinsecè & essentialiter per illud idem esse *Ad aliud*, habet posse formaliter ordinare subiectum ad aliud: quoniam illud esse *Ad*, etiam præcisè spectatum, adhuc est realis quidam ordo; omnis autem ordo, vt formaliter ordo, neque esse, neque concipi perfectè potest nisi inter duo; alterum quod ordinet ad aliud; alterum ad quod ordinetur aliud. Itaque esse *Ad*, non solum est explicitè esse *Ad terminum*, sed etiam est implicitè esse *In subiecto*. Et ideo relatiuum, vt relatiuum formaliter, secundum omnia quæ in se ipso essentialiter includit, quicquid sit de explicita, aut implicita nostra apprehensione, & verborum significatione, præter esse respectum ad terminum, potest esse etiam & perfectio subiecti, quod est pro Suarez contra Nazarium, & substantialis personalitas naturæ, quod est pro Nazario contra Sabellium.

162. *Explicatur esse relationis Ad, & In.*

Defenditur Suarez contra Nazarium.

DVBITATIO VI.

An etiam in rebus creatis relatio prædicamentalis non distinguatur ex natura rei à suo fundamento.

SVMMA.

1 *Exponitur ratio tractandi, num.* 163.
2 *Relationem solam non posse per se esse, n.* 164.
3 *Relationem distinguit ex natura rei à fundamento, & authores pro vtraque parte, n.* 165. *ad* 171.
4 *Probatur idem ex S. Thoma, n.* 171. *ad* 180.
5 *Eadem distinctio rationibus confirmatur, num.* 180. *ad* 188.
6 *Soluuntur oppositæ rationes, num.* 188. *ad finem Articuli.*

163. *Ratio tractandi.*

HAnc quoque difficultatem tangit, &, ni fallor, expressè definit S. Thomas hîc in responsione ad 2. & ideo de illa eodem loco Caietanus, & multi alij Interpretes infrà referendi, copiosè dixerunt: imò Syluester in suo Theologico Conflato q. 28. antequam de diuinis relationibus quidquam attingeret, satis longam de eadem re disputationem præmittendam esse existimauit. Quamuis enim philosophica sit, tamen simillima est theologicæ huius articuli controuersiæ, de distinctione inter essentiam Dei, eiusque relationes: & ex actuali distinctione, quæ inter creatam relationem, & fundamentum admittendam esse probabimus, & veritas Fidei de identitate diuinarum relationum cum essentia, per hanc differentiam fiet illustrior; &, vt prudenter adnotauit Valentia hîc puncto 1. circa principium, in §. *Est autem*, per comparationem ad res distinctas, commodius intelligi, & explicari poterit, quo modo eadem simplicissima res diuina, quæ non est ita formaliter absoluta, vt non sit etiam formaliter relatiua, neque est ita formaliter relatiua, vt non sit etiam formaliter absoluta, possit per virtualem, atque eminentialem æquiualentiam, quam habet ad relationem creatam distinctam, multa facere intra & extra Deum, vt relatiua tantum, ac si non esset simul formaliter absoluta; vt constituere, distinguere, opponere, ac referre personas in Deo; & assumere in personæ vnitatem alias creatas naturas, essentialiter distinctas à diuina. Præterea cum hæc controuersia maximè agitetur, teste Syluestro supra, *inter Thomistas, qui*, inquit, *de hoc scriptis vsque ad nauseam decertarunt*, non potest commentator S. Thomæ hoc loco eam omnino intactã relinquere. Sit igitur breuiter

Sylueſter.

Valentia.

164. *Prima conclusio. Relatio sola non potest per se esse.*

Prima conclusio. Relatio creata non ita distinguitur actu ex natura rei à suo fundamento, vt sicut fundamentum potest realiter existere in rerum natura sine relatione, quo modo sine paternitate existit Pater mortuo Filio, ita relatio possit per se realiter existere sine fundamento: quod multi vocant, non distingui realiter; quorum loquendi modum, tamquam probabiliorem, & hoc tempore in scholis magis vsurpatum sequutus sum in 1. tomo q. 4. a. 2. n. 89. sed nunc, ad tollendam nominum æquiuocationem, maioris claritatis ac breuitatis gratia, placet hoc alio modo loqui. Hanc conclusionem ita explicatam nullus ferè negat. Quamuis enim multos reperias, qui contendant, Relationes à fundamentis distingui realiter; per hoc tamen nil aliud intendũt, nisi actualem distinctionem in re ipsa ante omnem intellectus distinguentis operationem. Quapropter Syluester supra, ita quæstionem proponit, *Vtrum relatio à suo fundamento proximo distinguatur sicut res à re, vel verè sola ratione*: significans, omnem distinctionem, quæ non est solius rationis, esse realem, siue rei à re. Et expressius Caietanus hîc, §. *In responsione ad secundum*. Soluens rationem Scoti, ait, *Multa sunt distincta realiter, quorum vnum implicat contradictionem esse sine altero*. Ratio conclusionis est, quia relatio nõ potest à fundamento separari, & separata existere; quod, vt ait Suarez in metaph. disp. 47. sect. 2. n. 9. circa finem, *est per se notum apud omnes, quia nullo modo potest intelligi relatio prædicamentalis sine fundamento.* Quoniam verò id intelligit Maior 4. d. 12. q. 1. circa finem dicens, *Quòd Realium tenendo principia, Deus non potest producere paternitatem in eo, qui non genuit; nec ab eo, qui genuit, potest tollere paternitatem, manente fundamento, & termino relationis; bene tamen potest producere relationem extra subiectum.* & pro eodem refertur Ledesma p. p. d. 4. q. 28. a. 2. dub. 4. ideo, hãc intellectionem minus rectam esse, ita probo, seu potius suadeo, cum in hac re non appareat, quo demonstrato fieri possit conuincens proteruos: quia sicut nomine existentiæ omnes concipimus vltimam quãdam actualitatem essendi simpliciter extra causas; & nomine actionis, vltimam actualitatem essendi ab alio; & nomine vnionis vltimam actualitatem essendi cum alio; ita nomine relationis omnes concipimus quamdam vltimam, atque immediatam actualitatem essendi ad aliud. Ergo sicut ex hac essentiali ratione vltimæ actualitatis oritur, vt neque esse, neque rationabiliter concipi possit, aut existentia sine aliquo, per eam actualiter existente; aut actio sine principio, à quo actualiter est aliud; aut vnio sine duobus, quæ inuicem actu vniuntur; ita pariter est planè impossibilis, & inintelligibilis relatio, seu referentia, seu ordo, sine eo, quod actu refertur, & ordinatur ad aliud. At si daretur relatio extra omne subiectum, illa iam non tam esset relatio, hoc est, ipsa actualis & vltimata referentia ad aliud, quam quædam veluti potentia relationis: sicut enim quia inhærentia est ipsa actualis ratio essendi in alio, si separaretur ab alio, esset aliquid potens inhærere, & non inhærentia; ita quia relatio est ipsa actualis ratio essendi ad aliud, siue ipse respectus, quo vna res actu respicit aliam, si esset per se absque vllo subiecto, non esset actualis respectus, & relatio, siue ordo actu referens, atque ordinans vnam rem ad aliam, siue actualis modus habendi se ad aliud; sed esset aliquid aliud potens referre & ordinare.

Ratio conclusionis.

Caietanus.

Suarez.

Conclusio est contra Maiorem & Ledesmam.

165. *Secunda conclusio. Relatio distinguitur ex natura rei à fundamento.*

Secunda conclusio. Relatio, etiamsi à parte rei existere nequeat separata à suo fundamento, adhuc tamen ante omnem distinctionem rationis, siue ratiocinantis, siue etiam ratiocinatæ, distinguitur actu re ipsa, siue ex natura rei, siue à parte rei à suo fundamento; quam distinctionem multi vocant realem, nonnulli formalem, plerique modalem, quę quidem non rerum, sed vocum duntaxat diuersitas est; & ideo in ea immorari non est operæ pretium.

Authores vtriusque partis.

est Alensis.

Ita sentit multò maior, ac melior Theologorum, ac Philosophorum pars. Inter quos primus videtur Alensis 5. metaph. t. 20. §. *Vltimo quæreret*. Nam etsi contendat, Relationem non esse rem, ac realitatem, aliam à re, ac realitate fundamenti; & concludat, *Quòd relatio differt à fundamento secundum intentionẽ*; tamen in versiculo, *Prima patet*, ita se magis explicat pro hac conclusione. *Albedo & similitudo dicunt eamdem rem: ita quòd similitudo super albedinem modum realem addit: ita quòd similitudo, vt similitudo, de se non esset, nisi quoddam Ad, & quidam modus; nec esset res extra animam, nisi quia eadem res, quæ est albedo, subinduit hunc modum, qui est Ad.* Quibus verbis videtur tantum negare distinctionem simpliciter ac propriè realem, in sensu primæ conclusionis, non autem realem secundum quid, scilicet modalem, cum expressè doceat, *Quòd similitudo super albedinem, modum realem addit.* Neque per distinctionem *secundum intentionẽ*, videtur intelligere eam, quam nos vocamus, distinctionem rationis; quia in primo articulo hos terminos sic explicat. *Intentio vocatur non eo modo, quo dicunt Logici, Intentio prima, & secunda; sed intentio hîc vocatur aliquid pertinens ad realitatem, quod natum est præconcipi absque aliquo alio, quod est in eadem realitate.* Item initio tertij articuli, *Intentio vocatur conceptus*

in re inuentus, qui potest concipi præter alium conceptum. Clarè igitur nomine intentionis, & conceptus, significat non formalem nostræ mentis actum, sed obiectum illius à parte rei existens, non tamquam res, sed tamquam realis modus rei; qui etsi aliquo modo distinguatur à re ante intellectum, tamē quia est modus essentialiter adiacens rei, ideo non potest per se realiter esse, sed per se mentaliter concipi.

166. *Henrici,* Clarius pro eadem conclusione sunt Henricus Quodlibeto 5.q.6.litera X. & multò fusius Quodlibeto 9.q.3. contendens relationem non esse rem, sed modum distinctum à parte rei à fundamento. *Scoti,* Scotus 2. d.1. q.5. & in 3.d.8.q.1. & Quodlibeto 3. vbi, vt colligit Caietanus supra, & ex Caietano refert Sylvester supra, duo asserit, primum *Relatio cuius fundamentum potest remanere sine termino, distinguitur realiter à fundamento.* Secundum, *Relatio cuius fundamentum non potest esse sine termino, est eadem realiter fundamento;* cuiusmodi est relatio creaturæ ad Creatorem. Sed in primo dicto, ex separabilitate fundamenti à termino, & consequenter, relationis à fundamento, cum relatio prædicamentalis absque termino consistere nequeat, benè arguitur distinctio relationis in re à fundamento: tamen à contrario in secundo dicto, ex inseparabilitate fundamenti à termino, & relationis à fundamento, non potest sufficienter deduci identitas relationis cum fundamento: quia prædicta inseparabilitas oriri potest adæquatè ex dependentia fundamenti, & ipsiusmet relationis à termino, non ex identitate relationis cum fundamento; quæ quidem, quantum est ex se, separari posset à fundamento, si fundamentum separari posset à termino. v.g. si per impossibile remanere posset creatura sine creatore, vtique relatio accidentalis, ac prædicamentalis, quam in primo tomo q.5.art.1.n.17. & q.13.art.2.n.1. præter essentialem ac transcendentalem, admitto in creatura respectu Creatoris, non remaneret in creatura. Scotum sequitur eius discipulus *Mayronis,* Mayronus 1.d.29.q.2. rectè addens in fine, quod etiam relatio inseparabilis à fundamento, ab eo differt, si non realiter, tamen formaliter. *Durandi,* Item Durandus 1.d.3.q.2. vbi duo facit genera relationum realium; vnum eorum quæ reales respectus sunt, vt relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam; & has vult realiter distingui à fundamentis: alterum earum, quæ non sunt respectus, sed reales denominationes relatiuæ, desumptæ ex pluribus rebus coëxistentibus, & inuicem comparatis, vt esse simile, v.g. nihil est aliud secundum Durandum, quam hoc esse album, sicut etiam album est aliud; & has à fundamentis re ipsa non distinguit: quod non est negare alicuius relationis distinctionem à fundamento, sed relationes ipsas simpliciter negare, quæ fundantur in aliis fundamentis, præterquam in causa, & effectu. Quam sententiam, vt omnino alienam à Schola Peripatetica ex S.Thoma, in Logicis confutaui; etsi deinde multis iunioribus plusquam par est placere viderim.

167. *Capreoli,* Præterea Thomistarum facilè princeps Capreolus 1.d.30.quæst.1.art.1. pro nobis communiter affertur. Ibi enim etsi, vt ait Sylvester supra, *non videantur apponere animum ad hanc quæstionem dicendam, sed ea,* hoc est, nostra sententia, *visus sit tamquam famosa*; tamen multa habet, quæ idem supponunt & indicant. Nam ad primum Aureoli, ad secundam replicam ait, *Duæ albedines sunt sufficiens naturalis, & essentialis causa relationis, quæ dicitur similitudo.* & ad tertiam replicam, fine, *Fundamentum est causa effectiua relationis.* omnis autem effectus distinguitur à parte rei à sua causa effectiua. Et ad primum eorum, quæ Gregorius primo loco inducit, concedit illi, *quòd relatio in abstracto est quædam res, & quædam essentia, & quoddam ens.* Et ad primum eorum, quæ secundo loco inducit idem Gregorius, clarissimè concedit, *Quòd distinctio sortis à Platone, est relatio, & accidens distinctum à sorte & Platone; & est subiectiuè in sorte.* Et intelligit de relatione reali; nam paulò ante ad 3. Ochami dixerat, *Relatio realis habet idem subiectum, quod & suum fundamentum: relatio vero rationis nullibi est subiectiuè, cum non sit res.* Accidens autem reale realiter inhærens subiecto, & distinctum à subiecto, non potest ab eo esse distinctum sola ratione. Et ad 3. eiusdem Gregorij docet, quòd in creaturis non est sicut in diuinis, vbi, inquit, *Respectiuum non differt ab absoluto secundum rem.* Ergo secundum Capreolum ita differt in creaturis. Et ad 7. *Sortes*, inquit, *non mutatur propriè loquendo per acquisitionem relationis, vt relatio est,* quia scilicet vt sic non est explicitè in alio, sed tantum ad aliud; *licet mutetur per acquisitionem eius, vt est accidens.* Quare non est verisimile, Capreolum antea in responsione ad 14. Aureoli, contrarium docuisse, & reuocasse sententiam, vt illi imponit Sylvester. Ibi enim sic habet Capreolus, *Non per omnis realitatis aduentum in natura existentis, dicitur aliquid moueri; sed solum per aduentum realitatis, se habentis per modum immanentis in illo, cui aduenit. Et ideo, quia relatio se habet potius per modum effluentis, & transeuntis ab vno in aliud, & non per modum immanentis, non mutatur subiectum per eius aduentum, vel recessum. Tamen dico, quòd realitas relationis non aduenit alicui totaliter de nouo sine mutatione illius, cui aduenit. Fundamentum enim reale, quod dat relationi, quòd sit res, prius fuit illud: quod autem complet rationem relationis, nouum est. Quia ergo illud quod complet eius rationem, non habet, in quantum huiusmodi, quòd sit res; vel quòd aliquid ponat in eo, cui attribuitur, nil mirum, si relatio potest aduenire nouiter, vel recedere, sine mutatione eius, cui attribuitur. Finaliter ergo relatio, vt relatio, non transmutat subiectum, sed vt est accidens. Et in hoc sto finaliter.* In quibus verè nihil est, quod identitatem relationis cum fundamento indicet: sed potius est, quod distinctionem probet: vt, quòd omnis relatio realis sit aliqua realitas adueniens fundamento, & effluens à fundamento, & nouiter adueniens ac recedens; & quòd, vt est accidens, transmutat subiectum. Quod autem addit, *Fundamentum dare relationi vt sit res*, non intelligitur, vt sit res simpliciter, nam postea, verbis superius adductis ait, quòd omnis relatio realis, etiam abstracta à fundamento, *est quædam res, & quædam essentia, & quoddam ens*; sed intelligitur, vt sit res *in natura existens*, vt ipsemet paulò ante loquitur: quia vt sæpe in solutionibus argumentorum benè docet, Relatio non est apta in rerum natura. existere, nisi suo innixa fundamento. Item cum dicit, *quòd relatio, in quantum huiusmodi non habet quòd aliquid ponat in subiecto, seu fundamento*; sensus est ex suprà dictis, quòd relatio non inhæret præcisè & explicitè per esse *Ad*, sed tantum per esse *In*. Et in hoc sensu clarius ita concludit, *Relatio, vt relatio, non transmutat subiectum, sed vt est accidens*; quia vt est accidens, dicit esse *In*; vt relatio verò supra communem rationem accidentis addit esse *Ad*. Sed esse accidens, siue ens inhærens, quamuis sit commune omnibus nouem accidentium generibus, tamen cuilibet particulari, ac proinde relationi est essentiale; non minus ac ens, est cómune & essentiale substátiæ & accidenti; & substantia, siue ens subsistens, est cómune, & essentiale omnibus inferioribus substátiis.

168. *Caietani,* Idem ex instituto probant Caietanus hic §. *In responsione ad secundum*, ita rectè pronuncians, *est sine dubio S.Thoma, quamuis multi Thomistæ ipsum non*

Ferrariensis, *non intellexerint, habeturque manifestè ex authoritatibus eius, & sequitur ex propositionibus suis.* Ferrariensis 4. contra gentes cap.14. §. *Ad secundum dubium.* solum ostendens, esse iuxta S.Thomæ mentem. *Flandria,* Flandria 5. metaph. quæst.16. art.18. & 19. *qui*, inquit Sylvester supra, *de hac re ad nauseam scripsit.* & apud eum Gratiadeus in Prædicamentis, & Ægidius in suis Quodlibetis; quòd sentiant, relationem & fundamentum distingui secundum aliam, & aliam essentiam, non secundum aliam, & aliam existentiam. *Hispalensis, Soti,* Hispalensis 1.d.30. quæst.1. notabili 2. Sotus in Prædicamentum Ad aliquid, q.2. vbi etsi in prima conclusione benè probet, relationem à fundamento non distingui realiter, tamquam rem à re; tamen in secunda conclusione probat, distingui formaliter, & intelligit à parte rei; quia, vt explicat ad 3. formalitates relationis & fundamenti, & vniuersaliter omnium decem Prædicamentorum, *sunt distincta rationes entis, secluſa operatione intellectus primò diuersæ; quia habent distinctas quidditatiuas definitiones.* & ad *Iauelli,* 4. vocat, *distinctionem formalem ex natura rei.* Iauellus 5.metaph.q.22. negans distingui realiter, concedens distingui formaliter; & videtur intelligere sicut Scotus supra, quāuis initio profiteatur se intendere sequi Heruæum, quem mox referam nobis planè contrarium. Et in eodem sensu videtur loqui Argentina 2.d.20.quæst.1.art.2. conclusione 2. vt patet ex responsione ad 4. *Niphi, Palatij,* Niphus 5. metaph. disp.12. Palatius 1.d.30. disp.1. §. *Post hæc.* vbi etsi hanc quæstionem esse velit problematicam, tamen in fine §. inclinat in distinctionem formalem. *Iandun,* Item Iandunus lib.5. metaph. quæst.24. dicens, distingui realiter. *Bagnes,* Bagnes hîc dubio 2. dicens in prima conclusione distingui realiter, sed in secunda conclusione vocans *distinctionem realem formalem.* *Zumel,* Zumel disp.6. defendens in prima conclusione, vt probabile, distingui realiter, quamuis in secunda conclusione defendat oppositum vt probabilius: sed in quinta conclusione defendens absolutè, distingui formaliter; quod magis explicans ad 3. ait iuxta hanc nostram secundam conclusionem, *Relatio prædicamentalis dicit nouum esse reale formale, à fundamento distinctum: & ita dicit allam formalitatem realem à fundamento:* quod, vt addit ad 7. *potest esse sine relatione, non relatio sine Fundamento.* *Fonseca, Molina,* Fonseca 5. metaph. c.15. quæst.2. sect.5. Molina breuiter supra q.13.art.7. & infrà quæst.42. art.6. disp.2. conclusione 3. vbi ex hac relationis distinctione ex natura rei à fundamento, tenet in rebus creatis relationes dicere perfectionem; quod negat in diuinis, propter indistinctionem illarum relationum ab essentia; de quo motiuo dictum est supra, n.155. *Valentia,* Valentia supra num. 163. licet addat, *contrarium etiam esse satis intelligibile, & probabile.* *Vazquez,* Vazquez infrà disp.173. num.12.13. & obiter iuxta sententiam Scoti suprà num.166. dicens, Eas relationes distingui secundum rem à fundamento, quæ ab eo separantur; quæ verò non separantur, non distingui. *Albertini,* Albertinus tomo 2.in prædicamentum Ad aliquid quæst.6. & alij recentiores valde communiter.

169. *Contra Nominales,* In contrarium multi citantur, quorum nonnulli non tam negant distinctionem relationis à fundamento, quàm relationem ipsam funditus de medio tollunt, dicentes de ipsis etiam relationibus producentis & producti, quas maximè reales esse omnes censemus, eas nihil esse aliud in re præter producentem, & productum. v.g. hunc hominem esse Patrem, illum filium, importat duntaxat, hunc generare, illum generari. Hi potissimum Nominales sunt, vt de Ochamo, Ariminensi, & Gabriele notaui supra art.1. num.8. & 25. Quibus consentit *Maiorem,* Maior 4. d.12. quæst.1. fine de omnibus relationibus, siue intrinsecus, siue extrinsecus aduenientibus, ita pronuntians, *Satius est nullas tales ponere, cum omnia sine eis, tam in Theologia, quam Philosophia optimè, & facillimè à Logico, & ingenioso defendantur:* quam sententiam antea dixerat, *esse positionem Nominalium, quæ vbique Parisiis tenetur.* Ita Marsilius 1. sent. quæst.32. art. 2. conclusione 2. *Marsilius,* vbi ait, *In creaturis omnis relatio est res absoluta:* sicut, inquit, *similitudo albedinis ad albedinem non est nisi albedo, vel albedines.* Et idem vult esse dicendum de quauis alia relatione. Et iterum clarius in fine quæstionis, exponens dictum Commentatoris, *Quòd relatio sit minimæ entitatis præ cæteris prædicamentis*, ait, *hoc est verum, quia non dicit, nisi respectum secundum se, qui transit in res absolutas; vt similitudo, dicitur albedo, in quantum consideratur conuenire cum alia albedine: quæ conuenientia est ipsamet albedo.* Quæ quidem expositio, facit relationem nullius entitatis potius quam minimæ. Aureolus *Aureolus,* quoque 1.d.30. quæst.1. art.2. idem clarissimè intendit; nam, vt de eo refert Capreolus ibidem art.1. post conclusiones, *vult probare, quòd similitudo & æqualitas non sint in rerum natura, nisi intellectus apprehendat.* Et in septimo argumento principali refert, ipsum etiam probare, *Quòd relationes producentis & producti, cuiusmodi sunt paternitas & filiatio, & vniuersaliter omnes de secundo modo, sint in sola apprehensione intellectus, nec sint res extra animam.* Et ideo in tertia probatione dixit Aureolus, *Relationes producentis, & producti, non sunt aliud, quam ipsum producere, & produci.* Imò ipsemet Durandus *Durandus,* relatus supra num.166. idem quoad rem sentire videtur: nam vt patet ex num.suo 14. *Relatio accepta prædicamentaliter, & quantum est de necessitate Prædicamenti relationis, non dicit respectum realem, sed denominationem realem.* Et iterum num.17. *Si accipiatur respectus solum pro eo, quod sufficit ad relationem prædicamentalem, talis relatio non differt realiter à fundamento, & non semper est aliquid in rerum natura, quod sit essentialiter respectus, sed est sola denominatio respectiua alicuius subiecti ex natura plurium.* Et in tota quæstione nullam aliam realem relationem nominat, nisi, *esse in alio, tangi, tangere:* quæ sunt relationum proxima fundamenta potius quam prædicamentales relationes. Demum nonnulli recentiores, indistinctionem relationum à fundamentis, ita explicant, vt in Nominalium sententiam planè labantur. Tametsi, vt ego quidem existimo, difficillimum sit, ne dicam impossibile, vt mox ostendere conabor, aliquem concedere in rebus creatis formalem rationem entis respectiui in rerum natura, absque vlla intellectus operatione, sicut verè est in diuinis; & nihilominus negare, sicut in diuinis negamus, eam esse in re actu distinctam à fundamento.

170. Verum non desunt, qui propriam relationis realitatem, seu entitatem, seu formalitatem, seu formalem & essentialem rationem, re ipsa in fundamento expressè admittunt, & tamen eius distinctionem in re à fundamento negent. Ita expressè *Heruæus,* Heruæus 1.d.30. q.1. art.1. nam respondens ad rationem primæ opinionis, ait, *Relatio & suum fundamentum sunt diuersa realia: non quia eorum diuersitas sit realis, sed quia vnumquodque eorum dicit quid reale; ita quòd realitas non referatur ad diuersitatem, sed ad illa, quæ dicuntur diuersa.* Et paulò post clarius, *Diuersitas secundum rationem facit, relationem & suum fundamentum esse duo prædicamenta: sicut voluntas, & intellectus*, vt paulo antè exemplificauerat, *sunt realiter in diuinis, & sunt quædam duo realia; non quòd eorum dualitas, sit realis diuersitas, sed quia vnumquodque eorum dicit*

dicit rem veram. Quod in tertia opinione, quam ipse sequitur, sic magis explicat. *Illa eadem res, quæ facit formaliter sortem album esse realiter & formaliter, secundum quòd absolutè respicit sortem, vt in quo est; illa eadem facit sortem similem Platoni formaliter, secundum quòd est quædam conformitas sortis albi ad Platonem album; ita quòd vltra hoc, quod est facere formaliter sortem album, similitudo non addit aliquid existens in sorte, sed importat coëxigentiam alicuius existentis in Platone, cui sortem, vltra hoc, quod est esse album, facit esse conformem.* Eamdem sententiam fusius defendit Quodlibeto 1. quæst. 9. à §. *Quantum autem.* & Quodlibeto 7. quæst. 15. Vbi *quod relatio suo fundamento nihil addat, nisi coëxistentiam alicuius correspondentis*, hoc alio exemplo explicat, *sicut idem est per essentiam superficies, in quantum est terminus intrinsecus alicuius corporis; & locus, in quantum est vltimum continentis aliquid extrinsecè.* Quamuis circa finem, tradat modum tenendi primam opinionem de distinctione à parte rei. Et Quodlibeto 10. q. 1. vbi paulò post initium articuli primi, nostra opinio dicitur, *multum subtilis, & magnorum.* Et iterum suam opinionem tertiam fusius explicat prædicto exemplo superficiei & loci. Pro eadem sententia ex antiquioribus citatur etiam Ægidius 1. d. 26. p. 2. quæst. 1. §. *Notandum.* Sed nihil certi colligi potest: quamuis enim dicat, *Relationem habet esse distinctum ab esse fundamenti*; tamen infra præter hoc esse fundamenti, ponit in relatione aliud illius proprium esse, quod est directè in genere relationis. Heruæum ex Thomistis sequuntur Soncinas 5. metaph. q. 28. dicens tamen de nostra sententia, quòd *sustineri possit.* Sylvester acerrimè pugnans contra Caietanum p. p. Conflati quæst. 28. initio. Petrus Niger in prædicamenta quæst. 38. & 39. vbi etsi in quæst. 38. videatur nobiscum sentire, probans viginti duabus rationibus opinionem, in qua, inquit, *concordant omnes antiqui*, de distinctione relationis à fundamento, *seclusa omni operatione intellectus*, & soluens 14. oppositas rationes, & inter alia concedens ad 3. in prima responsione, *quòd Deus potest facere duo alba sine similitudine formali, & similiter de Patre & Filio*: tamen in quæst. 39. post multa hinc inde, in fine ita concludit, *Fateor tamen secundum paruitatem ingenij mei, tertiam opinionem*, nempè Heruæi supra, *probabiliorem mihi videri.* Item ex aliis Torres initio huius articuli, id tribuens S. Thomæ multis in locis, addens tamen, *Verum fatemur in præsenti articulo S. Thomam mutare sententiam; sed tamen tenendum est, nullo modo relationem realem distingui à suo fundamento.* Suarez in metaph. disp. 47. sect. 2. num. 22. ita explicans, Relationem quidem dicere formam aliquam realem, & intrinsecè denominantem proprium relatiuum, quod constituit: illam verò non esse rem aliquam, aut modum ex natura rei distinctum ab omni forma absoluta, sed esse in re formam aliquam absolutam, non tamen absolutè sumptam, sed vt respicientem aliam, quam denominatio relatiua includit, seu connotat. Idemque sequuntur nonnulli alij recentiores.

Ægidius. Soncinas. Sylvestrum, Petrum Nigrum. Torres. Suarez.

Distinctio relationis à fundamento probatur ex S. Thoma.

171. in hoc art. 2. ad 2.

Primus locus sit, quem omnium efficacissimum esse arbitror, tum quia vltimò scriptus ab Autore suo, tum quia clarissimus, ex hoc ipso art. in responsione ad 2. quem Torrès supra tanti fecit, vt fateri coactus sit, S. Thomam contrariam sententiam mutasse in hanc, quam nos nunc illius esse, ac semper fuisse conamur ostendere. Hîc igitur ad 2. inter relationes creatas & diuinas primo traditur quædam similitudo, seu conuenientia; *Quòd sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relatiuè, non solum est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum; ita & in Deo.* In quo sensu communi, vt explico supra num. 36. Augustinus 7. de Trinitate cap. 1. paulò post medium ait, *Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est etiam aliquid excepto relatiuo.* Secundò traditur hæc differentia verbis immediatè sequentibus. *Sed tamen aliter, & aliter: nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res. In Deo autem non est alia res, sed vna & eadem. Vnde non sequitur, quòd in Deo, præter relationem, sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione.* Vbi manifestè subintelligitur, & ex præcedentibus supplendum est, id sequi in creatura, nempe quòd in ea, præter relationem, sit aliquid aliud, non solum secundum rationem, sed etiam secundum rem. Ex his sumo hanc Maiorem vniuersalem iisdem verbis S. Thomæ, *Id quod inuenitur in creatura, præter relationem, est alia res secundum rem.* Huic addo Minorem omnino certam, etiam apud aduersarios. *Sed in creatura, præter relationem, inuenitur fundamentum.* Ex his in bona forma euidenter sequitur, *Ergo in creatura fundamentum relationis, præter relationem, est alia res secundum rem.*

Augustinus.

Reiicitur prima interpretatio Sylvestri & Ferrariensis.

Ad hunc primum locum respondet primo obscurissimè Sylvester supra ad 1. & iterum art. 6. eiusdem quæstionis ad 2. & puto esse eamdem responsionem, quam vere dari posse ab aduersariis dicit Ferrariensis supra, & propterea ait, se non moueri ex hac authoritate, quia, inquit, *verè diceremus, quod per illud absolutum distinctum à relatione, non intelligit S. Thomas fundamentum relationis, quod est accidens; sed subiectum, quod est substantia.* Quo modo etiam id exponit Fonseca supra, sect. 3. §. *Locus verò.* Sed infertur aperta vis textui, qui loquitur vniuersaliter de omni absoluto, quod est in creatura & in Deo, & non excipitur nisi relatio; & hoc absolutum dicitur aliud à relatione, sed in creatura aliud secundum rem, in Deo aliud secundum rationem, idque postulat intentum S. Thomæ in secundo dicto differentiæ, quòd in Deo relatio non est aliud secundum rem ab omni absoluto, sicut est in creatura: hæc autem prima responsio vult, quòd hæc differentia partim sit vera, partim falsa; cum in creaturis, de omni eo quod est absolutum & fundamentum præter relationem, dicat sicut dicitur in diuinis, quòd *non est alia res, sed vna & eadem.* Et sanè, vniuersales sunt isti modi loquendi; *Id quod inuenitur in creatura, præter relationem, est alia res: id quod inuenitur in Deo, præter relationem, non est alia res.* Aduersarij verò hanc secundam propositionem accipiunt vniuersaliter: primam verò ita interpretantur, *Id quod inuenitur in creatura præter relationem, & præter absolutum quod est fundamentum relationis, est alia res.* Quam interpretationem, quis quæso non videat, esse potius ad proprium sensum interpretis, quam ad germanam mentem Authoris. Præterea eamdem responsionem benè impugnat Flandria 5. metaph. quæst. 16. art. 19. immediatè ante solutionem argumentorum, quia nonnullæ relationes fundantur immediatè in substantia, vt probaui in Logica, & tenet ipsemet Soncinas 5. met. quæst. 31. & tenere debent omnes Thomistæ propter S. Thomam docentem supra art. 1. ad 2. realem esse relationem identitatis, *non in numero, sed in natura generis, siue speciei.* Harum verò relationum subiectum immediatum, & proximum, est ipsa etiam substantia. *Ergo ad minus*, inquit Flandria, *illæ relationes sunt*

Relationes fundatæ in substantia ex Flandria, Soncinate, S. Thoma.

sunt aliæ res à suo proximo fundamento. Et propter hoc argumentum, addere cum Sylvestro supra ad 1. *Quòd in omni creatura est aliquid aliud re, vel ratione, excepto eo, quod relatiuè dicitur*; est manifesta confusio textus, & doctrinæ S. Thomæ, qui in hoc posuit differentiam inter relationes creatas, & diuinas, quòd in illis est aliquid aliud re, in his est aliquid aliud ratione. Ergo hoc secundum differentiæ membrum, malè ponitur etiam in primo.

Reiicitur secunda interpretatio Torres.

Respondet secundò Torres supra, *Velle D. Thomam, quòd fundamentum in creaturis non est de essentia relationis. Sed diuina natura est de essentia relationis.* Quæ etiam expositio nullum habet fundamentum in verbis & sententia S. Thomæ, sed solius exponentis. Primò quia supra, dubitatione 3. ostendi in sententia S. Thomæ, Deitatem non esse de essentia diuinarum relationum. Secundò, quia de absoluto, quod præter relationem reperitur in creatura dicitur, *est alia res*, hoc est, re ipsa distinguitur à relatione: in Deo autem dicitur, *non est alia res, sed vna & eadem.* Quæ verba, & contextus, apertè important, solam vnitatem, & identitatem, & indistinctionem, oppositam distinctioni in creatura; quicquid sit de essentiali inclusione, siue exclusione; de qua ne verbum quidem in toto articulo. Atque hæc sola indistinctio in re clarissimè concluditur in fine totius responsionis, his verbis, *Vnde non sequitur, quòd in Deo, præter relationem est aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione.* Si in Deo, præter relationem est aliquid aliud secundum rationem, ergo hoc aliud non includitur intrinsecè, & essentialiter in ipsomet conceptu relationis: tunc enim ne secundum rationem quidem esset aliquid aliud præter relationem; quia concipiens relationem, non posset non concipere illud aliud.

172. 4. cont. gent. c. 14.

Secundò locus, quo potissimum nititur Ferrariensis supra, est ex lib. 4. contra gentes c. 14. ad 9. vbi initio assignans disparem rationem, cur in Deo esse relationis non sit dependens, sicut est dependens in nobis, ait, *In nobis enim relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiæ*; nimirum aliud secundum rem; nam aliud secundum rationem, est etiam in Deo. Quod saltem conuincit de relationibus immediatè fundatis in substantia. Deinde de relatione, & reliquis accidentibus, in genere dicit, *Quia omnia accidentia, sunt formæ quædam substantiæ superadditæ, & à principiis substantia causatæ, oportet quòd eorum esse sit superadditum supra esse substantia.* Hinc in particulari de omni relatione ita docet, *Propter quod & relatio realiter substantiæ adueniens, postremum esse habet, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio; & vnum in quantitate causat æqualitatem, & vnum in Qualitate causat similitudinem.* Vnum esse superadditum, & realiter aduenientes supra aliud esse, est procul dubio esse à parte rei distinctum ab alio esse. Præterea esse posterius, quod re ipsa præelegit esse prius, non potest in re esse omnino idem cum esse priori, quod præexigitur. Sed ex S. Thoma relationis esse est omnium postremum, re ipsa præexigens esse reliquorum omnium generum. Ergo relationis esse dici non potest omnino idem in re cum esse reliquorum generum. Denique esse substantiæ, & esse aliorum generum causat relationem. Nulla autem vera, & realis causa potest esse in re idem omnino cum suo causato. Neque satisfacit Sylvester supra ad 5. dicens, Relationes fundatas in aliis accidentibus, causari à substantia, à qua causantur alia accidentia, quibus relatio identificatur: fundatas verò immediatè in substantia, causari à substantia, *vt ipsa*, inquit, *subinduit rationem accidentis.*

Reiicitur interpretatio Sylvestri.

Tum quia S. Thomas docet, Relationes causari non solum à substantia, sed etiam ab aliis accidentibus, vt à quantitate, & qualitate. Ergo non satis est ponere distinctionem substantiæ ab omnibus accidentibus, ex eo quod omnia accidentia causentur à substantia; sed eadem ratione necesse est ponere distinctionem reliquorum accidentium à relatione, ex eo quòd relatio causetur à reliquis accidentibus. Tum quia saltem relationes, quas ipsamet substantia immediatè in se fundat & causat, & quæ propterea dici nequeunt identificatæ cum alio à substantia causato & distincto, debet necessariò ipsa per se, & secundum proprium esse distingui à substantia. Quid autem sit, & quam vim afferat ad huius argumenti solutionem, quòd tunc substantia huiusmodi relationes suas causat, & fundat, *vt ipsa subinduit rationem accidentis*, fateor me non satis posse percipere. Enim verò in eo quòd non solum accidens, sed etiam substantia fundet immediatè in se relationem, videtur potius dicendum, accidens subinduere rationem substantiæ, cuius proprium est aliis substare; quam contrà, substantiam subinduere rationem accidentis, cuius proprium est inhærere, & in alio præsupposito fundari. Esto præterea substantia, vocetur, & concipiatur, &, si Deo placet, euadat accidens, modò ipsa in se immediatè causet relationem, quod bonus Thomista non negat, à relatione distinguatur necesse est.

173. 12. metaph. lect. 4.

Tertius locus, quo etiam maximè moueri se dixit Ferrariensis supra, est ex 12. metaph. lectione 4. paulò post principium, vbi dicitur, *Ea, quæ sunt ad aliquid, remotiora videntur esse à substantia, quam alia genera, ex eo quòd sunt debiliorè esse. Vnde & substantiæ inhærent mediantibus aliis generibus; sicut æquale, & inæquale, duplum, & dimidium, mediante Quantitate; mouens autem & motum, pater & filius, dominus & seruus mediante actione & passione.* Si esse relationis est remotius à substantia, quam esse aliorum accidentium absolutorum, & illud est debilius, & imperfectius quam hoc, & inter esse relationis, & esse substantiæ mediat esse aliorum accidentium absolutorum: ergo esse relationis, & esse aliorum accidentiū sunt duo esse à parte rei; alioquin eadem res respectu sui ipsius, secundum idem indiuisibile esse, esset remotius & propinquius, mediatum & immediatum. Neque hic locus intelligi rectè potest cum Sylvestro supra ad 4. de mediatione, non reali, sed formali, seu rationis; quo modo, inquit Sylvester, *Eadem res sub diuersa ratione est se ipsa prior formaliter, vt homo sub ratione animalis, non realiter*: hoc enim, vt benè arguit Ferrariensis, *non est sequi mentem D. Thomæ, sed ipsum in suam sententiam trahere.* quia ille manifestè loquitur de physico ac reali esse relationis, & aliorum accidentium, non de rationibus eorum formalibus. Docere enim vult diuersum in re modum, quo esse reale accidentis relatiui, & esse reale accidentis absoluti habeant se realiter in ordine ad esse substantiæ, cui realiter omnia inhærent. Quod patet ex eo, quia differentiam illam maioris remotionis, ac mediationis probat *ex eo, quòd ea, quæ sunt ad aliquid, sunt debiliorè esse*, quod statim magis explicat de esse, quo *substantia inhærent*, quòd proculdubio est esse physicum & reale.

Sylvestri expositio impugnatur.

174. De potentia q. 8. a. 2. ad 1.

Quartus locus sumi potest ex quæst. 8. de potentia art. 2. ad 1. vbi inter relationes creatas respectu creatæ substantiæ, & relationes diuinas respectu substantiæ increatæ, hanc differentiam assignat, *Dicendum quòd nulla substantia, quæ est in genere, potest esse relatio; quia est definita ad vnum genus, & per consequens excluditur ab alio genere. Sed essentia diuina non est in genere substantiæ, sed est supra omne genus, comprehendens in se omnium generum perfe-*

ctiones : vnde nihil prohibet, id, quod est relationis, in ea inueniri. Neque satisfaciunt duæ responsiones Sylueſtri suprà ad 2. Altera, quòd S.Thomas loquitur de creata relatione fundata in accidente, non de alia fundata in subſtantia : nam illa propoſitio eſt apertiſſimè vniuerſalis, *Nulla ſubſtantia poteſt eſſe relatio.* Ergo voluntariè,& gratis limitatur ad aliquas tantum relationes:alioqui differentia non eſſet vniuerſalis, quia ſicut eſſentia diuina eſſet relatio, ita etiam creata ſubſtantia eſſet relatio, ſi non omnis, ſaltem aliqua. Altera, quòd illa propoſitio, Nulla ſubſtantia eſt relatio,dicta ſit in ſenſu formali, non in ſenſu identico; nam in toto articulo agitur de ſenſu identico ; & ideo totus diſcurſus ita in fine concluditur, *Oportet ergo relationes ſecundum rem eſſe diuinam ſubſtantiam.* Ergo in hoc ſenſu identico, à contrario de creata ſubſtantia dictum intelligi debet, *Nulla ſubſtantia eſt relatio ſecundum rem.* Præterea ſi S.Thomas loquutus eſſet in ſenſu formali, illis verbis, *Nihil prohibet id quod eſt relationis in eſſentia diuina inueniri*, ſignificaret, in formali conceptu eſſentiæ includi relationem : quod pugnare cum dictis S, Thomæ certum eſt, vt ſuprà n.59.

175. 1.d.33 q.1. art.1. Quintus locus,non mediocriter vrgens,ſumitur ex 1. d.33.q. vnica art. 1. fine corporis, cum enim de diuinis relationibus, & eſſentia docuiſſet, *quòd ſunt idem re, ſed differunt ratione, & ideo non faciunt compoſitionem*; de creatis relationibus à contrario, ita ſubdit, *In aliis autem realibus relationibus, in creaturis exiſtentibus, eſt aliud eſſe relationis, & ſubſtantiæ quæ refertur, & ideo dicuntur ineſſe ; & ſecundum quod inſunt, compoſitionem faciunt accidentis ad ſubiectum.* Hic locus, ſaltem de relationibus immediatè fundatis & ſubiectatis in ſubſtantia, nullum habere poteſt effugium : ſi enim harum relationum eſt aliud eſſe ab eſſe ſubſtantiæ, eo ſcilicet modo, quo immediatè antea ex oppoſito dictum fuerat in diuinis, eſſe relationum non eſſe aliud ab eſſe eſſentiæ ; ergo eſt aliud re, & non tantum ratione ſicut in diuinis. Præterea ſi creatarum relationum eſſe, eſt ineſſe, & creatæ ſubſtantiæ eſſe non eſt ineſſe, ſed eſſe per ſe, inter hæc eſſe non poteſt non intercedere diſtinctio aliqua ex natura rei. Denique ſi inter relationem & ſubſtantiam immediatè eſt compoſitio, ergo diſtinctio à parte rei, quam ad compoſitionem eſſe neceſſariam probaui cum ipſoſmet S.Thoma ſuprà num. 22. nam alia diſtinctio rationis reperitur etiam in diuinis, & tamen negatur ibi compoſitio. *Ex his*, inquit optimè Caietanus ſuprà, *manifeſtè ſequitur, quòd omnis relatio realis, fundata immediatè in ſubſtantia, diſtinguitur realiter à fundamento apud S. Thomam.* Et de iiſdem relationibus dixit etiam Ferrarienſis 4. contra gentes cap.14. §. *Ad ſecundum dubium.* initio, *Clarum mihi videtur in S.Thomæ doctrina, quòd nulla relatio, immediatè fundata in ſubſtantia, eſt idem realiter ſuo fundamento.* Solum, inquit, *aliqualiter videtur, eſſe dubium, vtrum aliæ relationes, quæ immediatè fundantur in generibus aliis accidentium, ſint à ſuis fundamentis realiter diſtinctæ ; vt ſimilitudo à qualitate, æqualitas à quantitate, & ſic de aliis.* De quibus etiam, propter ſecundum & tertium locum ſupra, dixit, *Videtur mihi de mente eius eſſe, quòd omnis relatio, etiam in accidente fundata, à ſuo fundamento realiter diſtinguatur.*

176. Expenitur locus de pot. q.8. art.2. Neque in contrarium vrgent loca, quæ pro ſe affert Sylueſter. Non primo illud de potentia q.8. art.2. ante medium corporis. *Dicit Philoſophus 5. metaph. quòd ſcientia, in quantum eſt relatio, non eſt ſcientia, ſed ſcibile.* Vocatur enim ſcientia relatio, hoc eſt, inquit Ferrarienſis ſuprà ad 3. *relationum*, *accepto abſtracto pro concreto.* & ſenſus eſt, ſcientia, quæ ratione ſcientiæ eſt accidens perfectiuum ſcientis, ratione relationis, quam in ſe habet, non eſt aliquid ſcientis, ſed ad aliquid, nempe ad ſcibile. Quod dictum eſt, non quòd illud eſſe *Ad ſcibile*, non ſit etiam verè *In ſciente*, ſed quia non eſt explicitè;docente ibidem ipſomet S.Thoma circa finem corporis, quòd *licet Ad aliquid, non ſignificetur vt inhærens, tamen oportet vt ſit inhærens:* quia relatio realis, inquit, *ſicut in rebus creatis oportet quod ſit accidens ; ita oportet, quòd ſit in Deo ſubſtantia.*

177. Exponitur locus opuſc. 48.tr.5.c.2. Non ſecundò illud ex opuſculo 48. tractatu 5. de prædicamento Ad aliquid cap.2. poſt medium. *Cum dico, quòd ſimilitudo ſortis habet albedinem eius vt fundamentum, non eſt intelligendum, quòd ſimilitudo ſortis ſit aliqua res in ſorte, alia ab ipſa albedine; ſed ſolum eſt ipſa albedo, vt ſe habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum.* Quod ſtatim probatur ratione, quæ infrà ſoluam de aduentu relationis abſque mutatione ſubiecti, quod refertur. Hoc enim opuſculum, vt teſtatur ipſemet Sylueſter, *à pleriſque negatur eſſe S.Thomæ*: & ideo ipſe non tam vim facit in authoritate S.Thomæ, quam in ratione, quæ ab ipſo vocatur *irrefragabilis*, ſed mox facilè ſoluetur. Præterea admiſſa authoritate opuſculi, quia, vt teſtatur Fonſeca 5.metaph. cap.15. quæſt.2.ſect. 3.circa med. *aly eo vtuntur vt D.Thomæ*, cum eodem Fonſeca exponi poteſt iuxta ſenſum primæ concluſionis, quòd relatio non addat rem omnino realiter diſtinctam à fundamento, ſed ſolum formalitatem quamdam realem, ſeu realem quemdam modum ſe realiter habendi ad aliud ; diſtinctum quidem à parte rei à fundamento, non tamen realiter propriè, & ſimpliciter, tamquam vnam rem per ſe ab alia re per ſe : ſed realiter impropriè, & ſecundum quid, hoc eſt, realiter formaliter, vel realiter modaliter.

Sylueſter. Fonſeca.

178. Exponitur locus 5.Phyſ. lect.3. Non tertiò illud, quod primo loco ſibi obiicit Ferrarienſis ſupra, ex 5. Phyſ. lectione 3. §. *Oſtendit.* vbi in fine dicitur, *Nihil aduenit mihi de nouo per hoc, quod incipio eſſe alteri æqualis per eius mutationem.* Quo loco, vt teſtatur Flandria 5. met. q.16.art.19. initio corporis. *Quidam aſſerentes ſe eſſe de ſchola Thomiſtarum, vt Antonellus Archiepiſcopus, ſingulariter probant, eſſe de mente Doctoris ſancti, quòd relatio non differt realiter à ſuo fundamento.* Reſpondet enim Ferrarienſis dupliciter. Primo, *Quod mens S.Thomæ eſt, nihil tunc aduenire de nouo per aliquam mutationem in ipſo factam :* vel quia, vt putat Ferrarienſis, *relatio nata eſt ſequi ex fundamento, poſito termino, naturali ſequela & concomitantia, non autem per actionem mediam*; quod ante ipſum ſæpe docuit Capreolus ſuprà in ſolutionibus argumentorum : vel, (quod puto probabilius, cum numquam ſatis intelligere potuerim, vt notaui in primo tomo quæſt.12. art.2. num.13.poſt medium, quòd detur de nouo ens reale, & non ſit ipſa productio, ſed aliquid aliud propriè productum realiter, & tamen per nullam realem productionem, ſiue actionem productum, ſed reſultans immediatè ex cauſa producente, ſiue reſultat ipſamet actio, in iis quæ ſecundum omnes media actione producuntur) quia non fit relatio per aliquam mutationem ab aliquo extrinſeco agente, terminatam per ſe ad relationem ; licet naturaliter fluat, & per propriam,ac veram actionem mediam fiat ab intrinſeca entitate fundamenti,poſita extrinſeca mutatione per ſe facta in fundamento, & termino. Secundò,inquit Ferrarienſis, *Poteſt reſponderi, quòd ſequitur, quando aliquis habet relationem in actu reſpectu aliquorum habentium eamdem quantitatem, ſed non reſpectu alicuius eamdem quantitatem non habentis:* quia

Flandria. Ferrarienſis. Capreolus. *Relationem fieri mediâ actione.*

Caietanus. Ferrarienſis.

quia ſcilicet, vt probaui in Logica, & expreſsè docet S.Thomas 3.p.quæſt.35.art.5. non multiplicantur numero relationes ad numericam tantum multiplicationem terminorum. Vtraque reſponſio vera eſt,ſed prima videtur mihi magis ad mẽtem S.Thomæ,quoniam initio cum ipſomet Philoſopho concedit,ad relationem eſſe motum, *Non per ſe, ſed ſolum per accidens* : quod ita exponit, *In quantum ſcilicet ad aliquam mutationem conſequitur noua relatio; ſicut ad mutationem ſecundum quantitatem ſequitur æqualitas,vel inæqualitas; & ex mutatione ſecundum qualitatem ſimilitudo, diſſimilitudo.* Si relatio ſecundum S. Thomam de nouo ſequitur ad aliquam mutationem,ergo ante illam mutationem non præerat actu formaliter in præexiſtente fundamento,vt tenentur aſſerere aduerſarij dicentes,Relationem eſſe ipſummet fundamentum. Deinde circa finem Quantitas, & qualitas,vocantur *radices æqualitatis & ſimilitudinis*. ergo non ſunt ipſæ actuales ac formales relationes æqualitatis & ſimilitudinis.Vnde diſcurrit,ideo me non mutari,& nihil aduenire mihi de nouo,cum facto aliquo mihi æquali per ſuam mutationem, ego incipio illi eſſe æqualis abſque mutatione in me facta,quia, inquit, *iſta æqualitas primò erat in me quodammodo ſicut in ſua radice, ex qua habet eſſe reale.* Quod præexiſtit quodammodo in radice, & poſtea habet nouum eſſe reale ex illa radice cauſatum,profectò eſſe non poteſt in re formaliter & actualiter ipſa radix. Significat igitur per aduentum nouæ relationis, fundamentum non mutari ſenſibiliter & extrinſece, quia non ab aliquo extrinſeco in ipſum agente, ſed ab ipſa intrinſeca virtute fundamenti, tamquam à radice,intelligitur fieri,ac veluti pullulare relatio in ipſomet fundamento.

Non multiplicari num. ex S. Thoma.

In quo ſenſu ad eam non ſit motus.

179. De pot.q.7. art.8. Non demum quartò illud, quod ſecundo loco obiicit ſibi Ferrarienſis ſupra, ex quæſt.7.de Potentia art. 8. circa principium Corporis, *Quòd relatio non facit compoſitionem cum fundamento.* Sed, vt ait Ferrarienſis, *conſtat quòd componeret, ſi eſſet entitas à fundamento realiter diſtincta.* nam ibi manifeſtè loquitur de relatione, non quatenus accidens eſt, & ſecundum eſſe *In*, quo modo ſupra in quinto loco dixerat, Relationem componere cum fundamento; ſed quatenus relatio eſt, & ſecundum eſſe *Ad*, vt rectè exponit Caietanus hîc paulò ante §.*Circa prædicta.* Sub qua explicita ratione non importat aliquid in quo,vel cum quo ſit, & componat ; ſed ſolum importat terminum ſibi omnino extrinſecum, & oppoſitum, cum quo propterea nullam facere poteſt compoſitionem : quia non pertinet ad illam tamquam id *cum quo* ; ſed ſolum tamquam id *ad quod.*

Caietanus.

Eadem diſtinctio rationibus confirmatur.

180. Prima ratio ex Durando & Mayrone. Arguunt primò nonnulli ratione, quam afferunt Durandus 1. d.30. quæſt.2. num.11. ad probandam diſtinctionem realem, & Mayronus d.29. quæſt.2. fine ad probandam diſtinctionem formalem. Si relatio non diſtingueretur à parte rei à fundamento, ergo relatio à parte rei formaliter eſt ipſum fundamentum : ergo aliquod abſolutum, ſicut fuum fundamentum.Implicat autem idem formaliter à parte rei eſſe abſolutum & reſpectiuum,hoc eſt,eſſe ad ſe, & eſſe ad aliud ; item,non connotare, ſiue non exigere aliud,& connotare,ſiue exigere aliud. Hac ego ratione non vtor,nec ea ſanè vti poſſunt,qui omnimodam in re indiſtinctionem diuinarum relationum ab eſſentia tuentur : quia cum ſumatur ex eſſentialibus rationibus entis abſoluti & entis reſpectiui, quæ entis rationes in Deo etiam formaliter reperiuntur; & ex eſſentiali incompoſſibilitate contradictoriorum, quæ etiam in Deo locum habere debet ; ſi quid probaret,nimis certè probaret, nimirum,Relationes in Deo etiam ab abſoluta natura in re diſtingui : quod huius rationis Authores admittunt. Quid autem,pro diuinarum relationum identitate cum eſſentia, reſpondendum ſit, latiſſimè dictum eſt ſupra dub.2.

181. Secunda ratio de relationibus fundatis in ſubſtantia. Arguo igitur efficaciùs ſecundò de relationibus, quæ non in aliis accidentibus, ſed in ipſa ſubſtantia fundantur,quas ipſimet aduerſarij non negant;& ſi hæ diſtinguuntur à ſuo fundamento, facile erit reliquas omnes à ſuis fundamentis pariter diſtinctas intelligere. Relatio realis prædicamentalis, quæ fundatur in ſubſtantia,eſt eſſentialiter accidens, in Prædicamento ad aliquid,quod eſt vnum ex nouem generibus accidentium,vt omnes fatemur. Sed accidens non poteſt à parte rei eſſe idem omnino & realiter & formaliter quod ſubſtantia. ergo nec relatio. Quod argumentum expreſsè facit S. Thomas ſupra num.172. Eius tantum minor probanda eſt. Et patet ex Philoſopho 1. Phyſ.26. vbi,vt interpretatur ibi S.Thomas,de ſubſtantia reſpectu accidentis aſſerit, *Alterum eſt ab eo :* & rationem optimam aſſignat,quæ probat alteritatem ex natura rei, *quoniam ſubſtantia eſt ſubiectum,cui accidit, & inexiſtens eſt accidens.* Impoſſibile autem eſt,vt quod eſt vnum & idem omnino à parte rei,& ſubſiſtat, hoc eſt,habeat eſſe per ſe, non in alio tamquam ſubiecto, & ſimul inexiſtat,ſiue accidat & inhæreat, hoc eſt,habeat eſſe non per ſe, ſed in alio tamquam ſubiecto: ſic enim idem indiuiſibile eſſe ſibi inhæreret,& non inhæreret ; eſſet per ſe,& non eſſet per ſe : quæ ſunt manifeſta abſurda.

Aristoteles.

182. Reijcitur reſponſio receantiorum. Reſpondent aliqui, de ratione accidentis metaphyſici,quale eſt relatio, non eſſe inhærere à parte rei,ſed eſſe talem entitatem, quæ eſſentialiter petit, vt concipiatur tamquam inhærens. Sed hoc effugium,eſt prorſus improbabile.Tum quia,ſi non omnes, ſaltem multæ relationes, ſunt accidentia verè phyſica ; vt paternitas, quæ conſequitur phyſicam generationem ; ſimilitudines, æqualitates, & aliæ, quæ conſequuntur phyſicas qualitates,& quantitates. ergo hæ debent phyſicè, & à parte rei inhærere. Tum quia accidens,vt accidens,eſt à parte rei : ergo debet explicari per aliquid, quod illi à parte rei conueniat, & non confugiendum eſt ad intellectum,rebus extrinſecum. Tum quia accidens,vt accidens,opponitur ſubſtantiæ vt ſubſtantiæ:ergo illius ratio conſiſtere debet in ratione oppoſita rationi ſubſtantiæ. Sed ſubſtantia, vt ſubſtantia, non eſt entitas, quæ petat, hoc vel illo modo concipi, ſed eſt entitas à parte rei per ſe ſubſiſtens, & non inhærens ſubiecto ; ergo accidens à contrario, erit entitas à parte rei inhærens & adiacens ſubiecto, & non per ſe ſubſiſtens.Tum quia,ſi accidens, vt accidens, perit concipi vt inhærens, hoc perit vel quia eſt ens ſimpliciter, vel quia eſt tale ens : non primum, quia etiam ſubſtantia eſt ens, & tamen hunc conceptionis modum non petit : ſi ſecundum,ergo in accidente datur à parte rei non ſolum ens, ſed etiam eſſe tale ; quod non poteſt eſſe aliud, niſi eſſe inhærens ; nam præterea fingi non poteſt aliud eſſe niſi ſubſiſtens, quod eſt propriiſſimum ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt. Tum quia ſi accidens à parte rei non inhæret,ergo non debet eius natura petere, vt concipiatur tamquam inhærens : ſicut v.g. quia à parte rei homo non eſt in pluribus differentibus ſpecie,ſed numero, ideo petit concipi cum relatione ad plura differentia numero, non ſpecie. Tum quia id quod res petit ab intellectu, aliud eſſe non poteſt niſi ens rationis:v.g quia animal petit concipi cum genereitate, & homo cum ſpecieitate,

genereitas & ſpecieitas ſunt entia rationis. ergo ſi inhærentia accidentis non eſt à parte rei, ſed ſolum à parte rei eſt in accidente aliquid aliud, ratione cuius accidens petit concipi vt inhærens, iam inhærentia formaliter erit ens rationis. Confirmatur quia ſicut genus, vt genus, dicit ordinem ad ſpecies; ita accidens, vt accidens, dicit ordinem inhærentiæ, & adiacentiæ ad ſubiectum. Sed nemo dixerit, Genus, vt genus, eſſe à parte rei, quia à parte rei datur animal, quod petit concipi cum illo ordine ad ſpecies. ergo neque dicendum eſſet, à parte rei dari accidens, vt accidens, ſi nihil aliud datur à parte rei, niſi id quod petit concipi cum illo ordine inhærentiæ, & adiacentiæ ad ſubiectum. Tum quia, id quod petit concipi vt inhærens, dicitur non eſſe aliud niſi ipſamet ſubſtantia à parte rei. Subſtantia autem non poteſt petere, hoc modo concipi; quia nullum fundamentum à parte rei, petit concipi ab intellectu cum proprietate illi oppoſita à parte rei, v.g. Petrus non petit concipi vt actu exiſtens in pluribus. Sed proprietas ſubſtantiæ à parte rei eſt ſubſiſtere, cui opponitur inhærere: ergo nihil, quod à parte rei non eſt aliud niſi ſubſtantia, petere poteſt vt concipiatur tamquam inhærens. Confirmatur à contrario, quia accidens phyſicum, verè ac realiter inhærens, petere non poteſt vt concipiatur tamquam per ſe ſubſiſtens, quia illi à parte rei conuenit inhærere; quod opponitur ſubſiſtentiæ; ergo pariter ſubſtantia phyſica, v.g. materia prima, non poteſt petere vt concipiatur cum inhærentia: quoniam non minus inhærentia repugnat ſubſtantiæ, quam ſubſiſtentia accidenti.

183. *Tertia ratio.* Arguo tertiò ex cõtraria opinione ſequitur, Relationem, quoad totam ſuam entitatem intrinſecam ſecundum quam realiter diſtinguitur à termino, exiſtere ante exiſtentiam termini; quia vnum ens abſolutum, quod eſt fundamentum, & ſecundum aduerſarios eſt realiter ac formaliter ipſum ens reſpectiuum, exiſtit ante exiſtentiam alterius entis abſoluti, quod eſt terminus: poteſt enim reperiri paries albus, in quo eſt fundamentum ſimilitudinis, antequam exiſtat alius paries albus, ad quem per ſimilitudinem refertur: & homo potens generare, ac proinde habens in ſe fundamentum paternitatis, antequam gignat filium. Hinc autem aliquot ſequuntur abſurda. Primum, Homo v.g. habens in ſe paternitatem, ſed non habens filium, eſſet actu & formaliter pater ſine filio. Neque enim concipi poteſt forma paternitatis in ſuo proprio & connaturali ſubiecto exiſtens, & non dans illi ſuum effectum formalem: & ideo etiam in Deo rectè concipimus, illum per paternitatem eſſe formaliter patrem. Igitur ſi potentia generatiua filij, quæ eſt fundamentum proximum paternitatis, eſſe dicitur ipſa formaliter paternitas, ſicut illa potentia facit vt homo ſit formaliter potens generare filium, ita paternitas, quæ eſſentialiter eſt actualis, ac formalis relatio ad filium, facere debet vt homo ſit formaliter pater filij, ſeu actualiter ac formaliter relatus ad filium. Quem quidem effectum formalem non poteſt impedire defectus termini, ex ſuppoſitione quòd idem defectus non impediat veram ac realem relationis formam in proprio & connaturali ſubiecto. Cur enim neceſſarius ſit filius ad hoc vt homo habeat in ſe eſſe Patrem, non autem ad hoc vt habeat in ſe paternitatem, poteſt facilius dici ad fugam difficultatis, quam percipi ad intelligentiam veritatis: præſertim cum hominem eſſe Patrem nil aliud verè ſit, quam habere in ſe paternitatem, quæ eſſentialiter eſt relatio Patris ad filium. At vero aliquem, qui numquam filium genuit, eſſe in ſe patrem, non minus ac eſt is, qui filium habet, & aliquem patrem mortuo filio adhuc remanere patrem eodem modo quoad totam patris entitatem & formalitatem ſibi intrinſecam, quo erat antea cum filius eius viueret. non ſolum apparet euidenter falſum, contra totius generis humani conceptionem, verùm etiam planè ridiculũ. & propterea non exaggeratè de contraria opinione dixiſſe videtur Mayronus ſupra in medio quæſtionis, *Repugnat primo principio ad ſenſum*; quod, inquit, *non debet negari propter quaſcumque inſtantias quas facile eſt euadere.* Hinc prouenit ſecundum abſurdum, Relationem accidentalem, & prædicamentalem, quæ definitur, id cuius totum eſſe eſt eſſe ad aliud, hoc eſt, terminum, eſſe in ſua actuali exiſtentia à termino independentem ad modum relationum eſſentialium ac tranſcendentalium, quæ ex eo quòd non habeant eſſe purè reſpectiuum, ſed ſint ipſum eſſe abſolutum ordinatum ad aliud, hoc habent proprij, vt exiſtere poſſint ad ſe, ſiue in ſe etiam non exiſtentibus actu terminis ad quos ſunt ordinatæ: cum ipſi non ſint puri ordines, & reſpectus, quemadmodum prædicamentales, ſed potius res ordinatæ, non aliquo ordine ſuperaddito, ſed ſe ipſis eſſentialiter. Prouenit denique tertium, quia poſitis, atque ablatis terminis, non poneretur, neque auferretur relatio: quia per aduerſarios, dato tantum fundamento, & nullo dato termino, iam datur relatio; & corrupto vno tantum termino, ſeu correlatiuo, aliud correlatiuum remanet prorſus inuariatum intrinſecè cum ſua relatione, ſicut cum ſuo fundamento: quod eſt contra Philoſophum, & omnes Sanctos citatos ſupra, art. 1. num. 5.

Mayronus.

184. *Refertur reſponſio Suarez.* Dices cum Suarez in Metaph. diſput. 47. ſect. 2. num. 23. ſeparato termino, & remanente fundamento, *numquam relationem ſeparari à fundamento ſecundum aliquid reale quod ei intrinſecum ſit*: ſed ſolum ſeparari, ſeu ceſſare relatiuam denominationem: *non quia*, inquit, *aliquid rei, vel realis modi auferatur ab ipſo relatiuo; ſed quia denominatio relatiua includit aliquo modo terminum, ſine quo non manet actualiter, ſed fundamentaliter tantum, ſeu in proxima ſi tudine.*

Verum per hoc non ſatisfit difficultati propoſitæ, quæ probat ſeparationem ipſius realis relationis; hæc enim eſt quæ dicitur à Philoſopho, eſſe ſimul natura cum alia correlatione; & propterea, vt explicant Sancti, ſimul ſunt, & ſimul non ſunt, & non poteſt vna exiſtere cum ſuo fundamento in vno termino, non exiſtente alia in alio termino, vel non adhuc poſito, vel iam ablato poſt poſitionem. Præterea minimè cohærere videntur iſta duo, ablato termino auferri denominationem relatiuam, non auferri relationem quæ eſſentialiter eſt forma relatiuè denominans. Tum quia denominatio ſequitur neceſſario formam denominantem, exiſtentem in connaturali ſubiecto, quod per illam denominatur, vt patet inductione in reliquis omnibus. ergo ſi in homine non habente filium, connaturaliter & intrinſece ineſt paternitas ſecundum omnia quæ ad paternitatem intrinſece ſpectant, ſequi debet in illo denominatio patris, non minus ac ſequi debet, vt oſtenſum eſt, ipſe formalis effectus patris. Tum quia non plura eſſe debent neceſſaria ad hoc vt aliquis denominetur talis, quam vt ſit realiter & intrinſece talis. Sed vt quis ſit realiter & intrinſece relatus ad terminum, ſiue vt habeat in ſe intrinſece realem ac prædicamentalem relationem ad terminum, non requiritur terminus actu exiſtens; ergo neque vt denominetur relatus ad terminum. Tum quia ſi quæratur, cur *denominatio relatiua includit aliquo modo terminum ſine quo non manet actualiter*, vt conceditur, non poteſt aliud reſponderi rationabilius, niſi quia eſt relatiua: quæ enim alia huius actualis connotationis cauſa fingi poteſt? Sed non minus relatio ipſa, eſt aliqua forma eſſentialiter relatiua, imo eſt ipſa relationis forma, quam relatiua ſit denominatio. ergo multò magis de ipſa relatione dici debet, quòd non maneat actualiter ſine termino: vel ſi hoc negatur de relatione, multò magis negandum eſt de relationis denominatione. Tum quia in diuinis, non requireretur actu Filius ad hoc vt Pater æternus ſit pater, ſiue ad hoc vt diuina paternitas verè ac realiter ſit in Deo Patre, ſed ſolum vt Deus denominetur pater. Si enim creata paternitas intelligitur per ſolum fundamentum ſine filio, cur non poterit ſimiliter intelligi paternitas increata? Et ideo hæc opinio, quam impugnamus, minus aptè ex creatis relationibus perſuadere poteſt diuinas relationes. Imo, quia propoſitis difficultatibus non poteſt intelligibiliter ſatisfacere, niſi negando ipſam realem ac formalem entitatem reſpectiuam, & dicendo cum Nominalibus, aliquam eſſe v.g. patrem filij, eſſe ſolum vnum abſolutum cum extrinſeca connotatione, ſeu coëxiſtentia alterius abſoluti, hoc eſt, hunc hominem generare illum alium hominem, ideo præcidit ſibi viam omnem ex creaturis probandi aliquo modo relationes, & conſequenter perſonas in Deo. Quod vt clarius oſtendam, & probem, quod ſupra num. 169. ſine notaui, eum qui relationem à fundamento re ipſa non diſtinguit, non poſſe facilè relationem in rebus admittere.

185. *Quarta ratio.* Arguo quartò. Quando quis præcisè intelligit paternitatem creatam, vel intelligit ens reale purè reſpectiuum, quod noſtra opinio ponit à parte rei diſtinctum ab omni abſoluto; vel intelligit ens abſolutum per coëxiſtentiam ad aliud abſolutum, ſiue vt connotans aliud abſolutum. Si hoc ſecundum, eſt opinio Nominalium, negans omnem rationem realem entis reſpectiui, præter realem rationem entis abſoluti, parum idonea diuinis rebus perſuadendis, atque explicandis, vt dicebam. Si primum, vt in diuinis, vbi alium omnino conceptum facimus de natura abſoluta, alium de relatiuis perſonalitatibus, tunc ratio facta conuincit, vt illud ens reale purè reſpectiuum, cuius eſſendi ratio eſt tota ad aliud, ita admittatur in rebus abſolutis, quæ per illud formaliter referuntur ad aliud, vt alio adueniente ac recedẽte de nouo, illud à parte rei de nouo aduenire rebus abſolutis, & ab eis de nouo recedat: quod manifeſtum indicium eſt diſtinctionis in re inter ens formaliter abſolutum, & ens formaliter reſpectiuum.

186. *Quinta ratio de relatione Dei ad creaturas.* Arguunt quintò aliqui. Si relationes eſſent in re idem omnino quod fundamentum, nulla eſſet ratio cur in Deo poni non poſſent relationes reales ad creaturas: quoniam per aduerſarios ad exiſtentiam relationum non requiritur exiſtentia terminiquare hæ relationes in Deo potuiſſent eſſe ab æterno, licet creatura condita ſit in tempore: & eſſent ipſemet Deus realiter, & formaliter, abſque vlla vera dependentia à creatura, cum per contrariam opinionem, terminus quando ponitur, aut tollitur, neque ponat, neque tollat relationem: & ſi quæ eſſet impropria dependentia à creatura tamquam à puro termino, huius generis dependentia, ſi dependentia dici poteſt, non repugnat Deo, vt patet tum in potentia creatura, quæ eſt Deus ipſe, & tamen aliqua ratione pender à creatura tamquam à puro termino creabili; ita ſcilicet, quia ſi implicaret creatura, Deus non poſſint illam creare: tum in diuina ſcientia viſionis, quæ ex probatis ſupra quæſt. 14. art. 8. non cauſat, ſed neceſſario præſupponere debet res futuras, vt purum terminum cognoſcibilem. Sicut igitur nulla eſt imperfectio, non poſſe eſſe in Deo potentiam creatiuam abſque creatura poſſibili, & ſcientiam viſiuam abſque creatura futura; ita ſi relatio cauſæ effectiuæ, vt ſit in cauſa, non exigit actualem exiſtentiam & præſentiam effectus, nulla erit imperfectio ponere in Deo realem relationem ad creaturas, quæ relatio de neceſſitate ſit ſemper in Deo abſque actuali creatura, ſed tantum in illo non eſſet, niſi eſſet creatura poſſibilis.

Reſpõſio Suarez. Reſpondet Suarez ſupra ſect. 15. num. 22. hanc relationem non poſſe poni in Deo, quia Deus & creatura ſunt diuerſi ordinis. Verum eſſet clarius aſſignanda ratio, cur diuerſitas ordinis impediat relationem in Deo, cum conſtet, quòd eam non impedit in creaturis: ſicut non obſtante eadem ordinis diuerſitate, ponitur mutua relatio inter ſubſtantiam & accidens, inter accidentia ſupernaturalia & ſubſtantias ac potentias naturales. Solum video probabiliter dici poſſe, quod explicaui ſupra art. 1. n. 25. & 38. creatorem non poſſe referri ad creaturas, non ex abſurdis dependentiæ, & mutationis Dei, quibus abſurdis facillimè in noſtra ſententia tolli poteſt à Deo relatio ad creaturas, vt citato num. 25. Sed ex defectu fundamenti ad realem relationem neceſſarij, quod, vt probatum eſt ſupra art. 1. num. 36. & 37. eſt aliquod bonum accreſcens illi, quod refertur, ex alio, ad quod refertur. Quod quidem nullo modo habere poteſt locum in Creatore reſpectu creaturæ, ſed ſolum in creatura reſpectu Creatoris: quia, vt docet S. Thomas de Potentia quæſt. 7. art. 10. circa finem Corporis hanc eandem veritatem iſta ratione probans, *Nec aliquod bonum accreſcit creatori ex creaturæ productione.*

Probabilior reſponſio ex S. Thoma.

187. *Sexta ratio ex Ariſtotele, de motu ad relationem.* Arguere ſexrò & vltimo poſſumus authoritate Philoſophi, qui etſi 5. Phyſ. t. 10. doceat, *Non eſt motus ei, quod eſt ad aliquid; contingit enim altero mutationem ſ atiente, verè dici alterum nihil mutationis ſubire*: tamen ſtatim immediate ita addit, *Quare ſecundum accidens motus horum eſt.* Quo loquendi modo non obſcure ſupponit, Relationem ſimpliciter fieri & corrumpi, quod non immerito Mayronus ſupra num. 183. notum eſſe dixit *ad ſenſum*, nimirum quia ſenſu conſtat fieri & corrumpi terminum relationis; & præterea naturali lumine manifeſtum eſt, relationem, cuius totum eſſe, eſt eſſe ad terminum, debere fieri, & corrumpi, facto & corrupto termino; docet igitur Philoſophus, ad relationem eſſe ſimpliciter motum; tamen non per ſe, quaſi motus, quo fit relatio in aliquo ſubiecto, tendat ad relationem primariò, & nullo alio præſuppoſito motu in aliquo alio extrinſeco termino; ſed *per accidens*, quia ſi contingat fieri antecedenter in termino aliquam mutationem, quæ ſimpliciter habet ſe per accidens ad aliud extrinſecum ſubiectum, tunc conſequenter hoc ſubiectum producit in ſe relationem, nihil patiens ab aliquo extrinſeco agente, ſicut patitur terminus, v.g. in albo A, numquam producitur relatio ſimilitudinis ad album B, niſi prius præſupponatur ab extrinſeco agente facta alia productio albi B. & tunc illa relatio per realem productionem conſequitur in A, non extrinſecè ab alia cauſa, ſed intrinſecè ab ipſomet A; & quia B ad A ſe habet per accidens, ideo productio relationis in albo A ab ipſomet facta, dictus eſt à Philoſopho *motus ſecundum accidens.* Hanc autem eſſe ipſius mentem, colligo ex ipſomet, quia 1. Phyſ. t. 62. explicans fieri, *non ſimpliciter*, quo modo fiunt ſubſtantiæ, *ſed hoc aliquid*, quo modo fiunt accidentia, illud extendit tam ad relationes, quam ad qualitates, & quantitatem, & alia, dicens, *Etenim quantum, & quale, & ad alterum, & quando, & vbi, fiunt ſubiecto aliquo.* Et 3. Phyſ. t. 5. ita concludit, *Quare motus, & mutationis ſpecies tot ſunt, quot entis.* Sed procul dubio vna ex præcipuis ac

Mayronus.

genera

generalissimis entis speciebus, est ens respectiuum, quod relationem vocamus. ergo hæc habet peculiarem suam mutationem ab aliis distinctam, qua fit; quocumque tandem modo fieri dicatur, siue per se, siue per accidens. Vnde necessario sequitur, Relationem à fundamento in re distingui, non solum secundum distinctam essentiam, sed etiam secundum distinctam existentiam ab existentia fundamenti: quod aliqui nostræ sententiæ authores immeritò negarunt. Distinctum enim fieri ad distinctam existentiam terminetur necesse est.

Occurritur contrarijs argumentis.

188. *Prima obiectio Nominalium soluitur ex dictis.*

Obiicies primò fundamentum Nominalium de non multiplicandis entibus sine necessitate. Sed ex dictis facilè ruit. Illo namque possunt nobis duo obiici. Vel primo quòd sine necessitate multiplicemus simpliciter ipsum ens respectiuum formaliter vt respectiuum, quod Nominales planè negant. Sed afferre necessitatem huius multiplicationis non est huius loci, vbi non probamus relationis prædicamentalis existentiam, sed ea supposita, tamquam à reliquis omnibus receptissima, & in Logicis probata, de qua etiam non nihil dictum est supra art. 1. num. 37. & tota dub. 3. probamus distinctionem ipsius in re à fundamento. Vel secundo quòd hanc ipsam distinctionem multiplicemus sine necessitate. & hoc falsum esse constat ex multis, & grauibus necessitatibus superius allatis; vt primo quia relationes sunt vera ac realia accidentia, quæ cum substantia omnino identificari non possunt. Secundo quia generatis, & corruptis terminis, generantur, & corrumpuntur relationes, non fundamenta; docente Philosopho 7. Topic. cap. 1. loco 15. *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem ad idem;* Aristoteles. ex hoc enim quòd vnum sine alio manere potest, arguit Augustinus 6. de Trinitate cap. 6. ante medium quòd *in vnoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura.* Augustinus. Tertio demum quia sine prædicta distinctione fit minus intelligibilis ipsa simpliciter existentia relationis in rebus, & vix saluari potest, quin Deus ad creaturas realiter referatur.

189. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò quod primo loco sibi obiicit Flandria supra art. 19. quia in diuinis relationes fundatæ in essentia, non distinguuntur in re ab essentia, vt supra dubio 1. ergo relationes etiam creaturarum dici possunt eodem modo identificatæ cum suis fundamentis.

Respondetur cum Capreolo & Henrico, contrarium non posse colligi ex diuinis.

Respondeo, negando consequentiam. Enim vero prudenter scripsit Capreolus 1. d. 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. Gregorij contra primam conclusionem secundo loco, *In diuinis respectiuum non differt ab absoluto secundum rem. Sed ex hoc, inferre quòd ita sit in creaturis, est rudis ingenij; ac si ex hoc, quòd Deus secundum suam substantiam est sapiens, inferretur, ita esse in homine: non enim creatura æquatur diuinæ simplicitati.* Et sanè vitandum maximè est, quod nostro tempore nonnumquam existere vidimus, importunum quoddam Theologorum philosophantium genus, qui ferè quicquid in Deo est, in creaturas transferre non verentur; & dum humanis nimis fauere volunt, diuina contemnunt. Cur autem respectiuum & absolutum identificentur in Deo, non in creatura, probari potest non solum ex rationibus communibus simplicitatis, & infinitatis, quæ sunt in Deo, non in creatura; verum etiam ex peculiaribus differentiis, tactis supra ad 1. quia scilicet relationes in creatura, non in Deo, sunt accidentia; sunt generabiles, & corruptibiles, non generatis & corruptis fundamentis. Aliud discrimen acutè attulit Henricus Quodlibeto 5. quæst. 6. litera X. quia, inquit, *in creaturæ respectus realis numquam fundatur super essentiam rei, vt est essentia simpliciter, sed solum secundum rationem alicuius accidentalitatis, ei contingentis, quæ est extra conceptum esse essentiæ, vt essentia est.* nimirum, quia essentia creata, vt realiter, referatur, debet saltem existere actu, quod non est illi essentiale, alioquin, inquit Henricus litera Z, *non posset non esse, sicut non potest non esse essentia; & ita haberet esse absque factore, sicut habet quod sit essentia absque factore, ex sola ratione respectus ad exemplar in Deo.* Alio autem modo res habet in diuinis, quia, inquit, *in Deo fundantur respectus super ipsam diuinam essentiam, non secundum aliam rationem esse, quam illam, quæ est essentia, vt est essentia.*

190. *Tertia obiectio ex productione & corruptione relationis.*

Obiicies tertiò præcipuum omnium aduersariorum fundamentum: Relatio prædicamentalis est quoddam entis genus, quod ita est in rebus absolutis, vt neque producatur, neque corrumpatur, ad productionem, & corruptionem termini. ergo præexistebat vt identificatum cum omnibus rebus absolutis: aliter deberet de nouo fieri, & corrumpi, cum de nouo fit, & corrumpitur terminus. Antecedens probant primo ex Aristotele verbis relatis supra num. 187. initio. Secundo efficacius, quia dato vno tantum pariete albo hîc Neapoli, ac proinde sine vlla relatione similitudinis ad alios parietes albos, quos nullos præterea alibi esse supponamus, si deinde fiat in India alius paries albus, iam incredibile prorsus videtur in pariete Neapolitano, absque vlla apparente causa effectiua, fieri de nouo realem quamdam distinctam formam. Qua enim ratione nunc hic paries potest ad agendum in se ipsum determinari realiter ab Indiano pariete, distantissimo, extrinseco, & sibi omnino per accidens, & materialiter coëxistente? Similiter si Petrus cognita vxore hîc, statim fugiat in Hispaniam, ibique sit in eo instanti, quo in vtero vxoris generatur filius, iam in Hispania, nihil tale aduertens, producet sibi paternitatem propter filium Neapoli genitum. Quod quidem durissimè concipitur.

Respondetur & iterum explicatur Aristoteles.

Respondeo, falsum esse antecedens, vt patet ex dictis. Ad primam probationem ex Aristotele, dictum est supra num. 178. & 187. Nunc vlterius addo, quòd Philosophus accipiendus sit de mutatione, quæ fiat ab aliquo extrinseco agente, posse colligi ex verbis ipsius. *Contingit enim,* inquit, *altero mutationem patiente, verè dici, alterum nihil mutationis subire.* Vbi, ne in breuissima oratione sit æquiuocatio in verbo, *Mutationis*, debet intelligi, alterum non subire aliquid mutationis, illius scilicet per quam mutatum est alterum: quæ fuit mutatio ab agente extrinseco, v. g. albificante, calefaciente, generante, &c. cum hoc tamen stat, quòd, vt fatetur Mayronus 1. d. 29. quæst. 2. litera O. *ad relationem est vera mutatio; & quòd relatio producitur productione sibi propria.* Mayronus. Iicet non per se, sed per accidens; quod optime explicat esse ex eo, *quia nisi aliquid aliud prius terminet motum, ipsa,* hoc est, relatio, *non potest terminare. & sic negant Authores.*

191.

Ad secundam probationem, mirum & incredibile esse non debet, si fundamentum hîc existens, productis terminis in Hispania, vel in India, vel etiam extra cœlum, producat in se reales relationes, quæ etiam hîc corrumpantur, & realiter esse definant post corruptionem terminorum in quauis longissima distantia. Hoc enim valdè consentaneum est naturæ relationis, quæ, vt docet S. Thomas de Potentia quæst. 7. art. 9. ad 7. *in quantum accidens est, habet quòd sit in subiecto; non autem in quantum est relatio, vel ordo, sed solum quòd ad aliud sit, quasi in aliud transiens.*

Ex S. Thoma explicatur modus quo producitur & corrumpitur relatio.

transiens, & quodammodo rei relatæ existens. Quoniam igitur esse relationis, vt formaliter relationis nō est esse *in*, hoc est, subiecti, sed esse *ad*, hoc est, termini, *ideo* addit S. Thomas, *nihil prohibet, quòd esse desinat huius accidens sine mutatione eius in quo est: quia sua ratio non perficitur prout est in ipso subiecto, sed prout transit in aliud; quo sublato, ratio huiusmodi accidentis tollitur quidem quantum ad actum, sed manet quantum ad causam: sicut & subtracta materia, tollitur calefactio, licet maneat calefactionis causa.* Simili prorsus ratione philosophandum de productione relationis, nimirum quòd posito termino, oritur statim ex fundamento relatio; fundamentum enim, vbicumque illud fuerit, est ex se, & suis intrinsecis, causa determinata ad producendum in se accidens relatiuum, si ponatur terminus, quem illud accidens essentialiter respicit; quocumque tandem loco terminus sit. Neque enim in hac re est facienda vis in distantia inter fundamentum & terminum, quia nec agere debet fundamentum in terminum, ne terminus in fundamentum, sed solum fundamentum in se ipsum posito simpliciter termino; qui sicut non postulat hanc vel illam distantiam vt ad illum referatur fundamentum, vt patet in duobus hominibus, altero generante, altero genito, qui semper manent pares & filius, quantumlibet inuicem separentur; ita neque vt fundamentum in se produeat relationem ad illum. Ad quam veritatem facilius percipiendam, & clarius explicandam, inuari possumus exemplo, quod acutè tetigit S. Thomas vltimis verbis citatis. Ita enim se habet relatio respectu termini, sicut passio respectu subiecti, v. g. calefactio respectu corporis quod calefit: sicut enim ablato subiecto tollitur actus calefactionis, quamuis remaneat causa calefactionis in Igne, omnino intrinsece determinata, quantum est ex se, ad calefaciendum; & posito subiecto extrinseco, nulla prorsus intrinseca mutatione in Igne facta, statim ab Igne procedit calefactio; ita ablato termino, statim relatio auferetur à fundamento, & manet fundamentum causa intrinsece determinata, quantum est ex se, ad producendam relationem; & ideo iterum posito termino. Statim illa causa exit in actum relationis. Solum differentia est, quia in primo casu de passione, requiritur debita passi approximatio ad agens, quia passum requiritur vt recipiens aliquid ab agente. In secundo autem casu de relatiuo, non est necessaria vlla approximatio termini ad fundamentum, quia terminus ad relationis productionem requiritur solum vt extrinsece terminans relationem: quod munus obire potest se ipso simpliciter existente, absque vlla dependentia ab hoc, vel illo loco. Placet præterea referre verba S. Thomæ 1. d. 26. quæst. 2. art. 1. ad 3. quæ eamdem doctrinam vberius & enucleatius explicant, & clarissime ostendunt, S. Thomam posuisse in re actualem distinctionem inter creatam relationem & fundamentum, tamquam inter causam producentem, & effectum productum; & inter vnam rem, quæ corrumpitur, & aliam, quæ remanet. *Dicendum,* inquit, *quòd quandocumque aliquid, quod est de ratione rei tollitur, oportet quòd ipsa res auferatur; sicut remoto rationali, destruitur homo. Ad rationem autem relationis, quæ habet fundamentum in re, duo concurrunt, scilicet fundamentū rei, quod est quantitas, quæ est causa huius relationis; est etiam aliud de ratione eius, scilicet respectus ad alterum, & vtroque modo contingit in realibus relationibus destrui relationem; vel destructionem quantitatis, vnde ad hanc mutationem quantitatis, sequitur per accidens mutatio relationis; vel secundum quòd cessat respectus ad alterum, remoto illo, ad quod referebatur; & tunc relatio cessat, nulla mutatione facta in ipsa;* hoc est, non cessante fundamento, in quo ipsa erat.

192. *Responsio Caietani non probatur.*

Atque hæc responsio est multò magis intelligibilis, & conformis cum ratione, tum doctrinæ S. Thomæ, quam illa Caietani hîc, qui ad hanc obiectionem, *quæ*, inquit, *maximam vim habet*, ita respondet, *In esse similitudinis, fortè tantum existente albo, neque omnino est, neque omnino non est; sed quodammodo est, quodammodo non est: est enim incompletè, non est autem completè: & propter debilitatem sui esse, ex sola expositione termini completi; resultante siquidem Ad, resultat & complementum ipsius, in quantum, non ex defectu fundamenti, similitudo incompletum esse habebat, sed ex defectu termini; & propterea consequens est, quòd posito termino, qui deficiebat, compleat fundamentum quasi prolem, aut fructum, seu effectum suum.* Sed contra hanc responsionem, quam legimus etiam in Flandria 5. Metaph. quæst. 16. art. 18. ad 4. quoniam illud esse incompletum præexistens, vel est aliquid entitatis relatiuæ, quæ ponitur realiter distincta à fundamento; & hoc dici nullo pacto potest, quia relatio, quæ est entitas quædam simplicissima, constaret ex duabus entitatibus realiter distinctis, altera incompleta præexistente, altera completa adueniente: vel nihil est entitatis relatiuæ, & tunc integra adhuc remanet difficultas, qua scilicet ratione, noua quædam proles, seu nouus fructus, siue effectus, realiter distinctus à fundamento, qui effectus non est ipsum ficti, seu effici, sed alia quædam alterius prædicamenti res verè, ac propriè, & de nouo facta nunc posito termino, quæ non erat facta ante positionem termini, possit nunc primò de nouo aduenire, & inesse fundamento, & tamen per nullam mutationem in fundamento factam, nec à fundamento, nec à termino, nec ab alio agente, media aliqua actione causatam. Neque exemplo Ignis calefacientis subiectum, quod deinde ex S. Thoma supra affert, tueri se potest Caietanus: quamuis enim subtracto subiecto, & adueniente subiecto, subtrahatur & aduenial calefactio, sicut subtracto, & adueniente termino subtrahitur & aduenit relatio; tamen in primo casu duplex cernitur mutatio, altera passiua subiecti quod calefit, & transit de non calido in calidum; altera actiua Ignis, qui transit de non calefaciente in calefacientem. At in secundo casu nullam Caietanus mutationem concedere audet, neque passiuam fundamenti transeuntis de non relato in relatum, neque actiuam eiusdem fundamenti transeuntis de non producente relationem in producens relationem. Vtramque igitur mutationem sapiens Philosophus verè negare minimè potest: neque negarunt Aristoteles, & S. Thomas, si rectè intelligantur vt supra.

193. *Quarta obiectio an relatio componat cum fundamento.* Mayronus. Durandus.

Obiicies quarto si relatio distingueretur in re à fundamento, eique de nouo adueniret, & vniretur, faceret vtique aliquam compositionem cum illo: & consequenter, vt deducit Mayronus 1. d. 29. quæst. 2. difficultate prima, *non esset ita simplex albedo similis, sicut albedo per se: cuius oppositum communiter dicitur.* Et inter alios Durandus 1. d. 30. quæst. 2. num. 15. ita arguit. *Sicut se habet esse in alio, ad id, in quo fundatur; sic se habet esse ad aliud, ad suum fundamentum. Sed esse in alio, non facit compositionem cum eo, in quo fundatur. ergo nec esse ad aliud.* Minorem probat, *quia esse in alio, & accidens absolutum, in quo fundatur, puta qualitas, vel quātitas, non faciunt vnum compositum tamquam partes quantitatiuæ, positione differentes, nec vt materia, & forma, quatenus vnum est in alio informatiuè, & inhærenter.* Quo modo probat non posse relationem inhærere fundamento: *quia illud, quod est in alio, vt ei inhærens, est res habens modum, & non est modus solum. Sed respectus, est modus solum, & non res modum habens. ergo ei non competit esse in alio, modò quo ex talibus sit compositio.*

Respon

Respondetur affirmatiuè cum S. Thoma, Mayrone, Caietano,

Respondeo, concedendo sequelam cum S. Thoma 1.d.33.quæst. vnica,art.1. fine Corporis & reliquis omnibus authoribus secundæ conclusionis qui id vel expresse concedunt, vel negare non possunt,quia, vt benè ait Mayronus supra,*demonstratiuè probatur,quòd non est ita simplex res,quæ constituitur ex rebus diuersorum generum,& ex rebus realiter differentibus,quarum vna sit in potentia ad aliam; sicut vna illarum: nec propter hoc debet negari compositio, si non videatur ad oculum hoc poni cum alio,vel in alio.* Consentit Caietanus hic dicens, *Componere relationem cum fundamento,compositiusque esse album simile,quam album, non solum non inconuenit,imò est necessarium.* Quare ad contrariam Durandi argumentationem,nego Maiorem illam in qua esse in alio, comparatur cum esse ad aliud, in ratione inhærendi in eo in quo fundantur: nam cum esse in alio sit ipse formalis modus inhærentiæ, non potest per aliam inhærentiam inhærere, sicut nec existentia per aliam existentiam existere, nec subsistentia subsistere per aliam subsistentiam. At vero relatio cum non sit ipsa inhærentia,sed aliud verum ac reale accidens, debet propriè inhærere per inhærentiam, quicquid tandem hæc sit præter existentiam accidentalem relationis.Præterea ad Minorem dico, esse in alio facere duplicem compositionem, alteram cum accidente, tamquam modi cum re modificata; alteram cum subiecto, tamquam formæ cum materia.Quibus duobus modis relatio immediate fundata in aliquo accedente absoluto, vt in quantitate, albedine, facit etiam compositionem.Et quando dicitur,quòd relatio est modus,& non res habens modum; dico illam respectu diuersorum & esse modum,& rem habentem modum: est enim modus respectu fundamenti,quo simpliciter indiget vt sit,quodque perficit & actuat: est res,vel quasi res respectu alterius generis modi, à quo ipsa in suo esse perficitur & actuatur, nempe respectu inhærentiæ, cuius ratione habet vt suum esse *Ad*,sit actu inesse,& esse *In* alio. Neque nouum est in Philosophia, vnum modum modificari per alium modum diuersi generis; sic enim modus vnionis v.g.modificatur per existentiam, existentia substantialis per subsistentiam,subsistentia per productionem. Esto igitur relationi non competat inhærere fundamento,sed tantum subsistentiæ vt formaliter subiecto;tamen competit,non per inhærentiam,aut informationem, sed per realem identitatem,actuare fundamentum, quod est in potentia ad relationem,& ita faciunt inuicem aliquam compositionem,vt dixit Mayronus supra.

Relatio respectu diuersorum,est modus, & res modificata.

194. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò. Commune est axioma,quod sæpe S. Thomas, & reliqui omnes Scholastici vsurpant ex Commentatore,Relationem esse debilioris, Esse, inter omnia prædicamenta. Non esset autem tantæ debilitatis in esse, si ita niteretur suo fundamento, vt tamen haberet esse in se proprium, à parte rei distinctum ab esse fundamenti. ergo idem est esse vtriusque omnino in re indistinctum.

Respondetur relationis existentiam & non solam essentiam distingui à fundamento.

Respondeo,ita philosophari nonnullos de existentia relationis,quam tamen secundum essentiam esse volunt distinctam à parte rei ab essentia fundamenti.Sed vniuersaliter,præstat rebus,distinctam in re essentiam habentibus,distinctam pariter existentiam tribuere: & particulariter,de relatione & fundamento id est multò,certius; cum ex probatis supra constet,quod omnes authores nostræ sententiæ fatentur,præexistente,& remanente fundamento in suo esse absoluto,de nouo illi aduenire, & ab eo recedere relationem,prout de nouo aduenit,vel recedit illius terminus. Quod nouum aduenire,ac recedere relationis, cum physicè in rebus ipsis exerceatur, est inintelligibile absque aduentu ac recessu nouæ existentiæ,siue id fiat per mediam actionem, siue per simplicem resultantiam, & cessationem. Neganda igitur est consequentia, non enim relatio est ens debilissimum propter carentiam, aut indistinctionem propriæ existentiæ relativæ; neque etiam,vt scripsit Durandus supra, *habet minimum de entitate,quia est solum modus entitatis, & non est entitas habens modum,sed modus tantum*; cum ostensum sit, hoc esse simpliciter falsum, & per istam rationem multis aliis prædicamentis eadem essendi debilitas tribuenda esset,vt actioni,passioni, figuræ, aliisque similibus absolutis modis,& non soli relationi:sed solum propter multiplicem dependentiam in esse, quam ex proprio genere inter reliqua omnia entium genera habet: quoniam esse ipsius, vt docet S.Thomas 4.contra gentes cap. 14.ad 9. & fusius explicat alio in loco supra num.191. fine. *Non solum dependet ab esse substantiæ*,quam dependentiam communem habent reliqua omnia accidentia; *sed etiam ab esse alicuius exterioris*,ad quod terminatur; & quo posito ponitur, & ablato aufertur, nulla alia facta mutatione in fundamento. Quod esse *Ad*, ita dependens,propriissimum est relationis prædicamentalis. Præterea relationis debilitas in genere entis habetur ex eo, quòd vt docet idem S. Thomas 4. contra gentes supra, *relatio postremum esse habet, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium ex quibus causatur, & in quibus fundatur.*

Cur relatio sit ens debilissimum ex Durando.

S.Thomas.

195. *Sexta obiectio an posito fundamento & termino,possit non dari relatio.*

Obiicies sextò. Si relatio esset à parte rei distincta à fundamento, & fieret à fundamento per propriam & intermediam actionem, ac proinde esset effectus posterior fundamento, posset saltem per Dei potentiam,remanente extrinseco termino, seiungi realiter à fundamento, non quidem conseruando illam separatam extra fundamentum, quod fieri non posse probatum est supra num 164.Sed vel suspendendo influxum, quo relationem conseruat; vel nolendo concurrere ad illius efficientiam, quæ etiam,sicut omnis alia actio causæ secundæ, dependet essentialiter à causa prima liberè cooperante. Hoc vero consequens videtur absurdum, cum non sit intelligibile,dari duo alba habentia eamdem speciem albedinem vt octo, & tamen in albedine non esse similia: item vt obiicit Maior 4.d.12.quæst.1. circa finem dari hunc hominem generantem, & illum genitum, & tamen non dari Patrem & filium. ergo impossibile est antecedens,vnde necessariò sequitur.

Negant Maior,Capreolus.

Respondet Capreolus supra, sæpe negando consequens tàm Aureolo, quam Gregorio. Sicut, inquit, non potest Deus impedire ne fluat propria passio posito subiecto; vel datis partibus vnitis separare tertiam compositi entitatem,ab illis realiter distinctam: & ad 1.Aureoli contra primam conclusionem,pro hac sententia affert S. Thomam de Potentia quæst.7.art.9. ad 5. docentem, quòd positis fundamento,& termino, *sequitur naturaliter relatio.* Quæ verba ad id non cogunt, quia etiam posito subiecto debitè approximato, sequitur etiam naturaliter actio ex causa efficiente;& tamen hanc actionem posse à Deo impediri,certum est ex facto trium puerorum, qui nihil ab igne passi sunt. ergo etsi posito termino,ex fundamento naturaliter sequatur relatio, potest nihilominus Deus impedire ne sequatur. Neque etiam vrgent duo allata exempla, quæ negari facilè, & verè possunt. Igitur admitto consequens cum Mayrono supra ad quartam obiectionem. Petro Nigro citato num. 170. quod etiam concedit tandem Flandria supra ad 15. Et ad absurdum dico,quòd tunc illa duo alba, vt benè loquitur Mayronus,

Illa non fauet S.Thomæ.

Affirmatur cum Mayrono, Petro Nigro,Flandria.

Capreolus. Mayronus, *remanent similia similitudine fundamentali, non actuali*,seu formali. Idem ex suppositione probat ipsemet Capreolus supra ad 7.eorum, quæ Gregorius secundo loco inducit contra primam conclusionem,vbi in fine sic habet, *Quòd si Deus conseruaret duas albedines, sine hoc quòd sequeretur similitudo; tunc dico, quòd duo albi non essent similes similitudine, quæ est realis relatio, sed similitudine, quæ est indiuisio, vel vnitas; sicut est similitudo in diuinis, licet ibi maior sit indiuisio essentiæ, quam sit indiuisio albedinis duorum alborum.* Similiter dico ad aliud exemplum de generante & genito, tunc dari patrem & filium fundamentaliter, non formaliter. In qua distinctione nihil apparet inintelligibile, vt contra nostram opinionem obiicit Soncinas 5. Metaph. quæst. 28. ratione 2. vbi cum arguit, quòd nullus potest esse simpliciter pater, nisi sit formaliter pater, facit vim in solis verbis: esto enim generans & genitus, si sint, aut intelligantur sine formali paternitate, aut filiatione, denominari propriè & simpliciter non possint pater & filius; tamen sicut verè in se habent proximum fundamentum paternitatis & filiationis cum omnibus, ad illas necessario requisitis, ita denominari rectè possunt cum addito diminuente pater fundamentaliter, & filius fundamentaliter. Alioqui si præter generantem & genitum,nulla alia forma in ipsis realiter est, denominans illum formaliter patrem,& hunc formaliter filium, id non tam erit relationem non distinguere à fundamento, quàm in fundamento negare.In quam Nominalium sententiam abire tandem videtur Soncinas, quia ad 1. dicit quòd paternitas nihil est aliud quam potentia generatiua, in quantum *potest concipi conceptu collatiuo & comparatiuo ad filium. Dum igitur*, inquit, *filius non est, hæc entitas est quidem,sed non est paternitas.* Si simpliciter & formaliter non est paternitas in potente generare,non existente filio,& post existentem filium nihil prorsus reale aduenit in potentia generatiua,vel à termino,vel à fundamento, vel ab aliqua alia extrinseca causa; ergo paternitas nihil est aliud quam entitas potentiæ generatiuæ, quæ est tota absoluta, & potest concipi in ordine ad filium, seu terminum genitum,non propter aliquam realem entis rationem formaliter & intrinsece respectiuam in illa realiter existente, sed propter solum terminum extrinsecum, quo posito ens absolutum denominetur relatum denominatione merè extrinseca.

Soncinas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm relationes,quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem distinguantur.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua eiusque authoritas,n.1.& 2.*
2. *Explicatur ratio Articuli,num.3.*
3. *An diuina relationes sint res vel modi, num. 4. & 5.*

1. *Quàm certa sit pars affirmatiua.*

Conclvsio affirmatiua est ita certa,sicut certum est,dari in Deo plures personas realiter distinctas inter se, & eas distingui realiter per proprietates non absolutas, sed purè relatiuas. Ex his enim duabus catholicis veritatibus,inferius probandis, euidenter sequitur, ipsas in Deo relationes esse plures & realiter inter se distinctas. Nulla namque alia realis pluralitas atque distinctio

Fasoli in D.Thom. Tom.III.

singi potest, nisi vel absoluta, vel respectiua. Sed Fides docet, in nullo prædicato diuino absoluto dari realem pluralitatem. ergo realis pluralitas atque distinctio,quam eadem fides in Deo esse docet, est necessario in prædicatis purè relatiuis. Aliter,& clarius eadem ratio explicatur: quoniam plures diuinæ personæ realiter distinctæ, non sunt plures & realiter distinctæ, per plures & realiter distinctas naturas; ergo solum per plures & realiter distinctas personalitates. Consequentia manifesta est ex eo, quòd in diuinis personis nihil est formaliter aliud, nisi vel natura, vel personalitas. ergo earum pluralitas vel cadit supra plures naturas, vel supra plures personalitates. Non supra plures naturas, vt blasphemabant Ariani: ergo supra plures personalitates. Sed personalitates diuinæ,sunt relationes: ergo in Deo sunt plures realiter distinctæ relationes.

2. Toletanum XI.

Florentinū.

Hanc ipsam veritatem non obscurè definitam censemus à Toletano XI. in Professione Fidei,mulò post principium illis verbis, *In relatione, personarum numerus cernitur. Hoc solo numerum insinuant, quòd adinuicem sunt:* quia,vt paulò ante credendum esse docuerat, *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium est; & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur.* Si diuinæ personæ, non per aliud, sed per solas relationes, quibus adinuicem sunt,& referuntur, numerum habent; ergo tres numero personæ realiter distinctæ,sunt propter tres relationes realiter distinctas: alioqui si ita essent distinctæ propter aliquam aliam rationem non relatiuam, iam in hac alia ratione, non in relatione, nec in hoc solo quòd adinuicem sunt, cerneretur numerus diuinarum personarum. Consonat grauissimum Ioannis Theologi testimonium, in ipsomet Concilio Florentino latum, & receptum, sess.18. §. *Dixi equidem.* vbi naturæ diuinæ vnitas in distinctis personis, ita probatur,*Sola namque relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat; ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis, Pater à Filio, & vna persona ab alia differant.* Quibus verbis continetur irrefragabile illud omnium Theologorum pronunciatum, desumptum ex Boëtio libro de Trinitate cap.12.& Anselmo de Processione Spiritus sancti cap. 3. *Sola relatio multiplicat Trinitatem:* siue, quod idem est, *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationum oppositio:* &,vt addit Anselmus, *pluralitas sequitur relationem, & est in relatiuorum nominum significatione.* Ablata igitur reali relationum pluralitate, consistere nequit realis pluralitas personarum. ergo qui hanc credit, credere pariter debet & illam. Et ideo à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, paulò post principium creditur, *Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta.* Et in sacra Scriptura duæ personæ passim dicuntur Pater & Filius,propria nimirum denominatione, vt ex eadem Scriptura, & ex Sanctis probatum est supra art.1.num.1. 2.& 3. quæ personæ in nullo differunt, sed vnum sunt,præter solum esse Patrem,& esse Filium, vt definit Florentinum, & docent Patres locis & verbis relatis supra num.136. & 137. quibus nominibus veras ac proprias relationes significari nemo negat. Igitur si Pater & Filius realiter distinguuntur, & non propter aliud, nisi propter paternitatem & filiationem,euidenter sequitur, Paternitatis & Filiationis relationes realiter distingui.

Boëtius. Anselmus. Lateranense.

3. *Ratio S. Thomæ expenditur.*

Cuius veritatis S.Thomas hîc in Corpore aliam à priori rationem affert, ex suppositione, quòd

intra ipsum Deum sit verus ac proprius conceptus relationis realis, vt ex fide certum est supra art. 1. initio. *De ratione*, inquit, *relationis est respectus vnius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relatiuè. Sed in Deo realiter est relatio: Igitur oportet quòd realiter sit ibi oppositio relatiua, quæ in sui ratione includit distinctionem. ergo oportet, quòd in Deo sit realis distinctio; non quidem secundum absolutam, sed secundum rem relatiuam.* In quo discursu videtur S. Thomas initio loqui vniuersalissime de ratione relationis vt sic, prout communis est ad relationem realem & relationem rationis, qua etiam, si referatur idem ad se ipsum in re, tamen adhuc refertur vnum ad alterum, secundum rationem cum oppositione relatiua: hoc est, idem vno modo conceptum per vnum actum, concipitur aliud opposito modo per alium actum, v.g. vno actu vt subiectum, alio vt prædicatum. Ex hac enim vniuersalissima relationis ratione optimè deducit, quod si in Deo est relatio realis, esse etiam ibi debeat oppositio realis, & consequenter realis distinctio: quia relatiua oppositio consistit in respectu vnius ad alterum; ergo essentialiter postulat duo, quorum vnum non sit alterum; in qua negatione essentialiter consistit distinctio. Ex qua ratione diligenter aduertendum est, probari quidem, nullam esse intra Deum relationem, quæ non realiter distinguatur ab alia relatione; quia quælibet relatio intra Deum, est essentialiter ad alterum oppositum & distinctum intra ipsum etiam Deum, non ad alterum absolutum, cum in Deo relationes sint re ipsa omnino identificatæ cum absolutis, vt supra dubitatione 1. ergo ad alterum relatiuum: tamen non probari, nullam esse intra Deum relationem, quæ non realiter distinguatur à quacumque alia relatione; quia art. sequenti ostendam, in Deo esse etiam realem spirationis actiuæ relationem, distinctam realiter à relatione passiuæ processionis, non autem à paternitate & filiatione. Et ratio disparitatis est, quia relatio vt relatio non opponitur relatiuè subiecto quod refert, & in quo est, vel per identificationem vt in diuinis, vel per inhærentiam vt in creaturis; sed solum termino, ad quem refert. Spiratio verò actiua refert quidem Patrem & Filium, tamen non refert ad Patrem, aut ad Filium, sed ad Spiritum sanctum. ergo opponitur soli Spiritui sancto. ergo ab illo solo petit realiter distingui.

4. *Diuinæ relationes esse propriè res, ex S. Thoma,*

In eadem ratione aduerto, Relationem à S. Thoma vocari *rem relatiuam*: sicut etiam 1. d. 27. quæst. 1. art. 1. circa finem Corporis ait, *Paternitas & filiatio sunt duæ res; & similiter Pater & Filius.* Et quidem sapientissimè, nam si diuinæ personæ nullo alio modo distinguuntur nisi in relationibus, & per relationes, si hæ non essent propriè quædam res, seu realitates, illa distinctio dici propriè non posset realis, quo modo à S. Thoma hic, & à reliquis omnibus Theologis vocatur; sed dicenda potius esset vel modalis, vel formalis, si relationes conciperentur vel vt modi, vel vt formalitates. Neque enim intelligibile est, duo distingui realiter propriè, in illo, & per illud, quod non est propriè aliqua res, aut realitas; vt rectè obseruauit Arrubal disput. 100. num. 7. & 8. & ideo diuina paternitas, etiam vt secundum rationem distincta ab essentia, res dicitur ab Aureolo citato supra art. 2. num. 34. & Zuniga disput. 3. dubio 5. num. 3. vult, relationes in se non esse modos, sed res. Verum & ipsemet S. Thomas suprà art. 1. n. 13. Capreolus, aliique Thomistæ ibidem num. 14. & sequentibus, & Henricus num. 16. fine. & Ægidius 1. d. 34. p. p. quæst. 1. paulò ante finem Corporis, &

Arrubal. Aureolo.

Zuniga. *Contra multos, qui explicantur in bono sensu.*

ad 1. & ad 3. negant esse res; imo tam hi, quam alij veteres & graues Theologi docent, non esse aliquid, sed ad aliquid. Et, quod plus est, Patres communiter, quos pro Durando refero supra num. 42. vocant non res, sed modos. Et inter recentiores, Suarez libro 4. de Trinitate cap. 6. num. 4. Vasquez disput. 121. cap. 3. ad 2. modos etiam esse dicunt. Hanc qualemcunque dissensionem vt componam dico breuiter, quod tetigi supra num. 21. & significare videtur Ægidius supra ante finem Corporis diuinam relationem, vt ratione distinctam ab essentia, posse considerari dupliciter, vel per comparationem ab essentiam, secundum esse *In*: vel per comparationem ad terminum, secundum esse *Ad*. Primo modo esse modum, non realiter, sed conceptibiliter, vt supra num. 43. & 44. expono Patres: & in hoc esse *In*, relationes non distinguunt, neque distinguuntur, neque oppositionem habent, sed identificantur. Secundo modo esse propriè rem, non modum; quoniam etsi impossibile sit dari in re aliquid, quod sit purum *Ad*, & propterea dicatur relatio, non esse aliquid, sed ad aliquid, & S. Thomas 1. d. 26. quæst. 2. art. 2. ad 3. doceat, *Quòd relatio ex hoc quòd ad alterum dicitur, non sit res quædam, sed est res aliqua secundum quòd habet fundamentum in eo, quod refertur*; tamen purum *Ad* diuinum, est in se ipso non solum ens reale, sicut est *Ad* creatum, sed etiam substantiale, imo ipsa personalis subsistentia infinita, ob suam eminentissimam entitatis perfectionem essentialiter petens identificari omnino realiter cum ipsa Dei natura. Quæ omnia satis superque sunt, vt non creata, sed diuina relatio secundum proprium esse *Ad*, secundum quod opponitur, & distinguitur, sit verè ac propriè aliqua res, ac realitas; & consequenter, vt possit propriè realiter opponi, & distingui à correlatione, & distinguere inter se diuinas personas.

5. S. Thomas.

Contra hanc conclusionem nihil graue obiici potest, nisi vnum illud grauissimum ductum ex summa omnium relationum diuinarum identitate cum essentia, vnde naturalis Philosophus necessario deduci existimat eamdem identitatem relationum inter se, propter illud Logicum Axioma, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; cui respondet S. Thomas hic ad 1. idemque nos multis soluimus supra à num. 47. ad 50. tractantes de identitate relationum cum essentia; quæ identitas eodem etiam argumento impugnatur. Sicut enim ex hoc quòd relationes sunt idem cum essentia, arguitur, esse etiam idem inter se; ita contra, ex eo quòd relationes non sunt idem inter se, arguitur, non esse idem cum essentia: quia vtrumque ex prædicto Axiomate probari videtur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Deo sint tantùm quatuor relationes reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua & quatuor difficultates in ea inclusa.*
2. *An in Patre, & Filio detur Relatio spirationis actiuæ ad Spiritum sanctum, num. 1. ad 9.*
3. *Quomodo relatio spirationis actiuæ distinguatur à paternitate, & filiatione, num. 9. ad 35.*
4. *An paternitas filiatio, spiratio, & processio sint quatuor relationes, num. 35. ad 45.*
5. *An intra Deum sint plures quàm quatuor reales relationes, num. 45. ad finem Articuli.*

Articuli resolutio & difficultates.

CONCLVSIO affirmatiua articuli de relationibus ad intra inter ipsasmet diuinas personas, vt limitatur in discursu Corporis, duas continet negatiuas partes: alteram, quòd huiusmodi relationes non sint pauciores quam quatuor assignatæ: alteram, quòd non sint plures. Circa primam, vnum est extra controuersiam, dari tres relationes, paternitatem, filiationem, processionem; sicut certum est, dari tres diuinas personas, earumque personalitates, seu personales proprietates, non esse nisi tres relationes prædictas, quod inferius ostendetur. Tota igitur controuersia & difficultas est de spiratione, de qua quæruntur tria. Primum, An hæc spirationis relatio simpliciter detur. Secundum An, posito quòd detur, sit distincta secundum rem à paternitate, & filiatione. Tertium An, posito quòd non sit distincta, adhuc realiter esse, & dici, seu numerari possit vt quarta relatio. Circa secundam partem quæremus, An præter has quatuor relationes, sint aliæ, vt relationes intelligentis ad rem intellectam, volentis ad rem nolitam, quæ negantur hic ad primum, & relationes æqualitatis, similitudinis, identitatis, distinctionis, & oppositionis, inter ipsas personas diuinas, quæ negantur hic ad 4.

Non Hugo Aetherianus.

Non Arimiensis.

DVBITATIO I.

An in Patre & Filio dicatur relatio spirationis actiuæ ad Spiritum sanctum.

SVMMA.

1. *Conclusio affirmatiua eiusque authores, num. 1.*
2. *Probatur primò ex Patribus & Concilijs, num. 2. ad 5.*
3. *Probatur secundò rationibus, num. 5. & 6.*
4. *Soluuntur obiectiones, num. 7. & 8.*

1. *Conclusio affirmatiua, contra quam non est Albinus Flaccus.*

CONclusio affirmatiua omnium Theologorum, nemine excepto: nam tres, qui à Suarez libro 5. de Trinitate cap. 4. num. 2. & 3. referuntur in contrarium, Albinus Flaccus libro 1. de Trinitate cap. 5. Hugo Aetherianus libro 3. contra Græcos cap. 2. Gregorius Ariminensis 1. d. 26. contrarij verè non sunt. Albinus enim ibi vsurpat eadem Augustini verba serm. 38. de tempore, longè à principio, quibus docent quidem, Relationem Spiritus sancti ad Patrem & Filium non esse reciprocam, seu mutuam: tamen manifestè loquuntur de relatione mutua quoad voces tantum Patris, Filij, & Spiritus sancti; non quoad rem. *Ipsa*, inquiunt, *relatio Spiritus sancti non ita reciproca ratione conuerti poterit, sicut Pater & Filius. Nam Pater, Filij pater dicitur; & Filius, Patris filius dicitur. Spiritus verò sanctus vniformiter dicitur ad Patrem & Filium, quia Patris & Filij Spiritus est. Dicimus enim Spiritum sanctum, Spiritum Patris; sed non vicissim dicimus, Patrem Spiritus sancti, ne filius eius intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus, Spiritum sanctum Spiritum Filij; sed non dicimus, Filium Spiritus sancti, ne pater eius intelligatur Spiritus sanctus.* Deinde pro hac conclusione addunt, sub aliis nominibus Doni, & Donatoris, esse inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum reciprocam relationem, ita immediatè post subiungentes, *Dicitur & idem Spiritus donum Dei, quia Deus donator doni sui est. In quibus nominibus ciò conferri potest vicissim relationis regula; vt si dicamus, donator doni, & donum donatoris: quia in his vocabulis potuit inueniri vsitata huic Cathegoriæ, quæ dicitur ad aliquid circumlatio.* Expresè loquuntur de *nominibus*, & *vocabulis*: rem vero sub aliis vocibus apertè concedunt. In eodem sensu loquitur Aetherianus, non citato cap. 2. sed sequenti 3. paulò post principium: nam cum dixisset, Spiritum sanctum referri ad Patrem & Filium, subiungit, *non tamen Pater, Filiusve conuersim ad Spiritum referuntur. Non enim Pater, siue Filius, sancti Spiritus pater, vel filius,* Et statim, sicut Augustinus & Albinus, mutuam correlationem, & relatiuam conuersionem sub aliis vocabulis affert, subdens de Spiritu sancto, Amborum donum dicitur, & comparibus alterutri donatorum honoribus decorantur. Denique Ariminensis loco citato hanc difficultatem non tangit, nisi obiter quæst. vnica art. 2. ad 2. contra secundam conclusionem, vbi non negat ipsam actiuæ spirationis reuelationem, sed solum eius distinctionem in re à paternitate. *Dico*, inquit, *quòd Pater refertur ad Filium & Spiritum sanctum vna relatione tantum secundum rem, quæ tamen est in pluribus speciebus relationis; seu, cui conueniunt rationes plurium specierum relationis. Quapropter optimè potest correspondere distinctis specie coppositis*, hoc est, filiationi, & relationi spirationis passiuæ, seu processionis Spiritus sancti. Relatio in Patre, quæ est vna secundum rem, tamen in duplici relationis specie, & propterea non solum correspondens, & opposita filiationi, sed etiam processioni, non minus est formaliter paternitas, quam sit formaliter relatio actiuæ spirationis. ergo Ariminensis non minus concessit hanc, quam illam. Idemque sentire censendus est de filiatione in Filio qui non minus quam Pater est principium productiuum Spiritus sancti.

2. *Probatur ex Patribus.*

Consentiunt Patres. Quamuis enim huius quartæ relationis minus frequentem & claram mentionem faciant, quoniam ferè toti fuerunt in explicandis relatiuis proprietatibus constituentibus, & distinguentibus personas, inter quas proprietates ista relatio non continetur, quæ causa fuit vt nec ipsa relatio, nec Pater & Filius ab illa relatione peculiare nomen habuerint; tamen eam numquam negant, sed vel supponunt in aliis eorum dictis, vel etiam directè, & explicitè significant. Mirificè fauet Augustinus 5. de Trinitate cap. 11. Nam initio vniuersaliter docet, *Quod propriè singula in Trinitate dicuntur, nullo modo ad se ipsa, sed adinuicem dicuntur; & ideo relatiuè, non substantialiter ea dici manifestum est.* Sed Spiritus sanctus, vt omnes fideles credimus, relatiuè dicitur ad Patrem & Filium: ergo vicissim Pater & Filius, relatiuè dicuntur ad Spiritum sanctum; alioqui non singula in Trinitate adinuicem dicerentur. Non dicuntur autem Pater & Filius relatiuè ad Spiritum sanctum per paternitatem & filiationem, vt idem Augustinus probat cap. sequenti 12. sicut & in sermone supra citato, quoniam Spiritus sanctus neque est filius Patris, neque pater Filij: ergo per relationem alterius rationis, quæ mutua relatio, inquit Augustinus post medium citati cap. 11. *non apparet in hoc nomine, Spiritus sanctus; apparet autem cùm dicitur Donum Dei. Donum enim Donatoris, & Donator Doni, cum dicimus, relatiuè vtrumque adinuicem dicimus.* Quod cap. sequenti clarius explicat. Vnde cap. 13.

Augustinus.

initio ita concludit, *Dicitur ergo relatiuè Pater, idemque relatiuè dicitur Principium. Sed Pater ad Filium dicitur, Principium vero ad omnia, quæ ab ipso sunt.* Addit autem in fine c. 14. quòd Pater & Filius sunt *vnum principium Spiritus sancti, non duo principia.* Ergo alia quadam relatione principij spiratiui, non paternitate, aut filiatione, referuntur Pater & Filius ad Spiritum sanctum. Clarius Anselmus de Processione Spiritus sancti cap. penultimo, multò post medium. *Est autem*, inquit, *tribus commune, ad duos habere relationem. Pater enim ad Filium, & Spiritum sanctum refertur, sicut ad illos, qui de se sunt. Filius ad Patrem & Spiritum sanctum, quia est de Patre, & Spiritus sanctus de illo. Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, quia est de vtroque.* Sed certum ex fide est, nec Patrem per paternitatem, nec Filium per filiationem referri ad Spiritum sanctum. ergo per aliam relationem. ergo alia relatio ad Spiritum sanctum datur in Patre & Filio, præter paternitatem & filiationem. Eiusdem distinctè meminit Boëtius libro 1. de Trinitate in fine dicens, *similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum sanctum:* quia scilicet, sicut Pater refertur ad Filium, quia est eius principium; ita Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum, quia sunt Spiritus sancti principium. Sed Filius & Spiritus sanctus principiantur diuersa ratione, ille per generationem, hic per aliam distinctæ rationis processionem: ergo diuersæ rationis etiam esse debet relatio qua Pater refertur ad Filium, ab ea, qua Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum.

Anselmus.

Boëtius.

3. Toletanum XI.

Florentinũ.

Præterea Toletanum XI. in Fidei professione, multò post principium, quamuis dicat, *In relatiuis personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque referatur*; & non addat vicissim, Patrem & Filium referri ad Spiritum sanctum, spectans nimirum proprietatem nominum, vt ex Augustino, & Albino superius adnotaui, tamen mutuam hanc correlationem, quo ad rem ipsam, paulò post satis expressit, de omnibus diuinis personis vniuersaliter dicens, *Hoc solo numerum insinuant, quòd adinuicem sunt.* Si Spiritus sanctus refertur ad Patrem & Filium, non essent adinuicem, nisi vicissim Pater & Filius referrentur ad Spiritum sanctum. Item in Concilio Florentino sess. 18. §. *Diuina substantia.* Ioannes Latinus Theologus, ex sententia etiam Græcorum Patrum, cum dixisset, *Persona ex substantia, proprietatibusque consistit. Substantia cum personis communicat, proprietates vero nequaquam communicabiles sunt. Quod quidem ex relationis vi creditur euenire:* declarans deinde magis, quid sit hæc proprietas relatiua incommunicabilis, ait, *Doctores inquiunt, nil nisi principij habitudo est: in qua quidem hæc duo considerantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid.* Ergo in proprietate relatiua incommunicabili Spiritus sancti, secundum quam principiatur à Patre & Filio, non solum consideranda est vna principij habitudo veluti passiua, qua Spiritus sanctus est aliquid *ad quod*, scilicet terminatur origo spirationis actiuæ Patris & Filij: sed etiam alia actiua principij habitudo considerari debet, qua Pater & Filius respectu Spiritus sancti sunt aliquid *à quo*, tamquam ab vno principio per vnicam actiuam spirationem procedit Spiritus sanctus. Quam doctrinam exemplo clariori statim explicat idem Ioannes in Patre & Filio, dicens, *Ob id Pater & Filius sunt, quòd Pater principium est: Filius autem ex principio.* Sed etiam Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti, tamquam *à quo aliquid*; & Spiritus sanctus est ex hoc principio, tamquam *ad quod aliquid.* Ergo eadem ratione, qua Pater ad Filium refertur, & conuersim Filius ad Patrem, debent non solum Spiritus sanctus referri ad Patrem & Filium, sed conuersim etiam Pater & Filius ad Spiritum sanctum. Quamobrem cum Patres passim docent, & Concilia definiunt, Patrem & Filium, siue Deum, esse principium, siue causam, siue Authorem, siue fontem Spiritus sancti, eamdem actiuæ spirationis relationem admittere censeri debent. Et ideo nullam vim facere videtur, quod ad huius relationis certitudinem minuendam affert Suarez supra, *Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in cap. vnico, de summa Trinitate in 6. & Florentinum sess. 24. dicere, Patrem & Filium vna spiratione producere Spiritum sanctum: quia*, inquit, *ibi non sumunt spirationem pro relatione, sed pro origine. Potest autem origo actiua esse realis, quamuis relatio in producente non sit realis, vt patet in Creatore respectu creaturarum: quo exemplo vtitur ad hanc originem declarandam Augustinus 5. de Trinitate c. 14.* Tum quia prædicta Concilia non solum definiunt, Spiritum sanctum procedere *vnica spiratione*, sed etiam *ex vno principio.* Principium autem, vt in eodem Florentino supra dictum erat, importat & relationem principij à quo est principiatus, & relationem principiati ad quod passiuè producendum tendit principium. Quæ relatio in Patre & Filio, non potest esse paternitas, aut filiatio, vt non semel docuit Augustinus supra, & ex terminis ipsis manifestum est, posito quòd Spiritus sanctus neque est Filius, quem terminum essentialiter respicit paternitas; neque est pater, ad quem terminum est essentialiter filiatio. ergo esse debet alia relatio spirationis actiuæ. Tum quia esto definitio esset tantum de vnica spiratione, sumpta pro origine actiua, tamen idem sequeretur; quia origo actiua in diuinis esse non potest sine relatione oppositа correlationi originis passiuæ. Relatio autem opposita relationi spirationis passiuæ, est relatio actiuæ spirationis, & non paternitas & filiatio, quæ essentialiter sunt tantum relationes generationis actiuæ & passiuæ. Neque est par ratio de relatione creatoris ad creaturam, vt fusè explicatum est supra art. 1. num. 25. Neque hoc exemplum attulit Augustinus ad declarandam relationem Patris & Filij ad Spiritum sanctum, sed vnitatem principij, quo Pater & Filius spirant Spiritum sanctum: sicut enim Pater, Filius, & Spiritus sanctus creant per vnicam omnipotentiam, & vnicam creationem; ita Pater & Filius spirant per vnicam voluntatem fœcundam ad intra, & per vnicam spirationem.

Exponuntur verba Lugdunensis, & Florentini.

Ex quibus etiam dignosci facilè potest quòd Patres omnes & Concilia, dum fatentur, tres in diuinis personas, & tres relatiuas proprietates, earum constitutiuas, ac distinctiuas, hoc ipso virtualiter & implicitè fatentur etiam, præter paternitatem, & filiationem, dari in Patre & Filio relationem spirationis actiuæ. Si enim tertia Spiritus sancti persona constituitur per relationem passiuæ spirationis, eo ipso ex parte principij, quod sunt Pater & Filius, correspondere debet alia correlatio, quæ, vt probatum est, alia esse non potest nisi relatio actiuæ spirationis, distincta saltem secundum rationem ratiocinatam à paternitate & filiatione. Quod potissimum obseruare licet in Damasceno, qui ab eodem Suarez pro contraria sententia adducitur libro 1. Fidei cap. 11. nam paulò ante medium cum docuisset, tres esse relatiuas proprietates, *paternitatis, filialitatis, & processionis*, addit, *secundum causam, & causale*; hoc est, à causa produ-

4. *Relatio spirationis actiuæ probatur ex relatione spirationis passiuæ.*

Damascenus.

productum; significans vniuersaliter, quòd sicut in diuina generatione non solum datur *in causali*, hoc est, in termino genito, relatio filiationis, sed etiam in *causa*, hoc est, in principio generante, correspondens correlatio paternitatis; ita in diuina spiratione dari debent non solum in *causali*, hoc est, in termino spirato, relatio spirationis passiuæ, seu processionis, sed etiam in *causa*, hoc est, in principio spirante, correspondens correlatio spirationis actiuæ. Denique Bessarion in sua oratione dogmatica ad Græcos Patres Concilij Florentini cap. 6. circa medium, vt habetur in fine eiusdem Concilij, docet ex Nazianzeni sententia, differre inter se Filium & Spiritum sanctum, *tum manifestationis*, hoc est, vt ipse interpretatur, *æternæ processionis, tum relationis adinuicem diuersitate.* & deinde pro hac conclusione quartò subiungit, *Relationem verò adinuicem Filij & Spiritus sancti, nescio an aliam quisquam reperiat, præter eam, quæ secundum causam & causatum sit; secundum quam Filius quidem ad Spiritum vt causa se habeat; Spiritus verò è conuerso ad Filium, vt causatum ad causam, & ideo diuersimodè.* Sed Spiritus sancti causa, non est Filius vt genitus, aut vt generans, sed solum vt spirans, sicut Spiritus sanctus non est à Filio causatus nisi vt spiratus. ergo relatio Filij ad Spiritum sanctum non est aut paternitatis, aut filiationis, sed solius actiuæ spirationis. Quod ipsemet Bessarion, deinde probat, & tandem ita clarissimè scholasticis formalitatibus, ac terminis concludit. *Patet ergo quòd & relatiuè Filius ad Spiritum, & ad Filium Spiritus refertur. Et cum Filius, prout filius, non referatur ad Spiritum (non enim dicitur Filius Spiritus) restat vt referatur ad Spiritum, tamquam spirans; cum Spiritus etiam referatur ad Filium tamquam spiritus. Spiritus enim spiranti, & passiua spiratio actiuæ spirationi correspondet. Spiritus vero & Spiritus Filij, multis in locis sacræ Scripturæ dicitur, & spiratio eius. Hic enim Spiritus, sacer Athanasius ait, spiratio est Filij. Cum igitur ad Filium Spiritus, & tamquam spiratio, & tamquam Spiritus referatur, Filius tamquam spirans referetur ad Spiritum.* Atque eadem, imò maior ratio est de Patre; cum pluribus & expressioribus authoritatibus certum sit, Spiritum sanctum spirari, seu procedere à Patre, quam à Filio.

Bessarion.

5. *Ratio conclusionis ex S. Thomæ.*

Ex his authoritatibus, quæ huius relationis existentiam efficiunt, si non omnino certam in Fide, saltem adeo certam in sana Theologia, vt non possit non censeri temerarium, illam negare, colligi potest ratio conclusionis, nam, vt benè sumit vniuersaliter S. Thomas supra art. 1. paulò ante finem Corporis, *Cum aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, necesse est quòd ambo, scilicet procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant, & sic oportet, quòd habeant reales respectus adinuicem:* vt patet inductione in omnibus, cum creatis, tum increatis, vt in Patre æterno, eiusque Filio. Sed Spiritus sanctus, vt omnes diuina fide credimus, realiter procedit à Patre & Filio in eadem Dei natura. ergo Pater & Filius debent realiter referri ad Spiritum sanctum. Confirmatur, quia in Patre & Filio, ideo datur mutua relatio realis, quia Filius realiter procedit à Patre per generationem, quæ petit in terminis duas oppositas relationes paternitatis & filiationis; sed Spiritus sanctus procedit realiter à Patre & Filio non per generationem, sed per aliam diuersæ rationis processionem. ergo hæc etiam, eadem omnino ratione, petit in terminis duas alias oppositas relationes, diuersæ rationis à paternitate & filiatione, sicut diuersæ origines, seu processiones, sunt generatio, & spiratio, in quibus istæ diuinæ relationes quasi fundari intelliguntur, quas duas alias relationes, vocamus spirationis passiuæ in Spiritu sancto, & spirationis actiuæ in Patre & Filio. Præterea si Spiritus sanctus refertur realiter ad Patrem & Filium, quia ab illis realiter procedit; non est ratio, cur etiam Pater & Filius, quia sunt vnum principium, à quo realiter procedit Spiritus sanctus, non referantur ad illum. Imo, quod prudenter obseruauit Suarez libro 5. de Trinitate cap. 4. num. 7. fine, sine isto respectu relinqueretur Spiritus sanctus quasi extraneus, non conueniens in mutuo ordine cum aliis diuinis personis, à quibus realiter procedit vt consubstantialis illis, non minus ac consubstantialis est Filius Patri, inter quos propterea est mutuus ordo. Cuius mutui ordinis carentia, non parùm præiudicaret perfectioni Spiritus sancti, & perfectæ connexioni, & æqualitati diuinarum personarum.

Suarez.

6. *Pater ad Spiritum sanctũ non refertur paternitate ex S. Thomæ contra Præpositinum.*

Non potest autem Pater per paternitatem referri ad Spiritum sanctum, vt dicebat Præpositiuus, quem refert, & impugnat S. Thomas infra, quæst. 32. art. 2. post medium Corporis, quia relationes Spiritus sancti & Filij non sunt vnius rationis, sed diuersæ quasi secundum speciem. ergo non potest illis in Patre correspondere vna relatio paternitatis. Probat consequentiam euidenti principio Philosophico; *quia cum ratio specifica relatiui consistat in hoc, quòd ad aliud se habet, necesse est dicere, quòd duæ relationes non sint diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat.* Quod etiam exemplo ostendit, *Oportet enim aliam speciem relationis esse Domini, & Patris, secundum diuersitatem filiationis, & seruitutis. Vnde secundum duas relationes Filij & Spiritus sancti, quibus referuntur ad Patrem, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium & Spiritum sanctum.* Neque est simile, quod vt simile Præpositiuus afferebat de Creatore & creaturis. Tum quia, inquit S. Thomas, *omnes creaturæ, sub vna specie relationis referuntur ad Deum, vt sunt creaturæ ipsius*; quia scilicet creatio, in qua proximè fundatur relatio creaturæ, non est diuersæ rationis in hac vel illa creatura. *Filius autem & Spiritus non secundum relationes vnius rationis referuntur ad Patrem.* Tum quia esto creaturæ per diuersas specie relationes ad Creatorem realiter referantur, tamen creator non refertur realiter ad creaturas, sed tantum relatione rationis, quæ ad correlationes specie diuersas, esse etiam debet multiplex specie secundum rationem. Sed Pater ad Spiritum sanctum & Filium refertur relatione reali, vt ab ipsomet Præpositiuo conceditur; ergo non per solam & formalem paternitatem, quæ est realis relatio vnius rationis. Et ideo si ponuntur in creaturis ad Deum relationes reales diuersæ rationis, non potest noster intellectus cum fundamento in re affigere Deo eandem relationem rationis. Si enim creatura, v.g. per aliam relationem refertur ad Deum, quia facta est à Deo, & per aliam, quia est serua Dei; intellectus duas pariter specie quasi diuersas relationes rationis ad creaturam Deo tribuat necesse est, nimirum, & Creatoris, & Domini. Atque idem argumentum fieri potest de Patre & Spiritu sancto. Quibus duobus correlatiuis diuersæ rationis, non potest in Filio correspondere vna filiationis relatio eiusdem rationis. Adde, quòd Pater & Filius referri debent ad Spiritum sanctum per vnam & eandem relationem, quia sunt vnicum Spiritus sancti principium

Soluitur instantia Præpositini.

per vnicam spirationem. Sed Pater ad Spiritum sanctum referri non potest per filiationem, neque Filius per paternitatem. ergo vterque referri debet per quamdam aliam diuersæ rationis relationem, oppositam correlationi Spiritus sancti. Sicut igitur est in Deo Patre duplex processio, siue origo actiua, altera per intellectum, qua generat Filium; altera per voluntatem, qua spirat Spiritum sanctum; ita etiam duplex in eo relatio debet intelligi, altera paternitatis ad Filium, altera ad Spiritum sanctum, quæ, vt docet S. Thomas hîc in fine Corporis proprium non habuit, sed nomine originis dicta est spiratio; siue relatio Spiritus sancti dicta est processio; vel, vt hodie communius in scholis loquimur, relatio spirationis actiuæ, & relatio spirationis passiuæ. Sed in Filio est eadem spiratio actiua, quæ est in Patre: ergo in illo etiam esse debet eadem relatio spirationis actiuæ, præter aliam passiuæ generationis relationem ad Patrem generantem, quæ proprio nomine dicitur filiatio.

De nomine huius relationis ex S. Thoma.

7. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. In Patre & Matre ad Filium sunt relationes rationis diuersæ; & tamen in Filio ad Patrem & Matrem est vnius rationis filiatio. ergo pariter poterit Pater æternus vnica relatione referri ad Filium & Spiritum sanctum, habentes ad illum diuersas relationes.

Respondetur explicando relationem filij creati ad patrem & matrem.

Respondeo, si in Patre & Matre sunt diuersæ specie relationes, ex eo quòd diuersis specie concursibus, nempe Pater effectiuo tantum, Mater materiali tantum, in filij generationem influant, ponendæ etiam consequenter in filio sunt diuersæ specie relationes, vt in Logica vberius explicaui. ergo eadem ratione, cum Filius & Spiritus sanctus à Patre procedant per processiones diuersæ rationis, poni debent in Patre relationes eodem modo diuersæ. Quamquam etiam si poneretur in filio creato vna relatio, & in parentibus duplex specie, adhuc in Patre æterno duplex specie relatio ponenda esset: quia pater & mater integrant vnum totale principium generationis, & vnius specie filij; & consequenter, duæ relationes in parentibus essent diuersarum rationum partialium quibus correspondere potest vnica totalis relatio filiationis, sicut ipsis principiis diuersarum rationum partialium respondet vnus numero effectus totalis, & eiusdem rationis. At Filius & Spiritus sanctus non sunt partiales termini alicuius totalis processionis, neque in Patre sunt duo partialia principia, aut duæ partiales productiones, ex quibus coalescat vna aliqua totalis producendi potentia, aut productio; sed quælibet eius potentia, & productio, est integra, & completa in suo genere; & cuilibet correspondet integer terminus personæ distinctæ, & in se omnino completæ.

8. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò. Relatio spirationis actiuæ intelligitur aduenire Patri, & Filio, iam constitutis in suo esse personali Patris & Filij, hoc est, generantis & geniti, quæ actio, & passio, est suppositorum, & personarum. ergo talis relatio non potest esse realis; alioquin esset accidens reale, quod diuinis personis repugnat. ergo est relatio rationis: sicut relatio creatoris non potest esse realis, quia aduenire post integram diuinarum personarum constitutionem.

Respondetur spirationem aduenire Patri & Filio, & tamen nõ esse accidens.

Respondeo, concesso antecedente, nego primam & secundam consequentiam. Et ad probationem, nego ex illa reali relatione, quæ ita identificatur personis, vt tamen cum fundamento in re intelligatur aduenire personis in esse personali totaliter constitutis quoad essentialem conceptum personæ, sequi, quòd in Deo fit accidens aliquod reale. Quamuis enim relatio spirationis non constituat Patrem, & Filium, in esse personali, neque in esse principij spiratiui substantialis, vt inferius ostendam quæst. 36. art. 4. dub. 2. tamen constituit in formali, & substantiali esse correlatiui substantialis respectu Spiritus sancti; cuius substãtialis personalitas, quę est relatio spirationis passiuę, postulat ex natura rei in suo principio productiuo consubstantiali & eiusdem ordinis, aliam similem substantialem correlationem, quæ est relatio spiratoris. Sicut enim in humanis, quia relatio termini producti est accidens, debet illi ex opposito correspondere alia mutua relatio accidentalis in principio producente; ita in diuinis, quia relatio termini producti est substantialis, si ponenda est ex opposito alia mutua relatio in principio producente, illa pariter substantialis esse debet. Neque vero omne quod intelligitur simpliciter, & quomodocumque aduenire alteri, est accidens. Etenim ipsæ relationes personales, quæ etiam intelliguntur aduenire essentiæ, non sunt accidentia, quoniam intelliguntur aduenire non accidentaliter, sed substantialiter; hoc est, vt formaliter constitutiuæ alicuius esse, non accidentalis, sed substantialis, nimirum, esse personæ. Forma etiam in physicis aduenit materiæ, & in metaphysicis differentia aduenit generi, & tamen non sunt accidentia, quia ita adueniunt vt se ipsis formaliter constituant esse substantiale compositi substantialis, & speciei in Prædicamento substantiæ. Præterea, quod est exemplum casui nostro magis accommodatum, in diuinis actus in se spirandi, posterius ratione intelligitur aduenire Patri, & Filio, constitutis in esse personali, & in esse principij spiratiui; & tamen ille non est accidens, quia intelligitur aduenire vt substantialis actus, necessarius scilicet ad productionem tertiæ Spiritus sancti personæ, quæ est perfectissima substantia in eadem omnino diuina natura cum Patre & Filio. Relatio igitur spiratoris non debet concipi aduenire vt accidens, sed vt essentialiter substantia; quia ita aduenit, vt ipsa formaliter constituat in diuinis correlatiuum mutuum substantiale ad substantialem correlationem spirationis passiuæ, constitutiuam substantialis personæ Spiritus sancti eiusdẽ naturæ & ordinis. Quare nõ est simile, quod affertur de Creatoris relatione; quoniam hæc est ad terminum diuersissimi ordinis, nimirum creaturam; & aduenire Deo post substantialem constitutionem omnium personarum, & totius sanctissimæ Trinitatis; & ideo si aduenire conciperetur, & esset quid reale, non posset non concipi aduenire vt accidens reale. Relatio vero est necessaria ad rectam & integram constitutionem Trinitatis intra ipsum Deum: & ideo concipi debet aduenire intra Deum, vt aliquid formaliter & essentialiter substantiale, & nulla ratione accidentale, ne metaphysica quidem, vt supra, art. 2. num. 182.

DVBITATIO II.

Quo modo relatio spirationis actiuæ distinguatur à paternitate, & filiatione.

SVMMA.

1. *Prima conclusio negans distingui secundum rem, num. 9. & 10.*
2. *Probatur primò authoritatibus, num. 11. ad 14.*
3. *Probatur secundò rationibus, num. 14. ad 18.*
4. *Secunda conclusio affirmans distingui secundum rationem, num. 18. & 19.*
5. *Tertia conclusio negans inclusionem essentialem vnius relationis in alia, num. 20. ad 25.*
6. *Obiectionum dissolutiones, num. 25. ad 35.*

Prima

9. *Prima conclusio non distingui secundum rem. Authores conclusionis.*

PRima conclusio. Nullo modo distinguitur actu in re ante opus intellectus. Ita S. Thomas infrà quæst. 32. art. 3. ad 3. & clarius quæst. 40. art. 1. ad 1. fine. & 1. d. 27. quæst. 1. art. 1. circa finem corporis. & Thomistæ, & Interpretes omnes. Ægidius 1. d. 27. quæst. 1. Riccardus d. 28. art. 1. quæst. 1. corpor. & d. 33. art. 1. quæst 2. ad 3. Nec benè dicitur à quibusdam, sibi contrarius antea in d. 13. art. 1. quæst. 3. corpor. vbi ad rem præsentem scripsit tantum, *Quòd spiratio* Spiritus sancti realiter distincta est à generatione Filij: ibi enim apertè loquitur de spiratione passiua, & generatione passiua, quæ processiones identificantur adæquatè cum terminis productis, realiter distinctis. Nunc autem quærimus de actiuis, non de passiuis processionibus. Aureolus 1. d. 13. quæst. vnica art. 4. Propositione 2. vbi inter spirationem & generationem negat omnem distinctionem, & realem, & rationis Argentina d. 27. quæst. vnica art. 2. Carthusianus quæst. 1. in contrarium referens Albertum & Bonauenturam, & alios quosdam dicentes, *Quòd generare & spirare, realiter distinguantur.* Nimirum, non spectata in seipsis, sed respectu terminorum, qui sunt Filius & Spiritus sanctus, realiter distincti: alioquin Albertus p. p. summæ, q. 39. membro 2. art. 1. litera D. loquens vniuersaliter de notionibus, proprietatibus, & relationibus respectu illius personæ, in qua sunt, ait, *Hæc differunt, non secundum esse, sed secundum rationem intelligendi, siue secundum rationem supponendi, & attribuendi, vt antiqui dixerunt.* & litera F. ad 2. fine admittit hoc antecedens, *Quicquid est in Patre, est Pater; & quicquid est in Filio, est Filius; & sic communis spiratio est Pater, & communis spiratio est Filius:* & negat tantum inde sequi, *Ergo Pater est Filius.* Et Bonauentura 1. d. 33. art. vnico q. 1. 2. 3. & 4. loquens de omnibus proprietatibus, & relationibus, & notionibus, quæ in vnaquaque persona sunt, nullam in eis à persona distinctionem agnoscit, nisi solius rationis, & modi significandi. Idem sentiunt Ocham 1. d. 27. quæst. 1. difficultate 1. de Paternitate & spiratione dicens, *Quòd non differunt realiter.* & quamuis addat, *quòd non sunt idem formaliter*; tamen, vt latius adnotaui suprà art. 2. num. 9. per hoc non intelligit actualem distinctionem, sed fundamentalem tantum; ratione cuius, vt ibidem explicat, *aliquid verificatur de aliquo termino, & non de alio.* Gabriel ibidem, art. 2. Ariminensis art. 2. ad 2. contra secundam conclusionem. Marsilius q. 30. art. 4. dub. 2. & recentiores omnes.

Henricum nõ esse contrarium.

10. *Contraria sententia Durandi,*

Contra Durandum 1. d. 13. q. 2. tota, præsertim art. 2. & 3. defendentem, quod, inquit n. 14. *magis visum est*, &, vt addit n. 29. fine, *Solennes Doctores posuerunt*, differre realiter tam spirare à generare & generari, quam communem relationem spirationis à paternitate & filiatione; quia in hac re, vt ipsemet ibidem benè notat, *idem est iudicium de emanationibus, & relationibus.* Et ex num. suo 26. ad 3. videtur ponere maiorem distinctionem realem inter prædictas relationes, quam inter relationem & essentiam, inter quas ponit veram & actualem distinctionem ex natura rei, secluso omni actu rationis, vt supra art. 2. num. 6. quia, inquit, *magis implicat oppositum, quòd vna relatio sit duæ relationes, quàm quòd vnum absolutum sit plura relata.* Quod, propriis entium rationibus præcisè spectatis, probari minimè potest; cum in genere entis, multò magis distent absolutum & respectiuum, quam respectiuum & respectiuum. Pro eadem sententia sunt, inquit Capreolus 1. d. 13. q. vnica, art. 2. §. sed cõtra primam, *multi alij.* Et in particulari referri solet Henricus 2. p. summæ art. 60. quæst. 2. initio corporis probandum assumens, *Quod generatio & spiratio sunt processiones distincta inter se realiter, non re absoluta, sed re relationis: & hoc non nisi penes rationem originis, qua hoc est ab hoc, & vnum eorum ab alio suam trahit originem, vt sit quodammodo hoc ab hoc.* Quod obscurè propositum, non minori obscuritate deinde probat & explicat. Sed si attentius & profundius legatur, verè non aduersatur: quia deinde declarat, se loqui *de spiratione & generatione, comparatis inter se vt simpliciter accipiuntur, & generatio continet tam actiuam generationem, quam passiuam; & similiter spiratio, tam actiuam spirationem, quam passiuam.* Et in hoc sensu rectè dicit, ac probat, quòd hæ processiones distinguuntur realiter, *ratione originis, qua vnum eorum est ab alio*; quoniam generatio passiua est ab actiua; & similiter passiua spiratio est ab actiua. Nostra verò quæstio est in alio sensu longè diuerso, solum de spiratione actiua comparata ad generationem actiuam & passiuam, respectu quarum nullam originis rationem habet. Refertur etiam Scotus Quodlibeto 5. art. 2. fine dicens de paternitate & spiratione, *quòd proprietates in eadem persona differunt ex natura rei, præter considerationem intellectus.* Sed potest explicari vt suprà art. 2. num. 3. & 8. & de his relationibus consideratis non se ipsis secundum esse *In*, prout adunatæ sunt in vna simplicissima persona diuina; sed respectu suorum terminorum, secundum esse *Ad*, quo modo important distinctos realiter terminos, quia spiratio actiua est ad Spiritum sanctum, paternitas ad Filium tantum, filiatio ad Patrem tantum. & ita fortasse accipi potest Bassolus 1. d. 13. quæst. vnica, art. 1. quoniam initio dicit, *Omnibus constat quòd generatio actiua, & spiratio actiua realiter differunt, & distinguuntur.* & in fine eiusdem §. *Ista*, inquit, *conceditur ab omnibus.* Certum autem est, non omnibus constare, quòd istæ relationes in ipsa persona, in qua simul reperiuntur, sint plures realitates inter se realiter distinctæ; sed solum omnibus constat, quòd respiciant personas realiter inter se distinctas. Vnde in fine quæstionis ad vltimum, si solutio iungatur cum obiectione, vocat Patrem, *suppositum simplex, vniformiter se habens*, à quo tamen, inquit, *habente in se plura principia virtualiter, possunt esse plures productiones*, nimirum passiuæ; nam actiuæ, quæ sunt in ipsa persona producente, intelligi non possent esse à persona sine formali, & actuali pluralitate in ipsamet persona simplici; quod repugnat. Fortasse in eodem sensu Rada controuersia 27. in prima Appendice, post medium, & apud ipsum Varro, dicunt, *quòd proprietates in eadem persona differunt ex natura rei præter considerationem intellectus.*

De sententia Scoti,

Bassoli,

Rada.

& multorum apud Capreolum.

Probatur conclusio authoritatibus,

11. Quamuis non habeamus authoritates valdè expressas, quæ loquantur directè, & specialiter de prædictis relationibus, inter se comparatis, non desunt tamen aliquæ generales adeò efficaces propter euidentem deductionem, vt Molina infra q. 32. art. 2. disp. 3. §. *Contraria sententia.* non dubitauerit hanc censuram ferre, *Opinio Durandi est parum tuta in fide; imò meo iudicio erronea posset appellari*: eademque Ruiz disp. 17. sect. 3. n. 18. mitius, & rationabilius vocauerit *periculosam.* & Arrubal disp. 102. n. 23. ita testetur, *Communiter existimatur sententia Durandi temeraria, & periculosa in fide.* Sed Bagnes etiam infrà quæst. 32. art. 3. dub. 2. conclusione 2. vocat *errorem.* Zumel art. 2. disp. 1. conclusione 1. *fortè erroneam, & vt minimum errori proximam.* Suarez lib. 5. de Trinitate c. 5. n. 6. *errorem in fide.* Afferam & expendam duas authoritates magis præcipuas,

Recentiorum censura.

Authoritas Lateranensis contra Durandum.

Prima authoritas, quam, quia fortasse premebat, nimis fusè & acriter tractat Durandus supra num.

suo 29. & 30. rationem inde deductam vocans *friuolam & leuem*, sumitur ex Concilio Lateranensi in cap. *Damnamus*, de summa Trinitate. vbi directè, & primariò intendens defendere ac probare dictum illud Petri Lombardi, *Quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, quod damnauerat Abbas Ioachim asserens, *Quòd ille non tam trinitatem, quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet, tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam*, ita definit, *Credimus & confitemur cum Petro, quòd vna quædam summa res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim qualibet earumdem. Et ideo in Deo solummodo trinitas est, non quaternitas; quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.* In qua definitione, falsò assumit & contendit Durandus, *quòd non condemnetur expresse nisi quaternitas personarum:* dissensio enim inter Abbatem illum & Magistrum numquam fuit de quarta persona, qui error est in fide nimis crassus, & indignissimus, de quo Catholici Doctores pugnauerint; sed solum de trium personarum vnitate, quam Abbas volebat esse, vt refert Concilium, *non veram & propriam vnitatem, sed quasi collectiuam, & similitudinariam, quemadmodum dicuntur multi homines, vnus populus; & multi fideles, vna Ecclesia.* Magister verò asserebat, esse veram ac propriam. Solũ Abbas Magistro obiecit, quòd si tres personæ essent veraciter illa vna summa res, nempe, natura diuina, sequeretur, hanc rem esse *quasi quartam*, nempe personam. Quoniam verò quarta persona, erat obiecta propter vnitatem, quæ erat directa & primaria controuersiæ materia, ideo Concilium in sua definitione ne verbum quidem habet de quarta persona, sed solum de vera ac reali vnitate trium personarum in vna numero natura: & quaternitatem in Deo simpliciter negat, non ex negatione quartæ personæ, neque ex alia causa, sed solum causaliter inquit, *Ideo in Deo non est quaternitas, quia qualibet trium personarum est natura diuina.* hoc est, quia natura diuina, quæ videbatur, & obiiciebatur quasi quarta persona, non est persona, sed natura, omnino identificata cum Trinitate personarum. Sed Durandus præter tres personas, seu personales, ac proprias relationes, ponit aliam realem communem relationem in Deo realiter distinctam à tribus prædictis, imò omnia ista quatuor entia realia ponit realiter distincta ab absoluta Dei natura, vt suprà art. 2. num. 6. Ergo satis clarè conuincitur ponere non solum quaternitatem contra definitionem à Concilio intentam, sed etiam vlterius quamdam veluti quinquennitatem. Eamdem quaternitatem rerum, & non personarum tantum, ex Bernardo contra Durandum expendimus loco citato num. 31. Demum dat Durandus, quòd in Concilio *condemnatur concomitatiuè quaternitas rerum* (sed limitando, gratis ita addit) *inter personas & essentiam*: & vim facit in essentia intrinsecè inclusa in personis, & ideo, inquit, essentia præter personarum trinitatem, non facit quaternitatem, neque personarum, neque etiam rerum. Verum confundit terminos, nam essentia ita intrinsecè includitur in personis, vt per ipsum reali distinctione excludatur à personalitatibus. Ergo per ipsum tres personalitates realiter distinctæ, & vna essentia realiter distincta ab omnibus & singulis personalitatibus, sunt quædam realis ac propria rerum quaternitas, planè opposita illi vnitati, quam habent tres personæ cum natura diuina ex Concilij definitione. Et sanè fictitium, & ridiculum est, asserere, Concilium fuisse solicitum de quaternitate *inter personas & essentiam*, non autem inter personalitates & essentiam: quo secundo modo realiter numeratur, & ponitur in Deo vera quaternitas rerum, & fieri verè non possunt prædictæ prædicationes in abstracto, quas facit Concilium.

12. *Authoritas Anselmi.*

Secunda authoritas sumitur ex dicto illo Anselmi, quod tamquam Axioma Theologicum Doctores omnes recipiunt in materia de Trinitate, eoque ad veritatem hanc probandam vtuntur S. Thomas infrà q. 32. art. 3. ad 3. & passim alij, *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Quod esse Anselmi, temerè negatur à quibusdam recentioribus. Nam epistola de Processione Spiritus sancti cap. 2. post medium ait, *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, vt sit Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Ergo vbi non est relatio inter res, quarum altera sit procedens, altera producens, quæ propriè est relationũ oppositio, ibi nulla alia potest esse causa pluralitatis simpliciter, sed erit simpliciter vnitas. Et c. 3. paulò post princip. *Suprædicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia Deus de Deo est, prohibet Patrẽ, & Filium, & Spiritum sanctum de inuicem dici, & propria singulorũ aliis attribui.* Et paulò post, *Pluralitas sequitur relationem*, scilicet non disparatam, sed oppositam, quæ paulò ante, & rursus paulò post dicitur *relationis oppositio.* Et paucis interiectis, diuinam vnitatem & pluralitatem sic explicat. *Nec vnitas amittat aliquando suam consequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio: nec relatio perdat, quod suum est, nisi vbi obstitit vnitas inseparabilis.* Quibus verbis prædictum Axioma clarissimè continetur. Quod etiam alij Patres non obscurè tradiderunt. Nyssenus ad Ablabium, *Quòd non tres Dij.* propè finem ait, *Eam quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus: per quod solum discerni alterum ab altero non negamus.* Notanda est particula, *solum.* Ergo vbi non est ratio causæ & causati, & consequenter, vbi non est relationis oppositio, ibi nulla discretio, nulla differentia. Damascenus lib. 1. Fidei cap. 11. aliquanto ante medium, *Secundum omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus præter ingigenentiam, gignentiam, & processionem.* Sed in his tribus solis diuinis rationibus habetur relationis oppositio; ergo ibi omnia sunt vnum, nisi obuiet relationis oppositio. Sed constat apud omnes, quòd relatio spirationis actiuæ, sed solam relationem spirationis passiuæ, ad quam terminatur, se habet oppositè; ad relationes verò paternitatis & filiationis, ad quas non terminatur, sed potius cum illis cohæret in eodem supposito, non se habet oppositè, sed tantum disparatè; ergo ex prædicta vniuersali sanctorum Patrum regula, spiratio actiua est à parte rei distincta tantum à spiratione passiua, non autem à paternitate, & filiatione.

Nyssen. *Damascen.*

13. *Resp. Durandi ad prædictum Axioma impugnatur.*

Respondet Durandus in fine quæstionis citatæ, Axioma esse intelligendum *de sola identitate quoad suppositum.* Paternitas autem & spiratio, inquit, *licet differant realiter, non tamen secundum suppositum.* Sed apertè contradicit intentioni, & verbis Sanctorum; qui declarare intendunt, quanta sit diuina vnitas; eamque in omnibus admittendam esse docent, præterquam in relationibus oppositis. Vnde Anselmus supra loquitur *de causa pluralitatis in Deo*, & non restringit doctrinam ad talem pluralitatem, nempe suppositorum. Neque enim tantum affirmatiuè dicunt Anselmus, & alij Patres, Trinitatem suppositorum in diuinis non aliunde oriri nisi ex relationis oppositione, in quo sensu omnes cum Boëtio fatemur, *Sola relatio multiplicat Trinitatem*, ac proinde, In vno supposito non posse esse relationes oppositas; sed præterea negatiuè & vniuersaliter addunt, Nullam omnino pluralitatem in Deo simplicissimo, &, vt loquitur Bernardus lib. 5. de consideratione aliquanto post medium *vnissimo*, ponendam esse, nisi vbi obuiat relationis oppositio: quæ tantum obuiat, vt

vt docet Anselmus, in eo quòd *Deus de Deo est*: quo modo de Deo Patre, aut de Deo filio non est spiratio actiua. De pluralitate etiam, & vnitate simpliciter, & non solius suppositi dixit Anselmus, *Pluralitas sequitur relationem. Vnitas non amittitur, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio.* Præterea cum Damascenus dicit, *Secundum omnia sunt vnum Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter ingigenentiam*, &c. non potest Durandus exponere *vnum*, pro vno supposito, quia esset Sabellianus. Ergo necesse est intelligere Damascenum de vno simpliciter quoad rem, & in genere entis. Sed non excipit nisi tres relationes oppositas, & in reliquis vniuersalissime, & *secundum omnia*, ponit prædictam vnitatem. Ergo relatio spirationis actiuæ respectu paternitatis & filiationis, respectu quarum neque est ingignentia, neque gignentia, neque processio, debet necessario intelligi inclusa in illis omnibus, quæ sunt vnum simpliciter. Denique si nil aliud illo Axiomate sancti Doctores, & Theologi vniuersi docere volunt de diuina vnitate, ac simplicitate, nisi quòd vbi non est oppositio relationis, & processionis vnius ab alio, ibi est vnitas suppositi, ibique omnia siue realiter distincta, siue non distincta pertinent ad vnum suppositum, non plus vnitatis ac simplicitatis tribuerent rebus diuinis, quam humanis; in quibus etiam, vbi non est prædicta oppositio vnius ab alio, omnia pertinent ad vnum suppositum: & non obstante prædicto Axiomate, possemus in vno diuino supposito ponere non solum duas relationes distinctas realiter inter se, sed etiam ab essentia; & in ipsa essentia plura prædicata essentialia, & attributalia distincta realiter tum inter se, tum ab essentia. Quæ omnia manifestè ostendunt, interpretationem Durandi non esse solidam ad mentem Sanctorum, sed confictam ad defensionem falsæ sententiæ.

Eadem conclusio rationibus confirmatur.

14. *Prima ratio.*

Prima ratio sit, quia si duæ relationes ponuntur distinctæ realiter inter se in eodem supposito, non est maior ratio cur non ponendæ etiã sint distinctæ realiter ab absoluta essentia eiusdem suppositi; cum multò minus in essentiali entis ratione discrepent duæ relationes, inter se cõparatæ absque vlla oppositione, quam cõparatæ cum alia re absoluta, diuersi generis. Hanc autem realem distinctionem relationum ab essentia, tametsi eam consequenter admittat Durandus, fusè reiecimus supra art. 2. dubitatione 1. tamquam omnino falsam. Sic enim nimis omnino in seipsis diuisæ, & compositæ ponuntur duæ personæ, Patris, & Filij, quarum tamen vnitas, ac simplicitas maximè extollitur ab omnibus Conciliis, & Patribus, vt in superioribus visum est. Nam in Patre re ipsa dicitur alia esse essentia, alia paternitas, alia spiratio. Similiter in Filio, alia essentia, alia filiatio, alia spiratio. Quamobrem tertia persona Spiritus sancti esset magis vna, & magis simplex; quia in ea non essent nisi duo tantum realiter distincta, nimirum essentia & processio. Vtrumque autem absurdum est; nempe, & in Patre ac Filio esse tantam distinctarum rerum multiplicitatem; & in Spiritu sancto maiorem esse simplicitatem, quàm in Patre & Filio.

15. *Secunda ratio.*

Secunda ratio, quia in bona Theologia certum valdè est, Relationes in re non distingui à Deitate; & in ipsa natura diuina perfectiones attributales, neque inter se, neque ab essentia à parte rei distingui. Hoc autem nulla alia probabiliori ratione, fundata potissimum in Patrum dictis, persuaderi potest, nisi quia Dei essentia, attributa, relationes, sunt infinitæ perfectionis; & essentia, atque attributa, neque inter se, neque cum relationibus vllam habent oppositionem, neque relationes cum illis: ex qua sola oppositione, quam inter se habent relationes, nascitur realis earum distinctio inter se, quamuis singulæ in suo genere infinitam perfectionem habeant, sed inter Dei paternitatem & spirationem, item filiationem & spirationem, nulla est oppositio, quamobrem & illæ cohærent in vna persona Patris, & hæ in vna persona Filij: ergo nulla etiam à parte rei potest esse distinctio.

Durandi responsio.

Dices cum Durando suprà, num. suo 33. hanc rationem non habere vim, *quia licet omnia opposita, sint distincta; tamen non omnia distincta sunt opposita.* Quod, quia negatur in diuinis, in illis etiam probari potest: nam paternitas & filiatio in Deo distinguuntur realiter à relatione passiua spirationis, cui non opponuntur, cum hæc relatio non sit correlatio ad illas, sed tantum ad relationem spirationis actiuæ.

Quo modo paternitas & filiatio opponantur relationi spirationis passiuæ.

Respondeo, quod infrà clarius explicabitur, Paternitatem & filiationem esse relationes simpliciter oppositas relationi spirationis passiuæ; tamen non oppositas correlatiuè, sicut illi opposita est relatio spirationis actiuæ; sed oppositas, vt ita dicam, principiatiuè, siue in ratione principij actiui spiratiui, quod suo loco inferius probabitur, & declarabitur, constituì vt quod, ex essentia & relationibus paternitatis & filiationis. Et ideo Florentinum verbis relatis supra art. 3. num. 2. quasi explicans Axioma illud Boëtij, *Sola relatio multiplicat Trinitatem*, præter relationem, addidit processionem, qua relatio induit rationem oppositionis, quæ ad distinctionem in diuinis omnino est necessaria, dicens, *Sola relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat.* Igitur si præcisa per rationem à Patre & Filio relatione spirationis actiuæ, adhuc Pater & Filius sunt principium à quo procedit Spiritus sanctus, vt inferius ostendam, paternitas & filiatio erũt relationes oppositæ Spiritui sancto non in ratione correlationis, seu tamquam correlatiuo, sed in ratione principij producentis, seu tamquam termino producto: sicut etiam in rebus creatis non solum opponuntur correlatiuè Pater & Filius, sed etiam effectiuè generans & genitum; cum non minus impossibile sit, idem referri realiter ad se ipsum, quam idem esse effectiuum principium sui ipsius.

Florentini.

16. *Tertia ratio.*

Tertia ratio, si spiratio actiua differret realiter à paternitate & filiatione, sequeretur, non magis differre spirationem actiuam à passiua, quam à paternitate & filiatione: quia vtrobique est eadem realis distinctio. Neque refert, spirationem actiuam non pertinere ad illud suppositum, ad quod pertinet spiratio passiua, sed ad alia duo suppositа Patris & Filij; tum quia adhuc cum ista differentia, sequitur idem inconueniens, nempe, inter spiratorem & spiratum non esse maiorem distinctionem, quam inter spiratorem & Patrem, spiratorem & Filium: si quidem in diuinis plura suppositа non plus distinguũtur quam realiter, & hoc modo ita distinguuntur, vt cum tali distinctione habeant omnimodam conuenientiam, & vnitatem in eadem numero natura, ratione cuius verificatur simpliciter ac propriè illud 1. Ioannis 5. *Hi tres vnum sunt.* Sed etiam spiratio actiua & paternitas, seu filiatio, eadem realis distinctionis specie differunt, & eamdem prorsus vnitatem habent in natura. Ergo vera simpliciter est consequentia initio facta. Consequens verò absurdum esse patet, quoniam nullus fidelis, rectè sentiens de Trinitate personarum, & de diuinæ naturæ, & vniuscuiusque personæ vnitate, dubitare potest, quin multo maior distinctio sit inter vnam & aliam

aliam personam, quam inter plures diuinas perfectiones, seu reales rationes in eadem vna ac simplicissima persona existentes, & conuenientes: cum in sanctis Scripturis, Conciliis, & Patribus, illa absolutè & simpliciter dicatur, Trinitas; hæc vero absolutè & simpliciter, Vnitas.

17. *Quarta ratio. Florentinus.* Quarta ratio, quia in diuinis nulla est distinctio, præsertim realis, inter ea, quorum vnum non procedit ab alio, vt superius adnotaui ex Concilio Florentino, in qua, inquit, processionis, seu principij habitudine, *hæc duo considerantur, A quo aliquid, & Ad quod aliquid*: si enim deest processio, necesse est deesse relationem; & quamlibet aliam oppositionem, sine quibus diuina ac perfectissima infinitas, quæ ex probatis in primo tomo quæst. 7. art. 2. num. 3. & 4. est de intrinseco & essentiali conceptu cuiuslibet entis diuini, siue absoluti, siue relatiui, stare non potest cum distinctione à parte rei, quæ manifestè importat aliquam finitatem ac limitationem inter res distinctas, quæ eo ipso quòd distinctę sunt, ita se habent, vt vna in sua reali intrinseca entitate non fit alia, & consequenter, vt vnius perfectio careat perfectione alterius, ac proinde vt limitata sit ad tantam determinatam perfectionem, non ad maiorem.

Declaratur illud, Sola relatio multiplicat Trinitatem. Quapropter sensus illius Axiomatis Boëtij, *Sola relatio multiplicat Trinitatem*, esse debet hic, omnis realis multiplicatio, seu pluralitas in diuinis, quæ de facto est, nec simpliciter esse potest alia nisi Trinitas personarum inter se, non potest alinnde pronenire nisi ex sola relatione, quæ in diuinis esse non potest nisi cum processione vnius ab alio: quem sensum clarius habet Anselmus de Processione Spiritus sancti c. 3. aliquantò post principium, tradens idem Axioma, non sub nomine Trinitatis, sed simpliciter, & vniuersalius sub nomine pluralitatis, illis verbis, *Pluralitas sequitur relationem.* Ex hac vero vnica radice distinctionis inter terminos diuinos, nimirum processione, euidenter sequitur, Nullo modo in re distingui spirationem actiuam à paternitate & filiatione; cum spiratio comparata paternitati, aut filiationi, neque sit id *à quo*, neque id *ad quod*; quoniam neque à spiratione procedunt paternitas & filiatio; neque contra, à paternitate & filiatione spiratio procedit: alioqui præter duas processiones, Filij à Patre, & Spiritus sancti à Patre, & Filio, daretur intra Deum alia tertia processio relationis spiratoris; quod nemo dixerit.

Anselmus.

Duæ aliæ conclusiones minus præcipuæ.

18. *Secunda conclusio de distinctione rationis. Capreolus. Aureolus.* Secunda conclusio. Relatio spirationis actiuæ, & paternitas, sicut etiam eadem spiratio & filiatio, distinguuntur inter se ratione ratiocinata. Hoc probat Capreolus 1. d. 13. q. vnica art. 2. conclusione 2. cum S. Thoma, contra quam postea refert Aureolum, eiusque argumenta soluit. Quamquam Aureolus 1. d. 13. q. vnica art. 4. propositione 2. vbi hac de re agit, non tam negat, posse duobus actibus concipi istas relationes, seu processiones, de quibus ipse tantum loquitur, altero spirationem, altero paternitatem, seu filiationem; quod alij vocant distingui ratione ratiocinata: quàm posse concipi spirationem, non concepta, saltem implicitè, paternitate, seu filiatione; & è contra. Quo modo discurrit de essentia & relationibus, vt exposui suprà art. 2. n. 34. quo exemplo ipsemet vtitur, & propositionem suam declarat in fine illius. Hanc autem qualemcumque distinctionem Aureolus non vult vocare simpliciter distinctionem rationis; & quidem meritò, vt ibidem notaui n. 70. & 71. Quamuis enim sint duo distincti actus, tamen illis non correspondent ex parte obiecti duæ distinctæ res, neque in esse reali, neque in esse obiectiuo, sed à singulis actibus, & ab vtroque semper concipitur eadem res, & idem obiectum.

19. *Probatur eâdem ratione.* Ratio conclusionis euidens est, quia spiratio, vt formaliter spiratio, respicit terminum realiter distinctum ab eo, quem respicit paternitas, vt paternitas, & filiatio vt filiatio. respicit enim Spiritum sanctum, qui realiter distinguitur à Filio, quem respicit paternitas, & à Patre, quem respicit filiatio. Præterea paternitas est propria Patris, quem formaliter constituit in esse primæ personæ; filiatio est propria Filij, quem formaliter constituit in esse secundæ personæ. Spiratio verò Patri, & Filio communis est, nullamque personam constituit. Item spiratio nec opponitur paternitati, cui opponitur filiatio; nec opponitur filiationi, cui opponitur paternitas: & relationi spirationis passiuæ opponitur correlatiuè, quo modo illi non opponuntur paternitas & filiatio, vt tales formaliter sunt. Deus quoque vt Pater, non vt spirator, est principium Filij: & Deus vt Filius, non vt spirator, producitur à Patre per generationem; quo modo filiatio passiuè terminat aliquam processionem, nullam verò processionem passiuè terminat relatio spirationis actiuæ. Quæ omnia sufficientissimum præbent fundamentum ad plures relationes ratione distinguendas: adeò vt faueant potius distinctioni reali impugnatæ conclusione 1. quam tollant rationis ratiocinatæ distinctionem, quam nunc probamus. In qua aduerto, hanc rationis distinctionem esse æquè perfectam ex parte vtriusque extremi; cum adductæ rationes æqualiter probent, Relationem spirationis actiuæ *distingui* à paternitate, seu filiatione; & è contrario, Paternitatem, seu filiationem distingui à relatione spirationis actiuæ: nec propterea inter istas relationes prædicto modo comparatas, posse considerari discrimen illud reiectum suprà art. 2. dub. 3. & 4. quod multi ponunt inter essentiam, & relationem, asserentes de conceptu essentiæ non esse relationem, sed de conceptu relationis esse essentiam, ac proinde, essentiam ratione perfecta, hoc est, non solum quoad modum concipiendi implicitum & explicitum, sed etiam quoad rem ipsam obiectam, seu conceptam, distingui à relatione; multò autem minus ratione distingui relationem ab essentia, nimirum non secundum aliud esse reale obiectiuum, sed dumtaxat secundum modum explicitum concipiendi idem esse obiectiuum; quod simul implicitè concipitur sub ratione essentiæ, & explicitè sub ratione relationis.

Qualis sit prædicta distinctio rationis.

20. *Tertia conclusio, altera relatio nō includitur essentialiter in altera.* Tertia conclusio. Ita in re identificatur spiratio cum paternitate, seu filiatione, vt tamen nec spiratio sit de intrinseca, & essentiali ratione paternitatis, seu filiationis, nec paternitas, seu filiatio de intrinseca & essentiali ratione spirationis. Hæc est sine dubio intentio Capreoli contra Aureolum suprà, & quidem secunda pars de spiratione non includente paternitatem, est omnium; quia si in suo essentiali conceptu includeret paternitatem, aut filiationem, non posset idem essentialis conceptus spirationis conuenire communiter Patri & Filio, quia sunt vnicum spirandi principium per vnicam spirationem; & tamen neque Pater est Filius, neque Filius est Pater. Qua ratione supra art. 2. dub. 3. similiter probauimus, Naturam diuinam, communem tribus personis, non posse in essentiali suo conceptu intrinseco includere aliquam personalitatem. Prima verò pars, præter Aureolum, aduersarios habet aliquos recentiores, qui minus cohærenter, concedentes secundam partem, negant primam, eò quòd putent, Paternitatem & filiationem intrinsecè compleri per spirationem actiuam: & propterea, sicut dicunt, essentiam

essentiam includi in relationibus, non relationes in essentia; ita volunt, spirationem includi in paternitate & filiatione, non paternitatem, aut filiationem in spiratione.

Argumentum ad hominem.

21. *S. Thomas.* Verùm expressè contradicunt S. Thomæ qui infrà quæst. 30. art. 2. ad 1. distinctè numerans quatuor diuinas relationes, spirationem, paternitatem, filiationem, processionem, de spiratione ait, *Licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas, quia non conuenit vni tantum personæ: neque relatio personalis, id est, constituens personam. Sed hæ tres relationes, paternitas, filiatio, & processio, dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes: nam paternitas est persona Patris, filiatio persona Filij, processio persona Spiritus sancti procedentis.* Qui dicit, Personam constitui non per spirationem, sed per paternitatem, & per filiationem, clarissimè distinguit non solum spirationem à paternitate & filiatione, sed has etiam pariter à spiratione; & munus constituendi personam, nullo modo tribuit spirationi, sed soli paternitati vt contradistinctæ à spiratione, & soli filiationi vt ab eadem spiratione contradistinctæ, sicut etiam soli processioni: illa enim particula aduersatiua, *sed hæ tres*, &c. expressè excludit aliam quartam relationem immediate ante nominatam. & post hanc exclusam, cum dicitur, *Nam paternitas est persona Patris*, &c. non potest rationabiliter intelligi inclusa spiratio in paternitate, ita vt persona Patris non sit sola relatio ad Filium, quam omnes vocamus paternitatem, sed sit simul etiam relatio ad Spiritum sanctum, quæ dicitur spiratio. Præterea quæst. 40. art. 3. ante medium corp. ita docet, *Remoto per intellectum à Patre quòd sit ingenitus, vel spirans, remanet hypostasis, vel persona Patris.* Ergo spirare, seu relatio spiratoris non complet intrinsece & essentialiter personalitatem, seu personam Patris. Neque valet instantia de ingenito, quod eodē modo, quo spiratio excluditur à S. Thoma à ratione personæ Patris; & tamen, inquiunt, *nullus dubitare potest, de essentia Paternitatis esse totum illud reale, quod affertur per innascibilitatem.* Enim verò S. Thomas non sumit ingenitum positiuè pro hoc reali, sed negatiuè pro non genito, seu non producto. Nam, vt docuerat superius q. 33. art. 4. fine corporis, *Non esse ab alio pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen, Ingenitus.* & deinde apertissime ad 1. narrata sententia quorumdam dicentium, *Quòd innascibilitas, quam significat hoc nomen, Ingenitus, secundum quod est proprietas Patris, non dicitur tantum negatiuè, sed importat vel vtrumque simul, scilicet, quòd Pater à nullo est, & quòd est principium aliorum; vel importat vniuersalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem*: ita eam confutat. *Sed hoc non videtur verum, quia sic innascibilitas non esset alia proprietas à paternitate & spiratione, & ideo dicēdum est secundum Augustinum in 5. de Trinitate quòd Ingenitus negationem generationis passiuè importat.* Similiter 1. d. 33. q. 1. art. 3. corp. ait, *Secundum intellectum proprietates non personales, vt innascibilitas, & communis spiratio, sunt in personis sicut illud, quod aduenit post esse constitutum; sicut albedo est in forte.* Si spiratio ex natura sua talis est, vt cum à personis Patris, & Filij, per intellectum distinguitur, debeat intellectus prius concipere personas constitutas, & posterius spirationem, quasi illis aduenientem. Ergo dici non potest spiratio inclusa intrinsecè in conceptu essentiali paternitatis & filiationis, & simul cum illis constituere & complere personas Patris & Filij. Et ideo Capreolus, Thomisticæ doctrinæ fidelissimus sectator, 1. d. 13. quæst. vnica art. 2. ad secundum Aureoli contra secundum conclusionem, *Spiratio*, inquit, *non concurrit ad constitutionem diuinæ personæ.*

Quid sit esse ingenitum.

Cap. 7.

Capreolus.

22. Argumentor præterea ad hominem, quia aduersarij rectè fatentur, Patrem in ratione formali Patris, & generantis filium, non constitui per spirationem actiuam. Ergo neque in ratione formali personæ. Consequentia, quam negant, videtur manifesta: tum quia sicut Deus, vt formaliter procedens, est integra persona Spiritus sancti; & vt formaliter filius, & genitus, est integra persona Filij; ita Pater, vt formaliter Pater, & generans, est integra persona Patris. Tum à priori, quia actio, cum sit vltimus actus, & vltimata perfectio rerum existentium, præsupponit ex natura sua rem perfectè constitutam in suo esse personali; vnde omnes pronunciamus, Actiones esse suppositorum, vtique completorum, & totaliter terminatorum in esse substantiali: sed generatio diuina est perfectissima quædam actio, ad quam non concurrit Pater, nisi vt Pater, constitutus per paternitatem; non vt spirator, constitutus per spirationem: ergo præsupponit Patrem perfectissimè constitutum in esse personali per solam paternitatem, non per spirationem. Saltem ex primo antecedente concesso, Quòd Pater in ratione formali Patris non constituitur per spirationem, euidenter sequitur, quod nunc directè tantum intendimus in prima parte conclusionis, Paternitatem in sua formali ratione non includere formaliter in suo proprio esse respectiuo spirationem.

23. *Prima pars conclusionis probatur ex secunda.* Hoc ipsum rursus probari efficaciter potest ex alia parte quæ conceditur, nempè quod spiratio neque explicitè, neque etiam implicitè, claudit in se quidditatiuè paternitatem, aut filiationem; ad eum fermè modum, quo supra art. 2. num. 103. probaui, Essentiam non includi in relatione si relatio non includitur in essentia. Nunc sic arguo. Si spiratio præcisè concepta, nulla ratione includit paternitatem; ergo qui concipit paternitatem, non concipit solam spirationem; ergo concipit aliquid aliud, quod non est spiratio, alioqui nihil prorsus aliud conciperet, nisi solam spirationem. Quā argumentatione similiter probaui in Metaphysica, quod, nisi multum fallor, est euidentissimum, Ens non posse ratione præscindere, saltem implicitè à substantia, quia vicissim substantia, quod omnes concedimus, non potest ratione, saltem implicitè, præscindere ab ente; cum & ipsa substantia, & quicquid in ea realiter ineſt, & conceptibile est, sit ens. Eadem proportionali ratione, si paternitas ipsa, & quicquid omnino in ea concipi potest, non est nisi spiratio; ergo spiratio intrinsecè & essentialiter claudit, saltem implicitè, quicquid omnino est paternitas, & clauditur in paternitate. Quod si spiratio, vt conceditur, omni ratione perfectè præscindit à paternitate, est prorsus inintelligibile, Ipsam paternitatem, vel in ipsa, non esse aliquid quod non sit spiratio; & consequenter, vel paternitas, vel aliqua alia realis ratio inclusa in paternitate, erit pariter perfectè præcisa à spiratione. Addidi prædictam disiunctiuam, quia possunt duo termini aliquando inuicem comparari sicut includens & inclusum, vt v. g. homo & animal; & tunc licet animal præscindat ab homine, & homo non præscindat ab animali, tamen in homine est aliquid quod ab animali præscindit, nimirū rationale. Sic igitur si paternitas includit spirationem, & non est sola spiratio, habere deber in se aliquid, ratione cuius præscindat à spiratione, sicut spiratio præscindit ab illa.

24. *Eadem prima pars probatur per se.* Denique eamdem primam conclusionis partem absolutè probo ex muneribus supra num. 19. positis, conuenientibus paternitati secundum reale, & formale, ac proprium suum esse respectiuum, præscindendo ab omni nostræ mentis operatione, quæ non possent conuenire illi si in suo esse intrinseco quidditatiuè clauderet spirationem. Dicitur enim paternitas,

nitas, vt formaliter paternitas terminari ad Filium, eique opponi, & esse propria vnius personæ, non communis pluribus personis, & complere principium producendi per intellectum, & consequenter, pertinere ad primam processionem diuinam, non ad secundam: opposita verò prædicata conueniunt spirationi, vt spiratio formaliter est; quæ terminatur non ad filium genitum, sed ad alium terminum spiratum, & non genitum; non opponitur Filio, sed solt Spiritui sancto, est communis pluribus personis; non complet principium producendi per intellectum, sed pertinet ad principium producendi per voluntatem, ac proinde ad secundam processionem diuinam, non ad primam. Præterea filiatio passiuè terminat aliquam diuinam processionem, spiratio vero actiua, de qua loquimur, nullius processionis est terminus passiuus, seu productus. Ergo nec paternitas vt paternitas, nec filiatio vt filiatio, in suo formali esse respectiuo includit essentialiter spirationem, sicut nec spiratio paternitatem, aut filiationem. Consequentia patet ad hominem, quia nulla alia affertur ratio, cur spiratio, ne implicitè quidem, includat paternitatem, aut filiationem, nisi quia, inquiunt, si quidditatiuè clauderet paternitatem, non posset conuenire Filio; si quidditatiuè clauderet filiationem, non posset conuenire Patri. Ergo pari, eaque optima ratione licebit nobis arguere, Paternitatem, seu filiationem non includere spirationem; quia si paternitas includeret spirationem, non posset conuenire soli Patri; si filiatio includeret spirationem, non posset conuenire soli Filio. Sicut enim spiratio est communis Patri & Filio, ita paternitas est propria solius Patris, & filiatio propria est solius Filij. Ergo quemadmodum si spiratio clauderet paternitatem propriam solius Patris, non posset conuenire Patri & Filio; ita si paternitas clauderet spirationem communem Patri & Filio, non posset conuenire Patri tantum, & non Filio. Ergo si primum est satis ad excludendam paternitatem & filiationem ab intrinseco conceptu spirationis; secundum pariter sufficere debet ad excludendam eodem modo spirationem ab intrinseco conceptu paternitatis & filiationis. Et sanè si hæc non sufficiunt, vt duo, quæ sunt idem in re, distinguantur ratione, ita vt alterum nec explicitè, nec implicitè claudatur in conceptu alterius, nullus prorsus casus fingi potest, siue increatus, siue creatus, in quo contingere queat, vt ratione perfectè, hoc est, cum omnimoda mentali exclusione alterius ab altero, distinguantur duo, quæ sunt vnum in re.

Confirmatur ad hominem.

Obiectionum dissolutiones.

25. Contra primam conclusionem de reali identitate relationum disparatarum inter se, multa, & grauia obiici possunt, quæ æquè militant contra realem identitatem omnium relationum cum essentia, & abundè soluta sunt art. 2. dub. 2. à num. 47. ad 56. vt quòd duo realiter distincta, cuiusmodi sunt paternitas & filiatio, non possunt esse idem & vnum in re cum aliquo tertio, quod est spiratio: & quòd de vno atque eodem in re, non possunt eadem prædicata affirmari, & negari, quemadmodum affirmantur & negantur de spiratione & paternitate, seu filiatione, vt ex superioribus constat. Proponam igitur alias obiectiones, magis proprias præsentis materiæ.

Prima obiectio Durandi apud Capreolum.

Obiicies quæ ex Durando sibi obiicit, & soluit Capreolus 1. d. 13. quæst. vnica art. 2. contra primam conclusionem. Primò, Relationes penes terminos distinguuntur. Sed paternitas & spiratio, sicut etiam filiatio & spiratio, terminantur ad personas realiter distinctas, nempe ad Filium & Spiritum sanctum, ad Patrem, & Spiritum sanctum. Ergo realiter distinguuntur.

Respõsio Capreoli impugnatur & defenditur.

Respondet Capreolus ad 1. *Quòd relationes penes terminos distinguuntur in esse relationis, non autem in esse rei: nec in diuinis, nisi sint oppositæ relatiuè, vel vna originetur ab alia.* Sed contrà, quia relatio realis etiam vt relatio, est res quædam, vel ens quoddam reale, constituens vnum ex realibus Prædicamentis. ergo relationes si distinguuntur in esse relationis, in esse etiam rei distinguantur necesse est. Puto autem Capreolum velle tantum, quòd relationes in esse relationis penes terminos distinguantur, hoc est, denominentur distinctæ & plures simpliciter relationes, vt mox dicam in sequenti dubitatione, propter extrinsecam distinctionem realem terminorum, quos explicite important extra se in esse relationis, siue secundum esse *Ad*: non autem propter realem distinctionem, quam causatam aliqua ratione à terminis, intrinsecè in se ipsis habeant illæ relationes, non sub conceptu explicito relationis, sed sub implicito, tamquam res quædam sunt, siue secundum esse *In*. Neganda igitur simpliciter est Maior in sensu, quo sumitur ab aduersariis, scilicet, quòd relationes in se ipsis distinctæ sunt, quæ respiciunt distinctos realiter terminos. Quamuis enim in creaturis, ita contingat propter earum finitatem; quod etiam negatur à nonnullis realiter identificantibus omnes creatas relationes quæ in eodem fundamento sunt, vt supra art. 2. dubitatione 6. tamen in diuinis, propter relationum infinitatem, id non potest contingere, nisi obstet aliqua oppositio; quæ duplex est, vt acutè distinxit Capreolus suprà, vel correlationis, ex eo quod vna diuina relatio ad aliam purè terminetur, vt relatio spirationis actiuæ ad relationem passiuæ spirationis, & è contra; vel originis, ex eo quòd, inquit Capreolus, *vna originetur ab alia*, quo modo filiatio opponitur paternitati, & spiratio passiua opponitur paternitati & filiationi, vt tetigi supra n. 15. Neutra vero oppositio cernitur inter paternitatem & spirationem, & inter filiationem & spirationem. Qua duplici oppositione, quam in diuinis relationibus Capreolus admittit, non obscurè significat, dari in illis aliquas correlationes ita oppositas, & consequenter realiter distinctas, vt tamen vna non originetur ab alia: quæ aliæ esse nequeunt, nisi relatio spirationis actiuæ, & relatio spirationis passiuæ: nam de reliquis certum est, vnam originari ab alia, vt filiationem à paternitate, & spirationem passiuam à paternitate & filiatione. Totam hanc doctrinam sequitur Zumel infrà q. 32. art. 2. disp. 1. ad 5.

Duplex oppositio in diuinis relationibus.

Zumel.

26. Obiicies secundò, quia impossibile est duas passiones, distinctas realiter, quales sunt spirari & generari, profluere ab eadem actione, & vna secundum rem, quæ sit generare & spirare.

Secunda obiectio.

Respondetur cum Capreolo.

Respondeo, quòd, vt ait Capreolus ad 2. *non oportet esse tantam differentiam inter actiones, sicut inter passiones*, saltem in diuinis, *quia ibi*, inquit, *vna passio procedit ab alia*, vt spirari à generari; *non tamen vna actio ab alia*; vt spirare non procedit à generare, aut è contra; & nec actio procedit à passione, vt spirare à generari, aut è contra.

27. Obiicies tertiò, *Sicut se habet generare ad generari, ita spirare ad spirari: ergo permutata proportione, sicut se habet generare ad spirare, ita generari ad spirari. Sed generare & spirare non differunt realiter, vt ibi dicunt. Ergo nec generari & spirari, cuius oppositum dicunt.*

Tertia obiectio.

Respondetur duobus modis cum Capreolo.

Respondet dupliciter, & optimè Capreolus ad 3. Primò negando Antecedens in diuinis: vbi generare & generari, sicut identificantur in essentia, ex eo quòd illi non opponuntur, ita identificantur in illa re

re relatiua, quæ dicitur communis spiratio, cui similiter non opponuntur. Spirare verò, & spirari, licet identificentur in essentia absoluta, tamen non identificantur in aliqua alia re relatiua, cum spirari procedat à reliquis duabus rebus relatiuis, hoc est, à generare & generari, siue à paternitate & filiatione; à quibus tamen non procedit spirare; sicut etiam à contrario, nec generare aut generari procedunt à spirare. Secundò negando consequentiam, quia, inquit Capreolus, argumentum à transmutata proportione non semper tenet, nisi in quantitatibus. Idque demonstrat hoc simillimo exemplo, vbi permutatis terminis falsum concluditur. *Sicut se habet generans ad genitum, sic spirans ad spiratum. Ergo à transmutata proportione sicut se habet spiratus ad genitum, ita spirans ad generantem. Sed spiratus, & genitus, realiter distinguuntur*, ita vt sint duæ diuinæ personæ realiter distinctæ. *Ergo & generans & spirans: quod est falsum, cum idem Pater sit generans, & spirans.*

Quando valeat, vel non valeat argumentum à commutata proportione.

28. Obiicies quartò. Quæcumque vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem. Sed generare & generari, nullo modo sunt inter se realiter idem. Ergo nèc generare erit idem in Patre cum spirare: nec in Filio, generari erit idem cum spirare.

Quarta obiectio.

Respondetur ex distinctione paternitatis, & filiationis, non sequi, ens distinguibile à spiratione.

Respõsum satis est supra art. 2. num. 47. & 48. Maiorem scilicet esse veram de duobus comparatis ad vnum tertium singulare finitum, non autem ad infinitum, quod duobus illis non opponitur. Cuiusmodi tertium in diuinis est spirare, quod est prorsus illimitatum in suo genere relatiuo, & non oppositum generare & generari, quæ tamen sunt inter se opposita, & ideo distincta. Fallaciam argumenti confirmat Capreolus ad 4. *quia si valeret, probaret, quòd sicut in diuinis non est eadem persona generans & genita, ita nec generans nec spirans, quod est erroneum; similiter nec genita & spirans; & sic in diuinis essent quatuor personæ.* Verum Durandus respondere facilè posset, id non sequi: quia licet vnum spirare sit in vtraque persona, propter quod tam spirans dicitur persona generans, quam persona genita; tamen istæ duæ personæ non sunt vnum in illo vno spirare, quia illud spirare per Durandum realiter distinguitur, & à persona generante, & à persona genita: sicut si vna albedo esset in niue, & in lacte, adhuc nix & lac distinguerentur realiter ab illa vna albedine. At in nostra sententia non solum in Patre & Filio est vnum spirare, sed etiam nullo modo in re distinctum à Patre & Filio: & ideo non in sententia Durandi, sed in nostra videtur sequi ex illo Logico principio, quòd Pater & Filius omnino identificati in vno tertio, non possent inter se realiter distingui.

Capreolus.

29. Obiicies quintò, *Generari & spirari sunt duæ relationes disparatæ, specie, vel quasi specie realiter differentes. Ergo relationes disparatæ, quæ eis correspondent, scilicet generare & spirare, specie, vel quasi specie differunt; & ita realiter differunt, cum sint relationes rei, non rationis.*

Quinta obiectio.

Respondetur generari & spirari nõ esse disparatas sicut generare & spirare.

Respondeo, distinguendo in Antecedente illud, *Disparatæ*. Generari & spirari sunt quidem disparata in ratione relationis, non sunt disparata, sed opposita in ratione principij, vt suprà num. 19. At generare & spirare sunt omnino disparata, & in ratione relationis, & in ratione principij. ex hac antecedentis declaratione constat, falsam esse consequentiam: quia cum generari & spirari, aliqua ratione opponantur, non possunt esse idem in re. Contra verò, cum generare & spirare, nulla ratione opponantur, possunt in re omnino identificari propter summam eorum infinitatem; non obstante quòd alterum sit specie, vel quasi specie diuersum ab alio: sicut relatiuum est non solum quasi specie, sed etiam quasi genere diuersum ab absoluto, & tamen in diuinis vnum re ipsa sunt. Quemadmodum etiam in rebus creatis, non obstante eadem diuersitate, multi in re non distinguunt relationem à fundamento, potentiam ab anima, existentiam ab essentia, figuram à quantitate, actionem à passione differentiam indiuiduantem à natura specifica, & differentiam specificam à natura generica, & id genus alia. In diuinis igitur valet, Distinguuntur relationes realiter, Ergo specie, vel quasi specie. Sed non valet è conuerso, Distinguuntur relationes specie, vel quasi specie; Ergo realiter. Dixi, *quasi specie*, cum communissimo loquendi modo Theologorum; quia diuinæ relationes, quamuis propriè non sint species, cum non sint compositæ ex genere & differentia, & identificatæ omnino sint cum eadem numero essentia, ac natura, propter quod Cyrillus Dialogorum de Trinitate libro 3. multò post medium in §. *Iam amice*, confitetur *vnam Deitatis naturam in tribus subsistentiis eiusdem speciei*, & fæpe Patres referendi infrà quæst. 29. art. 1. num. 10. explicant tres diuinas personas, tamquam tria indiuidua eiusdem speciei, tamen in seipsis intrinsecè habent diuersas quasdam rationes quidditatiuas, quibus diuerso modo, & ordine distinctos realiter terminos correlationes respiciunt: ad eum modum, quo creaturæ, specie differentes, habent diuersas quidditates, & proprietates. In hoc sensu Tertullianus aduersùs Praxeam c. 2. fine Patrem, Filium, & Spiritum sanctum docet esse, *Tres non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie.*

Duo species diuersa possè esse vnũ in re.

Diuinas relationes differre quasi specie.

Cyrillus.

Tertullian.

30. Obiicies sextò, Impossibile est, esse eamdem relationem producentis & producti: vt in humanis alia relatio est Petri producti ad Patrem suum, alia eiusdem Petri, vt producentis ad Filium suum. Sed Filius Dei est productus à Patre, & producens Spiritum sanctum. Ergo in illo relatio filiationis ad Patrem, esse non potest eadem cum relatione spirationis ad Spiritum sanctum.

Sexta obiectio.

Respondetur posse esse eamdem in Deo relationem producentis & producti.

Respondeo, negando simpliciter maiorem intellectam de identitate in esse rei, nam de identitate in esse relationis mox dicam in sequenti dubitatione, & significatum breuiter est supra ad 1. Est autem diuersa ratio de relationibus humanis, quæ & finitæ sunt, & fiunt à fundamentis per distinctas actiones positis terminis, vt supra art. 2. dub. 6. & fundantur in distinctis re fundamentis, v. g. filiatio in potentia passiua, paternitas in potentia actiua. At verò diuina spirationis actiuæ relatio est infinita, & non opposita filiationi; item per nullam actionem producta; & demum quasi fundatur in diuina voluntate fœcunda, quæ à parte rei non distinguitur à diuino intellectu, in quo quasi fundatur alia filiationis relatio, quæ est Verbi producti.

31. Obiicies septimò. Generare potest esse in Patre, sine spirare, quia dato etiam quod Pater & Filius non spirarent, adhuc Filius generaretur, & Pater generaret. Ergo generare & spirare, non sunt omnino idem in re: alioqui Pater produceret Filium per spirare: & sic Filius esset Spiritus sanctus.

Septima obiectio.

Respondetur explicando, quid dicendum, si Pater & Filius non spirarent.

Respondeo, falsum simpliciter esse Antecedens, quia in diuinis non minus necessarium est spirare Spiritum sanctum quam generare Verbum. Ex hypothesi autem illa impossibili, nihil aliud per se sequitur, nisi non fore tunc eamdem generationem, quæ nunc est in re ipsa, quia nunc realitas generationis, si consideretur in ratione rei, & entis, est etiam adæquatè realitas spirationis;

tunc autem remaneret veluti diminuta quædam realitas, ac proinde esset alia realitas ab ea quæ nunc est. Vnde nulla deduci potest de facto distinctio ex naturâ rei. Neque ex generationis, & spirationis reali identitate potest Durandus rectè deducere, Filium produci per spirare, sed solum per illam in se indistinctam actionem, in quantum est generare, non in quantum est spirare. Sicut quamuis, quod non negat Durandus, idem re ipsa in Deo sint essentia, intellectus, & voluntas, tamen Filius Dei procedit per intellectum, non per voluntatem; & Spiritus sanctus per voluntatem, non per intellectum; vel, vt sentit ipsemet Durandus reiectus supra quæst. 27. art. 1. dubit. 9. vterque procedit per essentiam immediatè, non per intellectum, aut voluntatem: sicut etiam in communissima & verissima sententia non distinguente personalitatem ab essentia, Verbum assumpsit humanitatem ad suam propriam personalitatem immediatè, non ad communem essentiam.

32. *Octaua obiectio.* Obiicies octauò. Vnum absolutum, quantumuis infinitum, vt est diuina essentia, non potest identificari cum duobus absolutis, inter se realiter distinctis, etiam infinitis. Ergo nec vna relatio cum duabus relationibus realiter distinctis. Sed Dei paternitas & filiatio sunt relationes realiter distinctæ. Ergo non potest cum illis identificari relatio spirationis actiuæ, quantumuis infinita.

Respondetur duo absoluta non posse identificari cum tertio absoluto: non sic de relatiuis. Respondeo, admisso antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quoniam absoluta, quæ habent perfectionem infinitam simpliciter, non possunt habere inter se formalem oppositionem, ac distinctionem; quia absolutum, vt formaliter absolutum, est totum ad se, siue in se: relatiuum verò vt formaliter relatiuum totum est ad aliud; in quo conceptu essentialiter importatur oppositio cum alio, & distinctio ab alio. Hinc oritur, vt sit impossibile, dari duo absoluta realiter diuersa, & cum illis identificari aliud tertium absolutum: tunc enim illa absoluta, si essent diuersa, non haberent infinitatem simpliciter, vt supponitur; sicut in primo tomo quæst. 11. art. 3. dub. 1. demonstratum est, non posse esse plures Deos. At verò relationes, quoniam ex proprio essentiali conceptu relationis in genere afferunt oppositionem, etiam cum summa infinitate, identificantem secum quicquid non est oppositum, possunt habere inter se relatiuã oppositionem. Igitur si cum alia tertiæ relatione non opponantur, erunt distinctæ inter se, indistinctæ ab illa tertia. Quod reperitur in casu nostro. Omnis enim diuina relatio, atque adeo relatio spirationis actiuæ, est omnino infinita in suo genere, quod etsi neget Durandus supra num. suo 30. probatum tamen est supra art. 2. num. 149. & 150. Præterea eadem relatio non est opposita paternitati & filiationi, vt sæpe dictum est, & concedit ipsemet Durandus n. suo 33. Ergo ab his distincta esse non potest.

33. *Nona obiectio.* Obiicies nonò. Relatio spirationis actiuæ in Patre est à se, & incommunicata; in Filio est communicata à Patre. Ergo non potest esse simpliciter vna; saltem non potest esse eadem cum paternitate; quæ à nullo est communicata; nec cum filiatione, quæ per veram generationem est producta; quo modo certum est non esse productam spirationem actiuam.

Respondetur primò cum Suarez, relationem spirãdi non communicari, sed resultare. Respondeo primò, negando simpliciter antecedens. Relatio enim spirandi, secundum multos probabilius hac de re sentientes, quos sequitur Suarez lib. 5. de Trinitate cap. 6. num. 9. & cap. 8. num. 7. & sequentibus, est intelligenda vt resultans in Patre & Filio in eodem signo rationis, posita productione Spiritus sancti; ideoque non est prius origine in Patre, quam in Filio; nec communicata Filio à Patre, nisi solum quasi radicaliter, quatenus communicatur virtus spirandi. Hæc autem resultantia nullam inuoluit imperfectionem, neque in ipsa re concepta, neque etiam in ipso concipiente; quia non est concipienda tamquam aliquis fluxus, siue exitus, vel tamquam aliquid ab alio immediatè; sed solum tamquam vnum conueniens propter productionem alterius, tamquam propter puram rationem conueniendi. Sicut enim absque vlla imperfectione concipimus, vnum attributum esse rationem alterius, v.g. Immutabilitatem esse rationem æternitatis; ita etiam, originem Spiritus sancti esse rationem talis respectus actiuæ spirationis, non contra. Secundò etiam si verum esset antecedens, vt aliis placet, negari potest consequentia; cum non sit nouum in diuinis, ob eminentissimam diuinæ entitatis perfectionem, & plenitudinem simpliciter infinitam, dari à parte rei vnum quid simplicissimum, communicatum in vna persona, non communicatum in alia; sicut diuina essentia communicata est Filio, & Spiritui sancto, non autem Patri: item vnum, quod secundum vnam rationem est improductum, secundum aliam productum; sicut idem Deus, nihil omnino distinctus à Patre, Filio, & Spiritu sancto, vt Deus, neque est productus, neque producens; vt Pater, est producens Filium, & nullo modo productus; vt Pater & Filius, est producens Spiritum sanctum; vt Filius, est productus per generationem; vt Spiritus sanctus, est productus per processionem alterius rationis, & nullo modo producens. Igitur ex hoc quòd relatio spirandi sit communicata, vel incommunicata, producta vel improducta, non sequitur, illam non esse identificatam cum paternitate improducta & incommunicata, & cum filiatione producta.

34. *Decima obiectio.* Obiicies decimò. Esto spiratio, vt à parte rei est idem cum essentia, identificet sibi Patrem & Filium, propter summam essentiæ infinitatem in tota latitudine entis; tamen si concipiatur vt distincta secundum rationem ab essentia, tunc saltem dici non poterit, identificare sibi paternitatem, & filiationem: quia vt sic præcisa ab essentia, non haberet essentiæ infinitatem simpliciter in omni genere.

Respondetur idem dicendũ de relationibus ab essentia præcisis. Respondeo, eamdem identificationem, tunc etiam esse concipiendam: quoniam tunc illa relatio, etsi careret infinitate in genere entis absoluti, tamen, quia adhuc sub illa præcisione, concipitur, vt diuina relatio, deberet habere omnem infinitatem pertinentem ad aliud proprium genus entis relatiui. Ergo tunc etiam postulat concipi vt identificans secum omnem aliam relatiuam perfectionem, cum qua non dicit oppositionem relatiuam; cuiusmodi sunt: paternitas & filiatio, non autem spiratio passiua.

DVBITATIO III.

An paternitas, filiatio, spiratio, & processio sint quatuor relationes.

SVMMA.

1 *Proponitur ratio dubitandi, n. 35.*
2 *Spirationem esse quartam relationem formaliter, n. 36. ad 39.*
3 *In diuinis esse quatuor relationes, non quatuor simpliciter res, n. 39. & 40.*

4 *In*

4 *In Patre & Filio esse vnam numero spirandi relationem, num. 41.*
5 *Paternitatem & Filiationem non prædicari de spiratione, num. 42. ad 45.*

35. *Ratio dubitandi ex Durando apud Capreolum.* RAtio dubitandi sumitur ex Durando, aduersario primæ conclusionis dubitationis præcedentis, qui, vt refert Capreolus 1. d. 13. quæst. vnica, art. 2. argumento 6. contra primam conclusionem, ita arguebat, *Si generatio & spiratio non distinguerentur realiter, non essent quatuor reales relationes in diuinis.* Sed præcedenti dubitatione ostensum est, generationem & communem spirationem non distingui realiter. Ergo inde sequitur, diuinas relationes non esse quatuor relationes, sed tantum tres; sicut communiter dicuntur, esse tantum tres res, & non quatuor res; quoniam, ex superius probatis, relatio spirandi non distinguitur re à paternitate, & filiatione. Ergo illa in esse rei non ponit in numerum præter paternitatem, filiationem, & processionem, quæ tres solum in diuinis distinguuntur realiter, & ideo ibi sunt tres tantum res.

36. *Prima conclusio affirmatiua in sensu formali.* Prima conclusio. Relatio spirationis actiuæ, licet non sit, nec dici simpliciter possit quarta res, nec consequenter quarta relatio in esse rei, scilicet per comparationem ad id quod in se ipsa intrinsece est, siue ad intrinsecam realitatem atque entitatem suam, tamen propriè est ac dicitur quarta relatio in esse formali, & explicito relationis, scilicet per comparationem ad extrinsecum terminum, quem extra se, siue à se realiter distinctum respicit. Vnde sequitur, intra Deum dari verè ac propriè quatuor reales relationes. Ita S. Thomas in hoc art. & infra, quæst. 32. art. 2. & clarius 1. d. 27. quæst. 1. art. 1. & alij omnes antiqui & moderni, exceptis primò quibusdam loquentibus ex suppositione, nimirum quòd si prædictæ relationes non sunt quatuor res, esse non possunt quatuor relationes; vt arguit Durandus suprà: vel à contrario, quòd si sunt quatuor relationes, essent necessariò quatuor res, vt arguunt Ochamus 1. d. 27. quæst. 1. ad 1. Gabriel quæst. 1. art. 2. & d. 28. quæst. vnica, art. 3. conclusione 5. & exceptis secundo, qui absolutè negant esse quatuor relationes. Ita Ochamus & Gabriel locis citatis. *Non est concedendum*, inquit Ochamus, *quòd paternitas, filiatio, spiratio actiua, & spiratio passiua, sunt quatuor relationes; verumtamen quatuor sunt nomina importantia relationes.* Et eadem ferè verba vsurpat Gabriel citato art. 2. corollario 2. In quo sensu non reali, sed nominali tantum, ait deinde d. 28. art. 3. conclusione 6. quòd *in actu signato possunt concedi* istæ propositiones, *In diuinis sunt quatuor relationes. Duæ sunt relationes in Patre, & duæ in Filio.* Hæc autem conclusio visa est Canarienſi adeò certa, vt eam dixerit *esse de fide.* & concordans Molina initio huius articuli ait, *est tam certa, vt non dubitem contrariam appellare errorem in fide,* & à Zumel ibidem dicitur, *Conclusio secundum fidem.* Nihilominus sententia Nominalium à Suarez lib. 5. de Trinitate cap. 7. n. 2. & 3. acutè exponitur, & censetur *non improbabilis*; tametsi absolutè reiiciatur.

est S. Thomas contra Ochamum & Gabrielem.

Censura recentiorum.

37. *Ratio à priori ex S. Thoma.* Præcipua conclusionis ratio à priori traditur à S. Thoma 1. d. 27. quæst. 1. art. 1. fine corporis, *Cum enim*, inquit, *relatio dicatur secundum respectum ad alterum, differentiæ relationis erunt secundùm quòd est ad diuersa: & ideo, quia paternitate Pater refertur ad Filium, & communi spiratione ad Spiritum sanctum, communis spiratio & paternitas sunt duæ relationes.* Similiter quia filiatione Filius refertur ad alium terminum, nempe ad Patrem; & præterea quia processione refertur Spiritus sanctus ad alium terminum, nempe non ad Filium tantum, vt paternitas, nec ad Patrem tantum, vt filiatio, sed ad Patrem & Filium simul, non vt sunt formaliter Pater & Filius, sed vt sunt formaliter vnus spirator vnica spiratione per vnicum principium spiratiuum; habentur duæ aliæ relationes. Ex quibus efficiuntur quatuor omnino relationes. Explicatur magis ratio, quia relatio vt relatio, est quoddam ens, cuius totum esse est esse ad terminum extrinsecum, & à se realiter distinctum. Ergo quot sunt termini realiter distincti, tot propriè dici possunt, & verè sunt, relationes ad illos terminatæ. Sed in diuinis paternitas & spiratio habent terminos, realiter & quasi specie distinctos, scilicet Filium & Spiritum sanctum: item filiatio habet alium terminum realiter, & quasi specie ab his duobus distinctum, scilicet Patrem. Ergo paternitas, filiatio, & communis spiratio sunt tres relationes formaliter. Præterea certum de fide est, Processionem esse aliam relationem distinctam realiter à paternitate, filiatione, & spiratione. Ergo paternitas, filiatio, spiratio, & processio verè sunt, ac propriè dici possunt, quatuor relationes, formaliter vt relationes.

38. *Patrem paternitate non referri ad Spiritum sanctum ex S. Thoma contra Præpositiuũ.* Confirmatur primò, alia ratione S. Thomæ infrà q. 32. art. 2. post medium corporis contra Præpositiuum asserentem, vna eademque paternitatis relatione Patrem referri ad Filium, & Spiritum sanctum, *quia sit sequeretur*, inquit S. Thomas, *quòd etiam Filius, & Spiritus sanctus vna & eadem relatione referrentur ad Patrem: & sic, cum sola relatio in diuinis multiplicet Trinitatem, sequeretur etiam, quòd Filius & Spiritus sanctus non essent duæ personæ.* Quòd autem ex duobus filiationis & processionis relationibus, quasi specie distinctis, necessariò sequatur, dandas esse in Patre duas alias correlationes quasi specie distinctas, illis ex opposito correspondentes, ac proinde quatuor omnino esse diuinas relationes, probat optimè à priori, *quia cum ratio specificata relatiui consistat in hoc, quòd ad aliud se habet, necesse est dicere, quòd duæ relationes non sint diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat. Vnde secundum duas relationes Filij, & Spiritus sancti, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, & Spiritum sanctum.* Confirmatur secundò ratione huius articuli. In diuinis duæ tantum processiones esse possunt, alia Verbi secundum actionem intellectus, alia Amoris secundum actionem voluntatis. *Secundum quamlibet autem processionem, oportet duas accipere relationes oppositas; quarum vna sit procedentis à principio, & alia ipsius principij.* Sunt enim mutuæ relationes, quæ fundantur supra actionem & passionem. Igitur duæ sunt relationes secundum processionem per intellectum diuinum, & duæ aliæ secundum aliam processionem per diuinam voluntatem. Ergo omnes relationes intra Deum sunt saltem quatuor.

39. *Prima obiectio.* Obiicies 1. relatio, etiam vt formaliter relatio, & secundum esse *Ad*, est res, & ens reale, vt art. 1. ostensũ est. Ergo si sunt quatuor relationes in esse formali relationis, vitari nõ potest, quin sint quatuor res, & quatuor entia realia in esse formali rei, & entis.

Respondetur esse quatuor relationes, nõ quatuor simpliciter res, & entia. Respondeo, Antecedens esse diminutum; si enim nil aliud relatiuo tribuis, nisi quòd sit ens reale, seu res, non declaras relatiuum magis quam absolutum, quod est etiam res, & reale ens. Igitur relatio, vt formaliter relatio, non solum est simpliciter res, sed est res ad aliud. Ergo eius pluralitas, ac multiplicitas, non solum spectari debet penes intrinsecam suam entitatem, ac realitatem, sed etiam penes aliud extrinsecum à se distinctum, & sibi oppositum, ad quod secundum totum

esse suum essentialiter ordinatur. Ergo multiplicato solum alio ad quod est, tametsi in se ipsa non multiplicetur, dici potest ac debet multiplex relatio. Quapropter neganda est consequentia: quia rei, & entis realis nomine, absolutè prolato, significatur tantum quod est vnumquodque intrinsece in seipso: secundum quam intrinsecam rationem spiratio non est alia res à paternitate & filiatione.

40. *Secunda obiectio.* Obiicies secundò. Res est prædicatum superius ad relationem realem, & ad ens reale absolutum. Multiplicato autem inferiori, superius in eodem numero multiplicari potest ac debet: & non multiplicato superiori, impossibile est multiplicari inferius. Sed multiplicantur quatuor relationes; ergo, inquit Durandus, multiplicantur quatuor res. Et à contrario, non multiplicantur quatuor res; ergo, inquiunt Nominales, non sunt multiplicandæ quatuor relationes.

Respondetur multiplicato inferiori, non semper multiplicari superius. Respondeo, Quando inferius multiplicatur intrinsecè, tunc necessarium est, vt superius etiam multiplicetur; non tamen quando inferius multiplicatur solum extrinsecè propter distinctionem termini, quem inferius extra suam intrinsecam entitatem connotat, ac respicit. Res igitur, ens, & similia superiora prædicata non includunt, nec significant, saltem explicitè, respectum ad terminum, sicut includit & significat relatio vt relatio, & secundum esse *Ad*: & ideo si multiplicatur relatio solum propter hunc respectum ad terminum, non debet multiplicari res. Si enim diceremus, Quatuor relationes esse absolutè ac simpliciter quatuor res, significaremus, illas esse intrinsecè diuersas inter se realiter. Eademque ratione à contrario, non multiplicato intrinsecè superiori, potest extrinsecè multiplicari inferius, quod vt inferius addit esse ad aliud extrinsecum, quod non importat superius.

Ægidij responsio insufficiens. Aliter soluit hoc argumentum Ægidius 1.d.27.p.p. quæst.1. multò post medium corporis dicens, *Quod quæ sunt in diuinis, non propriè habent rationem vniuersalis, nec ibi propriè superius, & inferius reperitur.* Verum ad vim argumenti satis est, ibi reperiri vniuersale, & superius, atque inferius, non vniuocè, sed analogicè. Qua ratione Deum esse sub genere, etiam communi creaturis, probatum est in primo tomo q.3.art.5.dub.1.& certum est tres personas diuinas conuenire in vnam communem personæ rationem, vt probabitur infrà q.30.art.4. Persona autem, vt persona, est res, & reale ens. Ergo conueniunt etiam in vnam communem rei, & entis realis rationem. Similiter plures relationes, quarum quælibet, vt ibidem loquitur ipsemet Ægidius, res quædam est, eamdem communitatem habere possunt.

41. *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò, si spirandi relatio, & paternitas, quamuis in vna simplici re identificatæ, tamen sunt duæ relationes. Ergo pariter spiratio, & filiatio identificatæ, sunt duæ aliæ relationes. Ergo sunt quatuor relationes, duæ in Patre, & duæ in Filio: sed præterea datur alia relatio processionis in Spiritu sancto. Ergo relationes originis in diuinis sunt quinque, & non quatuor tantum. Nulla enim necessitas apparet, vt relatio spirandi, quæ est in duobus suppositis realiter distinctis, eisque realiter identificata, non sit pariter duplex numero, & realiter distincta: vt asseruerunt *aliqui discipuli D. Thomæ*, quos refert, & impugnat Bagnes infrà q.32.art.3.dub.2. conclusione 4. Hoc enim mysterium, quo aliquid, vnum eum sit, identificat sibi plura realiter distincta, adeò superat omnem creatam intelligentiam, vt de nulla alia re diuina, nisi de sola Deitate, simpliciter infinita in genere entis, de qua tantum id expressè reuelatum est, affirmari debeat.

Bagnes.

Respondetur in Patre & Filio esse vnã numero spirandi relationem. Respondeo, duas relationes esse in Patre, & duas in Filio, non quòd sint quatuor, seu singulæ distinctæ à singulis, etiam in esse formali relationis; sed quia vna omnino, atque eadem simplicissima relatio, quæ propterea ab antiquis Scholasticis vocari solet *communis spiratio*, in Patre est alia relatio à paternitate, in Filio est alia relatio à filiatione. Tres igitur tantum relationes sunt, duæ distinctæ, & in esse relationis, & in esse rei. Tertia distincta ab his duabus in esse relationis tantum. Necessitas verò ponendi eamdem numero spirandi relationem in Patre & Filio, & non duas numero distinctas, aliam in Patre, aliam in Filio, sumitur ex authoritate, & ratione. Authoritas est Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. & refertur cap. vnico de summa Trinitate in 6. & Concilij Florentini sub Eugenio IV. in literis vnionis, in medio, definientium, *Spiritum sanctum non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex vno principio; non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedere.* Vbi esto spiratio accipiatur pro origine, non pro relatione; tamen vbi est vnicum originis principium, & vnica origo, per euidentem consequentiam constat, quòd ibi relatio originis, vnica etiam sit necesse est. quod etiam ex ipsomet Florentino probaui supra n.3. Quamobrem omnes planè Theologi, nemine excepto, quem sciam, vnicam tantum spirationis relationem esse dicunt in Patre & Filio, sequentes Magistrum 1.d.29. fine docentem, *Patrem & Filium eadem relatione principium dici Spiritus sancti.* Imò Durandus ipse 1.d.13.q.2.n.30. non sine magna probabilitate ita fatetur, *Constat quòd diuina spiratio, quædam relatio realis est, & vnica, sicut Concilium generale Lugdunense determinat.* Et Zumel hîc ait, *Relatio in vtraque persona resultans, est vna & eadem; quod videtur definitum in Concilio Lugdunensi.* Et ideo sententia de duabus numero spirandi relationibus in Patre & Filio, non solum esset temeraria, sed etiam errori proxima, vt prudenter scripsit Ruiz disp.18.sect.2.n.7. Quod ante ipsum significauit Suarez lib.5. de Trinitate c.6.n.5. dicens, *Esse plus quam temerariam.* Ratio quoque in hac materia efficax est, quoniam sine aliqua oppositione, vel principij, vel correlationis, nulla potest in terminis diuinis, quorum quilibet simplicissimæ & infinitæ perfectionis esse debet, cogitari distinctio, seu multiplicitas, vt superius demonstratum est. Duæ verò spirandi relationes neque inter se, neque cum Patre & Filio oppositionem aliquam habent; & habent vnicum & simplicissimum terminum, qui est Spiritus sanctus. Ergo gratis fingerentur. Denique non est solius essentiæ diuinæ identificare sibi oppositas ac distincta, sed idem à prædictis Conciliis tribuitur etiam vnico principio spiratiuo, & vnicæ spirationi, sumptæ saltem pro origine; eademque ratione tribuendum necessariò est cuilibet diuinæ perfectioni, quæ ita est in pluribus, vt illis non opponatur; sicut verè est diuina spirandi relatio in Patre & Filio: & est diuina natura in Patre, Filio, & Spiritu sancto. Quocirca sapienter S. Thomas infrà, q.40. art.1.ad 1. fine, in hac vnitate cum duobus realiter distinctis comparauit communem spirationem cum essentia, dicens, *Sicut vna essentia est in duobus personis; ita & vna proprietas*: quæ paulò antè dicitur *communis spiratio.*

Quod probatur ex Lugdunensi, & Florentino.

Magister.

Durandus.

Zumel.

Ruiz.

Suarez.

Probatur etiã ratione.

S. Thomas.

Secunda conclusio. Quamuis relatio spirationis actiuæ in esse rei sit omnino idem cum paternitate & filiatione, tamen quia ab illis realiter distinguitur in esse relationis, inde sequitur, istas propositiones, Paternitas est relatio spirandi, & è conuerso, Filiatio est relatio spirandi, & è conuerso, ne identicè quidem esse veras; sicut veræ sunt, Deitas est paternitas, sapientia est potentia,

42. *Secunda conclusio, Paternitas & filiatio non prædicantur de spiratione.*

S. Thomas. Bonauent. Scotus. Ægidius. Bassolus. Capreolus. Caietanus. Argentina. tentia; & aliæ similes. Est S. Thomæ infrà quæst.32. art.3.ad 3.& 1.d.27.quæst.1.art.1.ad 3. Bonauenturæ d.33.art.vnico quæst.3.fine corporis, & quæst.4.tota, Scoti Quodlibeto 5. art.2.circa finem. Ægidius 1.d.27.p.p. quæst.1. ad 3. Bassoli d.13. quæst.vnica art.1.§.1.fine. Capreoli quæst.1.art.2.conclusione 3. Caietani citata quæst.32. ad 3. & posteriorum omnium. Neque aduersatur Argentina, qui in contrarium refertur, 1.d.27.quæst.vnica art.2.medio; vbi vult tantum, communem spirationem prædicari identice de Patre & Filio in concreto, non autem de paternitate & filiatione in abstracto. Imò nobiscum apertè sentire videtur, ita vniuersaliter assumens, *Quandocumque aliquid prædicatur identicè de aliquo termino concretè sumpto, quod non prædicatur de eo abstractè sumpto*, ille, &c. Solum in contrarium reperio Molinam infrà quæst. 32. art. 3. disp. 2. quem ex parte sequuntur Arrubal disp.103. n.27. Florauantius notatione 13. argumento 2.

Molina. Arrubal. Florauãtius.

43. *Vnde petenda sit ratio conclusionis.* Ratio conclusionis non est petenda ex distinctione ex natura rei inter spirationem & paternitatem, seu filiationem, quo falso fundamento nituntur Scotus, & Bassolus, & Varro apud Radam controuersia 27. in 1. Appendice, §. *Aliter*. Neque ex distinctione rationis, quoniam nullo intellectu cogitante spiratio in esse relationis non est paternitas, aut filiatio, vt benè adnotauit Arrubal disp.103. num.4. & 5. Neque ex prædicatione abstracti de abstracto, quæ vniuersaliter sit falsa, nam rectè dicitur, Deitas est veritas, bonitas, &c. solum igitur petenda est ex eo, quòd prædictæ relationes non solum important id quod intrinsecè sunt in se ipsis, qua ratione idem sunt, ac proindè possent inuicem prædicari identicè; sed etiam extrinsecos terminos, qui inter se realiter distinguuntur, & valdè explicitè significantur per voces prædictas relatiuas, quas de facto habemus: relatio enim spirandi, importat expressissimè ordinem ad Spiritum sanctum spiratum; paternitas ad Filium: filiatio ad Patrem. Et quoniam hi termini inter se realiter distincti sunt, ab hac distinctione extrinseca terminorum denominantur realiter plures, ac distinctæ ipsæmet relationes secundum proprium earum esse *Ad* aliud. Atque hoc tantum iuxta mentem S. Thomæ intendit Syluester p.p. Conflati quæst.32. art.2.§.3. circa finem dicens de paternitate & spiratione, *Distinguuntur realiter per terminos connotatos, distinctos realiter: vnde sunt duæ relationes reales distincta realiter, non distinctione rerum, sed relationum.* Prædictæ verò propositiones, absolutè ac simpliciter prolatæ, significant omnimodam earum identitatem, & quoad esse earum intrinsecum, & quoad esse extrinsecum terminorum. Sed hæc identitas terminorum est falsa. Ergo falsæ simpliciter propositiones. Confirmatur quia ob eamdem rationem non possunt inter origines actiuas fieri similes prædicationes, Generatio est spiratio, vel spiratio est generatio; & tamen inter has non est maior distinctio, quàm inter relationes; sed sicut spirandi relatio, & paternitas consignificant explicitè terminos correlatiuos; ita actiua spiratio, & actiua generatio consignificant explicitè terminos passiuè productos, nempe spiratum, & genitum, quorum vnus non est alius; & propterea non licet dicere, quòd ex illis siue relationibus, siue originibus, vna sit alia. Quemadmodum etiam, quamuis inter intellectum & voluntatem Dei nulla sit distinctio ex natura rei, tamen dici verè non potest, Pater producit Filium per voluntatem, vel Spiritum sanctum per intellectum. Confirmat S. Thomas idem alio exemplo; quoniam in Deo verè dicitur, Potentia est scientia, sed falsò dicitur, Attributum potentiæ est attributum scientiæ; quia in prima propositione distinguuntur quidem ratione potentia & scientia, sed non significantur cum hac distinctione, cum qua significantur in secunda propositione, cum Attributum sit quoddam nomen secundæ intentionis. v.g. Attributum sapientiæ, vt formaliter attributum est, non solum significat realem sapientiæ perfectionem, sed etiam prout stat sub tali actu, quo illa perfectio præcisè concepta est, & non alia perfectio, & relata est, vt prædicatum ad subiectum Deum, cui attribuitur ab intellectu præscindente; ad similitudinem sapientiæ creatæ. Sub qua formalitate acceptum attributum, importat explicitè, vt formaliter attributum est, distinctionem ab alio attributo per distinctos actus, & distinctas relationes rationis. Sicut igitur in hoc casu de Attributis, falsitas propositionum oritur ex distinctione rationis consignificata; ita multò maiori ratione in casu nostro de relationibus, falsitas propositionum oriri debet ex reali distinctione consignificata, non inter ipsas relationes in se intrinsecè, sed solum inter relationum terminos, quos nullo intellectu cogitante relationes realiter respiciunt, & ipsa relatiua nomina, ab hominibus imposita, expressè significant.

Sylueſter.

Neque originis inuicem prædicari.

Neque vnus attributum de alio attributo.

Postremò aduertendum est, propter cohærentiam opinionum, quosdam recentiores, qui tenent sententiam impugnatam suprà num. 20. de spiratione intrinsecè inclusa in essentiali conceptu paternitatis & filiationis, minus consequenter cum hac secunda conclusione asserere, spirationem non posse prædicari de paternitate, & filiatione. Plus enim profectò est, includi essentialiter in aliquo, quam prædicari de aliquo: cum omne quod essentialiter includitur, prædicetur aliquo modo de includente; non autem omne quod prædicatur de aliquo, sit essentialiter inclusum in illo: & si quid efficaciter probat, vnum non posse prædicari de alio, probet pariter, vnum non includi essentialiter in alio. Et ratio vniuersalis à priori est, quia nulla alia ratione falsò dicitur, Hoc est illud, nisi quia non est idem cum illo, sed est ab illo distinctum; per quam distinctionem verum est contradictorium, Hoc non est illud. Vbicumque autem reperiuntur duo distincta, impossibile est, quòd alterum sit de intrinseco conceptu alterius. Quapropter si in casu nostro, vt concedunt, paternitas & spiratio sunt duæ relationes, ita vt solum propter hanc dualitatem, ac distinctionem, non possit verè dici, Paternitas est spiratio, non potest cohærenter affirmari, spirationem esse de intrinseca ratione paternitatis formaliter. Neque possunt aduersarij tutò confugere ad inclusionem, non explicitam, sed implicitam. Enim verò quod implicitè continetur in alio, si explicetur, poterit vtique de illo prædicari: sicut v.g. ens implicitè continet substantiam, & nihilominus verè dicitur, Ens est substantia.

44. *Duo recentiorum dicta minus cohærentia.*

DVBITATIO IV.

An intra Deum sint plures quàm quatuor reales relationes.

SVMMA.

1 *Quatuor tantùm esse relationes fundatas in actione, & passione, num.45.*

2 *Nullam esse in Deo relationem fundatam in mensura, num.46.*
3 *Non esse in Deo reales, sed tantum rationis, relationes fundatas in vnitate, n.47. ad 51.*
4 *Neque etiam reales esse in Deo relationes fundatas in numero, n.51. ad 54.*
5 *In Deo reales relationes simpliciter non esse nisi quatuor, num.54.*
6 *Satisfit oppositis argumentis, n.55. ad finem articuli.*
7 *Quodnam sit fundamentum diuinarum relationum originis, n.58. & 59.*

45. *Prima conclusio negatiua, de relationibus processionum.*

PRima conclusio negatiua de relationibus fundatis in actione, & passione, probata sufficienter remanet ex dictis, & potissimum intenditur à S. Thoma hîc. Cuius ratio est, quia intra perfectissimam Dei naturam nulla alia actio, & passio, seu processio considerari potest nisi intellectus, & voluntatis. Actio & passio per intellectum, quæ sunt generatio actiua, & generatio passiua, fundant duas relationes, alteram paternitatis in principio generante, alteram filiationis in termino genito. Actio verò, & passio per voluntatem, fundant duas alias relationes, alteram in principio amante ac spirante, alteram in termino amato, ac spirato. Ergo non plures quam quatuor.

De relationibus fundatis in mensura.

46. *Secunda conclusio, Non esse in Deo huius generis relationes.* Baconus. S. Thomas.

Secunda conclusio, non est in Deo realis aliqua relatè fundata in mensura, & mensurabili: cuiusmodi esset relatio intelligentis ad rem intellectam, & volentis ad rem volitam. Ita omnes, vno excepto Baccono 1.d.31.q vnica art.4. Idque S. Thomas hîc ad 1. optimè probat, quia in Deo est idem omnino intellectus & intellectum, quia intelligendo se, intelligit omnia alia: & eadem ratione, idem omnino sunt in Deo voluntas & volitum, quia nulla alia ratione vult alia à se, nisi volendo bonitatem suam, vt superius in propriis locis ostensum est. Sed relatio eiusdem ad idem non est realis, cuius totum esse est esse ordinem vnius ad aliud realiter, & non aliud secundum rationem, & conceptum nostrum duntaxat. Ergo prædictæ relationes in Deo non possunt esse reales. Neque est eadem ratio de relatione Dei intelligentis ad rem intellectam, quæ est relatio rationis, & de relatione Dei dicentis ad Verbum suum dictum, quæ est relatio realis, vt aduertit ibidem S. Thomas, *quia*, inquit, *Verbum intelligitur vt procedens per actionem intelligibilem, non autem vt res intellecta*; quæ scilicet habet puram rationem obiecti, non autem termini realiter producti, quam rationem habet Verbum.

De relationibus fundatis in vnitate.

47. *Tertia conclusio, Has relationes esse rationis, contra Aureolū.*

Tertia conclusio. Relationes fundatæ in vnitate, cuiusmodi sunt relationes similitudinis, & æqualitatis, & identitatis, non possunt in Deo esse reales; sunt autem relationes rationis. Hoc vltimũ omnes concedunt, vno excepto Aureolo 1.d.31. q.vnica art. 3. propositione 2. & 3. qua asserit, *quòd æqualitas, & similitudo in diuinis personis nullam habitudinem ponunt, nec realem, nec rationis; sed vnitatem absolutam, & indistinctionem quantitatis, & magnitudinis virtualis, ac quantitatis essentialis*: & maximè fundatur in eo, quia *personas esse similes, importat quòd habent vnam indiuisibilem naturam; & ipsas esse æquales, significat quòd habeat vnam magnitudinem indiuisam. Idem autem non conformatur, aut commensuratur sibi, nec secundum rem, nec secundum rationem; nullus quidem dicitur sibi similis, aut æqualis.* Sed hoc, vt contra Aureolum bene notat Capreolus 1.d.31. quæst. vnica art. 2. soluens illius argumenta contra secundam partem tertiæ conclusionis, partim est falsum, quoniam etsi nullus ad se ipsum possit realiter referri per æqualitatem & similitudinem, tamen ita potest mentaliter referri; cum ad rationis relationem non sit necessaria distinctio rerum, quæ referuntur, sed satis sit distinctio conceptuum, quibus idem bis sumitur; & idem vt stat sub vno conceptu, refertur ad se ipsum, vt stat sub alio conceptu, sic enim non refertur omnino idem ad idem, sed referuntur duo aliquo modo distincta, hoc est, non realiter, sed obiectiuè & conceptibiliter, in quantum obiiciuntur duobus conceptibus realiter distinctis, vt fusius explico in 1.tomo q.4. art.2. dub.14. partim non est ad rem, quia in casu nostro ponitur relatio rationis inter res realiter distinctas, scilicet tres diuinas personas, quæ sunt extrema, quæ mentaliter referuntur; tametsi fundamentum, siue id in quo per rationem comparantur, vnum & idem omnino sit, nempe natura, & virtualis magnitudo. Qua vnitate proximi fundamenti motus Riccardus 1.d.19.art.1. quæst.3. hanc æqualitatis relationem vult esse vnam numero in tribus personis. Alij dicunt esse tres relationes, propter Trinitatem personarum. Certè plures sunt, quia cum ea quæ sunt realiter plura referuntur inuicem per rationem, & non est ex parte vnius fundamenti maior ratio, vt referatur hoc ad illud, quam illud ad hoc, tunc ratio tam potest referre hoc ad illud per vnam relationem, quam illud ad hoc per aliam relationem, v.g. tam potest referre Patrem ad Filium, concipiendo Patrem, vt subiectum quod refertur esse æqualem, & similem Filio, vt termino ad quem refertur; quàm contra, referre Filium ad Patrem, concipiendo Filium æqualem, & similem Patri; in qua alia comparatione Filius est subiectum, Pater est terminus. Vnde euidenter sequitur, istas relationes esse plures quam tres, nimirum sex, quia hoc modo singulæ personæ possunt bis comparari, vt æquales, vel vt similes, ad reliquas duas personas.

Capreolus.

Riccardus.

Quot sint prædictæ relationes rationis.

48. *Prædictas relationes non esse reales.* S. Thomas. Scotus. Mayronus. Baccomus. Capreolus. Caietanus. Torres. Bonauent. Ochamus. Gabriel.

Prima verò conclusionis pars, quòd æqualitas & similitudo diuinas personas non sint reales relationes, est S. Thomæ hîc ad 4. & infrà q.42. art.1. ad 4. & 1. d.31. quæst. 1. art.1. & Magistri apud ipsum, & omnium Thomistarum, & Interpretum, & aliorum communissima, exceptis Scoto 1.d.31.q.1. & Quodlibeto 6. art.2. & omnibus Scotistis, Mayrono 1.d.31. quæst.1.art.2. Baccono q.vnica, art.2. de relatione identitatis, licèt art.3. contendat contra Scotum non esse in Deo realem relationem æqualitatis distinctam à reali identitatis relatione. Contrarium quoque non obscurè docere videtur Bonauentura 1.d.31.art.1. quæst.1.& 2. Item Ochamus 1.d.31. quæst. vnica. Gabriel ibidem art.2. & 3. vbi ponunt quidem in Deo reales relationes, identitatis, similitudinis, æqualitatis; tamen nullo modo distinctas ab essentia, & relationibus originis. In quo discrepant à Scoto, qui citato Quodlibeto, §. *Secundò contradicit*, & §. *Dico ergo*, vult esse relationes distinctas ex natura rei, & posteriores essentia, relationibus originis, & ipsis etiam personis constitutis; quia, inquit, *secundum aqualitatem essentia non refertur, neque paternitas. Sed refertur Pater habens essentiam & paternitatem, ad Filium.* Imò citata d.31.§. *Ad secundum potest*, concedit, *quòd quot sunt perfectiones in Deo simpliciter, tot sunt etiam magnitudines, & tot æqualitates*: licèt addat, *quòd omnes sunt vna res.* Discrepant etiam ab aliis, quia hi Nominales volunt realem relationem æqualitatis & similitudinis, nihil esse aliud

aliud præter duo extrema, quorum vnum sit tantum, & tale, quantum, & quale est aliud. Quod totum sine dubio reperitur in diuinis. Tamen generalem sententiam falsam esse, & contra Philosophum, ac S. Thomam, suppono ex logica, vt in superioribus etiam significatum est.

49. *Explicatur & definitur ratio S. Thomæ.*

Ratio S. Thomæ in secundo & tertio loco citato subobscura est, & ideo à quibusdam minus recepta; sed si benè penetretur, & explicetur, apparebit efficax; *Quia*, inquit, *essentia est vna & eadem numero; & idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali.* Duo supponit; alterum apud omnes indubitatum, Relationes similitudinis, æqualitatis, identitatis, conuenire diuinis personis ratione vnius atque eiusdem omnino naturæ, & essentialis magnitudinis, in qua singulæ & omnes nullam in re distinctionem habent. *Ex hoc*, inquit quæst.42.art.1.ad 4 *personæ sunt sibi inuicem æquales, quòd sunt vnius magnitudinis & essentiæ.* & 1.d.31.quæst.1.art.1. initio Corporis, *Æqualitas est relatio in diuinis fundata supra vnitatem essentiæ, prout significatur nomine quantitatis virtualis, vt eum dicitur magnitudo, vel æternitas, vel potentia.* & eadem est ratio de identitate, & similitudine. Alterum non tam certum, quòd huiusmodi relationes æqualitatis, similitudinis, & identitatis essentialis, ex propria ratione sua referunt primo & immediate ipsum fundamentum, vnde immediatè oriuntur, & in quo immediatè recipiuntur ac subiectantur, siue esse intelliguntur, vt rectè notauit Caietanus infra quæst.42.art.1.§. *Ad euidentiam*, initio. Ideo enim duæ substantiæ sunt similes, & æquales, quia illarum qualitates, & quantitates, sunt similes, & æquales: & ideo duo individua habẽt relationem identitatis in natura specifica, quia specificæ illorum naturæ habent identitatem. ex hoc secundo supposito sequitur, quòd huius generis relationes postulant distinctionem realem inter proxima fundamenta: quia eadem fundamenta, sunt proxima extrema illarum. Omnis autem relatio, cum à parte rei sit realis ordo vnius ad aliud, postulat distinctionem à parte rei inter vnum terminum & alium terminum, siue inter duo extrema. Sed fundamentum æqualitatis, similitudinis, siue essentialis identitatis inter diuinas personas, non est aliud, quam ipsa earum essentia, quæ vna prorsus & eadem numero est in omnibus. nam vt rectè dicit Bagnes quæst.42.art.1. *personæ non sunt æquales in relationibus, sed potius oppositæ.* ergo istæ relationes inter diuinas personas non possunt esse reales. Explicatur ratio exemplo aptissimo. Si vna numero albedo, vel quantitas, essent in duobus parietibus, relatio similitudinis albi, vel æqualitatis in quantitate, non posset inter illos esse realis vt docent Capreolus 1.d.31.quæst. vnica art. 2. respondens ad 6. Scoti, in fine, Caietanus infra quæst. 42. art.1. §. *Ad euidentiam*, fine, & alij omnes Authores nostræ sententiæ, vno excepto Torres quæst. 42. art.1. in 3. p. commentarij, ad 1. quia terminus primò & immediatè similis, qui per similitudinem proximè refertur ad aliud, est ipsa albedo, siue paries vt formaliter albus; hæc enim relatio similitudinis in albedine, exercetur inter duo alba, quæ sint duo in esse albi formaliter, & non quæ sint duo solum materialiter in esse Corporis: similiter æqualitas requirit duo æqualia, vt formaliter æqualia; duæ vero æqualitates non possunt esse in vna quantitate; æquale enim, vt formaliter æquale, conuenit propriè Quanto, sicut simile, vt formaliter simile, conuenit propriè Quali. ergo vbi est vna qualitas, vna quantitas, ibi esse non potest realis ordo vnius qualis ad aliud formaliter quale, nec vnius quanti ad aliud formaliter quantum. Ita in diuinis nulla relatio realis cogitari potest fundata in vnitate naturæ, quia tres personæ in illa ita sunt vnum, vt nullam omnino in illa distinctionem habeant, quoniam teste Ioanne, *Hi tres vnum sunt.* ergo ratione illius non potest inter diuinas personas intercedere realis ordo, qui essentialiter postulat vnum & aliud: quamuis enim diuinæ personæ inter se comparatæ, sint plures res, distinctæ realiter; tamen comparatæ cum natura, sunt simpliciter & absolutè vnum, siue vna res simplicissima absque vlla prorsus distinctione in re. ergo impossibile est, eas inuicem realiter referri, & consequenter opponi, ac distingui ratione naturæ.

Bagnes.

1.Ioan.5.

50. *Relatio fundata in vnitate, neque vna, neque multiplex esse potest in Deo.*

Confirmari & explicari magis potest ratio, petendo, Quot reales relationes, v.g. æqualitatis essent in diuinis personis? Non vna tantum, quæ sit in Patre, Filio, & Spiritu sancto; sicut vna relatio spirationis actiuæ dicitur esse in Patre & Filio: quoniam æqualitas Patris terminatur ad Filium, & ex opposito æqualitas Filij terminaretur ad Patrem. Implicat autem idem, quatenus idem, esse subiectum & terminum eiusdem numero relationis: sic enim realiter referretur idem ad seipsum. Vnde relatio spirationis, quia est in Patre & Filio, non est in Patre ad Filium, nec in Filio ad Patrem; sed in patre & Filio est ad Spiritum sanctum, in quo propterea non est, sed est opposita alia correlatio spirationis passiuæ ad Patrem & Filium. Si verò sunt plures, non possunt esse tres tantum, iuxta ternarium numerum personarum: quia si in Patre est vna æqualitatis relatio ad Filium, cur non alia ad Spiritum sanctum: neque enim dici potest vna, quæ respiciat Filium & Spiritum sanctum, non vt Filium, & vt Spiritum sanctum, sed vt Deum; quoniam illa in ipso Patre respiceret pariter Deum, cum idem omnino Deus, qui est in Filio, & Spiritu sancto, sit etiam in Patre. Sicut igitur duæ æqualitatis relationes deberent esse in Patre, altera ad Filium, altera ad Spiritum sanctum; ita quoque duæ in Filio, ad Patrem, & ad Spiritum sanctum; & duæ in Spiritu sancto, ad Patrem, & ad Filium. ergo essent sex; & quoniam diuinæ relationes identificantur cum essentia, & essentia identificatur cum singulis personis, sequeretur in vnaquaque persona esse sex æqualitatis relationes, distinctas saltẽ vt relationes, propter distinctionem terminorum, vt dictum est dubitatione præcedenti de relatione spirationis actiuæ, quæ vt relatio ponit in numerum cũ paternitate & filiatione. Tanta autem turba relationum eiusdẽ rationis in singulis personis, & ex se ipsa inconueniens apparet, & miram affert confusionem: quæ enim ex illis sex erit in Patre, quę facit Patrem æqualẽ Filio, potius quàm Spiritui sancto? Demum ista relatio æqualitatis, vel essentialis similitudinis, vel identitatis, quę est in Patre, v.g. ad Filium, non terminatur ad Filium vt filium, quia Pater & Filius in paternitate & filiatione præcisè, sunt potius distincti, & oppositi, ac dissimiles. ergo terminatur ad Filium vt Deum; sicut paries albus per similitudinem non terminatur ad alium parietem album, vt parietem, sed vt album. Eadem ratione ipsemet Pater non referretur vt pater, sed vt Deus, quia vt Deus, & non vt pater est idem cum Filio, eique essentialiter similis, & æqualis. Sed idem omnino Deus sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ergo per prædictas relationes Deus vt Deus referretur realiter ad eumdem Deum vt Deum; quod est manifestum inconueniens. ergo neque plures, neque vna, sed nullæ simpliciter sunt huiusmodi relationes.

De relationibus fundatis in numero.

51. Quarta conclusio. Relationes fundatæ in nume-

Quarta conclusio, huiusmodi relationes, non esse reales in Deo.

Probatur ex S. Thoma, & examinatur an una relatio fundare possit aliam relationem.

to, quales sunt relationes distinctionis, & oppositionis non possunt in Deo esse reales. Ita S. Thomas infra quæst. 42. art. 1. ad 4. & 1. d. 31. quæst. 1. art. 1. & reliqui omnes Authores tertiæ conclusionis. Ratio S. Thomæ est, quia hæ relationes deberent fundari in ipsis relationibus originis, ex quibus personæ diuinæ habent formaliter vt inuicem distinguantur, & relatiuè opponantur. Hoc autem esse impossibile, probat S. Thomas, *quia relatio non refertur ad aliam relationem per relationem mediam; quia sic esset in infinitum procedere.* Quæ ratio efficax est tantum in relationibus eiusdem rationis, v.g. duæ relationes æqualitatis, similitudinis, distinctionis, non possunt media alia relatione fieri æquales, similes, distinctæ; sic enim euidenter sequeretur prædictus processus in infinitum. At vero hoc absurdum, vt benè notat Valentia p.p. de Trinitate quæst. sua 16. Puncto 1. ad 4. §. *Nec sanè.* quicquid in contrarium dicat Vasquez disput. 166. num. 10. non sequeretur, si relationes diuersæ rationis, cuiusmodi sunt paternitas & filiatio, fundarent alias relationes alterius rationis, quales sunt relationes oppositionis, distinctionis, dissimilitudinis; præsertim in sententia eorum, qui volunt, relationes fundamento aduenire per quamdam simplicem resultantiam; nam in alia sententia, quam probabiliorem existimo, de relationibus aduenientibus fundamento per actionem realem, mediam inter fundamentum & relationem, illud absurdum difficillimè vitari potest in quacumque relatione fundante aliam relationem: quoniam si paternitas & filiatio fundarent oppositionem, inter paternitatem & oppositionem esset relatio producentis & producti; & hæc rursus fundaret aliam oppositionem; & hæc aliam relationem producti & sic in infinitum. Quod absurdum habet locum in relationibus creatis, nam in diuinis facilius dici posset, Relationes oppositionis, & distinctionis in relationibus originis fundari per resultantiam absque vlla productione & distinctione ex natura rei, sicut diximus fundari relationem spirationis actiuæ in paternitate, & filiatione.

Valentia.

Vasquez.

52. *Alia ratio ducta ex infinitate diuinæ relationis.*

Et ideo, omisso hoc absurdo infinitæ multiplicationis relationum, idem aliter probo ex infinita perfectione diuinarum relationum. Esto enim in creaturis vna relatio fundare possit aliam relationem, v.g. paternitas in humanis fundare relationem distinctionis à filiatione, tamen idem in diuinis, saltem ob infinitam relationum perfectionem, non potest concipi rationabiliter, & cum fundamento in re. Etenim relatio diuina, ex eo quòd est infinita, debet in suo conceptu includere omnem rationem respectiuam, quam simpliciter habere potest ad suum terminum, referendo scilicet ad illum, sub omni ratione spectante ad intrinsecam illius constitutionem. Sed paternitas non potest respicere Filium vt filium, nisi Filius sit ab ipsa realiter distinctus, eique realiter oppositus. ergo talis in se esse debet, saltem ob suam summam infinitatem in suo genere relatiuo, vt concipi debeat, se ipsa formaliter non solum facere Patrem Filij, sed etiam oppositum & distinctum à Filio: ac proinde habeat se ipsa formaliter respicere Filium, & vt filium, & vt oppositum, & vt distinctum. Et quidem aliter concipere relationes oppositionis, & distinctionis, nempe vt ratione distinctas à paternitate, per quas ipsa diuina paternitatis relatio adhuc realiter referatur ad eumdem suum proprium terminum, scilicet Filium, est concipere paternitatem vt in se intrinsece limitatam in esse relatiuo paternitatis. Quamuis enim paternitas in suo genere paternitatis includere non debeat filiationem cui opponitur, & à qua realiter distinguitur; tamen includere debet perfectionem relatiuæ distinctionis, & oppositionis; quoniam ipsa in se, & quoad intrinsecam suam entitatem respectiuam præcisè considerata, debet esse distincta realiter à Filio, & realiter opposita filiationi. ergo imperfectè concipitur in esse relatiuo paternitatis, nisi concipiatur vt in sua formalitate respectiua includens conceptum relatiuum oppositionis, & distinctionis; imò etiam conuenientiæ in ratione communi, & quasi generica relationis, & personæ, si hæc conuenientia ponatur in creaturis vt relatio realis: nam quicquid sit de creaturis, eo ipso quòd diuina relatio est ad aliam correlationem vt relatio est, quæ vt sic, habet cum illa conuenientiam in esse relationis, debet, saltem propter eius infinitatem relationum, intelligi vt in suo conceptu includens hanc relationem, ac realem conuenientiam. Atque idem dicendum de quacumque alia relatione, seu relatiua denominatione, quæ diuinis personis conueniat propter ipsas relatiuas personalitates: vt in Filio, esse Imaginem, esse Verbum: in singulis personis, esse intimè præsentem, & inexistentem in aliis.

53. *Creata etiam relatiua se ipsis opponi & distingui.*

Sæpe dixi, huiusmodi relatiuas perfectiones esse identificatas cum qualibet relatione originis, *saltem propter illius infinitatem:* quia non videtur improbabile, esse identificatas propter essentialem rationem relationis vt sic, v.g. paternitatis, siue increatæ, siue creatæ. Esto enim Petrus à Paulo distinguantur per relationem realem distinctionis, illis superadditam; & inter calidum & frigidum sit realis relatio oppositionis; tamen hæ relationes intelligi possunt non superadditæ Patri & Filio, sed in illis essentialiter inclusæ; ita vt se ipsis formaliter & non per aliam mediam relationem, inuicem realiter opponantur, & distinguantur. Et disparitas est, quia Petrus & Paulus, frigidum & calidum, sunt entia absoluta; ergo ab ipsis formaliter non possunt oriri formales denominationes relatiuæ, sed tantum fundamentales, seu materiales. At vero, Pater & Filius formaliter, etiam in humanis, sunt entia formaliter respectiua: ergo omnis formalis denominatio relatiua, in ipsis essentialiter inclusa, vt esse oppositum, esse distinctum, potest ab ipsis oriri formaliter, tamquam à propriis formis relatiuis; ita vt in paternitate, quæ est simplex quædam ac pura forma relatiua, intelligatur essentialiter inhibita non quæuis oppositio, aut distinctio, sed oppositio, aut distinctio formaliter respectiua. Sicut enim anima humana, v.g. est forma absoluta non solum vt anima, sed etiam vt intellectiua, vt sensitiua, vt vegetatiua; ita paternitas est forma respectiua ad Filium, non solum vt paternitas, sed vt oppositio, vt distinctio. Atque hoc significare videtur Caietanus infra quæst. 42. art. 1. §. *Ad euidentiam,* dum nulla facta infinitatis mentione, vniuersaliter ita docet paulò post principium, *Qualibet duo correlatiua realibus relationibus oppositionis opponuntur ad inuicem, sed sunt illamet correlatiua: se ipsa enim paternitas opponitur relatiuè filiationi.* Addit præterea quod sequitur Ruiz disput. 103. sect. 4. num. 11. Quòd si in diuinis essent distinctæ realiter magnitudines, ac proinde distincta realiter æqualitatis fundamenta, vt sunt in creaturis, *æqualitas Filij ad Patrem esset ipsa filiatio, & Patris ad Filium esset paternitas.* Quod quidem nimium videtur, quia conceptus æqualitatis relatiuæ, non est intrinsecè imbibitus in conceptu paternitatis, aut filiationis: cum de facto in diuinis personis nulla detur realis relatio æqualitatis, ne identificata quidem cum paternitate & filiatione. Et quamuis ista æqualitas non esset opposita paternitati & filiationi, tamen hoc arguit tantum illius identificationem cum paternitate & filiatione, sed non arguit, illam non esse formaliter aliud nisi ipsam paternitatem, & filiationem

Caietanus.

Relationem æqualitatis non includi in paternitate, & filiatione.

nem: alioqui ipsa pariter relatio spirationis actiuæ, non opposita Patri & Filio, sed ipsis identificata, non esset formaliter in Patre & Filio; quòd repugnat dictis in dub. 1.

54. *Quinta conclusio quatuor tantum reales relationes sunt in Deo.*

Vltima conclusio. Reales relationes intra ipsum Deum quatuor omnino sunt, nec pauciores, nec plures, ne ratione quidem ratiocinata distinctæ à quatuor. Hoc sequitur ex superioribus dictis. Probatum enim est dub. 1. dari quartam relationem originis. Deinde in hac dubitatione 4. conclusione 1. has relationes fundatas in actione & passione, non posse esse plures, aut pauciores quam quatuor. Postea in sequentibus conclusionibus, non posse ex Deo habere locum reales relationes fundatas in mensura & mensurabili, nec in quantitate, siue in vnitate & numero. Sed omnes reales relationes his tribus generibus comprehenduntur à Philosopho 5. Metaph. t. 20. ergo quatuor sunt intra Deum reales relationes, nec plures, nec pauciores. Confirmatur, quoniam quæuis alia relatio, quæ non sit originis, nec constitueret personam, sicut paternitas, filiatio, processio; nec terminaret aliquam personalem relationem, sicut terminat spiratio: ergo propriissimè ac verissimè esset relatio accidentalis; sicut omnes creatæ relationes, ex eo quòd aduenient extra omnem conceptum personalem.

Aristoteles.

Diluuntur aduersariorum argumenta.

55. *Contra secundam partem tertiæ communis obijcit Aureolus primo.*

Obiicies ex Aureolo supra probante, æqualitatem & similitudinem non esse relationes rationis. Primò termini æqualitatis, aut similitudinis sunt personæ realiter distinctæ, nec sunt vnus & idem terminus bis sumptus; Pater enim non est æqualis sibi, sed Filio; nec etiam est similis sibi: similiter nec essentia est æqualis, aut similis essentiæ. Igitur æqualitas & similitudo in diuinis non sunt relationes rationis per modum quo idem refertur ad se ipsum, qui modus postulat vt idem terminus bis sumatur, vt docet Philosophus 5. Metaph. t. 20. circa finem.

Respondetur in personarũ relationibus rationis bis sumi eumdem terminum proximum.

Respondeo, relationes æqualitatis & similitudinis in diuinis esse relationes rationis per modum, quo idem refertur ad se ipsum: & consequenter in illis bis sumi eumdem terminum, non quidem remotum, qui in casu nostro sunt Pater & Filius, sed proximum, qui est ipsum fundamentum, quod primò & immediate refertur, vt probaui supra n. 49. Dicitur enim Pater in sua magnitudine virtuali æqualis Filio in eadem omnino virtuali magnitudine. Item, Pater in sua Deitatis forma ac natura similis Filio in eadem omnino natura, seu forma.

56. *Obijcit 2.*

Obiicies secundò ex eodem, si æqualitas & similitudo essent relationes rationis, illæ essent in potentia in diuinis personis, & in actum reducerentur per intellectum. Hoc autem, inquit, *est impossibile. Nullum enim complebile per intellectum est in diuinis; alioquin essentia diuina esset quoad aliquid incompleta, & in potentia expectans per intellectum compleri, & reduci ad actum: quod omnino poni non potest.*

Respondetur personæ non esse in potentia ad relationes rationis.

Respondeo, non sequi hoc absurdum ex rationis relationibus, quæ Deo per intellectum extrinsecus affiguntur, *quia*, vt benè respondet Capreolus supra, *tales respectus non intelliguntur inexistentes diuinæ personæ, sed potius assistentes*; hoc est, non sunt verè in personis, sed tantum sunt obiectiuè in intellectu, qui personas cum illis respectibus concipit. Cum igitur huiusmodi relationes non sint actu in diuinis personis, nec hæ erunt in potentia ad illas, vt per illas in re actuentur.

57. *Obijcit 3.*

Obiicies tertiò. Diuinæ personæ essent verissimè æquales, ac similes, sicut nunc sunt, etiam si nullus intellectus, nec creatus, nec increatus negotiaretur circa illas.

Respondetur personas in re esse similes & æquales negatiuè.

Respondeo tunc diuinas personas futuras æquales ac similes negatiuè, ratione vnitatis in eadem numero magnitudine, ac natura: non autem positiuè, ratione alicuius respectus, aut alterius prædicati positiui, quod possit intelligi esse superadditum illi magnitudini, ac naturæ. Non igitur omnis denominatio similis & æqualis inter diuinas personas, sumitur ab aliqua reali relatione, vel à relatione rationis, cum ante omne opus intellectus, personæ verè sint ac denominentur aliqua ratione similes & æquales; sed aliqua denominatio sumi potest à perfecta vnitate eiusdem naturæ in singulis personis: quæ vnitas, cum sit negatio diuisionis in essentia, existit aliquo modo à parte rei, sicut ex Philosophia supponimus existere cæteras omnes negationes: vnde deriuatur denominatio negatiua quoad rem formaliter & immediate significatam, tametsi positiua quoad voces significantes: cuiusmodi etiam sunt cœcitas, nuditas, tenebræ, &c. Atque hæc responsio in re est eadem cum responsione Capreoli supra ad argumenta Aureoli in fine, Caietani, & aliorum Thomistarum dicentium, secluso operatione intellectus, personas esse similes & æquales tantum fundamentaliter, hoc est, per id quod est fundamentum relationis, & non formaliter relatio. Quam responsionem impugnat Torres infra q. 42. art. 1. in 3. p. Commentarij, ad 3. quia, inquit, *concedit effectum formalem sine causa formali.* Sed fallitur, quia Thomistæ non concedunt, personas sine relatione esse similes relatiuè ac positiuè; sed tantum esse similes negatiuè, hoc est, ex eo quòd sunt vnum, seu non distinctæ in natura: & hanc vnitatem in natura, quam ego vocaui similitudinem in natura, ipsi vocant fundamentum similitudinis positiuæ, ac relatiuæ. Addit Torres, quod prius se dixisse ait noster Molina ibidem, d. 2. ad 4. & tenet etium Medina, quem refert & impugnat Zumel ibidem disput. 1. ad 2. Secluso operatione intellectus, personas esse formaliter positiuè, ac relatiuè similes à relatione rationis, quam volunt esse in re absque operatione intellectus, tametsi cum ordine ad intellectum. Sed non sunt audiendi, quia recedunt à communissima reliquorum omnium sententia, & notissimo Logicæ principio, quòd ens rationis non est actu nisi obiectiuè in intellectu actu concipiente: aliter ens rationis cum ente reali planè confunditur.

Defenditur responsio Capreoli contra Torres.

Molina. Medina. Zumel.

Rada.

58. *Contra primam partem tertiæ communis obijcit Scotus 1.*

Præterea ex Scoto (cuius argumenta, probantia, relationes æqualitatis & similitudinis in diuinis personis esse reales, refert & soluit Capreolus 1. d. 31. quæst. 1. art. 2.) obiicies quarto si istæ habitudines non sint reales in Deo, hoc non est propter aliud, nisi quia fundamentum est vnum & idem in tribus personis. Sed manifestum est, quòd hoc non impedit, quia idem est fundamentum relationum originis in diuinis, scilicet essentia, & nihilominus sunt reales: ergo nec idem fundamentum impediet, quin æqualitas, & similitudo, sint relationes reales.

Respondetur cum Capreolo, explicando fundamentũ relationum originis.

Respondet Capreolus ad 2. Scoti, *quòd relationes originis non fundantur in diuina essentia præcisè, sed fundantur in communicatione, & acceptatione diuinæ naturæ; scilicet generare & generari, spirare & spirari; quæ realiter distinguuntur, non sicut duo absoluta, sed relatiuè solum.* Hinc vero oritur ingens difficultas, quam benè vrget Rada controuersia 26. art. 3. conclusione 7. ratione quarta, quia generare & generari, spirare & spirari distinguuntur relatiuè per ipsas relationes paternitatis & filiationis, item spirationis

tionis actiuæ & passiuæ. ergo si illi actus notionales sunt fundamentum relationum originis, idem sunt fundamentum & res supra illud fundata: quod euidenter apparet inintelligibile. Et dicere cum Capreolo, *quòd licet paternitas & filiatio fundentur in diuinis super generare & generari, quæ sunt duæ res relatiuæ, non tamen se habent per modum relatiuorum, sed per modum actionum, vel actuum notionalium*; non euacuat difficultatem, sed potius eam auget, afferendo quasi manifestam contradictionis implicantiam: quoniam generare & generari non possunt se habere per modum actuum notionalium, nisi inuicem distincta realiter sint. Sed in diuinis plura distingui realiter non possunt nisi per modum relatiuorum. ergo dicere, duo ibi esse distincta per modum actuum notionalium, non per modum relatiuorum, videtur aperta contradictio. Tandem addit Capreolus, quòd in diuinis, *fundamenta relationum non sunt aliud à relationibus, nec distinguuntur nisi relatiuè*; & ideo, inquit, *non oportet fundamenta prius natura distingui, quam relationes distinguantur, sed ipsæ relationes distinguunt sua fundamenta.* Verum pro Scoto posset aliquis instare, accommodando eamdem responsionem relationibus æqualitatum; quòd scilicet illæ etiam distinguant sua fundamenta; nimirum vt ipsa essentia in quantum stat sub vna æqualitate Patris ad Filium, sit aliud realiter fundamentum ab ipsa in quantum stat sub alia æqualitate realiter distincta Filij ad Patrem.

59. *Qua[illegible] dici possint relationes fundari in essentia.*

Ideo ad tollendam hanc instantiam, addendum est, id non posse dici de aliis relationibus, sicut dicitur de relationibus originis: quia cum hæ sint relationes personales, habent in sua perfectissima ratione relatiua duplex munus, & constituendi personas, & referendi personas; quæ duo munera, distincta conspicimus in creaturis, prouenientia à duabus formis realiter distinctis, altera absoluta, altera relatiua. Ex quibus rationibus, seu muneribus, prius ratione ratiocinata cum fundamento in re est constituere ac distinguere personam, seu relatio secundum rationem ac munus constituendi ac distinguendi; posteriùs referre personam, seu relatio secundum rationem & munus referendi. Hac distinctione præsupposita, cogitare vtcunque possumus in tanta mysterij altitudine, has originis relationes fundari non in essentia, nudè ac præcisè accepta, vt benè dicebat Capreolus, sed in essentia constituta ac realiter distincta in esse personali per relationem, non vt formaliter relatio est, siue vt exercens munus referendi, sic enim relatio, est fundata potius quam fundans; sed vt formaliter suppositalitas est, sub qua formali ac præcisa ratione intelligitur habere aliud munus constituendi, ac distinguendi vnam personam ab alia. Atque hoc ipsum in re esse existimo, quod vltimo loco paulò obscuriùs respondit Capreolus, idque optime confirmat ex S. Thoma infra, quæst. 40. art. 2. ad 4. docente, *Quòd relatio præsupponit distinctionem suppositorum quando est accidens*, hoc est, quando est imperfectè purus ac simplex conceptus referentiæ. *Sed si relatio sit subsistens*, quemadmodum est perfectissima relatio personalis in diuinis, *non præsupponit, sed secum fert distinctionem*: quia scilicet eadem, vt est formaliter subsistentia personalis, constituit ac distinguit personas, & fundamenta earumdem relationum, vt formaliter, ac præcisè referentium, siue exercentium munus referendi. At verò Scotus de suis relationibus æqualitatis, similitudinis, identitatis, quæ nulla ratione personales sunt, non potest rationabiliter eodem modo philosophari: quia cum illæ sint extra, & post omnem personæ conceptum, non habent rationem constituendi ac distinguendi personas, sed solam rationem referendi personas, præsuppositas aliunde perfectè constitutas in esse personali. ergo cum non fundentur in personis, sed in essentia, quia sunt relationes fundatæ in vnitate, non in numero, fundari non possunt in essentia vt per ipsas, aut per alias priores rationes aliquo modo distinctas. ergo fundarentur in essentia præcisè ac nudè accepta, vt est simplicissime vna atque eadem in tribus personis. Sed fundamentum relationis est id, quod primò & immediate refertur; ergo essent relationes eiusdem ad se ipsum, quæ ab omnibus censentur relationes non reales, sed rationis.

Confirmatur ex S. Thoma.

60. *Obijcit 2.*

Obiicies quintò, quia Augustinus 6. de Trinitate cap. vltimo loquens de Filio Dei, circa principium ait, *In qua imagine est prima æqualitas, & prima similitudo.* Sed non esset prima, nisi esset realis: nulla enim similitudo rationis est prima, cum ens reale, sit prius ente rationis.

Respondetur cum Capreolo, exponendo verba Augustini.

Respondeo cùm Capreolo ad 3. Scoti, diuinam æqualitatem, ac similitudinem, dici primam, *non quantum ad respectum rationis, quem importat; sed quantum ad vnitatem essentiæ, quam importat in suo intellectu: vnitas autem illa, est essentia indiuisa, quæ est primum ens.* Quòd autem Augustinus loquatur de æqualitate ac similitudine, non positiua, vt relatio, sed negatiua, vt vnitas est, patet, quia declarans quomodo illa sit *prima æqualitas, & prima similitudo*, ita immediate subiungit, *nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis, sed ad identidem respondens ei, cuius imago est.*

61. *Obijcit 3. cap. 7. & 15.*

Obiicies sextò. Æqualitas inest Filio ex vi suæ productionis, docente Augustino lib. 3. contra Maximinum, *Quòd ideo non est Pater maior Filio, quia æqualem genuit.* ergo æqualitas est realis in Filio: quia nullum ens rationis inesse potest Filio ex vi suæ productionis, quæ est realissima.

Respondetur eodem modo.

Respondeo cum eodem Capreolo ad 4. Scoti, concedēdo antecedens, & consequentiam de æqualitate, *quantum ad vnitatem essentialem, non autem quantum ad respectum rationis consequentem illam vnitatem*; nec quantum ad aliquem realem respectum, vnitati illi superadditum. Adde, ex vi generationis posse aliquod ens rationis Filio inesse, non formaliter, sed fundamentaliter.

62. *Obijcit 4.*

Obiicies septimò. Sicut se habet magnitudo dimensiua ad æqualitatem proportionalem sibi, sic magnitudo virtualis ad æqualitatem sibi correspondentem. Sed illa æqualitas est relatio realis. ergo & hæc. Sed inter diuinas personas est magnitudo virtualis. ergo relatio correspondens illi magnitudini, erit pariter realis.

Respondetur comparando æqualitatem creatam cum increata.

Respondeo, distinguendo Minorem, concessa simpliciter Maiore. Æqualitas magnitudinis corporalis, est relatio realis, si vna magnitudo comparetur ad aliam magnitudinem realiter distinctam; si vero comparetur ad se ipsam, est relatio rationis. Sic etiam dicendum de magnitudine spirituali. Sed inter diuinas personas est vna prorsus magnitudo spiritualis. ergo eius æqualitas non potest esse relatio realis, sed rationis tantum.

63. *Obijcit 5.*

Obiicies octauò. Æqualitas est perfectio simpliciter simplex. ergo est in Deo. Sed non esset perfectio, simpliciter simplex, si esset relatio rationis, aut negatio. ergo esse debet relatio realis. Antecedens probat Scotus ex Augustino 2. de Quantitate animæ cap. 9. fine, ita docente, *Inæqualitati æqualitatem iure præponis: nec quisquam omnino est, vt opinor, humano sensu præditus, cui non id videatur.* Et ideo in Præfatione Missæ de Trinitate ex Gregorio canit Ecclesia, *Et in maiestate adoretur æqualitas.*

Respondetur explicando, quo modo æqualitas sit perfectio, & adoretur.

Respondeo, æqualitatem plurium suppositorum in

in vna eademque omnino magnitudine essentiali, esse perfectionem simpliciter simplicem, non quoad relationem rationis, quæ est ens omnium imperfectissimum; nec quoad relationem realem, quæ, vt probatum est, inuoluit imperfectionem duarum magnitudinum realiter distinctarum, & propterea habere non potest locum in Deo; sed vel quoad ipsam negationū diuisionis in magnitudine essentiali, quæ negatio videtur in recto importari nomine æqualitatis, vt de simplicitate Dei fusius dictum est in primo tomo quæst. 3. art. 7. dubit. 3. vel saltem quoad ipsam magnitudinem essentialem existentem prorsus indiuisibiliter in pluribus personis. Atque hæc est illa æqualitas, quam adorare iubemur, & de eadem æqualitate S. Thomas 1. d. 31. quæst. 1. art. 11. ad 2. intelligit, quod sibi in illo argumento obiecerat, nempe, *Arius damnatus est, quia æqualitatem personarum negauit.*

S. Thomas.

64. *Obijcitur ex Baccono contra secundam conclusionem.*

Obiicies nonò fundamentum Bacconi contra secundam conclusionem supra num. 46. *Cum Deus sciat se ipsum, ibi sunt fundamentales rationes propriè pertinentes ad relationem mensuræ, scilicet scientia, & scibile; & ex natura rei, quia ex natura rei, Deus scit se ipsum: & formales rationes mensuræ, & mensurati sunt ibi, quia nec scientia excedit scibile, nec è contrario, sed tanta est scientia ibi, quantum est scibile, & è conuerso. igitur.*

Respondetur assignando rationem, cur non sint in Deo relationes mensuræ.

Respondeo primo hæc omnia non sufficere, sed præterea esse necessarium, vt mensuratum sit realiter aliud à mensurante; quia esse relationis est essentialiter esse vnius ad aliud; siue aliud secundum rationem, si est relatio rationis; siue aliud secundum rem, si relatio est realis. Quæ conditio deficit in diuinis, vbi scientia & scibile sunt vnum & idem secundum rem. Secundo insufficientes explicari rationes formales mensuræ & mensurati per hoc simpliciter, *quia nec scientia excedit scibile, nec è contrario, sed tanta est scientia quantum est scibile, & è conuerso:* hac enim explicatione tam probaretur relatio scientiæ ad scibile, & vniuersaliter mensurati ad mensuram, quam contra, relatio scibilis ad scientiam, & vniuersaliter mensuræ ad mensuratum. Quam mutuam correlationem in hoc tertio relatiuorum genere omnes negamus cum Philosopho 5. Metaphysicæ t. 20. ex eo quòd in ratione, ac perfectione repræsentabilitatis, non est inter hæc, mutua dependentia; sed mensuratum dependet à mensura, v.g. scientia à scibili, quæ non est vera, si non conformetur obiecto; mensura vero non dependet à mensurato, v.g. scibile à scientia; vt Deus in se verus est, etiam si nostra de illo scientia falsa sit. Hanc autem imperfectionem mensurati, & dependentis, diuinæ scientiæ tribuere, nefas est. Ergo ex hoc etiam alio capite non potest in Deo scientia referri realiter ad scibile.

Aristoteles.

65. *Obijcitur ex Torres contra dictum supra n. 49.*

Obiicies decimò ex Torres suprà n. 49. contendēte contra Capreolum, & Caietanum, dari realem similitudinis relationem inter duo alba, in quibus per diuinam omnipotentiam sit vna numero albedo: quia, inquit, *si sortes & Plato haberent eamdem numero albedinem, essent diuersa alba, perinde ac si haberent diuersas albedines. Sed si haberent diuersas, vtriusque similitudo esset realis. Ergo in data hypothesi est realis.* Nihilominus negat Scoto, esse eamdem rationem de personis diuinis, in quibus propter vnitatem fundamenti non vult esse reales relationes æqualitatis & similitudinis, *quia*, inquit, *harum similitudinum supposita sunt vna res, & vnum absolutum. At supposita aliarum similitudinum sunt diuersa entia absoluta.*

Respondetur inter duo alba, habentia vnam albedinem, nō esse similitudinē.

Respondeo, tunc sortes & Plato essent, seu potius denominarentur duo alba, propter duo subiecta vnius albedinis, non propter duas albedines in duobus subiectis, quo modo de facto sunt duo alba sortes albus, & Plato albus. Quare falsum est, quòd tunc illi essent diuersa alba, *perinde ac si haberent diuersas albedines*: quia tunc sortes vt formaliter albus non posset per similitudinem habere se ad aliud vt formaliter album. Quamuis enim tunc sortes & Plato essent duo simpliciter alba, hoc est, duo corpora habentia albedinem; tamen non essent duo alba vt formaliter alba. Sed realis relatio similitudinis inter duo alba, fundatur in vno albo, non vt homine, sed solum vt formaliter albo, & terminatur ad aliud, non vt hominem, &c. sed solum vt aliud formaliter album. ergo vbi alba non sunt duo in formali esse albedinis, ibi esse nequit realis ordo vnius albi ad aliud album. Sicut enim ibi non esset vna albedo similis alteri albedini, ita nec vnum album per albedinem, siue ex vi albedinis, simile alteri albo. Præterea facilè posset Scotus illam disparitatem de personis diuinis refellere. Enim verò & si personæ comparatæ cum essentia, sint vna simplicissima res absoluta; tamen comparatæ inter se, sunt plures realiter personæ, & plura entia relatiua realiter diuersa. Cur autem vnitas fundamenti quando est in pluribus entibus respectiuis impediat relationem, non autem quando est in pluribus entibus absolutis, potest facilius dici, quam percipi. Verè igitur qui vult in duobus albis, aut quantis, vna albedine, aut quantitate, esse relationes reales similitudinis, & æqualitatis, mirum in modum turbat veritatem tertiæ conclusionis supra num. 47. valde infringendo vim fundamenti, quo maximè nititur, vt supra num. 49.

Instantia pro Scoto contra Torres.

66. *Obijcitur ex Molina contra dictum supra n. 52. & 53.*

Obiicies vndecimò ex Molina quæst. 42. art. 1. disput. 2. §. *Illud*, vbi quamuis doceat, relationem oppositionis, nec in Deo, nec in creaturis esse realem, sed rationis tantum, iuxta quartam conclusionem tamen contendit, ipsas relationes paternitatis & filiationis non esse in suo essentiali ac proprio conceptu relationes oppositionis, contra id quod supra num. 52. & 53. probauimus. Mouetur ex eo quòd *relatio Patris ad Filium, est inæqualis comparationis; relatio vero oppositionis, quæ inter vtramque personam cernitur, est æqualis comparationis, eo quòd oppositum relatiuè, opposito relatiuè sit oppositum. Relationes vero æqualis, & inæqualis comparationis non possunt esse eiusdem speciei, ne dum eadem prorsus relatio.*

Respondetur oppositionis relationem non esse semper æquiparantiæ.

Respondeo, relationem oppositionis, siue oppositionem relatiuam, præscindere à relatione æqualis, vel inæqualis comparationis, siue, vt Logici communiter loquuntur, à relatione æquiparantiæ, vel disquiparantiæ. Omnes enim particulares relationes mutuæ opponuntur relatiuè. Sed si relationes sunt æquiparantiæ, vt æquale, simile, &c. oppositio relatiua, in illis essentialiter imbibita, & ne per rationem quidem ab illis præscindibilis, est relatio æquiparantiæ: si vero relationes sunt disquiparantiæ, vt Patris & Filij, oppositio inter illas est pariter relatio disquiparantiæ. Sicut igitur omnes relationes primi, & secundi generis, conueniunt in genere relationis mutuæ, quæ vel est æquiparantiæ, vel disquiparantiæ, iuxta particulares species inferiorum relationum; ita pariter conueniunt in genere relationis oppositionis, quæ secundum se neque est æquiparantiæ, neque disquiparantiæ, sed vtramque differentiam participat in suis inferioribus speciebus. Non rectè igitur in obiectione relatio oppositionis concipitur vt particularis quædam relatio, sed concipienda est vt quædam generica relatio communis omnibus relationibus primi & secundi generis, hoc est, fundatis in vnitate ac numero, & in actione ac passione. Quare cum dicitur, *Oppositum*

opposito

oppositio oppositum, non est idem ac cum dicitur, simile simili simile, æquale æquali æquale; quoniam simile & æquale sunt particularia quædam relatiua æquiparantiæ. At vero oppositum, est relatiuum commune relatiuis æquiparantiæ & disquiparantiæ; quorum quodlibet, eo ipso quòd est mutuum, & alteri correlatiuum, suo correlatiuo relatiuè opponatur necesse est. Quare inter oppositum & æquale, v. g. est æquiparantia nominalis tantum, quia vtrobique ter repetitur idem nomen; non est autem æquiparantia realis, quia æquale & simile important relationem eiusdem specificæ rationis in vtroque extremo: oppositum vero tam importat vnam specie relationem in vtroque extremo, quàm vnam specie relationem in vno extremo, & aliam distinctam specie correlationem in alio extremo. Atque hanc genericam oppositionem relatiuam sine dubio significat illud Theologicum Axioma, *In diuinis omnia sunt vnum vbi non obuiat relationum oppositio*, nimirum, in singulis, & omnibus diuinis relationibus intrinsece & formaliter inclusa, v.g. paternitas formaliter distinguit Patrem à Filio, propter formalem oppositionem, quam habet cum Filiatione; & è conuerso. Item spiratio actiua formaliter distinguit correlatiuè Patrem & Filium à Spiritu sancto propter formalem oppositionem quam habet cum processione; & è conuerso. Interpretatio autem, quam illius axiomatis affert Molina, vbi non obuiant, inquit, *relationes quibus conuenit vt sint oppositæ*, scilicet per aliam superadditam oppositionis relationem secundum rationem; & ex se apparet nimis dura; & vult, paternitatem & filiationem, v g. non esse formas oppositas ex se formaliter formalitate relatiua: quod falsum videtur non minus quam frigiditatem, & caliditatem non esse formas oppositas ex se formaliter formalitate absoluta.

QVÆSTIO XXIX.

De Personis diuinis, in quatuor articulos diuisa.

Præmissis autem his, quæ de processionibus, & relationibus, &c.

ARTICVLVS I.

De diffinitione Personæ.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd incompetens sit diffinitio, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Proponitur, & authoritate confirmatur definitio Boëtij*, Persona est naturæ rationalis individua substantia, *num.* 1.
2. *Exponitur illud*, Substantia, *num.* 2. *&* 3.
3. *Exponitur illud*, Individua, *num.* 4. *ad* 9.
4. *Quid addat suppositum supra naturam singularem, num.* 5. *ad* 9.
5. *Exponitur illud*, naturæ rationalis, *numer.* 9. *&* 10.
6. *Alia definitio Riccardi Victorini, numero* 11.
7. *An tres personæ dici possint tres substantiæ, num.* 11.

NICA conclusio competens est illa personæ definitio tradita à Boëtio libro de duabus naturis columna 3. circa principium, *Persona est naturæ rationalis individua substantia.* Hanc solam definitionem affert S. Thomas in hoc articulo & 1. sent. d. 25. quæst. 1. art. 1. & de Potentia quæst. 9. art. 2. eamque recipiunt Anselmus in Monologio cap. 76. post medium illis verbis, *Persona non dicitur nisi de individua rationali natura; & substantia principaliter dicitur de individuis:* quoniam ex Philosopho in Prædicamento substantiæ initio, *substantia quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, est quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt quidam homo, & quidam equus.* Hugo Victorinus libro 2. de Sacramentis parte 1. cap. 11. aliquantò ante finem, *Quid est persona? nonne individuum rationalis substantiæ.* & in summa sententiarum, tractatu 1. cap. 9 post medium, *Cum hæc sit definitio personæ, Persona est, rationalis substantiæ individua natura.* Riccardus de S. Victore libro 4. de Trinitate cap. 6. post medium. *Numquam dicitur persona, nisi de rationali substantia: & cum nominemus personam, numquam intelligimus nisi vnam solam substantiam, & singularem aliquam: & sub nomine personæ subintelligitur proprietas individualis, singularis, incommunicabilis.* & cap. 8. circa principium, *Cum dicitur persona, pro certo intelligitur aliquis vnus, qui tamen sit rationalis substantia. Cum nominantur tres personæ, absque dubio intelliguntur tres aliqui, quorum tamen vnusquisque sit substantia rationalis naturæ.* Et quamuis cap. 21. impugnare videatur Boëtij definitionem ex eo quòd tota conuenire videatur diuinæ substantiæ, quæ Trinitas personarum est, ac proinde non est persona, & tamen est, inquit, *aliqua rationalis naturæ individua substantia*; & propterea cap. 22. afferre conetur aliam definitionem, soli personæ increatæ conuenientem, de qua infra; ob quam causam fortasse ait Alensis p.p. quæst. 56. membro 3. initio Corporis, *Riccardus corrigit definitionem Boëtij*, idemque censet Albertus 1. d. 25. art. 1. fine, & p.p. quæst. 44. membro 2. initio Corporis, quod etiam sequutus est S. Thomas infra art. 3. ad 4. dicens, *Quòd Riccardus de S. Victore corrigere volens hanc definitionem, dixit*, &c. tamen deinde in cap. 23. illam obiectionem rectè soluit, docetque, Boëtij definitionem non conuenire Deitati, sed soli & omni personæ tam creatæ, quàm increatæ, *si illud dicamus individuum, quod non nisi vni soli possit aptari; ita vt nec per plures personas, nec per plures substantias possit distribui, & à pluribus communiter, & à singulis integraliter possideri.* Deitas vero vt à personis præcisa, non est hac ratione simpliciter & omnimodè individua: nam etsi individua sit in plures Deitatis substantias, seu singularitates, quomodo non est individua, v. g. humanitas, quæ numerice diuiditur in hunc, & illum hominem; tamen non est individua in plures Deitatis personas, cum vnum Deum in tribus realiter distinctis personis fideles omnes credamus. Eamdem definitionem recipiunt Alensis & Albertus supra, & Scholastici omnes in 1. d. 25. tametsi Magister lib. 3. sent. cap. 10. litera B. de ea ita scripserit, *Illa tamen personæ descriptio non est data pro illis tribus personis*, nempe diuinis; quod est manifestè falsum, cum Boëtius prius distinguat tria genera personarum, Dei, Angeli, Hominis, & statim illam personæ definitionem, omnibus personis communem tradat; quæ, inquit Magnus Albertus p.p. quæst. 44. membro 2. corp. *data est de communi intentione personæ, prout se communiter habet ad Deum, & Angelum, & Hominem:* & Scotus 1. d. 23. quæst. vnica §. *Ad quæstionem*, non obscurè impugnauerit quòd per illam, inquit,

1. *Definitio Boëtij recepta à S. Thoma.*
Anselmo.
Hugone Victorino.
Riccardo Victorino.
Alensis.
Albertus.
S. Thomas.
Magister.
Albertus.
Scotus.

inquit, *sequeretur, Animam, & Deitatem esse personam; & persona non conueniret propriè Deo, quia individuum non est nisi vbi est diuiduum, quod non conuenit Deo: & tamen conueniret homini, qui solus propriè dicitur rationalis.*

Verum enim verò præstat reuerenter exponere, quam reiicere definitionem grauissimam authoritate, tum definientis, tum omnium ferè Theologorum, qui eam recipiunt, & declarant ita, vt motiua Scoti contra illam refelli facilè possint: quod præstabo, exponendo singulas definitionis particulas.

Exponitur illud, Substantia.

Probatur sumi pro prima substantia. Aristoteles.

Dicitur primò *Substantia*, quod duobus modis sumi potest. Primo pro prima substantia, quæ est singularis ac determinata substantia, & ex Philosopho supra, *propriè, & principaliter, & maximè dicitur substantia.* Secundo pro substantia analogicè communi ad primam, & secundam, quæ est substantia vniuersalis, tam generica, quam specifica. S. Thomas hîc ad 2. & de Potentia q. 9. art. 2. ad 7. & 1. d. 25. q. 1. art. 1. ad 7. Sequitur secundum modum, & refert atque impugnat alios sequentes primum, inter quos est Magnus Albertus p.p. summæ, q. 44. membro 2. ad 4. contra primam definitionem; & Alensis p.p. q. 56. membro 3. Corpore dicens, *Substantia in definitione personæ accipitur pro hypostasi à Boëtio*; &, ni fallor, est ipsemet definitionis author Boëtius: cum enim hanc substantiæ diuisionem præmisisset, *Substantiarum aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares*, & à ratione personæ reiecisset vniuersalem substantiam, retenta tantum particulari, subdens, *Nusquam in vniuersalibus persona dici potest, sed in singularibus tantum; animalis enim, vel generalis hominis nulla persona est, sed vel Ciceronis, vel Platonis, vel singulorum individuorum personæ singulæ nuncupantur*; hanc particularem substantiam censendus est significare, cum statim personam definit, *est substantia*, &c. Quamobrem post nonnulla, notat quòd Græci, *iure substantias particulariter subsistentes, hypostases appellauerunt.* Et eandem ita concludit, *Idem est igitur esse hypostasim, quod substantiam.* Ergo cum paulo ante definit personam per substantiam, nomine substantiæ intelligit hypostasim, & paulò post ita clarissime distinguit, *Est & hominis essentia, & substantia, & persona.* Quod ordine sequitur post essentiam humanitatis, est prima & singularis humanitas: & cum hæc prima substantia sit immediate ante personam, censeri debet per primam substantiam definita persona. Vnde sumitur optima ratio pro prima expositione: quoniam in bonis definitionibus non debet coniungi propria & vltima definiti differentia cum genere remoto; neque enim rectè definieris Hominem, substantiam rationalem, aut Viuens rationale. Cum igitur propria & vltima Personæ differentia sit illud, *Individua*, non benè coniungeretur in definitione cum substantia communi ad primam & secundam, quæ est quoddam personæ genus, seu vniuersale prædicatum remotum, & commune tam ad secundam substantiam, quæ non est persona, quam ad primam substantiam quæ est persona; ita vt de persona nihil superius, vel quasi superius prædicetur nisi prima substantia, quæ nisi aliquid aliud addatur non est persona; vt manifestum est & ex mysterio Trinitatis, vbi, hic numero Deus, vt precisus à tribus personis, est prima substantia, hoc est, singularis & omnino individua in plures Deos, non minus ac hic homo est quoddam singulare, quod non potest in plures homines diuidi; & tamen prædictum individuum Deitatis nō est persona; & ex mysterio Incarnationis, vbi Verbum diuinum in vnitatem suæ personæ assumpsit hominem, non vniuersalem, aut cōmunem, sed singularem & particularem hunc hominem, quem vocamus Christum Dominum, & tamen nullam personam assumpsit. Confirmatur quia si, vt dicitur hic ad 2. fine, *Substantia accipitur communiter, prout diuiditur per primam & secundam; & per hoc quod additur, individua, trahitur ad standum pro substantia prima*; iam tota personæ definitio, quæ esset, *Naturæ rationalis substantia prima*, conueniret Deitati, & humanitati assumptæ; quoniam vtraque est prima substantia naturæ rationalis, siue intellectualis. Aliud igitur quàm prima substantia significatur per illud, *Individua*, quod certè esse debet aliquod additū, quo prima substantia, quæ secundum se præcisè non est persona, trahatur ad personæ rationem, sicut in hominis definitione, addito rationali supra animal, trahitur animal ad esse hominis.

Primam substantiam simpliciter nō esse personam.

Propter hanc primam particulam à ratione personæ excluduntur omnia accidentia, quæ nemo vocat personas, aut suppositа, cum contra potius sint appositа, & innixa suppositis ac personis. Item secundum Boëtium supra excluduntur substantiæ secundæ quæ sunt genera & species, quæ non habent per se subsistere, sed tantum in individuis; quare genera & species respectu individuorum dici etiam possunt quodammodo appositа & innixa individuis: individua vero sunt potius suppositа respectu generum & specierum, quia, vt docet S. Thomas art. sequenti ad 4. *Individuis competit subsistere, ex eo quod sunt sub generibus, & speciebus, in Prædicamento substantiæ comprehensis.* Et propterea Boëtius supra dixit, *Genera & species subsistunt tantum*, nimirum, vt exponit S. Thomas supra, non in se ipsis, sed in individuis; *individua vero non modò subsistunt, verum etiam substant.* Excluduntur præterea omnes partes hominis singularis, non solum integrantes, vt manus, & aliæ similes, sed etiam essentiales vt materia prima, & anima rationalis, *licet sit separata*, vt extendunt S. Thomas art. sequenti ad 5. & alij communissimè contra Hugonem supra, & Magistrum libro 3. sent. d. 5. litera E. dicentes, animam separatam à corpore esse personam, in corpore autem non esse personam, vt expresse dicit Magister, quamuis Hugo asserere videatur, esse personam etiam in corpore, dicens quòd anima, *quando à corpore separatur, persona esse non desinit; & ipsa eadem persona, quæ prius fuit: quoniam corpus Spiritui personam esse non tollit; sicut prius quando iungebatur, ipsi, vt persona esset, non dedit. Hæc tamen opinio*, vt de suo tempore testatur Bonauentura 3. d. 5. art. 2. quæst. 3. circa principium Corporis, & nos de nostro tempore testari possumus, *non sustinetur communiter à Doctoribus*: quia ex Philosopho supra, prima substantia est, *vt quidam homo, & quidam equus.* Sed anima rationalis, siue in Corpore, siue extra Corpus, non est homo, sed pars hominis, siue, vt loquitur S. Thomas, pars humanæ speciei, quæ etiam separata retinet naturam vnibilitatis. Ergo, inquit, *non potest dici substantia individua, quæ est hypostasis, vel substantia prima.* Neque enim anima est totus homo, sed est essentialis quædam pars, essentialiter simul cum corpore componens hominem. Nulla autem pars est totum illud, cuius est pars. Ergo non est homo. ergo non prima substantia. ergo non persona. Et minus cohæret illud Magistri, Quòd non sit persona in corpore, sed sit persona extra corpus: quoniam persona consistit in aliqua substantiæ ratione, siue in aliquo esse substantiali: nullam autem intrinsecam substantiæ rationem, aut intrinsecum esse substantiale acquirit anima separata, quo caruerit vnita corpori.

3. *Per illud, Substantia, excluduntur primò accidentia. Secundo genera & species.*
S. Thomas.
Boëtius.
Tertio partes hominis, etiã anima separata, ex S. Thoma contra Hugonem & Magistrũ.
Bonauentura.
Duo Magistri dicta non cohærere.

Ergo si in corpore non est persona, non potest consequenter dici persona extra corpus: alioqui esse personale animæ, quod est esse substantiale intrinsecum, acquireretur extra corpus, & deperderetur in corpore; ac proinde anima non esset totaliter immortalis & incorruptibilis secundum totum esse suum substantiale; quod est absurdum. Præterea in corpore ideo non est persona, quia est forma vnita personæ hominis; sed etiam extra corpus est forma vnibilis personæ hominis. ergo nec est persona extra corpus: quia vna persona non est vnibilis alteri personæ ad vnam aliquam personã constituendam.

Exponitur illud, Indiuidua.

4. S. Thomas. Dicitur secundò. *Indiuidua, id est*, inquit S. Thom. infra art. 4. ad 3. *distincta, vel incommunicabilis*: hoc est, ita distincta & completa in genere substantiæ, vt in eodem genere non sit amplius distinguibilis, & complebilis; ac proinde non sit communicabilis alteri substantiæ, per quam ipsa substantialiter compleatur. Quo addito, substantia non limitatur vt sit substantia prima præcisè considerata, quia substantia prima humanitatis Christi de facto est substantialiter completa per ipsam substantiam personæ Filij Dei; & ipsamet prima substantia indiuiduæ Deitatis est communicata, seu communis tribus diuinis personis, in quibus est distincta, seu terminata & completa substantialiter personaliter. loquutus sum de substantia prima *præcisè considerata*: quia si consideretur secundum statum, quem ex natura sua in re habet, semper substantia prima naturæ intellectualis est coniuncta personæ inseparabiliter secundum rem, vel per omnimodam inseparabilitatem & identificationem, vt in diuinis; vel per inseparabilitatem naturalem, vt in creaturis. In hac secunda acceptione puto S. Thomam in locis superius allatis, præsertim in hoc articulo in fine Corporis sæpe dicere, Personam nihil aliud esse nisi primam & singularem substantiam naturæ rationalis; quoniam re ipsa non potest, saltem naturaliter, esse aliqua rationalis naturæ substantia singularis, quæ non sit persona: tamesi vel per mentalem præcisionem, vel per præcisionem realem diuinitus factam, possit ratio personæ separari à ratione singularis substantiæ naturæ rationalis. Quam distinctionem non obscurè significat S. Thomas cum quæst. sequenti art. 4. circa finem Corporis ita docet, *Hoc nomen, Persona, non est impositum ad significandum indiuiduum ex parte naturæ, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura.* Et ideo personæ ratio & profundius penetratur, & clarius ac distinctius in definitione exprimitur, si substantia prima quoad sua intrinseca in se ipsa præcisè consideretur. Igitur illud, *Indiuidua*, secundum expositionem Riccardi Victorini supra num. 1. intelligendum est, non vno modo, quo v. g. Petrum & Paulum communiter vocamus indiuidua humana, in quantum scilicet diuidi non possunt in alios plures homines, qui sint infra Petrum, vel infra Paulum; sed simpliciter, & omni modo, quo aliqua substantia apta est vlterius compleri seu constitui in ratione substantiæ simpliciter, & ita substantialiter diuidi vel in plures primas substantias, quo modo homo diuiditur in plures homines; vel in plura supposita, quo modo hic numero Deus est vnus & trinus, hoc est, personaliter tantum diuisus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; vel in plura composita substantialia, quo modo plures animæ rationales, & quæcumque aliæ plures formæ substantiales diuisæ sunt componentes distincta composita, in quibus per substantialem vnionem cum materia substantialiter perficiuntur. Nullo autem horũ trium modorũ diuidi, ac perfici, seu compleri potest suppositum, seu persona; quæ nec potest habere sub se alias inferiores substantias, sicut habet secunda substantia; nec esse potest in aliis suppositis, sicut potest esse prima substantia; nec potest esse forma, aut materia compositi substantialis, sicut est anima rationalis; quæ propterea per hanc etiam particulam excludi potest à definitione personæ. Per hanc igitur particulam limitatur, siue habet prima substantia, vt sit suppositum, quod est quid commune omnibus speciebus, siue rationalibus, siue irrationalibus, & definiri solet substantia completa incommunicabilis.

Quo modo indiuiduum naturæ rationalis dici possit persona.

In diuinis addit positiuum, quod est formalis ratio suppositi.

5. *Quid addat suppositum supra naturã singularem.* Quid autem sit illud additum, significatum per illud, *Indiuidua*, siue, *incommunicabilis*, quo substantia prima verè est, & propriè dicitur suppositum, est in controuersia, quæ hoc loco est potius supponenda, & breuiter definienda, quam in vtramque partem vberius discutienda. Certum apud omnes esse debet, & de facto est, hoc additum in diuinis esse aliquid positiuum reale; quemadmodum certum est, ibi præter vnam numero naturam, esse tres personas quæ sint tres res realiter inter se distinctæ; quo modo distinctæ esse non possent, nisi vnaquæque haberet realem aliquam proprietatem per quam constituatur in tali esse personæ; solum enim ab hac proprietate constituente oriri potest, vt illæ personæ sint res realiter inter se distinctæ, v. g. Pater, non solum vt Deus, sed etiam vt formaliter pater, est aliquod positiuum reale. Ergo paternitas, quæ est ipsa Dei personalitas addita diuinæ naturæ, est aliquod ens positiuum reale. & idem de Filio, vt filio, & de Spiritu sancto vt procedente. An vero suppositum vt formaliter suppositum, & persona vt formaliter persona, consistat in hoc addito positiuo reali, vel potius in negatione communicabilitatis, seu relatione aliqua rationis consequente illud, seu fundata in illo, est quæstio logica de nomine, parum vtilis, in qua propterea immorari non oportet. Etenim primum membrum est multò probabilissimum; quia illud additum, quod respectu negationis, seu relationis, se habet vt fundamentum, ac veluti materia, respectu naturæ, cui superaddi intelligitur, se habet vt forma, siue vt ratio quædam formalis. Ergo per illam concipi debet natura formaliter constituta in aliquo esse formali, quod nullum aliud esse potest, nisi esse personæ & suppositi. Atque ita sanè præstat asserere, vt magis recedamus à Sabellianis, negantibus Deo tres formales personalitates, qui facile illi concedere possent tres negationes, aut tres relationes rationis, si in his tantum consistunt formales personalitates. Iuxta hunc sensum S. Thom. infra q. 30. art. 4. aliquantò post principium Corporis ait, *Nomen personæ, non est nomen negationis, neque intentionis, sed est nomen rei.*

S. Thomas.

6. *In humanitate non addit duplicem negationem cõtra Henricum.* In suppositis vero, ac personis creatis, res non est ita certa; & ideo Doctores habet, diuersa opinantes. Sed in his etiam certum videtur non esse primò duplicem negationem, nempe indiuisibilitatis in se, & diuisionis à quolibet alio; vt videtur dicere Henricus Quodlibeto 5. q. 8. litera M. in medio, ab omnibus reiectus: quia hæ duæ negationes conueniunt substantiæ primæ & indiuiduæ secundum naturam, etiam vt præcisæ à supposito: hoc enim indiuiduum Deitatis, in ratione naturæ singularis, atque indiuidualis, est indiuisum in se, & diuisum à quacumque alia indiuiduali natura; & hæc humanitas Christi assumpta à Verbo, in ratione naturæ humanæ non est in se diuisa, nec diuisibilis in plures humanas naturas, & est diuisa

à quacumque alia singulari natura, tametsi non sit humanum suppositum, quod neque est assumptum, neque assumptibile à supposito diuino. Neque esse secundo puram negationem communicabilitatis, vt Scotistæ & Nominales communiter asserere videntur, & de diuinis etiam personis asseruit Torres infra art. 4. fine, quod magis probat Molina hic, disp. 3. Sed fortasse loquuntur non de omni addito, & fundamentali, & formali, sed de formali tantum, in secundo sensu impugnato in num. præcedenti: quoniam aliquod additum positiuum reale supra creatam naturam, siue illud vocetur formale, siue fundamentale, sufficienter arguunt, tum primò ratio suppositi diuini, quæ, ipsimet aduersariis concedentibus, positiua est ac realis; ergo talis etiam simpliciter esse debet ratio suppositi creati: quia suppositum creatum, est quædam participatio, & imitatio suppositi diuini; & inductione constat, quòd quicquid habet in diuinis conceptum positiuum realem, id, si participetur, eumdem conceptum habet in creaturis, multò tamen imperfectiori modo; alioqui res diuinæ quas non nisi ex creaturis cognoscere possumus, fierent nobis minus intelligibiles & credibiles, si, ne in genere quidem entis, conuenirent cum creaturis, eas participantibus. Tum secundò mysterium Incarnationis, quo credimus, Verbum assumpsisse naturam humanam, non humanum suppositum; ac proinde Verbum supplemisse suppositalitatem humanam; & humanam naturam in suo esse substantiali pendere realiter à personalitate Verbi, cum qua faciat illa natura vnum per se in ratione substantiæ: & humanitatem Christi, si dimitteretur à Verbo, & non daretur illi humanum suppositum, non posse stare in rerum natura. Quæ omnia non possunt probabiliter intelligi, si suppositum humanum nihil omnino addat supra humanitatem assumptam, nisi solam negationem; vt manifestum est cuilibet attentè consideranti terminos. Tum tertiò ratio ipsa satis clara, quia negatio communicabilitatis, siue negatio dependentiæ tam actualis, quam aptitudinalis ab aliquo supposito, fundari debet in aliquo positiuo reali: sed non potest fundari in toto illo positiuo, quod intrinsece includitur in formali ratione substantiæ primæ & indiuidualis, quia totum hoc reperitur in humanitate indiuiduali assumpta à Verbo, in qua non est negatio, sed potius affirmatio dependentiæ ab alieno supposito. ergo vltra totum illud quod positiuè ac realiter continetur in substantia singulari, admittendum necessariò est aliud positiuum reale, in quo fundari possit prædicta negatio. Quod positiuum Albertus 1. d. 25. art. 1. circa finem explicauit illis verbis, *De li, Indiuidua, sine præiudicio dico, quòd positiuè intelligitur: negatio enim consequens positionem, relinquit positiuum ante se.*

Neque addit negationem communicabilitatis contra Torres & Molinam.

Albertus.

7. *Neque addit accidens.* Durandus. Hoc autem positiuum supra naturam singularem creatam realiter additum, quo suppositum constituatur, non potest esse primò aliquod accidens, vt benè probat Durandus 1. d. 34. quæst. 1. contra aliquos innominatos, quia nomine suppositi, ac Personæ, omnes intelligimus, & significare volumus aliquod ens vnum per se, omnino completum in genere substantiæ, & præsuppositum accidentibus: suppositum enim, ex vi nominis, vt aduertunt Durandus 3. d. 1. quæst. 4. n. 16. Cæietanus 3. p. q. 2. art. 3. importat aliquid positum sub omnibus, quæ sunt in re, siue accidentalia, siue substantialia. ergo suppositum debet addere naturæ singulari aliquod complementum spectans ad Prædicamentum substantiæ. Vnde in Christo non fuit humanum suppositum, & tamen fuerunt omnia accidentia connatu-

Cæietanus.

Neque addit existentiam contra Capreolum.

Existentiam creatam distinguit à subsistentia.

Addit subsistentiam ex S. Thoma.

Faſoli in D. Thom. Tom. I I I.

ralia humanæ naturæ: in quo etiam Verbum diuinum in se ipso intrinsecè, ac veluti formaliter, per substantialem vnionem hypostaticam supplebit humanum suppositum. Neque potest esse secundò substantialis existentia primæ substantiæ, vt communiter tenent Theologi contra Capreolum 3. d. 5. q. 3. art. 3. ad 1. contra secundam conclusionem; quia suppositum est substantia totaliter completa in suo genere substantiæ. Non est autem sic completa natura cum sola existentia substantiali, quia deest illi alius substantialis modus per se subsistendi, quem esse distinctum à modo per se essendi, ex instituto probaui in Metaphysica. Sicut enim ex Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento didicimus, in accidentibus separatis à substantia panis & vini esse accidentalem existentiam, non autem inhærentiam actualem; ac proinde, inhærere esse modum quemdam ab esse accidentali distinctum, quo perficitur, & completur, & terminatur esse accidentale in genere accidentis: ita ex Incarnationis mysterio, vbi à natura humana Christi, ad Verbi diuini personalem subsistentiam assumpta, separata est propria subsistentia, non est autem separata propria existentia, quod in propria materia ostendi esse valdè certum in sana Theologia, didicimus, in substantiis præter existentiam substantialem dari alium modum, quem vocamus subsistentiam, per quam illa existentia totaliter completur, & vltimò terminatur in ratione essendi substantialiter. Hæc igitur subsistentia tandem est illud positiuum reale, quod suppositum addit supra primam substantiam; & in illa immediatè ac necessariò fundatur negatio communicabilitatis superius explicata, & significata in definitione personæ per illud, *Indiuidua*. Quod non obscurè docuit S. Thomas in hoc art. ad 3. fine, dicens, *Hoc nomen, Indiuiduum, ponitur in definitione personæ, ad designandum modum subsistendi, qui competit substantijs particularibus.* Et quæst. sequenti art. 4. circa finem Corporis. *Hoc nomen, Persona, non est impositum ad significandum indiuiduum ex parte naturæ; sed ad significandum rem subsistentem in tali natura*, nempe particulari & indiuidua. Et de Potentia quæst. 9. art. 3. initio Corporis, *Persona significat quandam naturam cum quodam modo existendi*, nempe, vt paulo post declarat, *vt sit per se existens.* & 1. d. 23. art. 2. Corpor. *Saluatur ratio personæ in diuinis, secundum quod habet esse per se subsistens in natura intellectuali.*

8. *Probatur à priori.* Ex dictis igitur ita argumentari possumus ad probandum intentum, primo à priori. Suppositum, est substantia vltimatò completa, ac perfecta, & omnino ac totaliter terminata in esse substantiali intrinseco. Ergo per illud censendum est constitui suppositum, per quod habetur vltimum complementum intrinsecum naturæ in genere substantiæ. Sed hoc, vt ex se patet, non sunt gradus generici, aut specifici naturæ singularis, nec ipsa singularitas, quicquid illa sit, nec existentia naturæ singularis, sed est subsistentia, his omnibus superaddita, vt probatum est, postquam nihil aliud substantiale fingi potest, & hactenus à nemine, quem sciam, confictum est. Ergo id quod naturam singulare, completam in ratione naturæ, & substantialiter existentem constituit formaliter in ratione suppositi, aliud esse non potest nisi subsistentia. Quod, proportione, sanè accommodatissima, intelligitur & explicatur per comparationẽ ad accidens; vt quemadmodum vltimum complementum naturæ accidentalis in genere accidentis est modus inhærendi, distinctus ab esse accidentali, eique superadditus; ita pariter vltimum complementum naturæ substantialis in genere substantiæ sit modus subsistendi,

distinctus ab esse substantiali, & superadditus illi.

Probatur à posteriori.

Secundò à posteriori. Ratio suppositi sita esse debet in eo, quod impeditum, & consumptum est in natura humana Christi Domini, per vnionem hypostaticam assumpta ad subsistendum personali subsistentia Filij Dei. Sed hoc non potest esse aliud, nisi sola humana subsistentia singularis & existentis naturæ humanæ Christi, quia est illud, quod personalis subsistentia Dei se ipsa formaliter suppleuit, quo modo subsistentia non potest aliud supplere nisi subsistentiam. ergo suppositalitatis conceptus alius non est, nisi conceptus subsistentiæ.

Exponitur illud, Naturæ rationalis.

9. Albertus.

Dicitur tertio & vltimo, *Naturæ rationalis*; quod, inquit Albertus p.p. summæ quæst. 44. membro 2. ad primum contra primam definitionem, *pro intellectuali ponitur, quia Ratio compositus intellectus est.*

S.Thomas.

Quam ob rem, aduertit S.Thomas infra art. 3. ad 4. *Quòd Deus potest dici rationalis naturæ, secundum quod Ratio non importat discursum, sed communiter intelligibilem naturam.* Dictum est, *natura rationalis*, & non, essentiæ rationalis; quia, vt dicitur hîc ad 4. fine, *Essentia sumitur ab esse, quod est communissimum*;

Cur non dictum, essentiæ rationalis.

quapropter tam substantia, quam accidens dicitur habere suam essentiam: naturæ vero nomen non conuenit propriè, nisi substantiis; operationes enim sunt suppositorum, & natura propriè est principium operandi. Dicta quoque persona est, *naturæ rationalis*, & non, natura rationalis; tum quia vt ratiocinatur S. Thomas 1. d. 25. quæst. vnica art. 1. ad 3. in creaturis persona est quid substantialiter compositum ex natura & personalitate; nulla autem pars de suo toto prædicatur in recto, sed in obliquo: tum quia, vt aduertit Albertus supra ad 2. licet in diuinis persona sit ipsa natura secundum rem, tamen secundum rationem, in ipsis rebus fundatam, intelligitur personalitas addi naturæ, non natura personalitati; & ideo etiam diuina persona, secundum nostrum modum concipiendi, definita est esse aliquid naturæ in obliquo, & non ipsam naturam in recto. Per hanc igitur tertiam particulam, ratio suppositi, quæ est ratio substantiæ primæ incommunicabilis, seu subsistentis incommunicabiliter, hoc est, absque eo quod possit communicari alteri, à quo vlterius compleatur in esse substantiali, limitatur ad rationem personæ, quæ, vt ex Boëtio supra omnes Theologi docent, non reperitur in Plantis & Brutis, in quibus est ratio suppositi, sed tantum in Deo, Angelis, & Hominibus, quæ solæ substantiæ sunt intellectuales: quarum suppositа speciali ratione dicuntur personæ, vt docet S. Thomas hic circa finem Corporis. & de Potentia q. 9. art. 2.

Cur nomen personæ tribuatur solis naturis intellectualibus.

S.Thomas.

quia cum actiones sint suppositorum, sicut substantiis intellectualibus conuenit, vt ait secundo loco, *propriè & verè per se agere*, quia scilicet, vt explicat hic, *habent dominium sui actus, & non solum aguntur sicut alia, sed per se agunt*, ita conuenire debuit proprium suppositi nomen, quod est persona.

10. *Necessitas distinguendi personam à natura, ex Nysseno, & Basilio.*

Necessarium vero fuit in personæ, etiam diuinæ, definitione explicare naturam in obliquo, tamquam rem aliqua ratione distinctam à persona: hæc enim distinctio, vt notaui supra, quæst. 28. art. 2. num. 34. fine, & sequentibus, diligentissimè ac sæpissimè inculcata est ab omnibus Patribus, vt incomprehensibilem huius Mysterij veritatem ab hæreticis tuerentur. Quapropter, Gregorio Nysseno teste locupletissimo, initio libri de Differentia essentiæ & hypostaseos, *Quoniam complures nihil interesse putant, virum essentiam, an hypostasim quis dicat, quasi in vtroque nomine vna significatio sit; & ideo duplicis hæreseos, in contrarium scisse, error circa significationem harum vocum, principia atque argumenta præbuit: cum Sabellij quidem sectatores, propter communionem essentiæ, sanctam Trinitatem in vnam hypostasim cogant: vice verò versa, qui contrario morbo correpti sunt (Arianos dico) propter differentiam hipostaseon, præscriptionem quoque essentiarum introducant.* Quo pariter exordio vtitur eius frater Basilius epistola 43. Imo Sanctissimi Doctores prædictam distinctionem adeò necessariam esse existimarunt, vt eam tantam esse, quanta est in creaturis, scilicet ex natura rei, existimare visi sint. Nam Basilius columna 2. fine ita concludit, *Si quam igitur dictionem nosti, quæ in rebus humanis, visæ & hypostaseos discrimen exprimat, eam si ad diuina quoque dogmata transferas, nihil aberraueris.* Item Nissenus longè à principio, *Quam igitur in nostris terrenis, ac mundanis rebus, differentiæ rationem tum in essentia, tum in hypostasi cognouisti, hanc si traducas etiam ad diuinas doctrinas, atque decreta, non errabis*: nimirum, non omnino eadem, sed proportionali quadam translatione; vt sicut in creaturis persona & natura differunt secundum rem, ita in diuinis differant secundum rationem in rebus ipsis fundatam. Quemadmodum etiam alij Patres, ad eamdem distinctionem manifestandam, Dei essentiam & personas comparant creatæ essentiæ specificæ, eiusque indiuiduis: vt Cyrillus loquens de substantia diuinæ naturæ, & subsistentiis diuinarum personarum libro 1. Dialogorum de Trinitate inter medium & finem, ait, *Substantiæ declaratio videtur sicut commune, & vniuersaliter quiddam esse: nomina vero subsistentiarum singularum, sub illo vniuersali prædicantur, ac dicuntur.* Et post pauca ita concludit, *Igitur nomen substantiæ habet se vt homo, & gerit in se nomen vniuersale, & communem rationem generis. Contrà, subsistentia intelligitur conuenientiùs vt singulare, quod neque à communitate destituat quod explanatur, neque etiam singulare cum obscuro confundit, & commiscet.* Et Theodoretus Dialogo 1. *Immutabilis.* non longè à principio, *Si Patrum doctrina spectetur, quam habet differentiam commune & proprium, vel genus & species ac indiuiduum, eamdem habet substantia & hypostasis.* Idem docet Damascenus, quem refert & sequitur Thomas de Potentia quæst. 10. art. 2. ad 12. Sed huiusmodi comparatio non est in omnibus accipienda; vt si singularitatis gradus à parte rei distinguitur à specifico gradu essentiæ in rebus creatis, quod multi probabiliter opinantur, non est necessarium ita etiam distingui in diuinis essentiam & personam. Est igitur intelligenda comparatio solum quoad communitatem vnius naturæ creatæ specificæ in multis indiuiduis, qua vtrumque explicatur communitas vnius naturæ diuinæ in tribus personis.

In quo sensu Sancti essentiam & personas diuinas comparent speciei & indiuiduis creatis. Cyrillus. Theodoret. Damascenus. Thomas.

11. *Alia definitio Riccardi Victorini, recepta ab antiquis Theologis.*

Ex his intelligi, & exponi facilè potest alia Riccardi Victorini definitio libro 4. de Trinitate c. 22. quam obiter & fine vlla explicatione refert S. Thomas infra art. 3. ad 4. & pluribus exponunt Alensis p.p. quæst. 56. membro 3. in Corpore & ad 9. Albertus 1. d. 25. art. 1. initio & in Corpore & fine, & p.p. summæ quæst. 44. membro 2. definitione 2. Bonauentura 1. d. 25. art. 1. quæst. 2. aliquantò ante finem. Scotus d. 23. quæst. vnica, §. *Ad quæstionem*, hanc definitionem præferens definitioni Boëtij, & alij graues Scholastici, *Persona diuina*, inquit Riccardus, *est diuinæ naturæ incommunicabilis existentia.* Quam definitionem magis declarans initio cap. 24. ait, *Fortassis erit planius, & ad intelligendum expeditius, si dicimus, Quòd*

Quòd persona sit existens per se solum, iuxta singularem quemdam rationalis existentiæ modum. Vbi nomen existentiæ, vt ipse multis se declarat à cap. 12. ad 23. accipit pro esse quod vnum habet respectu alterius per solum ordinem originis. Quæ vsurpatio neque apud veteres Theologos Riccardi temporibus proximiores, neque apud nos hodie & in vsu. Et ideo satis sint, quæ in expositione definitionis Boëtij, quam solum hic probasse videtur S. Thomas, notata sunt. Solum, quod ad modum loquendi pertinet, addendum est cum S. Thoma de Potentia quæst. 9. art. 2. ad 9. & ex ipsa definitione personæ necessariò sequitur, *quòd sicut dicimus in Deo tres personas, ita possumus dicere tres substantias indiuiduas; vnam tamen substantiam:* quia vt paulo ante docuerat ad 8. *nomen substantiæ*, scilicet si simpliciter & sine alio addito proferatur, *refertur etiam apud Latinos ad significationem essentiæ.* Sed tutius existimo dicere tres substantias incommunicabiles, quam tres substantias indiuiduas; nec videamur in diuinis ponere tria indiuidua naturæ, quæ nos vocare solemus substantias indiuiduas.

An tres personæ dici possint tres substantiæ.

S.Thomas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm persona sit idem quod hypostasis, subsistentia, & essentia.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd persona sit idem quod hypostasis, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Idem esse personam & hypostasim, num. 1. ad 8.*
2. *Multis exponitur illud Hebræorum primo*, figura substantiæ eius, *num. 1. & 2.*
3. *Authores vsurpantes hypostasim pro persona, n. 3. & 4.*
4. *Authores vsurpantes hypostasim pro essentia, num. 5.*
5. *Iam nõ posse negari tres hypostases in diuinis, n. 6. & 7.*
6. *Personam, hypostasim, & subsistentiam idem significare, num. 8.*
7. *Nomina personæ, hypostasis, & subsistentiæ non significare idem quod nomen essentiæ, num. 9.*

1. *Prima conclusio affirmatiua de persona & hypostasi.*

PRIMA conclusio. Persona ex antiquissimo Ecclesiæ vsu idem significat quod hypostasis; ita vt nunc non minus Sabellianus sit, qui negauerit in Deo tres hypostases, quam qui tres personas; aut qui vnam in Deo hypostasim affirmauerit, quam qui vnam personam. Hæc vocum vsurpatio iam apud omnes Catholicos est adeo explorata, vt absque erroris nota aliter loqui non liceat. Ostendo primo antiquissimam esse vsurpationem hypostasis pro persona. Nam ipsemet Paulus Apostolus Hebræorum 1. de Filio Dei ait, *Figura substantiæ eius.* Loco *substantiæ* in Græco habetur, *hypostaseos*: quo nomine non essentiam, sed personam Patris à Paulo significari docent ibi Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & OEcumenius: item Basilius epistola 43. prope finem, & iisdem ferè verbis Nyssenus libro de differentia essentiæ & hypostaseos circa finem eamdem expositionem non obscurè tradunt Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini columna 10. illis verbis, *Filius est Verbum, & speculum, & character, & imago viuens Patris viuentis.* Alexander Alexandrinus Episcopus epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum columna 5. vt habetur in Concilio Nicæno lib. 1. loquens de Filio Dei respectu Patris, &

Exponitur locus Hebræorum 1.

Clemens Romanus.

Alexander Alexandrinus.

probans, Arianos negantes Filium semper fuisse, negare simul & Patrem semper fuisse, ait, *Cum quis splendorem gloriæ neget esse, tollit simul & primariam lucem, cuius est splendor. Quòd si porrò imago Dei non erat semper, liquet neque illum, cuius imago est, semper fuisse.* Athanasius serm. 3. contra Arianos aliquanto ante medium docet, quòd vnus Sanctus scribat, Filium *esse splendorem gloriæ, & characterem substantiæ Patris.* Et post nonnulla, *Conspicimus*, inquit; *Filium non aliunde, sed ex Patre genitum, & characterem personæ Patris semper existere: & Filium similitudinem & imaginem Patris incommutabilem in se conseruare, vt qui hunc viderit, videat in eo ipsum personam Patris, cuius character est.* & Dialogo 1. de S. Trinitate columna 3. fine. *Qui genitus est, vina est eius, qui genuit, imago:* quam sæpe postea vocat, *imaginem, & characterem hypostaseos.* Pro eodem igitur vsurpat, esse imaginem hypostaseos, & eius qui genuit, qui est persona Patris. Nyssenus libro de Trinitate multò post medium ait, *Character Patris persona vnigenitus Filius est.* Nazianzen. orat. 4. de Theologia non longè à fine ait, quòd Filius Dei sit, *vt purum Patris sigillum, & minimè fallens character. Imago, tamquam eiusdem essentiæ cum Patre, quodque Filius à Patre sit, non Pater à Filio. Nam ea est imaginis natura, vt sit imitatio principis exemplaris, & eius, cuius esse imago dicitur.* Epiphanius hæresi 76. paulò post principium exponens, *similitudinem Filij ad Patrem, consitente Scriptura, Filium imaginem Dei inuisibilis esse; illa*, inquit, *est assimilata per generationem ei essentialitatem, tamquam genito Filio ad Patrem exprimente genus.* Et in Ancorato, folio 5. *Filius qui semper est cum Patre, qui ex Patre prodijt, splendor gloriæ, character substantiæ, imago Patris in veritate.* Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 9. initio impugnat hæreticos, *qui non ipsi Patri, sed voluntati eius similem esse Filium contendunt*: & postea ita concludit, *Indecìè nimium, non duarum hypostasium similitudinem quæritis, sed hypostasim*, hoc est, Filium, *non hypostasi*, hoc est, voluntatis Patris, *conferre studetis.* Et iterum circa medium capitis, *Ipsius Patris character, & similitudo Filius est:* quæ verba non semel repetit, & libro de recta fide ad Theodosium columna 9. *Cur autem, non in figura Dei existere Filium sacra nobis significauit Scriptura? imaginemque ipsum dicit, & characterem eius qui genuit?* Demum euidens ratio huius grauissimæ expositionis verborum Pauli sumitur ex Hilario libro de Synodis columna 5. Can. 1. illis verbis, *Neque enim ipse sibi imago est, sed cum, cuius imago est, necesse est vt imago demonstret. Imago itaque est rei ad rem coaquandæ imaginata & indiscreta similitudo. Est ergo Pater, est & Filius; quia imago Patris est Filius: & qui imago est, vt verè imago sit, speciem necesse est, & naturam, & essentiam, secundum quod imago est, in se habeat Authoris.*

Athanasius. Nissenus. Nazianzen. Epiphanius. Cyrillus. Hilarius.

2. *Expositio probatur ratione.*

Filius igitur Dei intelligi debet esse figura, seu character, siue imago illius substantiæ, siue hypostaseos, à quo procedit & realiter distinguitur, vt docent etiam Nazianzenus, Augustinus, & Ambrosius, quorum verba refero supra quæst. 27. art. 2. num. 81. & 82. Sed non procedit, nec distinguitur à substantia quæ est essentia Dei, omnino indistincta ab ipsomet Filio; sed à substantia, quæ est ipsa persona Patris. Ergo Paulus nomine hypostaseos, cuius figuram Filium esse docet, non intelligit essentiam Dei, sed personam Patris. Quamquam quoniam essentia, in qua Pater & Filius sunt simpliciter vnum, & idem, licet non sit ipsa imago, tamen est ratio perfectissimæ imaginis, ideo aliquos Patres, neque aliis, neque etiam sibi ipsis contrarios legimus, qui cum à Paulo Filius dicitur

figura substantiæ siue hypostaseos Patris, id videntur ad essentiam referre. Maximè aduersari videtur Epiphanius hæresi 69. multò ante finem, *Non sciunt, quòd substantia & essentia idem est ratione. Consistit enim Dominus in substantia sua. Et hoc, splendor gloriæ, & character substantiæ ipsius.* & tamen Epiphanius verbis paulò ante allatis, primam vsurpationem expresse habet. Quare ne sit sibi contrarius, dici potest, in hoc etiam secundo loco sumere substantiam siue hypostasim pro persona. Interrogauerunt enim hæretici, *Vnde vobis essentiæ nomen affertur? Quis ex Apostolis essentiam Dei dixit?* Ad quod respondet Epiphanius, satis esse, haberi nomen substantiæ & hypostasis, seu personæ, vt in eo intelligamus inclusum nomen essentiæ: quia, inquit, talis substantia est essentia *ratione*, hoc est, definitione: neque enim sine essentia intelligi & definiri potest substantia, accepta pro persona. Quod autem hoc nomen, substantia, sit in diuinis, probat dupliciter. Primo quia dicitur, consistit Dominus in substantia sua. hoc est, completè subsistit in persona sua. 2. quia à Paulo vocatur, *Character substantiæ.* Præterea non aduersatur Ambrosius libro de Incarnationis sacramento cap. 8. ante medium illis verbis, *Dicunt etenim*, nempe hæretici de Filio Dei, *non esse scriptum, Dei esse substantiam, neque naturam: cum vtique, Filium Dei Patris esse splendorem gloriæ, & characterem substantiæ eius, Scriptura testetur.* Nam, vt ipsemet docet libro 1. de Fide cap. 4. post medium, *Character expressum esse significat.* Ergo cum hîc dicit, *Characterem substantiæ eius*, intelligit personam Patris à qua Filius est productus, ac veluti expressus; non essentiam, quæ potius est id quod imprimitur in aliud, quam id à quo exprimitur, vel id cui imprimitur. Hinc autem efficaciter deducit Ambrosius, in Filio esse substantiam, siue essentiam & naturam Patris. Enim vero persona Filij, esse non posset perfectissima imago personæ Patris, nisi haberet eamdem cum Patre naturam. Item à B. Gregorio Thaumaturgo, in Regula Fidei diuinitus tradita, quam refert Nyssenus in vita illius folio 9. Filius Dei dicitur, *Deus de Deo, figura, & imago Deitatis:* hoc est, Dei Patris, eamdem scilicet Deitatis naturam referens, quæ in eo est. Et Athanasius Dialogo 2. de Trinitate aliquanto post medium ait, *Filium esse ipsius essentiæ imaginem, dixit Apostolus, Qui (inquiens) splendor est gloriæ, & character hypostaseos. Nam character hypostaseos, nihil aliud est, quam essentiæ imago.* Nimirum, non quòd hypostasis, sit sola essentia; sed quia ex hypostasi, & persona Patris, cuius Filius est character, non paternitatem, sed solam essentiam repræsentat. In eodem sensu accipi potest Eusebius Cæsariensis libro 4. Demonstrationis Euangelicæ cap. 2. med. dum ait, *Oracula theologicè loquentia, Deum genitum illum enunciant, tamquam eum, qui diuinæ naturæ solus in se ipso ferat imaginem.* & Cyrillus lib. 2. Thesauri cap. 2. medio, necesse est, *eiusdem esse substantiæ Patri Filium, sicut incommutabilem eius imaginem, & characterem substantiæ suæ.* hoc est, personæ suæ. Hinc enim, vt probatum est, bene deducitur identitas substantiæ ac naturæ inter Patrem & Filium. Quam expositionem colligo ex ipsomet Cyrillo, qui ea verba affert, vt probet, quòd *imago Patris Filius est, & in se ipso Patrem ostendit*, iuxta illud Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

Epiphanium non esse verè contrarium. — *Neque Ambrosium.* — *Neque Thaumaturgum.* — *Neque Athanasium.* — *Neque Eusebium.* — *Neque Cyrillum.*

3. Præter Paulum, hypostasim pro persona vsurpant alij vetustissimi Doctores; vt Magnus Dionysius libro de diuinis nominibus cap. 1. ante medium docens, *Diuinitatem sacris laudibus ornari, vt vnitatem, propter simplicitatem, &c. vt Trinitatem autem propter cœlestis fœcunditatis in tribus personis enunciationem.* Vbi quas Latinus interpres vertit tres personas, græcè vocat tres hypostases. Iustinus in expositione Fidei, pagina 2. *Non igitur ingeniti, geniti, & perfecti nomina, essentiam declarant, sed hypostases. Possunt enim nobis satis personas distinguere; & Patris, Filijque, ac Spiritus, propriè indicare hypostasim.* Et paulò post de iisdem nominibus ait, *Vim distinguendi hypostases habere.* Tertullianus libro aduersus Praxeam cap. 12. fatetur in Trinitate vnitatem substantiæ, pluralitatem personæ. Et ideo in fine fatetur, in Deo esse *alium, & alium personæ, non substantiæ nomine; ad distinctionem, non ad diuisionem.* Cum igitur Paulus, Dionysius, Iustinus, Tertullianus, sint multò antiquiores Hosio Cordubensi, malè nobis obiiciunt Transylnani apud Bellarminum lib. 2. de Christo cap. 4. post medium, Hosium, à Constantino Alexandriam missum ad sedandos Arij tumultus, nomina hypostasis & vsiæ excogitasse. Tunc enim illorum nominum differentiam non ipse primus inuenit, sed tantum disputando ac declarando apud omnes certam fecit, vt Catholici, medij inter Sabellij & Arij hæreses, non solum sententiis, verum etiam vocibus conuenirent, confitendo in diuinis tres hypostases contra Sabellium, vnã vsiam contra Arium. Præterea Patres Nicæni Concilij, quamuis toti fuerint in confutanda hæresi Ariana recens exorta, & propterea statuere intenderint Homousion, non Trisypostaton, hoc est, vnitatem essentiæ, non Trinitatem personarum; tamen interdum trium etiam hypostasum mentionem fecerunt: vt constat ex Nicæno Symbolo, quod tam grecè, quam latinè scriptum habetur apud Cyrillum lib. 1. Dialogorum de Trinitate columna 4. vbi in fine Symboli, vt distincta nomina, distinctas res significantia ponuntur hypostasis, & vsia; dum damnantur dicentes, Filium Dei creatum vel ex alia subsistentia, vel ex alia substantia. Neque enim, vt fatentur Theologi, Græcæ linguæ peritissimi, vertendum est, vt habetur in libro Cyrilli, *vel ex alia subsistentia, vel dicunt esse substantias*; sic enim redditur sensus valdè innaturalis, & obscurus, vt patet; sed vertendum est, vt habetur in Concilio Nicæno lib. 2. fine, *aut ex alia subsistentia, vel substantia.* & ita refert Basilius explicans sensum illorum verborum, vt referam infra n. 7. Præterea clarius eodem lib. 2. post medium §. *In libro Iob.* Patres Concilij per Protogenem, Episcopum Sardicensem, cuidam Philosopho ita respondent. *Vna est Diuinitas sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentijs perfectis, & æqualibus consideratur.* Et postea in §. *Cum sit copiosa.* cuius titulus est, *Responsio Sanctorum Patrum per Episcopum Leontium ad Philosophum*, ita habetur, *Vna Diuinitas vtriusque personæ iuxta hypostasum considerationem.* & §. *Si quidem*, iidem Sancti Patres confitentur non solum *vnam Diuinitatem*, sed etiam, *Sanctæ Trinitatis hypostases esse distinctas.* Eodem modo loquuntur alij omnes consequentes Patres, etiam illi qui aliter loquuti erant, vel dubitauerant, vel repugnauerant ita loqui, vt mox referã.

Dionysius. — Iustinus. — Tertullian. — Hosius. — Concilium Nycænum. — Cyrillus. — Basilius.

4. Vsus enim vocis, hypostasis, pro persona, cœpit communius introduci, & esse frequentior tempore & occasione Arianæ hæresis. Et sanè initio cum tanta, etiam fidelium contentione, ac dissensione, vt teste Nazianzeno oratione de laudibus Athanasij, paulò ante finem. *Eò res adducta sit, vt periculum esset, ne orbis terrarum fines, vnà cum syllabis, à se inuicem distraherentur, & abrumperentur:* nimirum clamantibus Græcis ne Latini dicerent tres personas; quia cum persona significet etiam qualitatem & conditionem, vt notat S. Thom. art. sequenti ad

Nazianzen. — S.Thomas.

ad 2. videbantur cum Sabellianis non tria supposita, sed tres tantum qualitates, aut dignitates muneris & officij in vno diuino supposito affirmare: contrà vero reclamantibus Latinis, & Græcis etiam inter se ipsos, ne dicerentur tres hypostases, quia cum teste Boëtio lib. de duabus naturis columna 3. fine, *idem sit hypostasim esse, quod substantiam*, videbantur tres substantias, siue vsias, & essentias cum Arianis concedere. De hac pugna Nazianzenus supra ita scribit, *Cum essentia vna, & tres hypostases à nobis piè dicerentur (quòd alterum Diuinitatis naturam, alterum trium personarum proprietates declarat) atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur; cæterum ob linguæ illius angustiam, & verborum inopiam, hypostasim ab essentia distinguere non possent, eoque factum esset, ne tres substantias admittere viderentur, personarum vocabulum inducerent.* & paucis interiectis, *Vtraque parte leniter, ac benignè accita, verborúmque sententia diligenter, & accuratè perpensa, posteaquam concordes reperit*, nempe Athanasius, *nec quantum ad doctrinam vllo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, vt nominum vsum concedens, rebus eos constringeret.* Hanc concordiam, quam ab Athanasio factam refert Nazianzenus, ipsemet à se etiam factam refert oratione habita ad 150. Episcopos, quos post medium de hac ipsa vnum dissensione acriter increpat, & tandem ita componit. *Quid igitur vobis hypostases volunt, aut vobis personæ? Nimirum tria esse, quæ diuidantur non naturis, sed proprietatibus. Optimè. An fieri potest, vt quidam magis inter se concordent; atque idem dicant, quam cum ita sentiunt, tametsi alioqui syllabis discrepent? Videte qualem vobis pacificatorem me præbeam, à litera ad mentem traducens.* Et oratione in sancta Epiphaniarum lumina non longè à medio, Tres in Deo ponit, *secundum proprietates, vel, si alicui ita libuerit appellare, secundum hypostases, seu personas, minimè enim de verbis pugnamus, dummodo syllabæ ad eumdem sensum perducant.*

Boëtius. — Nazianzen.

5. Hanc ob causam, antiquis illis Ecclesiæ temporibus, quando non erat ita notum, vel ita firmum, & ab omnibus fidelibus receptum, quòd nomen hypostasis limitaretur ad personam, & distingueretur ab vsia, sed promiscuè pro eodem vsurparentur, nonnullos Patres inuenies, qui vel vnam hypostasim admittunt, vel tres negant. Sicut nos nunc vnam substantiam admittimus, tres negamus. Ita Athanasius oratione in illud, *Ex Deo Deus*, initio ait, *Vna est essentia, & hypostasis; quæ dicit, Ego sum, qui sum, & non duplex.* Et Epistola ad Episcopos Africanos multò ante medium, *Hypostasis*, inquit, *essentia est, neque aliud significatum habet, nisi hoc ipsum, Quod est.* Liberius quoque Papa, quamuis in suis epistolis non semel Nicænum Concilium confirmauerit, in quo, vt dixi suprà num. 3. hypostasis ab vsia distinguitur, & sumitur pro persona; tamen in Fragmento cuiusdam epistolæ ad Athanasiũ, quæ Græcè scripta habetur in 1. tomo operum Athanasij, pro eodem vsurpat vsiam, & hypostasim, dicens, Trinitatem veram esse, καὶ μιᾷ οὐσίᾳ, καὶ μιᾷ ὑποστάσει. Vbi vsia & hypostasis idem prorsus significant. *Non enim dispertitur Filius, aut Spiritus sanctus à patria hypostasi, quæ implet cœlum & terram. Est igitur, vt dixi, Trinitas in vna hypostasi non diuisa, sed per essentiam vna.* Bis in Latino codice vertitur substantia, sed in Græco bis habetur hypostasis. Patres etiam Concilij Sardicensis, cui Magnus Athanasius interfuit, in epistola ad omnes Episcopos, multò post medium prout eam refert Theodoretus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ita definiunt, *Nos hanc accepimus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus catholicam traditionem, fidem, confessionem, videlicet, quòd vna sit hypostasis (quam vocem hæretici vsurpant pro substantia) Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Item Marius Victorinus lib. de Homousio recipiendo, paulò post principium in 4. tomo Bibliothecæ veterum Patrum, loquens de vno eodemque esse Patris, Filij, & Spiritus sancti, *Hoc*, inquit, *esse Græci vsiam, vel hypostasim dicunt; nos vno nomine Latinè substantiam dicimus. Et vsiam, Græci pauci, & raro; hypostasim, omnes. Distat quidem, verum nunc omittamus. Scriptura diuina Græcè hypostasim sæpe dixit, Latinè substantiam.* De B. Paulino Acacius Beroeæ Episcopus epistola ad Cyrillum Alexandrinum, paulò ante medium, quæ habetur tomo 1. Concilij Ephesini cap. 23. ita refert, *Hic etsi tres hypostases palam dicere recusaret, re tamen, & virtute, ab illorum sententia, & fide, qui istuc profitebantur, non recedebat. Sectabatur hic autem piissimos Orientis Episcopos; propterea quòd Romanæ linguæ angustia, perinde ac Græca phrasis, tres hypostases dicere commodè non ferat.* Hinc Hieronymus epistola 57. ad Damasum, fraudulenter ab Arianis requisitus vt concederet tres hypostases, eas vehementissimè suspectas habet, quia, inquit post medium epistolæ, *Tota sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasim, nisi vsiam nouit.* Quapropter inferius addit, *sufficiat nobis dicere, vnam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur.* Hieronymi verò formido ortum habet ex Arianorum insidiis potius, quam ex nominum insufficientia. Et ideo antea dixerat, *Discernite, si placet, obsecro;* nempe inter hypostasim & vsiam; *non timebo, tres hypostases dicere.* & nonnullis interiectis, *si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet: transfigurauit se angelus Sathanæ in Angelum lucis.* Et tandem in fine epistolæ obtestatur Damasum, *vt*, inquit, *mihi epistolis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur authoritas.* Item Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. fine, cum docuisset, vnam esse in Trinitate essentiam, subdit, *Essentiam dico, quæ vsia Græcè dicitur, quam vsitatius substantiam vocamus. Dicunt quidem, & illi hypostasim. Sed nescio quid volunt interesse inter vsiam & hypostasim: ita vt plerique nostri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueuerint, vnam vsiam, tres hypostases; quod est Latinè, vnam essentiam, tres substantias.* Et lib. 7. cap. 4. initio, *Dictum est à nostris Græcis, vna essentia, tres substantiæ. A Latinis autem, vna essentia, vel substantia, tres personæ: quia, sicut iam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, Latino, essentia, quam substantia solet intelligi.* & post medium, *Licuit, loquendi, & disputandi necessitate, tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit.*

Hypostasim pro essentia sumunt, Athanasius, — *Exod. 3.* — *Liberius Papa.* — *Concilium Sardicense,* — *Marius Victorinus,* — *Paulinus,* — *Hieronymus,* — *Augustinus.*

6. Verùm post ea tempora, & plurimorum scriptis, & omnium loquentium vsu est adeò receptum apud omnes tam Græcos, quam Latinos Patres, & Theologos vniuersos, nomine hypostasis significari personam, & non illam substantiã, quæ significatur nomine vsiæ, vt sine dubio erraret saltem in vocibus, qui nunc dicere vellet, In Deo esse vnam tantum hypostasim, vel non esse tres hypostases: quæ est secunda pars huius primæ conclusionis, eamque probo primo ex ipsomet Athanasio, qui in symbolo, vbi Latinè habetur persona, cum dicimus, *non confundentes personas. Alia est persona Patris. Totæ tres personæ*, &c. ipse Græcè habet hypostasim. Et Dialogo 1. de sancta Trinitate columna 2. interrogatus ab Anomoco, *An vnam dicis Deitatem, & tres hypostases?* respondet, *Aliud est hypostasis, & aliud Deitas.* Et in fine columnæ 3. *Deus hypostasi gignit, & mandato condit.* Quæ sæpe inferius repetit: præsertim columna 10. ait, *Essentia communis est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt; neque numeri multiplicationem* admittit,

Iam non posse negari tres hypostases. — Athanasius.

admittit, cum sit vnica & singularis. Hypostasis autem numerum admittit, & proprietatem habet minimè communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. Et columna 11. *Dicimus vnam essentiam, tres hypostases, quæ verè sunt, & subsistunt.* & columna 13. *Hypostasis Patris est Deitas. Filij hypostasis etiam Deitas. At non consequitur, quia sunt duæ hypostases, duas esse Deitates.* Et tractatu de Definitionibus, columna 3. fine ait, *In confessione Diuinitatis sacræ Trinitatis, vnam confitemur naturam, hypostases verò tres. Patris enim & Filij, & Spiritus sancti, vna tantum est natura, & essentia: tres autem sunt hypostases, & tres personæ.* Secundò, ex Concilio Ephesino tomo 5. cap. 1. Anathematismo 2. *Si quis Dei Patris Verbum, carni, secundum hypostasim vnitum, inficiatus fuerit, anathema sit.* Cum definiatur incarnata persona Filij, non Patris, sumi non potest hypostasis pro natura, quæ Patri & Filio communis est, sed pro persona, secundum quam Filius à Patre distinguitur. Tertiò ex quinta Synodo generali, quæ est secunda Constantinopolitana, in confessione, seu collatione octaua, Canone 1. *Si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis, siue personis adorandam, anathema sit.* Pro eodem sumit personas, & subsistentias, Græcè hypostases; sicut etiam Canone 5. Item in sexta Synodo, quæ est tertia Constantinopolitana, in quarta Actione, Agatho Papa in epistola sua secunda, columna 3. iubet credere, *Trinitatem personarum, siue subsistentiarum, vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum vnam substantiam: quorum vna essentia, siue substantia, vel natura, id est, vna Deitas,* &c Et Actione 11. Sophronius Patriarcha in Professione Fidei paulò post principium ait, *Trinitatem in vnitate credimus. Trinitatem quidem pro tribus subsistentiis*, siue, vt paulò post loquitur, *personalibus subsistentiis: vnitatem autem propter singularitatem Deitatis.* & deinceps sæpissimè tres subsistentias repetit, & subsistentiam siue hypostasim manifestè confundit cum persona. Et ideo in Actione 17. in Definitione Fidei, confitetur Concilium, *Christum in duabus naturis, & in vnam personam, & in vnam subsistentiam concurrentem, non in duas personas diuisum.* Quartò ex septima Synodo generali, quæ est Concilium secundum Nicænum, Actione 3. vbi Tharasius sanctissimus Patriarcha credit *vnam Deitatem in tribus subsistentiis*, quas Græcè vocat hypostases. Similiter in *exemplari Synodicarum literarum Theodori sanctissimi Patriarchæ Hierosolymorum*, ita initio definitur, *Credimus Trinitatem in tribus subsistentiis*, quas paulò post vocat, *personales alteritates*; additque, *Diuinitas vna absolutè prædicatur, & in personarum Trinitate cognoscitur.* Eadem Trinitas modo appellatur subsistentiarum, modo personarum. Ergo pro eodem accipit personam, & subsistentiam; quam paulò post Latinus etiam interpres vocat hypostasim, dicens, *Sabellianorum est impietas, cum vnus Deus tres hypostases prædicatur, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dicitur, contractus & coniunctus, & in vnam se hypostasim contrahens.*

Probo quintò & vltimo ex vrgentioribus multorum Patrum dictis. Nyssenus libro de sancta Trinitate, aliquanto post principium concedit quod Sabellius omnibus fidelibus obiicit, *Cum tres hypostases, siue personas confiteamur, vnam Deitatem à nobis dici.* & paulò post, iterum concedit, *Quod diuidamus hypostases, id est*, inquit, *personas, siue proprietates.* & ideo libro de Differentia essentiæ & hypostasis, ex instituto ostendit, ita esse in diuinis plures hypostases & subsistentias, sicut sunt plures personæ. & tandem in fine libri fatetur, *separationem hypostaseon, id est*, inquit, *naturarum subsistentium. siue substantiarum individuarum, & personarum discretionem.* & eadem docet Basilius epistola 43. *Qui* etiam epistola 78. non longè ab initio, *Nonnulli*, inquit, *ex illis, qui impietatem Sabellij sectantur, hypostasim, & vsiam idem esse arbitrati, illinc argumenta ad tuendam blasphemiam suam trahunt, quod in Nicæna Fide itascriptum est, si verò quisquam ex alia essentia, vel subsistentia Filium esse dixerit, hunc anathemate reiicit Catholica & Apostolica Ecclesia.* Quod argumentum ita optimè soluit Basilius, defendens esse accipiendum à fidelibus nomen hypostasis, seu subsistentiæ pro persona; & nomen vsiæ pro essentia, seu natura, *Non enim*, inquit, *idem esse dixerunt Patres illi essentiam, & subsistentiam: si enim voces istæ vnam ac eamdem significationem haberent, quid alterutram ponere opus fuisset? Sed liquet, ideo positas, quòd alij quidem Filium esse ex Patris essentia negabant: alij verò & ipsi, non esse ex Patris essentia Filium dicebant; adiiciebant autem ex alia quoque esse subsistentia quadam, atque ita vtramque opinionem, tamquam alienam à sensu Ecclesiastico, a sanctis Patribus reiectam esse.* Theodoretus Dialogo 1. *Immutabilis*, columna 2. ait, *Hypostasim, personam, & proprietatem, idem significare dicimus; ea, quæ à sanctis Patribus sunt definita, sequentes.* Riccardus Victorinus lib. 5. de Trinitate cap. 20. fine, *Apud Latinos puto nullum nomen inueniri posse, quod possit melius aptari pluralitati diuinæ, quam nomen personæ. Et quidem fideli animo nihil magis authenticum esse debet, quam quod in ore omnium sonat, & catholica authoritas confirmat.* Et vt breuitatis causa alios omittam, satis sit grauissimum Iustiniani Imperatoris testimonium, qui, vt habetur tomo 2. Conciliorum ante quintam Synodum, in edicto Fidei, multò ante medium ita habet, *Omnes sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, siue substantiam, & formam; & aliud subsistentiam, siue personam: & naturam quidem, vel substantiam & formam, hoc quod est commune, significare: subsistentiam autem, siue personam, hoc quod est speciale.* Subsistentiam Iustinianus Græcè vocat hypostasim. Et ideo meritò Boëtius libro de duabus naturis, post traditam definitionem personæ, dixit, *Nos hac definitione eam, quam Græci hypostasim dicunt, terminauimus.*

Basilius.

Theodoret.

Riccardus Victorinus.

Iustinianus Imperator.

Boëtius.

Concilium Ephesinum.

Quinta Synodus generalis.

Sexta Synodus.

Sophronius.

Septima Synodus. Tharasius.

7. Nyssenus.

Concilium Alexandrin.

De subsistentia & essentia.

8. *Secunda conclusio. Persona hypostasis idem sunt quod subsistentia.*

Secunda conclusio. Persona & hypostasis idem omnino significant, quod subsistentia. Patet ex multis authoritatibus superius adductis, quibus quod Græcè dicitur hypostasis, Latinè redditur subsistentia: & cum hactenus ostensum sit, Personam esse idem quod hypostasim, sequitur, Personam esse idem quod subsistentiam. Vnde nullo tempore licuit, In diuinis negare tres subsistentias. Nam, vt testatur Boëtius supra, *Nos eam, quam illi*, nempe Græci, *hypostasin dicunt, personam vocamus. Sed peritior Græcia sermonum, hypostasim vocat, individuam subsistentiam.* Et iterum paulò post, *Iure substantias particulariter subsistentes hypostases appellauerunt. Neque enim pensius, subtiliusque intuenti, idem videbitur esse subsistentia, quod substantia.* Quæ nominum differentia multò ante notata fuit in Concilio Alexandrino, cui præfuisse dicitur Magnus Athanasius: ibi enim vt refert Ruffinus Presbyter Aquileiensis lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebij cap. 29. circa medium, *De differentia substantiarum, & subsistentiarum, sermo per scripturam motus est, Græci vsias, & hypostases vocant. Quidam enim dicebant, substantiam & subsistentiam vnum videri; & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debebamus. Alij verò, quibus longè aliud substantia, quam subsistentia significare videbatur, dicebant, Quia substantia ipsa, rei alicuius naturam, rationémque, qua constat, designet: subsistentia autem vniuscuiusque personæ hoc ipsum quod extat, & subsistit, ostendat.*

Boëtius.

Secunda conclusio. Persona hypostasis idem sunt quod subsistentia.

Boëtius.

Cur non dicamus tres substantias in Deo.

Concilium Alexandrin.

dat. Ideoque propter Sabellij hæresim, tres esse subsistentias confitendas, quod quasi tres subsistentes personas significare videretur; ne suspicionem daremus, tamquam illius fidei sectatorse, quæ Trinitatem in nominibus tantum, & non in rebus, ac subsistentiis confitetur.

9. *Tertia conclusio. Personæ, hypostasis, subsistentia, differunt ab essentia.*

Tertia conclusio. Certum apud omnes est, & semper fuit, nomina personæ, hypostasis, & subsistentiæ differre à nomine essentiæ, quam Græci vsiam vocant. Nam teste Boëtio libro de duabus naturis, columna 3. fine, *Idem est vsiam esse, quod essentiam.* Quapropter nullo vnquam tempore aliquis fidelis tres vsias, siue essentias, atque naturas admisit in tribus diuinis personis. Neque enim Hosius, de quo supra num. 3. neque Basilius epistola 43. neque eius frater Gregorius Nyssenus integro libello de Differentia hypostaseos & vsiæ, siue essentiæ, de diuersa horum nominum significatione disputarunt, quòd incerta esset significatio vsiæ, sed quoniam minus certa erat hypostaseos significatio. Ex his verò vocibus, vsia & hypostasis, quarum vtraque apud Græcos substantiam significat, vsia applicata est diuinæ naturæ, non personis; contrà vero hypostasis applicata est diuinis personis non naturæ: quia vt notat S.Thomas hîc initio corporis, *Græci vsiam vocant illam substantiam, quæ dicitur quidditas rei, quam significat diffinitio secundum quod dicimus, quòd diffinitio significat substantiam rei: quod nos essentiam dicere possumus.* In quo sensu, sicut certum est, vnum numero Deitatis quidditatem, seu naturam esse in tribus personis, ita vnam vsiam & essentiam. At vero, vt docet Boëtius suprà; *Hypostases Græci illas substantias vocant, quæ cæteris subsunt, & quibusdam quasi accidentibus suppositæ, subiectaque sunt. Atque iccirco nos quoque eas substantias nuncupamus quasi suppositas, quas hypostases.* Nam, vt paulò ante dixerat, *Quod Græci hypostasim, nos substantiam, vel substare interpretamur.* In quo sensu, quia persona est suppositum, & vltimum complementum in genere substantiæ rationalis, commodè potuit apud Græcos nomen hypostasis ad personas inter se distinctas, & vltimatè constitutas limitari, & non extendi ad naturam communem, aliisque identificatam. Apud Latinos autem hoc fieri non potuit de nomine substantiæ, quod ex vi vocis dicitur à Boëtio, & aliis suprà, correspondere propriè nomini Græco hypostasis, *nomen enim substantiæ*, inquit S.Thomas hîc ad 2. *Secundum proprietatem significationis respondet hypostasi*, quod repetit articulo sequenti ad 3. fine. Nimirum *per inopiam significantium vocum*, vt ait Boëtius suprà, & *ob linguæ nostræ angustiam*, vt ait Nazianzenus suprà num. 4. & Acacius suprà num. 5. quia scilicet nos non habemus duas substantiæ voces, sicut Græci, alteram deriuatam ab esse per se, seu subsistere, quæ posset applicari naturæ; alteram detiuatam à substare, quæ posset applicari personis, & non naturæ; sed vnica tantum apud nos est vox, *substantia*, quæ, vt dicitur hic ad 2. *quandoque significat essentiam, quandoque hypostasim*, &, vt additur articulo sequenti ad 3. *communiter accipitur apud nos pro essentia*: & ideo Latini, vt docet S.Thomas hic ad 2. *ne posset esse erroris occasio*, scilicet ne videamur cum Arianis ponere in diuinis plures essentias, *maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam, quàm substantiam*: & confiteri tres subsistentias, vnam substantiam: *Et quia, rogo*, inquit Hieronymus epistola 57. ad Damasum, paulò post medium, *ore sacrilego tres substantias prædicabit?* Enim verò, vt ait Augustinus lib. 5. de Trinitate c. 9. initio, *quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur cum dicimus essentiam quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere, vnam essentiam tres substantias; sed vnam essentiam, vel substantiam; tres autem personas; quemadmodum multi Latini ista tractantes, & digni authoritate dixerunt.* Et idem ferè repetit lib. 7. cap. 4. initio.

S.Thomas.

Boëtius.

Hieronym.

Augustinus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm nomen Personæ sit ponendum in diuinis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd nomen Personæ non sit ponendum, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Prima conclusio negatiua quantum ad id, à quo impositum est nomen, num. 1.*
2 *Secunda conclusio affirmatiua quoad rem significatam, num. 2.*
3 *Tertia conclusio negatiua quoad modum significandi, num. 3. & 4.*

1. *Prima conclusio quoad etymologiam.* S.Thomas, Boëtius.

PRIMA conclusio. Nomen personæ non conuenit Deo quantum ad id, à quo impositum est nomen. Ita hic ad 2. Quod S.Thomas optimè probat ex huius vocis etymologia, quam tradit Boëtius lib. de duabus naturis, circa principium columnæ 3. dicens, *Nomen persona traductum ex his, qui in Comœdiis, Tragœdisque, eos, quorum interest, homines repræsentabant, Persona vero dicta est à personando, & à sono, quia concauitate ipsa*, nimirum illius confictæ faciei, seu laruæ, qua prædicti Comœdi, seu Tragœdi vultum obtegunt, vt alios repræsentent, *Maior necesse est voluatur sonus*: ad cuius magnitudinem exprimendam, producimus mediam personæ syllabam, quæ alioqui breuis esse deberet, quia sonus, à quo deriuatur, primam syllabam breuem habet. Hinc factum est primo vt ipsamet larua diceretur persona, vnde personati dicuntur, qui huiusmodi personis tecti sunt. Factum est secundo, vt persona diceretur etiam ipsamet externa hominis, etiam non personati, facies, siue alterius rei corporeæ apparentia. In quo sensu Patres Nicæni Concilij lib. 2. §. *Cum sit copiosa*, per Leontium Episcopum ita respondent, *Cum personam audimus*, quod nomen immediatè ante Deo tribuerant, *ne suspicemur, quod est diuinum, habere humanam effigiem.* Quam significationem statim probant ex illo Matth. 16. *Faciem cæli diiudicare nostis.* Græcè enim legitur prosopon, & teste Boëtio in fine columnæ citatæ, *Idem est prosopon esse, quod personam.* Et antea dixerat, *Græci quoque has personas prosopa vocant ab eo, quòd personantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum.* Probare etiam possumus, quia quod Marci 12. dicitur, *Nec enim vides in faciem hominum*, Matth. 22. dicitur, *Non enim respicis personam hominum.* Factum est tertiò, vt illustriores quidam homines, seu notiores, *quorum*, inquit Boëtius suprà, *certa, pro sui forma esset agnitio*, vocarentur personæ, vt persona Papæ, Regis, &c. *Quia enim*, inquit S.Thomas ad 2. *in Comœdiis, & Tragœdiis repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen, Persona, ad significandum aliquos dignitatem habentes. Vnde consueuerunt dici Personæ in Ecclesiis, quæ habent aliquam dignitatem. Propter quod quidam diffiniunt personam, dicentes, Quòd persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinente.* Factum est quartò, vt vniuersalius quælibet hominum qualitas, seu conditio, seu status, diceretur persona: in quo sensu, interrogantibus de aliquo, quæ nam persona sit? respondere solemus, magnam, paruam, doctam, pauperem, coniugatam, &c. Et

Concilium Nicænum.

Exponitur locus Matth. 16. Boëtius.

S.Thomas.

Quid sit in Scriptura, acceptio, & acceptio personarum.

Et sumere videtur Scriptura, cum docet, Deum non esse acceptatorem personarum, vt Actorum 10. ad Romanos 2. ad Ephesios 6. Deuteronomij 10. & cum personarum acceptionem nobis prohibet, vt Iacobi 2. Deuteron. 1. Certum est autem secundùm omnes istas etymologias, & acceptiones, quę inuoluunt aliquam corporeitatem, & imperfectionem, nomen personæ non posse de Deo dici. Quemadmodum etiam, vt dicitur hîc ad 3. *nomen hypostasis non competit Deo, quantum ad id, à quo impositum est nomen; cum non subsłet accidentibus:* nam ex Boëtio suprà, *Hypostases Græci vocant, quæ subsunt accidentibus.*

2. *Secunda conclusio affirmatiua quoad rem significatam.* Albertus.

Secunda conclusio. Nomen personæ, quantum ad id, ad quod significandum imponitur, maximè Deo conuenit. Ita S. Thomas hîc ad 2. Quod expressit Magnus Albertus 1. d. 25. art. 1. corp. illis verbis, *Si inspiciatur proprietas rei, quæ est persona, persona magis propriè est in diuinis, quam in creaturis.* Prima ratio S. Thomæ in corpore hæc est, *Persona significat id, quod est perfectissimum in tota naturæ, scilicet subsistens in rationali natura.* Ergo maximè tribuendum Deo perfectissimo. In antecedente, persona neque sumitur pro personalitate, vt cum Caietano hîc rectè omnes negant, quia perfectior est ipsa natura rationalis, quam naturæ rationalis personalitas, neque sumitur pro natura rationali simul cum personalitate, vt aliqui volunt, quia prædicto antecedente non intendit S. Thomas probare de Deo naturam simul & personalitatem, sed solam personalitatem supposita natura. Sumitur igitur pro natura rationali habente omnem substantialem perfectionem, siue omne substantiale complementum, quod in tota illa natura esse potest. Sed personalitas, siue esse formaliter personam, quod, vt in eodem antecedente declaratur, & ex eodem S. Thoma probaui suprà art. 2. n. 7. fine, non est aliud, nisi incommunicabiliter, & vltimatò subsistere in substantiali, ac rationali natura. Ergo hoc personaliter subsistere, non potest deesse Deo: alioquin ille non esset in tota sua natura quid perfectissimum, hoc est, habens omnes perfectiones pertinentes ad esse substantiale illius. Atque hæc est mens Caietani hic, §. *Ad horum*, si benè perpendatur. Secunda ratio sumi potest ex solutionibus argumentorum, præcipuè quarti: quoniam personæ definitio suprà art. 1. Deo maximè conuenit, qui est substantia omnium nobilissima, & essentialiter vnica, vt suprà quæst. 11. art. 3. & 4. ac proinde maximè singularis & indiuidua. Illi quoque maximè, & infinitè supra omnes intelligentes creaturas, competit ratio & intellectus ex quæst. 14. Demum competit perfectissima ratio subsistendi incommunicabiliter, in qua pariter infinitè superat omnes subsistentes, quoniam nó solum ex propria natura infinitè subsistit, sed subsistentia essentialiter identificata cum natura, ac proinde subsistentia omnino inseparabili à natura: vnde prouenit, vt eius natura non possit, separata propria personalitate, communicari alteri supposito. à quo sustentetur ac dependeat in subsistendo; vt de facto natura humana Christi communicata est supposito Verbi diuini: imò nec hanc dependentiam habere possit retenta propria personalitate, etiam in sententia probabili putantium, naturam creatam posse assumi etiam cum propria personalitate concomitanter, non formaliter; quia in persona diuina habente personalitatem simpliciter infinitam in genere personalitatis, proportionatam scilicet diuinæ naturæ simpliciter infinitæ in genere naturæ, continentur eminenter omnes creatæ, & creabiles personalitates; quæ deriuantur à personalitate diuina, cuius sunt essentiales participationes: ergo nulla alia indigere, à nulla alia pendere ac terminari potest: ergo est maximè incommunicabilis. Ergo res significata per hoc nomen, Persona, Deo maximè conuenit, hoc est, prius, verius, proprius, atque perfectius.

Alia ratio S. Thomæ.

Exponitur ratio S. Thomæ. Caietanus.

Personam diuinam esse omnino incōmunicabilē.

3. *Tertia conclusio negatiua quoad modum significandi.* S. Thomas.

Tertia conclusio. Nomen Personæ, quantum ad modum significandi, non competit Deo, sed creaturis. Hoc in particulari notauit S. Thomas hic in fine corporis. Cum enim probasset, Personæ nomen de Deo dici, ita limitauit, *Non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis sed excellentiori modo*; & in vniuersali probatum est suprà, quæst. 13. art. 6. & nos fusè ibidem art. 1. dub. 4. Et ratio breuiter in præsenti materia est, quia cum nomen personæ prius à nobis impositum sit creaturis finitis, & compositis; ex nostro modo concipiendi ac significandi habuit, vt non modo infinito ac simplici, quo modo persona conuenit Deo, sed contrario modo finito & composito significaretur; ita vt persona ex modo significandi & concipiendi, idem sit quod habens personalitatem finitam; quo modo conuenit solis creaturis. Quoniam verò imperfectio huius modi non se tenet ex parte rei significatæ, sed ex parte concipientis, & ipsiusmet vocis significantis, potuit nomen personæ quoad rem significatam Deo propriè tribui.

4. *Exponitur locus Augustini.*

Ad prædictum modum significandi, non ad rem significatam, vt malè interpretantur Transyluani hæretici apud Bellarminum lib. 2. de Christo c. 2. respexit Augustinus cum dixit lib. 5. de Trinitate, cap. 9. fine, *Cum quæritur, Quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen, Tres personæ, non vt illud diceretur, sed ne taceretur.* quia scilicet, vt ex instituto ostendi tomo 1. quæst. 13. art. 1. dub. 1. nullum nomen à viatoribus impositum, quantumuis propriè significet res diuinas, potest eas perfectè significare secundum id, quod in se ipsæ sunt. Quem sensum ipsemet August. deinde exposuit lib. 7. c. 4. paulò post principium, dicens, *Cum quæritur, Quid tria? vel, Quid tres? conferimus nos ad inueniendū aliquod speciale, vel generale nomen, quo complectamur hæc tria, neque occurrit animo, quia excedit supereminentia diuinitatis vsitati eloquij facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur; & verius est, quam cogitatur.* Imo aliquantò post medium capitis, tam de Græcis dicentibus tres hypostases, seu substantias, & vnam vsiam siue essentiam, quam de Latinis dicentibus tres personas, & vnam essentiam, vel substantiam, *Fateamur*, inquit, *loquendi necessitate, partita hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione aduersum insidias, vel errores hæreticorum.* Similia fusius scribit Riccardus Victorinus lib. 4. de Trinitate c. 5. de Latino personæ nomine, dicens, *Qui hoc nomen personæ primò ad diuina transtulerunt, hoc ipsum ex necessitate fecerunt, vt haberent quid responderent quærentibus, Quid tres illi in Trinitate essent, cum tres Deos esse respondere non possent. Sed quod ab eis ex necessitate factum fuit, nouit Spiritus sanctus, qui eorum cordibus præsidebat, qua ratione & veritate id fieri voluit. Si verò hoc fideliter credimus, cum omni diligentia quæramus, non iam sub qua acceptione primò humanis sit impositum, nec ex qua necessitate sit postea ad diuina translatum; sed in qua veritate per Spiritum veritatis sit translatoribus inspiratum, & à Latina Ecclesia vniuersaliter frequentatum.* Nefas igitur est de Deo negare nomen personæ, quod, teste Riccardo, Ecclesia Catholica ex inspiratione Spiritus sancti admittit in Deo, vt ex multis Conciliis, & Patribus ostendit Molina hîc disp. 1. §. *Quod attinet.* Enim verò, vt docet S. Thomas de Potentia quæst. 9. art. 4. aliquantò post principium corporis, *Non absque ratione, ex propria significatione nominis sumpta, sancti Patres diuinitus inspirati, hoc nomen*, nempe persona, *inuenerunt ad confessionem veræ fidei exprimendam.*

Riccardus Victorinus.

Molina.

S. Thomas.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc nomen, Persona, *significet relationem.*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd nomen, *Personæ*, non significet, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Vnde oriatur quæstionis difficultas, num. 1.*
2 *Prima conclusio negatiua de persona communi Deo, & creaturis, num. 2. & 3.*
3 *Nomine*, Personæ, *significari personalitatem, & naturam, num. 4*
4 *Personam diuinam significare in recto relationem per modum substantiæ, non per modum relationis, n. 5. ad finem articuli.*

1. S. Thomas.

VAMPLVRIMI, ac diuersi, saltem verborum diuersitate, præsertim apud antiquos, sunt dicendi modi de significatione huius nominis, Persona, quos refert hîc S. Thomas, & fusius 1. d. 23. quæst. 1. art. 3. & de Potentia q. 9. art. 4. Omnis autem controuersia, ac difficultas orta videtur ex duobus, vt sapienter adnotatur hîc initio corporis. Primò, *Quòd persona in diuinis pluraliter de tribus prædicatur, præter naturam essentialium nominum*, quæ sunt absoluta. Secundò, quòd nomen personæ *non ad aliquid dicitur, sicut nomina quæ relationem significant*; ac proinde est nomen absolutum, & commune tribus personis, sicut nomen Deus, sapiens, & similia. Quæ duo in speciem pugnare videntur. Quod enim in diuinis est pluraliter dictum ac multiplicatum, ergo non est absolutum, sed relatiuum. Quod vero est commune, ergo non est relatiuum, sed absolutum. Sed quoniam lis est de nomine, non de re, eam breuiter componam nonnullis conclusionibus, distinctè & clarè propositis.

Difficultas quæsiti orta ex duplici capite.

2. *Prima conclusio negatiua de persona cōmuni Deo, & creaturis.*

Prima conclusio. Nomen personæ simpliciter, prout commune est Deo & creaturis, nimirum communitate, non vniuoca, sed analogica, *cum nihil vniuocè de Deo dici possit, & de creaturis*, vt docet S. Thomas in fine huius articuli, & probatum est in 1. tomo quæst. 3. art. 5. dub. 1. & 2. quamuis sit absolutum quoad vocem, tamen quoad significationem, neque importat aliquid absolutum, neque relatiuum. Hoc indicat S. Thomas circa medium corporis illis verbis, *Aliud est quærere de significatione huius nominis, Persona in communi; & aliud de significatione personæ diuinæ. Persona in communi significat substantiam indiuiduam rationalis naturæ.* Et post nonnulla, *Persona diuina significat relationem.* Si persona, ex eo quòd sit talis, nempe diuina, habet significare relationem, ergo id non habet persona, vt simpliciter persona. Præterea si persona vt diuina, non significat absolutum, sed relatiuum; ergo persona, vt persona non potest significare absolutum; quia nullum nomen commune, applicatum particulari amittit significationem, quam ex se habet. Probo igitur primam partem conclusionis, nempe ipsam vocem personæ esse absolutam, quia audito nomine personæ simpliciter, non intelligimus aliquid aliud distinctum à persona, sicut audito nomine Patris intelligimus Filium, & audito nomine Filij intelligimus Patrem. Ergo non est nomen relatiuum. Ergo est absolutum: quia non potest esse aliquod singulare nomen, quod neque sit absolutum, neque relatiuum; sicut in rebus ipsis nulla particularis, ac determinata res cogitari potest, quæ neque sit absoluta, neque relatiua. Iuxta hunc discursum S. Thomas de Potentia quæst. 9. art. 4. initio corporis loquens de nomine personæ, ait, *Hoc habet commune cum nominibus absolutis, quòd de qualibet persona prædicatur, nec secundum nomen ad aliud refertur.* Et in hoc art. ad 1. Augustinum dicentem lib. 7. de Trinitate c. 6. paulò post principium, *Neque in hac Trinitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris. Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum sanctum; sicut ad se dicitur Deus, & magnus, & bonus, & iustus, & si quid aliud huiusmodi*: ita exponit, *Persona dicitur ad se, non ad alterum, quia significat relationem, non per modum relationis sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis*: quia scilicet, vt magis explicat 1. d. 23. quæst. vnica, art. 3. ad 1. *Augustinus attendit significationem personæ, quantum ad modum significandi, & non quantum ad id, quod significatur: & ideo quamuis significetur relatio, quia tamen significatur per modum substantiæ, ideo dixit, quòd significat substantiam.* In quo loquendi modo non spectari à SS. Augustino, & Thoma rem significatam, sed modum significandi vocis, patet ex causali, quam idem Thomas facit paulò post ad 3. dicens, *Persona quia significat relationem, non per modum relationis, ideo non refertur secundum nomen ad aliud.* Significari igitur per modum substantiæ, & non per modum relationis, est significare quidem relationem, tamen non voce relatiua, sicut dicitur v. g. Pater, sed voce absoluta, quo modo significatur substantia, sicut dicitur v. g. Deus. Quatuor enim modos significandi in diuinis distinguit citato articulo 3. fine. Primò significandi *absolutum per modum absoluti, vt Deus.* Secundò, *relationem per modum relationis, vt Pater.* Tertiò *absolutum per modum relationis, vt potentia generandi.* Quartò, *relatiuum per modum absoluti, vt persona.*

S. Thomas.

Augustinus.

Persona vocē esse absolutē.

3. *Persona in cōmuni neque significat absolutum, neque relatiuum.*

Probo secundam partem conclusionis, quòd scilicet res significata, neque sit absoluta, neque relatiua; quoniam persona significat quid commune personæ creatæ, quæ est absoluta, & personæ diuinæ, quæ est relatiua. Ergo neque potest significare quid absolutum, neque quid relatiuum; quia tunc absolutum significatum non posset conuenire relatiuo, neque significatum relatiuum conuenire posset absoluto. Quod intelligendum est de significatione explicita: alioqui cum persona analogicè conueniat Deo, & creaturis, &, vt suppono ex probatis in Logica, analogum non perfectè præscindat à suis inferioribus analogatis, persona significabit implicitè vtrumque analogatum, & absolutum creatum, & relatiuum diuinum; sicut ens implicitè in se continet, ac significat substantiam & accidens, absolutum & relatiuum; licet nomen entis quoad vocem sit quid absolutum, sicut dictum est de nomine personæ. De hac implicita significatione intelligo S. Thomam de Potentia quæst. 9. art. 4. initio dicentem, *Videtur quod vtraque significatio, & relatiui, & absoluti, pertineat ad personam.* Deinde multis explicat ac docet, hanc significationem præscindentem, qua iuxta definitionem suprà art. 1. nomine personæ, communis Deo, & creaturis, significatur substantia indiuidua naturæ rationalis, esse *formalem*: significationē verò talis personæ, vel diuinę, vel humanæ, esse *materialē*. Vbi nullum latet mysteriū, nisi in modo loquendi. Terminos enim ipse ita explicat. *Sciendum quòd aliquid significatur dupliciter; vno modo formaliter, alio modo materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen, id ad quod significandum est principaliter impositum, quod est propria ratio nominis. Materialiter verò* significatur

S. Thomas.

S. Thomas.

significatur per nomen, illud in quo talis ratio saluatur. Vnde colligit, quod nomen personæ communiter sumptum, significet formaliter aliquid subsistens in natura aliqua rationali, siue diuina, siue creata; quia hæc est propria ratio nominis absolutè prolati; materialiter verò significet subsistentiam absoluram in creatura, & subsistentiam relatiuam in Deo, quia in his particularibus saluatur, & ineſt propria illa ratio nominis absolutè prolati.

4. *Secunda conclusio nomine personæ significari personalitatem, & naturam.*

Secunda conclusio. Nomen personæ in communi, significat duo distincta, saltem ratione ratiocinata, nempe personalitatem, & naturam rationalem. Quod manifestum est ex ipsa definitione supra dub.1. in qua vtrumque ponitur; & ex communi omnium conceptione, qua nomine personalitatis intelligimus aliquid abstractum à natura, & nomine personæ intelligimus aliquid aliud, concretum, & quasi compositum ex natura & personalitate. Quod nam autem ex his duobus sit, quod formaliter, & magis principaliter significetur nomine personæ, dico breuiter, esse personalitatem, non naturam: quod facilè intelligi potest ex iis, quibus tomo 1. quæst. 11. art. 1. dub. 3. probaui, Vnum significare formaliter, & primariò vnitatem, materialiter & secundariò ens. Eadem enim omnino ratio est de persona, quæ audientibus, multò magis explicitè imprimit conceptum personalitatis, vt formaliter afficientis, & præsupponentis naturam quasi subiectum. Vnde ea, quæ propriè tribuuntur personæ, vt perfectè subsistere, esse vltimum complementum substantiale, esse terminum, esse incommunicabile alteri, à quo substantialiter proficiatur, addere aliquid supra naturam, esse completum principium operandi, & similia, non tribuatur personæ propter naturam, sed propter personalitatem: adeò vt sicut Philosophus, similibus rationibus motus, in Prædicamentis capite de substantia post medium dixit, *nihil aliud significat album quam qualitatem*; ita nos dicere possimus, nihil aliud significat persona, nisi personalitatem, seu modum ac rationem perfectè subsistendi. Quamuis enim verè significet & creaturam & personalitatem, & ex his secundum proprias rationes re ipsa consideratis, quid multò principalius sit natura, quam personalitas, nihilominus intentio sapientum, qui hoc nomen adinuenerunt, & omnibus vsurpandum proposuerunt, non fuit significare naturam, quam aliis vocibus significarunt, sed solum fuit significare personalitatem; quam voluerunt significare in abstracto sine natura, sed in concreto in natura, & cum natura, vt perfectius demonstrarent propriam, & adæquatam rationem ipsiusmet personalitatis, quæ ex sua formalitate habet non posse esse in re nisi actu vnitam naturæ, siue per omnimodam identificationem, vt in Deo; siue per realem modificationem, vt in creatura. Itaque non spectata materialiter re significata, vt res quædam est, sed spectata formaliter vt significata, per nomen, iuxta intentionem significantium & nominantium hominum, & imponentium nominibus significationem, personalitas dici debet nomine personæ significari in recto, formaliter, & primariò, natura vero in obliquo, & materialiter, & secundariò.

Sed principalius personalitatem.

Aristoteles.

5. *Tertia conclusio personа diuina significat in recto relationem.*

S. Thomas.

Tertia conclusio. Persona diuina, seu nomen personæ applicatum diuinis, significat in recto, & principalius, & formaliter diuinam relationem; in obliquo, & minus principaliter, & materialiter, naturam diuinam. Hæc sine dubio est mens S. Thomæ hic, post medium corporis ita concludentis, *Persona igitur diuina significat relationem, vt subsistentem.* & paulò post, *Persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo.* Et infrà, quæst. 34. art. 3. ad 1. *In nomine personæ includitur etiam natura obliquè.* Et benè probat ex definitione personæ. *Nam persona est rationalis naturæ individua substantia.* Significatum autem in recto, est significatum formale, & principalius. Neque aduersatur aliis dictis in quæst. 9. de Potentia art. 4. cum circa finem corporis, ai, *Persona diuina materiali significatione significat relationem, vel relatiuum.* Nam immediatè ante iuxta hanc conclusionem dixerat, *Persona diuina, formali significatione significat distinctum subsistens in natura diuina. Et quia hoc non potest esse nisi relatio, vel relatiuum, ideo materiali significatione significat relationem, vel relatiuum.* Vbi acutè aduertendum est, significationem relationis per totum hoc nomen, *Persona diuina*, vocari materialem, non quòd non formaliter significetur simpliciter relatio, vt asserit hæc tertia conclusio, sed solum quia non significatur relatio, vt relatio est, seu secundum explicitum conceptum relationis, sicut significatur hoc nomine, v.g. Pater, sed vt subsistentia est, quia sub isto explicito conceptu relatio diuina habet vt sit personalitas diuina: quælibet enim persona, vt formaliter & explicitè persona, habet vt sit aliquid subsistens in natura intellectuali, siue creata, siue increata; & hoc tantum complet formalem conceptum cuiuslibet personæ, vt est persona. Quod autem tota hæc ratio formalis in diuinis reperiatur in ente relatiuo, in creaturis verò reperiatur in ente absoluto, vocatur à S. Thoma significatum materiale; non quidem respectu personæ diuinæ, vt formaliter diuina est, in quo sensu loquitur hæc conclusio, sed respectu personæ diuinæ, vt formaliter persona est, iuxta explicationem terminorum ab ipsomet traditam supra n. 3.

6. *Ratio conclusionis.*

Hæc conclusio apertè sequitur ex præcedenti, posita certissima veritate, superius non semel inculcata, & inferius iterum inculcanda, quòd diuina personalitas nihil addat supra naturam absolutam, nisi puram relationem. Quo posito sic argumētor. Personæ significatum in recto, & formale, ac primarium, est personalitas, non natura, vt probatum est conclusione præcedenti. Sed personalitas in diuinis nihil est aliud nisi relatio. Ergo personæ diuinæ, vt formaliter diuinæ, significatum in recto, & formale, ac primarium est relatio diuina, non diuina natura. Confirmatur, quia quæ diuinis personis, vt earum propria, omnes tribuimus, illi conueniunt propter relationem, non propter naturam; vt constitui in esse personali, distingui realiter, numerari, multiplicari, opponi. Hæc enim Patres expressè ac passim ad relationes diuinarum personarum referunt, non ad naturā Maximè omnium fauēt Cyrill. lib. 2. Thesauri c. 3. aliquantò post princip. illis verbis, *Cum non composita, sed simplex natura Deitatis sit, numquā in plures personas distingueretur, nisi quadam inueniretur differentia, non secundum essentiā, sed secundum relationem, & quasi extrinsecus intellecta, per quā vtriusque persona*, hoc est, Patris & Filij, *in propria hypostasi constituitur.* Et Boëtius, & Anselmus, & omnes Theologi illo Axiomate, sola relatio multiplicat Trinitatem. Et, quod idem est, In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationum oppositio. Item Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti, cap. 18. circa finem, *In hoc*, inquit, *quòd relatiuè Deus ad Deum dicitur, personarum admittit pluralitatem, & diuersitatem.* & de Incarnatione Verbi cap. 3. columna 3. initio. *Non sic sunt Pater & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantiā*, nimirum distincta ac duplicata, *sed eorum relationes.* Patres quoque Concilij Toletani XI. in Fidei professione, multò post principium, *In relatione*, inquiunt, *personarum numerus cernitur.* Et in Concilio Florentino sess. 18. §. *Dixi equidem.* ita testatur Ioannes Theologus. *Sola relatio apud*

Cyrillus.

Anselmus.

Toletanum XI. Florentinū.

apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat; ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis, Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant. Demum Augustinus epistola 66. circa medium loquens de vocabulis Patris & Filij, ait, *Quis non videat, ista vocabula non seipsis demonstrare naturam, sed alterius ad alterum significare personas?* Personarum nomina dicuntur non significare naturam, non quòd eam nullo modò significent, sed quia formaliter, & multò principalius significant relationem, non naturam; ita vt consignificata sit natura non propter se, sed propter relationem, quæ sola per se significatur ex intentione imponentis, vt superius explicatum est. Et ideo idem Augustinus libro 7. de Trinitate cap. 4. toto contendit, non esse dicendum in diuinis, Tres essentias aut substantias, sed tres personas, vel hypostases. Quo dogmate apertè supponitur, nomine personæ, aut hypostasis, non significari naturam, saltem in recto; sed solum significari relationes personales in vna eademque natura; quæ quoniam tres sunt, & per se solæ significatæ, ideo dici potuerunt tres personæ, vel hypostases, absque vllo periculo significandi tres naturas, sed cum certissima fide significandi tantum tres personalitates, seu relationes personales vnius naturæ.

Augustinus.

7. *Quarta conclusio, Persona in recto significat relationē per modum subsistentiæ, non per modum relationis.*

S. Thomas.

Quarta conclusio. In diuinis persona significat in recto relationem per modum substantiæ, non quæ est essentia, sed quæ est hypostasis. Alioqui si relatio sumatur, vt relatio est, seu per modum relationis, persona significat in recto essentiam, siue substantiam, & in obliquo relationem. Ita loquitur S. Thomas hîc circa finem corporis, & ad 1. & de Potentia quæst. 9. art. 4. circa finem corporis. Quòd paulò obscurius dictum, idem S. Thomas in vtroque loco ita explicat, *Persona diuina significat relationem vt subsistentem. Et hoc est, significare relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis subsistens in natura diuina; licet subsistens in natura diuina, non sit aliud quam natura diuina.* Quam explicationem ego quidem ita declaro. Persona diuina significat in recto, & formaliter, ac principaliter personalitatem diuinam. Personalitas autem diuina potest duobus modis definiri, seu concipi, & explicari. Primò in quantum est relatio, subsistens in natura diuina, seu relatiua subsistentia naturæ diuinæ: & sub isto conceptu manifestum est, relationem importari in recto, naturam in obliquo; & sumi relationem, non vt relationem simpliciter, sed vt relationem subsistentem, siue relationem non per modum relationis, sed per modum substantiæ, hoc est, relationem non secundum esse explicitum *Ad aliud*, seu terminum realiter distinctum, sed secundum explicitum esse *In alio*, seu subiecto, vel quasi subiecto, quod est ipsa natura, quæ constituitur in esse personæ formaliter per relationem. Secundò, in quantum est subsistentia, quæ est ipsa natura diuina distincta per relationem ad aliud: quo modo importatur in recto natura, & in obliquo relatio vt patet; & sumitur relatio per modum relationis, secundum esse *Ad aliud*, non per modum substantiæ, siue hypostasis, secundum esse *In alio*. Aliam explicationem tradidi suprà num. 2. Neque in his obscuritatibus, ad voces, & modum significandi duntaxat pertinentibus, est diutius immorandum.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate Personarum in diuinis, in quatuor articulos diuisa.

Deinde quæritur de pluralitate personarum. Et circa hoc quæruntur, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit ponere plures personas in diuinis.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd non sit ponere plures, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Proponitur & probatur conclusio affirmatiua, n. 1.*
2 *An in tribus diuinis personis sit vna communis existentia absoluta, num. 2. ad 10.*
3 *An in iisdem sint tres existentiæ relatiuæ, n. 10. ad 34.*
4 *An in iisdem sit vna communis subsistentia absoluta, n. 34. ad 58.*
5 *An in iisdem sint tres subsistentiæ relatiuæ, num. 58. ad finem articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua de fide.*

ONCLVSIO affirmatiua est ipsemet Fidei articulus de sanctissima Trinitate, quæ est propria totius huius operis materia. Nulla enim alia Trinitas in ipsomet vno ac simplicissimo Deo cogitari potest, nisi personarū: quam vniuersa Ecclesia in omnibus Conciliis, & Fidei confessionibus profitetur, docentque Patres omnes. *Hæc est fides Catholica*, inquit Athanasius in suo Symbolo, *vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur.* Eam verò esse Trinitatem personarum, non substantiarum, & vnitatem substantiæ, non personæ, statim exponit subdens, *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Quod magis explicans, tres personas distinguit ac numerat, immediatè subiungens, *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.* Et ideo, vt alia testimonia minus præcipua de re certissima, gratia breuitatis omittam, Nicænum Concilium lib. 2. in §. *Sancta, & magna, & generalis Synodus per Osium dixit, Diuinitas non est vna persona, vt Iudai opinantur, sed tres persona, verè subsistentes, non solo nomine. Et hoc pluribus testimoniis in nouo & veteri Testamēto prædicatur.* De quibus satis superque dictum est suprà q. 27. a. 1. dub. 2. à n. 140. ad 168. An vero diuinæ personæ ita sint plures, vt quot in illis sunt distinctæ personalitates, tot sint distinctæ pariter existentiæ, & subsistentiæ, controuersia est Theologia valdè grauis; & ideo quatuor sequentibus dubitationibus eam diligenter explicare conabor.

Athanasius.

Concilium Nicænum.

DVBITATIO I.

An in tribus diuinis personis sit vna communis existentia absoluta.

SVMMA.

1 *Conclusio affirmatiua, eiusque aduersarij, n. 2.*
2 *Probatur primò authoritate Scholasticorum, n. 3.*
3 *Probatur secundò authoritate Patrum, n. 4. & 5.*
4 *Probatur tertiò rationibus, n. 6. ad 10.*

2. *Conclusio affirmauua.*

VNica conclusio. Tres diuinæ personæ, ratione vnius communis naturæ absolutæ, habent etiam vnam eamdemque existentiam absolutam communem. Ita omnes, exceptis quibusdam nouis Theologis, quos refert, & acriter multis impugnat Suarez tomo 1. in 3. p. disp 21. sect. 1. qui cum nimis firmiter inhærerent duabus falsis opinionibus, nimirum, & existentiam substantiæ, nihil omnino differre à subsistentia, quod falsum esse obiter ostendi suprà quæst. 29. art. 1. n. 7. & 8. & in Deo, præter tres subsistentias relatiuas personarum, nullam aliam dari absolutam subsistentiam, propriam diuinitatis, quod inferius impugnabo, inde coacti sunt sequi tertiam quamdam sententiam, quæ ex prædictis duabus opinionibus euidenter deducitur, In Deo, vt ratione distincto à personalitatibus, non dari vnum absolutum esse existentiæ, sed illum existere dumtaxat per tres existentias personales relatiuas: quemadmodum enim, inquiunt, quod de necessitate etiam sequitur ex primo eorum dicto, Humanitas Christi Domini subsistantialiter exiſtit, ac subsistit increata existentia ac subsistentia Verbi, ita Diuinitas absolutæ naturæ Dei non aliter existit, ac subsistit, quam tribus relatiuis personarum subsistentiis. Quam quidem sententiam, in quantum negat in natura diuina absolutum esse existentiæ, temerariam & erroneam esse contendit Suarez suprà; eamdemque censuram prudenter sequuti sunt Arrubal disp. 104. n. 1. Ruiz disp. 25. sect. 1. num. 2.

Duo falsa principia contraria sententiæ.

Censura recentiorum.

3. *Probatur conclusio 1. authoritate.*

S. Thomas.

Et suaderi potest duabus authoritatibus. Altera omnium Scholasticorum; neque enim vmquam legi, neque ipsimet aduersarij referunt aliquem, qui non tribuat Deo esse absolutum, siue, vt passim loquitur Augustinus, esse ad se. Et omissis reliquis, ne sim longior, satis sit S. Thomas locis citandis dub. sequenti obiectione 1. sæpe docens, Personas existere per esse essentiæ, non essentiam per esse personarum. Et ideo suprà q. 6. art. 3. post medium corporis ait, *Solius Dei essentia est suum esse.* & q. 13. art. 11. circa principium corporis, *esse Dei est ipsa eius essentia.* Sed essentia Dei, communis tribus personis relatiuis, est proculdubio quid absolutum. Ergo esse Dei, in ipsa eius essentia intrinsecè inclusum, non potest non esse pariter absolutum. Hinc intelligi etiam potest eadem authoritas, quia omnes ferè Theologi, vt notaui in 1. tomo q. 3. art. 4. dub. 1. docent, Existentiam esse de quidditatiuo conceptu essentiæ Dei. In hac autem Deitatis essentia, quæ absoluta est, atque vna, & eadem omnino in pluribus personis respectiuis, includi non potest aliquod respectiuum prædicatum, vt cum communissima opinione in superioribus demonstratum est, præsertim q. 28. art. 2. dub. 3. & si includitur aliqua existentia relatiua, in eorum fortasse sententia, qui diuinas etiam relationes de essentia Deitatis esse volunt, multò magis includi debet existentia absolura. Nam in hac etiam sententia, essentia Dei esset multò magis absoluta, quam respectiua. Ergo si propter rationes essentiales respectiuas ponitur existentia respectiua, multò magis poni debet existentia absoluta propter rationes essentiales absolutas.

4. *Athanasius.*

Altera multò grauior authoritas est Patrum. Rem omnium clarissimè attingunt Athanasius oratione contra Idola, multò post medium, *Deus, qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit. Quapropter & eius ratio ipsum esse est.* Et epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ celebratis, multò post medium, *Cum audimus, Ego sum qui sum, non aliud quidpiam. Sed quidpiam simplicem, & beatam, & incomprehensibilem eius, qui est, essentiam intelligimus.* Et libro de Decretis Nicænæ Synodi, multò post medium, *Cum dicit, Ego sum, qui sum; Ego sum Dominus Deus; & vbicumque dicit Scriptura, Deus, nos qui hoc vocabulum audimus, nihil aliud nisi ipsam incomprehensibilem substantiam indicari intelligimus; & quòd ille ipse est, qui vocabulo Dei significatur.* Si esse in Deo nihil est aliud, nisi ipsa substantia, & essentia Dei, ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui sunt vna prorsus substantia, & essentia Deitatis, erunt etiam vnum prorsus esse. Ergo non esse respectiuum, quod oppositum ac multiplex est. Ergo esse absolutum, quod vnum & commune sit, sicut vna & communis est omnium diuinarum personarum essentia, & Deitas. Nazianzenus oratione 4. de Theologia, multò ante finem, *Ex Dei nominibus, ens, & Deus, duo hæc, essentiam Dei propius quam cætera attingunt. Inter hæc tamen, Ens priores partes tenet.* quod probat ex illo Exodi 3. *Ens misit me.* & paulò post, idem probat ex eo quòd ens, siue esse, non sit *ex eorum, quæ ad aliquid referuntur, genere. Sed nos*, inquit, *Dei naturam inquirimus, an quid Deus sit in se ipso, non cum alio compositus. Atqui ens, proprium verè est, & totum Dei.* Non solum docet, quòd esse Dei sit essentiale, sed etiam quòd sit absolutum, & non respectiuum. & tractatu de Fide in medio ex illo, *Ego sum, qui sum. Qui est, misit me*; ita deducit, *Ergo ipsum quod est; hoc erit substantia huius rei, quæ esse definitur.* Quæ verba ex Nazianzeno descripsit Ambrosius libro de Fide contra Arianos cap. 4. post medium. Item Hilarius libro 1. de Trinitate columna 3. tractans eadem Exodi verba, ait, *Admiratus sum planè tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimè ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam esse intelligitur.* Si nihil aptius explicat diuinam naturam, quam esse; ergo hoc esse non est respectiuum, quod est proprium personarum, quæ relatiuæ sunt, non naturæ, quæ est absoluta. Ergo est esse absolutum: quod ipsemet Hilarius apertè expressit, dum dixit, essendi vocabulo haberi *absolutam de Deo significationem.* Hieronymus quoque in id Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas*, &c. esse vocat *nomen essentiæ, atque substantiæ Dei.*

Nazianzen.

Ambrosius.

Hilarius.

Hieronym.

5. Basilius.

Augustinus

Rabanus.

Rupertus. Augustinus

Præterea apud Lippomanum in Catena in illa verba Exodi 3. *Ego sum*, &c. idem docent, Basilius dicens, *Illud, Qui sum, vnam, eamdemque, ac communem essentiam significat.* Augustinus, *Quod dicit Deus Moysi, Ego sum qui sum, & Qui est misit me ad vos, Diuinitatis substantiam signat.* Rabanus, *Deus solus, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenuit; & hoc nomen ad S. Moysem per Angelum est delatum.* Rupertus, *Ego sum qui sum, natura nomen est.* Item Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 2. post medium, *Deo*, inquit, *ipsum esse, vnde essentia nominata est, maximè ac verissimè competit.* Sed Deus, consideratus etiam vt præcisus à personalitatibus, est verissimè Deus: ergo tunc illi etiam maximè competit esse, quòd præcisum à personalitatibus, non potest esse nisi absolutum. & lib. 7. cap. 5. post medium docet, Deum dici verè ac propriè essentiam ab esse, de quo Exodi 3. vt suprà; abusiuè verò substantiam; & deinde addit. *Sed tamen siue essentia dicatur, siue substantia, vtrumque ad se dicitur, non relatiuè ad aliquid. Vnde hoc est Deo esse, quod subsistere.* Clarissimè vult, esse essentiæ diuinæ, quòd sapientissimè vocat subsistere, esse absolutum ad se, non relatiuum ad aliquid. Videntur igitur omnes Patres, moti maximè ex prædictis verbis Exodi 3. in Dei essentia, quæ vna & communis est tribus

tribus personis, ponere vnum, & commune esse absolutum.

6. *Secundò ratione à priori.*

Conclusionis ratio à priori, & euidenter efficax, est, quia Deus vt vnus, & præcisus à Trinitate personarum, est ens à se, & actuale; non ab alio, & potentiale: & est ens absolutum, atque infinitum simpliciter in tota latitudine entis absoluti. Ergo tunc etiam est, & concipi debet cum actuali existentia absoluta. Antecedens non potest negari, nisi ab eo, qui non intelligit, quid sit Deus. Consequentia manifesta est, quoniam existentia est perfectio simpliciter simplex, cum sine dubio in qualibet re melior sit ipsa, quam non ipsa, est etiam forma, siue actus ille, per quam formaliter, & immediatè habet omnis res vt sit actualis, extra ordinem rerum possibilium; ac proinde per receptionem illius in essentia, intelligitur res verè produci, hoc est, transire de ente possibili existere, in ens actualiter existens: nam, vt optimè docet, ac probat S. Thomas suprà q. 4. art. 1. ad 3. & nos ibi in 1. tomo multis defendimus contra Scotum, & alios, *ipsum esse est perfectissimum omnium; comparatur enim ad omnia vt actus: nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est; vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum; vnde non comparatur ad alia, sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens.* Ergo si præcisis per intellectum personalitatibus, quæ plures, & distinctæ realiter inter se sunt, intelligeretur Deus, qui in se absque vlla distinctione vnus maximè est, & communis tribus personis; & tamen intelligeretur non existens ex se, sed solum per vnionem identitatis cum personis; tunc intelligeretur verè totum id quod est essentialiter vnus Deus communis tribus personis, & tamen non intelligeretur vt ens ex se, & simpliciter existens & actualis, ac proinde non, vt actus purissimus, ac perfectissimus, hoc est, vt ens à se, & actuale, & improductum; sed contrà potius, intelligeretur vt ens ab alio, & potentiale, & productum à personis, & sine perfectione entis absoluti, omnium maxima. Qua carentia intelligeretur Deus planè finitus, ac limitatus in genere entis absoluti.

S. Thomas.

7. *Arguitur ex æternitate, immensitate, immutabilitate.*

Confirmatur ratio, quoniam natura diuina per se ipsam, prout intelligitur præcisa à personalitatibus relatiuis, adhuc habet æternitatem, immensitatem, immutabilitatem; ergo etiam existentiam, quæ cum intelligatur in Deo præciso ab omni personalitate, & relatione, non potest esse nisi absoluta. Antecedens est manifestum, tum quia apparet aperta contradictio in ipsismet terminis conceptis, concipere Deum, & tamen concipere non æternum, non immensum, non immutabilem: tum quia quodlibet horum attributorum est vnum, & commune toti Trinitati, vt patet ex Symbolo Athanasij, *Non tres æterni, sed vnus æternus. Non tres immenſi, sed vnus immensus*: ergo pertinet ad ipsam naturam, vnam & communem. Probatur consequentia, quia hæc attributa essentialiter important existentiam, cum sine actuali esse existentiæ in re concipi nequeant. Æternitas enim est infinita duratio existentiæ, *Quid est aliud*, inquit Anselmus in Monologio c. 24. post principium, *vera æternitas, quæ soli illi conuenit, quam interminabilis vita, simul & perfectè tota existens?* Vnde Augustinus libro de vera Religione cap. 49. fine ait, *Sola ipsa æternitas verissimè dicere potuit humanæ menti, Ego sum, qui sum. Et de illa verissimè dici poterat, Qui est, misit me.* Nam, vt in tractatu de eo, quod dictum est, *Ego sum, qui sum*, idem Augustinus ratiocinatur circa finem, *Quid est, Ego sum, qui sum, nisi æternus sum?* Immensitas quoque est existentia in omnibus, & infinitis spatiis. Demum immutabilitas est necessaria permanentia in esse. Nam, vt in tractatu paulò ante citato docet Augustinus, *Quid est, Ego sum qui sum, nisi mutari non possum?* Et propterea lib. 5. de Trinit. c. 2. fine dicit, *Illud solum, quod non tantùm non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit, quod nouissimè dicatur esse.* Et sermone de Rubo Moysis, qui est 17. de diuersis, c. 3. *Incommunicabilitas Dei, isto vocabulo se dignata est intimare, Ego sum qui sum.*

Anselmus.

Augustinus.

8. *Arguitur ex diuinis processionibus.*

Præterea arguere possumus ex absurdo; quia si in Deo Patre esset solum esse respectiuum Patris, non esse absolutum Dei, seu diuinæ naturæ absolutæ, sequeretur, Patrem nullum suum esse communicare Filio; & consequenter, non communicare Filio suam naturam realem, & actualem, quæ sine existentia, quæ est rerum omnium actualitas, non potest intelligi. Sequelam ostendo, quoniam Pater per diuinam generationem, etsi verè producat personam Filij, ac proinde, esse Filij respectiuum, tamen Filio non communicat suum esse respectiuum Patris. *omnia enim*, inquit Florentinum in literis vnionis, *quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Sed per te, in Deo Patre nullum aliud est esse, nisi esse Patrem. Ergo nullum simpliciter esse Deus Pater communicat Filio, sed nudam quamdam essentiam, absque vlla actualitate. Et similiter Pater & Filius, si nullum aliud esse habent, nisi respectiuum Patris & Filij, nullum simpliciter esse per processionem communicarent Spiritui sancto, cui non communicant esse Patrem, aut esse Filium.

Florentinū.

9. *Arguitur ex perfectione essendi absolutè supra esse respectiuum.*

Arguo vlterius, quia ex genere suo esse absolutum est sine dubio perfectius esse respectiuo. Quapropter Theologi valdè communiter asserunt, esse relatiuum in diuinis, non dicere perfectionem simpliciter simplicem, de qua re supra, q. 28. art. 2. dub. 2. à n. 156. ad 159. Nullus autem negat, quòd esse absolutum sit perfectio simpliciter simplex. Vnde in creaturis entia absoluta perfectiora sine dubio sunt entibus respectiuis, quæ ideo dicuntur omnium entium debilissima. Qui igitur nullum aliud esse in Deo agnoscunt nisi respectiuum, negant Deo esse, quod ex genere suo est multò perfectius, & tribuunt illi aliud essendi genus minus perfectum. Imò perfectius essendi genus tribuunt creaturis; ideoque creatum esse absolutum, dici non posset participatio quædam diuini esse, quoniam absolutum non est participatio respectiui; sicut è contrario, respectiuum non est participatio absoluti. Quæ omnia videntur manifesta absurda.

DVBITATIO II.

An in tribus diuinis personis sint tres existentiæ relatiuæ.

SVMMA.

1 *Conclusio affirmatiua, eiusque authores, & aduersarij, num. 10. & 11.*
2 *Probatur primò authoritate Patrum, n. 12. ad 15.*
3 *Probatur secundò rationibus, n. 15. ad 21.*
4 *Soluuntur difficultates in oppositum, n. 21. ad 34.*
5 *An in Deo sint tres relatiuæ durationes, & æternitates, n. 29. ad 33.*

10. *Conclusio affirmatiua.*

VNica conclusio. Præter communem existentiam absolutam & essentialem, hactenus probatam, tres diuinæ personæ, sicùt habent tres reales personalitates, seu relatiuas proprietates, distinctas realiter inter se, & ratione ratiocinata ab essentia, & existentia absoluta, ita etiam habent

habent tres reales existentias relatiuas, inter se distinctas realiter, & ab essentia, atque existentia absoluta distinctas mentaliter. Hanc veritatem, non multùm ab antiquis Theologis exagitatam, optimè ac fusè probat Suarez 3. p. tomo 1. disp. 11. sect. 2. & lib. 3. de Trinitate cap. 5. toto, & lib. 5. cap. 2. fine. Eamdemque sequuntur Bartholomæus Medina 3. p. q. 17. art. 2. dub. 3. Zumel suprà quæst. 28. art. 2. disp. 4. conclusione 1. Zuniga disp. 5. dub. 11. conclusione 2. Becanus cap. 3. quæs. 8. conclusione 2. defendens vt probabile, sed vt probabilius defendens oppositũ in 3. concl. Arrubal hic disp. 104. c. 3. Florauant. de Trinit. lib. 2. pag. 32. & notatione 24. fol. 118. & tandem defendit Ruiz disp. 25. sect. 5. & 6. tametsi in sect. 3. & 4. contrarium suadere contendat. Ex antiquioribus Scholasticis idem significant Alensis p. p. quæst. 44. initio corporis dicens, quod in diuinis sint, *vnitas essentiæ, quia vnum indifferens est esse; & plures personæ, quia plures existentiæ.* & ad 5. ait cum Riccardo de S. Victore, *Proprietates illæ, quæ faciunt & distinguunt personas, non dant subsistere personis, sed existere: & personæ rectius dicuntur existentiæ, quam substantiæ.* & quæst. 49. membro 2. fine corporis distinguit cum eodem Riccardo duplicem existentiam, & essentialem, & personalem. *In diuina*, inquit, *proculdubio naturæ, est existentia, quæ est pluribus communis, & sic accipitur essentialiter: & est existentia, quæ est omnino incommunicabilis, & sic accipitur personaliter.* Hæc autem existentia triplex est, sicut triplex est persona. Item Albertus 1. d. 23. art. 1. ad 2. illis verbis, *In diuinis, propriè loquendo, personæ sunt existentiæ.* & clarius Scotus 1. d. 11. quæst. 2. circa finem, §. *Ad primam dico.* vbi in diuinis relationibus apertè distinguit, & quidditatem relationis, & esse relationis, *quod*, inquit, *est esse ad aliud; quia quidditas relationis non potest esse sine esse ad aliud.* Ergo quot sunt in Deo relationes, tot sunt esse ad aliud: &, vt ipse addit, *quia relatio non est formaliter essentia diuina*, hoc est, non includitur in formali & quidditatiuo conceptu essentiæ, ideo esse relationis ad aliud, non est omnino idem cum esse essentiæ ad se. & postea subdit Scotus, quòd in diuinis *relatio distinguit, & secundum quidditatem, & secundum esse ad aliud.* Sed esse essentiæ non distinguit, ergo esse ad aliud non est esse essentiæ secundum Scotum.

Suarez. Medina. Zumel. Zuniga. Becanus. Arrubal. Florauãcius. Ruiz. Alensis. Albertus. Scotus.

11. In contrarium vero esse videntur Capreolus 1. d. 33. quæst. vnica, art. 2. ad 5. Aureoli contra tertiam conclusionem, vbi vt defendat, relationem secundum propriam eius rationem non esse quid reale, negat Aureolo, quòd *personæ diuinæ habent aliquod esse existentiæ, in quo non vniuntur, scilicet in esse Patrem, & in esse Filium:* quia, inquit, *in diuinis non est nisi vnicum esse, loquendo de esse quod est actus essentiæ.* & 3. d. 1. quæst. 1. art. 3. ad 2. Scoti contra secundam conclusionem, vbi ait, *Esse & subsistere diuini suppositi est communicabile tribus suppositis; & ideo plurificato supposito non oportet plurificari esse.* Hispalensis 1. d. 29. quæst vnica, art. 3. notab. 1. & d. 33. quæst. 1. art. 3. notab. 4. concedens quidem contra Capreolum realitatem diuinis relationibus secundum formalem rationem relationis diuinæ; & tamen contendens, quod esse relationis, & esse essentiæ diuinæ, sint vnum esse, & omnino idem re & ratione, loquendo de esse quod est actus essendi. Caietanus suprà quæst. 28. art. 2. in corollario ante §. *In responsione ad 2.* dicens quòd *actualis existentia relationis diuinæ est omnino idem cum actuali existentia ipsius diuinæ essentiæ, quia non differt ab illa, etiam ratione, sicut quod quid relationis intelligitur differre à quod quid est essentiæ, vt respectiuum ab absoluto.* Syluester p. p. Conflati quæst. 28. art. 6. §. 4. de esse relationis, & de esse essentiæ diuinæ, dicens, *Sunt idem re & ratione*, quia, inquit, *esse existentia relationis non est ad aliquid; & ideo in hoc ab esse existentiæ ipsius essentiæ non distinguitur.* Bagnes suprà quæst. 29. art. 3. §. *Præterea*, & pluribus infrà quæst. 40. art. 4. dub. 2. conclusione 3. Albertinus tomo 2. pag. 433. Clarius ac fusius Vazquez tota disp. 126. citant pro se S. Thomam, qui verè illis nimium fauere videtur, quamuis non incommodè possit exponi cum Medina supra, & aliis Thomistis, vt inferius videbitur in solutione primæ obiectionis.

Syluester. Hispalensis. Caietanus. Bagnez. Vasquez.

Authoritas Patrum.

12. Conclusio non obscurè à multis Patribus significatur. Refertur potissimum Riccardus de S. Victore, qui dum lib. 4. de Trinitate c. 22. personam definit; *est diuinæ naturæ incommunicabilis existentia*, videtur clarè concedere tres existentias: sicut enim ex eo quòd Boëtius personam definiat, *Est naturæ rationalis individua substantia*, docet S. Thomas de Potentia q. 9. art. 2. ad 9. *Quòd sicut dicimus in Deo tres personas, ita possumus dicere tres substantias individuas*; ita pariter ex definitione Riccardi necessariò sequitur esse admittendas in Deo tres existentias incommunicabiles. Quo modo loqui tenentur omnes antiqui Scholastici relati suprà q. 29. art. 1. n. 11. qui Riccardi definitionem recipiunt, imò etiam præferunt definitioni Boëtij. Quod quidem ipsemet Riccardus antea enucleatius exposuit. Nam c. 16. ante medium ita habet. *In diuina proculdubio natura, est existentia, quæ est pluribus communis; & est ibi existentia, quæ omnino est incommunicabilis.* Clarissimè distinguit duplicem existentiam, alteram communem, probatam dub. præcedente: alteram incommunicabilem, quæ sicut est propria singularum personarum, ita est multiplex in pluribus personis. Et post nonnulla, hoc ipsum duplex diuinæ existentiæ genus magis explicans, addit, *Sciendum est quòd existentia designat substantiale esse, sed aliquando quod sit ex communi, aliquando quod sit ex incommunicabili proprietate. Communem autem existentiam dicimus, vbi intelligitur esse habens ex proprietate communi. Incommunicabilem verò, vbi intelligitur esse habens ex proprietate incommunicabili.* Et cum deinde multis explicasset, quid sit proprietas communis, quid incommunicabilis, tandem in fine sequentis capitis 17. ita discurrit, & concludit apertè quod intendimus. *Eadem est differentia personarum & existentiarum. Si igitur proprietatibus incommunicabilibus differunt personæ, vtique & incommunicabilibus differunt & existentiæ. Oportet autem vt sit incommunicabilis existentia, cui est incommunicabilis differentia. Quot igitur in Diuinitate personæ, tot incommunicabiles existentiæ.* & cap. 19. initio ita epilogat, *Ex ante dictis tenemus, quòd in diuinitate possunt esse plures existentiæ.* Neque satisfacit Vazquez suprà num. 4. dicens, quòd Riccardus, *nomine existentiæ non intelligit actum existendi, seu esse; sed totam ipsam substantiam, seu personam, quæ dicitur habere esse:* idque probans ex eodem Riccardo lib. 5. de Trinitate cap. 1. vbi inquit, *vnum esse concedit trium personarum, sed discretum existere.* Tum quia cum definiat personam per *naturæ diuinæ incommunicabilem existentiam*, ridicula esset definitio si existentia, per quam definit personam, esset ipsemet persona, quæ definitur. Neque obstat, quòd cit. c. 16. circa medium Riccardus ita se declaret, *existentiam demonstratum est superius substantiam significare, non tamen simpliciter, sed cum proprietatis alicuius denotatione, quæ pertineat ad considerationem originalis causæ:* nã existentia diuina, siue absoluta & communis, siue relatiua & incommunicabilis, est verissime substantia, &

Riccardus Victorinus. Boëtius. S. Thomas.

Riccardum non rectè exponi ab aduersariis.

Non rectè exponi Cyrillum ab aduersam viis.

& identicè, & formaliter: additur autem ratio originis, non vt tollatur propria existentiæ ratio, sed vt addatur esse relatiuum, & incommunicabile, quo existentia personalis differt ab existentia naturæ. Tum quia citato capite 1. nullum latet mysterium in eo, quòd existentiam naturæ vocet *esse*, & existentiam personæ vocet *existere*. Enim vero in eodem capite 1. quod vocauerat *existere*, dicens, *Vbi non est diuersum esse, potest esse differens, & discretum existere*; immediatè post vocat *existentiam*, ita subiungens, *Vbi enim plures habent indifferens esse ex differenti origine, sic seruant vnitatem substantiæ, vt tamen non desint plures existentiæ.* & quod ibidem vocat *esse*, antea in capite 16. sæpè vocauerat *existentiam*; & tam existentiæ communi, quam existentiæ incommunicabili tribuit esse, vt patet ex verbis superius allatis. Vnde cap. 19. paulò post principium iterum existentiam & esse confundit, dicens, *Sicut subsistentia rectè dicitur ex eo, quòd alicui subsistat; sic existentia ex eo rectè dici potest, quòd ex aliquo esse habeat. Existentiæ igitur significat rei esse, & hoc ipsum ex aliqua proprietate.* Ex quibus sic demonstratiuè discurrere possumus ex mente Riccardi. In diuinis per Riccardum sunt tres existentiæ. Sed per ipsum etiam *existentia est esse ex aliqua proprietate*, hoc est, esse incommunicabile, quo nomine ipse etiam sæpe vtitur. Ergo per Riccardum in diuinis sunt tria esse incommunicabilia. Neque facienda est vis cum Ruiz supra, sect. 4. num. 7. quòd Riccardus, quam vocat existentiam, vocat etiam modum existendi; quoniam pariter, quod vocat esse, vocat etiam modum essendi dicto capite 19. post verba citata subdens, *Quamuis enim vtrisque sit vnus modus essendi, non tamen vtrisque est vnus modus existendi.* Et circa finem eiusdem capitis, *Sunt ibi plures habentes idem, & indifferens esse ex differenti proprietate. Vnitas itaque ibi est iuxta modum essendi, pluralitas iuxta modum existendi. Vnitas essentiæ, quia vnum & indifferens esse: plures personæ, quia plures existentiæ.* Indifferenter igitur Riccardus vsurpat esse, & modum essendi, exi entiam, & modum existendi.

13. Cyrillus. Non minus fauere videtur Cyrillus Alexandrinus Dialogorum de Trinitate lib. 1. multò post medium vbi declarans Patris, ac Filij distinctionem ait, *Cum vterque sit, ac subsistat, propriamque habere dicatur existentiam.* Præter subsistentiam admittit existentiam, quæ si propria est in Patre, & propria in Filio, ergo non vna, sed duplex in illis est existentia. Et lib. 2. columna 5. docet, quòd cum Dominus iussit baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *collegit, & præ aliis proposuit nomina, distinctissimè nobis constituentia vniuscuiusque significati propriam existentiam.* & paulò post, *sic enim*, ait, *manifestam & inconfusam trium subsistentiarum in propriis existentiis proprietatem seruans, vnam & consubstantialem naturam, omnium reginam adorabis.* Apertissimè distinguit tres existentias à tribus subsistentiis. Ergo dici non potest Cyrillus, sumere existentiam pro subsistentia, vt fatetur ipsemet Ruiz suprà, sect. 4. num. 2. Neque pro quidditate substantiali, abstrahendo ab absoluta & relatiua quidditate, vt sumit Ruiz suprà; tum quia hæc ratio est communissima & vna, Cyrillus verò loquitur de existentiis in plurali, & de existentiis propriis, non de ratione aliqua communi, & omnibus personis, & naturæ: tum quia loquitur de existentiis quibus existunt tres subsistentiæ. Sed hæ sunt personales & relatiuæ, quæ non sunt in quidditate aliqua communi abstrahente à relatiua, & absoluta, sed in sola relatiua. Neque pro quidditate relatiua, & personali, vt sumit idem Ruiz

supra; tum quia etsi vsurpari soleat existentia pro re existente, sicut subsistentia pro re subsistente; tamen inusitata omnino, & nimis extorta ac violenta vsurpatio est, accipere existentiam, pro re seu nuda quidditate sine existentia: tum quia pari exponendi libertate, qui negant tres subsistentias realiter distinctas, dicere possent, Patres, qui passim eas admittunt, vt referam dubitatione sequenti, esse accipiendos de relatiua quidditate personalitatum, non de ea ratione, quam subsistentiam omnes propriè vocamus. Sicut igitur Cyrillus in tribus diuinis personis ponens tres subsistentias, non intelligitur tantum de tribus relationum quidditatibus, à subsistendi ratione præcisis, sed etiam de tribus relationibus subsistentibus, seu de tribus subsistentiis relatiuis; ita ponens tres existentias, non potest rationaliter intelligi de tribus relatiuis quidditatibus nudis, & ab existendi ratione præcisis: tum quia præter subsistentias, & existentias, ipsam etiam relatiuam quidditatem, quam *proprietatem* vocat, Cyrillus expressit, dicens, *Trium subsistentiarum in propriis existentiis proprietatem.* Ergo præter hanc proprietatem, admittit Cyrillus plures subsistentias, & plures existentias.

14. Possunt etiam afferri Athanasius, Augustinus, Cyrillus locis, & verbis citatis suprà quæst. 28. art. 2. num. 36. & 37. dicentes, quòd in diuinis aliud sit esse Deum, & aliud esse Patrem, vel esse Filium. Quo modo loquitur etiam Anselmus Epistola de processione Spiritus sancti c. 2. paulò post principium, dicens, *Non enim idem est esse Deum, quod est esse Patrem, aut Filium.* Magis fauet Epiphanius in Ancorato, aliquantò post principium de Patre, Filio, & Spiritu sancto dicens, *Tria existentia, vna Deitas, vna essentia.* Si nulla alia esset existentia, nisi vnica in tribus personis, minimè liceret dicere, Tres personas esse tria existentia: alioqui liceret pariter dicere, tres Deos, tres essentias, tres substantias. Sicut igitur cum Patres ponunt in Deo, tres subsistentes, tria substentia, intelligimus non vnam, sed tres subsistentias; ita cum ponunt tres existentes, tria existentia, debemus non vnam, sed tres existentias intelligere.

Anselmus. Epiphanius.

Efficacia rationum.

15. *Arguitur 1. ex conceptu existentiæ.* Eadem conclusio suaderi multò efficacius potest argumentis ex ratione ductis. Arguo primò à priori, quoniam existentiæ nomine omnes intelligimus quemdam rerum modum; maxime intrinsecum, siue intrinsecam atque immediatam actualitatem omnium rerum; adeò vt multi, & graues Doctores nullam omnino in re, nec realem, nec formalem, nec modalem distinctionem agnoscant inter essentiam & existentiam. Ergo existentia esse debet, quoad eius fieri potest, proportionata essentiæ; ideo namque existentia substantiæ & substantialis, & existentia accidentis est accidentalis: ergo pari ratione existentia essentiæ absolutæ esse debet absoluta, & existentia essentiæ respectiuæ esse debet respectiua: alioqui si existentia respectiui esset absoluta, differrent essentia, & existentia plusquam genere generalissimo, & sic haberent maximam improportionem. Sed essentia, seu quidditas diuinæ personalitatis est formaliter relatiua, ergo illi tribuenda est existentia relatiua, non absoluta: sicut enim diuinæ naturæ absolutæ esset improportionata existentia relatiua; ita contrà, personæ diuinæ relatiuæ censenda est improportionata, & insufficiens, existentia absoluta. Quam ob causam creata etiam relatio realis habet suum peculiare

esse reſpectiuum, & non exiſtit exiſtentia abſoluta fundamenti, vt colligi ac probari facilè poteſt ex dictis ſuprà quæſt.28. art.2.num.194. Igitur in tribus diuinis perſonis, præter exiſtentiam abſolutam ratione naturæ, debent ratione trium perſonalitatum, quæ inter ſe realiter diſtinguuntur, & cum eadem natura identificantur, admitti tres exiſtentiæ relatiuæ, realiter diſtinctæ inter ſe, & identificatæ cum eadem communi exiſtentia abſoluta. Si enim iſtæ exiſtentiæ perſonales, ſunt relatiuæ; ergo inter ſe habent relatiuam oppoſitionem; ergo realem diſtinctionem, ſicut relationes ipſæ.

16. *De exiſtentia relationis ſpiratiuæ actiuæ.*

In hac prima ratione, duo aduertenda ſunt. Alterum, eam non procedere de relatione ſpirationis actiuæ, quæ non ſolum eſt identificata naturæ, cuius exiſtentia abſoluta, non eſt vlla relatio apta exiſtere; ſed etiam eſt identificata paternitati, & filiationi, quarum exiſtentiis relatiuis exiſtere dici poteſt relatiuo modo, ſibi proportionato, ſine vllo incommodo: quemadmodum de ſubſiſtentia huius relationis benè docuit Suarez lib.5. de Trinitate cap.8. num.6. dicens, *Spiratio non conſtituit perſonam, ſed potius aduenit iam conſtitutis; & ideo nec eſt ratio ſubſiſtendi, nec ex proprio conceptu ſecum affert ſubſiſtentiam, ſed per identitatem habet illam à perſonis, quibus inest.* Sicut igitur iſta diuina relatio intelligitur ſubſiſtere relatiua ſubſiſtentia Patris, & Filij, ita pariter intelligi poteſt exiſtere relatiua exiſtentia Patris & Filij. Quamuis enim paternitas & filiatio inter ſe comparatæ, ſuis exiſtentiis, & ſubſiſtentiis diſtinguantur; non diſtinguuntur tamen actiuæ ſpirationi comparatæ; cùm eæ non ad duo, ſed ad vnicum tantum ſpirandi principium pertineant. Quod ſuaderi poteſt exemplo plurium perfectionum abſolutarum, v.g. intellectus & voluntatis, quæ, quia in Deo idem ſunt, & eiuſdem generis abſoluti, intelliguntur ab omnibus exiſtere vna eademque abſoluta exiſtentia. Similiter duæ perfectiones reſpectiuæ ſpiratoris & Patris, ſpiratoris & Filij, quia in ratione entis ſunt in ſe ipſis vna indiuiſibilis entitas reſpectiua, ideo in ratione eſſendi intelligendæ ſunt habere vnam indiuiſibilem exiſtentiam reſpectiuam. De his relationibus dixiſſe videtur S.Thomas quæſt. 8. de Potentia art.2. ad 11. *Duæ relationes vnius rei non demonſtrant duplex eſſe eius; ſed demonſtrant, quòd dupliciter de illa re poteſt dici, Quid eſt.* Alterum, natiuam diuinam abſolutam identificate ſibi exiſtentias relatiuas, non propter ipſas exiſtentias, hoc eſt, non quòd recipiat ab eis quaſi effectum formalem exiſtendi, quia iam probata eſt, quidditatem abſolutam eſſe ineptam exiſtere exiſtentia relatiua: ſed propter relatiuas ſubſiſtentias, ſeu perſonalitates, quibus illa natura petit terminari ſubſtantialiter, & non poſſet actu, & realiter ita terminari, niſi illæ actu exiſterent modo ſibi proportionato, hoc eſt, relatiuo. Quod verum eſſet, etiamſi poneremus relationes de eſſentia naturæ: tunc enim non eſſent de eſſentia, vt per earum exiſtentiam exiſtat natura, ſed ſolum vt per relatiuas, & incommunicabiles ſubſiſtentias, actu exiſtentes, natura ſubſiſtat incommubiliter.

S.Thomas.

Quo modo exiſtentia relatiua ſe habeat ad naturam.

Suarez.

17. *Arguitur 2. ex perſonalitate, vt mentaliter diſtincta à natura.*

Arguo ſecundò, ex eo quod vnaquæque perſona, ratione naturæ ſit abſoluta, ratione perſonalitatis ſit relatiua, per rationem ratiocinatam diſtinguimus perſonam, & concipimus duplici conceptu, altero vt entitatem actualem abſolutam, altero vt entitatem actualem relatiuam: vtraque enim entitas concipi debet vt eſſentialiter diuina & increata; ergo vt ens à ſe, & non ab aliquo, tamquam à cauſa; ergo vt entitas eſſentialiter actualis, & puriſſima, non vt potentialis, & compoſita ex actu, & potentia. Entitas autem actualis, & extra nihil, ſiue extra ordinem rerum poſſibilium, & extra potentiam obiectiuam, neque eſſe in re, neque mente cum fundamento in re ipſa concipi poteſt abſque ſua actualitate, & conſequenter abſque ſuo eſſe exiſtentiæ; quia, vt docet S.Thomas ſuprà quæſt.4. art.1. ad 3. *Ipſum eſſe comparatur ad omnia vt actus; vnde eſt actualitas omnium rerum, & etiam ipſarum formarum.* Ergo in eadem ſimpliciſſima perſonæ exiſtentia, quæ eſt formaliter, ſiue actualiter vna, virtualiter, ſeu fundamentaliter multiplex, ratione ratiocinata diſtinguimus exiſtentiam, ſiue actualitatem abſolutam naturæ, & relatiuam perſonalitatis. Sed tres ſunt perſonalitates diſtinctæ realiter; ergo tres etiam perſonales, ac relatiuæ exiſtentiæ, eodem modo diſtinctæ.

S.Thomas.

18. *Arguitur 3. ex diſtinctione reali perſonarum.*

Arguo tertiò, ex oppoſitione ac diſtinctione propriè reali, quam omnes eſſe fatemur non ſolum inter perſonas, ſed inter ipſas etiam perſonalitates, vt oſtenſum ſuprà quæſt.28. art.3. Etenim ſi tres relationes perſonales haberent vnam tantum communè exiſtentiam in qua inuicem identificarentur, ergo non diſtinguerentur in eſſe, & in re ipſa actuali, ſed tantum in formalitate, vt mentalitate præciſa à communi illa exiſtentia, ergo non diſtinguerentur propriè realiter, ſed ſolū & ad ſummum formaliter, quemadmodum in ſententia aſſerentium gradus metaphyſicos diſtinctos ex natura rei, diſtinguuntur, v.g. in homine, ſiue in humanitate, animalitas & rationalitas. Diſtingui enim ſupponit eſſe, ergo ſicut nihil dici propriè poteſt eſſe realiter, niſi ſit actu in rebus actualitate realis exiſtentiæ; ita nihil dici propriè poteſt diſtingui realiter, niſi in rebus ipſis actu realiter ſit per aliquam propriam exiſtentiam diſtinctam. Idem dicendum de oppoſitione reali, quæ ſine diſtinctis, & oppoſitis exiſtentiis inter terminos realiter, & actualiter oppoſitos intelligi commodè non poteſt. Confirmatur, quia ſi perſonæ non haberent diſtinctam exiſtentiam, non diſtinguerentur actualiter, ſeu per id quod actu ſunt, quoniam vnumquodque eſt ens in actu per exiſtentiam. Quod autem non eſt actu diſtinctum, minus propriè realiter diſtinctum dicitur.

19. *Arguitur 4. ex diuinis proceſſionibus.*

Arguo quarèò efficacius, quia realis productio, quam in diuinis veriſſimè reperiri credimus, petit eſſentialiter terminari ad exiſtentiam & actualitatem rei productæ; rem enim realiter produci, nihil aliud eſſentialiter eſt, quam accipere eſſe à producente. Sed diuina productio, vt formaliter productio, & ſecundum rationem diſtincta à ſimplici communicatione, non poteſt tendere, ſeu terminari in eſſe abſolutum, & eſſentiale perſonæ; quod cum præſupponatur in priori originis in perſona producente, non poteſt produci, ſed ſolum communicari cum alio eſſe verè ac propriè producto. Ergo tendere debet in aliud eſſe relatiuum, perſonale, ac proprium, vt in terminum formaliter productum. De quo eſſe intelligitur illud 1. Corinth.2. *Accepimus Spiritum qui ex Deo eſt.* & intelliguntur Patres paſſim docentes, Filium Dei habere eſſe à Patre. Satis igitur eſſe debet ad diſtinguendum eſſe Dei ab eſſe Filij, v.g. quia illud eſt improductum, hoc productum per veram ac realem generationem. Quo modo autem eſſe productum in diuinis, ſit abſque dependentia, aut alia imperfectione, diligenter explicatum eſt ſuprà q.27. art.1. num.174.& 175.

20. *Arguitur 5. ex vnione hypoſtatica.*

Arguo 5. Vnio hypoſtatica, cum ſit realis, & realiter exiſtens, & in vnum per ſe realiter connectens duo extrema realia, realiter exiſtentia, nimirum humanam

humanam Chriſti naturam, & diuinam Verbi perſonam, terminata eſſentialiter eſt ad aliquid exiſtens in Deo. Ergo ſi nulla datur in Deo exiſtentia propria perſonalis, ſequeretur quòd ex vi formali & immediata illius vnionis veniret aliquid non ſolum perſonale, ac proprium Verbi, quod eſt quidditas filiationis, ſed etiam eſſentiale, & commune totius Trinitatis, quod eſt eſſe abſolutum diuinæ naturæ. Vnde denominari propriè poſſet formaliter incarnata non ſolum perſona Verbi, ſed etiam ipſamet natura diuina Patris, Filij, & Spiritus ſancti; quod abſurdum eſſe conſtat ex materia de Incarnatione.

Solutio difficultatum.

21. *Obijcitur primò S.Thom.*

Obiicies primò, quia S. Thomas multis in locis, quæ refert Capreolus citatus ſupra num.11. expreſsè dixit, in tribus diuinis perſonis non dari niſi vnum eſſe. Nam ſupra quæſt.27. art.2. ad 3. ait, *Procedens ab alio, habet eſſe diuinum, non quaſi aliud ab eſſe diuino exiſtens.* & quæſt.28. art.2. fine Corporis, *In Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſe eſſentiæ, ſed vnum & idem.* Et in fine huius quæſt.30. *Perſonæ diuinæ habent vnum eſſe.* Et quæſt.42. art.4. ad 3. *Omnes relationes ſunt vnum ſecundum eſſentiam, & eſſe.* Et 3.p. quæſt.17. art.2. ad 3. *Non eſt aliud eſſe perſonæ, præter eſſe naturæ; & ideo tres perſonæ non habent niſi vnum eſſe: haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturæ.* Et de Potentia q.2. art.1. ante medium Corporis, *Quia ipſa eſſentia eſt ſuum eſſe, non accipit eſſe per ſuppoſita, in quibus eſt. Vnde per vnum & idem eſſe eſt in communicante, & in eo cui communicatur.* Et art.6. paulò poſt principium Corporis, *Non eſt concedendum, quòd aliquid abſolutum in diuinis multiplicetur; ſicut quidam dicunt, quòd in diuinis eſt duplex eſſe, eſſentiale & perſonale. Omne enim eſſe in diuinis eſſentiale eſt, nec perſona eſt niſi per eſſe eſſentiæ.* Et quæſt.8. art.2. ad 11. *In diuinis nullo modo eſt eſſe, niſi eſſentiæ; ſicut nec intelligere, niſi intellectus. Et propter hoc, ſicut in Deo eſt tantum vnum intelligere, ita & vnum eſſe: & ideo nullo modo concedendum eſt, quòd aliud ſit eſſe relationis, & aliud eſſentiæ.* Et quæſt.9. art.5. ad 19. *Nullo modo concedendum eſt, quòd in diuinis ſit niſi vnum eſſe; cum eſſe, ſemper ad eſſentiam pertineat, & præcipuè in Deo, cuius eſſe eſt ſua eſſentia. Relationes autem, quæ diſtinguunt ſuppoſita in diuinis, non addunt aliud eſſe ſuper eſſe eſſentiæ, quia non faciunt compoſitionem cum eſſentia. Omnis autem forma addens aliquod eſſe ſuper eſſe ſubſtantiale, facit compoſitionem cum ſubſtantia, & ipſum eſſe eſt accidentale, ſicut eſſe albi, & nigri.* Et 1.d. 33. quæſt.1. art.1. ad 1. loquens de eſſe, quod eſt actus eſſentiæ, vniuerſaliter de omni relatione etiam creata ait, *Hoc eſſe habet relatio ex his quæ cauſant ipſam in ſubiecto; ſecundum quod eſſe, non refertur ad aliud, ſed ad ſubiectum, ſicut quodlibet accidens. Et ſic dico, quòd non oportet, quòd eſſe eſſentiæ diuinæ, ſit ad aliud ſe habere, quia illud eſſe, in quo paternitas & eſſentia vniuntur, ſignificatur vt eſſe, quod eſt actus eſſentiæ; non autem vniuntur in eſſe, quod ſignificat definitio rei.*

22. *Reſpondetur expendendo S. Thomam.*

Reſpondeo in his locis ſæpe S.Thomam nil aliud intendere, niſi quòd eſſe perſonale non ſit à parte rei diſtinctum ab eſſe naturæ, vt conſtat ex primis quinque locis citatis ex ſumma. Quod maximè videre eſt ex vltimo loco 3.p. vbi quòd *in perſonis diuinis non eſt aliud eſſe perſonæ præter eſſe naturæ*, non aliter probat, niſi *quia perſona diuina eſt idem cum natura.* Sed perſona diuina & natura differunt ratione ratiocinata, etiam ſecundum S.Thomam, ex probatis ſupra, quæſt.28. art.2. dub.2. Ergo ſecundum S.Thomam eadem ratione differre debent eſſe naturæ & eſſe perſonæ. Quemadmodum in rebus creatis, quia natura & ſubſiſtentia differunt à parte rei formaliter, ſeu modaliter; ita pariter differunt exiſtentia naturæ, & exiſtentia ſubſiſtentiæ: & propterea in natura humana Chriſti Domini, ſicut deeſt ſubſiſtentia creata, ita deeſt completum eſſe, ſeu exiſtere naturæ creatæ, hoc eſt, eſſe ſubſiſtentiæ; non autem deeſt aliud creatum eſſe ſubſtantiale naturæ creatæ, quod neceſſarium omnino putamus, vt poſſit aſſumi à Verbo, & per realem vnionem hypoſtaticam illi ſuperadditam, vniri ſubſiſtentiæ increatæ Verbi, vt nunc ſuppono ex materia de Incarnatione.

In creaturi natura & ſubſiſtent æ habent duplex eſſe.

23.

Quoniam verò S.Thomas in aliis locis aliud negare videtur præter diſtinctionem inter eſſe naturæ, & eſſe perſonæ, addo, poſſe probabiliter explicari de eſſe abſoluto, per quod ſimpliciter, & abſolutè exiſtunt tres diuinæ perſonæ in vna natura, ſiue vnus numero Deus in tribus perſonis. Vox enim eſſendi, & exiſtendi prolata abſolutè, & abſque vllo addito, ſignificat propriè eſſe per ſe, & in ſe; eſſe enim in alio, & ad aliud, non eſt eſſe ſimpliciter, ſed eſſe cum addito, hoc eſt, cum alio eſſe, nempe abſoluto. Eſſe autem per ſe, & in ſe, eſt eſſe abſolutum, non inuoluens in ſuo eſſentiali conceptu aliud eſſe. Ergo qui loquitur de eſſe, nihil aliud addendo, poteſt ac debet intelligi de eſſe abſoluto, non de eſſe reſpectiuo, quod eſt eſſe cum alio eſſe. Quamobrem multi, quod ad modum loquendi ſpectat, prudenter aduertunt, non eſſe dicendum, eſſe in Deo triplex eſſe, ſed tantum vnum: poſſe vero dici cum addito, eſſe in Deo triplex eſſe relatiuum. Sicut ob eamdem rationem, quamuis in Deo ſint tres reales perſonæ realiter diſtinctæ, tamen, ne videamur ſignificare in diuinis pluralitatem abſolutorum, prohibemur ſimpliciter dicere, ibi eſſe tres entitates, ſeu res, ſeu perfectiones, ſiue etiam ſubſtantias, vt in ſuperioribus adnotatum eſt, ſed ſolum cum addito, *relatiuas.* Quam ob cauſam cenſeo à Damaſceno libro 1. Fidei cap.11. paulo ante medium *perſonalem perfectionem*, vocari non exiſtentiam, ſed *exiſtentiæ modum*; hoc eſt, exiſtentiam non ſimpliciter, ſed terminantem; & quaſi modificantem naturam diuinam, per ſe, & in ſe abſolutè exiſtentem. Hanc expoſitionem non obſcurè indicant verba citata ex quæſt.2. de Potentia art.6. Cum enim præmiſiſſet, nullum abſolutum in diuinis eſſe multiplex, inde ſtatim infert, non dari in diuinis duplex eſſe; Omne eſſe in diuinis eſſe eſſentiale; Perſonam diuinam non eſſe niſi per eſſe eſſentiæ: quæ ex antecedente præmiſſo, ſunt conſequenter intelligenda de eſſe abſolutè & ſimpliciter, non de eſſe ad aliud. Indicat etiã in 1.d.33. quæſt.1. art.1. poſt medium Corporis vbi ita diſcurrit; *Eſſe paternitatis non poteſt eſſe aliud eſſe quam eſſe eſſentiæ: & cum eſſe eſſentiæ ſit ipſa eſſentia, & eſſe paternitatis ſit ipſa paternitas, relinquitur de neceſſitate, quòd ipſa paternitas ſecundum rem eſt ipſa eſſentia.* Vbi apertè ponit duplex eſſe, & *eſſe eſſentiæ, & eſſe paternitatis.* Et illa limitatio, *ſecundum rem*, clarè ſignificat, non eſſe idem ſecundum rationem. Demum verbis allatis ex quæſt.2. de Potentia art.1. cum docuiſſet, *eſſentiam non accipere eſſe per ſuppoſita*, hoc non probat ex eo quòd ſuppoſita nullum habeant proprium eſſe, quod vtique dici facillimè potuiſſet, ac debuiſſet, ſi id verum eſſe putaſſet; ſed probat ex eo, quòd ipſamet eſſentia habeat commune eſſe abſolutum, ſibi intrinſecum & eſſentiale: *quia*, inquit, *eſſentia eſt ſuum eſſe.* Et ſtatim de hoc eſſe ſimpliciter ſubdit, *Idem eſſe eſt in communicante, & in eo cui communicatur.* Quod ex contextu clariſſimè conſtat dici de eſſe eſſentiali abſoluto, non de eſſe ſuppoſitali relatiuo: quod quidem ſupponere videtur S. Thomas, & ſolum vult, quod

Non eſſe i Deo tres exi ſtentias ſine addito.

Cur Damaſcenus vocet exiſtentiæ modum.

notaui supra num. 16. essentiam non existere per hoc esse, sed per illud aliud.

24. *Obijciuntur secundò Patres & eodem modo exponuntur.* Augustinus.

Obijciuntur secundò multi Patres, qui verè non negant, nisi plura esse absoluta, & distinctionem ex natura rei inter esse essentiæ absolutum, & esse personale relatiuum. Hoc modo frequentius loquitur Augustinus. Nam l. 7. de Trinitate cap. 4. circa finem ait, *Hoc est Deo esse, quod subsistere*; quod repetit cap. 5. fine. Vbi, vt ipsemet explicat, subsistere accipit pro esse substantiam, sicut sapere pro esse sapientem, seu sapientiam. Rursus in eodem cap. 4. ita ponit in Deo vnum esse, sicut vnam essentiam; quia, inquit, *Quod est, ad se dicitur*; *& ab eo, quod est esse, appellatur essentia.* Sed ibidem pro nostra sententia ita scribit, *Est aliud Deo esse, aliud Patrem esse*: quoniam, inquit, *Pater ad Filium dicitur relatiuè.* Vbi esse, simpliciter prolatum, sumit pro esse absoluto, præter quod admittit aliud esse cum addito, hoc est, esse relatiuum. Sicut enim ex doctrina Philosophi apud Peripateticos esse accidentis in alio, non dicitur simpliciter esse, sed esse alterius entis, nimirum substantiæ; ita esse relationis ad aliud, non propriè dicitur simpliciter esse, sed cum addito, esse ad aliud ens, nempe ad terminum. Quare cum paulò post in cap. 6. initio dicit, *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse*; ne in breui oratione pugnantia loquatur, est intelligendus de non esse aliud secundum rem, & ideo immediate post addit, *sed omnino idem*: superius autem dixerat, esse aliud secundum rationem. De eodem esse essentiali & absoluto docet Anselmus in Monologio cap. 43. post medium, *idem est Patris & Filij.* & iterum in fine, *Idem esse est alteri, quod alteri.*

Esse relationis non est simpliciter esse.

Anselmus.

25. *Obijcitur tertiò ex Bagnes.*

Obijcies tertiò existentia absoluta naturæ, est simpliciter infinita, & à parte rei omnino identificata cum personalitatibus; ergo sufficientissima vt per illam existant etiam personalitates. ita arguit Bagnes quæst. 40. art. 4. dub. 2. conclusione 3. eodemque fundamento præcipue vtitur Albertinus supra.

Respondetur existentiam absolutam esse infinitam in vno genere, nõ in omni.

Respondeo, esse infinitam non simpliciter in omni genere existentiæ tam absolutæ, quam respectiuæ; sed simpliciter in suo genere existendi absolutè. Per existentiam vero absolutam, vt absolutam formaliter, non potest relatio constitui formaliter in esse actualis respectus, vt probatum est supra n. 15. Satis igitur est ad infinitatem diuinæ existentiæ absolutæ, vt per illam existant omnes absolutæ perfectiones, quæ in infinita Dei natura reperiuntur. Hæc autem existentia absoluta, debet identificari cum existentia relatiua, vt per vnam simplicissimam existentiam, quatenus absolutam, existat natura; quatenus relatiuam, existat persona. Sicut enim in diuinis omnes ponimus vnam rem, siue entitatem, siue formalitatem, quæ sit absoluta & respectiua: ita ponere possumus vnam existentiam; & sicut infinitas vnitatis absolutæ non tollit quin entitas absoluta distinguatur secundum rationem ratiocinatam ab entitate respectiua; ita existentiæ absolutæ infinitas tollere non debet distinctionem rationis inter esse absolutum & esse respectiuum.

26. *Obijcitur quartò.*

Obijcies quartò, sequeretur, in Deo esse quatuor existentias, scilicet tres relatiuas, & vnam absolutam; sicut dicuntur esse quatuor relationes, etiam si vna relatio spiratoris identificetur cum duabus relationibus Patris & Filij.

Respondetur non esse quatuor existentias, sicut sunt quatuor relationes.

Respondeo, id non sequi; quoniam tres existentiæ relatiuæ, sunt identificè vna communis existentia absoluta. Neque obstat exemplum adductum de relationibus, quia licet relatio spiratoris identificetur Patri & Filio, tamen vt relatio spiratoris est, importat explicitè terminum, qui est Spiritus sanctus spiratus, distinctus realiter à Patre & Filio, & ideo ratione huius termini numerari potuit relatio spirationis actiuæ vt distincta à paternitate, & filiatione. At vero existentia absoluta non importat aliud, à quo in re distinguatur, sed cum omnibus omnino identificatur; & ideo si connumeraretur vt quarta existentia cum tribus existentiis relatiuis, significaretur in intrinseca sua ratione, & secundum se ipsam ab his in re distingui.

27. *Obijcitur quintò.*

Obijcies quintò si essent in Deo tres existentiæ relatiuæ trium personarum, sequeretur esse etiam ibi tres essentias relatiuas: quia existentia est ex propria sua ratione actualitas essentiæ: ergo quot sunt huiusmodi actualitates, tot pariter esse debent essentiæ per illas actuatæ. Tres autem essentias in diuinis quomodocumque admittere, nefas est: ergo etiam tres existentias.

Respondetur ex tribus existentijs non sequi tres essentias. Bagnes. Zumel.

Respondeo, negando simpliciter consequentiam: quamuis enim Bagnes supra quæst. 29. art. 3. immediate ante dubium, scripserit, *quòd hæc propositio, in Deo sunt tres essentiæ relatiuæ, posset aliqua ratione concedi*: tamen eam nulla ratione concedendam esse existimo, vt benè & acriter contendit Zumel supra quæst. 28. art. 2. disput. 4. ad 1. secundo loco factum: quia nomen essentiæ, iuxta communissimum loquentium Theologorum ac Philosophorum vsum, est minus transcendentale, quam nomen existentiæ: essentia enim significat propriè aliquid vt contra distinctum non solum ab existentia, sed etiam à subsistentia & inhærentia. Et ideo describi solet, Principium operationum & proprietatum, & fundamentum existentiæ, subsistentiæ, & inhærentiæ. Vnde communiter asserunt Theologi, posse per Dei potentiam corrupta subsistentia, vel inhærentia, non corrumpi essentiam, vt patet in mysteriis Incarnationis & Eucharistiæ. Non rectè igitur tribuitur essentia relationibus personalibus, cum hæ concipiantur, & significentur vt distinctæ ab essentia, nimirum vt personalitates, & subsistentiæ incommunicabiles essentiæ communis. Sicut enim in homine, v.g. nemo dicit, esse duplicem essentiam, alteram naturæ humanæ, alteram humanæ subsistentiæ, seu personalitatis; & in calore inhærente, esse essentiam caloris, & essentiam inhærentiæ: ita nec in diuinis licet admittere essentiam absolutam Deitatis, & essentiam relatiuam personalitatis. Essentia enim diuina significat id, quo Deus constituitur formaliter in esse Dei, quod neque absolutè, neque relatiuè multiplicatur. Et præterea in diuinis essentia valet idem quod natura: plures autem naturas relatiuas ibi admittere non licet catholicis, teste Iustiniano in edicto Fidei, aliquanto ante medium illis verbis, *Nemo vnquam ausus est in Catholica Ecclesia dicere, quòd sicut tres subsistentiæ, sic & tres naturæ sunt Sanctæ Trinitatis. Tres enim naturas in Sanctæ Trinitate solus Arius ausus est dicere.* Quod edictum extat in 2. tomo Concilium ante Sanctam Synodum pag. 654. Ergo nec admittere licet tres essentias relatiuas. Existentiæ vero nomen est magis transcendentale; tribuitur enim non solum essentiæ hactenus explicatæ, verum etiam subsistentiæ, & inhærentiæ; quia est formalis actualitas cuiusliber entis realis possibilis, &, vt docet S. Thomas supra, quæst. 4. art. 1. ad 3. *Ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum: nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est.* Sunt autem res, siue aliquid positiuum reale extra nihil, non solum essentia, sed etiam subsistentia & inhærentia. Quapropter si nulla existentia in rebus sit, nulla quoque essentia, nulla subsistentia, aut inhærentia, actu in rebus esse poterit. Igitur ad multiplicationem subsistentiarum, & personalitatum diuinarum, mutiplicare aliqua ratione possumus

Iustinianus.

Existentiam conuenire non solum essentiæ, sed etiam subsistentiæ & inhærētiæ.

S. Thomas.

possumus existentias personalitatum, non autem essentias. In pluribus enim personalitatibus diuinis, vt præcisis à natura diuina, non sunt plures essentiæ, sed potius plures quidditates, seu formalitates, vel plures rationes quidditatiuæ, seu formales, siue etiam essentiales, aut essentialiter distinctæ: quoniam personalitas, præcisè sumpta, non habet, in se essentiam propriè dictam, sed ipsa potius est aliquid essentiæ; habet vero propriissimè suam existentiam, per quam fit formaliter ens in actu, & ponitur formaliter extra ordinem rerum possibilium. Nego igitur existentiam ex sua propria ratione correspondere soli essentiæ, & esse actualitatem solius essentiæ; nam ex doctrina S. Thomæ supra, correspondet vniuersalissimè cuilibet enti actuali, quod non solum est essentia, sed etiam essentiæ personalitas, seu suppositalitas, vt in substantiis, & essentiæ inhærentia, vt in accidentibus.

28. *Obijcitur sextò.*

Obijcies sextò quia sicut nos dicimus tres existentias relatiuas, ita aliquis dicere pariter posset tres sapientias, vel omnipotentias relatiuas.

S. Thomas.

Respondetur non esse eamdem rationem: quia sapientia, omnipotentia, & similia, non sunt diuina nomina transcendentalia, hoc est, quæ tam conueniant naturæ communi, quam personalitatibus à natura abstractis; cuiusmodi est nomen existentiæ. Nomina autem transcendentia, & non alia, vt docet S. Thomas infra, quæst. 39. art. 3. ad 3. dici possunt de Deo singulariter, & pluraliter; vel, vt alij loquuntur, essentialiter siue absolutè, & personaliter, siue relatiuè. Ex hac autem responsione

39. *Obijcitur septimò & tractatur, an in Deo sint tres relatiuæ durationes & æternitates.*

Obijcies septimò quia allata ratio probaret, posse concedi tres durationes relatiuas, & tres relatiuas æternitates, inter se realiter distinctas; sicut conceduntur tres existentiæ relatiuæ: tum quia æterna duratio est transcendens, cum non solum conueniat diuinæ naturæ, sed etiam diuinis personalitatibus: tum quia duratio, vt constat ex tractatis tomo 1. quæst. 10. art. 1. dub. 2. vel est ipsa existentia in quantum non desinit, sed se ipsa correspondet aliis durationibus extrinsecis, siue realibus, siue imaginariis; vel est realis quidam permanentiæ modus, quo existentia fit intrinsecè, & formaliter præsens durationibus extrinsecis; quemadmodum Vbi, secundum multos, est realis quædam forma, qua locatum fit intrinsecè & formaliter præsens spatio extrinseco, siue reali, siue imaginario: & tunc, sicut quia existentia est modus intrinsecus, superadditus subsistentiæ, multiplicatis subsistentiis, multiplicamus existentias; ita quia duratio est modus intrinsecus, superadditus existentiæ, multiplicatis existentiis debent pariter multiplicari durationes.

Refertur sententia Suarez.

Respondet Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 11. sect. 2. col. 7. & 8. concedendo in Deo tres durationes relatiuas distinctas realiter. Item, posse etiam concedi tres æternitates relatiuas, & Athanasium dicentem in Symbolo, non tres æterni, sed vnus æternus, posse exponi de æternitate simpliciter, & absoluta; non autem cum addito, & relatiua: *sed quia*, inquit, *in hac materia oportet cautissime loqui, mihi magis placet negare hanc secundam sequelam*, nempe, dantur in diuinis personis tres durationes relatiuæ, ergo tres æternitates relatiuæ. Et disparitatem affert, *quia ratio durationis abstractior est, quam ratio æternitatis; vnde ex vi sui conceptus non dicit tantam perfectionem, quantam dicit æternitas.* Nullo autem modo esse multiplicandas æternitates, probat primo, quia æternitas dicit perfectissimam durationis rationem, hoc est, durationem increatam, & ab intrinseco necessariam, atque immutabilem: quam perfectionem non habet relatio vt relatio, sed ratione naturæ diuinæ, essentialiter inclusæ. 2. quia pariter liceret concedere tres sapientias relatiuas, tres immutabilitates relatiuas, tres infinitates relatiuas, tres actus purос relatiuos.

30. *Si sunt in Deo tres durationes, sunt etiam tres æternitates relatiuæ.*

Verum hæc non videntur multum vrgere. Ad disparitatem dico, nullam esse. esto enim duratio sit abstractior æternitate, quia illa est genus, hæc species; tamen hoc non facit, vt possit multiplicari genus non multiplicatis speciebus. Enim vero nullam superius esse potest multiplex, nisi fuerit in multis suis inferioribus. Ergo est nimis euidens consequentia, esse in Deo plures æternitates, si in eo sunt plures durationes: præsertim quia in Deo realiter non potest fingi esse duratio abstracta à creata & increata, sed ea necessariò esse debet diuina & increata, non minus quam diuinæ & increatæ sunt relationes & existentiæ quæ in Deo realiter sunt. Duratio autem diuina & increata non potest esse alia nisi æternitas. Quod contra Suarez benè notauit Vasquez d. 126. fine.

31. *Dei relationes secundum proprium cõceptum respectiuum, esse increatas, necessarias, immutabiles.*

Ad primam probationem, nego esse illas perfectiones in æternitate, & non in relatione diuinæ personalitatis: nam non minus diuina & increata est relatio Dei, quam æternitas Dei; ergo non minus necessaria & immutabilis. Consequentia est manifesta. Antecedens probatur, quia sicut æternitas est perfectissima species durationis ex eo quòd ex se est duratio necessaria & immutabilis; ita relatio personalitatis, seu substantialis, est perfectissima species relationis, ex eo quòd ex se, & secundum propriam rationem talis relationis, est subsistentia incommunicabilis, & vltimus substantialis terminus, seu substantiale complementum diuinæ naturæ; quod nulla alia relatio habere potest nisi necessaria & immutabilis, ac proinde increata & diuina. Solutio confirmari potest ad hominem, quia in diuinis relatio, vt relatio, hoc est, secundum conceptum relationum, quem addit supra essentiam, est ex se, & ex propria relatiua subsistentia subsistens, & non est subsistens subsistentia absoluta essentiæ: hoc autem illi conuenit ex eo, quòd per se considerata, formaliter secundum id quod addit essentiæ, sit increata, & diuina, cum omnis creata relatio sit accidens, & inhærens, & maximè proprium diuinæ relationis sit esse per se subsistens, imo ipsam personalem subsistentiam diuinæ naturæ. Ergo perfectionem entis necessarij, & immutabilis, & increati & diuini, non habet relatio personalis ex essentia essentialiter inclusa, quam inclusionem superius ex instituto confutaui, quæst. 28. art. 2. dub. 4. Ergo etiam tres durationes in essentiali & intrinseco conceptu singularum relationum personalium formaliter inclusæ, habent easdem perfectiones. ergo sunt tres æternitates imparticipatæ.

32.

Ad secundam probationem, me propter hanc rationem supra quæst. 28. art. 2. num. 150. concessisse, & probasse cum Valentia, & Arrubal, tres infinitates relatiuas: atque eadem ratio est de tribus immutabilitatibus relatiuis, & de quocumque alio prædicato, quod conuenit personalitatibus, vt præcisis a natura communi; cuiusmodi non est sapientia, & ideo numquam licet concedere tres sapientias. Idemque videtur de actu puro, quamuis enim quælibet diuina personalitas, sit ex se essentialiter actualis & pura, tamen nomine actus puri propriè, & absolute loquendo ex communi vsu Theologorum significatur aliqua perfectio non solum absque vlla passiua potentialitate, quæ est propria rerum creatarum, sed etiam absque vlla simpliciter distinctione; quam vnitatis puritatem inter se non habent diuinæ relationes, realiter inter se distinctæ, sed solum habent diuina natura & quodliber

Non dari tres actus puros relatiuos.

absolu

absolutum illius prædicatũ, quæ nulli opponuntur, sed simplicissimè ac purissimè sunt quicquid est in Deo, siue absolutum, siue respectiuum; vel siue essentiale, siue attributale, siue personale. Quamquam Zuniga disp. 5. dub. 11. num. 11. non dubitat concedere tres actus puros relatos.

Zuniga.

33. *Obijcitur octauò ex Syluestro & Bagnes.*

Obijcies octauò fundamentum præcipuum, quod breuissime tetigit Syluester verbis citatis supra num. 11. & fusius prosequitur Bagnes supra. *Esse existentiæ in diuinis non est relatiuum, sed omnino absolutum.* Quod antecedens probat Bagnes primo, quia *diuinæ personæ, prout existunt, non habent esse ad aliud, sed in se ipsis.* 2. quia *non opponuntur in hoc quod est existere.* 3. ex absurdo, quia sequeretur quòd aliqua perfectio simpliciter esset in vna persona, non in alia.

Respondetur probando, existentiam posse esse relationem.

Respondeo, antecedens esse falsum, conuinci posse ad hominem, quia Bagnes, sequens Caietanum, admittit in diuinis tres subsistentias relatiuas, quas mox probabo in quarta dubitatione. Multò autem difficilius concipitur subsistere relatiuum, quam existere relatiuum; quoniam subsistere, videtur expressius importare esse in se, quam simpliciter existere. Ergo facilius intelligitur conceptus relatiui coniunctus cum existentia, quam cum subsistentia; siue cum ente, quam cum ente per se, seu substantia. Et ratio à priori est, quia esse, siue existere, dicitur per ordinem ad ens, in quantum ens. Sed ens benè diuiditur in absolutum & respectiuum; ergo etiam esse, siue existere. Ergo sicut falsum est, omne ens esse absolutum; ita etiam falsum est, omne existere esse absolutum. Vnde supra quæst. 28. art. 2. num. 194. de relatione etiam creata ostendi, illam existere existentia propria relatiua, distincta ex natura rei ab existentia absoluta fundamenti. Neque verè contradicit S. Thomas, qui in contrarium refertur, 1. d. 33. quæst. 1. art. 1. ad 1. circa finem illis verbis, *Relatio habet esse ex his quæ causant ipsam in subiecto; secundum quod esse non refertur ad aliud, sed ad subiectum, sicut quodlibet accidens.* Loquitur enim de esse relationis secundum rationem genericam accidentis; qua formali consideratione non refertur ad terminum, sed ad subiectum; non secundum specificam, ac propriam rationem relationis, secundum quam est ad aliud extra subiectum. Quare negatur, quod assumitur in prima & secunda probatione prædicti antecedentis, nempe diuinas personas, prout existunt, non esse ad aliud, nec opponi. Tertia probatio premit etiam arguentem, & reliquos omnes, si fiat de ipsa subsistentia relatiua, quam arguens in diuinis realiter multiplicat, sicut nos multiplicamus relatiuas existentias; vel saltem de ipsa personalitate, quam omnes fideles realiter multiplicem esse fatemur. Quid autem hac in re sentiendum, & quo modo loquendum sit, satis superque dictum est supra quæst. 28. art. 2. à num. 132. ad 149.

S. Thomas.

DVBITATIO III.

An in tribus diuinis personis sit vna communis subsistentia absoluta.

SVMMA.

1. *Quid de re ipsa sentiendum sit, num. 34. ad 37.*
2. *Quid sit de nomine sentiendum, num. 37. ad 47.*
3. *Sententiam de subsistentia absoluta non esse nouam nec contra Sanctos Patres, num. 47. ad 53.*
4. *Subsistentiam absolutam non afferre rationem personalitatis, num. 53.*
5. *An abstractis per intellectum personalitatibus remaneat hic Deus, num. 54. ad 58.*

VT perfectè intelligantur, & in concordiam reuocentur multi Theologi, præsertim recentiores, qui inter se nimium discrepantes esse videntur, vt mox referam, duplex quæstio distinguenda est; altera facilior de re; altera paulò difficilior de nomine.

Quid de re ipsa sentiendum sit.

34. *Prima conclusio, existentia absoluta Dei est per se, & in se.*

Prima conclusio. Existentia communis absoluta, quã in Deo omnes ferè admittimus, vt supra dub. 1. est essentialiter, siue ex suo proprio, & quidditatiuo conceptu, non solum existentia *per se*, hoc est, non in alio tamquam in subiecto inhæsionis, qualis est existentia cuiuslibet accidentis; sed etiam est existentia *in se*, hoc est, in nullo alio simpliciter sustentante illam, siue vt in subiecto, quomodo sustentatur esse accidentis; siue vt in toto, quomodo secundæ substantiæ habent esse dependens à primis, & materia prima, & formæ substantiales corruptibiles habent esse dependens à composito; siue vt in supposito, quomodo singularis humanitas Christi in esse sustentatur ab alieno supposito Verbi, & omnis alia singularis substantia sustentatur à proprio supposito, siue incommunicabili subsistentia, addita supra substantialem existentiam, vt supra quæst. 29. art. 1. à num. 5. ad 9. Vtor his terminis *essendi per se*, & essendi *in se*, cum Alberto p. p. summæ quæst. 43. membro 2. art. 1. Corp. illis verbis, *Hypostasis dicit ens in se, per se subsistens.* Et cum S. Thoma supra quæst. 29. art. 2. post medium Corporis. Quamuis enim eos confundere videatur, tamen distinguere commodè possumus: cum non solum constet, quamlibet substantiam habere esse independens à subiecto inhæsionis; sed etiam excepta hac dependentia propria accidentis, inter ipsasmet substantias dari alias dependentias in esse substantiali non repugnantes substantiæ, vt prædictis exemplis explicatum est. Esse igitur substantiale independens primo modo vocatur communiter *esse per se*; independens autem secundo modo, benè vocari potest, *esse in se.*

Albertus.

S. Thomas.

35. *Conclusionis fundamentum.*

His positis, conclusio esse debet apud omnes indubitata: quoniam esse diuinum absolutum debet necessario esse, & concipi cum omni absoluta perfectione essendi, alioqui non esset, nec conciperetur vt diuinum & increatum, ac proinde vt simpliciter infinitum & illimitatum in ratione absoluta essendi. Sed in hoc genere absolutè essendi, perfectio simpliciter simplex est tum esse per se independenter à subiecto inhæsionis, vnde habetur esse substantiale distinctum ab esse accidentali; tum esse in se independenter à quocumque alio sustentante, quod non conuenit omnibus substantiis creatis, sed vni tantum, quam nominamus suppositum. Ergo vtraque perfectio essendi absolutè, & per se, & in se, negari non potest diuinæ existentiæ absolutæ. Vnde tria intelligimus. Primum, quòd Deus, etiam vt præcisus à suis suppositis, habet esse perfectius quouis esse creato præciso à suppositalitate, non solum perfectius in quantitate essendi, in quantum esse Dei est infinitum, esse creaturæ est finitum; sed etiam in qualitate, seu ratione formali essendi, in quantum esse Dei est per se, & in se, non habens à supposito, vt sustentetur, & simpliciter sit, sed tantum vt sit terminatum, & incommunicabile; esse vero creaturæ esse quidem per se, tamen non in se, cum à supposito habeat non solum vt sit incommunicabile, sed etiam vt simpliciter sit, ac verè sustentetur, ita vt si natura substantialis spoliaretur supposito, non solum desineret esse terminata, & incõmunicabilis, sed

Perfectio existentiæ increatæ supra creatam.

Differentia suppositi creati ab increato.

sed etiam in se ipsa sustentari non posset, sed caderet, & in nihilum redigeretur. Secundum, quòd suppositalitas in creaturis habet duplex munus & terminandi, & sustentandi; & propter hoc secundum munus, supponit imperfectionem in esse substantiali, quod sustentat. At vero suppositalitas in diuinis, non habet nisi vnum munus simplicissime ac perfectissime terminandi; vbi nulla reperitur imperfectio, neque ex parte terminantis suppositi, neque ex parte naturæ terminatæ. Tertio possumus profundius explicare illud commune dictum, in Deo idem est id quo est, & id quod est; vt non solum significetur omnimoda identitas ex natura rei inter diuinas rationes abstractas & concretas; sed præterea prædicta perfectio diuinæ existentiæ; in quantum esse Dei non solum est id, quo existit Deus, quod habet etiam esse creaturæ; sed etiam ipsum per se, & in se est completum, ac perfectum esse, nullo alio intrinseco terminо indigens vt sit id quod est. Quam perfectionem nullum esse præcisum à supposito habere potest, nisi solum esse increatum. Suppono enim ex Metaphysica, quod maximè didicimus ex sacrosancto Incarnationis mysterio, esse essentialem conditionem cuiuslibet naturæ substantialis creatæ, ac proinde limitatæ, atque imperfectæ, vt habeat existentiam à parte rei distinctam à subsistentia; & vt eius subsistentia sit absoluta per ordinem ad ipsum esse intrinsecum, quod perficit, non relatiua per ordinem ad aliquem extrinsecum terminum. Hæc igitur creata existentia, vt pura existentia dans formaliter & præcisè esse actuale in re, & constituens extra ordinem rerum possibilium, & vt distincta à parte rei à subsistentia, licet sit substantialis, ac proinde habeat fundamentaliter & aptitudinaliter per se subsistere, hoc est, posse non dependere nec ab extrinseco subiecto materiali, nec ab intrinseco termino, seu modo subsistendi, tamen in sua actuali & intrinseca ratione essendi est infirma & imperfecta, & ideo indigens alio absoluto quodam subsistendi modo, quasi sustinente vires suas limitatas ac debiles, & vt dante illi formaliter & actualiter esse per se existens, seu subsistens. Cuius generis imperfectio cogitari non potest in esse absoluto naturæ diuinæ, sed concipiendum est tamquam totale esse *vt quod*, non petens aliam subsistentiam ad sui sustentationem, propter defectum aliquem intrinsecum in ipsa essendi ratione; sed solum ad simplicem ac puram sui terminationem propter perfectam constitutionem in genere substantiæ ex natura & supposito.

Quid sit, in Deo idem esse id quo est, & id quod est.

36. *Secunda conclusio ne ratione quidem distinguitur in Deo esse absolutum à subsistere absoluto.*

Secunda conclusio. In natura diuina abstracta à personalitatibus, non est, nec rectè concipi potest subsistentia aliqua absoluta, ne secundum rationem quidem distincta ab existentia absoluta. Hoc nullus negat, quem sciam. Nam etsi multi sint, qui contendant, dari in Deo subsistentiam absolutam, quam vocant quartam subsistentiam, nimirum ratione distinctam à tribus relatiuis subsistentiis, inter se realiter distinctis; tamen nolunt, hanc subsistentiam aliqua ratione distingui ab existentia absoluta, sed dicunt, hanc ipsam existentiam esse adeò perfectam, vt ipsa intrinsecè & essentialiter sit subsistentia, hoc est, per se, & in se existentia, sibi sufficientissima ad rationem essendi, absque vlla indigentia alterius sustentantis, non minus ac sufficiens est esse, ac subsistere ipsummet diuinum suppositum. Et hoc tantum voluit Caietanus infra, quem immerito in contrario sensu refert & impugnat Valentia hic quæst. sua 13. puncto 3. quæstiunc. 2. §. *Si verò.* Ratio est, quia omne subsistere, distinctum ab esse, debet comparari ad esse, vel vt purè terminans esse, & faciens illud incommunicabile; quemadmodum sub-

Caietanus. Valentia.

Imperfectio substantialis existentiæ creatæ.

sistentia personalis relatiua comparatur ad esse absolutum diuinæ naturæ: vel vt perficiens, & sustentans esse, & quasi manutenens, ac fulciens ne ruat; quemadmodum subsistentia suppositalis comparatur ad esse substantiale creatum. Vtraque comparatio cum diuina natura apertè pugnat. Prima ponit rationem personæ in Deo præciso à personis. Secunda in esse absoluto Dei ponit imperfectionem, & insufficientiam essendi. Ergo subsistentia absoluta, distincta ab existentia, nulla ratione esse, aut rectè cogitari potest in Deo.

Quid sit de nomine sentiendum.

37. *Tertia conclusio, subsistentia absoluta prout accipitur in creaturis, non dicitur de Deo.*

Tertia conclusio Nomen subsistentiæ in ea communi ac philosophica significatione, qua primò impositum est creaturis, & de creaturis vsurpatur, attribui non potest Deo à personis præciso. Et consequenter, in hoc sensu vnam subsistentiam in Deo asserere, est error Sabellianus. Ratio manifesta est, quoniam sicut nomine inhærentiæ significatur aliquid additum supra esse accidentale, quo addito esse accidentis vnitur subiecto; ab eoque sustentatur, ac pendet in sua essendi ratione; ita in creaturis, subsistentiæ nomine, opposito inhærentiæ, significatur aliquid additum supra esse substantiale, quo addito esse substantiæ, seu substantialis naturæ, non solum in se ipso intrinsecè sustentatur, independenter ab alio extrinseco subiecto, verum etiam in genere substantiæ omnino terminatur, ac personatur, seu supponitur. Vnde humanitati Christi Domini, in qua non est humanum suppositum, non deest existentia creata, sine qua non posset realiter vniri hypostaticè Verbo Dei, vt probaui in propria materia, sed deest solum creata subsistentia, loco cuius sustentatur, & personatur subsistentia propria Verbi diuini. Ergo qui in Deo, absolutè considerato, admittit vnicam eiusdem generis subsistentiam, præter imperfectionem in esse diuino absoluto, admittit quoque in eodem esse cum Sabellio vnicam personam.

38. *Iuxta tertiã conclusionem loquuntur.*

Iuxta hanc primariam nominis impositionem, & vsurpationem accipienda sunt multa Patrum & Scholasticorum dicta, quibus vnam Dei subsistentiam reiiciunt ac damnant. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in epistola quæ habetur in sexta Synodo Actione 11. circa principium, ab eaque vt doctrinam fidei continens recipitur Actione 13. aliquanto post principium, ita loquitur columna 5. *Neque vnus Deus est in vnam se ipsum colligens subsistentiam, in vnamque coërcens non numerandam personam. Sabellianorum ista est prauitas in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnam personam easdem tres conspergens personas.* Et paulò post, *Impium est, tam singularitas circa subsistentiam, quam ternalitas in naturis.* Et rursus post multa, *Neque substantias confundentes, & in vnam eas subsistentiam deducentes.* Vbi ex verbis ipsis, quibus quod dicitur de subsistentia, statim magis declaratur sub nomine personæ, manifestum est subsistentiam sumi pro persona. Quo sensu eadem Synodus Actione 17. in Definitione Fidei confitetur, *Christum in duabus naturis, & in vnam personam, & in vnam subsistentiam, concurrentem, non in duas personas diuisum.* Et Basilius epistola 78. non longè ab initio, *Non enim idem esse dixerunt Patres illi*, nimirum Nicæni Concilij, *essentiam & subsistentiam.* Et Iustinianus Imperator in edicto Fidei, multò ante medium, vt supra num. 27. *Omnes sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, siue substantiam & formam; & aliud subsistentiam, siue personam. Et naturam quidem hoc, quod est commune, significare; subsistentiam verò siue personam, hoc quod*

Sexta Synod.

Basilius.

Iustinianus.

est speciale. Profectò tam frequens declaratio subsistentiæ per additionem personæ, quam etiam videre est in aliis testimoniis inferius referendis, non obscurè indicat, nomen subsistentiæ non esse ita proprium personæ, vt non possit etiam propriè aliis accommodari, quod mox probabo in sequenti conclusione. Item refertur Theodoretus in additionibus ad Breuiarium Liberati, Fragmento penultimo §. *Arguitur itaque*, ad finem ita dicens, *Credantur tres subsistentiæ, siue personæ; non autem vna Trinitatis subsistentia secundum Sabellium.* Et ad Hebræos 1. exponens illud, *Figura substantiæ*, ait, quòd Ioannes dixit, *Deus erat Verbum, propriam eius significans hypostasim, seu personam ac subsistentiam.* Et Eugenius 4. in Concilio Florentino in literis vnionis post medium definit, *Filium esse principium subsistentiæ Spiritus sancti.* Et Alexander Alexandrinus Episcopus epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum columna 3. & habetur in Concilio Nicæno 1. 1. ante medium ait de Ioanne, *Proprium eius*, hoc est, Filij Dei, *subsistentiæ modum declarauit his verbis, in principio erat Verbum*, &c. Et columna 4. non semel personam Verbi vocat subsistentiam. & Damascenus libro 1. Fidei, cap. 6. circa finem. *Dei Verbum, quod est Filius, qua subsistit secundum se ipsum, discernitur ab eo, à quo subsistentiam habet.* Præterea in quarta & quinta Synodo, & in edicto Iustiniani sæpe dicitur, Incarnatio facta secundum subsistentiam Verbi, non secundum naturam. Quo dicto subsistentia clare sumitur pro persona. Demum ipsemet S. Thomas quæst. præcedente art. 2. docet, subsistentiam, suppositum, & Hypostasim, idem significare. Vnde in 3. p. quæst. 3. art. 3. ad 1. ait, *Quicquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abstracto, secundum se consideretur, alij circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona.* Et verbis sequentibus rursus subsistentiam & personam confundit, dicens, Remanebit natura diuina vt subsistens, & vt persona. Et in fine. *Ratione suæ subsistentiæ, vel personalitatis.* Certum igitur esse debet, quòd nomen subsistentiæ, secundum aliquam significationem, nimirum secundum quam tribuitur creaturis, tribui non potest Deo absolutè considerato. Subsistentia enim in creaturis non solum significat substantialem naturam per se & in se existentem, sed etiam incommunicabilem, & omnino terminatam in genere substantiæ: qualis subsistentia non potest esse in Deo absolutè sumpto, qui persona non est, sed communis est tribus personis.

Theodoret.

Concilium Florentinū.

Alexander Alexandrin.

Damascenus.

Quarta & quinta Synodus.

S. Thomas.

39. *Quarta conclusio, subsistentia in alia significatione tribuitur Deo, etiã vt præciso à personis.*

Quarta conclusio. Nihilominus idem subsistentiæ nomen in alia significatione commodè, ac propriè potest & debet tribui, & de facto à quamplurimis sapientissimis Theologis, tam antiquis, quam nouis, rationabiliter tributum est naturæ diuinæ, vt præcisæ à personalitatibus. Quapropter iam sine vllo scrupulo, imo magna cum probabilitate, ac necessitate dici potest, in diuinis præter tres subsistentias relatiuas, ac personales, inter se realiter distinctas, dari quartam subsistentiam, præsertim si ad maiorem loquendi cautelam addas, absolutam & essentialem, communem tribus personis, ab eisque non re distinctam, sed sola ratione. Probo primo dari aliam subsistentiæ significationem, ita vt non sit necessarium, illam semper vno modo sumi pro persona. Tum quia Fonseca 5. Metaphysicæ cap. 8. quæst. 5. sect. 4. eruditè distinguit, ac probat quinque subsistentiæ acceptiones. Primam pro vera ac reali existentia. Secundam pro existentia reali, quomodolibet subiecta aliis. Tertiã pro existentia reali quę nec actu nec potentia sustentatur in subiecto inhæsionis: & ita accipit S. Thomas cum dicit 1. d. 23. q. 1. art. 1. aliquanto ante medium Corporis, *Subsistere dicit determinatum modum essendi, prout scilicet aliquid est ens per se, non in alio sicut accidens.* Et multò post medium, *Constat quòd nomen subsistentiæ per prius conuenit generibus, & speciebus in genere substantiæ, vt dicit Boëtius libro de duabus naturis.* vbi multo ante medium ait, *Genera & species subsistunt.* & deinde S. Thomas ibidem ad 3. *Subsistere dicitur aliquid, in quantum est sub esse suo, non quòd habeat esse in alio, sicut in subiecto.* Quartam pro existentia reali pendente ab alio, non mhærenter, sed aliis modis explicatis supra num. 34. Quintam pro existentia reali omnibus prædictis modis independente, quæ est propriè subsistentia incommunicabilis ac personalis. Tum quia Patres citati num. præcedente, & citandi sequenti dubitatione cum volunt loqui de diuinis personis, sæpissimè non dicunt simpliciter, & sine vllo addito, subsistentiam, sed sub disiunctione addunt, subsistentiam, vel personam; aut limitanter addunt, subsistentiam personalem. Ergo videntur apertè supponere, subsistentiæ nomen ex se tantum non importare personam, ac proinde posse benè aliis accommodari quæ non sunt persona. Quod confirmatur ex eo quòd cum definitur persona, non satis eam intelligimus dicendo simpliciter, est subsistentia, sed communiter additur, est subsistentia incommunicabilis. Ergo subsistentia, vt subsistentia, non importat incommunicabilitatem. Ergo nec personalitatem. Ergo non habet vnam tantum significationem personæ, sed potest in alia significatione importare propriè aliquid aliud, quod non sit persona.

Boëtius.

40. *Necessitas, quæ esse Dei absolutum, vocari debet subsistere,*

Probo secundò subsistentiæ nomen, ob commoditatem ac necessitatem loquentium Theologorum, de natura diuina rectè sentientium, esse tribuendum existentiæ absolutæ Dei: quoniam hæc realiter, vt probaui in prima conclusione de re, non solum est existentia, quam etiam habet accidens, nec etiam est sola existentia per se, per independentiam à subiecto inhæsionis, quam habent omnes substantiæ, etiam creatæ, & partiales, imò etiam totales, si non sint personæ, vt natura humana Christi absque propria personalitate, sed est præterea existentia in se, quam nulla alia creata substantia habet, nisi sit suppositum, seu persona. Ergo hæc existentia non potest satis explicari per simpliciter esse; vel per esse per se, & non in alio; vel per esse substantiale completum; sed solum explicari vtrumque potest per illud nomen, quo in creaturis explicatur esse omnino perfectum, independens in ratione essendi à quocumque sustentãte, siue subiecto, siue intrinseco termino, quod esse habent in creaturis solæ substantiæ, quas vocamus suppositas, seu personas. Hoc autem nomen est subsistentia. Ergo non commodum tantum, sed necessarium est, si volumus ab explicatione rei, prout in se est, quam minimè possumus, recedere, vt esse diuinæ naturæ absolutum, habens omnes illas perfectiones, per se, & in se essendi, quas habet persona in rebus creatis, significetur eodem subsistentiæ nomine, quo vtimur in significatione personæ creatæ.

41. *Esse Dei absolutum, propriè vocari subsistere.*

Probo tertiò hanc significationem non solum esse commodam & necessariam, verum etiam propriam, spectata forma nominis subsistentiæ: quoniam subsistentia non exprimit rationem incommunicabilitatis, qua suppositum constituitur; sed solum exprimit perfectissimam essendi vim, nullo alio adminiculo indigentem, vt sustentetur, & in rerum natura permaneat, atque consistat: quod maxime habet ex se, seu per se, & in se absoluta existentia diuinæ naturæ. Ergo hæc existentia potuit ex vi nominis dici propriè subsistentia. Neque vero facienda est vis in illa particula, *Sub*: tũ quia in diuinis ne

Fonsecca.

S. Thomas.

nec subsistentia quidem personalis est propriè sub natura, cum sit ipsamet natura per summam identificationem in re: tum quia si huiusmodi particulæ impedirent nominis proprietatem, diuina natura multò minus propriè dici posset substantia; & omnia nomina concreta, vt sapiens, iustus, & similia, quibus significatur habens formam, impropriè dicerentur de Deo: tum quia, vt dicebat S. Thomas supra, *subsistere dicitur aliquid, in quantum est sub esse suo:* & imperfecto nostro concipiendi modo, existentiam Dei distinguimus ab essentia, & sub essentia stare concipimus, & ita subsistentiam nominamus: tum quia eiusdem vocis proprietatem ita tradidit idem S. Thom. q. præcedente 29. art. 2. post medium Corp. *Substantia secundum quod per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia: illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt.* Natura vero diuina præcisa à personalitatibus est substantia existens non in alio, sed per se, & in se, ita vt in sua essendi actualitate nullo modo pendeat, aut fulcimentum aliquod accipiat à suis personalitatibus, quod est diuinitatis maximè proprium, cum omnis creata natura in suo esse actuali in rerum natura ab absoluta suppositi subsistentia necessariò pendeat. Ergo absoluta Dei existentia secundum S. Thomam dici propriè potest subsistentia, & diuina natura absoluta per illam propriè subsistens, ac subsistere.

S. Thomas.

42. *Subsistentiam absolutam Deo tribuit.* S. Thomas in summa.

Probo denique 4. ita fuisse loquutos Authores nec paucos, nec ignobiles, in primis frequentius & clarius S. Thomam. Nam supra q. 4. art. 2. circa med. Corp. & ad 3. in fine ait, *supra ostensum est, quòd Deus est ipsum esse per se subsistens; ex quo oportet, quòd totam perfectionem essendi, in se contineat.* Vbi loquitur de Deo absolutè considerato, vt vno in natura, non vt Trino in personis. Et se citat in præcedente quæst. 3. art. 4. vbi probauerat, esse Dei intrinsece & quidditatiuè claudi in eius essentia: hoc autem esse est esse absolutum naturæ, non esse respectiuum personæ, quod ad Dei essentiam non pertinere probauimus supra quæst. 28. art. 2. dub. 3. & admittunt nonnulli aduersarij, contra quos nunc disputamus. Ergo secundum S. Thomam, ipsum esse Dei absolutum, & essentiale, secundum quod tale est intrinsece in se, est per se subsistens: id optime probat hac ratione à priori, illud esse, quod totam perfectionem essendi, in se continet, est esse per se subsistens. Sed esse Dei absolutum & essentiale, quantumuis præcisum ab esse relatiuo personarum continet in se totam perfectionem essendi absolutè, alioqui in suo genere absolutè essendi non esse infinitum. Ergo est esse per se subsistens, si non subsistentia relatiua, saltem subsistentia absoluta. Et quæst. 7. art. 1. in fine Corp. *Cum ipse sit suum esse subsistens, vt supra ostensum est,* nempe quæst. 3. art. 4. vbi probauerat existentiam esse de essentia Deitatis, *manifestum est quòd ipse Deus sit infinitus, & perfectus.* Ex quo loco sic arguo primo. Esse quod est de essentia Dei, est esse subsistens, vt hic docet S. Thomas. Sed de essentia Dei non est esse respectiuum, sed esse absolutum, vt loco citato cum eodem S. Thoma probatum est. Ergo esse Dei absolutum & essentiale est esse subsistens, absoluta scilicet & essentiali subsistentia. Secundo ex eo quòd Deus sit suum esse subsistens, deducit S. Thomas, quòd Deus sit infinitus & perfectus. Sed Deus est infinitus & perfectus potissimum in essentia sua, vt supra quæst. 7. art. 1. Ergo Deus in intrinseca essentia sua est esse subsistens. Præterea euidenti discursu idem probatur, n. præcedente sine ex verbis q. 29. art. 2. Item in eadem q. 29. art. 4. post medium Corporis, *Relatio est ipsa diuina essentia. Vnde est subsistens, sicut essentia diuina subsistit.* Relationem subsistere, sicut essentia subsistit, manifestè supponit, relationem subsistere per subsistentiam essentiæ; non vero contra, essentiam subsistere per subsistentiam relationis, alioqui non dictum fuisset, relatio subsistit sicut subsistit essentia, sed potius contrà, essentia subsistit sicut subsistit relatio. Idque etiam apertè constat ex eo quòd S. Thomas existentiate relationis cum essentia probat, relationem subsistere sicut subsistit essentia: quæ sane probatio falsa, & ridicula esset, si nulla alia subsistentia supponeretur in essentia, nisi ipsamet subsistentia relationis; tunc enim non subsisteret relatio sicut subsistit essentia ex identitate cum essentia, sed contra potius, subsisteret essentia sicut subsistit relatio ex identitate cum relatione. Videtur igitur manifestum, ex mente S. Thomæ dari in essentia Dei aliquam subsistentiam per quam subsistant personæ, quæ subsistentia non potest esse alia nisi communis & absoluta. Et q. 40. art. 2. ad 2. *Personæ diuinæ non distinguuntur in esse in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto, sed solum secundum id quod ad aliquid dicuntur.* Clarè loquitur de esse absoluto naturæ, in quo personæ non distinguuntur, nam in esse proprio personali distinguuntur. Sed in hoc esse absoluto dicuntur personæ subsistere. Ergo hoc esse est subsistere. Si enim hoc esse esset purum esse & non subsistere, sed tota subsistendi ratio esset in solis personalitatibus, non posset rectè dici, Personæ subsistunt in esse absoluto naturæ, sed dicendum esset, esse naturæ subsistit in personis: sicut in creaturis, quia subsistere non est naturæ, sed suppositi, non dicitur suppositum subsistere in esse naturæ, sed esse naturæ subsistere in supposito. Præterea sensus planus prædictorum verborum est hic, Personæ non distinguuntur per conceptum essendi, neque per conceptum subsistendi, neque per quemcumque alium absolutum conceptum, sed solum per conceptum relatiuum. Vbi sermo est de subsistere absoluto. Ergo hoc datur in diuinis.

43. *Idem S. Thomæ in aliis operibus.*

In aliis quoque operibus S. Thomas non minus clarè & frequenter idem docuit. Nam de Potentia quæst. 2. art. 1. multò post principium Corporis ait, *In communicatione, qua diuina natura communicatur, ipsa est per se subsistens. Et non accipit esse per suppositum, in quibus est.* Natura quæ communicatur est absolutũ sine respectiuo, Pater enim Filio communicat Deitatem, non paternitatem. Sed natura quæ communicatur ipsa est per se subsistens. Ergo communicatur per se subsistentia absoluta naturæ. Præterea si natura non haberet esse subsistens nisi per suppositum, verè acciperet esse per suppositum, & non per se esset subsistens, & Pater communicaret Filio naturam non subsistentem; quæ omnia negantur à S. Thoma. Et quæst. 9. art. 5. ad 13. *In diuinis proprietates personales hoc solum habent, quòd suppositæ diuinæ naturæ abinuicem distinguunt; non autem sunt principium subsistendi diuinæ essentiæ. Ipsa enim diuina essentia est secundum se subsistens. Sed è conuerso, proprietates personales habent, quòd subsistant, ab essentia. Ex eo enim paternitas habet quòd sit res subsistens, quia essentia diuina, cui est idem secundum rem, est res subsistens.* Nihil illustrius dici poterat pro nostra sententia. Nam de suppositо & essentia inter se comparatis, distinctè dicitur, essentia non subsistere per suppositum, sed contra suppositum subsistere per essentiam, quia, inquit, *ipsa essentia est secundum se subsistens.* In diuinis igitur essentiæ secundum se & vt præscindi à suppositо, conuenit aliqua subsistentia, quã dat suppositо, & à suppositо non accipit; quæ subsistentia non potest esse alia nisi absoluta, quæ sit ipsamet infinita existentia absolutæ naturæ Dei. Enim vero subsistere absolutum habent personæ diuinæ ab essentia; sed subsistere respectiuum habet essentia à personis, earumque

propriis subsistentiis personalibus, quas mox probabo dub. sequenti, & 1. sent. d. 26. quæst. 1. art. 1. ad 4. *Nomina, quæ dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, vt subsistentia & essentia.* Neque refert quòd statim subiungat, *Quamuis nomen subsistentia apud vsum sanctorum sumatur pro hypostasi*: quia hoc non tollit, quin idem nomen ex se aliam propriam significationem habere possit. Quod ipsemet S. Thomas indicat, adhuc post prædictam limitationem ita addens, *subsistentia & essentia non nominant distinctum; vnde etiam per prius sunt in generibus & speciebus, quam in individuis, secundum Boëtium: & ideo si propriè accipiantur, pluraliter non prædicantur.* Si in diuinis nulla esset alia subsistentia, nisi relatiua & personalis, vtique subsistentia nominaret distinctum, & prædicaretur pluraliter. Prius quoque d. 21. quæst. 2. art. 1. ita scripserat distinctissime ad nostrum propositum circa finem Corporis, *Iste terminus, Deus, prædicat naturam diuinam de tribus personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla personarum distinctione intellecta. Vnde quamuis prædicet naturam diuinam, vt naturam diuinam, & non vt quid subsistens, nihilominus tamen hoc quod prædicat, quid subsistens est.* Clarissime loquitur de natura vt natura formaliter, & præcisa à personalitatibus, eique tribuit esse subsistens, absolutum scilicet & commune.

44. Scotus.

Præter S. Thomam eòdem modo sentiunt ac loquuntur Scotus 3. d. 1. quæst. 2. immediate ante §. *Ad argumenta principalia.* vbi de essentia Dei ita habet, *Ista nullam esse habet à persona, sed est prius naturaliter quam sit in persona, & dat esse personæ: est enim natura de se hoc, & dat esse subsistens, licet non incommunicabiliter.* Et paulò post esse essentiæ diuinæ, præcisæ à personis vocatur *subsistentia singularis.* Et quodlibeto 4. art. 2. §. *Aliter dicitur*, ait, *sola essentia est ratio subsistendi.* quod probare conatur ex Augustino. Et in fine articuli exponit, quòd in diuinis *est vnum subsistere*, hoc est, inquit, *per se esse, prout excludit inhærere, & in alio esse, vt pars in toto, quamuis non sit vnum subsistere, hoc est, incommunicabiliter per se esse; hoc enim modo sunt tres subsistentes, sicut sunt tres personæ; quia tres subsistentes incommunicabiliter.* Quæ distinctio, & doctrina optima est, modò tres subsistentes incommunicabiliter, intelligantur subsistere non sola subsistentia absoluta, sed etiam triplici subsistentia relatiua. Et Quodlibeto 5. art. 3. ad 3. *subsistere formaliter dicit perfectissimum esse; & non dicit nisi essentiam secundum Augustinum.* Et præter hoc distinguit aliud subsistere personale, quod, inquit, *est ratio subsistendi, quia est ratio incommunicabiliter per se essendi, & talis est relatio.* Quibus verbis præter subsistentiam absolutam non obscurè indicat alias subsistentias relatiuas, quas nonnulli immeritò dubitant fuisse à Scoto negatas.

Albertus.

Magnus Albertus p. p. summæ quæst. 43. membro 1. §. *Ad distinctionem tertiam*, docet, quòd sicut in tribus personis est vnus Deus, ita vna subsistentia, quæ, inquit, *in distinctis non numeratur. Et si inuenitur, tres subsistentiæ, ab aliquo sanctorum dictum, resoluenda est locutio, vt abstractum ponatur pro concreto, hoc est, tres subsistentes personæ.* Et ideo circa finem ait, *quod nomina substantiæ, & substantia, sunt essentialia.* & in fine addit *quod subsistentia secundum proprietatem nominis non dicit nisi ens in se subsistens, nullo alio indigens sit: vnde nomen essentiale est, quod tamen ex adiuncto trahitur ad standum pro persona.* Quæ verba continent optimum nostræ sententiæ fundamentum supra traditum.

Ocham.

Ochamus 3. sent. quæst. 1. litera N. videtur concedere, quod dixerat in antecedente obiectionis litera I. *Persona diuina subsistit ratione essentiæ; ita quòd essentia est ratio formalis subsistendi supposito diuino.* & negare solum consequentiam. *Ergo essentia diuina est primò ratio terminandi istam vnionem*, quia, inquit in solutione, *falsum est, quod est prima ratio subsistendi, est prima ratio terminandi.*

45. Durandus ex Augustino.

Præterea Durandus 1. d. 33. quæst. 1. num. 37. *In diuinis non est nisi vnica subsistentia.* Quod probat ex Augustino libro 7. cap. 4. fine. *Omnis res ad se ipsum subsistit, quanto magis Deus.* Subsistere ad se ipsum, est subsistere absolutum, ergo non potest intelligi Augustino de alio subsistere personali ac relatiuo, quod est ad aliud, non ad se. & sequenti c. 5. fine. *Hoc est Deo esse, quod subsistere.* Ergo, inquit Durandus, *subsistere est absolutum, quod non pluraliter in diuinis.* Etenim cum ex probatis d. 1. sit in Deo esse absolutum, idque ob infinitam sui perfectionem, quam nullius creatæ naturæ esse habet, sit & esse per se, & esse in se, *nullo indigens vt sit*, vt dicebat Albertus supra, neque vt subiecto, neque vt toto, aut supposito, vt magis explicauit Scotus supra, si hoc esse est subsistere, vt sapientissime docet Augustinus, euidenter sequitur, dari in Deo subsistere absolutum. Deinceps idem Durandus 3. d. 1. quæst. 2. num. 7. multis probat, quòd *ratio formalis suppositi in diuinis, non est per se subsistentia, nec fundatur in proprietate per se subsistendi, sed est ad aliud esse. Et ideo suppositum*, inquit, *subsistit non per proprietatem relatiuam, sed per essentiam, vel substantiam.* Ex quibus in fine ita deducit, *subsistere ergo in diuinis est vnicum, & absolutum, competens omnibus personis ratione essentiæ.*

Paludanus.

Item Paludanus 3. d. 1. quæst. 2. col. 15. immediate ante §. *Ad argumenta ergo tertiæ opinionis*, dicens, *Videtur verior secunda opinio*, nempe Durandi, *quæ ponit vnicum subsistere absolutum in diuinis.* Quod latè defendit in sequentibus responsionibus ad octo argumenta contraria. Et ad 2. conceduntur in diuinis *tres subsistentes, & vna subsistentia.* Sed in impugnationis responsionis ad 2. Durandi, videtur admittere subsistere personale distinctum à subsistere essentiali, his verbis, *Nos volumus esse in diuinis subsistere personale, & proprium alicuius personæ; & cum hoc, volumus esse quoddam subsistere essentiale, quo tota Trinitas subsistit, quia actualiter existit non in alio.*

Ægidius ex Boëtio.

Ægidius 1. d. 23. quæst. 2. litera L. refert, & sequitur Boëtium dicentem, *Deum esse subsistentiam, quia subsistit nullo indigens.* Et litera M. *dicitur subsistere Deus, prout subsistere, idem est, quod per se existere, & quod ad sui esse non indiget alijs. Et quia subsistentia dicitur à subsistere prout idem est quod per se stare, & nullo indigere, Deus subsistentia dici debet.* Si Deus est subsistentia, & subsistere est esse nullo indigens, ergo quia præcisis personis & relationibus, habetur etiam Deus, & eius esse, habebitur quoque subsistentia, & subsistere.

Argentina.

Argentina 1. d. 26. quæst. vnica art. 4. ad 9. *Essentia diuina subsistit per se vno esse simplicissimo in tribus personis.*

Capreolus.

Capreolus ibidem art. 1. conclusione 3. afferens multa S. Thomæ loca, ex quibus in fine colligit, *quòd distinctio & constitutio diuini suppositi conuenit relationi reali, in quantum relatio realis: sed quod illud distinctum per relationem, sit subsistens, hoc facit relatio in quantum est diuina natura subsistens.* & columna 24. paulò post principium dicit, *quod formale, quo subsistunt personæ, est essentia; & eius formalis effectus est subsistere, quod nullo modo in diuinis plurificatur.* & paucis interiectis, iterum clarius, *In diuinis non plurificatur subsistentia ex parte ipsius subsistere, quod est vnicum in diuinis; sed ex parte indiuisionis, quæ in diuinis plurificatur secundum pluralitatem suppositorum.* & idem sæpe repetit in sequentibus argumentorum solutionibus. &

& 3. sent. d. 1. quæst. 1. art. 3. columna 9. concedit, *subsistere commune toti Trinitati, & essentiale.* Idemque refertur sentire Hispalensis in iisdem locis.

Hispalensis. Carthusian.

Item Carthusianus 1. d. 26. quæst. 7. ad 2. concedit, *quod Trinitas, seu tres personæ, sunt vna essentia, & vna summa res per se subsistens.*

Marsilius.

Marsilius 1. sent. quæst. 30. art. 2. ad 4. concedit, *quòd independenter per se existere conueniat primò huic termino, Deus, & ratione eius prædicatur de omnibus personis.* & idem habet ad 10. hoc autem independenter per se existere, est id quod vno verbo dicitur subsistere.

Caietanus.

Caietanus infra quæst. 39. art. 4. §. *Ad euidentiam.* & 3. p. quæst. 2. art. 2. circa finem. & distinctius, ac fusius quæst. 3. art. 2. §. *Ad hanc quæstionem.* & art. 3. in responsione ad 1. & 2. probans tres subsistentias relatiuas personales, & vnam subsistentiam absolutam essentialem.

Ferrarienſis.

Ferrariensis libro 4. contra gentes cap. 26. §. *Attendendum tertiò*, dicens, *Primum cui conuenit subsistere in diuinis, est diuina essentia, ex qua intelligimus omnia alia in diuinis habere vt subsistant; & ex qua ipsa etiam relatio habet vt subsistat.*

46.

Ex recentioribus etiam multi eamdem subsistentiam absolutam admittunt.

Palatius. Bartholomæus Medina.

Palatius 1. p. d. 1. disp. 3. col. 3. Bartholomæus Medina in 3. p. quæst. 3. art. 2. §. *Quarta opinio*, Bartholomæus Carranza in summa Conciliorum, in adnotationibus ad sextam Synodum, Actione 11. §. *Deinde explicat.* colligens ex verbis epistolæ Sophronij, *Subsistentiam in diuinis & personaliter, & essentialiter dici. Si personaliter accipias, tres subsistentiæ sunt. Si essentialiter, vnica est subsistentia.*

Bellarminus. Fonseca. Molina. Bagnes. Zumel. Rada. Nazarius. Suarez. Florauātius. Contra Genebrardum. Valentiam. Vasquez. Arrubal. Albertinum. Becanum. Zunigam. Ruiz. Mendozam.

Bellarminus tomo 1. lib. 2. de Christo cap. 15. Fonseca 5. Metaph. cap. 8. quæst. 5. sect. 5. & sequentibus. Molina supra quæst. 29. art. 2. disp. 3. conclusione 2. Bagnes ibidem art. 3. §. *Præterea.* & infra quæst. 40. art. 4. dub. 2. conclusione 4. Zumel supra quæst. 28. art. 2. disp. 4. conclusione 2. & magis ex professo hic, disp. vnica conclusione 1. Rada controuersia 27. in secunda Appendice initio. Nazarius infra quæst. 39. art. 4. controuersia 1. Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 11. sect. 3. & lib. 4. de Trinit. cap. 11. per totum. & cap. 14. num. 4. 5. & 6. Florauantius lib. 2. de Trinitate pag. 29. 30. & 31. & notatione 22. fol. 115. & alij doctissimi ac grauissimi viri; quamuis multi etiam sint in contrarium, Deo à personalitatibus præciso, negantes nomen subsistentiæ potius quam rem, vt Genebrardus libr. 2. de Trinitate aliquanto post principium §. *Adhibenda.* Valentia p. p. de Trinitate quæst. 13. puncto 3. quæstiuncula 2. testans quòd nostra opinio *à multis putatur temeraria*, & ipsemet immeritò vocans *superuacaneam, & plusquam falsam.* Neque enim opinio prædictis authoritatibus innixa, tam firmis comprobata rationibus, per summam necessitatem explicandi absolutum ac infinitum esse naturæ diuinæ introducta, iure dici potest temeraria, aut falsa, aut superuacanea. Vasquez hic disput. 125. cap. 3. & sequentibus. Arrubal disput. 109. num. 5. fine & num. 6. quamuis num. 20. videatur tandem nobiscum loqui propter verba Augustini supra num. 45. Albertinus tomo 2. pag. 159. Becanus de Trinitate cap. 3. quæst. 9. conclusione 1. Zuniga disput. 5. dub. 10. Ruiz disp. 34. à sectione 5. & apud ipsum in sectione 1. num. 11. Mendoza in Quodlibetis quæst. 3. Scholastica, citantes pro se nonnullos antiquos, Alensem, Bonauenturam, Riccardum, Henricum, Aureolum, & alios, qui iuxta tertiam conclusionem loquentes, admittunt tres tantum subsistentias personales; vt dictum est supra n. 38. fine de ipsomet S. Thoma, qui tamen omnium maximè fauet subsistentiæ absolutæ.

Easoli in D. Thom. Tom. I I I.

Satisfit oppositis argumentis.

47. *Obijcitur primò nouitas sententiæ.*

Obiiciunt aduersarij, soliciti potissimum vt probent temeritatem nostræ sententiæ, saltem in modo loquendi, primo quia antiquorum citatorum nemo, præter Caietanum, expressè docuit hanc sententiam de vna subsistentia absoluta, & tribus subsistentiis relatiuis. Nam ante Caietanum omnes qui admittunt vnam subsistentiam absolutam, negant omnem aliam relatiuam subsistentiam. Nos autem dubitatione sequenti dabimus tres subsistentias relatiuas. Ergo contra communissimam Scholasticorum opinionem hic admittimus simul subsistentiam absolutam.

Respondetur primò iuxta prædicta.

Respondeo primò hoc argumento præsentem difficultatem, quæ est de subsistentia absoluta, simpliciter transferri ad aliam difficultatem de subsistentia absoluta simul cum relatiuis subsistentiis. Duo maximè ex Conciliis & Patribus vrgent aduersarij, alterum, non dari in Deo vnam subsistentiam. Alterum, tres esse in Deo subsistentias. Quibus duobus dictis semper eodem modo vsurpant subsistentiam pro personali, disputantes & loquentes contra Sabellium, qui vnam posuit in Deo personalem subsistentiam, tres negauit. Quamobrem diligenter animaduertimus in omnium Patrum dictis, & relatis supra num. 38. & referendis num. 43. & dub. sequenti, vel negantibus vnam subsistentiam, vel plures subsistentias ponentibus, semper ferè adiungi aliquid, quo significatur, sermonem esse de subsistentia personali. Sicut contra, Authores, quos sequimur, cum vnam subsistentiam docent, semper addunt aliquid, quod quidem numquam est omittendum, quo significetur, sermonem esse de alterius generis subsistentia, longè diuersa à subsistentia personali. Itaque iuxta præsentem quæstionem, loquendo de primo Patrum dicto, negante vnicam subsistentiam, scilicet personalem, satis superque vana redditur quælibet, vel minima, temeritatis suspicio, si tanta, tamque grauis Theologorum multitudo non vereatur admittere in Deo vnicam alterius rationis subsistentiam, & nihilominus constantissime neget vnicam in Deo personam; quicquid sit de aliis personalibus subsistentiis, quas aliqui præterea multiplicant, alij planè tollunt. Neque verò debet nobis vitio verti, quòd admittentes cum communissima Theologorum sententia vnicam subsistentiam non personalem, non negemus tres subsistentias personales, quas Patres omnes tradere videntur.

Respondetur secundò.

Respondeo secundò præter subsistentiam absolutam, tres subsistentias relatiuas ante Caietanum, admitti etiam, vel saltem non negari à Scoto, & Paludano, vt notaui supra num. 45. Imò etiam à S. Thoma, qui pro tribus subsistentiis relatiuis benè refertur, etiam ab aduersariis, vt inferius ostendam, & tamen stat quoque clarissimè pro vnica subsistentia absoluta. Demum dato quòd Caietanus fuerit primus author vnius subsistentiæ essentialis, & simul trium subsistentiarum personalium, nihilominus tot, & tam graues Theologi illum postea sequuti sunt, & hodie sequuntur, vt iam eius opinio nullam mereatur temeritatis, aut nouitatis notam.

48. *Obijciuntur secundò dictæ Patrum.*

Obiiciunt secundò, quia Concilia & Patres semper vsurpant subsistentiam pro persona. Vnde numquam loquuntur de subsistentia in diuinis, quin eam multiplicent, ac numerent: & Deum esse Trinum, explicant, quantum ad tres subsistentias, sicut esse vnum, explicant, quantum ad naturam, essentiam, substantiam, bonitatem, sapientiam, & similia; & nunquam dicunt esse vnum, quantum

ad subsistentiam. Explicant præterea personam, & hypostasim per subsistentiam. Ergo sicut nemo iam audet asserere in Deo vnam personam, vel hypostasim, ita nec vnam subsistentiam.

Respondetur tradendo modum loquendi.

Respondeo, fateor ita Concilia & Patres communissimè loqui, vt videre est in authoritatibus allatis supra quæst. 29. art. 2. num. 6. 7. & 8. & in hac dubitatione num. 38. & afferendis sequenti dubitatione de pluribus subsistentiis. Quamobrem vt in hoc grauissimo ac subtilissimo mysterio consentiamus sanctis Patribus non solum in sententiis, sed etiam in verbis, non est simpliciter & absolutè dicendum, in Deo esse vnam subsistentiam, sed tres subsistentias. & sanè Authores citati pro vnica subsistentia, quos sequimur, ita illud asserunt, vt ex adiunctis vel antecedentibus, vel consequentibus, manifestè constet, non esse subsistentiam personalem, aut pertinentem aliqua ratione ad personam, sed esse essentialem & pertinentem ad naturam tantum Dei. Quo abundè satisfit intento Conciliorum & Patrum, qui in has voces personæ, hypostasis, subsistentiæ, tandem conuenerunt hoc solo fine, vt omnes fideles, & sensu, & vocibus vnanimes discreparent à Sabellianis, affirmantibus vnam tantum in Deo personam, & veram ac realem personarum Trinitatem impiè negantibus. Igitur si catholicus iste sensus, etiam in verbis ipsis appareat, non putandi sunt à modo loquendi Patrum recedere, nec tantopere reprehendendi posteriores Theologi ferè omnes, cum optima ducti ratione, ex necessitate explicandi perfectissimam existentiam diuinæ essentiæ ab omni personalitate præcisè, eam existentiam iudicarunt nominandam esse vno verbo subsistentiam: eo præsertim tempore, quo Sabelliana hæresis iacebat prorsus prostrata, & ferè extincta, ita vt iam nullum eius periculum in Ecclesia Dei timeri probabiliter possit ex hac subsistentiæ vsurpatione.

49. *Cur Deo præcisè tribuatur subsistentia, non persona, aut hypostasis.*

Neque est eadem ratio de nomine subsistentiæ, ac de nomine personæ, & hypostasis, vt sicut non licet personam, aut hypostasim intra diuinam essentiam concipere, ita neque subsistentiam: quoniam cum nomina personæ, & hypostasis, hoc est, substantiæ, sint concreta, habent magis completam, ac limitatam significationem; & ideo à perfectis, atque omnino determinatis substantiis significandis, quas vocamus suppositа, minus remoueri possunt. At vero subsistentiæ nomen, cum sit abstractum, vsurpari latius potuit, & tribui etiam substantiis non omnino completis in genere substantiæ. Quare vt persona & hypostasis significarent suppositum habuerunt non solum ex vsu, sed etiam ex propria vi vocis secundum se. Contra vero subsistentia vt significaret suppositum, & idem valeret quod persona, & hypostasis, habuit ex vsu, & conuentione hominum loquentium potius, quam ex prima impositione, vel proprietate vocis secundum se. Et ideo facilius ad aliam significationem adhiberi potuit, additis expressis limitationibus, quibus apertè constaret, illam communiori Conciliorum ac Patrum significationi non contradicere. Atque ob hanc magis vel minus latæ significationis differentiam factum esse arbitror, vt ferè semper ac subsistentiæ nomen à Conciliis & Patribus in diuinis vsurpatur, vel vnam subsistentiam negando, vel plures subsistentias affirmando, soleant aliquid aliud adiicere, quo subsistentiæ nomen ad hypostaticam, seu personalem subsistentiam limitari intelligatur. Quæ additionis, ac limitationis cura in vsu aliorum nominum hypostasis, ac personæ, non reperitur. Hoc superius est obseruatum in verbis relatis num. 38. ex Sophronio, sexta Synodo, Iustiniano Imperatore, Theodoreto, quibus negatur in diuinis vna subsistentia, scilicet personalis. Idem quoque obseruare facile est, cum tres subsistentiæ affirmantur: vt cum supra quæst. 29. art. 2. num. 6. Synodus quinta definit, adorandam Deitatem, *in tribus subsistentijs, siue personis*. Et Sophronius credit *Trinitatem pro tribus personalibus subsistentijs*: quas etiam septima Synodus vocat *personales alteritates*. & num. 7. Iustinianus Imperator bis repetit, *Subsistentiam siue personam*. & num. 9. Boëtius hypostasim vertit non subsistentiam simpliciter, sed *individuam subsistentiam*, & *substantiam particulariter subsistentem*. Præterea Constantinopolitanum primum in epistola ad Damasum, multo post medium, & habetur initio illius Concilij, Trinitatem credit; *in tribus perfectis subsistentijs, siue tribus perfectis personis*. Item Nyssenus epistola de Imagine & similitudine contra Apollinarem multò post medium, *Inuenies*, inquit, *subsistentiarum, siue personarum Trinitatem*. Cyrillus Dialogorum de Trinitate libro 2. columna quinta bis habet, *Tres subsistentias proprias*, & non satis habet dicere simpliciter, Tres subsistentias. Eademque limitatione loquitur libro 3. columna 23. fine, & Damascenus libro 1. Fidei c. 9. circa medium, *Tres hypostases, id est*, inquit, *subsistentiæ ac personæ*.

Quinta Synodus. Sophronius. Septima Synodus. Iustinianus. Constantinopolitanum primum. Nissenus. Cyrillus. Damascenus.

50. *Subsistentiam absolutam admittunt.*

Postremò non desunt etiam ex Patribus, qui subsistentiam & subsistere, de diuina natura, non de persona vsurpent. Certè Scotus supra num. 44. & Dur. num. 45. id tribuunt Augustino, vt ibi explicatum est, eidemque tribuit illustrissimus Bellarminus supra initio capitis citati, doctrinæ Sanctorum Patrum peritissimus. Nissenus quoque libro de differentia essentiæ & hypostaseos, non longè à principio, cum hypostasim definiuisset *subsistentem naturam*, statim hanc personalem subsistentiam magis explicans, distinguit illam ab alia essentiali subsistentia, subdens, *Non est illa indefinita in omnibus essentia subsistentia*. & de vita Mosis inter principium & finem, *Nihil præter supremam essentem, quæ omnium causa est, & à qua omnia dependent, verè subsistere*. Suprema vero essentia est Deus, etiam à personis ratione præcisus. Anastasius Patriarcha Theopolitanus & Cyrillus Alexandrinus in Compendiaria Fidei explicatione, aliquanto post principium, vt habetur in 4. tomo Bibliothecæ veterum Patrum, loquentes de essentia diuina vt præcisa à tribus hypostasibus, petunt. *Quid est essentia?* & respondent, *Res quæ per se est, neque altero indiget ad hoc vt ipsa subsistat*. Boëtius libro de duabus naturis columna 3. fine distinguit quatuor voces græcas, *vsiam, vsiosin, hypostasim, prosopon*; quibus ait respondere has quatuor voces latinas, *essentiam, subsistentiam, substantiam, personam*. Vbi clarissimè distinguit subsistentiam ab hypostasi, & persona: quam tamen distinctionem aduersarij contendunt à nullo antiquo & graui Authore traditam esse & columna 4. initio, *Deus est hypostasis, id est*, inquit, *subsistentia; subsistit enim nullo indigens. Vnde etiam dicimus, vnam esse vsiam, vel vsiosin, id est, essentiam, vel subsistentiam Deitatis*. Loquitur apertissimè de subsistentia essentiali, quam propterea *vnam esse* docet, eamque à priori optimè probat, quia, inquit, *subsistit nullo indigens*. Neque satisfaciunt aliqui aduersarij respondentes, Boëtium subsistentiam accipere pro substantiali existentia: quoniam humanitas assumpta à Verbo habet substantialem existentiam creatam, & tamen non subsistit nullo indigens, indiget enim subsistentia Verbi vt in rebus permaneat sine propria subsistentia. Formæ quoque substantiales materiales, & corruptibiles, non subsistunt nullo indigentes, & tamen substantialiter existunt. Ergo Boëtius vsurpat

Anastasius. Cyrillus. Boëtius.

vsurpat subsistentiam pro substantiali existentia, non quacumque, sed adeo perfecta vt nullo alio sustentante indigeat: quam perfectionem habent omnia suppositа, etiam creata; & præterea sola natura diuina præcisa à supposito; quæ à suppositis suis accipit essendi incommunicabilitatem, non sustentationem; cum reliquæ omnes creatæ naturæ habeant à supposito & incommunicabilitatem, & simul sustentationem essendi. Atque hoc tandem est, quod in hac controuersia tuemur; hanc ipsam perfectissimam substantialem existentiam essentiæ diuinæ, præcisæ à personalibus subsistentiis, rectè vocari posse ac debere subsistentiam, & ita plerumque à multis sapientissimis fidelibus vocatum esse. Item Boëtius, cum aliquanto post definit iterum personam, *Est naturæ rationalis individua substantia*, non obscurè indicat, non omnem subsistentiam esse personam. Præterea Anselmus in Monologio cap. 43. medio, *sicut Pater habet vt per suam essentiam sit, ita gignendo, dat Filio vt per suam essentiam subsistat: alioquin non erit idem esse Patris & Filij*. Esse per essentiam, quod idem esse ait in Patre & Filio, & consequenter aliud esse non potest nisi essentiale esse, commune, & absolutum, vocat Anselmus subsistere.

Anselmus.

51. Athanasius.

Præterea Athanasius de Incarnatione Christi columna 5. initio ita loquitur, *Increata sola Deitatis subsistentia intelligitur*. Si de personali subsistentia intelligeret, non diceret in singulari, subsistentiam, sed in plurali, subsistentias: nec coniungeret subsistentiam cum Deitate, sed potius cum personis. Hieronymus epistola 57. ad Damasum, paulo post medium, *Vna est Dei, & sola natura, quæ verè est; id enim quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est*. De personali subsistentia vniuersaliter dicere non potuisset Hieronymus, eam non habere aliunde. Nam Filius eam habet à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio. Probat etiam, naturam Dei verè esse, quia subsistit: sed natura diuina, etiam præcisa à personalitatibus veritissimè est, ergo subsistit. Hilarius libro 7. de Trinitate paulo ante finem, *Non est corporalium naturarum ista conditio, vt subsistentis naturæ habeant perfectam vnitatem*. Si nulla esset in diuinis subsistentia, nisi personarum inter se realiter distinctarum, nullam profectò subsistentes personæ habere possent vnitatem in natura subsistente; sed solum pluribus, & oppositis subsistentiis realiter inter se diuisæ, haberent vnitatem naturæ non subsistentis. Possem alias authoritates proferre; sed hæ, quæ visæ sunt præcipuæ, sufficienter probant, sententiam de subsistentia absoluta non personali non esse alienam à Patribus, etiam in modo loquendi.

Hieronym. Hilarius.

52. *Tertia obiectio.*

Obiiciunt tertiò, Concilia & Patres passim docent, vt refertur in propria materia, vnionem humanitatis assumptæ à Verbo, factam esse non in natura, sed in subsistentia Filij. Ergo supponitur, inter naturam & subsistentiam personalem non mediare aliam subsistentiam: saltem, nullam aliam subsistentiam dari, quæ vnionem illam terminare possit; alioqui non valeret illa consequentia, quam Patres facere videntur, vnio non est facta in natura Filij, ergo in propria Filij subsistentia.

Respondetur subsistentiam absolutam nō esse mediam inter personam, & naturam; nec posse terminare alienam naturam.

Respondeo, me facilè totum concedere. Absoluta enim subsistentia, cum sit ipsamet existentia intrinsecè inclusa in essentiali conceptu naturæ, ac proinde sit ipsamet natura essentialiter, dici non potest media inter naturam & personalem subsistentiam. Præterea prædictam consequentiam ego quidem efficacem existimo, quoniam in materia de Incarnatione ex instituto probaui, subsistentiam Dei absolutam non posse terminare vnionem naturæ, & se ipsa quasi formaliter facere naturam creatam subsistentem, terminando, & sustentando illam in esse, sicut de facto illam terminat, & sustentat, ac subsistentem facit personalis subsistentia Verbi: cum enim absoluta subsistentia non sit ipsa in se formaliter terminus, sed potius terminabilis ac terminata, non potest se ipsa formaliter tamquam purus terminus comparari ad aliquam vnionem creatam, sed deberet comparari tamquam vera ac propria forma, quod implicat. In qua solutione multæ implicantur difficultates, sed extra rem præsentem, & ideo hoc loco fusior earum explicatio omittitur.

53. *Quarta obiectio.*

Obiiciunt quartò si Deus ex vi sui esse absoluti non solum est existens, sed etiam perfectissima subsistens; ergo est persona: quia nomine personæ omnes intelligimus substantiam habentem omnem perfectionem in genere substantiæ. Vnde in rebus creatis omne individuum intellectualis naturæ, quod non solum est substantialiter existens, sed etiam subsistens, intelligitur esse persona.

Respondetur non omnem subsistentiam esse personalē.

Respondeo, negando consequentiam, quia ratio personæ, non solum est ratio existendi, & subsistendi simpliciter, sed etiam ratio subsistendi vltimatò & incommunicabiliter: quæ ratio in personis creatis prouenit ex limitatione creatæ subsistentiæ; in diuinis vero ex subsistentia habente oppositionem relatiuam. Quare negandum est, omnem simpliciter subsistentiam esse vltimum & incommunicabilem substantialis naturæ terminum, quo natura incommunicabiliter, ac proinde vltimatè, & omnino completè subsistat: hoc enim est proprium vel subsistentiæ creatæ, quæ cum sit modus finitus finitæ naturæ, non est communicabilis & terminabilis aliis subsistentiis, & propterea se ipso absolutè & perficit, & terminat naturam, reddendo illam formaliter incommunicabilem; vel subsistentiæ increatæ relatiuæ, quæ propter oppositionem relatiuam potest naturam diuinam, in qua formaliter est, constituere incommunicabilem, & vltimò terminatam & completam in genere substantiæ. Addunt aliqui ad maiorem distinctionem subsistentiæ diuinæ absolutæ ab absoluta existentia, quòd diuina subsistentia absoluta, quamuis non faciat naturam incommunicabilem per identitatem cum aliis subsistentiis, quod est proprium subsistentiæ, & personalitatis relatiuæ; cum illa absoluta, ex eo quòd sit infinita, & nulli opposita, de facto tribus personis communicetur per identitatem; tamen eamdem naturam facit incommunicabilem alia ratione, nimirum aliis personis ab illa natura realiter distinctis, quibus non potest communicari per modum compositionis, aut hypostaticæ vnionis, in quantum per nullam personalitatem à parte rei distinctam, ac proinde creatam, potest subsistere, vt probaui tomo 1. quæst. 3. art. 8. dub. 3. Verum hæc incommunicabilitas vt acutè notat Vasquez disput. 125. cap. 3. fine non videtur oriri formaliter ex subsistentia absoluta, sed solum ex infinitate & immutabilitate naturæ, quæ omnem suam personalitatem identificare sibi debet, nec potest in se recipere aliquam vnionem hypostaticam, qua vniatur alteri personæ distinctæ & creatæ, ab eaque in esse pendere. Vnde in contraria quoque opinione, natura diuina essentialiter existens, & non subsistens, adhuc esset hoc vltimo modo incommunicabilis; quo modo etiam est incommunicabilis omnis persona, siue creata, siue increata, vt patet. Incommunicabilitas igitur,

Deum ex absoluta subsistentia nullā habere incommunicabilitatem.

Vasquez.

Quæ sit incommunicabilitas, quam dicit persona.

igitur, quæ conuenit personæ, in quantum est formaliter persona, excludit propriè communicationem ad alterum, tamquam ad vltimum terminum existentiæ: qui terminus in rebus creatis est necessarius ad existentiæ & sustentationem, & terminationem, in Deo autem existente absque vlla indigentia & imperfectione essendi, est tantum necessarius ad puram terminationem, & ad constitutionem ac distinctionem personarum. Nam si per impossibile Deus non esset terminatus per suas personalitates, adhuc esset potens ex se sufficienter existere; cum à suis personalitatibus non habeat vt subsistat simpliciter, sicut habet omnis natura creata, sed solum vt incommunicabiliter subsistat, & hoc modo terminetur substantialiter. Demum aduerto, aduersarios quoque premi toto hoc argumento quoad rem. Enim vero ipsi etiam admittunt esse absolutum diuinæ naturæ, quod iuxta primam conclusionem tenentur concedere non sustentari à personalitatibus, iisque non indigere in ratione essendi intrinseca: hoc autem esse nulli creaturæ conuenit, nisi suppositò, & personæ; vnde si quis deducat, ergo natura diuina existens, est persona, ipsi etiam negare debent consequentiam, & afferre disparitatis rationes à nobis adductas; vel alias, quas nos etiam, si meliores fuerint, libenter sequemur.

54. *Quinta obiectio probans, abstractis personalitatibus non remanere hunc Deum.*

Obiiciunt quintò. Posita subsistentia absoluta, sequitur necessariò, abstractis per intellectum personalitatibus & quoad conceptum distinctum, & quoad conceptum confusum, hoc est, neque intellectis explicitè relationibus paternitatis, filiationis, processionis, neque etiam intellecta confusa ratione personalitatis in communi, adhuc in natura diuina sic præcisa remanere hanc Deitatem non solum existentem, sed etiam subsistentem, & consequenter hunc Deũ. Hoc autẽ videtur falsum, primò quia hic Deus est nomen substantiale concretum, sicut hic homo; ergo personale. Secundo si in Deo esset tantum vna persona, & ab illo abstraheretur personalitas, intelligeretur relinqui diuinitas vt sic, non vt hic Deus. Ergo idem dicendum abstractis omnibus tribus personalitatibus. In prædicto enim casu impossibili, sola existentia, quæ intelligeretur relinqui, ablata subsistentiæ ratione, sufficit quidem ad constituendam naturam in ratione entitatis actualis, non tamen ad constituendum concretum naturæ; vt patet in humanitate Christi mentaliter abstracta à Verbo. Hic autem Deus, est nomen concretum Deitatis, & propriè significat subsistens in hac Deitate; seu naturam diuinam vt in habente ipsam: quod absque perfeitate essendi, seu subsistentia esse non potest. Idem enim significant Deus, & Habens Deitatem; sed diuerso modo, Deus substantiuè, Habens adiectiuè. Habens autem Deitatem sine dubio significat subsistens in Deitate. Tertio sequeretur, præcisis personalitatibus posse intelligi hunc Deum vt generantem, saltem vt creantem.

Respondetur probando oppositum cum Suarez, & aliis.

Respondeo, primum consequens rectè deduci, esse concedendum cum Scoto, Caietano, & aliis, quos refert & sequitur Suarez 3. p. tomo 1. quæst. 3. art. 6. disput. 11. sect. 5. Si enim pura ratio existendi substantialiter facit vt rectè dici possit esse actu in rebus hæc humanitas, hæc diuinitas; perfectior subsistendi ratio superaddita, qua natura ita existit, vt nullo alio ad existendum indigeat, debet profectò perfectiorem causare denominationem huius hominis, huius Dei. Neque enim putandum est in creatis denominari, v. g. hunc hominem ex incommunicabilitate præcisè, sed ex perfecto essendi complemento absque vlla indigentia alterius sustentantis: quod complementum perfectissimè habet essentia diuina secundum se. Ergo illud sufficiens etiam esse debet ad denominandum hunc Deum. Imo ex nimio affectu suæ opinionis addit Caietanus, quem bene confutat Suarez supra, hanc denominationem absque absoluta subsistentia esse impossibilem. Sed videtur multò probabilius, Diuinitatem subsistentem solum relatiuè in tribus personis sine subsistentia absoluta, adhuc habituram vnitatem suam indiuidualem, & futuram hunc Deum vnum numero, siue concretum indiuiduum Deitatis in tribus personis: quemadmodum si tres diuinæ personæ assumerent vnam naturam humanam, essent vnus homo, vt expressè docet S. Thomas 3. p. quæst. 3. art. 6. ad 1. In quo casu humanitas non subsisteret propria subsistentia absoluta, neque absoluta subsistentia diuina, quæ vnionem hypostaticam se ipsa formaliter terminare non posset, sed subsisteret solum tribus subsistentiis relatiuis diuinarum personatum: quo modo contraria opinio vult subsistere de facto naturam diuinam. Verissima enim est regula S. Thomæ infra quæst. 36. art. 4. & quæst. 39. art. 3. Ad vnitatem nominis substantiui sufficerè vnitatem formæ significatæ per illud nomen. Hinc enim probatur citato art. 4. quòd Pater & Filius, quamuis sint duæ personæ realiter distinctæ, quæ spirant Spiritum sanctum, tamen dicuntur vnum principium Spiritus sancti, & hic spirator, propter vnitatem virtutis spirandi ac spirationis. Item Christus absolutè est vnus homo specie cum aliis hominibus propter vnitatem specificam humanæ naturæ, significatæ per hoc nomen substantiuum, Homo. Ergo eadem ratione si tres personæ propriis subsistentiis relatiuis terminarent naturam diuinam existentem absolutè, sed subsistentem tantùm relatiuè, adhuc essent vnus numero Deus propter numericam vnitatem diuinæ naturæ significatæ per hoc nomen substantiuum, Deus.

Si nulla in Deo daretur absoluta subsistentia, adhuc esset hic Deus contra Caietanum.

Ex S. Thoma esset vnus homo, etiam assumptus à tribus personis.

Regula S. Thomæ de vnitate nominis substantiui.

55. *Differentia inter hunc Deum, & hunc hominem.*

Ad primam igitur impugnationem consequentis concessi, nego consequentiam. Neque est eadem ratio huius Dei, & huius hominis: quoniam hic Deus est concretum, tum essentiale & communicabile, vt ratione præcisum à personis; tum personale & incommunicabile, vt à parte rei identificatum cum personis. At vero hic homo, est nomen solum personale, quia natura substantialis creata, ob suam limitationem, non includit essentialiter perfeitatem actualiter essendi, sicut includit diuina; & subsistentia creata, quam importat hic homo, quia est intrinsecè limitata, & finita, est etiam intrinsece incommunicabilis, ac proinde personalis: sed increata subsistentia absoluta, quia habet infinitam perfectionem, & est de essentia naturæ communicabilis pluribus personalitatibus per identitatem, est etiam eodem modo communicabilis. Præterea ex superioribus acutè addendum, quòd si hic homo consideretur explicitè tantum vt absolutè subsistens, & præscindamus à conceptu explicito incommunicabilitatis in illa absoluta subsistentia essentialiter imbibitæ, tunc eadem omnino ratione natura humana secundum prædictum explicitum conceptum apprehensa dici pariter recte posset hic homo, & tamen non haberetur explicitus conceptus humanæ personæ; sicut de facto contendimus, naturam diuinam absolutè subsistentem, ratione præcisam à suis personalitatibus, esse hunc Deum, & tamen non esse per hoc tantum diuinam personam. Quamquam

Caieta

Datum à personis præcisè, non esse semipersonam, contra Caietanum.

Caietanus 3. p. quæst. 2. art. 2. paulò ante finem commentarij, hoc argumento motus, nempe propter subsistentiam, quæ simpliciter est de ratione suppositi, & quam absolutè concedit Deo à personis præciso, & propter huius diuinæ subsistentiæ absolutæ communicabilitatem, quæ contradicit incommunicabilitati suppositi, non vereatur concedere in diuinis communem & absolutam quamdam rationem personæ incompletæ, & incompleti suppositi, quæ sit quasi semipersona, & semisuppositum. Sed meritò ab omnibus reiicitur tam aduersariis, quam patronis suæ sententiæ de subsistentia absoluta; nec vmquam antea in aliquo Concilio, aut apud aliquem Patrem, vel Scholasticum, huiusmodi termini scripti leguntur. Sunt igitur omnino vitandi tamquam noui in grauissimo hoc mysterio, præsertim cum illius fides nihil clarius ac frequentius prædicet, quàm tantum tres ibi esse personas, tria suppositа. Qui articulus fidei non nihil obscurari, & confundi videtur nomine alterius personæ, ac suppositi. Et præterea ipsemet modus loquendi impugnari facilè potest; quia etsi persona dicat subsistentiam quasi genericè, tamen vltimum, & quasi formale illius constitutiuum, est incommunicabilitas. Deficiente autem vltima differentia, & remanente tantum genere, nulli, propter solam participationem generis, tribui rectè potest speciei nomen, neque completè, neque incompletè. Quis enim quæso dixerit, Leo est homo incompletè, creatura est incompletè Deus? Quibus multò minus audiendos esse constat vereres aliquos Theologos, qui concedentes subsistentiam absolutam, concedunt pariter absque vlla limitatione vnicum suppositum absolutum, commune tribus diuinis personis. Referunt illos suppresso nomine, & impugnant Henricus Quodlibeto 5. quæst. 8. tota, & breuius, & clarius in summa art. 53. quæst. 6. Riccardus 1. d. 26. art. 1. quæst. 1. post medium corp. Aureolus quæst. vnica art. 4. Durandus quæst. 1. à num. 5. ad 9. vocans in fine numeri 4. *errorem potius quam opinionem.* Argentina quæst. vnica art. 4. & alij. Sed nimis apertè, saltem in modo loquendi, pugnant cum doctrina Conciliorum, & Patrum, & sensu totius Ecclesiæ, tres tantum personas, & tria tantum suppositа credentis. Vnde meritò Eymericius inter errores Raymundi Lullij, hunc refert in directorio Inquisitorum parte 2. quæst. 2. a. 7. *In diuinis est dare commune suppositum, quod respondet secundum suam naturam rationibus diuinis in producendo bonum.* Et art. 12. *Deus Pater, in quantum Pater, est suppositum singulare; sed in quantum respondet suis rationibus ad producendum Filium, est suppositum commune.* Quibus vltimis verbis vox, suppositum, non solùm theologicè, sed etiã philosophicè peruertitur: quia nomine suppositi omnes Theologi in materia de Trinitate, & Philosophi omnes intelligunt substantiam indiuiduam, singularem, & incommunicabilem, vt constat ex Boëtij definitione suprà q. 29. art. 1. Ergo suppositum, commune suppositis, est verè suppositum non suppositum.

Non dari in diuinis suppositum absolutum.

Henricus.

Riccardus. Aureolus. Durandus.

Argentina.

Eymericius contra Lullium.

56. *Si vna tantùm persona daretur in Deo, esset absoluta.*

Ad secundam eiusdem consequentis impugnationem dico, quòd si vna tantum persona esset in Deo, illa esset absoluta; & quia, vt supponitur, esset personalitas, quæ ex sua propria ratione est vltimus terminus supponens naturam, ac proinde extra conceptum essentialem naturæ, illa non posset esse ipsamet existentia naturæ diuinæ, includentis in sua actuali essentia existentiam, sed necessario esse deberet aliquis modus superadditus naturæ, sicut de facto personalitates intelliguntur in communissima sententia tamquam modi, seu formę non essentiales, sed afficientes, ac veluti informantes essentiam. Quare data prædicta hypostasi impossibili, inde necessariò sequeretur hoc aliud impossibile, nempe esse Dei absolutum futurum purum esse, & non subsistere; quia subsistere absolutum, quod supponitur extra essentiam, non posset remanere intra essentiam, intra quam est ipsum esse: & ideo abstracta tunc personalitate remaneret quidem hæc diuinitas, sed non hic Deus. Nunc autem longè diuersa ratio est, quia cum omnis personalitas sit subsistere relatiuum, potest ac debet ipsum esse essentiale Dei concipi, vt perfectissimum subsistere absolutum.

57. *Hunc Deum præcisum à personis, non esse generantem, nec creantem.*

Ad tertiam, nego, præcisis personalitatibus, tametsi intelligatur hic Deus, posse benè intelligi Deum generantem, creantem: quoniam generatio diuina non potest intelligi sine paternitate; & vniuersaliter nullus actus notionalis intelligi potest, absque distinctione, & oppositione relatiua, quæ est inter ipsas formaliter personas; licet ante personas præintelligantur actus intelligendi, & volendi, prout essentiales sunt, & communes. Creare etiam, prædestinare, & similes actus, quia liberi sunt, non possunt præintelligi in aliquo priori signo rationis ante relationes personales, quæ necessariæ sunt, & connaturales Deo, prius enim esse debet omne id quod necessarium est ad intrinsecam constitutionem agentis, quam libera aliqua eiusdem agentis operatio. Quoniam verò, vt superius ostendimus, personalitas in Deo se habet, vt purè terminans esse, non vt dans, seu sustentans esse, hic Deus, prout ante personas intelligitur perfectissimè existens & subsistens ex propria sua essentia independenter à suis personalitatibus, dici potest principium completum aliquo modo ad operandum ad extra, hoc est, completum præcisè quoad vim operatiuam, non autem quoad omnem intrinsecam entitatis suæ constitutionem: quia etsi, præcisis personalitatibus, intelligi nequeat cum esse intrinsecè terminato termino connaturali ac substantiali, tamen intelligitur cum esse per se ipsum sufficientissimo in ratione essendi, ergo etiam in ratione operandi; quoniam operari sequitur ad esse principij operatiui. In quo natura diuina præcisa à supposito, habet valde notandam differentiam à natura creata, vt distincta à supposito suo: hæc enim quia indiget supposito non solum, vt intrinsecè terminetur in se, sed etiam, vt sustentetur in suo esse, ante suum suppositum nullo modo dici potest principium completum ad operandum, quia cum ante suppositum non intelligatur natura creata completa secundum esse, intelligi non potest completa secundum operari. Diuerso igitur modo in Deo, & in creaturis, Actiones sunt suppositorũ: in Deo sunt suppositorum, vt purè terminantium esse, non vt sustentantium: in creaturis verò, & vt terminantium, & vt sustentantium esse. Vnde in creaturis natura nullo modo dici potest principium operandi completum, *vt quod*, sed solum suppositum: in Deo autem principium operandi *vt quod* ad extra non solum est simpliciter suppositum, sed etiam aliquomodo natura.

Principium operandi vt quod, est etiam natura in diuinis, non in creaturis.

DVBITATIO IV.

An in tribus diuinis Personis sint tres subsistentiæ relatiuæ.

SVMMA.

1 *Probantur tres subsistentiæ in concreto, num. 58.*
2 *Probantur tres subsistentiæ in abstracto, num. 59. ad 69.*
3 *Soluuntur contrariæ rationes, n. 69. ad finem art.*

58. *Prima conclusio affirmatiua de subsistentiis in concreto.*

PRima conclusio affirmatiua de subsistentiis in concreto acceptis, hoc est, de tribus subsistentibus, meritò censetur ab omnibus certa secundum fidem: non minus ac certum est, tres in Deo esse personas, earumque personalitates esse relatiuas. Hinc enim, posito principio naturaliter noto, quòd persona nihil est aliud, quàm rationalis natura perfectè subsistens, per enidentem consequentiam sequitur, in Deo tres esse relatiuè subsistentes. Habemus etiam magis expressas ac directas Ecclesiæ definitiones. Quinta Synodus generalis, quæ est secunda Constantinopolitana, in Confessione, seu Collatione 8. Can. 1. ita habet, *Si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis, siue personis adorandam, anathema sit.* Illa disiunctiua, *siue personis*, probabiliter innuit, nomen subsistentiæ sumi in concreto, sicut concretum est nomen personæ. quod in aliis multis similibus authoritatibus allatis supra n. 38. & 49. licet obseruare. Sexta quoque Synodus, quæ est tertia Constantinopolytana, in epistola 2. Agathonis Papæ, & Romanæ Synodi, quæ est instructio Legatorum columna 3. in Professione Fidei, docet, esse credendam, *Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate: vnitatem quidem essentiæ, Trinitatem verò personarum siue subsistentiarum. Non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum vnam substantiam.* Sic enim legunt nouissimi & emendatiores Codices; & ita esse legendum, & non *vnam subsistentiam*, ipsemet contextus clarissime indicat, vt patet legenti antecedentia & subsequentia. Quæ epistola recipitur ab eadem sexta Synodo Actione 17. columna 4. & Actione 10. in quadam Fidei confessione quorumdam Episcoporum, credunt, *Trinitatem secundum subsistentias, siue personas.* Item Actione 11. Sophronius citatus supra n. 38. *Credimus*, inquit, *Trinitatem pro tribus subsistentiis.* Vt post pauca verba, *Sancta Trinitas numerabilis personalibus facta est subsistentiis. Diuiditur namque numerabilibus subsistentiis, & numeratur personalibus alteritatibus.* & post nonnulla iterum, *subsistentia tres pronuntiantur.* &, *Sabellianorum ista est pranitas, in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias*, & rursus, *Impium est orthodoxis, & à veritate prorsus proiectum est, tam singularitas secundum subsistentiam, quam ternalitas in naturis.* Et sæpius in tota epistola tres subsistentiæ trium diuinarum personarum inculcantur. Postea Nicenum secundum, quod fuit septimum Concilium generale, in Confessione Fidei Tharasij, à Concilio approbata, *Definimus*, inquit paulo post principium, *Trinitatem, vnam Deitatem in tribus subsistentiis indiuisim discretam, & distinctim vnitam.* Et multò post in exemplari Synodicarum literarum Theodori, sanctissimi Patriarchæ Hierosolymorum, circa initium ait, *Credimus Trinitatem in tribus subsistentiis. Diuisa est enim numerariis subsistentiis, & numerata personalibus alteritatibus.* Et paulo post, *Trinitatem in tribus inconfusis subsistentiis cognoscimus.* Concilium Lateranense sub Martino Papa I. Consultatione 5. Canone 1. *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè & veraciter vnitatem in Trinitate, hoc est,* inquit, *vnum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, condemnatus sit.* Idem passim apud Patres legimus. Notanda potissimum videntur verba Nysseni de Trinitate aduersus Iudæos, aliquanto ante finem, de tribus diuinis personis ita loquentis, *Vnumquodque est in propria subsistentia persona.* Et Nazianzeni Oratione 25. ad Arianes, & de se ipso, non longè à fine confitentis, *Vnam naturam in tribus proprietatibus perfectis, per se ipsas subsistentibus, numero diuisibilibus, Deitate indiuisis.* Et Cyrilli citati supra n. 49. fine sæpe docentis, *tres subsistentias proprias.* Et Damasceni libro 1. Fidei c. 9. aliquantò post principium, *Filius propriam habet subsistentiam, præter eam quæ Patris est.*

Quinta Synodus. Sexta Synodus. Sophronius. Nicenum secundum. *Lateranense sub Martino I.* Nyssenus. Nazianzen. Cyrillus. Damascen.

59. *Secunda conclusio affirmatiua de subsistentiis in abstracto.*

Secunda conclusio. In tribus diuinis personis sunt tres subsistentiæ realiter distinctæ, non solum in concreto, sed etiam in abstracto; ita vt tres diuinæ personæ, sint tres subsistentes, non solum per vnam communem subsistentiam absolutam, sed etiam per tres relatiuas subsistentias, quarum vnaquæque sit propria alicuius determinatæ personæ, & non alterius: & sicut sunt tres personales relationes ratione distinctæ ab essentia, & realiter distinctæ inter se, ita etiam tres personales subsistentiæ. Ita omnes citati supra n. 46. contra subsistentiam absolutam, & communem; si enim hæc non datur, necesse est omnino fateri tres subsistentias relatiuas, ac proprias trium personarum. Ex iis etiam qui admittunt quartam subsistentiam, idem sentiunt omnes pro illa ibidem citati. Et Caietanus supra n. 45. & significant Scotus, & Paludanus supra n. 44. & 45. Heruæus quoque 1. d. 2. q. 4. fine Corporis obiter, sed expresse admittit tres subsistentias relatiuas; quas tamen negant multi authores citati n. 44. & 45. pro subsistentia absoluta, vt Albertus, dicens, omnes contrarias authoritates posse exponi de subsistentiis in concreto, iuxta primam conclusionem. Durandus, Argentina, Capreolus, Hispalensis, Marsilius, Ferrariensis. At vero S. Thomas, qui sine dubio est pro subsistentia absoluta, quam propterea omnes ferè Thomistæ amplexati sunt, licet de relatiuis subsistentiis dissentiant, videtur etiam esse pro subsistentiis relatiuis; quamuis magnam occasionem dederit nonnullis Thomistis opinandi contrarium, vt patet ex eius dictis supra n. 42. & 43. Is igitur supra q. 29. ar. 2. ad 2. ait, *Sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres personas, & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres hypostases.* Sed diuinæ hypostases, & personæ sunt plures realiter distinctæ; ergo & subsistentiæ. Et infra q. 40. ar. 3. post. medium Corporis, *Proprietates personales non sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto præexistenti; sed ferunt secum sua suppositа, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes.* Certè non ferrent secum sua suppositа, si nullam secum ferrent subsistentiam, sine qua suppositum est inintelligibile; *quia natura*, inquit S. Thomas 3. p. q. 2. a. 2. circa medium Corporis, *dicitur suppositum, secundum quod est subsistens.* Vbi cum in fine Corporis dixisset, quod *Verbum habet naturam humanam sibi vnitam in persona, non in natura:* statim ad 1. docet, quod *natura humana sic vnitur Verbo, vt Verbum in ea subsistat.* Ergo à Verbi persona, non à natura, habet humanitas Christi vt subsistat. Ergo in Verbi persona est propria aliqua personalis subsistentia, & non solum communis subsistentia naturæ: alioquin formalis terminus vnionis, quo humanitas subsistit, esset natura.

Secunda cōclusio affirmatiua de subsistentiis in abstracto. Heruæus. *Quid sentiat S. Thomas.*

66. Quare cum alibi contrarium significat, est explicandus de subsistentia absoluta. Et ideo cum infra q. 40. ar. 2. ad 2. dixisset, *quòd personæ diuinæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt*; immediate subiungit, *Neque in aliquo absoluto; sed solum secundum id quod ad aliquid dicuntur*: significans, quod in personis sit aliud proprium esse relatiuum, in quo relatiuè subsistant. De absoluto igitur subsistere, quod est propriè ac simpliciter subsistere, dixit S. Thomas de Potentia q. 2. ar. 1. *Diuina natura non accipit esse per suppositа*; quia per suum perfectissimum esse essentiale, per se, & in se subsistens, est in omnibus suis suppositis. Et q. 8. ar. 3. ad 7. *Relatio, in quantum est relatio non habet quòd subsistat, vel subsistere faciat, sed in quantum est essentia diuina.* &

q. 9. art. 5. ad 13. *In diuinis proprietates personales non sunt principium subsistendi diuinæ essentiæ, sed è conuerso, habent quòd subsistant ab essentia.* De eadem subsistentia absoluta, & essentiali, quæ est propria substantiæ simpliciter dictæ, intelligi potest Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. fine dum probat, quòd *hoc est, Deo esse; quod subsistere*; quia, inquit, *si aliud est Deo esse, aliud subsistere, relatiuè ergo subsistit.* Quod consequens absurdum esse docet ex eo quòd *iam substantia, quam ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus, non erit substantia, quia relatiuum erit. Absurdum est enim, vt substantia relatiuè dicatur. Omnis enim res, ad se ipsum subsistit, quamò magis Deus.* Quibus verbis satis apertè nullum subsistere relatiuum, sed absolutum tantum videtur in Deo agnoscere. Et sanè aduersarij, qui Deo negant omne subsistere ad se, coguntur dicere, Augustinum negasse omnes subsistentias relatiuas, quod de viro in Conciliis versatissimo non est credibile. Vult igitur nullum subsistere dici relatiuè, sed tantum absolutè, nam relatio etiam diuina, quatenus præcisa ab essentia, ex se, & ex propriis non tam est substantia simpliciter dicta, quam substantia talis, nempe relatiua, quæ est modus, seu terminus substantialis potius quam substantia; sed esse perfectissimum, & absolutè dictum substantiæ habet, quatenus in re ipsa identificatur cum essentia. Idemque dicendum de subsistere, quia ipsomet Augustino docente ibidem, *Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia; ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus.*

Exponitur Augustinus. Theodorus.

Probantur tres subsistentiæ in abstracto.

61. *Primò ex authoritate.*

Prima probatio sumi potest ex authoritate Conciliorum, & Patrum supra n. 58. quæ mihi videtur valdè vrgens. Enim verò Concilia & Patres frequentissimè docent, & grauissimè in ipsismet Fidei professionibus confitentur, in Deo esse tres subsistentias. Neque satisfaciunt aduersarij explicantes de tribus subsistentiis in concreto. Primò quia aliquando explicati verè non possunt nisi in abstracto; vt Sophronius, à quo creditur, *Sancta Trinitas numerabilis personalibus subsistentiis.* Nimis certè durum, & non est prudenter credibile, Personas subsistentes vocari personales subsistentias: quia subsistentia personalis non est tota ipsa persona subsistens, sed est formalis ratio constitutiua personæ vt subsistentis: sicut relatio personalis est formalis ratio constitutiua personæ vt relatæ, & non est ipsa persona relata, aliunde quam ex personali relatione. Ergo nec subsistentia personalis benè dicitur ipsa persona subsistens aliunde quam ex subsistentia propria personæ, nimirum ex subsistentia communi naturæ. Quis enim quæso Deum communem tribus personis, vel absolutam naturæ diuinæ existentiam, sapientiam, &c. vocauerit Deitatem personalem, existentiam ac sapientiam personalem? Hæc enim denominatio personalis, semper apud Patres, aliosque omnes Catholicos Doctores in hac materia de Trinitate sumitur pro re aliqua propria vnius personæ, & non alterius; ideo enim relatio spiratoris non dicitur personalis, sicut dicuntur personales reliquæ tres relationes, quoniam illa non est vni personæ tantum propria, sicut aliæ, sed duabus personis, hoc est, Patri & Filio communis. Ergo si nulla alia in Deo subsistentia est nisi communis, non licuisset Sophronio eam vocare subsistentias personales, præsertim cum dicat, his subsistentiis numerari tres personas: ergo non est vna subsistentia in tribus; sic enim non personæ numerarentur subsistentiis, sed contra potius subsistentiæ numerarentur personis, ita vt ideo

Sophronius. Nyssenus. Nazianzen.

62. Præterea non minus efficaciter eumdem concretum sensum confutare licet ex Patrum verbis ibidem allatis. Nyssenus docet, quòd vnaquæque diuina persona, *est in propria subsistentia persona.* Vbi subsistentia ineptissime sumeretur concretè pro persona. Nam esset hic sensus ridiculus, Pater v. g. est in propria persona personæ. Verè igitur sensus germanus est, Pater est in subsistentia, non communi, sed propria personæ suæ. Ergo præter subsistentiam naturæ absolutam & communem, datur in Patre alia subsistentia personalis relatiua & propria. Nazianzenus fatetur, *Vnam naturam in tribus proprietatibus perfectis, per se ipsas subsistentibus, numero diuisibilibus.* Certum videtur hic non sumi proprietatem, nimirum personæ, pro ipsamet persona: proprietas enim ab omnibus vsurpatur pro aliqua ratione conueniente vni tantum personæ, & non aliis. Has igitur proprietates in abstracto esse docet Nazianzenus per se ipsas subsistentes, numero diuisibiles. Igitur non subsistunt per vnicam & communem subsistentiam naturæ. Cyrillus quoque ponens *tres subsistentias proprias*, non potest per subsistentias, concretè acceptas, intelligere personas: tunc enim sensus esset minimè conueniens, dari in diuinis tres personas subsistentes proprias. Vbi illud, *proprias*, omnino superfluit. Cuius enim propriæ fuerint tres personæ subsistentes? In abstracta vero significatione redditur sensus perspicuus, verbis ipsis, & rei significatæ accommodatissimus, dari in diuinis tres subsistendi rationes, seu formales subsistentias, proprias trium personarum. Similiter cum Damascenus dicit, *Filius propriam habet subsistentiam, præter eam quæ Patris est*, euidenter innaturalis, & puerilis apparet sensus concretus, Filius propriam habet personam subsistentem, præter eam personam subsistentem quæ est Patris. At verò sensus abstractus, naturalis ac grauis est, & ab omnibus facillimè percipitur, Filius propriam habet rationem subsistendi ad Patrem, distinctam ab alia ratione subsistendi ad Filium, quam Pater habet.

Cyrillus. Damascen.

63. *Confutatur responsio aduersariorum.*

Eadem concreta interpretatio confutatur secundo, quoniam esto subsistentiæ nomen, ex se abstractum, vsurpetur semper pro re significata concreta, hoc est, pro persona subsistente, vt probauì suprà num. 58. interdum vsurpari, & ideo quæst. 29. art. 2. notaui, idem significari per subsistentiam, quod per

Hypostasim,& Personam;tamen huiusmodi vsurpatio ac loquutio esset prorsus illicita, ni verè darentur in diuinis tres in abstracto subsistentiæ realiter inter se distinctæ. Aliter vnica subsistentia,in tribus personis per identitatem existente, tres personæ dici quidem vtcunque possent, in concreto scilicet atque adiectiuè, tres subsistentes; sed hic per tres subsistentias in abstracto, & substantiuè, nullatenus significari possent: quoniam cum huiusmodi vnicæ formæ non habeant in se numerationem ac ternalitatem; sed à subiectis, vel quasi subiectis recipiant,nequeunt separatæ,atque abstractæ à subiectis,ternario numero multiplicatæ proferri.Idcirco namque esto dici adiectiuè possint in diuinis tres, v.g. sapientes, hoc est,tres habentes vnam communem sapientiam, tamen nemo substantiuè dixerit tres sapientias, vt probatur infrà, quæst.30. art.3. Cum igitur Concilia,& Patres concreta trium personarum ferè semper explicent substantiuè per nomina abstracta subsistentiarum in plurali,satis apertè significant, in tribus subsistentibus personis esse tres distinctas subsistentias.

64. *Secundò ex ratione personalitatis,*

Probatio secunda principalis sumitur ex ratione, fundata in essentiali conceptu personalitatis. In Deo sunt tres personalitates relativæ distinctæ realiter;quia sunt tres personæ,& persona est vox concreta substantiua,quæ non multiplicatur nisi multiplicata forma,quam formaliter, & expresse significat:ergo sunt eodem modo tres subsistentiæ. Consequentia patet ex eo, quod de essentiali ratione personalitatis est subsistentia incommunicabilis;ita vt quamuis non omnis subsistentia simpliciter, sit personalitas,tamen nulla personalitas sit, quæ, etiam vt personalitas reduplicatiuè,non imbibat omnino inseparabiliter,& essentialiter conceptum subsistentiæ. Hanc enim ob causam homo, & quæuis alia creata natura intellectualis per personalitatem habet subsistere;& natura humana Christi,quia caret personalitate creata, caret etiam creata subsistentia. Atque ita videtur personalitas,vt personalitas,esse subsistentia, tametsi non omnis subsistentia sit personalitas, quemadmodum omnis substantia, etiam reduplicata secundum vltimam suam propriam,ac formalem differentiam, est ens, siue entitas, quamuis non omne ens,siue entitas,sit substantia; & quemadmodum ipsamet personalitas vt sic, est modus, seu forma,seu terminus; quamuis non omnis modus,seu forma, seu terminus, sit personalitas.

65. *Aduersariorum responsio.*

Dices cum aduersariis, subsistentiam omnem diuinam haberi ab essentia; incommunicabilitatem verò subsistendi haberi à relationibus personalibus: formale enim constitutiuum personalitatis non esse subsistentiam, sed esse in diuinis rationem relationis suppositæ,qua absoluta naturæ subsistentia reddatur incommunicabilis, & quia hæ relationes personales sunt tres,ideo tres etiam esse incommunicabilitates subsistendi; & in hoc sensu dici tres personalitates,& tres subsistentias, non simpliciter,sed quatenus incommunicabiles.Contra verò

Impugnatur primò.

est primò, quia personalitas est vltimus naturæ rationalis terminus; non qualiscumque,sed in se intrinsecè substantialis, se ipso formaliter faciens, vt esse substantiale naturæ sit per se, & in se omnino completum ac terminatum in genere substantiæ: quod non potest intelligi prouenire à puro conceptu relationis,vt relatio simpliciter est,nisi & illa in se intrinsece sit ipsa ratio subsistendi incommunicabiliter. Secundò si relationes personales, vt

Impugnatur secundò.

præcisæ ab essentia, non tribuerent incommunicabilitatem per propriam rationem relatiuam subsistendi, sequeretur, hunc Deum subsistentem, esse verè, ac propriè personam; quia incommunicabilitati personæ repugnat solum communicari aliis subsistentiis,quibus vlterius terminetur in eodem genere substantiæ,qualem incommunicabilitatem de facto habet secundum aduersarios natura diuina à personalitatibus præcisa: non repugnat autem communicari aliis formis non subsistentibus;sicut de facto personis Patris, & Filij aduenire intelligitur, & realiter communicatur spirandi relatio,non ex se subsistens,vt adnotaui supra num.16. & sicut persona Verbi communicatur naturæ humanæ Christi,non aliunde subsistenti. Ergo si relationes non essent ex proprio conceptu subsistentes, posset hic Deus, quantumuis esset persona, illis tamquam formis communicari ad identificandum sibi illas, inter se distinctas, & incommunicabiles.

66. *Impugnatio tertiò.*

Tertiò eamdem responsionem impugno ex nomine ac ratione suppositi. Nam suppositum substantiale significat propriè sub alio positum, seu alteri suppositum substantialiter, hoc est, in ratione subsistendi. Sed natura diuina est verè ac propriè in tribus diuinis suppositis;ergo per tres distinctas rationes subsistendi. Ergo si illa natura rationem formalem suppositi habet à solis relationibus personalibus, hæ in abstracto conceptæ includere in se debent rationem subsistendi:alioquin intelligi non possent vt rationes sub natura positæ,nimirum substantialiter, ad hoc vt per illas natura subsistat incommunicabiliter. Ergo non possunt includere puram incommunicabilitatem, præcisam ab omni ratione subsistendi; sic enim potius relatio incommunicabilis supponeretur in natura, & illi inexisteret,quam natura in relatione, vel in aliqua alia suppositi ratione; & natura ipsa esset suppositum substantiale relationum omnium, non autem relationes essent suppositæ substantialia naturæ; quoniam omnes relationes subsisterent simpliciter ratione naturæ, natura verò nullo modo subsisteret ratione relationum:quemadmodum de facto, quia relatio spirandi non affert aliquam subsistendi rationem, ideo non est relatio personalis, nec ingreditur rationem alicuius diuini suppositi, suppositantis substantialiter naturam,sed identificatur cum suppositis Patris,& Filij.

67. *Impugnatur quartò.*

Quartò argumentor à contrario, subsistentia communicabilis,quam aduersarij etiam admittunt, non est subsistentia per vnam rationem,& communicabilis per aliam rationem, sed se ipsa formaliter, & prorsus indiuisibiliter est subsistentia talis, quæ in ipsa intrinseca subsistentiæ ratione includit communicabilitatem, sicut includit esse absolutum, & infinitum, cum nullo habens oppositionem, vnde prouenit vt sit communicabilis. Ergo pari ratione, subsistentia incommunicabilis,quæ secundum omnes spectat ad essentiam suppositi, non debet in duos conceptus ita diuidi, vt per vnum habeat rationem subsistentiæ, præsertim communicabilis suppositо, quæ communicabilitas directè contradicit subsistentiæ suppositali, & per alium habeat rationem incommunicabilitatis puræ, & præcisæ à qualibet subsistentia; sed debet esse subsistentia talis, nimirum relatiua & opposita, quæ in ipsamet subsistendi ratione includat intrinsecè incommunicabilitatem,sicut includit rationem respectiui, & oppositi.Ita enim videtur concipienda subsistentia incommunicabilis, quæ constituit suppositum, quemadmodum concipitur diuina paternitas, v.g. quòd sit relatio incommunicabilis, aut relatio personalis,vel substantia relatiua:neque enim per aliud est relatio, & per aliud est incommunicabilis, aut personalis;vel per aliud est substantia, & per aliud relatiua.

relatiua. Sic igitur incommunicabilitas propria suppositо, cum sit incommunicabilitas substantialis, se ipsa formaliter vltimò terminans naturam in ratione substantiali, quæ alia esse non potest nisi ratio subsistendi,concipienda est vt subsistentia talis,quæ ex sua formalitate sit vltimus, & incommunicabilis terminus naturæ.Aliter non video quo modo vitari possit sententia Caietani supra affirmantis, Deitatem secundum se esse semipersonam; nam integra persona est subsistens incommunicabiliter,& integra personalitas,seu suppositalitas,est subsistentia incommunicabilis. Sed per te omnis subsistentia est tantum in Deitate; & in relationibus personalibus est sola communicabilitas; ergo non quicquid pertinet ad essentialem conceptum suppositalitatis habetur extra naturam, sed subsistentia, quæ si non est tota suppositalitas, certè est illius pars, eaque præcipua, habetur intrinsecè inclusa in essentia naturæ:ergo hæc est propriissimè si non totum,saltem semisuppositum.

68. *Impugnatur quimò.*

Quintò hæc sententia diuidens quodammodo rationem suppositi,& partim ponens in natura,partim in relatione personali, minimè cohærere videtur cum multis, quæ omnes credimus, atque sentimus. Dicimus primò naturam humanam Christi non habere propriam personalitatem, ac subsistentiam, sed subsistere subsistentia Verbi, non Patris, aut Spiritus sancti: quoniam Incarnatio facta est non secundum naturam communem Patri, Filio, & Spiritui sancto, sed secundum propriam Verbi personam,seu personalem subsistentiam, ad quam immediate & formaliter terminatur vnio hypostatica. Hoc autem minus intelligibile fit, si ponatur in diuinis vna tantum absoluta, & communis subsistentia naturæ:tunc enim Christi humanitas non subsisteret simpliciter,nec in esse sustentaretur subsistentia propria vnius personæ,sed omnium personarum communi.Solam quidem & præcisam incommunicabilitatem subsistendi haberet à Verbo; ipsum verò subsistere non plus haberet à Verbo, quam à Patre,& Spiritu sancto. Ipsa quoque vnio hypostatica terminata formaliter ad subsistentiam incommunicabilem, non minus terminaretur ad id quod est commune toti Trinitati, quam ad id quod est vni tantum personæ proprium. Quæ in materia de Incarnatione reiiciuntur tamquam absurda, multum aliena ab iis, quæ Concilia & Patres docent. Dicimus secundò productionem personæ terminari formaliter ad rem subsistentem, definiente Florentino in literis vnionis. Filium esse principium subsistentiæ Spiritus sancti,sicut & Patrem. Quod absolutè dicere nequeunt aduersarij: sed solum, esse principium relationis,siue incommunicabilitatis Spiritus sancti.Tertiò dicimus, Oppositionem relatiuam in diuinis esse inter res, ex se, & ex proprio conceptu subsistentes. At per aduersarios esset inter res ex communi essentia naturæ absque vlla oppositione simpliciter subsistentes vnica subsistentia. Quartò naturam diuinam esse in tribus subsistentiis, seu subsistentibus: sed dicendum esset in contraria sententia, Tres relationes esse in vna Dei subsistentia, & in vno subsistente Deo.Saltem posita vna tantum subsistentia, multò magis propriè diceretur,In Deo esse vnum subsistens affectum tribus relationibus incommunicabilibus, quam in Deo esse tres subsistentes, siue tres subsistentias. Et nihilominus hic secundus loquendi modus semper vsurpatur à Conciliis & Patribus superius adductis, primus verò numquam. Quintò dicimus,esse in diuinis tria habentia Deitatem.Sed aduersarij dicere tantum propriè possunt, esse vnum habens Deitatem; sicut in Christo est vnum habens naturam diuinam & humanam,propter vnicam subsistentiam. Quæ omnia huius mysterij doctrinam à Sanctis traditam non mediocriter perturbant. Quapropter prudentissimè monuit Suarez lib.3.de Trinitate cap.4.num.10.minus inconueniens esse negare subsistentiam absolutam, & fateri tres subsistentias relatiuas;quam illam tueri,has verò reiicere. *Suarez.*

Soluuntur contrariæ rationes.

69. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Posita subsistentia absoluta & essentiali, aliæ subsistentiæ videntur primò superfluæ, quia per illam natura diuina sufficientissimè subsistit. Omnis autem subsistentia est propter naturam, cum sit terminus, & substantiale complementum naturæ. Secundò impossibiles, quia repugnat subsistentiæ, esse in alio. Ergo etiam terminari,& subsistere per aliam subsistentiam.

Respondetur explicando necessitatem subsistentiæ absolutæ, & subsistentiarum relatiuarum.

Respondeo, Necessitatem introducendi subsistentiam absolutam, esse naturæ diuinæ absolutæ, quatenus absolutæ perfectionem,quæ esse debet infinita, si non simpliciter in omni genere entis, saltem in genere entis absoluti. Necessitatem verò, præter hanc absolutam subsistentiam, introducendi subsistentias relatiuas,esse peculiarem conditionem diuinarum personalitatum, quæ non possunt esse nisi relationes,vt in inferioribus vberius ostendemus.Cum igitur Deus Filius, v.g.debeat subsistere non solum ad se absolutè, vt Deus, verum etiam subsistere relatiuè ad aliud, vt persona Filij ad Patrem, debuit præter subsistere absolutum, quo illa natura intelligitur perfecta in ratione naturæ absolutæ,habere aliud subsistere relatiuum, quo eadem natura intelligeretur perfici, seu potius terminari, & constitui in ratione personæ relatiuæ.

Subsistentias relatiuas non esse superfluas.

Quare ad primum de superfluitate,dico naturam diuinam per subsistentiam absolutam sufficientissime subsistere in ratione naturæ, & essentiæ, siue in proprio genere entis absoluti; non autem in ratione personæ,& in alio genere entis relatiui, ad quod ipsa essentialiter non spectat. Et est manifesta instantia de quauis simplicissima persona diuina, in qua distinguimus ratione ratiocinata vnam realem entitatem absolutam, quam tribuimus naturæ; & aliam realem entitatem respectiuam, quam tribuimus personalitati. Ita prorsus ratione distinguimus duplicem subsistentiam,alteram absolutam naturæ, alteram respectiuam personalitatis.

Nec impossibiles.

Ad secundum de impossibilitate, dico subsistentiam personalem esse interminabilem, & incommunicabilem;quia ratio personæ est essentialiter,vt sit vltimus terminus in genere substantiæ. Subsistentiam verò essentialem, esse adhuc communicabilem, ac terminabilem per vlteriorem subsistentiam personalem: nimirum non per aliquam compositionem,sed per summam identitatem. Propter quam identitatem subsistentiæ absolutæ cum tribus relatiuis, Bellarminus, & Suarez locis suprà citatis, & Bagnez suprà quæst.29. art.3. §. *Præterea* fine, quod ad bonum loquendi modum pertinet, nolunt posse rectè dici, In diuinis esse quartam subsistentiam,aut quatuor subsistentes: quemadmodum ob eamdem identitatem naturæ diuinæ absolutæ cum tribus relatiuis personis, non dicuntur in diuinis esse quatuor res, aut substantiæ;sed solum dicuntur esse tria,quæ sunt vnum.Negandum igitur est illud antecedens huius secundi argumenti, subsistentiæ repugnat esse in alio,si intelligatur vniuersaliter de quacumque subsistentia:seu de subsistentia,quæ non est superaddita existentiæ, sed est ipsamet substantialis existentia perfectissima.

Non dari quatuor subsistentias.

Obiicies secundò. Subsistentia est perfectio simpliciter 70.

Secunda obiectio.

simpliciter simplex, quia melius est subsistere in se, & per se, quam existere in alio. Huius autem generis perfectiones non multiplicantur in diuinis, vt sapientia, voluntas, &c.

Respondetur explicando an subsistentia sit perfectio simpliciter simplex.

Respondeo, nos non multiplicare subsistentias quascumque, sed relatiuas, & incommunicabiles, atque oppositas: quæ licet sub vna ratione, nempe per comparationem ad essentiam cum qua identificantur, dici possint perfectiones simpliciter simplices; tamen sub alia ratione, nempe per vnius subsistentiæ ad aliam subsistentiam à se realiter distinctam, sibique oppositam, non esse perfectionem simpliciter simplicem; vt latè dictum est supra q. 28. art. 2. num. 156. & 157. de relationibus, de quibus, & de subsistentiis relatiuis est eadem ratio. Illæ igitur perfectiones non multiplicantur in diuinis, quæ sub omni ratione sunt perfectiones simpliciter simplices, quia scilicet sunt absolutæ, cum nullo habentes oppositionem. Multiplicari vero debent aliæ perfectiones, quæ non sunt omnino simpliciter simplices propter oppositionem, ac realem distinctionem.

71. *Tertia obiectio quia non potest assignari id cui immediatè tribuatur subsistentia relatiua.*

Obiicies tertiò subsistentia relatiua, si datur in diuinis, tribuere debet se ipsa immediate & formaliter, esse per se incommunicabiliter. Assignari autem non potest id cui tale esse tribuat. Nam vel tribuit primo naturæ diuinæ simpliciter, ita vt hæc immediatè intelligatur quasi affici & subsistentia absoluta, & subsistentia relatiua. Vel secundo naturæ diuinæ subsistenti per absolutam subsistentiam, siue huic Deo vt sic. Vel tertio constituto ex subsistentia absoluta, & relatiua; siue personæ. Non primum, quod Suarez supra in 3. p. sect. 4. columna 7. probabile dicit, sed simpliciter reiicit; quia subsistentia absoluta, cum sit ipsamet existentia absoluta, esse debet de essentia essentiæ diuinæ. Ergo si subsistentia relatiua, est quidem veluti modus terminans integram naturam & essentiam diuinam, terminabit etiam & subsistere faciet immediate ipsam subsistentiam absolutam. Omne enim subsistere, distinctum saltem ratione ab esse, datur per ordinem ad esse, vt illud terminet, vel etiam sustentet, si imperfectum est. Sed, vt probatum est, esse naturæ diuinæ est subsistere. Ergo relatiua subsistentia distincta secundum rationem à natura, afficiens immediate illam, non potest non eodem modo afficere illius subsistere. Non secundum, quod tamquam omnino impossibile impugnat Suarez supra; quia subsistentia est essentialis ratio essendi per se. Ergo intelligi non potest adhuc terminari alia subsistentia, hoc est, per aliud accipere vt per se sit: tunc enim esset per se, & non esset per se, sed per aliud, quæ est implicantia. Sicut ob eamdem rationem implicat, vnum suppositum per aliud suppositum supponitari, & vnam existentiam per aliam existentiam existere. Non tertium, quod sequitur Suarez supra, motus præcipuè ex eo quòd subsistentia absoluta, & ipsa tota diuina essentia sit de quidditate subsistentiæ relatiuæ, & personalitatis, ac relationis, ita vt hæc ab illa ne ratione quidem præscindi perfectè possit. Tum quia hoc fundamentum reiectum est supra q. 28. art. 2. dub. 4. Tum quia esto fundamentum firmum sit, tamen certum esse debet, etiam in illa opinione, Personalitatem ita essentialiter includere naturam communem, & absolutam subsistentiam, vt illi superaddat aliquam proprietatem personalem, & relatiuam subsistentiam: alioqui si personalitas nihil prorsus adderet naturæ, ne per rationem quidem, iam nulla ratione distinguerentur inter se personalitas relatiua, & natura absoluta, quod ex terminis ipsis apparet falsum. Hoc igitur additum, quatenus additum formaliter, non

Non natura vt subsistens.

Non natura simpliciter.

potest intelligi superaddi sibi ipsi, sed potius rei quam inseparabiliter includit, & supra quam aliquid addit. Ergo in illa etiam opinione subsistentia relatiua debet intelligi vt subsistentia, & terminus naturæ & absolutæ subsistentiæ, non autem vt terminus constituti ex vtraque subsistentia. Quemadmodum in simili opinione philosophica de ente & differentiis entis, qua ipsimet aduersarij vtuntur in explicanda alia prædicta opinione Theologica, Perseitas v. g. non præscindens ab ente, intelligitur vt differentia entis, ab ipsa præcisiue; non autem vt differentia substantiæ per ipsam constitutæ.

Respondetur esse naturam vt subsistentem.

Respondeo, bene reiectis primo & tertio membro, non remanere nisi secundum sufficienter probatum in impugnatione primi membri. Implicantia vero allata contra secundum membrum non videtur multum vrgere: quia subsistentia absoluta, non est omnis simpliciter ratio essendi per se quocumque modo, sed tantum in suo genere absoluto: sicut natura diuina secundum essentiam suam considerata, & præcisa à relationibus, non est omnis simpliciter entitas, & substantialitas, sed tantum absoluta. Hinc autem sequitur solum, subsistentiam absolutam, quæ in diuinis est essentialis & communicabilis, non posse terminari alia subsistentia absoluta, & eiusdem generis; & non posse accipere esse per se absolutè, seu subsistere absolutè, & essentialiter, & communicabiliter; sicut non potest suppositum, & existens incommunicabiliter, assumi ab alio supposito, etiam diuino, dante esse per se incommunicabiliter. Verum non sequitur, non posse terminari alia subsistentia relatiua, & diuersi generis, eaque fieri per se existens relatiuè, & subsistens personaliter, atque incommunicabiliter. Quæ quidem terminatio non est concipienda modo imperfecto per modum compositionis & cuiusdam sustentationis naturæ terminatæ, vt accidit in rebus creatis; sed solum per modum cuiusdam puræ ac simplicis affectionis, seu determinationis, cum summa identificatione, & reali atque intima inclusione, & quasi penetratione à parte rei.

72. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò, quia omnis subsistentia secundum proprium ac formalem subsistentiæ conceptum est essentialiter modus, seu ratio per se existendi. Sed quod ita existit per se, repugnat existere in alio, vel per aliud. Ergo existit incommunicabiliter, & vltimò terminatum in ratione existendi. Sed ex dub. 3. in Deo est subsistentia absoluta essentialis. Ergo cum illa repugnant aliæ subsistentiæ quibus ipsa communicetur, & in quibus sit vt existat per se: tunc enim Deus existeret per se, & non existeret per se, sed in alio, & per aliud; item esset incommunicabilis, & nihilominus communicaretur, ac proinde esset communicabilis: quæ sunt manifestæ contradictiones.

Respondetur distinguendo duplex esse per se.

Respondeo, hoc esse potissimum fundamentum quorumdam recentiorum contendentium subsistentiam absolutam pugnare cum subsistentiis relatiuis; & consequenter, cum ex maiorum nostrorum authoritate certum sit has dari, illam esse negandam, sed facilè soluitur, quia totum nititur particula illa, *per se*, vno indistincto & confuso modo accepta: verum distinguenda est; duobus enim modis dici potest aliquid existere per se. Vno modo vt illud, *per se*, excludat alium sustentantem; & hac ratione existentiam Dei absolutam, præcisam à personalitatibus, esse per se existentiam, ac proinde esse aliquo pacto propriè subsistentiam, tenentur fateri omnes rectè concipientes perfectionem diuini esse. Alio modo vt illud, *per se*, excludat etiam alium

alium purè terminatum, & sic nego, quòd existere per se sit de ratione cuiuscumque subsistentiæ, sed subsistentiæ personalis, qualis non est subsistentia absoluta diuinæ naturæ. Quòd autem hæc duplex ratio existendi per se reperiatur tantum in Deo, non in creaturis, oritur ex perfectione, & infinita fœcunditate diuini esse, & ex imperfectione esse creati, vt superius explicatum est. Quare de essentia suppositi, vt suppositum est, præscindendo ab increato, & creato, non est sustentare esse naturæ, quod supponit imperfectionem naturæ, quam Deo tribuere nefas est; sed solum terminare esse naturæ, in quo puræ terminationis conceptu nulla inuoluitur imperfectio, & ideo tribui potest etiam Deo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Deo sint plures personæ quàm tres.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd in Deo sint plures personæ, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur non esse pauciores tribus, n. 1. & 2.*
2 *Cur in Deo detur duplex processio, non in creatura, num. 3.*
3 *Ex intellectu, & voluntate indistinctis in Deo oriri processiones distinctas, n. 4.*
4 *Probatur personas non esse plures, quam tres. n. 5. & 6.*
5 *Quis numerus pugnet aut non pugnet cum Deo, n. 7.*
6 *Exponitur illud Augustini, Filius non genuit non quia non potuit, num. 8.*

1. *Prima conclusio, non esse pauciores tribus.*

PRIMA conclusio. Tres sunt, & non pauciores personæ in Deo, quæ sunt ipsemet vnus Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hoc partim probatur art. præcedente, vbi ostenditur, quòd in diuinis personæ sint plures simpliciter, & non vna tantum; partim supponitur in hoc articulo probante, non esse plures, quam tres. Authoritates, quibus hæc catholica, & prorsus supernaturalis veritas omnino nititur, sufficienter allatæ, & expositæ sunt supra q. 27. art. 1. dub. 1. de Patre, Filio, & Spiritu sancto, quòd sint Deus; & dub. 2. de iisdem, quòd sint personæ ab inuicem realiter distinctæ. Qua fidei doctrina, hoc est, diuinarum personarum Trinitate, nihil deinde expressius, ac frequentius ab omnibus Conciliis & Patribus inculcatum est, vt in superioribus sæpe referre necesse fuit; ita vt nihil nunc addendum esse videatur.

2. *Quo modo probanda sit conclusio.*

Nullus autem diuinarum personarum numerus naturali ratione demonstrari potest, sumpto aliquo numerali principio, in quo discursus fundetur; qua ratione nullam simpliciter processionem intra Deū demonstrari posse ostendimus supra q. 27. art. 1. dub. 13. conclusione 5. num. 266. sine vlla autem processione impossibilis planè est diuinarum personarum multiplicatio: quoniam loco citato n. 256. euidenter probatum est, implicare plures personas improductas, quarum vnaquæque sit essentialiter Deus. Igitur omnis discursus, concludens in Deo Trinitatem personarum, procedere debet ex aliqua præmissa reuelata. Primò ex eo, quòd quamuis sit naturaliter demonstrabile, In Deo esse intellectum, & voluntatem, tamen sola fide credimus, in Deo esse duas processiones, alteram per intellectum, alteram per voluntatem. Sed duæ processiones in Deo postulant saltem tres personas. Ergo tres saltem sunt in Deo personæ. Probatur minor, quæ tantum pro-

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

batione indiget. Processio intra Deum esse necessario debet ad aliquid distinctum realiter intra Deum. Duo autem intra Deum realiter distincta, esse non possunt tamquam accidens, & substantia, vt suprà quæst. 3. art. 6. sicut distinguuntur in rebus creatis substantia intelligens, & verbum ab ea procedens, & substantia volens est amor ab ea procedens: neque tamquam duæ naturæ numero distinctæ, sicut distinguuntur duo homines, quorum vnus ab alio procedit; quia ex probatis suprà q. 11. art. 3. & 4. Deus non potest esse nisi numero vnus. Ergo tamquam duæ personæ in vna numero natura subsistentes: quoniam inter producens, & productum, præter distinctionem substantiæ & accidentis, & duarum naturarum, alia distinctio fingi nequit, nisi suppositorum, & personarum. Ergo duæ realiter distinctæ processiones intra Deum, postulant duas personas productas. Sed istæ produci mutuo inter se non possunt, nec ab alia persona, quæ non sit Deus, vt demonstratum est suprà q. 27. art. 1. num. 235. Ergo duæ processiones essentialiter postulant intra Deum aliam tertiam personam improductam, à qua reliquæ duæ productæ sint. Igitur duæ processiones intra Deum necessariò arguunt Trinitatem personarum in Deo.

3. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. In vna natura non est nisi vnus modus communicandi naturam, vt patet in homine, equo, & similibus. Sed diuina natura est maximè vna. Ergo non potest communicari nisi vno modo. Vbi autem est vna naturæ processio, ibi duas tantum est inuenire personas, alteram producentem, alteram productam.

Respondetur cum S. Thoma assignādo rationem cur in Deo detur duplex processio, non in creatura.

Respondeo, si processio in diuinis esset immediatè ab essentia, seu natura, argumentum conuinceret, vt suprà quæst. 27. art. 1. num. 208. notaui contra Durandum. Quoniam verò est immediatè ab intellectu, & immediate à voluntate, dico cum S. Thoma de Potentia quæst. 9. art. 9. ad 23. in naturis creatis esse vnum modum communicandi naturam, non propter vnitatem naturæ, sed propter imperfectionem; quia præter generationem, per alias processiones, quæ in ipsis sunt, vt intelligere, velle sentire, &c. non necesse est in illis produci aliquid subsistens, sed producitur aliquis terminus accidentalis, ex ipsis adductus, & in ipsis inhærens. *Sed in Deo*, inquit S. Thomas, *est subsistens quicquid in ipso est: & ideo secundum quemlibet modum processionis communicatur natura in diuinis.* Ergo tam terminus procedens per intellectum, quam terminus procedens per voluntatem, quas duas processiones fide supponimus esse intra Deum, non potest non esse aliquid subsistens in Deo, & consequenter persona diuina. Adde, naturam diuinam conuenire cum naturis creatis, quòd in illa etiam non est nisi vnus modus communicationis naturæ ex vi formali processionis, quam generationem vocamus: per aliam enim processionem communicatur quidem natura, tamen non propter formalem illius processionis terminum, qui est amor, non intrinsecè pertinens ad essentialem constitutionem diuinæ naturæ, sed propter essentialem identitatem, quam ille diuinus terminus habet cum natura Dei; vt ex instituto ostendi suprà q. 27. art. 2. & significat S. Thomas hic ad secundum dicens, *Quòd id quod procedit per modum intellectus, procedit secundum rationem similitudinis, sicut etiam id quod procedit per modum naturæ: & ideo suprà dictum est, quòd processio Verbi diuini est ipsa generatio per modum naturæ. Amor autem in quantum huiusmodi, non procedit vt similitudo illius à quo procedit; licet in diuinis amor sit coessentialis, in quantum est diuinus: & ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.*

Cur Verbum, & non Amor generetur in diuinis, ex S. Thoma.

Quamquam vt concedit loco citato de Potentia ad 24. Spiritus sanctus procedit *naturaliter*, hoc est, non ex libertate, sed ex naturali necessitate voluntatis. Cum hoc tamen stat, quòd non procedat per modum naturæ, hoc est, eo modo quo natura producentis per naturalem generationem communicatur termino producto.

4. *Secunda obiectio.* Obiicies secundò. Intellectus & voluntas in Deo non differunt, nisi secundum rationem. Ergo ab illis manere nequeunt duæ processiones realiter distinctæ, sed sola ratione. Ergo ex huiusmodi duabus processionibus non licet deducere duas personas productas, quæ inter se realiter differunt.

Respondetur ex intellectu indistincto oriri processiones distinctas. Respondeo consequentiam esse falsam, ostendi suprà q. 27. a. 3. ad 3. cum S. Thoma. & art. 5. num. 3. Et ratio breuiter est, quia intellectus & voluntas, ita sunt formaliter, siue actualiter vnum, vt tamen virtualiter habeant inuicem aliquem ordinem in suis operationibus, & processionibus: ita vt prius oporteat aliquid procedere ab illo vno in quantum est intellectus, quam in quantum est voluntas; & consequenter, vt terminus procedens per voluntatem, procedit etiam à termino prius producto per intellectum, hoc est, à Verbo; in quantum nihil potest amare voluntas, nisi sibi repræsentatum per conceptionem intellectus. Vnde necessariò sequitur, vt terminus procedens per voluntatem non possit non distingui realiter à termino procedente per intellectum: quoniam omne id quod procedit distingui debet realiter ab eo, à quo procedit. Hanc doctrinam, quæ ad intelligentiam huius mysterij, diligenter est obseruanda, tradit idem S. Thomas suprà de Potentia q. 9. ad 25. dicens, *Verbum, quod procedit per modum intellectus, procedit ab vno tantum, sicut à dicente. Spiritus verò sanctus qui procedit per modum voluntatis, vt amor, oportet quòd procedat à duobus, mutuò se amantibus; vel etiam à dicente, & Verbo: nihil enim potest amari, cuius verbum in intellectu non præconcipitur, & sic oportet, quòd ille, qui procedit per modum voluntatis, sit ab eo, qui procedit per modum intellectus; & per consequens, quòd distinguatur ab eo.* Docet, Amorem procedentem à voluntate, procedere etiam à verbo. Quod in rebus creatis est intelligendum de processione à verbo, non tamquam à principio formali producente, sed tamquam à conditione prærequisita ex parte obiecti principij formalis producentis, quod, vt initio primæ secundæ probaui, est sola voluntas, quæ non potest ferri in suum obiectum, nisi præcognitum, & prius sibi repræsentatum ab intellectu. In Deo autem est intelgendum de processione à Verbo, tamquam à principio formali producente. Et ratio disparitatis est, quia verbum creatum non habet in se realiter naturam eius à quo procedit, sicut habet Verbum increatum: & ideo cum in huius, non in illius verbi natura sit voluntas fœcunda, quæ sola est formale principium processionis amoris, Verbum increatum, & non aliud verbum creatum, esse debet productiuum amoris principium. Quapropter de solo amore diuino producto dici potest cum S. Thoma, *oportet quod procedat à duobus, mutuò se amantibus*: vel etiam, quod idem est, à dicente & Verbo: quoniam cum in priori originis præsupponatur cum voluntate ad amandum fœcunda non solum persona Patris dicentis, sed etiam alia persona Verbi dicti, non potest diuinus amor procedere à Patre, quin procedat à Verbo, & consequenter, à Verbo etiam realiter distinguatur.

Cur amor in Deo, non in creatura procedat à verbo.

5. *Secunda conclusio, non esse plures quam tres.* Secunda conclusio. Tres tantum sunt personæ in Deo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & non plures. In hoc quoque negatiuo sensu Trinitatem in Deo fideles omnes confitemur. Vnde Concilium Lateranense sub Innocentio III. in capite *Damnamus.* ante medium, & refertur de summa Trinitate, ita definit, *Credimus, & confitemur, quòd in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.* Nec in re iam vulgatissima necesse est plures Fidei authoritates afferre præter superius allatas. Rationes etiam procedere non possunt ex aliquo naturali principio, vt suprà n. 2. sed solum ex alio principio fide credito. Ita probat primò S. Thomas hîc ex quatuor diuinis relationibus. quarum duæ, paternitas & filiatio, sunt inuicem oppositæ, ac realiter distinctæ. Ergo pertinent ad duas Patris, & Filij personas realiter distinctas: nulla enim realis distinctio in diuinis esse potest in vna simplicissima & infinita natura, nulli rei diuinæ opposita, ac proinde identificante sibi omnes planè diuinas rationes; sed tantum in personis, relatiuam oppositionem inuicem habentibus. Ex reliquis duabus relationibus, relatio spirati opponitur relationi spirantis, & ideo terminus spiratus debet esse tertia persona realiter distincta à Patre & Filio spirantibus. Relatio verò spirantis non est opposita paternitati, & filiationi, ac proinde ab his non distincta secundum rem. Ergo non potest pertinere ad aliam personam realiter distinctam à Patre, & Filio. ergo, vt docet S. Thom. hic ad 1. *Non dicitur proprietas, quia non conuenit vni tantum personæ, neque relatio personalis, id est, constituens personam.* Ergo remanent tres tantum relationes personales, quibus constitui non possunt nisi tantum tres personæ: siue, remanent tres tantum oppositiones relatiuæ, aptæ ad personas constituendas, nempe, prima Patris ad Filium, secunda Filij ad Patrem, tertia Spiritus sancti ad Patrem & Filium, & non ad aliam distinctam personam, quæ sit spirator; & ideo quarta relatiua oppositio spiratoris ad Spiritum sanctum spiratum, cum conueniat identicè iisdem personis, quibus conueniunt prima & secunda oppositio, non potest arguere aliam quartam personam distinctam à tribus. Cum igitur in Deo non sint nisi quatuor relationes, & nihil aliud ibi possit multiplicationem introducere nisi sola relatio, & nulla multiplicatio ibidem esse possit in natura, sed in solis personis; si quatuor prædictæ relationes constituere possunt tres personas, & non plures, necessario sequitur, dari in diuinis Trinitatem tantum personarum.

Concilium Lateranense.

Prima ratio S. Thomæ.

Probari potest secundò breuius, & clarius cum eodem S. Thoma 4. contra gentes c. 26. num. 2. & de Potentia q. 9. art. 9. corpore, ex alio fidei principio, in quo fundatur tota præcedens ratio, ducta ex diuinis relationibus. Processiones diuinæ, in quibus diuinæ relationes fundantur, non sunt nisi duæ, vt suprà q. 27. art. 5. Sed hæ duæ processiones probant in Deo tres personas, vt demonstratum est suprà n. 2. Nec ex alio capite multiplicari possunt in Deo personæ, quàm ex processione vnius personæ ab alia, vt euidenter ostensum est supra quæst. 27. art. 1. n. 235. & 236. Ergo tres tantum in Deo personæ sunt. Confirmat acutè S. Thomas suprà contra gentes num. fuo 3. *Secundum processionem oportet personas diuinas distingui. Modus autem personæ, quantum ad processiones, non potest esse nisi triplex; vt scilicet sit, aut omnino non procedens, quod Patris est; aut à non procedente procedens, quod Filij est; aut à procedente procedens, quod Spiritus sancti est.* Quòd autem producto vno Verbo Filio per intellectum diuinum, & producto vno Amore Spiritu sancto per diuinam voluntatem non possint ab eodem intellectu, vt ab eadem voluntate, procedere plura verba, & plures amores, sufficienter probatum, & explicatum est suprà quæst. 27. art. 5. num. 5. ad finem articuli.

6. *Alia ratio etiam S. Thomæ.*

7. *Prima obiect.* Obiicies primò, quia omnis numerus videtur Deo repugnare

repugnare. Primò, quia numerus mensuratur per vnum. Deus verò cum immensus sit, mensurari non potest. Secundò, in omni numero est ratio totius, & ratio partis; & consequenter, ratio compositionis, & maioritatis ac minoritatis, quæ omnia pugnant cum indiuisibili Dei simplicitate, & æqualitate.

Respondetur cum S. Thoma, Deo non repugnare omnem numerum. Respondeo cum S. Thoma hic ad 5. & art. præcedente ad 4. negando antecedens, quia in Deo credimus veram Trinitatem, quæ est quidam numerus. Et ad probationes antecedentis vniuersaliter dico, quòd mensurari, componi, esse totum habens partes, esse maius & minus, conueniunt necessariò numero abstracto à rebus, qui in Scholis communiter vocatur numerus numerans, & à S. Thom. hîc dicitur *numerus simplex, qui est tãtum in acceptione intellectus*: & præcedenti art. *numerus absolutus à rebus numeratis*: sed non necessariò conueniunt vniuersalissimè omni numero concreto, & numerato, hoc est, rebus ipsis quæ numerantur. Ternarius igitur numerus, præcisus à tribus personis diuinis, mensuratur per vnum; est quid totum, compositum ex partibus, nempe, binario, & vno; & in hoc toto, ternarius est maior, minor binarius, vel vnitas. Ipsæ verò tres diuinæ personæ, consideratæ prout se habent in re, non mensurantur, quia tam singulæ per se, quam omnes simul sunt vnus Deus infinitissimus, qui est omnium mensura, à nullo alio mensurata. Item non habent rationem partium componentium aliquod totum, quia comparatæ inter se distinguuntur, non vniuntur; comparatæ verò cum essentia ita vniuntur, vt sint vnum quid simplicissimum absque vlla prorsus distinctione in re. Nulla autem est compositio sine partium vnione, ac distinctione, vt cum S. Thoma probaui suprà quæst. 28. art. 2. num. 22. Quapropter ita grauiter monet Basilius homilia 28. paulò post medium, *Quando sanctam Triada coniungimus, noli quasi tres vnius cuiusdam rei inseparabilis partes cogitare (impia namque est hæc cogitatio) sed trium perfectorum inseparabilem coniunctionem intellige.* Per coniunctionem, non propriè vnionem, sed vnitatem significat; quam multi Patres coniunctionem, & vnionem largè vocare solent. sed acutè & Scholasticè terminos distinguunt, Hilarius 5. de Trinitate aliquanto post principium, *Deum vnum, non per vnionem docentes*. & lib. 6. columna 4. initio explicat, vnum verum Deum esse intelligendum, *secundum naturæ vnitatem, non secundum personæ vnionem.* Et clarius Bernardus lib. 5. de consideratione circa medium, *Vnum quippe est, sed non vnitum.* Denique nulla in illis maioritas, aut minoritas esse potest, in quibus est summa æqualitas propter summam vnitatem quam singulæ habent cum Deo identificante sibi omnia. Atque in his proprietatibus numerus numeratus diuinarum personarum differt à numeris numeratis rerum creatarum, vt notat idem S. Thomas art. præcedente. Neque vrget, quod contra hanc S. Thomæ responsionem affert Suarez lib. 1. de Trinitate c. 10. n. 8. sequens aliam responsionem Gabrielis; nimirum, quia quod est de ratione numeri secundum se, conuenire debet cuilibet numero contracto, tamquam superius inferiori. Etenim numerus numerans non est comparandus cum numero numerato, tamquam superius cum inferiori; sed solum comparari debet vt abstractum rationis cum concreto in re. Non est autem necessarium, vt quicquid conuenit abstracto, conueniat concreto. Neque etiam refert, quòd tres diuinæ personæ, sint plures quam duæ, vel quam vna; hæc enim pluralitas arguit simplicem personarum distinctionem, non compositionem, nec mensurationem,

Tres personæ non mensurantur.

Non sunt partes, nec totum.

Basilius.

Hilarius.

Bernardus.

Nec maius, aut minus.

Soluitur instantia Suarez.

nec maioritatem, aut inæqualitatem. Quod est huius incomprehensibilis mysterij propriissimum, quoniam ibi omnis pluralitas, siue numerus, est cum quadam perfectissima ac simplicissima vnitate, in qua nullus est numerus. Quamobrem iste diuinarum personarum numerus à Bernardo lib. 5. de consideratione ad Eugenium, post medium acutè dicitur *absque numero numerus.* & Toletanum XI. in Fidei professione, columna 3. ita concludit, *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ vnus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero*: quoniam, vt dixit Boëtius de Trinitate cap. 3. in medio loquens de diuina substantia, respectu cuius Pater, Filius, & Spiritus sanctus nullam habent distinctionem, tametsi inter se realiter distinguantur, *hoc est vere vnum, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præterquam id quod est.*

Bernardus.

Toletanum XI.

Boëtius.

8. *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, ex vulgato illo Augustini dicto lib. 3. contra Maximinum cap. 12. propè finem, quod sibi obiicit S. Thomas de Potentia q. 9. art. 9. argumento 1. *Absit vt ideo sit potentior Pater Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit.* Si Filius potuit generare alium Filium, ergo de facto generauit; quoniam in diuinis non differt esse & posse. Ergo quatuor personæ, Pater, & duo Filij, & Spiritus sanctus.

Respondetur exponendo illud Augustini, Filius nõ genuit, non quia non potuit. S. Thomas.

Respondet subobscurè S. Thomas ibi ad 1. sed vult dicere, quòd secundum Augustinum Filius non generat, non ex negatione ac defectu potentiæ ad generandum, sed solum ex præsuppositione vnici actus ad quem est illa potentia, qui in priori originis præsupponitur esse à Patre adæquatè ac totaliter expletus. Et in hoc sensu intelligo S. Thomam dicentem ibi, Filium non posse generare, *non simpliciter negatiuè.* quasi verò non sit simpliciter illa potẽtia generatiua in Filio; sed *priuatiuè*, in quantum illa potentia est veluti priuata actu in Filio, non ex aliquo defectu Filij, eiusque potentiæ, sed ex mera præsuppositione adæquati actus à Patre in priori originis. Vnde ipsemet Augustinus magis explicans illud, *Non oportuit*, immediatè post affert inconueniẽs quoddam implicans contradictionem de infinitate Filiorum in diuinis, si vnus Filius generaret alium Filium, quam implicantiam ex hoc Augustini loco, & ex Basilio, satis explicani suprà q. 28. art. 5. n. 8. Accipit igitur Filius à Patre potentiam generatiuam, non quomodocumque, sed in actu positam. Potentiam vero generetiuam nostro modo concipiendi præcisam ab actu, & quasi ordinatam ad ponendum actum, non habet Filius, sed solus Pater. Et in hoc sensu S. Thomas ibidem ad 2. dixit, *Posse generare consequitur naturam diuinam prout est in persona Patris. Et ideo non sequitur, quòd Filius, licet sit perfectum suppositum diuinæ naturæ, possit generare.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm termini numerales ponant aliquid in diuinis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd termini numerales ponant, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Sensus tituli, & responsio S. Thomæ, n. 1.*
2 *Sententia Magistri refertur, & explicatur cum S. Thoma, num. 2.*
3 *Terminos numerales propriè prædicari in Deo, n. 3.*

1. *Exponitur cum Syluestro sensus tituli.*

TERMINI numerales, vt exponit Syluester p.p. Conflati q.30.art.4. *dicuntur termini, quibus numeramus, vt vnum, duo, tria*, plura, multa. Et sensus est, an cum de rebus diuinis dicitur, Deus est vnus; persona Patris est vna; Pater, & Filius, sunt duæ personæ; Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres personæ, vel plures, seu multæ personæ; isti termini supra res ipsas, de quibus dicuntur, addant aliquid, vel positiuum reale, siue absolutum, siue respectiuum, vel positiuum rationis, vel potius negatiuum; & quid sit illud, quod negetur per hoc negatiuum. Vbi verè nulla alia latet difficultas, & controuersia, nisi illa Metaphysica, de qua copiosissimè disputaui in 1.tomo q.11.art.1. Quibus scilicet illud sit, quod vnitas & multitudo addunt supra ens, & entia. Vera igitur est, & multis ibi probata sententia S.Thomæ in hoc articulo, quòd *isti termini numerales in diuinis super illa, de quibus dicuntur, nihil addunt, nisi negationem: vt cum dicimus, essentia est vna, vnum significat, essentiam indiuisam; cum dicimus, Persona est vna, significat personam indiuisam; cum dicimus, Personæ sunt plures, significantur illæ personæ, & indiuisio circa vnamquamque earum; quia de ratione multitudinis est, quòd ex vnitatibus constet.* Sed ex eodem addendum, vt fusius explicat de Potentia quæst.9. art.7. post medium corporis, esse de ratione multitudinis non solùm esse plura, quorum quodlibet sit vnum, & indiuisum in se, sed multò magis, tamquam vltimum & formale eius constitutiuum, esse diuisionem quam quodlibet vnum habet ab alio vno; ita vt non pluralitas entium simpliciter, aut pluralitas entium vnorum, siue vnitatum, sed solum diuisio inter se plurium entium vnorum, siue plurium vnitatum, compleat essentialem multitudinis conceptum. *Quæuis multitudo*, inquit S.Thomas, *addit supra res, quæ dicuntur multæ, quòd vnaquæque earum sit vna, & quòd vna earum non sit altera, in quo consistit ratio distinctionis. Et sic cum vnum addat supra ens vnam negationem, secundum quod aliquid est indiuisum in se, multitudo addit duas negationes, prout scilicet aliquid est in se indiuisum, & prout est ab alio diuisum; quod quidem dicidi, est, vnum eorum non esse alterum.* Idemque docet aliis locis citatis tomo 1.suprà n.18. & sequitur, & clarè explicat Durandus 1.d.24.q.1.n.10.

Resumitur §. Hinc.

Quid sit de ratione multitudinis ex S.Thoma.

Durandus.

2. *Sententia Magistri refertur & explicatur cum S.Thoma.*

Hinc facilè est iudicare, quàm verè dixerit Magister lib.1.sent.d.2.§.*Hilarius*. & fusius d.24. Cuius sententiam refert S. Thomas hîc initio corporis, & postea circa finem ad verum sensum trahere nititur, sed alij Scholastici ferè omnes, tam antiqui, quam noui reiiciunt, quòd, vt ait d.24. litera D. *Cum dicimus, Plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludimus: quasi diceretur, Sine solitudine ac singularitate personas confitemur.* v. g. vt magis explicat litera E. *Tres personæ sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, id est, nec tantum Pater, nec tantum Filius, nec tantum Pater & Filius in Deitate sunt, sed etiam Spiritus sanctus, & non alius ab his.* Si enim verum est, quòd hic dicitur in fine corporis, *De ratione multitudinis est, quòd ex vnitatibus constet*; & quòd ex hoc deducitur in responsione ad 3. *Multitudo non remouet vnitatem, sed remouet diuisionem circa vnumquodque eorum, ex quibus constat multitudo*; certum est non potuisse formaliter, & in rigore Philosophico dicere Magistrum, multitudinis nominibus excludi singularitatem & solitudinem, siue vnitatem, vt communiter alij interpretantur. Sed cum Magister non vtatur nomine vnitatis, sed tantum nominibus singularitatis & solitudinis, non cogimur his intelligere vnitatem formaliter, sed potius identitatem, quam ab vnitate differre ostendi tomo 1. q.11.art.1. n.27. ita vt nihil aliud voluerit Magister, nisi per terminos multitudinis applicatos rebus diuinis, excludi singularitatem, & solitudinem, hoc est, identitatem inter vnam & aliam rem diuinam. Quod quidem & verum est, & philosophicè dictum; quia multitudo formaliter consistit in diuisione, quæ nihil est aliud, quam quædam negatio, qua hoc vnum non est aliud vnum; siue, non est idem cum alio vno. In quo sensu non negatur vnitas à multitudine, quod solum Magistro obiiciebatur; sed potius vnitas inclusa supponitur in multitudine, quod Scholastici clarius expresserunt, & Magister verè numquam negauit; sed vti voluit nominibus singularitatis & solitudinis, vt se conformaret modo loquendi quorumdam Patrum, quos ibi affert. Nam Hilarius lib.4. de Trinitate aliquantò ante medium docet, quòd Deus Genesis 1. *dicendo, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, sustulit singularis intelligentiam professione consortij.* Et paulò post de illo, *faciamus*, ait, *Conuenit non solitario.* Et iterum, *Non solitarium tantum esse significat.* Et lib.7. columna 3. *Non solitarium significat, Ego & Pater vnum sumus. Illud, sumus, non patitur singularem.* Et multò post medium libri, *Nec singularem Deum, Dei patitur natiuitas.* Item Augustinus libro 7. de Trinitate cap.4. circa finem ait, *Quibus nominibus*, hoc est, substantiarum, siue personarum, *non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit*; vt benè addunt emendatores codices Plantiniani, & refert ipsemet Magister d.24. litera E. fine, *vt non solum ibi vnitas intelligatur, ex eo quod dicitur vna essentia; sed & Trinitas, ex eo quod dicuntur tres substantiæ, vel personæ.* Sicut essentiæ vnitatem explicat per negationem diuersitatis in natura, ita personarum Trinitatem per negationem singularitatis in personis.

Hilarius. Exponitur locus Genes. 1.

& Ioan.10.

Augustinus.

3. *Termini numerales propriè prædicari in Deo.*

Docuit quoque S.Thomas in hoc articulo terminos numerales propriè prædicari de rebus diuinis, quia, inquit, *sumuntur à multitudine secundum quod est transcendens, non à numero, qui est species quantitatis, quia sic de Deo non diceretur nisi metaphoricè, sicut & aliæ proprietates corporalium, sicut latitudo, longitudo & similia.* Hanc loquendi proprietatem significauit Athanasius contra Gregales Sabellij, columna 2. circa finem cum de Deo Patre, & Filio dixit, *verè duos esse.* & Augustinus sermone 38. de Tempore, qui in Appendice est sermo 30. de Trinitate & Columba, paulò post medium loquens de Patre, Filio, & Spiritu sancto, *Sed hæc tria, verè etiam tria sunt ineffabiliter, quæ tria, & essentialiter*, hoc est, quidditatiuè, ac propriè, *tria habentia proprietates suas.* Et ideo passim Patres numerum, & multitudinem absolutè tribuunt diuinis personis, numquam addentes aliquid, quo sermonis improprietatem, ac metaphoram significent. Inter quos magis fauent Hormisda epistola prima aduersùs Nestorium, & Eutychetem cap.2. post medium dicens, *Admittit numerum ratio personarum.* Et Athanasius Dialogo primo de Trinitate, paulò post medium, *Hypostasis numerum admittit.* & paucis interiectis, *Quicquid numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet, & quod proprietatem habet, numerum admittit.* Quoniam verò numerus in diuinis, est essentialiter immistus vnitati, in quantum tres diuinæ personæ essentialiter sunt vnus Deus, sicut à contrario vnus Deus essentialiter identificat sibi tres personas, quod significat Athanasius in Symbolo, non vocans simpliciter vnitatem, & Trinitatem, sed bis addens, *Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate*; ideo nonnulli prudenter monent, cum tribuimus Deo vnitatem, aut numerum, semper esse addendum aliquid, quo significemus, vnitatem cadere supra naturam, numerum verò supra personas. Quam profunditatem, huius mysterij propriissi-

Hormisda Papa.

Athanasius.

Augustinus. proprissimam eleganter expressit Augustinus tractatu 39. in Ioannem aliquanto ante medium illis verbis, *Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, vt & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Trinitas. Si tres, quid tres? Defecit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero: quia tres sunt, tamquam est numerus: si quæris, Qui tres? non est numerus. Vbi cogitare cœperis, incipis numerare. Vbi numeraueris, quid numeraueris, non potes respondere.* His similia deinde scripserunt Bernardus, Toletanum XI. & Boëtius, de quibus suprà art. 2.num.7. fine.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc nomen, Persona, possit esse commune tribus personis.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd hoc nomen, Persona, non possit esse, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur conclusio simpliciter affirmatiua, n.1.*
2 *Proponuntur duæ aliæ conclusiones negatiuæ, num.2. & 3.*
3 *Probatur communitas rationis, n.4.*
4 *Personam non esse aliquid vniuersale, n.5. & 6.*
5 *Personam esse quid commune sicut individuum vagum, num.7. ad 12.*
6 *Deducuntur quatuor Corollaria, n.12. ad finem articuli.*

EX S.Thoma colliguntur sequentes conclusiones, quas breuiter proponam, quia nullam ferè difficultatem continent, nisi logicam: de qua etiam materia, multa dicta sunt in primo tomo quæst.3.art.5. disputando in genere de prædicatis communibus Deo & creaturis; de quibus, & de hoc personæ prædicato communi tribus diuinis personis eadem est ratio, vt videbimus.

1. *Prima conclusio simpliciter affirmatiua.*

Prima conclusio simpliciter affirmatiua est omnium, quam, vt ait S.Thomas initio corporis, *ipse modus loquendi ostendit, cum dicimus tres personas; sicut cum dicimus tres homines, ostendimus hominem esse commune tribus.* Cum igitur omnes fateamur, Patrem esse personam realiter distinctam à reliquis duabus, & idem de Filio, & de Spiritu sancto, nullum potest esse dubium de personæ communitate simpliciter, respectu Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed solum de modo huius communitatis. Hoc argumento vsus est Augustinus libro 7. de Trinitate c.4. paulò ante medium illis verbis, *Si tres personæ, commune est eis id quod persona est.* Et pòst pauca, *Persona generale nomen est. Propterea dicimus tres personas, quia commune est eis id quod persona est; alioquin nullo modo possunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres Filij, quia non commune est eis id quod est Filius.*

Augustinus.

2. *Secunda conclusio negatiua de communitate rei.*

Secunda conclusio. Tribus diuinis personis non est persona communis communitate rei. Hoc, inquit S.Thomas initio corporis, *Manifestum est*: quia vt magis explicat 1.d.25.q.vnica, art.3. initio corporis, *dico communitatem rei, quando aliquid vnum & idem numero conuenit pluribus.* Sic autem in diuinis communis est vna numero natura, non autem vna numero persona, tribus personis.

3. *Tertia conclusio neg.*

Tertia conclusio. Neque est communis communitate negationis, sicut v.g. tribus cœcis commune

Fasoli in D.Thom. Tom. III.

sicut de communitate negationis, & intentionis.

Torres.

4. *Quarta conclusio affirmatiua de communitate rationis, sicut individuum vagũ.*

Quarta conclusio. *Hoc nomen, Persona, etiam in rebus humanis, est commune communitate rationis; non sicut genus, vel species; sed sicut individuum vagum, vt aliquis homo.* Ita S.Thomas hîc ante medium corporis, vbi est intelligenda, vt magis declarat citata d.25. circa medium corporis, *communitas rationis fundata in re.* hoc est, rationis ratiocinatæ, non ratiocinantis, vt hodie in scholis loquimur. Primum membrum de communitate rationis simpliciter, non probatur in speciali à S.Thoma, sed solum sequitur ex secunda conclusione negatiua de communitate rei, quia omnis communitas alicuius prædicati, si non est communitas rei, esse debet communitas rationis; hæc enim duo membra immediatè, & adæquatè diuidũt communitatem, sicut & distinctionem. Probari tamen potest ex eo, quòd nulla personalitas est realiter communis pluribus personis, vnde ipsa etiam personalitas Verbi incarnati, est quidem communis pluribus naturis, diuinæ & humanæ, non tamen pluribus personis. Ergo si fieri deber communis, non potest aliter fieri, quam per intellectum concipientem in confuso personalitatem, eamque considerantem in singulis personalitatibus distinctè cõceptis.

Personam non esse aliquod vniuersale.

5. *Ratio S.Thomæ.*

Secundum conclusionis membrum negatiuum, Quod sit communitas rationis *non sicut genus, vel species*, probat S.Thomas, quia *nomina generum, vel specierum, vt homo, vel animal, sunt imposita ad significandum ipsas naturas communes* simpliciter, absque alio modo, vel rationis, vt modus generis & speciei, vel reali, vt modus existendi, vel subsistendi. At verò hoc nomen, Persona, non impositum est ad significandam directè, & primariò naturam, sed modum subsistendi incommunicabiliter in natura rationali. Hac ratione deinde ad 3. excludit à communitate generis, & speciei, & cuiuslibet alterius vniuersalis, omnem personam, etiam creatam, quia generaliter non potest dici propriè vniuersale, nisi vnũ in multis, differentibus saltem ratione ratiocinata ab illo vno, quod dicitur vniuersale. Sed quælibet persona vt persona, cum constituatur per simplicissimum quemdam modum subsistendi incommunicabiliter, nõ habet in suis particularibus personis aliquid per quod communiter conueniat vna persona cum alia persona, & aliud per quod particulariter differat; sed omnes personalitates se ipsis totis indiuisibiliter ac simplicissimè conueniunt ac differunt, non differentia tenente se ex parte obiecti cogniti, sed solum ex parte cognoscentis per cognitionem confusam & implicitam, siue distinctam & explicitam; sicut in Logica, vel Metaphysica probatur, se totis conuenire, & differre substantiam, & accidens in vna ratione obiectiua entis, non perfectè præcisa, etiam mentaliter, à substãtia & accidente. Ergo nulla persona respectu huius, & illius personæ, habere potest propriam vniuersalis rationem. Idem probat S.Thomas in eadem responsione ad 3. specialiter

Probatur ex S. Thoma de persona diffinita.

de persona diuina, *quia*, inquit, *persona diuina habent vnum esse. Genus autem, & species, & quodlibet vniuersale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus.* Per vnum esse, ego intelligo esse absolutum diuinæ naturæ, in quo omnes personæ, quamuis singulæ habeant proprium esse relatiuum, sunt vnum & idem esse, omnino distinctum in re; ratione cuius identificantis sibi omnia, personæ ita identificantur, vt vnaquæque sit in aliis. Persona igitur diuina deficit à ratione prædicati propriè vniuersalis, non solum ex eo, quòd non sit in se vnum, à multis, saltem mèrè præcisum; quod commune etiam habet cum creata persona; sed etiam quia personæ diuinæ non sunt ita simpliciter multæ, quin sint essentialiter vnum, quia illa identitas, & indistinctio quam personalitas diuina habet cum natura, est illi essentialis, vt probatum est suprà q. 27. n. 174. 175. 184. & 185. quod est proprium diuinarum personarum. Omne autem vniuersale propriè dictum, & hactenus traditum à Philosophis est vnum simpliciter, quod prædicatur de multis simpliciter. Ergo quod ita est vnũ, vt sit quoque in se ipso multiplex, & quod prædicatur de multis quæ ita sunt multa vt sint etiam vnum quid simplicissimum, dici quidem potest aliqua ratione commune, non autem vniuersale.

6. *Affertur & soluitur contrarium Durandi argumentum.*

Neque obstat contraria Durandi ratio 1. d. 19. q. 4. n. 10. scribentis, quòd *si ea quæ sunt in diuinis considerentur secundum esse quod habent in anima, sic in eis potest inueniri totum vniuersale.* Sicut, inquit, *persona in communi est aliquid vniuersale ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; & relatio diuina in communi est vniuersale ad paternitatem, filiationem, & spirationem tam actiuam, quam passiuam:* idque probat, quia *vniuersale est quod dicitur de multis, & per se, & realiter pluificatur in eis; dicitque in communi totam naturam singularium.* Quæ duo conueniunt personæ, & relationi vt supra; non autem essentiæ, aut relationi respectu personarum. Ergo illa, & non hæc sunt vniuersalia. Sed hoc ex dictis facilè soluitur. Nam persona diuina in communi, non dicitur de multis simpliciter, hoc est, quæ non sint vnum; & non pluificatur, sed tantum explicatur in singularibus, quæ in vno confuso conceptu implicitè continebat, & hoc modo dicere in communi totam naturam singularium, non est de ratione vniuersalis, sed potius contra illam; hac enim ratione Philosophus & S. Thomas vt dixi in 1. tomo quæst. 3. art. 5. num. 16. docent, ens non esse genus vniuersale. Item relatio diuina in communi, etiã comparata ad determinatas relationes abstractas à natura & à personis, inuolui implicitè omnes relationes, cum paternitas v.g. quamuis reduplicatiue considerata secundum proprium ac specificum paternitatis diuinæ conceptũ, sit relatio diuina, non minus quam substantia, vt substantia, reduplicatiuè est ens; & ideo relatio diuina verè non pluificatur in his, & illis relationibus, sed explicatur dumtaxat. Et quamuis relationes diuinæ, vt ratione præcisæ ab essentia, habeant solam pluralitatem, non vnitatem; tamen tunc etiam de ratione essentiali cuiusliber est, vt habeant actualem vnitatem cum essentia, & vt ratione essentiæ quælibet sit in qualiber: quamuis enim non concipiatur explicitè cum prædicta vnitate, tamen diuina relatio quæ concipitur, essentialiter habet illam vnitatem, ita vt si perfectè concipienda sit, non possit concipi, nisi vt identificata essentiæ.

Personam esse quid commune, sicut indiuiduum vagum.

7. Tertium conclusionis membrum, quod scilicet persona sit communis, sicut indiuiduum vagum, probat S. Thomas post medium corporis. Sed quoniam eius ratio tangere ac supponere videtur philosophicam doctrinam de principio indiuiduationis satis controuersam, ideo potest idem aliter probari, nullam supponendo opinionem de principio indiuiduationis; quoniam sicut indiuiduum vagum, vt aliquis homo, quamuis significet naturam particularem, tamen quia non significat determinatam particularitatem, quemadmodum significat indiuiduum signatum, v.g. fortes potest esse commune pluribus determinatis indiuiduis, ita persona, quamuis significat seu potius consignificet in obliquo; vt supra q. 29. art 4. num. 5. naturam rationalem singularem, per se vltimatò & incommunicabiliter singulari modo subsistentem, tamen quia non significat hanc determinatam naturam, seu subsistentiam, poterit simili ratione esse quid commune pluribus personis determinatis.

Ratio conclusionis.

8. *Prima Aureoli obiectio.*

Contra hoc tertium membrum Aureolus 1. d. 25. q. vnica art. 2. columna 4. arguit primò. *Persona accipitur aliquando signatè, dicendo hanc personam; aliquando vagè, vt dicendo quamdam vel aliquam personam; aliquando simpliciter, vt dicendo personam. Ergo non habet communitatem indiuidui vagi, sicut nec homo.*

Responsio Capreoli.

Respondet multis Capreolus 1. d. 25 quæst. vnica art. 2. ad 1. eorum, quæ tertio loco proponit contra quintam conclusionem; & conatur defendere, nomen personæ, etiam simpliciter dictum, esse indiuiduum vagum. Quod quidem, & est ex se difficile, quia sicut ipsummet indiuiduum, vel singulare, vel particulare, vel aliud huiusmodi nomen, significat rem indiuiduam simpliciter, non autem indiuiduam vagè, nisi addas aliquod, aut quoddam indiuiduum, &c. ita etiam persona, est indiuidua simpliciter, non autem vagè: & præterea non est necessarium ad defendendum, quod docet S. Thomas suprà; qui non dixit, personam esse indiuiduum vagum, sed *esse commune sicut indiuiduum vagum.* Concesso igitur antecedente, quòd persona possit accipi & signatè, & vagè, & simpliciter; distinguo consequens. Persona non habet communitatem indiuidui vagi, eamdem omnino, quià non est expresè, & formaliter indiuiduum vagum; sed habet eamdem proportionaliter; quam proportionalem identitatem expressit S. Thomas per illam particulam, *sicut.* Nec in consequente rectè comparat Aureolus nomen, *persona*, cum nomine, *homo*; quia homo est terminus vniuersalis, & nulla ratione indiuiduus; persona vero est terminus vera aliqua ratione indiuduus.

Alia responsio.

9. *Secunda obiectio.*

Arguit secundò, *Si persona sic esset communis tribus, sicut indiuiduum vagum, ita esset communis sicut aliquis Deus. Sed hoc non est verum, quia secundum hoc dici posset, quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres quidam Dij; sicut dicimus, quod sunt tres quædam personæ.*

Respondetur cum Capreolo, personam non esse indiuiduum ex parte naturæ.

Respondet optimè Capreolus suprà, negando consequentiam; *quia aliquis Deus significat indiuiduum ex parte naturæ*; sicut in simili dixit S. Thomas hîc ad 3. *quòd aliquis homo significat naturam, vel indiuiduum ex parte naturæ*, hoc est, naturam indiuiduam. Sed natura indiuidua in diuinis non pluificatur, ergo non licet asserere tres aliquos Deos; sicut nec tres aliquos homines, nisi sint tres indiuiduæ naturæ humanæ. *Hoc autem nomen, persona*, inquit S. Thomas, *non est impositum ad significandum indiuiduum ex parte naturæ, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura*, hoc est, incommunicabilem subsistentiam in natura rationali indiuidua: & ideo, quia in diuinis sunt tres subsistentiæ relatiuæ incommunicabiles, dici etiam potest, quòd sunt tres quædam personæ, seu potius simpliciter, tres

tres personæ; quoniam, vt dixi, S. Thomas non intendit, personam esse indiuiduum vagum, sicut est quædam persona, sed solum habere communitatem similem illi, quam habet indiuiduum vagum.

10. *Tertia obiectio.*

Arguit tertio, quia non accipitur à S. Thoma indiuiduum pro secunda intentione, sed pro re subsistrata tali intentioni, quia hîc fine Corporis dicitur, nomine personæ significari *rem subsistentem in tali natura.* Hanc autem acceptionem impugnat Aureolus, *tum quia huiusmodi substratum significatur per nomen substantiæ speciei, addito signo particulari, vt-potè, aliquis homo, vel quidam homo*; quo modo non significatur persona diuina: *tum quia substratum vagationi huiusmodi, non est aliquid determinatum, quia in omni natura potest accipi indiuiduum vagum*; *Persona vero non inuenitur nisi in natura determinata*, nempe rationali, vnde habet vnam rationem definibilem, quam non habent alia indiuidua vaga; aliter enim definitur aliquis homo, aliter aliquis equus.

Respondetur declarando quo modo persona sit indiuiduum vagũ.

Respondeo, ex dictis non esse idem substratum indiuidui vagi, & personæ; illius enim substratum est aliqua natura communis, v.g. homo, sumpta sub indiuiduatione indeterminata, vt aliquis homo; huius verò substratum est incommunicabilis subsistentia significatur sumpta, in natura rationali indiuidua simpliciter. Neque vrgent impugnationes Aureoli. Non prima, tum quia, si vim habet, nil aliud probat, nisi personam non esse indiuiduum vagum, quod non est contra S. Thomam; tum quia non benè sumit vniuersaliter, quòd cuiuslibet indiuidui vagi substratum *significatur per nomen substantiæ speciei:* hoc enim solum habet indiuiduum vagum ex parte naturæ, v. g. aliquis Deus; non autem indiuiduum vagum ex parte modi naturæ, cuiusmodi esset si diceretur, aliqua persona diuina. Non secunda propter rationem modo dictam: nam etsi indiuiduum vagum ex parte naturæ, non importet determinatam naturam; tamen indiuiduum vagum ex parte modi naturæ potest importare determinatam naturam, scilicet intellectiuam; ratione cuius hoc indiuiduum vagum, & non illud potest vnica definitione explicari.

11. *Quarta obiectio Molinæ.*

Quartò arguit Molina supra quæst. 29. art. 1. disput. 2. columna penultima circa medium. *Persona afficitur signo particulari, quemadmodum & quoduis aliud vniuersale; dicimus namque, quædam persona generat. Ergo persona, non est quidpiam commune multis, instar indiuidui vagi.* Probat consequentiam, *quia indiuiduum vagum non afficitur iterum signo particulari; ineptè quippè dixeris, quidam aliquis homo.*

Respondetur personam non esse, sed prædicari sicut indiuiduum vagum.

Respondeo, concesso antecedente negando consequentiam; cuius probatio solum ostendit, quod S. Thomas non negat, nomen personæ, cui nullum additur particularitatis signum, non esse nomen indiuidui vagi, sed indiuidui simpliciter. Igitur tam ineptè dicitur, quidam aliquis homo, quam, quædam aliqua persona. Quod oritur ex eo, quia aliquis homo, aliqua persona!, explicitè significant vagationem; ergo superfluè atque ineptè additur illis aliud expressum vagationis signum. Cum vero signum particulare additur personæ, non additur indiuiduo vago, sed indiuiduo simpliciter, cuiusmodi est, Persona: quæ tamen cum ita sit indiuidua, vt indiuiduationem non explicitè significet, sicut significat aliquis homo, aliqua persona, quæ sunt explicitè indiuidua vaga, quæ communiter prædicantur de pluribus indiuiduis signatis, dicta est à S. Thoma non indiuiduum vagum, sed esse quid commune pluribus personis, *sicut indiuiduum vagum*, non sicut vniuersalis aliqua natura generica, aut specifica.

Deducuntur quatuor corollaria.

12. *Communitatem personæ non esse æquiuocam, nec vniuocam, sed analogam.*

Ex dictis colligo primò communitatem personæ non esse æquiuocam, hoc est, nominis tantum, & non rei significatæ per nomen: neque esse vniuocam, non solum comparatione increatæ & creatæ personæ, quam vniuocationem ponit Maior 1. d. 25. quæst. vnica art. 1. conclusione 1. sed vniuersaliter reieci tomo 1. quæst. 3. art. 5. dub. 2. verum etiam comparatione trium diuinarum personarum, quam vniuocationem admisit Henricus 2. p. summæ art. 43. quæst. 2. ad 2. & sequuti sunt Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 3. num. 8. citans pro se multos alios, qui id non videntur dicere; Nazarius hic controuersia vnica, §. 3. circa finem, & conclusione 6. Zumel in discursu huius articuli, & Driedo quem refert & reiicit Arrubal disputatione 10. num. 55. Sed deinde sequitur disputatione 113. cap. 5. sicut etiam Zuniga dispu. 5. dub. 5. conclusione 2. Certè S. Thomas, qui maximè citatur in hoc articulo, nil tale habet, sed potius oppositum, dum ad 3. expresè docet, quòd persona diuina, quamuis sit commune, tamen non est *vniuersale, vel particulare, vel genus, vel species.* Profectò si persona esset communis communitate vniuoca, esset propriissime vniuersalis, vel genericè, vel specificè; & haberet sub se particularia: sed esse analogam analogia proportionis; quam verè non negat S. Thomas 1. d. 25. quæst. 1. art. 3. dum paulò post principium Corporis negat *communitatem secundum rationem proportionis*: per hanc enim, vt ipse statim se explicat, intelligit communitatem cuiusdam puræ intentionis non fundatæ in re. Fundamentum præcipuum tactum est supra, quia per commune vniuocum, vt distinctum à communi analogo, oportet intelligere aliquid vnum saltem mente perfectè præcisum à suis inferioribus: quam præcisionem non habet persona diuina à personis Patris, Filij, & Spiritus sancti: quia paternitas, v.g. quæ est personalitas Patris, etiam accepta reduplicatiuè secundum vltimam suam differentiam, vt formaliter est paternitas diuina, seu diuina Patris personalitas, adhuc est personalitas diuina; non minus ac accidens, etiam vt accidens, est ens; & quantitas, v.g. etiam vt quantitas, est accidens. Ergo persona diuina in sua intrinseca ratione obiectiua, quæ concipitur, includit saltem implicitè, omnes personas diuinas; imo nihil est verè aliud nisi ipsamet omnes diuinæ personæ in confuso conceptæ; ita vt impossibile sit concipere personam diuinam, quin concipiantur implicitè Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quam rationem cum ipsamet sententia, retigisse videtur Cyrillus libro 1. Dialogorum de Trinitate columna 18. fine dum inter substantiam & subsistentiam, seu personam, tale discrimen statuit, *Nomen substantiæ habet se vt homo, & gerit in se nomen vniuersale, & communem rationem generis. Contra subsistentia intelligetur conuenientius vt singulare; quod neque à communitate destituat quod explanatur, neque etiam singulare cum obscuro confundit, & commiscet*; hoc est, ita esse singulare, vt neque ab explicito suo significato communitatem omnem auferat; neque etiam tres singulares subsistentias personales in suo implicito significato contentas, in vnam commisceat & confundat, iuxta hæresim Sabellianam. Hoc autem commune singulare, est illud quod S. Thomas vocat, commune sicut indiuiduum vagum; & cum hanc communitatem Cyrillus expresè doceat, non esse genericam, aut vniuersalem, sed potius singularem, ex eo quòd singularia in se

Ratio præcipua.

Probatur ex Cyrillo.

implicitè contineat, tametsi non explicet, non obscurè significat, eam non esse vniuocam, sed tantum analogam, qualem Logici communiter tribuunt indiuiduo vago.

13. *An tres personæ sint tria indiuidua, singularia, particularia.* Augustin. Magister. S. Thomas.

Colligo secundò tres personas non esse propriè tria indiuidua, aut tria singularia, aut tria particularia; vt cum Augustino libro 7. de Trinitate cap. 6. docent Magister & Scholastici communiter 1. d. 19. litera I. Vnde S. Thomas hic ad 3. negat, *quod in diuinis sit particulare.* Et de Potentia quæst. 10. art. 2. ad 12. *In diuinis non propriè dicuntur genus & species, vniuersale & particulare.* Ratio est, quia si consideretur essentia respectu personarum, illa non est vniuersalis, quia est vna numero prorsus immultiplicata in pluribus personis. Ergo nulla persona potest dici particularis respectu essentiæ; quia vniuersale & particulare sunt correlatiua, sicut commune & proprium; & ideo sicut in Deo est communitas essentiæ, ita sunt proprietates personarum. & si propriè dicerentur tres personæ tria indiuidua, aut singularia Deitatis, videremur significare tres Deos; sicut cum dicimus tria indiuidua naturæ humanæ, v.g. significamus tres homines. Et in hoc sensu refertur notatus Gilbertus Porretanus, quod tres personas vocauerit, *tria singularia.* Si vero consideratur persona respectu trium personarum, sicut illa non est vniuersalis, vt supra num. 5. & 6. ita hæ dici propriè non possunt particulares. Sæpe dixi, *propriè*; quia, vt docet S. Thomas in citata responsione ad 12. *loquendo de diuinis secundum quamdam similitudinem creaturarum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus distinguuntur sicut plura indiuidua eiusdem speciei, vt etiam Damascenus dicit*; & dicunt alij Patres exposti supra quæst. 29. art. 1. num. 10.

Gilbertus Porretanus.

14. *An personæ differant numero.* S. Thomas.

Colligo tertiò ob eamdem rationem tres personas non dici propriè, differre numero, vel esse plura numero distincta, vt probat S. Thomas 4. contra gentes cap. 11. prope medium, & alij communiter sequuntur: quia per differentiam numericam proprie intelligimus illam per quam species diuiditur in plura indiuidua; quo modo certum est non diuidi Deitatem in plures personas, tamquam in plures indiuiduos Deos; neque etiam personam in plures personas, cum persona & plures personæ nullam aliam differentiam habeant nisi impliciti & explicitiex parte concipientis tantum, vt superius ostensum est. Præterea vt probaui supra quæst. 28. art. 4. num. 29. & ad hoc ipsum probandum docet S. Thomas citato loco de Potentia, personæ diuinæ *secundum speciem proprietatis personalis inueniuntur differre: paternitas enim & filiatio sunt relationes secundum speciem diuersæ.* Sed in pluribus personis præter communem naturam non est aliud præter has relationes, seu personalitates specie differentes. Ergo ratione harum differentiarum non possunt propriè dici tres diuinæ personæ differre numero, neque comparatione communis naturæ, neque comparatione personæ in communi. Quamquam cum diuinæ personæ respectu vnius communis numero essentiæ habeant aliquam similitudinem cum tribus indiuiduis vnius communis specie naturæ, sicut hæc dicuntur differre numero, ita illæ larga, & minus propria loquutione dici possunt differre numero. Sic Nazianzenus oratione 25. aduersus Arianos, & de se ipso, circa finem fatetur, *vnam naturam in tribus proprietatibus, per se ipsas subsistentibus, numero diuisibilibus, Deitate indiuisis.* Et oratione 3. de Theologia aliquanto post principium docet, personam genitam à persona generante *differre numero.* Item Sophronius in sexta Synodo Actione 11. columna 6. suæ epistolæ, *Numeretur*, inquit, *beata Trinitas, non essentijs, sed subsistentijs numero diuisibilibus, & non dinidendis Deitate.* & Damascenus libro 3. Fidei cap. 6. initio sic discurrit, *Quæ communia, & vniuersalia sunt, prædicantur de subiectis sibi particularibus. At quia substantia communis est, particulare vero hypostasis: particulare autem, non quia partem naturæ habet, sed particulare numero vt indiuiduum; numero enim & non natura differre dicuntur hypostasis. Prædicatur igitur substantia de hypostasi.* Eodem planè sensu, tametsi negatiua loquendi forma scripsit Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 8. fine. *Pater in Filio est, & Filius in Patre; non tamen vt idem numero.* Quam distinctionem non esse per numericas differentias Deitatis, sed per distinctas realiter personarum proprietates, significat statim subdens: *Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est.* Et Anastasius Sinayta libro 1. de rectis fidei dogmatibus columna 7 fine, vt habetur tom. 1. Bibliothecæ veterum Patrum; *Quod est Dei, hoc prorsus vnum numero singulæ personæ vnum sunt natura, & hoc vnum essentia, non item prorsus vnum est numero.* Idem enim significatur, seu negatiuè dicas, Personæ non sunt vnum numero, seu dicas positiuè, Personæ differunt numero: quoniam cum vnum numero, neget numericam differentiam, negatio vnius numero differentiam numericam affirmet necesse est.

Damascen. Cyrillus. Damascenus. Basilius. Anastasius Sinayta.

15. *An personæ differant specie.* Magister. Augustinus. S. Thomas.

Colligo quartò Personas non differre propriè specie, & consequenter non esse propriè species, vt Magister 1. d. 19. circa medium, cum Scholasticis probat ex Augustino libro 7. de Trinitate cap. 6. & S. Thomas hic ad 3. negat simpliciter, Quòd in diuinis sit species. Et quidem cum species dicatur tum per habitudinem ad inferiora indiuidua, tum per habitudinem ad superius genus, ex vtroque capite persona non meretur nomen speciei; cum nec habeat sub se indiuidua, sed ipsa potius sit indiuiduum; nec habeat supra se genus, cum nec essentia diuina quæ est essentialiter vna numero, genus dici possit; nec persona in communi, in cuius essentiali conceptu omnes personæ imbibuntur, saltem implicitè, possit habere propriam rationem generis respectu particularium personarum. In hoc sensu Cyrillus supra quæst. 28. art. 4. num. 29. tres personas diuinas docet esse *eiusdem speciei.* Et Damascenus libro 3. Fidei cap. 4. initio, *Substantia communem, & contentiuam earum, quæ eiusdem speciei sunt, hypostaseon, designat speciem, vt Deus, homo. Hypostasis autem indiuiduum ostendit, ceu Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Petrum, Paulum.* Et cap. 6. paulò post principium, *Vnaquæque hypostaseon, eiusdem speciei perfecta substantia est. Quare non differunt abinuicem hypostases secundum substantiam, sed secundum accidentia, qua quidem sunt characterica signalesque proprietates.* Has largè vocat accidentia, in quantum sunt extra quidditatiuum essentiæ conceptum. Quamquam & Basilius libro 2. contra Eunomium columna 24. genitum & ingenitum fatetur esse *specificas quasdam proprietates:* & Tertullianus supra quæst. 28. art. 4. num. 29. personas vocat *tres species.* Et S. Thomas supra, & reliqui Scholastici passim scribunt, Diuinas personalitates ac relationes sicut etiam origines, differre quasi specie, vt ibidem notaui, ac probaui.

Tertullian.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXI.

De his quæ ad vnitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis, in quatuor articulos diuisa.

Post hæc considerandum est de his, quæ pertinent ad vnitatem, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit Trinitas in diuinis.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd non sit Trinitas in diuinis, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Trinitatis nomen apte tribui Deo, num. 1. & 2.*
2. *De etymologia harum vocum, Trinitas, Trinus, num. 3. & 4.*
3. *De earumdem vocum significatione, num. 5. ad 8.*
4. *An Trinitas sit nomen collectiuum, num. 8.*
5. *Quid sint Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate, num. 9.*
6. *An triplicitas, & Triplex de Deo dicantur, n. 10. ad finem articuli.*

Declaratur titulus.

IN superioribus disputatum sufficienter est de Trinitate quoad rem, probando in diuinis tres personas, & vnam naturam. In hoc autem articulo S. Thomas disputat de eadem Trinitate quoad nomen. Enim verò hæretici, vt de Caluino refertur libro primo Institut. cap. 13. §. 5. ipsum etiam Trinitatis nomen abolere contendunt.

1. *Prima conclusio Trinitatis nomen aptè tribui Deo.*

Prima conclusio. In huius mysterij explicatione aptissimè vtimur vocabulo Trinitatis, ita vt absque magna temeritate contemni, aut repudiari non possit. Ratio est, quia omnes planè Patres, & Scholastici, omnia Concilia, ipsamet Sancta Ecclesia in suis orationibus, & officiis, & vniuersi Christi fideles Trinitatem in Deo credunt ac nominant. Imò vsurpatio est tam antiqua, nimirum ipsorummet Apostolorum tempore, vt piè ac facilè credi possit ab ipsomet Christo Domino expressum nomen, & traditam Apostolis, eiusque Ecclesiæ vniuersæ. Saltem vetustissima, ac receptissima vox, haud sine speciali Spiritus sancti instinctu ac magisterio in tam grani ac difficili mysterio introducta credenda est. Referam grauiores & antiquiores.

2. *Iacobus frater Domini.*

Iacobus Frater Domini in sua Missa paulò post principium, vt habetur tomo 6. Bibliothecæ veterum Patrum, ait, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, trino & vni.* & paucis verbis interiectis dicitur, *Trinitas vnus Deus.* & columna 3. circa initium Christus vocatur *vnus Sancta Trinitatis.* & columna penultima vocat, *Sanctam & consubstantialem Trinitatem.* Magnus Dionysius de diuinis nominibus c. 1. multò post principium docet, *In omnibus ferè diuinis libris Diuinitatem ipsam sacris laudibus ornari vt vnitatem, & vt Trinitatem propter cælestis fœcunditatis in tribus personis enunciationem.* Et cap. 3. initio dicere aggreditur, *appellata, innocataque Trinitate*, &c. vltimo post medium dicitur, *Diuinitas, vnitatis, & Trinitatis nomine celebrata.* Et post pauca verba, *Vt singularem eius vnionem, diuinamque fœcunditatem verè laudemus, Trinitatis, vnitatisque nomine Diuinitatem, quæ omni nomini antecellit, exprimimus.* Et initio libri de mystica Theologia innocatur etiam *Trinitas.* & c. 3. initio *Diximus*, inquit, *quomodo diuina natura vnica dicatur, quomodo trina.* Iustinus Martyr in expositione Fidei sæpe Trinitatis mentionem facit. & aliquanto ante medium ait, *Vnitas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate intelligitur.* Quod post nonnulla iterum repetit. Idem Trinitatis nomen sæpe vsurpant Tertullianus libro contra Praxeam, Origenes in cap. 21. Numeror. hom. 12. aliquantò post principium. *Vna substantia est, & natura Trinitatis.* & hom. 3. in Iesu Naue, ante medium sæpe docet, Trinitatis mysterium non fuisse satis perspectum Patribus ante Christum. Et hom. 4. in Isaiam, ante medium exponens illa verba, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ait, *Non eis sufficit semel clamare, Sanctus, neque bis, ad perfectum numerum Trinitatis assumunt, vt multitudinem sanctitatis manifestent Dei, quæ est trinæ sanctitatis repetita communitas.* & in epistolam ad Romanos libro 3. aliquanto ante finem Gregorius Thaumaturgus in sua Fidei confessione, quam in eius vita refert Gregorius Nyssenus, in fine dicens, *Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur.* Dionysius Papa, cuius verba refert Athanasius libro de Decretis Nicenæ Synodi, multò post medium. Felix Papa 2. epistola 3. ad Benignum, aliquanto ante medium vocans, *inseparabilem Trinitatem.* Nicenum Concilium libro 2. §. *Sancta*, confitetur *Trinitatem indiuiduam, ineffabilem.* idemque nomen in eodem libro sæpissime legitur. & §. *si quidem*, fine vocat *Trinitatem, verè Trinitatem, indiuiduam, & consubstantialem Trinitatem.* Apud Sozomenum libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. medio. *Multi multarum ciuitatum Episcopi Alexandriæ vna cum Athanasio Eusebio congregati, decreta Concilij Niceni confirmant, & Trinitatem nominant:* hoc est, multò antè, & in ipsomet Niceno Concilio nominatam, nominandam esse decernunt. Et ideo omnes Athanasij libri hoc nomine pleni sũt; ita vt in ipsomet Symbolo bis doceat, *Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate venerandam esse.* Eodemque modo posteriores omnes loquuti sunt; quod quidem nomen, quo significantur tres personæ & vna natura, collegisse videntur ex verbis Christi Matthæi vltimo, *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* & clarius ex verbis Ioannis epistola 1. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres, vnum sunt.*

Iustinus. Tertullianus Origenes. Thaumaturgus. Dionysius Papa. Felix 2. Concilium Nicænum. Athanasius.

De Etymologia harum vocum Trinitas, Trinus.

3. *Secunda conclusio S. Thomæ.*

Secunda conclusio, quæ habetur in responsione ad 1. *Trinitas secundũ etymologiam vocabuli dicitur quasi trina vnitas.* Idem docuit Magister libro 1. sententiarum d. 24. fine, & sequuntur ibi omnes Scholastici. Præterea Alensis p. p. quæst. 66. membro 1. art. 1. Albertus p. p. summæ, quæst. 45. membro 1. art. 2. ad 1. & ad 5. dicens, *quòd in veritate secundum catholicam fidem, Trinitas dicitur trium vnitas.* Henricus 2. p. summæ art. 73. quæst. 11. ad 2. *Trinitas*, inquit, *quasi triunitas, quia sit vnum totum in tribus.* Colligitur ex Isidoro libro 7. Etymologiarum cap. 4. initio. *Trinitas appellatur, quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus, quasi triunitas.* Per ordinem ad hoc nomen subsantiuum, *Trinitas*, accipitur vox adiectiua, *Trinitas*; ita vt Trinus dicatur etiam quasi ter vnus; vt omnes tenent, vno excepto Henrico supra, contendente, quòd *melius est dicere, quòd trinus sit simplum, & derivatum à tris*, voce Græca. & probat primo, quia *aliter in diuinis*

Magister. Alensis. Albertus. Henricus. Isidorus.

diuinis significaret, quòd tres essent vnus masculinè. Secundo quia sic, *vnus esset de significato eius, quod est trinus ; & ita non benè diceretur, Deus trinus & vnus.* Tertio quia communiter *dicitur trinum de illis quæ non sunt in aliquo vnum ; vt trina monitio, trina actio, trina machina.* Sed hæc minimè vrgent contra communem loquendi consuetudinem aliorum Theologorum, qui non solum vocant Deum trinum & vnum, sed etiam trinum absolutè ; vnde S. Thomas in fine huius articuli *dicitur, Deus est trinus.* Sicut enim si Trinitas significaret solã multitudinem sine vnitate, non bene diceretur absolutè, Deus est Trinitas ; ita pariter si Trinus significaret tria, & nullo pacto vnum, iste modus absolutè loquendi, Deus est trinus, nimis faueret hæreticis Arianis. S.Thomas.

4. *Quid significatur, cum dicitur, Deus est trinus.*

Quare ad primum concedo, quòd cum dicitur trinus de Deo, significatur, Tres esse vnum masculinè, nimirum essentialiter, non personaliter, hoc est, vnum Deum, non vnam personam : sicut cum dicitur de Deo Trinitas, significatur vnitas essentiæ, non personæ. Quamuis enim non liceat dicere, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus masculinè ; sed dici debeat, sunt vnum neutraliter ; tamen cum dicitur Deus trinus, sicut per illud, *Tri*, subintelliguntur tres personæ, non tres Dij ; ita contra per illud, *Vnus*, subintelligitur vnus Deus, non vna persona. Et idem de nomine Trinitatis. Ad 2. dico cum S. Thoma hic ad 1. & clarius cum Riccardo 1. d. 24. art. 3. quæst. 1. in Corpore & ad 1. Suarez libro 3. de Trinitate cap. vltimo §. 8. & aliis, quòd Trinitas, & trinus, quamuis *secundum etymologiam vocabuli*, vt deantur significare in recto & principaliter vnitatem, in obliquo & secundario pluralitatem, Trinitas enim, & trinus, dicuntur quasi vnitas trium & vnus ter, tamen *secundum proprietatem vocabuli*, vt loquitur S. Thomas, siue, vt magis explicat Riccardus, *habendo affectum ad illud, ad quod nomen imponitur ad significandum*, contra significant pluralitatem in recto & primario, vnitatem in obliquo & secundario. Sapientes enim hæc vocabula diuinis imposuerunt, vt significarent tres personas vnius essentiæ. Huiusmodi autem nominum compositorũ natura hæc est, vt absque negatione possint coniungi cum aliis nominibus explicitè & directè significantibus, quod illa implicitè & indirectè significant. Hac ratione, vt exemplificat Riccardus supra, non ineptè dicitur nasus simus, quamuis nasus claudatur in totali significato huius vocis, *simus*. Sic etiam, vt argumenter ad hominem, dicitur, Sancta Trinitas, vnus Deus ; & tamen ipsemet Henricus vult, in significato Trinitatis claudi vnitatem. Sicut igitur cum Athanasius in Symbolo, & alij Patres dicunt Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate, non significant nugatoriè trium vnitatem in vnitate, & vnitatem in trium vnitate, sed Trinitatem personarum in vnitate naturæ, & vnitatem naturæ in Trinitate personarum ; ita cum Deus dicitur trinus & vnus, non significatur Deus ter vnus & vnus, sed Deus trinus in personis & vnus in natura. Ad rectum ac principale significatum Trinitatis respexit Fulgentius cum libro de Fide ad Petrum cap. 1. aliquanto post principium scripsit, quod si in tribus diuinis personis non esset vna natura, *Trinitas esset vera* ; & post pauca verba, *Verus Deus in personis Trinitas est, & in vna natura vnus est.* Quæ propositiones verificantur de Trinitatis significato primario seu formali, quod est pluralitas ; non de secundario & materiali, quod est vnitas : sicut etiam aliæ similes aliorum Patrum propositiones, vt Isidori libro 7. Etymologiarum cap. 4. post medium *Trinitas in relatiuis personarum nominibus est. Deitas non triplicatur, sed in singularitate est : quia si triplicatur, Deorum indu-* B.Thomas. Riccardus. Suarez. Fulgentius. Isidorus.

cimus pluralitatem. Et Nysseni libro de Hominis opificio cap. 6. post medium, *Cum dicatur, Faciemus hominem ad nostri imaginem, numerosque multitudinis Sacrosancta Trinitas indicetur.* Et Thomæ in fine huius articuli, *Hoc quod dico, trinum, importat distinctionem in suppositis illius de quo dicitur. Et ideo non potest dici, quòd Trinitas sit trina : quia*, vt audit in quinto argumento, *sic essent nouem res in diuinis, quod est erroneum.* Ad 3. concedo dici trinum de iis, quæ sunt merè plura & non vnum ; & ita dici de creaturis : in quo differt à Trinitate, quæ vox imposita primùm est à fidelibus ad explicandum mysterium trium diuinarum personarum in vna natura. Quam ob causam dixit Albertus p. p. summæ quæst. 45. membro 1. art. 2. ad 1. *Quòd Trinitas est in diuinis, & non est nisi in diuinis, & hoc est diuinis proprium.* Sed hoc non tollit, quin post impositum Trinitatis nomen, eadem antiquior vox, *trinus*, quæ de creaturis ad pluralitatem absolutè significandam vsurpabatur ab infidelibus, eorumdem fidelium vsu extenderetur etiam ad diuina, & accommodatè sumeretur vt adiectiuum Trinitatis ad significandum pluralitatem simul cum vnitate. Nisseno. Thomas. Albertus.

De earumdem vocum significatione.

Tertia conclusio quæ habetur etiam in responsione ad primum. *Trinitas non significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum ad inuicem relatarum : & inde est, quòd secundum nomen ad aliud non refertur.* Hoc ipsum est, quod aliis verbis docuit Alensis p. p. quæst. 66. membro 1. art. 3. Corpore. *Trinitas non dicitur ad aliquid eo quòd ad aliquid extra referatur ; sed includit in se tres, quorum vnum ad alterum refertur.* Idem fusius explicat Albertus p. p. summæ quæst. 45. membro 1. art. 1. Corpore quod, inquit, *concorditer antiqui dixerunt.* In eodem sensu accipiendus est Magister libro 1. sent. d. 24. litera I. *Cum dicitur Trinitas, id significari videtur, quod significatur cum dicitur, Tres personæ.* Vnde benè deducit, Trinitatem non posse prædicari de singulis personis, quia singulæ personæ non sunt tres personæ, sicut habetur etiam hic ad 1. & docet Riccardus Victorinus libro 4. de Trinitate cap. 21. circa finem illis verbis, *Trinitas, quæ diuina substantia est, nec persona est, nec persona rectè dici potest.* Et ideo Hugo Victorinus tractatu 1. summæ sententiarum cap. 9. fine ait, *Est vnum nomen, scilicet Trinitas, quod de nulla persona singulatim dicitur, sed omnibus simul ; nec est substantiale*, hoc est, subsistentiæ, seu naturæ, vt præcisæ à relationibus, seu personalitatibus, *sed pluralitatem designat personarum.* Quæ verba leguntur etiam in Magistro libro 1. d. 22. litera C. Ratio conclusionis breuiter est, quia Trinitatis nomen, siue considereretur secundum etymologiam, vt est trium vnitas, siue secundum significationem, vt importat tres personas vnam habentes naturam, nihil exprimit relatiuum, quoad vocem, sicut exprimunt, v. g. pater, filius : quia voces vnitatis, Trinitatis, personæ, naturæ, vnius, trium, omnes, vt ex se patet, sunt absolutæ, non relatiuæ. Personæ vero significatæ, si considerentur quoad rem, sunt relatiuæ, non absolutæ, & ideo significatæ aliis vocibus relatiuis, Patris, Filij, Spiritus. Ergo Trinitas non significat explicitè relationes, sed tantum implicitè, quia tria illa, seu tres personæ diuinæ, quibus explicitè significandis impositum est nomen, constituuntur proprietatibus relatiuis non absoluris. Riccardus Victorinus. Hugo Victorinus.

5. *Tertia conclusio, Trinitas significat personas, & non significat nomen relationum.* S. Thomas. Alensis. Albertus. Magister.

6. *Quarta conclusio, Trinitas significat vnitatem naturæ, non personæ.*

Quarta conclusio. Cum in vnaquaque persona diuina sit vnitas personalis, & in omnibus tribus personis sit vnitas essentialis, vnitas, quam in obliquo significari nomine Trinitatis superius ostendimus,

mus, non est vnitas personalis, sed essentialis : ita vt integrum significatum non sit tres personæ, quarum quælibet est vna persona, sed potius tres personæ, quarum quælibet est vna natura. Hoc significatum semper traditur hic ad 1. 2. & 4. idque ex instituto probant Bonauentura 1. d. 24. art. 3. quæst. 2. Riccardus quæst. 1. Albertus supra art. 2. argumento 5. & ad 5. & sequuntur reliqui omnes contra Alensem p. p. quæst. 66. membro 1. art. 1. quem sequuti videntur Genebrardus libro 2. de Trinitate inter principium & medium §. *Trinitatem igitur.* & Bellarminus libro 2. de Christo cap. 5 §. *Est autem.* quos sequutus est Arrubal disput. 104. cap. 3. contendentes, nomine Trinitatis non significari essentiam, sed solas personas. Sed possunt exponi de significato principali. Et ideo Bellarminus limitanter dixit, nomine Trinitatis non significari *expresè* Vnitatem. Alioqui significari simpliciter vnitatem essentiæ est valde receptum apud reliquos omnes Theologos, & non obscurè significatum à Patribus : & ideo Isidorus supra num. 3. *Trinitas appellatur quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus.* Quod non potest intelligi de vno in ipsismet tribus, vt ita dicam, triplicato : hoc enim vnum sunt solum ipsamet tria, quæ sunt ter vnum, & non est vnum ex tribus, siue in tribus. Ergo intelligi debet Isidorus de vna natura in tribus personis. Item Nazianzenus oratione 2. de Pace, multò post medium, *Trinitas non rerum inæqualium est enumeratio, sed æqualium & honore parium comprehensio, ipsa etiam appellatione illa vniente, quæ à natura sunt vnita.* Certum est, Nazianzenum loqui de vnione, siue vnitate, quam omnes diuinæ personæ habent in vna natura. Hanc autem vnionem, docet non solum haberi ex ipsa trium diuinarum personarum natura, verum ex *ipsa etiam appellatione* huius nominis, Trinitas, & S. Maximus libello de duabus naturis Christi Domini, prope medium, vt habetur tomo 5. Bibliothecæ veterum Patrum, *Iisdem verbis distinctio & vnitas in Sancta Trinitate significantur : ita tamen, vt ex eo quod tres personæ asserantur, distinctio ex eo quòd vna essentia ponatur, vnitas confirmetur.* Clarè loquitur de vnitate essentiæ, eamque docet significari vno eodemque verbo, quo significatur distinctio personarum ; quod verbum aliud non est, nisi Trinitas. Bonauentura. Riccardus. Albertus. Alensis. Genebrard. Bellarminus. Arrubal. Isidorus. Nazianzen. S. Maximus.

7. *Probatur conclusio ratione.*

Ratio autem conclusionis est, quia Trinitas, siue ex vocabuli etymologia, siue saltem ex vsu loquentium, Patrum, Scholasticorum, vt fidelium omnium, tale habet significatum, quod nulli creaturæ conuenire potest, sed soli Deo. Et ideo absolutè pronunciare potuit Magnus Albertus supra num. 4. fine. *Trinitas non est nisi in diuinis.* & omnes, audito nomine Trinitatis simpliciter, etiam si nihil aliud addatur quo ad diu nam limitetur, hanc solam, & non aliam Trinitatem intelligimus. At si Trinitas nullam aliam vnitatem significaret, nisi personalem, iã Trinitatis nomen nonesset magis proprium Dei, quam creaturæ ; & non minus verè ac propriè, quoad integrum Trinitatis significatum, essent Trinitas Petrus, Iacobus, & Ioannes, quam Pater, Filius, & Spiritus sanctus. quia non minus verè ac propriè illi, quam hi, essent ter vna persona. Confirmatur ex Alberto, quia trium vnitas, quam etymologiam ipsemet Alensis admittit, significat aliquid, in quo tria sunt vnum ; tres autem diuinæ personæ, non sunt vnum in ratione personæ simpliciter, sed sunt tres realiter distinctæ, & oppositæ ; sunt autem verè ac propriè vnum in natura. Ergo hæc vnitas significatur. Neque confugiendum est ad vnitatem, quam tres personæ habent in vna communi ratione analogica personæ, vt supra quæst. 30. art. 4. num. 7. quia hæc vnitas sunt ipsamet tres distinctæ personæ in confuso conceptæ ; quapropter est vnitas potius concipientis vnico conceptu plures res distinctas, quam vnitas alicuius rei conceptæ, quæ sit verè vna ; & non magis reperitur in pluribus personis, quam in pluribus indiuiduis, naturis specificis, seu genericis ; imo non magis in pluribus substantiis, & entibus realibus, quam in pluribus accidentibus, & entibus rationis. At Trinitatis vocabulum, sicut non significat alium ternarium, nisi personarum, ita significare non debet aliam vnitatem nisi propriam trium personarum ; quæ vnitas est solius naturæ, & non reperitur nisi in personis diuinis. Albertus.

An Trinitas sit nomen collectiuum.

Quinta conclusio. Trinitas est nomen collectiuum, non simpliciter, sed secundum quid. Hoc breuiter est, quod docet, & probat S. Thomas hic ad 2. *Nomen*, inquit, *collectiuum duo importat, scilicet pluralitatem suppositorum, & vnitatem quandam, scilicet ordinis alicuius. Populus enim est multitudo hominum, sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen, Trinitas, conuenit cum nominibus collectiuis* ; & ideo illud ego vocaui collectiuum secundum quid, hoc est, ratione vnius partis, quæ est pluralitas suppositorum ; *sed quantum ad secundum, differt : quia in diuina Trinitate non solum est vnitas ordinis, sed cum hoc est etiam vnitas essentiæ* : & ideo negaui, esse collectiuum simpliciter, hoc est, omni ex parte, tam pluralitatis, quam vnitatis : vnitas enim nominis collectiui est omnium minima, scilicet alicuius puri ordinis ; vnitas vero Trinitatis est omnium maxima, scilicet eiusdem numero substantiæ, seu naturæ. Hanc ob causam idem Trinitatis nomen Magister 1. d. 22. litera C. prudenter vocat *quasi collectiuum* : quod benè explicat Bonauentura 1. d. 24. art. 3. quæst. 1. Corp. Eadem nominis collectio significatur verbis Isidori supra, *Trinitas appellatur, quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus* : & probata remanet ex dictis, quibus ostendimus, nomine Trinitatis significari non solam personarum pluralitatem, sed præterea vnitatem naturæ. 8. *Quinta conclusio partim affirmatiua, partim negatiua.* S. Thomas. Magister. Bonauentura. Isidorus.

Quid sint Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate.

Sexta conclusio, quæ habetur in responsione ad 4. *Cum dicimus, Trinitatem in Vnitate, non ponimus numerum in vnitate essentiæ, quasi sit ter vna ; sed personas numeratas ponimus in vnitate naturæ ; sicut supposita alicuius naturæ dicuntur esse in natura illa.* Similiter cum è conuerso dicimus, *Vnitatem in Trinitate*, non ponimus vnitatem in numero personarum, quasi personæ diuinæ sint semel vna ; sed vnam naturam ponimus in tribus personis numeratis, *sicut natura dicitur esse in suis suppositis.* Hæc conclusio supponit prædictum loquendi modum esse probatissimum, & receptum ab Ecclesia Catholica, non solum in Symbolo Athanasij, sed etiam in officio Sanctissimæ Trinitatis, in cuius Inuitatorio adoramus *Deum vnum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate.* Eadem verba & sensum verborum tradit Concilium Lateranense sub Martino Papa I. consultatione 5. Canone 1. *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur, propriè & veraciter Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentijs, vnam eamdemque trium Deitatẽ, condemnatus sit.* In sexta quoque Synodo Actione 4. Agatho Papa in epistola, quæ fuit Instructio Legatorum, columna 3. circa principium, tamquam fidei doctrinam confitetur, *Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate : Vnitatẽ quidem essentiæ, Trinitatem verò personarum, siue subsistẽ-* 9. *Sexta conclusio.* Lateranense. Sexta Synodus.

Sophronius. *subsistentiarum.* Et Actione 11. Sophronius in sua epistola columna 4. ait, *Trinitatem in Vnitate credimus, & in Vnitate Trinitatem glorificamus. Trinitatem quidem pro tribus subsistentijs, Vnitatem autem propter singularitatem Deitatis.* Hæc conclusio præter hanc authoritatem,& verissimam explicationem, nulla alia probatione indiget. Necessarium autem fuit ita loqui ad clariorem obscurissimi mysterij notitiam tradendam: hac enim mutua alterius termini in altero inclusione,non solum magis explicantur Trinitas,& Vnitas,cum personarum trinitas minus explicitè importet naturæ vnitatem,& vnitas naturæ multò minus explicitè importet trinitatem personarum;sed etiam essentialis connexio,& omnimoda identitas,quam essentialiter inter se habent in Deo & tres personæ cum vna natura, & vna natura cum tribus personis. Plura, si placet, legi possunt apud Alensem p.p. quæst.66. membro 2.art.3.Albertum p.p. summæ quæst. 45. membro 2. art. 2. particula prima.

Alensis. Albertus.

An triplicitas & triplex de Deo dicantur.

10. *Septima conclusio negatiua eius fautores authores.*

Septima conclusio in responsione ad 3. *Non est in Deo triplicitas,sed Trinitas.* Probatur primo authoritate,quoniam ita habent non solum omnes Scholastici cum Magistro 1.sent.d.19.|litera T. & Alensis p.p. quæst.66. membro 1. art. 4. Albertus p.p. summæ,quæst.45. membro 1.art.2. circa finem. Henricus 2.p. summæ art.73. quæst.11. litera O.& omnes S. Thomæ interpretes; sed etiam Concilia & Patres. Toletanum XI. in Fidei professione columna 2.propè finem loquens de Sancta Trinitate, ait, *Quæ non triplex, sed Trinitas & dici,& credi debet.* Augustinus 6. de Trinitate cap.7. *Nec quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater & Filius.* Et cap. 8. initio, quæ verba repetit sermone 38. de tempore circa medium, *Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est.* Et libro 15. cap. 3. ante medium, *Non Deus triplex, sed Trinitas: nec quasi aliquid duplum esse Patrem & Filium ad simplum Spiritum sanctum, vbi nec tria plus aliquid sunt, quam vnum horum.* Consentit Isidorus verbis relatis supra num.4. circa finem,& consentire censendus est Nazianzenus tractatu de Diuinitate ad Euagrium monachum; quâuis non longe à principio dicat, *Age, quo modo numen accipi debeat, exponamus. simplex ne, an triplex: sic enim nos loqui,& credere, nominum ternio cogit:* tamen est intelligendus de coactione sub disiunctione; cum simplex & triplex proponantur tamquam duo opposita quæstionis membra, quorum vel vnum vel aliud credendum sit. Quare cum postea probet vnum tantum membrum de simplicitate, quam verè credimus,intelligitur sine dubio reprobare aliud membrum de triplicitate tamquam alienum à fide, & oppositum articulo fidei de simplicitate. Quòd autem Nazianzenus accipiat triplex pro composito,patet ex principio, vbi quæstionem illi propositam ab Euagrio ita refert, *Quo nam modo esse queat Patris, & Filij, & Spiritus sancti natura, simplex an composita?* Idem planè docent alij Patres sub vniuersaliori nomine multiplicitatis. Clemens Romanus, vel quis alius illius operis author fuerit, lib.6. constitutionum Apostolicarum cap.11.circa principium confitetur vnum Deum, *non congeminatum, vel multiplicem, sed solum in æternitate.* Ambrosius libro 1. de Fide cap.2. aliquantò ante medium, *Est plenitudo Diuinitatis in Patre, est plenitudo Diuinitatis in Filio; sed non discrepans, sed vna Diuinitas: nec confusum, quod vnum est; nec multiplex, quod indifferens.* Bernardus libro 5. de consideratione circa medium, *Vero iudicio, natura simplex multiplici antefertur.* Et post pauca verba *Asseritis, & si non multiplicem, duplicem Deum. Non ad merum simplex peruenistis. Securus loquor. Ne is quidem, qui duplex est, erit meus*, nempe Deus. Si non licet dicere Deum duplicem, multò minus triplicem Deum licebit asserere.

Toletanum XI. Augustin. Nzianzen. Clemens Romanus. Ambrosius. Isidorus. Bernardus.

11. *Ratio conclusionis ex S. Thoma.*

Probo secundò ratione S.Thomæ, quia *triplicitas significat proportionem inæqualitatis. Est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boëtium in Arithmetica*, nempe libro 1.cap.23. Et in hoc fundatur ratio Augustini supra, excludentis triplicitatem à Deo propter æqualitatem diuinarum personarum. Qui enim dicit triplex,vel triplicitatem, significat propriè non solum ternarium numerum, sed etiam quemdam excessum in tripla proportione supra aliud. Omnis autem ratio fundatur in propria vocis significatione,quam sapienter obseruauit Bonauentura 1. d. 19. dubio literali 12. tradens differentiam inter Trinum, & Triplicem, & inde afferens disparitatem,cur dici possit de Deo,quòd sit trinus, non autem quòd sit triplex: *quia*, inquit, *hoc nomen, trinus, specialiter ad hoc inuentum est, vt significet pluralitatem in suppositis cum vnitate formæ. Quia ergo hoc nomen, triplex, dicit distinctionem simpliciter in termino, cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partium multiplicationem; & quia in Deo non cadit multiplicatio nec quantum ad formam, nec quantum ad partes, ideo nullo modo potest dici triplex.* Igitur huiusmodi vocabula, Multiplicitas, Duplicitas, Triplicitas, Multiplex, Duplex, Triplex, tribui Deo rectè non possunt, quia ex propria significatione, à sapientibus imposita, important distinctionem puram absque vnitate, qualis distinctio non est in Deo. Vocabula vero, Trinitas, Trinus, ex sapientum impositione, & omnium loquentium vsu in ipsa vocum etymologia fundato, vt superius demonstratum est, habuerunt vt significarent distinctionem cum vnitate, quæ duo simul in Deo sunt.

Bonauentura. *Cur Deus dicatur trinus, non triplex.*

12. *De alijs terminis diuinis dicuntur triplex, & triplicitas.*

Hactenus authoritates adductæ,& rationes, probant,prædicta nomina significantia meram distinctionem,non posse tribui Deo,vel alteri diuino termino absoluto: quia cum Deus in suo explicito, ac formali significato,importet Diuinitatem, quæ est simplicissimè ac purissimè vna,identificans sibi omnia diuina, etiam relationes inter se realiter distinctas, prorsus inconuenienter tribuuntur illi prædicata, in explicito ac formali suo significato importantia oppositam pluralitatem ac distinctionem absque vnitate. Verum enim verò eædem authoritates,& rationes, non obstant, quin absque vlla reprehensione tribui possint aliis terminis diuinis in explicito ac formali significato importantibus distinctionem; cuiusmodi sunt relationes, personæ, processiones. Sicut enim dicimus non esse in diuinis vnam,sed plures,seu duas processiones; & quatuor relationes; & tres, seu multas personas; ita pariter dicere possumus duplicem processionem, quadruplicem relationem, triplicem seu multiplicem personam; vt concedunt Suarez libro 3. de Trinitate cap.vltimo num.10.Vasquez disput.131.c.3.n.16.& alij docti recentiores. Et ipsemet S.Thomas de Potentia quæst. 10. art. 2. aliquantò post principium Corporis dixit, *Diuina natura potest communicari duplici processione.* Quem etiam loquendi modum Patres vsurparunt.Nazianzenus oratione 39.in Sancta lumina,prope medium. *Deum porro cum dico, vno eodemque triplici lumine perstringamini: triplici quidem, quantum ad proprietates, siue hypostases, siue personas; vno autem, quantum ad substantiæ, hoc est, Diuinitatis rationem.* Si Nazianzeno cuius verba vsurpat etiam Ioannes

Suarez. Vasquez. S.Thomas. Nazianzen.

Ioan. Papa. Ioannes Papa in epistola de duabus naturis aduersus Eutychianistas,non longe à principio, & habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, licuit Deum vocare, vnum & triplex lumen,non obstante,quòd lumen sit nomen absolutum,& commune, quia scilicet lumen non significat explicitè Diuinitatem; & ita dicitur triplex, vt simul expressè dicatur vnum, ac proinde significatur,quatenus vnum, sumi pro natura; quatenus triplex, sumi pro persona. Potuit & Mirandulanus ita poëticè & minus propriè, in bono sensu scribere, *Vnum in triplici numine numen habet.* Ab eodem Nazianzeno tractatu de Diuinitate ad Euagrium, post medium, Filius & Spiritus sanctus appellantur *gemini Patris radius.* Et Augustinus libro Meditationum cap. 30. initio ait, *Tu vnitas es Diuinitatis, personarum pluralitate multiplex.* Et epistola 102. circa medium esse multiplex tribuit etiam ipsismet diuinis attributis, ratione tantum distinctis, dicens, *Legitur Spiritus sapientiæ multiplex, quoniam multa sunt quæ habet.* Cyrillus quoque libro 3. Dialogorum de Trinitate columna 5. loquens de Patre & Filio, vocat *duplicem consubstantialitatis modum.* Et post pauca verba, *Duplex in subsistentijs.* & iterum paulò post, *Duplicitatem in subsistentijs.* Et aliquanto ante medium columna 12. de lege antiqua ait, *Prædicat quidem quòd vnus sit Deus, & nullo modo dilatat Diuinitatis naturam ad triplicitatem secundum subsistentiam, nec iterum congregat ad vnitatem naturalem. Hoc enim nos noua docuit Scriptura.*

Mirandulan. Augustin. Cyrillus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Filius sit alius à Patre.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Filius non sit alius à Patre,&c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Pars affirmatiua probatur maximè authoritatibus, num.1.ad 5.*
2. *De voce,* Aliud,*num.5.ad 11.*
3. *De vocibus,* Alter, Alterum, Distinctum, *num.11. ad 14.*
4. *De voce,* Differentiæ,*num.14.ad 21.*
5. *De vocibus,* Discriminis & Diuersitatis, *num.21. ad 26.*
6. *De alijs vocibus distinctionem significantibus, n.26. ad finem articuli.*

1. *Prima conclusio affirmatiua.*

PRIMA conclusio simpliciter affirmatiua, est de fide, & non solum de Filio respectu Patris,sed de quacunque alia persona respectu alterius. Probatur primo ex Scriptura Ioannis 5. *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* & c.14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quibus testimoniis Origenes homilia 12.in cap.21. Numer. aliquanto post principium probat quòd *alius à Patre Filius, & non idem Filius qui & Pater:* & quod Spiritus sanctus *alius & ipse est à Patre & Filio.* Probatur 2.ex Conciliis.Ephesinum tom.2. c.7. aliquanto ante finem, ex Nazianzeni doctrina ita decernit. *In Sanctæ Triados mysterio est alius, & alius, ne hypostases confundantur, non tamen aliud. & aliud, sed vnum; tres namque Diuinitate vnum & idem sunt.* Lateranense sub Innocentio III. cap. *Damnamus.* de summa Trinitate circa medium. *Licèt alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; non tamen aliud: sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino, vt*

Ioan.5.&14. Origenes. Ephesinum. Lateranense.

secundum orthodoxam, & catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Idem in re definit Toletanum I. in Assertione Fidei,circa medium. *Si quis dixerit, atque crediderit, Deum Patrem, eumdem esse Filium, vel paracletum, anathema sit.* Si enim Pater & Filius non sunt idem,scilicet masculinè;ergo sunt alius & alius.

Toletanum I.

2. Ignatius. Hilarius. Nazianzen. Basilius. Augustinus. Cyrillus. Leo Papa. Phœbadius. Beda. Isidorus. Theophyl. Anselmus. Riccardus Victorinus.

Probatur tertiò ex Patribus. Omnium clarissimè loquuntur, Ignatius epistola 7. ad Tarsenses paulo ante medium ex illo 1.Corinth.15. *Cum subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*; ita deducit, *Alius profectò est, qui subiecit illi omnia, & alius cui hoc subiecta sunt.* Hilarius libro 2.de Trinitate columna 5.post medium. *Alius ab alio.quia Pater & Filius.* Nazianzenus oratione 5.de Theologia,multò post principium, *Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appellatur.* Basilius homilia 28. contra Sabellianos columna 2. *Alius est Pater qui misit, & alius Filius qui missus est.* Augustinus libro 11.de Ciuitate cap. 10.prope principium, *Spiritus sanctus alius est, quam Pater, & Filius; quia nec Pater est, nec Filius. Sed, alius, dixi, non aliud; quia & hoc pariter simplex, pariterque bonum est incommunicabile, & coæternum.* Cyrillus libro 2. Thesauri cap. 1. paulò post initium, *Differentia quædam inter Patrem & Filium inuenitur, quoniam alius est Pater, alius Filius; & alius est principium, alius ex principio.* Leo Papa epistola 93. c.1. initio, impios & Sabellianos vocat dicentes, quòd *nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque processit.* Phœbadius libro contra Arianos prope finem, *sic alius à Filio Spiritus, sicut alius à Patre Filius.* Beda exponens illud Ioannis 14. *Si cognouissetis me*, &c. ait, *Alius enim ego sum, alius ille.* Isidorus libro 7. Etymologiarum cap. 4. circa principium, *Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: sed alius quidem, non aliud.* Theophylactus exponens illud Ioannis 1. *Et Deus erat illud Verbum*, ait, *Manifestè hoc loco alium esse Verbum, & alium esse Patrem declarat Magnus Ioannes, etiam si non sit aliud, & aliud. Alius enim & alius de persona dicitur, aliud & aliud de naturis.* Anselmus in Monologio cap. 42. initio, *Cum ita sit alius ille, & alius ille, vt omnino pateat quòd duo sint: sic tamen vnum & idem ipsum est id quod est ille, & ille, vt penitus lateat quid duo sint. Nam sic est alius Pater, alius Filius, vt cum ambos dixerim, videam me duos dixisse: & sic est idipsum quod est & Pater, & Filius, vt non intelligam quid duos dixerim.* Riccardus de S.Victore libro 4. de Trinitate cap. 9. initio, *Certè vbicumque sunt tres personæ, illud omnino est necesse, vt alius aliquis sit iste, alius aliquis sit ille, & alius aliquis qui est tertius ab vtroque.* Idemque passim docent reliqui omnes.

3. *Alius, & alius, non dicitur de terminis diuinis absolutis.* Athanasius.

Aduertendum autem est, conclusionem esse intelligendam,quando nomen, *alius*, cadit supra personam,vt cum in Symbolo Athanasius dicit, *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti*; vel supra nomen alicuius personæ proprium, v.g. supra Patrem,Filium,&c. nam si caderet supra naturam, vel essentiam,vel substantiam, vel Deitatem, vel etiam Deum, vel supra quodcumque aliud absolutum & commune prædicatum,vt supra potentiam, sapientiam,creatorem, &c. nemo nisi Arianos posset ita loqui. Docente Nicæno Concilio libro 2 §. *Si quidem.* circa principium, *Non alium tibi Deum, & alium protulimus, sicut impius Arianus blasphemauit, vnum Deum increatum, & alterum creatum pronuntians, & Spiritum sanctum similiter creatum prædicans. Absit. Sed vnam Diuinitatem cogitari, & credi asseruimus, vnam substantiam, dominationem & sententiam vnam Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Nicænum.

Sophronius. Et sexta Synodo Actione 11. in epistola Sophronij columna 7. ante medium, *Hæc prædicamus, Deus, & Deus, & Deus; sed vnus est hæc tria Deus. Non enim alius Deus Pater, nec alius Deus Filius, neque alius iterum Deus Spiritus sanctus: quia nec alia natura est Pater, nec alia natura est Filius, neque alia iterum natura est Spiritus sanctus.* Vnde Hilarius post verba citata supra num. 2. circa principium, subdit, *Non natura Diuinitatis alia & alia, quia ambo vnum sunt.* Et Leo Papa sermone 1. de Pentecoste cap. 3. ante medium, *Cum in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus; non tamen alia Deitas, nec diuersa natura est.* Quare cum Iustinus Dialogo cum Tryphone pagina 41. Filium dixit, *Deum, vel Dominum, alium quendam esse, præter vniuersi conditorem*, hoc est, Patrem, cui appropriatur mundi creatio; illud, *alium*, non debet coniungi cum verbo, *Deum vel Dominum*, sed cum verbo, *quendam*; vt sit sensus, Præter Deum Patrem, datur alia quædam Filij persona, quæ etiam est Deus, ac Dominus. Eodemque sensu pagina sequenti 42. de Deo Filio docet, *diuersum esse ab eo Deo, qui omnia condidit*; hoc est, ab illa alia persona, quæ est Deus Pater, creator Cæli & terræ. Et ideo ipsemet statim se explicat de diuersitate personæ, non naturæ, ita limitans, *Diuersum numero dico, non consilio, & sententia.* Diuersitatem personalem, vt in genere notaui supra quæst 30. art. 4. num. 13. largè ac simplitudinariè vocat, diuersitatem numericam; quæ quidem si dicitur non esse in *consilio, & sententia*, non potest esse ea numerica naturæ diuersitas, quæ est inter duos angelos, vel duos homines, qui consiliis ac sententiis discrepant. Similiter exponendus Hieronymus cum in illud Zachariæ 3. *Increpet Dominus in te Sathan, & increpet Dominus in te*; ait, *Dominus de altero Domino loquitur:* hoc est, de altera persona, quæ est etiam Dominus: nam, vt ipse addit, *ex vnitate naturæ*, non potest increpare vna persona, quin increpet alia.

Hilarius. Leo Papa. Exponitur Iustinus. Exponitur Hieronym.

4. Denum nihil etiam obstat, quòd Christus Ioannis 14. dixerit, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Vox enim *Paracletus*, quamuis quoad operationem consolationis & doctrinæ, sit communis & absoluta, propter quod illam tribuerunt omnibus diuinis personis, Basilius libro de Spiritu sancto c. 19. paulo post principium, Hieronymus epistola ad Hedibiam q. nona, multo post medium, tamen est notionalis & relatiua conueniens solum Filio, & Spiritui sancto, non Patri, ob duas peculiares rationes; alteram quia sicut post Christi ascensionem Spiritus sanctus est missus ad docendum & consolandum, Ioan. 14. & 15. scilicet in figura ignis, & per gratiarum dona, quæ illi appropriantur; ita etiam ad docendum & consolandum missus est Filius, Isaiæ 61. *Spiritus Domini ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, vt consolarer omnes languentes*, &c. quæ missio fuit alio modo longè diuerso, scilicet per realem ac veram humanæ naturæ assumptionem, & per conuersationem cum hominibus in humanitate assumpta, per prædicationem, & redemptionem. Alteram quia Paracletus significat etiam Aduocatum apud Patrem: qui aduocatus, vt docent Augustinus in Ioannem tractatu 74. prope finem. Cyrillus libro 9. in Ioannem cap. 44. prope medium non solum est Spiritus sanctus, qui vt dicitur Romanorum 8. *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, nimirum in bono sensu explicato supra quæst. 27. art. 1. num. 134. Sed maximè etiam Filius, quem hominem factum, *aduocatum habemus apud Patrem*, 1. Ioannis 2. In hac igitur notionali ac propria Paracleti significatione, & non in alia communi dixit Christus, Spiritum sanctum esse Paracletum aliũ à se; quoniam ita personaliter distinguuntur, vt non habeant eamdem Paracleti rationem, vt explicatum est; sicut habent Pater & Filius eamdem prorsus rationem principij spiratiui, & ideo dici non possunt aliud & aliud spirandi principium. Atque hæc est longe probabilior solutio, quam alia Vasquez disput. 157. cap. 7. circa principium dicentis, Paracleti nomen esse quidem absolutum, & commune, tamen esse adiectiuum, & ideo posse multiplicari pro numero personarum; vt dicamus tres Paracletos, sicut adiectiuè dicimus tres omnipotentes. Quod quidem dici potuit à Vasquez quoad sensum, non quoad vocabulum. Alioqui enim Paracletus vocabulũ est tam Græcè, quam Latinè manifestè substantiuum; nec dici iure potest adiectiuum. Nam etiam cum postea in eodem cap. 14. Ioannis Paracletus coniungitur cum Spiritu, & dicitur, *Paracletus autem Spiritus sanctus*, non coniungitur tamquam adiectiuum substantiuo, sed tamquam vnum substantiuum alteri substantiuo, ac si diceretur, consolator Spiritus sanctus: vnde græcè habetur ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, hoc est, consolator autem, qui est Spiritus sanctus.

Exponitur locus Io. 14. Basilius. Hieronym. De voce, Paraclitus. Augustin. Cyrillus. Vasquez.

DVBITATIO I.

De voce, Aliud.

SVMMA.

1. *Filium non dici aliud à Patre, num. 5.*
2. *Cur Filius dici possit alius à Patre, non aliud, n. 6. ad 10.*
3. *An dici possit quod Filius sit idem cum Patre, n. 10.*

5. SEcunda conclusio. Qua fidei certitudine tenemur dicere, Filium alium à Patre, eadem negare tenemur, Filium aliud à Patre, seu Spiritu sancto; & idem de Patre respectu Filij & Spiritus sancti; & de Spiritu sancto respectu Patris & Filij. Hoc notat S. Thomas in fine huius articuli, & sequuntur reliqui omnes Theologi; & probant etiam verba allata supra n. 1. ex Concilio Ephesino, & Concilio Lateranensi; & n. 2. ex Augustino, Isidoro, Theophylacto. Præterea Toletanum XI. in Fidei professione paulò post principium ait, *Pater Filium genuit; nec tamen aliud, quàm quod ipse est, genuit, Deus Deum.* Sexta Synodus Actione 11. in epistola Sophronij columna 7. initio, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, aliud, & aliud, & aliud, non dicantur.* Hilar. lib. 5. de Trinitate colum. penult. post medium de Filio ait, *Neque aliud quam Deus est, quia non est aliunde, quod genitus est. & per hoc non refertur ad aliud, quod in vnum subsistit ex vno.* Epiphanius hæresi 76. aliquanto ante finem, confutatione 47. capitis Aetij, *Cum Deus genuerit sibi ipsi Filium, non aliud gignit in sua essentia.* Augustinus tract. 36. in Ioan. columna 5. circa finem. *Quid vis ire in alteram partem.* nempe Arianorum, *vt dicas, Aliud est Pater, Filius aliud. Alius est, rectè dicis. Aliud, non rectè. Alius enim est Filius, qui non est ipse qui Pater; & alius Pater, quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater, & Filius. Quid est, hoc ipsum est? Vnus Deus est.* Cyrill. lib. 12. Thesauri cap. 6. paulo post principium, *Quoniã Deus simplicissimus est, non est aliud ipse, aliud virtus sua, hoc est, Filius suus, sed vnum & idem essentialiter, ac naturaliter.* & c. 15. columna 2. ante medium, *Quomodo verus genitoris fructus aliud natura, quam genitor suus erit?* Anselmus in Monologio c. 41. post medium, *Cum sit impossibile, sic eumdem esse qui gignit, & eum qui gignitur, atque eumdem esse parentem*

5. *Secunda conclusio, non dicitur Filius aliud à Patre.* Toletanum XI. Sophronius. Hilarius. Epiphanius. Augustinus. Cyrillus. Anselmus.

parentem & prolem, vt necesse sit, alium esse genitorem, alium genitum, & alium esse Patrem, alium Filium: sic necesse est, idem esse illum qui gignit, & illum qui gignitur, nec non parentem & prolem, vt impossibile sit, aliud esse genitorem, quàm quod est genitus; aliud esse Patrem, quam quod est Filius. Bernardus epistola 190. columna 7. *Alius procul dubio Pater, atque alius Filius; quamuis non aliud Pater, quam Filius. nam per alius, & aliud, nouit pietas Fidei, cautè inter personarum proprietates, & indiuiduam essentiæ vnitatem discernere.* Riccardus de S. Victore libro 4. de Trinitate cap. 9. post medium, *Non aliud aliquid est quilibet vnus, quam quilibet alius; & idcirco in illa Trinitate tres substantias esse negamus. Nam in rationali natura, esse aliud & aliud, facit diuersitas substantiarum: esse alium, & esse alium, facit alietas personarum.* Et cap. 10. prope finem. *Nec pluralitas personarum facit aliud, & aliud in natura diuina.* Hic igitur loquendi modus non potest salua fide mutari.

Bernardus. Riccardus Victorinus.

6. Cur autem Filius dici debet alius à Patre, dici vero non possit aliud à Patre, ratio immediata est, quam tradit S. Thomas hic in fine Corporis, quia alius significat distinctionem personarum, aliud distinctionem naturarum. Sed Filius & Pater sunt duæ personæ, non sunt duæ naturæ. ergo Filius est alius, non aliud à Patre. Ita ratiocinatur Theophylactus supra num. 2. post medium, *Alius enim, & alius, de persona dicitur; aliud, & aliud, de naturis.* Et Riccardus num. 5. fine. *Nam in rationali natura esse aliud & aliud, facit diuersitas substantiarum, esse alium & alium, facit alietas personarum.* Idem significant nonnulli, qui cum docent, Filium esse alium, non aliud à Patre, addunt, aliud quoad personam, non aliud quoad essentiam. Augustinus sermone 38. de tempore columna 2. post medium, *Vna est Patris, & Filij, & Spiritus sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quamuis personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Quæ verba leguntur etiam in Fulgentio de Fide ad Petrum cap. 1. post medium, & habetur in 3. tomo Operum Augustini. Cyrillus quoque libro 10. Thesauri c. 1. aliquantò post medium. de Filio dicit, *Aliud personaliter esse à Patre.* Et libro 12. cap. 15. paulò post principium, *Alius quidem hypostaticè à Patre, sed non alius ratione substantiæ.* Et Leo Papa verbis citatis supra num. 3. *Cum in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen alia Deitas, nec diuersa natura est.* Et ideo Lateranense supra num. 1. cum docuisset, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum *non esse aliud*, addit, *vt secundum fidem consubstantiales esse credantur.* Et Athanasius in Symbolo cum dixisset, *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti*, vt indicaret, hanc alietatem non esse quoad naturam, statim illi opponit vnitatem naturæ, subiungens, *sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est Diuinitas, coæqualis gloria, coæterna maiestas.* Quod confirmari etiam potest ex eo, quia cum in Christo Domino sint duæ naturæ & vna persona, ideo Sancti dicunt, in eo esse aliud & aliud, non alium & alium. Satis sint verba Concilij Ephesini tomo 2. cap. 7. aliquanto ante finem, quæ ex Nazianzeno vsurpat, *Aliud & aliud est, ex quibus Saluator constat: at non est tamen alius & alius. Absit hoc. Dico aliud & aliud, licet in sacræ Triados mysterio contrarium reperiatur. Ibi enim est alius & alius, ne hypostases confundantur; non tamen aliud & aliud, sed vnum: tres namque Diuinitate vnum, & idem sunt.* Et Augustini libro contra Felicianum Arianorum cap. 11. fine. *Non alius Dei, & alius hominis, sed idem Christus Dei & hominis filius fuit. Et sicut in vno homine, aliud animus, aliud corpus; sic in mediatore Dei & hominum, aliud Dei filius, aliud hominis fuit; vnus*

Cur Filius dicatur alius à Patre, non aliud. Theophyl. Augustinus. Fulgentius. Cyrillus. Leo Papa. Athanasius. Ephesinum. Augustin.

tamen ex vtraque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantiæ, non aliud pro vnitate personæ. Et Damasceni libro 3. Fidei cap. 7. post medium de Christo dicentis, *Ipsum prædicamus non alium & alium.* Et post nonnulla. *Totus igitur est Deus perfectus, sed non totum Deus; nam non solum Deus, sed & homo: & totus homo perfectus, non totum autem homo; non solum enim homo, sed & Deus. Nam totum est naturæ repræsentatiuum, totus autem hypostaseos; quemadmodum aliud naturæ est, alius vero hypostaseos.* Et Anselmi de Incarnatione Verbi cap. 5. multò post principium, *Non est alius Deus, alius homo in Christo; quamuis aliud sit Deus, aliud homo; sed idem ipse est Deus qui & homo.*

Damascen. Anselmus.

7. Verùm si vlterius quæratur, Quam ob causam, *alius*, masculinè sumptus, referatur ad distinctionem in persona, non in natura; contra vero, *aliud*, neutraliter sumptum referatur ad distinctionem in natura, non in persona; respondet Durandus 1. d. 9. quæst 1. num. 4. *hoc non esse de virtute sermonis, sed ex vsu loquendi.* Vnde colligit, his vocibus, præcipue voce, *alius*, siue, *alia*, *non esse vtendum nisi cum additione personalium; vt dicendo, quòd Pater est alia persona, vel alius in persona à Filio, vel aliud suppositum. Quòd si quandoque dicatur alius à Filio Pater, sine additione, exponenda est loquutio.* Sed non solum reliqui omnes Scholastici, verum etiam communissimè Patres & Concilia, vt in superioribus demonstratum est, illo modo simpliciter & sine addito loquuntur. Perperam igitur huiusmodi loquutio dicitur non vsurpanda, tamquam impropria, & ad libitum conficta. Necessàrium igitur omnino est, proprietatem sermonis agnoscere, ac probare, vt facit S. Thomas hic ad 4. dicens, *Quod neutrum genus est informe*; hoc est, vt se explicat 1. d. 9. quæst. 1. art. 1. initio Corporis, *non importans sexus distinctionem*, seu determinationem ac formam, sed est commune & indifferens ad masculinum & femininum; *masculinum autem est formatum, & distinctum; similiter femininum. Et ideo conuenienter per neutrum genus significatur essentia communis; per masculinum autem, & femininum, aliquod suppositum determinatum in communi natura.* Verum, vt de hac ratione ipsemet S. Thomas citata d. 9. rectè censet, *Istud videtur magis esse adaptatio, quam expressio proprietatis loquutionis.* Et ideo aliam ibi rationem affert, tum post medium Corporis, tum ad 2. ductam ex ipsa significandi ratione, quam in re habent ipsæ voces. Nam *aliud*, ex eo quòd sit neutri generis, *substantiatur*, hoc est, potest accipi per modum simpliciter & per se stantis, & sine consortio cum alia re cui adiaceat; ita vt esse aliud, sine alio addito, sit habere alietatem entis simpliciter, sicut esse v. g. bonum neutraliter, est habere bonitatem entis simpliciter. Et ideo subdit S. Thomas, *substantiuum*, nempe nomen, *significationem suam habet absolutam; sed adiectiuum ponit significationem suam circa subiectum*, v. g. aliud, neutraliter & substantiuè sumptum, importat, alietatem simpliciter conuenire illi cui tribuitur, sic etiam bonum, iustum, &c. at sumptum adiectiuè, vt si dicatur, Pater est aliud suppositum à Filio, significat, Patrem respectu Filij habere alietatem, non simpliciter & absolutè, sed talem determinatam alietatem suppositi. *Quando autem aliquid dicitur absolutè*, inquit S. Thomas, *intelligitur de eo, quod simpliciter est; sicut ens, absolutè dictum, significat substantiam. Et ideo quia alietas essentia, est simpliciter alietas, ideo neutrum genus substantiuatum importat alietatem essentia.* Alius vero & alia, ex eo quòd sint generis determinati, scilicet masculini & fœminini,

7. *Cur alius referatur ad personã, aliud ad naturam.* Durandus. S. Thomas.

non possunt substantiuari, & absolutè sumi pro significato simpliciter: sed semper necessario sumuntur adiectiuè, ac proinde pro significato secundum quid, hoc est, limitato ad tale subiectum cui adiacere dicuntur, v.g. si alius à Patre dicitur de Filio, qui est persona, & alia dicitur de persona Patris, significatur alietas talis subiecti, nempe personalis; sicut si diceretur Filius Deus alius Deus à Patre, vel Filij natura alia à natura Patris, significaretur alietas in Deitate, quæ est alietas determinati subiecti. Igitur ex propria vocum significatione, & non ex improprio vsu ad placitum, hæc est vera, & significat alietatem in persona, *Filius est alius à Patre*; hæc verò falsa, significans alietatem absolutè & simpliciter, ac proinde in ipsa rei essentia, seu natura, *Filius est aliud à Patre.*

8. *Quo modo sumatur, Quis, & Quid, ex S. Thoma & Ricardo Victorino.*

Hanc loquendi proprietatem S. Thomas hic ad 4. confirmat duobus aliis simillimis loquendi modis, qui etiam in masculino sumuntur pro persona, in neutro sumuntur pro natura. Primo inquit, *etiam in rebus humanis, si quæratur, Quis est iste? respondetur, sortes, quod nomen est suppositi. Si autem quæratur, Quid est iste? respondetur, Animal rationale mortale*; quod ad naturam pertinet. Idque expressè ac fusè docuit Riccardus Victorinus libro 4. de Trinitate cap. 7. toto. & sermonis proprietatem apertè declarat illis verbis circa medium capitis. *Si ad respectum angelica visionis vnus interroget alterum, Quid sit? & id responsi acceperit, Quòd angelus Domini sit; talis vtique responsio, non est secundum proprietatem loquutionis, sed secundum intentionem quærentis: ac si apertius dicat interrogauti, Non est homo, vt putas, sed angelus Domini. Nam si angelum esse sciret, nec tale quid quæreret, nec tale responsum, nisi ineptè, reciperet. Per quid itaque inquiritur de proprietate communi; per quis de proprietate singulari. Per quid interrogamus, vt certificemur de qualitate substantiæ; per quis, vt certificemur de proprietate personæ.* Docuit etiam multò breuius Augustinus sermone 38. de tempore ante medium dicens, *si quæris, Quid sit Abraham? iuxta substantiam respondetur, Homo.* Et sequuntur Albertus p. p. summæ quæst. 40. membro 2. art. 2. Corp. Alensis p. p. q. 56. membro 2. in vltima responsione Corporis, Bonauentura 1. d. 25. art. 1. quæst. 1. num. 11. & alij communiter.

Augustin. Albertus. Alensis. Bonauentura.

9. *Pater & Filius non sunt vnus, sed vnum.*

Secundò confirmat, quia de Patre, Filio, & Spiritu sancto *dicimus quòd sunt vnum, sed non vnus.* hoc est, vna natura, non vna persona. De vno neutraliter & substantiuè accepto, habemus loquutionem ipsiusmet Christi Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Et Apostoli Ioannis in sua 1. epistola cap. 5. *Hi tres vnum sunt.* Quibus verbis, ad maiorem explicationem addit Athanasius, vel alius illius operis Author, libro 1. de Vnita Deitate, multò post medium, *non tamen vnus est, quia non est eorum vna persona. Nam vnum, quid aliud intelligitur, quam quòd in natura Deitatis, & in substantia plenitudinis per omnia vnum & idem sunt?* Eodemque modo alij Patres passim loquuntur, explicantes, quòd vnum referatur ad naturam, & vnus ad personam. Hilarius libro 3. de Trinitate columna 2. initio de Patre & Filio ait, *Vterque vnum, non duo vnus.* & libro 7. columna 2. initio, *Quòd vnum sunt, refertur ad vtrumque: & vterque non vnus est.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11. post medium, *Non dixit, Vnus sum; sed, Ego & Pater vnum sumus: vt neque abalienemus, neque contractionem filiopatoriæ fabricemus*, hoc est, Patrem & Filium in vnam personam contrahamus, & confundamus. Nazianzenus oratione 5. de Theologia pagina 3. circa finem, *Tria hæc vnum, si diuinitatem spectes: & vnum tria, si proprietatum rationem habeas.* Basilius libro de Spiritu sancto cap. 18. columna 1. fine. *Iuxta personarum proprietatem, vnus sunt & vnus.* hoc est, duæ personæ realiter distinctæ, *At iuxta communem naturam, vnum sunt ambo.* Epiphanius hæresi 57. aliquanto ante medium, *Non dixit, Ego, & Pater meus, vnus sum: sed, Ego, & Pater meus, vnum sumus.* Et hæresi 62. pagina 2. fine. *Filius dicit, Ego, & Pater, vnum sumus; & non dixit, Vnus sum. Sed ego, & Pater, significant in substantia Patrem, & in substantia Filium. Et duo dixit; & non dixit, vnus.* Et rursus, *Vnum sumus; & non dixit, Vnus sum.* Augustinus libro 4. de Trinitate cap. 9. circa principium, *Ego & Pater vnum sumus, hoc est, in eiusdem naturæ consubstantiali paritate.* & libro 5. cap. 9. *Cum Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, ideo pluraliter dictum est, Ego & Pater vnum sumus. Non enim dixit, Vnum est, quod Sabelliani dicunt; sed Vnum sumus.* & lib. 6. cap. 2. fine. *Vnum sumus, dictum est. Quod ille, hoc & ego; secundum essentiam, non secundum relationum.* Quæ verba repetit sermone 38. de tempore columna 3. fine. & tractatu 71 in Ioannem circa medium, *Intelligatur non bis vnus, sed duo vnum.*

Epiphanius. Augustinus.

10. *Filius est idem quod Pater, non idem qui Pater.*

Huc etiam spectat, quòd Patres cum sumunt *idem* neutraliter, affirmant, Filium esse idem quod est Pater, siue, hoc ipsum quod est Pater, siue, totum quod est Pater: cum vero sumunt masculinè, negant quòd Filius sit idem qui est Pater. Origenes supra num. 1. *Non idem Filius qui & Pater.* Ibidem Nazianzenus, & Concilium Ephesinum, *Tres vnum & idem sunt Diuinitate.* Et Lateranense, *Id quod est Pater, est Filius, idem omnino.* Et Toletanum XI. damnat dicentes, *Deum Patrem, eundem esse Filium.* Anselmus supra num. 2. *Vnum & idem ipsum est, id quod est ille, & ille. Est id ipsum quod est & Pater, & Filius.* Cyrillus supra num. 5. de Patre & Filio docet, esse *vnum & idem essentialiter, ac naturaliter.* Ibidem Anselmus, *Necesse est idem esse illum qui gignit, & illum qui gignitur.* & num. 6. Damascenus de Christo dicit, *Totus Deus, vel totus homo; sed non totum Deus, vel totum homo.* & Augustinus in fine præcedentis numeri, *Quod ille, hoc & ego.* Præterea Nazianzenus oratione 5. de Theologia inter principium & medium ait, *Neque Filius est Pater, sed quod Pater. Neque Spiritus est Filius; sed quod Filius est, hoc & Spiritus est.* Et Epiphanius hæresi 57. multò post principium, infert hoc admirandum absurdum, *Quomodo enim fuerit Pater, idem qui & Filius est?* Et Leo Papa sermone 2. de Pentecoste, c. 3. medio. *Quod Pater est, hoc est & Filius, hoc est Spiritus sanctus.* Sixtus Papa II. epistola 1. ad Gratum Episcopum, ante medium, vt habetur tomo 1. Conciliorum. post Concilium Carthaginense, *Quod Pater est, id est etiam Filius.* Toletanum XI. in Professione fidei ante medium, *Non ipse Pater, qui Filius; nec ipse Filius, qui Spiritus sanctus; nec Spiritus sanctus; ipse qui est vel Pater, vel Filius: cum tamen ipsum sit Pater, quod Filius; ipsum Filius, quod Pater; ipsum Pater & Filius, quod est & Spiritus sanctus, id est, natura vnus Deus. Cum enim dicimus, Non ipsum esse Patrem, quem Filium, ad personarum distinctionem refertur. Cum autem dicimus, Ipsum esse Patrem, quod Filium, ad naturam qua Deus est, vel substantia, pertinere monstratur, quia substantia vnum sunt.* Ambrosius libro 1. de Fide capite 2. aliquantò ante medium; *Non ipse Pater, qui Filius.* Isidorus libro 1. Differentiarum cap. 5. ante medium, *Filius Dei est, quia dum hoc sit, quod Pater, non est tamen ipse qui Pater.* Bernardus epistola 190. columna 4 *Totum est Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus Totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod & ipse, & Pater, & Filius.* Guitmundus Episcopus Auersanus in

Origenes. Nazianzen. Lateranense. Toletanum XI. Anselmus. Cyrillus. Damascenus. Augustinus. Nazianzen. Epiphanius. Leo Papa. Sixtus II. Toletanum XI. Ambrosius. Isidorus. Bernardus. Guitmund.

in confessione de Sancta Trinitate, statim post proœmium rem hanc ita luculenter exponit, & habetur tomo 6. Bibliothecæ veterum Patrum, *Non dico, quòd idem ipse sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Sed dico, quòd idem ipsum est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Cum dico, ipse, ostendo personam, quæ est Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Cum vero dico, Ipsum, ostendo substantiam, quæ est Deus.* Tantus igitur omnium Patrum loquendi consensus, euidenter ostendit, ex propria vocum significatione oriri, & non ex huius, vel illius loquentis libito contra sermonis proprietatem, vt voces neutri generis substantiuatæ referantur ad Deitatem; voces vero masculini, vel fœmini generis, quæ numquam substantiuè, sed adiectiuè sumuntur, referantur ad personalitates.

DVBITATIO II.

De vocibus, Alter, Alterum, Distinctum.

SVMMA.

1. *An Alter, & Alterum dici possint de Deo, num. 11. & 12.*
2. *An distinctionis nomen dici possit de diuinis personis, num. 13.*

11. *Alter, Alterum, dicuntur sicut Alius, Aliud.*

Tertia conclusio. Quod hactenus dictum est de vocibus, Alius, & Aliud, idem omnino dicendum de vocibus, Alter, & Alterum: nimirum, quòd alter, quia masculini generis est, & adiectiuè semper accipitur, significet propriè distinctionem in personis, & propterea possit affirmari de diuinis personis, non autem de Deo: & quòd alterum, quia est neutri generis, & substantiuatur, cum substantiuè accipitur, significet distinctionem in ipsa rei essentia ac natura, & propterea de Deo, diuinisque personis affirmari nequeat. Quam ob causam, opinor dixisse S. Thomam in hoc articulo de alius, & aliud, non de alter, & alterum; quoniam putauit de illis nominibus, & de his, omnino eamdem esse rationem. Quod præter superius dicta, satis fuerit ostendere ex communi modo loquendi Patrum. Quamuis enim S. Thomas 1. d. 9. quæst. 1. art. 1. ad 4. & Bonauentura 1. d. 4. dubio literali 9. docent, in diuinis magis propriè dici alium, quam alterum; quia alteritas propriè in creaturis est quædam distinctio in accidentalibus, alietas vero in substantialibus seu personalitatibus; in Deo autem nulla est ratio accidentalis, sed tantum personalis; tamen cum hæc ipsa diuersitas non possit habere locum in Deo, in quo nullum est accidens, nulla distinctio nisi tantum in personis, factum est vt Patres absque vllo discrimine indifferenter pro eodem vterentur alio, & altero.

Differentia inter alium & alterum ex S. Thoma & Bonauentura.

12. Athanasius.

Ita Athanasius, seu quisquis alius est author, libro 1. de vnita Deitate, inter medium & finem, *Cum alter sit in persona, qui genuit; & alter sit in persona, qui vnigenitus ab ipso est; & alius æquè in persona, qui nec Pater, nec Filius est. Hic est Spiritus sanctus*, &c. Eadem repetit libro 2. in medio, additque, *Vides quia altera ab altero, siue alius ab alio in persona tantum differt.* Et paulo post iterum, *Scito, alium ab alio, siue alterum ab altero in persona tantum differre.* Et oratione contra Gregales Sabellij columna 4. in medio, *Cum Pater, qui vnus est, sit Deus; & Filius, qui alter est, sit Deus.* Hilarius libro 3. de Trinitate columna 2. paulò post principium ait, *Alter ab altero*, hoc est, Filius à Patre; *& vterque vnum, non duo vnus*; hoc est, sunt vnus Deus, non sunt vna persona; *sed alius in alio, quia non aliud in*

Hilarius.

vtroque; hoc est, non alia Deitatis natura. Quos vocauerat alteros, statim vocat alios. Item libro de Synodis exponens Canonem nonum Orientalium Episcoporum, & loquens de Patre & Filio, cum dixisset, quòd differt *alter ab altero*, statim dicit, *quia alius sit Pater, alius sit & Filius.* Et postea refert & approbat Canonem 20. Syrmicæ fidei, ita dicentis, *si quis sicut docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum à Filio, dixit enim, & alterum Paracletum mittet vobis Pater, anathema sit.* Ambrosius libro 8. in Lucam, §. 9. aliquantò post principium, *Sed cum in Deo Filius persona alter, potestate vnus sit.* Chrysostomus in epistola ad Hebræos homilia 2. columna 5. initio exponens quòd Filius Dei, sit character substantiæ Patris, ait, *Character quippè alter est ab ipso suo exemplari: alter autem non in omnibus, sed secundum quod per se ipsum subsistit.* Augustinus tractatu 71. in Ioannem ante medium ait, *Alter est Filius.* & paulò post, *Alter est à Patre.* Deinde alium vsurpat, deducens tamquam absurdum, quòd *putatur non alius esse Pater, alius ipse*, nempe filius. Et post pauca verba, iterum redit ad alterum dicens, *sic æqualis est alter alteri, vt tamen alter sit ex altero.* Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 1. multò ante medium. *Nihil habet alter, quod alteri non insit, nisi quod hic Pater, ille Filius est.* Et paulò post, *Alter in altero, necessario est; & alter in altero intelligitur.* Et lib. 10. cap. 1. ante medium. *Vt cum alter dee, alter accipiat, dualitas personarum demonstretur.* Fulgentius libro 3. ad Trasimundum, multò post principium, pagina 15. initio, *Sempiternus Pater alterum genuit, non diuersum.* Anselmus in Monologio cap. 42. cum sæpe vocasset Patrem & Filium, *alium & alium*, in fine capitis ait, *sic sunt oppositi relationibus, vt alter numquam suscipiat proprium alterius: sicut sunt concordes naturæ, vt alter semper teneat essentiam alterius.* Et eisdem verbis loquitur initio, & in fine capitis sequentis 43. Euthymius in illud Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem*, ait, *Vnus per alterum mutuò cognoscimur.* Sapientissimè & clarissimè Bernardus epistola 190. columna 4. fine, *Nam quòd alter ex altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, personarum sanè designatio est, non vnitatis diuisio. Licet namque in hac ineffabili, & incomprehensibili Deitatis essentia, alter, & alter, id quidem requirentibus proprietatibus personarum, sobriè, catholicèque dicatur; non tamen ibi est alterum, & alterum, sed simplex vnum.* Vbi accipit alterum, sicut aliud, neutraliter etiam; cum alij Patres alterum semper accipiant masculinè. Sed verè accipi potest neutraliter, & substantiuari, vt dictum est de voce, aliud: & in hoc sensu rectè docet Bernardus, in diuinis personis vnam non esse alterum ab alia, sicut non est vna alterius naturæ ab alia. Videtur autem minus vsitatum alterum in neutro genere, quàm aliud; quia cum aliud, sit solius generis neutri, alterum vero & neutri, & masculini generis, difficilius vitari poterat ambiguitas loquendi in vsu vocis, alterum. Vitari verò simpliciter potest, vt apertè vitauit Bernardus.

Ambrosius. Isidorus. Chrysost. Augustinus. Fulgentius. Anselmus. Euthymius. Bernardus.

13. *Distinctionis vox turpissimè vsurpatur in diuinis.*

Quarta conclusio Distinctionis nomen turpissimè vsurpari potest de diuinis personis inter se comparatis. Primo quoniam à nullo vnquam Catholico, quem sciam, reprehensum est, vel tamquam malum, vel tamquam suspectum, vel tamquam improprium. Secundo quia illo vtuntur omnes planè Scholastici cum Magistro libro 1. sent. d. 24. litera A. & S. & hodie in Scholis non alio nomine vtimur, cum significare volumus, aliam esse personam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti.

Mag ister.

S. Thomas. Et ideo S. Thomas hîc in Corpore ante medium, cum in aliarum vocum vſu cautiſſimè procedat, de hac dixit, *Poſſumus autem vti nomine diſtinctionis, propter oppoſitionem relationum.* Tertio, quia Patres, etſi multo frequentius loquantur aliis vocibus differentiæ, diuerſitatis, diſcretionis, diuiſionis, quæ, vt mox referam, minus vſitatæ ſunt, imo etiam minus receptæ, & à nonnullis, tamquam non omnino tutæ vitandæ eſſe dicantur, tamen diſtinctionis vocem

Dionyſius. numquam reiciunt, & plerumque vſurpant. Sæpius Dionyſius de diuinis nominibus c. 2. aliquanto poſt principium diſtinctionem nominat: & vniuerſaliter diſtinguit in Trinitate ea quæ *coniuncta ſunt & communia*, & ea quæ *diſtincta & propria ſunt.* Præterea

Tertullian. Tertullianus libro contra Praxeam c. 9. initio, *Dico, alium eſſe Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum. Non tamen diuerſitate alium Filium à Patre, ſed diſtributione; nec diuiſione alium, ſed diſtinctione.* & c. 11. paulò ante finem docet, quòd in multis Scripturæ locis, *manifeſtè diſtinctio Trinitatis exponitur.* & cap. 12. cum dixiſſet, in Trinitate eſſe alium, & alium, ſubdit poſt medium, *Alium autem quomodo accipere debeas, iam profeſſus ſum; perſonæ, non ſubſtantiæ nomine ad diſtinctionem, non ad diuiſionem.* Hilarius lib. 4. de Trini-

Hilarius. tate columna 10. fine, & columna 14. fine, *Perſonarum*, inquit, *diſtinctio.* Ambroſius lib. 1. de Fide cap. 2.

Ambroſius. aliquantò ante medium, *Inter Patrem & Filium generationis expreſſa diſtinctio eſt.* & lib. 4. c. 4. multò ante medium, *Cum Patre ſemper eſt Filius per diſtinctionem in indiſſociabilem Trinitatis æternæ.* & lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 8. poſt medium, *Non confuſus cum Patre & Filio Spiritus ſanctus, verum & à Patre diſtinctus, & Filio.* & lib. 2. c. 10. poſt medium, *Dixit Apoſtolus, ex Deo omnia, & per Filium omnia; vt inconfuſibili diſtinctione, quòd alius ſit Pater, alius ſit Filius, doceret.* Nyſſe-

Nyſſenus. nus oratione catechetica, quæ habetur in editione Pariſienſi anno 1573. in c. 1. ad finem ait, *Verbum, eo quòd per ſe conſiſtit, diſtinctum eſt, ac diuiſum ab illo, ex*

Cyrillus. *quo habet, quòd conſiſtit.* Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 8. fine, *Nec Pater, Filius eſt; nec Filius Pater: & hæc ſola diſtinctio in eis eſt.* Fulgentius de Fide ad Petrum c. 1.

Fulgentius. aliquantò poſt principium, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus perſonarum ſunt abinuicem proprietate diſtincti.* Beda in id Ioannis 16. *Si non abiero, Paracletus*, &c. ait, *Oportebat ita inſinuari Trinitatem; vt quamuis nulla eſſet diuerſitas ſubſtantiarum, ſigillatim tamen commendaretur diſtinctio perſonarũ.* Riccard. Victor. 4. de Tri-

Beda. Riccardus Victorinus. nitate c. 20. aliquãto poſt principiũ, docet, quòd perſonæ diuinæ proprietatibus *abinuicem diſtinguuntur.* Eodem modo loquitur lib. 5. c. 1. propè finem & ſequentibus capitibus. Conſentiunt Concilia. Toleta-

Toletanũ I. num primum in aſſertione Fidei, paulò poſt principium, fatetur *Trinitatem perſonis diſtinctam.* Toletanum XI. in Profeſſione Fidei columna 3. circa finem, *Cum dicimus, non ipſum eſſe Patrem, quem Filium, ad perſonarum diſtinctionem refertur.* Et poſt pauca,

Toletanum XI. *Perſonas diſtinguimus, non Deitatem ſeparamus. Trinitatem igitur in perſonarum diſtinctione agnoſcimus.* Lateranenſe

Lateranenſe. ſub Innocentio III. cap. *Damnamus.* de ſumma Trinitate, circa medium. *Vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura.*

DVBITATIO III.

De voce Differentiæ.

SVMMA.

1. *Ad maiorem cautelam non eſſe hoc nomine vtendum in diuinis, num. 14. ad 17.*
2. *Eum tamen qui illo vteretur nulla reprehenſione eſſe dignum, num. 17. ad 21.*

14. *Differentiæ vox non ſatis propriè vſurpatur in diuinis.*

QVinta concluſio. Ad maiorem loquendi cautelam non debemus dicere, Perſonarum differentiam, & Perſonas differre. Si quis tamen ita loqueretur, nulla ſimpliciter reprehenſione dignus eſſet. Prima pars eſt S. Thomæ hic, aliquanto poſt principium Corporis, ita monentis, *Vitare debemus in diuinis nomen Diuerſitatis, & Differentiæ, ne tollatur vnitas eſſentiæ. Vnde ſciabi in aliqua Scriptura authentica, diuerſitas, vel differentia perſonarum inuenitur, ſumitur diuerſitas, vel differentia pro diſtinctione.* Quod in

S. Thomas. Ambroſius. reſponſione ad 2. probat primò authoritate Ambroſij libro 1. de Fide cap. 2. paulò ante medium, *Pater & Filius in Diuinitate vnum ſunt, vbi nec ſubſtantiæ, nec voluntatis vlla eſt differentia. Namque aliter, quomodo vnum Deum dicimus? Diuerſitas plures facit; vnitas poteſtatis, excludit numeri quantitatem.* Vbi Ambroſius, vt patet, loquitur de differentia, & diuerſitate applicata terminis diuinis abſolutis & communibus: nos autem loquimur de differentia applicata terminis diuinis relatiuis, & propriis perſonarum: ſicut enim alietas, ſiue alteritas, quæ rectè tribuitur perſonis, non poteſt tribui Deo, vt ſupra num. 3. & 4. ita non benè deducitur, Differentiæ & diuerſitatis nomina non poſſe dici de perſonis, ex eo quòd non dicantur de Deo. Probat ſecundo ratione, quia, inquit, *Differentia importat diſtinctionem formæ. Eſt autem vna forma in diuinis, vt patet per id quod dicitur Philip. 2. Qui cum in forma Dei eſſet. Et ideo nomen Differentiæ, non propriè competit in diuinis.* Maior huius rationis videtur aperte deduci ex Philoſopho 10. Metaph. t. 12. vbi hoc ponit diſcrimen inter Differentiam & Diuerſitatem, *Diuerſum namque, & illud, à quo diuerſum, non eſt neceſſe, aliquo eſſe diuerſum*, hoc eſt, per aliquid ſui, & non per totum id quod eſt: *Omne etenim quodcumque ſit ens, aut idem aut diuerſum eſt. Differens vero ab aliquo, aliquo differens eſt. Quare neceſſe eſt, aliquid idem eſſe, quo differunt. Hoc verò idem aut genus, aut ſpecies eſt. Omne namque differens, aut genere, aut ſpecie differt.* Si duo, quæ inter ſe propriè differunt, habere debent duas veluti partes, alteram communem in qua conueniant, alteram propriam per quam differant, hæc pars qua differunt, & formaliter conſtituuntur in tali eſſe proprio, habere debet rationem formæ. Rectè igitur initio ſuæ rationis ſumit S. Thomas, *Differentia importat diſtinctionem formæ.* Sed reſponderi facilè poteſt iuxta id quod ipſemet ibidem reſpondet, exponendo oppoſitam Damaſceni authoritatem, dicens, *Vitur Damaſcenus nomine Differentiæ in diuinis perſonis, ſecundum quòd proprietas relatiua ſignificatur per modum formæ.* Enim vero Deus concipitur cum fundamento in re, per paternitatem v.g. formaliter conſtitui in eſſe ac ratione formali Patris; non minus ac Pater concipitur per Deitatem conſtitui formaliter in eſſe ac ratione formali Dei. Hæc igitur ratio non tollit quia Differentiæ nomen minus propriè vſurpari poſſit de diuinis perſonis.

15. *Ratio concluſionis ex Alberto.*

Eamdem primam concluſionis partem tenet Albertus p. p. ſummæ quæſt. 40. membro 1. circa finem dicens, *Quod procul dubio in diuinis Differens non proprie admittitur, ſicut nec Differentia: quia nec per ſubſtantialem differentiam, nec per accidentalem differunt perſonæ. Et ſi inueniatur in authoritate, dicendum quòd per tranſlationem dictum eſt.* Placet ratio, quam ſignificat, nempe, nomine Differentiæ, prout iſta voce vtimur in creaturis, ſignificari differentiam vel ſubſtantialem in natura generica ſeu ſpecifica, vel indiuidualem in natura ſingulari, vel accidentalem in accidentibus indiuiduo ſuperadditis: ita vt in creaturis numquam differentia dicatur de iis, quæ nec in aliquo accidente, nec in aliqua naturæ ratione diſtinguantur, ſed ſolum in perſonalitate. Ergo differen-

differentiæ vox, quæ primò impoſita eſt creaturis, non habuit in ſua prima impoſitione ſignificare diſtinctionem in ſola perſonalitate. Et in hoc ſenſu dicere potuit Albertus, quòd differentia hanc vltimam ſignificationem habuit *per tranſlationem*, ſcilicet à creaturis ad Deum, ſiue ab vna ſignificatione, quam in creaturis prius habebat, ad aliam ſignificationem quam in diuinis poſtea habuit; non autem à propria ſignificatione ad impropriam: quoniam ſi vocis proprietatem ſpectemus, nihil omnino apparet, cur v. g. homo & aſinus, dici propriè poſſint conuenire in genere, differre in ſpecie; vel Petrus & Paulus conuenire in ſpecie, differre in indiuiduo; & Pater & Filius in diuinis, quæ ſunt duæ perſonæ, & vna natura, non poſſint propriè dici conuenire in natura, differre in perſona. Eſt igitur tranſlatio potius per extenſionem proprię ſignificationis ab vna re in aham, quam per mutationem ſignificationis de propria in impropriam. Alioquin apud omnes Patres, vt mox referam in probatione ſecundæ partis, eſt adeò frequens, & abſolutus huius vocis vſus, vt non poſſit rationabiliter dubitari de aliqua eius improprietate; & mirum valdè ſit, de tali vſu dixiſſe Albertum conditionatè, & quaſi dubitando, *ſi inueniatur in authoritate*: cum conſtet, nihil frequentius apud grauiſſimos Authores inueniri.

16. Nicænum. Probari præterea poteſt eadem prima concluſionis pars aliis authoritatibus. Nicænum Concilium lib. 2. §. *Si quidem*, poſt medium ait, *Ecce per omnia Fides vera demonſtrauit, non oportere in ſancta Trinitate differentiam cogitare.* Sed ex antecedentibus, & ſubſequentibus manifeſtum eſt, ſermonem eſſe de differentia in ipſa Deitate. Hilarius lib. 4 de Trinitate

Hilarius. columna 9. initio ait, quòd Deus illis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, quæ dixit Geneſ. 1. *Neque diuerſum à ſe, alienumque, neque differentem eſſe ſignificat.* Vbi etiam ex contextu clarè negatur differentia in vna eademque communi natura, ratione cuius nihil facere poteſt vna perſona, quod non faciant reliquæ duæ. Eodemque modo, cum in libro de Synodis non ſemel docet, Perſonas diuinas *nihil differre*, ſemper addit aliqua, quibus manifeſtum eſt, id dici de perſonis ratione vnius naturæ, non ratione plurium perſonalitatum. Sicut multò poſt medium cum docuiſſet Patrem, Filio dediſſe naturam ſimilem, propriam, æqualem; ſubdit, *Æqualitas nihil differt. Quæ autem nihil differunt, vnum ſunt, non vnione perſonæ, ſed æqualitate naturæ.* Similiter Leo Lepiſtola 93. ad Turibium, Auſte-

Leo I. rienſem Epiſcopum, cap. 1. fine ait, *Catholica fides Trinitatem vnitatis ſic homouſion confitetur, vt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum ſine confuſione indiuiſos, ſine differentia credat æquales, quia vnitatem in Trinitate non ex eadem perſona, ſed eadem implet eſſentia.* Negatur igitur ſolum differentia in eſſentia, in qua omnes perſonæ ſunt vnum, non in perſonalitate; in qua ſunt verè ac propriè Trinitas. Et, vt pro ſe arguit Albertus ſupra in prima quæſtiuncula incidente,

Miſſa de Trinitate. cum Eccleſia in Præfatione Miſſæ de Trinitate cacit, *Quod enim de tua gloria, reuelante te, credimus, hoc de Filio tuo, & hoc de Spiritu ſancto ſine differentia diſcretionis ſentimus*: apertè loquitur de gloria communi Patri, Filio, & Spiritui ſancto, in qua nullam proculdubio differentiam habent. Verè igitur nullam authoritatem inuenire potui, quæ loquendo de perſonis, & ratione perſonalitatum, dicat, eas non

Beda. differre, ſed diſtingui. Solus Beda in Commentario in librum Boëtij de Trinitate columna 13. paulò poſt initium, ſumpto hoc principio iuxta rationem ex Alberto explicatam num. præcedente, *Quæcumque differunt, genere, vel ſpecie, vel numero habent differre*, ita ſubdit, *Dicimus, tres perſonas non differre, ſi propriè differre accipiatur. Non enim differunt genere, vel ſpecie, vel numero, ſi proprietas vocabuli attendatur. Nulla igitur differentia eſt in tribus perſonis.* Cum igitur nonnulli graues Authores hunc loquendi modum minus probent, poſtulat ſanè tanti myſterij reuerentia, & grauitas vt ad maiorem cautelam ab illo abſtineamus; quod in prima parte concluſionis dicebatur.

17. *Differentia vox rutiò vſurpatur in diuinis.* Suarez. Magiſter.

Secunda verò pars, quòd ſcilicet nulla reprehenſione dignus ſit, qui dicit, Perſonarum differentiam, &, Perſonas differre, rectè notatur à Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 13. num. 3. & ſequuti ſunt alij docti recentiores. Habemus etiam ex antiquis Theologis ipſummet Magiſtrum lib. 1. ſententiarum d. 24. litera S. ita loquentem, *Diſtincta ſunt perſonæ proprietatibus, ſiue differentes proprietatibus.* Nullum igitur diſcrimen agnoſcit inter diſtinctum, & differens. Et

Alenſis. Alenſem p. p. quæſt. 40. initio corporis ponentem in tribus perſonis, *vnum & idem eſſe indifferens ex differenti proprietate.* Et paulò poſt, *Differentes proprietates.* Et ad 1. cum docuiſſet, Præter differentiam accidentalem, dari aliam differentiam naturalem ſecundum rationem originis naturæ, ſubiungit, *Hæc differentia poſt differentiam perſonarum in diuino eſſe.* Et in fine, *In diuina natura circa originem ſolam oportet quærere perſonarum differentiam.* Et Bonauenturam 1. d. 8.

Bonauent. parte 2. quæſt. 1. ad vltimum, de diuinis etiam dicentem, *Differt proprietas à proprietate.* Et in fine, *Eſt differentia proprietatum in diuinis.* Si licet abſque addito dicere, proprietates, ſeu perſonalitates, erit etiam licitum abſque addito dicere, Differre perſonas; quia ſatis expreſsè intelligitur de differentia ratione perſonalitatum, ſeu proprietatum. Item ſi bene dicimus cum addito, Perſonas differre proprietatibus, ſeu perſonalitatibus, licebit quoque dicere abſolutè, Perſonas differre: alioqui ſi timetur, ne hoc ſine additione dictum, intelligatur etiam de differentia in natura; idem periculum eſſet dicendo abſolutè, Perſonas diſtinguí: quam tamen loquutionem, vt cautiſſimam omnes recipimus.

18.

Potiſſima probatio ſumitur ex eo quòd omnes ferè Patres frequentiſſimè ita loquantur, nunquam indicantes aliquam ſermonis improprietatem, vel periculum alicuius erroris, aut malæ intelligentiæ.

Iuſtinus. Iuſtinus in expoſitione Fidei, paulò poſt principium, *Quomodo ergo non differat id quod generat, ab eo quod generatur; & quod proceſſit, ab eo, à quo profectum eſt?* Et poſtea ſæpe vtitur diſtinctionis nomine. Rurſus pagina 7. initio, Differendi verbum vſurpat, dicens, *Quemadmodum Filius ex Patre, ſic Spiritus ſanctus; niſi quòd modo conſtandi, & ſtatus differat. Ille enim generandi via prodiit; hic autem non generandi, ſed procedendi ratione profectus eſt.* Citantur etiam alia verba

Origenes. infra n. 28. Origenes homilia 2. in Diuerſos, pagina 2. fine, *Ne quis exiſtimaret, ita in principio Verbum ſubſiſtere, vt nulla ſubſtamiarum*, hoc eſt, hypoſtaſum, Ioan. 1. ſeu perſonarum, *differentia intelligatur ineſſe, continuo ſubiunxit, Et Verbum erat apud Deum, hoc eſt*, inquit, *& Filius ſubſiſtit cum Patre in vnitate eſſentiæ, & ſubſtantiali diſtinctione*; nimirum in hypoſtaſi; non in vſia. Differentiam & Diſtinctionem, tamquam ſynonyma in eadem breui oratione indifferenter vſurpat. Athanaſius verbis adductis ſupra num. 12.

Athanaſius initio. & Dialogo 1. de ſancta Trinitate, aliquantò poſt medium, *Quando tres hypoſtaſes dicimus, Patrem, Filij, & Spiritus ſancti, verè eſſe dicimus proprietatem differentiam in hypoſtaſi, non autem in eſſentia.* Et iterum poſt tres columnas docet, quòd inter Filium, &

Hilarius. Spiritum ſanctum, *Differentia ſit, quòd vnus quidem ex vtero ſit, alter ex ore.* Hilarius etiam, qui præcipuè in oppoſitum affertur, vt ſupra num. 16. lib. 9. de Trinitate inter medium, & finem, loquens de inua-

scibilitate Dei Patris, & natiuitate Filij, ait, *Cum differre significatione ipsa existimetur innascibilitas à natiuitate.* Nazianzenus oratione 3. de Theologia, non longè à principio, de diuinis personis dicit, quòd *numero differant.* Basilius homilia 28. columna 2. Sabellium alloquens ait, *Tu verò ex eo quod dicit*, scilicet Christus Ioannis 13. *Exiui à Patre, & ad ipsum vado, differentiam personarum dicis.* Eamdemque post nonnulla vocat, *personarum alterationem*, quarum scilicet altera non est altera. Nyssenus libro ad Ablabium, *Quòd non tres Dij*, prope finem, *Nos qui diuinam naturam, differentiæ expertem esse confitemur, eam, quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus; per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus.* Et rursus in fine, *Eiusmodi igitur differentiam in sancta Trinitate edentes, vt aliud quidem causam, aliud ex causa esse credamus.* Et libro de Differentia essentiæ, & hypostaseos, initio reprehendit Arianos, quòd *propter differentiam hypostaseon, præscriptionem quoque essentiarum introducant.* Et pagina 4. fine loquens de personis diuinis, ait, *Quædam ineffabilis in his deprehenditur tum societas, tum distinctio, atque discrimen; tum nec differentia hypostaseon, continuitatem naturæ diuellat; nec communio, quæ circa essentiam consideratur, proprietatem insignium tollat, & confundat.* Et oratione Catechetica cap. 1. initio scribit etiam, *personarum differentiam.*

19. Præterea Chrysostomus homilia 74. in Ioannem in illud capitis 14. *Alium paracletum dabit*, &c. ait, *Dicendo, alium, Personæ differentiam; dicendo, Paracletum, substantiæ cognationem demonstrat.* Et homilia 77. circa medium, in illud capitis 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, docet, quòd Christus his verbis, *Personarum differentiam ostendit.* Frequentius eadem voce vtitur Cyrillus. Nam lib. 1. cap. 8. fine ait, *Pater in Filio est, & Filius in Patre, non tamen vt idem numero: Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est, Hæc enim solum differentia inter ipsos est. Nam nec Pater Filius est, nec Filius Pater: & hæc sola distinctio in eis est.* Idem igitur apud Cyrillum differentia est, quod distinctio. Et lib. 2. cap. 1. paulò post principium, *Differentia quædam inter Patrem & Filium inuenitur, quoniam alius est Pater, alius est Filius.* Et sequenti cap. 3. aliquantò post principium, *simplex natura Deitatis numquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, per quam vtriusque personæ in propria hypostasi constituitur.* Vbi etiam promiscuè modò dicit, *distingueretur*; modo dicit, *differentia.* & lib. 7. cap. 1. ante medium, impugnat hæreticos, quòd *propter differentiam personarum, substantiarum quoque differentiam inducunt.* Et lib. 12. cap. 15. multò post medium. *Nulla differentia est inter Patrem & Filium, nisi sola personalis, quia hic Pater est, ille Filius.* Et Dialogorum de Trinitate lib. 1. inter medium & finem, quam vocat, *personarum distinctionem*, paulò post nominat, *differentiam.* Theodoretus epitome diuinorum Decretorum, cap. 2. de Filio, columna 2. fine, exponens illud Ioannis 1. *Hoc erat in principio apud Deum*, ait, *Per nominis quidem communionem, eum esse eiusdem substantiæ ostendit: eo autem quòd dixit, Deum apud Deum, personarum differentiam declarauit.* Et columna 3. circa finem, *Character substantiæ*, quo modo Hebræorum 1. vocatur Filius Dei, *& perfectam similitudinem ostendit, & personarum docet differentiam.* Damascenus quem solum pro hoc loquendi modo adduxit S. Thomas hîc ad 2. lib. 1. Fidei, cap. 10. ante medium, *Generationis, & processionis differentiam esse didicimus: at quis differentiæ modus, nequaquam.* Et cap. 11. paulò ante medium, *Vnum agnoscimus Deum, in solis proprietatibus differentiam intelligimus.* Et lib. 3. c. 5. initio, *Differentiam hypostaseon in solis tribus proprietatibus agnoscimus.* Et cap. 6. circa principium, *Numero, & non natura differre dicuntur hypostases.* Quod paulò post iterum reperit.

Nazianzen. Basilius. Nyssenus. Theodoretus exponens locum Ioan. 1. & ad Hebr. 1. Damascen. Chrysostomus exponens Iacum Ioannis 14. & 16. Cyrillus.

20. Multò frequentiùs eamdem vocem legimus apud Riccardum Victorinum. Nam lib. 4. de Trinitate cap. 15. post principium, docet, diuinas personas, *iuxta modum originis, aliquam differentiam habere. Nam vbi nulla differentia est, nulla omnino pluralitas esse potest. Pluralitas itaque personarum consistit, quòd in illa Trinitate, discretiua proprietas, proprietatumque differentia deesse non possit.* & post medium, *Fluxus in Diuinitate personæ, quamuis habeant vnum, & idem, & per omnia indifferens esse, quod pertinet ad identitatem substantiæ; possint tamen secundum originalem causam, mutuam differentiam habere.* Et in fine, *In diuina natura circa originem solam, oportet quærere personarum differentiam.* Et cap. 17. fine, *In Trinitate, eadem est differentia personarum, & existentiarum. Proprietatibus differunt personæ.* Idemque repetit cap. 18. & 19. circa finem. & cap. 20. semel vtitur verbo distinguendi, & ter verbo differendi: quod etiam legitur lib. 5. cap. 1. & sæpe alibi. Item Gregorius Bœticus lib. de Trinitate columna 23. initio, & habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum pagina 1295. ait, *Hoc sole differens à Patre Filius, quòd ille Pater est, & hic Filius.* Anastasius Sinayta libro 1. de rectis Fidei dogmatibus, columna 7. circa finem in tomo 1. Bibliothecæ veterum Patrum, pagina 361. *Ab ingenito differt genitum esse.* Et columna 9. aliquanto ante medium, *Circa personas, differentia, non circa essentiam attenditur.* Anastasius Theopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus in Compendiaria Fidei explicatione paulò post principium, in tomo 4. citato ita docent, *Differt Filius à Patre, hypostasi. Spiritus sanctus differt à Patre & Filio, hypostasi.* Hugo Ætherianus lib. 3. de Hæresibus, quas in Latinos Græci deuoluunt, cap. 2. sæpe dicit, *Tres personas propria differre ab inuicem differentia.* Euthymius in illud Ioannis 14. *Alium paracletum dabit*, &c. ait, *Dicens, Alium, ostendit personarum differentiam.* Denique in Concilio Florentino sess. 18. §. *Diuina substantia.* Ioannes Theologus ita loquitur, *Vt personæ differant inter se, necesse est vt hypostaticæ proprietates, incommunicabiles sint.* & §. *Dixi equidem*, ante medium, *Relationes personas multiplicant, ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis, Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant.* Et sess. 19. paulò ante finem, dicuntur *tres personæ re inuicem differentes.* Et paulò post, *Per suas proprietates re inter se differrant.* In tanto igitur, tamquam graui consensu omnium ferè Patrum ita absolutè loquentium, nulla sermonis improprietas, nullum errandi periculum timeri probabiliter potest.

Riccardus Victorinus. Gregorius Bœticus. Anastasius Sinayta. Anastasius Theopolit. & Cyrillus Alexandrin. Hugo Ætherianus. Euthymius. Florentinū.

DVBITATIO IV.

De vocibus Discriminis, *&* Diuersitatis.

SVMMA.

1 *Idem dicendum de discrimine, quod dictum est de differentia, num. 21.*
2 *Nomen diuersitatis non vsurpandum in diuinis, n. 22. ad 25.*
3 *Quamuis aliquo modo vsurpari possit, n. 25.*

21. SExta conclusio. Quod in præcedenti dubio dictum est de nomine differentiæ, debet pariter intelligi de nomine discriminis: quoniam apud Latinos idem prorsus valet discrimen, quod differentia: tametsi in huius mysterij explicatione multò magis vsitatum inueniam nomen differentiæ, quam discriminis. Verum Nyssenus libro de differentia essentiæ, & hypostaseos, pagina 3. circa principium vocat, *in confusum Trinitatis discrimen.* & pagina 4. initio, *Cum vnaquæque personarum propriis insignibus discriminatim comprehendatur, & intelligatur.* Et in fine eiusdem paginæ, ait, quòd inter diuinas personas est *distinctio, atque discrimen.* Et pagina 5. initio in diuinis ponit, *tum discrimen coniunctum, tum discretam coniunctionem.* Item Basilius epistola 43. columna 4. initio, *Si vnaquæque personarum, quæ nobis in fide traduntur, propriis notionibus discriminatim agnoscatur.* Præterea S. Isidorus Pelusiota libro 2. epistola 143. aliquantò ante finem, reprehendit Gentiles, & Arium, & Eunomium, *qui personarum discrimen, ad essentiam stultè, atque absurdè traxerint.* Et lib. 3. epistola 12. initio, *Quæ in Scripturis sacris supra singularem numerum enunciata sunt, personarum discrimen exprimant.* Quas quidem Græcorum Patrum autoritates, sicut & quas suprà adduxi, quas per infra afferam, semper affero iuxtavulgatas versiones Latinas: non ignarus in Græcis interdum eamdem esse vocem διαφορὰν, quam vel Diuersitatem, vel Differentiam, vel Discrimen reddiderunt Interpretes: interdum etiam Græcas voces alia ratione vsurpari à Græcæ linguæ peritis.

Basilius. Isidorus Peluſiota.

22. Septima conclusio. Multò minus cautum, ac tutum est dicere, absolutè, Personas diuinas, inter se esse diuersas, & diuersitatem habere; quam esse differentes, & habere differentiam. Quamobrem non possumus simpliciter absque aliquo vitio, ac reprehensione illo modo loqui. Est S. Thomæ hic in corpore; & ad 1. Et Magister 1. d. 24. qui litera G. differentiam admittit, diuersitatem expresse excludit, dicens in litera E. *Cum dicimus tres personas, nomine ternarij non significamus aliquam diuersitatem*: & benè probat verbis Augustini, de quibus infrà. Et iterum litera H. *Congruè dicitur ibi esse discretio, vel distinctio; non diuersitas, vel diuisio, siue separatio.* Sequuntur Albertus p. p. summæ quæst. 40. membro 1. ad secundam quæstionem incidentem. & ad 2. vbi tamen innuere videtur oppositum. Bonauentura 1. d. 19. parte 1. art. 1. quæst. 1. vltimis verbis, *Non est in suppositis, propriè loquendo, diuersitas, sed distinctio.* & alij communiter.

Nomen diuersitatis nō vsurpandum in diuinis. S. Thomas. Magister. Albertus. Bonauent.

23. Conclusio maximè nititur authoritate Patrum, qui modum hunc loquendi reiiciunt. Tertullianus libro contra Praxeam cap. 9. initio, cum dixisset, *Alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum*, subiungit, *Malè accepit idiotes quisque, aut peruersus hoc dictum, quasi diuersitatem sonet, & ex diuersitate separationem protendat Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et post pauca, *Non diuersitate alium, Filium à Patre, sed distributione: nec dissensione alium, sed distinctione.* Origenes lib. 3. in epistolam ad Romanos non multò ante finem, *Fidere dicimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui nihil diuersum, nil discrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur.* Epiphanius hæresi 69. in medio, *Nihil est in Patre diuersum à Filio, neque in Filio diuersum à Spiritu.* & multo ante finem, in pagina 35. initio, Patrem, & Filium vocat, *duo perfecta, sed non inter se diuersa.* Et hæresi 76. pagina 5. initio, *Qui dicit, Qui vidit me, vidit Patrem, non potest diuersus esse, qui per seipsum, Patrem significat.* Et post pauca verba, expendens illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, ait, *Æqualitatem Patris in Filio ostendit, & similitudinem; & non hoc solum, sed etiam identitatem in omnibus, & in nullo diuersitatem.* Et paulò post dicit, *Filium non alienum à Patre, neque diuersum.* Et pagina 26. initio, *Nihil diuersum circa Trinitatem intelligere est.* Ambrosius verbis citatis suprà num. 14. cum dicit, *Diuersitas plures facit*, intelligit plures Deos. Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. aliquanto ante finem, docet, quòd fidelis mens *timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate vlla diuersitas.* Quoniam verò certa erat ex Scripturis, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, esse quædam tria, subiungit, *Quæsiuit quid tria diceret; & dicit, Substantias siue personas. Quibus nominibus non diuersitatem intelligi voluit sed singularitatem noluit.* & cap. 6. aliquanto post medium, loquens de vna diuina persona respectu alterius, ait, *Non existimet, aliud alio vel maius, vel melius, vel aliqua ex parte diuersum.* Fulgentius suprà num. 12. *Pater alterum genuit, non diuersum.* Leo I. sermone 2. de Pentecoste cap. 2. initio, *Cum ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti, ex mentis intendimus; nihil diuersum ab excellentia Patris & Filij cogitemus.* Lactantius diuinarum institutionum lib. 4. de vera Sapientia cap. 29. initio, *Cum dicimus, Deum Patrem, & Deum Filium, non diuersum dicimus.*

Tertullian. Origenes. Epiphanius. Ambrosius. Augustinus. Fulgent. Leo I. Lactantius.

24. Addi quoque potest ratio ducta ex communi significatione, quam omnes percipimus audita voce diuersitatis. Neque enim apprehendimus solam simplicem distinctionem, seu differentiam, sed maiorem quamdam separationem ac dissimilitudinem in ipsa natura, siue in naturalibus, & ideo dixit hic S. Thomas ad 1. *Diuersitas requirit distinctionem substantiæ, quæ est essentia.* Nam, vt docet Albertus p. parte summæ q. 40. membro 1. ad 2. quæstionem incidentem, *Diuersum dicitur, quasi in duo versum, vel non idem cum eo; à quo diuersum dicitur: & ideo diuersum indicat naturam. Ideo Hilarius, etiam hoc, si propriè accipiatur, à diuina excludit prædicatione.* Nimirum loco, & verbis citatis suprà num. 16. quæ non attuli, sicut nec multa alia Patrum dicta, excludentia diuersitatem à diuinis, quia minus vrgent, cum apertè loquantur de essentialibus, & absolutis Dei perfectionibus, in quibus personæ nullam prorsus habent diuersitatem, aut etiam distinctionem. Hîc verò probare intendimus, ne de ipsis quidem personis inter se comparatis, de quibus distinctionem, & differentiam etiam simpliciter prædicamus, posse prædicari simpliciter diuersitatem. Confirmatur ex discrimine tradito à Philosopho suprà num. 14. inter Diuersum & Differens. Diuersa enim sunt quæ se totis, & totaliter discrepant, ita vt in nullo conueniant, sicut discrepant, v. g. Substantia & Accidens, & ipsa Prædicamentorum genera generalissima, quæ communiter dici solent primò diuersa. Differunt verò quæ partim discrepant, partim conueniunt. Ergo diuinis personis, de quibus in Scriptura dicitur simpliciter & absolutè, *Ego & Pater vnum sumus*, Ioannis 10. *& hi tres vnum sunt*, 1. Ioannis 5. omnino repugnat diuersitas, quæ omnem vnitatem excludit: non repugnat autem differentia, quia personæ cum vnitate naturæ, quæ est simpliciter & absolutè vnitas, veram ac realem inter se distinctionem habent, in personalitatibus. Quæ distinctio & vnitas sufficiunt ad proprium differentiæ conceptum constituendum.

S. Thomas. Albertus. Aug ustinus.

25. Octaua conclusio Diuersum, & diuersitas, diuinis personis tribui tutò ac licitè possunt, si simul eisdem tribuantur aliqua, quibus explicetur earum vnitas, siue identitas in natura: tunc enim ratione adiuncti, illarum vocum significatio limitatur, vt non importent, nec intelligantur importare distinctionem etiam in natura, sed tantum in persona. In hoc sensu accipio nonnullos Theologos, præsertim recentiores, qui nullum vitium in his vocibus esse contendunt: & cum Patribus superius adductis contra istas voces, Concilio nonnullos alios Patres, qui illis vocibus vtuntur; sed verò non nisi in sensu huius conclusionis. Vnde Augustinus, qui præcipuè refertur in contrarium vt supra, tamen lib. 5. de Trinitate cap. 5. fine ait, *Quamuis diuersum sit, Patrem esse,*

Quo modo diuersitas in diuinis dici possit.

DVBITATIO V.

De aliis vocibus distinctionem significantibus.

SVMMA.

1 *An de diuinis personis dici possit diuisio, num.* 26. *ad* 30.
2 *Quid dicendum de nomine discretionis, num.* 30. *&* 31.
3 *Quid de Alieno, & discrepante, num.* 32.
4 *Quid de Extraneo, & aliis Nominibus, num.* 33.

NOna conclusio. Quod in 7. & 8. conclusione diximus de nomine Diuersitatis, idem dicendum de nomine Diuisionis, nempe, Non esse absque vllo addito absolutè concedendum, Personas diuinas inter se diuisas, seu separatas esse, vel diuidi; seu separari, vel diuisionem, seu separationem habere. Posse verò nos ita loqui si simul in eadem oratione asseramus vnitatem, & identitatem naturæ. Iuxta primam conclusionis partem accipio S. Thomam hîc in corpore dicentem, *Ne tollatur simplicitas diuinæ essentiæ, vitandum est nomen separationis, & diuisionis, quæ est totius in partes.* Idemque docet Magister lib. 1. sententiarum d. 24. litera H. illis verbis, *Congruè dicitur ibi esse discretio, vel distinctio, non diuersitas, vel diuisio, siue separatio.* Et sequuntur Scholastici omnes, quia separatio, & diuisio tollunt duorum non solum vnitatem, sed etiam vnionem: neque enim rectè dixeris, Animam Christi nunc esse separatam, vel diuisam ab eius corpore, quia nunc cum illo habet vnionem; tametsi anima, etiam vnita corpori, propriè dicatur, distincta realiter à corpore. Sed tres diuinæ personæ sunt non solum vnitæ, sed etiam multò magis propriè sunt simpliciter, & absolutè vnum: quamuis enim frequentissimè Patres Græci eas vocent vnitas, imò etiam coniunctas, vt notaui suprà quæst. 30. art. 2. num. 7. tamen apud Latinos his vocibus, quibus compositionem, diuinę simplicitati contradicentem, expresè significamus, abstinendum est, docente Hilario lib. 5. de Trinitate columna 2. Patrem & Filium esse *Deum vnum, non per vnionem.* Et Beda in commentario in librum Boëtij de Trinitate multò post medium, *Tres personæ dicuntur vnus Deus. Non vnus ab vnione; non enim Deus vnit plura, quæ eo participant; non enim tres personæ sunt vnus Deus participatione, sed vnius identitate essentiæ, vel substantiæ.* Et Bernardo lib. 5. de Consideratione in medio, *Vnum quippe est, non vnitum. Non partibus constat,* &c. Et demum ipsa Scriptura Ioannis 10. & 1. Ioannis 5. dicente, eas esse *Vnum.* Ergo inconueniens omnino est dicere, eas esse diuisas vel separatas inter se.

26. *Diuisionem simpliciter nõ dici in diuinis.*

S. Thomas.

Magister.

An tres diuinæ personæ dici possint vnita.

Hilarius.

Beda.

Bernard.

Pro eadem prima conclusionis parte in Concilio Nicæno lib. 2. §. *Audi iam.* fine dicitur; *inseparabilis, indiuisa Trinitas, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Præterea Tertullianus suprà num. 23. inter diuinas personas separationem ac diuisionem apertè negat. & Basilius homilia 28. contra Sabellianos columna 3. ante medium ait, *Ex Patre Filius non separatus à Patre.* Anastasius Sinayta mox referendus, cum diuisionem in Trinitate posuisset, ita se explicat, *Neque enim ea diuisio, alteratio est, & separatio.* Fulgentius libro de Fide ad Donatum pagina 6. *In illa Trinitatis natura sit totum vnum est, vt nihil possit ibi separari, vel diuidi.* Quibus verè non contrariantur multi alij Patres, separationem ac diuisionem diuinis personis tribuentes; quia loquuntur in alio sensu secundæ partis conclusionis, quam probant. Et ratio illius est, quia cum ex adiunctis expresè constat de identitate, siue vnitate communis naturæ, separationis

27. Nicænum.

Tertullian.

Basilius.

Anastasius Synaita.

Fulgentius.

esse. & Filium esse, non est tamen diuersa substantia. Simili ter Hieronymus in illud Isaiæ 6. *Et audiui*, ait, *In Euangelio legimus dicentem Dominum, Ego & Pater vnum sumus: & Vnum, ad naturam referimus; sumus, ad personarum diuersitatem.* Hanc igitur coniungit cum vnitate naturæ. Item Cyrillus lib. 7. Thesauri cap. 1. cum immediate, antea non semel docuisset, Personas diuinas nullam in natura differentiam habere, post medium ita subdit, *Solæ diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur. Relationes autem consubstantialium diuersæ, nominaque ipsarum relationum diuersa, non possunt naturalem coniunctionem dolere. Quare necesse est, vt eiusdem substantiæ cum Patre Filius sit.* Et Isidorus Differentiarum lib. 1. Differentia 2. initio, Trinitatem & Vnitatem simul explicat, & ideo de Trinitate ait, *Trinitas propter personarum diuersitatem vocatur.* Sed immediatè subiũgit, *In personis vero discretio est; in Diuinitate, nulla distinctio.* Boëtius quoque lib. 2. de Trinitate circa finem dicit quidem, *At Trinitatem, personarum diuersitas facit,* sed antea, vnitatis naturæ meminerat dicens, *Sed Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit Vnitas vero in substantiæ simplicitate. Quòd si personæ diuisæ sunt, substantia verò indiuisa sit necesse est.* Eamdem coniunctionem habet Damascenus libro de duabus Christi voluntatibus, multò post principium, *In Patre, Filio, & Spiritu sancto, quoniam diuersa est vniuscuiusque persona, nec separatim, aut distinctè, quasi discreta vnaquæque vult, & agit, sed coniunctè; non tres, sed vnus est Deus.* Item Anselmus in Monologio cap. 43. initio, dicit quidem, *Sic diuersi sunt, per hoc, quòd alter est Pater, & alter Filius, vt numquam dicatur aut Pater Filius, aut Filius Pater:* sed immediatè addit identitatem, subdens, *Et sic idem sunt per substantiam, vt semper sit in Patre essentia Filij, & in Filio essentia Patris. Eſ enim non diuersa, sed eadem; non plures, sed vna vtriusque essentia.* Et epistola de Spiritu sancto cap. 4. post medium, dicuntur quidem, *Filius & Spiritus sanctus diuersi*; sed & antea tribuitur illis, *vnitas Deitatis*; & postea dicitur, *Pater vnus Deus est cum Filio, aut cum Spiritu sancto.* Et cap. 18. circa finem, explicata vnitate illis verbis, *In Deo quamuis tres personæ sint, vnus tamen est Deus: & licet sit vnus Deus, nequaquam tamen personæ pluralitatem amittunt*; diuersitatem inducit, ita subiungens, *In hoc itaque, quòd relatiuè Deus ad Deum dicitur, sicut plures homines, personarum admittit pluralitatem, & diuersitatem.* Basilius etiam in tractatu de vera Fide, multò post medium, quamuis dicat, *In Spiritu sancto sua quædam à duobus diuersa proprietas*; tamen statim vocat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; *Trinitatem consubstantialem.* Quamquam si non personis in concreto, sed personalitatibus in abstracto, seu proprietatibus, vt ratione præcisis à Deitate, diuersitas tribuatur, vt tribuit Basilius, nullum esse potest loquendi vitium; quoniam vna personalitas se tota differt ab alia; quòd propriè est esse diuersum; quæcumque tandem sit illa entis ratio, quæ diuersa dicitur. Sic etiam Cyrillus Dialogorum de Trinitate lib. 7. multò ante medium de abstracta subsistentiæ ratione dicit, *Iam quodammodo manifestum, quòd secundum propriam subsistentiam diuersum quiddam Pater, & quiddam Filius, & quiddam Spiritus à nobis cognoscitur.* Nullus igitur grauis author affertur, qui diuinis personis in concreto diuersitatem ita tribuat, vt vel in antecedentibus, vel in consequentibus, vnitatem naturæ non exprimat. Qua expressione constat tam ex parte loquentis, quam ex parte audientium, diuersitatis nomen non esse dictum de natura, sed de solis personalitatibus.

Hieronym.

Cyrillus.

Isidorus.

Boëtius.

Damascen.

Anselmus.

Basilius.

Cyrillus.

tionis ac diuisionis nomina limitantur ad significandam solam distinctionem in personalitatibus.

28. *Quo modo diuisio diuinis tribui possit.*

Probatur igitur hæc secunda pars conclusionis ex communi modo loquendi Patrum. Iacobus Frater Domini, in sua Liturgia circa principium, de Trinitate ait, *Quæ sine diuisione diuiditur; Trinitas enim vnus Deus.* S. Martialis, seu quisquis alius est author, epistola 1. ad Burdegalenses cap. 10. fine, *Hæc*, inquit, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus, *in personis tria diuisa, in Diuinitate vnus Deus indiuisus.* Author etiam quæstionum ad orthodoxos, quæ Iustino tribuuntur, in eiusque operibus extant, q. 17. initio, *Diuinarum hypostaseon id quod essentiæ est, vnum est, quod dirimi nõ potest; quod autem earum est proprium, diuidi potest.* Et ideo in fine vtitur nomine distinctionis, dicens, *Tres personæ sunt, hypostaseon distinctione.* Et quæst. 129. fine, cum docuisset non esse diuisionem in essentia Trinitatis, subdit, *Differentia vero & distinctio est in sanctæ Trinitate ex modis, quibus persona existunt.* Nazianzenus oratione in sancta Lumina, ante medium, loquens de Deo trino & vno, habet hæc verba, quæ vsurpat etiam Ioannes Papa I. epistola ad Senatores de duabus naturis aduersùs Eutychianistas, ante medium, & habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum. *Diuiditur indiuisibiliter, vt ita dicam, & coniungitur diuisibiliter. Vnum enim in tribus Deitas, & tria in quibus est Deitas vel, vt exactius loquar, quæ est Deitas.* Et oratione in Laudem Heronis, non longè à fine, *Nunc vero satis habe docere, Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate adorandam, cuius & diuisio, & coniunctio, plenè admirabilis sit.* & oratione ad 150. Episcopos aliquanto post medium, de tribus diuinis personis probat, *Tria esse quæ diuidantur, non naturis, sed proprietatibus.* Athanasius de vnita Deitate lib. 2. paulò ante finem, loquens de Trinitate ait, *Planè diuisa est in nominibus tantum personarum. In Deitate autem indiuisa est.* Nyssenus libro de Differentia essentiæ, & hypostaseos pagina 4. initio, dicit quidem, *vt separatio hypostaseon deprehendatur*; tamen paulò ante dixerat, hanc separationem esse *in essentiæ communione*: hoc est, cum vna communi essentia; & paulò post ait, *In Patre, & Filio, & Spiritu sancto quædam continua, & quæ diuelli non possit societas, atque communio consideretur.* & in fine eiusdem paginæ, vnitatem & separationem simul ponit, dicens, *Ne mireris, si idem & coniunctum, & separatum, atque discretum dicimus: & quoddam quasi per ænigma, excogitamus nouum, & à communi sensu, & opinione abhorrens, tum discrimen coniunctum, tum discretam coniunctionem.* Basilius homilia 28. contra Sabellianos, columna 2. initio ita docet *diuidi personas*, vt simul in iis esse dicat *indifferentem per omnia Diuinitatem.* Rursus columna 3. initio, admittit *personarum diuisionem*: sed statim addit, *Licet enim duo numero sint Pater & Filius, natura tamen diuisi non sunt: neque qui duas personas dicit, statim abalienationem inducit.* Et epistola 43. columna 4. initio ait, *Vt per dicta iam indicia, separatio ac differentia personarum inueniatur.* Sed in antecedentibus, & subsequentibus ponit identitatem naturæ. Sexta Synodus actione 11. in epistola Sophronij circa principium Professionis fidei, cum dixisset, Trinitatem esse *absque personali confusione; & absque substantiali diuisione*, paulò post de eadem Trinitate subdit, *Hæc quidem indiuisibilem habet diuisionem, & inconfusam gerit coniunctionem.* Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis Fidei dogmatibus in medio, celebrat *Vnitatem in Trinitate, & in Vnitate Trinitatem, admirabili prorsus vnione, simul & diuisione subsistentem.* Iustinianus Imperator in edicto Fidei, initio dicit, *Mirabilem diuisionem, & vnitatem*, & post pauca, *Diuiditur sine diuisione.* Boëtius suprà n. 25. *Personæ diuisæ sunt substantia indiuisa.*

Iacobus Apostolus.

S. Martialis.

Iustinus.

Nazianzen.

Ioannes Papa I.

Athanasius.

Nyssenus.

Basilius.

Sophronius.

Anastasius Sinayta.

Iustinianus Imperator. Boëtius.

Dices, Vnum apud Philosophos, & Peripateticos omnes, propriè dicitur indiuisum. Ergo multa, seu plura, quæ vni opponuntur, dici proprie debent diuisa. Sed in Deo non solum est vnitas naturæ, ac proinde propriè indiuisio, sed etiam pluralitas personarum. Ergo est etiam propriè diuisio personarum.

29. *Obiectio dicta ex definitione Vnitas.*

Respondeo, distinguendo primum consequens; ea quæ ita sunt plura, vt non sint etiam vnum, dici propriè possunt diuisa simpliciter; quod vniuersaliter in omnibus creaturis reperitur. Quæ verò ita sunt plura, vt simul etiam sint vnum simplicissimum absque vlla diuisione & distinctione, sicut sunt plures personæ diuinæ, non possunt propriè dici diuisa simpliciter. Quam solutionem acutè tangit S. Thomas 1. d. 24. quæst. 2. art. 1. ad 2. dicens, *quod vbi est numerus simpliciter, ibi est diuisio vel per essentiam, vel per quantitatem; sed talis numerus non est in diuinis, sed numerus quidam*, hoc est, qui ita est numerus, vt simul etiam sit simplicissima vnitas. Quamobrem à Patribus dici solet numerus sine numero, vt suprà quæst. 30. art. 2. num. 7. & art. 3. n. 3. Igitur quamuis in diuinis tam sit Vnitas in Trinitate, quàm Trinitas in Vnitate, tamen propter hoc ipsum Vnitas dici potest non diuisa, & non potest à contrario dici Trinitas diuisa; quia cum hæc diuina Vnitas sit in tali Trinitate, quæ est vnus simplicissimus Deus, & consequenter in Trinitate non habent diuisionem propriè dictam, esse necessariò debet Vnitas non diuisa.

Respondetur cum S. Thom.

Decima conclusio. Idem ferè videtur dicendum de nomine discretionis, quod dictum est de nomine diuisionis. Dixi, *ferè*, quia apud graues Authores, ex quorum loquentium authoritate, tota ista quæstio de nominum vsu maximè pendet, multò minus reiectum inuenio nomen discretionis, quam diuisionis. Etenim Magister lib. 1. sententiarum d. 24. cum litera G. docuisset, quod benè dicimus, *Personæ distinctæ, vel distinctio est in personis*, addit in litera H. *Ita & cum dicuntur discretæ personæ, vel cum dicitur discretio in personis esse eamdem intelligentiam facimus. Eodem enim modo ibi accipitur distinctio, quo discretio: & congruè dicitur ibi esse discretio, vel distinctio; non diuersitas, vel diuisio.* Et S. Thomas in hoc articulo reiicit diuisionem, nihil dicens de discretione. Imò 1. d. 24. quæst. 2. art. 1. circa finem corporis docet, quòd *Ecclesia contra Sabellium ponit quòd pluralitas suppositorum, non est tantum rationis, sed etiam rei, quia sunt tres res; & ideo*, inquit, *prædicat discretionem* Et deinde ad 6. respondet, *quòd discretio non saluatur in diuinis quantum ad rationem quantitatis.* Secundum quam diuiditur quantitas in continuam, & discretam; *sed solum quantum ad rationem ordinis.* Eamdem vocem recipiunt Albertus p. p. summæ quæst. 40. membro 1. ad secundam quæstionem incidentem, *Discretum*, inquit, *à diuina prædicatione non remouetur, quia in illa magis propriè conuenit: discretum enim est, quod discernitur; discernitur autem, quod distinctum est, & ab aliis in suis proprijs cernitur.* Bonauentura 1. d. 8. p. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2. vbi cum concessisset in diuinis quamdam diuersitatem venientem ex sola origine, subiungit, *hæc non propriè dicitur diuersitas, sed distinctio, & discretio.* Docet igitur discretionem de diuinis personis ita propriè dici, sicut dicitur distinctio; quod apertè docet Magister supra.

30. *Quid dicendum de nomine discretionis.*

Magister.

S. Thomas.

Albertus.

Bonauent.

Præterea plures Patres eamdem vocem vsurpant, vt in superioribus Nyssenus num. 8. dicit, *Discerni alterum ab altero.* & num. 21. *discretam coniunctionem.* Riccardus num. 20 *discretiua proprietas.* In Concilio etiam Lateranensi capite *Firmiter.* de summa Trinitate non longè à principio dicitur, *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundũ*

31. Nyssenus.

Riccardus Victorinus. Lateranense.

personales

Toletanum VI.

Basilius.

S.Martialis, Sixtus I.

Lactantius.

Missa de Trinitate.

Albertus.

32. *Alienum, & Discrepans, non vsurpanda in diuinis.*

Epiphanius.

Basilius.

Nicænum.

Nazianzen.

Cyrillus.

33. S.Thomas.

Quid de extraneo, & aliis nominibus.

Origenes.

Augustinus.

personales proprietates discreta. Et Toletanum VI.c.1. circa principium, *Credimus*, inquit, *Trinitatem discretam inseperabiliter, indiscretam essentialiter substantia Deitatis.* Basilius epistola 43.columna 4.circa finem, *Ineffabilis quædam in istis tam communio, quam discretio deprehenditur*: & ideo eam statim vocat, *coniunctam discretionem, & discretam coniunctionem.* Isidorus Differentiarum lib.1.cap.2.initio, *In personis discretio est, in Diuinitate nulla distinctio.* Neque contrariantur aliqui Patres discretionem negantes, quia intelligunt quod semper explicant, de discretione in natura. Ita S.Martialis suprà num.28. *Nihil discretum in Diuinitate Trinitatis sentiatis.* Et Sixtus I.epistola 1.paulò post initium, cum docuisset, esse credendum, *Vnum verum Deum Patrem & Filium*, statim subdit, *A quibus etiam Spiritum sanctum credimus non esse discretum.* nimirum in ratione vnius veri Dei. Lactantius Diuinarum institutionum lib.4. cap.29. initio, *Deum Patrem, Deum Filium, non diuersum dicimus, nec vtrumque secernimus*: quoniam scilicet vt statim se explicat, *vna vtrique mens, vnus Spiritus, vna substantia est.* Denique Ecclesia in Præfatione Missæ de Trinitate, dicit quidem *sine differentia discretionis*, tamen intelligit de gloria, ac Maiestate æquè communi omnibus personis, vt dixi suprà num.16.& notauit Albertus loco citato dicens, *Non intendit*, nempe Ecclesia, *quòd persona sint sine personali discretione inter se, sed quòd nulla sit discretio inter personas, & gloriam maiestatis diuinæ.*

Vndecima conclusio. In diuinis omnino *vitandum est nomen Alieni, & Discrepantis.* Ita S.Thomas hic in corpore, & ad 3.& 1.d.24. quæst.2.art.1.circa medium corporis, & ad 3.Albertus supra, & alij omnes. Nullus enim Pater, aut alius grauis Theologus, quem sciam, his vocibus vtitur. Immo multi expressè reiiciunt, vt in superioribus Epiphanius num.23. *Filium non alienum a Patre.* & hæresi 69. pagina 8. ante medium, *Quandoquidem non alienus est Filius à Patre, sed ex ipso genitus, etiam non alienus est Spiritus sanctus.* Basilius num.28. *Neque qui duas personas dicit; abalienationem inducit.* & antea in columna 2. eiusdem homiliæ 28.circa principium, *Alienum Genitor non genuit, sed talem, qualis ipse est.* Præterea Nicænum Concilium lib.2.§.*Cum sit copiosa*, fine ait, *Verbum, & sanctum eius Spiritum audet aliquis alienum assimare.* Nazianzenus oratione de dogmate, & constitutione Episcop. aliquanto ante medium, *Nequaquam Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum in tria, præter naturam existentia, & aliena diuidentes, ne cum Ario deliremus.* Cyrillus lib.9. in Ioannem cap.44.circa medium *Pater Filij Spiritum, non vt alienum, sed vt proprium largitur.* Et iterum paulò ante finem, de eodem Spiritu sancto loquens, *Non igitur vt alienus inde ad nos venit, sed vt Patri, ac Filio consubstantialis.*

Ratio S.Thomæ hîc ad 3. quia *alienum est, quod est extraneum ac dissimile.* Quamobrem, vt magis explicat loco citato sententiarum ad 3. *Alienus sonat in extraneitatem naturæ.* Nulla autem diuinarum personarum est extra naturam alterius. Quare ex eo quòd Filius v.g. sit alius à Patre, non sequitur, ergo est alienus à Patre: quia, inquit S.Thomas, *denominatur alienum ab alieneitate naturæ, non ab alietate suppositi.* Atque eadem est ratio de aliis eiusmodi nominibus importantibus propriè diuersitatem & inæqualitatem naturæ; vt de extraneo, de quo Origenes suprà num.23. docens, fidelem esse, eum, *qui nil discrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur*: & de dissimili, inæquali, dispari, distantia; de quibus Augustinus lib.7. de Trinitate fine monet, quòd cum de Deo dicuntur tres personæ, siue hypostases, siue substantiæ, siue alia nomina pluralis numeri, *nulla moles, aut interualla cogitentur, nulla distantia quantulæcumque dissimilitudinis; vt neque personarum sit confusio, nec talis distinctio, qua sit impar aliquid.* Quædam alia nomina reiicit S.Thomas hic in corpore, vt singularis, Vnici, Solitarij; de quibus commodius dicemus articulo sequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dictio exclusiua, Solus, sit addenda termino essentiali in diuinis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd dictio exclusiua, *Solus*, non sit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Prima conclusio negatiua de Solo categorematicè, num.1. ad 6.*
2 *An Deus dici possit Singularis, & Vnicus, num.6. & 7.*
3 *Soluuntur contrariæ authoritates, num.8. ad 11.*
4 *Secunda conclusio de Solo syncategorematicè, num.11. ad finem articuli.*

1. *Primâ conclusio negatiua de Solo categorematicè.*

PRIMA conclusio negatiua, si Solus accipiatur categorematicè. Ita S.Thomas hîc in p.p.corp. Bonauentura 1. d.21.art.2. quæst. 1. Scotus quæst.1. Durandus quæst.1. Præterea Alensis p.p. quæst.65. membro 3.art.2. Albertus p.p. summæ, quæst.40. membro 2.art.1.in fine corporis. & ad 1.quæstionis incidentis. Henricus in summa tomo 2.art.75.quæst.5.& alij posteriores, & ferè omnes interpretes huius articuli. Fundamentum valdè certum S.Thomæ est, quia in genere, *Dictio categorematica*, nimirum adiectiua, cuiusmodi est solus, *dicitur quæ absolutè ponit rem significatam circa aliquod suppositum, vt albus circa hominem, cum dicitur, homo albus. Dictio verò syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subiectum, sicut hæc dictio, Omnis, vel Nullus*; non enim in sua propria significatione sistunt, tribuendo eam per se subiecto, sed modificando subiectum in ordine ad prædicatum; vt cum dicitur, omnis homo currit, vniuersalitas, quam significat dictio *Omnis*, tribuitur homini non absolutè, sed per ordinem ad cursum, vt significetur, cursum inesse non vni, aut alteri, sed omnibus simpliciter hominibus. Vox igitur, Solus, vt constat ex communi conceptione, & ex Philosophi authoritate probat S.Thomas 1.d.21.quæst.1.art.1.initio corporis, & in hoc articulo argumento 1. citans l.2. Elenchorum cap.3. multò post medium, significat *idem quod non cum alio.* Quare sicut v.g. vox *nudus*, remouet vestes ab eo cui adiungitur, ita vox, *Solus*, ab eo, cui adiungitur, remouet consortium cum alio. Sed quando sumitur categorematicè, remouet consortium simpliciter; quod tunc fit, quando etsi non tollatur omnis prorsus coniunctio cum quacumque alia re, tamen, vt S.Thomas ibidem explicat, *tollitur associatio alterius, quod sit eiusdem naturæ, & conditionis cum ipso: sicut dicimus, aliquem hominem esse solum in domo, quamuis ibi sint multa alia animalia; & dicimus, aliquem religiosum incedere solum, cum sine socio sui ordinis vadit, multis etiam ipsum comitantibus: & tunc solus, idem est, quod solitarius; & est etiam dictio categorematica, implicans solitudinem circa subiectum, sicut & quodlibet aliud adiectiuum.* Quando verò sumitur syncategorematicè, *remouet consortium respectu alterius determinati*, hoc est, vt dicitur hic in corpore, *excludit omne aliud suppositum à consortio prædicati: sicut cum dicitur,*

Quid ex S. Thoma sit terminus categorematicus, & syncategorematicus.

Quid significaret, Solus, ex Aristotele.

dicitur, Solus sortes scribit, non datur intelligi, quòd sortes sit solitarius, sed quòd nullus sit ei consors in scribendo, quamuis cum eo multis existentibus.

2. *Ratio conclusionis.*

Ex hac terminorum explicatione, quam omnes admittere tenentur, sumitur certa conclusionis ratio. Dictio, *Solus*, accepta vt categorematica, & attributa termino essentiali in diuinis, v.g. Deo, significat solitudinem circa Deum, seu Deum esse solitarium, remouendo à Deo consortium alterius, eiusdem naturæ & ordinis cum ipso. Sed in Deo non potest non esse consortium trium personarum consubstantialium, quæ sunt identificatæ, & simpliciter vnum, in vna numero natura Diuinitatis; vt contra Sabellium omnes fideles credimus. Ergo dictio, *Solus*, vt categorematica, nullo modo coniungi potest in diuinis cum Deo, aut alio termino essentiali.

3. *Confirmatur primò ex Scriptura.*

Confirmatur primò, quia nonnumquam in Scriptura, vt etiam Sancti ipsi interpretantur, dictio, *Solus*, manifestè sumitur categorematicè, pro solitudine inter ipsasmet diuinas personas, quæ propterea semper de Filio Dei negatur, qui de se ipso ait Ioannis 8. *Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* & infrà, *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum.* Rursus cap.16.cum dixisset discipulis, *Ecce iam venit hora, vt dispergamini, & me solũ relinquatis.* immediatè post, quasi corrigens hoc, quod de se ipso, tamquam homine, dixerat, de solitudine omnium discipulorum suorum, ita subdit, altius loquendo de se ipso tamquam Deo, & negando aliam solitudinem diuinarum personarum, *Et non sum solus, quia Pater mecum est.* Ex hac particula causali, *Quia*, & ex alia superiori particula aduersatiua, *Sed*, notandum acutè est, quòd Christus probat se non esse solum, non ex eo quòd habeat consortium cum angelis, vel hominibus, vel aliis rebus, quod de facto habebat, sed tantum ex eo quòd habeat consortium cum alia diuina persona eiusdemnatu æ, & ordinis, ratione cuius consortij dicitur Pater esse in Filio, & Filius in Patre. Et ideo Patres communiter ex his Ioannis verbis contra Sabellianos probant, Patrem & Filiũ esse duas personas. Ita arguunt Athanasius oratione contra Gregales Sabellij columna 2. post medium, *per quod ostendit*, inquit, *verè duos esse.* Basilius homilia 28. contra Sabellianos columna 2. prope medium, ita deducens, *Alius itaque est Pater, qui misit, & alius Filius, qui missus est.* Ambrosius libro 2.de Fide cap.4.multò post medium, *Dicat Sabellianus, Ego te ipsum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum arbitror. Respondebit & Dominus, Non audisti me dicentem, Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater?* Augustinus tractatu 36. in Ioannem post medium, vbi *esse Christum solum*, quod qui dixerunt, inquit, *à fide naufragauerunt, & de portu Ecclesiæ proiecti sunt*, ita explicat, *vt ipse sit Pater, ipse sit Filius, ipse sit Spiritus sanctus.* & multò post, *Erubesce Sabelliane. Audis, Ego sum, & qui me misit. Ne perdas personam, distingue personas, Vorabat te gurges impietatis, vt diceres, ipsum esse Patrem, qui est Filius. Modo didicisti, Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Cyrillus in Ioannem lib.5.cap.20. medio, *Hisce verbis manifestè se alium à Patre Filius asserit, vt Catholica fatetur Ecclesia.* Fulgentius libro de Fide ad Donatum pagina 5.initio, *Tres personas esse ostendunt eloquia veritatis. Vnde Saluator ait, Non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater.* Idem igitur in Scriptura est, ex communi Sanctorum interpretatione, Filium non esse solum, quam non esse diuisum à consortio aliarum diuinarum personarum. Ergo numquam licebit affirmare in Deo, esse solum, etiam in æternitate, quãdo nulla alia res simpliciter erat præter Deum; quia tunc etiam simul associatæ erant in Deo tres personæ realiter distinctæ eiusdem conditionis ac naturæ. Et ideo à contrario sensu 1. Regum 21. dixit Achimelech ad Dauid, *Quare tu solus, & nullus est tecum?* nimirum ex pueris tuis. Et Ioannis 6.de Iesu dicitur, *Fugit in montem ipse solus*, hoc est, sine vllo discipulo. Si igitur Dauid fuisset cum aliquo ex pueris suis, non fuisset solus; & si Iesus fugisset cum vno discipulo, non fugisset solus; ergo cum Deus numquam possit non esse cum tribus diuinis personis, numquam potest verè dici absolutè, & simpliciter solus; esto nulla prorsus creatura cũ illo sit.

4. S.Thomas. Hilarius. *Exponitur locus Gen.1.*

Confirmatur secundò, quoniam in eodem sensu Patres omnes constantissimè, & grauissimè negant Sabellianis, Deum esse solitarium. *Vitandum est*, inquit S.Thomas articulo præcedente circa finem corporis, *nomen solitarij, ne tollatur consortium trium personarum.* & probat ex Hilario libro 4. de Trinitate, vbi aliquanto ante medium, ex illo Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, latè probat, Deum non esse solitarium, quia, inquit, *vterque sermo, & Faciamus, & Nostram. solitarium non patitur. Solitario conuenit, Faciam, & Meam. Non solitario vero, Faciamus, & nostram. Nobis nec solitarius tantum, nec diuersus est confitendus*, scilicet Deus. Et libro 5. fine grauius ait, *Si vnum magis, quam solitarium Deum intelligis, Ecclesiæ religionem profiteberis, quæ Patrem in Filio confitetur. Sin vero vnum Deum ad solitarij significationem, Sacramenti cœlestis ignarus, obtendis, extra cognitionem Dei es, Deum in Deo esse non confitens.* Et libro 7.columna 2.circa finem, *Non enim vnum Deum piè possumus prædicare, si solum*; quia *non erit Dei filius in solitarij fide.* hoc est, qui credit Deum solitarium, negat dari Filium Dei: vbi enim est vna persona Dei Patris, & alia persona Filij Dei, ibi Deus solitarius esse non potest. Et post pauca verba, idem docet tamquam Fidei dogma, *Eiusdem periculi res est, vnum Deum negare, cuius est & solitarium confiteri. Et hæc quidem mundi stulta non sentiunt; dum his neque in non solo significari vnus videtur, neque in vno non solus intelligi.* In eadem oratione pro eodem vsurpat solum, & solitarium. Quod in hoc etiam articulo obseruare licet, vbi probatur, Deum non esse solum, *quia dictio, Solus, poneret solitudinem circa terminum cui adiungitur, & sic sequeretur Deum esse solitarium.* Et paulò post docet, in hac propositione, *Solus sortes scribit*, solum sumi categorematicè, quia, inquit, *non datur intelligi, quòd sortes sit solitarius.* Manifestè igitur supponit, quòd idem sint, Solus categorematicè, & solitarius. Vnde ad 1.ait, *Sequeretur, quòd Deus esset solus, vel solitarius.* Et clarissimè verbis num.1. fine citatis, *Solus idem est, quod solitarius.* Ex quo patet, immerito aliquos recentiores ex differentia, quam ponunt inter solum & solitarium, negare hanc consequentiam. Deus nullo modo dici potest solitarius, ergo nec solus. esto enim solus, sit nomen magis vniuersale, quod æquè propriè tribuatur rationalibus, & irrationalibus, cum solitarius de rationalibus propriè vsurpetur; tamen cum solus adiungitur alicui termino intellectuali, siue creato, siue increato, idem omnino significat quod solitarius, nempe solitudinem & separationem ab aliis personis intellectualibus habentibus eamdem naturam.

5. Augustinus. Toletanum VI.

Præterea Deum solitarium esse negant Augustinus sermone 125. de Tempore, initio dicens, *Credimus in vnum Deum*, &c. *non sic vnum Deum, quasi solitarium.* Toletanum VI. initio, *Credimus vnum Deum solum, non solitarium.* Vbi illud, *Solum*, non sumitur categorematicè, sed syncategorematicè & aduerbialiter pro, *tantum*, vt credamus vnum Deum tantum, & non plures Deos; non tamen solitarium, quia vnus Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ inter se realiter distinctæ.

Athanasius. Basilius. Ambrosius. Augustinus. Cyrillus. Fulgentius.

Leo I. Leo Papa I. sermone 2. de Pentecoste cap. 3. post medium, *Deitas sic in tribus confitenda est personis, vt & solitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem seruet æqualitas.* Dictio autem, solus, categorematicè accepta, significat proculdubio solitudinem, quam pariter significat dictio, solitarius. Ergo si solitudo Deo tribui non potest, neque eidem tribui poterit solitarius, aut solus categorematicè.

Tertullian. Demum Tertullianus libro contra Praxeam cap. 5. paulò post principium, loquens de Dei dispositione, qua fuit ante mundi constitutionem, ita habet, *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Caterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet:* quæ est persona Verbi, & Filij, Deus dici potest solus, vel secundum quod, per respectum ad creaturas, vel simpliciter in seipso consideratus. Primò modo in æternitate fuit solus, hoc est, non cum creaturis, & post creationem fuit non solus. Secundo modo, de quo nunc disputamus, numquam fuit solus, sed semper cum consortio trium diuinarum personarum. Docet igitur Tertullianus, Deum simpliciter & absolutè loquendo, numquam fuisse, nec posse esse solum. Sed secundum quid, per respectum ad creaturas, sub quo respectu expressè loquitur fuisse aliquando solum, nempe in tota æternitate vsque ad illud principium, in quo creauit cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt. Verum vt docet

S. Thomas. S. Thomas hîc ad 1. *Licet angeli, & animæ Sanctorum semper sint cum Deo*, & fuerint etiam ab æterno, *si non esset pluralitas personarum in diuinis, sequeretur quòd Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicuius, quod est extraneæ naturæ: dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamuis sint ibi multæ plantæ, & animalia. Consociatio igitur angelorum, & animarum non excludit solitudinem absolutam à diuinis.*

An Deus dici possit singularis, & vnicus.

6. Hinc intelligimus, in quo sensu S. Thomas articulo præcedente iusserit esse vitandum de Deo nomen singularis, & vnici. Quod etiam iusserunt Patres.

Hilarius. Hilarius maximè lib. 7. de Trinitate columna 3. paulò ante finem cum dixisset, *Non solitarium significat, Ego & Pater vnum sumus*, subdit rationem, *Nam illud, Sumus, non patitur singularem.* Et columna 16. post medium cum docuisset, hæreticos esse, qui contra Christi verba in Euangelio, *possint vel duos Deos prædicare, vel solum*; paulò post subiungit, *Nec singularem Deum, Dei patitur natiuitas.* Et tandem columna penultima circa finem, ait, *Patrem & Filium, singularem Deum prædicare, sacrilegum est*, & lib. 8. columna 1. circa principium, *Nec singularem Deum fides Ecclesiæ, nec duos Deos profiteretur; cũ nec natiuitas Dei, solitarium Deum sineret; nec natiuitas perfecta, diuersarum naturarum nomina in Dijs duobus admitteret.*

Ioan. 10.

Ambrosius. Ambrosius lib. 5. de Fide c. 2. aliquantò ante finem docet, quòd Deum esse vnius substantiæ, *non sit singularitatis, sed vnitatis. Singularitas ad personam pertinet, vnitas ad naturam.*

Augustinus. Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 4. circa finem, docet quòd mens fidelis, trium personarum, & hypostasum, siue substantiarum *nominibus, non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit.*

Magister. Magister etiam lib. 1. sententiarum d. 23. litera I. pro eodem citat librum Quæstionum veteris & noui Testamenti q. 122. *Vnus est Deus, sed non singularis.* Verum neque hæc verba in illa quæstione leguntur, neque liber ipse est Augustini, *sed alicuius hæretici*, vt docet, & benè probat illustrissimus Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis in obseruatione 4. tomi Augustini. Præterea Leo I. sermone 2. de Pentecoste cap. 3. circa principium, *In Deitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nec singularitas est, nec diuersitas cogitanda.* De vnico etiam habemus verba eiusdem Hilarij lib. 7. de Trinitate columna penultima, initio. *Qui me videt, videt & Patrem. Cum dicitur, & Patrem, exclusa est singularis, atque vnici intelligentia.* Et libro 9. paulò post principium, *Deum vocat, nec diuersum, neque vnicum.*

Leo I. Hilarius. Ioan. 14.

7. Sumunt igitur singularem & vnicum in eo sensu, quo olim, vigente hæresi Sabelliana, sumebatur pro solitario. Vnde Hilarius verbis modò citatis ex lib. 8. probat, Deum non esse singularem, quia non est solitarius. Et Magister suprà verbum illud ex Hilario citato in fine numeri præcedentis, *Atque vnici*, interpretatur, *id est, solitarij.* Et infrà eadem voces indifferenter vsurpat dicens, *Nec singularis, nec diuersus, nec vnicus, vel solitarius confitendus est Deus.* Quoniam verò istæ voces hunc sensum ex vi sermonis non habent, & iam nullum est hæresis Sabellianæ periculum, omnes sine vllo scrupulo vocamus Deum singularem, & vnicum, & indiuiduum, ad tollendam in Deo distinctionem, non plurium personarum, sed plurium naturarum. Immo etiam ex antiquis Patribus Magnus Dionysius de diuinis nominibus cap. 1. aliquantò ante medium, ait, *In omnibus fermè sacris libris aduertimus, Diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem, atque vnicam, ob simplicitatem, atque vnitatem illius excellentis indiuidui.*

Nunc dici posse Deum vnicum & singularem.

Dionysius.

Tertullian. Tertullianus libro contra Praxeam c. 2. initio, *Vnicum*, inquit, *Deum credimus.* Sed circa finem, de hæresi negante pluralitatem personarum diuinarum, refert ex hac vnici voce sumpsisse sui erroris argumentum; *quæ se existimat*, inquit, *meram vnitatem possidere, dum vnicum Deum non alias putat credendum, quam si ipsum, eumdemque & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicat.* Itaque non ex propria vocis significatione, sed ex prauo hæreticorum vsu factum est, vt à voce vnici Dei abstinerent, deinde Fideles. & cap. 12. initio, bis admittitur Deus *vnicus & singularis*, tamen in tribus personis. Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinitate paulò post medium, *Essentia neque numeri multiplicationem admittit, cum sit vnica, & singularis.*

Athanasius. Basilius. Basilius libro 3. contra Eunomium in fine, *Vnus est Spiritus sanctus & solus*, hoc est, sine alio Spiritu sancto, *qui singularis eiusdam naturæ est vna cum omnibus.*

Lactantius. Lactantius lib. 4. Institutionum cap. 29. prope finem, *Ille summus, ac singularis Deus.* Sexta Synodus Actione 11. in epistola Sophronij circa principium Professionis fidei, *Vnitatem credimus propter singularitatem Deitatis*: quæ vnitas paulò post vocatur *vnitas singularis.*

Sophronius. Anselmus. Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti, cap. 18. fine, *Deus in hoc, quod per se est, inseparabilem seruat singularitatem.* Spectatis igitur propriis vocum significationibus, sicut v. g. Petrus dicitur vnicus, vel singularis, vel indiuiduus homo, quia non est diuisus siue distinctus in plures homines; ita dici pariter potest Deus vnicus, singularis, indiuiduus, in quantum nec diuisus, nec distinctus est in plures Deos, vt rectè obseruauit Durandus 1. d. 9. q. 1. n. 5. & posteriores omnes sequuti sunt.

Durandus. Solus autem, & solitarius, ex propria vi significandi, non solum excludunt hanc naturæ pluralitatem, quæ necessariò postulat esse in pluribus suppositis, sed etiam ipsam simpliciter suppositorum pluralitatem, non obstante naturæ vnitate, quæ potius facit ad consortium, quam ad consortij negationem, quam important solus & solitarium; cum proculdubio maius consortium inter se habeant tres, qui sunt tres personæ in vna natura; quam qui sunt tres personæ in tribus naturis.

Soluuntur

Soluuntur authoritates contra primam conclusionem.

8. Quidam recentiores contra S. Thomam, & reliquos omnes Theologos, tam antiquos, quam modernos, conantur persuadere, *Solum* categorematicè, à Scriptura & Patribus de Deo dici, tametsi fateantur numquam ab aliquo graui Authore dictum esse, aut rectè dici posse solitarium. Quæ duæ res minus cohærere videntur. Enim verò dictio, *Solus*, vt categorematica, quando applicatur alicui indiuiduo intellectuali, idem omnino valet quod solitarius, & significat solitudinem personarum eiusdem naturæ, vt suprà num. 4. & 5. ostendi, & Sanctorum authoritate, & ratione; & benè notauit Molina initio huius articuli.

Molina.

9. Afferunt igitur in contrarium ex Scriptura, primò illud Deuteronomij 32. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Sed, vt rectè obseruauit Valentia hîc, ex hac posteriori propositionis parte, & ex aliis antecedentibus verbis, quibus tota propositio connectitur, *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Videte*, &c. manifestum est, solum sumi syncategorematicè, & sensum esse, Videte quòd ego tantum sim verus Deus, & non sit alius Deus præter me. Et est idem cum alio loco Deuteronomij 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Et iterum paulò post, *Scito quòd Dominus ipse sit Deus, & non sit alius.* Ibi igitur additur, Solus, non vt tribuatur absolutè subiecto propositionis, quod est sumi categorematicè, sed vt tribuatur respectiuè per ordinem ad prædicatum, quod est sumi sycategorematicè. Itaque cum dicitur, *Ego sum solus*, nempe Deus, qui, vt probaui, est ex contextu manifestè subintelligendus, illud, *Solus*, non est prædicatum per se, sed est modificatio quædam subiecti per ordinem ad prædicatum, quod est Deus: & est idem ac si dicatur, *Ego tantum sum Deus*: siue, vt legit Athanasius oratione 4. contra Arianos, columna 5. fine. *Ego solus sum Deus, & præter me non est Deus.* Secundò illud Isaiæ 37. *Tu es Deus solus omnium regnorum terræ.* Et post pauca, *Cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.* Sed hîc etiam, *Solus*, accipitur syncategorematicè, & sensus est, Tu solus es Deus, Tu solus es Dominus. Tertiò illud Danielis 3. *Sciant quia tu es Dominus Deus solus.* Sed idem sensus est, Tu solus es Dominus Deus. Neque contrarium significat Fulgentius libro de Fide ad Donatum pagina 7. initio de his Scripturæ testimoniis dicens, *Quibus vnus, & solus asseritur Deus*: accipit enim pro eodem *vnus & solus*; & indicat idem esse, quòd Deus solus, sit verus Deus, vt dicitur locis citatis; & quòd Deus sit vnus.

Exponitur locus Deuteronomij 32. cum Valentia.

Athanasius. *Exponitur locus Isaiæ 37.* *& Daniel. 3.* Fulgentius.

10. Afferunt etiam Patres. Primò Augustinum 6. de Trinitate cap. 7. *Dicimus Deum solum ipsam Trinitatem.* Sed sensum esse etiam syncategorematicum, nempe Trinitatem tantum esse Deum, & non aliquid aliud esse Deum, significat ipsemet Augustinus immediatè subdens, *Quamuis semper sit cum spiritibus, & animabus sanctis: sed solum dicimus, quòd Deus est, quia non & illi cum illo Deus sunt*: quam negationem siue exceptionem sufficienter importat dictio, *Solus*, sumpta syncategorematicè pro *tantum.* Similiter libro 7. cap. 5. aliquantò post medium, iubet nos credere *in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum Deum solum*: hoc est, qui tantum sunt vnus Deus; cum præter tres diuinas personas nulla alia persona sit verus Deus. Item cum libro 2. contra Maximinum cap. 3. 15. 16. illud 1. ad Timotheum 1. *Immortali, inuisibili, soli Deo.* & c. 6. *Qui solus habet immortalitatem*; vult esse intelligendum

Exponitur Augustinus.

Exponitur locus 1. ad Timotheũ 1. & 6.

Magister.

Exponitur S. Ignatius.

Molina. Bellarminus. Bellarminus libro 1. de Christo c. 10. columna 2. fine, *Patrem esse illum Deum, qui est vnus, & solus verus Deus.* sicut illud simile Ioannis 17. *Vt cognoscant te, solum verum Deum*, significat ex dictis supra q. 27. art. 1. num. 35. Patrem esse illum Deum, qui solus, seu tantum, est verus Deus. Similiter epistola 14. ad Ephesios, aliquantò ante medium ait, *Medicus est solus Deus ingenitus.* Vbi dictio, *Solus*, non additur termino essentiali, de qua additione nunc disputamus, sed personali, de qua additione in sequenti articulo, & sensus planus ac verus est, Medicus est Deus Pater, qui solus est Deus ingenitus. Sicut dicitur, Redemptor mundi est Christus, qui solus est Deus vnigenitus. Quamquam iste Ignatij locus aliis variis modis legitur, vt videre est apud Bellarminum suprà. Eadem additio personalis est, cum Gregorius Thaumaturgus in breui Fidei confessione, quam didicit ex reuelatione Ioannis Apostoli, vt refert Nyssenus in eius vita, dicit, *Solus ex solo, Deus de Deo.* hoc est, solus Deus vnigenitus ex solo Patre ingenito. Et cum Clemens Romanus lib. 6. Constitutionũ Apostolicarum, c. 11. initio, dicit, *Vnum solum nunciamus Deum, Christi Patrem, non congeminatum, vel multiplicem, sed solum, in æternitate.* hoc est, qui solus est Pater, & simul etiam est æternitas. Vbi illud, solum, coniungi debet cum Patre, non cum æternitate; quia sicut verum est, vnam tantum personam esse Patrem, ita falsum est, vnam tantum personam esse æternam. His igitur, & aliis similibus dictis, quæ ne longior sim in iisdem repetendis omitto, semper Patres, vel dictionem, *Solus*, accipiunt vt syncategorematicam, vel illam addunt termino non essentiali, sed personali.

Exponitur Thaumaturgus.

Exponitur Clemens Romanus.

De dictione, Solus, vt syncategorematica.

11. Secunda conclusio, quam ponit etiam S. Thomas in hoc articulo circa finem corporis, est, quod si dictio, *Solus*, accipiatur vt syncategorematica, *nihil prohibet, illam adiungere alicui essentiali termino in diuinis; in quantum excluduntur omnia alia à Deo à consortio prædicati: vt si dicamus; Solus Deus est æternus, quia nihil præter Deum est æternum.* Duobus autem modis, vt explicatur ad 3. dictio syncategorematica, *solus*, potest adiungi termino essentialis primo respectu prædicati personalis, vt, *Solus Deus est Pater*, modò illud, *Pater*, prædicet personam Patris; cum nulla alia res, præter Deum, per paternitatem constituatur in suo esse personali: alioqui si prædicat paternitatem, vt relatio tantum est, non vt personalitas, est falsa propositio, *quia relatio paternitatis*, inquit S. Thomas, *etiam in aliis inuenitur, licèt non vniuocè*: cum etiam homo, v. g. sit pater. Secundò respectu prædicati essentialis, seu communis, vt solus Deus creat. Neque hinc sequitur, Ergo solus Pater creat, quia creant etiam Filius & Spiritus sanctus, qui non minus

Secunda conclusio affirmatiua de solo syncategorematicè.

Non sequi, Solus Deus creat, Ergo solus Pater.

S. Thomas.

quàm Pater sunt vnus verus Deus, cuius tantum est creare. Ratio vero negandi sequelam ex S. Thoma ibidem est, *quia, vt Sophistæ dicunt, dictio exclusiua immobilitat terminum, cui adiungitur, vt non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur, solus homo est animal rationale mortale, ergo solus sortes.* Et ratio vlterius est, quia, solus, cum adiungitur termino communi, excludit quidem à consortio prædicati omnia, quæ non sunt ille terminus communis; non tamen excludit alia omnia sub illo contenta, seu participantia terminum illum communem. Sed cum adiungitur termino particulari, excludit simpliciter omnia, quæ non sunt terminus ille particularis, etiam si sint terminus communis. Cum igitur in Deo comprehendantur non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus sanctus; & in homine comprehendantur non solum sortes, sed etiam reliqua omnia humana individua; dici potest, Solus Deus creat, solus homo est animal rationale; sed inde non sequitur, Ergo solus Pater creat, Ergo solus sortes est animal rationale; quia dictio, Solus, multò maiorem exclusionem habet, cum adiungitur termino particulari, quam cum adiungitur termino communi: docente S. Thoma 1. d. 21. quæst. 1. art. 1. ad 2. quòd *negatio implicita in dictione exclusiua, ad plura se extendit, quando adiungitur proprio, quam quando adiungitur communi.*

12. *Exponitur locus Lucæ 18. & Matth. 19. & Marc. 10.*

Idem probant omnes authoritates allatæ suprà num. 9 & 10. & explicatæ de dictione, *Solus*, vt syncategorematica. Addi potest illud Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*, hoc est, Solus Deus est bonus, & non alius. Quem sensum clarius exprimunt verba Matth. 19. *Vnus est bonus Deus.* Et Marci 10. *Nemo bonus nisi vnus Deus.* nimirum bonitate simpliciter, seu substantiali, & imparticipata, & per essentiam, non bonitate accidentali, ac participata, vt pluribus expendi ac probaui suprà quæst. 27. art. 1. n. 18. Quamobrem non excluduntur, sed potius includuntur omnes tres diuinæ personæ, quia ipsæ sunt vnus, & idem omnino Deus. Et ideo Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 23. post medium, ait, *Nemo bonus nisi vnus Deus, quod est ipsa Trinitas.* Et Ambrosius lib. 2. Fidei cap. 1. *Circumspectione cœlesti, non dixit, Nemo bonus, nisi vnus Pater: sed, Nemo bonus, nisi vnus Deus; quod nequaquam Deitatem Trinitatis excludit, & ideo natura laudatur. Bonitas ergo in natura est Dei; & in natura Dei, etiam Dei Filius: & ideo non quod singularitatis, sed quod Trinitatis est, prædicatur.* Solum igitur excluduntur creaturæ omnes, quarum nulla est, aut esse potest Deus.

Augustinus.

Ambrosius.

13. *Exponitur locus 1. ad Timoth. 1. cit. S. Thoma.*

Præterea cum 1. ad Timotheum 1. dicitur, *Regi sæculorum, immortali, & inuisibili, soli Deo, honor & gloria*; id de tota Trinitate est intelligendum, vt omnes Patres, & posteriores Interpretes aduertunt, & docet S. Thomas infrà quæst. 39. art. 4. fine corporis. Quamuis enim citentur Ambrosius in hunc locum, & Chrysostomus homilia 4. in eadem verba, exponentes de persona Patris; tamen commentaria illa in omnes Pauli epistolas, quæ habentur in 5. tomo operum Ambrosij, non esse ab illo composita, eruditissimè ostendit Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, examinans Ambrosij opera in 5. tomo, præsertim quia Ambrosius alibi, cum in Scriptura solus Deus dicitur, acriter contendit, non esse accipiendum de solo Patre. Ita libro 2. Fidei cap. 3. aliquantò post principium, *Nec vereor, ne quia scriptum est de Deo, Beatus & solus potens, ab eo Dei Filius segregatur: cum Scriptura Deum solum potentem dixerit, non Patrem solum.* Fusius lib. 3. cap. 2. aliquantò post principium, *Solus vtique cum dicitur Deus, non separatur etiam Dei Filius. Vnde illud explosum est, quod solent ad calumniam deriuare, quòd de Deo scriptum est, Qui solus habet immortalitatem. De Deo enim scriptum est, quod est commune nomen Patri & Filio.* Et post multa iterum concludit circa finem, *Non ergo separent Filium*, nempe Ariani, *cum legunt, solum Deum.* Et in fine docet, in quo sensu dici possit solus Pater, solus Filius, solus Deus. *Solus Pater, quòd alius Pater non est. Solus Filius, quòd alius Filius non est. Solus Deus, quòd vna Diuinitas Trinitatis est:* ita vt in Trinitate non sit vnus Deus cum alio Deo; quod est, ibi esse vnum Deum solum. Chrysostomus quoque ita interpretatur de Patre, vt contendat etiam intelligendum esse de Filio, vt patet legenti totam illius expositionem. Intelligendo igitur locum de Deo subsistente in tribus personis, illud, *Soli Deo*, non sumitur categorematicè, pro solitario, prædicando de Deo solitudinem per se, & absolutè; sed syncategorematicè, modificando illud subiectum, *Regi sæculorum*: & referendo illud ad Deum, vt sit sensus, Regi sæculorum, qui tantum est Deus, seu, non est alius Rex sæculorum, nisi vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Hanc interpretationem inter alios vniuersaliter, & optimè tradidit Basilius epistola 141. columna 2. circa finem; cum enim dixisset, *Deus solus secundum essentiam, Deus est*; ita se explicat. *Solum cum dico, essentiam Dei sanctam, & increatam exprimo.* Et paulò post, *Illa intelligimus de natura diuina dicta. Qui solus habet immortalitatem, & Soli sapienti Deo, & illud, Nemo bonus nisi vnus Deus; nam hic vnitatis dictio idem significat, ac si dixisset, Nisi solus Deus; & Qui extendit cœlum solus, & verum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Cum enim Deus in Scriptura vnus ac solus dicitur, non ad distinctionem Filij, aut Spiritus sancti dicitur, sed contra eos, qui cum Dij non sint, falsò Dij nominantur.* Particulariter vero de hoc loco, vbi Græci ferè omnes addunt, *Soli sapienti Deo.* Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 16. blasphemam atque hæreticam esse docet interpretationem eorum, qui intelligunt, *de Patre tantum*, quia, inquit, *non dixit Apostolus, Soli sapienti Patri, sed dixit, Soli sapienti Deo, quia Deus est & Filius, & Spiritus sanctus. Et ista Trinitas est solus sapiens Deus.* Idemque repetit libro 3. cap. 9. initio, & benè probat Theodoretus in eundem locum. & breuiter indicat ibidem Anselmus, clarè exprimendo sensum syncategorematicum illis verbis, *Honor & gloria Regi sæculorum, id est, Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & iste est solus Deus, quia præter eum nullus alius.* In hoc igitur, & in quouis alio simili loco, in quo dictio, *Solus*, non est per se prædicatum Dei, dicendo, Deum esse solum, sed est quædam Dei modificatio, referendo illum ad aliud prædicatum, illa sumitur syncategorematicè, non categorematicè, iuxta horum terminorum declarationem traditam initio articuli; & tunc à consortio prædicati non excludit tres diuinas personas, quæ sunt vnus & idem omnino Deus; sed cætera omnia, quæ non sunt Deus. Sic 1. ad Timotheum 6. Deus dicitur *solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem.* Sic iuxta Ambrosium lib. 3. de Fide cap. 2. non longè à principio, de Deo dictum est Ps. 82. fine, *Tu solus Altissimus super omnem terram.* Sic ex illo Romanorum 16. fine, *Soli sapienti Deo*, dicitur, Deus solus est sapiens. Sic etiam ex illo Iob 9. *Qui extendit cœlos solus.* & Isaiæ 44. *Ego sum Dominus extendens cœlos solus*, dicitur, Deus solus extendit cœlos. Et similes alias propositiones passim fideles omnes in ore habemus.

Commentaria in epistolas Pauli, non sunt Ambrosij.

Chrysost.

Basilius.

Augustinus.

Theodoret. Anselmus.

ARTICV

ARTICVLVS IV.

Vtrùm dictio exclusiua possit adiungi termino personali.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd dictio exclusiua possit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Prima conclusio negatiua de Solo categorematicè, num. 1.*
2 *Secunda conclusio affirmatiua respectu prædicati personalis, num. 2.*
3 *Tertia conclusio negatiua respectu prædicat essentialis, num. 3.*
4 *Quarta conclusio de sensibus, quibus, Solus, tribui potest personæ respectu prædicati essentialis, num. 4. ad finem articuli.*

1. *Prima conclusio negatiua de Solo categorematicè. S. Thomas.*

PRIMA conclusio. Dictio, *Solus*, vt categorematica, non potest tribui vni tantum diuinæ personæ, nimirum prædicando per se & absolutè solitudinem de illa. Hoc notat S. Thomas initio corporis, & nemo negat; quia quælibet diuina persona non potest non esse cum duabus reliquis: ergo de nulla potest verè dici, quod sit sola, seu solitaria, hoc est, non cum aliis personis eiusdem naturæ. Hanc conclusionem, eiusque rationem, apertè docuit Augustinus 6. de Trinitate c. 7. illis verbis, *Quæquam non inueniatur, quomodo dici possit aut Pater solus, aut Filius solus; cum semper atque inseparabiliter & ille cum Filio sit, & ille cum Patre; non vt ambo sint Pater, aut ambo Filius; sed quia semper in inuicem, neuter solus.* Addit deinde in fine, *solum Patrem, dicimus Patrem; non quia separatur à Filio; sed quia non simul ambo Pater sunt.* Quod etiam docuit Ambrosius verbis allatis, art. præcedente, num. 13. circa principium. Verum in ista propositione, solus Pater, est Pater, dictio, *Solus*, non sumitur categorematicè, sed syncategorematicè, quia non tribuit Patri solitudinem simpliciter, sed solitudinem Patris in esse Patris formaliter; qu. 2. solitudo verè reperitur in diuinis, vbi nulla est persona, quæ sit Pater, nisi vna tantum. Et idem de Filio, & de Spiritu sancto. Loquendo igitur postea semper in hoc sensu syncategorematico, in quo non prædicatur solitudo de persona diuina, sed de sola aliqua persona diuina prædicatur aliquid aliud, vel personale, vel essentiale, sit

Augustinus.

2. *Secunda conclusio affirmatiua respectu prædicati personalis.*

Secunda conclusio. Solus addi potest personali termino, seu subiecto, respectu prædicati personalis. Hoc nullus fidelis potest negare, quia verissimè dicimus, solum Patrem esse ingenitum, & generare. Solum Filium generari, & procedere à solo Patre per intellectum. Solum Spiritum sanctum procedere per voluntatem à Patre & Filio. In hoc sensu Augustinus & Ambrosius paulò ante dixerunt, solum Patrem esse Patrem, solum Filium esse Filium, solum Spiritum sanctum esse Spiritum sanctum. Et Clemens Romanus art. præcedente n. 10. fine dixit, *Vnum solum nunciamus Deum, Christi Patrem.* Et Thomas in hoc artic. cum Augustino ait, *Solum Patrem dicimus, non quia separatur à Filio, vel Spiritu sancto, sed hoc dicentes significamus, quòd illi simul cum eo non sunt Pater.*

Clemens Romanus. S. Thomas.

3. *Tertia conclusio negatiua respectu*

Tertia conclusio eiusdem sancti Thomæ in hoc articulo dictio, *Solus*, non debet addi termino personali respectu prædicati essentialis, *ex consueto modo*

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

loquendi; & *secundum proprium sensum*, dicendo v. g. solus Pater est Deus, est sapiens, creat, & similia. Hoc benè probat S. Thomas in argumento, *Sed contra*, quia, inquit, *hæc locutio, Solus Pater est Deus, habet duas expositiones, scilicet, Pater est Deus; & Nullus alius à Patre est Deus. Sed hæc secunda est falsa, quia Filius qui alius est à Patre, est Deus. Ergo hæc est falsa, Solus Pater est Deus. Et sic de similibus.* Quapropter in responsionibus ad argumenta ferè semper negat, Solam aliquam diuinam personam habere aliquod essentiale prædicatum, quod æquè haberetur ab omnibus tribus diuinis personis. Confirmari potest ex Patribus, quorum aliqui nolunt Arianis concedere huiusmodi propositiones, ne videantur illis dare, quòd Filius & Spiritus sanctus sint alterius naturæ à Patre. Sic Ambrosius suprà art. 3. n. 13. contendit, quòd Paulus illis verbis 1. Timothei 6. *Solus potens*, non separauerit Filium à Patre, *Cum Deum solum potentem dixerit, non Patrem solum.* Similiter Augustinus ibidem relatus, grauiter negat Ariano Episcopo, illud 1. Timothei 1. *Soli sapienti Deo*, posse intelligi *de Patre tantum*; quia, inquit, *non dixit Apostolus, Soli sapienti Patri.* Et libro contra eumdem Maximinum c. 23. post medium ait, *Falleris sanè qui putas de Patre solo esse dictum, Nemo bonus nisi vnus Deus quod est ipse Trinitas.* Eadem verba Ambrosius art. præcedente n. 12. exponens ait, *Circumspectione cœlesti non dixit, Nemo bonus nisi vnus Pater, sed, Nemo bonus nisi vnus Deus; quod nequaquam Deitatem Trinitatis excludit.* Videtur igitur sentire Ambros. quòd excluderetur Trinitas, si dictum esset, Nemo bonus nisi vnus Pater.

prædicati essentialis.

Ambrosius.

Augustinus.

Marci 10.

4. *Quarta conclusio. In quo sensu, solus tribuatur personæ respectu prædicati essentialis.*

Quarta & vltima conclusio S. Thomæ est, quòd prædictæ propositiones, in quibus, *Solus*, additur personæ respectu alicuius prædicati essentialis, possunt simpliciter tolerari, & recipi in aliquo bono sensu. Verum, vt prudenter aduertit in fine corporis, *nō est extendenda talis loquutio, sed piè exponenda, si cui inueniatur in authentica Scriptura.* Inuenitur autem primo in Ioannis 17. vbi Christus loquens ad Patrē, ait, *Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quibus verbis, etsi non excludatur Filius à consortio veri Dei, vt pluribus ostendi suprà quæst. 27. art. 1. à n. 35. videtur tamen excludi Spiritus sanctus, cuius ibi nulla fit mentio. Secundò idem videtur excludi Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius.* Tertiò de solo Filio dicitur Ioannis 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Quartò, de solo Spiritu sancto dicitur 1. Cor. 2. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Quintò, de solo Filio dicitur Apoc. 19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse.* Sextò Nazianzenus, quē refero loco citato n. 36. dictum de Patre tantum ait illud ad Romanos 16. *Soli sapienti Deo per Iesum Christum*: & illud 1. ad Timoth. 6. *Solus potens, & Dominus dominantium.* Sextò de solo Filio Cyprianus, Hieronymus, Fulgent. ibidem n. 28. exponunt illud Isaiæ 45. *Tantum in te est Deus.* Et Nazianzen. ac Basil. ibid. n. 37. illud Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non assimilabitur alius ad eum.* Et ibidem Ambrosius illud Iob 9. *Qui extendit cœlos solus.* quæ verba Cyrillus ibidem exponit de solo Patre. Septimò de Agno & Filio Dei dicitur Apocal. 15. *Solus pius es.* Ex quibus omnibus efficax argumentum trahitur, quòd per dictionem, *Solus*, vni personæ applicatam, non excluduntur reliquæ duæ personæ: quoniam eadem dictio modo applicatur Patri, modo Filio, modo Spiritui sancto. Ergo non est maior ratio excludendi vnam personam, quam omnes. Sed non excluduntur omnes, ergo nulla verè excluditur. Inter hæc autem testimonia non attuli illud, quod

Ecclesia in hymno Angelico.

ab Ecclesia cantatur in Angelico hymno, *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe.* quia vt notat S. Thomas ad 4 id *non dicimus absolutè*, sed statim addimus reliquas duas personas, *Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris.*

5. *Solus Pater est Deus, exponitur tripliciter cum S. Thoma.*

Igitur prædictæ propositiones, præsertim illa, *Solus Pater est Deus*, piè possunt exponi tripliciter, ex S. Thoma hîc in corpore, & ad 1. & 2. Primò, vt illud, *Solus*, non excludat à consortio prædicati, sed à forma subiecti; *vt sit sensus*, inquit S. Thomas, *Solus Pater est Deus, id est, ille cum quo nullus alius est Pater, est Deus.* Hanc expositionem probat ex Augustino libro 6. de Trinitate cap. 7. vbi verè non loquitur de hac propositione, *Solus Pater est Deus*, sed de hac alia, *Solus Pater est Pater*; docétque, quod sicut existente Trinitate cum Angelis creatis, v. g. *dicimus & Deum solum ipsam Trinitatem, quia non & illi cum illo Deus sunt*; ita existente Patre semper cum Filio & Spiritu sancto, *Solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur a Filio, sed quia non simul ambo Pater sunt.* Et ipsemet S. Thomas de hoc primo sensu, ita benè censet, *Non habetur ex consueto modo loquendi*: quia dictio, *Solus*, cum in propositione sumitur syncategorematicè, modificando & referendo subiectum ad prædicatum, inquit, *Secundum proprium sensum excludit à consortio prædicati.*

Augustinus.

Secundò si dictio, *Solus*, intelligatur à consortio prædicati excludere non alium masculinè, sed aliud neutraliter tantum, iuxta dicta suprà art. 2. num. 1. ad 11. ita vt, Solum Patrem esse Deum, significet, quod verum est, Nihil aliud à Patre esse Deum, Probat S. Thomas, *quia Filius est alius à Patre, non tamen aliud. Similiter & Spiritus sanctus.* Sed hunc etiam sensum minus sibi placere indicat, statim subiungens, *Sed quia hæc dictio, Solus, respicit propriè subiectum*, v. g. in casu nostro respicit Patrem, qui est subiectum propositionis, non Deum, qui est prædicatum, *magis se habet ad excludendum alium, quam aliud.*

Tertiò vt dictio, *Solus*, intelligatur quidem excludere alium masculinè, tamen tunc tantum, quando alius non est essentialiter in eo qui dicitur Solus. Sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ita se habent, vt vnusquisque essentialiter sit in alio, ratione vnius eiusdemque communis essentiæ, respectu cuius non sunt verè alius & alius, sed vna prorsus indistincta, ac simplicissima res, ita vt de illis absolutè ac propriè dicatur 1. Ioannis 5. *Hi tres vnum sunt.* Ergo per ordinem ad prædicata essentialia, & æquè communia, non potest per dictionem, *Solus*, tributâ vni personæ, probabiliter intelligi exclusa aliqua alia persona, nisi tantum creata, quæ sola non est Deus. Hanc tertium sensum ita explicatum tradit breuiter S. Thomas ad 1. dicens, quod illud Ioan. 17. vt suprà, *Si intelligatur de persona Patris, non excluduntur aliæ personæ, propter essentiæ vnitatem.* Verum absolutè addit, *quòd cum dicimus; Te solum Deum verum, non intelligitur de persona Patris, sed de sola Trinitate, vt Augustinus exponit*, nempe 6. de Trinitate c. 9. Vbi docet quidem Augustinus per illud, *Solum*, non excludi Trinitatem, tamen expresè ait, illud dictum esse de Patre, ita efficaciter probans, *Patri enim dicebat, & Patrem nominauerat, ad quem loquebatur, cum ait, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum.* Et paulò post, *Dictum est Patri, Vt cognoscant te*, &c. Idem sensus vniuersaliter & absolutè traditur ad 2. *Cum aliquid essentiale dicitur de Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus sanctus, propter essentiæ vnitatem.*

Exponitur locus Ioan. 17.

Augustinus.

8. Basilius.

Eumdem tertium sensum communius significat, & inculcant Patres. Basilius libro 5. contra Eunomium columna 17. initio de citatis Scripturæ testimoniis generaliter docet, *Quòd non dualitatem, imò nec Trinitatem tollunt, cum vnitatem prædicent: sed vnitatem Deitatis scientes, in vna persona tres prædicant.*

Augustinus.

Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 8. ante finem, cum ex Scriptura probasset, Quamlibet diuinam personam esse in reliquis duabus, inde ita deducit, *Propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur, vel Pater, vel Filius solus adimpleturus nos lætitia cum vultu suo.* Quod paulò post clarius ac fusius ita explicat, *Ideo solus sufficit Spiritus sanctus ad beatitudinem nostram, quia separari a Patre & Filio non potest: sicut Pater solus sufficit, quia separari à Filio & Spiritu sancto non potest: & Filius ideo sufficit solus, quia separari à Patre & Spiritu sancto non potest.* Et libro 3. contra Maximinum cap. 13. initio, cum absolutè negasset hæreticis, dictum esse de Patre illud Romanorum 16. *Soli sapienti Deo*, ita addit sub conditione ad nostrum propositum: *Si dixisset Apostolus, Soli sapienti Patri, nec sic inde Filium separaret.*

Ps. 15.

Apoc. 19.

Non enim quia in Apocalypsi de Filio legitur, Habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse, ideo Pater nescit hoc nomen, à quo est inseparabilis Filius. Sicut ergo scit & Pater, quod nemo scire dictus est, nisi Filius; quia inseparabiles sunt: sic etiam si dictum esset: Soli sapienti Patri. simul intelligi deberet & Filius, quia inseparabiles sunt. Et tractatu 105. in Ioannem post principium, quæ verba posuit Prosper in libro sententiarum ex operibus Augustini excerptarum, sententia 171. dicitur quòd in verbis citatis Ioannis 17. vbi nominantur Pater & Filius tantum, *Consequenter intelligitur & Spiritus sanctus, quia Spiritus est Patris & Filij, tamquam charitas substantialis & consubstantialis amborum: quoniam non duo Dij Pater & Filius, nec tres Dij Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas vnus solus verus Deus.* Quæ verba vsurpauit etiam Beda in illum locum Ioannis. Præterea Cyrillus lib. 11. in Ioannem c. 16. circa principium loquens de Christo ait, *Cum solum Patrem Deum verum appellauerit, ab hac gloria se ipsum non separauit; in Patre enim est, & ex Patre. Quare verus, & secundum naturam Deus, & solus in solo est: nullus enim verus Deus est præter Trinitatem, cum Dij gentium, dæmonia sint; cum creatura omnis seruituti subiiciatur.* Item Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti cap. 12. docet, quòd cum solus Pater, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus aliquid reuelare, aut nosse dicitur, nulla Trinitatis persona excluditur; idque ex hac tertia regula optimè probat, *quoniam non per hoc quod alij sunt ab inuicem, sed per hoc quod vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus cognoscunt, & reuelant.*

Prosper.

Beda.

Cyrillus.

Anselmus.

9. *Instantia.*

Dices, si in aliquo bono sensu verificari potest, Solus Pater est Deus, quia non possunt excludi Filius & Spiritus sanctus, quia sunt in Patre; ergo pariter verificari poterit, & licebit asserere, Solus Pater spirat, quia non propterea excludetur Filius, qui est in Patre.

Respondetur nondici, Solus Pater spirat.

Respondeo, negando paritatem; quia secunda propositio nō potest nisi generali illa regula de vnitate simpliciter diuinarum personarum, & de inexistentia cuiuslibet in reliquis, sicut nititur prima propositio. Si enim Filius intelligitur spirare ex eo quod est vnum cum Patre, & à Patre omnino inseparabilis, idem intelligetur de Spiritu sancto, qui non minus inseparabiliter est in Patre. Cum igitur spirare nec conueniat tribus personis, nec vni tantum, sed duabus, non potest verè dici de solo Patre, vel de solo Filio, propter aliquam rationem æquè communem Patri, Filio, & Spiritui sancto. Atque hanc ob causam in nulla authentica Scriptura, & apud nullum Catholicum Doctorem legitur, solus Pater spirat, & ideo nullatenus est vsurpanda. Sed aliæ propositiones

propositiones multoties inueniuntur in Scriptura, & ideo piè sunt vsurpandæ.

10. *De aliis particulis exclusiuis.*

Quæ dicta sunt de dictione, *Solus*, dicta pariter intelligi debent de aduerbio *solùm, Totum, Duntaxat*, & aliis similibus exclusiuis, & exceptiuis, vt *Nemo nisi, Nullus nisi*, &c. Constat enim, omnia habere eamdem excludendi vim. Vnam vero differentiam tradidit S. Thomas articulo præcedente ad 2. inter dictionem Syncategorematicam, solus, & tantùm.

Differentia inter S. Thomæ solum, & tantum.

quod solus, propriè loquendo, non ponitur ex parte prædicati, quod sumitur formaliter, hoc est, vt forma afficiens formaliter subiectum; *respicit enim suppositum, in quantum excludit aliud suppositum ab eo cui adiungitur*, & à cuius consortio vult remouere prædicatum, quod illi tribuitur, v. g. vt idem S. Thomas postea exemplificat, *Non propriè dici potest, Pater est solus Deus, vel, Trinitas est solus Deus; nisi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus*, seu potius, qui solus est Deus, vt sit sensus, solus Deus qui est Trinitas, est verus Deus. In quo etiam sensu hæc est vera, Pater est solus Deus, quia est Deus, qui solus est verus Deus. *Sed hoc aduerbium Tantum*, inquit S. Thomas, *cum sit exclusiuum*, scilicet purè & per se tamquam aduerbium, quod, vt magis explicat idem S. Thomas 1. d. 21. q. 2. art. 1. initio Corporis, *determinat autem actum verbi; quia aduerbium est adiectiuum verbi. Vnde cum verbum ratione compositionis contingat prædicatum subiectio, & ad vtrumque se habeat, congruè possunt ista aduerbia*, nempe, Tantum, solum, *tam ad subiectum quam ad prædicatum adiungi. Possumus enim dicere, Tantum sortes currit, id est, nullus alius; &, sortes currit tantum; idem est, nihil aliud facit.* Neque necesse est cum S. Thom. ibidem exponere Augustinū, quòd libro 6. de Trinitate c. 7. vel c. 9. dixerit, Trinitas est solus Deus; cum potius opposito modo dixisse videatur, solus Deus est Trinitas. Sic enim habet c. 7. *Diuimus solum Deum ipsam Trinitatem.* & c. 9. initio docet, *Esse quidem Patrem Deum, sed non esse solum Deum. Esse autem solum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* Igitur ex Augustino hæc est falsa, Pater est solus Deus: hæc vera, solus Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; seu Trinitas; & non dixit è contrario, Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui sunt Trinitas, seu tres personæ, sunt solus Deus Dici verò propriè potest, Trinitas est tantum Deus. Sed falsò diceretur absolutè, Verbum est tantum Deus, vt docet S. Thomas 1. d. 21. quæst. 2. art. 2. post principium Corporis. quia Ioannis 1. *Verbum caro factum est.* Sicut quia Christus est homo Deus, falsum esset dicere, Christus est tantum homo; vel Christus est tantum Deus.

Augustinus.

Verè dicitur, Trinitas est tantū Deus: sed falsò, Verbum est tantū Deus.

QVÆSTIO XXXII.

De diuinarum personarum cognitione, in quatuor articulos diuisa.

Consequenter inquirendum est de cognitione diuinarum personarum. Et circa, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.

Ad 1. sic proceditur. Videtur quòd Trinitas diuinarum personarum possit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio negatiua declaratur & probatur, num. 1. ad 5.*
2. *Conclusionis Corollarium & Confirmatio, num. 5. & 6.*
3. *Quædam eiusdem conclusionis extensiones, n. 7.*

1. *Conclusio negatiua declaratur ex S. Thoma.*

ONCLVSIO simpliciter negatiua, est de se. Intelligenda verò est vt benè distinguit S. Thomas de Veritate quæst. 10. art. 13. initio Corporis, de cognitione Trinitatis, *quantum ad propria, quibus distinguuntur personæ: non quantum ad essentialia, quæ personis appropriantur, sicut potentia Patri, &c.* His enim cognitis, quæ, inquit, *etiam Trinitate remota per intellectum remanent in diuinis*, verè non cognosceretur Trinitas, sed potius Vnitas, de quius cognitione ex instituto disputatum est tomo 1. q. 2. per totam, probando, posse viribus naturæ euidenter & demonstratiuè cognitione abstractiua quantum ad, *An sit*; non autem cognitione intuitiua, quantum ad, *Quid sit.* Hîc autem asserimus, ne hac quidem abstractiua cognitione posse naturali lumine Trinitatem cognosci. Quamobrem ad huius veritatis probationem, superfluè afferuntur multa testimonia, quæ supra naturales intelligendi vires esse probant notitiam Dei prout in se est secundum essentiam suam; & nihil expresè dicunt de Trinitate, cuius tantum cognoscibilitatem nunc indagamus.

2. *Probatur ex Matth. 11. & Luc. 10.*

Probatur primo ex Scriptura. Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* siue, vt refert Lucas cap. 10. *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ergo notitia diuinarum personarum Patris & Filij, non potest à creaturis aliter haberi, quam per diuinam reuelationem. Vnde Petro, qui confessus fuerat, Christum esse secundam personam Sanctissimæ Trinitatis, dicens, *Tu es Christus, Filius Dei viui*, respondit Christus Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* His Euangelij verbis, Nicænum lib. 2. §. *Ne quæras*, paulò post principium, probat quòd *ineffabilis est Pater, ineffabilis est ex eo ineffabiliter genitus Filius.* Et contra infidelem Philosophum, qui naturalem huius mysterij rationem reddi sibi poscebat, ait, *Si contendis inscrutabilia perscrutari, videmus tuam audaciam.* Et propter hanc impossibilitatem sciendi tantum mysterium, quod soli sciunt Pater & Filius, illud *secretum* vocat Hilarius libro 2. de Trinitate columna 4. fine, dicens, *Habet natiuitatis huius vterque secretum.* Addirque, quòd nemo debet *intelligentiæ suæ imputare, generationis huius sacramentum non posse se consequi.* Et ideo de se ipso ingenuè fatetur, *Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen. Archangeli nesciunt. Angeli non audierunt. Secula non tenent. Prophetæ non sensit. Apostolus non interrogauit. Filius ipse non edidit.* Quibus similia scripsit Ambrosius libro 1. de Fide cap. 5. aliquanto ante medium, *Mihi impossibile est generationis sure secretum. Mens deficit, vox silet; non mea tantum, sed Angelorum. Supra Potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. Tu quoque manum ori admoue; scrutari non licet superna mysteria.* Eadem citata Euangelij verba exponens Epiphanius hæresi 76. ad cap. 7. Aetij, ait, *Reuelat autem per Sanctum Spiritum, non his, qui de ipso per Syllogismos ratiocinantur, sed qui in ipsum legitimè, ac perfectè credunt.*

Concilium Nicænum.

Hilarius.

Ambrosius.

Epiphanius.

3. *Probatur ex Patribus.*

Probatur secundò ex Patribus. Præ. ipuè ac propriè fauens, Dionysius de diuinis nominibus cap. 13. post

Dionysius.

post medium, *Nulla Monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, nec quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summæ, omniaque superantis Diuinitatis, quod rationem mentemque vincit, enunciat: neque eius nomen est, neque ratio; sed in ijs, ad quæ aditus non patet, secreta est.* Hieronymus libro 18. in Isaiam in Procœmio, paulò post principium, *Trinitatis recta confessio, est ignoratio scientiæ.* Augustinus libro 1. de Trinitate cap. 2. omnem de tanto mysterio disputationem ita exorsus est, *Humana mentis acies imualida, in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur.* Cyrillus in oratione de Verbi incarnatione post medium, & habetur in Concilio Ephesino tomo 6. cap. 1. ait, *Filij Dei cognitio, cœlestis, diuinaque inspirationis donum est.* Anselmus in Monologio cap. 62. initio, de eadem veritate, ita scripsit, *Videtur mihi huius tam sublimis rei secretum, trascendere omnem intellectus aciem humani.* Et post nonnulla, de summa Sapientia ait, *Quis explicet quomodo dicat se ipsam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine sciri possibile est.* Et libro de Incarnatione Verbi cap. 6. paulò ante finem, *si negat, tria dici de vno posse, & vnum de tribus, cum tria non dicantur de inuicem, sicut in his tribus personis & vno Deo facimus; quoniam hoc in alijs rebus non videt, nec in Deo intelligere valeat; sufferat paulisper aliquid, quod intellectus eius penetrare non possit esse in Deo; nec comparet, naturam, quæ super omnia est, libera ab omni lege loci, & temporis, & compositionis partium, rebus quæ loco, aut tempore clauduntur, aut partibus componuntur; sed credat aliquid in illa esse, quod in istis esse nequit, & acquiescat authoritati Christi, nec disputet contra illam.* Multos alios Patres attulimus supra quæst. 27. art. 2. dub. 1. docentes, impossibile esse cuilibet creaturæ intelligere diuinam Verbi generationem, iuxta illud Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Et eius differentiam à processione Spiritus sancti.

Hieronym.

Augustin.

Cyrillo.

Anselmo.

4. *Probatur ratione articuli.*

Probatur tertio ratione fundamentali tradita in Corpore huius articuli. Intellectus creatus, cum sit essentialiter potentialis, non potest per sua naturalia naturaliter tendere in Deum, actum purum, immediate prout in se est, vt latè demonstratum est tomo 1. quæst. 12. art. 4. Sed solum mediatè per creaturas, docente Paulo ad Romanos 1. quòd *inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas.* Quam ob causam Iob cap. 36. cum dixisset, *omnes homines vident eum*, hoc est, habent in se ipsi naturale rationis lumen, quo Deum, si velint, intueri possint, statim limitando subiunxit, *Vnusquisque intuetur procul*; quia scilicet, non potest intueri immediate, figendo intuitum directè in ipsum Deum, sed intuendo creaturas, quæ à natura Creatoris Dei longissimè, & infinitè distant. Tamen in illis tria videt & distinguit, Primo esse ens. Secùdo esse ab alio. Tertio esse ex nihilo. Vbi fundant tres vias cognoscendi Deum. Primam eminentiæ, siue excellentiæ; qua scit esse in Deo, modo infinitè perfectiore, omnes creaturarum perfectiones, quæ in suo præciso conceptu nullam implicant imperfectionem. Secundam causalitatis, siue efficientiæ; qua euidenter demonstrat Deum esse primam omnium causam, vt supra quæst. 2. art. 3. Tertiam negationis, seu remotionis; qua certò cognoscit non posse esse in Deo illas imperfectiones, quas videt in creaturis. Vnde Sapientissimè Magnus Dionysius de diuinis Nominibus cap. 7. multò post medium, docet, *Dei nos habere notitiam, non ex ipsius natura, est enim incognita, omnemque rationem, mentemque superat, sed ex rerum omnium descriptione, vt quæ ab eo prolata sit in lucem, & imagines quasdam, similitudinesque diuinorum eius exemplarium in se continet.* Et statim explicat tres præ-

Florentinus.

dictas vias fundatas in communi modo cognoscendi Deum per creaturas, subdens, *Ad id, quod omnia superat, vita & ordine, pro viribili parte, omnium detractione, & præstantia, omniumque causa ascendimus. Itaque in omnibus Deus noscitur, & sine omnibus; scientiaque Deus cognoscitur & ignoratione.* Sed in creaturis non habemus, & consequenter, ex creaturis probare nullo modo possumus tres personas, inter se realiter distinctas, & omnino identificatas cum vna numero, eademque cõmuni natura, vt cuilibet, consideranti rerum creatarum conditiones, manifestum est. Ergo per rationẽ naturalem, etsi cognosci possint de Deo, ea quæ pertinent ad vnitatem essentiæ, quoniam quæ ex creaturis de Deo affirmare, vel negare possumus communia sunt toti Trinitati, tamen cognosci nulla via possunt ea quæ pertinent ad distinctionem personarum.

5. *Corollarium ex S. Thoma.*

Hinc colligit S. Thomas, quod valdè notandum est à fidei Prædicatoribus in infidelium conuersione, derogare fidei, qui nititur naturali ratione probare Trinitatem personarum, cum Fides sit de præstantissimis rebus, inuisibilibus, & non apparentibus, quæ propterea naturale lumen creati intellectus excedunt: & ideo si quis ad Trinitatem probandam afferret rationes, quæ non possunt esse cogentes, infideles facilè eas soluerent, & irriderent fidem, ab eaque retraherentur. *Quæ igitur Fidei sunt,* inquit S. Thomas circa finem Corporis, *non sunt tentanda probari, nisi per authoritates, his qui authoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere, Non esse impossibile, quod prædicat Fides. Vnde Dionysius dicit 2. cap. de diuinis nominibus si aliquis est, qui totaliter eloquijs resistit, longè erit à nostra Philosophia. Si autem ad veritatem eloquiorum, scilicet sacrorum, respicit, hoc & nos Canone vtimur.*

6. *Confirmatio.*

Confirmari potest ratio ex his, quæ fusè dicta & probata sunt supra quæst. 27. art. 1. dub. 13. præsertim conclusione 5. & 6. de diuinis processionibus, quòd nullo aptiori medio probari possint, nisi ex creatis processionibus verbi, & amoris per actus intellectus & voluntatis, sumpto illo vniuersali principio ibi posito à S. Thoma, *Quicumque intelligit, ex hoc ipso, quòd intelligit, format verbum*; alioque omnino simili, Quicumque amat, ex hoc ipso, quòd amat, format amorem. Si enim hæc vniuersalissimè vera esse demonstrarentur, sequeretur procul dubio, Deum, de quo euidenter naturaliter scimus ex creaturis, quòd est intelligens, & volens, siue amans, formare in se Verbum, & Amorem suum; quæ in eo esse non possent accidentales & inhærentes formæ, sed personæ per se subsistẽtes. Verum ibi efficaciter ostendi; hæc principia, quæ locum habent in creaturis ob earum imperfectionem, non posse naturali ratione extendi ad Deum perfectissimè intelligentem & volentem. Quod si ex nulla re creata probari potest processio intra Deum per intellectum & voluntatem, ex nulla etiam creata re probari poterit Trinitas & simpliciter pluralitas diuinarum personarum: quoniam, vt ibidem demonstraui, num. 236. implicant duæ personæ, improductæ, quarum vnaquæque sit Deus. Hanc igitur creati verbi processionem, comparatam ad processionem Verbi diuini, non ausus est Augustinus libro 15. de Trinitate cap. 11. paulò post principium vocare simpliciter similitudinem, qua hæc per illam probari possit; sed meritò vocauit, *qualemcumque similitudinem, quamuis per multa dissimilem, in qua sicut in ænigmate videtur vtrumque Dei Verbum.*

Augustinus.

7. *Extensio conclusionis ad cognitionem probabilem, cum recentioribus.*

Exadductis authoritatibus, & rationibus, constat, conclusionem esse extendendam non solum ad cognitionem certam, sed etiam ad probabilem, vt benè notarunt Torres hic, in 2. p. cõmentarij, in fine primæ

primæ conclusionis Molina conclusione 1. Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 11. num. 10. Zumel disput. 1. conclusione 1. Arrubal disput. 115. cap. 3. Ruiz disput. 41. sect. 5. Nazarius controuersia vnica conclusione 1. quamuis enim facta diuinarum processionum ac personarum supernaturali reuelatione, possimus deinde probabiliter vtcumque suadere duas in Deo processiones, vt loco citato factum abundè est; tamen nullus ex se primò potest ex quauis creata processione probabiliter concipere aliquam processionem intra Deum, vt ibi sufficienter explicatam est. Item esse extendendam ad quamlibet cognitionem angelicam, etiam perfectissimã, quam extensionem expresè faciunt Sancti, Hilarius & Ambrosius supra n. 2. & Clemens Romanus, Irenæus, Cyrillus Hierosolymitanus, Nazianzen. citati supra q. 27. art. 2. n. 9. Constat præterea, naturalẽ rationem, etiam si Trinitatem diuinitus reuelatam habeat, & firmissime credat, adhuc non posse naturaliter demonstrare quod credit; quia in hoc etiam casu procedere deberet ex creaturis, ex quibus trẽs personæ realiter distinctæ, quæ nihilominus sint vnum simplicissimum, & prorsus indistinctũ, ostendi, & probari nulla ratione possunt. Fidei enim lumine, quo Trinitatẽ credimus, non intuemur ipsam Trinitatem in se, neque aliquam intrinsecam connexionem quam Trinitas habeat cum aliqua eius causa, vel proprietate; sed solum diuinitus illustramur, & mouemur, vt ex extrinseco testimonio diuinæ authoritatis reuelantis asseremus esse omnino verum quod dicit. Ergo etiam posita fide Trinitatis, non potest naturalis ratio euidentem aliquam rationẽ formare ad illam probandã. Et quidem Patres, & Scholastici omnes authores huius veritatis, Trinitatẽ credebant, & tamen neque ipsos, neque etiam Angelos sanctos non probare posse contendunt. Vnde Augustinus libro de Fide & Symbolo c. 9. circa finem ait, *Fides inconcussa tenenda est, vt dicamus istam Trinitatem vnum Deum: nec temerè aliquid de inuisibilibus affirmemus, tamquam scientes, sed tamquam credentes: quoniam videri nisi mundo corde non possunt.* Quo autem modo, & quid de Trinitate probari possit præsupposita fide alicuius articuli Trinitatis, ex instituto tractatum est supra quæst. 27. art. 1. dub. 12. per totam: sicut etiam, quid naturaliter possimus in soluendis argumentis contra Trinitatem quam fide credimus, dictum in genere sufficienter est tomo 1. quæst. 1. art. 8. dub. 3. & 4.

Item ad angelicam.

Item posita fide Trinitatis.

Augustin.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sint ponendæ notiones in diuinis.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd non sint ponendæ notiones, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Quid sit notio, num. 1.*
2. *Notiones probantur primò authoritate, n. 2. & 3.*
3. *Probantur secundò rationibus, num. 4. ad finem articuli.*

1. *Quid sit notio.*

EX sequenti articulo initio Corporis, *Notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi diuinam personam.* Quare in hoc, & sequentibus articulis, Notio non sumitur formaliter pro mentis actu, qui sicut dicitur notitia, ita etiam notio, & pertinet teste Syluestro p. p. Conflati q. 32. art. 2. initio, *ad primam nominis impositionem à verbo, noscо*; sed sumitur obiectiuè, pro aliqua formalitate extra intellectum realiter existente, quæ obijcitur nostræ cognitioni. Atque hanc formalitatem obiectiuam significat illud, *Ratio cognoscendi.* Porrò ex eo quòd Notio sit *propria ratio cognoscendi diuinam personam*, non potest consistere in aliquo prædicato communi omnibus personis, cuiusmodi sunt non solum nomina essentialia, v. g. Deus, sapiens, sed etiam hoc ipsum Personæ nomen. Vnde etiam sequitur, quòd notio concipi, & significari debeat in abstracto, non in concreto, vt non semel in hoc articulo docet S. Thomas, concludens in fine Corporis quòd *relationes in abstracto dicuntur proprietates, & notiones*; quas propterea superius dixerat, *significari vt quo*, non autem vt quod: & ideo etiam ad 2. deinde docuit, *quod notiones significantur in diuinis non vt res, sed vt rationes quædam*: quia etsi sint in rebus ipsemet Deus, & ipsamet subsistentes personæ, tamen non significantur in concreto vt res ipsæ subsistentes, sed in abstracto vt distinctæ mentaliter à rebus subsistentibus, tamquam formales earum rationes. Et sanè nemo dixerit, Patrem ipsum, v. g. esse formalem, ac propriam rationem cognoscendi Patrem. Præterquam quòd cum Pater, vt in concreto significatus, non solum dicat paternitatem, quæ est propria Patris ratio, sed etiam Deitatis naturam, quæ est ratio omnium personarum communis, valde recedit à proprio notionis conceptu, de quo nunc disputamus. Ex quo etiam obiter aduerto, Authores citatos supra quæst. 28. art. 2. qui relationes ab essentia vel nullo modo ratione distinguunt, vel solum per explicitum & implicitum, nullo etiam modo, vel minus expeditè posse diuinas notiones concedere; quoniam neque in re, neque in eorum mente haberetur aliquid, quod esset propria ratio vnius personæ, & non etiam essentialiter communis ratio reliquarum omnium: quod traditum, & communissimè receptum Notionis conceptum planè destruit. Hac posita terminatorum explicatione, quam nemo negat,

Notio est ratio abstracta.

S. Thomas.

Syluester.

2. *Notiones esse concedendas contra Præpositinum, Arimineñsem, Maiorẽ.*

Conclusio affirmatiua articuli est omnium, exceptis Præpositiuo, quem refert, & impugnat S. Thomas initio Corporis, Ariminensi 1. d. 26. & 27. quæst. vnica art. 2. conclusione 2. impugnante doctrinam huius articuli; vbi quamuis loquatur de proprietatibus, quas nulla ratione ab ipsis personis distingui vult, & propterea neget, Personas proprietatibus constitui; tamen eadem omnino est ratio de notionibus, cùm omnis proprietas sit notio, licet non contra. Et Ioanne Maiore 1. d. 26. quæst. vnica, expresè probante sententiam Magistri Præpositiui. Cum his aliqui referunt etiam Gabrielem 1. d. 18. quæst. vnica art. 3. vbi de hac re nihil omnino legitur. Fortasse referre voluerunt d. 28. quæst. vnica art. 3. Sed hic etiam, negat quidem; notiones esse quinque, sicut etiam negat, relationes esse quatuor, quod impugnaui suprà q. 28. art. 4. dub. 3. Sed non negat notiones simpliciter, imo in tertio Corollario expresè concedit tres notiones: & postea dicit, & explicat, quod relatio, & notio quæ est in diuinis, realiter idem sunt.

Quid sentiat Gabriel.

3. *Probatur ex Iustino, Basilio.*

Probatur primo ex Patribus. Iustinus in expositione Fidei, pagina 2. circa finem cum *Geniti nomen, quasi notam quamdam audimus, Filij notionem percipimus.* Basilius libro 2. contra Eunomium, multò ante finem, *Proprietates, ac notæ, quasi characteres quidam, & formæ in substantia inspectæ, distinguunt quidem quod commune est, appropriatis characteribus, communicationem verò substantiæ non amputantur, vt verbi causa, Deitas communis est; proprietates autem, paternitas & filiatio:* quas paulò post vocat notiones, dicens, *Proprietates declarationc notionum, tamquam lucem animis nostris*

nostris imponentes, ac comprehensibilem mentibus intelligentiam dicunt. Et iterum post nonnulla. *Cum vna Deitas sit, impossibile est propriam notionem Patris, vel Filij capere, nisi proprietatum accessione cogitatio nostra confirmata sit.* Non solum notiones concedit, sed etiam eas in abstracto nominat Paternitatem, & Filiationem, easque à Deitate distinguit. Item epistola 43. columna 3. paulò post principium ait, *Necessarium est, vt per proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in Triade comparatio:* &, vt magis explicat paulò post, *singularum personarum intellectus liquidò, & sine commistione à communi consideratione sequeretur.* & postea sæpissimè notiones proprias Patris, & Filij, & Spiritus sancti nominat & explicat. Et libro de Spiritu sancto cap. 5. initio illis vocibus ad Ephesios 4. *Vnus Deus & Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*, notari ait, *Personarum discrimen. Neque enim in hoc adhibentur, vt naturæ diuersitatem inducant; sed vt impermixtam Patris, ac Filij notionem approbaret. sic eas adhibuit Apostolus.* Nyssenus

Nyssenus. Nyssenus libro de differentia essentiæ & hypostaseos, pagina 3. paulò post principium, *Per propria, ac peculiaria signa in confusum Trinitatis discrimen habere oportet. Quod quidem communiter in ea consideratur, velut non creatum, non vnà comprehendemus, & assumemus ad proprij iudicationem: sed solummodo requiremus ea, quibus vnius cuiusque notio dilucidè, & absque mistione ab ea, quæ vnà consideratur, segregetur.* Epiphanius

Epiphanius. Epiphanius hæresi 73. in medio, *Quare etiam si Patrem solum nominemus, habemus in nomine subintellectam notionem Filij; Pater enim Filij Pater dicitur: & si Filium solum nominauerimus, habemus notionem Patris; quia Filius, Patris Filius.* Cyrillus

Cyrillus. Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 5. paulò ante medium, *Alium generare, Patris notio est.* & c. 6. paulò ante medium, *Notio perfectionis, fœcunditas est.* Augustinus

Augustinus. Augustinus libro 5. de Trinitate cap. 6. ante medium cum probasset, esse ingenitum, & esse genitorem, non esse idem, de istis rationibus formalibus obiectiuis ita deducit, *Ideo alia notio est, qua intelligitur genitor; alia, qua ingenitus.* Præterea Alexander Alexandrinus Episcopus epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum columna 5. circa medium & habetur in Concilio Nicæno libro 1. paulo ante medium notiones, non quoad nomen, sed quoad rem ipsam, admittit, dum dicit, *Impium esse alia negare, ex quibus & Filius cognoscitur, & Pater velut notis quibusdam discernitur.* Atque vnam ex his paulò post in abstracto vocat *proprietatem, qua Filius est*; & mox etiam, *filialitatem.*

Alexander Alexandrin.

4. *Probatur ratione.*

Probatur secundo ratione à priori. Nomine notionis nihil aliud significare volumus, nisi quasdam formales rationes in ipsismet diuinis personis realiter existentes, ratione præcisas, & in abstracto conceptas ac significatas, quæ non sint communes omnibus personis, prout inter se realiter distinctis: hæ enim propriè vocantur notiones, per quas cognoscimus, vnam aliquam personam distinctam esse ab alia. Sed certum apud omnes Theologos esse debet, reperiri huiusmodi rationes, ex eo quod fide constat, dari in diuinis tres personas realiter distinctas; & est naturaliter euidens, multa non posse inuicem realiter distingui, nisi in singulis sit aliquid proprium, mente saltem conceptibile, & abstrahibile ab omni eo, quod est illis commune. Sic in proposito, quia Pater non est Filius, tametsi ambo sint vnus Deus, rationem paternitatis à Deo ratione præscindimus, & concipimus in abstracto per eam constitui Deum in esse formali Patris, & Patrem distingui, & posse cognosci distinctum à Filio. Sic etiam de filiatione, & aliis similibus. Ergo in diuinis personis notiones negari nulla ratione possunt. Neque repugnat, inquit optimè S. Thomas contra Præpositiuum, simplicitati Dei, & diuinarum personarum, quòd quæ in ipsis realiter sunt, ratione distinguamus, & concipiamus atque significemus nominibus abstractis & concretis. Cum enim ob nostram intelligendi imperfectionem non possimus diuina prout in se ipsis sunt concipere, ex præstantia & plenitudine obiecti, quod cum vnum actu in se sit, æquipollet multis rebus creatis distinctis, habemus rationabile fundamentum absque præiudicio vnitatis obiecti, illud concipiendi distinctè quasi per partes. Et cum in obiecto non solum sit simplicitas, sed etiam subsistens, & completa simplicitas, illud, inquit, *ratione simplicitatis, per nomina abstracta significamus; ratione vero subsistentiæ, & complementi, per nomina concreta.* Quibus nominibus abstractis & concretis, & in rebus diuinis explicandis, vtuntur passim omnes Patres, omnia Concilia, omnes Scholastici.

5. *Duæ aliæ articuli rationes.*

Præter hanc communem rationem, duas alias peculiares rationes assignat S. Thomas multò post principium Corporis, quibus non solum conueniens, sed etiam necessarium fuit quasdam proprias personarum rationes, quas notiones vocamus, in abstracto concipere, & significare. Primum est, *quia cum confiteamur, Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse vnum Deum, & tres personas, quærentibus hæreticis, Quo sunt vnus Deus, & Quo sunt tres, sicut respondetur, Quòd sunt essentia, vel Deitate vnum; ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit, personas distingui: & huiusmodi sunt proprietates, vel notiones, in abstracto significantes, vt paternitas, & filiatio. Et ideo essentia significatur in diuinis vt quid, persona vero vt quis, proprietas autem vt quo* secunda est, quia, vt nos probauimus supra quæst. 28. art. 4. num. 6. explicantes quæ in hoc articulo habet S. Thomas contra Præpositiuum, Pater est vna persona; & tamen non vna paternitatis relatione respicit Filium, & Spiritum sanctum: similiter Filius est vna persona, & tamen non vna filiationis relatione respicit Patrem, & Spiritum sanctum. Ergo, ne vnam personam tamquam duas significaremus, docentes, Patrem, & spiratorem, item Filium, & spiratorem, necesse fuit abstractè loqui, & dicere, in vna Patris persona esse & relationem paternitatis, & relationem spirationis; & similiter in vna persona Filij esse & filiationem, & spirationem.

6. *Prima ratio defenditur contra Arimenensem.*

Primam rationem soluere nititur Ariminensis supra dicens, *Quòd taliter quærentibus, optimè potest responderi secundum viam, quam docuit Hieronymus dicens, Quòd substantia vnum sunt, & personis distinguuntur: & docuit Augustinus dicens, Quòd sunt vna substantia, & distincta personæ.* Sed non satisfacit, quia si substantia sunt vnum, ac proinde, substantia non distinguuntur, personis vero distinguuntur; siue, quod idem est, substantia est vna, personæ sunt plures; ergo in personis, præter rationem substantiæ, est saltem concipere, ac ratione distinguere aliquam aliam rationem, qua omnes abstracto nomine significamus, & proprietatem, ac notionem esse dicimus: alioqui per eamdem omnino rationem diuinæ personæ essent vnum, & non essent vnum; essent plures, & non plures, distinguerentur, & non distinguerentur. Igitur hoc ipso, quòd omnes fideles confitentur, Trinitatem esse vnum Deum, & tres personas, non potest Christianus Philosophus non mente distinguere rationem Deitatis, quæ in tribus non triplicatur, & rationem personalitatis, triplicatam, & consequenter, in singulis propriam, vnde singulæ personæ, tamquam propriis quibusdam signis dignosci possint; quod proprium est Notionum. Quapropter si in personis non essent saltem ratione distinguibiles duæ formalitates, altera quæ sint vnum,

vnum, altera qua sint plures, dici quidem possent plures, & distinctæ, non tamen vnum & indistinctum. Quamuis enim singulæ personæ prout in re sunt absque vlla distinctione, dici possint se ipsis totis esse vnum & esse plura; & non per aliud esse vnum, & per aliud esse plura, cum in ipsis non sint in re aliud, & aliud: tamen prout à nobis concipiuntur cum fundamento in re ob earum eminentiam, debent omnino dici per aliud esse vnum, & non distingui realiter; per aliud vero esse plura, & realiter distingui. Demum, asserere simpliciter, personas esse tres, & realiter distinctas, non est respondere instantiæ hæreticorum, qui non quærunt hoc, sed hoc supposito, quod omnes fideles credimus, inquirunt, Quæ nam sit illa ratio, qua in se ipsis realiter & formaliter habent vt distinguantur tres personæ, quę nihilominus creduntur simpliciter vnum. Quo quidem quæsito supponunt tamquam omnino manifestum, quod omnes concesserunt & Patres, & Scholastici, paucis quibusdam Nominalibus exceptis, Tria realiter distincta quæ sunt vnum realiter indistinctum, non posse eadem omnino ratione, qua distinguuntur, non distingui: sed hoc supposito, peruersè intendebant euertere articulum fidei de vno Deo trino; quoniam falso putabant, non posse fideles afferre rationes distinguentes tres personas, quæ non essent etiam rationes distinguentes tres naturas, quas Ariani distinguere volebant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sint quinque notiones.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd non sint quinque notiones, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Probatur notiones non esse pauciores quinque, n. 1. & 2.*
2. *Innascibilitatem esse notionem distinctam à Patre, num. 3.*
3. *Soluuntur duo contraria argumenta, n. 4. & 5.*
4. *Notiones non esse plures quinque, n. 6. & 7.*
5. *Occurritur obiectionibus, num. 8. ad 11.*
6. *Quomodo differant Notio, Relatio, Proprietas, num. 11. & 17.*

1. *Non esse pauciores quinque contra Gabrielem.*

PRIMA conclusio. Sunt quinque, & non pauciores, nempe, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, communis spiratio, & Processio. Ita S. Thomas hic, & reliqui omnes, vno excepto Gabriele 1. d. 28. quæst. vnica art. 2. vbi probat, Innascibile nullo modo esse proprietatem Patris, *quia*, inquit conclusione 2. *Pater non est proprietas Patris, & innascibile est tantum Pater*: quæ ratio, si vim habet, probat nec esse notionem distinctã à paternitate. Et art. 3. conclusione 2. & 3. vbi magis expressè asserit, Innascibilitatem non esse notionem; & vniuersaliter putat absurdum, concedere quinque notiones, aut quatuor relationes; quia inferretur, vt ait in quinta conclusione, *plures res esse in Deo, quam très, quod est falsum.* Et cum Ochamus, & idem Gabriel, relati & impugnati supra quæst. 28. art. 4. num. 36. negent in Deo esse quatuor relationes, ad quinarium notionum numerum, in quo quatuor relationes includuntur, peruenire non possunt.

Ochamum.

2. *Ratio articuli.*

Fundamentum congruentissimum Sancti Thomæ & commune, est, quia notio diuinarum personarum, est aliqua ratio in ipsis personis, per quam cognosci potest vna persona distincta ab aliis, vel ab alia. Sed personæ multiplicantur, & inuicem realiter distinguuntur per originem. Ergo notiones sumi, & multiplicari debent per ordinem ad originem. *Ad originem autem*, inquit, *pertinet A quo alius, & Qui ab alio: & secundum hos duos modos potest innotescere persona.* Pater per secundum modum, *Qui ab alio*, non potest innotescere positiuè, tamquam sit aliquis procedens ab alio, quia hoc est falsum, sed tantum negatiuè, quia ipse verè à nullo est: & sic eius notio est innascibilitas. Per primum vero modum, *A quo alius*, quia ab ipso non solum est Filius per generationem, sed etiam Spiritus sanctus per spirationem, quæ est alia processio diuersæ rationis à generatione, innotescit non solum paternitate, sed etiam relatione spirandi. Filius præterea vt *Qui ab alio*, nempe Patre, innotescit filiatione; vt *A quo alius*, nempe Spiritus sanctus, innotescit eadem communi spirandi relatione. Demum Spiritus sanctus, cum non sit *A quo alius*, sed solum *Qui ab alio*, nempe Patre, Filioque, innotescit tantum relatione passiuæ spirationis. Vnde habentur saltem quinque notiones, Tres in Patre, Innascibilitas, Paternitas, communis spiratio; quæ vltima est etiam omnino eadem in Filio, in quo etiam est quarta notio Filiationis; vna autem & quinta processionis notio in Spiritu sancto.

3.

Confirmatur infringendo duo contraria fundamenta, quibus aduersarij nolunt admittere quinque notiones, sed tantum tres. Primo propter relationem spirandi, quam putant non posse vt quartam relationem connumerari cum tribus aliis relationibus constitutiuis personarum. Sed hoc pluribus confutatum est supra quæst. 28. art. 4. dub. 3. per totam. Secundo propter innascibilitatem, quam contendunt non esse Patris proprietatem, sed ipsummet Patrem. Hoc autem esse contra manifestam rationem, & omnes Patres, ostendam quæst. sequenti art. 4 in proprio loco. Nunc satis sit, Iustinus in expositione Fidei columna 2. circa medium, vbi loquens de Patre, ait, *si modum, quo constitit, quæras, cum eum à nullo alio ortum videas, ingenitum eum appellabis.* Et tam de Ingenito, quam de Genito subdit, quòd *declarãt hypostases*, nempe Patris, & Filij. Quare quod de Genito dixit ibidem Iustinus, debet etiam dictum intelligi de Ingenito, scilicet, *Cum ingeniti nomen, quasi notam quamdam audimus, Patris notionem percipimus.* Si igitur Ingenitum nihil aliud significat nisi, *à nullo alio ortum*, siue, vt initio eiusdem paginæ profundius explicauerat, *statum ab omni origine liberum*, esse ingenitum, manifestè distinguitur ab esse Patrem, quod est, habere filium. Neque enim in eo quòd vnus non est ab alio, includitur necessario quòd alius sit ab ipso: sicut v.g. primus homo Adam initio non fuit ab alio homine genitus, & tamen initio non fuit Pater, & potuisset toto tempore vitæ suæ sic permanere sine vllo filio. Quod perspicuè docuit Augustinus libro 5. de Trinitate cap. 6. initio dicens, *Quòd Pater ad Filium dicitur, Ingenitus tamen ad se ipsum dicitur, non ad alterum. Non enim hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere; quia etsi filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum: & si gignat quisque filium, non ex eo ipse ingenitus est; quia geniti homines ex aliis hominibus, gignunt & ipsi alios.* Et iterum paulò post, *Nec idco quisque Pater, quia ingenitus; nec ingenitus ideo, quia Pater; & propterea non ad aliud, sed ad se dici putatur ingenitus.* Et tandem ita contra aduersarios apertissimè concludit, *Ideo alia notio est, qua intelligitur genitor; alia, qua ingenitus.* Quam Augustini doctrinam referunt ac recipiunt Magister & Scholastici 1. d. 28. initio. Vtramque notionem eodem modo distinguit Anselmus

Innascibilitatem esse notionem, probatur ex Iustino.

Ingenitum & Patrem distingui ex Augustino.

Anselmus.

Anselmus in Monologio cap. 54. post medium, de Patre dicens, *Potest itaque, imò debet dici solus ille genitor, & ingenitus; quia solus est Pater, & nullo modo ab alio est.* Ingenitum quoque sine ordine ad Filium, quo solo ordine Pater est formaliter pater, explicauit Toletanum XI. in Professione Fidei, initio illis verbis, *Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur: ipse enim à nullo originem ducit.*

Toletanum XI.

4. *Primæ obiectio ex Gabriele.*

Obiicies primo ex Gabriele, citato articulo 2. conclusione 1. & 2. Innascibilitas sumpta pro re non nata, non est proprietas Patris, quia conuenit etiam Spiritui sancto: sumpta etiam vniuersalius pro re non producta, conuenit quidem soli Patri, tamen non est Patris proprietas, sed est tantum Pater: *quia nec est essentia, nec relatio, nec constitutum ex essentia & relatione puta spiratione actiue, nec Filius, nec Spiritus sanctus. Ergo est tantum Pater; quia illa tantum sunt in diuinis.*

Respondetur explicando, quid sit Innascibilitas.

Respondeo, præter hæc omnia, esse etiam negationem essendi ab alio quacumque ratione, hoc est, non solum ab alio tamquam à causa, quam negationem habent quoque Filius, & Spiritus sanctus; sed etiam ab alio tamquam à principio, quæ negatio reperitur in solo Patre, & fundatur in ipso positiuo conceptu primæ personæ diuinæ, quam suprà q 27. art. 1. n. 235. demonstraui debere esse omnino improductam. Hoc positiuum fundamentum significare voluit Iustinus supra, cum esse ingenitum descripsit positiuè per *statum ab omni origine liberum:* & dici etiam positiuè potest, esse à se omninò, iuxta explicationem huius termini factam tomo 1. q.4. art.2. n.50. sed contra hanc responsionem, qua aliqua negatio dicitur notio.

5. *Secunda obiectio* S.Thomas.

Obiicies 2.quia, vt notat S. Thomas hic ad 4. & clarius explicat 1.d.26.q.2.art.3.circa medium Corporis. Ad notionem inter alia requiritur, *quod pertineat ad dignitatem, quia persona est hypostasis distincta proprietate, ad dignitatem pertinente*; quæ personæ definitio, *magistralis* dicitur ab Alensi p.p.q.56. membro 3.ad 9.& Alberto p.p.summæ, q.44.membro 2. circa principium, quia ita *Magistri definiunt*, vt testatur Bonauentura 1. d. 25. art.1. q. 2. circa finem. Sed nulla negatio, vt formaliter negatio, cum auferat potius quam aliquid ponat, pertinere potest ad dignitatem, ergo neque ad notionem.

Alensis. Albertus.

Bonauentura.

Respondetur cum Suarez. explicando, quo modo notio pertineat ad dignitatẽ.

Respondeo cum Suarez libro 5.de Trinitate c 10. n.6.non esse necessarium, vt notio pertineat ad dignitatem ratione eius, quod vt notio formaliter dicit; ita vt notio formaliter consistere debeat in aliqua positiua dignitate alicuius personæ; sed satis est vt ad dignitatem pertineat vel ratione eius quod formaliter importat, vel ratione eius quod connotat, & innotescit etiam per illam: *quia*, vt ad hoc ipsum probandum dixisse videtur S. Thomas q. sequenti art.4 ad 1.fine *prima & simplicia per negationes notificantur; sicut dicitur punctum esse, cuius pars non est.* Atque hic respondendi modus, videtur magis probabilis, quam alius Bagnes hîc dub.1.ad 1. Vasquez disp.137.c.5.qui hoc argumento moti dicunt,

S.Thomæ.

Alia responsio Bagnes & Vasquez, minus probatur.

Notionem innascibilitatis de formali importare etiam positiuam dignitatem. Quod vt rectè notat Torres hic ad 1.apertè contradicit S. Thomæ loco citato & Augustino apud ipsum, vt clarius, & fusius ostendam q.sequenti art.4. Enim vero, vt efficaciter arguit S.Thomas ibi, si innascibilitas, vt formaliter notio, *non diceretur tantum negatiuè, sed importaret vel vtrumque simul, scilicet quòd Pater à nullo est, & quòd est principium aliorum; vel importaret vniuersalem authoritatem, vel etiam formalem plenitudinem; sic non esset alia proprietas à paternitate & spiratione, sed includeret eas, sicut includitur proprium in communi. Nam fontalitas, & authoritas, nihil aliud significant in diuinis,*

S.Thomas.

quam principium originis. Igitur hæc secunda responsio receptissimum numerum quinarium notionum minus expeditè tueri posset. Neque pro aduersariis est Bonauentura, quem Vasquez citat 1. d 24. q.4. nam ibi nulla est quæstio 4. sed apertè est pro nobis in d.26.art. vnico q.4. multò post medium Corporis dicens, *Ideo notio est innascibilitas, quia priuat originem generaliter:* & paulo ante in vniuersum docuerat, *quòd ratio distinguendi notiones sumitur à parte originis, aut positiuè, aut priuatiuè:* & deinde explicat, ad positiuum pertinere quatuor notiones relationum, ad priuatiuum vero vnam notionem innascibilitatis. Denique clarissime Augustinus omnem affirmationem & positiuum conceptum ab Ingenito remouet 5.de Trinitate c.6. fine. *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed qui non sit, dicitur.* Quod non est accipiendum purè negatiuè, sed priuatiuè ad excludendam Deitatem præcisam à personis quæ quidem est ingenita negatiuè, non tamen priuatiuè, quia Deitas vt Deitas non apta est generari; sed persona diuina, vt sic, apta est generari, saltem hoc illi non repugnat. Et ideo Pater, non quà Pater, sed quà persona, est priuatiuè ingenitus: vt acutè notat S. Thomas q. sequenti art. 4. ad 2. & fusè explicat Rada controuersia 25.art.1.

Bonauẽtura.

Augustinus.

Rada.

6. *Notiones non esse plures quinque, contra Scotum.*

Secunda conclusio. Notiones sunt quinque, & non plures. Ita S.Thomas hic, præsertim ad 4.& 5. & reliqui omnes excepto Scoto 1. d. 28. quæst. 1. post §. *Ad argumenta huius quæstionis,* in responsione ad 3. vbi etsi, vt ait Caietanus hîc aliquantò ante medium Commentarij, *non audet se contra torrentem opponere Doctorum, quinque tantum notiones approbantium*, tamen, vt ait Syluester in Conflato p. p. q.32. art. 3. initio *videtur velle introducere* sextam notionem inspirabilitatis in Filio: sicut enim quia Pater nullo modo produci potest neque per intellectum, neque per voluntatem, habet notionem innascibilitatis, sine improducibilitatis; ita quia Filius, quamuis producatur per intellectum & generetur, tamen quia non potest per voluntatem produci, & spirari, habere debet aliam notionem talis improducibilitatis, quam Scotus vocat *inspirabile & inspirationem.*

Scotus. Caietanus. Syluester.

7. *Inspirabilitatem non esse notionem distinctam.*

Hæc conclusio præter rationem superius allatam de sufficientia numeri quinarij notionum, non potest aliter probari, quam soluendo rationem dubitandi à Scoto propositam. Ad quam multa dicunt Caietanus & Syluester supra, Suarez supra n. suo 7. & alij Interpretes, quæ nó videntur clarè satisfacere. Equidem dico primo, quòd hac eadem ratione, si vim haberet, esset etiam multiplicanda septima notio ingenerabilitatis in Spiritu sancto: quoniam sicut Filius est non spiratus, sed genitus, ita contra, vt ait Athanasius in Symbolo, *Spiritus sanctus est non genitus, sed procedens*, seu spiratus. Ergo si negatio spirationis passiuæ satis est in Filio pro sexta notione, negatio pariter passiuæ generationis in Spiritu sancto satis erit pro septima notione. Dico 2. soluendo vtrumque argumentum, quòd neutra negatio per se accepta facit distinctam notionem, quia vtraque simul est inclusa in priori notione innascibilitatis, quæ est negatio omnis passiuæ originis, & spirationis per voluntatem, & generationis per intellectum. Alioqui præscindendo ab ista inclusione in alia notione, non video sufficientem rationem excludendi istas negationes per se sumptas; præsertim negationem spirationis in Filio, quæ est coniuncta cum dignitate spirandi Spiritum sanctum, ratione cuius dignitatis, Christus Ioannis 16.dicit de Spiritu sancto, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis:* nam in Spiritu sancto spirato, & præsupponẽte in priori

originis, generationem Filij, negatio generationis non est coniuncta cum dignitate generandi, aut spirandi aliam personam; & ideo ex hoc capite posset facilius excludi à numero notionum, quæ ex S. Thoma & aliis supra n. 5. importare, & notificare debent aliquam personæ dignitatem, si non formaliter, saltem connotatiuè, seu fundamentaliter.

8. *Prima obiectio.*

Contra eamdem conclusionem secundam obiicies præterea 1.quod quarto loco hic obiicitur. Negatio omnis passiuæ productionis, multiplicat notionem innascibilitatis in Patre, ex eo quòd Pater non est *Qui ab alio.* Ergo à contrario, negatio omnis actiuæ productionis multiplicare debet aliam notionem in Spiritu sancto ex eo quod Spiritus sanctus non est *A quo alius.*

Respondetur nullam oriri notionem ex eo quod Spiritus sanctus non sit à quo alius. S.Thomas. Scotus.

Respondeo negando consequentiam; & disparitas est, quia, vt respondet S.Thomas ad 4. *Cum persona importet dignitatem, vt supra dictum est.* q. 29. art.3. ad 2. *Non potest accipi notio aliqua Spiritus sancti ex hoc, quòd nulla persona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad authoritatem Patris, quòd sit à nullo.* Sed quoniam dixit Scotus supra, *hoc non videtur valere; quia non videtur necessarium ad proprietatem, siue ad notionem, dicere propriè dignitatem*; ideo hanc responsionem magis explico. Certum est ex primis Theologiæ Magistris, vt supra num.5. Personam propriè ad dignitatem pertinere, quia, vt ratiocinatur S. Thomas loco citato, *Magna dignitatis est, in rationali natura subsistere*, quod proprium est personæ, vt patet ex eius definitione supra q.29.art.1. *Unde consueuerunt dici Personæ in Ecclesijs, quæ habent aliquam dignitatem.* Hinc congruentissimè deducimus, inter notiones, seu realia signa, quibus dicuntur dignosci & declarari personæ, nó esse numerandum id, quod declarat quidem aliquid, simpliciter pertinens ad vnam personam, nó aliam, tamen non declarat aliquid, quod dignitatẽ, siue authoritatem aliquam præ se ferat: tunc enim illo præcisè cognito, non innotesceret persona secundum proprium illius conceptum, qui est conceptus dignitatis. Relationes igitur paternitatis, filiationis & passiuæ spirationis cum sint ipsæ personalitates & dignitates constitutiuæ diuinarum personarum non possunt ex hoc capite excludi à ratione notionum. Sicut etiá relatio spirationis actiuæ, quia licet non constituat personã, tamen est relatio principij spirantis; quod sine dubio pertinet ad dignitatem. Ex negationibus vero, negatio essendi ab alio, maximæ dignitatis est. Vnde sequitur, quod esse ab alio præcisè non sit dignitas; non tamen sequitur, quod sit imperfectio, vt satis declaratum & probatum est supra q.27.art.1.n.239, docente Hilario 9.de Trinitate multo post medium, *Donantis authoritate, Pater maior est; sed minor non est, cui vnum esse donatur.*

Hilarius.

9. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundo quod quinto loco sibi obiicit S.Thom. Sicut Patri, & Filio commune est, quòd ab eis procedat Spiritus sanctus; ita commune est Filio, & Spiritui sancto, quòd procedãt à Patre, ergo sicut vna notio ponitur cõmunis Patri, & Filio; ita debet poni vna notio communis Filio, & Spiritui sancto.

Respondetur procedere ab alio non esse vnam notionem in Filio & Spiritu sancto.

Respondet optimè S. Thomas, negando consequentiam; & disparitatem esse, quia actiua spiratio est aliquid commune Patri & Filio, non tamquam quid vniuersale, abstractum à pluribus singularibus; sed solum tamquam quid vnum singulare, quod reperitur in pluribus realiter distinctis; quo modo natura diuina tribus personis communis esse dicitur, vt explicaui & probaui supra q.28.art 4 n.41. Passiua vero processio vt cõmunis Filio & Spiritui sancto non est quid commune vt aliquid particulare pluribus conueniens, sed vt aliquid commune à pluribus abstractum. Notio autem esse debet aliquid particulare, non in omnibus tribus personis, sed vel in vna sola, vel in duabus tantum, & non aliquid abstractum à pluribus notionibus, vt esset ista relatio passiuæ processionis in genere, præcisa, à relatione generationis passiuæ, quæ est filiatio, & a relatione spirationis passiuæ, quæ est proprietas constituens Spiritus sancti: tum quia hoc modo inter notiones etiam numerari posset conceptus personalitatis, seu relationis, præcisus ab omnibus personalitatibus, & relationibus; item conceptus principij, præcisus à principio per intellectũ, quod principium est solus Pater, & à principio per voluntatem, quod principiũ sunt Pater & Filius; quæ quidẽ nullus dicit: tũ quia in qualibet particulari processione passiua includitur cõmunis cõceptus processionis passiuæ; ergo hic conceptus cõmunis poni nõ debet notio distincta à particularibus notionibus particulariũ processionũ; nihil enim de personis innotesceret posset per istum conceptũ communẽ, quod non innotesceret per cõceptus particulares, in quib. essentialiter includitur.

10. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertio argumentũ quod Torres hic multò post mediũ Commentarij dixit esse, *Maioris ponderis omnibus præfatis.* Per origines tam actiuas, quam passiuas, vt generare & generari, spirare & spirari, dignosci etiam possunt diuinæ personæ, v.g. ram generatio, quam filiatio notificant nobis personam Filij, sed diuerso modo; generatio, vt via quædam ad illum; filiatio, vt forma quædam in illo existens. Sed hæc distinguuntur saltẽ ratione ratiocinata à relationibus, quæ distinctio sufficit ad notiones distinguendas, vt patet de spirandi relatione, quæ numeratur vt distincta notio à paternitate, & filiatione; à quibus in re non distinguitur: & de innascibilitate, quæ est notio distincta à paternitate, à qua non distinguitur in re. Ergo præter quinque notiones assignatas, sunt multiplicandæ quatuor aliæ notiones originum. Saltem actiuarum, ad dignitatem pertinentium, ad quam non pertinent passiuæ.

Respondetur origines non esse notiones distinctas à relationibus.

Respondeo, has non fuisse numeratas vt notiones distinctas, sed comprehensas in notionibus relationum; quia diuinæ origines, vt origines, inuoluunt essentialiter ipsas relationes, vt suo loco infertius dicam. Ergo per se considerandæ, non sunt censendæ notiones distinctæ à notionibus relationum, sed ad has reuocandæ. Quapropter origines dicuntur communiter actus notionales, quia per se non sunt notiones ipsæ, sed solum notionibus coniunctæ.

11. *Quo modo differant Notio, Relatio, Proprietas.*

Tertia conclusio, quam S. Thomas ponit hic circa finẽ Corporis, & fusius 1.d.26.q.1.art.3 initio Corporis, & ad voces pertinẽt, in Mysterio Trinitatis hę tres voces, Notio, Relatio, Proprietas, differunt *quãtum ad rationem significationis.* Eadem enim paternitas v.g. in quantum est obiectiua ratio cognoscẽdi personã, dicitur notio, in quantum est formalis ratio referendi Patrem ad Filium, dicitur relatio; in quantum vni tantum personæ conuenit, scilicet soli Patri, dicitur proprietas. Hinc deducit S. Thomas, ex quinque prædictis notionibus, quatuor tantum esse relationes; nam Innascibilitas, vt docuit Augustinus supra num.3. *ad se dicitur, non ad alterum:* quatuor etiam tantum esse proprietates simpliciter, *Nam communis spiratio non est proprietas, quia conuenit duabus personis.* In quo sensu Basilius epistola 43. quò ante medium loquens de Filio dixit, *Nullam prorsus notionum communicationem, secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu sancto habet.* Vbi non negat Basilius, Filium habere communem cum Patre aliquam notionẽ simpliciter, sed solum aliquam notionem, quæ sit eius proprietas, eique conuenit in quantum filius est; cum enim spirare conueniat etiam Patri, non potest conuenire Filio, ex eo quòd Filius est. Similiter Nyssenus

Proprietates esse tantum quatuor. Basilius.

Nyssenus.

libro de Differentia essentiæ & hypostaseos, multò ante medium, dixit, *Filius nullam, quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne, communionem habet vel cum Patre, vel cum Spiritu sancto.* Innascibilitas vero a Patribus referendis q. sequenti art. 4. passim vocatur proprietas Patris.

12. *Personales notiones, proprietates, relationes esse tantum tres, ex S. Thom.*

Dictum est, quatuor esse proprietas simpliciter, quinque notiones simpliciter, quatuor relationes simpliciter & sine vllo addito; nam si addas, proprietates personales, notiones personales, relationes personales, *id est*, inquit hic S. Thom. *constituentes personas*, tres tantum esse docet, scilicet Paternitatem, Filiationem, & Processionem *Nam communis spiratio*, inquit, *& innascibilitas, dicuntur notiones personarum, non autem personales.* Cuius ternarij numeri optimam rationem tradidit Victorin. Riccard. lib. 4. de Trinit. c. 17. paulò post principiū, *In illa absque dubio Trinitate oportet tot personales proprietates esse, quot sunt personæ. Proprietas autem personalis pro certo est incommunicabilis. Proprietas personalis est, ex qua vnusquisque habet esse is qui ipse est. Personarum proprietates dicimus, per quam quilibet vnus est ab omnibus aliis discretus. Nunquā enim personam dicimus nisi aliquem solum à cæteris omnibus singulari proprietate discretum.* De his personalibus proprietatibus sunt ex contextu intelligendi aliqui Patres docentes simpliciter, Tres esse proprietates.

Riccardus Victorinus.

Nazianzen.

Sic Nazianzen. oratione aduersus Arianos, & de se ipso circa finem, *Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum*, statim vocat, *Vnam naturam in tribus proprietatibus.* & orat. 5. de Theologia inter principium & medium, loquens de tribus diuinis personis ait, *Tria hæc Deitate sunt vnum; & vnum hoc, personarum proprietate tria.* & multo post medium, *Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum* explicat esse, *Proprietates tres, & Deitatem vnam.* Item Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis Fidei dogmatibus, multò ante medium docet, *Proprietates personarum significatiuas, tres esse.* & personales proprietates significans, subdit, *Pater enim Pater est, non Filius. Filius consimiliter Filius est, non Pater*, &c. Theodoretus quoque citatus supra q. 29. art. 2. n. 7. in eodem sensu docuit, *Hypostasim, Personam, & Proprietatem, idem significare.* Atque hoc modo loquuntur omnes tam antiqui, quam moderni Theologi.

Anastasius Sinayta.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm liceat contraria opinari de notionibus.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd non liceat contrariè opinari, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Notiones simpliciter negare, est temerarium, n. 1. & 2.*
2. *An possit negari quinarius notionū numerus, n. 3. & 4.*
3. *Negare formalitatem, aut nomen notionis, est temerarium, num. 5.*
4. *Realitatem notionis negare est erroneum, num. 6.*

1. COMMVNIA, & facilia sunt, quæ scribit S. Thomas de hac materia in genere potius quam in specie distinctius, ac proprius, de notionibus contrariè opinādo, negari quatuor possunt, hactenus probata. Prima existentia simpliciter. Secūdo numerus quinarius, asserendo pauciores, aut plures. Tertio formalitas notionis. Quarto realitas notionis, v. g. de innascibilitate, aut spirandi relatione, negare quis posset vel quòd non habeat formalē rationem notionis, vel quòd ipsa realiter non detur.

Prima conclusio. Negare simpliciter esse notiones in diuinis, esset opinio omnino temeraria: quia sentiret contra omnes Patres & Scholasticos, exceptis Præpositiuo, Ariminensi, & Maiore supra art 2. num. 2. Et ideo Bagnes hic art. 2. initio ait, quòd *Præpositiuus errauit nolens admittere, nomina personalia in abstracto, propriè dicta de Deo: quemadmodum Gilbertus Porretanus errauit*, nolens idem admittere de nominibus essentialibus; de quo supra q. 28. art. 2. num. 4. & 5. & tomo 1. quæst. 4. art. 2. num. 90. Eamdem quoque Præpositiui sententiam Molina art. 2. disput. 1. §. *His ita*, vocat *errorem*. Item a Ruiz disp. 46. sect. 4. num. 1. sententia Ariminensis, & Maioris censetur *temeraria, & perniciosa Theologicis disputationibus.*

2. *Temerarium esset, notiones simpliciter negare.*

Bagnes.

Molina.

Ruiz.

Secunda conclusio. Asserere pauciores, vel plures notiones quam quinque, non est res adeò grauis, nec ita destituta Doctorum authoritatibus, vt censeri iure possit sententia temeraria; tametsi videatur ni mis libera opinandi licentia in tam graui mysterio, & ideo à prudenti Theologo minimè amplectenda. Primò non esse rem valdè grauem, patet, quia nullam rem negaret, aut poneret, quam ponunt, aut nō negant alij omnes, qui quinque tantum notiones admittunt: sed præcisè negaret prædictum numerum, illum vel minuendo, vel augendo: quæ numeri ratio, salua re ipsa, non videtur res magni momenti: cum neque ex Scriptura, neque ex aliquo Concilio, neque ex aliquo Patre habeatur præcisè, quinarius iste notionum numerus. Imo nonnulli tres tantum numerant, & Ingenitum cum paternitate confundunt: vt Iustinus in expositione Fidei pagina 1. & 2. loquens de notionibus, quæ diuinas personas declarant, trium tantum meminit, *Ingenitī, Geniti, & Profecti.* Item Nazianzenus oratione 2. de Pace, aliquantò post medium, *Nos vero vnam & eandem naturam Deitatis esse scimus, quæ de principij experte, generatione, processione agnoscitur.* Vbi inter notiones numerat origines, vt patet. Quare si quis vellet has etiam quinque vulgatis notionibus adiungere, posset contendere, pro se stare Nazianzenum. Clarius Damascenus libro 3. Fidei cap. 5. circa principium, *Differentiam hypostaseon in solis tribus proprietatibus, paterna, filiali, & processiua agnoscimus.* Et quamuis ex Patribus probemus Innascibilitatem, spirationem, esse notionem, tamen non possumus probare, istas notiones positas esse vt distinctas à paternitate, & filiatione, & numeratas esse quinque notiones: & præterea si hæ numeratæ essent, adhuc non posset excludi maior numerus, quia, vt ad hoc propositum prudenter docuit Scotus supra, *locus ab authoritate, non tenet negatiuè.* & si de sententia Durandi, Ochami, Gabrielis, ponentium tres tantum relationes, à Suarez supra q. 28. art. 4. n. 36. dicitur *non improbabilis*, erit ab eodem consequenter dicenda non improbabilis sententia de paucioribus notionibus. Cum igitur quinarium notionum numerum non recipiant Ochamus, Gabriel, & Nominales, Item Scotus & Scotistæ, si quis hos antiquos & grauissimos Theologos sequi vellet, non posset iure censeri temerarius.

3. *An possit negari quinarius notionū numerus.*

Iustinus.

Nazianzen.

Damascen.

Scotus.

Suarez.

4. Nihilominus secundo probo, non esse prudentis Theologi nunc ita opinari, quia posteriores omnes Theologi contrariū docuerunt sequentes S. Thom. Altisiodorensem, Albertum, Alensem, Bonauenturā, Henricū, Aureolum, Durandum, Argentinam, Marsilium, & alios quos citat Ruiz disp. 47. n. 2. Et in reuerentiam tanti mysterij, de quo dixit Augustinus libro 1. de Trinitate cap. 3. initio, *Nec periculosius alicubi erratur*, cum vel in ipsis vocibus incurri facilè possit hæresis, vt in proœmio huius operis adnotaui, præstat omnino cum multò maiori ac

Torres. Bagnes. Zumel. Nazarius.

Vasquez.

Suarez.

Rada.

5. *Temerarium est negare formalitatē, aut nomen notionis.*

S. Thomas. Bagnes. Magister.

Vasquez.

6. *Realitatem notionis negare, est erroneum.*

S. Thomas.

Bagnes.

ac meliori parte sentire & loqui; præsertim cum non desint ex recentioribus Torres art. 3. circa finem, Bagnes dub. 1. conclusione vnica. Zumel disp. 1. conclusione 2. fine. Ruiz disp. 47. n. 10. Nazarius art. 4. circa finem. qui illud cēseant temerarium, tametsi infimo quodam & leuissimo gradu temeritatis, pertinente tantum ad modum loquendi. Sed ne hoc quidem admittit Vasquez, qui in fine Commentarij huius articuli dicit, *Hactenus non fuisse plures notiones inuentas, non est sufficiens ratio, ob quam & alia inueniri non possit.* Et laudat Scotum supra dicentem, tempore Ambrosij non fuisse vsitatam notionem Ingeniti, nec spirandi notionem tempore Anselmi, sed tantum tres notiones, paternitatis, filiationis, & spirationis passiuæ: & sicut postea additæ sunt duæ aliæ, ita nunc posse addi plures. Vnde Suarez libro 5. de Trinitate cap. 9. n. 5. contra sententiam de communi spiratione, quod non sit notio, nihil grauius censet, nisi quòd *à sententia D. Thomæ non est facilè recedendum.* Demum Rada controuersia 25. art. 3. conclusione 1. multis probat, opinionem Scoti de sex notionibus esse *tutissimam.*

Tertia conclusio. Si quis admissis prædictarū notionum realitatibus, nollet in eis concedere aut formalitatem, aut nomen ipsum notionis, censendus esset planè temerarius. In hoc omnes conueniunt. Quamuis enim vt docet S. Thom. supra art. 2. ad 1. *de notionibus non fiat mentio in sacra Scriptura*, &, vt addit Bagnes hic, *nihil de notionibus sub isto nomine definitum fit in Conciliis*; tamen & Patres & Scholastici omnes cum Magistro 1. d. 26. notionis nomen vsurpant, & ipsam formalitatem admittunt, dum docent, prædictis notionibus significari aliquid, vnde nos cognoscimus, vnam personam ab alia distinctam: tantæ autem authoritati in hoc grauissimo mysterio te opponere, esset omnino temerarium. In hoc sensu dixit Vasquez in Cōmentario huius articuli circa mediū, *Si quis diceret, esse quidem in Deo quinque illas rationes, sed non omnes esse appellandas notiones, non diceret contra aliquid ab Ecclesia definitum, sed contra communem doctrinam sentiret; id quod temerarium esset.*

Quarta conclusio. De aliqua notione ex quinque prædictis negare ipsam rem notionis nomine significatam, non solum esset temeritas, verum etiam hæresis, vel error. Ita omnes. & iuxta hanc conclusionē intelligo S. Thomam in fine huius articuli dicentē, *Si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans quòd ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in hæresim labetur.* Et benè explicat Bagnes dicens, *Si de re ipsa loquamur, error esset in fide, negare in diuinis esse innascibilitatem, paternitatem*, &c. Conclusionis igitur ratio clara est, quia negare rem alicuius notionis, est vel negare aliquem ex tribus proprietatibus diuinarum personarum constitutiuis, & consequenter aliquam personam, & Trinitatem ipsam; vel negare, Patrem esse innascibilem, ac proinde dicere, illum procedere ab alia persona, vel est negare, Patrem & Filium spirare Spiritum sanctum. His autem negari veritates fidei, nullus est Theologus qui ignoret. De censura vero sententiæ negantis, communem spirationem esse relationem, dixi supra q. 28. art. 4. n. 5.

QVÆSTIO XXXIII.

De Persona Patris, in quatuor articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de personis in speciali, &c.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

ARTICVLVS I.

Vtrùm competat Patri esse principium.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd Pater non possit dici principium, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Pars affirmatiua probatur ex Scriptura & Patribus, num. 1. ad 6.*
2. *Probatur 2. ratione S. Thomæ, num. 6.*
3. *An Pater dici etiam possit initium Filij, num. 7. ad 12.*
4. *An Filius dici possit principiatus, vel habere principium, vel esse de principio, n. 12. ad 20.*
5. *An Pater dici possit principium totius Deitatis, num. 20. ad 25.*
6. *An etiam Author & causa, n. 25. ad finem articuli.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*

ONCLVSIO simpliciter affirmatiua est de fide, quia omnes Patres, omnesque Scholastici, quos in re clarissima referre inutile est, docent, Patrem esse Filij, & Spiritus sancti principium. Quod numquā in Scriptura satis expressum, in quibusdam Scripturæ locis dictum esse interpretantur. Sic illud Ioan 1. *In Principio erat Verbum*, exponunt, *In Patre*: vt ibi Origenes, Cyrillus, Bed. Rupertus; & præterea Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad Gentes, peg. 3. circa medium interpretans, *erat in Deo*, nimirum Patre. Athanasius oratione cōtra Arianos in illud, *Deus ex Deo*, initio, vbi cum docuisset, Patrem esse Filij principium, subdit, *secundum Ioannem in hoc principio erat Verbum.* Nyssenus libro de Fide ad Simpliciū, circa mediū ex hoc loco probans, Patrem numquam fuisse sine Filio, *ex eo namque quod dixit Ioannes, quòd in principio erat, & non post principium, ostendit quod numquam absque Verbo principium erat.* Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 2. ante med. *Quod dictum est, In principio erat Verbum, in Patre erat Verbum intelligitur.* Et lib. 3. contra Maximinum c. 17. circa finem, *Quid est autem, In principio erat Verbum, nisi, In Patre erat Filius?* & in id Ps. 109. *Tecum principium*, ait, *Cum sit principium & Pater, de quo vnigenitus Filius, in quo principio erat Verbum.* Idem Cyrill. lib. 12. Thesauri c. 5 initio notat, quòd per sequentia verba, *Et Verbum erat apud Deum, apertius nobis Euangelista, principij vocabulum explanat, nihil aliud esse dicens quod principium appellauit, quam ipsum Deum Patrem, vnde Filius effulget, sicut lumen ex sole.* Theophilus Antiochenus lib. 4. Allegor. initio ita exponens, *Principium est Deus*, vtique Pater, in quo erat Verbum. Itē Prosper infra. Denique S. Thom. opusc. 1. contra errores Græcorum, circa medium ita docet, *Scriptura sacra Patrem nominat principium Filij, vt patet Ioan. 1. In principio erat Verbum.* Quamquam alij volunt nomine principij significari æternitatem: alij probabilius, quos sequutus sum supra q. 27. art. 1. num. 58. 59. & 61. principium temporis.

Ex loco Ioannis tum multis Patribus.

Sic etiam illud Psalm. 109. *Tecum principium* multi exponunt, cum te, ô Fili, semper est Pater. Augustinus ibi ait, *Tecum principium, nec vnquam à te separatus est Pater.* & iterum post nonnulla, *Tecum principium, cum Patre in Patre.* Rupertus libro 1. de Glorificatione Trinitatis cap. 7. initio huius Psalmi verbis inquit, *dicit Filio Dauid, Domino Dauid, Pater Deus, Ego principium, tecum sum, tecum operor in die virtutis tuæ, in processu victoriæ, vel resurrectionis tuæ; quo videlicet die Sancti splenduerunt dispulsis tenebris, & accepta remissione peccatorum.*

2. *Ex loco Psal. 109. cum aliis Patribus.*

Beda etiam eadem verba exponit, vt verba Dei Patris, ita Filium alloquentis, *Merito tibi dico, Sede à dextris meis, quia ego tecum principium, sicut prius.* Item Prosper ibi ita declarat. *Est autem Pater principium, in quo principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et ex Græcis Nazianzenus oratione 3. de Theologia multò post medium hunc locum ita refert, *Tecum est principium ipsum: nam*, vt explicat eius Commentator Elias Cretensis, *Pater est ipsum principium, cum quo & Filius est*; & clarius Cyrillus libro 1. in Ioannem cap. 1. post medium, ex hoc loco confirmat, illud, *In principio erat Verbum*, esse intelligendum, in Patre. Et vniuersaliter ita docet, *Dicitur autem Filij principium Pater à Scriptura, nulla prorsus alia significatione, quam vt ex quo. Quod Psalmista de secundo Saluatoris nostri aduentu, Spiritus sancti gratia commotus ostendit, sic ad Filium dicens, Tecum principium in die virtutis tuæ.* in qua die, inquit, *venturus sic est, vt & ipse in Patre sit, & Pater in ipso.* Quamquam multi valde probabiliter, quos ibi sequitur noster Lorinus, interpretantur principij nomine significari principatum, regnum, & imperium Christi, quod maximè apparebit in extremi iudicij die.

3. Rem quoque ipsam, si non principij nomen, colligunt etiam Patres, ex nonnullis Scripturæ locis, in quibus Filio & Spiritui sancto præponi videtur Pater; quæ explicant ratione solius præcedentiæ & prioritatis originis, quam habet Pater vt principium vnde procedunt Filius & Spiritus sanctus, & ex nullo alio principio ipse procedens. Hoc maximè colligunt ex illo Ioannis 14. *Pater maior me est:* quod, vt refero supra quæst. 27. art. 1. num. 49. Athanasius, Hilarius, Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, intelligunt de Christo Filio Dei, & vt subsistente in sola natura diuina, quo maior dicitur Pater, nullam aliam ob causam, nisi præcisè quia est eius principium; cum quo tamen stat omnimoda æqualitas, quoniam Filio Pater, inquit Hilarius ibi citatus, *tantum donat esse, quantus ipse est, quem ex se in forma sua generat.* &, vt dixit Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 14. post medium, *Nec potest qui accepit, ei qui dedit, esse inæqualis; quia & hoc accepit, vt esset æqualis. Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Nunc aliis ibi citatis addi potest Basilius libro 1. contra Eunomium pagina penultima, multis tractans huius loci expositionem, & tandem ita concludens, *Reliquum est, vt causa ratione* (modo loquendi Græcorum, causam pro principio accipit) *maius hîc capiatur. Nam quoniam à Patre origo est Filij, hoc maior est Pater, quòd causa est, atque origo.*

Ex loco Ioan. 14. cum Patribus.

4. Illud etiam 1. Corinthiorum 11. *Caput Christi Deus*; à plerisque exponitur de Deo Patre, qui est principium personæ Christi secundum æternam generationem in natura diuina. *Potest enim intelligi*, inquit ibi S. Thomas lectione 1. circa finem, *Secundum quòd hoc nomen, Christus, supponit personam ratione diuinæ naturæ; & sic hoc nomen, Deus, supponit solum personam Patris: quæ dicitur caput Filij, non quidem secundum maiorem perfectionem, vel secundum aliquam suppositionem. Sed solùm originem, & secundum conformitatem naturæ.* Ita apud Hilarium libro de Synodis aliquanto post medium, Syrmica Synodus Can. 26. *Caput, quod est principium omnium, Filius caput autem, quod est principium Christi, Deus. Sic enim ad vnum ininiabile, omnium initium, per Filium vniuersa referimus: cum*, vt explicat ipsemet Hilarius, *ab eo sumant vniuersa principium, cui ipse principium sit.* Ita etiam Chrysostomus ibi homilia 26. columna 4.

Ex loco 1. Cor. 11. cum S. Thoma & aliis Sanctis.

circa finem docet, Christi caput esse Deum Patrem, *secundum causam*, hoc est, principium: *quòd scilicet*, vt deinde magis explicat columna 6. circa medium, *consubstantialis est Patri, quòd ex eo est.* Eamdem interpretationem de Christo quoad diuinitatem, admittit etiam Theodoretus in eadem verba, acutè notans, Patrem dictum esse caput Filij, potius quam principium, aut causam, ad significandam vtriusque consubstantialitatem: sicut enim caput, & membra, quorum est caput, eamdem in vno corpore substantiam habent; *ita Pater*, inquit Theodoretus, & ante ipsum dixerat Chrysostomus supra, *qui eius caput appellatur, eamdem cum eo substantiam indicat, & est, quod ad diuinitatem quidem attinet, eiusdem cum Patre substantiæ.* Item Ambrosius ibidem, vel alius illius operis author, dicens, *Dignum est vt Filij caput Pater dicatur, quasi genitor eius.* Et paulò post, *Deus ideo caput Christi est, quia de eo, vel ab ipso genitus est.* Denique Cyrillus Dialogorum de Trinitate libro 5. multò ante finem docet, quod prædictis verbis, *Sacra Scriptura nobis dicit, seruandam Filio cum Patre substantialem diuinitatem; quòd ex ipsa secundum veritatem ortus sit Filius, per hoc significans.* & post multa, ita concludit, *Quando igitur Christi caput Deus intelligitur, & est circa mendacium, quomodo non esset Deus verus, qui radicem habet Deitatis veram, & substantialiter inuictus ei, qui genuit.* Atque hunc locum de Christi diuinitate, non humanitate, esse intelligendum optimè probat ibi noster Iustinianus cum Tertulliano, ad nostrum propositum ita concludens, *In loco Apostolus caput posuisse videtur pro principio; quæ principij ratio tribuitur Deo, tamquam genitori*; nimirum diuinæ Christi personæ.

5. Præterea locus 1. Corinth. 15. *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*, quem supra quæst. 27. art. 1. num. 50. & 51. ostendi intelligi probabilissimè de Christo vt homine, intelligitur etiam de Christo vt Deo à nonnullis Patribus ibidem num. 52. citatis, docentibus, nulla alia ratione dici, Filium Dei subiectum Patri, nisi quia à Patre est, tamquam à principio suæ generationis æternæ. Quamobrem, vt docet Cyrill. lib. 10. Thesauri cap. 8. in medio, ista *subiectio non minorem Filium ostendit, sed identitatem Trinitatis demonstrat incommunicabilem, quæ numquam aliter se habebit, sed erit etiam in illo seculo Pater per Filium omnia in omnibus, & vita, & incorruptibilitas, & gaudium, & virtus, & quidquid Sanctis gratiæ dabitur, ex Patre per Filium in Spiritu dabitur.* Et, vt ait Epiphanius hæresi 69. pag. penult. *Tunc ipse subijcitur Patri velut Filius genuinus vnigenitus, cum Patre regnans semper in vnam vnitatem.* Subiectionem ad generandi principium clarius referunt, Athanasius in Euangelium de Sanctissima Deipara columna 4. illis verbis, *Peter, quatenus est author Geniti, Filium, vt genitum, sub se habet.* Et Ambrosius ea verba ita exponens, *Tunc Christus, propter vnicam authoritatem Patris, Deum quidem se ostendet, sed de Deo; & vnius principij sublimitas, & ineffabilis authoritas maneat. Hoc est subijcere se Filium Patri. Hoc est Deum esse omnia in omnibus.* Atque eodem modo, Patrem esse principium Filij, & Spiritus sancti, docent Patres explicando alia similia loca, de quibus sufficienter dictum est supra q. 27. art. 1. dub. 1. per totam.

Ex loco 1. Cor. 15. cum nonnullis Patribus.

6. Eamdem Catholicam veritatem Theologica demonstratione confirmat S. Thomas hic in Corpore. Omne illud à quo realiter procedit, seu producitur aliud, est verissimè, ac propriissimè principium eius quod ab ipso procedit. Sed à Patre realiter procedunt Filius & Spiritus sanctus. Ergo Pater est verissimè ac propriissimè principium Filij, & Spiritus sanctus. Maior per se nota est, & vt talis traditur à Philosopho l. 5. Metaph. cap. 1. vbi enumeratis variis Principij acceptionibus, eas in vnum colligens, ita generaliter concludit circa finem capitis, *Omnibus igitur principijs commune est, esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Inter quæ sine dubio includitur id à quo aliud realiter producitur. Minor est de fide. Consequentia est bona, vt patet. Ex Maiori autem naturaliter euidente, & Minori de fide, in bona consequentia constat demonstratio Theologica. Hanc breuius, sed non obscurè attulisse videtur Augustinus libro 5. de Trinitate cap. 14. initio illis verbis, *si gignens, ad id quod gignitur, principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum.* Et paulo ante finem capitis, *Si quod datur principium habet eum à quo datur, fatendum est, Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti.* Nimirum realiter productiuum: quam limitationem exprimere voluit Nazianzenus oratione de Dogmate & constitutione Episcoporum, circa medium cum, postquam dixerat, Patrem esse principium, addidit, *Principium vero quod & causa sit.* quo Pater distinguitur à principio, quod, vt docet S. Thomas 1. d. 29. quæst. vnica art. 1. circa finem Corporis, *non habet aliquam influentiam, ad esse principiati; sicut terminus à quo, dicitur principium motus; & sicut mane, dicitur principium diei.*

Prima conclusio simpliciter negatiua.

Exponitur locus Hilarij.

Probatur ratione S. Thom.

DVBITATIO I.

An Pater dici etiam possit initium Filij.

SVMMA.

1. *Minus conuenienter dicitur Pater initium Filij. num. 7. ad 11.*
2. *Id tamen dicere, est simpliciter tutum, num. 11.*

7. PRima conclusio. Minus conueniens loquendi modus est, dicere simpliciter, Patrem initium Filij. Ita Magister l. 1. sent. dist. 29. §. *Deinde.* circa finem. Vbi etiam S. Thomas in fine distinctionis in expositione textus: & notant in margine Riccardus, & Carthusianus: & multi recentiores sequuntur. Probat Magister authoritate Hilarij l. 4. de Trinitate aliquanto post principium, *Confitetur*, nimirum Ecclesia, *Patrem æternum, & ab origine liberum: confitetur & Filij originem ab æterno. Non ipsum ab initio, sed ab ininitiabili. Non per se ipsum, sed ab eo, qui à nemine semper est, natum ab æterno.* Vbi duo aduerto; Alterum, Magistrum & Scholasticos legere, *ab initiabili*, & ita habere plures Hilarij codices: sed rectius emendariores addunt particulam, *In*, quæ facilè potuit errore scribentium & imprimentium, ab alia particula, *In*, repetita cadere contra Authoris mentem, quam ex contextu quiuis apertè colliget. Nam Patrem, quem antea dixerat, *ab origine liberum*, & postea, *à nemine semper esse*, in medio, alia voce idem significando, vocat *ininitiabilem.* Alioqui si vocaret *initiabilem*, contradiceret antecedentibus, & consequentibus in breuissima oratione; cum initiabile, passiuam ex vocis proprietate ferat significationem, ac proinde importet propriè processionem ab alio initio, sicut producibile, originabile, principiabile, & similia; quam passiuam processionem de Patre prorsus innascibili fideles omnes negamus. Nam explicare cum Magistro, *Ab initiabili*, id est, à Patre, à quo sunt omnia; vel cum S. Thoma, *Ab initiabili, id est, principio initiatiuo, scilicet Patre*, est nimis violentum, contra manifestum nominis significatum: sicut si quis explicaret, v. g. generabile pro generatiuo, spirabile pro spira-

Aristoteles.

Augustin.

Nazianzen.

S. Thomas.

tiuo, principiabile pro principiatiuo. Excusandi vero sunt Magister & Scholastici, qui vti sunt aliquo Hilario, ea tempestate valdè deprauato: nam legunt etiam, *Confitetur & Filij originem ab initio*; & tamen nunc Codices omnes, quos ego videre potui diuersarum impressionum habent *ab æterno* & sanè videtur satis incredibile. Hilarium dicere *Filij originem ab initio*, & immediate post de eodem Filio addere, *Non ipsum ab initio*, & in fine *natum ab æterno.*

S. Alterum, quod aduerto, est, in hac Hilarij authoritate non videri inesse magnam vim ad præsentem conclusionem probandam. Nam hæc duo sunt inter se valdè diuersa. Primum, quod tantum dicit Hilarius, *Filius non est ab initio, sed natus ab æterno*: qua contra positione cum æternitate, apertè declaratur, id esse intelligendum de principio temporis. Secundum, quod tantum intendit conclusio, *Pater minus rectè dicitur initium Filij.* Vbi potius ex coniunctione initij cum Patre limitatur initium ad significandum principium generationis, & non temporis. Igitur ad hoc secundum probandum non benè affertur illud primum dictum ab Hilario; qui potius ex eo quòd vocat Patrem ininitiabilem, videtur contra conclusionem probare, posse ex eius sententia conuenienter dici Filium initiabilem: licut ex eo quòd proprium Patris dicitur esse innascibile, dicimus de Filio quòd sit nascibilis.

9. Probabilius igitur conclusio probari potest ex Athanasio oratione 2. contra Arianos, inter principium & medium, dicit ne, *Quod æternitatem existentiamque ante secula, nullo vtrincipio initiatam, sacræ Scripturæ de Filio edoceant.* Si Pater esset initium Filij, profectò Filius esset initiatus à Patre; quod negat Athanasius. Et ex Fulgentio l. 1. ad Trasimundum, propius ad principium quam ad medium, *Non credit*, nempe Fotinus, *sine initio substantialiter Deum natum ex Deo Patre.* & Damasceno l. 1. Fidei c. 8. aliquanto ante medium, *sine tempore & initio, est eius generatio.* Sed paulo post dicitur etiam *sine principio genitus.* Non negat igitur Damascenus. Filium genitum à Patre tamquam ab initio, sed solum in initio, seu principio durationis: de quo etiam apertè loquitur Fulgentius, & probabilissimè intelligi potest Athanasius, quod non generationis, sed temporis neget initium. Verè igitur nullum Patrem inuenio, qui neget hanc propositionem, Deus Pater initium est Filij. Imò nonnullos, mox afferendos inuenio, qui eam concedat. Quamquam multò communius, & ferè semper Patrem vocant principium Filij. Solum in Phœbadio l. contra Arianos non longe à principio in tom. 4. Bibliothecæ veterum Patrum, lego, *Habere initium, Pater negatur: hoc ideo vt Filius non ad authorem, sed ad tempus se habere credatur.*

Athanasius.

Fulgentius.

Damascenus.

Phœbadius.

10. Quapropter conclusionem probo ratione S. Thomæ supra, *quia initium potest intelligi etiam de principio Durationis.* Verè enim in communi vsu loquentium cum proprietate, id à quo procedit aliud, non solemus nominare initium alterius, sed tantum principium. Quis enim vnquam dixit, causas naturales, quas passim principia vocamus, esse effectuum initia? Ipsum quoque initij nomen multò frequentius vsurpamus pro principio temporis, seu durationis. Vnde in sacra Scriptura, initium semper significat durationem, siue temporalem, siue etiam æternam; & numquam sumitur pro principio productiuo, vt patet ex locis, quæ afferuntur in Concordantiis. Ergo omnino tutius, & cum multò maiori sermonis proprietate Pater dicitur principium, quam initium Filij.

Probatur conclusio ex S. Thoma.

11. Secunda conclusio Nihilominus tutum simpliciter est asserere, Deum Patrem esse initium Filij:

Non est dam-

nandus qui dicit, Patrem initium Filij.

quia initij nomen, quamuis per se spectatum, ad durationem potius quam ad productionem pertinere videatur; tamen, vt superius adnotabam, quando in propositione coniungitur cum Patre & Filio, ita limitatur ex tali coniunctione, vt non possit probabiliter intelligi significare principium durationis, sed originis duntaxat. Ita loqui videtur

Clemens Romanus.

Clemens Romanus libro 1. Recognitionum, aliquanto ante finem dicens, *Filium Dei vnigenitum dicimus non ex alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum.* Non negat natum ex initio simpliciter, sed solum ex alio initio, hoc est, distincto à Deo Patre: quo loquendi modo significat natum ex hoc initio, quod est Deus Pater. Clarius Chrysostomus hom. 1. in Symbolum Apostolorum, aliquanto ante medium, *Istum vnicum Dei Filium, de substantia Patris natum, & genitum confitemur, & initium de Patre habere dicimus.* Iam verò antea monui, me Patres Græcos iuxta vulgatas versiones afferre. Scio enim vocem ἀρχὴ interdum Principium, interdum Initium ab

Chrysost.

Phœbadius.

Interpretibus reddi. Item Phœbadius in 4. tomo Bibliothecæ veterum Patrum, l. contra Arianos, paulò ante medium, de Filio Dei, eiusque generatione ait, *Hoc est principium sine principio*, quia scilicet est principium per quod omnia facta sunt, ipsum vero per aliud creationis principium non est factum. *Hic est ortus, habens initium in natiuitate, in statu non habens;* hoc est, in natura & æternitate, vt ipsemet Author statim explicare videtur. Syrmica Synodus can. 26.

Syrmica Synodus.

quem refert, & recipit, & suo commentario probat

Hilarius.

Hilar. l. de Synodis paulò post medium, ita statuit, *Si quis innascibilem, & sine initio dicat Filium, tamquam duo sine principio, & duo innascibilia, & duo innata dicens, duos faciat Deos, anathema sit.* Initij & principij vocibus promiscuè vtitur: quod enim dixerat *sine initio*, postea dicit, *sine principio*. Nulla igitur loquendi, peruersitas apparet, cum dicitur, *Pater initium Filij*. Minus probo hanc aliam propositionem, quam aliqui vt æquè tutam admittunt, *Filius est à Patre, tamquam ab initio*: quia hoc, *ab initio*, & in Scriptura, & apud alios communiter, pro duratione accipi solet: nec ita clarè connectitur cum Patre ad significandum principium productiuum.

DVBITATIO II.

An Patri, vt principio, correspondeat in Filio, & Spiritu sancto esse principiatum, vel habere principium, vel esse de principio.

SVMMA.

1. *Minus rectè dicitur Filius principiatus à Patre, num. 12. & 13.*
2. *Dici tamen potest cum aliqua limitatione, n. 14.*
3. *An dici possit Filius habere principium, num. 15. ad 19.*
4. *An & quo sensu Filius sit principium de principio, num. 19.*

12. S. Thomas.

HAnc disputandi materiam præbet hic S. Thomas in secundo argumento, eiusque solutione, dicens, *Quòd apud Græcos inuenitur de Filio, vel Spiritu sancto dici, quòd principientur. Sed hoc non est in vsu Doctorum nostrorum: quia licet attribuamus Patri aliquid auctoritatis, ratione principij; nihil tamen ad subiectionem, vel minorationem, quocumque modo pertinens, attribuimus Filio, vel Spiritui sancto, vt vitetur omnis erroris occasio. Secundum quem modum Hilarius dicit 9. de Trinit. Donantis authoritate Pater maior est; sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.*

Prima conclusio. Minus rectè dicitur, & si cum Arianis ageretur, aut aliis hæreticis ponentibus Filium & Spiritum sanctum alterius inferioris naturæ a Patre, esset omnino vitanda loquutio, Filius, aut Spiritus sanctus est principiatus à Patre. Ita S. Thomas supra, & de Potentia quæst. 10. art. 1. ad 9. & opusc. 1. contra errores Græcorum c. 1. & cap. 2. fine, quem omnes ferè recentiores sequuti sunt. Ratio S. Thomæ est, quia principiati vox, ex eo quòd passiua sit, importat ex propria significatione quandam subiectionem, vel minorationem, seu dependentiam & inferioritatem, quam non habent Filius & Spiritus sanctus respectu Patris, cum omnes tres personæ sint æquè essentialiter vnus Deus, quo nihil maius aut superius excogitari potest. Non igitur Filius & Spiritus sanctus dici debent principiati. Neque est eadem ratio de principio, quia hæc vox non importat maioritatem simpliciter, sed solum donantis authoritatem, vt loquitur Hilarius supra; principiatum vero concipitur importare minoritatem simpliciter. Vnde fit, vt non sit necessaria consequentia, Pater principiat Filium, ergo Filius principiatur; sicut ex eo quòd Pater sit maior authoritate donantis, negat Hilarius, Filium esse minorem simpliciter. Verum enim vero si quis contenderet, quòd sicut Pater non est simpliciter maior Filio, sed tantum secundum quid, nempe, donantis authoritate; ita contra Filius non sit minor simpliciter, sed minor secundum quid, ratione eiusdem authoritatis, quam non habet respectu Patris, non video quo modo posset conuinci: præsertim quia Cyrillus l. 2. Thesauri c. 3. inter principium & medium cum dixisset, *Maior ipso Pater est qui eum generat, in hoc solummodo, quia ex eo Filius est*: deinde ferè inter medium & finem vniuersaliter ita docet, *si quis maius, aut duplum dixerit, statim minus, aut dimidium intellexit.* Et iterum paulò post, *Non est maius aliquid, nisi minus sit.* Quod postea ita applicat ad casum nostrum. *Verum quoniam maiore posito, minus necessario ponitur, quoniam Pater maior Filio scribitur, necesse est vt Filius minor Patre sit, non aliter quam secundum formam serui, aut secundum quod ex Patre est.* Sicut igitur quia Pater dicitur maior, secundum quod est, A quo alius; ita non putauit Cyrillus posse negari, quòd Filius dici debeat minor, secundum quod est, Qui ab alio: vt ego etiam notaui supra quæst. 27. art. 1. num. 49. Item Gregorius Boeticus in

13. *Minus rectè dicitur, Filius principiatur à Patre.*

Gregorius Boetius.

4. tom. Bibliothecæ veterum Patrum. l. de Trinitate inter medium & finem, cum concessisset, *Patrem maiorem de solo Sacramento generationis*, vi eiusdem necessariæ consequentiæ concessit paulò post, quòd *etsi quà Deus, Deo æqualis est Filius; tamen quà Filius, minor dicitur Patre, id est, quà Filius de Patre sit: & ideo non dixit, Deus maior me est: sed, Pater maior me est.* Sed quidquid sit de maiori & minori, quæ sunt correlatiua, negari probabiliter potest, vt cum communi Theologorum negat Suarez tomo 1. Metaph. disput. 12. sect. 1. num. 32. Principij correlatiuum esse principiatum, sed tantum id quod est ab alio; siue, vt accommodatius loquitur Molina hic disput. 4. ante medium, *ens à principio procedens.* Et ideo, Patrem esse principium Filij, non infert necessario aliud, nisi, Filium esse, seu procedere à Patre.

An dici possit Filius minor Patre.

Quid sit correlatiuum principij ex Suarez & Molina.

Secunda conclusio inter pios & doctos Catholicos, vbi nullum est periculum erroris, aut significandi, aut introducendi, nullum absurdũ est dicere, Filium & Spiritum sanctum esse principiatos à Deo Patre. Est communis doctrina, quam tradidit S. Thomas de Potentia quæst. 10. art. 1. ad 9. dicens limitanter, *Non videtur indifferenter dicendum, quòd Filius*

14. *Quo modo dici possit Filius principiatus à Patre, ex S. Thoma.*

lius sit principiatum, vel etiam Spiritus sanctus: licet etiam hoc modo loquendi Græci vtantur, & possit apud sanè intelligentes concedi: significans, quod ipsemet refert opusc. cit. cap. 1. paulò post principium dixisse

Athanasius.

Athanasium, *Non est imprimis patius Spiritus, hoc est, sine principio, & causa; sed potius ipsum demonstrat Deum verum: principiatum tamen non ex tempore, sed ex causa vera originis.* Quibus verbis habetur fundamentum huius conclusionis, quia principiatum sumi facilè potest pro esse, seu procedere à principio, seu, vt castigatius loquitur Athanasius, *non esse sine principio*: quod totum verissimè conuenit Filio, & Spiritui sancto respectu Patris. Præterea ab eodem Athanasio in Quæstionibus anonymis, quæst. 4. ante medium dicitur. *Filius ex solo Patre causatus, & genitus; & Spiritus sanctus ex solo Patre causatus, & procedens, sed per Filium in mundum missus.* Item q. 11. *Causata sunt duo, Filius, & Spiritus.* Et idem repetit sequenti quæst. 12. Idem autem apud Græcos valet causatum, quod apud Latinos Principiatum. Præterea inter antiquos, & graues Scholasticos inuenio Albertum p. p. summæ quæst. 30. membro 2. fine

Albertus.

concedentem, quòd in diuinis dicens propriè & notionaliter, *principium est Verbi dicti: & Verbum dictum, principiatum à dicente.* Et Durandum 1. d. 11.

Durandus.

quæst. 2. num. 20. ita loquentem, *Cum pluralitas personarum sit aliquorum se habentium in ratione principij, & principiati.* Et infrà, Inter personas principiantes, vna est principians, & non principiata, vt Pater; alia principians, & principiata, vt Filius. Item principiati nomen in diuinis non semel vsurpat Henricus Quodlib. 6. quæst. 1. vt litera S. & litera K. & in fine quæstionis.

Henricus.

15. *An dici possit Filius habere principium.* Magister.

Tertia conclusio. Non est dicendum absolutè, Filium habere principium; aut contrà, Filium non habere principium; sed cum distinctione, ac limitatione, Filium habere principium originis, Non habere principium durationis. Prima pars ponitur à Magistro lib. 1. sent. d. 29. litera C. fine illis verbis, *Licet Filius sit principium de principio, non est tamen concedendum, quòd Filius habeat principium.* Quem

Athanasius.

Scholastici omnes sequuntur. In eodem sensu Athanasius supra, quæst. sua 13. Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, simul & æqualiter docet esse *principio carentes, & principij expertes, & aborigines*: quia scilicet, & nullum simpliciter habent principium durationis, etiamsi habeant originis; & in quantum sunt vnus Deus, nullum omnino principium habent, neque durationis, neque originis. Et ab eodem in Rescripto ad Liberium Episcopum Romanum, circa principium, Filius Dei dicitur, *principio carens*: & videtur intelligere de principio durationis, in qua ille generari, & esse incœperit; quia statim explicando subiungit, *Cui nullum ætatis, aut initium, aut finis.*

Nazianzen.

Et Nazianzenus oratione de Fide, inter principium, & medium loquens de Filio Dei, & de principio

Damascen.

temporis, vt constat ex antecedentibus, & consequentibus, ait, *Cuius origo principium non habet.* Item Damascenus lib. 1. Fidei cap. 8. in med. de eodem Dei Filio dicit, *Sine principio genitus.* Et iterum post multa, *Generatio sine principio, & æterna.* Et in fine, *Generat Deus suum Verbum sine principio, & sine fine.* Et Hippolytus Martyr in 2. tomo Bibliothecæ veterum Patrum libro de consummatione mundi, columna penultima sic dicit ad Filium, *Tu es, qui semper es. Tu vnà cum Patre, cares principio.*

Hippolytus Martyr.

16. Ratio autem huius primæ partis est, quia communiter dicimus habere principium ea, quæ in aliquo tempore esse incipiunt. Ita dicimus, Mundum hunc habuisse principium. Ergo de Filio, qui in Patris æternitate genitus est, dici non debet absolute & sine addito, habere principium, hoc enim loquendi modo abusus fuisse refertur Arius ad erroris sui probationem. Filius, dicebat, habet principium; alioqui cum omnes fateamur, Patrem non habere principium, daremus in diuinis duo ingenita, & innascibilia principia. Sed Deus non habet principium, Ergo Filius non est Deus. Vnde mendax Arius ita fraudulenter scripsit ad Eusebium in epistola, quam refert Epiphanius hæresi 69. pagina 3.

Epiphanius.

Persecutionem patimur, quòd diximus, Principium habet Filius, Deus vero sine principio est. Sed ineptissimè & pueriliter arguit confusa vsurpatione, & varia suppositione nominis principij, & nominis Dei. Si enim principium sumatur pro principio durationis, impiissimè sumit in Maiore, Filium Dei, coæternum Patri, habere principium. Si vero sumatur pro principio originis, damus Maiorem, quòd Filius habeat hoc principium. Sed cum in Minore dicitur, Deus non habet principium, scilicet originis, distinguendum est de Deo; nam vel sumitur vt præcisus à personis, vel vt concretus in personis: primò modo vera est minor, sed falsa est consequentia: ex eo enim quod Deus, vt præcisus à personis, non habeat principium originis, non sequitur, Filium habentem principium originis non esse Deum simpliciter, sed solum non esse Deum, vt præcisum à personis, quia ipse est Deus in sua propria filiationis personalitate subsistens. Secundo modo Minor est partim vera, partim falsa; quoniam ex tribus diuinis personis Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus habent principium originis, Deus autem Pater non habet. Nullo igitur modo sequitur, Filium ex eo quòd habeat principium originis, non esse Deum personaliter subsistentem.

Profertur & solutur Arij argumentum.

17. Secunda conclusionis pars, quòd neque à contrario dici absolutè debeat, Filius non habet principium, eodem proportionaliter fundamento nititur: nam sicut ideo inconuenienter dicitur, Filius habet principium, quia posset intelligi de principio durationis, quòd verè Filius non habet; ita pari ratione à contrario, inconuenienter dicitur, Filius non habet principium, quia posset intelligi de principio originis, quod verè Filius habet. Hanc ob causam Syrmica Synodus cum Hilario supra num. 11. damnat dicentes, *Filium sine principio.* Et Cyrillus lib. 2. Thesauri c. 2. aliquanto post principium dicit, *Filius Patrem habet principium.* Vbi principium limitanter sumitur pro principio generationis. Aliud enim est, *Filius habet principium*: aliud vero, *Filius habet principium Patrem.* Primum minus rectè dicitur. Secundum rectissimè dicitur à Cyrillo: quoniam principium ex coniunctione cum Patre, quem afficit, limitatur vt stat pro tali principio, nempe paterno, & generatiuo.

Syrmica Synodus apud Hilarium. Cyrillus.

18. Tertia conclusionis pars de modo loquendi cum distinctione ac limitatione, probata remanet ex dictis, & perspicuè ponitur à Nazianzeno in oratione de Dogmate. & constitutione Episcoporum, paulò post medium, *Filius, siquidem Patrem tamquam causam accipis, non est sine principio: Filij enim principium, Pater tamquam causa. Si autem à tempore principium intelligis, sine principio est: non enim à tempore principium habuit temporum Dominus.* Et oratione in Laudem Heronis multò ante finem, cum docuisset, Filium & Spiritum sanctum esse *non sine principio, & sine principio*, interrogat, *Quo pacto? admirabile enim.* & respondet: *Non sine principio, causa quidem; ex Deo enim, etiamsi non post ipsum; quemadmodum ex sole lumen. Sine principio autem, tempore; non enim temporis subiacent.* Semper igitur ac ex antecedentibus, vel concomitantibus, vel consequentibus, præsertim cum apud Catholicos Doctores sermo, aut disputatio est, constat quòd intelligitur de principio originis,

Nazianzen.

ginis,dici tutò poteſt,Filius habet principium : etſi contrà conſtat, quòd intelligitur de principio durationis, dici pariter tutò poteſt, Filius non habet principium.

19. *Filius eſt principiū de principio.*

Quarta concluſio.Filius rectè dicitur, & verè eſt principium de principio. Ita Patres, & Scholaſtici omnes. Quod poteſt verè intelligi duobus modis. Vel primo de principio in eodem genere ad intra, ſeu notionali,vt ſcilicet Filius ſit notionale principium ad intra per ſpirationem Spiritus ſancti, & procedat de principio notionali ad intra per generationem à Patre; quo modo eſſe principium de Principio competit ſoli Filio; vel ſecūdò de principio in diuerſo genere, & eſſentiali ad extra, & intentionali ad intra; vt ſcilicet Filius ſit principium creaturarum, procedens ab alterius generis principio intra Deum.Quod non ſoli Filio competit, ſed etiam Spiritui ſancto; qui eſt etiam creaturarum principium,& Deus de Deo. Vtroque modo intelligere videntur Patres.

Nazianzen.

Primum modum tradit Nazianzenus in ſermone Concilij Conſtantinopolitani apud S.Thomam opuſc.1.contra errores Græcorum cap.32.§.26. *Neceſſarium eſt credere ſanctam Trinitatem,Patrem ſcilicet ſine principio, Filium vero principium à Patre principio, Spiritum autem ſanctum cum principio Filio vnum Deum eſſe.* Clarius & frequentius tradunt ſecundum,

S.Martialis.

S.Martialis epiſtola ad Burdegalenſes cap.20. medio,tomo 3. Bibliothecæ veterum Patrum, de Filio Dei dicit, *Ipſe eſt principium, quia de principio ineffabiliter natus eſt.*

Nazianzen.

Nazianzenus oratione 3.de Theologia multò poſt medium, *Deus Verbum erat in principio, & cum principio,& principiū.* Vbi etiam principium creaturarum ad extra, non principium Spiritus ſancti ad intra ſignificatur.

Syrmica Synodus cum Hilario.

Item Syrmica Synodus cum Hilario ſuprà num.4. illis verbis,*Principium omnium, Filius. Principium Chriſti, Deus.* Quod eſt idem ac ſi Filius diceretur principium ad extra de principio ad intra.

Auguſtinus.

Et Auguſtinus lib.3.contra Maximinum cap.17.fine, *Pater principium non de principio, Filius principium de principio;ſed vtrumque ſimul, non duo,ſed vnum principium : ſicut Pater Deus,& Filius Deus : ambo ſimul non duo Dij,ſed vnus Deus. Nec Spiritum ſanctum,ab vtroque procedentem, negabo eſſe principium; ſed hæc tria ſimul, ſicut vnum Deum, ita vnum dico eſſe principium.* Vbi cum Spiritus ſanctus etiam eſſe dicatur vnum principium ſimul cum Patre & Filio, debet neceſſariò intelligi de principio creatiuo, non originis ad intra,quod Spiritui ſancto non conuenit.

Magiſter.

Demum hunc ſecundum modum amplexati ſunt Magiſter, & Scholaſtici, ita prædicta verba Auguſtini referentes & explicantes,lib.1. ſent.d.29.litera A. fine, *Pater principium eſt ſine principio. Filius,principium de principio.Spiritus ſanctus principium de vtroque, id eſt, de Patre & Filio.*

DVBITATIO III.

An Pater dici poſſit principium totius Deitatis.

SVMMA.

1 *Pars ſimpliciter affirmatiua probatur authoritate, num.20.ad 23.*
2 *Quem ſenſum habeat prædicta propoſitio, num.23. & 24.*

20. *Pars affirmatiua ſanctorum Auguſtini, & Thomæ.*

HVius etiam quæſtionis partem affirmatiuam docet S.Thomas in argumento, *Sed contra.* authoritate Auguſtini lib.4. de Trinitate cap.20. aliquantò poſt medium exponentis illud Ioannis 15. *Quem ego mittam vobis à Patre,* & ita loquentis, *Non dixit, Quem mittet Pater à me; quemadmodum dixit, Quem ego mittam vobis à Patre:videlicet oſtendens,quòd totius Diuinitatis,vel ſi melius dicitur, Deitatis principium Pater eſt.* Sic igitur

21. Torres. Vazquez.

Prima concluſio affirmatiua. eſt omnium Theologorum,quamuis Torres hîc,dub.1.quem Vazquez diſp.139.cap.3.refert,& non reiicit,videatur aſſerere, *minimè eſſe concedendum, quòd Pater ſit principium totius Deitatis*: nimirum abſolutè loquendo; quia deinde ipſemet recipit, & in aliquo bono ſenſu interpretatur verba Auguſtini ſuprà:& Molina diſp.2. poſt medium,dicat, *Propoſitionem illam non eſſe admodum propriam*: & Suarez lib.8 de Trinitate cap.3. num.5.fine,notet, quòd prædicta loquutio *in rigore verborum videatur habere aliquam improprietatem.* & durius Bagnes hîc,quòd *iſte modus loquendi, ſi in rigore accipiatur, eſt improprius, & falſus.* Et idem ferè Zumel initio huius articuli, & iterum in fine.

Molina. Suarez. Bagnez. Zumel.

Verum vt proprius ſenſus ſi minus ex ſermonis proprietate,ſaltem ex communi loquentium conſuetudine exiſtimandus eſt,quem iam poſt tot ſecula habet illa propoſitio ex frequentiſſimo, & receptiſſimo vſu ſapientiſſimorum Theologorum, qui eam vel adinuenerunt,vel amplexati ſunt. Primus omnium Magnus Dionyſius de diuinis nominibus c.2. aliquanto ante medium pronunciauit, *Solum Patrem fontem eſſe cœleſtis Diuinitatis.* Et iterum paulò poſt medium, *A diuinis ſcriptis accepimus, Patrem eſſe, vt ita dicam,fontanam Diuinitatis.Ieſum autem & Spiritum, fœcundæ diuinitatis,ſi ita fas eſt loqui, gemmas, ſeu germina à Deo prodeuntia, & quaſi flores,ac lumina.* Rurſus de cœleſti Hierarchia cap.1. aliquanto poſt principium, de Patre ait, *Qui eſt Diuinitatis fons ac principium.* Vbi illæ correctiones, *vt ita dicam, ſi ita fas eſt loqui*, quæ ſignificant ſenſum non proprium, ſed metaphoricum,cadunt ſupra fontem,fontanam, gemmas,&c.quæ metaphoricè in diuinis vſurpantur; non autem ſupra principium, quæ vox abſque vlla improprietate Deo tribuitur.

Dionyſius.

22. Origenes. Athanaſius.

Eumdem loquendi modum ſequuti ſunt Origenes lib.1. de Principiis cap.3. multò poſt medium, vbi Pater dicitur, *vnius diuinitatis fons.* Athanaſius contra Gregales Sabellij aliquantò poſt principium, concedens quòd ſit Pater *Solus fons Deitatis.* Et inter medium, & finem id quaſi declarans ait, *Pater radix,& fons Filij, & Spiritus ſancti.*

Nazianzen.

Nazianzenus oratione 2. de Pace, paulò poſt medium, *Ego verò Deitatis principium temporis expers, inſeparabile, infinitum ſtatuens, & principium honore adficio, & pariter de principio profecta : illud quidem, quòd talium principium ſit; hæc vero, quòd ſic orta, quodque talia de tali.* Vbi, pro intelligendo ſenſu propoſitionis, de qua nunc diſputamus, diligenter aduertendum eſt,id quod à Nazianzeno vocatum fuerat, *Deitatis principium,* ſtatim vocari, *Principium talium, quæ de principio profecta ſunt.* hoc eſt, Filij, & Spiritus ſancti.Cui conſonat in oratione de Dogmate, & conſtitutione Epiſcoporum in medio, cum ab ipſo dicitur Pater, *author eius Diuinitatis,quæ in Filio,& Spiritu ſancto exiſtit.*

Auguſtinus. Ambroſius.

Item clariſſimè Auguſtinus ſuprà num.20. & refertur etiam Ambroſius in Symbolo Apoſtol.cap.2.his verbis, *Pater origo eſt Deitatis, & bonitatis.*

Toletanum VI.

Præterea Toletanum VI. cap.1. non longè à principio, *Credimus,* inquit, *& profitemur, Patrem ingenitum,increatum,fontem,& originem totius diuinitatis.*

Toletanum XI.

Quod magis explicans Toletanum XI.initio Profeſſionis Fidei, de Patre prius dicit, *Ex quo & Filius natiuitatem, & Spiritus proceſſionem accepit;* vnde ſtatim de eodem ita deducit.*Fons ergo ipſe eſt,& origo totius Diuinitatis.*

Concilium VVormat.

Quæ verba vſurpauit VVormatienſe initio Profeſſionis, mutata Diuinitate in Trinitatem,

Trinitatem,ita, *Fons ergo ipſe eſt;& origo totius Trinitatis.*

Florentinū.

Florentinum quoque ſeſſ.23.col.3.fine, probat ac recipit quòd Athanaſius, *Patrem ſolum ingenitum, ac ſolum fontem Diuinitatis teſtatur.* Et hinc ita diſcurrit, *Vt autem fieri non poteſt, vt eſſe ingenitum alicui perſonarum communicetur; ita etiam fieri non poteſt, vt fons Diuinitatis cum Filio communicetur.* Et ſeſſ.24. circa med.ait, *Filius Spiritum ſanctum mittere creditur,non tamen vt Pater præcipuè, quando quidem Pater ipſe radix, & fons Diuinitatis exiſtit.* Et ſeſſ. vltima Eugenius Papa in literis vnionis, in medio rem ipſam, eiuſque explicationem à Patribus ſuperius ſignificatam,ita tradit, *Latini affirmauerunt,non ſe hac mente dicere, Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere, vt excludant Patrem, quin ſit fons, ac principium totius Deitatis, Filij ſcilicet,& Spiritus ſancti, aut quòd id,quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat.*

Magiſter.

Demum cum Auguſtino ſuprà num.20. loquuntur Magiſter lib.1.ſent.d.29.initio, & Scholaſtici omnes.

23. *Quo ſenſu dicatur Pater principium totius Deitatis.*

Secunda concluſio. Cum dicitur, Pater eſt principium totius Deitatis, ſeu Diuinitatis, ſenſus eſt, Pater à nullo principio procedens, eſt principium Filij,& Spiritus ſancti. Hunc ſenſum apertè tradunt Athanaſius, Nazianzenus, Toletanum XI. & Florentinum verbis præcedenti num.poſitis.& optimè Magiſter ſuprà, nam reddens rationem veritatis propoſitionis,ait, *Quia ipſe à nullo eſt, ſed ab eo,& Filius eſt genitus,& Spiritus ſanctus procedit.Non ergo dicitur principium totius Deitatis, quòd vel ſui,vel diuinæ eſſentiæ principium ſit; ſed quia principium eſt Filij, & Spiritus ſancti,in quibus ſingulis tota Diuinitas eſt.* Requiſiui cum Magiſtro ad perfectum ſenſum propoſitionis,quòd principium totius Deitatis,ſit principium à nullo principio, vt hoc facerem propriiſſimum ſolius Patris, iuxta mentem Athanaſij,& Florentini ſupra. Quamuis enim Filius etiam ſit principium Spiritus ſancti,tamen ita eſt principium, vt non ſit principium à ſe, ſed ab alio principio procedens. Solus autem Pater per ſe, & à nullo ſimpliciter principio procedens, eſt principium Spiritus ſancti:& cum iſta conditione ſolus Pater eſt principium totius Deitatis. Atque hoc eſt, quod in huius propoſitionis declaratione docuit Eugenius ſuprà, Filium quòd ab ipſo procedat Spiritus ſanctus, habere à Patre:hoc autem Patrem habere ex ſe, non à Filio,nec à quouis alio.

24. *Quibus modis ſumatur Deitas in prædicta propoſitione.* S.Thomas.

Tertia concluſio.Iſto ſenſu poſito,Deitas in prædicta propoſitione duobus modis ſumi poteſt, quos tradit S.Thomas infrà quæſt.39.art.5.ad 6. Primò concretè,ſiue identicè,*pro vniuerſitate perſonarum, in quantum ſcilicet in omnibus perſonis diuinis ipſe,* nempe Pater, *eſt principium. Nec oportet,* inquit optimè S. Thomas, *quòd ſit principium ſui ipſius : ſicut aliquis de populo, dicitur rector totius populi, non tamen ſui ipſius.*

Bonauent.

Vnde vt clare docet Bonauentura 1.d.29. in expoſitione textus, dub.1. *Senſus locutionis hic eſt, Pater eſt principium totius Deitatis, id eſt, omnium perſonarum in Deitate:& eſt diſtributio accommoda : ſicut dicitur, Cœlum continet omnia, ſe ſcilicet excepto.* Quem primum ſenſum expreſſit VVormatienſe ſuprà dicens, Pater eſt principium *totius Trinitatis* : tametſi Suarez ſuprà,& Ruiz diſp.48.ſect.6.num.3. aduertant, hunc loquendi modum non eſſe vſurpandum. Sed illum in declaranda communi propoſitione expreſsè vſurpant S.Thomas,& Bonauentura, & ipſimet declarationem recipiunt. quem etiam exponere poſſumus,vt illud.*Totius Trinitatis,*idem ſit,quod *Totius multiplicationis Trinitatis*;quia ſcilicet Pater eſt principium addens ſecundam & tertiam perſonam ſupra propriam ſuam primam perſonam, & ſic multiplicans Trinitatem, ſeu tres diuinas perſonas. Secundò præciſè, ſiue formaliter pro Deitate, vt diſtincta ſecundum rationem à perſonalitatibus. Et tunc ſenſus erit, inquit S.Thomas, *Quod Pater eſt principium totius Deitatis, non quia eam generet & ſpiret,ſed quia eam,generando & ſpirando,communicat.* ſiue, quod eſt idem, eſt principium *totius Deitatis*, non productæ, ſed communicatæ omnibus Trinitatis perſonis ab ipſo productis, quæ ſunt Filius productus per generationem, & Spiritus ſanctus productus per ſpirationem.

Nazianzen.

Quem ſecundum ſenſum non obſcurè tradidiſſe videtur Nazianzenus ſuprà n.20. cum de Patre ait, *Author eſt eius Diuinitatis, quæ in Filio, & Spiritu ſancto exiſtit.* In hoc ſecundo ſenſu facilius excluditur Pater à numero eorum, quorum ipſe principium dicitur. nam dicitur principium *totius Deitatis*, non ſimpliciter, ſic enim ipſe, qui etiam eſt Deitas, non excluderetur, ſed *Deitatis communicatæ.* Pater enim non eſt Deitas communicata, ſed ſolum communicans; ſolum Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Deitas communicata; & quidem Spiritus ſanctus eſt Deitas communicata,& nullo modo communicans;Filius vero & communicata ratione generationis paſſiuæ, & communicans ratione ſpirationis actiuæ.

DVBITATIO IV.

An Pater dici etiam poſſit author & cauſa Filij.

SVMMA.

1 *Patrem dici authorem filij, & Spiritus ſancti, num.25.*
2 *Filium etiam dici authorem Spiritus ſancti,n.26.*
3 *In aliquo ſenſu ſolum Patrem eſſe authorem Spiritus ſancti,n.27.*
4 *Latinis non eſſe licitum dicere Patrem cauſam filij, aut Spiritus ſancti,num.28.ad finem articuli.*

DE cauſa fuſiùs agitur in hoc articulo ad 1. De Authore breuius ad 2. Incipiendo ab hac ſecunda denominatione, quia eſt facilior, & receptior, ſit

25. *Probatur dici authorem.*

Prima concluſio. Abſque vllo dubio, & ſcrupulo Pater dici poteſt author Filij & Spiritus ſancti,quoniam ita paſſim loquuntur omnes Græci ac Latini Doctores.

Dionyſius.

Satis ſint, Dionyſius de cœleſti Hierarchia circa principium loquens de Ieſu Filio Dei,ait, *Lux eſt Patris;cuius benignitate nobis ad Patrem, Lucis authorem,aditus patuit.*

Athanaſius.

Athanaſius Dial.1. de ſancta Trinitate multò ante medium, *Quod non eſt cōditum, aut eſt ingenitum,aut genitū,aut procedens vt ex authore, ſiue cauſa.* Et multò poſt medium,*Spiritus ſanctus authorem & cauſam habet Deum à quo procedit.* & oratione 2.contra Arianos, columna 17. initio, *oportet talem eſſe imaginem,qualis eſt Pater,imaginis author.*

Nazianzen.

Nazianzenus oratione de Dogmate, & conſtitutione Epiſcoporum circa medium, Patrem vocat non ſolum *cauſam* & *principium*, ſed etiam modò *authorem,* modò *fontem* diuinarum perſonarum.

Euſebius Cæſarienſis.

Euſebius Cæſarienſis lib.4. Demonſtrationum Euangelicarum, cap.3. ante medium, de Patre ait, *Ille quidem per ſe ipſum perfectus,ac primus,tamquam Pater,& qui author ſit vt Filius conſiſtat, nihil à Filio accipiens.*

Hilarius.

Hilarius frequentiſſimè tam in duodecim libris,quos de Trinitate ſcripſit,quàm in libro de Synodis,quem ſcripſit aduerſus Arianos. Vnde libro 9. de Trinitate multò poſt medium de Filio Dei, etiam in natura diuina, vt refert, & ſequitur S.Thomas hic ad 2. & infrà quæſt.42. art.4. ad 1. dixit, illo maiorem eſſe Patrem,*Donantis authoritate.* Et lib.11. inter principium

pium

pium & medium, *In eo*, inquit, *quòd Pater maior est, confessionem paternæ authoritatis intellige.* Et libro de Synodis multò ante finem, *Substantiam natiuitatis Filius non habet, nisi de paternæ authoritate naturæ.* Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 5. initio, *Si authorem propterea dicis Patrem, quia de ipso est Filius: non est autem ipse de Filio; & quia de illo, & Filio sic procedit Spiritus sanctus, vt ipse hoc dederit Filio, gignendo eum talem, vt etiam de eo procedat Spiritus sanctus; ista tua, etiam nostra sunt verba.* Et idem repetit cap. 14. circa medium. Sequuntur Magister libro 1. sent. d. 9. litera O. & Scholastici omnes, nemine excepto.

Augustinus.

2.6. *Filium etiã dici authorẽ Spiritus sancti.*

Secunda conclusio. Esse authorem Spiritus sancti, non est ita proprium Patris, vt de Filio etiam dici simpliciter non possit: tametsi in aliquo bono sensu soli Patri conueniat. Prima pars est S. Thomæ opusc. 1. contra errorem Græcorum cap. 32. §. 25. *Quòd Filius est author Spiritus sancti*: idque probat ex Athanasio in epistola ad Serapionem illis verbis, *Apostolus, quæ in eo operatur Spiritus, Filio, Authori eius, attribuit: sicut & Filius, quæ ipse facit opera, suo authori, Deo Patri attribuit.* Et recipitur à Torres hîc dub. 2. & reliquis omnibus recentioribus. Benè etiam probat Torres ex Hilario lib. 2. de Trinitate inter medium & finem, dicente de Spiritu sancto, *De Patre, & Filio, authoribus confitendus est.* Addi præterea potest Nazianzenus supra, qui confundit, & pro eodem vsurpat hæc nomina, Causam, Principium, Authorem, Fontem; sicut etiam Athanasius supra, dicens, Authore, siue Causa. Sed Filium esse Principium Spiritus sancti omnes dicunt, vt suprà num. 17. Item esse causam dicunt Græci; & de vtraque voce ita testatur Eugenius IV. in literis vnionis in Concilio Florentino sess. vltima, *Filium esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Item esse fontem, dicunt Athanasius multis in locis, quos refert Thomas opusc. cit. §. 27. *Quòd Filius sit fons Spiritus sancti.* Epiphanius hæresi 69. multò post medium, exponens illud Psal. 35. *Quoniam apud te est fons vitæ.* ait, *Ostendit fontem ex fonte. ex Patre & Vnigenito Spiritum sanctum.* Et Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 23. aliquantò ante finem, *Quis est autem iste fons vitæ apud Patrem, nisi de quo dicitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Vnde cum dictum esset, Apud te est fons vitæ; continuò subiunctum est. In lumine tuo videbimus lumen, hoc est, in Filio tuo Spiritum sanctum. Fons ergo de fonte, Filius de Patre; & simul ambo fons vnus.* Sicut igitur Filius dicitur Spiritus sancti causa, principium, Fons; ita etiam author.

Hilarius. Florentinum. Epiphanius. Augustinus. Ioan. 1.

27. *In quo sensu solus Pater sit author Spiritus sancti, ex S. Thoma, & aliis, contra quosdam recentiores.*

Secundam conclusionis partem posui propter S. Thomam 1. d. 29. quæst. 1. art. 1. fine corporis, docentem, quòd *Solus Pater author dicitur, quamuis etiam Filius principium dicatur notionaliter*: idque probat, quia *nomen authoris addit super rationem principij hoc quod est, non esse ab aliquo.* & sequuntur Ægidius 1. d. 29. p. p. dis. quæst. 1. circa finem corporis, Caietanus in hoc articulo, §. *Ad primum horum.* tametsi Torres suprà, Bagnes paulò ante finem huius articuli, Molina disp. 4. fine. Zumel conclusione 2. & alij recentiores oppositum sentiant, Sed, quia lis est de nomine, breuiter probo, quia negari non potest, quòd ex vocabuli proprietate, & communi loquendi vsu, plus aliquid dignitatis importet esse authorem, quàm esse simpliciter principium; author enim est principium cum authoritate, quam non exprimit nomen principij; hæc autem authoritas, alia probabilius esse non potest, nisi vt aliquid ita sit principium, vt hoc esse principium, non habeat ab alio principio. & ideo optimè Ægidius supra, *Author*, inquit, *eo quòd authoritatem importat in producendo, non dicitur nisi quod principaliter producit; nam authoritatiuè facere, est principaliter facere. Et secundum hoc, nomen authoris ideo Patri competit, quia non ex alio est productus: ipse enim est fontana Diuinitas.* Hoc ipsum significant nonnullæ authoritates superiùs inductæ. Nam Athanasius, & Eugenius suprà num. 20. fine, & num. 21. docent, Soli Patri conuenire esse principium totius Deitatis. Quod minus verificaretur, si esse principium Spiritus sancti, omni modo quo conuenit Patri, conueniret etiam Filio. Verum Patri conuenit cum authoritate simpliciter dandi, & nihil recipiendi, quod S. Thomas vocat, esse authorem Spiritus sancti; Filio autem conuenit sine ista authoritate; tametsi omnino æqualiter principient Spiritum sanctum, ita vt prorsus idem, & eodem modo principient. Atque hanc principij prærogatiuam, siue authoritatem, videtur Eugenius citatus suprà num. 22 & 23. significare voluisse, cum docuit Latinos affirmasse, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patri, Filioque procedere, quasi verò, *Quòd id, quòd Spiritus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat.* Item Magister supra num. 21. probans, solum Patrem esse principium totius Deitatis, *quia ipse à nullo est.* Et clarius Augustinus supra num. 25. Patrem esse authorem Spiritus sancti, ita explicans, *quia de illo, & Filio sic procedit Spiritus sanctus, vt ipse hoc dederit Filio; gignendo eum talem, vt etiam de eo procedat Spiritus sanctus.* Idem significat Phœbadius libro contra Arianos, in medio, Illud enim Ioannis 14. *Pater maior me est*, ita exponit, *meritò maior, quia solus hic author sine authore est*: quam maioritatem tam habet Pater respectu generationis Filij, quam respectu processionis Spiritus sancti. Et quidem Filius si æque propriè, ac Pater, diceretur author Spiritus sancti, dici etiam deberet author de authore; quo modo à nullo graui Theologo, quem sciam, vocatur Filius: sed solũ, vt in superioribus expositum est, vocatur principium de principio, fons de fonte. Demum non negauerim, authoris nomen cum proprietate simpliciter, dici etiam de eo, quod est principium, etiamsi principium habeat. Sic Filius, & Spiritus sanctus propriè dicuntur author creaturarum; etiamsi à Patre procedant. Quamquam hoc, quod contra S. Thomam quidam obiiciunt, non est omnino simile, quia, vt notaui suprà quæst. 30. art. 1. num. 57. Deus vt præcisus à personis, est principium, *vt quod* respectu creaturarum ad extra, à quibus ille distinguitur; non autem respectu diuinarum personarum ad intra, à quibus in re nullo modo distinguitur. Sed Deus vt Deus, siue vt præcisus à personis nullum habet principium à quo procedat. quod tamen habet vt Filius. Igitur Filius dici potest author creaturarum, quia ea ratione qua est principium *vt quod* creaturarum, non habet principium: non autem ita propriè dici potest author sancti Spiritus; quia ea ratione qua est principium *vt quod* Spiritus sancti, habet principium, nempe Patrem.

Ægidius. Augustinus. Eugen. IV. Magister. Phœbadius. *Exponitur locus Ioan. 14.*

28. *Nõ licet Latinis dicere, Patrem causam Filij, aut Spiritus sancti.*

Tertia conclusio. Nos Latini, hoc præsertim tempore, non debemus dicere, Patrem causam Filij, aut Spiritus sancti; nec Filium causam Spiritus sancti: tametsi passim ita loquuntur Græci, vt ex superioribus constat, & testantur Eugenius supra num. 24. S. Thomas hîc ad 1. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 1. & alij omnes. Dixi, *hoc præsertim tempore*, quoniam olim nonnulli etiam graues Authores Latini, Græcis Patribus proximiores, causæ nomen vsurparunt in diuinis: vt Hilarius lib. 11 1. de Trinitate multò post principium, cum docuisset, *Deum nasci, non esse aliud, quam in ea natura esse, qua Deus est*: hoc

Soluitur quædam obiectio. *Dicunt tamẽ Hilarius.*

hoc probans, ita subiungit, *quia nasci, cum causam natiuitatis ostendat, non disproficit tamen in genere authoris existere. Quod autem non disproficit in genere, debet quidem author causam natiuitatis sua, naturam tamen ex se non amisit authoris; quia natiuitas Dei neque aliunde, neque aliud est.* Deum Patrem, authorem Filij, apertè vocat bis, *causam natiuitatis* Filij. Item lib. 12. aliquantò post principium loquens de natiuitate Filij Dei ex Deo Patre, ait, *Non alia ei, præterquam perfectæ, atque indemutabilis substantiæ, adid quod nascitur, causa est. Et ex causa, licet perfecta, atque indemutabili nascens, necesse est ex causa in causæ ipsius proprietate nascatur.* Et post multa, contra Arianos, de Filio Dei dicentes, *Erat quando non erat*, ita optimè arguit, *Qui ex eo, qui est, natus est, intelligi non potest, ex eo quod non fuit, natus esse: quia eius qui est, ad id quod est, causa Pater est, non etiam id quod non est, origo nascendi est.* Et lib. de Synodis, aliquanto ante medium, §. *Non differt, præter originis causam, ab innascibilitate natinitas.* Patrem innascibilem, vocat originis causam. Præterea Augustinus lib. 83. qq 9. 15. & 16. *Deus omnium, quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est: nec vmquam Deus sine sapientia sua. Igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna, nec tempore prior est, quam sua sapientia.* Addit etiam Aureolus supra ex Augustino illud 7. de Trinitate cap. 1. circa finem. *Qua causa illi*, nempe Patri, *est, vt sapiens sit, ipsa illi causa est vt sit: proinde si sapientia quam genuit, illi causa est, vt sapiens sit, etiam vt sit, ipsa illi causa est. Quod fieri non potest nisi gignendo eum, aut faciendo.* Sed non videtur ad rem, quia nomine causæ non intelligit Augustinus propriè causam producentem, sed rationem formalem, qua res habet vt sit formaliter talis: quo sensu dicitur, quòd causa, qua Deus est sapiens, bonus, &c. sit sapientia, bonitas, &c. Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti, cap. 11. cum post medium dubitasset, *Si dici debet Deus habere principium, aut causam*; & deinde probasset quòd *dici non incongruè potest, Pater quodammodo principium Filij, & Pater & Filius principium Spiritus sancti*; tandem in fine capitis concludit, eodem modo dici posse causam, quo principium, dicens, *Id ipsum intelligitur, si dicimus, Patrem esse causam Filij, & Patrem & Filium causam Spiritus sancti. Non enim duas possumus dicere causas, aliam videlicet Filij, aliam Spiritus sancti, sed vnam.* Riccardus Victorinus lib. 5. de Trinitate cap. 7. post medium concedit, quòd in diuinis persona producens sit *prius causaliter* persona producta; & quòd *vna sæ causa alterius.* Et cap. 8. post medium, *Sicut perfectio vnius, est causa alterius; sic sanè profectò gemina, causa est tertiæ in Trinitate personæ.* Et cap. 11. post medium, loquens de personis diuinis, ait, *Illa, quæ ex alia aliqua non est, oportet vt alteri existendi causam exhibeat.*

Anselmus. Riccardus Victorinus.

29. *Cur non liceat dicere causam ex S. Thoma contra Aureolum.*

Fundamentum igitur conclusionis est, quoniam Latini authores, præsertim Scholastici omnes, vno excepto Aureolo 1. d. 29. quæst. vnica art. 2. initio docent, nomine causæ importari aliquam principij imperfectionem, nimirũ, vt ait S. Thomas hîc ad 1. *Diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero.* Idque probat opusc. cit. *quia causa apud nos correspondet effectui. Vnde Patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat Filium esse factum*, quæ est hæresis Ariana. Confirmat etiam ex Scriptura, quæ Ioan. 1. & Ps. 109. ex plurimorum Patrum interpretatione, vt suprà num. 1. & 2. Patrem vocat principium Filij; *numquam autem*, inquit S. Thomas, *dicit Patrem esse causam, vel Filium causatum. Vnde cum causa plus dicat, quam principium, non præsumimus Patrem dicere causam, nec Filium causatum.* esset igitur aliqua præsumptio, indice S. Thoma, Patrem causam Filij vocare. Quod notari debet contra aliquos modernos asserentes, non esse ita loquendum, sed nihilominus nulla reprehensione dignum esse Latinum Theologum, qui ita loqueretur. Quamuis enim olim aliqui veteres Patres Latini illum loquendi modum aliquando vsurpauerint; tamen cum Theologi ferè omnes tam antiqui, quam recentiores, post tot secula illum continuata serie repudiauerint, tamquam fauentem Arianorum impietati, videtur imprudentia sanè reprehendenda, imò etiam nonnulla temeritas, nolle ab eo loquendi modo abstinere.

30. Florẽtinum.

Quod confirmari potest ex Concilio Florentino sess. vltima, vbi Eugenius IV. in literis vnionis post medium, quamuis testetur, *Filium esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem*: tamen antea quinquies vsurpat nomen principij, & numquam nomen causæ. Et postea ipsemet Bessarion, Græcus Doctor, in oratione dogmatica, ad ipsos duntaxat Græcos habita, in vltimo §. ita habet, *Notandum quòd sancti Doctores Orientales, etiam in diuinis vtuntur nomine causæ, & causati, largo modo. Non quidem vt limitationem, & dependentiam importet, sed prout productionem, & emanationem à principio, eius quod est à principio, significat: & ideo me etiam ad Græcos loquentem, his nominibus vsum fuisse.* Vocis impropriatem significat dicens, eam ab ipsismet Græcis vsurpari *largo modo*: ac proinde stricto & proprio modo illa voce importari, vt ipsemet ait, *limitationẽ & dependentiam.* & ideo se excusat, quòd his nominibus vsus sit, vt se accommodaret Græcis, apud quos loquebatur; aliter non vsurus. Vnde antea in c. 3. post medium idẽ Bessarion ita habet, *Deum Patrem, causam esse Filij Spiritus sancti palam pradicant & docent omnes Orientales Patres, & Doctores. Beatus Cyrillus in eis, quæ ad Hermiã scribit, vnà cum Occidentalibus Patribus non admittit quidem hoc nomen causæ in diuinis personis.* Quod docuit Cyrillus Alexandrinus Dialogorum de Trinitate l. 2. multò post medium, nam cum Hermias Patrem, & Filium, nominasset *causam, & causatum*, ita respondet Cyrillus, *causam autem, & causatum, neque nominare fas est. Decet item de Deo potius dicere, Patrem, ac genitum Filium.* Causæ nomen, quod ne inter Græcos quidem, *de Deo nominare fas est*, vt monet sapientissimus Græcorum Doctor, omnino nefas erit latinum aliquem Doctorem inter latinos vsurpare. Adde, ipsos etiam Græcos Patres, cum causam & causatum dicunt, nonnunquam improprietatem, ac nimiam loquendi libertatem corrigere, addentes aliquid, quò expresse aduertunt, se nolle exprimere causam efficientem, & effectum. Ita Athanasius Dialogo 2. de sancta Trinitate columna penultima. *Spiritus sanctus habet pro causa Deum, non vt effectorem, sed vt sui fontem.* Nyssenus libro ad Ablabium prope finem, *Causam autem, & id quod ex causa est, dicentes, non naturam per hæc nomina significamus; sed eam, quæ est secundum aliqualiter esse, differentiam indicamus. Dicentes enim alium quidem causatum, à causa ortum; alium verò sine causa esse, non naturam, verbo causæ, separamus; sed solummodo neque Filium ita se habere quasi genitus non sit, neque Patrem per natiuitatem & generationem esse indicamus.* Basilius apud S. Thomam opusc. cit. in fine cap. 1. ait, *Spiritum sanctum dico ingenitum, non habere Patrem, nec creaturam, quia non est creatus, sed causam habet Deum, cuius verè est Spiritus, à quo & procedit.* Demum addunt aliqui ex Latinis Patribus Hilarium lib. 4. & 9. de Trinitate dicentem, Patrem non esse causam Filij. Sed neque in his libris id legitur; neque est verisimile, id ab Hilario scriptum in eo opere, in quo, vt suprà n. 28. sæpè scribit oppositum.

Florẽtinum. Bessarion. Cyrillus. Athanasius. Nyssenus. Basilius. *Hilarij male relati.*

ARTIC

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc nomen, Pater, sit nomen propriè diuinæ personæ.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd hoc nomen, Pater, non sit propriè, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Explicatur, & probatur pars affirmatiua, num. 1. & 2.*
2 *Deum melius dici Patrem, quam Generantem, vel Genitorem, n. 3.*
3 *An nomen Patris propriùs conueniat Deo, quam creaturis, num. 4. & 5.*

1. *Conclusio affirmatiua explicatur.*

PRIMA conclusio affirmatiua: conclusionis sensus, vt ex illius probatione, & responsione ad 1. constat, hic est. Nomen Patris, non prout est commune Patri increato, & Patri creato, sed prout specialiter Deo tribuitur, est nomen primæ personæ diuinæ proprium, ita vt illi soli, & absque vlla improprietate conueniat. Hoc omnes Catholici confitemur cum aduersùs Sabellianos, qui negantes in Deo personarum pluralitatem, veram quoque in eo generationem, paternitatem & filiationem esse negarunt: tum aduersùs Arianos, qui cum impiè vellent, Dei Filium non esse verè ac propriè filium per naturam genitum, sed per gratiam & liberam voluntatem creatam; coacti sunt consequenter asserere, Deum Patrem non esse verè ac propriè Patrem. Ratio conclusionis est, quia Deus Pater importat relationem paternitatis subsistentem, qua prima persona producta in diuinis constituitur formaliter in suo proprio esse personali, & ab omni alia persona, tam increata, quam creata, personaliter distinguitur, vt in superioribus sæpè tactum est, & infra vberius discutietur. Hæc enim paternitas neque competit aliis diuinis personis, quia vt cum Athanasio in eius Symbolo vniuersa fidelium Ecclesia fatetur, *Vnus Pater, non tres Patres:* neque alicui creatæ personæ, quæ est pater paternitate accidentaliter superaddita, & inhærente personæ; non paternitate substantialiter & formaliter constituente personam. Illud autem sine dubio est propriissimum alicuius personæ nomen, quod explicitè importat propriam suam personalitatem, quam cum nullo alio communem habet. Vbi verba illa S. Thomæ, *Id per quod distinguitur persona Patris ab omnibus aliis est paternitas*, valde notanda sunt contra dicentes, Patrem distingui à Spiritu sancto non per paternitatem, sed per aliam relationem actiuæ spirationis.

Probatur.

Athanasius.

S. Thomas.

2. Quòd verò personalitas primæ personæ productæ, sit paternitatis relatio, seu paternitas verè ac propriè dicta; & consequenter illa persona denominetur verè ac propriè Pater, non per metaphoram, aut aliam improprietatem, sufficienter probatum remanet ex dictis supra quæst. 27. art. 1. à num. 70. latè probantibus, Filium Dei esse verissimè ac propriissimè filium, cui correspondere necessariò debet cum eadem veritate ac proprietate Pater: & art. 2. num. 2. & 3. vbi hæc veritas ex Scriptura & Patribus fusè probata est: & quæst. 28. art. 1. num. 1. ad 7. vbi probatur, Relationes, atque adeo paternitatem, Deo conuenire *verè, propriè, verissimè, veracissimè*, vt loquuntur Patres, ibi citati. Hanc Patris denominationem, esse veram ac valdè propriam, non obscurè indicat ipsemet Christus, Dei Filius, qui cum frequentissimè nominet diuinam personam à qua procedit, nullo alio ferè nomine vocatur, nisi Patris, vt potissimum videre est in toto Euangelio Ioannis, qui omnium clarissimè & copiosissimè de Diuinitate disseruit. Et ideo cap. 17. refert Christum Dominum ita loquentem ad Deum Patrem, *Manifestaui nomen tuum hominibus*; nimirum, vt interpretatur Augustinus tractatu 106. in Ioannem ante medium, *Non illud nomen tuum, quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus; quod nomen manifestari sine ipsius Filij manifestatione non potest.* Et, vt ait Chrysostomus ibi hom. 80. initio, *principaliter, quòd Patrem hominibus annunciauit.* Et Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 18. initio, *Vt character Patris, manifestasse nomen eius hominibus, ait.* Et post nonnulla, *Manifestauit Patris nomen Filius, quia verè Patrem esse Deum, nec falsò ita nomine appellari nobis aperuit:* quia, inquit, *nomen Patris magis ei conuenit, quam nomen Dei.* quia scilicet, nomen Patris, & illi proprium; nomen verò Dei commune habet cum aliis diuinis personis. Et lib. 10. Thesauri cap. 6. paulò ante finem, *Manifestaui, ait, nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes. Ioannes etiam ait, & simus in vero Filio eius Iesu Christo.*

Exponitur locus Ioan. 17. cũ Augustino, Chrysostomo, Cyrillo.

1. Ioan. 6.

3. Secunda conclusio in responsione ad 2. *Potius est nomen diuinæ personæ Pater quam Generans, vel Genitor.* Ratio S. Thomæ est, quia generans, seu genitor, denominatur à generatione, quæ, inquit, *significat vt in fieri*, hoc est, significat aliquid per modum viæ, seu tendentiæ ad aliud. Pater vero denominatur à paternitate, quæ significat vt in facto esse, & per medium permanentis, ipsum *complementum generationis*: quòd ad generationem se habet veluti finis, seu terminus ad medium, seu viam. At verò, inquit S. Thomas, *Secundum Philosophum 2. de Anima, denominatio rei, maximè debet fieri à perfectione & fine.*

3. Pater melius dicitur quam Generans, vel Genitor.

4. Tertia conclusio in responsione ad 4. Nomen Patris magis propriè conuenit Deo, quam creaturis, quantum ad rem significatam: contra verò magis propriè conuenit creaturis, quam Deo, quantum ad modum significandi. Hoc in genere docet S. Thomas non solum de nomine Patris, sed etiam de nomine generationis, & de aliis nominibus, *quæ propriè dicuntur in diuinis*: & ex instituto tractauerat suprà quæst. 13. art. 6. vbi nos hac de re sufficienter disputauimus. Probo S. Thomæ conclusionem hanc in particulari dupliciter. Primò, ex illo ad Ephes. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Quem etiam locum ibidem latè exposuimus, & breuius quæst. 22. art. 2. num. 2. Nunc addendus est Cyrillus, qui ex hac interpretatione contra Arianos perspicuè & acutè ita arguit lib. 12. Thesauri, cap. 5. paulò ante medium, *Si ergo paternitatis nomen à Deo in nos transit, quomodo non erit impium putare, nos quidem natura patres esse filiorum nostrorum, qui per imitationem, qua suum creatorem natura imitatur, patres dicimur; ipsum verò Deum, & Patrem, primò non verè Patrem opinari, nec ex ipso essentialiter prodire Filium confiteri, sed alienum paternæ substantiæ arbitrari?*

4. An nomen Patris propriùs conueniat Deo quam creaturis.

Cyrillus.

5. Secundò probat, quia ratio, & consequenter nomen generationis, perfectius & magis propriè conuenit Deo, quam creaturis; ergo etiam ratio, & nomen paternitatis, & Patris. Consequentia est manifesta, quia propriè ac perfectè Pater est, qui propriè ac perfectè generat, vt probaui suprà quæst. 27. a. 2. num. 3. Antecedens optimè probat S. Thomas à priori, *Manifestum est enim quòd generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati: & quanto hic fuerit propinquior formæ generantis, tanto verior & perfectior est generatio; sicut generatio vniuoca est perfectior, quam non vniuoca: nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundum formam.* Sed in generatione diuina inter genitum, & generantem est distinctio secundum relationem, & personam tantum; non secundum formam, & naturam infinitè perfectam Deitatis, quæ eadem omnino, existens in persona generante, communicatur personæ genitæ: quę naturæ perfectio & identitas in creaturarum generationibus non reperitur, in quibus non solum personæ, sed ipsæ naturæ realiter differunt. Ergo diuina generatio, & per consequens paternitas, verius, proprius, perfectius, & per prius conuenit Deo, quàm creaturis. Ergo idem dicendum de nominibus generationis, paternitatis, & patris quantum ad rem significatam: nam quantum ad modum significandi, cum hæc nomina prius tempore imposita sint ad res creatas significandas, quas prius cognouimus, hinc fit, inquit S. Thomas suprà q. 13. art. 6. fine corporis, *vt modum significandi habeant, qui competit creaturis*; vt multis explicatum est in citata q. 13. de nominibus Dei, in primo tomo.

5. Ratio S. Thomæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hoc nomen, Pater, dicatur in diuinis per prius, secundum quòd personaliter sumitur.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd hoc nomen, *Pater*, non dicatur, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Explicatur titulus Articuli, num. 1.*
2 *Probatur affirmatiua pars Articuli, n. 2. ad 5.*
3 *Soluuntur duæ obiectiones, n. 5. & 6.*

1. *Exponitur titulus.*

PATER personaliter sumptus dicitur per ordinem ad Filium genitum intra ipsum Deum, qua ratione vna sola ac prima Trinitatis persona, prorsus improducta, dicitur principium notionale Filij. Pater verò essentialiter sumptus dicitur per ordinem ad effectus à Deo creatos extra ipsum, qua ratione dicitur tota Trinitas principium essentiale creaturarum, non quòd aut relatio rationis ad creaturas, quam habet Deus, vt actu creans, aut etiã ipsa creandi potentia, vt distincta ab intellectu & voluntate, vt suprà q. 25. art. 1. ad 4. quã semper habet Deus vt potens creare, sit de intrinseco conceptu essentiæ diuinæ, vt suprà q. 4. art. 2. sed solum quia essentiam consequitur sicut attributum essentiæ, ita commune omnibus personis, sicut communis est ipsa essentia. De hoc igitur nomine, Pater, facta comparatione inter duas prędictas Patris acceptiones, prioritas quæritur, non quidem quantum ad nominis impositionem, & significationem, quia iam in præcedenti articulo ad 4. generaliter docuerat, & antea in q. 13. art. 6. ex instituto probauerat, *quòd nomen generationis, & paternitatis, sicut & alia nomina, quæ propriè dicuntur in diuinis, non per prius dicuntur de Deo, quàm de creaturis, quantum ad modum significandi*; sed de prioritate quantum ad rem significatam: quæ vt clarè & acutè explicat Syluester p. p. Cõflati q. 33. a. 3. initio, *est prioritas ordinis nominis ad sua significata; siue, quod in idem redit, prioritas significatorum nominis inter se, respectu congruentiæ quam habent ad significari per tale nomen. Vnde quærere, vtrum de Deo dicatur Pater prius personaliter, vel essentialiter, est quærere, vtrum formalis ratio significata per ly, Pater, perfectius fundetur in Deo generante respectu Filij coæqualis, quam in Deo creante respectu filij creati, siue respectu creaturæ, cuius dicitur Pater.*

Sylueſter.

Declaratis terminis, & sensu quæstionis, respõsio & conclusio Articuli est satis clara, & certa, & ab omnibus recepta, In diuinis per prius dici Patris nomen sumptum personaliter, seu notionaliter, quã essentialiter: siue, vt clarius concluditur in fine corporis, Nomen Patris, vel paternitatis, *per prius dici in diuinis, secundum quòd importatur* his vocibus *respectus personæ ad personam, quam secundum quòd importatur respectus Dei ad creaturam.* Quod nihil est aliud, quam habita ratione rei, quã propriè significat hoc nomen, Pater, Deus per prius denominatur Pater Filij sui cõsubstantialis, quam Pater creaturarũ. Ratio S. Thomæ ita est declaranda, ac formanda, Patris nomen significat propriè principium perfectæ generationis viuentium, quæ suprà q. 27. a. 2. definitur, origo alicuius viuentis à principio viuente coniuncto secundum rationem similitudinis in natura eadem, vel numero, vel saltem specie. Sed tota ista ratio huius nominis perfectissimè saluatur in Deo vt principio filij sui, cui communicat eamdẽ numero Deitatis naturam, quam in se habet; non saluatur autem tota, sed solum secundum aliquid in eodem vt principio creaturarum, quibus communicat particulam quamdam naturæ suæ, ad ea distinctam non solum numero & specie, sed etiam prusquam genere, & infinitè distantem ab eius perfectione. Et ideo creatura cum Deo, eius principio productiuo, non habet similitudinem in natura, quæ similitudo, faciens ad propriam generationis ac Patris rationem, est omnium similitudinũ perfectissima, sed habet alias minus perfectas similitudines, quas breuiter tangit S. Thomas à medio corporis, primam vniuersalissimã vestigiis conuenientem omnibus creaturis, etiam irrationalibus, & insensibilibus, ratione cuius de Deo Iob 38. dicitur, *Quis est pluuiæ pater? vel, quis genuit stillas roris?* & vniuersaliter Sap. 14. dicitur, *Tua autem, Pater prouidentia gubernat.* Secundam imaginis, quam habet tantũ quælibet creatura rationalis; ratione cuius Deut. 32. dicitur, *Non ne ipse est Pater tuus qui possedit & fecit, & creauit te?* &, vt sumitur hîc argumento 1. *Toti Trinitati dicimus, Pater noster.* Tertiam supernaturalem gratiæ, qua sicut iusti dicuntur filij Dei, scilicet adoptiui ordinati ad hæreditatem æternæ gloriæ; ita Deus dicitur iustorum Pater; vt ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Accepistis enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et iuxta hanc tertiam similitudinem, *Pater Domini nostri Iesu Christi*, vocatur 2. Cor. 1. *Pater misericordiarum.* Quartam etiam supernaturalem gloriæ: quam expressit Ioan. ep. 1. cap. 3. illis verbis, *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et propter hanc similitudinem beati vocantur filij Dei, & consequenter Deus pater beatorum, ad Rom. 5. vt S. Thomas intelligit in fine corporis, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ergo spectato proprio significato huius nominis, Pater, illud *per prius*, hoc est primariò ac simpliciter, absque vlla improprietate, ac diminutione proprij significati, tribui debet primæ personæ diuinæ, vt est principium notionale; secundariò autem, & secundum quid, ac diminutè dicitur de eadem prima persona, vt est principium essentiale. Sicut à contrario hoc nomen, Filius, quia eius pro-

2. *Probatur pars affirmatiua.*

Similitudines quas cũ Deo habet creatura, ex S. Thoma.

primum significatum totaliter & adæquatè conuenit secundæ personæ diuinæ genitæ, non autem cuicumque alteri personæ creatæ, per prius dicitur de illa, per posterius de hac.

3. Athanasius. Confirmari potest conclusio eiusque ratio primò ex dictis Patrum. Athanasius orat. 2. contra Arianos, multò ante medium, *In sola Deitate Pater, propriè pater est, & Filius, propriè filius.* Quæ verba repetit in epistola ad Serapionem. Epiphanius circa medium. & magis adhuc in oratione 3. contra Arianos inter medium & finem, *Pater propriè ad Filium refertur; non ad creaturam; adeò vt inde certum fit, non nos natura esse filios, sed eum, qui in nobis est, Filium esse: ac vicissim, Deũ non esse ex natura nostrum patrem, sed eius, qui in nobis est, Verbi, in quo, & per quem clamamus Abba, Pater.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7. pag. 2. *Est Deus multorum quidem abusiuè dictus Pater. Vnius verò, & solius, natura & veritate vnigeniti Filij, Domini vero nostri Iesu Christi Pater. Ante omnem substantiam, & ante omnem sensum, ante tempora, & ante omnia secula, patriam dignitatem habet Pater. Hac magis, quam aliis dignitatibus venerandus; & non affectione pater factus, non ex coniunctione, non per ignorantiam, non deficiens, non diminutus, non alteratus.* Nazianzenus mirificè rem totam declarat oratione in Laudem Heronis, aliquantò ante finem his verbis, *Patrem esse credamus. Patrem multò verius, quam qui apud nos id nomen obtinent: tum quia proprio & singulari modo pater est: tum quia solus, non enim cum mulieris coniunctione, atque congressu: tum quia solus, nempe Vnigeniti: tum quia solum, nec enim ipse, prius quam pater esset, filius fuit: tum quia in totum, & totius pater: quod de nobis certò affirmari nequit; tum quia à principio; nec enim posterius pater esse cœpit. Eodem modo Filium, verè esse filium; quòd & solus & solius, ac singulari modo, & solum (non enim pater quoque simul est) & in totum, & totius, & à principio hanc rationem habens.* Hieronymus libro 2. in ep. ad Ephes. c. 3. multò post medium, *Ex eo quòd Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, iuxta substantiam Pater est; & Vnigenitus non est adoptione filius, sed natura; cæteræ quoque creaturæ, paternitatis nomen adoptione meruerunt.*

Cyrillus Hierosolym. Nazianzen. Hieronym.

4. Exponitur locus Ioan. 20. Athanasius. Cyrillus Hierosol. Nazianzen. Epiphanius. Chrysost. Secundo ex verbis Christi Ioannis 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Quibus, vt Patres communiter exponunt, indicare voluit Christus, Deum Patrem longè alio diuerso modo esse Patrem, & Deum suum, quam aliarum creaturarum. *Nam*, vt exponit Athanasius libro de humana natura suscepta multo post principium, *Deus illi secundum naturam pater est; nobis autem secundum gratiam.* Distinctius Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11. post medium, *Vt non existimes, eodem modo esse Filij, & creaturarum patrem, distinxit in sequentibus: non enim dixit, Ascendo ad Patrem nostrum, ne esset communio creaturarum cum Vnigenito; sed, Ad Patrem, inquit, meum, & ad Patrem vestrum. Aliter meum per naturam, aliter vestrum per adoptionem. & rursus, Ad Deum meum, & Deum vestrum; aliter meum, tamquam proprij & vnigeniti Filij; & aliter vestrum, tamquam creaturarum.* Nazianzenus oratione 4. de Theologia multò post principium, docet quòd Deus Pater, respectu Verbi sit *pater propriè*; respectu nostri, *pater non propriè.* Epiphanius hæresi 69. circa medium, *Patrem quidem meum, secundum naturam in Deitate, & patrem vestrum per gratiam, per me, in adoptione.* Chrysostomus tomo 3. circa finem, serm. de Trinitate circa medium in eadem verba, ait, *Aliter vocat suum, secundum naturam; & aliter nostrum, secundum gratiam, & adoptionem. Potuit dicere, Patrem meum; non, Patrem meum, & vestrum. Cuius ergo gratia diuisit se? non ne vt hanc nos, Deo dignam sententiam docere?* Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 6. med. *Ostendit Dei Filius distantiam generationis & gratiæ, dicens. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Non dixit, Ascendo ad Patrem nostrum; sed meum & vestrum. Separatio ista diuersitatem ostendit, quòd illius genitor, noster creator sit.* Augustinus tractatu 121. in Ioannem post medium, *Non ait, Patrem nostrum. Aliter ergo meum, aliter vestrum. Natura meum, gratia vestrum.* Cyrillus Alexandrinus libro 12. in Ioannem cap. 51. circa finem, *Patrem suum esse natura, sed quod sibi natura inest, nobis largitur, vt communiter patrem appellemus.* Et lib. 1. Thesauri cap. 6. post medium, *Pater eius secundum naturam: pater noster per gratiam est.* Gregorius Papa in Euangelia homil. 25. post medium, *Ascendo ad Patrem meum, videlicet per naturam: & Patrem vestrum, per gratiam.* Qui omnes, vno excepto Hierosolymitano, illud, *Patrem meum*, intelligunt de Christo vt subsistente in natura diuina: illud vero, *Deum meum*, intelligunt de eodem vt subsistente in natura humana. Sed cum non negant, in vtroque membro posse eodem modo intelligi, multo congruentibus videtur, vitare istam variam acceptionem in tam breui & simili oratione, & exponere, quòd Christus vt Filius Dei, distinguendo se ab omni simpliciter creata, asserat Deum Patrem non solum vt Patrem, sed etiam vt Deum, esse aliquo singulari modo suum, quo nullius est creaturæ, quia scilicet non solum est propriè genitus à Deo Patre, sed etiam est illi omnino consubstantialis in eadem numero natura Deitatis.

Ambrosius. Augustinus. Cyrillus.

5. Prima obiectio. Obiicies primò. In diuinis essentialia, & communia, sunt ratione priora notionalibus, & propriis: sicut esse Dei prius ratione est quàm esse Patris. Sed esse Patrem creaturarum est quid essentiale, & commune toti Trinitati. Ergo prius ratione quàm esse Patrem Filij, quod est notionale, & proprium personæ proprium.

Respondetur cum S. Thoma explicando, quo modo communia sint priora propriis. Respondet oprimè S. Thomas ad 1. distinguendo Maiorem. *Communia*, inquit, *absolutè dicta. Secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quàm propria, quia includuntur in intellectu proprio rum; sed non è conuerso; in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur:* quæ vltima verba explico suprà quæst. 28. art. 2. n. 59. & 90. & 111. *Sed communia, quæ important respectum ad creaturam, per posterius dicuntur quàm propria, quæ important respectus personales.* Cuius generis commune est, esse patrem creaturarum, sicut creare, gubernare creaturas; & etiam scientia visionis creaturarum. An autem intelligere creaturas possibiles, easque per omnipotentiam posse creare, sint etiam ratione posteriora personis diuinis; videtur affirmatiuè respondendum de possibilibus *vt quod* omnino completè; negatiuè verò de possibilibus incompletè, & *vt quo*; sub qua ratione Verbum procedere dicitur ex cognitione possibilium; ac proinde præcedentium prioritate originis, vt infrà quæst. 34. art. 3. n. 57. alioquin apparet manifestè inconueniens, Prius ratione cum fundamento in re, creaturas esse omnino completè possibiles, quam Deum in se ipso intrinsecè constitutum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui sunt principium creaturarum omnino completum, *vt quod.*

6. Secunda obiectio. Obiicies secundò Basilium lib. 2. contra Eunomium, aliquanto post medium, ita docentem, *Pater noster est Deus, non abusiuè, aut translatiuè, sed propriè, primò, & verè dictus.* & post nonnulla, *Propriè, ac meritò Deus dicitur pater, quod non passionis sed confessionis nomen est; vel eius, quæ est per gratiam, vt in hominibus; vel eius, quæ secundum naturam est, vt in Vnigenito.*

Respondetur exponendo locum Basilij. Respondeo his verbis Basilium non considerasse propriam Patris vt patris rationem, de qua hactenus loquuti sumus: sed solum communem rationem Patris vt principij realiter productiui: in qua Deus, vt principium creaturarum, superat sine dubio omnes Patres in filiorum suorum generatione; quia producit omnia quæ creati Patres producunt; & præterea materiam primam, animam rationalem, & ipsosmet parentes; & omnia continuò conseruat, omnibus prouidet, omnes ad salutem dirigit, quæ alij Patres non faciunt. Propter quem excessum dicit Christus Dominus Matth. 23. *Patrem nolite vobis vocare super terram. Vnus est enim Pater vester qui in cœlis est.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm esse ingenitum sit Patris proprium.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd esse ingenitum, non sit Patri, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Conclusio simpliciter affirmatiua probatur ex Patribus, num. 1. & 2.*
2 *In quo sensu Ingenitum dicatur proprietas Patris, num. 3. ad 11.*
3 *An Ingenitum importet aliquid positiuum, num. 11. ad 14.*
4 *An Ingenitum importet formaliter solam negationem, num. 14. ad 18.*
5 *Quod fundamentum importet negatio Ingeniti, n. 18. ad 27.*
6 *Quomodo conueniat Deo Patri propria personalitas, num. 27. ad 37.*
7 *An implicent plures diuinæ Personæ ingenitæ, n. 37. ad finem articuli.*

1. Respons. affirmatiuæ fidei. Clemens. Sixtus I. Nicænum. Athanasius Hilarius. Toletanum XI. ONCLVSIO simpliciter affirmatiua, est sine dubio veritas fidei, certa apud omnes Scholasticos & Patres; ex quibus illi potissimum eam probant, qui non solum rem, sed rei certitudinem tradunt. Clemens Romanus lib. 7. constitutionum Apostolicarum cap. 41. initio docet Catechumenum, vt ante baptismum ita profiteatur, *Credo in vnum ingenitum, verum Deum, Patrem Christi.* Sixtus I. epistola 1. decretali, multò post medium, *Patrem in diuinis literis ingenitum, propriè positum, nec legere possunt penitus, nec probare. Sed quia id ipsum fides exigit Christiana, absque vlla dubitatione ingenitus creditur.* Nicæni Patres lib. 2. §. *Sæpenumero*, post medium, ita credendũ proponunt, *Vnus ingenitus Deus & Pater, Vnus ex eo genitus Vnigenitus Filius, Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, neque posterior filius, diuersus à Deo Vnigenito Filio eius, Deo Verbo.* Huius definitionis locupletissimus testis est Athanasius in epistola ad Serapionem, vt refert Thomas opusc. 1. contra errores Græcorũ c. 8. *Non est ingenitus Spiritus sanctus, quia imprincipiatum esse, & ingenitum, Soli Deo Patri Ecclesia Catholica, congregata apud Nicæam, rectè & fideliter attribuit; & de solo Patre hoc esse credendum, & prædicandũ, toti mundo sub anathemate mandauit.* Hilarius lib. de Synodis circa medium, exponens Sardicam Synodum, in fine ait, *Innascibilem Filium, sanctorum fides nescit.* Toletanum XI. initio Professionis Fidei, *Patrem non genitum, non creatum sed ingenitum profitemur.* Quod ita tum sic explicat, *Ipse enim à nullo originem ducit; ex quo & Filius natiuitatẽ & Spiritus sanctus processionem accepit.* & post nonnulla, *Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut, si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus; aut, si genitũ, duos Filios prædicare monstremur.* Idem credit Concilium VVormatiense in Professione Fidei. Fulgentius ad obiectionem septimam Arianorum, aliquantò ante finem, *Ingenitus Pater nusquam in Scripturis Canonicis legitur: & tamen secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur.* Anselmus in Monologio c. 54. post medium, *Potest, imò debet dici solus ille, cuius Verbum est genitor, & ingenitus; quia solus Pater, & parens, & nullo modo ab alio est.* Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum c. 2. fine, in tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, de Deo Patre docet, *absque vlla dubitatione ingenitum credi, quia ita fides exigit Christiana.* Demum in secundis Vesperis Officij sanctissimæ Trinitatis, ita omnes fideles canimus, *Te Deum Patrem ingenitum toto corde, & ore confitemur.*

VVormatiense. Fulgentius. Anselmus. Idacius Clarus.

2. Iustinus. Eamdem veritatem simpliciter affirmant multi alij Patres: Iustinus in expositione Fidei pagina 1. & 2. sæpè ponit hoc nomen, *Ingenitum*, vt propriissimam Patris notionem. Eius verba refero supra a. 3. n. 3. Athanasius in Quæstionibus anonymis q. 5. *Proprium Patris quidem, Ingenitum esse; Filij vero, genitum; at Spiritus sancti procedere.* Alexander Alexandrinus epistola ad Alexandrum, columna 4. initio, dicit, *Solus Pater ingenitus est.* & columna 9. fine, *Ingeniti vocabulum Patri, vtpote eius solium proprium, adscribendum propterea existimemus, quòd seruator ipse dicit, Pater maior me est.* Hilarius sæpissimè lib. de Synodis, & in libris de Trinitate. Satis sint verba lib. 2. de Trinitate columna 5. vbi ante medium, Patrem & Filium ita distinctè nominat, *Vnum ingenitum Deum. Vnum vnigenitum Deum.* & paulo post, *Est Filius ab eo, qui Pater est; vnigenitus ab ingenito.* Et iterum paucis interiectis, *Ab vno ingenito Deo vnus ingenitus Deus. Non Dij duo, sed vnus ab vno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato.* Nazianzenus oratione in laudem Heronis pagina penultima circa medium docet, *Vnum esse Deum ingenitum Patrem.* & paulò ante finem prohibet dicendum esse, *ingenitum Filium, vnus est enim Pater.* & pagina vltima circa principiũ, *Patris proprietas hæc est, quòd ingenitus sit*; siue, vt aliis in locis sæpe loquitur, *principij expers.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. cap. 2. initio, loquens de Patre, vt ex subsequentibus manifestum est, ait, *Primum dogma de Deo in anima vestra fundetur, quòd Deus vnus est ingenitus, sine principio.* Et Catechesi 11. in medio, *Neque duo ingeniti, neque duo vnigeniti; sed vnus est Pater ingenitus, qui patrem non habet.* Basilius lib. 2. contra Eunomium multò ante finem, laudat eos qui dicunt, *Genitum, atque ingenitum, vt specificas quasdam proprietates in substantia consideratas, ad verã, & inconfusam Patris ac Filij sententiam perducentes esse.* Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 26. paulò ante finem, *Pater solus noster est, de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri c. 1. ante medium, docet, quòd *vnus solummodo ingenitus, isque Pater sit.* Damascenus lib. 1. Fidei c. 9. ante medium, *Quæcumque habet Pater, Filij sunt, præter ignascendi proprietatem.* Et post medium, *Solus Pater ingenitus, non enim ex alia hypostasi, sua hypostaseos habet substantiam.* Idẽ passim docent alij Patres. Nullus igitur Catholicus negare potest, esse ingenitum soli Patri conuenire in aliquo bono sensu, qui diligenter indagandus est; quoniam, vt docet Cyrill. lib. 1. Thes. c. 3. ante finẽ, *Ingeniti vox multa significat, & inter æquiuoca iure numeratur*, quo fit, vt Ariani, teste

Iustinus. Alexander Alexandrin. Ioan. 14. Hilarius. Nazianzen. Cyrillus Hierosol. Basilius. Augustinus. Cyrillus Alexandrin. Damascen. Cyrillus.

Athanasius. Athanas. lib. de Decretis Nicænę Synodi prope finẽ, *hoc vocabulo, Ingeniti, quòd probæ significationis est, & cũ pietate vsurpari possit, pro animi sui conceptu, proque libidine sua, ad contumeliam Saluatoris abutantur.* Ad

Basilius. quem abusum tollendum, & ad vitandas Arianorum insidias, dixit aliquando Basilius lib. 1. contra Eunomium, ferè inter principium & medium, *Ego autem etiam ingeniti, sine inmascibilis appellationem, quamuis summopere cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo loco in Scriptura ipsam inuenio, & quoniam primum est elementum blasphemiæ istorum, silentio tradendam meritò duxerim.* Nimirum in disputationibus cum Arianis, qui vt errorum suorum tenebras malitiosè tegerent, ac fraudulenter introducerent, vti volebant æquiuocis, & obscuris nominibus ingeniti, & geniti; non autem vniuocis, & clarioribus Patris, & Filij, quibus vtuntur diuinæ Scripturæ. In quo sensu accipiendi sunt quidam alij Græci Patres, qui nomen ingeniti repudiare ac damnare videntur. Enim vero illis displicere non potest nomen, quod vsurpant, & expressè laudant; vt patet ex verbis Athanasij, & Basilij; sed potius abusus nominis, quod Ariani absque vlla necessitate in disputationibus vsurpabant, synceriore Patris vocabulo, ad decipiendum, omisso.

DVBITATIO I.

In quo sensu Ingenitum dicatur proprietas Patris.

SVMMA.

1 *Ingenitum non significare non factum, num. 3. ad 8.*
2 *Ingenitum non significare tantum non genitum, num. 8.*
3 *Ingenitum significare improductum omnino, num. 9. & 10.*

3. *Ingenitum non esse non factum.*

PRima conclusio. Ingenitum, quod proprium Dei Patris esse dicitur, non est idem quod non factum, seu non creatum. Est contra Arianos, qui in hac potissimum ingeniti acceptione fundati, nitebantur probare, Filium, & consequenter Spiritum sanctum esse creaturas. Si enim, dicebant, solus Pater est ingenitus, hoc est, increatus; & Filius non est ingenitus, sed genitus; Ergo Filius est

Athanasius. creatus. Athanasius loquens de Arianis oratione 2. contra Arianos circa medium, ita testatur, *Ista quoque illorum percunctatio; Vnum ne ingenitum, ac duo? Si quis inscius eorum vafriciei responderit, Vnum esse ingenitum, statim suum venenum euomitant, dicentes, Igitur Filius vnus est ex rebus creatis, & rectè à nobis dictum est, Non erat priusquam fieret.* Et post nonnulla ait, *Addidit callidus Sophista Asterius, & hæreseos patrocinator in suo libro, Ingenitum esse, quod factum non sit, sed quod æternum sit.* Et deinde ita sapientissimè respondet, *Sin autem, vt Asterio placuit, ea ratione intervogent, quò ingenitum id habeatur quod factum non est, & semper est, audiant non semel, sed sæpius, etiam Filium pro ista acceptione ingenitum dici, non enim ex genere factitiorum est.* Quapropter, vt paulò post concludit, *Non, si eo modo Deus ingenitus appelletur, hoc est, increatus, sequitur necessariò, Filium esse genitum, hoc est, creatum.* Et post multa, *Vocabulum ingeniti sibi confinxerunt, vt Filium genitum, hoc est, creatum, apud simpliores dictitantes, eadem illa verba, ex non entibus, & Non erat priusquam fieret, denuò subindicent; in istis enim creata & condita intelligi volunt.* Et iterum multò post, *Quocirca religiosius, & verius esset, Deum potius Patrem dicere, quàm ingenitum, hoc est, increatum.*

4. Eamdem Arianorum argumentationem refert, eamdemque Athanasij doctrinam multis sequitur, & explicat Cyrillus initio sui Thesauri c. 1. 2. 3. & Cyrillus. 4. Notanda præcipuè sunt verba c. 1. ante medium, *Quemadmodum ex Deo Deus, & de lumine lumen effulsit; sic ex ingenito ingenitus, hoc est, ex non facto non factus.* Sumpto ingenito pro non facto, tam Deo Patri, proprie ingenito, quàm Deo Filio, propriè genito, Cyrillus tribuit non factum, ac perinde ingenitum, si hoc sumatur pro non facto. Nam, vt in fine eiusdem capitis addit, *In ingenito, id est,* inquit, *non facto, non ad Filium, sed ad creaturas comparatio fertur:* hoc est, non factum conuenit Deo Patri, non per cõparationem ad Filium, qua ratione illi conuenit esse genitorem & Patrem, sed per comparationem ad creaturas, quæ omnes factæ sunt: & ideo conuenit etiam Deo Filio, qui cum vnus numero Deus sit cum Patre, habet ad creaturas eamdem comparationem, quam habet Pater. Præterea c. 2. versùs finem, docet, quòd si genitum accipiatur pro creato, & ingenitum pro increato, *Filius quoque hac significatione ingenitus est, quia creatura non est:* &, vt paulò post addit, *non est genitus, id est, creatus.* In hoc sensu Epiphanius hæresi 76. versùs medium, confutans quintum caput Aëtij, ait, *At neque opus habeo dicere ingenitum Deum solum Patrem propter eum qui ex ipso genitus, vt ne quis de Patre solo hoc certum esse putet, sed etiam de Filio & Spiritu sancto.* Item Dei Filium ingenitum vocat Ignatius Martyr, vt refert Athanasius de Synodis Arimini, & Seleuciæ, multò ante finem, & fine vlla culpa vocari posse contendit: nimirum si ex aliis verbis constet, ingenitum sumi pro non facto; alioquin hodie post tot Concilia, & Patres absolutè definientes, solum Patrem esse ingenitum, nefas esset absolutè asserere, ingenitum asse Filium, aut piritum sanctum. Epiphanius. Ignatius Martyr.

5. Demum in hac eadem acceptione ingeniti pro increato, quem locum non habet cum à Catholicis dicitur solus Pater ingenitus, vanissimè fundatur aliud Arianorum argumentum, quod proponunt Athanasius, & Cyrillus suprà, & Nazianzenus oratione 3. de Theologia aliquantò ante medium, & fusius, clariusque explicauit Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 3. dicens, *Inter multa, quæ Ariani aduersùs Catholicam fidem solent disputare, hoc sibi maximè callidissimum machinamentum proponere videntur, cum dicunt, Quicquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse, Patri secundum substantiam est; & genitum esse, Filio secundum substantiam est. Diuersum est autem ingenitum esse, & genitum esse. Diuersa est ergo substantia Patris & Filij.* Respondet breuissimè Nazianzenus suprà, dicens, *Enim verò de creato, & increato rationem tuam procedere concessero.* Eadem responsio in re est Augustini suprà, negantis, ingenitum & genitum dici secundum substantiam. Si enim ingenitum, & genitum sumantur pro increato & creato, tunc verum est, illa dici secundum substantiam; sed falsum est, Patrem solum esse ingenitum, & Filium esse genitum. Si verò sumantur pro persona à nullo principio producta, & persona producta per generationem perfectissimam, tũc falsum est, illa dici secũdùm substantiam, seu naturam; non quòd dicantur secundum accidens, sed quia dicuntur secundum personam, siue hypostasim, in eadem natura. In qua secunda acceptione, cum sumitur, *Diuersum est ingenitum esse, & genitum esse,* id quidem verum est de diuerso secundum hypostasim, falsum verò de diuerso secundum substantiam & naturam: & ita respondet S. Thomas hîc ad 2. Augustinus. S. Thomas.

6. Horum argumentorum fallacia maximè apud Græcos, inter quos Arianismus natus est, locum habuit,

habuit, ob nimiam duarum vocum affinitatem. Græcè enim si cum vno, n, dicatur geneton, significatur genitum per factionem: si verò cum duplici, nn, dicatur genneton, significatur genitum per generationem propriè dictam. Hinc ageneton, significat non factum; agenneton significat non genitum generatione propriè dicta. Hanc nominum affinitatem in voce, diuersitatem in significatione, tradit Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinitate multò post medium illis verbis, ἀγέννητον, *id est, non factum, quidem dico etiam Filium:* ἀγέννητον autem, *id est, ingenitum, nequaquam. Quoniam* τὸ ἀγέννητον *illud est, quod ex hypostasi gignitur, ideoque ex ventre, vel vtero dicitur:* ἀγέννητον verò *illud est, quod est à potestate opificis; quæcumque enim voluit, fecit. Quomodo autem fecit? Dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt.* Hinc de compositis ita docet, *Illud est* ἀγέννητον, *quod non est ex vtero, vel hypostasi.* τὸ ἀγέννητον *illud est quod non existit ex mandato, sed vel authorem siue causam non habet, vel est ex hypostasi eius, quod non est genitum.* Idem docuit Cyrillus lib. 11. Thesauri cap. vnico inter principium & medium, *Ingenitum*, inquit, *vnico, n, Græcè scriptum*, nempe, ageneton, *non factum neque creatum significat; & de Deo vniuersaliter prædicatur*, hoc est, de Deo Patre, Deo Filio, Deo Spiritu sancto. *Gemino autem nn, scriptum*, nempe agenneton, *non natum, nec ex alio esse significat, & Patri accommodatur.* Facillimum igitur fuit Græcis Arianis vna tantum eiusdem vocis litera vel omissa, vel non distinctè pronunciata, simplices & incautos Catholicos decipere, vt putarent, solum Patrem esse ingenitum, hoc est increatum, & inde conuincerentur, Filium, qui ex oppositio dicitur genitus, esse creaturam. Et ideo Athanasius, Basilius, Epiphanius, Cyrillus hoc ingeniti nomen reiiciendum esse contendebant, vt suprà num. 2.

Athanasius. Cyrillus.

7. Ex his probatur conclusio, quia si ingenitum accipitur pro increato, erit prædicatum commune tribus personis, docente Athanasio in Symbolo, *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus:* sicut æquè communia sunt esse immensum, immortale, inuisibile, & similia. Ergo ingenitum in hac significatione non potest esse illud ingenitum, quod dicitur proprietas solius Dei Patris. Confirmatur quia ingenitum quod soli Patri tribuitur, opponitur genito, si non adæquatè, saltem inadæquatè; quoniam Pater neque est genitus sicut Filius, neque procedens sicut Spiritus sanctus, & hæc duo negantur, cum ingenitum dicitur proprium Patris, vt mox ostendam in tertia conclusione. Igitur, vt ait Cyrillus lib. 1. Thesauri cap 3. initio, *Manifestum est, Genitum dissimile prorsus ingenito esse; oppositæ enim sunt.* Ergo si Patrem esse ingenitum, significaret esse increatum, Filium esse genitum significaret esse creatum; quæ est hæresis Ariana, ex instituto impugnata suprà q. 27. art. 1. dub. 1.

Athanasius. Cyrillus.

8. *Ingenitum non esse tamẽ non genitum.* Secunda conclusio. Ingenitum, quod de solo Patre dicitur, non est tantum non esse genitum generatione propriè dicta. Hoc etiam apud omnes Catholicos certum est. Probãt aliqui, quoniam hoc ingeniti significatum conuenit creaturis possibilibus non dum productis, imò etiam figmentis impossibilibus, & reliquis omnibus rationis entibus. Sed hoc nimis probat, quia cum huiusmodi entia à nullo prorsus principio realiter sint, probaretur, non conuenire soli Patri, à nullo principio realiter esse. In hoc igitur non est facienda comparatio cum entibus actu realiter non existentibus, aut etiam non potentibus existere, sed cum solis actu realiter existentibus, de quorum numero sunt Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & omnes creaturæ realiter

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

productæ. Aliter probandum, primò quia non esse genitum generatione propriè dicta conuenit etiam Angelis, Cœlis, Animabus rationalibus, Materiæ primæ, Adamo & Euæ, aliisque rebus, realiter quidẽ productis, tamen non proprie generatis. Ergo id solum non potest dici proprietas Dei Patris. Secundò quia idem conuenit etiam Spiritui sancto, qui licet sit realiter procedens à Patre & Filio, tamen, vt profitetur Athanasius in Symbolo, *non factus, nec creatus, nec genitus*, vt suprà q. 27. art. 2. Hoc multò clarius docuit & probauit idem Athanasius Dialogo 1. de S. Trinitate paulò post medium, dicens, *Spiritus sanctus non habet Patrem. Ergo vt ipse est ingenitus. Itaque ingenitum esse non est proprium Patris*: nimirum si iuxta præsentem conclusionem sumatur esse ingenitum pro non habere Patrem. In eodem sensu, vt refert & exponit S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum, c. 8. & in hoc art. ad 2. Nazianzenus, & Hieronymus dixerunt, Spiritum sanctum esse ingenitum. Idem dicere videtur Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento c. 9. aliquanto post principium: & euidenter sequitur ex discursu Augustini lib. 5. de Trinitate c. 7. initio dicentis, *Hoc significari cum dicitur genitus, quod significatur cum dicitur filius. Ideo enim filius, quia genitus, & quia filius, vtique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur quòd non sit filius.* Et paulò post, *Si dicatur non genitus pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur.* Sed Spiritus sanctus non est filius, & non est genitus. Ergo secundum Augustinum est ingenitus, nimirum non simpliciter, sed generatione propriè dicta. Atque hoc ipsum significat S. Thomas hîc ad 2. dicens, *Secundum hanc rationem, etiam de Spiritu sancto potest dici Ingenitum.* Athanasius. Ambrosius. Augustinus. S. Thomas.

9. *Ingenitum esse idẽ quod omnino improductum.* Tertia conclusio. Ingenitum, quod est proprium Dei Patris, accipiendum est simpliciter & vniuersaliter, pro eo quod nullo modo est genitum per generationem, aut propriè, aut communiter dictam; & est idem quod omnino improductum. Ita S. Thomas hic ad 2 dicens, *In nomine Ingeniti, ad hoc quod sit proprium soli Patri, oportet intelligere, quòd conueniat alicui personæ diuinæ, quæ sit principium alterius personæ; vt sic intelligatur importare negationem in genere principij personaliter dicti in diuinis. Vel vt intelligatur quòd omnino non sit ab alio, & non solum quòd non sit ab alio per generationem.* Probatur primò, quia ita vniuersaliter hanc proprietatem explicant Patres, citati n. 1. & 2. Athanasius, & Concilium Nicænum apud ipsum, ingenitum exponunt, *imprincipiatum.* Idem Athanasius de Synodis Arimini & Seleuciæ, multò ante finem ait, *Non ignoramus, eos qui dixere, Vnum esse ingenitum, Patrem, non eo animo scripsisse, quasi Verbum Dei genitum, hoc est, factum, & opus esse vellent; sed ideo vt ostenderent, Patrem, sui authorem non habere.* Toletanum XI. Anselmus. Hilarius. Cyrillus Hierosolym. Augustinus. Damascen. Athanasius. Toletanum XI. Anselmus. Hilarius. Cyrillus Hierosolymitanus, *Vnus est ingenitus sine principio.* Augustinus, *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus.* Damascenus, *Solus Pater ingenitus, non enim ex alia hypostasi, sua hypostaseos habet substantiam.*

10. Probatur secundò, quia hoc modo actu realiter esse, & non esse ab alio, soli Deo Patri competit, & nulli præterea; non figmentis, & rationis entibus, quæ non sunt actu realiter, non creaturis, quæ omnes essentialiter in esse, & fieri pendent à creatore; non Dei Filio, qui est genitus à Deo Patre; non Spiritui sancto, quia, vt probat S. Thomas hic ad 2. fine, *est ab alio per processionem, vt persona subsistens*; non demum huic Deo, prout communis est Patri, Filio, & Spiritui sancto, siue Deitati, siue essentiæ

Basilius. diuinæ secundum se. Primò, quia, vt arguit Basilius lib. 4. contra Eunomium §. 2. fine, *Ingenitum si quis concedet de solo Deo dici, non statim si quid Deus, id est, ingenitum:* hoc est, ingenitum non est quidditatiuum Dei prædicatum. Idque optimè probat subiungens, *Nam Filius, cum sit Deus, ingenitus non est. Nec diffinitio igitur, nec proprium Dei est, ingenitum esse; non enim conuertitur.* Secundò quia, vt arguit S. Thomas hic ad 2. fine, *De diuina essentia potest dici, quòd est in Filio, vel in Spiritu sancto ab alio, scilicet à Patre:* qui non est principium producés essentiam, sed communicans. Pater vero solus est, qui nec producitur, nec cõmunicatur ab alio: & ideo ipse solus simpliciter ingenitus, nullum omnino habens suæ personæ principiũ; cum illa nec producatur, nec illi Deitatis essentia communicetur. Quòd si consideretur essentia vt præcisa à personis, qua ratione est illa adhuc actu realiter existens, tamen neque producta, neque communicata personis, cum ponatur & consideretur præcisa à personis, probo tertio ne illi quidem sub ista formalitate conuenire rationem illam ingeniti, quæ est propria Patris: tum quia essentia præcisa, etsi non sit actu ab alio principio ipsam communicante, tamẽ apta est, saltem per non repugnantiam & indifferentiam esse hoc modo ab alio, ipsam communicante, paulò ante docuit S. Thomas. Patri autem, vt est Pater, & prima persona diuina, omnino repugnat esse ab alio quacũque ratione: & ideo hoc modo esse ingenitum est illi soli proprium. Tum quia sumendo ingenitum pro non esse ab alio, non vt communicante, sed vt formaliter producente, essentia præcisa à personis; ita non est ab alio, vt sub nulla ratione possit ab alio esse, quod est esse ingenitum purè negatiuè: Pater verò quamuis sub propria ratione Patris, seu primæ personæ diuinæ, non possit esse ab alio, vt dictum est, tamen sub communi ratione diuinæ personæ potest esse ab alio producente, à quo de facto sunt diuinæ personæ Filij & Spiritus sancti; quod est esse ingenitum priuatiuè, sed absque vlla imperfectione, vt cum S. Thoma hic ad secundum explicabitur dubitatione sequenti. Atque ex his facilè est intelligere, in quo sensu à nonnullis Patribus essentia Dei dicatur ingenita; nimirum, vel quia increata est; vel quia non est ab alio producente, quamuis sit ab alio communicante; vel quia non est actu ab alio communicante, quamuis esse possit; vel quia non est ab alio producente, purè negatiuè.

S. Thomas.

An essentia Dei sit ingenita.

DVBITATIO II.

An in Deo Patre esse ingenitum importet formaliter aliquid positiuum.

SVMMA.

1 *Ingenitum non importare essentiam, num.* 11.
2 *Non importare relationem, n.* 12.
3 *Non importare esse principium aliorum, n.* 13.

11. *Non importat essentiã.* PRima conclusio. Non importat subſtantiam & essentiam Patris. Hoc tamquam fidei dogma probare conantur Athanasius, Hilarius, Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Ambrosius, Nyssenus, Augustinus, Cyrillus, aliique Patres superius adducti; contra Arianos, qui in contrario errore, quòd scilicet, esse ingenitum sit subſtantia & essentia Patris, fundabant præcipuum argumentum, quod Augustinus suprà num. 5. vocat, *callidissimum machinamentum*, ad impugnandam Filij Dei consubſtantialitatem. Si enim Patris subſtantia est esse ingenitum, ergo Filius, qui sine vllo dubio genitus est, & non ingenitus, non potest esse Patri consubſtantialis. Igitur qua certitudine fideles omnes confiteri tenemur, consubſtantialitatem Patris & Filij; &, Solum Patrem, non Filium, esse ingenitum; eadem tueri debemus, Nomine ingeniti, cum hoc dicitur proprium Patris, non importari subſtantiam & essentiam Patris, neque consequenter Deum, vt formaliter & præcisè Deum.

12. *Non importat relationem contra Præpositiuum.* Secunda conclusio. Ingenitum de formali nullam in Patre relationem importat. Ita omnes contra Præpositiuum, qui, inquit Henricus 2. p. summæ art. 55. quæst. 5. fine, *dicit quòd ingenitum dicitur relatiuè ad Filium & Spiritum sanctum. Probatur primò ex Augustino* lib. 5. de Trinitate cap. 6. initio concedit Arianis quòd *ingenitus ad se ipsum dicitur: quia nec ideo quisque pater, quia ingenitus, nec ingenitus ideo quia pater; & propterea non ad aliquid, sed ad se dici putatur ingenitus.* Et cap. 7. circa finem sic optimè argnit ad hanc conclusionem probandam, *Ingenitus quid est, nisi non genitus?* Sed non genitus est negatio relatiui, non ipsum formaliter relatiuum, sicut non filius, non pater. Ergo similiter ingenitus. Probatur secundò, quia si esse ingenitum in Patre est formaliter relatio, vel est paternitas, vel relatio spirationis actiuæ, vel alia tertia relatio. Non primò paternitas, quia vt acutè arguit Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 6 initio, *Non hoc est dicere ingenitum, quod est patrem dicere, quia etsi filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum*; & tamen dici non posset pater: *Etsi gignat quisque filium, non ex eo ipse ingenitus est, quia geniti homines ex aliis hominibus, gignunt & ipsi alios*; & tamen esset verè & formaliter pater. Præterea paternitas respicit tantum filium. Ingenitum verò non respicit, sed tollit à Patre rationem filij; & sicut hoc negatiuo modo respicit filium, ita eodem modo negatiuo respicit Spiritum sanctum, tollendo à Patre processionem Spiritus sancti. Vnde ipsemet Præpositiuus apud Henricum supra dicebat, *Patrem ingeniti proprietate referri ad Filium, & ad Spiritum sanctum: quia per eam ostenditur remoueri à Patre proprietas Filij, & proprietas Spiritus sancti.* Quæ quidem probatio cum sententia minimè cohæret; quia formalis ratio remouendi, est negatio, non relatio, qua formaliter aliud respicitur, & supponitur, non remouetur. Non secunda relatio spirationis, quia cum hæc sit etiam in Filio, Filius etiam esset ingenitus; quod ex terminis ipsis apparet absurdum. Nam, vt ait Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 6. circa medium, *Ideo quippe filius, quia genitus; & quia filius, vtique genitus.* Ergo manifesta implicantia est, dicere filium ingenitum. Præterea spiratio actiua est relatio ad spirationem passiuam Spiritus sancti dumtaxat. Ingenitum verò vt est proprium Patris non respicit plus Spiritum sanctum, quam Filium, sed tam remouet à Patre spirationem passiuam Spiritus sancti, quam passiuam generationem Filij. Non tertiò alia tertia relatio: tum quia iam relationes in Deo essent quinque, non tantum quatuor, contra receptissimam sententiam probatam suprà quæst. 28. art. 4. tum quia si esse ingenitum, esset quid positiuum, formaliter relatiuum, respiceret aliud formaliter positiuum: quod non potest esse essentia, neque paternitas, neque relatio spirandi; quæ tria sunt in Patre, simul cum ipso ingenito: neque Spiritus sanctus vt spiratus, neque Filius vt genitus, quia hi sunt formales termini aliarum relationum, paternitatis, & actiuæ spirationis: neque demum (quia quid præterea assignari & fingi possit non apparet) Filius & Spiritus sanctus vt Ingenitor, seu non producens Patrẽ. Verũ hæc ratio est negatiua, vt patet; formalis autem terminus relationis realis esse debet aliquid positiuum reale. Præterquam quòd Pater vt ingenitus, non solum hoc modo respicit Filium & Spiritum sanctum vt à quibus non producitur, & nihil accipit; sed etiam omne aliud siue increatum, siue creatum, etiam seipsum, & diuinam essentiam suam, à quibus nec producitur, nec aliquid accipit.

Augustinus.

13. *Non importat esse principiũ aliorum.* Tertia conclusio. Esse ingenitum in Patre, non importat de formali esse principium aliorum, siue vniuersalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Hoc contra quosdam innominatos, veteres Theologos, probat S. Thomas hic ad 1. ab omnibus receptus, præter paucos recentiores supra quæst. 32. art. 3. num. 5. relatos, & impugnatos: esse enim principium aliorum habet Deus Pater sufficientissime per suam Deitatis essentiam, & propriam paternitatis personalitatem. Ingenitum autem, vt in superioribus demonstratum est, neque Deitatis essentiam, neque paternitatem importat de formali. Adde, quod sequenti dubitatione probabitur, Ingenitum formaliter importare solam negationem, vt ipsummet nomen præsefert; propter quod Augustinus supra dixit, *Ingenitus quid est, nisi nõ genitus?* Sed esse principium aliorum, vniuersalis authoritas, fontalis plenitudo, & cætera huiusmodi nomina expresse & formaliter important conceptum aliquem positiuum: ergo eorum significatum non importatur expresè & formaliter nomine ingeniti. Ergo hoc nomine de formali nihil positiui importatur in Patre: quia præter conceptus positiuos essentiæ & relationum impugnatos, nullus alius hactenus in Deo inuentus est, nec sanè inueniri potest, qui nomine ingeniti formaliter importari possit.

S. Thomas.

Augustin.

DVBITATIO III.

An in Deo Patre esse ingenitum importet formaliter solam negationem.

SVMMA.

1. *Pars affirmatiua dubitationis probatur primò ex Patribus, num.* 14.
2. *Probatur secundò ex numero Notionum, n.* 15.
3. *Ingenitum importare negationem priuationis, n.* 16. & 17.

14. *Probatur pars affirmatiua ex Patribus.* PRima conclusio affirmatiua S. Thomæ hic ad 1. & Augustini apud ipsum, & aliorum valde communis; quæ apertè sequitur ex probatis præcedenti dubitatione. Cum enim ingenitum in Deo Patre re ipsa sit, & non per opus intellectus, si de formali non exprimit aliquid positiuum vt probatum est, necessarium omnino est vt exprimat aliquid negatiuũ, illud scilicet quod expositum est supra n. 9. præcipuum fundamentum est, quia formale nominis significatum illud est, quod sapientes tradunt. Omnes autem antiquiores & grauiores Theologi, præsertim Sancti Patres, ex instituto disputantes contra Arianos de nomine ingeniti, semper docent, illius significatum, non esse nisi negatiuum. Athanasius Dialogo 2. de Sancta Trinitate columna 4. circa finem ait, *Ingenitum esse, non est essentia in Deo, & Patre; sed nullum esse Dei Patrem ostendit.* Nazianzenus oratione habita in præsentia centum quinquaginta Episcoporum paulò post medium. *Nec vero principio carere, eius, quod principio caret, natura est, aut etiam ingenitum esse.* Pro eodem accipit, carere principio, & esse ingenitum. Hoc autem non esse naturam, ita statim probat, *Nullius enim rei natura ex eo declaratur, quòd dicamus quòd non sit*, sicut dicimus nomine ingeniti, *sed quid sit. est enim*, nempe natura, *eius quod est positio; non autem eius quod non est ablatio*; quæ ablatio est, principio carere, siue ingenitum esse. Et oratione 3. de Theologia circa medium impugnans Arianos contendentes, nomine ingeniti declarari essentiam Dei ait, *Quomodo essentiam Dei intelliges per illud, quòd non quid Deus sit ponit, sed quod non sit tollit? nam hæc oratio, Pater est ingenitus, neque Dei naturam, neque hoc quod non gignitur, exprimit; sed tantum Patrem non aliunde gigni declarat.* Basilius l. 1. contra Eunomium, multo post medium, *In Deo vox Ingeniti, non quid sit, sed non esse ab alio ipsum, significat.* Et paulò post, *Quod à nullo est, sine principio est: & quod sine principio est, id ingenitum est.* Et l. 2. paulo ante medium, ita negatiuè definit *Ingenitum, quod nec sui originem, nec essendi causam habeat.* Augustinus l. 5. de Trinitate cap. 6. fine, *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Et cap. 7. circa principium, *Quod dicitur, Ingenitus, hoc ostenditur, quòd non sit filius.* Et post nonnulla, *Ingenitum Latinè dici potest, sed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet.* Et circa finem eiusdem capitis, *Ingenitus porro quid est, nisi non genitus?* Toletanum XI. & Damascenus, & Anselmus verbis citatis supra num. 1. & 2. & 9. ingenitum per solam negationem apertissime explicant. Demum Cyrillus l. 1. Thesauri cap. 2. ante medium, *Qui Patrem nominauit. Deum ab ipso significauit quod est. qui vero ingenitum dixit, ab eo quod non est.* & cap. 3. post medium, *Ingeniti vox non quid est Deus, sed quid non est significat; nam quia genitus non est, ideo ingenitus est.* Quod infra non semel repetit, & tandem in fine capitis ita concludit, *Ergo nomen ingeniti, solum non esse genitum significat.* Quod sæpissimè docuit Dialogorum de Trinitate l. 2. ferè per totum. Maxime fauet columna 9. med. ex hac negatiua ingeniti significatione ita arguens contra Arianos dicentes, Ingenitum ad Dei essentiam ac definitionem pertinere; *si de Deo & Patre, solum ingenitum, nobis quod non esse genitum manifestat, quo pacto & definitionis vim habet? eò quòd non quid est, sed quid non est, hoc modo significat.* Patres igitur omnes ita docent ingeniti significatum esse negatiuum, vt ab eo omne positiuum excludant: & ideo de formali significato debent intelligi; nam materiale, seu fundamentale, quod inferius inquiremus, sine dubio est positiuum; de quo exponendus est si quis grauis Author ingenitum explicauit aliquando per positiuum.

Basilius. Augustinus. Cyrillus.

15. *Probatur secundo ex numero notionũ.* Confirmari potest conclusio ratione petita ex quinario notionum numero, probato supra q. 32. art. 3. qui saluari minime potest, *si innascibilitas, quam*, inquit S. Thomas hic ad primam initio, *significat hoc nomen, Ingenitus, secundum quod est proprietas Patris*, non sumitur tantum negatiuè: nam quicquid positiuum præterea addat, id in Deo aliud esse non potest, nisi vel essentia, quæ non est notio alicuius personæ, sed omnium personarum communitas; vel paternitas, seu filiatio, seu relatio spirandi, seu relatio spirati: quæ sunt reliquæ quatuor notiones; & nulla alia relatio est, quæ considerari possit vt quinta notio: & nullum aliud positiuum in Deo potest assignari, quo vna, & non alia persona innotescat. Igitur si innascibilitas, siue esse ingenitum, quod inter notiones numeratur, non accipitur merè negatiuè, non possunt in diuinis distinctè numerari quinque notiones.

16. *Importat negationem per modum priuationis.* Secunda conclusio. Ingenitum de formali importat solam negationem, non per modum negationis, nihil positiuum, tamquam subiectum & fundamentum connotando, cuiusmodi sunt non videns, non vestitus, & similia; sed per modum priuationis, connotando positiuum subiectum seu fundamentũ,

vt cæcus, nudus, & similia. Est S. Thomæ hic ad 2. & reliquorum omnium. Probatur primo quoniam Ingenitum dicitur de solo Patre, qui quamuis secundum rationem quasi specificam talis personæ, nimirum vt Pater est, & prima persona immediate cohærens cum essentia diuina, habeat repugnantiam vt generetur, & sit ab alio principio; tamen hanc repugnantiam non habet secundum rationem quasi genericam, nimirum vt est suppositum diuinæ naturæ, quod ab alio principio est in Filio & Spiritu sancto. Sed negatio formę in subiecto apto per non repugnantiam secundùm rationem genericam, est quædã species priuationis, vt ex Aristotele docent omnes Philosophi, quo modo talpa priuatiuè dicitur cæca, quia non vt talpa, sed vt animal potest videre; & actus intrinsece malus, dicitur inhonestus priuatiuè, quia vt actus simpliciter, tametsi non vt talis actus, esse potest honestus. Ergo ingenitum de Deo Patre dicitur aliquo modo priuatiuè. Secundo si ingenitum sumatur pro non genito purè negatiuè, non connotando subiectum aliqua ratione aptum generari, & produci ab alio principio, illud non conueniret soli Patri, sed etiam Chymeræ, essentiæ diuinæ præcisæ à personis, & aliis negationibus; nam etiam v.g. non Deus, hoc modo purè negatiuo est ingenitus. Cum igitur ingenitum, sit negatio conueniens soli Patri, dici potest priuatio,

S. Thomas. quia, vt probat S. Thomas 1. d. 28 quæst. 1. art. 1. ad 2. *Omnis negatio, quæ est in aliquo subiecto determinato, potest dici priuatio.*

17. Nazianzen. Probatur tertio ex Nazianzeno oratione 3. de Theologia aliquantò post medium ita docente, *Genitum & Ingenitum, sibi inuicem opponuntur, vt habitus & priuatio.* Item ex Basilio l. 1. contra Eunomium circa medium, vbi de his nominibus, Incorruptibile, Immortale, Inuisibile, Ingenitum, ait, *Quæ si quam priuatiua nominat, nihil ad nos.* Concedit igi-

Basilius. *Soluitur obiectio Eunomij.* tur dici posse priuatiua. Nec timet obiectionem Eunomij, quam ibi refert, contendentis, Ingenitum dici non posse, *secundum priuationem: priuatio enim omnis, eius quod natura inest, priuatio est, & posterior habita.* Sed procedere à principio non inest naturaliter Patri, sed tantù Filio, & Spiritui sancto; & huius processionis negatio non est posterior ipsa processione, sed prior origine. Ergo talis negatio habere non potest rationem priuationis. Verum falsò sumit Eunomius vniuersaliter, quòd omnis priuatio est posterior habitu; nam, vt notaui in 1. tomo quæst. 11. art. 1. num. 11. Vnitas, quæ est negatio diuisionis, non pura, sed per modum priuationis, vt probaui ibidem dubitatione 8. est prior ipsa diuisione. Sic etiam immobile prius est mobili, & similiter omne positiuum, quod pendet, seu sequitur aliquo modo ex negatiuo, est negatiuo posterius, saltem origine. Ita quia passiua processio in diuinis oritur ex prima Dei Patris persona ingenita, prius origine erit Patrem esse ingenitum, quam Filium & Spiritum sanctum ab ingenito Patre procedere: non obstante, quòd esse ingenitum in Patre sit quædam priuatio omnis passiuæ processionis. Neque contra-

Epiphanius. rium scripsit Epiphanius hæresi 76. confutans 22. caput Aetij, illis verbis, *Corruit Aetij sermo, qui nobis priuationem introduxit; cum ingenitus Deus, & genitus Filius, non secundum priuationem, quæ est creaturarum, habeat dignitatem existentem; sed iuxta id, quod sponte, & propriè per se decet ipsius essentiam, ac Deitatem.* Non negat priuationem simpliciter, sed imperfectam, *quæ est creaturarum*, & est carentia formæ necessariæ subiecto vt habeat perfectionem, quam natura sua postulat; ac proinde est carentia cum violentia, & contra naturalem inclinationem subiecti, quia scilicet forma illa, cuius est priuatio, conuenit subiecto per naturalem inclinationem secundum rationem specificam, non per indifferentiam secundum rationem genericam. At vero in Deo Patre priuatio passiuæ processionis est illi naturalis secundum suam specificam rationem; quia essentia diuina vt immediate coniuncta cum prima patris personalitate, sponte ex propria natura sua, talem priuationem petit.

DVBITATIO IV.

Quódnam sit positiuum fundamentum negationis, quam importat ingenitum.

SVMMA.

1. *Exponitur titulus dubitationis, num. 18.*
2. *Fundamentum proximum Ingeniti non esse primò essentiam, num. 19.*
3. *Non esse secundò rationem principij creaturarum, num. 20.*
4. *Non esse tertiò relationem spiratoris, n. 21.*
5. *Fundamentum Ingeniti esse solam Paternitatem, num. 22.*
6. *Sub quo explicito conceptu Paternitas sit fundamentum Ingeniti, num. 23. ad 27.*

18. *Explicatur titulus.* CVm ingenitum sit negatio non pura, sed per modum priuationis, vnde oritur vt de solo Deo Patre dici possit, necessario postulat aliquod positiuum fundamentum, seu subiectum in Patre, ratione cuius dici possit Pater ingenitus habere aptitudinem, siue indifferentiam, siue non repugnantiam ad passiuam processionem: quoniam priuatio, vt distincta à pura negatione, essentialiter definitur, negatio in subiecto apto ad habendam formam cuius est priuatio. Omnis igitur priuatio fundari debet in aliquo positiuo subiecto apto, vel aptitudine positiua per inclinationem, vel negatiua per indifferentiam, seu non repugnantiam. Quoniam vero esse ingenitum est proprietas solius Patris, hæc priuatio fundari debet in aliqua positiua ac reali ratione existente formaliter in Patre, vbi quatuor tantum rationes considerari distinctè possunt, primo ratio essentiæ, secundo ratio principij creaturarum, tertio ratio actiuæ spirationis, quarto ratio paternitatis.

19. *Essentia non est fundamẽtum proximum, sed remotum.* Prima conclusio. Essentia diuina est quidem remotum, non autem proximum & immediatum fundamentum Ingeniti. Ita omnes, etiam Henricus 2. p. summæ art. 57. quæst. 1. litera P. quem impugnant Aureolus 1. d. 28. quæst. vnica art. 2. opinione prima. Durandus quæst. 1. num. 7. & alij: quamuis enim ibi asserat, *substratum illud negationi non esse nisi diuina essentia; vt sit sensus, Pater est ingenitus, id est, habens in se diuinam essentiam non ab alio:* tamen non loquitur de diuina essentia secundum se, sed prout est in aliqua persona, nempe prima, in sensu inferius explicando; ac proinde vult, essentiam esse fundamentum remotum: primam verò personalitatem esse fundamentum proximum. Vnde immediate ante verba citata sic explicat magis sententiam suam, *sicut ex natura ipsius diuinæ essentiæ est, quòd in aliqua persona est ratio, à qua est alia; sic in aliqua est ratio, quòd ipsa non sit ab alia.* Et clarius & fusius ad 5. ait, Diuinam essentiam esse substratum, *vt in quo habet fundari*; Paternitatem vero esse substratum, *vt quo habet fundari*, nempe Ingenitum; Patrem vero esse substratum, *vt cuius est.* Ratio conclusionis ex Aureolo & Durando est, quia cum fundamentum ingeniti dicitur essentia vt non ab alio, illud, *Vt non ab alio*, vel est fundamentum ingeniti, vel ipsum ingenitum. Non primum,

Quid sentiat Henricus.

Probatio ex Aureolo & Durando.

mum, *quia*, inquiunt, *ingenitum, seu improductum, vt nunc de ipso loquimur, nihil aliud est formaliter, quam non esse ab alio. Idem autem non est ratio fundandi se ipsum, nec in priuatiuis, nec in positiuis. Ergo non esse ab alio, non est fundamentum, vel ratio, quare aliquid dicatur ingenitum.* Si secundum, ergo ingenitum fundatur immediate in essentia secundum se; quod consequens est absurdum: quia sicut essentia est communis tribus personis, ita communis esse debet negatio fundata in essentia, & conueniens personis ratione essentiæ, vt esse increatum, infinitum, immensum, inuisibile. At ingenitum est proprium soli Patri. Ergo non conuenit Patri ratione essentiæ communis.

20. *Ratio principij creaturarum, non est fundamentũ.* Riccardus. Durandus. Secunda conclusio. Ratio principij creaturarum in Patre non fundat proprietatem Ingeniti. Videtur contra Riccardum 1. d. 28. art. 2. quæst. 1. & 2. vtrobique in Corpore docentem, quòd fundamentum secundario significatum nomine ingeniti & innascibilitatis, *est primitas ad omnem emanationem:* & contra Durandum supra num. 9. dicentem, *quòd ratio per quam conuenit personæ diuinæ, quòd sit ingenita, vel innascibilis, est authoritas vniuersalis principij, vel primi principij.* Sed intelligunt sine dubio de emanatione & principiatione ad intra, non ad extra, vt clarius explicat Riccardus. Hanc conclu-

Henricus. sionem probat Henricus supra litera O, *quoniam ratio principij, vt est ad creaturas, non est nisi rationis tantum relatio, vt est in Deo; super quam nihil realiter existens in Deo, sicut existit omnis notio, fundari potest.* Sed si quis contrarium opinaretur, respondere facilè posset, Ingenitum non fundari in prædicta relatione rationis, sed in fundamento illius, quod reale est. Aliter igitur facilius & efficacius probatur, quia illa realitas principij creaturarum, quæcumque illa sit, est communis Patri, Filio, & Spiritui sancto. Ergo non potest esse fundamentum & ratio, vt ingenitum, sit proprietas solius Patris.

21. *Relatio spirationis non est fundamentum.* Bonauentura. Tertio conclusio. Relatio spiratoris in Patre, dici non potest fundamentum ingeniti. Videtur contra Bonauenturam 1 d. 28. art. vnico quæst. 2. med. Corp. docentem, *quòd quantum ad consequentem intellectum, Innascibile vniuersalem dicit principalitatem, siue fontalem plenitudinem in producendo, non tantum quantum ad generationem, sed etiam quantum ad spirationem; non tantum respectu Filij, sed etiam respectu Spiritus sancti.* Vbi vere non loquitur de relatione spiratoris, de qua præsens conclusio, sed de virtute productiua, quam completè habet Pater, vt ab ipso procedere possit non solum Filius per intellectum, sed etiam Spiritus sanctus per voluntatem: quæ virtus, vt in proprio loco inferius ostendam, non habetur formaliter per relationem spiratoris, sed per paternitatem in quantum est personalitas quædam antecedens originis prioritate processionem Spiritus sancti. Ratio igitur conclusionis est, quia relatio spiratoris præsupponit prius origine personam Patris perfectè constitutam in formali ratione personæ; si enim hoc modo præsupponit Filij personam, à qua etiam procedit Spiritus sanctus, ergo multò magis præsupponere eodem modo debet personam Patris, quæ ipsam quoque Filij personam præcedit origine. Sed in diuinis statim ac intelligimus primam personam, intelligimus necessario illam non esse ab alio principio, quod est esse ingenitum; ergo hoc non potest fundari in spirationis relatione, consequente rationem primæ personæ diuinæ. Confirmatur, quia intellecta solum ratione primæ personæ, seu personæ habentis in sua propria ratione omnem sufficientiam vt ex se sit, & non accipiat suum esse ab alio, si non intelligeretur, aut per impossibile non esset in illa persona talis relatio spirandi, quæ, vt suppono ex infra probandis, non constituit personam, sed communis est duabus personis, in esse formaliter personali perfectè constitutis, Patris & Filij, adhuc intelligeretur ratio personæ ingenitæ cum negatione procedendi à quocumque principio. Ergo spirationis relatio, non potest dici necessaria ratio fundandi in Patre proprietatem ingeniti.

22. *Ingenitum immediatè fundatur in sola paternitate.* Quarta conclusio. Sola paternitas est formalis ratio fundandi immediate proprietatem ingeniti in Deo Patre. In hac conclusione, ita generaliter posita, absque alia maiori explicatione & distinctione ipsius paternitatis, omnes, ni fallor, conueniunt, & sanè conuenire necessario debent: quia fundamentum positiuum in quo immediatè fundatur negatio propria solius Patris, esse euidenter debet aliqua realis ratio propria Patris, & non communis cum alia persona. Deus autem Pater omnia communia habet cum Filio genito, præter esse patrem. Ergo esse ingenitum in Patre non potest fundari in alio positiuo, nisi in sola paternitate, per quam Deus Pater est formaliter pater; & hanc sine dubio significant Riccardus, Durandus, & Bonauentura supra, asserentes hoc fundamentum esse primitatem ad omnem emanationem, authoritatem vniuersalis principij, principalitatem, fontalem plenitudinem in producendo: item Albertus p. p. summæ q. 39. Albertus. membro 1. in solutione primæ particulæ dicens, quod innascibile est proprium Patris, *fluens de his quæ essentialia sunt paternitati eius, siue personalitati,* quam cum Dionysio vocat *patriarchiam, ex qua omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur:* & S. Tho- Ephes. 3. mas 1. d. 28. quæst. 1. art. 1. ad 2. dicens, *quòd hæc negatio, quam importat ingenitus, intelligitur vt fundata in ratione principij;* & ideo hic ad 2. docet, quòd præter non esse ab alio, *ad hoc quòd sit proprium soli Patri, oportet vlterius in nomine Ingeniti intelligere, quòd conueniat alicui personæ diuinæ, quæ sit principium alterius personæ;* eamdemque principij rationem significant alij S. Thomas. supra. item Syluester p. p. Conflati quæst. 33. art. 4. Sylvester. §. 2. & Heruæus apud ipsum, dicentes, *quòd fundamentum est, vniuersalis authoritas principij quocumque modo. Nam fontalitas, & authoritas*, vt dicitur hic ad 1. *nihil aliud significant in diuinis, quam principium originis.* Essentia autem diuina, vt sit principium Filij, & Spiritus sancti, determinatur in Patre per paternitatem, quæ est prima personalitas, ex se immediatè conueniens Deitati, absque vlla processione. Omnes igitur prædicti Doctores re ipsa asserunt, Fundamentum immediatum Ingeniti esse paternitatem. Quoniam vero paternitas potest tripliciter *Sub qua formalitate paternitas fundet ingenitũ.* considerari explicitè sub tribus formalitatibus, quarum singulæ in reliquis implicitè continentur, primo per ordinem ad essentiam, vt ipsius personalitas per se & immediatè ipsi conueniens. Secundo per ordinem ad Filium & Spiritum sanctum vt terminos productionis, in quantum est determinatiua essentiæ vt sit primum principium productiuum Filij & Spiritus sancti. Tertio per ordinem ad Filium vt adæquatum terminum relationis, in quantum paternitas vt formaliter & explicitè relatio respicit solum Filium; ideo indagandum est, sub quo explicito conceptu ex his tribus paternitas fundet negationem ingeniti.

23. Quinta conclusio. Paternitas est immediatum fundamentum ingeniti, non sub explicito conceptu primi principij, aut relationis, sed solum sub alio explicito conceptu personalitatis, quam essentia diuina ex suis intrinsecis principiis, & solum quia diuina est, in se habere postulat. Hoc ex recentioribus rectè notauit Rada controuersia 25. art. 2. con- Rada. clusione 4. & 5. & ex Theologis antiquis omnium clarissime

Henricus. clarissime expressisse videtur Henricus p. p. summæ art. 57. quæst. 1. circa finem Corporis. Nam post reiectam sententiam de fundamento ingeniti, quod sit paternitas in ratione principij, siue essentialis, siue etiam notionalis, ita concludit, *Ingenitum ergo positiuè, dicit plenitudinem, & sufficientiam in Patre ex se: negatiuè autè dicit, nihil habere ab alio: vt secundum hoc, ingenitum sit notio, præcisè ratione negationis, quam importat; aliquid tamen dignitatis importans ex hoc, quòd circa talem affirmationem fundetur.* Pater igitur fundat ingenitum, in quantum ex sua propria ratione positiua, esse Deitatis habet plenè, & sufficienter, & ex se formaliter; quod non habet explicitè secundo & tertio modo per ordinem ad Filium & Spiritum sanctum, sed primo modo per ordinem ad essentiam, quatenus est talis personalitas, quæ ex intrinseca & propria sua ratione exigit coniungi per se, & immediate cum essentia Deitatis. Alij autem Doctores superius allati, videntur quidem in contrarium inculcare rationem principij, tamen non satis explicant, an per hoc intendant tradere ipsam formalem rationem fundandi ingenitum, quod nos in hac conclusione impugnamus; an potius explicare priorem aliam fundandi rationem, quam hic dicimus, esse talem personalitatem, se ipsa immediate connexam cum essentia; quæ personalitas à posteriori nobis innotescit per hoc quod per illam constituatur persona quæ sit notionale principium reliquarum personarum. Certè hunc sensum commodè

S. Thomas. patiuntur verba S. Thomæ hic ad 2. dum ad hoc vt Ingenitum *sit proprium soli Patri*, non satis esse docet, *quòd conueniat alicui personæ diuinæ*, sed requirit talem personam diuinam, *quæ*, inquit, *sit principium alterius personæ*: non dixit reduplicatiuè, *in quantum est principium*, sed solum specificatiuè, *quæ sit principium*; per hoc posterius, tamquam per aliquid notius, significans aliquid prius minus notum, nempe, talem personalitatem per se conuenientem diuinæ essentiæ, vnde habetur persona potens notionaliter producere alias personas.

24. Hæc conclusio probatur primo duabus authoritatibus, altera obscuriore Hilarij, quam pro se attulit Henricus supra; altera clariore Augustini, quam cum Magistri recipiunt omnes Scholastici 1. d. 28.

Hilarius. initio, & affert etiam Henricus supra. Igitur Hilarius libro 3. de Trinitate paulò post principium ita de Patre loquitur, *Ipse plenus, perfectus, non aliunde quod est sumens, sed ad id quod ita manet, sibi ipse sufficiens. Hic ergo ingenitus*, &c. Patrem ingenitum per duos conceptus explicat, alterum formalem & negatiuum, *non aliunde quod est sumens*; alterum fundamentalem & positiuum, *ad id quod ita manet, sibi ipse sufficiens.* In quo positiuo conceptu nulla explicatur principij ratio. Ergo ingenitus secundum Hilarium fundatur non in posteriore ratione principij, sed in priori ratione, qua Pater habet plenitudinem & sufficientiam essendi ex se formaliter. Multò clarius

Augustin. Augustinus l. 5. de Trinitate cap. 6. initio, *Non hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere: quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum: & si gignat quisque filium, non ex eo ipso ingenitus est; quia & geniti homines ex alijs hominibus, gignunt & ipsi alios. Nec ideo quisque pater, quia ingenitus: nec ingenitus ideo, quia pater.*

25. Ex his verbis arguo primo, si persona Patris non generasset Filium, neque aliquid aliud intra se produxisset, quemadmodum ponunt eam Iudæi, Sabelliani, & gentiles Philosophi, adhuc talis persona esset ingenita; & quis enim alius illam produceret? Ergo esse ingenitum non potest formaliter & explicitè fundari in ratione principij productiui; cum etiam ista ratione ablata, remaneat illud. Arguo 2. Potest quis generare alios, & tamen ipse non esse ingenitus: ergo esse aliarum personarum principium, non potest esse ratio propter quam Deo Patri conueniat esse ingenitum. Arguo 3. Per Augustinum non valent istæ consequentiæ, est ingenitus, ergo pater. Et à contrario, est pater, ergo ingenitus. Valerent autem si fundamentum, vnde necessario oritur in Patre esse ingenitum, esset formalis ratio patris, relatiua, & generatiua Filij. Est ergo alia antecedens ratio talis personæ, ex propria & peculiari sua ratione habentis immediatam connexionem cum essentia diuina.

26. Præterea probatur conclusio 2. ratione, quoniam prius est, saltem ratione secundum conceptum explicitum, Patrem esse in se constitutum talem personam in formali & præcisa ratione personæ, quam producere ad intra, & referri ad terminos in se & à se productos: cum enim actiones sint suppositorum, & suppositа ipsa relatiuè terminentur ad terminos ab ipsis productos, per relationem fundatam in actione, prius manifestè est secundum rationem saltem explicitam, suppositum esse perfectè constitutum in formali ratione suppositi, quàm ipsum agere, vel referri ad terminum per actionem suam productum. Et propter hanc prioritatem, vniuersaliter loquendo, non potest quis gignere, nec referri ad genitum nisi sit suppositum: potest autem esse aliquod suppositum, etiam si non gignat, & consequenter non referatur ad genitum. Sed in illo priori, in quo Pater intelligitur tale suppositum per præcisam habitudinem ad diuinam essentiam, antequam explicitè intelligatur gignere, & referri, non potest suppositum Patris non esse ingenitum; à quo enim alio principio genitum fingi potest? Ergo ingenitum dici debet immediate fundatum in ratione talis suppositi per ordinem ad essentiam diuinam, non in ratione principij gignentis, aut respicientis, per ordinem ad alium terminum productum, aut correlatiuum. Demum hanc sententiam

Epiphanius. significare videtur Epiphanius hæresi 76. confutans cap. 22. Aetij, dum de Patre ita scribit, *Est ingenitus eo quòd ipsa per se ingenita natura est.* Vbi per naturam non intelligit essentiam ratione præcisam à paternitate, sed totam ipsam Patris quidditatem, quæ per se, & ex propria ratione suæ personalitatis, & non aliunde, nempe ex terminis productis, aut ex correlatiuis, habet vt sit ingenita.

DVBITATIO V.

Quo modo conueniat Deo Patri propria personalitas.

SVMMA.

1. *Personam Patris non esse ab eadem Persona, num. 27. ad 30.*
2. *Paternitatem non emanare realiter ab essentia, num. 30. & 31.*
3. *Paternitatem intelligi quasi resultaret ab essentia, num. 32.*
4. *Ex qua formali ratione intelligi debeat paternitas resultare ab essentia, num. 32. ad 37.*

1. *Occasio dubitandi.* AD hoc vt proprium Patris sit esse simpliciter ingenitum, duo necessaria sunt; alterum, vt Pater non procedat ab alio; quod in superioribus sufficienter probatum & suppositum est: alterum vt non procedat à se ipso; si enim ita procederet, esset quidem ingenitus secundum quid, hoc est, ab alio, non tamen esset ingenitus simpliciter, hoc est, à nullo. Et de hoc secundo puncto, breuiter sit

Prima

28. *Tota Patris persona no est ab ipsamet.* Genebrard. Prima conclusio. Personalitas Patris non ita illi conuenit, vt tota persona Patris ab ipsamet tota realiter procedat. Contrarium Genebrardus l. 1. de Trinitate pag. 59. *vocat præcipitium Cælij Lactantij, qui pudendo errore Deum se procreasse, atque fecisse non dubitauit scribere.* Ita vero habet Lactantius l. 1. diuinarum Institutionum cap. 7. fine loquens de Deo. *consequens est, vt quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia, & ex se ipso sit procreatus.* Hæc autem verba non cogunt tantam stultitiam Lactantio tribuere. Tunc quia multi Patres eodem modo loquuntur; Hieronymus in id Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas*, &c. ait, *Deus semper est, nec habet aliunde principium; & ipse sui origo est, suæque causa subsistentiæ; non potest intelligi aliunde habere quod subsistit.* Damascenus l. 1. Fidei cap 19. ante medium, *Pater sine causa, & ingenitus; nam non ex aliquo est; ex se ipso enim illud esse habet.* Anselmus in Monologio cap. 3. 4. 5. & 6. sæpissime dicit, *Deum esse per se ipsum, & ex se ipso; alia autem esse per aliud, & ex alio.* Riccardus quoque Victorinus lib. 1. de Trinitate cap. 6. & sequentibus, & l. 5. à cap. 3. & deinceps, frequenter vsurpat, *habere esse à semetipso*, quod tribuit Deo & Patri; & *habere esse ab alio quam à semetipso*, quod tribuit creaturis. Idacius Clarus l. 3. contra Varimadum cap 3. circa finem. Filium etiam vocat *Deum à semetipso*; eumque dicit, *à semetipso venisse*; nimirum non in quantum Filium, sed in quantum Deum. Demum Magnus Albertus p. p. summæ quæst. 42. membro 3. Corp. Patrem vocat, *eum qui pullulat ex se ipso*; & Filium, *eum qui pullulat ex alio*; & Spiritum sanctum, *eum qui pullulat tantum ex alio passiuè.* Tum quia Lactantius, & alij, si loquuntur de vera causa, & origine, & de esse per realem processionem, debent intelligi in sensu negatiuo, quem exprimunt verba Hieronymi, & Damasceni; ita vt ipse Deus, seu Pater, dicatur causa & origo sui, quia, vt ait Hieronymus, *non habet aliunde principium*, nec causam, nec originem: ipse etiam dicatur esse per se ipsum, vel ex ipso, quia, vt ait Damascenus, *non ex aliquo est.* Si vero loquuntur de esse à se non per veram, & realem causam, & originem, seu processionem, sed virtualem, & nostro modo concipiendi, habente aliquod fundamentum in plenitudine, & eminentia ipsius obiecti, possunt intelligi positiuè, in quantum intra ipsum Patrem est aliqua positiua ratio, inferius explicanda in tertia conclusione, cur illi conueniat tale esse personale, absque vlla origine ab alio: sicut communiter dicitur de Attributis, Vnum esse virtualem causam alterius, v. g. Actum purum causam immutabilitatis, Immutabilitatem causam æternitatis.

29. *Probatur ratione.* Probatur conclusio primo vniuersaliter & philosophice, quia naturæ lumine manifestum est, & demonstrauimus in 1. tomo quæst. 2. art. 3. num. 3. idem non posse producere se ipsum, propter implicantias ibidem assignatas, quæ locum habent in quocumque ente, siue creato, siue increato. Secundo Theologicè, & specialiter de Deo Patre: tum quia Pater, si se produceret, non esset simpliciter ingenitus, vt supra num. 27. quo vniuersali modo hanc Patris

Nazianzen. proprietatem declarauit Nazianzenus oratione de dogmate, & constitutione Episcop. dicens, *Principium nescit Pater; nec aliunde, nec à se ipso originem habet.* Tum quia cum necessarium sit, inter realiter producens & productum esse realem distinctionem, si Pater produceret Patrem, sequeretur esse in diuinis quatuor res, & personas, nempe Filium, Spiritum sanctum, Patrem producentem, & Patrem productum: item, esse sex reales relationes, nempe, præter quatuor vulgatas, esse relationem Patris producentis ad Patrem productum, & aliam relationem Patris producti ad Patrem producentem: item, septem notiones, nimirum sex prædictas relationes, quæ sunt sex positiuæ notiones, & 1. primam negatiuam notionem negatiuam Ingeniti: item esse tres processiones, vt patet: quæ omnia esse Theologica absurda, constat ex superioribus dictis.

30. *Paternitas non emanat realiter ab essentia.* Scotus. Secunda conclusio. Non ita conuenit Patri propria personalitas, vt hæc dici possit emanare realiter ab ipsamet essentia diuina Patri. Ita omnes, etiam Scotus in Additionibus circa primum sententiarum d. 28. quæst. vltima in Additione vltima, quæ incipit, *Propterea tertiò sc.* quamuis enim disputandi gratia, vt benè notauit Rada controuersia 25. art. 1. Rada contra Zumel. in dubio notabili contra nouissimum huius articuli interpretem & intelligit Zumel, conetur soluere omnia argumenta quibus hanc conclusionem probauerat, tamen contrariam sententiam meritò vocat *phantasiam dissonam Sanctis.* De Patre enim dixit Nazianzenus supra, *Nec a se ipso originem habet.* Si Nazianzen. autem haberet originem ab essentia sua, haberet vtique originem à se ipso. Basilius quoque homilia 28. contra Sabellianos columna 3 aliquantò post Basilius. principium, articulum Fidei de vna essentia ita explicat, *Quando vnam essentiam dico, ne cogitare velis Patrem & Filium ex vna essentia, quasi præcedente, descendentes. Non enim fratres dicimus, sed Patrem ac Filium confitemur.* Præterea eadem phantasia contradiceret omnibus Sanctis, & authoritatibus superius allatis de Patre simpliciter ingenito: & aliis supra art. 1. dub. 3. de Patre fonte totius Diuinitatis; hic enim fons esset essentia, non Pater. & aliis allatis supra quæst. 28. art. 2. probantibus omnimodam identitatem in re inter essentiam & paternitatem; quæ identitas sane tolleretur, si paternitas realiter procederet ab essentia. Tolleretur quoque à Sanctis traditus numerus in diuinis trium rerum, & personarum; duarum processionum; quatuor relationum; quinque notionum; vt numero præcedente.

31. *Rationes conclusionis.* Vlterius arguo primo. Si essentia realiter produceret paternitatem, illa in priori saltem originis præsupponeretur persona, cuius in natura rationali est operari; & ita ante personam Patris daretur alia persona: & si huius personalitas est inproducta ab essentia, cur non etiam paternitas? si vero est producta, ergo ab alia præcedente persona, & sic in infinitum multiplicarentur personæ diuinæ. Secundo illa paternitatis processio si est per intellectum, ergo eius terminus est essentialiter Verbum, & Filius; & tunc darentur in Deo duo Verba, & duo Filij, & duo fratres eiusdem essentiæ; quod inconueniens docebat Basilius supra: si vero est per voluntatem, ergo terminatur ad amorem, & Spiritum sanctum, & sic Pater non solum est Filius, sed etiam Spiritus sanctus. Si denique est immediate per essentiam præscindentem ab intellectu & voluntate, sequuntur inconuenientia contra Durandum deducta supra quæst. 27. art. 1. dub. 9. & alia, quæ vnusquisque ex se deducere facilè potest.

32. *Paternitas intelligitur quasi emanare ab essentia.* Albertus. Athanasius. Tertia conclusio. Nostro modo concipiendi in ipsa re concepta fundato, paternitas intelligitur quasi emanare, sed potius resultare ab essentia. Hoc significat Albertus supra num. 28. de Patre dicens, *eum pullulare ex se ipso*; & innuere videtur Athanasius tractatu de Definitionibus pag. 3. *In confessione*, circa medium, vniuersalissimè dicens, *Natura est domina, & genitrix hypostasum:* & omnes dicunt: nemo enim negat, propriam quamdam personalitatem, quam paternitatem vocamus, conuenire Patri ob aliquam rationem ipsi intrinsecam, & non per actionem ab aliquo distincto principio: hæc autem ratio, quæ in re ipsa est, fundamentum nobis præbet

vt

vt concipiamus, paternitatem intra ipsum Patrem pullulare & resultare ex eius essentia. Solum difficultas & controuersia inter aliquos modernos Doctores, quam acutè tractat Suarez libro 8. de Trinitate cap. 1. est, quæ nam sit formalis illa ratio, ob quam essentia Deitatis, ex se immediatè exigat talem paternitatis personalitatem, quæ constituat personam principium totius Diuinitatis, quæ à nullo principio simpliciter procedat. Qua in re tres sunt opiniones.

Ob quam formalem rationem essentia exigat paternitatem.

33. *Rationem nō esse generationem actiuam.*

Prima, quam Suarez tribuit Bonauenturæ, dicit, illam rationem esse generationem actiuam; sicut enim quòd homo sit pater, oritur ex eo quod generat, ita etiam in diuinis, ex generatione oritur, vt Deus sit Pater. Sed in hoc est manifesta diuersitas inter Deum & creaturas: nam in his, esse Patrem est relatio accidentalis & inhærens personæ, quam ante se, & ante ipsam generationem actiuam præsupponit: at vero in Deo paternitas est quædam relatio per se subsistens, & ipsamet personalis subsistentia constitutiua personæ; sub quo formali conceptu præsupponitur priùs ratione ad generationem actiuam, & ad ipsam filiationem, quæ posteriùs origine consequitur generationem. Igitur esto actiua generatio sit prior ratio, ob quam Patri conueniat paternitas, formaliter & præcisè considerata secundum explicitum conceptum relationis, in quo diuina paternitas humanæ paternitati proportionatur; tamen eadem paternitas considerata formaliter & præcisè secundum alium explicitum conceptum personalitatis, quem nunc maximè spectamus, est prior quædam ratio, ob quam Patri conueniat generare & agere; cuius principium, in actu primo omnino completum, non est nisi suppositum. Cum igitur generare sit in Patre quoddam notionale prædicatum, ratione posterius alio notionali prædicato personalitatis Patris, non potest rectè intelligi paternitas, vt personalitas, oriri ex actiua generatione; si enim paternitas, nulla ratione præsupponeretur generationi, iam generationis principium immediatum & sufficiens esset sola essentia nudè accepta; quod est impossibile, cum essentia nulli realiter opponatur & à nullo realiter distinguatur in diuinis; sine qua reali oppositione ac distinctione intelligi non potest realis processio vnius ab alio.

34. *Nō esse essentialem intellectionem. Probatio quadam minus efficax.*

Secunda opinio, quam Suarez tribuit cuidam moderno Theologo ingenioso & docto, paternitatem conuenire Patri, & propterea à nobis concipi in illo pullulare ex essentiali actu intelligendi. Hanc opinionem aliqui impugnant, quia essentiale intelligere est commune omnibus personis; sed in omnibus non est ratio paternitatis, cum Filius & Spiritus sanctus non sint Patres; ergo in nulla. Verum benè notat Suarez, impugnationem non esse efficacem; quoniam per illam probaretur, ex nullo essentiali prædicato posse assignari priorem rationem, & quasi radicem paternitatis, sed ex aliquo alio prædicato notionali, quod propterea esset prius paternitate; quod est inconueniens, cum paternitas sit personalitas primò, & per se, & immediatè conueniens essentiæ. Quare negatur impugnationis consequentia, quia intelligere essentiale, ita est commune, vt tamē prius origine sit in Patre, posterius origine sit in Filio, & Spiritu sancto. Ergo si ex essentiali intelligere oriretur paternitas in vna persona priore secundum originem, non esset necessarium vt ex illo etiam eadem paternitas resultaret in reliquis duabus personis origine posterioribus; quoniam huiusmodi proprietates relatiuæ non communicantur, nec multiplicantur numero in diuinis.

35. Impugnanda igitur efficacius est prædicta opinio, ex eo quòd per illam in Deo prius secundum rationem ponitur operatio naturæ, quam personalitas naturæ; qui non est rectus modus concipiendi, & distinguendi ratione ratiocinata cum fundamento in re: sic enim actiones & operationes non essent suppositorum, vt habet receptissimum omnium Philosophorum, ac Theologorum axioma; sed contra potius, suppositа essent actionum, & operationum. Quamuis igitur ante personalitatem præconcipi debeat intelligere, sicut etiam velle, si hæc considerentur entitatiuè, & materialiter, & quasi in actu primo, sub qua explicita ratione pertinent ad naturam, vt natura distinguitur aliqua ratione ab operatione: tamen personalitas præconcipi debet ante intelligere & velle, prout hæc sumuntur vt formaliter operationes, & quasi in actu secundo omnino completæ per terminationem actualem ad obiectum sub qua formali & explicita ratione non concipiuntur vt natura præcedens operationem, & personalitatem; sed vt operatio consequens non solum naturam ipsam, sed etiam naturæ personalitatem. Vnde confirmari potest impugnatio, quia non solum intelligere, sed etiam velle pertinet ad naturam diuinam communem tribus personis, & ideo priorem illis; & sicut intelligere pertinet ad generationem Filij, ita velle ad spirationem Spiritus sancti. Sed velle non est immediata ratio ex qua resultare intelligatur relatio spiratoris, per se primo conueniens essentiæ, vt superius nonnumquam obiter dictum est, & infra clarius & fusius dicetur. Ergo neque intelligere debet concipi vt immediata ratio, ob quam conueniat essentiæ per se primò relatio paternitatis.

Alia efficax probatio.

36. *Examinatur tertia opinio Suarez.*

Tertia opinio Suarez dicentis, *hanc primam proprietatem*, nempe paternitatis personalitatem, *immediatè consequi ad diuinam naturam, hoc solo, quòd talis natura substantialis est.* Quam sententiam magis explicando, tria distinguo in paternitate Dei Patris. Primum, quòd sit simpliciter personalitas. Secundum quòd sit personalitas, per se ipsam, & solum ex propria atque intrinseca sua ratione, exigens esse actu in tali natura per omnimodam & immediatam identificationem cum illa. Tertium, quòd sit personalitas, per quam natura constituatur primum principium productionis aliarum personarum. Primum oritur ex eo quòd rationalis natura Dei, vt dixit Suarez, est substantialis: hinc enim petit Deitas, & vniuersaliter quæuis alia rationalis natura, vt habere debeat omne naturale complementum, & terminationem sibi naturaliter debitam in genere substantiæ; quæ terminatio habetur per quemdam modum, seu formam, aut quasi formam, quam personalitatem vocamus: & ideo in quolibet supposito operante prius concipienda est natura, tum suppositalitas, seu personalitas, tertio loco operatio; quia prius est, suppositum esse completum in actu primo in suo esse intrinseco substantiali, quam in actu secundo suppositum operari. Secundum oritur ex eo quòd eadem rationalis natura non solum est substantialis, sed etiam diuina; nam quatenus diuina, petit essentialiter habere in se, & sibi identificatam omnem substantialem perfectionem, atque adeo personalitatem: & non potest habere ab alio, quia non à creatura, vt patet, non ab alia diuina persona, quia ante essentiam primo terminatam, non potest præsupponi vlla diuina persona, quæ sola essentiam diuinam terminare potest, producendo aliam personam: ergo petit habere per se primo, & consequenter personalitas, quam petit, esse debet talis, quæ ex peculiari sua ratione habeat se ipsa per se immediate vniri essentiæ cum summa identificatione. Tertium oritur ex eo quòd eadem natura

natura sit fœcunda per intellectum & voluntatem: hinc enim est, vt propria & immediata ipsius personalitas, talis esse debeat, vt per illam natura constituatur primò & immediatè principium productiuum per intellectum, ac proinde generatiuum; secundariò & mediatè principium productiuum per voluntatem, quod non est generatiuum, sed spiratiuum: prius enim est operari per intellectum, quam per voluntatem; & operatio per intellectum, qua producitur Verbum substantiale in similitudinem naturæ producentis, est generatio Filij: vnde est vt illa personalitas, quæ non potest esse absoluta, sed relatiua, non possit esse alia, quam formalis relatio ad Filium, quæ est paternitas. In quo toto discursu multa sumuntur, partim superius probata, partim probanda inferius.

DVBITATIO VI.

An implicent plures diuinæ personæ ingenitæ.

SVMMA.

1 *Pars affirmatiua probatur primò authoritate num. 37. ad 40.*
2 *Probatur secundò rationibus n. 40. ad 43.*
3 *Deducuntur duo Corollaria n. 43.*

37. *Probatur pars affirmatiua.*

CONclusio affirmatiua est sancti Thomæ hic ad 4. & Hilarij apud ipsum, & aliorum omnium; & probata est supra q. 27. art. 1. num. 236. ratione demonstratiua, ducta ex suppositione fidei de vno Deo immultiplicabili in plures Deos, numero distinctos: & necessariò sequitur ex principali conclusione huius articuli de Ingenito, quod sit proprium vnius tantum diuinæ personæ, quam vocamus Patrem; si enim alia etiam persona esse posset ingenita, esse ingenitum esset commune pluribus, non proprium vni. Hanc conclusionem de possibili, ita certam puto, sicut certum de facto est, ex tribus diuinis personis, vnam tantum esse productam, reliquas duas esse productas: nam cum in diuinis idem sit esse & posse, si dari possent plura ingenita, vtique darentur de facto: sed de facto non dantur. ergo dari non possunt.

38. *Syrmica Synodus apud Hilarium.*

Eamdem conclusionem per se omnino certam efficit expressa authoritas Patrum loquentium de possibili, & afferentium implicantiam. Syrmica Synodus can. 26. quem refert, & probat Hilarius l. de Synodis multò post medium, *Si quis*, inquit, *innascibilem, & sine initio dicat Filium, tamquam duo sine principio, & duo innascibilia, & duo innata, dicens, duos faciat Deos, anathema sit.* Quæ verba Hilarius ita declarat, *Filium innascibilem confiteri impiissimum est. Iam enim non erit Deus vnus; quia Deum vnum prædicari, natura vnius innascibilis Dei exigit. Cùm ergo vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt; cum idcirco Deus vnus sit, cum Pater Deus sit, & Filius Dei Deus sit, quia innascibilitas sola penes vnum sit. Filius autem idcirco Deus, quia ex innascibili essentia natus existat. Respuit ergo innascibilem filium prædicari fides sancta; vt per vnum innascibilem, Deum vnum prædicet.* Et antea etiam exponens Canonem 17. dixerat, *Idcirco Deus vnus est, quia ex innascibili Deo Patre, qui vnus est Deus, vnigenitus Filius Deus natus est.* Idem Hilarius l. 4. de Trinit. aliquanto ante medium, de Filio Dei ait, *Non innascibilis, vt Patri adimat quòd Deus vnus sit: neque aliud ipse quàm Deus, quia ex Deo natus est.* & l. 7. ferè inter medium & finem, *Nec duos deos, Dei ex Deo veritas perficit.* Ergo si essent duo ingenita, quorum vtrumque esset Deus non ex Deo, iam essent duo dij secundùm Hilarium. Addítque de Patre & Filio, *vnum sunt, qui in inuicem sunt. In inuicem autem sunt, cum vnus ex vno est.*

39. *Concilium Nicænum.*

Præterea Patres Nicæni Concilij in breuiori Fidei professione, quam refert Nazianzenus tract. de Fide Nicæna, cum præmisissent, se credere in Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, subiungunt, *Vnum tamen Deum, quia ex vno Patre totum, quod Patris est, Deus natus est Filius; & in Patre totum quod ineſt, toto genuit Filium.* Deitatis vnitatem in Patre, & Filio non aliunde probant, nisi quia alter ex altero natus, & genitus est. Ergo si ambo essent innati, & ingeniti, vnus Deus non essent. Ipse quoque Nazianzenus oratione 5. de Theologia ali- Nazianzen.
quanto ante medium, *Nobis vnus est Deus, quoniam vna Deitas atque ad vnum ea, quæ ex eo sunt, referuntur.* Duo autem ingenita non referrentur ad vnum; ergo non essent vnus Deus. & oratione de Dogmate & constitutione Episcoporum circa medium, *Hac ratione, mea quidem sententia, vnus Deus retinebitur, si ad vnum authorem Filium & Spiritum sanctum referamus.* Et tractatu de Fide, aliquanto post principium, quod legit Ecclesia in Dominica Trinitatis lect. 8. *Patrem & Filium duos deos dicere nec possumus, nec debemus, non quòd Filius Dei Deus non sit, imo verus Deus de Deo vero; sed quia non aliunde, quam de ipso vno Patre, Dei Filium nouimus, perinde vnum Deum dicimus.* Epiphanius hæresi 69. ferè inter principium & me- Epiphanius.
dium, cum docuisset, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse vnum Deum, statim id probat ex eo quod non dantur duo, quorum vnus non sit ab alio, ac proinde non dantur duo ingeniti, dicens, *Propterea enim vnus Deus, quia non duo Patres, neque duo Filij, neque duo Spiritus sancti.* Author libri de Trinitate & vnitate Dei, c. 1. circa medium, qui habetur inter opera Augustini tomo 4. *Spiritum sanctum neque in-* Augustinus.
genitum, neque genitum, fides recta declarat; quia si dixerimus ingenitum, duos Deos affirmare videbimur. Clarissime Fulgentius in responsione ad quintam obie- Fulgentius.
ctionem Arianam, circa principium, ita probat, Patrem & Filium non esse duos ingenitos, *In duobus enim ingenitis diuersa diuinitas inuenitur; in vno autem genito ex vno ingenito, naturalis vnitas inuenitur. Duo quippe ingeniti, non possunt vnam habere naturam; vbi nec vnus in vno veram ex se generationem inuenit; nec vnus ex vno veram in se substantiam nativitatis agnoscit. Nos autem Patrem & Filium, nec duos ingenitos, nec duos genitos appellamus, & ideo æquales sine ambiguitate dicimus.* Si duæ diuinæ personæ ideo sunt æquales, quia non sunt ambæ ingenitæ; ergo si ambæ essent ingenitæ, essent inæquales; ergo esse non possent vnus Deus. Damascenus libro 1. Fidei cap. 10. circa Damascenus.
finem, *Has tres hypostases in se inuicem adstruimus, vt non multitudinem, & quamdam Deorum turbam inducamus.*

40. *Implicantia duorum Ingenitorum.*

Ex his habemus duorum ingenitorum implicantiam, quam omnes citati Patres tradunt, tametsi magis vel minus clarè: si enim essent duo ingenita, quæ scilicet neque ab inuicem, neque ab alio simpliciter procederet, necessariò sequeretur illa esse duos Deos. Consequens implicat, vt demonstraui tomo 1. q. 11. art. 3. n. 3. & 4. ergo & antecedens. Solum probanda est consequentia, nimirum, quòd ex pluribus ingenitis sequatur pluralitas Deorum. Quem S. Thom. hic S. Thomas.
ad 4. sic probat, *Si essent duo innascibiles, vnus eorum non esset ab alio, & sic non distinguerentur oppositione relatiua. Oporteret igitur quod distinguerentur, diuersitate naturæ.* In quo discursu non clarè apparet vis huius consequentiæ. Duæ personæ non distinguuntur personalitatibus relatiuis oppositis, sed personalitatibus absolutis: ergo distinguuntur diuersitate naturæ; ita vt neutra earum sit Deus. Hanc quidem vim ego ita ostendo, si personalitates sunt absolutæ,

& consequenter non inuicem oppositæ, & tamen inter se realiter distinctæ; ergo neutra persona est infinita simpliciter in genere entis absoluti, quia non identificaret sibi omnem perfectionem absolutam. Ergo neutra est Deus: hoc enim nomine omnes intelligimus ens aliquod simpliciter & omnino illimitatum in suo genere. Ergo distinguerentur diuersitate naturæ, tamquam duæ personæ creatæ ac finitæ.

41. Riccardus Victorinus.

Quem discursum non obscurè indicat Riccardus Victorinus l. 4. de Trinit. c. 15. vbi ex eo quòd omnes tres personæ, *sibi inuicem consimiles, & coæquales sunt*, ita infert, *secundum qualitatem differre non possunt*: hoc est, secundum absolutam proprietatem. Si enim aliqua proprietas absoluta, ac proinde perfectio, est in vna persona, & non in alia: ergo illæ personæ sunt inæquales perfectionis: ergo non vnus Deus. Quæ demonstratio non habet locum de facto in tribus diuinis personis, differentibus per relativas perfectiones, quarum vna non est in alia, in quantum sunt inuicem oppositæ, & inter se realiter distinctæ: quoniam perfectiones omnes relativæ, cum identificentur naturæ, cui non opponuntur, & à qua non distinguuntur, ratione naturæ, quæ eadem tota & totaliter est in singulis personis, quælibet persona est æqualis reliquis. At verò perfectio personalis absoluta, si non identificatur personæ diuinæ absolutæ, nec etiam identificari poterit naturæ diuinæ absolutæ, quia tam non opponitur naturæ, quam personæ. Ergo si ponantur personæ absolutæ, & inuicem realiter distinctæ, non potest ratione identitatis cum natura, saluari talium personarum omnimoda æqualitas, ergo neque vna in illis Diuinitas. *Quibus enim*, vt immediatè post subdit Riccardus, *per omnia est vnum & idem summè simplex esse, nullo modo possunt aliqua qualitatis differentia ab inuicem distare.* Et paulò post, *sed quoniam identitas substantiæ, omnem qualitatis differentiam penitus excludit differentes personarum proprietates circa solam originem quærere oportebit*: quæ non possunt esse nisi relativè.

42. Eadē implicantia confirmatur.

Confirmari potest hæc implicantia primo, quia si dantur duæ diuinæ personæ ingenitæ, cur non tres? cur non plures? cur non actu infinitæ? Quæ enim ratio, si præscindamus ab origine, quæ profectò inter duas personas ingenitas non reperitur, cogitari potest determinans naturam illam omnium primam, & simpliciter infinitam ad subsistendum in duabus personis tantum. Secundò quæro, an istæ duæ personæ ingenitæ producerent alias personas? si non producerent, ergo essent infœcundæ, & imperfectæ, ergo neutra esset Deus. Si producerent, cum non habeant eumdem numero intellectum, & voluntatem, non possent simul conuenire ad producendum. Sed vnaquæque produceret sibi suum Filium, & suum Spiritum sanctum; & ita darentur duo Filij, & duo Spiritus sancti, & duæ Trinitates inuicem distinctæ, & in duas quasi familias diuisæ; quarum quælibet suum caput agnosceret distinctum à capite alterius. Quomodo igitur huiusmodi diuersa capita inter se consentirent in mundi creatione, gubernatione, directione ad vitam æternam, & in aliis? Ipsæ quoque creaturæ diuisæ essent inter se propter diuersas dependentias à duobus primis capitibus; & multa alia absurda essent, quæ pluritatem ingenitorum incredibilem, & planè impossibilem esse demonstrant. Quam diuinarum personarum multitudinem, vni ingenito non subordinatam, excludere voluit Athanasius in Symbolo, cum post explicatas tres personas, earumque processiones ab vno ingenito, ita concludit, *Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.*

Anastasius.

Postremo aduertendum est, ex eo quòd dari nequeant duo ingenita, necessariò sequi, quod multi Patres verbis supra citatis, expressè docent, Personas diuinas multiplicari non posse nisi per processionem vnius ab alia: quia plures, si inter illas non daretur processio, à nullo alio principio procedere possent; ergo essent omnino ingenitæ. Sequi præterea, quòd si dantur plures diuinæ personæ, sicut tres tantum dari fide credimus, vna earum esse debeat ingenita. Enimvero plures & omnes genitæ, vel essent inuicem genitæ, & ita idem respectu eiusdem esset producens & productum, quod implicat vt supra: vel vna genita numquam produceret aliam à qua genita est, & ita darentur infinitæ personæ diuinæ, quam consequentiam facit Riccardus Victorinus l. 5. de Trinit. cap. 3. circa principium, & ita benè probat, *Nam si ista esset ab illa, & illa ab alia, & iuxta hunc progressionis modum quælibet vna esset ab aliqua alia, huiusmodi concatenationis productio absque dubio in infinitum procederet, & eiusmodi productionis terminus nullus occurreret. Ne igitur*, vt deinde concludit, *contra conscientiam nostram, diuinarum personarum numerum in infinitum extendamus, oportet proculdubio vt concedamus, quòd aliqua persona ex semetipsa existat, & aliunde omnino originem non trahat.* Infinita vero diuinarum personarum multitudo, quarum vna procedat ab alia, est multò magis impossibilis, quam infinita multitudo, v. g. hominum, quorum vnus ab alio generetur: hæc enim vtcumque defenditur propter dependentiam ab vno superiori principio producto, vt multis explicatum est tomo 1. q. 2. art. 3. dub. 2. & 4. Illa vero nullo modo defendi potest, quia in illa infinitate nullum ponitur primum & ingenitum principium in ascendendo, & in descendendo non posset poni vna vltima persona genita tantum, & non generans: cuius sententiæ implicantiam ostendimus ibidem dub. 5.

43. Duo corollaria.

QVÆSTIO XXXIV.

De Persona Filij, in quantum dicitur Verbum, in tres articulos diuisa.

Deinde considerandum est de persona Filij, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Verbum in diuinis sit nomen personale.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd Verbum in diuinis non, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *An Verbum propriè dicatur in diuinis, n. 1. ad 5.*
2. *An Filius Dei dicatur etiam propriè sermo Patris, aliisque nominibus, n. 5. ad 13.*
3. *An Verbum in diuinis dicatur essentialiter, vel potius personaliter, n. 13. ad finem art.*

DVBITATIO I.

An Verbum propriè dicatur in diuinis.

SVMMA.

1. *Conclusio affirmatiua, eiúsque authores & aduersarij, num. 1. ad 4.*
2. *Probatur conclusio ratione, n. 4.*

VNICA

1. Conclusio affirmatiua contra Origenem & Arianos.

VNICA conclusio. Verbi nomen propriè, & absque vlla metaphora vsurpatur in diuinis. Hanc nominis proprietatem præmittit & tradit S. Thomas in toto fere corpore antequam respondeat principali articuli quæsito de nomine personali: eamque negant Ariani, & Arianorum fons Origenes, qui, inquit S. Thomas hic ad 1. *posuerunt Filium à Patre esse in diuersitate substantiæ. Vnde conati sunt, cum Filius Dei, verbum dicitur, adstruere non esse propriè dictum; ne sub ratione Verbi procedentis cogerentur fateri, Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam Verbum interius sic à dicente procedit, quòd in ipso manet.* Origenes igitur toto ferè tomo 1. in Ioannem fusissimè ex aliis quamplurimis nominibus, quæ passim in Scriptura Christo metaphoricè tribuuntur, contendit ostendere, eadem metaphorica significatione dici de Christo nomen Verbi, ob duas rationes, quas assignat pagina penultima, dicens primo λόγῳ, *hoc est, Ratio dicitur, veluti quidquid in nobis est à ratione alienum prorsus auferens; & nos præparans conuenienter veritati, rationis participes esse, omnia vitæ opera, tum vulgaria, tum perfectiora, propter hanc λόγον, rationemque, ad Dei gloriam agentes*; &c. Secundo inquit multò post, *Potest autem Filius etiam sermo esse, eo quòd renunciet occulta Patris sui. Vt enim apud nos sermo, nuncius est earum rerum, quæ à mente cernuntur; sic ille Dei sermo, qui Patrem agnouit, Patrem agnitum reuelat.* Iuxta hanc interpretationem in tomo 2. non longè à principio clarè ac fusè pro Arianis scribitur, quòd duplex sit Deus; alter *verus Deus cum articulo*, qui solus Pater dicitur, & propterea vocatur αὐτοθεὸς, *hoc est, per se Deus*: alter Deus, *participatione, & communione diuinitatis illius Deificatus; non ille Deus cum articulo, sed Deus sine articulo.* Quam Deorum differentiam leuissimè innixam in grammaticali Græcorum articulo, nullius esse momenti ostendi cum Chrysostomo supra quæst. 27. art. 1. num. 27. Quid autem Origenes ipse verè senserit, breuiter tetigi ibidem num. 19. & eruditissimè pertractat noster Ruiz de Trinitate disput. 20. sect. 4. probabilissimè contendens ab Arianorum erroribus Originem liberare.

Ruiz.

2. Theophylactū non esse contrarium.

Cum Origine videtur etiam sensisse Theophylactus in illud Ioannis 1. *Hoc erat in principio apud Deum.* scribens, *Nomen Verbi dignum non esse Deo, nec propriè de illo, ac substantialiter dici.* Verum non negat proprietatem significationis, quam nunc probamus, sed proprietatem impositionis, & adæquationis; quoniam vniuersaliter ita subdit, *At neque vllum aliud proprium nomen quis inuenerit dignum Deo.* Concedit Deo nomen simpliciter proprium, & non metaphoricum, & solum negat, illud esse dignum Deo; quia cum nomina etiam, quæ de Deo propriè, & sine metaphora dicuntur, sint communia creaturis, & creaturis primò imposita non possunt Dei naturam, & personas, prout in se sunt, sufficienter & adæquatè exprimere, vt ex communissima aliorum Patrum sententia ostendi tomo 1. quæst. 13. art. 1. Neque etiam cum Origene sensit Riccardus Victorinus, l. 6. de Trinit. c. 12. aliquantò post initium, dicens, *Nuncupatio Verbi pro similitudinis ratione videtur conuenire Filio soli.* & iterum post medium, *Rectè à simili, Dei Filius Verbum Patris dicitur, per quem paterna claritas manifestatur.* Enim vero non loquitur de similitudine metaphorica vocis, sed de similitudine naturali rei, quam explicat initio capitis, tradens simul propriissimam rationem, cur solus Filius; & non Spiritus sanctus dicatur Verbum; nam ex eo quòd vniuersaliter, *proferentis verbum, sensus & sapientia eius, à quo profertur, solet esse indicatiuum*, ita optimè deducit, *Rectè ergo Verbum dicitur, per quem Patris, qui fons sapientiæ est, notitia manifestatur.* Et paulò post, ad magis excludendum Spiritum sanctum à nomine Verbi, addit, *Quia verbum nascitur de corde solo, & ipso propalatur proferentis intentio: iure igitur solius Patris sola genitura, Verbum nominatur, per quod ipse, qui principalis est sapientia, manifestatur.* Quibus verbis, vt alia omittam, de quibus supra quæst. 27. art. 1. num. 223. manifestum est, quam immeritò à quibusdam recentioribus dicatur, *deceptus Riccardus ex eo quòd ignorauit Filium procedere per intellectionem.* Qui enim proprium Filij, & non Spiritus sancti esse docet, manifestare, indicare, propalare sapientiam, notitiam, & intentionem Patris proferentis, & propterea solum Filium dici Verbum, apertissimè demonstrat, se docere potius quàm ignorare processionem Verbi per intellectionem; cum manifestare, indicare, propalare, actus sint intellectus, non voluntatis; & sapientia, notitia, intentio, verbum ipsum ad intellectum, non ad voluntatem spectent: & se etiam asserere propriissimum Filij Dei nomen esse Verbum, cum huius denominationis rationem, quæ maximè propria Verbi est, solum assignet ex eo, quòd Filius est perfectissima manifestatio, & similima imago Patris illum proferentis, & dicentis per sapientiam suam. Neque demum ex eo quòd sequenti cap. 13. fine, concludat Riccardus, *Rectè ergo Filius Verbum, vel lingua Patris dicitur, in quo solo paternitatis gloria declaratur*; necessario colligitur, nomen Verbi, secundum Riccardum, conuenire Filio metaphoricè, sicut & nomen linguæ. Quid enim prohibet, Filium Dei explicare duobus nominibus, altero proprio, altero metaphorico? In qua etiam metaphora linguæ declarantis, cernere est mentem Riccardi de processione Filij per intellectum, non per voluntatem; cum ratio linguæ, & declarationis, nullo modo, etiam metaphorico, accommodari possit voluntati, sed duntaxat intellectui.

Neque Riccardum Victorinum.

3. Durandus esse contrarium.

Verè igitur nullus alius ex Patribus, nec aliquis ex Scholasticis reperitur, qui Verbi nomen metaphoricè, & non propriè tribuat Filio Dei. Solus Durandus 1. d. 27. q. 3. n. 6. fine, & n. 10. scribit, *quòd verbum de vi vocis, & propriè non dicit aliquid personale, sed potius essentiale, sicut & amor.* & num. 10. negat, *quòd Filius sit Verbum propriè, & quod Spiritus sit amor propriè; sed talia nomina*, inquit, *eis aptantur propter illa quæ videntur in Trinitate creata, quæ attenditur secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem: vbi primum procedens est verbum, vltimum procedens est amor; sic primæ personæ procedenti in diuinis appropriamus nomen verbi; personæ autem vltimo procedenti appriamus nomen amoris.* In quam absurdam nominum improprietatem lapsus est Durandus consequenter ex necessitate defendendi aliam sententiam non minus absurdam, vt ostendi supra q. 27. art. 1. dub. 9. quòd immediatum diuinarum processionum principium non sint intellectus & voluntas, sed sola essentia præcisè. Verum quoad nominum improprietatem, illum expressè contradicere Ioanni Apostolo, Augustino, Cyrillo, Euthymio, Thomæ denique magnam huius veritatis certitudinem graviter inculcanti his verbis, *Absque omni dubio confitendum est, Deum esse Verbum, & propriè Verbum dici.* Sufficienter probatum est ibidem num. 215. 216. & 224. Nunc addo, si Filius non diceretur propriè Verbum, sed metaphoricè, ergo nec diceretur verè simpliciter & absolutè, sed hoc modo diceretur verè oppositum; ita vt simpliciter loquendo liceret dicere, Filius Dei, seu Christus, non est Verbum Dei: quemadmodum, quia Christus dicitur metaphoricè, v. g. agnus, petra, vitis, &c. possumus absolutè negare, Christum esse agnum, petram, vitem, &c. Absolutè autem asse-

Filium Dei dici propriè Verbum.

rere, Deus, ſeu Filius Dei non eſt Verbum, Verbum caro non eſt factum, nullus fidelis erroneum eſſe non dixerit. Hoc argumentum ſumpſi ex Gregorio Nyſſeno apud Cypariſſiotum Decade 4.cap.9.paulo ante medium. (Nyſſenus.) *Quomodo,* inquit, *verè eſſe aliquid dicitur,quod non probatur etiam propriè eſſe? Neceſſe eſt enim, in quibus non eſt certum proprium eſſe,cum nominibus oppoſitis collocari: quod enim non eſt proprium, improprium penitus eſt. Quare cum quid argumentamur non eſſe propriè,funditus per ſe non eſſe demonſtramus.* Ita etiam argumentari videtur Cyrillus l.7.Theſauri cap.2.fine, (Cyrillus.) exemplo huius nominis, homo,quod, inquit, *ſi non ſignificaret ipſum hominem, hoc nomine audito non intelligeretur homo,ſed aliud quidpiam; quod dictu ſtultiſſimum eſt.* Et ideo Eunomius,quia dixit, *Non eſſe proprium vocabulum Filij Dei,Verbum*, ſtatim à Cyrillo eſſe dicitur *hoſtis diuinarum Scripturarum,& præcipuè Ioannis Euangeliſtæ, qui appellationem hanc, tamquam maximè propriam Filio Dei poſuit.* Similia ſcripſit ipſemet Cypariſſiotus ſupra,dicens. *Demonſtret nobis,qui magna argumentandi facultate præditus eſt,non eſſe Verbum,proprium nomen Filij Dei,& contradicat Scripturis,& Beato Ioanni qui nouit appellationem maximè decentem, & propriam Filij Dei nouit eſſe, cum vocatur Verbum; In principio enim,inquit,erat Verbum.*

4. *Probatur ratione.* Præter has authoritas,quæ hanc concluſionem in ſana Theologia omnino certum efficere debent,habemus rationem à priori euidentem,poſita fidei veritate de Filio Dei,quòd ſit perſona procedēs à Deo Patre per diuinam ipſius intellectionem, in perfectiſſimam ſimilitudinem naturæ Patris intelligētis, & obiecti à Patre intellecti. Sed nomine Verbi propriè dicti omnes intelligimus terminum productū per intellectionem, qui terminus ſit repræſentatio obiecti. Ergo Filius Dei veriſſime ac propriiſſime denominari poteſt Verbum. (Auguſtinus.) Confirmatur ex Auguſtino l.15.de Trinit.c.11.initio,ita docente, *Verbum quod foris ſonat,ſignum eſt verbi quod intus lucet,cui magis verbi competit nomen:* idque ſtatim optime probat. *Nam illud, quod profertur carnis ore, vox eſt verbi,verbumque & ipſum dicitur propter illud à quo, vt foris appareret,aſſumptum eſt. Ita enim verbum noſtrum vox quodam modo corporis fit,aſſumendo eam,in qua manifeſtetur ſenſibus hominum;ſicut Verbum Dei,caro factum eſt,aſſumendo eam, in qua & ipſum manifeſtaretur ſenſibus hominum.* Hinc ita arguo, Vox exterior ſignificatiua ad placitum hominum,ſine dubio dicitur propriè verbum: vnde S.Thomas hic, (S.Thomas.) circa principiū Corporis ait, *Manifeſtius & communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur.* Sed conceptus mentis interior, naturaliter ſignificatiuus & repræſentatiuus obiecti eſt magis propriè verbum,vt docuit etiam S.Thom. ibidem dicens,& ita probans, *Ex hoc dicitur verbum vox exterior,quia ſignificat interiorem mentis conceptum. Sic igitur primò, & principaliter, interior mentis conceptus verbum dicitur; ſecundariò vero ipſa vox,interioris conceptus ſignificatiua.* Ergo maximè propriè dici poteſt Verbum Filius Dei, cui ex formali generationis ſuæ vi communicatur ipſamet interior intellectio, & ſapientia Patris, naturaliter repræſentatiua & ſignificatiua totius obiecti,quod intelligit Pater. Ex quibus intelligere poſſumus,quantum & à veritate, & à Sanctorum doctrina recedant illi, quos ſine nomine refert & impugnat Torres (Torres.) ſupra q.27.art.1. diſp.3.§.*Porrò*,dicentes,Verbum dici propriè de vocali, impropriè de mentali. Vnde ſequitur, Filium Dei,qui non eſt verbum vocale,ſed mentale,eſſe impropriè verbum; quod conſequens, inquit Torres, *hæreticum ſanè eſt.* & Bagnes (Bagnes.) initio huius articuli, *pluſquam temerarium.* & Molina (Molina.) diſput. vnica paulo poſt principium, *non ſolum periculoſum in fide, ſed etiam erroneum.* & Suarez (Suarez.) l.9.de Trinit.c.2.n.6. de hac concluſione ita cenſuit, *Eſt ita certa, vt ſine errore negari non poſſit.*

DVBITATIO II.

An Filius Dei dicatur etiam propriè Sermo, Ratio, alijſque nominibus.

S V M M A.

1. *Filium Dei dici propriè ſermonem,n.5.ad* 8.
2. *Sed aptius dici Verbum,quàm ſermonem,n.*8.
3. *Filium Dei propriè dici rationem,n.*9.
4. *Non dici propriè eloquium, nec cogitationem, nec vocem,nec linguam,n.*10.*ad* 13.

5. *Prima concluſio affirmatiua de ſermone.* PRima concluſio. Filius Dei dici etiam propriè poteſt ſermo. Probatur primo quia licet à Patribus Latinis,quod Græcè dicitur λόγος, multò frequentius appelletur Verbum,tamen frequenter etiā vocatur ſermo. Vnde Tertullianus (Tertullian.) libro contra Praxeam cap.13.initium Euangelij Ioannis ita legit, *In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo.* & c.7. & 12. ait, *Per ſermonem omnia facta eſſe,& ſine illo nihil factum.* & cap.7. ita legit verba Pſal.32.*Sermone eius cœli confirmati ſunt.* Et ibidem,& c.11.initium Pſal.44.legit,*Eructauit cor meum ſermonem optimum.* Item Cyprianus (Cyprianus.) l.2.contra Iudæos c.3. & 5.legit etiam, *In principio fuit ſermo, & ſermo erat apud Deum,& Deus erat ſermo.* Et, *Sermone Dei, cœli firmati ſunt.* Et Iſaiæ 10.*Sermonē breuiatum faciet Deus.* Et Pſalm.106.*Miſit ſermonem ſuum,& curauit illos.* Et Apoc.6. *Dicitur nomen eius,ſermo Dei.* Quibus locis noſtra vulgata habet nomen Verbi. Præterea Ambroſius (Ambroſius.) l. vnico de Fide contra Arianos cap.2. circa med.notat dictum eſſe à Ioanne, *In principio erat Verbum,quia ſermo Filius ſemper cum Patre eſt,& de Patre natus eſt.* Auguſtinus (Auguſtin.) etiam tractatu 108.in Ioannem medio,teſtatur,quòd in quibuſdam Codicibus ſcriptum eſt, *In principio erat ſermo.*

6. *Exponitur locus ad Hebr. 4. cum Iuſtiniano.* Probatur ſecundò quia idem Græcum nomen λόγος,quod Ioan. 1. Latinè verſum eſt. Verbum ad Hebr.4.vertitur ſermo,cum dicitur, *Viuus eſt ſermo Dei,& efficax*, &c. Quod eſſe etiam intelligendum de perſona Filij Dei benè probat ibi noſter Iuſtinianus cum communiore Patrum ſententia; & ſatis manifeſtum videtur ex eo quòd de hoc ſermone interalia dicitur, *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda,& aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo.* Quæ quidem verbo Dei ſcripto, duriſſimè accommodatur,ſed de Deo Verbo,tanquā ſupremo omnium iudice, facillimè intelliguntur. Hunc ſenſum tradunt Patres Concilij Nicæni (Concilium Nicænum.) l. 2. §.*Quomodo*, circa finem.cum enim præmiſiſſent, Filium Dei,omnia iudicare,hoc vt probent,ita ſubiūgunt, *Paulus ad Hebræos ſic de ipſo loquitur, Viuus eſt ſermo Dei*, &c.& §. *Cum copioſa*, circa finem,docent eſſe *in Dei ſubſtantia Verbum non probatiuum, ſed ſemper viuens,& efficax,& penetrabilius omni gladio ancipiti, quod iudex eſt omnium, ſi quidem & opifex in cuius conſpectu nulla creatura latet.* Verbum prolatiuum, quod vocale eſt, ore prolatum, opponunt Verbo ſubſiſtenti in Dei ſubſtantia ac natura; de quo loquuntur citatis Pauli verbis, de ſermone ſcriptis. Athanaſius (Athanaſius.) etiā oratione 3.contra Arianos,aliquanto ante finem ait,quòd Paulus iiſdem verbis, *Filium pro Verbo Dei agnoſcit, ac talem, qui ſcit aliud à rebus creatis.* Et l. de ſalutari aduentu Chriſti multò poſt medium, *Apoſtolus de eius*, hoc eſt, Chriſti, *Diuinitate ita loquitur, Viuus eſt enim ſermo Dei*, &c. Idem de Deo Verbo exponunt Ambroſius l.4.Fidei c.3.prope finem.Cyrillus l.2.in Ioannem c.37.med.

Theodo

Theodoretus, OEcumenius, Lyranus, Caietanus, & alij illius loci Interpretes.

7. *Exponitur locus Sap. 18.* Probari etiam poteſt 3.ex illo Sapientiæ 18.*Omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit*, nàm hîc etiam λόγος,quod poterat verti Verbum, vertitur ſermo. Et clarius intelligitur de Filio Dei, non de Angelo primogenita Ægyptiorum interficiente, niſi fortaſſe vt hic erat quidam illius typus: alioquin Angelus ipſe in ſe ipſo dici non potuiſſet,Omnipotens ſermo Dei, & proſiluiſſe de cœlo à regalibus ſedibus; quæ tamen in ipſum Deum Verbum aptiſſimè quadrant. Quarto demum probatur, quoniam eadem ratio eſt de ſermone & de Verbo: ſicut enim verbum,aliud eſt interius, & mentale, aliud exterius,& vocale; & importat ordinem ad dicentem, ſeu loquentem,vel mente, vel ore; & principaliter tribuitur mentali, quia vocale eſt ſignum mentalis, non contra; & propterea Filius Dei, qui eſt partus paternę mentis,dici abſolutè ac propriè potuit Verbum: ita ſermo eſt mentalis & vocalis,importans ordinem ad dicentem; & vocalis eſt propter mentalē, & ideo hic præcipua & abſoluta ratione ſermo dicitur. (*Differentia inter Verbum & ſermonem.*) Ergo Filius Dei pariter denominari propriè potuit ſermo. Solum differentia eſt, quia verbum ſimplex eſt, cum vnus ſimplex conceptus, vel vna ſimplex dictio, vocetur etiam verbum: ſermo autem compoſitus eſt ex multis verbis. Quoniam vero Filius Dei & eſt in ſe entitatiuè ſimpliciſſima ſapientia genita; & ſimul in virtute multiplex eſt,intelligens & ordinans res infinitas, & æquiualens eminenter infinitis ſapientiis creatis,rectè dici potuit & Verbum, & ſermo. Et quidem quia Ioannes initio ſui Euangelij,potiſſimum tradere intendebat, quid Filius Dei in ſe ipſo eſſet,conuenientius Latinus interpres vertit Verbum, quam ſermonem: ſed quia Paulus verbis citatis explicat quàm multa poſſit Filius Dei in ordine ad creaturas, eas cognoſcendo, iudicando,puniendo,præmiando,λόγος verti potius ibi contra debuit ſermo,quam Verbum.

8. *Filius Dei aptius dicitur Verbum, quàm ſermo.* Secunda concluſio. Si fiat comparatio inter Verbum,& ſermonem, præſtat Filium Dei vocare Verbum,quam ſermonem. Primo quia omnes Scholaſtici vocant ſemper Verbum, & vix reperies aliquē, qui aliquando ſermonem vocauerit. Secundo quia ex Patribus aliqui numquam vocant ſermonem,ſed ſemper Verbum. Qui vero ſermonem dicunt,multò frequentius vſurpant nomen Verbi,adeò vt ſi Verbi vſurpatio cōferatur cum vſurpatione ſermonis,hæc meritò rara dici poſſit, illa vero ordinaria. Tertio quia nomen verbi,vt dictum eſt,aptius eſt ad explicandum ſimplex eſſe diuinum,quod in ſe habet Dei Filius; quamuis ſermo aptius explicet multiplicem efficaciam,quam habet reſpectu creaturarum. Multò autem preſtantius eſt exprimere & cognoſcere Deū in ſe,quam per reſpectum ad creatos effectus. Quarto quia ſiue ex vi vocis, ſiue potius ex vſu loquentium,& diſputantium Theologorum,ſermo expreſſius quam verbum importare videtur vocalem ſonum: adeò vt Hilar. (Hilarius.) l.2.de Trinit.aliquanto ante medium doceat, quòd cum Ioannes initio Euangelij adiicit, *& Deus erat Verbum,ceſſat ſonus vocis,& cogitationis eloquium. Verbum hoc,res eſt,non ſonus: natura,non ſermo: Deus, non inanitas eſt.* Vbi ſermonem ex antecedentibus clarè accipit pro vocali, qualis ſermo non eſt Deus. Præterea Tertullianus (Tertullian.) l.contra Praxeā c.5.propè medium, conuenientius eſſe Filium Dei appellare rationem,quam ſermonē,ita probat, *quia non ſermonalis à principio,ſed rationalis Deus etiam ante principium: & quia ipſe quoque ſermo,ratione conſiſtens, priorem eam,vt ſubſtantiam ſuam,oſtendat.* Dicens,Deū neque ante mundi principium,neque ab ipſo mundi principio fuiſſe ſermonalem, videtur ſermonem Deo tribuere tunc ſolum,cum Verbum caro factum eſt, & corporaliter hominibus loquutum. Ponens etiam, ſermonem poſteriorem ratione, & per ſermonem oſtendi rationalem Dei ſubſtantiam, videtur vocalem & corporalem tantum ſermonem, non mentalem conſiderare.

9. *Filium Dei propriè dici Rationem.* Tertia concluſio. Filius Dei conuenienter,& propriè dicitur etiā Ratio. quia ex Auguſtino (Auguſtin.) l.83.qq. q.63.*Quod Græcè λόγος dicitur,Latinè & Rationem,& Verbum ſignificat.* Addit autē, quòd loco citato Io.1. *Melius Verbum interpretamur; vt ſignificetur non ſolum ad Patrem reſpectus,ſed ad illa etiam,quæ per Verbū facta ſunt,operatiua potentia. Ratio autem, etſi nihil per illam fiat,rectè ratio dicitur.* Præterea ex aliis Latinis Patribus,Rationis nomē Filio Dei tribuunt,Tertullianus ſupra,præferens Rationem ſermoni; & plerique alij. Item Græcorum Patrum interpretes ſæpiſſime Grecùm nomen λόγος, Latine reddunt Rationem. Si enim communiter à Latinis, præſertim Auguſtino, Filius Dei propriiſſime dicitur Sapientia Patris,cur non etiam Ratio? Imò nomen hoc id commodi habere videtur ſupra nomen verbi, & ſermonis, quia ratio non niſi de intellectu dicitur, verbum autem & ſermo dicuntur etiam de corporali ore, quod in diuinis metaphoricè tantum reperitur.

10. *Non dici propriè eloquiū.* Quarta concluſio. Filius Dei dici non debet Eloquium. Primo quia hoc expreſsè prohibet Hilarius ſupra n.8. Secundò,quia inter Patres,tametſi in huiuſmodi denominationibus liberiores fuerint, nullus legitur ita loquutus. Tertio quia eloquium propriè dicitur tantum de corporalibus. Quare in ſenſu tantum metaphorico eſt accipiendus S.Th. (S.Thomas.) opuſc.1. contra errores Græcorum c.12.cū loquens de Euangelio & epiſtola Ioannis,vbi Filium vocat Verbum, ait, *Nec refert ſi quis tranſlationē mutet,vt loco verbi,eloquiū ponat: nā id quod quis loquitur, verbū eius eſt. Vnde ſicut ſolus Filius in Diuinitate eſt Verbū,ita ſolus eſt eloquium.* (*Ioan. 1. & 1. Ioan. 5.*) Nimirū verbū propriè,eloquiū metaphoricè.

11. *Nec cogitationem.* Quinta concluſio S. Thomæ hic ad 2. poſt med. *Cogitationis nomen, Dei Verbo propriè nō conuenit.* Quod probat ex Auguſtino (Auguſtin.) l.15.de Trinit.c.16. initio, ita docente, *Quapropter ita dicitur illud Dei Verbū,vt Dei cogitatio non dicatur; ne aliquid eſſe quaſi volubile credatur in Deo;* quoniā vt ipſemet Auguſtinus poſtea explicat,& explicauerat etiam in præcedenti c.15.cogitatio propriè & volubilis quędam veritatis inquiſitio,qua nunc hoc, deinde aliud intelligimus. *Et ideo*,inquit Auguſtin.c.16.*Verbum Dei,ſine cogitatione Dei debet intelligi,vt forma ipſa ſimplex intelligatur, non habens aliquid formabile, quod eſſe etiam poſſit informe.* Hilarius (Hilarius.) etiam ſupra n.8.dixit, quòd in Deo Verbo *ceſſat cogitationis eloquium.* Alij vero Patres,ſicut ipſemet Auguſtinus,quamuis de creato verbo,nimirum perfecto, plerumque dicant, illud cogitatione formari,de Verbo tamen increato id dicere non ſolent. Sed ſi aliquis ita loquatur,explicandus eſt, vt S.Th. ibidem explicat Anſelmum, (*Exponitur Anſelmus.*) quòd *impropriè accipit pro contemplatione.* Sicut etiam, vt idem Auguſtinus ſupra exponit, *Dicuntur quidem etiam in Scripturis ſanctis cogitationes Dei; ſed eo locutionis modo,quo ibi & obliuio Dei dicitur, quæ vtique ad proprietatem in Deo nulla eſt.* Eamdem concluſionem ex inſtituto probat Alenſis (Alenſis.) p.p.q.62.membro 1.art.5.addens, quòd *cogitatio dicitur quaſi coagitatio intellectus:* & ideo, inquit, *dicit motum mentis imperfectum, nec poteſt intelligi cogitatio niſi accipiatur volubilis motus mentis.* Quamobrem Magnus Albertus (Albertus.) p.p. ſummæ q.35. membro 3. art. 2. paulò poſt medium, ita monet, *Cauendum eſt cum dicitur, quòd Deus cogitando ſe, dicit ſe, & dicit Verbum; quod eſt verbum Anſelmi, & Gregorij Nazianzeni; quia*, inquit, *propriè cogitatio*

est reuolutio conceptuum mentis; & hoc modo cogitatio non est in Deo.

12. *Quo modo Filius Dei dicatur vox, & lingua Patris.*

Vltima conclusio. Filium Dei appellare vocem Patris, linguam Patris, aliisque similibus modis, sunt locutiones metaphoricæ, minus vsurpandæ, sed non omnino damnandæ. Propriè enim sunt loquutiones corporales, Deo simpliciter non conuenientes. Nihilominus & Scripturæ, & Patres aliquando eas vsurparunt. De sapientia increata dicitur Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Ex ore autem propriè non prodit nisi vox. Ergo sicut os tribuitur Deo Patri, ita etiam Deo Filio tribui potest vox; sicut sæpè tribuit Lactantius l. 4. diuinarum Institutionum cap. 8. & 9. Vnde Gregorius illud Iob 40. *Si voce simili tonas*, ita exponit l. 32. Moral. cap. 6 fine, *Ipse vox, quia eum Pater gignendo dixit, Filius meus es tu:* confirmatque quoniam *In principio erat Verbum*, &c. Item sicut ex illo Psalm. 44. *Eructauit cor meum, verbum bonum*, Filius Dei vocatur Verbum Patris; ita ex sequentibus verbis, *Lingua mea, calamus scribæ*, &c. moti aliqui eumdem Filium vocant linguam Patris. Verum Theologus, cui in tam lubrico mysterio, *quia non periculosius alicubi erratur*, teste Augustino l. 1. de Trinitate cap. 3. circa principium, sermonis proprietatem sectari maximè conuenit, hos loquendi modos scire potius debet, quam imitari.

Lactantius. Gregorius.

DVBITATIO III.

An Verbum in diuinis dicatur essentialiter, vel potiùs personaliter.

SVMMA.

1. *Dici personaliter, probatur contra Durandum, primò authoritate, num. 13. ad 19.*
2. *Probatur secundò rationibus, num. 19. & 20.*
3. *Soluuntur contraria argumenta, num. 21. ad finem Articuli.*

13. *Probatur dici personaliter contra Durandum.*

VNica conclusio directè respondens quæsito huius primi articuli, nomen Verbi acceptum in propria sua significatione, non dicitur essentialiter de Deo secundum se considerato, sed tantum personaliter, scilicet de vnica persona Filij, non de aliis personis Patris, & Spiritus sancti. Ita omnes planè Theologi, & veteres, & recentiores, vno excepto Durando supra num. 3. qui vt defenderet opinionem suam de Filio non procedente per intellectionem, negauit consequenter, Verbi nomen esse personale, propriè dictum de persona Filij, sed voluit esse tantum prædicatum essentiale commune tribus personis. Quæ Durandi dicta Carthusianus l. d. 27. q. 3. multò post medium, vocat *inepta & friuola, ex Scripturis, ex dictis Sanctorum clarissimè reprobata.* Et Torres supra q. 27. art. 1. disp. 6. q. 3. conclusione 1. hanc conclusionem existimauit adeò certam, *vt oppositum, inquit, asserere, sit error, ne apertè dicam hæresim.* Quod etiam Bagnes initio huius articuli ait esse *plusquam temerarium.* Præterea à Suarez l. 9. de Trinitate cap. 2. num. 6. conclusio dicitur ita certa, vt *sine errore* negari non possit. & à Zuniga disput. 9. dubio 1. num. 3. opinio Durandi dicitur *error in fide.*

Carthusian. Torres. Bagnes. Suarez. Zuniga.

14. Quæ censura suaderi potest, & breuiter probari Theologica demonstratione hunc in modum. Verbi nomen in diuinis dicitur maximè propriè, vt probatum est dub. 1. quod ne ipse quidem Durandus negat, nam etsi velit non dici propriè de Filio, vult tamen dici propriè de Deo: vnde l. d. 27. q. 3. num. 6. ita se explicat, *Dico quòd verbum de vi nominis, & propriè dicit aliquid essentiale* (quod, vt in tota quæst. sæpe asserit, est ipsemet actus intelligendi communis toti Trinitati) *& non personale: ex appropriatione tamen trahitur ad personale, sicut sapientia.* Sed sacra Scriptura, & omnes Sancti tum Scripturam exponentes, tum in aliis locis, nomen Verbi numquam tribuunt Deo, nec Patri, nec Spiritui sancto, sed soli Filio. Ergo nomen Verbi in diuinis dicitur maximè propriè personaliter tantum de Filio. Minorem fusissimè & eruditissimè probauit noster Ruiz de Trinitate disput. 57. sect. 2. 3. & 4. afferendo innumerabiles authoritates & Scripturæ, & Patrum tribuentium soli Filio nomen Verbi: quarum multas, & præcipuas superius variis in locis attulimus. Certum enim est ex omnium Patrum & Interpretum sententia, non Patrem, non Spiritum sanctum, sed solum Filium vocari Verbum Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Hoc enim Verbum ibidem magis explicatur, & esse dicitur *Vnigenitus à Patre, Iesus Christus, Filius Dei.* Quamobrem hoc loco omnes Sancti contra Arianos & Sabellianos docent tradi diuinitatem, æternitatemque Filij Dei, eiusque Personalem distinctionem à Patre; vt ex instituto ostendi supra quæst. 27. art. 1. dub. 1. à num. 25. & à num. 58. & dub. 2. num. 153. Mirè fauent verba Cyrilli ibidem num. 216. *Verbum ipse* (nempe Ioannes in principio sui Euangelij) *Filium hic appellat, vt hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filij maximè significatiuum, elegisse videatur. Cum Verbum dixerit, nihil aliud opposuit, nec dixit; sufficit enim sibi ad significandum ipsum esse Filij, Verbum dixisse. Ioannes Euangelista appellationem Verbi, tamquam maximè propriam Filio Dei posuit.* Quod etiam docuit Euthymius ibidem citatus. Grauissima quoque sunt verba Augustini ibidem num. 224 *sicut Dei Verbum, Filium esse nullus Christianus dubitat; ita charitatem esse Spiritum sanctum*, qui, inquit, *propriè charitas nuncupanda est: sicut factum est, vt propriè Dei Verbum, etiam Dei sapientia diceretur.* Item Alexander Alexandrinus epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum columna 3. vt habetur l. 1. Concilij Nicæni, ait, *Proprium eius*, hoc est, Filij *subsistentia modum declarauit his verbis, In principio erat Verbum*, &c. nomine autem communi non declaratur quod est proprium.

Ruiz. Cyrillus. Augustinus. Alexander Alexandrin.

Præterea nomine Verbi clarissimè intelligitur Filius, & non Pater, aut Spiritus sanctus, 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt:* vbi vna sola sanctissimæ Trinitatis persona secundo loco numerata, & vocata Verbum, perspicuè distinguitur à reliquis duabus personis, quæ aliis nominibus appellantur; vt sentiunt omnes Patres citati supra quæst. 27. art. 1. num. 120. & 121. inter quos clarius ad præsentem veritatem de nomine Verbi, dixit Athanasius, quòd his Ioannis verbis *nomina personarum euidenter sunt ostensa.* Et Apocal. 19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse; & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius, Verbum Dei.* Quibus verbis, & etiam antecedentibus & subsequentibus manifestum est agi de Iesu Christo, vt omnes exponunt. Neque refert, de eodem Verbo antea dici, *Vocabatur Filius, & Verax; & cum iustitia iudicat, & pugnat.* hæc enim cum inuoluant opera ad extra, quamuis sint communia toti Trinitati, tamen peculiari ratione conueniunt Filio soli, in quantum ipse solus factus homo, pugnauit cum Diabolo, & infidelibus, & constitutus est

15. *Exponitur locus 1. Ioan. 1. & 5.*

Athanasius. *Exponitur locus Apocal. 19.*

est iustissimus omnium iudex, & per incarnationem suam, ac redemptionem humani generis, impleuit fidelitatem ac veracitatem diuinarum promissionum; & ideo non de Patre, & Spiritu sancto, sed de Filio tantùm ibi dicta debent intelligi.

16. *Exponitur locus Ps. 32.*

Illud quoque Ps. 32. *Verbo Domini*, hoc est, Filio Dei ac Domini Patris, *Cœli firmati sunt: & Spiritu oris eius*, hoc est, Spiritu sancto, *omnis virtus eorum*; omnes Patres, quos abundè referunt recentiores huius loci interpretes. & idem Ruiz disp. 36. sect. 5. intelligunt de ipsomet Deo Verbo. Præcipuam vim facere debet Nicænum Concilium lib. 2. §. *Sæpenumero.* hoc loco probans, quod *Christus est ex Deo verus Deus Verbum*: quæ vtique probatio nullius momenti esset, si verbum esset commune nomen trium personarum. Et Athanasius oratione 4. contra Arianos non longè à fine, ex eodem loco ita deducens, *est ergo Filius Dei ipsum Verbum.* Item Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 1. ante medium *Verus profectò Deus, & non creatura est Filius.* Et Iustinus in Expositione Fidei, aliquanto ante medium, ita interpretans, *Diuisionem, distinctionémque personarum adhibuit, cum ait, Verbo Domini*, &c. si Verbi nomen distinguit vnam personam à reliquis, ergo vni tantum proprium est, & non omnibus commune. Similiter à Patribus de Filio Dei passim intelliguntur alia verba Psal. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* & Psal. 106. *Misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

Concilium Nicænum. Athanasius. Cyrillus. Iustinus.

17. Ex aliis vero Patribus, vel ex iisdem in aliis locis quibus prædicta Scripturæ loca non explicât, maximè fauent, Athanasius orat. 2. contra Arianos prope medium, vbi ita verissimè testatur, vt pater ex allatis Scripturæ locis, *Ex sacris literis, eo ipso quo Verbum, Patris sui est Filius; & Filius, Verbum est Patris, eiusque sapientia.* Si per illud formaliter, quo secunda persona est Verbum, est etiam Filius; etsi contrà etiam, per id quo est Filius, est Verbum: ergo sicut esse Filium est personale, & proprium secundæ personæ tantum, & non essentiale, ita etiam & esse Verbum. Et oratione 5. non longè à medio, *Si Filius Verbum non est, & hoc quispiam ausit dicere, is, qua est temeritate, Patrem Verbum dicetur?* In hanc audaciam & temeritatem incidisse videtur Durandus, cum velit, Filium non esse propriè Verbum; & non minus propriè Verbum esse Patrem, quam Filium. Et Augustinus, qui Athanasium imitatus, multò clarius ita loquitur lib. 7. de Trinit. cap. 2. initio, receptus à Magistro, & omnibus Scholasticis lib. 1. sent. d. 27. litera E. *Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* & paulò post, *Id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia, vt sit & Filius, & Imago. Et hæc duo cum dicuntur, id est, nata sapientia, in vno eorum, eo quòd nata est, & Verbum, & Imago, & Filius intelligatur.* Ex his ita arguo, primo. In diuinis idem significat Verbum, quod significat nata sapientia: sed nata sapientia non significat aliquid essentiale, sed personale, vnius tantum personæ proprium. Ergo etiam Verbum. Maior est Augustini. Minor est de fide. Consequentia vt patet est. in forma. Secundò illud, *vt sit Filius, & Imago*, facit hunc sensum, quem accipio pro maiore. Secunda Trinitatis persona ex eo quòd & sit Verbum, & sit nata sapientia, habet vt sit & Filius, & Imago. Sed in diuinis Filius & Imago dicuntur personaliter de secunda persona tantum, non essentialiter de omnibus. Ergo similiter dicuntur Verbum & nata sapientia. Tertiò, nata sapientia ex eo formaliter quod sit nata, habet rationem & Verbi, & Imaginis, & Filij; hic enim est apertus sensus illorum verborum Augustini, *Nata sapientia, eo quòd nata est, & Verbum, & Imago, & Filius intelligitur.* Sed quòd sapientia sit nata, est personale vt suprà; ergo etiam quòd sit Verbum. Vnde manifestè intelligitur quantum ab Augustino recedat Durandus. Ille docet, quòd nata sapientia non habet propriam, & formalem, seu specificam rationem Verbi ex eo quòd sit sapientia, sed ex eo quòd sit nata. Hic verò asseruit totum oppositum, natam sapientiam dici propriè Verbum, quia est sapientia, quæ est essentialis & omnibus communis; non quia est nata, quod est personale, & proprium vnius tantum.

Augustinus.

18. *Alia Augustini dicta.*

Eadem sententia ex aliis Augustini dictis apertissimè deducitur. Nam lib. 5. de Trinitate cap. 13. ait, *Dicitur relatiuè Filius, relatiuè dicitur & Verbum, & Imago; & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur. Nihil autem horum Pater dicitur.* Et nihilominus Durandus vult, Patrem non solum esse Verbum quomodocumque, sed esse propriè Verbum, sicut est propriè sapientia; cum per ipsum, propriè Verbum in diuinis, non sit aliud quam diuina sapientia. Præterea si propriè Verbum dicitur relatiuè, ergo dici non potest essentialiter. Et lib. 6. cap. 2. paulò post principium, *Verbum, solus Filius accipitur, non simul Pater & Filius tamquam ambo vnum Verbum. Sic enim Verbum, quo modo Imago; non autem Pater & Filius simul ambo Imago, sed Filius solus Imago Patris.* & infrà, *Verbum, quod non est Pater.* Et clarissimè circa finem, *Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius. Nec imago de imagine, quia non simul ambo imago.* Si Verbum diceretur essentialiter, sicut sapientia, vt vult Durandus; ergo Pater & Filius, sicut sunt ambo vna sapientia; ita pariter ambo essent vnum Verbum propriè dictum, quod negat Augustinus: sic etiam contra Augustinum dici posset Verbum de Verbo, sicut dicitur sapientia de sapientia. Denique Augustinus docet, *Sic Verbum, quomodo Imago.* Sed imago dicitur personaliter, quia inquit Augustinus, *Filius solus Imago Patris*; ergo Verbum etiam dicitur personaliter, quia ex eodem Augustino, *Verbum solus Filius accipitur.* & lib. de Fide & Symbolo cap. 4 circa principium, *Verbum Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater.* Ergo Verbum propriè dictum, non est aliquid essentiale, per quod nulla particularis persona potest innotescere. Idem paulò post magis explicat, *Illa sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsum innotescit signis secretissimis Pater, Verbum eius conuenientissimè nominatur.* Ergo non impropriè & metaphoricè: quemadmodum vox significatiua, quoniam per ipsum, vt ibidem exemplificat Augustinus, *Noster animus innotescit audienti, & quicquid secretum in corde gerimus, per signa huiusmodi, ad alterius cognitionem profertur*, conuenientissimè & propriissimè verbum dicitur. Et lib. contra sermonem Arianorum cap. 17. circa finem, *Dedit Pater Filio vitam, gignendo eum vitam, sicut est etiam ipse vita. Non autem sic genuit Verbum, tamquam & ipse sit Verbum. Vitam quippe cum dicimus, potest esse de nullo alio, sicut est Patris vita, vel, quod expressius dicitur, Pater vita, cui de alio non est vt sit. Cum vero dicitur Verbum, nullo modo potest, nisi alicuius intelligi, & illius vtique de quo est. Non itaque sicut est Filius, Deus de Deo, Lumen de Lumine, Vita de Vita; ita dici potest Verbum de Verbo, quoniam solus est Verbum; & sicut Patri proprium est generare Verbum, ita Filio proprium est esse Verbum.* Nihil illustrius dici poterat ab Augustino contra Durandum, si Verbum propriè esset aliquid essentiale sicut vita, ita Pater genuisset Verbum sicut genuit vitam; & sicut Vita, ita Verbum esse posset de nullo alio. Præterea si cum dicitur Verbum, nullo modo potest intelligi, nisi intelligatur esse alicuius Verbum. Ergo perperam Durandus, aliquo modo proprio & perfecto intelligit Verbum essentia-

liter & absolutè, non intelligendo esse alicuius Verbum. Denique si Filio ita est proprium esse Verbum, sicut Patri proprium est generare. Ergo esse Verbum, saltem propriè dictum, intelligi nequit vt quid commune, sicut etiam generare.

19. *Probatur cõclusio ratione articuli.*

Probari quoque potest conclusio cum S. Thoma hic post medium corporis ex principio naturali desumpto ex propria nominis significatione, Verbum scilicet mentale, quod solum formaliter in Deo considerari potest, propriè significat conceptum intellectus. Sed conceptus intellectus de ratione sua habet, quod procedat ab intellectu. Ergo Verbum, prout propriè dicitur in diuinis, significare debet diuinam sapientiam procedentem ab intellectu Dei. Sed hæc non est nisi solus Filius Dei, non Pater, non Spiritus sanctus, non ipsa Deitas secundum se, non denique ipsa Dei intellectio prout absolutè considerata. Ergo Verbum propriè sumptum in diuinis, non dicitur essentialiter, sed personaliter de vna sola persona Filij Dei. Huius discursus duas propositiones negat Durandus; alteram Theologicam latè probatam suprà q. 27. art. 1. dub. 9. 10. & 11. quod Filius procedat immediatè ab intellectu Dei Patris: alteram philosophicam, hic breuiter probandam, quòd Verbum propriè, non significet actum intellectus absolutè consideratum, sed vt præcedentem ab intellectu, quem actum S. Thomas hic, & sæpe alibi, propriè vocat *conceptum intellectus*, quem immanentem intra se intellectus concipit, & quasi prolem suam parit.

20. *Verbum non esse intellectionem absolutè consideratam.*

Probo igitur secundam propositionem primò, quia hunc sensum de verbi nomine habent omnes Theologi & Philosophi. Cum vero agitur de propria nominum significatione, quibus omnes vtimur, standum omnino est explicationi & vsui omnium sapientum, & non iudicio vnius ducti ex nimio affectu ac necessitate defendendi quamdam suam singularem, ac falsissimam opinionem Theologicam de Filio Dei non procedente immediatè ab intellectu Patris. Secundò, ex similitudine cum verbo vocali, de quo euidenter constat procedere ab ore loquentis. Ergo proportionaliter de ratione verbi mentalis esse debet procedere ab intellectu intelligentis, seu concipientis. Tertiò quia omne verbum, siue vocale, siue mentale, essentialiter & propriè est illud quod dicitur: sicut enim dicere, est proferre, siue emittere verbum; ita verbum est aliquid prolatum, siue emissum à dicente. Ergo si non intelligatur vt procedens ab aliquo dicente, non intelligitur vt verbum essentialiter & propriè. Hinc arguo quartò, quia vt docuit Augustinus suprà, & sæpe in aliis locis, Verbum propriè, dicitur relatiuè, sicut Imago, Filius, Pater. Quod acutè exprimit Anselmus in Monologio c. 37. circa finem illis verbis, *Verbum, hoc ipsum quòd verbum est, aut imago, ad alterum est; quia non nisi alicuius verbum est, aut Imago.* Sed in diuinis nihil relatiuè dicitur, nisi per oppositionem, quæ attenditur penes processionem, vel vt *A quo alius*, vel vt *Qui ab alio*, vt distinguit S. Thomas suprà quæst. 32. art. 3. Ergo in diuinis non potest propriè verbum considerari nisi vt oppositum, & procedens. Quintò, quia hæc est expressa aliorum Sanctorum doctrina & ratio, quos attuli suprà q. 27. art. 1. num. 216. Vbi docet Nazianzenus, Filium Dei dici sermonem, seu Verbum, *quoniam ita se habet ad Patrem, vt ad mentem sermo.* Et Basilius de Filio Dei petit, *Cur Verbum?* & respondet, *Vt quòd ex mente procedit, ostendatur.* Et Athanasius ait, *Quis hominum ausit dicere, Verbum, quod ex corde Dei progressum est, non esse eius, qui loquitur, partum?* Et Dionysius Alexandrinus, *Verbum*, inquit, *promanationem mentis nominari conuenit: idémque ex corde per os effunditur. Nostra mens eructat ex se verbum; estque mens, verbi Pater; verbum autem veluti filius mentis, quod ab illa progerminatum est. Eodem quoque modo Pater maximus, & in solidum mens, Filium suum Verbum, interpretem & nuncium sui habet.* Cyrillus mirificè fauet dicens, *Filius appellatur Verbum, & sapientia, quoniam ex intellectu immediate, atque indiuisibiliter est. omne Verbum, alicuius verbum est; eius videlicet, qui lingua loquitur, aut eius, qui corde cogitat.* Idémque docent alij Patres ibidem citati.

Anselmus.

Nazianzen.

Basilius.

Athanasius.

Dionysius Alexandrin.

Cyrillus.

Satisfit oppositis argumentis.

21. *Obiicitur 1. S. Thomas.*

Obiicies 1. S. Thomam 1. d. 27. quæst. 2. art. 2. ante medium corp. dicentem, & deinceps probantem, *quòd hoc nomen, verbum, ex virtute vocabuli, potest personaliter & essentialiter accipi. Non enim significat tantum relationem, sicut hoc nomen, pater, vel filius; sed rem absolutam simul cum respectu, quo refertur ad illud, à quo est, scilicet ad dicentem:* qui respectus, inquit conditionatè loquendo, *si est rationis, verbum dicitur essentialiter, si est realis, dicitur personaliter.* Et in hanc sententiam inclinare etiam videtur de Veritate quæst. 4. art. 2. corp.

Respondetur.

Respondeo, S. Thomam clarissimè docere, & probare hanc conclusionem in hoc articulo in cuius corpore ita concludit, *Unde oportet, quòd nomen Verbi, secundum quòd propriè in diuinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum.* Neque alibi contrarium docuit. Nam citata distinctione loquitur conditionaliter, & dubitatiuè, considerata tantum vi vocabuli secundum se; docet enim, Verbum, quantum est ex vi vocis, non importare directè relationem, sicut importat v. g. hæc vox, pater, sed actum ipsum absolutum intelligendi; simul cum relatione ad dicentem: dubitat autem, an hæc relatio sit rationis vel realis: si enim esset rationis, Verbum diceretur essentialiter; si esset realis, Verbum diceretur personaliter. At vero circa finem corporis totum hunc discursum ita concludit pro absoluta, & vera sententia. *Sed tamen in vsu Sanctorum, & communiter loquentium est, quòd hoc nomen, verbum, relationem realem distinguentem importat, vt dicit Augustinus, quòd Verbum, idem est, quod sapientia genita.* Et deinde ait, quòd in hac quæstione, *quia non est de re, sed de vocis significatione, plurimum valet vsus;* præsertim cum de diuinis nominibus agitur, quæ, inquit, *non sunt extendenda, nisi quantum sacra Scriptura ea vtitur:* significans, quod supra ostendimus, Scripturam non vti nomine Verbi nisi personaliter de solo Filio. Idem dubium proponit in q. citata de Veritate, sed tandem idem concludit. *Si verbum propriè accipiatur in diuinis, non dicitur nisi personaliter: si autem accipiatur communiter, poterit etiam dici essentialiter. Sed tamen, quia nominibus vtendum est, vt plures vtuntur; quia secundum Philosophum, vsus maximè est amulandus in significationibus nominum: & quia omnes Sancti communiter vtuntur nomine Verbi prout personaliter dicitur, ideo hoc magis dicendum est, quòd scilicet personaliter dicatur.* Verbum dici essentialiter, expressè negat si verbum sumatur *propriè*; solum concedit, si verbum sumatur *communiter*, hoc est, impropriè, & imperfectè, vt vulgi communitas solet nomina accipere; nempe pro vna tantum verbi parte, quæ est intellectio simpliciter, in quantum est id quo formaliter intelligunt Deus, & omnes diuinæ personæ. *Sed hoc*, vt paulò ante dicit S. Thomas, *non erit secundum propriam verbi acceptionem; quia si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicuius, auferatur, iam non erit propria acceptio.* Tandem in hac summa, re diutius, & maturius considerata, præsertim quòd sacra Scriptura, & omnes Sancti ita loquantur, absque vllo dubio

dubio pronunciauit, nomen Verbi propriè in diuinis non posse accipi essentialiter, sed personaliter tantum. Et ita Capreolus 1. d. 27. q. 2. art. 1. conclusione 4. explicauit mentem S. Thomæ dicens, *Licèt Verbum in diuinis possit sumi essentialiter, tamen propriè loquendo est nomen personale, & non essentiale.* Quod inquit Ferrariensis lib. 4. contra gentes cap. 13. §. *Considerandum secundò*, &c. *tenuit determinatè S. Thomas in p. p. quæst. 34. art. 1. licet oppositum videatur, sequendo aliorum opiniones tenuisse 1. sent. d. 27.* Sed hanc renouationem, quam S. Thomæ tribuit etiam Caietanus, quam referunt & sequuntur Molina hic §. *Contraria.* Vazquez disp. 141. c. 3. initio. Suarez lib. 9. de Trinit. c. 3. n. 1. Zumel hic disp. 1. ante secundam cõclusionem, & post conclusionem 3. & Becanus de Trinit. c. 5. q. 5. n. 4. acerrimè negat Sylvest. p. p. Conflati q. 34. art. 5. post §. 3. vbi ait, *Nota ignorantiam Thomistarum, qui quam primum aliquem nodum soluere nesciunt, cum dedecore Doctoris Angelici dicunt, S Thomam per summam alia renocasse, & correxisse.* Negant etiam Nazarius controuersia 2. §. 1. fine, & alij apud ipsum.

Capreolus.

Ferrariensis.

Caietanus.

Sylvester.

22. *Obiicitur 2. Basilius & Idacius Clarus.*

Obiicies 2. Basilium lib. 5. contra Eunomium §. *Propterea*. ita loquentem, *Dei quidem Verbum, Filius est; Filij autem Verbum, Spiritus. Portans enim, inquit,* nempe Paulus ad Hebr. 1. *omnia verbo virtutis sue, Et quoniam verbum Filij per Deum, Gladium, inquit,* nempe idem ad Ephes. 6. *Spiritus, quod est verbum Dei; Verbum autem Dei viuens, atque operans.* Similiter loquitur Idacius Clarus aduersùs Varimadum, 12. columnis ante finem, *Verbum Dei Patris, Filius. Verbum Dei, Spiritus sanctus.* probátque ex verbis citatis ad Ephes. 6.

Respondetur eũ S. Thoma.

Respondeo cum S. Thoma art. sequenti ad 5. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 12. *quòd Basilius impropriè & figuratè loquutus est, prout verbum alicuius dici potest, omne illud quod est manifestatiuum eius; vt sic ea ratione dicatur Spiritus sanctus verbum Filij, quia manifestat Filium* : nimirum non se ipso formaliter, sicut Filius Dei manifestat Patrem, sed solum, vt magis explicat cit. opusc. *effectiuè, in quantum S. sancti, ab eo inspirati, de Filio sunt loquuti.* Quod suadere conatur ex secundo loco Ephes. 6. quo Basilius probat Spiritum sanctum esse verbum Filij: vbi cum Paulus ait, *Assumite gladium Spiritus, quod est verbum Dei*, inquit S. Thomas, *ipsum verbum fidei à Sanctis prolatum*, per inspirationem scilicet Spiritus sancti, *Gladius Spiritus manifestè dicitur*: huic enim verbo Euangelicæ legis ac doctrinæ, nonnulli applicant illud ad Hebr. 4. quod de persona Filij dictum esse supra num. 6. ostendimus, *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac Spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Suaderi etiam potest ex primo loco, quo idem probat Basilius: nam cum dicitur ad Hebr. 1. Filius portare omnia verbo virtutis suæ, omnes planè interpretes per verbum exponunt nutum, voluntatem, imperium diuinæ omnipotentiæ: quo modo sumitur verbum Ps. 148. *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Et Luc. 5. *In verbo tuo laxabo rete.* Hoc igitur verbum Filij, quod quidem est essentiale, & commune cum Patre, & Spiritu sancto, vocare potuit Basilius valdè metaphoricè Spiritum sanctum, in quantum illi per appropriationem tribuitur, Dei voluntatem hominibus intimare atque inspirare: præsertim quia potissimum ad hoc munus exequendum dicitur Spiritus sanctus à Filio missus, iuxta illud Ioan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et iterum cap. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quòd autem verbum, acceptum pro actu diuini imperij, dicatur de Deo essentialiter, non contradicit conclusioni, quæ loquitur *de Deo secundum se consideratо*; sic enim de Deo verbum non dicitur essentialiter: diuinum autem imperium tribuitur Deo considerato per respectum ad creaturas, quas creat, conseruat, & gubernat ad nutum suæ sapientissimæ voluntatis; quod verbum est commune tribus personis, & ideo dicitur essentialiter.

Exponitur locus Ephes. 6.

Exponitur locus ad Hebr. 1.

23. *Tertia obiectio.*

Obiicies 3. Verbum propriè est illud quo persona, quæ intellectualiter loquitur, constituitur formaliter intelligens: vnusquisque enim formaliter intelligit verbo mentis suæ. Sed Deus Pater, distinctus realiter à Filio suo, non intelligit formaliter Filio suo, sed absoluto intelligendi actu, sibi essentialiter identificato. Ergo Verbum in diuinis propriè est quid essentiale, non personale.

Respondetur Deum Patrẽ non intelligere Verbo, sed in Verbo.

Respondet optimè Capreolus suprà, Maiorem esse veram de verbo creato, non autem de Verbo increato, ac proinde esse vniuersaliter falsam de verbo vt verbo simpliciter ac præcisè. Et disparitatis ratio manifesta est, quia verbum creatum est accidens, alterius essentiæ à dicente, non productum ab intellectu actuali, sed potentiali, ex indigentia actualiter intelligendi. Verbum verò increatum realiter & perfectissimè productum à Deo dicente per intellectum purissimè actualem non ex aliqua intelligendi indigentia, sed ex fœcunditate communicandi infinitam suam naturam, non potest non esse subsistens persona eiusdem essentiæ cum dicente. Persona autem intelligens non intelligit formaliter per aliam personam realiter à se distinctam; sed potest intelligere formaliter per accidens immanens, & informans: & si verbum supponitur produci à dicente, vt actu & formaliter intelligente, prius prioritate originis & rationis, quam producatur verbum, is qui illud producit, præsupponitur formaliter intelligens; ergo non potest concipi fieri formaliter intelligens per verbum à se productum. Qua in re acutè distinguit Capreolus cum S. Thoma 1. d. 27. q. 2. art. 2. ad 4. *Quòd licet Pater non intelligat formaliter per Filium, tamquam per speciem, vel medium cognoscendi; tamen conceditur, quòd Pater intelligit in Filio se ipsum, & omnia alia, in quantum videt, Filium suum esse similitudinem suam & omnium aliorum. quamuis enim se ipsum videat in se, & omnia alia, tamen omnia potest videre in Filio, & se ipsum: sicut & se ipsum videre potest in creatura, in quantum ipsum creatura repræsentat, quamuis imperfectè.*

S. Thomas.

24. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò, etiamsi in diuinis non daretur nisi vna persona, illa adhuc esset intelligens. ergo haberet verbum. Sicut enim in corporalibus est impossibile loqui sine voce, quæ est vocale verbum; ita in spiritualibus, atque adeo in Deo, est impossibile intelligere, & loqui intellectualiter absque mentali Verbo. Sed data tali hypothesi, hoc verbum in Deo esset essentiale, non personale. Ergo verbum vt formaliter verbum, non habet dici tantum personaliter, sed potest etiam dici essentialiter.

Respondetur si esset vna tantùm diuina persona, non haberet Verbum.

Respondeo, negando primam consequentiam. Iam enim ostensum est, quòd verbum in integra sua essentiali ratione non solum importat actum intelligendi, qui solus sufficit ad hoc vt aliquis sit formaliter intelligens; sed importat actum intelligendi productum ab intelligente. In probatione autem consequentiæ, quamuis rectè comparetur loqui intellectualiter cum loqui corporaliter, ita vt sicut hoc esse non potest sine verbo vocali, ita nec illud sine

sine verbo mentali; tamen insufficienter comparatur intelligere cum loqui corporaliter. Differunt enim intelligere, & loqui, seu dicere intellectualiter; quoniam dicere, & loqui intellectualiter est intelligere procedens ab intelligente, quod intelligere vocatur propriè verbum mentale, sicut vox producta à loquente corporeo, vocatur propriè verbum vocale; intelligere verò, simpliciter & absolutè consideratum, huiusmodi processionem non inuoluit, vt patet in natura diuina, quæ etiam vt præcisa ab omnibus personis, est essentialiter intelligens. In Deo igitur si esset vna persona, daretur essentiale, & absolutum intelligere prorsus improductum; & ideo nullum daretur verbum, nec essentiale, nec personale. Hanc differentiam inter dicere & intelligere tradit S.Thomas de veritate q.4. art.2.ad 5 etiam de facto docens, quòd dicere tam in nobis, quam in Deo, *non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est, ex se exprimere aliquam conceptionem.* Hanc etiam communem rationem non habent intelligere nostrum, & intelligere Dei. Enim verò quia nos, inquit, *non aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, ideo omne intelligere in nobis, propriè loquendo est dicere. Sed Deus potest intelligere sine hoc, quòd aliquid ex ipso procedat secundum rem, quia in eo idem est intellectus, & intellectum, & intelligere, quod in nobis non accidit; & ideo non omne intelligere in Deo, propriè loquendo dicitur dicere.* Igitur dicere, est formaliter per habitudinem ad terminum productum, siue vt loquitur S.Thomas hic ad 3. *Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum: sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.* Intelligere vero est formaliter per habitudinem ad obiectum, siue vt ibidem loquitur S.Thomas *importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam: in qua nulla ratio originis importatur.* Quamobrem de Anselmo dicente in Monologio, *Sicut Pater est intelligens, & Filius est intelligens, & Spiritus sanctus intelligens, & tamen non sunt tres intelligentes, sed vnus intelligens; ita Pater est dicens, & Filius est dicens, & Spiritus est dicens, & tamen non sunt tres dicentes, sed vnus dicens:* ait S.Thomas suprà de Veritate ad 4. *Quòd in hoc videtur contrariari Anselmus sibi ipsi. Dicit enim quòd Verbum non dicitur nisi personaliter, & conuenit soli Filio, sed dicere conuenit tribus personis.* Quæ duo inuicem contrariantur, quia, inquit, *dicere nihil est aliud, quam ex se emittere verbum. Similiter ipsi Anselmo contrariatur Augustinus in 7. de Trinitate, vbi quòd non singulis in Trinitate est dicens, sed Pater verbo suo. Vnde sicut verbum propriè dictum, non dicitur nisi personaliter in diuinis, & conuenit soli Filio; ita & dicere soli Patri conuenit. Sed Anselmus accipit dicere, communiter,* & vt loquitur hic ad 3. *impropriè pro intelligere, & verbū propriè, & potuisset facere è conuerso, si placuisset ei.*

Differentia inter dicere, & intelligere, ex S.Thoma.

Exponitur Anselmus cap.60.

2 5. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò, quod sibi obiicit S.Thom. q.4. de Veritate art.2. argumento 3. Quidquid dicitur est verbum. Sed Pater dicit se ipsum, Filium, & Spiritum sanctum, vt dicit Augustinus lib.9. de Trinitate Ergo verbum tribus personis commune est. Ergo verbum essentialiter dicitur.

Respondetur explicando, quibus modis aliquid dicatur intelligendo.

Respondeo, si hoc argumentum haberet vim, nimis probaret, nimirum, ipsam etiam creaturam esse Verbum diuinum, quia, vt docet B.Thomas hic ad 3. Verbo, quod Pater intelligendo concipit, *non solum dicitur tota Trinitas, sed etiam omnis creatura*: quod infrà art.3. probabitur. Distinguenda igitur est Maior. Duobus enim modis aliquid intelligendo dicitur. Primo tamquam terminus expressus per actionem intelligendi, seu, quod idem est, tamquam res per intellectionem producta: & quod hoc modo dicitur, est propriè verbum, vt habetur in maiore; sed falsa est minor, quia hoc modo neque dicitur Pater, neque Spiritus sanctus, neque creatura, sed solus Filius; qui propterea solus est propriè Verbum Dei Patris; sicut solus Pater est dicens. Secundò tamquam obiectum intellectum per illum intelligendi actum per quem producitur verbum, seu, tamquam res intentionaliter repræsentata per Verbum, intelligendi actione productum: & hoc modo vera est maior, & falsa minor. Quamuis enim solus Pater dicat, hoc est, intelligendo exprimat Verbum suum; tamen quia hoc verbum exprimit intelligendo non solum Filium, qui est ipsummet Verbum, sed etiam se ipsum, & Spiritum sanctum, & omnem creaturam, quæ omnia etiam ipsum Verbum repræsentat, cum sit prorsus æquale suo principio, ideo hæc omnia in tali expressione dicuntur, hoc est, intelliguntur per illam intellectionem, per quam Verbum exprimitur. Vnde sequitur, vt docet S.Thomas hîc ad 3. *Quòd sicut, propriè loquendo, Verbum dicitur personaliter in diuinis, & non essentialiter; ita & dicere.* Nam vt ait Augustinus lib.7. de Trinitate c.1. aliquanto post principium, *Dicens illo coæterno Verbo non singulus intelligitur.* Contrà vero, inquit S.Thomas, *Dici, conuenit cuilibet personæ; dicitur enim non solum verbum, sed res quæ verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo vni soli personæ in diuinis conuenit dici eo modo, quo dicitur verbum eo vero modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ conuenit dici: Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia quæ eius scientia continentur concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.*

S.Thomas.

Augustinus.

2 6. *Obiicitur 6. Damascenus.*

Obiicies sextò Damascenum lib.1. Fidei c.6. paulò post principium. Verbum Dei vocantem, *Verbum subsistens, viuens, absolutum,* &c. Quod autem in diuinis est absolutum, est essentiale, non personale. Ergo Verbum propriè in diuinis dicitur essentialiter, non personaliter.

Respon. detur.

Respondeo, Verbum Dei dici à Damasceno absolutum, non à respectu, sed ab imperfectione ac diminutione. Quod magis explicauit Athanasius orat. 2. contra Arianos inter medium & finem dicens, *Verbum, vtpotè perfectum & absolutum, nullius rei indigum est.* Et in oratione, qua docet, Vnum esse Deū, multò post medium cum dixisset, *Verbum res absoluta est,* id declarans paulò post subiungit, *Verbum perfectum est, & sua hypostasi absolutum, neutiquam opus habuit carne, vt Deus perfectus esset.* In eodem sensu, quo accipitur absolutum pro perfecto, dixit Hilarius lib.12. de Trinitate columna antepenultima quòd Natiuitas Filij Dei, *absoluta generatio est*: quam paulò ante vocauerat perfectam generationem.

Athanasius.

Hilarius.

ARTICVLVS II.

Utrùm Verbum sit proprium nomen Filij.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Verbum non sit proprium, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Quid in Filio importetur principalius nomine Verbi, num.1. ad 9.*
2. *An Relatio Verbi sit ipsa filiatio Filij Dei, n.9. ad finem articuli.*

PArs affirmatiua, & authoritatibus, & rationibus, sufficiēter probata remanet ex articulo præcedente:

præcedente: vbi exactè probari non potuit, Verbum, prout propriè dicitur in diuinis secundum se, dici personaliter, non essentialiter, nisi probaretur, dici personaliter de vna tantum determinata Filij persona. Vnde euidenter sequitur conclusio affirmatiua huius secundi articuli, nempè, Verbi nomen, prout propriè dicitur in diuinis secundum se, esse propriissimum personæ Filij Dei. De aliis vero difficultatibus annexis sit

DVBITATIO I.

Quid in Filio importetur formalius, & principalius nomine Verbi.

SVMMA.

1. *Nomine Verbi importari essentialiter, & simpliciter sapientiam & generationem, num.1.*
2. *Sed principalius, & formalius importari generationem, num.2. ad 5.*
3. *Nomine Verbi importari relationem ad Patrem, & qua ratione, num.5. ad 9.*

1. *Importari essentialiter & simpliciter sapientiam & generationem.* Augustin.

PRima conclusio. Certum est, importari essentialiter & simpliciter duo, scilicet sapientiam, & passiuam processionem, seu communicationem huius sapientiæ ab intellectu Dei Patris. Hoc expresse docuit Augustinus l.7. de Trinitate c.2. paulò post principium; *Id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia.* Et quidem quòd importetur sapientia omnes concedunt, etiam Durandus supra, qui num. suo 3. ita benè sumit, *Verbum est aliquid pertinens ad intellectum, vt intelligens est intellectione expressa & perfecta*; quam in Deo, ob summam eius præstantiam, vocamus sapientiam. Et ideo S.Thomas supra quæst.27. art.1. dixit, *quòd format Verbum quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit.* Quod autem importetur processio prædicta, nemo negat nisi solus Durandus, sufficienter impugnatus articulo præcedente, num.20. & præcipua impugnatio sumi potest ex eo quod negat, quia certissima veritas est, in superioribus abunde probata, Deum præcisè à suis personalitatibus consideratum, non esse Verbum; & nihilominus esse intelligentem & sapientem. Ergo sola sapientia non complet rationem Verbi. Ergo vt intelligatur habere rationem essentialem Verbi, intelligi debet vt sapientia nata, & passiuè procedens ab intellectu diuino.

S.Thomas.

2. *Importari principalius generationē.*

Secunda conclusio. Ex his duobus essentialiter importatis in Filio nomine Verbi, formalius & principalius importatur esse natam, quam esse sapientiam. Hoc significauit Augustinus supra qui tradens integrum Verbi significatum, primo loco posuit, *nata*, secundo *sapientia*, *Verbum*, inquit, *dicitur nata sapientia*, & non dixit, *sapientia nata*; indicans, ex vi nominis Verbi primariò significari rationem natiuitatis, secundariò rationem sapientiæ. Augustinum imitatus Thomas 4. cont.gent. cap.12. post medium ait, *Ipsum Dei Verbum, tanquam sapienter mente diuina conceptum, propriè concepta seu genita sapientia dicitur.* Et ideo hîc in corpore docuit, *quòd Verbum, propriè dictum in diuinis, significat quandam emanationem intellectus.*

3. Probatur primo aliis expressionibus Sanctorum testimoniis, allatis supra art.1. à num.16. ad 21. qui formalitatem Verbi, qua Verbum constituitur in ratione formali Verbi, explicant per processionem, non per sapientiam. Constat autem vniuersaliter, nomine alicuius rei totalis significari formalius & principalius partem illam, qua res constituitur in esse formali talis rei: sicut homo significat primariò rationalitatem, album albedinem, & sic de aliis; quia homo habet esse formale hominis per rationalitatem, album habet per albedinem formale esse albi. Itaque Athanasius dicit, *Eo ipso quo Verbum, est Filius.* Sed Filius in eo quòd est filius, est genitus. Ergo Verbum, eo ipso quo est Verbum, est genitum. Contra etiam dicit Athanasius, *Filius eo ipso quo est Filius, & genitus, est Verbum.* sicut etiam Augustinus, *Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Et multò clarius idem Augustinus, cum docuisset, Verbum nihil aliud significare nisi natam sapientiam, subiunxit, *Hæc duo cum dicuntur, id est, nata sapientia, in vno eorum, eo quòd nata est, Verbum intelligitur.* Distinctissime asseruit, Verbum intelligi vt Verbum, & consequenter esse re ipsa formaliter Verbum, non ex eo quod sit sapientia, sed ex eo quòd sit natum. Ex eodem Augustino, *Verbum*, nimirum vt formaliter Verbum, *dicitur relatiuè ad Patrem.* Sed sapientia est quid absolutum, non relatiuum. Ergo Verbum vt formaliter Verbum non importat sapientiam. Ergo importat processionem sapientiæ à Patre per generationem. Egregiè Basilius, *Cur Verbum? Vt quòd ex mente procedit, ostendatur.* Idem Athanasius definit, *Verbum esse eius, qui loquitur, partum.* Et Dionysius Alexandrinus, *Verbum promanationem mentis nominari conuenit.* Et Cyrillus, *Filius appellatur Verbum, quoniam ex intellectu immediate est.* Præterea Ambr. l.4. fidei cap.4. multò post medium concedit Arianis, *Verbum Patris Filium, ideo genitum & natum dici, quia Verbum est.* Anselmus in Monologio cap.46. post medium, *Verbum congruè intelligitur proles.* Nomen autem prolis, natiuitatem & generationem expressè ac primario significat. Quod deinde apertius docuit c.53. paulò post principium, *Verbum mox vt consideratur, se prolem esse eius, à quo est, euidentissimè probat.* Isidorus l.2. de differentiis, cap.5. circa medium, *Verbum est Filius Dei, quia propriè diuino ore processit.* Theodotus Ancyræ Episcopus, hom.2. de Natali Seruatoris circa medium, & habetur tomo 6. Concilij Ephesini cap.10. *Dum Scriptura Verbum nominat solam natiuitatis ipsius impatibilitatem per hoc insinuat.* Et paulo post, *Ideo hunc Dei Filium, Verbum nominat, natiuitatis impatibilitatem nomine hoc exprimens.* Et rursus, *Generationis itaque impatibilitatem, Verbum significat; consubstantialitatem Filius indicat.*

Athanasius.

Augustinus.

Dionysius Alexandrin.

Cyrillus.

Ambrosius.

Anselmus.

Isidorus.

Theodotus.

4. *Ratio conclusionis.*

Probatur secundo ratione, quia intellecta sapientia simpliciter, non intelligitur Verbum; si hæc sapientia intelligatur vt nata & procedens, statim intelligitur Verbum: sicut intellecto corpore, non intelligitur album; sed si corpus intelligatur vt informatum albedine, statim intelligitur albū. Ergo sicut album in ratione formali albi constituitur per albedinem, & consequenter, albi nomen formalius & principalius importat albedinem; ita Verbum in ratione formali Verbi cōstituitur per processionem ab intellectu, & consequenter, Verbi nomen formalius ac principalius importat processionem. Confirmatur primo, quia cum nomen sapientiæ non significet Verbum, sapientes imponentes aliud Verbi nomen, voluerunt primariò & expressè significare nomine Verbi, quod non significabatur nomine sapientiæ. Hoc autem non est ratio sapientiæ, sed ratio natiuitatis supra sapientiam. Confirmatur secundo, quia Verbum vt formaliter Verbum dicitur persona iter; sed sapientia vt formaliter sapientia, non dicitur personaliter. Ergo Verbum vt formaliter Verbum non importat sapientiam. Ergo importat processionem sapientiæ. Confirmatur tertio, Verbum, ex vi & forma vocabuli, idem est ac, loquutum à loquente, seu dictum à dicente. Ergo directè & expressè importat loquutionem, ac dictionem.

Tertia

5. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio. Nomen Verbi, formalius ac principalius importat in Filio relationem ad Patrem, non tamen secundum explicitum conceptum relationis, sed secundum explicitum conceptum passiuæ emanationis, quæ in diuinis si non est ipsa relatio, certè non est sine relatione, vt infrà in proprio loco probabitur, cum agetur de actibus notionalibus. Hanc conclusionem ita distinctè posui, vt conciliarem diuersa dicta Patrum, & Scholasticorum: Patres enim Verbum vt verbum modo explicant per processionem, modo per relationem. S. Thomas. Thomas etiam articulo sequente ad 4. dicit, *Nomen Verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem.* Sed antea in 1. sent. d. 27. quæst. 2. art. 2. ante medium corporis scripserat, *Hoc nomen, Verbum ex virtute vocabuli, non significat tantum relationem, sicut hoc nomen Pater, vel Filius; sed rem absolutam simul cum respectu.* Et quæst. 4. de Veritate art. 5. post medium corp. cuius loci dicta probat Capreolus 1. d. 27. q. 2. art. 1. conclusione 5. *Hoc nomen, Verbum, imponitur ad significandum aliquid absolutum, cum aliquo respectu adiuncto.* Quod in summa verbis citatis retractatum fuisse putat Caietanus articulo sequenti ad 4.

6. *Verbo importari relationem.* Probo primò importari relationem ad Patrem dicentem, primo ex conclusione præcedente, qua probatum est importari passiuam generationem, & natiuitatem à Patre intelligente. Sed hæc processio, vel est relatio, vel essentialiter inuoluit relationem ad Patrem; quoniam realis processio vnius ab alio, esse non potest sine reali distinctione, quæ in diuinis haberi non potest nisi per relationem, vt noh semel in superioribus ostensum est. Secundò ex communissima sententia Patrum expresse docentium, Verbum esse relatiuum, illúdque explicantium Athanasius. vt relatiuum. Athanasius suprà art. 1. n. 17. *Eo ipso quo Verbum, Patris sui est Filius: & Filius, Verbum est Patris, eiúsque sapientia.* Quæ verba, vt patet, non verificarentur, nisi Verbum vt verbum referretur ad Augustinus. Patrem. Quod videtur Augustinus declarare voluisse lib. 7. de Trinitate cap. 2. initio. cum enim dixisset, *Sicut Filius ad Patrem refertur, ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum;* statim adiecit, id probans sumpto Athanasij principio, *Eo quippe Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Nyssenus. Nyssenus oratione catechetica c. 1. inter medium, & finem, *Hoc Verbum, est aliquo modo ex iis, quæ dicuntur relata ad aliquid.* Dicit, *aliquo modo*, non ad minuendam veritatem ac proprietatem relatiui, sed ad indicandam diuersitatem à relatiuis creatis & finitis. Vnde veritatem ac proprietatem relatiui statim probat, subiungens, *Quandoquidem oportet omnino cum Verbo, etiam Verbi Patrem subaudiri. Non enim esset Verbum, si non esset Verbum alicuius.* Augustinus suprà art. 1. num. 17. *Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Et clarissimè num. 18. *Dicitur relatiuè Filius, relatiuè dicitur & Verbum, & Imago: & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* Et lib. 7. de Trinitate cap. 3. aliquantò post principium, *Verbum relatiuè dicitur, sicut Filius.* Anselmus. Anselmus in Monologio cap. 37. fine, *Verbum. hoc ipsum, quod Verbum est, aut Imago, ad alterum est; quia non nisi alicuius Verbum est, aut Imago.* Nazianzen. Idem fine dubio supponunt Nazianzenus oratione 4. de Theologia non longè à fine docens, Filium Dei dici sermonem, *quoniam ita se habet ad Patrem, vt ad mentem sermo.* Basilius. Et Basilius lib. 5. contra Eunomium aliquantò post medium, illis verbis, *Pater, Filij genitor; vt mens, Verbi pater.* Athanasius. Et Athanasius de Decretis Nicænæ Synodi propè medium dum docet, *Deum loquentem, Verbi sui Patrem esse.* Et paulò post iterum, *Deus Verbi Pater est.* Et non longè à fine, *Patris nomen pronunciantes, agnoscimus quoque sub hoc nomine etiam Verbum, quod in Patre est, contineri.*

7. *Qua ratione Verbum importet relationem.* Probo 2. Verbum diuinum in formali ratione Verbi constitui per relationem, non secundum explicitum conceptum relationis, sed secundum explicitum conceptum passiuæ emanationis à Patre dicente, primò ex Augustino suprà num. 3. docente, Augustinus. quòd Verbi nomine nihil aliud importatur nisi *nata sapientia*: addítque, quòd Scholasticis terminis acutissimè vsurpatis, rem euidenter explicat. Quòd cum Verbum dicitur *nata sapientia*, formalis ratio constitutiua Verbi non intelligitur in vtroque termino, nam quod sit sapientia, ad Verbum materialiter pertinet, sed solum, inquit, *in vno rerum, eo quòd nata est, Verbum intelligitur.* At vero natum, vt formaliter natum, importat quidem implicitè in diuinis relationem Filij ad Patrem; tamen explicitè importat natiuitatem, & generationem passiuam personæ genitæ à persona generante. Cum dixi, Natum importare implicitè relationem, limitaui *in diuinis*; quia in creaturis, vbi filij relatio non constituit, & distinguit personam genitam à persona generante, sed accidentaliter aduenit, & inhæret personæ aliunde constitutæ ac distinctæ, esse natum, nullo modo inuoluit in intrinseco suo conceptu relationem, neque explicitè, neque etiam implicitè; sed est proximum relationis fundamentum, omnino antecedens totum realem conceptum relationis. Vnde ad idem probandum arguo 2. quia esse verbum, vt est quid analogicè commune increato Verbo, & verbis creatis, sufficienter intelligitur per esse aliquid productum à mente. Sed totum hoc explicitè intelligitur per entitatem termini producti, quæ non est necessario relatiua; & per productionem, quæ vt explicitè productio est, non est explicitè, & formaliter relatio prædicamentalis, seu quasi prædicamentalis, de qua tantum nunc loquimur; sed est processio, quæ in diuinis, non in humanis implicitè relationem includit. Ergo Verbi diuini ratio formalis & completa, habetur per explicitum conceptum processionis ab intellectu includentis implicitè relationem filiationis ad Patrem. Quamobrem ita puto esse distinguendum ratione in diuinis Verbum simpliciter, à Verbo cum prædicamentali relatione Verbi explicitè concepta, & significata aliquo nomine, quod adhuc non habemus, sed pro nunc dicatur Filius, sicut distinguitur Genitum à Filio: hæc enim differunt solum quia genitus est filius sub explicita ratione emanationis à Patre generante; Filius vero est ipsemet genitus, sed conceptus sub alia explicita ratione relationis ad Patrem. Ita pariter Verbum diuinum, vt sic, est ipsemet Filius, conceptus non sub explicita ratione Filij ad Patrem vt formaliter Patrem, sed sub explicita ratione dicti à Patre vt formaliter dicente; quæ est ratio explicita processionis, inuoluens implicitè relationem. Filius verò est ipsummet Verbum sub explicita ratione relationis ad Patrem dicentem, non sub explicita ratione dicti à Patre dicente.

8. Præterea eodem modo arguere possumus tertiò ex dictis aliorum Patrum suprà num. 3. Basilius quæ- Basilius. rit, quam ob causam Filius Dei denominetur propriè Verbum, *Cur*, inquit, *Verbum?* & respondet processionem ex mente, non relationem ad mentem, dicens, *Vt quòd ex mente procedit ostendatur.* Athanasius. Athanasius definit, *Verbum esse eius, qui loquitur, partum.* Partus autem explicitè ad processionem, non ad relationem pertinet. Proceſſionem quoque exprimit Dionysius Alexandrinus. Verbum definiens *promanationem mentis.* Dionysius Alexandrin. Clarius Cyrillus, eamdem processionem dixit esse formalem rationem, qua Verbum est formaliter verbum, per istam causalem, *Filius appellatur*

appellatur Verbum, quoniam ex intellectu immediate est. Ambrosius. Clarissimè Ambrosius docens, *Verbum, Patris Filium, ideo genitum, & natum dici, quia Verbum est.* Item Isidorus, *Filius est Verbum, quia propriè ex diuino ore processit.* Isidorus. Anselmus etiam, Verbum explicat per *esse prolem:* & Theodotus per *solam natiuitatis & generationis impatibilitatem.* Anselmus. Conceptus igitur communis sapientum est, nomine Verbi in diuinis, quod quidem relationi esse docent, significari explicitè processionem, & implicitè relationem, in quantum processio diuina in suo intrinseco conceptu relationem includit. Theodotus. Quod confirmo 4. à priori; quia sicut in creaturis, prius, saltem natura, est, Verbum dici, hoc est, procedere à mente si fuerit mentale, vel procedere ab ore si fuerit vocale, quam Verbum dictum referri ad dicentem, tamquam effectum ad causam: ita in Verbo diuino, quod etiam verè & realiter procedit à mente, & ad mentem refertur, prius ratione ratiocinata, & fundata in his distinctis creaturarum conceptibus, esse debet, illud procedere à mente diuina, quam ad diuinam mentem referri: qui duo conceptus etsi ne ratione quidem distingui perfectè possint, tamen benè intelligi possunt distincti ratione imperfecta per explicitum & implicitum; quo modo prius ratione ratiocinata explicita est, Verbum realiter à mente procedere & dici, quam Verbum iam dictum referri realiter ad mentem, quæ illud dixit. Sed in illo priori rationis, quo explicitè intelligitur partus diuinæ mentis vt terminans eius dictionem, intelligitur sufficienter tota ratio Verbi, in quantum Verbi, formaliter; ergo Verbum diuinum, in sua formali ratione Verbi, non completur per explicitum conceptum relatiui ad mentem, sed per alium priorem explicitum conceptum procedentis, siue emanantis à mente ab eáque expressi.

DVBITATIO II.

An relatio importata a nomine Verbi sit ipsa filiatio Filij Dei.

SVMMA.

1 *Pars affirmatiua probatur authoritate, & ratione. num. 9. & 10.*
2 *Explicatur quomodo vna simplex relatio esse possit Filij & Verbi. n. 11. & 12.*

9. *Probatur pars affirmatiua.* PRima conclusio simpliciter affirmatiua S. Thomæ hic ad 3. illis verbis, *In nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij.* Idem sentiunt reliqui omnes & veteres, & recentiores. Quod formalibus & reduplicatiuis terminis scholasticè docuerunt Athanasius & Augustinus supra art. 1. Athanasius. n. 17. *Eo ipso*, inquit Athanasius, *quo Verbum, Patris sui est Filius, & Filius, Verbum est Patris:* addítque, quod maximum huic veritati pondus affert, id haberi *ex sacris litteris.* Augustinus. Augustinus similiter, *eo quippe Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Vbi loquitur de formalitate relationis; quia hoc principium, vt notaui supra num. 6. assumpsit vt probaret, quòd *sicut Filius ad Patrem refertur, ita & Verbum.* Ergo ex hac connexione euidens est, velle Augustinum prædicto principio docere, quòd ea relatione qua Verbum habet esse formaliter Verbum, eadem Filium habere vt sit formaliter Filius. Ergo in Verbo & Filio Dei per ordinem ad Patrem, respectu cuius & est Verbum, & est Filius, non sunt duæ relationes, sed vna simplicissima relatio. Præterea ex Augustino suprà num. 3. *nata sapientia, eo quòd nata est, Verbum intelligitur.* Sed relatio nati in Filio non est alia nisi

filiatio. Ergo hæc etiam est relatio Verbi. Adde, eumdem Augustinum, Athanasium, Nyssenum, Nazianzenum, Basilium suprà num. 6. docere, Verbum per suam relationem referri ad Patrem. Sed in Filio Dei, qui solus est Verbum, nulla alia relatio ad Patrem est, nisi Filiatio, alioquin relationes essent plures quam quatuor, contra doctrinam probatam supra q. 28. art. 4. Ergo eadem omnino est Verbi, & Filij relatio. Quam ob causam dixit Hilarius l. 7. de Hilarius. Trinit. inter principium & medium, *Verbi appellatio in Dei Filio de sacramento natiuitatis est.*

10. *Ratio conclusionis.* Ratio à priori colligitur ex responsione ad 1. & fundatur in sententia latissimè probata supra q. 4. art. 2. & q. 27. art. 2. quòd secunda persona ideo est Filius, & genitus, quia ex vi formali suæ processionis accipit essentiam ipsam Dei Patris, accipiendo vltimum ac formale illius essentiæ quasi constitutiuum, & specificatiuum, quod est ipsum actuale ac purissimum intelligere Dei: quia, inquit S. Thomas hic S. Thomas. ad 1. *Esse Dei est ipsum eius intelligere. Vnde Verbum Dei non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis effectus eius, sed pertinet ad ipsam naturam eius. Et ideo oportet, quod sit aliquid subsistens; quia quidquid est in natura Dei, subsistit.* Hinc ita arguo. Filius ideo formaliter per filiationem refertur ad suum principiũ, quia ab eo ex vi formali processionis accipit intelligere. Sed Verbum personale, nulla alia formali ratione vt Verbum formaliter refertur ad suum principium, nisi quia ab eo ex vi formali processionis accipit intelligere. Ergo eadem formali relatione per quam secunda persona refertur vt Filius, refertur etiam vt Verbum; & actiuum principium à quo procedit Filius Verbum, per eamdem relationem paternitatis, qua respicit Filium à se genitum, respicit Verbum à se dictum, & expressum; quia respectu vtriusque se habet formaliter per communicationem eiusdem suæ sapientiæ: nam ex eo præcisè, quòd ex formali vi productionis communicat sapientiam, producit Filium: & ex hoc ipso formalissime etiam producit Verbum. Atque hic est sensus clarius explicatus verborum Athanasij & Augustini suprà. *Eo Filius, quo Verbũ, eo Verbum, quo Filius.*

11. *Quomodo vna simplex relatio sit Filij & Verbi.* Secunda conclusio. Eadem simplicissima, & formalissima relatio Filij Verbi, sub diuersa formalitate, non ratione, sed rationis imperfectæ per explicitum, & implicitum, est relatio Filij, & relatio Verbi. Explicatur, & simul probatur conclusio. Intelligere Dei potest explicitè considerari duobus modis, & in vtroque modo numquam præscinditur, saltem implicitè, ab ipso intelligere. Vno modo vt ipsa natura Dei, siue vt constitutiuum essentiæ diuinæ, quo modo consideratur intelligere per habitudinem ad Deum, tamquam ad quasi subiectum. Alio modo vt intelligere, siue vt actus intentionaliter repræsentatiuus Dei, & diuinarum personarum, & creaturarum omnium; quo modo consideratur per habitudinem ad Deum, tamquam ad obiectum. Item duobus modis considerari potest productio Filij Verbi, qua formaliter communicatur diuinum intelligere. Vno modo vt terminata ad intelligere sub explicito conceptu naturæ; quo modo denominatur generatio Filij. Alio modo vt terminata ad intelligere sub alio explicito conceptu repræsentatiui intentionalis; quo modo denominatur dictio Verbi. Ex his conclusio facilè probatur. Eadem relatio Filij Verbi si explicitè consideretur terminari ad Patrem, seu potius primam personam, vt generantem, & communicantem intelligere vt natura, dicitur filiatio, & respicere illam primam personam vt formaliter Patrem. Si verò consideretur terminari ad eamdem primam personam vt dicentem, & communicãtem, idem intelligere vt actualem & intentionalem repræsentationem, dicitur relatio Verbi, & respicere

eandem primam personam vt correlatiuam relationis Verbi: quæ persona vt taliter correlatiua, & ipsa Verbi relatio, non habuerunt vnum aliquod peculiare nomen, quo propriè significarentur; sicut relatio geniti, dicta est propriè filiatio, eiúsque correlatio propriè dicta est paternitas, vnde Filius & Pater. Sed terminari ad Patrem vt generantem, seu communicantem intelligere vt naturam; & terminari ad eundem Patrem, vt dicentem, seu communicantem intelligere vt repræsentationem intentionalem, sunt aliquo modo diuersæ formalitates; non rei, quoniam in re non est nisi vna relatio ad vnum terminum; non rationis perfectè præscindentis, quia Pater siue consideretur, vt generans, siue vt dicens, non potest non considerari, saltem implicitè, vt intelligens; quia non aliter generat, nec aliter dici nisi intelligendo: & ideo cum explicitè consideratur vt generans, consideratur necessario implicitè vt dicens; & è contrario, cum consideratur explicitè vt dicens, consideratur necessario implicitè vt generans. Ergo sunt diuersæ formalitates rationis imperfectæ, præscindentis idem à se ipso per explicitam & implicitam eiusdem conceptionem. Solum igitur hoc infimo diuersitatis modo, relatio Filij, & relatio Verbi, dici possunt diuersæ formaliter relationes; nimirum non secundum rem, neque secundum rationem perfectè præscindentem duo, quorum alterum in altero simpliciter non concipiatur, sed secundum rationem præscindentem imperfectè, hoc est, considerantem duo, quorum alterum implicitè concipiatur, in altero explicitè concepto.

12. Hæc infima distinctio in genere distinctionis rationis ratiocinatæ, satis est vt intelligamus rectè prædicari à sanctis Doctoribus diuersas proprietates de Filio, & de Verbo, v.g. Athanasius oratione 2. contra Arianos, aliquanto ante medium, *Scriptura*, inquit, *Filium eum ea de causa appellauit, naturalem & verum Patris substantiæ fœtum declararet. Sed tamen ne quis humanitus aliquid editum, genitúmque intelligeret, Verbum illum, & sapientiam, & splendorem nominauit. Ex illis enim vocabulis impatibilitatem in gignendo, æternitatem item, & decorum illud, quod in Deum conueniat, cogitatione apprehendimus.* Nazianzenus oratione 4. de Theologia aliquantò ante finem, *Filius mihi dici videtur, quia essentia idem est cum Patre; tum etiam quia ex illo est:* nimirum, ex vi formali suæ processionis recipit eamdem essentiam quam habet principium à quo procedit: alioquin etiam Spiritus sanctus, qui non est filius, est essentia idem cum Patre, & à Patre est. *Verbum porrò, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem; non modo propter generationem, passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimque enunciatricem. Fortasse etiam, quia eodem modo se habet ad Patrem, quo definitio ad definitum: nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filiũ cognouit, ait Christus (hoc enim significat illud, Qui vidit) Patrem quoque cognouit; ac breuis, & compendiosa, faciliúsque paternæ substantiæ declaratio est Filius.* Ambrosius l. 1. de Fide c. 2. aliquanto post principium, *Verbum dicitur, Filius dicitur, Dei virtus, dicitur Dei sapientia Verbum, quia immaculatus; virtus, quia perfectus; Filius, quia genitus ex Patre; sapientia, quia vnum cum Patre, vnum æternitate, vnum Diuinitate.* Cyrillus l. 1. Thesauri c. 5. multo ante finem. *Nam quia ex ipso est, Filius vocatur: quia verò in ipso, sapientia, & Verbum.* Theodotus supra n. 3. *Generationis impatibilitatem, Verbum significat: consubstantialitatem Filiu indicat.* Demum Thomas hic ad 3. *Ipsa natiuitas Filij, quæ est proprietas personalis eius, diuersis nominibus significatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendum diuersimodè perfectionem eius. Nam vt ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; vt ostendatur coæternus, dicitur splendor; vt ostendatur omnino similis, dicitur Imago; vt ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Non autem potuit vnum nomen inueniri, per quod omnia ista designarent.*

Athanasius. Nazianzen. Ioann. 14. Ambrosius. Cyrillus. Theodotus. Thomas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd in nomine Verbi non importetur, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Exponitur initio materia & ordo dicendorum.*
2. *An in Verbi diuini productione plures dentur essentiales intelligendi actus, n. 1. ad 8.*
3. *An in Patre distingui ratione possit duplex intelligere, essentiale, & notionale, n 8. ad 15.*
4. *Quid sint Dicere, & Dici in diuinis, n. 15. ad 24.*
5. *An Verbum per se procedat ex cognitione solius essentiæ, n. 24. ad 32.*
6. *An Verbum procedat ex cognitione omnium diuinarum personarum, n. 32. ad 49.*
7. *An Verbum per se procedat ex cognitione possibilium, n. 49. ad 61.*
8. *An Verbum procedat ex cognitione futurorum, n. 61. ad finem quæstionis.*

Materia, & ordo dicendorum.

EX Fidei doctrina cõstat, Verbum Dei, à Patre procedere per cognitionem. In cognitione vero duo possunt distinctè considerari, & ipsemet cognitionis actus secundum se, & obiectum ipsius. Hinc multæ & graues difficultates exortæ sunt, pertinentes partim ad actum cognitionis, quæ parit Verbum; partim ad obiectum, ex cuius cognitione Verbũ procedit: quas S. Thomas in hac quæstione & in toto hoc opere de Trinitate breuissime tetigit, vel etiam omnino omisit; quoniam diuersa aliorum Doctorum inter se dissidentium ingenia, post eius tempora huiusmodi controuersias excitarunt: quæ nostri etiam seculi Magistros varias in partes traxerunt. Proponam prius dubitationes pertinentes ad actum, tum alias pertinentes ad obiectum. Nam quæ dici possent de respectibus Verbi Dei ad creaturas, An sint respectus rationis, An prædicamentales, An transcendentales; tum in 1. tomo q. 9. art. 1. n. 14. & q. 12. art. 8. n. 68. & q. 13. art. 7. n. 1. 2. & 5. in hoc 3. tomo q. 28. art. 1. & 4. sufficienter declarata sunt, tum in Philosophia, vbi iam proprium locum habent, vberius probata.

DVBITATIO I.

An in Verbi diuini productione plures dentur essentiales intelligendi actus.

SVMMA.

1. *Pars negatiua probatur contra Henricum, n. 1. ad 5.*
2. *In diuinis prius ratione intelligi obiectum, quàm produci Verbum, n. 5. & 6.*
3. *Patrem non intelligere Verbo, sed in Verbo, n. 7.*

Resp. negatiuè contra Henricum.

CONclusio negatiua omnium contra Henricum 2. p. summæ art. 54. q. 9. & 10. & multò obscurius quodlibeto 6. quæst. 1. ante medium corp. ponentem, vt magis se explicat citata quæstione 9. in fine corporis. *In Deo duos actus intelligendi, Patri essentiales, differentes sola ratione, quorum vterque completus est; & vnus declarationis, & manifestationis est; & hoc notitia quasi cogitatiua eius quod per alium actum cognitum est, quasi simplici intelligentia.* Inter hos duos intelligendi actus ponit dicere, *quod*, vt bene addit loquendo formaliter, *non est aliquod intelligere, sed est potius producere quoddam*: quòd videtur ponere esse immediate, & solum ab vno actu, quem vocat, *actum intelligendi simplicis notitiæ*, quo, inquit, *Deus cognoscit suam essentiam.* Et per hunc actum essentialem, & post productionem Verbi, & post ipsum Verbum productum, ponere videtur alium actum essentialem, quem vocat *cogitatiuum, vel quasi cogitatiuum* eius quod cognitum erat priori actu simplicis notitiæ producentis Verbum. Quam sententiam fusè refert, & contra Scotum defendit Carthusianus 1. d. 2. q. 6. post medium. Reliqui verò omnes meritò repudiarunt.

Et Carthusianum.

2. *Prima conclusionis ratio.*

Primò, quia non licet secundum rationem, rectè concipientem, distinguere in Deo duos essentiales, & absolutos actus intelligendi, nisi respectu diuersorum obiectorum, & considerando singulos actus vt inadæquatos, & quasi partiales; vt cum in Deo diuidimus scientiam in speculatiuam & practicam, in necessariam & liberam, in simplicis intelligentiæ & visionis; vel cum distinguimus eamdem scientiam simplicis intelligentiæ, vel visionis, in eam qua cognoscit v.g. Angelos, & in aliam qua cognoscit homines. Peto igitur ab Henrico, An prædicti duo actus essentiales habeant diuersum obiectum, vel idem obiectum. Non diuersum, tum quia prior illa simplex notitia, per quam vult produci Verbum, non cognosceret omne simpliciter cognoscibile; ergo non esset omnium perfectissima, & simpliciter infinita in genere cognitionis. Ergo non esset comprehensiua: & consequenter, Verbum Dei, per talem cognitionem expressum, non esset perfectissimum, nec haberet vim simpliciter infinitam repræsentãdi omne repræsentabile. Tum quia aliud diuersum obiectum fingi non potest, nisi ipsummet Verbum, & ipsamet simplex notitia; ita vt secundus actus cogitatiuus cognoscat totum quod cognoscebatur directè simplici notitia, sed hoc ipsum reflexè iterum cognoscat in Verbo vt cognitum per priorem simplicem notitiam, vt dicere videtur Henricus. Tunc autem & perperam concipitur in Deo cognitio reflexa distincta à directa, vt probaui in 1. tomo q. 4. art. 2. n. 74. & non vitatur proposita difficultas de imperfectione Verbi diuini; quia secunda cognitio reflexa haberet aliquam cognoscendi perfectionem qua careret directa cognitio; hæc enim ita cognosceret omnia, vt non cognosceret se ipsam; at reflexa cognosceret omnia simplicirer, etiam ipsam directam cognitionẽ. Ergo esset perfectior. Ergo in diuinis daretur aliqua cognitio essentialis omnium perfectissima, per quam non procederet Verbum Dei, sed per aliam minus perfectam; quod est manifestum inconueniens. Neque dici potest, esse idem obiectum vtriusque actus, quia tunc ratione distinguere duas diuinas cognitiones, absque vlla distinctione in obiecto cognoscibili, neque creato extra Deum, neque increato intra Deum, esset nõ solum inutile, sed vanum ac puerile.

3. *Secunda ratio.*

Secundò, sequeretur, non totum intellectum Dei Patris concurrere ad productionem sui Verbi personalis, quoniam actus ille intelligendi cogitatiuus, Deo essentialis, pertinet vtique ad intellectum Dei: & tamen productio Verbi ponitur ab Henrico ante hunc actum, media scilicet inter hunc & alium actum simplicis notitiæ. Ergo Verbũ expressum ab intellectu Dei Patris nõ posset ex vi formali suæ processionis in se ipso repræsentare totum intellectom essentialem Patris: quæ est sine dubio imperfectio tam intellectus exprimentis, quam Verbi expressi. Et quidem si semel admittitur, non per quemlibet essentialem intelligendi actum produci Verbum Dei, difficile erit, ne dicam impossibile, defendere quòd non dentur in Deo plura Verba. Cur enim Verbum exprimet vnus actus essentialis intelligendi, & non alius?

4. *Tertia ratio.*

Tertiò, si Verbum produceretur per priorem intelligendi actum simplicis notitiæ, Filius Dei ex formali vi suæ propriæ processionis per intellectũ, non reciperet à Patre omnem essentialem intelligendi perfectionem, quam in superioribus probauimus esse vltimum constitutiuum essentiæ diuinæ. Ergo non reciperet totam, & integram, sed diminutam essentiam Patris. Ergo nõ esset Filius perfectus, & non procederet vt omnino similis Patri in natura intellectiua: nam ex Augustino suprà, *eo Filius quo Verbum*: ergo omnis imperfectio, seu diminutio, quæ ponitur in Verbo, in Filio etiã ponatur necesse est. Quartò, si per illam priorem simplicem essentiæ diuinæ notitiam expressiuam Verbi, non ponitur cognosci Verbum, quod Henricus cognosci vult per posteriorem actum cogitatiuum, iam Verbum non procederet ex cognitione omnium diuinarum personarum, nec consequenter ex cognitione Dei cõprehensiua, quod infrà dub. 4. & 5. impugnabitur. Imò difficillime intelligi potest, quo modo iste secundus actus cogitatiuus communicetur Filio à Patre: quia ante illum actum præsupponitur Verbum totaliter productum per priorem actum, & consequenter omnino expleta omnis processio à Patre respectu Filij. Postea verò qua ratione intelligi possit tam in Filio, quàm in ipso etiam Patre, absque vlla prorsus processione aduenire aliquid essentiale, non apparet: & ex terminis ipsis videtur absurdum, quòd scilicet in Patre & Filio prius ratione intelligantur esse actus notionales, posterius vero actus essentiales.

Quarta ratio.

5. Denique Henricus supponere videtur falsam sententiam impugnatam suprà q. 27. art. 1. à n. 250. de Verbo, quòd sit ipsum immediatum obiectum cognitum vt quod, siue vt in quo prius directè cognito cognoscantur reliqua omnia per Verbum repræsentata: ita vt, hanc vniuersalem sententiam applicando etiam ad diuina, multi ibidem relati dicant, Intellectum Dei Patris prius ratione terminari ad producendum Verbum, posterius vero ad cognoscẽdum in Verbo res omnes per Verbum repræsentatas, ac proinde diuinam Patris intellectionem prius ratione esse productionem termini, posterius intellectionem & apprehensionem obiecti. Quod quidẽ multò minus dici potest de intellectu diuino, quem ex alibi probatis suppono esse purissimum actum intelligendi; quam de intellectu creato qui est potentialis. Enim vero à potentia intellectiua, nihil actualiter intelligente, benè concipimus, primò & immediatè oriri puram quamdam actionem, qua præcisè nullum obiectum intelligatur, sed tantum producatur Verbum, vel vt in eo, vel potius vt eo intelligamus obiectum, vt loco citato pluribus ostendi. Ab intellectu autem diuino, quia est ipsemet actus intelligendi ac repræsentandi obiectum, est planè impossibile prius ratione oriri, & produci terminum, quam intelligi ac repræsentari obiectum: enim verò prius origine, & consequenter prius ratione ratiocinata est, id à quo procedit Verbum, quam processio Verbi, seu Verbum ipsum procedens; ergo si Verbũ procedit ab actuali intellectione, ac repræsentatione obiecti, apparet euidenter falsum asserere, hanc intellectionem prius ratione terminari ad Verbum vt terminum suæ productionis, quam ad obiectum vt terminum repræsentationis. Sicut enim, quia in nobis Verbum ab intellectu potentiali, habitudo potentialis

In diuinis prius ratione intelligi obiectum quam produci Verbum.

ad obiectum intelligibile præcedit productionem verbi nostri; ita quia in Deo Verbum procedit ab intellectu actuali, habitudo actualis ad obiectum intellectum debet necessario præcedere, saltem origine & ratione, productionem Verbi diuini.

6. *Confirmatur primò.*

Quod præterea confirmari potest primò ex authoritate omnium Patrum, & Scholasticorum, docentium, Verbum Dei procedere per intellectionem, & comprehensiuam visionem, qua Pater se ipsum perfectissimè cognoscit. In hac autem propositione ante processionem Verbi manifestè præsupponitur non solum intellectio Patris, sed etiam Pater cognitus, qui sine dubio est obiectum; ergo præsupponitur intellectio terminata ad obiectum. Neque satisfacit Torres quæst. 27. art. 1. disp. 5. parte 1. §. *Quibus omnibus*. concedens, Verbum produci *per rem quæ est actus intelligendi*: negans verò produci *per actum intelligendi formaliter: & quatenus actus intelligendi est. Verbum namque producitur*, inquit, *per actionem intellectus, vt ea est dicere, non autem vt est intelligere.* Neque enim concipere possumus actum intelligendi, qui nihil intelligat. Ergo si ante processionem Verbi procedit res quæ est actus intelligendi, nimirum aliquid, & non nihil, non potest non præcedere etiam aliquid intellectum, quod est actuale obiectum per actualem intellectionem actualiter intellectum. Ergo est euidenter inintelligibile, ante productionem Verbi præcedere rem, quæ est actus intelligendi, & non præcedere actum intelligendi terminatum ad obiectum. Præterea ego etiam concedo, quòd dicere Dei Patris, secundum id quod formaliter & præcisè addit suprà intelligere essentiale, non sit intelligere, sed actio intellectus terminata ad Verbum vt terminum productum. Verum, quod contendimus est, illum Dei intellectum, cuius actio est dicere, ac proinde, qui prioritate originis ac rationis antecedit, actionem dicendi, esse actum ipsum intelligendi obiectum. Videtur igitur omnino necessarium, prius ratione ratiocinata cum maximo fundamento in re, concipere intellectum diuinum terminatum ad obiectum apprehensum, quam ad terminum productum.

Resp. sio Torres, refertur & impugnatur.

7. *Confirmatur secundò.*

Secundò, intelligere terminatum ad obiectum, est commune Patri, Filio, & Spiritui sancto, ac proinde essentiale & absolutum: intelligere vero terminatum ad Verbum, quod est dicere, est proprium Patris, ac proinde personale & relatiuum. Omnium autem axioma est, quòd in diuinis, communia & absoluta, sunt secundum rationem priora propriis & relatiuis. Tertiò, Pater producendo Filium & Verbum, ex vi formali talis productionis communicat illi suum intelligere, & sapientiam suam, qua & se, & in se omnia comprehendit. Ergo hoc intelligere terminatum ad obiectum, est prius origine ac ratione in Patre, quam in Filio & Verbo. Ergo non potest concipi Pater, cum primum intelligere concipitur, intelligere in Verbo, & post dictum Verbum: sic enim conciperetur Pater intelligere non solum in Verbo, sed etiam ipso formaliter Verbo; & consequenter recipere potius intellectionem à Verbo suo producto, quam eam Verbo dare. Quod consequens grauiter prohibet S. Thomas 1. d. 27. q. 2. a. 2. ad 4. his verbis, *Nullo modo est concedendum, quòd Pater intelligat à Filio, vel quòd intelligat in Filio, sicut in obiecto, vel specie, quæ cognoscitur; quia hoc poneret, Filium habere aliquam rationem principij ad Patrem.* Vbi tamen concedit, quòd Pater intelligit etiam se, & omnia in Verbo & Filio, non tamquam in obiecto præsupposito, sed tamquam in termino à se producto, quem videt ex vi formali suæ processionis esse similitudinem & imaginem perfectissimam, tam in essendo, quàm in repræsentando, & sui, & rerum omnium, quæ in ipso siue formaliter, siue eminenter continentur. Quod satis distinctè explicasse, & docuisse videtur Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. circa medium, *Nouit omnia Deus Pater in se ipso, nouit & in Filio. Sed in se ipso, tamquam se ipsum; in Filio, tamquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso.* Non dicit, In Filio, tamquam obiectum suum primario cognitum; sed, *tamquam Verbum suum*, hoc est, à se expressum & productum, *sibi æquale per omnia*, vt ibidem loquitur Augustinus. Plura possent addi pertinentia ad Verbum creatum, præsertim de mente S. Thomæ: sed ea sufficienter expedita sunt suprà quæst. 27. art. 1. dub. 13. à num. 243. ad 274. & in tomo 1. quæst. 12. art. 2. Nihil etiam dicimus de productione amoris personalis per diuinam voluntatem, quia, vt ibidem quoque probaui, eadem prorsus ratio est in hoc de productione per intellectum, & de productione per voluntatem: quoniam, vt benè docet S. Thomas q. 9. de Potentia art. 9. circa medium corp. *Non est in Deo nisi vnum simplex intelligere, & vnum simplex velle; quia intelligendo essentiam suam, intelligit omnia; & volendo bonitatem suam, vult omnia quæ vult. Non est ergo nisi vnum Verbum, & vnus Amor in diuinis.* Quapropter omnia quæ hic dicimus de productione Verbi ab intellectu diuino, applicari facilè possunt productioni Amoris à diuina voluntate.

Pater non intelligere Verbo, sed in Verbo ex S. Thoma, & Augustino.

DVBITATIO II.

An in Deo Patre producente Verbum, distingui ratione possit duplex intelligere, alterum essentiale, alterum notionale.

SVMMA.

1. *Pars negatiua statuitur contra Scotum, & Molinam, num.* 8.
2. *Examinantur tria Scoti dicta, n.* 9.
3. *Argentinam, Marsilium, & Riccardum non esse contra conclusionem, num.* 10.
4. *Probatur conclusio quatuor rationibus, n.* 11. *ad* 15.

8. *Responderur negatiuè contra Scotum, & Molinam.*

CONclusio negatiua, cuius clarior sensus est, Ratione ratiocinata distingui rectè non posse in intellectu Dei Patris duos actus in ratione intelligendi, quorum vnus sit actus intelligendi essentialis, & nullius rei productio; alius verò sit etiam actus intelligendi, sed notionalis, ratione ratiocinata distinctus à primo, & ipsamet Verbi diuini productio. Ita omnes contra Scotum 1. d. 2. q. 7. §. *Obiicitur contra*. dum respondet ad 2. dubium. Vbi quamuis minus clarè loquatur, tamen huius conclusionis contrarium docere videtur illis verbis, *Ad eumdem actum primum, qui est memoria Patris, ordinem quemdam intelliguntur habere Intelligere, quod est operatio Patris; & Dicere, quod est producere Patris respectu notitiæ genitæ: non talem tamen ordinem, quòd Intelligere Patris sit causa, vel principium elicitiuum Dicere Verbi; sed quòd immediatius Intelligere sit quasi productum à memoria Patris, quam Dicere, vel quam Verbum sit productum ab eodem. Est igitur ibi tantum ordo quasi producti ad productum, respectu eiusdem principij communis ad quasi productum, & verè productum.* Hanc sententiam diligenter refert Molina suprà q. 27. art. 1. disp. 8. membro 2. post medium in §. *Verum tamen.* & in fine ita censet, *Opinio hæc Scoti de duplici actu intellectus Patris, vera est ac amplectenda.* Quibus verbis clarius Molina, quam Scotus, videtur

videtur distinguere duplicem actum intellectus; nam Scotus quamuis ponat duos actus ab intellectu Patris, quorum alterum priorem vocat *actum essentialem, & operationem, & Intelligere*, alterum posteriorem vocat *actum productiuum, & Dicere, & producere notitiæ genitæ*: numquam tamen dicit, esse duos actus intellectus. Et ex vno capite, cum vnum dumtaxat actum dicat esse intelligere, videtur negare, alium actum pertinere ad formalem rationem intelligendi per habitudinem ad obiectum, sed solum præcisè ad formalem rationem producendi per habitudinem ad terminum productum. Sed ex alio capite, cum ponat illum actum productiuum, immediate etiam oriri ab intellectu, non obscurè significat, esse actum formaliter intelligendi obiectum; nam ab intellectu perfectè constituto in actu primo intelligendi, oriri immediatè non potest alius actus, nisi formalis actus intelligendi. Quem actum notionalem intelligendi, distinctum ratione ab intelligere essentiali, ex instituto mox impugnabo.

9. *Examinantur tria Scoti dicta.*

Cæterùm obiter aduerto, me minus probare tria alia, quæ Scotus ibi miscet. Primum quòd Patris memoria, siue intellectus in actu primo perfecto, sit *principium operationum* actus secundi intelligendi, quem propterea vocat *operationem Patris, & actum quasi productum à memoria Patris*. Si enim hoc intelligere, vt ipsemet Scotus benè dicit, est actus essentialis; ergo est communis Patri, Filio, & Spiritui sancto: sed nemo dixerit, Intelligere essentiale produci, aut quasi produci à memoria Filij, & memoria Spiritus sancti. Ergo neque à memoria Patris. Præterea tam in primo, quam in secundo tomo suis locis probaui, Nos ne ratione quidem posse in Deo rectè distinguere actum secundum intelligendi ab actu primo intellectiuo: præsertim si concipias cum Scoto, illum produci ab hoc; tunc enim in ipsamet essentia diuina absolutè considerata conciperetur realis processio, ac proinde realis oppositio, & realis distinctio, atque pluralitas, & multitudo: quæ omnia apertè pugnant cum vnitate, identitate, ac simplicitate illius essentiæ, vt in primo tomo ostensum est. Secundum, quod in Scoti sententia minimè probo, est, quod Dicere, hoc est, producere Verbum, sit *verè productum* à Patre: quamuis enim hoc verum sit de Dici, quod est in Filio, tamen de Dicere, quod est in Patre, videtur omnino falsum: præterquam quod in terminis etiam philosophicis inconueniens est, verè produci etiam ipsum producere; sic enim in productionum productionibus facilè esset in infinitum abire. Tertium quòd passiua Verbi diuini productio non sit immediatè ab actu intelligendi, sed à priori alio intellectiuo principio. hoc enim supponit distingui in Deo, saltem ratione, actum intelligendi ab intellectu, quod in primo & secundo tomo pluribus impugnaui: & repugnat dictis Sanctorum docentium, Patrem non aliter dicere Verbum, nisi se ipsum intelligendo, & perfectissimè comprehendendo. Scotus verò, & si possit asserere, Patrem intelligentem dicere Verbum, cum velit, prius & immediatius esse ordine originis, Patrem per memoriam suam intelligere, quam dicere; non potest tamen asserere, Patrem intelligendo, & per suam intellectionem, producere Verbum; cum velit, hanc productionem immediate esse non ab intelligere, sed ab intellectu, seu memoria.

10. *Argentinam, Marsilium, Riccardum non contrariari.*

Contra eamdem conclusionem citantur etiam Argentina 1. d. 10. q. vnica art. 2. post med. vbi ponit quidem, quod nemo potest negare, intelligere essentiale, & intelligere notionale, *quo intelligere*, inquit, *Verbum producitur*; sed non asserit, vnum intelligere esse ab alio distinctum in ratione intelligendi. Et Marsilius 1. sent. q. 14. art. 2. post medium, vbi non plus dicit quàm Argentina, cuius verba refert, & nō reiicit. Et Riccardus 1. d. 22. art. 1. q. 3. §. *Quantum ad* 2. vbi in fine ponit etiam intelligere essentiale & personale, sed non distinguit tamquam duos intelligendi actus: nam distingui simpliciter, docet etiam ipsemet S. Thomas suprà art. 1. ad 3. vbi loquens de Intelligere, & Dicere, ait, *Quæ tamen differunt; nam Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster sit in actu per formam rei intellectæ: in Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus & intellectum. Sed Dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum, nihil enim est aliud Dicere, quam proferre Verbum: sed mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in Verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola persona, quæ profert Verbum, est dicens in diuinis; cum tamen singula personarum sit intelligens, & intellecta; & per consequens, Verbo dicta.* Quod autem S. Thomas vocat Dicere, Riccardus, Argentina, Marsilius vocant Intelligere notionale; hoc est, Intelligere proferens Verbum, quo modo Intelligere, est propria notio solius Patris.

Distingui simpliciter, Intelligere & dicere ex S. Thoma.

11. *Probatur conclusio primò.*

Probo igitur conclusionem, nimirum, Id quod addit Dicere, siue Intelligere notionale, supra Intelligere essentiale, non esse actum intelligendi, sicut quod addit spirare, seu Velle notionale, supra Velle essentiale, non esse actum volendi. Prime quia ne in nobis quidem, præter actionem, qua Verbum nostrum mentale producitur, datur distincta alia intelligendi actio, quæ sit vera ac realis actio; nam de actione grāmaticali, ad cuius modum ipse actus verbi denominatur intelligere, sicut illuminare, calefacere, &c. cum consistat in solis vocibus, nihil est curandum. Suppono enim ex probatis suprà q. 27. art. 1. dub. 13. conceptionem nostram intellectiuam perfectè compleri per qualitatem quamdam in facto esse, quæ alia non est nisi ipsemet actus, quo formaliter intelligimus obiectum; & per productionem huius actus: & totum hunc actum intelligendi productum, vocari Verbum, quo nomine expresse significatur realis emanatio actus à dicente, verbum enim loquentis, seu dicentis est verbum: ipsam verò productionem huius actus vocari Dicere, quod inquit S. Thomas suprà, *Nihil est aliud, quam proferre verbum.* Neque præter hæc, dari aliud Verbum, siue aliam qualitatem in facto esse, siue aliam intelligendi actionem, qua formaliter intelligamus in verbo, tamquam in proximo obiecto intelligendi. Ergo multò minus duæ actiones intellectiuæ admitti debent in diuinis, vbi infinite maior est intelligendi simplicitas, atque vnitas; & propterea non reperitur nisi vnum Verbum, & vnus terminus per intellectum productus; ergo non nisi vna actio, & vna productio intellectiua.

12. *Probatur secundò.*

Secundò, quia, vt probatum est suprà quæst. 27. art. 5. cum S. Thoma & omnibus, non possumus aliunde probare, Processiones diuinas esse tantum duas, nisi quia in Deo distingui non potest nisi vnum intelligere, & vnum velle. Datis enim duobus intelligendi actibus, non poterit assignari congrua ratio, cur vnus tantum, & non alius sit Verbi productiuus, & consequenter, cur hic sit essentialis, & non personalis; ille vero contra, sit personalis, seu notionalis, non essentialis: fœcunditas enim producendi Verbum personale, est proculdubio magna aliqua perfectio; ergo non potest rationabiliter vni tantum diuinæ intelle-

ctioni tribui, & non alteri, sed omnibus diuinis intellectionibus concedi debet. Ergo multiplicatis intellectionibus, & volitionibus in Deo, non possunt cohærenter non multiplicari pariter personalia Verba, & personales Amores. Neque enim huic multiplicationi obstare posset identitas actualis harum intellectionum, quia satis esset pluralitas virtualis, seu fundamentalis; sicut de facto, intelligere & velle, sunt in Patre vna diuina perfectio omnino indistincta in re, & tamen inde procedunt duæ realiter distinctæ personæ. Cum igitur in diuinis non detur duplex Verbum, eadem necessitate negare tenemur, ibi dari duplex intelligere; quia etiam in nobis nullum est intelligere infœcundum sine suo correspondente verbo.

13. *Probatur tertiò à priori.*

Tertiò à priori, Intelligere essentiale Dei, propter suam omnimodam infinitatem, saltem in suo determinato genere intelligendi, debet essentialiter includere omnem simpliciter intelligendi perfectionem, & adæquatè comprehendere quidquid est simpliciter intelligibile. Ergo intelligere notionale non potest concipi vt aliud intelligere, addens aliquid pertinens ad rationem, & perfectionem intelligendi: sicut non potest concipi aliud intelligibile, non comprehensum ab intellectione essentiali. Confirmatur ex eo, quòd intelligere notionale, in quantum notionale, addit aliquid proprium. Nihil autem proprium in diuinis à communi distingui mente potest, nisi relatiuum. Sed relatio, vt sic, non potest habere rationem actus vitalis intelligendi, neque est per se necessaria ad intelligendum simpliciter, sed solum ad dicendum, seu producendum per intellectionem. Ergo intelligere essentiale, & intelligere notionale non debent concipi vt duplex intelligere, sed vt vnum simplicissimum intelligere, quòd in vna persona habeat coniunctam aliquam proprietatem non spectantem formaliter ad rationem intelligendi, sed potius ad rationem subsistendi & distinguendi, seu ad diuersum modum habendi idem intelligere essentiale: quia scilicet intelligere in Patre est à se ante omnem productionem, in Filio autem est communicatum à Patre, sicut ipsa diuina essentia coniuncta est cum distinctis realiter proprietatibus relatiuis; & tamen nemo simpliciter dicere, aut recta ratione distinguere potest essentiam diuinam vt duplicem essentiam; quoniam illæ relationes, seu modi habendi essentiam, non pertinent ad essentiam vt sic, sed ad constitutionem personæ. Quam solam ob causam absque vlla repugnantia Catholici omnes benè intelligimus, & contra omnes Sabellianos & Arianos constantissime defendere possumus, dari in diuinis tres personas, non tamen tres Deos, sed vnum Deum, quia quamuis conceptus personæ addit aliquid supra conceptum Deitatis, tamen non addit aliquid pertinens ad essentialem rationem Deitatis, sed solum aliquem relatiuum modum habendi eamdem Deitatis essentiam ac naturam.

14. *Probatur quartò.*

Quartò, intelligere notionale dicit duo, & intelligere, per quod conuenit cum intelligere essentiali, & notionalitatem, per quam differt ab essentiali intelligere. In quantum dicit intelligere, illud non est notionale; ergo est essentiale: ergo si hoc intelligere, est distinctum intelligere ab intelligere essentiali, iam in Deo Patre dabuntur duo actus essentiales intelligendi, quæ est Henrici opinio superius impugnata: qui quidem cum putaret in Deo Patre distinguendos esse ratione duos actus intelligendi, cohærentius philosophatus est dicendo, ambos esse essentiales, quam qui duos intelligendi actus concedunt, & tamen vnum dicunt essentialem, & alium notionalem non essentialem. Neque etiam quòd ad modum loquendi attinet, intelligere essentiale, & notionale, dici rectè possunt duo intelligendi actus, non simpliciter, sed per modum includentis & inclusi, vt aliqui loquuntur; hoc est, non quòd intelligere notionale præcisa notionalitate, sit aliud intelligere ab intelligere essentiali; sed solum quia intelligere notionale includit essentiale, non contra; & intelligere essentiale includitur in notionali, non autem notionale in essentiali: hæc enim ratio sufficit quidem vt intelligere essentiale & intelligere notionale, dici possint inuicem aliquo modo simpliciter distingui, siue esse duo distincta, alterum ab altero; non tamen sufficit vt dici possint, duo actus intelligendi, seu duplex intelligere; quia tunc dualitas, seu distinctio cadit immediatè & expressè supra ipsam rationem intelligendi, quæ verè & formaliter nulla ratione duplex est. Quemadmodum v. g. materia & compositum distinguuntur per modum includentis & inclusi, sed non propterea licet cuipiam dicere, ibi esse duas materias, aut duo composita: sicut etiam in diuinis, nullus sane Catholicus audebit dicere, Deum & Patrem, qui ratione distinguuntur per hunc modum includentis & inclusi, esse duos Deos, aut duos Patres.

DVBITATIO III.

Quid sint Dicere, *&* Dici, *in diuinis.*

SVMMA.

1. *Dicere sumitur aliquando pro velle, & reuelare, n.15.*
2. *Sumitur etiam aliquando pro intelligere, n.16. & 17.*
3. *Sed propriè sumitur personaliter, pro producere Verbum, num.18. & 19.*
4. *Quot modis vsurpetur Dici in diuinis, num.20.*
5. *Satisfit oppositis argumentis, num.21. ad 24.*

15. *Dicere sumi aliquando pro velle, & reuelare.*

PRima conclusio. Deum dicere significat aliquando idem quod efficaciter velle vt fit, aut non fit aliquid ad extra; seu reuelare, causando aliquod exterius signum manifestatiuum eorum quæ ipse vult: quo modo Dicere sumitur essentialiter & valde impropriè. Hæc vsurpatio est in sacris literis tritissima vt Genes. 1. sæpe, *Dixit Deus, Fiat, Congregentur, Germinet, Producant.* Vnde Pal. 32. & 148. *Ipse dixit, & facta sunt*: & vt significaretur, hoc dicere non esse aliud quam præcipere, & efficaciter velle, subiungit, *Ipse mandauit, & creata sunt.* Et in toto libro Geneseos, & in omnibus libris Prophetarum refertur Deus dicere aliquid ad homines: imò Iob 1. & 2. sæpe, *Dicit Dominus ad Satan.* Quapropter Paulus ad Hebræos 1. ait, *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio.* Et quoniam hoc locutionis genere Deus non solum dicit ad creaturas, alloquendo illas; sed etiam dicit creaturas, producendo illas; & Dicere vniuersaliter loquendo, vt ait S. Thomas suprà, *nihil est aliud, quam proferre verbum*; ideo creaturæ omnes appellantur metaphoricè verba Dei: potissimum illa creata signa, siue interna, siue externa, quæ Deus ideo producit, vt talibus signis, veluti quibusdam vocibus manifestet intelligentibus creaturis quid ipse velit vt sciant, faciant, habeant, vel

Quo modo creaturæ dicantur verba Dei.

vel non faciant, non habeant: in quo sensu reuelationes Prophetarum à Deo factæ, vocantur passim in eorum libris, *Verba Domini dicta ad Prophetas.* In

Augustinus. hoc etiam sensu ait Augustinus libro contra sermonem Arianorum cap. 12. circa medium. *Dicuntur à Patre multa verba vnico Verbo*: quoniam, vt ipsemet ibidem, & c. sequenti ratiocinatur, *Omnia per ipsum facta sunt*, Ioan. 1. & non aliter facta sunt, nisi dicendo vt fiant, Psalm. 32. & 148. Quoniam vero huiusmodi creata verba, facta sunt per increatum Verbum quod à Deo Patre procedit; ideo dixit Epi-

Epiphanius. phanius hæresi 73. multò propius ad medium quam ad principium, *Multa confitetur Pater loquens ad Filium, cum dicit, Fiat firmamentum, Fiant luminaria, Producat terra, Faciamus hominem. Quare Pater ad Filium loquitur, & verba quidem Dei, quæ loquitur ad Filium, non sunt Filij*: quoniam, vt paulò post magis explicat, *Verbum intelligitur Filius, non velut verba, quæ Deus loquitur: illa enim ipsum esse in loquente habent*, qui scilicet ea proferre, vel non proferre, liberè potest: *hic verò eo quòd ex Patre genitus est, & Patrem audit, & Patri ministrat, ipsum esse habet*; quod scilicet est ipsum esse Dei Patris. Hoc igitur dicere, est essentiale & commune omnibus diuinis personis, quoniam respicit opera ad extra, quæ in diuinis sunt indiuisa: & sumitur valde improprie, quia non est immediate actio intellectus, sed voluntatis; & eius terminus non est aliquid intellectuale intra ipsum Deum, sed externum aliquod opus. Habet autem aliquam similitudinem cum proprio dicere, quia sicut hoc profert mentale Verbum, quo res manifestantur; ita imperare diuinum vt fiant creaturæ, est proferre creaturas quibus diuina voluntas manifestatur.

16. *Dicere, sumi aliquando pro intelligere.*

Secunda conclusio. Deum dicere significat aliquando idem quod simpliciter intelligere: quo modo Dicere sumitur etiam essentialiter & impropriè. Hoc docuit S. Thomas supra art. 1. ad 3. illis verbis,

Anselmus. *Anselmus impropriè accipit Dicere pro intelligere*: nimirum in Monologio cap. 60. verbis adductis supra art. 1. num. 24. vbi etiam paulo ante medium illius capitis ait, *Nihil aliud est summo spiritui Dicere, quam quasi cogitando instaurare: sicut nostræ mentis loquutio nihil aliud est, quam cogitantis inspectio.* Et paulò post, *Eius scire, & intelligere, non est aliud quam Dicere, id est, semper præsens intueri quod scit & intelligit.* Item antea in cap. 28. post medium, *Hæc ipsa loquutio nihil aliud potest intelligi, quam eiusdem Spiritus intelligentia, qua cuncta intelligit. Quid enim est aliud illi, rem loqui aliquam hoc loquendi modo, quam intelligere?* Et iterum cap. 34. post principium, *Idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, siue dicere.* Et cap. 46. circa medium, *Rem cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est mente eam dicere.* Probatur etiam eadem conclusio ex aliis Patribus, qui sumunt etiam Dicere pro intelligere.

Fulgentius. Fulgentius l. 3. ad Monimum, aliquantò ante medium, declarans illud Luc. 7. *Ait intra se dicens*, ita

Cyrillus. habet, *Quid est, ait intra se, nisi cogitauit intra se?* Cyrillus l. 3. Dialogorum de Trinitate columna 9. declarans illud Genes. 11. *Venite descendamus, & confundamus linguas eorum*; quærit, *Quis ille loquens, & quibus nam dicit?* & respondet, *Venite, inquit, ipse ad se ipsam Sancta & consubstantialis Trinitas.* Non potest autem ipsa Trinitas ad se ipsam dicere, nisi simpliciter intelligendo, ac repræsentando sibi ipsi aliquod obiectum. Et l. 1. contra Iulianum paulò post medium de Moyse ait, *Ipsam dixit Sanctam Trinitatem sibi ipsi loquutam, Faciamus hominem.* Similiter eadem verba exponens Augustinus l. contra sermonem Arianorum cap. 16. ait, *Neque enim frustra non*

Augustin. *est dictum, Faciamus hominem ad imaginem tuam, tamquam Pater Filio loqueretur: aut, Ad imaginem meam: sed dictum est, Ad imaginem nostram. Quod ex persona ipsius Trinitatis rectissimè accipitur.* & l. 7. de Trinitate cap. 1. & l. 15. cap. 14. ait, Filium genitum à Patre *dicente seipsum*: hoc est, intelligente, non producente. Item Ambrosius l. 5. de Fide cap. 6. paulò post

Ambrosius. principium, illud Ioannis 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur*: docet dictum esse, *vt aduerteremus, quòd quidquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius; & quidquid loquitur Filius, loquitur & Pater; quia vna sententia & operatio Trinitatis est.* Sententia pertinet ad intelligentiam intra Deum: operatio vero ad creaturas extra Deum. Quare complectitur & loquendi modum positum in hac secunda conclusione, & alium etiam positum in pri-

Anselmus. ma conclusione. Multo fusius & clarius docuit Anselmus in Monologio, quamlibet diuinam personam & ad se ipsam, & ad quamlibet aliam dicere ac loqui, sicut se ipsam, & quamlibet aliam intelligit. Nam cap. 60. initio ita scribit, *Dubium esse non debet, quia Pater, & Filius, & eorum Spiritus, vnusquisque seipsum, & alios ambos dicit; sicut se, & alios intelligit.* & deinde multò post medium, *Vna quippe sapientia est, quæ in illis dicit; & vna substantia, quæ dicitur; consequitur, non ibi esse plura verba, sed vnum. Licet igitur vnusquisque seipsum, & omnes inuicem se dicant, impossibile tamen est, in summa essentia esse Verbum aliud, præter illud de quo iam constat, quòd sic nascitur ex eo cuius est Verbum, vt etiam vera eius dici possit imago.*

17. *Dicere sumi impropriè pro intelligere.*

Est igitur satis commune apud Sanctos, vt apud illos idem sit Deum dicere, quod Deum intelligere. quo modo Dicere sumitur essentialiter, sicut intelligere; & impropriè, quia Dicere, ex propria vi vocabuli, non solum est manifestare simpliciter, multa enim manifestantur nihil dicendo, quia manifestantur factis, non verbis; sed est manifestare per verbum dictum, siue à dicente productum. Intelligere autem, ex se præcisè consideratum, nil aliud importat quam simplicem obiecti manifestationem, factam intelligenti, per ipsam formaliter intellectionem: quod intelligere in creaturis, quia est productum à potentia intellectiua, semper est coniunctum cum Dicere; in Deo autem, quia est ipsemet actualis, & purissimus intellectus, coniunctum non habet Dicere. Quoniam vero omnes tres diuinæ personæ sunt intelligentes æqualiter vna eademque intellectione, sicut quælibet concipi non potest, per eam intellectionem manifestare sibi obiectum, quin etiam manifestet aliis; ita nec isto impropriо locutionis genere dicere sibi, quin etiam reliquis dicat: nimirum in quantum eadem communis sapientia essentialis, est illa per quam formaliter intelligunt, & consequenter dicunt, omnes personæ.

18. *Dicere propriè sumi personaliter pro producere Verbum.*

Tertia conclusio. Dicere secundum propriam significationem in diuinis non sumitur essentialiter, sed tantum personaliter, & significat proferre, & producere Verbum; quod est solius Dei Patris proprium. Ita S. Thomas supra art. 1. ad 3. ex cuius doctrina potest hæc conclusio tripliciter probari. Primo, quia propriè loquendo, *nihil est aliud Dicere, quam proferre verbum*: & ideo, inquit, *Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum.* Hoc autem conuenit soli Patri. Secundo quia *sicut propriè loquendo, Verbum dicitur personaliter in diuinis*, vt probatum est supra art. 1. *ita & Dicere*: quia hoc importat essentialiter habitudinem ad verbum; sicut enim in corporalibus nemo censetur dicere & loqui, nisi proferat vocale verbum, seu vocem aliquam significatiuam, & manifestatiuam alicuius rei; ita in spiritualibus, is tantum ab omnibus sapientibus censetur propriè dicere & loqui intelle-

ctualiter, qui profert verbum aliquod mentale, seu aliquem intelligendi actum, à mente expressum, & in mente conceptum, quo intentionaliter repræsentetur & manifestetur res aliqua intellecta. Ex quo immediate post ita deducit S. Thomas. *Unde sicut Verbum non est commune Patri, & Filio, & Spiritui sancto; ita non est verum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vnus dicens.* Tertio probat authoritate Augustini l. 7. de Trinitate, vbi in cap. 1. aliquantò post principium, loquens de Deo Patre ait, *Verbo, quod genuit, dicens est; verbo æquali sibi, quo semper atque incommutabiliter dicit se ipsum* nempe, Verbo producto manifestante etiam se ipsum. Et paulo post, *Dicens illo coæterno Verbo non singulus intelligitur; sed cum ipso Verbo, sine quo non est vtique dicens.* Rursus paulo post. *Non singulus dicens, sed eo Verbo, & cum eo Verbo quod genuit:* qualis dicens non est alius nisi solus Pater.

Augustinus.

19. Idem Augustinus in expositione illorum verborum Psalm. 61. *Semel*, ait, *loquutus est Deus, quia vnum Verbum genuit.* Vnde Glossa cum Augustino illud Psalm. 148. *Dixit, & facta sunt*, exponitur, *Verbum genuit, per quod facta sunt omnia.* Vbi pro eodem in diuinis sumit dicere, seu loqui, & Generare Verbum: sicut etiam Athanasius de Decretis Nicænæ Synodi circa medium, *si concesserint, Deum non nisi semel Verbum proferre, fieri non potest quin agnoscant, eum ita loquentem Verbi sui Patrem esse.* Et Gregorius l. 23. Moral. cap. 11. in illud Iob 33. *Semel loquitur Deus*, ait, *loqui Dei est Verbum genuisse. Semel autem loqui, est Verbum aliud, præter Vnigenitum, non habere.* Quæ verba posita sunt in Glossa ordinaria illius loci Iob. & l. 32. Moralium cap. 6. fine in id Iob 40. *Si voce simili tonas*, de Filio Dei ait, *Ipse vox, quia eum Pater gignendo dixit, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Clarissime Riccardus Victorinus libro 6. de Trinitate cap. 12. propè finem, *In illa supereminenti natura, interna illa loquutio agitur authore Patre solo. Nam solus Pater dicit, Solus Spiritus sanctus audit:* quia scilicet Spiritus sanctus ita audit procedendo à Patre, Filioque, vt eo modo ipse nulli prorsus dicat, cum Spiritus sanctus sit procedens, non producens ad intra; ac proinde ratione processionis ad intra, sit auditor tantum, & non dicens: sicut à contrario, Pater est dicens tantum, & non audiens, quoniam ipse solus est fons ingenitus totius Diuinitatis. At vero Filius cum respectu Patris sit procedens, respectu Spiritus sancti sit producens, & audit Patrem, illi, tam quam suo Verbo propriissimè dicentem; & quodammodo dicit Spiritui sancto, ipsum audienti. Primum aperte traditur in Scriptura, præsertim à Ioanne in Euangelio. Nam cap. 3. Baptista ita testatur de Filio Dei, *Quod vidit, & audiuit, hoc testatur.* Audiuit scilicet nullam aliam ob causam, nisi quia, vt ibi docet Augustinus tomo 14. paulò ante medium, *Filius Verbum Patris est:* ac proinde non audiuit alio Verbo, vt peruersè & impiè arguunt Ariani apud Cyrillum libro 7. Thesauri cap. 1. post medium, sed se ipso, procedendo à Patre vt Verbum ipsius; quia, vt ratiocinatur Cyrillus cap. 3. fine. *Loquitur Pater ineffabiliter ad Filium. Nec Filius verbum expectat, cum ipse sit Verbum Dei.* Item Ioan. 8. ipsemet Filius Dei de se ipso dicit, *sicut docuit me Pater, hæc loquar.* & cap. 12. fine. *Ego ex me ipso non sum loquutus. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Quod acute exposuit Augustinus ibi tract. 54. non longè à fine dicens, *Non accipiamus, Dixit mihi, quasi Pater verba locutus sit vnico Verbo; aut egeat Dei verbis, Dei Verbum. Dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio; non quòd nesciebat, aut non habebat, sed quo ipse Filius erat. Dixit ergo Veritati, quia genuit Veritatem.* Et cap. 15. *Omnia quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis.* & Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quod non aliter dixit, nisi vt ait Gregorius supra, *eum gignendo.* Non est igitur verè aliud, Filium audire à Patre, quam à Patre procedere vt Verbum Patris: nec est aliud Patrem dicere Filio, quam Filium gignere vt Verbum eius. Secundum etiam de Spiritu sancto quòd audiat à Filio, & Filius illi dicat, apertè colligitur ex Ioan. 16. *Spiritus ille docebit vos. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur: quia de meo accipiet. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, Quia de meo accipiet.* Si Spiritus sanctus audit à Patre & Filio, ergo Pater & Filius illi loquuntur, ac dicunt. Qui enim audit, loquentem ac dicentem audiat necesse est. Quocirca ipsemet Riccardus dicens, *Spiritus sanctus audit*, significat audire à Filio dicente; quia sicut non potest procedere à Patre & non à Filio; ita nec audire. Dixi, Filium Spiritui sancto dicere *quodammodo:* nam non dicit illi tamquam Verbo, communicando illi suam sapientiam ex vi formali suæ processionis, quo modo Pater dicit Filio: sed dicit illi tamquam Amori suo personali, à se realiter procedenti, cui ex vi formali processionis communicat suam voluntatem, & ex vi identica communicat etiam suam sapientiam acceptam à Patre.

Exponitur ea Augustino locus Psal. 61. & 148.

Athanasius.

Gregorius.

Riccardus Victorinus.

Quæ diuina persona, & quo modo audiant, & dicant.

Filium se ipso audire, to. 3. Augustin.

Cyrillus.

Augustin.

Filium dicere Spiritui sancto audienti, Ioan. 16.

20. Quarta conclusio. Dici in diuinis habet tres significationes correspondentes tribus significationibus hactenus traditis de Dicere. Primam valde impropriam, vt Dici sit idem quod esse à Deo imperatum, reuelatum, causatum. Secundam minus propriam; vt sit idem quod intelligi à Deo; de qua significatione dictum est supra q. 1. num. 25. & his duobus modis, Dici sumitur essentialiter, non personaliter, vt patet. Tertiam maximè propriam, vt sit idem Dici, quod proferri, & generari Verbum à Deo Patre; quod est personale solius Filij Dei. Atque in his omnes fere Theologi conueniunt, fundati in modo loquendi Scripturæ & Patrum supra. Solum in re grauiter discrepat Durandus reiectus supra art. 1. negans in Deo Dicere personale & relatiuum, & admittens tantum essentiale & absolutum, quod est intelligere. Cuius dicti temeritas ex Sanctorum dictis in hoc etiam articulo relatis, magis apparet.

Dici in diuinis usurpatur tribus modis.

Obijciuntur duo ex Scoto & Vasquez.

21. Discrepant etiam, sed leuius, & in solo modo loquendi, Scotus & Vasquez. Primo enim Scotus 1. d. 32. quæst. 2. ante §. *Ad aliam quæstionem.* ita habet, *Non videtur aliquo modo concedendum, quòd Spiritus sanctus dicit Verbo:* quia, inquit, *dicere Verbo, videtur importare aliquam authoritatem dicentis Verbo, respectu Verbi. Nec Anselmus dicit, quòd Spiritus sanctus dicit Verbo, licet videat omnia in Verbo.*

Prima obiectio ex Scoto.

Respondeo reliquos alios rationabilius vsurpare modum illum loquendi, quia Cyrillus, Augustinus, Ambrosius, Anselmus supra num. 16. expresse asserunt, ipsam Sanctam Trinitatem dicere ad se ipsam, & sibi ipsi loquutam. Nullus autem dicere, aut loqui potest nisi aliquo Verbo, quod in diuinis nullum est nisi personale. & in particulari Anselmus ibi, non solum de Patre, & Filio, sed etiam de Spiritu sancto ait, *Dubium esse non debet, quia Spiritus sanctus se ipsum, & alios ambos dicit.* Neque hoc, *dicit*, sufficienter explicatur pro, *videt in Verbo.* tum quia aliud omnino est dicere & loqui, & aliud videre: vnde Beati dicuntur videre omnia in Verbo; sed nemo dixerit, eos dicere & loqui Verbum. Tum quia alij Patres asserunt, Spiritum sanctum dicere & loqui & ad se ipsum, & sibi ipsi: quo loquendi modo

Respondetur Spiritum sanctum etiam in aliquo bono sensu dicere Verbo personali.

Anselmi mens exponitur.

modo multò clarius distinguitur dicere à videre; quia ineptissime diceretur, Spiritus sanctus videt ad seipsum, aut sibi ipsi. Tum quia secundum Anselmum, Spiritus sanctus dicit etiam ipsum Verbum: & tamen neque Spiritus sanctus, neque ipsæ beatæ creaturæ videre dicuntur Verbum in Verbo. Ergo dicere, secundum Anselmum, non est videre in Verbo. Tum quia Anselmus ibi, ex eo quòd singulæ personæ dicant, & loquantur, grauiter dubitat, cur sit vnum diuinum Verbum, & non tria Verba, sicut sunt tres personæ dicentes. Quæ dubitatio nimis friuola esset, si non aliter personæ dicerent, nisi eo modo quo Beati vident se & res alias in Verbo. Supponit igitur Anselmus, quod meritò dixit esse indubitatum, quamlibet diuinam personam dicere & loqui ipso diuino Verbo. Quare negandum est Scoto vniuersaliter quòd Dicere Verbo, importat aliquam authoritatem Dicentis Verbum respectu Verbi: nam etsi hanc authoritatem importet in Patre, qui dicit Verbo, vt proferens Verbum; non tamen in Filio & Spiritu sancto qui aliis modis dicunt Verbo; nimirum Filius dicit Verbo, vt persona quæ est formaliter ipsum Verbum; & ideo est dicens *vt quod*, quia est persona subsistens; & etiam dicens *vt quo*, quia se ipso formaliter est Verbum: Spiritus sanctus dicit Verbo, quoniam etsi neque proferat Verbum, neque sit ipsa persona Verbi, tamen in se ipso essentialiter habet eamdem intellectionem terminatam personalitate Verbi, & Verbo per se formaliter communicatam, & cum Verbo essentialiter identificatam; ratione cuius identificationis, & Spiritus sanctus in Verbo, & Verbum in Spiritu sancto esse dicuntur. Quæ coniunctio, seu potius identitas, nullam importat authoritatem in Spiritu sancto supra Verbum: tanta tamen est, vt censeri debeat omnino sufficiens ad hoc vt dici rectè possit etiam Spiritus sanctus tali Verbo dicere &, loqui, non solum ad extra respectu creaturarum, sed etiam ad intra respectu sui ipsius, & Patris & Filij. Sed hac de re distinctius infra quæst. 37. art. 1.

Diuersimodè Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicit Verbo.

22. Secundo Vasquez disput. 141. cap. 4. à num. 22. acutè contendit, Dicere, seu Dictionem, non esse producere, seu productionem Verbi, sed esse ipsummet Verbum, quod, inquit, *est dictio non sui ipsius, sed rei intellectæ: id enim quod propriè dicitur est res intellecta, aut significata*; non terminus aliquis productus, quo res significatur. & arguit primo, quia *interroganti, quid dixisti in mente tua? nemo respondebit, qualitatem, & representationem equi vel hominis*; *sed rem ipsam.* Secundo ex Anselmo in Monologio cap. 31. fine, *Cum cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione verbum est eiusdem hominis, quem cogitando dico.* Præterea idem Anselmus locis citatis supra num. 16. sæpe docet, quòd dicere non est aliud nisi intelligere: hoc autem non est producere, sed repræsentare obiectum. Tertio dicere nostrum non est relatiuum relatione prædicamentali. Ergo neque dicere diuinum. Quarto ex Augustino libro 15. de Trinitate cap. 21. initio, ita loquente de Deo Patre, *Omnia quæ substantialiter habet, in coæterno sibi Verbo suo dixit quodammodo; & ipsum Verbum eius, nec plus, nec minus habet etiam ipse substantialiter, quam quod est in illo, qui Verbum veraciter genuit.*

Secunda obiectio ex Vasquez.

Respondeo, sententiam esse contra S. Thomam art. 1. ad 3. ita docentem, *Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum. Sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.* Ergo non benè asseritur, per dicere, nullo modo importari illam habitudinem ad verbum conceptum, quam S. Thomas docet importari principaliter. & ideo definit Dicere, per *proferre Verbum*; & tamen hæc sententia vult, non esse proferre, sed Verbum ipsum. Constat etiam esse contra Augustinum, qui sæpe de Dicere & de Verbo loquitur, tamquam de rebus diuersis, vt l. 15. de Trinitate cap. 15. post medium, *Verbum verum nostrum intimum, nisi nostra cogitatione non dicitur:* quod dici paulò post appellat, formari, nasci. Et aliis locis supra num. 19. diuinum dicere explicat per generare Verbum. & contra Gregorium ibi dicentem, loqui Dei est verbum genuisse. Et contra Riccardum ibidem, solus Pater dicit, hoc est, producit Verbum. Neque contraria argumenta vrgent.

Respondetur Dicere non esse ipsum Verbum, sed productionem Verbi, ex S. Thoma.

23. Ad primum concedo illam interrogationem ordinariè esse de rebus, non de Verbo, quia scire cupimas res, quas alij in mente habent; non actus mentis simpliciter. Hinc vero non sequitur, Dicere non importare habitudinem ad verbum conceptum; sed solum sequitur, quod cum S. Thoma supra concessimus, præter hanc habitudinem, *importari mediante verbo aliam habitudinem ad rem intellectam.* Verum si illa interrogatio fieret non vulgariter à curiosis hominibus, sed philosophicè à viris Sapientibus, respondendum vtique esset, Dixi in mente mea verbum hominis.

Ad 1. Vasquez.

Ad 2. respondeo, Anselmum propter eamdem habitudinem ad obiectum quæ est in Verbo quod dicitur, asserere, *Verbum hominis quem cogitando dico.* & cum aliquando scripsit, idem esse Dicere & Intelligere, inquit S. Thomas supra art. 1. ad 3. *improprie accepit dicere pro intelligere.*

Ad 2.

Ad 3. negatur consequentia & argumentum retorqueri potest contra Authorem, qui non negat, Patrem producere Verbum, tametsi neget, Dicere esse producere. At vero producere verbum, in nobis est absolutum, non de Prædicamento relationis, sed actionis: in Deo autem est relatiuum. Disparitas igitur est de nostro & diuino dicere, seu producere; quia cum inter agens & passum, siue inter producens & productum debeat esse realis distinctio, in creaturis hæc distinctio, propter earum finitatem, & imperfectionem, haberi potest in absolutis entitatibus; in Deo autem, propter eius perfectissimam infinitatem identificantem sibi omnia non opposita, haberi nulla alia ratione potest nisi per relatiuam oppositionem producentis & producti.

Ad 3.

Ad 4. dixit Augustinus, Deum Patrem omnia sua dixisse *quodammodo* in Verbo suo; non quod propriissimè & verissimè non dixerit Verbum suum; sed solum quia illud non dixit eo modo, quo creatura dicit producendo actum suum intelligendi, & reducendo se de potentia in actum; sed dixit alio quodam modo ineffabili, generando Filium personam subsistentem, & dando illi propriissimum esse naturæ suæ, quod est diuinum intelligere, & comprehendere omnia quæ siue formaliter siue eminenter in ipso sunt, & ab ipso perfectissimè intelliguntur. Dixit autem Deus Pater omnia in Verbo suo, non quòd non dixerit immediate Verbum, aliter non potuisset dicere aliquid in Verbo suo; sed quia mediante Verbo à se dicto, quod est perfectissima Patris imago, dixit omnia quæ sunt in Patre. Vnde ipsemet Augustinus in fine loci citati reddens rationem cur Pater dixerit omnia in Verbo suo, quia, inquit, *Verbum veraciter genuit.* Dicere enim quia immediate terminatur ad Verbum, quod est actualis & expressa omnium similitudo, tam dicitur de ipso Verbo, quam de aliis rebus per Verbum significatis.

Ad 4.

Plura

Plura tractari possunt de Verbo, & de actibus dicendi & spirandi. Sed de Verbo satis superque supra in quæst. 27. art. 1. dub. 13. De dicere & spirare, dicetur commodius infra in proprio loco cum de actibus notionalibus. Nunc supereſt indagandum obiectum illius diuinæ cognitionis, per quam Pater, mentis suæ Verbum expressit, eique dixit, *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Psalm. 2.

DVBITATIO IV.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione solius diuinæ naturæ.

SVMMA.

1. *Exponitur titulus dubitationis, num. 24.*
2. *Verbum procedere per se ex cognitione diuinæ naturæ, num. 25.*
3. *Item ex cognitione diuinarum personarum, num. 26. ad 32.*

24. *Exponitur titulus dubitationis.*

INquirimus de procedere *per se*; hoc est, ex cognitione eius obiecti, quod Patris cognitio habere debet, non realiter, seu materialiter & concomitanter, in quantum cognitio diuina est, sic tenim nemo dubitat, illam terminari ad omnia simpliciter intelligibilia, & essentiam, & personas, & creaturas omnes, tam possibiles, quam futuras & actuales; sed formaliter & necessariò ac reduplicatiuè in quantum illa cognitio est productio Verbi. Multa enim possunt esse identicè in re, quæ deinde ad aliquid per se & formaliter concurrat quasi partialiter, seu potius inadæquatè, secundum vnam suam formalem rationem, non totaliter & adæquatè secundum omnem suam rationem, & totum id quod in se ipsa est. Sic in opinione Philosophorum identificantium in re v.g. animalitatem & rationalitatem hominis, dicitur homo sentire vt animal, non vt rationalis; & è contra, discurrere vt rationalis, non vt animal. Sic in Deo, in quo Deitas & Filiatio in re idem omnino sunt, Filius Dei dicitur terminare naturam humanam assumptam, non formaliter ratione Deitatis, seu naturæ, sed ratione Filiationis, seu personalitatis. Et in præsenti controuersia, secundum communissimam opinionem vltima dubitatione probandum, Verbum non procedit per se ex cognitione futurorum, tamesi diuina cognitio vt diuina cognitio est in se considerata, sit per se cognitio futurorum.

25. *Verbum procedere per se ex cognitione diuinæ naturæ.*

Prima conclusio. Verbum Dei procedit per se ex cognitione diuinæ essentiæ seu naturæ, seu Deitatis, prout Deitas comprehendit omnem absolutam perfectionem, siue propriè essentialem, siue etiam attributalem, & quidquid est Deus præcisis personalitatibus, & relationibus. Hoc tamquam omnino certum, & extra omnem controuersiam supponitur in titulo dubitationis. Et fundamentum est, quia diuina Patris cognitio si vt cognitio est, producit Verbum, vt probatum est supra num. 6. contra Torres debet, etiam considerata formaliter vt producens Verbum, habere aliquod obiectum cognitum. Non potest autem assignari aliud obiectum neque prius, neque nobilius ipsa Dei natura. Confirmatur, quia ex Athanasio & Augustino supra art. 1. num. 17. eo Verbum quo Filius. Sed Filius, vt Filius, in diuinis esse debet omnino similis realiter Deo Patri in natura. Ergo Verbum vt Verbum esse pariter debet omnino simile intentionaliter Patri intelligenti. Ergo cognitio, quæ necessario exigitur ad productionem talis Verbi esse saltem debet cognitio habens pro obiecto diuinam naturam: alioqui plus, vel aliud repræsentaret Verbum vt verbum, quam cognitio vi cuius tale Verbum productum est.

26. *Verbum procedere per se ex cognitione diuinarum personarum.*

Secunda conclusio. Verbum Dei procedit per se ex cognitione obiectiuè terminata non solum ad naturam diuinam, sed etiam ad diuinas personas. Ita omnes exceptis Scoto & Scotistis. Nam Scotus 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. §. *Quantum ad hoc igitur*, vbi post nonnulla sic clarius concludit, & explicat totã sententiam suam. *Stando igitur præcisè in primo instanti naturæ, comparando essentiam diuinam ad intellectum & voluntatem, habetur totus ordo originis primus: quia scilicet duæ personæ perfectè originantur; & tota perfectio diuinarum personarum ad intra in intellectu diuino & voluntate habetur in primo instanti naturæ, vt sunt potentiæ operatiuæ circa illam essentiam: quia tota perfectio simpliciter cuiuslibet personæ est in intelligendo, & volendo essentiam diuinam: quia in intelligendo, & volendo eam, sunt beatæ formaliter.* Et breuius in 1. sent. d. 10. fine dixerat, *Quòd in illo priori signo originis, antequam intelligatur Spiritus sanctus spirari, Pater & Filius cognoscunt Spiritum sanctum vt intuitiuè, licet non vt existentem in se; quia cognoscunt essentiam diuinam, quæ est ratio cognoscendi intuitiuè quodcumque obiectum intelligibile.* & postea in d. 32. fine, de processione Spiritus sancti per voluntatem ita docet, *Spiritus sanctus licet ex vi productionis suæ primò sit amor essentiæ, tamen concomitanter potest dici amor Filij: quia illa persona sunt in natura primò amata ex necessitate illius naturæ.* Est autem eadem ratio de obiecto amato, ex cuius amore procedit per se Spiritus sanctus; & de obiecto cognito, ex cuius cognitione procedat per se Verbum diuinum. Eamdem sententiam posuit Scotus Quodlib. 14. art. 2. §. *Hìc intelligendum est.* In contrarium vero S. Thomas art. 1. ad 3. pro hac conclusione ita scribit. *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum; vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnes creaturæ: sicut intellectus hominis, verbo quod concipit intelligendo lapidem, dicit.* Sed ad nostrum mentale verbum, quo dicitur & repræsentatur lapis, per se pertinet cognitio lapidis. Ergo ad Verbum, quo dicitur & repræsentatur tota Trinitas, & omnis creatura, per se pertinet cognitio totius Trinitatis, & omnis creaturæ. Quod in sequentibus dubitationibus distinctè per suas partes demonstrandum est.

Scoti sententia refertur.

Sententia S. Thomæ.

27. *Ratio præcipua conclusionis.*

Præcipua conclusionis probatio continetur hoc enthymemate. Verbum diuinum, necessario & per se, & formaliter vt tale Verbum omnium perfectissimum absque vlla limitatione, repræsentat non solum Dei essentiam, sed etiam personas. Ergo cognitio, cuius naturaliac necessaria vi tale Verbum producitur, debet necessariò & per se, & vt formaliter productio talis Verbi, esse cognitio non solum diuinæ essentiæ, sed etiam diuinarum personarum. Antecedens est manifestum, quia omne mentale verbum, ex propria & essentiali verbi ratione habet repræsentare obiectum intelligenti, cum sit ipsa formalis, & actualis, & expressa, & omnino completa obiecti imago ac similitudo. Ergo quò est perfectius verbum, eò perfectius, & plura obiecta repræsentabit: cum ex terminis ferè notum sit, quòd ad repræsentationis perfectionem faciat non solum repræsentare idem modo magis perfecto, sed etiam repræsentare plura perfectissimo modo. Sed Verbum diuinum in ratione Verbi est infinitè simpliciter perfectum, ita vt aliud magis perfectum verbum neque esse, neque cogitari possit. Ergo, vt formaliter tale Verbum repræsentare debet omnia obiecta necessario repræsentabilia; inter quæ præcipuum locum obtinent, non solum essentia diuina, sed etiam

etiam diuinæ personæ, quæ scilicet sunt res habentes infinitam simpliciter perfectionem, & adeo necessariæ, tantaque necessitate existentes, vt ad earum essentiam intrinsece pertineat ipsamet existentia. Propter hanc infinitam perfectionem, quam Verbum diuinum in repræsentando habet, Beati quidquid vident, dicuntur videre in Verbo: & à Patribus superius adductis ipsæmet diuinæ personæ dicuntur videre, & dicere, se ipsas in Verbo, & ipsomet Verbo. Ex hac eadem perfectione Athanasius de Decretis Nicænæ Synodi paulò ante medium optime arguit, quòd in Deo *non multa verba sunt, ne vnumquodque eorum insufficiens habeatur; sed vnum Verbum, vt illud solum perfectum esse intelligatur.* Enim vero si Verbum non repræsentaret diuinas personas, aut aliquid aliud repræsentabile obiectum, illud sanè insufficiens & imperfectum esset; & deberet necessario poni, in Deo aliud Verbum: quia illud aliud obiectum repræsentabile Deus sine dubio intelligeret, ac diceret, seu loqueretur: ergo per aliud Verbum suum. Eamdem perfectionem clarè explicauit Basilius hom. 16. paulò post medium dicens. *Cur Verbum? Quoniam imago est Genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem diducens, & perfecta in se existens.* Si Verbum ob suam Verbi perfectionem, demonstrat in se ipso totum Deum Patrem, nullam omnìno ipsius particulam, seu quasi partialem rationem demonstrate omittens; ergo vi sua demonstrat ac repræsentat, non solum essentiam diuinam, & Patris personam, sed etiam alias Filij & Spiritus sancti personas, quæ in ipso Patre formaliter sunt, & creaturas omnes possibiles, quæ necessario in eodem Patre sunt, non formaliter, sed eminenter.

Athanasius.

Basilius.

28. Augustinus.

Consequentia Enthymematis principalis, quòd scilicet ex hac Verbi perfectione necessariò sequatur, vt actualis intellectus Dei, seu cognitio necessaria ad hoc vt illius vi tale Verbum emanet, habent idem omnino obiectum, quod habet Verbum; nec plus, nec minus repræsentet, quam repræsentat Verbum, probatur primo ex Augustino l. 15. de Trinitate cap. 14. circa principium, vbi quod *se ipsum dicens Pater, genuit Verbum sibi æquale per omnia*, ita optime probat, *Non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in seipso*: vtique dicente, & intelligente per Verbum à se genitum; de Patre enim sub ista ratione dicentis, ac loquentis esse intelligendum Augustinum, est manifestum ex prioribus eius verbis. Vnde immediate post ita clarissime subiungit, *Ideo Verbum hoc verè Veritas est, quoniam quidquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est. Quod autem in ea non est, nec in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum numquam potest; quia immutabiliter sic se habet, vt se habet de quo est.* Patrem se ipsum integrè, perfectèque dicere, nil aliud est nisi, Patrem, se ipsum perfectissime intelligendo, proferre Verbum suum. Sed hoc affert Augustinus pro ratione à priori, ob quam Verbum sit per omnia æquale intellectioni Patris, perfectissime dicentis se ipsum in prolatione Verbi sui. Igitur per Augustinum, ex eo quòd Pater se ipsum perfectissime intelligat & dicat, nascitur vt Verbum eius eumdem Patrem perfectissime manifestet, nec minus, nec amplius. Ergo ad hoc, vt Verbum Dei habeat hanc perfectionem manifestandi perfectissimè Patrem, & consequenter quidquid est in Patre & formaliter & eminenter, per se requiritur, & formaliter ex necessitate producendi tale Verbum, vt cognitio, ex qua producitur, sit perfectissima comprehensio Patris, & aliarum diuinarum personarum, & creaturarum omnium. Itaque Augustinus in re sic arguit, Pater gignit Verbum, integrè ac perfectè intelligendo se ipsum. Ergo hoc Verbum, sub formali ratione Verbi, integrè perfectèque repræsentat Patrem. Quæ consequentia non esset necessaria, nisi supponeretur, quòd tanta repræsentandi perfectio per se requiritur in cognitione producente Verbum, quanta est in ipso Verbo producto. Quam commensurationem, & æqualitatem in intentionali obiectorum repræsentatione clarius expressit ipsemet Augustinus illis aliis verbis, *Quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso Verbo est*, esse in scientia, vt formaliter scientia, est esse obiectiue, seu repræsentatiuè. Sic etiam est esse in Verbo vt Verbo formaliter: & cum negatiuè etiam addat, *Quod in ea non est, nec in ipso est*; non obscurè indicat, hanc repræsentandi æqualitatem esse formalem & necessariam, non concomitantem & contingentem. Quod magis explicat vltimò dicens, *Verbum sic se habet, vt se habet de quo est*, hoc est, vt antea dixerat, *scientia de qua genitum est.*

29. *Confirmatur secundo ex Fulgentio.*

Probatur secundo ex Fulgentio, qui hanc ipsam Augustini doctrinam clarius & profundius videtur tradidisse libro 3. ad Monimum aliquantò ante finem. *Cum mens*, inquit, *cogitat, & cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum, & sic illud verbum generat de se, vt genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens de qua nascitur; quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea verbum non sit, ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est: & cum apud illam est, in illa est; & quanta illa est, tantum etiam verbum est; quia de tota, & in tota est; tantumque est ipsum verbum, quanta simul est, & mens ipsa cum verbo.* Verbum vt verbum, habet repræsentare obiectum; hoc idem habet mens actualis, siue ipsa intellectio Dei Patris, vt intellectio est. Ergo cum Fulgentius dicit, *Non minus aliquid habet Verbum, quam mens*, est intelligendus de habere repræsentando obiectum. Hoc autem dupliciter probat, primo quia verbum nascitur de mente; ergo verbum natum de mente, non potest plus repræsentare, quam repræsentet mens de qua nascitur; id enim quod ab aliquo procedit, habere non potest maiorem perfectionem, quam principium ex quo procedit. Ergo si Verbum diuinum repræsentat diuinas personas, idque habet ex vi paternæ intellectionis, vnde procedit, hæc vtique vt formaliter producens tale Verbum, non potest non habere, imo non potest concipi vt non habens perfectionem repræsentandi diuinas personas. Secundo profundius, quia diuinum Verbum non solum est de tota mente Patris, & apud totam mentem Patris, sed etiam est intra totam, & in tota mente Patris: hos enim omnes essendi modos, quos habet Verbum respectu mentis Dei Patris, acutè & non otiosè distinguit Fulgentius: quem ita explico. Verbum Dei non solum procedit ab intellectu Patris, & manet apud illum, qui intellectus est ipsa actualis Sapientia Dei Patris; sed etiam est in illa sapientia, & intra illam sapientiam; quia, vt definit Augustinus supra art. 2. num. 1. & cum eo omnes Theologi, Verbum est ipsamet *nata sapientia*, quæ omnino eadem est in Patre, non tamen vt nata, sed opposito modo vt se ipsam communicans per alterius personæ natiuitatem, seu generationem. Verè igitur Verbum non aliunde habet repræsentare obiectum, quam ex ipsa sapientia Patris sibi per generationem communicata. Vnde euidenter intelligitur, non posse Verbum, seu sapientiam genitam repræsentare plus, aut minus, quam repræsentet

sapientia

sapientia generans: & esse necessariam ac formalissimam consequentiam, sapientiam; vnde procedit tale Verbum, esse debere actualem repræsentationem diuinarum personarum, vel alterius obiecti, si tale Verbum repræsentat diuinas personas, vel aliud obiectum; quia hanc vim repræsentandi hæc vel illa obiecta non habet tale Verbum nisi formaliter ex ipsa sapientia generante, quam vt genitam, seu vt communicatam sibi per generationem habet intrinsecè in ipso, & intra ipsum.

30. *Confirmatur secundò ex Cyrillo.*

Hanc ipsam rationem breuius significasse mihi videtur Cyrillus Alexandrinus, tum paulò obscurius Dialogorum de Trinit. lib. 2. inter medium & finem, cum Verbum Dei vocat, *Verbum refertum mente*; quia scilicet est tota ipsa sapientia Patris, sed genita; vnde oritur, vt non possit plus repræsentare sapientia Verbi genita, quam sapientia Patris generans: tum clarius post nonnulla de eodem Verbo Dei subiungens, *Manet in mente, quæ genuit; & mentem, quæ genuit, in se habebit, sufficientissimèque & manifestè demonstrabit.* Distinguit in Verbo, manere in mente, & habere in se mentem. Ex hoc secundo prouenit, vt tanta sit perfectio mentis genitæ, quanta est mentis generantis; imò vt sit prorsus eadem: & propterea in Verbo perfectio repræsentandi hoc vel illud obiectum, per se necessariò postulat, vt illud Verbum per se necessariò procedat à sapientia habente eamdem repræsentandi vim. Et lib. 1. Thesauri c. 7. aliquanto ante finẽ, loquens de generatione Verbi ex mente Patris, ait, *Nec defluxum mens passu est aliquem, quia sapientiam genuit, sed tota mens in sua natura conseruata est, & tota in sapientia depingitur, & in ea videtur.* Docet, ideo mentem Patris nulla ratione imminutam esse per generationem Verbi, & sapientiæ; quia tota sapientia manens in Patre dicente, communicata est Verbo suo dicto. Quapropter tota sapientia generans, quasi depingitur, & videtur, ac verissime est in sapientia genita. Bona igitur est consequentia, qua ex perfectione Verbi repræsentantis diuinas personas, deducitur, ad generationem talis Verbi esse per se necessarium, vt cognitio, vnde illud emanat, habeat perfectionem repræsentandi diuinas personas. Atque idem vniuersaliter dicendum est de quocumque alio obiecto, si quæratur, An ex eius cognitione per se procedat Verbum: si enim Verbum per se, ac necessario illud repræsentat, necesse est vt ex illius cognitione per se procedat Verbum. Quam vniuersalem consequentiæ regulam videtur apertè probare S. Thomas in hoc art. ad 5. applicans illam casui omnium infimo, & docens, *quòd eo modo, quo scientia Dei est non entium; & Verbum Dei est non entium: quia non est aliquid minus in Verbo Dei, quam in scientia Dei, vt Augustinus dicit. Sed tamen Verbum est entium, vt expressiuum, & factiuum: non entium autem vt expressiuum, & manifestatiuum.* Igitur applicando etiam ad hunc casum nostrum, si Verbum Dei est per se expressiuum diuinarum personarum, scientia Dei, de qua procedit, esse pariter debet diuinarum personarum expressiua.

S. Thomas.

l. 15, de Trin. c. 14.

31. *Alia conclusionis ratio.*

Eamdem secundam conclusionem probare secundo possumus ex prima conclusione. Certum apud omnes est, Verbum diuinum procedere per se ex cognitione essentiæ diuinæ: & quoniam hoc Verbum est perfectissimum, tum in ratione essendi, tum in formali ratione repræsentandi, quæ conuenit Verbo, vt formaliter Verbo; ideo illa cognitio ex qua per se procedit, repræsentare debet perfectissimo modo obiectum diuinæ essentiæ. Ergo Verbum hoc per se procedit ex cognitione intuitiua, & comprehensiua essentiæ diuinæ: hæc enim est perfectissima cognitio propria Dei, & incommunicabilis creaturæ: nam cognitio abstractiua Dei haberi potest naturaliter; & intuitiua, sed non comprehensiua, communicatur supernaturaliter Beatis. Verè enim cognitio Deitatis non intuitiua, & non comprehensiua, includit imperfectiones & obscuritatis respectu obiecti in se, & inadæquationis cum obiecto; quæ cogitari non possunt in diuina cognitione, neque vt cognitio est materialiter, neque vt formaliter est principium vi cuius gignitur perfectissimũ Verbum, perfectissimo modo expressiuum illius essentiæ, ex cuius cognitione per se procedere conceditur. At verò ex probatis supra in tomo 1. q. 12. art. 8. & 7. cognitio intuitiua Dei esse non potest, quin videantur omnia quæ in Deo formaliter sunt, siue absoluta, siue respectiua, ita vt implicet, videri Deum non visis personis, & videri vnam personam non visis reliquis: cognitio etiam Dei vt comprehensiua, multò magis postulat videre hæc omnia, & præterea illa etiam quæ in Deo eminenter continentur, quæ sunt creaturæ omnes. Ergo non solum ratione Verbi procedentis, sed etiam ratione cognitionis ex qua procedit, dici debet Verbum necessario, & per se procedere ex cognitione diuinarum personarum. Aduersariorum argumenta soluentur commodius in fine sequentis dubitationis.

DVBITATIO V.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione omnium diuinarum personarum.

SVMMA.

1. *Verbum non procedere tantum ex cognitione Patris intuitiua, num. 32. ad 35.*
2. *Verbum procedere ex cognitione Spiritus sancti, n. 35. & 36.*
3. *Occurritur argumentis pro sententia Scoti, num. 37. ad 45.*
4. *Occurritur argumentis pro sententia Vazquez, n. 45. ad 49.*

32. *Non procedere ex cognitione Patris tantum.*

PRima conclusio. Verbum non procedit per se ex cognitione intuitiua Deitatis, & Paternitatis tantum. Est communis sententia, contra quam referuntur quidam Thomistæ, inter quos numeratur Caietanus in hoc 3. articulo; sed immeritò, quia respondens ad 2. Scoti, docet, *quòd nullum inconueniens est, Verbum procedere ex se ipso, & Spiritu sancto vt notis Patri, id est, ex notitia, quam habet Pater de eis; imò hoc est necessarium propter allatam rationem:* nimirum à nobis num. præcedente explicatam de processione Verbi per cognitionem comprehensiuam essentiæ diuinæ. Referuntur igitur quidam alij Thomistæ dicentes, Verbum procedere per cognitionem quasi abstractiuam Filij, & Spiritus sancti, & intuitiuam tantum Dei & Patris: moti fortasse ex eo, quod Deus Pater tantum præsupponitur prioritate originis ad productionem Filij & Spiritus sancti. Videtur autem intellectu difficile, asserere, cognitionem intuitiuam existentium personarum esse necessariam in actu primo, vt per talem cognitionem produci possint illæ personæ.

Caietanus.

33. *Conclusionis probationes.*

Nihilominus ista sententia ex omnibus rationibus & authoritatibus allatis pro secunda conclusione præcedentis dubitationis impugnata remanet: illæ enim efficaciter probant, Principium processionis Verbi intra Deum, aliud esse non posse nisi cognitionem intuitiuam, & comprehensiuam omnium trium diuinarum personarum. Impugnari præterea potest specialiter ex iis quæ concedit. Primò cum dicitur, Verbum procedere per cognitionem

nem abstractionum Filij & Spiritus sancti, vel primo ista cognitio terminatur actualiter ad Deum Patrem tantum, ita vt dicatur abstractiua non in actu, sed quasi in radice; & hoc est impossibile, quoniam esto videri possit Deus sine vlla persona, tamen omnino implicat, videri intuitiuè Patrem, & nullo modo actu cognosci Filium, quod concedunt etiam illi qui volunt, nullam esse implicantiam in visione Dei absque vlla personalitate, vt de Paludano & Scoto notaui in 1. tom. q. 12. art. 8. n. 4. & 13. & expressè docent quamplurimi Patres relati supra q. 28. art. 1. n. 6. ex Philosopho docente, Correlatiua esse simul natura & cognitione. Vel secundo terminatur etiam actualiter ad Filium & Spiritum sanctum, sed ad hos abstractiuè, ad Patrẽ vero intuitiuè; & hoc etiã minus rectè dicitur, tum quia tunc etiã aduersarij, non vitant illud apparens absurdum, cuius vitãdi gratia istam sententiam introduxerunt; quo modo scilicet principium processionis Verbi sit illa cognitio, quæ pro obiecto suo habet ipsum Verbum actu existens: hoc enim non tollitur ex eo quòd cognitio sit abstractiua, quia nos abstractiuè demõstramus existentiã Dei: neque enim cognitio dicitur abstractiua, ex eo quòd non cognoscat obiectum existens, sed quia non cognoscit illud prout in se est secundum omnia quæ in illo sunt simpliciter cognoscibilia à tali potentia: præterquam quòd sicut Verbum diuinum non potest esse neque concipi sub non esse, vt ostendi supra q. 27. art. 1. dub. 4. & 5. ita nec sub esse possibili. Tum quia Deus Pater non solũ est relatiuum respectu Filij; qua formali & præcisa ratione difficillimè probari posset, viso intuitiuè Patre, non posse cognosci abstractiuè Filium, sed esse necessarium videre etiam intuitiuè Filium; verum etiam ratione Deitatis sibi identificatæ, est omnino idem in re cum Filio & Spiritu sancto: viso autem intuitiue obiecto in seipso immediate, est impossibile eadem intuitione non videre omnia quæ in re sunt idem quod est illud obiectum; alioqui non videretur sicut in se est in re, sed vt præcisum ab eo quod in seipso est in re; quod quidem non est videre intuitiuè, sed abstractiuè & præcisiuè. Hanc identitatem diuinarum personarum ratione cõmunis essentiæ, quam circuminsessionem vocant Theologi, spectans Filius Dei Ioan. 14. dixit Philippo quærenti videre Patrem, *Qui videt me, videt & Patrem: quia ego in Patre, & Pater in me est.* Vbi idem videndi verbum, quod propriè significat intuitionem, de vtraque persona eodem modo dicitur: & sicut qui videt Filium, videt Patrem, quia Pater in Filio est; ita qui videt Patrem, videt Filium, videt & Spiritum sanctum, quia Filius & Spiritus sanctus sunt etiam in Patre. Quam ob causam dicere potuit Nazianzen. orat. 4. de Theologia aliquanto ante finem loquens de Verbo Dei, *quòd eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Qui enim Filium cognouit, ait Christus, Patrem quoque cognouit*, &c. Sed qui intuitiuè videt definitum, definitionem quoque intuitiue videat necesse est: v. g. videns intuitiue hominem, videt intuitiuè animalitatem & rationalitatem. Ergo minus consequenter dicitur ab aduersariis, videri intuitiue Patrem, & tamen non intuitiuè, sed abstractiuè videri Filium.

Nazianzen.

34. *Reijcitur cõtraria sententia effugium.*

Quòd si aliqui his impugnationibus commoti fortasse dixerint, Dari non posse intuitiuam cognitionem Dei Patris, præsertim comprehensiuam, qualis est diuina cognitio, quin etiam sit intuitiua Filij & Spiritus sancti; tamen totum hoc habere se identicè, & concomitanter, seu materialiter ad Verbi processionem: Verbum enim formaliter & per se procedere solum ex ea cognitione in quantum præcisè est intuitiua Patris, non autem Filij, & Spiritus sancti: sententia esset quidem minus obuia difficultatibus, tamen adhuc stare non posset propter rationes factas pro secunda conclusione præcedentis dubitationis, quæ probant, cognitionem Dei Patris, vt intuitiuam & comprehensiuam omnium diuinarum personarum, habere se formaliter ad processionem talis Verbi, & esse necessario requisitam ad producendum tale Verbum, & ex propria natura talis Verbi, quo perfectissima ratione, hoc est, & intuitiuè, & comprehensiuè, dicitur non solum Deitas, sed etiam tota Trinitas. Enimvero ex terminis ferè apparet inconueniens, ex cognitione diuina procedere Dei Verbum, quod per se & formaliter vt Verbum habeat dicere aliquod obiectum, quod illa cognitio per se & formaliter vt exprimens tale Verbum, non habeat cognoscere. Præterquam quòd adhuc remanet præcipua illa difficultas, supra n. 32. quam per hanc sententiam effugere contendunt. Si enim conceditur, quòd illa cognitio, ex qua Verbum Dei emanat, sit essentialiter intuitiua Patris, Filij, & Spiritus sancti, & non prius intuitiua Patris, quam Filij, & Spiritus sancti, sed simul natura & ratione intuitiua omnium, ergo cognitio intuitiua Filij & Spiritus sancti, quæ quoniam intuitiua est, fertur ad eos vt in se realiter existentes præsupponitur prioritate quadam rationis, siue originis ad processionem, qua Filius & Spiritus sanctus existentiã realiter accipiunt.

35. *Verbum procedere per se ex cognitione Spiritus sancti.*

Secunda conclusio. Cognitio Dei Patris, formaliter considerata secundum vim, quæ necessario & per se ad generationem diuini Verbi requiritur, debet intelligi terminata obiectiuè non solum ad Patrem & Filium, sed etiam ad Spiritum sanctum. Ita omnes, vno excepto Vasquez disp. 142. c. 4. qui concessit hanc conclusionem de Patre & Filio, negauit de Spiritu sancto; non quòd illa diuina cognitio quæ est intuitiua, & comprehensiua Patris & Filij, non sit etiam intuitiua, & comprehensiua Spiritus sancti; sed quia hoc vltimum illi conuenit in quantum cognitio diuina est, non in quantum est formaliter diuini Verbi productio. Quæ sententia proprium illud habet incommodum, quia cum admittat, Verbum posterius Patre secundum originem, esse obiectum cognitionis, qua Pater producit ipsum met Verbum; difficilè ab obiecto eiusdem cognitionis excludere potest Spiritum sanctum ex posterioritate originis, quam habet respectu Patris & Verbi: sicut enim non absurdum, idẽ Verbũ quod se ipsum producere non potest, præcedere vt obiectũ in cognitione producẽte ipsummet Verbum; ita facilè potuisset non reputari absurdum, Spiritum sanctum, qui non potest producere Verbum, sed contra potius à Verbo producitur, præcedere etiam vt obiectum cognitionis producentis Verbum. Quare congruentius dixisse videntur ij, qui cum absurdum esse putarent, posterius origine esse obiectũ cognitionis qua producitur, tam de Spiritu sancto, quam de Filio, negarunt posse Produci per cognitionem vt formaliter terminatam ad Filium & Spiritũ sanctum tanquam ad obiectum; quia illa Patris cognitio, est origine prior non solum Spiritu sancto, sed etiã Verbo ipso.

36. *Probatio conclusionis.*

Sed hæc etiam conclusio probata remanet ex dictis pro secunda conclusione supra n. 26. Possumus vlterius ex propriis arguere, primò, quia Patris cognitio considerata formaliter vt terminata ad Spiritum sanctum, non est minus fœcunda, quam vt formaliter terminata ad Patrem, & ad Filium: quia sub vtraque obiectiua terminatione est prior origine, siue omnino à se, & à nullo alio principio accepta & communicata, est infinita, est necessaria, quia sicut summa essentiæ diuinæ necessitate cum illa coniungitur personalitas Patris, & personalitas Filij, ita & personalitas Spiritus sancti. Hæ autem sunt omnes conditiones necessariæ & sufficientes ad diuini

nini actus fœcunditatem. Ergo Verbum æquè per se & formaliter procedit à cognitione Patris vt terminata ad Patrem & Filium, siue etiam vt terminata ad Spiritum sanctum. Confirmatur, quia diuina cognitio vt obiectiuè terminata ad Spiritum sanctum, pertinet essentialiter ad intellectum Dei Patris, si enim illi deesset hæc perfectio intelligendi Spiritum sanctum, non esset intellectus perfectissimus, ac proinde non esset diuinus. Intellectus autem Dei Patris totus quantus est communicabilis, & non formaliter per alium actum nisi cognitionis, quæ non potest communicare adæquatè intellectum, in cuius essentiali obiecto includitur etiam Spiritus sanctus, nisi vt formaliter & adæquatè terminata etiam ad Spiritum sanctum. Arguo secundo hoc ipsum magis explicando. Certum est, Verbo ex vi formali suæ processionis esse communicatum totum essentialiter intellectum Patris, totamque illius sapientiam, qua essentialiter comprehendit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: alioqui Verbum vt genitum per sapientiam Patris, non acciperet adæquatè ac perfectè illam sapientiam, nec esset illi æquale in repræsentando, & consequenter in essendo, & ratione suæ formalis processionis, vt formaliter Verbum, non haberet vim dicendi se ipso totam sanctissimam Trinitatem. Sed intellectus vt terminatus essentialiter ad tale obiectum, nempe Spiritum sanctum, communicari non potest per cognitionem, quæ non intelligatur terminata ad Spiritum sanctum. Ergo Verbum Dei procedit per cognitionem non solum specificatiuè terminatam ad Spiritum sanctum, sed etiam reduplicatiuè vt terminatam ad Spiritum sanctum. In quo discursu, illud tamquam omnino indubitatum supponitur, quòd cognitio per se concurrens ad generationem Verbi, sub ea formalitate ac perfectione intelligi debet concurrere, sub qua communicatur Verbo ex vi formali generationis. Si enim Verbum, vt formaliter Verbum, non generatur nisi per cognitionem; & non communicatur illi cognitio nisi vi eiusdem cognitionis, fit prorsus inintelligibile, vi formali processionis per cognitionem communicari Verbo adæquatam Patris cognitionem vt terminatam etiam ad Spiritum sanctum, & nihilominus istam communicationem non esse factam vi paternæ cognitionis vt terminatæ formaliter etiam ad Spiritum sanctum. Sed Verbo diuino communicatur Patris cognitio, etiam sub formalitate ac perfectione repræsentandi Spiritum sanctum, alioquin esset Verbum diminutum & imperfectum, & plus intelligeret Pater, quam diceret Verbum Patris. Ergo ad Verbi generationem per se intelligi debet cõcurrere Patris cognitio, etiam sub formalitate ac perfectione intelligendi ac repræsentandi Spiritum sanctum.

Occurritur argumentis pro sententia Scoti.

37. *Prima obiectio ex eo quod sola essentia sit obiectum primarium diuinæ cognitionis.*

Obiicies primò. Diuinæ cognitionis obiectum, saltem primarium, est sola essentia; Personæ verò sunt obiectum secundarium, hoc est, terminatiuum, non motiuum, quod est sola essentia, vt concessi cum Caietano in 1. tomo q. 12. art. 8. n. 17. & fusius cum multis aliis in 2. tomo q. 14. art. 2. à num. 9. sola enim essentia est ratio, & quasi medium cognoscendi personas, nulla autem personalitas, aut relatio est ratio videndi essentiam; cum non essentia in relationibus, sed relationes in essentia eminenter contineantur, & quasi radicentur; & relationes cum essentia identificentur, inter se autem distinguantur: vnde oritur vt personalitates petant per eamdem intuitiuam cognitionem simul videri ratione essentiæ cum qua identificantur; non ratione propriarum formalitatum inter se realiter distinctarum. Essentia etiam est essentialiter communicabilis & terminabilis & per summam identitatem vnibilis tribus personalibus subsistentiis, vt supra q. 28. art. 2. à n. 108. nulla autem personalis subsistentia per se habet identificari & esse vnum cum aliis, à quibus realiter distinguitur. Neque creaturæ continentur eminenter in solis personalitatibus per se, sed in sola essentia. Quæ omnia probabilissimè ostendũt cognitionem diuinam actu terminatam ad essentiam, personas, & creaturas, habere pro obiecto motiuo solam essentiam, non creaturas, nec personas. Ex hac autem sententia sequi videtur, Verbum non procedere primario, & per se ex cognitione personarum; sed solum secundariò, & concomitanter, & quasi per accidens.

Respondetur inde non sequi, ex cognitione solius essentiæ procedere Verbum.

Respondeo, concesso antecedente, negandam esse simpliciter consequentiam. Quamuis enim ex eo quod diuinæ cognitionis obiectum primarium sit essentia, personæ verò, sicut etiam creaturæ, sint obiectum secundarium purè terminatiuum, non motiuum, sequatur, quòd Dei Verbum procedat ex cognitione Patris vt primario terminata ad essentiam, & vt secundariò terminata ad personas, & ad possibilia; nego tamen procedere concomitanter, & quasi per accidens, ex cognitione personarum, & possibilium: quoniam personæ & possibilia ita sunt obiectum secundarium, vt tamen intellectioni diuinæ, etiam si præcisè consideretur quatenus fertur circa Diuinitatem, sit absolute necessarium, imò etiam essentiale, ac proinde prius origine, ferri actu circa personas, & possibilia, quocumque tantem modo feratur; ita vt ne ratione quidem ratiocinata distingui possint duæ diuinæ intellectiones, altera circa essentiam tantum, altera circa personas; neutra enim esset essentialiter diuina, hoc est, infinite simpliciter perfecta in ratione intelligendi, ac repræsentandi omne simpliciter intelligibile.

38. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò. Intellectio diuina prout essentialis, prius ratione est in hoc Deo, quam in personis; cum personalitates non sint de essentia Dei, sicut est intellectio, vt in superioribus probauimus. Ergo in illo priori ferri non potest in personas.

Respondetur personalitates esse de essentia diuinæ cognitionis, vt obiectum, non autẽ Dei.

Respondeo, negando consequentiam: quia etiam in illo priori, diuina intellectio, si rectè concipitur, concipi debet vt perfectissima intuitio, & comprehẽsio diuinæ naturæ. Esto igitur illa intellectio prius quasi subiectiuè, concipi possit in hoc Deo, quam in personis; tamen concipi non potest cum fundamento in re prius obiectiuè, seu terminatiuè circa Deum, quàm circa personas. Qui enim concipit intellectionem diuinam circa Deum, non circa personas, non concipit illam vt diuinam, hoc est, vt intellectionem perfectissimã omnium, quæ circa tale obiectũ, nempe Deitatem, versari possunt. Intellectioni diuinæ, vt diuina est, ita est essentiale ferri circa personalitates, sicut essentiale est esse comprehensionem Deitatis; licet personalitates ad Deitatis essentiam non pertineant, nimirum in ratione rei, nõ in ratione obiecti.

39. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò Verbum & Spiritus sanctus non possunt esse principiũ generationis Verbi, quia nulla persona potest esse principium producens se ipsum; & persona procedens tãtum, qualis est Spiritus sanctus, non potest esse principium personæ producentis ipsam, qualis est Verbum respectu Spiritus sancti. Ergo Verbum non potest procedere per se ex cognitione Verbi & Spiritus sancti. Probatur consequentia, quia obiectum, cum specificet cognitionem, est principium cognitionis, & termini cognitionis.

Respondetur Verbum non procedere ex

Respondeo, Antecedens à nemine posse negari: quamuis enim Caietanus loco & verbis relatis supra num. 32. quem sequitur noster Valentia quæst. 7. de

Spiritu sancto, sed ex cognitione Spiritus sancti.

Trinitate puncto 2. ad 2. dicat, *Verbum procedere ex se ipso, & Spiritus sancto, vt notis Patri*: per hoc tamen non intelligit ipsum Verbum & Spiritum sanctum, sed tantum notitiam Verbi & Spiritus sancti; & ideo illam reduplicatiuam, *vt notis Patris*, ita exponit, *id est ex notitia quam habet Pater de eis*. Concesso igitur antecedente, neganda est consequentia: cuius probatio nulla est, quia supponit, Diuinas personalitates, seu relationes, esse per se & formaliter obiectum diuinæ cognitionis, cum sint purus illius terminus, nullum prorsus influxum, aut quasi influxum habens in illam, & in terminum ad illa productum, vt probatum est locis supra citatis, & ad hoc propositum acutè obseruauit Suarez l. 9. de Trinitate cap. 5. num. 5. & 6. Verbum enim & Spiritus sanctus, imo etiam ipsa paternitas, in cognitione diuina Patris non concurrunt in ratione speciei intelligibilis, per se mouendo & determinando intellectum Patris, sed solum terminando. Quod multi explicant dicentes, Personas esse diuinæ cognitionis obiectum terminatiuũ, non motiuum: solam vero essentiam esse obiectum motiuum, & concurrere vt speciem intelligibilem; quoniam ipsa sola est ratio, & quasi medium cognoscendi omnes personalitates, & relationes, ex eo quòd fundentur & vniantur per identitatem in essentia propter ipsam essentiã, non propter se ipsas, quæ sunt realiter oppositæ ac distinctæ: ergo visa & comprehensa essentia, intelligitur sufficienter determinatus, & quasi motus intellectus diuinus ad videndas personalitates & relationes omnes: contra vero, Relationes ex se consideratæ sine essentia, nullam habent vnitatem, sed realem distinctionem; ergo ex se non petunt per eamdem intuitiuam cognitionem simul videri.

Suarez. *Personalitates esse diuinæ cognitionis terminũ, non obiectũ.*

40. *Idem probatur primo.*

Et quoniam existimo, hanc sententiam de diuinæ cognitionis obiecto, quod sit sola essentia, & nulla persona, esse omnino necessariam ad probabilem intelligentiam huius mysterij, eam suadeo primo per conuincentem rationem in obiectione factam: quia si Verbum & Spiritus sanctus habẽt propriam & formalem rationem obiecti, ergo specificatiui & motiui. Ergo influunt vt principium in terminum illa cognitione productũ. Quod enim est propriè obiectum, & intelligibilis species alicuius cognitionis, est etiam principium Verbi per cognitionẽ illam producti. Neque satisfaciunt aliqui dicentes, Verbũ non procedere ab obiecto nisi prout est principium productiuum per intellectionem, cuiusmodi obiectũ non est Verbum, aut Spiritus sanctus, sed solus Pater; & ideo solum Patrẽ esse obiectũ intelligibile à quo procedit Verbũ: hæc enim videtur quędã petitio principij; quia obiectio cõtendit, Verbum & Spiritus sanctum esse propriè & formaliter obiectum diuinæ cognitionis, vnde deducit, quòd si diuina cognitio producit per se Verbum, etiã prout habet pro obiecto Verbum & Spiritum sanctũ, has quoque personas, vt obiectum cognitum, esse principium productiuũ Verbi per intellectionem. Ergo vel dicendum, quod non omne quod est propriè & formaliter obiectũ, sit principium Verbi, quod contradicit Philosophię de obiecto specificante & mouente cognitionem: vel negandum, vt nos fecimus, quod Verbum & Spiritus sanctus sint obiectũ motiuum diuinæ cognitionis: sed tunc difficile erit assignare rationẽ, cur tale obiectum sit Pater, nõ Verbũ, nec Spiritus sanctus, cum eadẽ ratio sit de omnibus. Quod enim assignant, Patrẽ esse primum suppositũ à se ipso habens esse & intelligere, quæ Verbũ & Spiritus sanctus habent ab alio, probat quidem, Intellectionẽ prout est in Patre tantum, nõ in Verbo, aut Spiritu sancto, Verbũ producere; sed nõ pro-

bat, solã paternitatem esse obiectũ, non Filiationẽ, aut passiuã spirationẽ. Vnde arguo 2. quia Filius & Spiritus sanctus cognoscunt Patrẽ eadem cognitione, qua Pater cognoscit se ipsum. Sed illis paternitas nõ potest esse ratio cognoscendi per modum speciei intelligibilis, quia paternitas ab illis realiter distinguitur. Ergo neque Patri. Tertio natura diuina per se cõsiderata continet eminenter, seu virtualiter, ac radicaliter, perfectiones omniũ relationum & personalitatum, quatenus ob suã infinitam & essentialẽ fœcunditatẽ, essẽtialiter petit terminari actu tribus relatiuis subsistẽtiis, & referri quatuor relationibus. Ergo illa per se, si perfectè cognoscatur, & comprehendatur est sufficiens principium, ac ratio, vt tamquã species intelligibilis moueat ad cognoscendum relationes; sicut obiectum primarium, ex se, & ex propria intelligibilitate, & non ex vi, seu virtute obiecti secundarij, mouet ad intelligendum obiectum secundarium. Ergo nulla diuina persona debet ad diuinam cognitionem comparari, vt formale obiectum, & consequenter, vt principium illius; sed solum vt res simpliciter cognita, siue vt purus terminus secundario cognitus.

Probatur secundo.

Probatur tertio.

41. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Prius ratione est, Deum esse Deum, & consequenter, esse intelligentem, quam esse personalitates in Deo; quia illud est commune, hoc proprium; *Communia vero*, inquit S. Thom. supra q. 33. art. 3. ad 1. *absolutè dicta, secundum ordinem intellectus nostri, sunt priora quam propria.* Ergo in illo priori rationis concipere possumus, Deum intelligere naturam suam sine personalitatibus; saltem non intelligere personalitates cognitione intuitiua, quia in illo priori non supponuntur esse personalitates. Cognitio autem intuitiua supponit esse suum obiectum. Vnde etiam augetur difficultas; quia cognitio per quam procedit Verbum, non supponit existere Verbum, nec Spiritum sanctum. Ergo illa esse non potest cognitio intuitiua Verbi & Spiritus sancti.

Respondetur exponendo cũ S. Thoma, quo modo in diuinis communia sint priora propriis.

Respondeo, distinguendo primam propositionẽ; illud enim est prius ratione imperfectè concipiente; quod significat S. Thomas dicens, communia esse propriis priora ratione, non simpliciter, sed limitanter *secundum ordinem intellectus nostri:* non autem ratione perfectè concipiente, qualis est ratio diuina. Quare fundamentalis, seu virtualis illa prioritas, quam in se habet Deus, vt prius in illo cum fundamento in re concipi debeant communia & absoluta, quam propria & relatiua, fundamentum, ita concipiendi præbet intellectui creato imperfecto, non autem intellectui increato perfectissimo, qui res indiuisibilis videt indiuisibiliter prout in se sunt, absque vllo ordine prioris & posterioris in videndo, quem ordinem actualiter & formaliter non habet in se res visa. Ex hac igitur rationis prioritate non sequitur, posse nos cum fundamento in re concipere intellectum diuinum cum cognitione abstractiua, & non intuitiua personalitatum.

42. *Distinguitur duplex modus concipiendi res diuinas.*

Pro qua difficultate & aliis similibus, aduertendũ in genere est, quod in primo tomo nõ semel vberius in propriis locis explicaui, & in hac materia præcipuũ vsum habet ad soluendas nõnullas obiectiones, quæ nonnullis nouis Theologis nimis molestæ esse videntur; aliud esse per rationem nostrã cõcipere in Deo, eique tribuere, quæ verè in Deo non sunt: aliud vero ex iis, quæ verè in Deo sunt, concipere vnum, non concepto alio. Primum enim semper est falsum, & illicitum. Secundũ verò potest esse licitũ, & habere fundamentũ in rebus ipsis formaliter existentibus in Deo, sed in vnum identificatis, v. g. Non possumus rectè cõcipere in aliquo signo, seu priori quodcumque illud sit, siue naturæ, siue rationis, siue

originis, Filium, aut Spiritum sanctum vt possibilẽ, vt futurum, vt producendum, vt non productum, vt non existentem: aut abstractiuam Dei scientiam de personis diuinis, & similia; quoniam hæc dicunt intrinsecè imperfectionem, existentem, non in conceptione nostra, sed in ipso obiecto diuino concepto. Quo fit, vt licet possimus concipere personam Dei Patris sine Filio, & intelligere Patris sine generatione Filij, & generationẽ Filij sine spiratione Spiritus sancti, & Patrem & Filium sine Spiritu sancto, & dilectionem Patris & Filij sine processione Spiritus sancti; quia in his omnibus à parte rei intercedit prioritas, & posterioritas originis, quæ est sufficiens fundamentum, vt propter nostram intelligẽdi imperfectionem, possimus concipere prius sine posteriori: tamen non possumus concipere, & dicere, Patrem ipsum æternum in illo priori originis intelligere suam Diuinitatem, & non alia; aut se, & non Filium; aut se, & Filium, & non Spiritum sanctũ: vel tunc existere Patrem, & non Filium; vel existere Patrem & Filium, & non Spiritum sanctum, vel Patrẽ intelligere, & non generare Verbum, aut simul cum Verbo non spirare Spiritum sanctum. Et ratio omnium est, quia prioritas originis, vt optimè distinguit Ochamus 1.d.1.q.5.litera R. est solum *à quo*, nõ *in quo*, hoc est, v.g. vt bene explicat Adam 1.d.1.q.12. art.2. ad 3. *Pater est prior Filio, quoniam Filius est ex Patre genitus, & non Pater ex Filio:* & ideo dici propriè deberet ordo originis potius quam prioritas originis; alioquin in Athanasij Symbolo omnes Catholici propriè & absolutè confitemur, *In Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus.* Esse igitur prius origine in diuinis, quod verè à parte rei est in re ipsa, non est esse prius sine posteriori; sed est solum, ita æquale necessitate esse simul duo, vt tamen hoc non sit ab illo, sed illud ab hoc; & præcisè propter istum solum ordinem procedentis, & producentis, hoc dicitur origine prius, illud origine posterius. Quod non tollit, vt in quocumque signo sit vnum, sit etiam aliud; & in quocumque signo intellectus perfectissimus diuinus videt vnum, videat quoque aliud. Quæ pura prioritas originis, absque vlla naturæ prioritate, inter personas producentes & productas, ac proinde inter se realiter distinctas, soli Deo propriissime conuenit; quoniã ibi solum, & non in creaturis reperitur eadẽ numero natura infinita in omnibus personis inter se realiter distinctis per proprietates nõ absolutas, sed merè relatiuas. Ex qua etiam prouenit, vt non possimus rectè cogitare, Deum in aliquo quouis priori, aut signo, habere cognitionem abstractiuam de aliqua persona, vel vt possibili, vel vt non existente; quia videndo essentiã non potest non videre suas omnes personalitates essentialiter connexas cum essentia. Benè autẽ concipitur Deus habere cognitionem abstractiuã creaturarum possibilium; quia hoc non est propter imperfectionem diuinę cognitionis, quasi vero illa res existentes non cognosceret intuitiuè vt existentes, sed abstractiuè vt possibiles: sed est propter imperfectionem creaturarum, quæ duplicem statum habere possunt, & puræ possibilitatis, & actualitatis existentiæ; vnde Dei cognitio denominatur abstractiua, & intuitiua. Quam imperfectionem non habent diuinæ personæ, quarum quælibet est necessario & essentialiter actu existens, vt alibi probatum est: & ideo si abstractiuè cognosceretur, id proueniret ex imperfectione cognitionis non obiecti. Ergo diuina cognitio ex se essentialiter perfectissima, non potest de diuinis personis esse, aut rectè à nobis concipi, nisi vt intuitiua.

Explicatur prioritas originis cum Ochamo & Adamo.

Athanasius.

Dei cognitio abstractiua respectu creaturarum, non respectu sui.

43. *Refertur &* Ex his solui facilè potest argumentatio illa, obiectioni vltimo loco addita, qua plerosque turbari nonnumquam vidi, cognitio per quã procedit Verbum, nõ supponit existere Verbum, & multò minus Spiritum sanctũ, qui à Verbo procedit: nam cum per illã cognitionem suum esse accipiat Verbũ, videtur planè inintelligibile, ante illam cognitionẽ supponi Verbum iam habens esse. Ergo Verbum ad illam cognitionẽ ex qua procedit, non potest comparari vt obiectum existens: semper enim obiectũ ex aliqua ratione prius actu, cuius obiectum esse dicitur. Ergo dici non potest, Verbum per se procedere ex cognitione intuitiua Verbi, & Spiritus sancti. Respondendũ in forma, concedendo simpliciter Antecedẽs, vt iacet; illa enim cognitio per quã producitur Verbũ, non potest supponere, seu præsupponere Verbũ productum, alioquin illa non esset prima productio, sed quędã reproductio per modũ conseruationis: verum illa cognitio producit Verbũ sibi coessentiale, & in nullo prorsus à se differens nisi in quadã proprietate purè relatiua; & dat Verbo existere essentialiter debitũ ipsi Verbo, & essentialiter inclusũ in intrinseco conceptu Verbi diuini, & essentialiter identificatũ cum ipsa cognitione producente; vnde oritur vt neque Verbũ concipi possit vt non existẽs, neque ipsa cognitio & natura diuina vt non habens, aut nõ generans Verbum; vt latissime probaui supra q.27. art.1.dub.3.4.5.& 7. explicato antecedẽte, distinguo primũ consequens: cum enim ita infertur, *Ergo Verbum ad illam cognitionem, ex qua procedit, non potest comparari vt obiectum existens*; si fiat vis in formali voce obiecti, cõcedo consequentiã: iam enim supra n.39. & 40. ostendimus, Verbũ respectu diuinæ cognitionis, nõ esse formaliter obiectum, sed formaliter terminum. Si verò obiectũ largius sumatur pro termino cognito, tunc dico, quòd ad cognitionem à qua procedit, Verbũ non potest comparari vt terminus existens antecedenter ad ipsam cognitionem, siue vt terminus præexistẽs in aliquo priori signo rationis, sic enim euidenter non posset intelligi in posteriori signo Verbũ primò procedere, & recipere esse à cognitione: potest autẽ cõparari vt terminus existens vi cognitionis, ita vt in nullo prorsus rationis signo, in nulla prioritate verũ sit esse cognitionẽ Verbi, & non esse Verbũ procedens à cognitione Verbi. Sicut Pater est prior origine Filio, sed in nullo priori licet re ctè concipere, esse Patrẽ & non esse Filium. Quãobrẽ proprius & formalius loquuntur dicentes, *Pater intelligendo producit Verbum*, vt loquitur S.Th. verbis citatis supra n.26. quam qui dicunt, *Quia Pater intelligit, ideo producit Verbum.* Primo enim modo loquẽdi ita significatur prioritas & posterioritas originis inter intellectionẽ & productionem, vt simul significetur omnimoda simultas in esse. Secundo autẽ modo ita significatur ille ordo originis, vt significetur etiã aliqua prioritas & posterioritas in esse, vt prius aliqua ratione sit esse intellectionis Verbi, quam sic esse productionis Verbi, quod est falsum. *Nam*, vt cõcedit ipsemet Vasquez disp.142.c.3.fine, *intellectio qua producitur persona, non debet esse prior secundum rationem, sed tãtum prior origine quã sit persona producta: prioritas autem originis, non est prioritas secundum rationem; sed quæ sunt origine priora aliis, solent esse simul ratione cum illis.* Vnde rectè Suarez l.9. de Trinit.c.4.fine docuit, in nullo signo rationis nos cum fundamento in re, posse concipere, Intellectionem Patris prius terminatam ad Verbum vt productum per illam, quam ad ipsummet vt per eamdem cognitum. Similiter à contrario concipi non potest Verbum esse cognitum, & non esse productum. Ex quo oritur vt hæc cognitio à qua procedit Verbum Dei non possit non esse intuitiua, sicut non potest in aliquo signo terminari ad Verbum non existens. Neque enim omnis cognitio intuitiua, essentialiter vt

Soluitur principua obiectio in hac materia.

Melius dicitur, Pater intelligẽdo producit Verbũ.

Vasquez.

Suarez.

Cognitionem qua procedit Verbum, esse intuitiuam.

vt intuitiua, quæcumque illa sit, siue creata, siue increata, supponit existere suum obiectum; quamuis enim hoc verificetur in creaturis, propter imperfectionem cognitionis, quæ producitur, & nihil producit; tamen non verificatur in Deo, cuius cognitio non producitur, sed producit Verbum perfectissimum, per se complete subsistens. Satis igitur est ad essentialem rationem cognitionis intuitiuæ vt sic, vt terminetur ad obiectum existens; siue sit præexistens vi alterius causæ, vt in creaturis, siue sit existens vi eiusdem cognitionis, vt in diuinis.

44. *Instantia.* Dices, Intellectum non adhuc omnino quiescere: quia concedit Verbum existens non solum formaliter vt terminus productus, sed etiam formaliter vt terminus cognitus cognitione Dei Patris, esto, vt probauimus, dici non possit existens vt formaliter obiectum. Ex his arguo sic, Terminus cognitionis prius aliqua ratione supponi debet esse in se, quam esse cognitus per extrinsecam denominationẽ à cognitione. Est enim cognitio veluti quædam via ducens intentionaliter ad terminum cognoscendum: omnis autem terminus præsupponi omnino debet ad viam, quæ ducit ad illum terminum.

Respondetur non semper esse termini cogniti præsupponi ad cognitionem. Respondeo, ex his quæ credimus de hoc incomprehensibili mysterio, negandam esse vniuersaliter primam propositionem. Quamuis enim illa vera sit in cognitionibus creatis, quæ percipiunt aliquod præsuppositum, sed nihil producunt; & in cognitione diuina respectu creaturarum, quas non solum cognoscit, sed etiam causat, producendo de non esse possibili ad esse actuale, vt supra q.14. art.8. tamen falsa est de cognitione fœcunda Dei Patris, quæ ita cognoscit suum intrinsecum terminum, vt illum etiam producat, non de non esse, sed de sua propria entitate ac subsistentia, vt supra quæst.27.art.1. dub.7. communicando illi totum suum esse absolutum, & producendo esse personale relatiuum Verbi, essentiale ipsi Verbo, & essentialiter saltem identificatum cum eadem numero natura & cognitionis & Verbi. Hinc enim necessario oritur, vt etsi cognitio, ex qua procedit Verbum, sit prior origine Verbo, hoc est, Verbum sit ex cognitione, non cognitio ex Verbo, tamen in nullo prorsus priori possit esse illa cognitio, seu, quod idem est, terminus cognitus per illam cognitionem, & non esse terminus per illam productus. Sicut enim, quod omnes sub his aliis terminis cum minori difficultate percipimus, & concedimus, Deus Pater est principium generatiuum Filij sui, eoque prior sola prioritate originis, & tamen propter omnimodam consubstantialitatem, & essentialem identitatem cum vna natura infinita, essentialiter sibi identificante omnes diuinas personalitates, & relatiuas earum existentias intrinsece & quidditatiuè inclusas in personalitatibus nemo potest cum veritate asserere, In aliquo priori signo esse Deum Patrem, & non esse Deum Filium: ita cognitio Verbi cogniti præcedit origine Verbum productum per illam cognitionem, tamen propter easdem rationes, quæ solum locum habent in diuinis intra ipsum Deum, numquam potest verè dici, aut concipi, esse illam cognitionem, aut, quod idem est, esse Verbum per illam cognitum, & non esse Verbũ productum; & multò minus à contrario, quod tamẽ directè contendit obiectio, esse Verbum productũ, & non esse illam cognitionem cognoscentẽ & producentem Verbum. Quod si quis adhuc non acquiescit, meminisse oportet infinitæ profunditatis mysterij, de quo disputamus; vbi si quæ difficiliora sũt, quæ minus percipere possumus, sed tamen ex aliis rebus, quas de Deo credimus, & Patres atque Scholastici cõmuniter concedunt, necessariò deducũtur, sunt potius concedenda propter authoritatem qua firmissimè nituntur, quam propter nostrã intelligẽdi imbecillitatem neganda. Cum igitur valde certa Theologica doctrina sit, Verbum diuinum, quo per se dicitur omnis necessaria veritas, nõ posse ab alia cognitione per se procedere, quam ab ea quæ cognoscit omnes veritates necessarias, inter quas fine dubio sunt, esse Dei Patris, esse Dei Verbi, esse Dei Spiritus sancti; hæc sanè doctrina videtur omnino à prudenti Theologo firmiter retinenda, tametsi argumenta contraria euidentissime solui nequeant.

Occurritur argumentis pro sententia Vasquez.

45. *Obijcitur quinto fundamentum Vasquez.* Obiicies quinto fundamentũ, quo præcipuè niti videtur Vasquez supra n.suo 16. vt excludat Spiritũ sanctum à cognitione Dei Patris, qua per se & formaliter producitur Verbum: quia si cõprehensio intuitiua, etiã Spiritus sancti, esset per se requisita ad productionẽ Verbi, sequeretur, *Verbum esse imaginem Spiritus sancti.* Consequens esse falsum constabit ex dicendis q. sequenti art. 2. Ergo falsum etiam est id vnde sequitur. Sequelã vero probat, quia tunc Verbum respectu Spiritus sancti haberet duo necessaria ac sufficientia ad rationẽ imaginis respectu sui exẽplaris, nimirum repræsentare & procedere. Verbum enim de facto repræsentat Spiritum sanctũ, quia nõ solum est Verbum dicens Patrem, & se ipsum, sed etiam Spiritum sanctum: & posita sententia nostra de processione Verbi per se à cognitione Spiritus sancti, tunc etiam, Verbum procederet modo intelligibili, vt ab obiecto, à Spiritu sancto: sicut imagines arte depictæ, quæ sunt veræ imagines, à rebus, quas repræsentant, procedunt solum modo intelligibili, vt ab obiectis. Quod si quis dixerit, Verbum procedit per se à cognitione essentiæ & sui ipsius, vt Vasquez etiam concedit, & repræsentat essentiam & se ipsum, & tamen non est imago essentiæ & sui ipsius; ergo idem de Spiritu sancto; instat Vasquez, non esse eamdem rationem; quia respectu essentiæ & sui ipsius, deest realis distinctio, quæ non deest respectu Spiritus sancti.

46. *Respondetur ex nostra sententia non sequi, Verbum esse imaginem Spiritus sancti.* Respondeo negando sequelam. Ad probationem dico, quòd procedere ex cognitione Spiritus sancti, siue ex Spiritu sancto & secundũ esse cognitum, & non procedere ex Spiritu sancto secundũ ipsum esse reale Spiritus sancti secundũ se, non est illud procedere, quod requiritur ad rationẽ imaginis: idque efficaciter ostendere videtur instãtia facta in obiectione, quia sequeretur, Verbum esse etiã imaginem sui ipsius, cum cõcedatur, illud procedere etiã à cognitione suiipsius. Neque satisfit, vt supra, afferẽdo defectũ distinctionis; nam procedere, quod est de ratione imaginis, illud ex se affert realem distinctionẽ imaginis ab imaginato, & non potest esse sine tali distinctione. Vnde Doctores omnes ad esse imaginis præter repræsentationẽ & processionem, non requirunt distinctionem realem, sed hanc supponunt in processione necessario inclusam. Cũ igitur constet, repræsentationẽ & processionem secundum esse cognitũ, siue intentionalẽ, reperiri in Verbo respectu sui ipsius absque ratione Imaginis, dicendũ est, processionẽ requisitam ad esse imaginis non esse intentionalem tantum, sed realem. Et ideo in processione à Patre, cuius imago est Verbum, non solum est processio à Patre vt cognito, siue vt obiecto cognitionis, sed etiã alia realis processio ab ipsa cognitione paterna secundũ reale suũ esse cognitionis. Etenim prima illa processio obiectiua, siue intentionalis, nõ videtur distincta à primo requisito repræsentationis; cum non sit aliud, nisi quod Verbum vt dictum à cognitione, repræsentet intentionaliter idem obiectum, quod repræsentat cognitio vt dicens Verbum. Quod confirmari potest ex duobus Patribus,

qui specialiter docentes, quòd Verbum non sit imago Spiritus sancti, id probant non ex defectu huius intentionalis processionis, sed solum ex defectu alterius realis processionis. Ita Anselmus in Monologio cap. 60. fine, loquens de Verbo Dei, ait, *Constat, ipsum esse imaginem, & Filium eius, cuius est Verbum: & patet, quòd nec imago, nec filius suimet, nec à se procedentis Spiritus, congruè dici potest. Nam nec ex seipso, nec ex procedente à se nascitur; nec seipsum, vt procedentem à se, nascendo imitatur. Seipsum quippè non imitatur, nec à se trahit existendi similitudinem; quia imitatio & similitudo non est in vno solo, sed in pluribus. Illum verò*, hoc est, Spiritum sanctum, *non imitatur, nec ad eius similitudinem existit; quia iste non habet ab illo esse, sed ille ab isto.* Anselmus.

Loquitur semper de similitudine & imitatione in existendo, & nascendo, secundum quam vnus habet & trahit esse ab alio: quæ procul dubio est processio realis, non intentionalis. Item Rupertus l. 2. de Trinitate cap. 2. fine, *Filius, sicut non Patris simul & Spiritus sancti, sed solius Patris Filius est: sic non Patris & eiusdem Spiritus sancti, sed solius Patris imago est.* Rupertus.

Non esse Filium imaginem Spiritus sancti, probat quia non est filius Spiritus sancti. Esse verò Filium, realem ac physicam processionem expressè importat. Ergo hæc omnino requiritur ad veram ac propriam rationem imaginis. Nec contrarium suadet exemplum in obiectione allatum de picturis ac statuis; quæ etiam non sunt imagines nisi per realem processionem, qua tum prototypum in genese causæ ideales, quæ, vt probatum in Physicis, ad efficientem reducitur, mouet artificem ad sui cognitionem & formationem, nimirum vt ita ab artifice cognoscatur & formetur, quale in se realiter ac verè est; tum ipsa artificis cognitio effectiuè concurrit, mouendo se, vel alios ad operis executionem iuxta illam formam, quæ verè & realiter est in exemplari. Hæc est expressa Sancti Thomæ sententia 4. contra gentes cap. 11. colum. 4. aliquantò post principium, *Similitudo*, inquit, *alicuius in altero existens, habet rationem exemplaris, si se habeat vt principium; habet rationem imaginis si se habeat ad id, cuius est similitudo, sicut ad principium.* Dicit, vt principium, non autem vt obiectum. Confirmatur solutio ex S. Thoma.

Idque docet benè probari exemplo artefactorum. *Quia enim similitudo artificiati, existens in mente artificis, est principium operationis per quam artificiatum est, comparatur ad artificiatum vt exemplar ad exemplatum.* Requirit esse principium operationis, quod reale quid est; & non requirit, esse obiectum cognitionis, quod est aliquid intentionale. Idque applicando etiam ad Verbum Dei, docet, illud esse imaginem Patris, quia ad Patrem *comparatur vt ad principium, cuius quædam emanatio est Verbum conceptum.* Esto igitur Spiritus sanctus sit obiectum cognitionis ex qua Verbum procedit, si non est principium emanationis Verbi, dici nulla ratione potest exemplar Verbi; sicut nec Verbum imago Spiritus sancti.

47. Sexta obiectio.

Obiicies sexto quod fusè proponit Vasquez à num. suo 18. ad 24. si per impossibile non daretur Spiritus sanctus, vel non cognosceretur à Patre, sed cognoscerentur tantum Pater & Verbum, adhuc Pater produceret Verbum diuinum; quia processio Verbi est origine prior processione Spiritus sancti; ergo possumus imperfecta saltem ratione nostra concipere processionem Verbi, non concepta processione Spiritus sancti. Ergo cognitio Spiritus sancti habet se concomitanter, & quasi per accidens ad productionem Verbi.

Respondetur explicando, quid consequenter dicendum, si non posset pariter poni ista de Verbo, si non procederet à cognitione Spiritus sancti; dico quòd produceretur Verbum, sed non ita perfectum, sicut modo est. Enim verò si non daretur Spiritus sanctus, non acciperet Verbum à Patre naturam ita communicabilem ac fœcundam, sicut de facto accipit. Et si daretur Spiritus sanctus, sed non cognosceretur, tunc per solam Patris & Verbi cognitionem diminutam, & minus perfectam, quàm de facto sit cognoscens etiam Spiritum sanctum, non produceretur Verbum necessario & essentialiter repræsentatiuum alicuius infinitæ ac diuinæ personæ, & ipsius etiam Diuinitatis secundum totam perfectionem & comprehensibilitatem suam; quale de facto est Verbum, quod per se produci probauimus ex cognitione vt terminata etiam ad Spiritum sanctum. Ex prædicta igitur hypothesi Impossibili non bene deducitur, ad huius Verbi diuini, quod de facto est, & non potest simpliciter non esse tale, quale de facto est, cognitionem Spiritus sancti habere se tantum concomitanter, & quasi per accidens. Verbum non procederet à cognitione Spiritus sancti.

48. Septima obiectio.

Obiicies septimo Filius non accipit à Patre actiuam spirationem Spiritus sancti: nam sunt vnus spirator, & simul in eodem signo actualiter spirant, & producunt Spiritum sanctum. Ergo neque cognitionem Spiritus sancti, sed hæc intelligitur in eodem signo esse in Patre, & Filio, sicut ipsa spiratio. Ergo cognitio Spiritus sancti non est prius origine in Patre. Ergo non potest per illam procedere Verbum.

Respondetur cognitionem Spiritus sancti esse prius origine in Patre.

Respondeo, falsam esse primam consequentiam, & consequenter falsum esse quidquid ex illa per alias consequentias deductum est. Esto enim Filius non recipiat actualem spirationem & relationem spiratoris; tamen recipit fœcunditatem, & virtutem spirandi; quæ propterea prius origine est in Patre. Hæc autem virtus non communicatur Filio à Patre, nisi per illius intellectionem, & perfectissimam comprehensionem, quæ esse non potest nisi per illam cognoscatur spiratio actiua, & relatio spiratoris, & Spiritus sanctus. Ergo hæc cognitio poni necessario debet prior origine in Patre, & per communicationem à Patre in Filio.

DVBITATIO VI.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione omnium creaturarum vt possibilium.

SVMMA.

1. *Conclusio affirmatiua, eiusque authores, & aduersarij, num. 49. ad 52.*
2. *Explicatur conclusionis fundamentum, num. 51.*
3. *Contrarijs argumentis satisfit, num. 52. ad 61.*

49. Conclusio affirmatiua S. Thomæ.

CONclusio affirmatiua est sine dubio Sancti Thomæ in hac quæst. 34. art. 1. ad 3. cuius verba refero supra num. 26. & non obscurè significat in hoc art. 3. circa principium Corporis, vbi ex eo, quòd *Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam*, ita infert, *Verbum igitur in mente conceptum, est repræsentatiuum omnis eius quod actu intelligitur.* Quæ consequentia nulla esset, si cognitio talis obiecti, non per se conduceret ad hoc, vt Verbum ex illa procedens, sit per se repræsentatiuum talis obiecti. Et postea multò clarius subiungit hanc causalem, *Quia Deus vno actu & se, & omnia intellegit, vnicum Verbum eius est expressiuum non solum Patris, sed etiam creaturarum.* Quam necessariam & per se connexionem inter

inter Dei Patris cognitionem, & Verbum quoad repræsentationem eorumdem obiectorum, magis explicat ita subdens, *Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantum, creaturarum autem cognoscitiua, & factiua, ita Verbum Dei, eius quod in Deo Patre est, est expressiuum tantum; creaturarum verò est expressiuum, &*

148. *operatiuum. Et propter hoc dicitur in Psalmo, Dixit, & facta sunt.* Quod adhuc clarius docuit ad 5. formalius ita loquens, *Eo modo quo scientia Dei est non entium, & Verbum Dei est non entium; quia non est aliquid minus in Verbo Dei, quàm in scientia Dei, vt Augustinus dicit*, nempe loco, & verbis adductis suprà num. 28. *Sed tamen Verbum est entium vt expressiuum, & factiuum: non entium autem vt expressiuum & manifestatiuum.* Eumdem quasi influxum per se, & necessariò requisitum, quem habet cognitio Dei ex eo quòd sit creaturarum, ad producendum Verbum diuinum creaturarum repræsentatiuum, clarissimè tradit 4. contra gent. c. 13. circa medium illis verbis, *Cum Deus intelligendo se ipsum, omnia alia intelligat, oportet quòd Verbum in Deo conceptum ex eo quòd se ipsum intelligit, sit etiam Verbum vnum & idem omnium rerum.* Et ideo hanc sententiam Thomistæ communiter sequuntur, Caietanus hic disputans contra Scotum, Ferrariensis 4. contra gentes c. 13. §. *Ad primum videtur.* Syluester p. p. Conflati quæst. 34. art. 7. ante §. 5. *Verbum*, inquit, *ad hoc dictum, quod est creatura vt factibilis, dicit respectum necessariò & per se.* quamuis deinde in quæst. 36. art. 1. videatur cum Heruæo nimium fauere sententiæ Scoti suprà num. 26. & omnes ferè expositores huius articuli, Bagnes, Zumel, Molina, Nazarius, Zuniga, Ruiz. Item Torres suprà quæst. 27. art. 5. disp. vnica post medium, & versus finem. Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 6. Valentia quæst. 7. de Trinit. Puncto 2. Becanus cap. 5. q. 3. Florauantius lib. 2. pagina 44. & 137. Alij authores eiusdem conclusionis.

150. Idem expressè tenet Gabriel 1. d. 27. quæst. 3. art. 1. post quartam conclusionem in fine Notabilis 1. & art. 3. dubio 1. conclusione 3. fine. & non obscurè indicant quidam antiquiores, vt Albertus p. p. summæ quæst. 35. membro 3. art. 2. aliquanto ante finem, docens, quòd mens Dei Patris, *Quando conuersa ad se, intuetur se, dicit se, & dicit suum proprium verbum, quod est verbum rei quæ est in ipsa*, scilicet obiectiuè, *& in verbo dicit quicquid in ipsa est, & omnia quæ in ipsa sunt*; nimirum vel formaliter vt personæ; vel eminenter vt creaturæ. Bonauentura 1. d. 27. art. 1. quæst. 2. circa principium corporis, *Summus Spiritus in Patre cum vno aspectu, & eodem, intelligit se & alia, sub intuitu vno, siue aspectu concipit, siue generat vnum Verbum; quod est similitudo Patris imitatiua, & similiter rerum exemplatiua, & similitudo operatiua.* Ægidius 1. d. 27. quæst. vltima litera H. *Verbum diuinum ex tota scientia Dei oritur. Vnde quidquid est in Patre, & in scientia Patris, totum est in Verbo.* & benè probat ex verbis Augustini suprà num. 28. Riccardus art. 2. quæst. 3. initio corp. *Cum Pater vno actu intelligendi, se & omnes creaturas intelligat, vno Verbo se & omnia alia dicit. Sed illud Verbum, Patris est expressiuum, non operatiuum: creaturarum verò expressiuum, & operatiuum.*

151. Contra Scotum.

In contrarium apertè est Scotus Quodlib. 14. art. 2. circa medium, & in omnibus aliis locis citatis suprà num. 26. vbi ab obiecto cognitionis per quam procedit per se Verbum, excludit personas omnes diuinas; sic enim consequenter multò magis excludit creaturas; quæ multò magis secundariò repræsentantur in scientia & Verbo Dei. Scotum sequuntur Scotistæ omnes; & fusius ex nostris Vazquez hic tota disput. 143. Albertinus corollario 14. Ad aliquid dub. 1. conclusione 4. in 2. tomo, Vazquez. Albertinus.

Arrubal. & minus determinatè Arrubal disp. 125. cap. 5. defendens contrarium vt probabilius, sed cap. 4. hanc etiam conclusionem tuetur vt probabilem. Quorum sententia satis superque impugnata remanet rationibus & authoritatibus allatis, & ex instituto explicatis suprà à num. 26. pro secunda conclusione dubitationis quartæ. & pro prima conclusione dubitationis quintæ, quæ ad probationem præsentis conclusionis applicari facilè possunt. Et summa illorum breuiter est, quia scientia simplicis intelligentiæ, quam abstractiuam communiter vocamus, vt suprà num. 42. fine, & qua Deus in se, tamquam in primario obiecto viso, cognoscit necessariò omnes creaturas vt possibiles, est essentialiter necessaria ad comprehensionem ipsius Dei, vt cum S. Thoma, & communi probatum est suprà quæst. 12. & 14. & prout secundariò terminata ad has creaturas, est essentialis, & necessaria, & infinita, & absque origine supponitur in Patre; ac proinde est fœcunda, & communicata Filio à Patre; & multò, imò infinitè perfectior est cognitio Patris vt concipitur terminata ad omnia, quæ sunt in Deo, siue formaliter, siue eminenter, quam ad ea tantum, quæ in Deo formaliter sunt: ex alia verò parte, Verbum diuinum ex diuina cognitione procedens, si spectetur per se, & formaliter in quantum est Verbum diuinum, est necessario & essentialiter in se repræsentatiuum omnium possibilium. Ergo tale Verbum procedens ex diuina cognitione, per se & necessariò petit, & concipi debet procedere à diuina Patris cognitione, vt terminata etiam ad creaturas sub esse possibili. Huius consequentiæ probationem vniuersalem, etiam de creaturis, egregiè tradidit Augustinus lib. 15. de Trinit cap. 14. pluribus explicatus suprà num. 28. vbi docet, Esse & repræsentari in Verbo quidquid est in Patris scientia, de qua genitum est. Idque probat, quia Pater *non se ipsum integrè, perfectéque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quam in se ipso.* Si autem diuinum Verbum, vt formaliter Verbum omnium perfectissimum in ratione Verbi, propter suam perfectionem necessariò & essentialiter diceret etiam creaturas possibiles, quas cognitio prout est illius productio non intelligeret, iam Verbum non esset adæquatum cognitioni ex qua nascitur; & Pater in sui Verbi productione non se integrè perfectéque dixisset; & aliquid amplius esset in Verbo vt verbo, quod non esset in paterna cognitione vt formaliter concurrente ad Verbi productionem; & non quidquid esset in Verbo vt dicto à tali scientia, esset in tali scientia vt loquente ac dicente Verbum. Quæ omnia manifestè contradicunt Augustini dictis. Nec minus contradicunt dictis Anselmi in Monologio c. 32. 33. & 34. sæpe docentis; Deum Patrem dicendo se ipsum, dicere omnes creaturas: & omnia quæ sunt in scientia Patris, esse in Verbo eius. Vbi in cap. 32. cum negat, Verbum Dei esse verbum creaturæ, non significat, non esse Verbum quo Deus Pater dicat creaturam; sed solum, Non esse Verbum trahens originem à creatura; ita vt sit *Verbum de creatura, non à creatura*, vt exponit S. Thomas de Veritate quæst. 4. art. 5. ad 2. Vel formalius ad mentem Anselmi, non esse Verbum simile creaturæ, sed Deo tantum. *Verbum*, inquit Anselmus, *quo creaturam dicit, nequaquam similiter est Verbum creaturæ; quia non est eius similitudo, sed principalis essentia:* siue, vt dixerat antea in cap. 29. circa finem, *vera & simplex essentia.* Quod magis explicans S. Thomas ibidem in fine corporis ita distinctè loquitur, *Quia Pater principaliter dicit se, generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas; ideo principaliter, & quasi per se, Verbum refertur ad Patrem; sed ex consequenti, & quasi per accidens* Fundamentū conclusionis. Confirmatur ex Augustino, & Anselmo, & Thoma.

dens refertur ad creaturam; accidit enim Verbo, vt per ipsum creatura dicatur: quia scilicet non dicitur propter se, sed propter Patrem. Neque enim Dei cognitio, seu Verbum, repræsentat creaturas per propriam & creatam intelligibilitatem, sed per aliam intelligibilitatem ipsius Verbi: quod est repræsentati creaturas non in se ipsis, sed in Verbo Dei: & in Verbo Dei repræsentari secundariò, quod S. Thomas vocat *quasi per accidens*, hoc est, per aliud, non per se. Quo ferè modo hæc verba exponit Sylvester supra.

Contrariis argumentis satisfit.

52. *Prima obiectio Vazquez.*

Obiicies 1. id quo potissimum niti videtur Vazquez suprà cap. 5. à num. 20. ad 25. si per impossibile, creaturæ non essent possibiles, adhuc idem adæquatum ac perfectum Verbum diuinum produceretur: alioquin, inquit Vazquez, *ex eo quòd lapis esset impossibilis, Deus non esset Deus; aut Deo aliqua intrinseca deesset perfectio.* Quod est manifestè absurdum, quia *cum Deus sit primum ens, ita in se perfectus absolutè est, vt nullare possibili indigeat.* Et ideo quia *intelligitur Deus, creatura intelliguntur possibiles; non tamen contra.* Et si implicaret v.g. lapis, adhuc Deus esset omnipotens. *Nec enim,* inquit, *dicitur omnipotens, quia ponit hanc, & hanc creaturam simul cum aliis; sed quia in se ita perfectus est vt quidquid non implicet contradictionem, ab eo fieri possit: nec eius omnipotentia minuitur, quia facere nequeat id, quod impossibile est.* Cum igitur generatio ac perfectio Verbi, quod est verus Deus, non pendeat à creaturis, hinc necessario sequitur, diuinam scientiam, quatenus terminatam ad creaturas, impertinent er se habere ad generationem Verbi diuini.

Respondetur Verbum futurum minus perfectum, si creaturæ non essent possibiles.

Respondeo, antecedens esse simpliciter negandum; quia dato illo impossibili, sequeretur necessariò, Deum non esse ita perfectum, sicut nunc est; etenim careret reali atque intrinseca perfectione omnipotentiæ, quam de facto & essentialiter habet. Similiter cognitio Dei esset minus perfecta, & minus perfectum Verbum, adæquatum illi cognitioni; quia non repræsentaret omnipotentiam, & essentialem omnipotentiæ terminum, qui sunt omnes creaturæ possibiles. Hæc autem non est propriè dependentia Dei, & Verbi, à creatura: quia per hoc in nullo genere causæ aliquid accipit Deus, aut Verbum à creaturis; sed potius creaturæ dependent & accipiunt à Deo, & Verbo, cum per Dei Verbum & omnipotentiam sint factibiles. Est igitur sola essentialis quædam habitudo, seu connexio terminorum; in quantum omnipotentia essentialiter postulat creaturam possibilem, vt terminum sibi essentialiter subiectum: vbi nulla apparet imperfectio, sed potius infinita perfectio potentiæ diuinæ. Plura de hac re, si placet, legi possunt in primo tomo q. 7. art. 1. n. 10. & q. 12. art. 8. n. 48. & 62. & 84. & 85. & tomo 2. q. 14. art. 5. à n. 40.

53. *Soluuntur obiuaria probationes.*

Ex quibus probationes factæ pro antecedente, facilè dissoluuntur. Dico igitur sine vllo dubio, quòd si lapis non esset possibilis, Deus non esset Deus; eique deesset aliqua intrinseca perfectio factiua lapidis, quam Deus in se nunc realiter habet. Hoc concedit Capreolus 1. d. 35. quæst. 2. art. 1. ad argumenta contra octauam conclusionem dicens, *Si Deus non esset effectiuus rerum, consequenter non esset Deus.* Qui enim ex hypothesi impossibili petit, vt lapis, vel aliqua alia creatura verè possibilis, ponatur impossibilis, si benè percipit quod petit, euidenter aduertet se simul necessario petere, vt potentia factiua lapidis, vel alterius rei factibilis, quæ verè & realiter est in Deo, non sit in Deo. Quis enim quæso concipiat, Deum posse facere lapidem, & tamen lapidem fieri non posse à Deo? Sunt igitur hæc duo ita connexa, vt si petis, lapidem non esse possibilem fieri à Deo, petas quoque necesse sit, Deum non esse potentem facere lapidem. Sed potentia creatiua lapidis, est quædam realis & intrinseca perfectio Dei. Ergo verè petis, deesse Deo aliquam realem & intrinsecam perfectionem. Ergo vere petis, Deum non esse Deum. Dei enim nomine omnes intelligimus eum, cui nulla deest perfectio, simpliciter & absolutè possibilis. Neque hinc rectè deducitur, Deum indigere re possibili vt sit Deus: sed tantum sequitur, Deum non posse in se esse verum Deum, nisi in se habeat omnes perfectiones, simpliciter & absolutè possibiles. Et habere in se vim, absque vllo intrinseco suo argumento, aut diminutione, communicandi esse creaturis indigentibus; quod quidem communicare non potest, nisi sint creaturæ indigentes; sed hoc ponit indigentiam in creatura, in Deo autem nullam ponit indigentiam, sed contra potius, infinitam abundantiam sui esse. Ad aliud dico, quod tam intellecto Deo potente, intelliguntur creaturæ possibiles; quam contà, intellectis creaturis possibilibus, intelligitur Deus potens: sed diuersa ratione, Deus enim intelligitur vt prior causa à qua essentialiter dependet quæuis creatura: creaturæ verò intelliguntur vt posterior effectus, cuius essentialem dependentiam Deus essentialiter terminat. Ad vltimum iam dictum est, Deum non futurum omnipotentem, sicut nunc est, si implicaret lapis. Neque verò sunt diuersi conceptus omnipotentis, quos vt diuersos tradit Vazquez, primum negans, concedens secundum; nempe, Posse hoc simul cum aliis, &, Posse quidquid non implicat contradictionem. Lapis enim v.g. simpliciter & absolutè, non solum est possibilis, sed etiam non implicans contradictionem. Ergo siue ponatur impossibilis, siue implicans, semper tollitur adæquatus, & integer conceptus omnipotentis, hoc est, potentis creare quidquid absolutè potest creari, siue non implicat creari. Quare esto non minuatur Dei omnipotentia quia facere nequeat impossibile, quod simpliciter & absolute est impossibile, v. g. hircocerum; tamen minuitur si facere nequeat impossibile solum ex suppositione, sed simpliciter & absolutè possibile: & potentia quæ remaneret ex impossibili suppositione lapidis implicantis, esset omnipotentia diminuta, nec esset omnipotentia simpliciter, sed solum omnipotentia secundum quid, & ex suppositione.

54. *Secunda obiectio ex Anselmo.*

Obiicies secundò authoritatem Anselmi, quam latè proponit Vazquez suprà toto c. 3. Nã Anselmus in Monologio c. 29. cùm circa finem ita cõclusisset, *Itaque manifestum est, In Verbo, per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem, sed veram simplicémque essentiam. In factis vero non esse simplicem, absolutámque essentiam, sed veræ illius essentiæ vix aliquam imitationem.* Hinc toto sequenti c. 30. probat, Verbum Dei futurum verum Verbum, etsi nulla daretur creatura, & consequenter, etiamsi illud non esset Verbum creaturarum. Vnde in fine ita concludit, *Siue igitur ille cogitetur: nulla alia existente essentia, siue aliis existentibus, necesse est Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* Et c. 31. paulo post princip. ait, *Etiamsi nihil vmquam aliud esset, nisi summus ille Spiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud quo se dicit,* nempe, Deus Pater, *de necessitate esse.*

Anselmus exponitur dupliciter.

Respõdeo primò dici facilè posse, Anselmum loqui de creaturis, non vt possibilibus, sed vt actualiter existentibus, iuxta conclusionem sequentis dubitationis; de quibus verè semper loquitur, vt patet legenti omnia prædicta tria capita. Neque hanc expositionem

positionem tollit, quòd in cap. 33. & 34. Anselmus doceat, creaturas in Deo contineri, & esse ipsummet Deum: quoniam hoc licet conueniat possibilibus, tamen conuenit etiam actualibus; & de his semper expresè loquitur ibi Anselmus, & numquam de illis.

Respondeo secundò, quòd arbitror esse conformius menti Authoris, illum intendere de omnibus creaturis secundum se, tametsi de factis, tamquam de notionibus semper loquatur. Nolle autem aliud nisi posita prædicta hypothesi remansurum adhuc Verbum, quo se Pater diceret. An autem remansurum esset idem omnino Verbum quod nunc est, an vero diuersum, non clarè explicat; sed potius indicat remansurum diuersum: quoniam ibidem, & sæpe alibi docet Anselmus, Verbum Dei quod nunc est, idem esse verbum & Dei, & creaturarum: posita verò illi hypothesi docet hoc Verbum non futurum verbum creaturarum, sed solius Dei, quo Verbo se tantum diceret, & non creaturas. Certum autem est, non posse esse idem omnino, verbum quo dicitur tantum Deus, & verbum quo dicuntur Deus simul & creaturæ: sicut non est idem Deus, qui potest creare, & qui non potest creare; nec eadem diuina cognitio, quæ repræsentat tantum Deum, & quæ repræsentat Deum simul cum creaturis.

55. *Tertia obiectio Albertini.*

Obiicies tertiò præcipuum Albertini fundamentum. Esto creaturæ sint simpliciter necessariò possibiles, tamen non sunt tanta necessitate possibiles, quanta Deus est actu, & quanta diuinum Verbum à Deo Patre producitur. Ergo sunt quasi per accidens respectu Dei, & respectu comprehensionis, quam Deus de se ipso habet, & respectu generationis Verbi.

Respondetur explicando necessitatem possibilium.

Respondeo primò, negando consequentiam. Nam ad hoc vt aliquid per se spectet ad comprehensionem Dei, & productionem diuini Verbi, satis est illud esse in Deo ita per se, & naturaliter, ac necessario repræsentabile, vt ne per potentiam quidem diuinam possit esse non repræsentabile, aut non actu repræsentari à cognitione Dei. Et ideo negari etiam secundo potest antecedẽs, quia creaturæ tanta necessitate sunt possibiles, quanta necessitate Deus est actu omnipotens, cum omnipotentia sine omni possibili neque esse, neque intelligi possit. Tametsi hæc æqualis necessitas, quoniam non est in eodem essendi genere, sed in Deo est necessitas in genere perfecto essendi actu, in creaturis vero est necessitas in alio imperfecto genere essendi potentia, ideo sit cum magna inæqualitate; quia in Deo est necessitas essendi cum omnimoda independentia, & à creatura, & à quocumque alio; in creaturis vero est cum omnimoda dependentia à Deo. Omnipossibile enim essentialiter coëxigit omnipotentiam tamquam causam à qua recipiat esse; contra vero, actualis omnipotentia essentialiter etiam coëxigit omnipossibile tamquam effectum cui det esse. Quæ quidem diuersitas diligenter attendenda est: in hoc enim puncto mihi videntur aduersarij in eo præcipuè decepti, quòd, vt ex eorum impugnationibus colligo, putant nos tribuere creaturis eamdem essendi necessitatem, quam habet ipsemet Deus. Ad hoc enim absurdum, ac si à nobis id diceretur, nos conantur adducere. cum tamen sententia nostra longè alia sit, scilicet, creaturas habere tantam necessitatem in esse possibili, quantam habet Deus in esse actuali; cum hoc esse actuale, neque in re, neque in intellectu rectè concipiente dari possit absque esse possibili creaturarum. Præterea diuina cognitio vt actualiter repræsentans in ipso Deo creaturas possibiles, est tam necessaria, quàm necessaria est cognitio diuina, vt comprehensiuè repræsentans naturam Dei omnipotentem. Ergo non minus necessaria, quàm necessaria emanatio ipsius Verbi. Quod concessit Suarez lib. 9. cap. 6. num. 18. cuius sententiam contra aliquos modernos defendo, & vberius explico tomo 2. quæst. 14. art. 5. num. 42. Suarez.

56. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Creaturæ sunt obiectum secundarium diuinæ cognitionis. Ergo Pater prius natura cognoscit se tamquam obiectum primarium, quam creatures. In illo autem priori, in quo Patris cognitio intelligitur terminata ad se, non ad creaturas, illa cognitio est simpliciter infinita. Ergo fœcunda, & productiua Verbi.

Respondetur Dei cognitionem nõ prius terminari ad se, quam ad creaturas.

Respondeo primo negando primam consequentiam: quia diuina cognitio sub eadem ratione formali, qua terminatur ad naturam diuinam, comprehendendo illam, terminatur necessario ad creaturas possibiles; ita vt nec sit prius natura, nec etiam prius ratione apprehendi possit cognitio diuina, & comprehensio ipsius Dei, quatenus circa Deum versatur, & non apprehendere in illo actu cognitionem creaturarum, & terminationem ad creaturas. Nam hæ in Deo, & à Deo intelliguntur non per intelligibilitatem creaturarum, sed per solam intelligibilitatem formalem ipsius Dei. Et in hoc sensu, non in alio, dicuntur creaturæ obiectum secundarium illius cognitionis, & Deus obiectum primarium: vt latius explicaui in tomo primo quæst. 12. art. 8. num. 73.

Sed si prius terminaretur ad Deum, nihil contra conclusionem.

Respondeo secundò, esto admittatur prima consequentia, quòd prius ratione & natura terminetur illa cognitio ad Deum, quam ad creaturas, ac proinde quòd in illa nos possimus ratione ratiocinata distinguere duos actus, aut duas terminationes eiusdem actus, alteram priorem circa Deum tamquam causam creaturarum, alteram posteriorem circa creaturas tamquam effectus Dei; & illam propterea concipere vt causam, seu rationem huius; tamen adhuc esset dicendum, Verbum procedere per se ex diuina cognitione, vt includente vtramque perfectionem ac terminationem: quoniam illa cognitio vt scientia creaturarum, est Dei perfectio formalis, & essentialis, & necessaria, & infinita, & per se requisita ad diuinæ naturæ comprehensionem, & de se prius origine conueniens Deo Patri. Ergo sine hac cognitione, seu perfectione, ac terminatione, cognitio vt terminata tantum ad Deum, non est simpliciter infinita in genere cognitionis, nec est perfecta diuinæ naturæ comprehensio: ergo censeri non potest per se sola fœcunda, & omnino sufficiens ad generationem Verbi diuini, quod vt tale est, habet essentialiter non solum repræsentare Deum, sed etiam in Deo repræsentare creaturas.

57. *Instantia Vazquez quæ soluit Suarez.*

Dices cum Vazquez suprà cap. 4. cuius sententiam refert & impugnat Suarez lib. 9. de Trinit. c. 6. à num. 14. Scientiam Dei, vt est actualis scientia possibilium creaturarum, nullam habere, siue addere realem perfectionem supra perfectionem eiusdem scientiæ, prout est Dei, sed solum respectum rationis, seu terminationem ad creaturas; sicut omnes dicimus de scientia visionis creaturarum futurarum. Posito autem hoc dicendi modo, non procederet Verbum per se ex Patris cognitione vt terminata ad creaturas possibiles; sicut ob eamdem rationem dub. sequenti probabimus, non procedere per se ex illa vt terminata ad creaturas futuras,

Scientia Dei, vt terminata ad res possibiles, addit realem perfectionem.

Respondeo primò id non posse dici. Tum quia scientia Dei vt terminata ad creaturas in Deo visas, est necessaria ad hoc vt visio Dei sit formalis comprehensio Dei, vt cum S. Thoma, & communi probatum

probatum est suprà q.12. art.7. Ratio autem comprehensionis Dei supra communem rationem visionis Dei, addit profectò perfectionem realem & intrinsecam, imò etiam infinitam. Tum quia, quidquid sit de comprehensione, certum est omnipotentiam esse intrinsecam perfectionem ipsiusmet Dei; & hâc non posse perfectè cognosci, nisi cognoscatur omnipossibile; vt pluribus ostensum est ibidem art.8. Non potest autem dici, quòd illa repræsentatio seu terminatio, quæ essentialiter necessaria est ad cognoscendum ipsummet Deum prout in se realiter est, nullam realem perfectionem addat diuinæ cognitioni. Ex quo patet non esse eamdem rationem de hac scientia simplicis intelligentiæ, & de scientia visionis; illa enim necessaria est ad videndum id quod Deus in se necessariò est; hæc verò solum necessaria est ad videndum quod Deus extra se liberè operatur; ac proinde sicut decretum operandi ad extra, est liberum in Deo, ita etiam libera est visionis scientia consequens tale decretum. Quod vero liberè competit Deo, ac proinde potest in eo esse, vel non esse, non potest dici addere Deo aliquid intrinsecũ reale. Ergo scientia simplicis intelligentiæ, quæ est prima creaturarum scientia, quam Deus necessariò & essentialiter habet vt formaliter cognoscens se ipsum, siue ex necessitate essentiali cognoscendi se ipsum, esse debet prima & necessaria perfectio diuinæ cognitionis; & deinde hæc ipsa, propter suam omnimodam infinitatem in genere cognoscitiuo simpliciter, concipi debet per solam simplicem terminationem, & quamdam veluti extensionem, posito decreto de creando, repræsentare creaturas futuras, & denominari scientia visionis.

Sed si non adderet, non est contra conclusionem.

Respondeo 2. Esto, diuina cognitio vt terminata ad Deum præcisè, non vt terminata ad creaturas importet realem perfectionem, tamen satis est quòd vt terminata actu formaliter ad creaturas sit omnino necessaria, ita vt implicet contradictionem, Deũ perfectè se ipsum cognoscere, & ignorare creaturas. Ex hac enim necessitate essentiali, vt diuina cognitio simpliciter & absolutè terminetur ad creaturas, eas verè ac realiter intelligendo & repræsentando, quidquid tãdem sit aut addat ista terminatio, sufficienter oritur vt negari non possit, Verbum per se procedere ex cognitione diuina, prout est creaturarum: sicut Verbum adæquatè correspondens illi cognitioni, & vt formaliter Verbum per illam productum, habet per summam perfectionis suæ necessitatem, repræsentare actu Deum non solum, secundum ea quæ in illo formaliter sunt, sed etiam secundũ ea quæ in illo sunt eminenter. Et ratio à priori est, quia creaturæ possibiles, sunt repræsentabiles naturaliter, & necessariò necessitate absoluta, cum esse possibile illis conueniat, non ex libera Dei voluntate, sed ex propria essentia, ac natura. Ergo hoc modo repræsentabiles maximè sunt per intellectum diuinum, in quo est infinita simpliciter vis repræsentandi quidquid est repræsentabile. Est præterea eadẽ cognitio infinita, & prior origine in Patre, quia possibilitas creaturarum non dependet à Verbo, neque ab eius emanatione, sed solum ab omnipotẽtia Dei, quæ est in Deo vt sic, independenter à personis, & ante quãliber personam prioritate originis. Ergo creaturarum vt possibiliũ repræsentatio, & actualis cognitio præsupponitur in Patre vt prior origine Verbo, & independens à Verbi emanatione; nimirum possibilium incompletè, & quasi *vt quo*; nam possibiles completè, & quasi *vt quod* intelliguntur post omnes personas sanctissimæ Trinitatis, quæ est actiuum earum principium, perfectè & cõpletè potens *vt quod*: iuxta ea quæ diximus suprà q.30.a.1.n.57. & q.33.a.3.n.5. Hæc autem omnia satis sunt, vt intelligamus scientiam etiã simplicis intelligentiæ per se cõmunicari Verbo à Patre, & ex illa etiã Verbũ per se procedere.

58. *Quinta obiectio.*

Obiicies 5. Spiritus sanctus nõ procedit per amorem creaturarum; quia sicut creaturæ potuerũt esse, vel non esse, ita earum amor potuit esse, vel non esse in Deo. Ergo nec Verbum per se procedit ex cognitione earumdem creaturarum: quia, vt ex nostræ sententiæ authoribus ipsemet Caietanus hîc §. *Ad imaginationes*, concedit Scoto, *vniformiter loquendo de creatura intellecta in Deo, & similiter amata in Deo, par ratio est de Verbo, & Spiritu sancto.*

Caietanus.

Respondetur Spiritum sanctum procedere ex amore possibili.

Respondeo, me etiam concedere paritatem, *vniformiter loquendo*, vt benè limitat Caietanus: quemadmodum enim Spiritus sanctus non procedit per amorem creaturarum vt futurarũ, qui amor est liber & efficax, & potuit nõ esse in Deo; sed per se procedit ex amore creaturarum vt possibilium, qui est necessarius & inefficax per affectum simplicis cõplacentiæ, vt tomo 2.q.19.a.3. tractatum est in proprio loco, ita pariter Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarũ vt futurarũ, vt probabo dub. sequenti, sed vt possibiliũ, sicut hactenus probatũ est.

59. *Sexta obiectio.*

Obiicies 6. Eadem est cognitio qua Pater est beatus, & qua producit Verbum. Sed Pater non est formaliter beatus per eam cognitionem vt terminatã ad creaturas, si enim hominis beatitudo nõ est visio Dei, vt terminata ad creaturas, iuxta illud Augustini l.5.cõfess.c.4. *Infelix homo, qui scit illa omnia*, scil. creaturas; *te autẽ nescit. Beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui verò te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est*: id multò magis dicendũ de beatitudine Dei. Ergo nec producitur Verbum per eamdem cognitionẽ vt terminatã ad creaturas.

Augustinus.

Respondetur beatitudinem Dei terminari etiã ad creaturam.

Respondeo, Negando minorem. Neque ea rectè probatur ex paritate cum beatitudine hominis, cum enim hæc non sit comprehensiua essentiæ, sed simpliciter visiua, visio autẽ essentiæ possit esse absque visione alicuius creaturæ particularis, vt tom.1.q.12. a.8.dub.19. ita etiam esse poterit beatitudo; sed hæc eadẽ visio vt necessario terminata ad creaturas sub communissimo conceptu entis creabilis, vel vt ex vi perfectioris luminis gloriæ terminata ad has vel illas particulares creaturas, vt ibidem fusissimè dictũ est, habet veram ac propriã rationem beatitudinis. Neque cõtradicit Augustinus, qui ibi clarè loquitur de cognitione creaturarum in se ipsis, quam potest homo habere simul cum cognitione Dei. Nos autẽ loquimur de cognitione creaturarũ in Deo cognitarum per veritatem & intelligibilitatem solius Dei non creaturarũ. At verò beatitudo Dei cum sit perfectissima essentiæ suæ visio, & comprehensio, non potest non ita perfectè videre illam, vt in ea visa nõ videat omnes omnino creaturas; quæ sunt illius cõprehensionis purus terminus, non propriè & formaliter obiectum, vt suprà dub.5.ad 1.& 3. dictũ est de personalitatibus. Vbi nonnulla alia dicta sunt contra processionem Verbi ex cognitione personarum, quæ afferri etiam solent contra processionem Verbi ex cognitione creaturarum: sed non sunt repetenda, quia ex ibi dictis nullo negotio solui possunt.

60. *Septima obiectio ex Augustino.*

Obiicies vltimo verba illa August. lib.9. de Trin. c.10. paulò ante finẽ, quæ sibi obiicit S. Thomas suprà a.1.argum.2.& in respõsione non explicat, *Verbum est cum amore notitia.* Sed hoc non potest dici per ordinem ad cognitionem creaturarum possibilium tantum, quia illas Deus non vult creare, ac proinde non amat illis bonum actualis existentiæ. Ergo non habetur per se Verbum ex prædicta cognitione.

Respondetur exponendo Augustinum.

Respondetur argumentũ nullius momenti esse, quia satis est si creaturas possibiles amet per necessarium amorẽ cõplacentiæ, tametsi inefficacẽ, vt suprà num.58. alioqui neque se ipsum Pater amat amore libero.

Scotus.

libero. Quid autem illis verbis velit Augustinus, non est ita facile. Scotus 1.d.27.quæst.3.§. *Ad secundam quæstionem.* ad 1. exponit de verbo non diuino, sed nostro: in quo etiam, inquit, amor non habet causalitatem respectu verbi, nisi vt imperat intellectui gignitionem ipsius. Sed Augustinus loqui videtur de omni verbo, & præcipuè de diuino: & ex præcedentibus exponi potest quòd Verbum sit notitia, hoc est, vt exponit S. Thomas supra, *non actus intellectus cognoscentis, vel aliquis eius habitus, sed id quod intellectus concipit cognoscendo.* Sic etiam notitia cum amore, non antecedente, neque concomitante, quasi vero verbum causetur ab actu voluntatis, vel cum illo simul sit, sed solum consequente: quia putat Augustinus, quod ibi expressè & multis probare contendit, Verbum propriè non esse notitiam falsam, quam in se habere est malum aliquod odibile; sed esse solum notitiam veram, etiam si per eam verè cognoscantur mala, & peccata; quæ notitia amore digna est, & amatur. Quod non solum verificatur de verbo creato; sed maxime de increato, quod Pater, qui illud in se expressit, non potest non infinite amare.

S.Thomas.

DVBITATIO VII.

An Dei Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum vt futurarum.

S V M M A.

1. *Conclusio negatiua, eiusque authores, & aduersarij, num.61.*
2. *Probatur conclusio ratione fundamentali, num.62.*
3. *An Verbum procedat ex scientia contingentium conditionatorum, num.63.*
4. *Dissoluuntur obiectiones, n.64. ad finem Articuli.*

61. *Conclusio negatiua, eiusque authores, & aduersarij.*

Conclusio negatiua omnium, exceptis quibusdã recentioribus, inter quos est noster Valentia q.8.de Trinit. puncto 2.ad 4. quam fusius sequutus est Zuniga disp.9.dubio 7. per quinque membra. & Valentia contendit, malè referri à Caietano pro hac conclusione S. Thomam: quia in hoc articulo & infra quæst.37.art.2.ad 3. absolutè docet, Verbum procedere ex cognitione omnium creaturarum, & ex earumdem amore procedere Spiritum sanctum, non distinguens de simplici intelligentia possibilium, vel visione futurarum; neque de duplici amore, libero siue efficaci, vel necessario siue inefficaci. Sed esse intelligendum de cognitione tantum possibilium per scientiam simplicis intelligentiæ non futurarum per scientiam visionis, non obscurè colligimus ex eo ipso, ex quo Valentia oppositum pro se colligit. Dicit enim S. Thomas in hoc articulo tũ in fine Corporis tum ad 5. Verbum procedere de scientia *creaturarum cognoscitiua & factiua*: &, Verbũ, per talem scientiam procedens esse *creaturarum expressiuum & operatiuum*. Sed scientia diuina, quæ est causa rerum, & factiua creaturarum, est scientia simplicis intelligentiæ de possibilibus, non scientia visionis de futuris, & existentibus in aliqua differentia temporis, vt ex instituto probatum est in tom. 2. q.14.art.8. Ergo Verbum per se non procedit secundum S. Thomã ex cognitione creaturarum vt futurarum, sed vt possibilium tantum. In alio quoque loco q.37.art.2.ad 3. docet, quod *sicut Pater dicit se & omnem creaturam Verbo quod genuit; ita diligit se & omnem creaturam Spiritu sancto.* Satis autem certum videtur, Spiritum sanctum non posse per se procedere ab amore libero creaturarum, cum hic non minus sit à persona Spiritus sancti quam à persona Patris, & persona Filij. Ergo pariter Verbum Dei non procedit per se à scientia libera creaturarum, prout talis formaliter est, quam vocamus scientiam visionis, & distinguimus à scientia simplicis intelligentiæ. Et ideo Sylueſter p.p. Conflati quæst.34. art.7. ante §. 5. ait quòd *Verbum ad creaturam vt fiendam vel factam, non dicit respectum non principaliter, nec primò, nec per se: quia hoc conuenit Verbo ex diuina voluntate libera libertate contradictionis.*

62. *Conclusionis fundamentũ.*

Hinc apparet vnicum, & valde firmum conclusionis fundamentum. Quia Verbi processio, vt realis productio, est simpliciter & omni modo necessaria; & non debet, ne ratione quidem ratiocinata, præsupponere Verbum in priori aliquo signo productum. Sed scientia visionis vt sic, est libera, & potuit non esse, sicut potuit Deus non velle creaturas, quas de facto liberè creare voluit: & præterea præsupponit productionem Filij & Spiritus sancti, & totam Trinitatem perfectè constituram; quoniam scientia visionis, sicut & liberum voluntatis decretum, quod tamquam necessarium fundamentum scientia illa præsupponit, est actus liber Dei, seu potius liberè terminatus ad obiectum liberum quo potuit esse vel non esse, scilicet ad creaturas futuras, quæ potuerunt non esse futuræ, sed esse possibile tantum, sicut sunt infinitæ aliæ, quas Deus potest creare, sed creare numquam vult. Ergo est actus indiuisus, & communis tribus personis; sicut ab omnibus Theologis indiuisa & communia esse dicuntur omnia opera ad extra, quæ per liberum illud Dei decretum causantur. Quare sicut Pater nullo modo, neque ratione, neque origine, prius vult creaturam futuram, quam Filius & Spiritus sanctus; nec istam voluntatem formaliter liberam communicat illis; ita nulla ratione prius videt creaturam quatenus futuram, & liberè volitam; nec istam visionem, sub formali conceptu visionis, alicui communicat. Loquor limitanter de communicatione immediata & quasi formali, & dico, Patrem non communicare Filio suam intellectionem cum formali terminatione ac respectu ad creaturas futuras; & similiter nec Patrem & Filium communicare Spiritui sancto amorem cum formali terminatione libera ad creaturas futuras. Non loquor autem de communicatione mediata, & quasi materiali: nam eo ipso, quòd Pater communicat Filio intellectionem infinitam, quæ ex se, sine additione nouæ perfectionis, apta est repræsentare res futuras, modo illæ aliunde futuræ sint; & eo ipso, quòd Pater & Filius communicant Spiritui sancto infinitam volitionem, quæ sine vlla reali & intrinseca sui mutatione potest liberè terminari, vel non terminari ad creaturas actualiter existentes; dici debent & scientiam liberam, & liberum amorem communicare aliquo modo, nimirum fundamentaliter, seu radicaliter, non immediatè & formaliter.

63. *Verbum non procedere ex scientia conditionalium.*

Ex dictis tum modò in discursu facto, tum in secundo tomo de scientia media, seu conditionata, sequitur, quod benè notarunt Suarez l.9. de Trinitate cap.7.num.8.& 9.& Vasquez disp.143.cap.1.num.2. & Arrubal disput.125.num.11. & 12. contra Molinam, Verbum non procedere per se ex scientia contingentiũ conditionatorum. Enim vero, vt latissimè probatum est q.14. art.13. hæc scientia licet non præsupponat aliquod actuale liberum Dei decretum in se positum, præsupponit tamen obiectiuè sub conditione liberum Dei decretum, indifferens concurrendi ad vtramque partem oppositam, iuxta liberam creatæ voluntatis determinationem, quæ positis omnibus ad operandum prærequisitis, tam extrinsecis ex parte Dei, primæ causæ, quam intrinsecis ex parte creaturæ, potest operari

operari, & non operari, vel operari hoc, & non operari aliud oppositum. Ergo illa scientia est simpliciter libera & contingens, ita videns vnam partem, vt potuerit non videre illam, sed videre aliam oppositam. Ergo non potest per se pertinere ad formalem productionem Verbi, quod non potest simpliciter non produci, & non esse. Præterea si aliqua scientia in Deo est libera, ergo posterior productione necessaria, & naturali Verbi: quoniam in diuinis omnia naturalia sunt priora contingentibus quocumque modo. Ergo non potest ex tali scientia oriri per se Verbum Dei. Cum igitur tria scientiarum genera in Deo ratione ratiocinata distinguamus, scilicet scientiam simplicis intelligentiæ de possibilibus vt sic; scientiam de futuris contingentibus conditionatis, quam doctissimi Societatis Iesu Theologi mediam aptissime vocamus; & scientiam visionis de futuris contingentibus absolutis, non potest dici Verbum procedere per se nisi ex prima simplicis intelligentiæ: hæc enim sola est omnino necessaria, & primo ac per se omnino naturaliter absque vlla libera conditione aut suppositione Deo conuenit. Idem etiam dici facilè potest ab aduersariis scientiæ mediæ; quia ante illam ponunt actu realiter in Deo liberum decretum prædeterminans vnam indifferentiæ partem: hoc enim quamuis (vt existimamus) tollat libertatem à creata voluntate, per tale decretum omnino antecedenter, & fortissimè prædeterminata ad vnum; tamen non tollit libertatem à diuina voluntate, quæ ita decreuit prædeterminare ad hoc, vt potuisset, si illi placuisset, prædeterminare non ad hoc, sed ad aliud oppositum: sicut si Deus vellet vt voluntas creata necessariò amaret aliquod obiectum, quod potest ex se non amare, tunc decerneret quidem effectum necessarium, tamen decerneret liberè. Omnis autem scientia præsupponens in Deo liberum voluntatis diuinæ actum, ac proinde libera, non potest dici necessaria, & per se formaliter concurrere; ad necessariam diuini Verbi productionem ex scientia Dei Patris prouenientem. In nostra autem sententia, libertas scientiæ conditionatæ non oritur ex libero Dei decreto prædeterminante, neque ex aliquo alio libero decreto realiter antecedente, sed tum ex decreto Dei indifferente de concurrendo ad eam partem ad quam creata voluntas se liberè determinauerit, quod decretum scientiam conditionatam præcedit non realiter & absolutè, sed tantum obiectiuè, & sub conditione; tum ex ipso obiecto, quod est libera determinatio creaturæ, ad eam partem, quam ipsa ex se liberè eligit, à Deo quidem adiuta iuxta naturalem innatæ suæ libertatis conditionem, tamen non prædeterminata. In quo differt scientia conditionata à scientia visionis: hæc enim à productione per se Verbi reiicitur ex duplici capite, primo quia ratione ratiocinata concipitur in Deo post actum liberum actualiter, seu realiter positum. Secundò quia est libera de libero obiecto. Illa vero reiicitur solum ex hoc secundo capite; in quo inuoluitur etiam præcedentia diuini decreti indifferentis obiectiua, & sub conditione. Quæ omnia vberius declarata sunt in propria materia.

Dissoluuntur obiectiones.

64. *Prima obiectio.* Obiicies primò. Quamuis non sit absolutè necessarium sciri à Deo res futuras, easque Verbo diuino dici ac repræsentari; hoc tamen est omnino necessarium ex suppositione quòd res sint futuræ: quod quidem nullus bonus Theologus negare potest. Ergo quamuis non absolutè, tamen ex suppositione, procedere per se debet Verbum ex scientia visionis futurorum. Ita quidam recentiores conciliare putant contrarias hac de re sententias; vt scilicet sententia negans, Verbum procedere per se ex cognitione futurorum, intelligatur de procedere per se absolutè; sententia verò affirmans, intelligatur de procedere per se ex suppositione. Verum enim verò hæc non tam videtur duarum sententiarum conciliatio, quam expressa vnius sententiæ contrariæ professio. Etenim communissima sententia negans, nil aliud verè negat, nisi, Procedere per se Verbum ex illa cognitione, quæ est necessaria ex suppositione libera, ac proinde est simpliciter libera, & posterior etiam ipso actu libero diuinæ voluntatis. Sententia vero affirmans, nil aliud verè affirmat, nisi hoc ipsum quod prior alia sententia negat, nempe, Verbum per se procedere per scientiam visionis, quæ necessariò scit futura, ex suppositione quod sint futura. Quis enim adeò stultus esse potest, qui asserat, Verbum per se procedere ex scientia rerum futurarum, etiam si res non essent futuræ: sic enim falsa esset diuina scientia, falsum Verbum Dei repræsentando esse in re futurum, quod verè in re futurum non est.

Respondetur ne ex suppositione quidè Verbum procedere ex cognitione futurorum.

Respondeo igitur negando consequentiam: nam ex antecedente sequitur totum oppositum. Ex eo enim quòd scientia visionis sit necessaria tantum ex suppositione antecedente, scilicet diuini decreti liberi de creando, & creaturæ futuræ vi talis decreti, & non sit absolutè necessaria, omni modo antecedens actum liberum diuinæ voluntatis, omnia argumenta superius allata efficaciter probant, non posse procedere per se simpliciter Verbum diuinum ex scientia visionis, prout visionis formaliter. Et sanè videtur nimis clarum, non posse rationabiliter dici, ad productionem Verbi diuini, quod absoluta necessitate existit, & non potest quacumque libera suppositione fingi esse aliter quam nunc de facto sit, per se concurrere illam scientiam, quæ potuit simpliciter non esse, etsi non fuisset, haberetur idem omnino Verbum, quod nunc habetur: quæ etiam scientia, vt visionis formaliter, nullam realem atque intrinsecam perfectionem Deo addit.

65. Quare cum aduersarij ita arguunt, Verbum, vt Verbum per se & necessariò dicit, ac repræsentat futura, ex suppositione, quòd sint futura; ergo cognitio, ex qua per se, ac necessario procedit, debet intelligere futura, ex suppositione quòd sint futura; hanc enim adæquationem, seu commensurationé, Verbum & diuinam scientiam inter se habere, nos etiam suprà concessimus: respondendum est, distinguendo in antecedente illud, *vt Verbum*; si enim reduplicat in Verbo actualem similitudinem futurorum, seu vim actualiter repræsentandi futura, seu potius vim repræsentandi, actualiter terminatam ad futura; nego antecedens. Neque enim Verbum diuinum, positis futuris, repræsentat futura, quia ipsum in se sit actualis similitudo ac repræsentatio futurorum, actualiter terminata ad futura, sicut est actualis similitudo ac repræsentatio possibilium. Si verò reduplicat in Verbo quandam quasi aptitudinalem similitudinem futurorum, & quasi aptitudinalem quandam vim repræsentandi futura, concedo antecedens; Verbum enim diuinum ex sua perfectissima infinitate habet, vt quamuis ex se non sit actualis repræsentatio futurorum terminata actualiter ad illa, tamen facta solum extrinseca suppositione futurorum, absque vlla additione realis & intrinsecæ perfectionis, possit actualiter repræsentare futura cum actuali terminatione ad illa. Quod etsi valdè difficile, tamen est ab omnibus necessariò

necessario dicendum, vt proprio loco in secundo tomo pluribus explicatum est. Huic Verbo ita expressiuo futurorum proportionatur scientia, nō visionis, quæ actualiter includit terminationem ad futura, sed simplicis intelligentiæ, quæ apta est actu repræsentare futura per additionem solius extrinsecæ terminationis ad futura positis futuris. Ex hac igitur scientia simplicis intelligentiæ, & nō ex alia visionis vt visionis formaliter, dicendum est per se procedere Verbum Dei. Confirmatur solutio ex probatis in primo tomo q. 12. art. 8. n. 92. quòd visio futurorum non sit necessaria ad comprehensionem diuinæ naturæ. Omnes autem fateri debemus, non esse necessarium ad generationem Verbi diuini, quod ad Dei comprehensionem non est necessarium.

66. *Secunda obiectio.* Obiicies secundo, Verbū diuinum dici debet per se procedere ex perfectissima Dei cognitione. Si enim Verbum, omniū perfectissimū, procedens ex cognitione, nō procederet pariter ex cognitione omnium perfectissima, Verbum non adæquaretur suo principio, & aliquid amplius esset in Dei Verbo, quam in scientia, contra Augustinum suprà n. 28. sed multò perfectior est diuina scientia vt possibilium simul & futurarum, quam vt possibilium tantū. Ergo non ex hac, sed ex illa dici debet per se procedere Verbum.

Respondetur scientiam visionis non esse perfectiorem scientia simplicis intelligentia.

Respondeo, negando minorem. Sicut enim velle liberum actualium creaturarum, nullam intrinsecam perfectionē addit supra velle Dei necessarium, ita neque scire liberum visionis actualiter terminatum ad creaturas existentes, aliquid intrinsecum in Deo addit supra scire necessarium simplicis intelligentiæ de possibilibus; vt supponendum hic est ex probatis in secundo tomo. Dices, hinc sequitur, Verbum nec per se procedere ex quacumque cognitione creaturarum, etiam possibilium, quia vt concedit Valentia supra, *Est cognitio diuina perfectissima, etiam vt est cognitio essentia & personarum.* Sed hoc non videtur posse dici cohærenter, posita sententia S. Thomæ & communi, probata in primo tomo q. 12. art. 8. de visione possibilium in Verbo, ita vt quo perfectius videtur Verbum, eo plura possibilia videantur; & in Verbo, perfectissimè viso per comprehensionem, videantur omnia simpliciter possibilia. Itaque Dei cognitio si spectatur præcisè vt terminata ad se ipsum, dici non potest cognitio Dei, & perfectissima quantum ad obiectum, quod non potest imperfectiori modo cognosci, quam si ita videntur, vt in eo viso nulla appareat creatura. Igitur visio possibilium in Deo, facit ad perfectionem intrinsecam visionis ipsiusmet Dei. Nam, vt docet S. Thomas suprà quæst. 12. art. 8. post principium Corporis, *manifestum est, quòd quantò aliqua causa perfectius videtur, tantò plures eius effectus in ipsa videri possunt.* Quando vero possibilia transeunt de esse possibili ad esse actuale per liberam & æternum Dei decretum, & temporalem creationem, sicut ex hoc transitu, & decreto, & creatione, nulla perfectio Deo intrinsecè additur; ita nec ex visionis scientia, quæ hæc omnia consequitur, aliquid perfectionis intelligitur Deo accrescere, sed solum præcedens illa infinita perfectio scientiæ simplicis, intelligentiæ possibilium in Deo visorum, intelligitur quasi extendi per solam extrinsecam terminationem ad futura. Cum igitur scientia Dei, si in Deo videat etiam possibilia, si intrinsecè perfectior, si vero videat actualia post decretum liberum, non sit intrinsecè perfectior, rectè dicitur necessaria ad generationem Verbi diuini vt terminata ad possibilia, non autem vt terminata ad actualia.

Valentia.

Scientia Dei perfectissima terminatur ad possibilia.

S. Thomas.

67. *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò multas authoritates sanctorū Augustini, Anselmi, Thomæ, quas multis prosequitur Zuniga supra toto membro 1. docentium, Verbum

diuinum repræsentare ac dicere omnia simpliciter intelligibilia, tam possibilia & necessaria, quam actualia & contingentia. Quidquid autem dicit Verbum procedens à cognitione, dicere debet ex formali vi suæ processionis, seu cognitionis intelligentis illud idem quod per Verbum ab illa procedens dicitur.

Respondetur explicando modum, quo Verbum, & cognitio vnde procedit, versentur circa futura.

Respondeo totum hoc in bono sensu concedi. Neque enim nodus controuersiæ stat in hoc, quòd tam Verbum, quam cognitio Dei repræsentent simpliciter actualia & contingentia; quis enim fidelis, ne dum Theologus, potest hoc negare? Sed nodus stat in modo, quo illa repræsentent. Verbum enim consideratum per se, secundum totam intrinsecam perfectionem, non repræsentat actualiter res contingentes, sic enim semper eas repræsentaret, siue existerent, siue non existerent; sed repræsentat aptitudinaliter tantum, tali scilicet aptitudine, vt si res contingentes non existant, eas repræsentet vt non existentes; si vero existant, eas repræsentet vt existentes, non per aliquam nouam & contingentem perfectionem intrinsecè sibi additam, sed solum per simplicem & extrinsecam terminationem ex infinita plenitudine virtutis suæ repræsentatiuæ. Idem omnino dicendum de cognitione ex qua tale Verbum concipitur. Ex vi igitur formali suæ processionis, & cognitionis vnde procedit, Verbum diuinum ex se simpliciter & absolutè habet tantum aptitudinaliter, non actualiter repræsentare res existentes: ex suppositione vero libera quòd res existant, habet quidem eas repræsentare actualiter, tamen non per aliquam perfectionem illi superadditam, sed per terminationem extrinsecam ad res existentes. Ergo cognitio illi commensurata, ex qua procedit, debet concipi tantum vt repræsentatio aptitudinalis rerum contingenter existentium, quæ est cognitio simplicis intelligentiæ, importans realem & intrinsecam perfectionem in cognitione; non autem vt repræsentatio actualis, sub qua formali ratione nullam realem & intrinsecam perfectionem in se importat, sed solum præcedentem perfectionem scientiæ simplicis intelligentiæ. Non est igitur cur aduersarij tantopere laborent in probando, quòd Pater & Filius inuicem loquantur de rebus existentibus, sed est profundius inspiciendus modus huiusmodi loquutionis, qui sufficientissimè habetur ex perfectione solius scientiæ necessariæ de possibilibus; non ex aliqua scientiæ visionis perfectione, quæ suprà illam verè nulla est; vt latè ostendi in quæstionibus de scientia & voluntate Dei.

QVÆSTIO XXXV.

De Imagine, in duos articulos diuisa.

Deinde quæritur de Imagine, & circa hoc quæruntur duo, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Imago in Diuinis dicatur personaliter.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd Imago non dicatur personaliter, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *De essentia Imaginis esse similitudinem in specie, num. 1. ad 4.*

2. *Esse etiam originem ab eo, cuius est imago, n. 4. & 5.*
3. *Imaginem in diuinis dici personaliter, non essentialiter, n. 6. & 7.*

EX corpore articuli colliguntur tres sequentes conclusiones, quæ nullam ferè controuersiam, aut difficultatem habent; & ideò eas breuiter indicabo.

1. *Prima cõclusio articuli.* Prima conclusio. *De ratione imaginis est similitudo, non quæcumque, sed quæ est in specie rei*; hoc est, in natura specifica, ratione cuius similitudinis dicitur Filius imago Patris; *vel saltem in aliquo signo speciei*; hoc est, vt ipsemet statim explicat, in figura; ratione cuius in rebus corporeis statuæ & picturæ, imagines dicuntur. Ita omnes paucis quibusdam modernis Theologis exceptis, contendentibus, similitudinem in natura, vel numerica, vt in diuinis, vel specifica, vt in humanis, facere quidem ad perfectiorem imaginis rationem; tamen non esse omnino necessariam ad essentialem rationem imaginis: cum Verbum creatum accidentale imago dicatur obiecti subſtantialis; & statuæ inanimatæ dicantur imagines rerum animatarum; & creaturæ, imagines Dei creatoris: inter quæ apparet dissimilitudo plusquam in genere.

2. *De essentia imaginis esse similitudinẽ in specie.* Nihilominus conclusio manifesta est primo ex communi omnium conceptione, & loquendi modo. Nemo enim intelligit, aut dicit, v.g. Calorem productum ab igne, vel lumen productum à sole, esse imaginem ignis, vel Solis: idque nullam aliam ob causam, nisi dissimilitudinis in natura specifica. Secundo quia aliter nullius momenti esset argumentatio illa, qua Patres passim probant, Filium Dei esse Patri consubstantialem, quia est imago Patris. Nazianzenus loco & verbis citatis suprà q. 27. art. 2. num. 83. cum docuisset, Filium dici Imaginem, ex eo quod eiusdem est cum Patre subſtantiæ; id statim ita probat, *Hæc enim est imaginis natura, vt princeps exemplar, vnde deducatur, figura sua referat.* Similiter Basilius hom. 15. circa medium, quòd *Filius omnia est, quæ Pater est*, ita probat, *Re vera namque imaginis sunt omnia, quæ in prototypo, siue exemplari existunt.* Rem ipsam, & argumentum inde deductum, clarissimè tradit Hilarius l. de Synodis exponens primum Canonem Orientalium Episcoporum. *Imago*, inquit, *omnis, eius ad quem coimaginetur, species indifferens est. Neque enim ipse sibi quisquam imago est; sed cum, cuius imago est, necesse est vt imago demonstret. Imago itaque est rei ad rem coaquandæ imaginata & indiscretæ similitudo.* Ex hac doctrina, quæ est ipsamet nostra conclusio, ita optimè deducit, *est ergo Pater, est & Filius; quia imago Patris est Filius: & qui imago est, vt verè Imago sit, speciem necesse est, & naturam & essentiam, secundum quòd imago est, in se habeat authoris.* Et in expositione Canonis tertij, initio, *Cum imago inuisibilis Dei sit, necesse est per speciem atque naturam similis essentia sit.* Et in expositione Canonis 12. circa medium, *Vbi imago Patris, Filius prædicatur per similitudinis veritatem; à subſtantia Patris, cuius imago est, subſtantiæ diuersitate non differt.* Ambrosius l. de Incarnationis Dominicæ sacramento c. 10. circa medium, *Cur solus Filius, imago inuisibilis Dei dicitur, nisi quia in eo naturæ eiusdem vnitas, & eius maiestatis expressio est?* Et paulò post, *Filius imago Dei; quia omnia, quæ sunt Dei, videntur in Filio, id est, sempiterna Diuinitas, omnipotentia, atque maiestas.* Item Cyrillus l. 1. Thesauri cap. 5. multò post medium, *Si Filius, genitoris imago est, necesse est vt ei insint omnia, quæ Patri etiam insunt.* Nam, vt ait l. 1. de recta fide ad Theodosium columna 12. *Cui dubium esse potest, Imagines ita per omnia effectas esse oportere sicut ipsa prototypa.* Ex sanctorum igitur Doctorum sententia, nulla res habet propriam rationem imaginis, nisi habeat cum suo exemplari similitudinem in natura eiusdem saltem speciei.

Nazianzen. Basilius. Hilarius. Ambrosius. Cyrillus.

3. *Soluuntur tres rationes in contrarium.* Tertiò ostendo non esse efficacia tria aduersariorum motiua, tacta num. 1. fine. Ad primum de verbo creato, dico, illud non esse propriè & simpliciter imaginem; sicut est imago realis in essendo, seu naturalis; sed esse imaginem impropriè, & secundum quid, nempe intentionalem & in repræsentando: & ideo mirum esse non debet si cum obiecto repræsentato habeat similitudinem intentionalem, in repræsentando tantum, non in essendo. Ad secundum de statuis, & picturis, dico, eas, sicut sunt imperfectæ imagines, nimirum in sola externa corporis forma, ita etiam esse similitudines in ea forma, siue figura. Ad tertium de creaturis quæ dicuntur imagins Dei, dico similiter cum S. Thoma art. sequenti ad 3. Hominem dici Dei imaginem imperfecto & largo modo: *sicut*, inquit, *imago Regis inuenitur in denario. Et ideo ad designandum in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago*, vt 1. ad Cor. 11. *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est; sed ad imaginem: per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur.* Quod antea docuerat Augustinus libro 7. de Trinit. paulò ante finem, cum illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, ita exponit, *Quia non omnino æqualis fiebat illæ imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata; huius rei significandæ causa, ita imago est, vt ad imaginem sit; id est, non æquatur paritate, sed quadam similitudine accedit.* Nos autem hic loquimur non de re quæ est potius ad imaginem: quam imago, sed quæ est verè ac propriè imago.

Thomas. Augustinus. Exponitur locus Gen. 1.

4. *Secunda conclusio, de origine requisita ad rationẽ imaginis, ex Augustino.* Secunda conclusio. *Ad rationem imaginis non sufficit similitudo speciei, vel figuræ, sed requiritur origo.* Hoc probat ex Augustino l. 83. qq. q. 74. initio, vbi ita docet, & probat, *In speculo est imago hominis, quia de illo expressa est; est etiam necessario similitudo. Sed in duobus ouis paribus inest similitudo; imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Et de parente expressa est similitudo filij, vt rectè dicatur imago.* Idem alibi scripsit Augustinus vt refero suprà q. 27. art. 2. n. 82. & multò clarius l. imperfecto de Genesi ad literam c. 16. aliquanto post principium, exponens illud, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* ita habet. *Omnis imago similis est ei, cuius imago est: nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est eius. Si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest: imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur.* Et post nonnulla, *si tantum similitudinem diceret, non significaret, ab ipso esse genitam. Si autem tantummodo imaginem diceret significaret, ab ipso quidem genitam, sed non significaret ita similem, vt non tantum similis, sed ipsa similitudo esset.* Quo modo docet, similem esse Filium Deo Patri, ita subdens, *Vnde intelligitur, ita Patri esse similem similitudinem suam, vt eius naturam plenissimeque, perfectissimeque impleat.*

5. Nazianzeno, Hilario, Ambrosio, Probari etiam potest ex aliis Patribus. Nazianzenus oratione 4. de Theologia non longè à fine, ita docet, *Imago dicitur, qui sit eiusdem essentiæ, & quod hic ab illo.* Hilarius libro 7. de Trinit. multò ante finem, *Filius Patri imago est, quia ex eo natus non habet naturæ diuersitatem. Quod ergo imago est, eò profecit, vt Deum Patrem Vnigeniti Dei significet natiuitas: significet autem vt forma, & imago inuisibilis Dei.* & l. 9. paulo post principiũ, de Filio Dei ait, *Ex se per imaginem referens quod in se est; dum & imago est Authoris, & veritas; quia perfecta natiuitas perfectam imaginem præstat.* & de eodem loquens Ambrosius l. 1. de Fide c. 4. aliquantò post medium, ait, *Imago non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris; sed simplex de Deo, egressa de Patre, expressa de fonte.* Et paulò post propter veritatem huius conclusionis ex ratione imaginis arguit, Deum Patrem generantem, dicens, *Vides ergo, quia dum imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius: quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.* Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 1. multò ante medium, *Filius imago Dei est, quia ex ipso Patre verè ac propriè genitus est.*

Cyrillo.

6. *Tertia conclusio articuli affirmatiua.* Tertia conclusio directè respondens quæsito articuli, Imago in diuinis dicitur personaliter, non essentialiter. Hoc in fine articuli ita probatur ex præcedenti conclusione. *Ad hoc, quòd verè aliquid sit imago, requiritur quòd ex alio procedat simile ei in specie, vel in signo speciei*; vt hactenus probatum est. *Ea verò, quæ processionem, siue originem important in diuinis, sunt personalia. Vnde hoc nomen, Imago, est nomen personale.* Confirmari etiam potest ex eo quod tangitur hic in argumento *Sed contra.* quia formalis ratio imaginis in diuinis non est absoluta, sed relatiua. Quidquid autem intra Deum relatiuè dicitur, non absolutè; dicitur tantum personaliter, non essentialiter. Hoc omnium clarissimè docuit Augustinus relatus & receptus à Magistro lib. 1. sent. d. 27. litera E. & F. & ab omnibus Scholasticis. Nam l. 5. de Trinit. c. 13. circa principium ait, *Dicitur relatiuè Filius. Relatiuè dicitur & Verbum, & Imago: & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* Et lib. 6. c. 2. ante medium, cum dixisset. *Verbum solus Filius accipitur*, subiungit, *Sic Verbum, quo modo Imago. Non autem Pater & Filius simul ambo Imago, sed Filius solus Imago Patris.* Et propterea in fine capitis negat, quod Filius de Patre genitus dici possit *imago de imagine.* Et l. 7. c. 1. aliquanto post principium de Deo Patre ait, *Nõ est ipse Verbum, sicut nec Filius, nec Imago.* Et paulò post quæritur, *An sapientia relatiuè dicatur, sicut Filius & Imago.* Vbi supponit, quod ita est relatiuum nomen Imago, sicut & Filius. Nam, vt post multa subiungit, *Quid absurdius, quam imaginem ad se dici.* Et c. 2. ante medium, *Hæc duo dicuntur, id est, nata sapientia, in vno eorum, eo quòd nata est, & Verbum, & Imago, & Filius intelligatur; & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relatiuè dicuntur.* Quibus vltimis verbis expresè continetur præsens conclusio, & eius ratio: nempe, Imaginem non dici essentialiter, sed personaliter; quia relatiuè dicitur.

Probatur ex Augustino.

Quo sensu dicatur Filius imago essentia ex S. Thoma.

7. *Ex Anselmo.* Idem quoque clarè docuit Anselmus in Monologio c. 37. fine dicens, *Verbum, hoc ipsum quod Verbum est, aut imago, ad alterum est: quia non nisi alicuius Verbum est, aut imago*: nimirum Patris, vt explicat c. 53. circa principium cum ait, *Verbum, mox vt consideratur, se prolem esse eius, à quo est, euidentissime probat, promptam proferendo parentis imaginem.* Si enim imaginis relatio est realis, sicut realis est relatio Filij, & relatio Verbi, quibus Augustinus suprà comparat relationem imaginis, quæ propter ea ab Augustino suprà, & omnibus authoribus secundæ conclusionis consequi dicitur realem natiuitatem & processionem; dicendum omnino est, Imaginem referri ad Patrem ad quem expresè referunt Hilarius, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Cyrillus, Augustinus, Anselmus, verbis in hoc articulo citatis; & multi alij relati suprà q. 29. a. 2. n. 1. illud Pauli Hebr. 1. *Figura subſtantiæ eius*, intelligentes de Filio respectu Patris, & non subſtantiæ communis omnibus personis; ad quam, identificantem sibi omnia diuina, nihil in Deo realiter referri potest. Quod si aliqui interdum dicant, Filium esse imaginem essentiæ, quos refero & explico ibidem n. 2. non negant referri ad Patrem. Neque enim nomine essentiæ intelligunt terminum cui per imaginem assimiletur Filius, sed solum rationem in qua assimilatur; quæ non sunt filiatio & paternitas, in quibus realiter

opponuntur, & distinguuntur Pater & Filius; sed est sola essentia, in qua sunt vnum & idem omnino, siue, vt loquitur S. Thomas 1. d. 28. quæst. 2. art. 1. initio corporis, non intelligunt id quod Filius vt imago imitatur, quod est solus Pater; sed id in quo Filius vt imago imitatur Patrem, quod non est aliud nisi essentia: quæ duo docet significari ab Hilario, imaginem ita definiente lib. de Synodis Canone 1. Orientalium, *Imago omnis, eius ad quem coimaginatur, species indifferens est.* Nam, vt ibi exponit S. Thomas, *ad significandum ordinem, & relationem se imitantium, dixit, Imago est eius rei ad quam imitatur: ad distinguendum vero id in quo est imitatio, dixit, Species indifferens.*

Hilarius.

ARTICVLVS II.

Vtrùm nomen imaginis sit proprium Filij.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd nomen imaginis non sit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Probatur authoritate, Imaginem dici propriè de solo Filio, num. 1. ad 4.*
2. *Idem probatur ratione, n. 4. ad 7.*
3. *Soluuntur rationes in oppositum, n. 7. ad finem articuli.*

1. *Imaginẽ Dei propriè de solo Filio. Contrà Durandum.* NICA conclusio. In diuinis imago propriè dicitur de solo Filio. Ita omnes planè Theologi, vno excepto Durando 1. d. 28. q. 3. vbi quamuis concedat, *quòd imago dicitur personaliter, & non essentialiter*; duo tamen addit contra hãc conclusionem, primum, *quod imago non conueniat propriè diuinis.* Secundum, *quod esse imaginem conuenit tam Filio, quam Spiritui sancto.* Hoc secundum minus absurdum est, cum multos Græcos, Patres patronos habere videatur, vt infrà referam. Primum vero omnibus Patribus & Scholasticis apertè cõtradicit: & propterea est adeo absurdum, vt de hac Durandi opinione ita censuerit Carthusianus 1. d. 28. q. 4. multò post medium, *Videtur non solum erronea, sed item periculosa.* Idque probabiliter ac verè suadere conatur primò, *quia Scriptura canonica, loquendo simpliciter, attribuit Vnigenito Filiò esse imaginem Patris, sicut & esse Verbi illius*, quod etiam propriè vsurpari in diuinis ostendimus suprà q. 34. a. 1. n. 3. contra eumdem Durandũ. De Filio autem Dei dicitur Sapient. 7. *Speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Et ad Rom. 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Et 2. Cor. 4. *Christi qui est imago Dei.* Et Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Et Hebr. 1. *Qui cum sit figura subſtantiæ eius.* Secundò Carthusianus contra Durandum arguit; *Quia Doctores, & sancti Patres cõcorditer dicunt, Filium propriè, ac solum, esse imaginem Patris: imò, quòd sit naturalis, perfecta, & vnica Patris imago. Quæ naturaliter, ac perfectè, & vnicè conueniunt diuinæ personæ, conueniunt ei & propriè*, Præterea Zumel hîc conclusione 1. ait, *Sententia Durandi falsa est, & periculosa nimis in fide.* Mitius à Molina disp. vnica fine dicitur, *Singularis, & parum consona Scripturis sacris.*

Censuræ opinionis Durandi.

2. *Quid sentiãt Aureolus, Bonauẽtura, Riccardus.* Neque cum Durando à quibusdam benè citatur Aureolus, quoniam 1. d. 27. parte 2. art. 3. §. *Restat ergo.* Propositione 3. ex instituto probat, *quòd licet Spiritus sanctus in essentialibus omnibus similis sit Patri, & Filio; non est tamen imago.* Neque etiam benè citantur Bonauentura 1. d. 6. art. vnico quæst. 3. Riccardus

Riccardus q.4. dicentes, Filium à Deo Patre non procedere *secundum rationem exemplaritatis*. Hoc enim loquendi modo nil aliud volunt, vt ipsimet explicant, nisi non procedere, *Sicut exemplatum propriè, vt Deus produxit creaturam secundum exemplar suum, quod habet in mente diuina.* Concedunt autem quod procedit Filius *tamquam ratio exemplandi alia.*

3. *Probatur ex Ambrosio, Cyrillo,* Probatur igitur conclusio authoritate Patrum. In primis sunt aliqui citati supra art.1. Ambrosius n.2. *Solus Filius imago inuisibilis Dei dicitur.* Cyrillus n.5. *Filius imago Dei est, quia ex ipso Patre, verè ac propriè genitus est.* Sed genitus in diuinis est solus Filius. Ergo sicut hic solus est verè ac propriè genitus; *Augustino,* ita solus est verè ac propriè imago. Augustinus n.6. *Athanasio,* *Solus Filius imago Patris*, quæ verba afferuntur hic in argumento *Sed contra.* Præterea Athanasius de Decretis Nicænæ Synodi paulò ante medium ait, *Quandoquidem vnus est Deus, necessarium est quoque vnam esse Dei imaginem, quæ ipsius est Filius. Si quidem Filius Dei, vt ex ipsis scripturis patet, ipse est Dei Verbum, & Sapientia, & Imago, & Manus* (non autem Magnus, vt benè legit ex Græco Iustinianus 2.Cor. 14.versic.4.post medium) *& Virtus.* Et iterum paulò post. *Si eum Imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies.* Sed Spiritus sanctus non est Filius, nec progenies. Ergo nec imago, alioquin *hoc ipso*, vt ait Athanasius, esset Filius, & progenies. Et oratione 4.contra Arianos, columna 8.paulò post principium, *Ille* *Eusebio Cæsariensi,* *solus est imago vera, & genuinus Patris sui.* Eusebius Cæsariensis lib.4.Demonstrationis Euangelicæ c.2. med. *Oracula Deum genitum illum enunciant, tamquam eum, qui diuinæ naturæ solus in se ipso ferat imaginem.* *Anselmo,* Anselmus in Monologio c.53.circa principium, docet, *Verbum*, & non Spiritum sanctum, *promptam proferre parentis imaginem.* *Riccardo Victorino.* Riccardus Victorinus lib.6. de Trinit.cap.19.ex instituto probare incipit, *Quòd Spiritus sanctus non sit imago Vnigeniti.* Idem probat Rupertus infrà n.5.& significant multi Patres, qui nomen imaginis semper tribuunt Filio, & numquá Spiritui sancto. Quo argumento negatiuo hîc initio corporis ex Scriptura probatur, nomen Imaginis dici de Filio, non de Spiritu sancto. *Non enim inuenitur in Canonica Scriptura nisi de Filio*, vt patet ex *Probatur ex Scriptura.* locis allatis suprà n.1. Enim verò Scriptura sæpissimè loquens de Spiritu sancto, & numquam eum vocans imaginem, quo nomine sæpe vocat Filium, probabilissimè indicat, Spiritum sanctum non posse propriè vocari imaginem.

4. *Prima ratio Riccardi Victorini impugnatur à S. Thoma.* Huius conclusionis duas rationes ab aliis assignatas refert, & impugnat S.Thomas hic. Primam dicentium, Imaginem Patris esse Filium, non Spiritum sanctum, *ex hoc, quòd Filius conuenit cum Patre non solum in natura, sed etiam in notione principij*, scilicet spiratiui per voluntatem: *Spiritus autem sanctus non conuenit cum Filio, nec cum Patre in aliqua notione.* Ita olim ratiocinans est Riccardus Victorinus, quem sequuti sunt Alensis, Bonauentura, Maior, Alliacensis, Zuniga, & alij recentiores, vt multis refero & impugno suprà q.27. art.2. dub.5. Impugnat S.Thomas, quia secundum relationes non attenditur in diuinis neque æqualitas, neque inæqualitas. Ergo neque similitudo. Ergo neque imago, de cuius *Augustinus.* ratione est similitudo. Antecedens probat ex Augustinò, qui lib.5.c.6. ita concludit circa finẽ. *Non secundum hoc quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri. Restat vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur, quicquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo vt secundum substantiam sit æqualis.* Vbi licet loquatur expressè tantum de relationibus paternitatis & filiationis, tamen consequentia nulla esset, nisi vniuersaliter intelligeretur de quacumque alia diuina relatione. & lib.6. cap.4. fine, cum docuisset, *Nullomodo Filium æqualem esse Patri, si in aliquo inæqualis inuenitur:* ita limitauit, *scilicet quod pertineat ad significandam eius substantiam.* Sed ex Augustino relationes non pertinent ad substantiam. Ergo per ipsum æqualitas, vel inæqualitas non attenditur secundum aliquam relationem, sed solum secundum substantiam, & absolutas rationes. Alioqui, vt loco citato n.44. cum Hêrico argumentabamur, Filius esset imperfecta Patris imago; quia in hac ipsa notione principij, cum similitudine principij spiratiui, quæ ad rationem imaginis facere dicitur, habet multò plures dissimilitudines, vt non esse principium generatiuum, non esse innascibilem, non esse fontem totius diuinitatis, non esse ex se principium Spiritus sancti, sed hoc habere à Patre. Si igitur tot notionales dissimilitudines non tollunt perfectum rationem imaginis, nec eam ponere debet vna notionalis similitudo principij spiratiui.

5. *Secunda ratio Ruperti impugnata à S.Thoma.* Secundam rationem impugnat D.Thom. dicentium, *quòd Spiritus sanctus non potest dici imago Filij, quia imaginis non est imago: neque imago Patris, quia etiam imago refertur immediatè ad id, cuius est imago; Spiritus sanctus autem refertur ad Patrem per Filium. Neque etiam est imago Patris & Filij; quia sic esset vna imago duorum. quod videtur impossibile.* Quod vltimum Ruperto tribuitur. Impugnat autem S.Thomas primò, *quia Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Vnde nihil prohibet, sic Patris & Filij, in quantum sunt, vnius esse vnam imaginem.* Secundo ex eo, quòd, *etiam homo totius Trinitatis sit vna imago.* Et si duo homines essent omnino similes in externo, posset artifex vna imagine vtrumque repræsentare. Tertiò arguit 1. d.28. q.2. art.3. post medium corporis, *quia non est maior ratio, quare non possint esse vnius plures imagines, quam vnius plures similes, vel æquales: sicut Filius, & Spiritus sanctus sunt similes, & æquales Patri.* Quartò contra alia membra eiusdem rationis arguo. quia imaginis est imago respectu diuersorum: sicut Isaac fuit imago Abraham, & nihilominus Iacob fuit imago Isaac. Ergo hoc non debet obstare, quo minus Spiritus sanctus sit imago Filij, qui est imago Patris. Quintò quamuis Filius virtutem spirandi accipiat à Patre, certum tamen est vna eademque virtute Patrem & Filium æque immediatè spirare Spiritum sanctum. Ergo Spiritus sanctus erit imago Patris, si ad hoc non requiritur aliud nisi immediatè referri ad Patrem.

6. *Tertia ratio sufficiens S. Thoma.* Tertia igitur & sufficiens conclusionis ratio, quam S.Thomas breuius & obscurius tangit hîc in fine corp. sed fusius & clarius explicat 1. d.28.q.2. art.3.circa finem corporis, *Filius ex ratione processionis suæ habet quòd sit imago; & in quantum procedit vt Filius, quia Filius dicitur ex hoc quòd habet naturam Patris:* nimirum ex ratione, seu vi formali suæ processionis; *& in quantum procedit vt Verbum, quia Verbum est quædam similitudo in intellectu ipsius rei intellectæ. Sed Spiritus sanctus non habet hoc ex ratione suæ processionis, quia procedit vt amor: & ideo sicut non dicitur Filius, quamuis accipiat suæ processione naturam Patris; ita nec imago, quamuis habeat similitudinem ad Patrem.* Nihil illustrius scribi poterat pro hac re, & pro sententia latissimè explicata suprà q.27. art.2. de ratione, ob quam processio secundæ personæ, & non tertiæ, sit generatio Filij. Certũ enim est, & non obscurè in vtroque loco citato supponit S.Thomas, & benè notauit Suarez l.11. de Trinit. fine, eadẽ ratione, quæ probat, Verbum & non Spiritum sanctũ esse Filium, probari etiã, Verbum, & non Spiritũ sanctũ esse imaginem. Notari maximè debet illa propositio, *Suarez. Cur Spiritus sanctus nõ sit Filius ex S. Thoma.*

tio, quæ est præcipuum totius sententiæ fundamentum, *Filius ex ratione suæ processionis habet naturam Patris. Sed Spiritus sanctus non habet hoc ex ratione suæ processionis, quamuis accipiat suæ processione naturam Patris.* Verissimè & acutissimè distinguit, Accipere naturæ *ex ratione suæ processionis*, &, Accipere naturam *suæ processione*. Primum concedit de Filio, negat de Spiritu sancto, & est omnino idem, quod negare, Spiritum sanctum ex vi formali suæ processionis procedere, vt Deum, & consequenter, Amoré diuinum, quem ex vi formali processionis suæ accipit Spiritus sanctus, non esse de essentia naturæ Deitatis, sed tantum esse quoddam illius naturæ attributum, secundum verò solum concedit de Spiritu sancto, & significat, Spiritum sanctum accipere naturã diuinam solum propter omnimodam identitatem, quam suæ processionis terminus formalis habet cũ illa natura. Notandum quoque diligenter est contra Thomistas, explicantes diuinam generationem per similitudinem intentionalem in repræsentando, distingui à S.Thoma verbis citatis duas similitudines; alteram realem in essendo, siue in natura, quam Verbum Dei habere docet, *in quantum procedit vt Filius, quia Filius dicitur ex hoc, quòd habet naturam Patris*; alteram intellectualem, & intentionaliter repræsentatiuam, quam, inquit, habet Filius Dei, *in quantum procedit vt Verbum, quia Verbum est quædam similitudo in intellectu ipsius rei intellectæ.* Ad probandam igitur formalem generationem Filij Dei, non est attendenda similitudo in repræsentatione, quam similitudinem habet secundum formalem & explicitum conceptum Verbi, sed attendenda est alia similitudo in natura, quam similitudinem habet secundum formalem, & explicitum conceptum Filij. Ergo solus Filius est perfectissima & exactissima Patris imago, quia ipse solus ex vi formali suæ processionis habet naturalem & intentionalem similitudinem cum suo principio. Neutrum verò habet Spiritus sanctus ex vi formali suæ processiones, siue, vt loquitur S.Thomas, *ex ratione suæ processionis*, sed solum ex vnitate & identitate, quam illa habet cum diuina natura & intellectione. Quod rursus ibidem pluribus docet & explicat S.Thomas ad 2.3. & 4. Aliæ rationes insufficientes afferri possent, de quibus Suarez suprà, & Vazquez disp.145. Sed pluribus examinatæ diligenter sunt suprà quæst.27. art.2. tractando de ratione ob quam secunda persona, & non tertia, sit filius: nam eadem ratio idem probat de imagine, vt dictum est. Denique si esse imaginem non conuenit Spiritui sancto, qui solus hîc excluditur, quia solum de eo poterat esse aliqua dubitatio, multò minus conueniet Patri respectu Filij, & Spiritus sancti, aut essentiæ; neque Filio respectu sui ipsius, aut essentiæ; quia in his omnibus deest simpliciter origo, necessaria ad rationem imaginis, vt suprà art.1. conclusione 2.

Soluuntur rationes in oppositum.

7. *Prima obiectio Durãdi, S.Thomas.* Obiicies primò ex Durando suprà, num. suo 7. quia Spiritum sanctum esse imaginem, *expressè dicit Damascenus, & Doctores Græci.* Et ipsemet S.Thomas hic initio corporis ingenuè fatetur, quòd Doctores Græcorum communiter dicunt, Spiritum sanctum esse imaginem Patris, & Filij. Ita habet *Damascen.* Damascenus lib.1. Fidei cap.18. circa medium, *Imago Patris est Filius, & Filij Spiritus sanctus: per quem Christus homini inhabitans, dat ei quod est secundum imaginem.* Præterea Gregorius Thaumaturgus in *Gregorius Thaumat.* Regula Fidei de qua suprà quæst.29. art.2. num.2, ait, *Spiritus sanctus imago Filij perfecta perfecti.* Athanasius epistola ad Serapionem, quæ incipit, *Literæ.* ferè inter medium & finem, *Quin etiam Filij imago & est, & dicitur Spiritus. Quos enim præcognouit, eos etiam prædestinauit conformes imaginis Filij sui.* Et in alia epistola ad eumdem, quæ incipit, *Verfatus sum.* col.2. med. *Cum Filius sit imago Patris inuisibilis, est autem ipse Spiritus imago Filij. Scriptum est enim, Quos præscinit, hos & prædestinauit conformes imaginis Filij sui.* Quo loco etiam Basilius lib.5. contra Eunomium, §.6. *Basilius.* fine, confirmat quòd *Imago Filij, Spiritus; quo, qui participant, Filij conformes fiunt.* & §.12. initio, idem supponit quærens, *Si Dei est imago Filius, Filij verò Spiritus, cur non Filius, Filij Spiritus dictus est?* Cyrillus lib.13. Thesauri cap.1. aliquantò post medium, *Quemadmodum quoniam Filius imago Patris est, si quis Filium susceperit, Patrem etiam habet: sic, quoniam Spiritus sanctus imago Filij est*, &c. Vnde concludit, *Quomodo igitur Spiritus sanctus, cum sit incommutabilis imago Filij Dei, inter creaturas connumerabitur?* & mox iterum, *Deus igitur verus, Spiritus sanctus est, quoniam Filij Dei, qui est verus Deus, imago perfectissima est.* *Cyrillus.*

Respondetur exponendo, in quo sensu Patres prædicti dicant, Spiritum sanctum imaginem Filij. Respondeo cum S.Thoma hic ad 1. & lib.1. sent. d.28.q.2.art.3.ad 1. *Quod Damascenus, & alij Doctores Græcorum, communiter, & largè vtuntur nomine imaginis pro perfecta similitudine*, nimirum in eadem numero natura cum suo principio. Sed præterea ad propriam rationem imaginis, est necessarium, vt docet citato art.3. fine, vt hanc similitudinem & æqualitatem habeat *ex ratione & modo suæ processionis*, quo modo non habet Spiritus sanctus. Patres autem accipere imaginem per similitudinem, colligo ex Cyrillo, qui cum aliis in locis Spiritum sanctum vocauerit imaginem, tamen aliquando vocat similitudinem, vt lib.7. Dialogorum de Trinit. columna 7. ante medium, *Quòd autem similitudo vera Filij Spiritus sit, scribentem audias beatum Paulum, quia quos præsciit,* *Rom.8.* *hos prædestinauit conformes imaginis Filij eius.* Cur verò Patres asseruerint, Spiritum esse imaginem Filij, potius quam Patris, cum non minus similis sit Patri, ab eoque procedat, causam esse arbitror, quoniam agebant contra hæreticos, qui blasphemabant, Spiritum sanctum creatum esse à solo Filio immediatè. Postquam igitur probauerant, Filium à Patre genitum, esse verum Deum; hinc probare inceperunt, Spiritum sanctum etiam procedentem à Filio, esse verum Deum; quia cum Filio vero Deo haberet perfectissimam similitudinem, quam habet imago cum suo exẽplari: vt multis ostendi suprà q.27.a.1.à n.116. Demum, Spiritum sanctum esse imaginem Filij, confirmant prædicti Patres ex illo Rom.8. *Prædestinauit* *Exponitur locus Rom.8.* *conformes fieri imaginis Filij sui.* Vbi nomine imaginis intelligunt Spiritum sanctum. Sed, vt ibi benè notat noster Iustinianus, *Longius aliquanto recessisse ab instituto videntur*; quia Paulus ibi clarissimè loquitur de solo Filio Dei: & proterea de illo immediatè post subdit, *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quod solum de Christo Deo & homine, cui reliqui homines prædestinati, fratres Christi assimilantur in gratia & gloria, intelligi debet; sicut intelligũt ibi Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, & reliqui omnes expositores. Imo ipsemet Cyrillus alibi, vt l.10. *Cyrillus.* Thesauri c.4. non longè à principio, hanc similitudinem cum Filio Dei expressit his verbis, *Quando natura ipse Deus, homine assumpto, frater factus est noster; tunc etiam primogenitus factus est in multis fratribus; quia multos filios Dei per gratiam effecit.*

8. *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, quoniam nonnulli Patres Spiritum sanctum vocant Characterem, Sigillum, & Faciem Patris & Filij: quibus nominibus idem significatur, quod nomine imaginis. Vnde Filius, qui

qui est imago Patris, passim vocatur etiam Character, Sigillum, Facies. De solo enim Filio dictum est Hebr.1. *Figura substantiæ eius.* Quem locum exponentes multi Patres relati suprà quæst.29.art.2. num.1. pro figura habent characterem. Præterea occasione illorum verborum, quæ Filius Dei de se ipso dicit Ioan.6.*Hunc Pater signauit Deus*;illũ multi Sancti sigillum vocant,nimirum à Patre impressum per æternam generationem,& exprimens perfectissime in se totam naturam Patris. Multi etiã Patres notant,Filium quoque intelligi nomine facici Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?*

Respondetur Spiritum sanctum dici characterem, & faciem,nõ formaliter, sed effectiuè.

Respondeo, Spiritum sanctum dici characterem & sigillum, non formaliter sumptum pro ipsa imagine expressa,seu producta;quo modo Filius character est, & sigillum Patris: sed effectiuè sumptum pro causa imprimente in homines imaginem Christi per gratiam;quæ impressio per appropriationem tribuitur Spiritui sancto.Hanc expositionem significant Athanasius epistola ad Serapionem, quæ incipit,*Literæ*,multò post medium dicens,*Ipse Spiritus & sigillum, & vnguentum est,in quo omnia inungit, & signat Verbum.* Athanasius. Ambrosius lib.1.de Spiritu sancto c.6. paulò post medium, *Spiritu signamur, vt splendorem, atque imaginem eius, & gratiam tenere possimus, quod est vtique spirituale signaculum: vt Spiritus sanctus exprimat, in nobis imaginis cœlestis effigiem.* Et Cyrillus lib.14.Thesauri c.4. paulò ante medium, *Cum ipse*, nempe Spiritus sanctus, *sit quasi quoddam sigillum in cordibus suscipientium,sicut in cera inuisibiliter imprimit, & ad imaginem Dei rursus hominem renouat.* Similiter Spiritus sanctus dicitur facies Dei, non formaliter, sed efficienter,in quantum causat in nobis cognitionem Dei, & diuinarum personarum, per fidem, & gloriam.Ita Cyrillus lib.13.Thesauri c.2. aliquanto ante medium, exponit citata verba Ps.138. dicens, *Spiritum sanctum tuum,faciem Patris appellat,quoniam ostendit ipsam essentiam Dei,vnde est.*

Athanasius. Ambrosius. Cyrillus.

Exponitur eũ Cyrillo locus Ps.138.

9. *Tertia obiectio Durãdi.*

Obijcies tertiò, præcipuum fundamentum Durandi suprà n. suo 5.& 6. *Imago importat similitudinem ad illud,cuius est imago. Vbi ergo non est propriè similitudo, ibi non est propriè imago. Sed in vna persona respectu alterius, non est propriè similitudo. Ergo*, &c. Minorem probat, quia similitudo diuinarum personarum inter se, non potest esse quoad relationes,sed quoad essentiam, vt patet ex Augustino suprà num.4. In essentia verò diuinæ personæ non habent propriè similitudinem, quæ postulat distinctionem non solum extremorum, sed etiam fundamentorum,vt probaui suprà q.28.a.4.n.43.Ergo nec propriè imaginem.

Respondetur explicando similitudinem inclusam in imagine. Suarez.

Respondeo, distinguendo maiorem. Imago importat similiitudinem, non simpliciter,sed similitudinem receptam ab exemplari:rectè enim dixit Suarez lib.9.de Trinit.c.9.n.5. quòd *imago non dicit relationem similitudinis absolutè, sed vt fundatam in forma accepta ab exemplari.* Et ideo hæc secunda similitudo nõ est in vtroque extremo,sed tantum in vno, denominans imaginem similem exemplari, non autem exemplar simile Imagini. *Imago enim*, inquit Augustinus lib.6. de Trinit.c.10. paulò post principium, *Si perfectè implet illud,cuius imago est, ipsa coæquatur ei,non illud imagini suæ.* Eadem distinctione ad minorem dico, similitudinem simpliciter & sine origine, non esse propriè similitudinem in diuinis, cum sit relatio rationis, non realis, vt probaui loco citato, similitudinem verò cum origine, qualis est similitudo imaginis esse in diuinis propriissimam similitudinem, & realem ac personalem relationem ad exemplar. De qua difficultate valde graui mota à Scoto ad probandum, similitudinem simpliciter inter diuinas personas esse realem relationem, sicut

Augustinus.

sunt aliæ personales, abundè dictum est suprà q.28. art.4.n.58.& 59.

10. *Quarta obiectio Durandi.*

Obiicit quartò idem Durandus suprà n. suo 7. *Vna persona non imitatur aliam in essentia, cum numquam sit propriè imitatio secundum vnum & idem numero. Ergo vna non est propriè imago alterius:* quia vt docet S.Thomas 1. d.28. q.2. art.1. initio corporis, *ratio imaginis consistit in imitatione, vnde & nomen sumitur, dicitur enim imago, quasi imitago.*

S.Thomas.

Respondetur imaginẽ fundari in essentia vt communicata,

Respondeo,ex præcedenti solutione,distinguendo in Antecedente illud,*in essentia*; si enim essentia diuina consideretur per se vt præcisa ab origine, concedo inter personas diuinas non esse imitationem,sed vnitatem & identitatem:si verò consideretur, vt communicata alteri ex vi formali suæ processionis,nego, vnam personam in essentia tali modo sibi communicata non imitari aliam personam, à qua illam essentiam communicatam habet. Etenim in essentia considerata sub hac formali reduplicatione, non sunt idem, sed realiter distinguuntur Pater & Filius;cum Pater sit essentia communicans, non communicata: Filius verò respectu Patris, sit essentia communicata, non autem communicans.

11. *Quinta obiectio de tota Trinitate,cui tribuitur ratio imaginis.*

Obiici potest quintò tam contra S.Thomam, quam contra Durandum, quòd Imago sit etiam diuinum nomen essentiale,commune tribus personis, & non tantum personale vnius personæ Filij: quoniam & Scriptura, & Sancti totam sanctissimam Trinitatem vocant imaginem. Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et paulò post, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Et c.9. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Athanasius, vel quiuis alius author operis de Vnita Deitate l.1.columna 2. post medium, interrogatus, *Cur vna imago inuisibilis est Trinitatis?* respondet, *Quia vna eademque Deitas est in imagine veritatis.* Hilarius lib.5. de Trin. col.4.fine, *Ad Patris & Filij inuaginem homo conditur.Vna enim est imaginis,ad quam homo creatus est,species.* Chrysostomus tomo 3. serm.de Trinit.subinit. *significans Scriptura, esse vnam imaginem sanctæ Trinitatis,dicit, Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit illum.* Et tomo 5.serm.cõtra Anomæos paulò post medium,*Faciamus hominem;non dixit, secundũ imaginem tuam minorem,neque secundum imaginem meã maiorem;sed secundum imaginem nostram, nempe Patris & Filij imaginem,qua vna est. Non enim dixit, Imagines;sed, Imaginẽ nostram;non quòd duæ sint inæquales;sed vna,& eadem,æqualis Patris,Filij imago.* Augustinus l.7.de Trinit.non longè à fine, *Faciunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ad imaginem Patris, & Filij, & Spiritus sancti vt subsistat homo imago Dei. Deus autem Trinitas.* Idem Augustinus, seu potius Fulgentius,de Fide ad Petrum, quem solum sibi obiicit S. Thomas art.1.in primo argumento,ait apud ipsum, *Vna est sancta Trinitatis Diuinitas, & imago ad quam factus est homo.* Quibus verbis,& verbis Hilarij suprà motus Magister lib.1. sent.d.28. fine scripsit, *quòd imago aliquando essentia intelligentiam facit; & tunc ad se dicitur, & non relatiuè.*

Athanasius. Hilarius. Chrysost. Augustinus. Fulgentius. Magister.

Respondetur eũ S.Thoma.

Respondet S.Thoma loco cit.quòd *impropriè Augustinus vtitur nomine Imaginis*; nimirum pro exemplari,quòd non est propriè imago,sed id ad quod repræsentandum refertur imago. Quoniã verò multi alij Sancti,& ipsamet sacra Scriptura eodem modo loquuntur,dici etiam potest,eos loqui propriè,ramẽ non loqui de imagine *quæ*, sed de imagine *ad quam.* Numquam enim dicunt,Deum esse imaginẽ hominis,imò aliquando dicunt oppositũ cũ Paulo 1.Cor. 11.*Vir imago Dei est*,sed semper dicunt,Deũ esse imaginem ad quã factus est homo, quod est idẽ ac esse exemplar

exemplar imaginis Dei quæ est in homine. Sicut Genes.5.dicitur,*Adam genuit Seth ad imaginem & similitudinem suam*: non quòd Adam ipse in se formaliter esset imago Seth; sed solum quia ipse est terminus ad quem refertur Seth vt imago ipsius. Formalis vero terminus imaginis ab imagine,quam formaliter terminat,denominari potest imago,non simpliciter,siue Imago *quæ*, scilicet quæ est alterius; sed imago *ad quam*, scilicet ad quam est alterius imago: sicut paries v.g. à visione, quam terminat, denominatur visus extrinseca denominatione.

QVÆSTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti, in quatuor articulos diuisa.

Post considerationem prædictam,considerandum est de his,&c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hoc nomen, Spiritus sanctus, sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd hoc nomen Spiritus sanctus non sit,&c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua probatur ex Scriptura & Patribus,num.1.*
2. *Nomen Spiritus sancti esse proprium non ex se, sed per accommodationem,num.2.& 3.*
3. *Cur nomen Spiritus sancti accommodetur tertiæ personæ,num.4.ad finem Articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua probatur ex Scriptura, & Patribus.*

PRIMA conclusio simpliciter affirmatiua, est de fide; quia certum est Matth.vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti*; & 1.Ioannis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*; numerari propriis nominibus tres diuinas personas. Ergo hoc nomen, Spiritus sanctus,est proprium nomen tertiæ personę.& ideo de hac propria denominatione,tamquam de aliqua manifesta Fidei veritate, ita scripsit Nazianzenus tractatu de Fide non longè à principio, *Quis Catholicorum ignorat, Patrem verè esse Patrem, Filium verè Filium,& Spiritum sanctum verè esse Spiritum sanctum? Sicut ipse Dominus dicit,Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti.* Theodoretus etiam Dialogo, *Immutabilis*, columna 3. cum docuisset quòd hæc nomina,Pater, Filius, Spiritus sanctus, *non sunt sanctæ Trinitatis communia, sed sunt illius hypostasis,cuius sunt, propria*; paulò post ita fatetur,*Sancta Scriptura Spiritum vocauit & Patrem, & Filium: Spiritum autem sanctum, solum Spiritus hypostasim nominat.* Vnde Hilarius l.2.de Synodis columna 10.vt Catholicam recipit ac declarat expositionem Ecclesiasticæ Fidei in Concilio Antiocheno habitam, vbi post medium relatis prædictis Matthæi verbis, ita subiungitur, *Manifesta vtique Patris,verè Patris; certaque Filij,verè Filij; notaque Spiritus sancti,verè Spiritus sancti: hisque nominibus non simpliciter,neque otiosis propositis, sed significantibus diligenter propriam vniuscuiusque nominatorum substantiam,& ordinem, & gloriam.* Præterea Chrysostomus tomo 3.hom.3.de Spiritu sancto,quæ incipit, *Heri à nobis*,non procul à principio ait, *dicitur Spiritus sanctus: ista enim est prima,& propria appellatio; & vt euidentiorem habens intelligentiam, Spiritus sancti naturam demonstrat.* Et Augustinus l.11. de ciuit. cap.10. paulò post principium, *Qui Spiritus Patris & Filij, Spiritus sanctus,propria quadam notione huius nominis in sacris literis nuncupatur.*

Matth.vlt.

2. *Quo modo nomen Spiritus sancti sit proprium tertiæ personæ.* S.Thomas.

Secunda conclusio. Hoc nomen, Spiritus sanctus, sumptum est in vi vnius dictionis, & accommodatum ad significandam tertiam personam procedentem per modum amoris,non ex se,siue ex propria significatione, quam per se habet, sed ex vsu Scripturæ, & Ecclesiæ. Ita S. Thomas in Corpore & ad 1.iisdem ferè verbis; & nullus, quem sciam, contradicit; nisi fortassè Arrubal disput.128. à n.7. Probatur primo ex responsione ad 1.*Hoc nomen,Spiritus sanctus, prout sumitur in virtute duarum dictionum,commune est toti Trinitati; quia nomine Spiritus, significatur immaterialitas diuinæ substantiæ.Per hoc verò quod dicitur Sanctus,significatur puritas diuinæ bonitatis.* Sed idem nomen, etiam prout sumitur in vi vnius dictionis, hanc ipsam Spiritualitatis ac sanctitatis communem significationem non mutat, vt ex se patet.Ergo etiam sumptum in vi vnius dictionis, nihil ex se significat, quod sit proprium vnius personæ,& non commune cum reliquis. Ergo Spiritus sanctus, etiam si consideretur vt vna dictio composita, dici debet nomen proprium tertiæ personæ,non ex propria significatione, quam voces ex se habeant, sed solum ex congruentissima accommodatione Scripturæ & Ecclesiæ,vt mox ostendam sequenti conclusione.Secundo ex responsione ad 2. Nullum nomen potest ex se esse proprium alicuius diuinæ personæ, nisi nomen ex se relatiuum; quia diuinæ personæ in nullo absoluto, sed in solo relatiuo inter se distingui possunt.*Sed hoc,quod dico,Spiritus sanctus, relatiuè non dicitur, tametsi pro relatiuo ponatur,in quantum est accommodatum ad significandum personam,sola relatione ab aliis distinctam.* Neque contrarium docet Augustinus l.5. de Trinitate cap.11. circa medium, illis verbis, *Spiritus sanctus in eo quòd propriè dicitur Spiritus sanctus,relatiuè dicitur, cum & ad Patrem,& ad Filium refertur; quia Spiritus sanctus & Patris, & Filij Spiritus est*: quia immediate post ita limitando subdit, *sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine.* Vult igitur Spiritum sanctum relatiuè dici quoad rem significatam, non quo ad significationem,& ipsam vocem secundum se. Ergo est nomen proprium, non ex se, sed ex sola accommodatione.In quo differt hoc nomen,Spiritus sanctus, à Patris & Filij nominibus,quæ ex se sunt relatiua, & propria nomina viuentium suppositorum. Et ratio differentiæ est, quia diuina nobis ignota nominamus nominibus notis creaturarum,in quibus habemus nomina personarum producentium, & procedentium per veram generationem in similitudinem naturæ, quæ sunt Pater, & Filius: sed non habemus neque nomen, neque rem, alicuius personæ hypostaticè productæ à principio viuente, habentis eamdem naturam cum suo principio, & tamen non productæ per generationem; qualis est in diuinis productio tertiæ personæ per voluntatem. Ergo hæc ex rebus creatis non potuit habere nomen, quod ex vi vocis esset sibi proprium; sed necessarium fuit accommodare illi aliquod nomen tamquam proprium. Alia autem processio per intellectum, quia erat verè ac propriè generatio viuentis,quæ etiam reperitur in creaturis,habere potuit ex rebus creatis

An Spiritus sanctus sit nomen relatiuum.

Augustinus.

vocabula propria per se, non per loquentium accommodationem.

3. Postremò accedit Patrum authoritas, qui aliis etiam personis tribuunt non solum nomen Spiritus, ex illo Ioannis 4. *Spiritus est Deus*, sed etiam nomen Spiritus sancti, nimirum, vt distinguitur hic ad 1. *prout sumitur in virtute duarum dictionum*, quarum altera, nempe Spiritus, est substantiua; altera, nempe sanctus, est adiectiua; non autem, prout sumitur *in vi vnius dictionis*, tamquam vnum nomen substantiuum. Basilius l. 3. contra Eunomium circa medium, ita rem totam eleganter explicat, *Vt natura sanctus est Pater, & natura sanctus est Filius, sic natura sanctus Spiritus quoque veritatis. Hæc propter, vt arbitror, & apud Isaiam, Seraphim tertiò sanctus exclamare conscripta sunt, quoniam in tribus hypostasibus naturalis sanctitas perspicitur. Non est autem hoc nomen solum sanctitatis cum Patre ac Filio ipsi*, hoc est, Spiritu sancto, *commune, sed ipsa etiam Spiritus appellatio. Spiritus namque Deus, & adorantes eum, in Spiritu & veritate adorare oportet. Et Propheta inquit, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Et Apostolus dicit, Dominus autem Spiritus est.* Sed deinde in libro de Spiritu sancto cap. 9. paulo post principium, de tertia persona ait, *Spiritus Dei dictus est, & Spiritus veritatis qui ex Patre procedit, Spiritus rectus, principalis, Spiritus sanctus; quæ postrema, propria est illius ac peculiaris appellatio.* & cap. 19. paulò post principium iterum docet, quòd cum dicitur, Spiritus, Sanctus, Bonus, Rectus, Paracletus, Spiritus principalis, Spiritus veritatis, Spiritus sapientiæ, Spiritus diuinus, *communia sunt nomina Patri, Filio, & Spiritui sancto, quæ appellationes competunt illis iuxta naturæ consortium.* Augustinus l. 15. de Trinitate cap. 19. aliquanto ante finem, *Non solus est in illa Trinitate vel Spiritus, vel sanctus; quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus; & Pater sanctus, & Filius sanctus; quod non ambigit pietas: & tamen iste non frustra propriè dicitur Spiritus sanctus.* Et fusius antea in libro 5. cap. 11. paulò post principium, *Spiritus sanctus secundum quod scriptum est, Quoniam Deus Spiritus est, potest quidem vniuersaliter dici; quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus; & Pater sanctus, & Filius sanctus. Itaque Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quoniam vnus Deus, & vtique Deus sanctus est, & Deus Spiritus est, potest appellari Trinitas & Spiritus sanctus. Sed tamen ille Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, proprie dicitur Spiritus sanctus.* Idem habet Riccardus Victorinus l. 6. de Trinitate cap. 10. initio. Cyrillus l. 13. Thesauri cap. 1. aliquantò ante medium, ex eo quod Paulus ad Romanos 8. dicat, *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*; & statim subiungat, *si autem Christus in vobis est*, &c. ita colligit, *sed Spiritum sanctum Christum etiam vocat, dicens, si autem Christus in vobis est: vt ostenderet, Spiritum non esse alienum à substantia Verbi, sed ita vnum cum Verbo, vt quamuis in propria hypostasi sit, in ipso tamen Verbo sit, & Verbum in ipso.* Athanasius, si is est Author, Dialogo primo de Sancta Trinitate paulò post medium ait, *Esse Spiritum sanctum Dei, proprium est Spiritus sancti.* Ex qua limitata loquutione, concedit Anomæo, *Pater quoque est Spiritus sanctus, sed non est Spiritus Dei.* sic enim relatiuè significatur processio vnius ab alio, quam habet Spiritus sanctus, non autem Pater.

4. Tertia conclusio. Hoc nomen, Spiritus sanctus, congruentissimis rationibus sumptum est in vi vnius dictionis, & tamquam vnum nomen substantiuum accommodatum est Spiritui sancto vt proprium nomen ipsius. Hoc probatur in medio Corp. afferendo duas congruentiæ rationes. Primam *ex ipsa communitate eius, quod dicitur Spiritus sanctus. Vt enim dicit Augustinus 15. de Trinit.* immediate post verba citata n. præcedente, *Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Nam & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus; & Pater est sanctus, & Filius est sanctus.* Fusius, & clarius antea l. 5. cap. 11. post medium, *Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris Filiique communio: & ideo fortasse sic appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter; quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus; & Pater sanctus, & Filius sanctus. Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum, Spiritus sanctus.* Secundam congruentiam sumit S. Thomas *ex propria significatione: quia*, inquit, *nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem & motionem significare videtur; nam flatum, & ventum, Spiritum nominamus*; &, vt addit 4. cont. gentes cap. 19. circa finem, *impulsus rei viuentis ab interiori, ad Spiritum pertinet.* Vnde ipsamet Scriptura motum & impulsum Spiritui tribuit, vt Ezechielis 1. *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Et Ioannis 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Et Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Sed, vt hic subiungit S. Thomas, *est proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum; quia*, inquit loco citato cont. gent. *amatum in voluntate existit vt inclinans, vt quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam.* Præterea sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur, in quo est eminentissima sanctitas, quia, vt eruditè explicat opusc. 3. cap. 47. *siue dicatur sanctum, quasi purum, secundum Græcos, in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis; siue dicatur sanctum, id est, firmum secundum Latinos, in Deo est immutabilis bonitas.* Ergo omnium maxime sanctus dici debet amor, quo immediate amatur ipsemet Deus prout in se est. *Quia igitur*, vt concluditur hic in fine Corporis, *persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.*

5. Tertiam congruentiam breuiter tangit S. Thomas loco cit. contra gentes illis verbis, *Conuenit Deo per modum amoris procedenti, vt Spiritus dicatur, eius spiratione, quasi quadam aspiratione existente*, hoc est, quasi quodam habitu, seu Spiritu, quem respirando ab ore emittimus. Quod, vt Patres exponunt, indicasse videtur Christus Dominus, cum Ioan. 20. *insufflauit, & dixit eis*, hoc est, Discipulis, *Accipite Spiritum sanctum.* Tunc enim Dominus, inquit Basilius hom. 17. paulò post principium, *Spiritum sanctum discipulis suis inspirauit; perque illam inspirationem, Spiritum esse diuinæ essentiæ, & non creatæ naturæ ostendit.* Et Augustinus tractatu 99. in Ioan. multo post medium, *si non à Filio procederet Spiritus sanctus, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis, insufflans diceret, Accipite Spiritum sanctum. Quid enim aliud significauit illa insufflatio, nisi quòd procedat Spiritus sanctus & de ipso.* Et iterum tractatu 121. multò post medium, *Insufflando significauit, Spiritum sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed & suum.* Et l. 4. de Trinitate cap. 20. aliquanto post medium, *Nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum, ait, Accipite Spiritum sanctum. Neque enim flatus ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi, procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit; sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum sanctum.* & l. 10. de Genes. ad literam cap. 5. in medio, *Neque flatus ille ex corpore Domini, substantia erat Spiritus sancti, quando sufflauit, & ait, Accipite Spiritum sanctum: sed vtique significatum est sic etiam ab ipso procedere Spiritum sanctum, quo modo ab eius corpore flatus ille processit.* Et l. 3. contra Maximinum c. 14. paulò post principium, *Nisi Spiritus sanctus procederet & de Filio, non diceret discipulis, Accipite Spiritum sanctum, eumque insufflando daret, vt à se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occultè.* Et Cyrillus l. 9. in Ioan. c. 44. paulò post medium, *Propterea corporaliter Christus sufflauit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus Spiritus procedit; sic ex diuina substantia Deitati congruenter Spiritus, qui ab ea est, profunditur.* Et Anastasius Synaita l. 1. de rectis Fidei dogmatibus, tribus columnis ante finem, *Dominus declarans, Spiritum sanctum à se emergere, insufflans in discipulos dicebat, Accipite Spiritum sanctum.* Et Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti c. 8. initio, *Quid sibi vult ista insufflatio? Quid rectius hic intelligi potest, aut apertius, quam hoc ideo illum fecisse, vt intelligeremus, Spiritum sanctum de illo procedere. Ac si diceret, sicut videtis hunc flatum, per quem vobis Spiritum sanctum sicut sensibilibus insensibilia significari queunt, significo, de intimo Corporis mei, & de mea persona procedere; ita scitote Spiritum sanctum de secreto Deitatis meæ, & de mea persona procedere.* Et Bernardus serm. 8. in Cantica, aliquanto post principium, *Inuisibilis Spiritus propterea in illo Dominico flatu datus est, vt per hoc intelligeretur, & ab ipso pariter, tamquam à Patre, procedere tamquam verè osculum, quod osculanti, osculatoque commune est.* Et Riccardus Victorinus l. 6. de Trinitate cap. 9. post medium, *Non ne magister veritatis, Spiritum sanctum diuinum esse spiramen, velut per similitudinem docuit, quando discipulis apparens insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum.* Et cap. sequenti 10. cum multa dixisset de similitudine inter flatum corporeum, & diuinum Spiritum, ita post medium concludit ad directum propositum huius tertiæ conclusionis, *Ad huius itaque Spiritus similitudinem, qui procedit, & spirat de multorum cordibus, dictus est Spiritus sanctus ille, qui in Trinitate personarum procedit ex duobus.* Et idem alij communiter docent. Sicut igitur ex flatu, seu Spiritu oris nostri, sumpta potissimum est ratio explicandi propriam tertiæ diuinæ personæ processionem; ita etiam sumpta est ratio denominandi illum Spiritum.

6. Idem, & clarius, indicatur illo Psal. 32. *Verbo Domini, cœli firmati sunt; & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum:* quem locum Patres communissime intelligunt de Spiritu sancto, qui manifestè dicitur Spiritus oris. Ita autem denominatus ac declaratus videtur Spiritus sanctus, quia inter omnes res sensibiles nulla planè est, quæ ita repræsentat substantiam & processionem Spiritus sancti, sicut repræsentat habitus ex ore prodiens; propter habitus simplicitatē, puritatem, subtilitatem, mobilitatem, inuisibilitatē; qui ita naturaliter ac necessario procedit, vt sine illius respiratione viuere non possimus. Præterea habitus procedit ad intrinseco respirantis, & ita procedit, vt idem omnino respiretur qui erat intra respirantem, & procedat absque generatione. & ideo Spiritus sanctus à Basilio l. vnico de Spiritu sancto c. 18. med. dicitur, *Non sic à Patre veniens, quemadmodum per generationem Filius, sed tamquam Spiritus oris eius.* Oris quoque habitus ex eo quòd per oris verbū necessario efflatur, est propria ac potissima similitudo Spiritus sancti, qui à diuino Verbo procedit. Quod tetigit Greg. Nyssen. orat. catechetica, c. 2. aliquanto post principium, illis verbis, *Spiritus verbum consequitur, eiusque declarat operationē.* Sed antea multò clarius expresserat Origen. homil. 2. multò ante med. dicens, *Vt enim qui loquitur, in Verbo quod loquitur, necessario Spiritum proflat; ita Deus Pater & Filium suum gignit, & Spiritum suum per genitum Filium producit.* Idem significat Ambr. l. 1. de Spiritu sancto c. 10. circa med. illis verbis, *Spiritus quoque sanctus cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio. Quemadmodum enim separari potest à Patre, qui Spiritus oris eius est? Quod vtique & æternitatis iudicium, & Diuinitatis exprimit vnitatem, est ergo & manet semper, qui oris est Spiritus.*

Cyrillus. Anastasius Sinayta. Anselmus. S. Thomas. Exponitur locus Ioannis 20. Basilius. Augustin. Riccardus Victorinus. Cyrillus exponens locum Rom. 8. Athanasius. Basilius. Bernardus. Riccardus Victorinus. Nyssenus. Origenes. Ambrosius. Exponitur locus Psal. 32.

Basilius. Ioan. 4. Threnor. 4. 1. Cor. 3. Augustinus. Cur nomen Spiritus sancti accommodetur tertiæ personæ. Thomas. Augustin.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Filio.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Spiritus sanctus non procedat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Exponitur quæstio, num. 1.*
2. *Conclusio affirmatiua fidei, eiusque aduersarij, n. 2. ad 5.*
3. *An processio Spiritus sancti à Filio, habeatur in Scriptura, num. 5. ad 14.*
4. *Quando, & qua authoritate additum Symbolo fuerit, illud,* Filioque, *num. 14. ad 24.*
5. *An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si à Filio non procederet, num. 24. ad finem Art.*

1. *Exponitur quæstio.*

VERSATVR quæstio inter eos tantum, qui fatētur, Spiritum sanctum esse verum Deum de Deo vero, veramque diuinam personam realiter distinctam à Patre & Filio. Nam alij qui negarūt Spiritus sancti vel diuinitatem, vel distinctam personalitatem, sufficiēter reiecti sunt supra q. 27. art. 1. Hic autem inquiritur de processione à Filio, non de processione à Patre; quia de hoc secundo nulla vmquam in Ecclesia Dei fuit cōtrouersia, cum id apertissime docuerit Christus Dominus illis verbis Ioan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

2. *Conclusio affirmatiua de fide.*

Conclusio affirmatiua, est notissima Fidei veritas, expressas Ecclesiæ definitiones, & Patrum authoritates, tum Latinorum omnium, tum omnium ferè Græcorum, eruditissime refert Cardinalis Bellarminus tom. 1. l. 2. de Christo, à c. 20. ad finem libri. Vult autē initio, c. 21. primum huius veritatis aduersariū fuisse Theodoretum, qui, vt refertur in Concilio Ephesino tom. 5. post c. 22. nonnulla scripsit contra Cyrillum in defensionē Nestorij Episcopi Cōstantinopolitani hæresiarchæ, & inter alia, libellum aduersus duodecim anathematismos, quibus Cyrillus errores Nestorij damnauerat; vbi in Reprehensione noni anathematismi, paulo ante finem ita habet Theodoretus, *Proprium autem Spiritum Filij (siquidem eiusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedens est) simul cōfitebimur, & tamquam piam suscipimus vocem. Si vero tamquam ex Filio, aut per Filium essentiam habere dicas, blasphemum hoc est, & tamquam impium asspernabimur. Credimus enim Domino dicenti, Spiritus qui ex Patre procedit.* Quamquam postea resipuit, quia à Theodosio Imperatore vocatus Constantinopolim, cū Cyrillo rediit in gratiam, & Nestorianis anathema dixit, & Nestorium ipsum inter valde abominandos hæreticos numerauit l. 4. de Fabulis hæreticorum. § penultimo: & ideo inter Catholicos admissus fuit in Concilio Chalcedonensi, vbi Actione 8. postquā Nestoriū & Eutychen anathematizauit, totius Cōcilij & Leonis Papæ sententia Ecclesiam suam Cyrensem recepit, & declaratus, ac faustis acclamationibus appellatus est *Orthodoxus pastor, & doctor Catholicus.* Addunt aliqui, quòd Theodoretus nullibi professus est perspicuè, Spiritum sanctum etiā à Filio proce

Quid sentiat Theodoretus.

procedere : sed solum aliquando scripsisse, *A Patre procedere, & per Filium dari.* vt in id Rom. 8. *Propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* & 1.Cor.2. propè finem, vbi in vtroque loco dicit quidem, Spiritum à Patre procedere, neutro tamen in loco dicit, *Per Filium dari*, sed solum in primo loco dicit, *Spiritus sancti gratiam ijs, qui digni sunt, per Christum suppeditari*; & cum propter hoc, tum propter consubstantialitatem vocari ibi à Paulo Spiritum Christi. Addere facillime poterat, & sanè debebat, quoniam res ipsa id apertè postulabat, maximè dici Spiritum Christi, quia ab eo procedit, & tamen omisit.

3. *Quis primo dixerit Spiritum non procedere à Filio.*

Verũ hæc hæresis videtur paulò antiquior Theodoreto. Nam, vt docet S.Thomas hic ad 3. *Spiritum sanctum non procedere à Filio, primò fuit à Nestorianis introductum, vt patet in quodam Symbolo Nestorianorum, damnato in Ephesina Synodo*; nempe tom. 2. c. 31. vbi circa principium fatentur quidem Nestoriani, Spiritum sanctum ex Patre procedere; sed deinde impiè addunt, *Filium tamen non nominamus, neque per Filium subsistentiam suam sortitum dicimus. Et hunc errorem*, subiungit S.Thomas, *sequutus fuit Theodoricus Nestorianus*, qui scilicet & Theodoritus, & multò communius Theodoretus vocatur *& plures post ipsũ*. Non dicit, Theodoretum primò inuenisse sed sequutum fuisse priores alios inuctores Nestorianos. Inter alios, teste S.Th. ibidem, & de Potentia q.10. art.4.ad 24. qui Theodoretum sequuti sunt, fuit S. Ioan. Damascenus. *Vnde in hoc*, inquit, *eius sententia nõ est standum. Quamuis à quibusdam dicatur, quòd Damascenus, sicut non confitetur, Spiritum sanctum esse à Filio, ita etiam non negat, ex vi illorũ verborum.* Neque enim aliud durius scripsit quam l.1.Fidei c.11. circa finem illis verbis, *Spiritum sanctum & ex Patre, & Spiritum Patris nominamus. Ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus, sed Spiritum Filij nominamus; & per Filium apparuisse, & nobis traditum confitemur. Quemadmodum autem ex sole radius & splendor (ipse enim fons est radij, & splendoris) at per radium nobis splendor tribuitur.* Quod intelligi potest de non esse ex Filio, eo modo quo est ex Patre; nimirum ex se, tamquam ex principio totius Deitatis: Spiritus enim ita procedit à Filio, vt hanc vim producendi non habeat Filius, nisi communicatam à Patre, nec habeat vim producendi omne id quod à Deo procedit: alioqui Damascenus expresè concedit, Spiritum sanctum esse spiratum Filij, & à Filio ad nos missum fuisse: quod sine processione intelligi rectè non potest, vt mox ostendam; expendens loca Scripturæ, vbi etiam hæc scripta sunt. Concedit etiam, ita Spiritum sanctũ ex Filio esse, sicut est splendor ex radio; splendor enim Filio tribuitur Hebr.1. *Cum sit splendor gloriæ.* Constat autem, inquit S.Thomas de Potentia q.10. art.4. ad 22. *quòd splendor est à radio, cum nihil aliud sit, quam reuerberatio radij ad corpus clarum.* Et ideo Damascenum pro nobis exponit Græcus Bessarion in oratione dogmatica pro vnione, habita tantum ad Græcos in fine Concilij Florentini, c.6. circa finem.

S.Thomas.

Bessarion.

4. *Quid sentiat Theophylactus,*

Pro eodem errore refertur etiam Theophylactus, qui excusari minimè potest: nam in cap. 3. Ioannis circa finem Latinos apertè reprehendit, quòd dicant, *Spiritum etiam à Filio procedere:* quia, inquit, *esse ex Filio Spiritum, nulla Scriptura testatur, vt ne duo principia introducamus Patrem & Filium.* Idem quoque postea probare conatus est Nicetas integro libro contra Latinos scripto, quem refert, & confutat Hugo Aetherianus l. 1. de hæresibus, quas Græci deuoluunt in Latinos à cap. 12. vt habetur tomo 9. Bibliothecæ veterum Patrum: & hunc librum aliqui extare testantur in Vaticana Bibliotheca. Demum hic error inter Græcos Antistites & Doctores adeò inualuit, vt in miserandum Schisma totius Ecclesiæ Græcæ à Romana, quod nunc etiã perseuerat, eruperit; & amissa fide ac gratia Spiritus sancti, cum primatum Ecclesię per summam impudentiam ad se trahere vellent, ipsum quoque sæculare imperium Græci amiserint. Nam, vt computat Bellarminus in fine libri citati ipso Sanctissimo die Pentecostes, 28. Maij anno 1452. Constantinopolis vltimò oppugnata est ab iniquissimo Turcarum Tyranno Mahumete, & sequenti die expugnata & capta, & occisus Imperator, & Græcorum imperium planè extinctum; non tamen adhuc extincta perfidia ac blasphemia in Spiritum sanctum.

Hugo Aetherianus.

Bellarminus

DVBITATIO I.

An processio Spiritus sancti à Filio habeatur in Scriptura.

SVMMA.

1. *Proponitur ratio dubitandi, num.5.*
2. *Quomodo habeatur in Scriptura Processio Spiritus sancti à Filio, num.6.*
3. *Prædicta processio probatur primo ex Ioannis 16. num.7. ad 9.*
4. *Probatur secundo ex locis dicentibus Spiritum sanctum mitti à Filio, num.9. ad 11.*
5. *Probatur tertio ex locis dicentibus, Spiritum sanctum esse Spiritum Filij, num.11.*
6. *Probatur quarto ex Ioannis 15. num.12. & 13.*

5. *Ratio dubitãdi ex Dionysio & Cyrillo Hierosolymitano. c.1. de diuin. nom.*

PRæcipuum fundamentum, quo nituntur Græci contra processionem Spiritus sancti à Filio, vt patet ex verbis Theodoreti, & Theophylacti supra n.2. & 4. idque propterea S.Th. hic primo loco sibi obiicit, fuit, *quia secundum Dionysium non est audendum dicere aliquid de substantiali Diuinitate, præter ea quæ diuinitus nobis ex sacris Eloquijs sunt expressa. Sed in Scriptura sacra non exprimitur, quòd Spiritus sanctus à Filio procedat, sed solum quòd procedat à Patre, vt patet Ioannis 15. Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Ergo Spiritus sanctus non procedit à Filio.* & magis in particulari confirmatur ex verbis Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 16. propè initium. *Dicemus de Spiritu sancto ea tantum, quæ scripta sunt. Si quid autem scriptum non est, non scrutabimur curiosè. Ipse Spiritus sanctus eloquutus est Scripturas. Ipse etiam de se ipso dixit quantum voluit, aut quatenus fuimus capaces. Dicantur ergo quæcumque dixit, nam quæ ille non dixit, nos non audeamus.* Vt igitur huius fundamenti leuitas perfectè appareat, sit

Cyrillus Hierosolym.

6. *Quo modo habeatur in Scriptura processio Spiritus sancti à Filio.*

Prima conclusio. In sacra Scriptura nõ inuenitur expressis verbis, quòd Spiritus sanctus procedit à Filio: inuenitur tamen quoad necessarium sensum verborum. Ita S.Th. hic ad 1. Et in prima conclusionis parte omnes consentiunt tam Græci, quã Latini, qui etiam ingenuè fatentur, quòd nullus Scripturæ locus ita expresse dicat, Spiritum sanctum procedere à Filio, sicut dicit procedere à Patre. Ex secũda autem conclusionis parte Latini negant Græcis consequentiam præcedentis obiectionis, nempe, Spiritũ sanctũ non procedere à Filio. Nam ad saluandum dictum Dionysij, & Cyrilli supra satis est hoc esse expressum per sensum verborum, quem Ecclesia Spiritu sancto illustrata, in nonnullis Scripturæ locis expressit ac definiuit. Quod sequentibus conclusionibus ostendam. Hunc discursum contra Græcos legimus in Anselmo epistola de processione Spiritus sancti c.14. fine, *Nos reprehendere non debent, quòd dicimus, Spiritum sanctum procedere de Filio, quamuis his verbis non legamus: quoniam ex his, quæ pariter credimus, hoc consequi monstramus.*

Anselmus.

Secunda

Probatur primò Ioan.16.

Secunda conclusio. Spiritum sanctum à Filio procedere, ex sacra Scriptura habetur, *Præcipuè vbi dicit Filius; Ioan.16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ita docet S.Thomas ibidem. Siue enim per id, quod Spiritus sanctus à Filio accipit, intelligas ipsum esse, siue præcisè scientiam, siue mandata, de qua re non est vna omnium interpretatio, semper necessario concluditur processio Spiritus sancti à Filio, quoniam in diuinis nihil accipere potest vna persona ab alia, nisi per processionem. Quamobrem in Scriptura de Patre ingenito numquam dicitur accipere, sed semper dare; & de Filio dicitur quidem accipere à Patre, ex quo procedit; non tamen à Spiritu sancto, ex quo non procedit. Et ideo Patres communiter in hac acceptione processionem agnoscunt. Nazianzenus tractatu de Fide fine ait; *Ipse Dominus Saluator noster, De meo, inquit, accipiet: ex eo vtique quod est Filius; quia Filius de eo, quod Pater est.* Quibus vltimis verbis breuiter tangit conuincentem rationem conclusionis huius articuli, quam ipsemet Christus clarius, & paulo fusiùs explicauit, cum post prædicta verba, magis declarando illùd, *de meo accipiet*, ita subiunxit, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, Quia de meo accipiet.* Quem verborum sensum cum Concilio Florentino, & S.Thoma confirmo suprà quæst.27. art.1. num.159. Epiphanius in Ancorato, non multo post medium, *Christus ex Patre creditur Deus ex Deo; & Spiritus ex Christo, aut ab vtrisque; sicut Christus dicit, Qui ex Patre procedit; & Hic de meo accipiet.* Tam credit de Christo, quòd sit ex Patre; quam de Spiritu sancto, quòd sit ex Christo, & Patre. Sed Christum esse ex Patre, importat sine dubio processionem. Ergo etiam, Spiritum esse ex Christo. Item æqualiter & communiter dicit, Spiritum esse ab vtrisque, nempe Patre & Filio Christo. Ergo si Spiritus à Patre est per processionem, non potest non esse etiam per processionem à Filio. Demum cum, esse Spiritum à Patre, probet per illud Ioan. 15. *A Patre procedit*, & eodem modo esse Spiritum à Filio; probet per illud Ioan.16. *De meo accipiet*, clarè indicat, hoc secundo loco idem significari per accipere, quod primo loco significatur per procedere, Quæ verborum diuersitas in voce tantum, non in vocis significatione in causa fuit, vt ipsemet Epiphanius, aliique Patres Græci, qui clarissimè docent, Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, nonnumquam alibi scripserint, *Spiritum sanctum à Patre procedere, & à Filio accipere.* Neque enim ita loquuntur vt diuersis vocibus diuersa significent, sed solum vt in modo etiam loquendi de abditissimo mysterio, conformentur veritatis Magistro, qui diuersis vocibus idem magis declarare voluit. Idem Epiphanius longè inferius post nouem columnas, cum attulisset eadem verba, *De meo accipiet.* subiunxit, *Spiritus sanctus, qui ex Patre & Filio solus est dux veritatis.*

Nazianzen.

Epiphanius.

8. Didymus.

Præterea Didymus lib.2. de Spiritu sancto paulò post medium, & habetur inter opera sancti Hieronymi, illud quod de Spiritu sancto habetur ante prædicta verba Ioannis 16. *Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur*, ita exponit, *Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine Patris arbitrio; quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre & me est; hoc enim ipsum, quòd subsistit, & loquitur, à Patre & me illi est.* Et in sequenti columna clarissimè addit, *Neque quid aliud est Filius, excepto his, quæ ei dantur à Patre. Neque alia substantia est Spiritus sancti, præter id, quod datur ei à Filio.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 16. propius ad medium quam ad finem, cum pro conclusione huius articuli dixisset, *Pater dedit Filio, Filius autem tradidit Spiritui sancto*, id probat cum ex verbis Matth.11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; tum ex his Ioannis 16. *Quia de meo accipiet.* Hilarius hæc eadem verba in eumdem sensum, latius exponit lib.8. de Trinit. columna 8. *Si nihil*, inquit, *differre creditur inter accipere à Filio, & à Patre procedere; certè id ipsum, atque vnum esse existimabitur, à Filio accipere, quòd sit accipere à Patre. Hoc quod accipit, siue potestas est, siue virtus, siue doctrina est. Filius à se accipiendum esse dixit, & rursum hoc ipsum significat accipiendum esse à Patre. Cum enim ait, omnia quæcumque habet Pater, sua esse, & idcirco dixisse se, de suo accipiendum esse, docet etiam à Patre accipienda, à se tamen accipi, quia omnia, quæ Patris sunt, sua sint.* Et iterum lib.9. non longè à fine, ex iisdem verbis probat, idem omnino quod Spiritus sanctus accipit à Patre, accipere à Filio; & quod accipit à Filio, accipere à Patre. Certum autem est, Spiritum sanctum accipere à Patre per processionem; ergo eodem modo Spiritus sanctus accipit à Filio. Christus Dominus vt declararet, inquit Hilarius, *Id quod de suo accepturum sanctum Spiritum loquebatur, ait, Omnia quæ Patris sunt, mea sunt; & ideo dixi, De meo accipiet: vt dum de suo accipit, non etiam non de Patris accipere existimaretur, vel cum de Patris sumeret, non etiam de suo sumere intelligeretur.* Ambrosius lib.2. de Spiritu sancto cap.12. paulò post principium, ait, *Omnia de Filio Spiritus sanctus accepit. Accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius. Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, De meo accipiet.* Ita etiam exponunt Augustinus & Beda verbis relatis suprà quæst.27. art.1. num.158. & Cyrillus ibidem num.137. & præterea lib.11. in Ioan. cap.1. post medium, de Spiritu sancto, ait, *Quoniam consubstantialis Filio est, procedit que per eum, omnem eius habens virtutem, ideo ait, Quia de meo accipiet.* Et paulò post, *Nihil detrahitur Spiritui cum accipere a Filio creditur. Nam cum per Filium naturaliter procedat vt proprius eius, cum omnibus quæ absolutè habet, accipere dicitur quæ ipsius sunt.* Anselmus etiam epistola de Processione Spiritus sancti cap.8. post medium, idem clarissimè docuit illis præcipuè verbis, *Sicut cum dicitur, Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur; significatur, ab eo esse, & procedere, à quo audit: ita cum profert Filius, De meo accipiet, palam ostendit, eum de suo, hoc est, de essentia sua essentiam habere, & procedere.* Eodemque modo alij Patres passim interpretantur. Dixit autem, Christus, *De meo*; nõ autem, *De me*; aut, *De omni quod est in me*; tum quia dicens, *De me*, non indicasset Christus, Spiritum sanctum per eamdem omnino virtutem procedere à se, & à Patre; sicut indicat subdens, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Quod enim Filij est, bene intelligitur esse commune cum Patre. Quod autem Filius est, à Patre realiter distinguitur. Tum quia si dixisset, *De omni*, &c. significasset, se communicasse Spiritui sancto suam etiam filiationem, & virtutem spiratiuam, & spirationem, & relationem spiratoris: quæ omnia cum Spiritu sancto opponantur, ac proinde ab illo distinguantur, illi communicari non possunt. Cur etiam dixerit Christus in futuro, *Accipiet*; & non in præterito, *Accepit*; aut in præsenti, *Accipit*; dictum est ex Augustino suprà quæst.27. art.1. n.158. Et ratio breuiter est, quia acceptio illa æterna est, & consequenter comprehendit omnia tempora; & ideo quocumque tempore significari potest. Hic vero significata merito est tempore futuro, ad explicandum futurum effectum mistionis Spiritus sancti, & institutionis, & consolationis Discipulorum à Spiritu sancto. Dicit enim Christus tum ibi, tum c.15. fine, in futuro, *Mittam, Veniet, Loquetur,*

Hilarius.

Ambrosius.

Cyrillus.

Anselmus.

Anselmus

Annuntiabu, & propterea etiam dicit, *Audiet, Accipiet.*

9. *Probatur secundo ex locis quibus Spiritus sanctus dicitur mitti à Filio.* Florentin.

Tertia conclusio. Spiritum sanctum à Filio procedere necessario etiam colligitur ex eo quòd Ioan. 15. & 16. dicitur Filius mittere Spiritum sanctum. Ita colligit S. Thomas 4. contra gentes c. 24. §. 2. Item Ioannes Theologus, Latinorum nomine in Concilio Florentino sess. 24. aliquanto post principium dicens, *verbum, mittam, quid aliud, obsecro, significat, quam quod ex aliquo mittitur? Qui vero quidpiam mittit, is suum mittere videtur; & id quod mittitur, ex ipso dicitur esse.* Multò fusius & subtilius Anselmus de processione Spiritus sancti cap. 7. aliquanto post principium, optime notans, cum de Spiritu sancto dicit Christus Ioan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo*, non excludi Filium, illud enim *in nomine meo*, idem est ac, in virtute atque authoritate naturæ meæ; vt communiter exponunt Patres iuxta illud Matth. vltimo, *Baptizantes in nomine Patris*, &c. Sicut cum cap. 15. dicit, *Quem ego mittam vobis à Patre*, & cap. 16. *Mittam eum ad vos*, non excludi Patrem. Ex eo autem quod hæc Spiritus sancti missio, vna & eadem sit Patris & Filij, non aliud significatur, inquit Anselmus, *nisi quia non aliter se habet ad Patrem Spiritus sanctus, & aliter ad Filium; nec magis est vnius quam alterius. Quamobrem impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab vtroque. Vnde enim Filio cum Patre dare simul, vel mittere Spiritum sanctum, & hunc esse vtriusque, si simul non est de vtroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum sanctum, quam Spiritus sanctus Filium? Aut cur magis Spiritus sanctus est Filij, quam Filius Spiritus sancti, nisi quia Filius non est ita de Patre simul & de Spiritu sancto, sicut Spiritus sanctus est de Patre simul & de Filio? Si ergo Spiritus sanctus non est de Filio, non datur à Filio, nec dicitur esse Filij, sicut Filius non datur à Spiritu sancto, nec dicitur esse Spiritus sancti, quoniam non est de Spiritu sancto.* Et ideo hanc missionem profundè explicauit Nazianzenus tract. de Fide in fine, de Filio dicens, *Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, & ex vna eademque substantia.* Vnde Augustinus l. 4. de Trinit. cap. 20. paulò post principium, acutè distinguit, & docet, *quod non tantum ideo dicitur missus Filius, quia Verbum caro factum est; sed ideo missus, vt Verbum caro fieret; & Verbum missum vt homo fieret; quia non secundum imparem potestatem, vel substantiam, vel aliquid quod Deo Patri non sit æquale missus est, sed secundum id quod Filius à Patre est, non Pater à Filio.* Diuinæ personæ missionem explicat per processionem personæ missæ à persona mittente. Ergo si Spiritus mittitur à Filio, ab eo procedit. Cuius consequentiæ vim intelligimus etiam ex eo quod docet post medium eiusdem capitis. *Pater non dicitur missus. Non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Et post nonnulla, de Spiritu sancto etiam ait, *Mitti Spiritum sanctum à Patre, est cognosci quòd ab illo procedat. Nec possumus dicere, quòd Spiritus & à Filio non procedat. Mitti igitur Spiritum sanctum à Filio, est cognosci quòd Spiritus sanctus à Filio procedat.* Quam consequentiam satis clarè ostendit, ita deinde concludens, & exponens prædicta Scripturæ loca de missione Spiritus sancti à Filio. *Quod ergo ait Dominus, Quem ego mittam vobis à Patre, ostendit Spiritum & Patris & Filij: quia etiam cum dixisset, Quem mittet Pater, addidit, In nomine meo. Non tamen dixit, Quem mittet Pater à me; quemadmodum dixit, Quem ego mittam vobis à Patre: videlicet ostendens, quòd totius Diuinitatis, vel melius dicitur, Deitatis principium Pater est.* Et in fine libri idem significat cum docet, Spiritum sanctum dici missum à Patre, & Filio, *propter principij commendationem.* Et ideo ad probandum, quòd nulla persona dici potest missa, nisi à principio, ex quo procedit, subiungit, *si voluisset Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter apparere, absurdissimè tamen aut à Filio, quem genuit, aut a Spiritu sancto, qui de illo procedit, missus diceretur.* Clarissime Beda homiliarum æstiualium de tempore, hom. 11. Dominicæ primæ post Ascensionem paulo post principium. *Mittitur Spiritus à Patre, mittitur & à Filio; procedit à Patre, procedit & à Filio; quia eius missio est ipsa processio.* & Gregorius hom. 26. in Euangelia parum à principio, *Spiritus sancti missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio. Sicut igitur Spiritus mitti dicitur, quia procedit; ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur.*

Nazianzen. Augustin. Ioan. 15. Ioan. 14. Beda. Gregorius.

10. *Prædictam missionem vi posse aliis modis explicari.*

Ex communi igitur Patrum sententia, Missio Spiritus sancti à Filio, quæ expressè habetur in Scriptura, necessario includit Spiritus sancti processionem à Filio. Neque enim hæc diuina missio inter personas omnino æquales, quæ sunt vnus & idem Deus, potest intelligi per imperium, sicut mittuntur serui à dominis: aut per consilium, sicut mittuntur ignorantes à sapientioribus, aut per alium modum, sed per solam naturalem productionem, sicut arbores mittere dicuntur radices, emittere flores, &c. Neque etiam eadem Spiritus sancti missio explicari potest ratione donorum Spiritus sancti, quæ hominibus data sunt: tum quia cum quælibet persona sit causa omnium donorum, quælibet persona dici posset mittere aliam, & mitti ab alia; quod saltem de Patre, inquit Augustinus, *absurdissimè diceretur:* tum quia dona appropriantur Spiritui sancto. Ergo si Filius in Spiritum sanctum nihil influit, nulla est ratio cur Filius ratione donorum dicatur mittere Spiritum sanctum, sed potius ipsa dona dici deberent mitti, & dari à Spiritu sancto: tum quia cum dicit Scriptura, Filium missum à Patre, posset pariter explicari de aliquo dono creato: tum quia Scripturæ verba manifestè significant mitti ipsammet Spiritus sancti personam, & non dona ipsius, quæ non mittuntur, sed donantur à Spiritu sancto prius misso. Ioan. 14. *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Et cap. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Docere, & ferre testimonium non est donorum, sed personarum. Et 1. Petri 1. dicitur Spiritus sanctus missus de Cælo, *in quem desiderant Angeli prospicere*, scilicet in Deum ipsum increatum, quo solo beatificamur, non in aliquod creatum donum. Et Rom. 5. dicitur, *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vbi datio Spiritus sancti aperte distinguitur à datione charitatis, quæ est præcipuum Spiritus sancti donum. Ergo illa non debet per hanc tantum explicari. Quòd si demum Græci confugiant ad merita Christi, quæ fuerunt causa vt ad nos veniret Spiritus sanctus, & hanc solam ob causam, & non ob processionem, dicant, Spiritum sanctum missum à Filio, sequeretur, eamdem ob causam dici posse, Patrem à Filio mitti: enim vero Pater etiam ad nos venire dicitur Ioan. 14. *Ad eum veniemus*, &c. non venit autem nisi per merita Christi. Neque obstat, quòd Isaiæ 48. & 61. & Luc. 4. dicatur Filius mitti à Spiritu sancto, à quo tamen non procedit; nam vt optime respondet Anselmus post verba citata supra num. 9. *hoc, secundum hominem, quem gerebat, intelligendum est.* Etenim Christus non solum est Deus, vt est Spiritus sanctus, sed etiam homo; & vt homo, est verè à Spiritu sancto, tamquam à causa actiua. Igitur Filius vt Deus, mittitur quidem à Patre, à quo procedit, non tamen à Spiritu sancto, sed potius ipse mittit Spiritum sanctum: vt homo

Quo modo Scriptura dicat, Filium missum à Spiritu sancto ex SS. Anselmo & Thoma.

homo vero mittitur à Spiritu sancto & à tota sanctissima Trinitate. Et ita etiam respondet S. Thomas 4. contra gentes c. 24. n. 2. *Quòd Filius à Spiritu sancto mittitur secundum naturam assumptum.* Et non obscurè significat ipsemet Christus Lucæ 4. ita loquens, *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me*, &c. Spiritus autem est super humanitatem, quæ vncta est, & missa ad euangelizandum, &c.

11. *Probatur tertio ex locis, quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filij.* Anselmus. Augustinus. Basilius. Cyrillus.

Quarta conclusio. Rectè etiam processio Spiritus sancti à Filio colligitur ex omnibus locis, in quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filij. Vt Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Et Ioan. 15. *Spiritum veritatis*, nempe Filij, cui veritas appropriatur. Ita arguunt Anselmus & Thomas supra n. 9. Item Anselmus toto c. 14. eiusdem epistolæ diligenter premit Græcos ex eo quòd, inquit initio, *confitentur nobiscum, Spiritum sanctum esse Spiritum Dei; & Spiritum Patris & Filij. Et, quod ipsi dicunt, aliter esse Patris, aliter Filij, nec authoritate, nec ratione, nec ex his, quæ certa sunt, possunt ostendere.* Præterea ita optime arguit, Pater & Filius considerati possunt & vt vnus Deus, & vt duæ personæ, sola relatione differentes. *Sed nullus sensus capit, Spiritum sanctum esse Spiritum Patris, aut Filij, secundum quòd alter est Pater, alter Filius; sed secundum quòd vterque vnus idémque Deus est. Quare idem est intellectus, cum dicitur Spiritus sanctus Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Spiritus Filij. Sed Spiritus Dei, & Spiritus Patris dicitur, quia est & procedit de Deo & de Patre. Itaque est & procedit de Filio, quia eodem sensu Spiritus Filij dicitur.* Aliter, inquit, *aut separabimus Filium à nomine Dei; aut bifariam intelligetur Spiritus Dei.* Breuius idem argumentum tetigerunt alij sancti, præsertim Augustinus tract. 99. in Ioannem multo post medium, *Cur non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filij quoque ipse sit Spiritus?* Et ex Græcis, Basilius l. 5. contra Eunomium, §. 12. post medium, *Apostolus Spiritum per Filium effulsisse, clarum fecit, cum Filij Spiritum, sicut Dei, ipsum nominauit.* Quem Basilij locum tractans Bessarion oratione dogmatica, de qua infra, n. 33. ita testatur in cap. 6. aliquanto post principium, *Cuncti etiam Patres Occidentales communi sententia ideo dicunt, Filij Spiritum & esse & dici, quia ex eo procedit.* Præterea Cyrillus, aliique Patres Alexandrini Concilij in epistola ad Nestorium circa finem, quæ habetur apud Cyrillum epistola 10. & in Ephesino, tomo 1. c. 14. & in quinta Synodo, collatione 6. longè post medium, anathematizante in collatione 8. paulo ante Canones, & iterum Can. 13. defendentes, ea, quæ scripsit Theodoretus, quem Theodoritum vocat, contra duodecim capitula Cyrilli contenta in eadem epistola, ita scribunt de hoc argumento, *Spiritus veritatis nominatur; Christus autem veritas est; sed & perinde ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Idem Cyrillus l. 13. Thesauri c. 1. aliquantò post principium, tractans verba illa Rom. 8. *Si Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet*, &c. ait, *Disce à Paulo rectas de Spiritu sancto sententias. Hinc enim habes, ex Saluatoris substantia Spiritum sanctum esse, nec alienum ab vnius Deitatis essentia. Nam cum Spiritum Dei vocauerit, statim & Spiritum Christi appellauit; vt ostenderet, omnia quæ Patris sunt, in Filium suum, dum ex eo nascitur, naturaliter pertransire.* Quibus, verbis tangit eamdem rationem, de qua supra n. 7. Et c. 3. aliquantò post medium, *Saluator in Euangelijs veritatem se ipsum appellat. Deinde ostendens, Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filij esse, Spiritum, inquit, veritatis, qui à Patre procedit.* & l. 10. in Ioan. cap. vltimo post med. ita interpretatur, *Veritatis Spiritum, id est, suum. Non enim est alienus à substantia Filij Spiritus, sed ex ea naturaliter procedit.* Item Ioannes Theologus. Latinorum nomine in Concilio Florentino sess. 24. post medium, ait, *Porro quoniam apud sacram Scripturam, Spiritus Patris ac Filij est, sequitur, vt ambo simul Spiritum spirent.* Hanc processionem ex Christi insufflatione colligunt etiam Patres relati supra art. 1. n. 5. Quare non est audiendus Theophylactus in c. 3. Ioannis propè finé, irridens Latinos, qui ex hac insufflatione, vel ex eo quòd Christus dicatur Spiritus veritatis, inferunt Spiritū sanctū à Filio procedere.

Exponitur cū Cyrillo locus Rom. 8. Florentinū. Florentinū. S. Thomas. Florentinū. Theophyl.

12. *Probatur quarto ex Ioan. 15.* Anselmus. S. Thomas.

Quinta conclusio. Etiam ex illo Ioannis 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, quod Græci maximè nobis obiiciunt, licet deducere Spiritus sancti processionem à Filio. Ita S. Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti c. 6. post med. & toto c. 7. & Thomas hic ad 1. & 6. & ratio ipsorum est, quia vt loquitur S. Thomas, *id quod in sacra Scriptura de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiam si dictio exclusiua addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. 11. dicit, nemo nouit Filium nisi Pater, non excluditur quin Filius ipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur, quod Spiritus sanctus à Patre procedit, etiam si adderetur, quòd à solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc quod est, esse principium Spiritus sancti, non opponuntur Pater, & Filius, sed solum quantum ad hoc, quòd hic est Pater, & ille Filius.* Qui discursus maximè confirmatur ex illo axiomate quod ad idem probandum in Concilio Florentino in literis Vnionis vsurpauit Eugenius quartus dicens, *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo, gignendo dedit, præter esse Patrem.* Esse autem spiratorem Spiritus sancti, non esse Patrem, quia tunc Spiritus sanctus etiam esset Filius: cum Pater, vt pater, referatur essentialiter ad Filium. Quod docuit S. Thomas de Pot. q. 10. art. 4. paulo post principium dicens, *Esse principium Spiritus sancti non conuenit Patri, in quantum Pater est, ratione paternitatis; sic enim non refertur nisi ad Filium.* Ergo Pater gignendo Filium, dedit illi esse spiratorem Spiritus sancti. Aliter non dedisset illi totam virtutis suæ substantiam. Quam consequentiam sapientissimè expresserunt Patres Latini in epistola ad Græcos scripta in Concilio Florentino sess. vlt. col. 8. dicentes, *Qui proferunt, Spiritum ex sola Patris persona procedere, hi proculdubio substantiam ab hypostasi separant; & partitionem imaginantur diuinæ substantiæ. quod à ratione fideque valdè alienum, piè creditur esse.* Secundo arguo, quia prædictis verbis non omnino omissus est Filius, per illud enim, *Spiritum veritatis*, indicari Spiritus sancti processionem à Filio probatum est supra n. 11.

13. *Cur Spiritus sanctus expressius dicatur procedere à Patre, quàm à Filio, ex Augustino.* Ioan. 7.

Cur autem Filius non ita expressè dixerit, Spiritum sanctum procedere à se, sicut dixit, procedere à Patre, inquirit Augustinus tract. 99. in Ioan. non longè à fine, & respondet, quam responsionem iisdem verbis repetit l. 15. de Trinit c. 27. initio, causam esse, quia Filius *ad Patrem solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est. Vnde illud est, quod ait, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Si igitur, vt idem Augustinus optimè arguit, doctrina quæ expressè dicitur non esse Filij, sed Patris, intelligitur etiam esse Filij, quantò magis Spiritus sanctus, qui non dicitur non procedere à Filio, sed solum dicitur procedere à Patre, intelligi debet procedere à Filio: cum ipsemet Filius apertissimè dixerit Ioan. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Aliam rationem tradit l. 15. de Trinit. c. 17. paulo ante med. ex eo quòd Spiritus sanctus à Patre procedit *principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti, aut nondum habenti, sed quidquid vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit.* Et libro 3.

contra Maximinum c.14.paulò post principium,docet etiam causam esse, *quoniam Pater processionis eius est author: qui talem Filium genuit, & gignendo dedit, vt etiam de ipso procederet Spiritus sanctus.* Eamdem rationem tangit Ioannes Theologus supra, dicens, *Duabus personis vnica potestas spirans, & mittens existit; quæ quamuis vnica omissio & causa sit à Patre, tamen præcipuè creditur esse; à quo Filius, eamdem ipsam facultatem habens, vnà cum Patre principium vnicum est.*

Florentinus.

DVBITATIO II.

Quando, & qua authoritate additum Symbolo fuerit illud, Filióque.

SVMMA.

1. *Ratio dubitandi ex Symbolis multorum Conciliorum, n.14.ad 17.*
2. *Quo tempore additum sit Symbolo illud* Filióque, *n.17.& 18.*
3. *Illam additionem potuisse ac debuisse fieri à Papa, n.19.& 20.*
4. *Satisfit tribus Græcorum obiectionibus, n.21.ad 24.*

14. *Ratio dubitandi.*

DVbitandi materiam præbet S. Thomas in secundo argumento huius articuli, eiúsque solutione, & fusius de Potentia quæst.10.art.4.ad 13. Etenim neque in Symbolo Apostolorum, neque in Symbolo primi generalis Concilij Nicæni, & aliorum quinque sequentium generalium Conciliorum habetur de Spiritu sancto procedere à Filio. Vix enim de Spiritu sancto Nicænum in suo Symbolo dicit, *Credimus & in Spiritum sanctum:*& nihil prorsus de eius processione, aut etiam diuinitate. Ibi enim, vt scripsit Nazianzenus epistola 2. ad Clidonium initio, *minus plenè de Spiritu sancto dictum est, propterea quòd hæc quæstio non dum excitata, & agitata fuerat;*& vt in eodem sensu loquitur Basilius epistola 60.fine,& epistola 78.post medium, *propterea quòd non dum comparerent bellum contra Spiritum gerentes: & non mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus, nullis obiectus insidijs, ineffet de Spiritu sancto intellectus. Paulatim vero peruersa impietatis semina se se exeruerunt: quæ primum quidem ab Ario, hæresis author seminata, postea verò ab illis, qui impia Arij commenta susceperunt, ad perniciem Ecclesiarum nutrita sunt.* Secundum autem generale Concilium, quod fuit Constantinopolitanum primum post confirmatam cap.1. Nicænam fidem, eiúsque Symbolum multo magis explicans,ita habet c.7.de Spiritu sancto in suo symbolo. *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem,ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum,& conglorificandum;qui loquutus est per Prophetas.* Vbi nihil de processione Spiritus sancti à Filio, sed tantum à Patre confitetur; quia eo tempore vigebant praua dogmata Aëtij,& Eunomij, qui Spiritum sanctum à solo Filio, & non à Patre procedere asserebant:vt de Eunomio refert Basilius l. 2. contra Eunomium fine, de illo dicens, *Spiritus causam, & originem Vnigenito soli attribuit.* Et paulò post, *A Patre Spiritum remouet, Vnigenito vero attribuit.* De quo etiam refert Theodoretus l. 4. Hæreticarum Fabularum cap.3.post med.dixisse, quod à Magistro suo Aëtio hauserat, vt colligitur ex cap. sequenti 4. *Spiritum sanctum ante alias creaturas esse à Filio fabricatum.* Deinde Concilium generale tertium quod fuit Ephesinum, nullo alio Symbolo vsus est,nisi Nicæno iisdem verbis, tomo 2.c.3.sicut etiam quartum generale Chalcedonense Actione 2. cap. 2. & 3. confirmat solum iisdem verbis Symbolum Nycænum & Constantinopolitanum. Quod etiam fecit quinta Synodus generalis, Constantinopolitana secunda collatione 6. aliquanto ante finem subdens, quòd vtrumque Symbolum, *De Patre, & Filio, & Spiritu sancto doctrinam perfectam edocet.* Et non multò post confirmat specialiter doctrinam de Spiritu sancto quam expresserunt Patres Concilij primi Constantinopolitani, *non quòd,* inquit, *præcedentibus aliquid deesset adiicientes, sed de Spiritu sancto eorumdem intellectum aduersus eos, qui Deitatis eius dominationem nituntur adimere, scripturarum testimonijs plenius manifestantes.* Tandem statuit, quod antea statuerant, Ephesinum supra c.33. initio & tomo 5.c.6. circa finem, & Chalcedonense Actione 5. in secunda Fidei definitione fine, *aliam fidem nulli licere proferre, aut scribere, aut componere, aut sapere, aut docere aliter. Qui vero audent tradere aliud Symbolum, si Episcopi, aut clerici fuerint, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & clericos à clero:si vero monachi,vel laici fuerint, anathema fieri.*

Quid de Spiritu sancto dixerit Concilium Nicænum.

Nazianzen.

Basilius.

Quid Cõstantinopolitanum 1.

Basilius.

Theodoret.

Quid Ephesinũ, & Chalcedonense, & Constantinopolitanum 2.

15. *Quid Constantinopolitanum 3.*

Demum sexta Synodus generalis, Constantinopolitana tertia,nullum habet Symbolum, in quo exprimatur processio Spiritus sancti à Filio. Solum in actione quarta ponitur secunda epistola Agathonis Papæ,& Romanæ Synodi centum viginti quinque Episcoporum, quæ fuit velut instructio legatorum, qui missi sunt ad sextam Synodum celebrandam;vbi in columna 3. in Apostolicæ fidei formula, inter alia dicitur, *Credentes & in Spiritum sanctum, Dominum & viuificatorem, ex Patre Filióque procedentem.* Quamquam in multis exemplaribus non habetur illud,*Filióque.* Sed,vt notatur loco citato intra eamdem epistolam, *hunc locum depranatum fuisse conqueritur est Iulianus Cardinalis in ea disputatione, quam habuit contra Græcos in Concilio Florentino, & sublatam esse particulam,Filióque. Nec credendum est, Latinos voluisse dissimulare, ac tacere rem tanti momenti, negotio exigente in Fidei professione. Et certè ab eiusmodi Scriptorum depranatione Græci non valde abhorruerunt.* Quam deprauationem centum & eo amplius annis, ante Iulianum, animaduertit Emanuel Chaleca, homo Græcus, in libro aduersus errores Græcorum, vt notatur in margine eiusdem epistolæ loco citato. Primò igitur septima Synodus generalis, Nicæna secunda, Actione septima circa principium in suo Symbolo posuit illud, *Qui ex Patre, Filióque procedit;* præmittens se ita credere,iuxta Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum. Illam autem particulam,*Filioque,*in eo Symbolo verè haberi probatur contra recentiores Græcos in Concilio Florentino sess.7.circa med.& iterum fusius multò post medium: eamdemque posuerunt in suis Symbolis reliqua omnia posteriora Concilia tam generalia, quam prouincilia.

Quid Nicænum 2.

16. *Origo schismatis Ecclesiæ Græcæ.*

Ex omissione igitur huius particulæ in Symbolis primorum sex generalium Conciliorum, & potissimum ex prædicta prohibitione trium generalium Conciliorum, occasionem sumpserunt Græci, authore Michaële Patriarcha Constantinopolitano, & patrocinante Græco Imperatore Constantino Monomacho, anno 1054. vt post multa eius in superioribus iacta semina aperto schismate ab Ecclesia Romana se diuiderent,tempore leonis noni, impudentissime iactantes,Romanum Pontificem,omnésque Latinas Ecclesias esse excommunicatas,quòd ad Symbolum addidissent illud,*Filioque.* Et ideo Romano Pontifice prima sede priuato, primatum Ecclesiasticum pertinere ad Patriarcham Constantinopolitanum, qui primus erat post Romanum Episcopum. Quamobrem claudi iusserunt omnes Latinorum Ecclesias, quæ in eorum ditione erant: & ipsemet Imperator propositis præmiis ad scribendum

bendum contra Latinos incitauit: vt intelligi potest ex epistolis Leonis IX. ad Michaëlem Episcopum,& Constantinum,Monomachum, quæ habentur in 4.tomo Conciliorum,& ex Anselmo in epistola de processione Spiritus sancti contra hunc ipsum Græcorum errorem scripta; & ex Sigeberto in Chronico anni 1054.& ex Antonino in Historia part.3.tom.22.c.13.§.11.His præmissis sit

17. *Quo tempore positum sit in Symbolo illud,* Filióque.

Prima conclusio. Circa tempora sextæ Synodi ante septimam Synodum,expressum fuit in Symbolo illud, *Filioque*, nimirum, vt dicitur hic ad 2. *in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato, authoritate Romani Pontificis.* Ita censet Cardinalis Bellarminus l. 2. de Christo cap.21. circa medium, quem alij recentiores sequuti sunt. Idque maxime probant ex Concilio Florentino sess. 7. inter medium & finem, vbi Andreas Archiepiscopus Colossensis testatur quòd *maxime in Gallia, & in Hispanijs schismate imminente,cum iam ex Filioque passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse in multorum occidentalium amplæ dignitatis, magnique consilij Patrum conuentu,addito ex Filioque, Symbolum magis illustrare.* Quod autem hoc acciderit ante septimam Synodum,patet, tum quia ipsa septima Synodus videtur in suo Symbolo hanc particulam exprimere vt iam antea expressam. Tum quia Toletanum octauum celebratum anno Domini 655. ante septimam Synodum coactam anno 787. illam particulam habet in suo Symbolo, quam in nullo alio antecedente Toletano Concilio legimus.Signum igitur est, eo tempore, & non antea,fuisse particulam illam introductam ac receptam authoritate Apostolicæ & vniuersalis Ecclesiæ.

Bellarminus.

Florentin.

18. *Reijciuntur duæ contrariæ sententia.*

Hinc facilè confutari possunt aliqui, dicentes, prædictam particulam Symbolo Nicæno additam à Concilio Constantinopolitano primo,vel à Damaso Papa in Concilio Romano,in quo probauit acta primi Concilij Constantinopolitani:quoniam hæc additio,eo tempore facta, in nullo illorum Conciliorum exemplari legitur, à nullo graui Authore refertur. Neque enim id probat Symbolum quoddã Damasi, quod habetur inter opera Hieronymi tomo 9.vbi fatetur *Spiritum sanctum de Patre, Filioque procedentem*, tum quia Cardinalis Bellarminus l. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in obseruatione noni tomi operum Hieronymi, benè probat ex Augustino,illud non esse Damasi,aut Hieronymi ad Damasum,sed Pelagij ad Innocentium. Tum quia esto sit Damasi, tamen non est tamquam Papæ proponẽtis illud omnibus fidelibus ad credendum, sed tamquã priuati Authoris ac Doctoris. Sicut etiam multò ante in Symbolo composito, ab Athanasio legitur, *Spiritus sanctus à Patre & Filio est,non factus, nec creatus,nec genitus,sed procedens.* Cuius Symboli authorẽ Athanasium faciunt inter alios Naziãzenus oratione in laudem Athanasij columna antepenultima, vbi illam Fidei confessionem mirificè commendat, additque, *Hanc Confessionem videntur mihi venerari tam ij qui versus occasum, quam qui versus ortum degunt.*Et Augustinus in Psalm.120.& l.5.de Trinitate cap.8. & in Enchiridio cap.36. Sed hic cum Græcis disputamus de Symbolo publica authoritate compositò à Papa.Hoc enim ipsum conqueruntur Græci,Pontificem scilicet Romanum addidisse Symbolo,illudque sua authoritate tribuisse omnibus Ecclesiis publicè cantandum.

Bellarminus.

De Symbolo Athanasij.

Nazianzen.

Augustin.

19. *Papam potuisse, ac debuisse addere Symbolo illud,* Filioque.

Secunda conclusio.Romanus Pontifex, vniuersalis Pastor omniũ fidelium,tanquã Vicarius Christi, & Petri successor,potuit ac debuit Nicænũ & Constantinopolitanũ Symbolum explicare,addendo illã particulam,*Filioque.*Hoc doctè atque eruditè ostendit illustrissimus Bellarminus l.2.de Christo c.28.&

Fasoli in D.Thom. Tom.III.

continet originé schismatis Ecclesiæ Græcæ à Latina.Damus enim Græcis,quod ipsi benè assumunt, hanc additionem à Romano Pontifice factã fuisse; tametsi neque ipsis,neque nobis certò cõstet, à quo Papa, & in quo præcisè tempore additio facta fuerit,vt omnes fatentur.Solum contra Græcos asserimus, Papam iure suo potuisse ac debuisse additionem facere, ac proinde temerè iactari excommunicatum,& à dignitate primæ sedis eiectum.

20.

Et primò quidem quòd Papa id addere potuerit, probat ex instituto Andreas Præsul Colossensis in Cõcilio Florentino sess.7.multò post medium,quia, vt supponendum est hîc ex alibi fusè probatis,apud solum Papã residet authoritas infallibilis definiẽdi res fidei,& cõuocandi,& confirmandi Concilia,eorumque definitiones.Illi enim,inquit Andreas supra loquens ad Græcos, *ad celebrandum Concilium summa facultas fuit,& est, vt vestri quoque Doctores testantur.* Ergo,vt hinc arguit S.Th. de potentia q. 10. art. 4. ad 13.*Sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum,ac ponẽdi aliqua ad eius explanationem; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua authoritate potest,cuius authoritate sola, Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur:nec est necessarium,quòd ad eius expositionem faciendam, vniuersale Concilium congregetur*: imò, vt addit Bellarminus supra, *Papa Romanus potest,etiam sine Concilio definire res Fidei.*Huius igitur argumenti,quod facit S. Th. Concilium posterius potest addere explicationé aliquam Symboli conditj à priore Cõcilio,ergo etiã Papa,probatã iã est consequentia.Antecedens vero multis probatur in Concilio Florentino sess.6. & 7. & ex ipsis Ecclesiæ Symbolis supra n.14 & 15. relatis manifestum est. Etenim Nicænum in Symbolo multa habet, quæ non habentur in Symbolo Apostolorum. Postea symbolũ sequentis Concilij Constantinopolitani nonnulla fatetur de ipsomet Spiritu sancto, quæ non leguntur in Nicæno Symbolo. Sic etiam sequentia Concilia fatentur processionem Spiritus sancti à Filio,quod in præcedentibus non reperitur.

Florentin.

S.Thomas.

Bellarminus

21. *Tres Græcorũ obiectiones.*

Contra hanc Papæ potestatẽ tria Græci obiiciũt. Primum quòd non poterat facere contra Decreta trium Conciliorum vt supra num.14.Secundo quia non poterat id decernere sine Concilio. Tertio quòd ne in Concilio quidem id statuere potuerit absque interuentu Græcorum. Hæc vero nullius momenti sunt. Quare ad primum, nego,Papam fecisse contra illud Decretum,quo vt respondet Græcis Andreas Colossensis in Concilio Florentino sess.6. & 7. non prohibetur explicatio, sed additio propriè, quæ scilicet est de aliquo diuerso nulla ratione contento in re, supra quam additio fieri dicitur. At supra Symbolum Constantinopolitanũ primum dicens,Spiritum sanctum à Patre procedentẽ, asserere procedentem à Patre,Filioque, non est additio,sed explicatio.Nam,vt sapientissime discurrit S.Thomas supra soluens hanc ipsam obiectionem, *processio Spiritus sancti à Filio, implicitè in Symbolo Constantinopolitano continetur; in quantum continetur ibi, quòd procedit à Patre: quia quod de Patre intelligitur, oportet de Filio intelligi, nisi quia hic est Filius, & ille Pater. Sed propter insurgentes errores negantium, Spiritum sanctum esse à Filio,conueniens fuit vt in Symbolo poneretur, non quasi aliquid additum, sed explicitè interpretatum quod implicite continebatur.* Idque confirmat aptissimo exemplo subdens, *sicut si insurgeret hæresis negans, Spiritum sanctum esse factorem cœli & terræ, oporteret hoc explicitè poni, cum in prædicto Symbolo hoc non dicatur nisi de Patre.* Hanc prædicti Decreti declarationem euidenter colligo ex ipsamet quinta Synodo,quoniã vt supra n.14.docet,

Ad 1.

S.Thomas.

Concilium Constantinopolitanum primum, in cuius Symbolo multa de Spiritu sancto leguntur, quæ non sunt in Symbolo Nicæno, non adiecisse aliquid quod Nicæno deesset, sed tantum de Spiritu sancto earumdem intellectum, aduersus eos qui Deitatis eius denominationem nituntur adimere, Scripturarum testimoniis plenius manifestasse.

22. *Ad 2.* Ad 2. dico, Papam, qui solus habet vt non possit errare in propositione credibilium, posse etiam se solo res credendas definire absque Concilio, vt docent S. Thomas & Bellarminus supra. Quamquã quoad præsentem casum de particula, *Filioque*, illam in Symbolo positam esse à Papa, non sine aliquo Concilio, testantur S.Th. & Andreas in Florentino supra n.17. *Ad 3.* Ad 3. facilius dicitur primo cum eodem Andrea in eodem Concilio sess. 7. multò post medium incertum esse an ad prædictum Concilium Romana Ecclesia alias Ecclesias, atque adeo Græcos, non conuocarit. Secundo cum eodem ibidem. *Romanam Ecclesiam ad conuocandas cæteras Ecclesias neguaquam obstrictam fuisse.* Quod tum ipse, tum Bellarminus supra multis exemplis confirmant. Tertio Græcos fortasse vocatos non esse, tum quia processio Spiritus sancti à Filio, ex Scripturis, & omnibus ferè Patribus, res erat valdè certa: tum quia necessitas statuendi de illa particula, erat grauis & imminens, & ideo non patiebatur moram vocandi Patres Orientales ad Occidentalem Ecclesiam.

23. *Necessitas ponẽdi in Symbolo illud, Filioque.* Secunda conclusionis pars, nempe, Papam, si potuit, vt probatum est, debuisse ponere in Symbolo illud, *Filioque*, constat ex historiis illius temporis, quas tangit Andreas supra num.17. scilicet ob hanc Symboli particulam, à multis sine legitima potestate vsurpatam, *maximo in Gallia, & in Hispaniis schismate imminente.* Tangit quoque S. Th. hic ad 2. dicens, *Quia in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, Spiritum sanctum non procedere à Filio, non fuit necessarium, quòd hoc explicitè poneretur. Sed postea insurgente errore quorumdam, expressum fuit,* &c. Idemque docuit aliis verbis supra n.21. Quod etiam grauissimè pronũciauit Eugenius Papa in Concilio Florentino post vltimam sessionẽ in literis Vnionis post med. dicens, *Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

S.Thomas. Florentin.

DVBITATIO III.

An Spiritus sanctus distingueretur à Filio si à Filio non procederet.

SVMMA.

1. *Proponitur, & declaratur conclusio negatiua, n.24.*
2. *Hanc quæstionem hypotheticam non esse inutilem, num.25. ad 28.*
3. *Authores & aduersarij conclusionis, num.28.*
4. *Duplex conclusionis probatio, num.29. ad 34.*
5. *Soluuntur duæ obiectiones minus præcipuæ, num.34. & 35.*
6. *Soluitur tertia obiectio principalis, & tractatur an idem sit principium constitutiuum & distinctiuum, num.36. ad 41.*
7. *Satisfit quibusdam instantijs contra solutionem tertiæ obiectionis, num.41. ad 48.*
8. *Occurritur reliquis obiectionibus, num.48. ad finem Articuli.*

24. *Proponitur & declaratur conclusio negatiua.* VNica conclusio negatiua, quæ vberius, ac distinctius explicata asserit, quòd Theologica demonstratio procedens ab vno articulo Fidei de distinctione Spiritus sancti à Filio, quam Græci fatentur, ad probandum alium Fidei articulum de processione Spiritus sancti à Filio, quæ negatur à Græcis; & ratio à posteriori ex absurdo euidenter probans affirmatiuam partem huius articuli, nempe processionem Spiritus sancti à Filio est, quia realis distinctio inter Filium & Spiritum sanctum, & consequenter Trinitas diuinarum personarum, quã docet Fides saluari non posset sine reali processione Spiritus sancti à Filio. Si enim per impossibile Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab eo nõ distingueretur. Qua hypothesi impossibili Theologi arguendo, intendunt probare, & absolutè affirmare, distinctionem realem, quam omnes fideles, etiam Græci contra quos disputamus, ponunt inter Filiũ & Spiritum sanctum, oriri adæquatè ex processione, non ex Filiatione simpliciter; & in vniuersum, oppositionem secundum originem vnius ab alio, esse adæquatam rationem, ob quam in diuinis multiplicentur personæ, earumque relationes abinuicem realiter distinguantur. Quemadmodum si quis diceret, si per impossibile homo esset rationalis & non animal, adhuc ab equo differret eodem modo quo nunc differt, is affirmaret virtualiter, adæquatam radicem differentiæ hominis ab equo esse rationalitatem, non animalitatem.

25. *Vtilitas huius controuersiæ, contra Godfredum, ex Scoto.* Ex hac explicatione facile est intelligere, hanc eõclusionẽ ex suppositione impossibili non esse inutilem: & ideo non benè dixisse Gotfredũ Quodlib. 7. q.4. quem refert, & multis impugnat Scotus 1.d.11. q.2. initio, *quòd quæstio nulla est, quia positio includit incompossibilia & repugnantia:* ex quibus non potest deduci magis vnũ, quam aliud oppositum, v.g. ponere Spiritum sanctum & non procedentem à Filio; est ponere Spiritum sanctum, & non Spiritum sanctũ item, procedentem, & non procedẽtem à Filio: quia cum Spiritus sanctus essentialiter sit procedens à Filio, si ponitur non procedens, ponitur necessario non Spiritus sanctus; & è contra, si ponitur Spiritus sanctus, ponitur necessario procedens. Verum hic discursus, vt optime docet Scotus, *videtur esse fuga quæstionis. Monetur enim quæstio, vt inquiratur, quid sit principium distinctiuum reale Filij à Spiritu sancto, vtrũ filiatio, an sola spiratio actiua: quia si filiatio, igitur per quodcumque incompossibile circumscripta spiratione actiua, adhuc remanebit ratio distinguendi.* Quamuis igitur Spiritus sanctus necessario in re includat procedere à Filio, quod contradictoriè opponitur cum nõ procedere à Filio; tamen includit simul necessario alia prædicata, vt procedere à Patre, distingui realiter à Filio, quæ non important expressam contradictionẽ cum non procedere à Filio. Et ideò potest vtiliter per rationẽ considerari Spiritus sanctus & non procedens à Filio, sed procedens tantum à Patre, & tunc inquiri, an cum hac præcisione remaneat adhuc distinctio illius à Filio: si enim remanet, signùm est, Filiũ distingui realiter à Spiritu sancto formaliter ex eo quòd est Filius, nõ ex eo quòd est spirator. Si vero non remanet, sequitur contra, Filiũ à Spiritu sancto distingui, non quia Filius est, sed quia spirator est.

26. *Impugnatur etiam Ariminensis.* Simili vitio laborare videtur discursus Ariminensis 1.d.11.q.1.art.2. nam etsi iuxta hanc conclusionem fateatur, quòd Spiritus sanctus non distingueretur realiter à Filio, si ab eo non procederet; tamen huius sequelæ rationem, quam defendit etiam Valentia quæst.5.ua 10. de Trinit. puncto 3. ratione 2. esse ait, quia tunc Spiritus sanctus non esset simpliciter ens reale. *Sed*, inquit, *supposito quòd Spiritus sanctus esset, & similiter Filius esset, & tamen Spiritus sanctus non procederet à Filio, ex ista hypothesi includente contradictoria, sequuntur contradictoria, videlicet, quod distingueretur, & non distingueretur à Filio. Distin-*

Distingueretur quidem, quia vterque esset; & vterque ab altero se ipso distinguitur. Non distingueretur autem, quoniam Spiritus sanctus non esset. Sicut si diceretur, supposito quòd Filius esset, & esset improductus, numquid distingueretur à Patre? In quo discursu ego etiam concedo, quod cum eodem Ariminensi & Gabriele contra Vasquez disp.147.cap.1.& 7. probauit Suarez l. 10. de Trinit. cap.2. à num.10. & sequuti sunt Arrubal disp. 131.num.13. Albertinus in Prædicamento ad aliquid, Corollario 15.q.15.dub.2.n.1. & 2. Zuniga disp.11.dub.3.num.1. Florauantius notatione 37.ad 1.in secunda solutione. & ardentius quam solidius impugnauit Nazarius hic controuersia prima. §. 2. post med. Ex prædicta suppositione sequi per locum, vt aiunt, intrinsecum, non remansuras easdem omnino personas Filij & Spiritus sancti, quæ nunc sunt: quoniam ablata processione Spiritus sancti à Filio, debet necessario variari hæc numero processionis relatio, qua nunc formaliter constituitur persona Spiritus sancti; quia hæc relatio per se & intrinsece nunc habet pro adæquato termino suo Patrem & Filium; variato autem termino adæquato simplicissimæ relationis, necesse est ipsam quoque relationem variari, cuius totum esse est esse ad aliud. Ex parte etiam Filij non potest non variari relatio filiationis, quæ de facto est; quia hæc per se vim habet constituendi principium passiuæ processionis, cum ex sua intrinseca ratione talis sit, vt coniuncta diuinæ voluntati, sit per omnimodam necessitatem virtus spiratiua, & ipsa actualis actiua spiratio Spiritus sancti. Si igitur Spiritus sanctus à Filio non procederet, non esset illa filiatio eadem quæ nunc est; neque eadem processio; ac proinde non essent eædem omnino personæ, quæ nunc sunt.

Data prædicta hypothesi, debent variari personæ Filij & Spiritus sancti.

27. *Soluitur obiectio Ariminensis.* Nego tamen Ariminensi, illam hypothesim in hac quæstione, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, idem significare quòd, si Spiritus sanctus simpliciter non esset. Quamuis enim sit omnino impossibile, Spiritum sanctum esse, & non procedere à Filio; tamen quia de facto Spiritus sanctus ita est, vt non solum procedat à Filio, sed etiam procedat à Patre, procul dubio licebit per intellectum considerare, quod Græci in ipsa re ita esse affirmant, Spiritum sanctum esse per processionem à Patre, non per processionem à Filio: hæc enim duo licet in re simul stare nequeant, tamen quia in ipsis terminis non sunt formaliter contradictoria, sicut contradictoria sunt procedere à Filio, non procedere à Filio; & procedere à Patre, non procedere à Patre; potest per rationem ratiocinatam ex hypothesi impossibili negari vnum, & affirmari aliud. Quemadmodum impossibile omnino est, Deum esse, & non esse immensum, & immediate præsentem cælo & terræ; & tamen quia Deus non solum est immensus, sed etiam omnipotens, infinitus, intelligens, &c. omnes Theologi ad indagandam coniunctionem quam actio cum suo agente postulat, vtilissimè quærunt, vt constat ex tractatis in primo tomo quæst.8. art.1. An si per impossibile Deus esset in cælo tantum, non in terra, posset immediate agere in terram. Sicut etiam Augustinus l.5. de Trinitate cap.6. initio, *Non hoc esse, dicere ingenitum, quod est Patrem dicere*, probat ex ista hypothesi impossibili; *quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere Ingenitum.* Similiter Riccardus Victorinus l.3. de Trinitate cap. 16. Plenitudinem sapientiæ in Deo non haberi ex Trinitate personarum, sed ex absoluta diuinæ naturæ perfectione, probat ex hac alia hypothesi impossibili, *Nam etiam si sola vna persona in Diuinitate esset, nihilominus plenitudinem sapientiæ habere potuisset.* Igitur contraria Ariminensis ratio nihil vrget; quia prædicta hypothesi si supponerentur Filius & Spiritus sanctus esse sicut de facto sunt, tunc quidem sequeretur, quòd distingueretur, quia de facto in se ipsis intrinsecam habent distinctionem; & non distinguerentur, quia supponitur Spiritus non procedere à Filio, nec Filius secundum omnes procedit à Spiritu sancto; non possunt autem duæ diuinæ personæ multiplicari absque vlla inter se processione: sed supponerentur Filius & Spiritus sanctus esse alio modo quam de facto sunt, vt probatum est; & ideo sequeretur, illos vel solum distingui, vt de facto dicunt Græci, & ex suppositione impossibili tenent multi Theologi; vel solum non distingui, vt reliquorum Theologorum maior & melior pars docet. Ergo quod in præsenti controuersia apud omnes vtiliter intendi debet, est, An per intellectus nostri fictionem ablata processione inter Filium & Spiritum sanctum, possimus rectè concipere, à Patre solo per intellectum produci aliquod aliud Verbum, & per voluntatem produci aliquem alium Amorem, quæ sint duæ personæ simpliciter distinctæ, licet non eiusdem rationis, cuius nunc de facto sunt. Nam absolutè, & vniuersaliter loquendo, terminus processionis per voluntatem non postulat necessario duas personas, à quibus procedat, vt patet in amore producto per voluntatem creatam. Quamobrem minus probo, quod scripsit Torres hic in secunda parte commentarij paulò post principium, *Parum ad ipsum Theologum spectat scire, quid sequatur dato hoc impossibili, videlicet, Spiritum sanctum non procedere à Filio.* Enim vero ad Theologum quam maximè spectat scire. Vnde oriatur vt Filius & Spiritus sanctus inter se realiter distinguantur, quod ex hac hypothesi acutè dignoscitur: præsertim quia si hac disputatione necessario concluditur, quod est de sententia ipsiusmet Torres, nullam fore distinctionem ablata processione, multò facilius conuinci possunt Græci ex distinctione quam concedunt, vt credant processionem, quam negant; quod quidem grauissimum est Theologiæ negotium. Demum præsens suppositio non est similis illi, quam vt similem obiicit Ariminensis supra, nempe, An Filius, si esset improductus, distingueretur à Patre: nam esse Filium, & esse improductum, sunt termini expresè contradictorij. Esse enim Filium, apertissime exprimit, esse genitum & productum à Patre: & ideo si esset Filius, distingueretur à Patre: si esset omnino improductus non distingueretur à Patre, quia diuina persona improducta, non potest esse nisi Pater. At vero esse Spiritum sanctum dicit solum explicitè esse productum & spiratum per voluntatem: quod vero sit esse spiratum à Patre & Filio, vel à solo Patre, vel à solo Filio, non dicit explicitè. Ergo potest, saltem per impossibilem suppositionem, negari esse spiratum à Filio, & considerari tantum esse spiratum à Patre. Vnde non sequentur duo simul contradictoria, scilicet distingui, & non distingui, sed solum vnum contradictorium, nempe non distingui.

Notatio contra Torres.

Augustinus.

Riccardus Victorinus.

28. *Authores cõclusionis.* Conclusio sic explicata, est S. Thomæ hic initio Corp. *Necesse est dicere, Spiritum sanctum à Filio esse; si enim non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui.* & l.4. contra gentes cap. 24. à num. 5. & opusc.1. contra errores Græcorum §. 30. & 31. & magis ex instituto quæst. 10. de Potentia art. 5. & omnium planè Thomistarum & interpretum, tam veterum, quam recentiorum. Item Alberti p.p. summæ quæst. 31. membro 3. argumento 4. contra Græcos. Alensis p.p. quæst. 43. membro 4. argumento 8. & 10. contra eosdem. Bonauenturæ 1.d.11.art. vnico quæst. 1. ratione quarta contra Græcos,

Fasoli in D.Thom. Tom.III.

ducente ad impossibile. Ægidij art. 1. q. 3. Riccardi art. vnico q. 2. quamuis defendat etiam contrarium, in quod minus inclinate videtur. Durandi quæst. 2. Argentinæ q. 2. præsertim art. 2. Ariminensis q. 1. art. 2. licet ex motiuo vt supra num. 26. contrario Thomistis & Scotistis. Marsilij in 1. sent. quæst. 15. ad 3. principale. Bellarmini l. 2. de Christo cap. 26. Suarez l. 10. de Trinitate cap. 2. Albertini tom. 2. Corollario 15. ex Prædicamento ad aliquid quæst. 15. dubit. 2. Becani tractatu 2. cap. 6. quæs. 3. Florauantij de Trinit. l. 2. pag. 56. & 142. Notatione 37. & reliquorum omnium, contra Henricum Quodlibeto 5. quæst. 9. Scotum 1. d. 11. q. 2. & ibidem Mayronum, Antonium Andream, Bassolum, Rubionensem q. 1. aliosque Scotistas. Item contra Aliacensem in 1. sent. quæst. 8. art. 1. circa finem in secunda propositione Bacconum 1. d. 13. q. 1. Carthusianum d. 11. q. 2. aliquanto ante finem ita concludentem, *Positio Henrici & Scoti plus placet.* Gabrielem q. 2. & Ochamum apud ipsum. Cum quibus numerari quoque potest Aureolus 1. d. 11. quæst. vnica art. 3. præsertim conclusione 4. vbi contendit, *quòd si Spiritus non emanaret à Filio, Filius desineret esse persona; adhuc tamen in eo remaneret aliquid realiter distinctum à Spiritu sancto, videlicet generari, quod incompossibile est cum spirari. Spiritus sanctus vero remaneret perfecta persona.* Qua sententia ab omnibus recedit. Supponit enim Filium esse personam per spirare; cum tamen sit persona per esse Filium genitum. Supponit etiam, Spiritum sanctum esse personam per spirari à solo Patre, cum tamen vt talis persona sit quidditatiuè spirata à Patre & Filio: & cum de facto eadem omnino ratione spiretur à Patre & Filio, nulla maior ratio est, vt dicatur esse perfecta persona per spirari à solo Patre, potius quam per spirari à solo Filio.

Aduersarij conclusionis.

Duplex conclusionis probatio.

29. *Prima ducitur ex negatione oppositionis inter Filium & Spiritum sanctum.*

Prima sumitur ex ratione fundamentali à priori hunc in modum. Facta ista suppositione, si Spiritus sanctus non procederet à Filio; vel, vt ad tollendas æquiuocationes formalius loquamur, iuxta explicationem superius allatam, si termini intellectus & voluntatis diuinæ à solo Patre procederent; tunc Verbum diuinum productum per intellectum, & Amor diuinus productus per voluntatem, nullam inter se haberent oppositionem producti & producentis. Ergo nullam realem distinctionem. Antecedens ab omnibus, etiam aduersariis conceditur; & in ipsamet suppositione satis apertè continetur, vt patet. Consequentia probatur primo à priori ex diuinarum rerum infinitate perfectissima & omnino illimitata. Hinc enim oritur, quod in superioribus etiam non semel adnotare necesse fuit, vt quæuis rario entis diuini, eo ipso quòd diuina sit, debet necessariò habere secum realiter identificatas omnes simpliciter rationes entis, quæ cum illa ratione oppositionem non habent. Secundo à posteriori, quia non potest aliunde probari, nisi ex hoc principio, cur de facto identificentur omnino realiter, natura diuina cum omnibus personis, intellectus cum voluntate, siue intellectio cum volitione, relatio spiratoris cum paternitate; quod tunc etiam accideret, si solus Pater generaret, & spiraret: sicut igitur secundum omnium sententiam, in vna Patris persona sunt de facto, & tunc etiam essent duæ relationes producentis, scilicet generantis per intellectum, & spirantis per voluntatem, solum quia sunt disparatæ, & non oppositæ inter se; ita etiam tunc ob eamdem prorsus rationem, deberent esse identificatæ in vna sola diuina persona duæ relationes, producti per intellectum, & producti per voluntatem; quia tunc pariter non opponerentur inuicem; & sicut vna persona tunc esset producens per intellectum, & producens per voluntatem siue dicens, & spirans; ita pariter à contrario esse deberet vna tantum illi opposita persona, producta per intellectum, & producta per voluntatem, seu dicta, & spirata.

30. *Scoti responsio examinatur.*

Ad hanc paritatem, quam benè vrget S. Thomas hic post principium Corporis, respondet Scotus 1. d. 11. quæst. 2. fine, Ad secundam, negando istam consequentiam, in vna persona Patris sunt duæ relationes, seu duæ actiuæ origines; ergo etiam in vna alia persona esse possunt duæ relationes duarum originum passiuarum. *Non enim*, inquit Scotus, *oportet tantam esse distinctionem, vel incompossibilitatem productionum actiuarum, quanta est productionum passiuarum: quia impossibile est, idem duabus productionibus oppositis produci, & accipere esse: non est autem incompossibile, idem duabus productionibus actiuis communicare esse distincto personis.* Hanc disparitatem multis & doctè impugnat Durandus 1. d. 11. q. 2. à num. 11. & præcipua ratio est, quoniam pro fundamento suæ opinionis sumit Scotus, satis ad constituendas, & distinguendas inter se duas personas, esse duas relationes disparatas originis passiuæ. Quod fundamentum nullum esse probatur ex paritate duarum relationum disparatarum, quæ de facto reperiuntur in vna persona Patris. Quamuis enim simpliciter loquendo, inquit optime Durandus, *ab vno agente multa possint produci, tamen impossibile est, & contradictionem implicans, quòd principia formalia, & sufficientia distinctionis, sint alicubi, & ibi non sit distinctio. Similiter enim esset ac si diceretur, quòd albedo esset in aliquo, & illud non esset album. Et ideo impossibile est, & contradictionem implicans, quòd illa quæ formaliter distinguunt principiata secundum suppositа, sint in principio, & non distinguant ipsum. Vbicumque enim principio existente vno, principiata sint multa, ibi necesse est aliquid esse in principiatis, quo distinguuntur, quod non est in principio; aliter esset oppositum in adiecto. Quod manifestè apparet in exemplo eorum. Arca enim & Filius habent aliquid in se, quo distinguuntur secundum suppositа, quia hoc est homo, illud vero lignum: etsi hæc essent in patre artifice, necessario distinguerent ipsum in plura suppositа producentia, sicut distinguunt producta; etsi non essent in productis, sicut nec in principio producente, non plus distinguerent producta, quam principium producens. Verbi gratia, aliquis pater generat filium, & per artem suam fabrilem instruit ipsum, & facit fabrum, certè non plus distinguunt filium natura humana, & ars fabrilis, quam patrem; quia vtrobique est eadem causa distinctionis: & similiter est in omnibus alijs.* Non igitur dici probabiliter possunt duæ relationes disparatæ, sufficientes ad formaliter constituendas & distinguendas duas personas productas, si omnes fatemur esse insufficientes duas pariter disparatas relationes ad constituendas & distinguendas duas personas producentes. Vbi fieri non potest vis discriminis in eo, quòd illæ sint passiuæ, hæ actiuæ; vt patet in exemplo allato de fabris, patre & filio; nam in vtroque sunt natura humana & ars fabrilis cum eadem distinctione, licet in patre sint actiuè, in filio passiuè. Enim vero tam in actiuis, quam in passiuis, inter se cõparatis nulla reperitur oppositio, & ideo miror, quomodo Scotus in disparitate prædicta assumpserit, productiones passiuas, & non actiuas, esse oppositas; cum in diuinis nulla alia oppositio cogitari possit, nisi producentis & producti, quam in hac hypothesi supponimus per impossibile non esse inter Filium & Spiritum sanctum.

Durandi contra Scotum.

Hinc

31. *Soluitur obiectio Scoti.*

Hinc ad Scoti disparitatem facilè respondetur, non esse necessarium, tantam esse distinctionem in principiis producentibus, quanta est in principiatis productis; quando scilicet, non sunt vtrobique eadem formalia distinguendi principia, sicut probatum est esse in casu nostro. Vbi aduertendum diligenter est, authores communis opinionis, prædicta paritate arguentes, non comparare vnam personam, vt producentem, & duas personas vt productas; nam certum est, ab vna persona producente posse multas personas produci; & de facto omnes credimus ab vna æterni Patris persona duas personas emanare; sed comparare duas relationes producti, quæ disparatæ, & sine vlla oppositione possint in ordine diuino constituere, & distinguere duas personas productas, & nihilominus duæ producentis relationes pariter disparatæ, & non oppositæ, præsertim in sententia Scotistarum, asserentium eas esse à parte rei distinctas, non possint pariter constituere, & distinguere duas alias personas producentes. Quandoquidem in casu nostro sicut suppositum productum non constituitur nisi relatione producti; ita suppositum producens non constituitur nisi relatione producentis. Quod quidem in aliis creatis producentibus & productis non reperitur: & ideo mirum esse non debet, si ex vno supposito producente in rebus creatis prodire possint distincta suppositа, quæ inter se non habent rationem producentis & producti.

32. *Secunda ducitur ab authoritate Florentini,*

Secunda probatio sumitur ab authoritate, quæ est vrgens confirmatio allatæ rationis. Maximè fauet Concilium Florentinum sess. 18. §. *Dico equidem.* vbi Ioannes Theologus ita pronuntiat, *Sola relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat; ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis, Pater à Filio, & vna persona ab alia differant.* Nimirum vi relationis fundatæ in processione, quam præcedentibus verbis limitando expressè addit. Præcisa igitur processione inter Filium & Spiritum sanctum nulla alia relatione, aut ratione inter eos distinctio cogitari rectè potest. Hoc ipsum clarissimè docent verba Anselmi & Nysseni, quæ ponuntur suprà quæst. 28. art. 4. num. 12. *Hæc sola causa*, inquit Anselmus, *pluralitas est in Deo, vt sit Deus de Deo: quod totum potest dici relatio*; siue vt ibidem antea & post loquitur, *relationis oppositio, quæ*, inquit, *ex eo nascitur, quia Deus de Deo est.* Igitur non quæcumque duæ relationes causant distinctionem in diuinis, nisi fuerint inuicem oppositæ ratione processionis, qua Deus de Deo esse dicitur. Dicens autem Anselmus, *quod totum potest dici relatio*, videtur exponere voluisse priores Patres, qui nonnumquam simpliciter asserunt, Personas diuinas constitui & distingui per relationes, scilicet oppositas per processionem Dei de Deo. Nyssenus quoque ait, *Per differentiam, quæ circa causam, & causatum consideratur, solum discerni alterum ab altero.* Idem non obscurè tradit Bernardus epistola 190. multò post principium, *Quòd alter ex altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, personarum sanè designatio est.* Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, tunc nec alter ex altero, nec alter ad alterum esset; ergo tunc, si verum est, quod docet Bernardus, nulla in ipsis personarum pluralitas designari posset.

Anselmi,

Nysseni,

Bernardi,

33. *Bessarionis,*

Magni etiam momenti apud omnes esse debet Bessarion in oratione pro vnione in Concilio Florentino ad Patres Græcos, post plurimas, publicasque cum Latinis disputationes, duntaxat habita, quæ ob grauitatem veritatis in ea contentæ, dicta vulgo est, & inscripta *Dogmatica*; vbi in cap. 6. columna 6. circa finem, hæc verba Nisseni ad Ablabium, *Eo distinguitur Spiritus à Filio, quia per ipsum est*, ita exponit, *Quasi diceret, quòd cum ambo à Primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset. Vt manifestè, Per, distinctionem hinc significaret, & distinctionem quæ ab æterno est, quæque secundum causam, & causatum est; cum antea dixerit, Causa & causato tantum ab inuicem diuinas personas distingui.* Quod sine dubio docere etiam videtur Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 1. fine, cum enim præmisisset, *Vnus est Deus Pater, qui solus essentialiter vnum Filium genuit; & vnus Filius, qui de vno Patre solus est essentialiter genitus; & vnus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de Patre Filioque procedit*; facit hanc causalem, distinguentem personas ex originibus subiungens, *Quia igitur aliud est genuisse, quam natum esse; aliúdque est procedere, quam genuisse, vel natum esse; manifestum est quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.* Similiter Riccardus de sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. 5. non semel docet, quòd in fine ita concludit, *In diuina natura circa originem solum oportet quærere personarum differentiam.* Et Isidorus lib. 1. Differentiarum cap. 3. initio ait, *Inter Personam Patris, & Filij, & Spiritus sancti ita secernitur, quod Pater nec genitus est, nec procedens. Filius ex Patre genitus, non procedens. Spiritus sanctus ex Patre & Filio non genitus, sed procedens.* Communis igitur Patrum sensus est, Inter diuinas personas nullam absque origine distinctionem esse posse. Quapropter si vel in re, vel in mente remoueatur processio Spiritus sancti à Filio, nulla inter eos poterit distinctio remanere. Qua authoritate, præsertim Concilij Florentini suprà, moti quidam moderni, contendunt, contrariam sententiam non esse in fide tutam. Sed Vazquez disp. 147. c. 3. probat, illam nihil periculi habere in fide. Imo Zumel hic disp. 2. paulò post conclusionem addit, quod *Scoti opinio non est improbabilis.* Et sanè cum eam sequantur multi, & graues Theologi citati suprà num. 28. præsertim tota illustrissima ac doctissima Scoti schola, optimè merita de Theologia, præstat in hoc, aliisque eiusdem generis controuersiis, diligentem disputatorem, quam rigidum censorem agere.

Fulgentij,

Riccardi Victorini,

Isidori.

Iudicium cõtrariæ opinionis.

Conclusionis impugnationes.

34. *Prima obiectio.*

Obiicies primo. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc productio Spiritus sancti esset processio, non generatio, & productio Verbi esset vera generatio. Impossibile autem est, vnum eumdemque terminum generari & non generari.

Respondetur ex hypothesi non sequi cõtradictoria.

Respondeo, hoc vltimum esse verum, si non generari sumatur contradictoriè, seu purè negatiuè: non autem si sumatur positiuè pro spiratione actiua, siue processione amoris. Sicut enim duæ actiuæ processiones, generantis, & spirantis, sunt de facto in vna persona Patris, absque vlla contradictione generantis, & non generantis; ita duæ passiuæ processiones, generati, & spirati, absque vlla contradictione generati, & non generati futuræ essent in vna persona à solo Patre per intellectum & voluntatem producta.

35. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò. Si solus Pater produceret, adhuc essent duæ processiones, altera Verbi, altera Amoris. Ergo adhuc duæ personæ: alioqui sequeretur, idem bis produci.

Respondetur eũ Vazquez ex hypothesi non futuras duas realiter processiones.

Respondent nonnulli Thomistæ, quos refert & impugnat Vazquez disp. 147. num. 28. tunc futuras duas processiones realiter distinctas; non autem duas realiter distinctas personas productas, & producti relationes. Quod quidem est manifestè falsum, tam in antecedente, quod conceditur, de duabus processionibus realiter distinctis in vna diuina persona simplicissima, & infinita, in qua propterea

omnes reales rationes inuicem non oppositæ, quales tunc essent prædictæ processiones, debent in re omnino identificari; quam in eo quod negatur ex antecedente deduci de duabus personis productis, & relationibus realiter distinctis; cum apud omnes euidenter constet, passiuas processiones, quæ cum terminis identificantur, si inter se realiter distinguuntur, debere necessario terminari ad productos terminos realiter inter se distinctos, & inde resultare relationes realiter distinctas. Respondendum igitur est, Processiones tunc futuras duas secundum rationem, non secundum rem. Neque enim licet intra Deum realiter multiplicare processiones sine ordine realis originis ipsarum inter se. Quo modo autem sequatur eamdem personam bis produci, & vnde oriatur hoc absurdum, constabit commodius ex infra dicendis.

36. *Tertia obiectio principalis ducta ex eo quòd idem sit principiũ constituiuit, & distinctiuum.*

Obiicies tertiò, Filius in suo esse personali constituitur per filiationem, vt filiationem præscindendo, à spiratione actiua; quoniam hæc, cum sit communicabilis, pertinere non potest ad personalitatem, de cuius formali conceptu est incommunicabilitas. Et ideo hæc spiratio de facto intelligitur aduenire Patri & Filio, perfectè constitutis in esse personali. Ergo per eamdem filiationem distinguitur ab omni alio, qui non est Filius. Ergo etiam à Spiritu sancto, siue à diuino Amore, simpliciter per voluntatem producto; quia hic numquam esse potest filius. Prima consequentia, & vis totius argumenti, in hac controuersia celebertimi, fundatur in illo receptissimo Axiomate. Idem est principium constitutiuum, & distinctiuum.

Responsio Capreoli, & aliarum non probatur.

Respondent primò Capreolus 1.d.11.quæst.vnica art.2.ad 1.in secunda responsione. Vazquez disp. 143.num.36. & aliis hoc Axioma verificari de constitutione reali, non de constitutione rationis; cuiusmodi est constitutio diuinarum personarum per relationes identificatas omnino in re cum essentia & personis. Et ideo Filium in se constitui per filiationem, sed à Spiritu sancto distingui per spirationem actiuam. *Hæc vero responsio*, inquit bene Suarez lib.7.de Trinit.cap.4.num.5. *Solum est inuenta ad fugiendam vim argumenti, non tamen satisfacit.* Et ratio præcipua est, quia hæc constitutio est verè realis ratione constituti realis, hoc est, diuinæ personæ; & ratione realis formæ constituentis, hoc est, relationis; solum non est realis ex defectu realis distinctionis inter constituentem, & constitutum. Verum realis distinctio constituti ab omni eo, quod non est illud constitutum, non oritur ex reali distinctione inter constituentem & constitutum, sed præcisè ex realitate constituentis & constituti, quidquid sit de distinctione inter se. Quod primò suaderi potest aliis similibus exemplis. Etenim Deus communiter dicitur constitutus in esse increato & diuino per esse à se, quod non distinguitur à Deo; & tamen per illud idem esse à se, distinguitur ab omni alio, quod non est Deus. Item in sententia probabili multorum, sola ratione distinguentium gradus metaphysicos, quælibet species realis constituitur per realem differentiam, per quam etiam distinguitur à quacumque alia re. Secundò probari potest à priori, quia hoc distingui realiter ab illo, nihil est aliud, quam hoc à parte rei non esse illud. Quodlibet autem principium constitutiuum, facit formaliter re ipsa, constitutum esse hanc rem, non illam; ad quod nihil prorsus refert distinctio inter ipsa à parte rei, quia non magis homo, v.g. est hæc species animalis, non alia, ex eo quòd rationale distinguitur ab animali, quam si non distingueretur: & tam in sententia Scotistarum distinguentium, quam in sententia Thomistarum non distinguentium ex natura rei personalitates ab essentia, vna persona est hæc, non alia, & ab omni alia re distinguitur; quia hæc personalitas, præcisè quatenus hæc personalitas, siue distincta, siue non distincta à Deo, constituit solum hanc personam diuinam, non aliam quamcumque rem, quod essentialiter est, hanc personam diuinam ab omni alia re distinguere. Idem quoque declarari magis, & confirmari potest à priori hoc alio modo. Quod dat esse ens, dat esse vnum; quia vnitas est necessaria passio consequens ens. Ergo dat esse distinctum ab omni alio; quia vnum est esse indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Sed principium constituens, etiam indistinctum à constituto, dat constituto esse tale ens, non minus ac si esset distinctum, v.g. non minus personalitas diuina, à Deo indistincta, dat Deo esse personam diuinam, quam personalitas humana, distincta ab homine, dat homini esse personam humanam. Ergo eidem constituto dat esse vnum. Ergo distinctum à quocumque alio. Ergo indistinctio inter constituens, & constitutum, non tollit, quin verè idem sit principium constituens, & distinguens; siue, idem sit principium essendi hoc, & distinguendi ab omni alio, quod non est hoc; nimirum eodem proportionali modo, ita vt principium essendi, & constituendi hoc essentialiter, sit pariter principium distinguendi essentialiter: item principium constituens accidentaliter, distinguat etiam accidentaliter: & principium quod constituit realiter, vel personaliter, etiam realiter, vel personaliter distinguat. Quæ propositio tantam habet veritatis euidentiam ex ipsis ferè terminis, vt de ea meritò dixerit Rada controuersia 15.art.2. notab.4. fine, *Est per se nota, nec probatione eget.*

37. *Reſpõſio Durandi & Thomiſtarũ confutatur.*

Respondent secundò Durandus 1.d.11.quæst.2. ad 2. Caietanus hic, §. *Ad euidentiam.* Ferrariensis 4. contra gentes cap.24. §. *Istu suppositis.* Torres hic, parte 2. Commentarij ad 3. Bagnez dub.3. ad 1. & vt ipse ait, *omnes discipuli D.Thomæ*, illud Axioma esse verum in absolutis, non in relatiuis: quoniam relatio, cum totum esse suum sit esse ad aliud, non potest distinguere nisi à suo correlatiuo, siue ab opposito ad quod refert, siue à termino cui relatiuè opponitur. Esto igitur filiatio constituat Filium, tamen non distinguit Filium à Spiritu sancto, sed solum à Patre, quia refert ad Patrem, non ad Spiritum sanctum. Spiratio vero actiua distinguit Filium à Spiritu sancto, quia refert illum ad Spiritum sanctum. Hanc etiam responsionem multis bene impugnant Suarez supra à num.6. ad finem capitis. Zumel hic disp.2.ad 1. Et breuiter refutari potest primò, quia ratio modo allata à priori contra primam responsionem, idem probat vniuersalissimè de omni constituente. Sicut enim constituens absolutum, licet non sit ens ad aliud, sed ad se, tamen quia est ens in se, hoc est, in sua intrinseca entitate est aliquod ens reale determinatum, distinguit non solum ab omni alio ente absoluto, sed etiam ab omni simpliciter ente respectiuo; ita pariter à contrario, constituens relatiuum, quamuis non sit ens ad se, sed ens ad aliud, tamen quia non est ita ens ad aliud, vt non sit etiam aliquod determinatum ens in se ipso intrinsecè reale, si constituit aliquid faciendo illud tale respectiuum, illud idem distinguat necesse est ab omni eo quod non est tale respectiuum, hoc est, ab omni alio respectiuo, & ab omni simpliciter absoluto. Et ideo duæ disparatæ, & non oppositæ species relationis creatæ, v.g. paternitas, & æqualitas, adhuc inter se distinctæ sunt, & non solum à terminis. Relatio quoque passiuæ spirationis constituens Spiritum sanctum, eumdem distinguit non solum à Patre & Filio spirantibus, ad quos terminatur, sed etiam ab omnibus aliis personis

Suarez.

Suarez. Zumel.

sonis creatis, ad quas non refert. Præterea diuina filiatio dat esse relatiuum, non qualecumque, sed personale; ergo esse incommunicabile; ergo non solum esse distinctum, sed esse inidentificabile cum qualibet alia persona tam increata, quam creata. Ergo si hæc filiatio, quæ nunc cum processione Spiritus sancti à Filio, distinguit personam Filij à Spiritu sancto, remaneret eadem absque ea processione, distingueret etiam personam Filij à Spiritu sancto. Authores igitur huius secundæ responsionis dicentes, Relationem constituentem relatiuum, non distinguere illud nisi à suo correlatiuo, verum assumunt si loquantur de distinctione ab alio tamquam ab opposito; si verò loquantur de distinctione ab alio simpliciter, siue opposito, siue non opposito, assumunt falsum; at vt ait Rada controuersia 15.art.2. notab. 1. fine, *toto aberrant cœlo*: præterquam quòd supponunt, terminum relationis non esse nisi correlatiuum, v.g. relationem spirationis passiuæ non esse nisi spiratorem; & ideo dicunt, quòd si spirator esset Pater, non Filius, Spiritus sanctus referretur ad Patrem, non ad Filium, & consequenter distingueretur à Patre, non à Filio. Quod supposito de relationis termino correlatiuo, multi valdè probabiliter putant non esse semper necessarium, vt patet in relatiuis non mutuis, cuiusmodi sunt relatiua tertij generis fundata in ratione mensuræ; & in relatione prædicamentali, qua creatura vt facta à Deo refertur ad Deum, in quo nulla est correlatio ad creaturam.

Rada.

38. *Impugnatur tertia reſpõſio Molinæ.*

Respondent tertiò quidam moderni, sequentes Molinam hic disp.3. §. *Altero.* & §. *Ad primam confirmationem.* Filium à Spiritu sancto distingui filiatione, non simpliciter, sed vt coniuncta spirationi actiuæ: sicut, inquiunt, gradus essentiales distinguuntur realiter, non ex se, sed ex coniunctione cum conditionibus indiuiduantibus. Non videntur autem satisfacere, primo quia isti bene volunt, Personam filij, in esse filij formaliter constitui filiatione per se, præscindendo à spiratione actiua, & à coniunctione cum illa. Ergo illa, quoad suum esse intrinsecum & formale eodem modo se habens, debet personaliter, & realiter distinguere filium ab omni alio, quod non est persona filij. Sed Spiritus sanctus à solo Patre procedens per voluntatem, non esset persona filij. Ergo tunc etiam Filius distingueretur à Spiritu sancto. Secundò illud de conditionibus indiuiduantibus non est simile: quia hæ, siue materia signata, siue hæcceitas, siue aliud quodcumque principium formaliter indiuiduans, est quædam forma informans omnes superiores gradus essentiales, & specificos, & genericos, dans illi formaliter esse hoc vnum numero & realiter, ac proinde numero, & realiter distinguens illos gradus inter se, & faciens duas, v.g. humanitates, animalitates, &c. At hi non dicunt, spirationem actiuam esse formam constituentem personaliter Filium. Ergo non potest illum personaliter distinguere. Quare hæc etiam tertia responsio non saluat, quod adeo euidenter apparet verum, vt non nisi ad fugam argumenti negati posse videatur. Idem esse principium constituens & distinguens; nimirum eadem proportionali ratione, v.g. constituens realiter, distinguat realiter; constituens formaliter, distinguat formaliter, constituens personaliter, distinguat personaliter; & idem similiter de reliquis; vt cum Rada notaui suprà in fine num.36. Non igitur cohærenter, ac verè dicere possunt, Filium in suo esse personali constitui per solam filiationem: & tamen in hoc eodem esse personali distingui non per filiationem, sed per spirationem.

39. Respondent quartò alij moderni, Filiationẽ quæ de facto est, & constituit personam filij, includere spirationem actiuam: & ideo per hanc eamdem filiationem distingui Filium à Spiritu sancto. At vero posita hypothesi impossibili de Spiritu sancto non procedente à Filio, non futuram eamdem filiationem, quia tunc non includeret actiuam spirationem; & ideo tunc eadem persona constitueretur per filiationem simul & spirationem passiuam à solo Patre, & consequenter per vtramque ab eodem solo Patre distingueretur. Quòd si obiicias id, quod hanc quartam responsionem omnino destruit, Spirationem actiuam, communem Patri, & Filio, non posse pertinere ad propriam ac personalem Filij constitutionem, & ad propriam ac personalem constitutionem Patris, cum manifestè sit contra rationem personalitatis essentialiter incommunicabilis, illam consistere in aliqua forma communicabili, & ex ipsis terminis, si benè percipiatur, appareat repugnare, esse aliquid proprietatem personalẽ, & tamen esse cõmunem pluribus personis; in quo saltem sensu, vt refero, & explico suprà quæst.32. art.3. n.11. scripsit Basilius de Filio Dei, *Nullam prorsus notionum communicationem, secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu sancto habet*: occurrunt dicentes, spirationem actiuam, vt excludentem paternitatem, esse proprietatem Filij; vt excludentem filiationem, esse proprietatem Patris. Sed apertè videtur distinctio nullius momenti; quia spiratio, vt excludens paternitatem, est ipsa filiatio; & vt excludens filiationem, est ipsa paternitas: alioquin ipsa spiratio, præcisè, & ex se considerata, est communis paternitati, & filiationi, & cum vtraque identificatur omnino in re. Ergo spiratio vt spiratio neutram excludit. Ergo hæc exclusio non potest illi conuenire, nisi in quantum est ipsa filiatio, vel paternitas secundum rem. Confirmatur, quia similiter liceret cum magna absurditate distinguere de ipsa communi essentia, vt excludente hanc, vel illam relationem; quia coniungitur cum aliqua relatione, hanc vel illam relationem excludente.

Reiicitur quarta reſpõſio dicens, Personã Filij, conſtitui etiã per ſpirationem.

Basilius.

40. *Vera reſpenſio Bellarmini, Suarez, Zumel, ſaluans prædictũ Axioma.*

Respondendum igitur quintò est cum aliis, quos sequuntur Bellarminus tomo 1. lib.2. de Christo cap.26. Suarez lib.7. de Trinit.cap.4.num.9. Zumel hic disp.2.ad 1. Filiationem, quæ nunc est, esse talis rationis, vt præscindẽdo à relatione spirationis actiuæ, habet ex se terminare relationem processionis Spiritus sancti; nimirum non vt est correlatio illius, sed vt principium illius productiuum, vt supra q.28.art.4.num.15. & 25. explicatur cum Capreolo; quia vt coniuncta diuinæ essentiæ & voluntati, & antecedens prioritate originis processionem per voluntatem, habet esse principium spirans Spiritum sanctum. Quapropter, etiamsi per impossibile ex actiua spiratione non conciperemus in Filio resultare relationem spiratoris; sicut de facto ad actionem creatiuam Dei non resultat in Deo relatio, sed solum in creatura, quæ refertur in Deum, tamquam ad suum principium absolutum, & vt sic illi opponitur; adhuc diceremus, Personalitatem filij esse oppositam relatiuè personalitati spirationis passiuæ Spiritus sancti, ac proinde sufficientem ab illa realiter distinguere, non tamquam illius correlatiuum, quo modo opponitur solum Patri, sed tamquam formalem illius terminum, ad quem Spiritus sanctus, vt procedens, immediatè refertur, tamquam ad immediatum sui principium, cum Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio immediatè, vt præcisè constitutis in esse personali per paternitatem, & filiationem. Quod significauit Toletanum XI. in Fidei professione multò post principium dicens, *Spiritus sanctus, non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur, in eo quòd Spiritus Patris & Filij prædicatur.*

Toletanum XI.

S.Thomas. *prædicatur.* Et non obscurè docuit S.Thomas de Potentia quæst.10. art.5. ad 13. dicens, *Quòd licet filiatio non opponatur relatiuè processioni, tamen procedens opponitur relatiuè Filio; & per hoc processio à filiatione distinguitur.* Paternitas igitur & filiatio opponuntur spirationi passiuæ, tamquam aliquid intrinsecè pertinens ad completum, & immediatum principium productiuum, & actiuam productionem Spiritus sancti. Ablata igitur à Filio per hypothesim impossibilem tum relatione spirationis actiuæ, tum ipsa actiua spiratione & ratione principij spiratiui, Pater non communicasset Filio virtutem spirandi, & consequenter, esset in Filio alia diuersæ rationis filiatio, in qua cessaret prorsus omnis ratio oppositionis ad Spiritum sanctum; quæ oppositio, vt loco citato distinguebam cum Capreolo, duplex est, & correlationis, & originis: data autem illa hypothesi, neutra oppositio esset in Filio. Ergo tunc in eadem persona esse possent, ac deberent duæ relationes, & filiationis, & spirationis passiuæ; quia tunc hæ duæ relationes neque essent inuicem oppositæ, neque essent communes pluribus personis. Idem igitur semper est principium constituens, & distinguens; & Filius in esse suo personali constituitur per formalem relationem filiationis, & per eamdem adæquatè distinguitur ab omni eo, quod non est Filius. Verum si à Filio non procederet Spiritus sanctus, non remaneret in Filio eadem filiatio: & ideo non est necessarium, vt tunc etiam distinguatur à Spiritu sancto, sicut modo distinguitur.

Impugnatur & declaratur magis vltima responsio.

41. *Prima instantia.* Contra hanc quintam responsionem. Dices 1. pura filiatio, formaliter vt filiatio, refert solum ad Patrem, non ad Spiritum sanctum. Ergo distinguit solum à Patre. Relatio enim non potest distinguere, nisi à termino, ad quem refertur, quia solum huic termino opponitur.

Respondetur filiationem distinguere etiam à Spiritu sancto. Respondeo, Filiationem, quæ de facto est, non referre solum ad Patrem, sed constituere personam Filij, & principij spiratiui, & actualiter spirantis Spiritum sanctum. Et propterea non solum ponit oppositionem, & distinctionem inter Patrem & Filium, tamquam inter terminos correlatiuos; sed etiam inter Filium & Spiritum sanctum, tamquam inter terminos realiter oppositos, non correlatiuè, sed originatiuè, nimirum in ratione principij, & principiati. Quod est dicere, opponi non solum vt Patrem & Filium, sed etiam vt generantem & genitum.

42. *Secunda instantia.* Dices 2. Relatio spirandi non potest spectare ad diuinam naturam, vt naturam, quia sicut tota Dei natura est in Spiritu sancto, ita etiam esset in eo hæc relatio, quod nullus potest dicere; sicuti Spiritus sanctus dici non potest spirator sui ipsius. Ergo spectare debet ad personam vt personam: quia quod formaliter est in Deo, non potest concipi extra formalem conceptum essentiæ, & personæ: alioqui sequeretur, illud esse accidens.

Respondetur relationē spirandi pertinere ad personam, non vt personam, sed vt correlatiuum Spiritus sancti. Respondeo, spectare ad personam, non vt personam formaliter, quasi sit ipsa formalis personalitas Patris, vel Filij; sed vt correlatiuum Spiritus sancti. Quomodo autem ista correlatio actiuæ spirationis adueniens personis Patris & Filij, non intelligatur aduenire vt accidens, sed vt ratio verè substantialis, conueniens personæ Patris, & Filij, tamquam principio vt quod spirandi, diligenter explicatum est supra q.28. art.4. num.8.

43. *Instantia 3. Prima via* Dices 3. Ad defensionem nostræ conclusionis supra n.24. duplici via procedere possumus. Prima faciliore hactenus inculcata, nempe, quòd filiatio, quæ nunc est, dicit duplicem respectum, siue habitudinem; alteram ad Patrem, tamquam ad correlatiuum, & tamquam ad producentem; alteram ad Spiritum sanctum, tamquam principij productiui ad terminum productum, non tamen tamquam correlatiui ad correlatiuum; hoc enim Filius habet formaliter per relationem spirationis actiuæ, & solum radicaliter per relationem filiationis, in quantum per hanc, quæ est personalitas Filij, & Verbi personalis, potest produci spirationis passiuæ relatio, qua posita intelligitur simul consurgere in Filio, sicut & in Patre correlatio spirationis actiuæ, modo explicato supra quæst.28. art.4. num.33. Data verò hypothesi impossibili de Filio non spirante, filiatio has proprietates non haberet, careret enim illa habitudine principij spiratiui. Quamobrem tunc dicenda esset, filiatio infœcunda, & merè passiua; cum nunc sit fœcunda, & non solum passiua, sed etiam actiua. Vnde sequitur, paternam intellectionem, per quam formaliter procedit Filius, & quæ ex vi formali suæ processionis illi communicatur, non futuram, tunc ita perfectam, sicuti nunc est; quia non produceret terminum ita perfectum; cum perfectior terminus sit filiatio fœcunda, & actiua, quam infœcunda, & passiua sine vlla vi agendi & producendi: & consequenter tunc Pater non intelligeret Verbum ita perfectum. Tunc igitur intellectio paterna esset minus perfecta & productiuè & obiectiuè: & consequenter, minus etiam perfecta esset diuina volitio; vnde procedit diuinus amor.

defendendi conclusionem.

44. *Secunda via defendendi conclusionem.* Secunda via magis trita, & minus plana, asserit quòd nunc ad constituendam & producendam integram personam Filij, concurrit sola relatio filiationis & generationis passiuæ, & sola Patris intellectio, quod ego etiam verissimum esse arbitror: tūc autem concurrerent, & ista eadem omnia, & præterea volitio Patris, & relatio passiuæ spirationis; ita vt tunc Filius haberet rationem personæ, & quatenus genitus, & quatenus spiratus. Hac via videntur procedere omnes authores nostræ conclusionis, dicentes quòd data illa hypothesi, eadem persona esset genita per intellectum, & spirata per voluntatem: &, vt ait S.Thomas hic ante medium corporis, *Sequeretur quòd persona Filij, & Spiritus sancti esset vna, habens duas relationes, oppositas duabus relationibus Patris*; non autem oppositas inter se; & ideo distinguerent vnam personam ab alia persona Patris, non autem duas personas inter se. Differt hæc secunda via à prima, quia prima vult, Per filiationem, tam nunc, quam tunc constitui adæquatè personam Filij. Nunc autem, & non tunc distinguere Filium à Spiritu sancto; quoniam nunc est opposita Spiritui sancto, tunc verò non esset illi opposita, vt probatū & explicatum est. Quare tunc spiratio passiua, eiusque relatio essent in eadem Filij persona, non vt constituentes illam, sed vt correspondentes actiuæ spirationi, & spirandi relationi, quæ supponuntur remanere in solo Patre: sicut nunc de facto actiua spiratio & relatio spirandi sunt nunc in Patre & Filio, non vt constituentes eorū personas, sed vt rationes correspondentes passiuæ spirationi & relationi Spiritus sancti: imò tunc etiam Pater non esset Persona formaliter, quia generaret, & quia spiraret; sed solum quia generaret. Secūda autem via vult, quòd filiatio, siue sit eadem siue diuersa ab ea, quæ nūc est, nunc sola constituit vnam personam Filij distinctā realiter ab alia persona Spiritus sancti; tunc verò nō sola constitueret vnam personā, sed tam ipsa, quam alia relatio spirationis passiuæ constituerent vnam personam, quæ simul esset & Filius, & Spiritus sanctus, hoc est, & genita per intellectum Patris; & simul per eiusdem voluntatem spirata.

Differentia prima & secundæ via.

S.Thomas.

Difficilior

45. *Contra secundam viā arguitur primò.* Difficilior autem est ista via, primo quia tunc filiatio nullo modo posset dici eadem cum ea, quæ nunc est; tum propter rationem factam suprà n.26. tum quia si est eadem, & nunc sola ipsa constituit, & distinguit, non potest per coniunctionem cum alio, per quam ipsa intrinsecè non variatur, impediri ne præstet illum eumdem effectum, quæ se ipsa formaliter præstare apta est. Ergo minus cohærenter dicitur hæc filiatio ante hypothesim constituere & distinguere se sola, non autem post hypothesim, sed tunc indigere consortio alterius ad hoc vt constituat & distinguat personam. Secundò ex opinione, quam in superioribus sequuti sumus de gradu intellectiuo, quòd sit vltimum constitutiuum, ac veluti specificatiuum diuinæ essentiæ, sequitur quòd Filius est essentialiter productus, & constitutus vt Filius adæquatè, per solam intellectionem, qua essentialiter producitur filiatio, vt formaliter filiatio; ita vt esse spiratum formaliter, non possit facere ad talem productionem, & constitutionem, cum per spirationem formaliter, & vi formalis processionis per voluntatem, non communicetur prædicatum essentiale, sed tantum attributum, seu quædam essentiæ proprietas extra intrinsecum conceptum totius essentiæ, hoc est, velle diuinum. Tertiò idem verè sequeretur in omni alia opinione: quia omnis opinio Theologica tenetur asserere, quod est de fide, Processionem per intellectum, esse generationem Filij; Processionem per voluntatem non esse generationem Filij, sed productionem amoris, & Spiritus sancti. Ergo tunc etiam in omni opinione, Filius esset integer, & completè Filius per solam formaliter intellectionem, & generationem, & filiationem, non per volitionem, & spirationem passiuam, & relationem passiuæ spirationis. Filius verò substantialis integer & adæquatus in esse formali filij, esse non potest nisi integra persona; sicut integra persona est Pater vt Pater, & vt generans: genitum enim vt genitum formaliter in viuentibus, est procedens omnium perfectissimum à principio coniuncto in similitudinem naturæ; quod sine perfecto suppositō est inintelligibile. Quartò cum magno fundamento in re, saltem in priori signo rationis concipi debet Pater intelligere, & producere Verbum & Filium, quam velle, siue amare, & producere amorem, & Spiritum sanctum. Sed in illo primo signo debet necessariò intelligi producta persona Filiæ adæquatè, quatenus Filij formaliter, vt patet ex secunda & tertia ratione. Ergo in secundo signo non potest intelligi alia sequens productio per voluntatem, terminata ad eamdem personam Filij. Ergo deberet terminari ad aliam distinctam, & tertiam personam. Quintò, de facto, Pater, qui est generans, & spirans, est integra persona solum quatenus generans. Ergo de possibili à pari, si vna persona esset genita, & spirata, esse deberet integra persona solum quatenus genita, & non quatenus spirata. Et, quod difficilius est, de possibili in eodem casu, si Filius non spiraret, sed Pater solus, Pater quatenus in priori signo intelligens, & producens per intellectionem, seu generans, esset verè & adæquatè constitutus in sua personalitate Patris, & paternitate; quia non potest aliquis intelligi agere perfectè per intellectum, nisi præsupponatur esse persona perfecta; omnes enim pronunciamus, Actiones esse suppositorum, scilicet integrorum, quia actio, de qua loquimur, est integra, & adæquata in genere intelligendi. Ergo tunc in primo illo signo, Patri formaliter vt Patri correspondere debet integra persona Filij; quia eadem ratione non potest intelligi à contrario passiua productio substantialis, & perfecta in suo genere intellectiuo, nisi intelligatur integra aliqua persona subsistens, perfectè opposita integræ personæ Patris generantis. Confirmatur, quia in primo illo signo Filius in quantum Filius, esset incommunicabiliter subsistens. Ergo integra persona.

Arguitur secundò.

Arguitur tertiò.

Arguitur quartò.

Arguitur quintò.

S.Thomas.

46. *Quid sentiēdum de prædictis duabus viis.* Respondeo, de his duabus viis me ita statuere. Certum mihi esse primo, Filiationem, quæ nunc est, non futuram eamdem, si supponamus Filium non spirare. Quod sufficienter in superioribus demonstratum est. Secundò, si filiatio post prædictam suppositionem dicatur esse eadem, certum quoque existimo, non benè solui argumentum Scoti, probantis, non spirante Filio, adhuc remansuram in Filio distinctionem à Spiritu sancto qui spiraretur à solo Patre; quia adhuc remaneret in Filio, vt conceditur idem omnino principium distinctiuum, quod erat antea: ergo eadem etiam distinctio, vt probatur prima ratione contra secundam viam. Tertiò, non videri ita certum, sed nihilominus videri probabilissimum, & multò congruentius aliis sententiis, quas de facto tuemur de filiatione, quòd sit integra personalitas, & de relatione spirandi, quod non pertineat ad constituendas Patris & Filij personas, Filiationem illam diuersam data hypothesi, constituere integram personam Filij; & Relationem spirationis passiuæ tunc futuram in eadem persona Filij, eadem ferè ratione, qua nunc est relatio spirationis actiuæ in Patre & Filio; hoc est, non vt aliquam proprietatem personalem, formaliter constitutiuam personæ, sed solum vt substantialem quamdam rationem identificatam personæ, & conuenientem personæ productæ per correspondentiam ad personam Patris producentem, qui solus supponitur generare, & spirare. Atque hoc probabilissime ostēdunt secunda, tertia, & quinta ratio cōtra secundam viam. Neque aliquid in contrarium vnquam me legisse memini in S.Thoma, aut in aliquo alio graui Theologo. Solum enim scribunt, Tunc futuram vnam eamdemque Filij, & Spiritus sancti personam. Qua vero ratione sunt filiatio & spiratio passiua ad illam vnam personam pertinerent, non explicant. Neque contra hoc virget prædictum argumentum Scoti; quia tunc non esset eadem filiatio, nec idem principium constitutiuum ac distinctiuum: sed esset aliud formale principium, constituens quidem integram personam Filij, ab eaque distinguens omne id quod non est realiter illa persona. Tunc autem Spiritus sanctus esset realiter illa eadem Filij persona, cum qua nullam haberet oppositionem, neque correlationis, neque originis. Ergo tunc illud principium esset solum distinctiuum à Patre, non à Spiritu sancto. Hoc tertium dictum non obscurè significat S.Thomas de Potentia q.10. art.5. ante medium corp. ita optimè discurrens. *Cum in Patre sint duæ relationes, scilicet paternitas, & actiua spiratio, sola paternitas constituit personam Patris; vnde dicitur proprietas, siue relatio personalis. Spiratio verò actiua, est relatio personæ, nō personalis; quasi personæ iam constitutæ superueniens. Ex quo patet, quòd generatio actiua, siue paternitas, secundum ordinem intelligendi præsupponatur ad spirationem. Oportet ergo, quòd similiter filiatio, quæ paternitati per oppositionem respondet, secundum aliquem ordinem præsupponatur ad spirationem passiuam, quæ est processio Spiritus sancti. Aut ergo ita quòd spiratio passiua intelligatur superuenire filiationi in eadem persona, sicut spiratio actiua paternitati, & sic erit eadem persona spirati & nati, sicut generantis & spirantis, aut oportet, quòd aliquem alium ordinem habeat filiatio ad spirationem passiuam. Non est autem ordo in diuinis, nisi naturæ, secundum quod aliquis est ab aliquo, vt dicit Augustinus. Vnde relinquitur quòd vel sit vna persona Filij & Spiritus sancti spirati; vel quòd Spiritus sanctus*

sanctus sit à Filio. Clarissime ponit, ita constitui personam Filij per solam filiationem, sicut constituitur persona Patris per paternitatem ante vllam spirationem: & ex suppositione Filij non spirantis, docet ita superuenturam spirationem passiuam perfectæ personæ Filij, sicut de facto spiratio actiua intelligitur superuenire perfectæ personæ Patris.

47. *Soluitur quartum argumentum contra secundam viam.*

Quare ad quartam rationem contra secundam viam, quæ sola superest soluenda, & militat etiam etiam contra primam viam, dico quòd dato vno impossibili de solo Patre spirante, sequeretur necessario aliud impossibile, scilicet quòd tunc Pater spiraret aliter quam nunc spirat. Neque enim spiraret personalitatem Spiritus sancti oppositam personalitati Filij; neque simpliciter spiraret personalitatem, quæ sit Spiritus sancti, & non Filij; tunc enim istæ duæ personalitates, & consequenter duæ personæ, non possent non distingui realiter, cum de essentiali ratione personæ sit esse realiter incommunicabile, ac proinde realiter distinctum à quacumque alia persona. Implicat igitur sibi fingere personas duas, non realiter, sed sola ratione duas. Ergo data illa hypothesi, persona illa vna procedens à solo Patre, ne per rationem quidem haberet duas personalitates, alteram Filij, alteram Spiritus sancti; sed vnam tantum Filij & Verbi productam per intellectionem, vt est formaliter intellectio, in illo primo signo rationis in quo prius concipitur Pater intelligere & producere Verbum, seu generare, quam velle & producere amorem, seu spirare. Præterea ex hoc secundo impossibili sequeretur necessario aliud tertium impossibile, nempe, quòd si tunc solus Pater in secundo signo spiraret & verè produceret per voluntatem, non posset spirare & producere nisi eamdem personam in primo signo productam & generatam per intellectum: quæ quidem vna persona vt conciperetur producta per intellectum, esset genita, & Filius, & Verbum; vt vero conciperetur producta per voluntatem, esset procedens, & Spiritus sanctus, & Amor. Quæ omnia fateor esse manifestè impossibilia & implicantia, tamen per necessariam consequentiam deducta ex hypothesi impossibili de solo Patre spirante, & vere ac realiter producente per voluntatem: vnde necessariò sequitur, Patrem solum non posse producere duas personas inter se distinctas, quarum vna non procedat ab alia. Ergo in forma ad rationem quartam, concedo maiorem & minorem, hoc est, Prius nos concipere, à Patre generari Verbum per intellectum, quam spirari amorem per voluntatem; & in illo priori generari adæquatam Filij personam. Cum vero ex his infertur, ergo in secundo signo non potest intelligi alia sequens productio per voluntatem terminata ad eamdem personam Filij; dico, id quidem esse concedendum, absolutè loquendo; tamen necessario sequi ex prædicta suppositione impossibili de solo Patre realiter spirante, quia cum nequeat intra se Pater realiter spirare, nisi personam à se realiter distinctam, & hæc non possit esse alia persona realiter distincta à persona Filij, necesse est vt sit spirata eadem ipsa persona Filij, quæ est genita: vt acutè concessit Bagnes hic dub. 3. circa finem, §. *Secundo notandum.* & clarius sequutus est Zumel hic disput. 2. ad 5. Verum hoc est ita impossibile, sicut est impossibile id ex quo sequitur, nempe, Patrem solum spirare. Tunc vero non sunt concipiendæ in Patre duæ relationes, Patris, & spiratoris, sicut nunc sunt: quia nunc istæ relationes sunt verè ac realiter duæ, non in se ipsis, sed per ordinem ad duas realiter oppositas ac distinctas personas, ad quas Patrem referunt: sed tunc essent tantum duæ per rationem, etiam in ordine ad terminum, quia tunc semper referrent ad eamdem personam; eadem enim relatio terminata ad personam vt productam per intellectum, esset paternitas; terminata vero ad eamdem personam vt productam per voluntatem, esset relatio spirandi. Ita à contrario proportionaliter in termino producto, eadem relatio terminata ad personam vt producentem per intellectum, esset filiatio; terminata vero ad eamdem personam vt producentem per voluntatem, esset relatio passiuæ spirationis.

Bagnes. Zumel.

Satisfit reliquis obiectionibus.

48. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Modi passiuæ productionis per intellectum, & per voluntatem, sunt ex se diuersi & incõpossibiles: alter enim est cõceptio, & generatio, per se referens similitudinem cum suo principio; alter vero est inclinatio & propensio ad bonum, non ad simile per se & formaliter. Quod significant multi Patres distinguentes duas diuinarum personarum processiones per hos modos passiuæ productionis: vt Athanasius Dialogo 1. de Sancta Trinitate inter medium & finem, hanc differentiam tantum esse docet inter Filium & Spiritum sanctum, *quòd vnus quidem ex vtero sit, alter ex ore.* Et Nazianzenus oratione in sancta lumina circa medium dicens, *Spiritus sanctus verè Spiritus est, procedens quidem ex Patre, non tamen filiationis modo, vt nec generationis, verum processionis.* Et Augustinus l. 5. de Trinitate cap. 14. circa principium, docens, Spiritum sanctum non esse Filium, *Exijt enim non quomodo natus, sed quomodo datus.* Et Damascenus l. 1. Fidei cap. 9. paulò post medium, *Spiritus sanctus Patris substantia, non genitus, sed procedens.* Et cap. 10. ante medium, *Spiritus sanctus & ipse à Patre quidem non nascibiliter, sed processibiliter est.* Et cap. 11. non longè à fine, *Spiritus sanctus prodiens quidem ex Patre, non filialiter, sed processibiliter.* Sed dato Filio non spirante, adhuc darentur ex Patre solo isti duo modi passiuæ productionis, ex se diuersi & incompossibiles. Ergo diuersi etiam termini per eos producti, & distinctæ realiter personæ.

Athanasius. Nazianzen. Augustinus. Damascenus.

49. *Respondetur explicando quo modo diuersa sint, productiones intellectus & voluntatis.*

Respondeo, concedendo totum, absolutè loquendo; qua ratione loquuntur Patres, & nos etiam loquuti sumus supra quæst 27. art. 3. num. 2. & art. 4. num. 3. cum S. Thoma. Verum ex suppositione impossibili de Filio non spirante, sed solo Patre generante per intellectum, & spirante per voluntatem, quo modo nunc loquimur, nego istos eosdem productionis passiuæ modos futuros diuersos, & incompossibiles. Quod necessario concedendum est, non tamquam in se simpliciter verum; sed tamquam vnum impossibile verè per necessariam consequentiam ex alio impossibili deductum, vt rectè obseruauit Zumel hic disput. 2. ad 5. Sicut, Deum agere quantum simpliciter potest, est in se falsum, sed est verè ac necessario deductum ex suppositione quòd non esset liber, sed ageret ex necessitate naturæ. Aliter respondet Torres hìcin 2. p. Cõment. ad 2. sumendo, *quòd supponere Spiritum sanctum non procedere à Filio, est supponere quòd non procedat per modum amoris, neque per actum voluntatis*: quia, inquit, *amor & actus voluntatis procedunt à notitia; siquidem nihil est volitum, quin prius sit cognitum.* Sed explicatio suppositionis facta à Torres, non tam est solutio obiectionis, quam totius quæstionis destructio, in qua supponitur solus Pater spirare per voluntatem non spirante Filio. Præterea falsò vniuersaliter assumit, etiam in rebus creatis, notitiam non solum præsupponi ad amorem, sed etiam

Zumel.

Alia Torres responsio non probatur.

etiam ad illius productionem concurrere: vt contra ipsum benè notauit Rada controuersia 15. art. 2. ratione quarta.

49. *Quinta obiectio.*

Obiicies quinto. Amor productus à voluntate creata, non procedit à verbo creato, & tamen ille ab hoc re ipsa distinguitur. Ergo amor increatus habebit pariter distinctionem in re ab increato Verbo, etiam si ab hoc non procedat.

Respondetur amorem in Deo non posse non procedi à Verbo: secus in creatura.

Respondeo, Antecedens à multis negari, inter quos apertè videtur S. Thomas hic circa medium Corporis de omni amore ac verbo ita vniuersalissime docens, ac probans, *Necesse est quòd amor à verbo procedat: non enim aliquid amamus, nisi secundum quòd conceptionem mentis apprehendimus.* Idémque clarius explicat aliis in locis, verba affero supra q. 27. art. 3. num. 2. quibus significat se non loqui de processione omnis amoris, etiam creati, à verbo per veram & immediatam efficiétiam, sed per necessariam præsuppositionem, in quantum nullus amor à voluntate produci potest, nisi prius sit bonum amatum præconceptum verbo prius producto per intellectum. Quod quidem probat, amorem, qui producitur à voluntate, produci etiam à Verbo in Deo, non in creatura: quia Verbum diuinum, cum ob sui perfectionem sit ipsa persona Filij Dei habentis totam in se Patris naturam, ac proinde ipsam etiam voluntatem fœcundã, non potest intelligi non producere amorem simul cum Patre producente amorem post productum Verbum posterioritate originis. Verbum vero creatum, cum sit imperfectum, & accidens realiter distinctum à voluntate, non habet rationem illam necessariò producendi amorem, quam habet Dei Verbum, quoniam intra naturam verbi creati non est voluntas fœcunda, sicut est intra naturam increati Verbi personalis. Esto autem concedamus, In creaturis amorem non procedere à verbo, & à verbo distingui, negandum tamen est, eodem modo in Deo posse distingui à verbo amorem, qui à verbo non procedat: quoniam in creaturis amor & verbum sunt quædam qualitates absolutæ ac limitatæ, & consequenter se ipsis distinctæ, etiam si vna non procedat ab alia; sicut distinguuntur frigus & calor. At in Deo verbum & amor sunt perfectiones omnino illimitatæ, & ideo si non opponantur per originem vnius ab alio, non potest alterum non identificari.

50. *Sexta obiectio.* Valentia.

Obiicies sexto, si Spiritus sanctus procederet à solo Filio, & non à Patre, adhuc distingueretur à Patre, vt omnes authores nostræ sententiæ, vno excepto Valentia q. sua 10. de Trinit. puncto 3. ad 3. rectè concedunt, alioqui Spiritus sanctus esset Pater, & consequenter non procederet à Filio, contra id quod supponitur. Ergo proportionaliter à contrario, si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, adhuc distingueretur à Filio.

Respondetur si Spiritus sanctus procederet à solo Filio, distingueretur à Patre nõ contra.

Respondeo, negando consequentiam; & disparitatem esse, quia in secundo casu, Spiritus sanctus nullo modo, neque immediatè seu proximè, neque mediatè seu remotè procederet à Filio, cum à Filio non procedat Pater. Ergo tunc dici non posset Spiritus sanctus procedere à Filio non immediate, sed mediante Patre procedente à Filio. Ergo tunc Spiritus sanctus nullo modo esset oppositus Filio, nec consequenter ab illo distinctus. At in primo casu, Spiritus sanctus procederet à Patre, non immediate, sed mediatè; quoniam Filius, à quo tantum immediate procederet Spiritus sanctus, haberet à Patre originem, & vim productiuam Spiritus sancti. Et ideo Spiritus sanctus & Pater opponerentur aliqua oppositione, non proxima, sed remota, vt primum principium & vltimus terminus diuinæ productionis ad intra. Quemadmodum enim implicat, producés identificari cum suo immediato producto, ita etiam identificari cum tertio producto à suo immediato producto. Nam quod est principium principij, est etiam principium principiati ab illo principio; vt patet de Auo respectu Nepotis.

51. *Septima obiectio.*

Obiicies septimo ex eo quòd supponatur Spiritus sanctus non procedere actu à Filio, non tollitur, quin possit procedere: aliud enim est actu agere, aliud posse actu agere. Sed Spiritus sanctus vt non actu procedens, sed tantum vt potens procedere à Filio, non potest esse idem cum Filio; alioquin idem posset à se ipso procedere, quod implicat. Ergo si Spiritus sanctus à Filio non procederet, adhuc posset dici distinctus realiter à Filio.

Respondetur si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec consequenter posset procedere.

Respondeo, negando Antecedens. Omnes enim cum Philosopho 3. Phys. tract. 32. pronunciamus, *Posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis*: præsertim in diuinis processionibus, vt idem actus intelligendi, vel volendi, vt intelligitur quasi informatus, seu modificatus hac vel illa relatione, tam est potentia notionalis, quam notionalis actus, vt in proprio loco inferius ostendam. Quare ipsimet aduersarij in illa hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, intelligunt etiam si non posset procedere. Et Græci negantes, Spiritum à Filio procedere, negant pariter posse procedere. Alioqui si de facto, vel per impossibile separaretur tantum actualis processio, remanente potentia procedendi, procul dubio, vt in obiectione demonstratum est, adhuc Spiritus sanctus distingueretur à Filio, per oppositionem & relationem originis, non actualis, sed aptitudinalis.

52. *Obijcitur vltimo Anselmus.*

Obiicies vltimo Anselmum Epistola de Processione Spiritus sancti c. 2. paulò ante medium, dicentem, *Alio modo intelligitur Filius esse de Patre, & aliter Spiritus sanctus. Filius enim est de Patre suo, id est, de Deo qui est Pater eius. Spiritus sanctus verò non est de Deo, Patre suo, sed tantum de Deo qui est Pater.* Et post nonnulla ita concludit, *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem, sed alij sint ab inuicem; quia prædictis duobus modis est Deus de Deo; quod totum potest dici relatio. Nam quomodo Filius existit de Deo, nascendo; & Spiritus sanctus, procedendo: ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis, referuntur ad inuicem vt diuersi, & alij ab inuicem.* Quibus verbis Anselmus nullam aliam diuersitatis & distinctionis causam agnoscit inter Filium & Spiritum sanctum, nisi in modo originis, in quantum Filius procedit à Patre, nascendo per generationem; Spiritus vero sanctus ab eodem Patre procedit, non nascendo, sed simpliciter procedendo per spirationem. Præterea in cap. 4. multò post medium, *Pluralitas*, inquit, *ex natiuitate nascitur, & processione.* Nam & si per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diuersi. Ergo per Anselmum si tolleretur origo Spiritus sancti à Filio, per hoc solum essent diuersi Filius & Spiritus sanctus, quòd Filius esset ab alio per natiuitatem, Spiritus sanctus per processionem: quæ differentia in modo procedendi remaneret, etiam si Filius & Spiritus sanctus à solo Patre procederent.

Respondetur eum Thomæ exponẽdo Anselmum dupliciter.

Respondeo 1. cum S. Thoma de Potentia q. 10. art. 5. ad 2. in secunda parte responsionis, quòd *est intentio Anselmi in l. de Processione Spiritus sancti, prius ponere ea, in quibus nos conuenimus cum negantibus, Spiritum sanctum à Filio esse; qui tamen Spiritum sanctum à Filio dicunt distingui. Vnde verba prædicta Anselmi inducta sunt magis vt disputatiua suppositio, quam veritatis diffinitio.* Vere enim Anselmus ibi, vt maxime patet ex principio primi & secundi capitis, nihil aliud facit, nisi ponere & declarare nonnulla quæ Græci ipsi concedebant, vt ex his deinde demonstret, Spiritum sanctum à Filio etiam procedere, quod Græci

negabant. Quod apertissime constat ex illis verbis capitis 2. fine. *Filius autem (vt interim aliam causam dicam, quoniam non dum constat, quòd Spiritus sanctus de illo sit, & procedat) ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre; Spiritus sanctus vero non nascendo, sed procedendo.* & deinde adhuc clarius in c. 3. post medium, *Cum apparebit, quia Spiritus sanctus est de Filio; tunc quoque palam erit quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus Filius.* Cum igitur scribit Anselmus, solam causam diuersitatis inter Filium & Spiritum sanctum esse quia ille nascendo, hic procedendo oritur, id non asserit tamquam à se dictum, sed sumit ac ponit tamquam concessum à Græcis.

Respondeo secundo cum eodem S. Thoma ibidem in prima parte responsionis, *quòd id quod dicit Anselmus, quod Filius & Spiritus sanctus per hoc solum ab inuicem distinguuntur, quòd diuerso modo procedunt, est omnino verum:* quia, inquit, *diuerso modo procedere non possent, nisi Spiritus sanctus à Filio esset. Vnde remoto quòd Spiritus sanctus non sit à Filio omnino distinctio Spiritus sancti remouetur à Filio.* & postea ad 3. ita addit, *Benè sequitur, si sunt duo modi originis in diuinis quòd sint duæ personæ procedentes. Sed duo modi originis esse non possunt, nisi per hoc quod Spiritus sanctus procedit à Filio.* Accipit igitur Anselmus illud à Græcis concessum de distinctione Filij & Spiritus sancti ex sola diuersitate modi procedendi, non quòd neget distingui per processionem Spiritus sancti à Filio; sed vt hanc processionem in illa diuersitate necessario inclusam esse ostendat. Quod acutè etiam notauit S. Thomas in hoc art. ad 7. vbi eadem Anselmi verba sibi obiecerat; & respondet, *quòd Spiritus sanctus distinguitur personaliter à Filio in hoc, quòd origo vnius distinguitur ab origine alterius: sed ipsa differentia originis est propter hoc, quod Filius est solum à Patre, Spiritus sanctus vero à Patre & Filio: non enim aliter processiones distinguerentur, sicut supra ostensum est*, nempe quæst. 27. art. 3. præsertim ad 3. & nos ibidem num. 2. & art. 5. num. 3. declarauimus.

Confirmatur expositio ex illo Anselmi axomate, omnia sunt vnum, vbi nõ obuiat relationis oppositio.

Hanc vero esse mentem Anselmi manifestum est, quia in eadem epistola, vt ex communissima Theologorum sententia ostendi supra q. 28. art. 4. n. 12. ponit celebre illud Theologicum axioma, *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Vnde duo euidenter sequuntur; alterum absolutè, nimirum distinctionem originum Filij & Spiritus sancti esse non posse absque relationis oppositione, quæ, vt ipsemet Anselmus ibi scribit, *ex eo nascitur, quia Deus de Deo est.* Ergo si Spiritus sanctus non est Deus de Deo Filio, sicut nec Filius est Deus de Deo Spiritu sancto, non obuiabit inter illos relationis oppositio. Ergo erunt vnum, non duo. Alterum ex suppositione, quòd si non est vna origo Filij, & Spiritus sancti, vt fatebantur Græci, Spiritus sanctus necessario procedit etiam à Filio. Et à contrario, quòd si Spiritus sanctus non procederet à Filio, eorum origenes, quæ simpliciter loquendo sunt distinctæ & incompossibiles, non possent non esse vnum quid in re prorsus indistinctum. Non erat igitur cur aliqui etiam nostræ conclusionis authores, vt Suarez libro 10. de Trinitate cap. 2. num. 7. Vasquez disp. 147. cap. 4. post med. & cap. 7. initio scriberent, Anselmum nihil nobis fauere, sed potius contrariæ sententiæ: & cur Zumel hic disp. 2. ad 2. dubitaret dicens, *Anselmus fortè fuit illius sententiæ:* cum pro communi, & vera sententia expresè loquatur, præsertim in citat. cap. 3.

Suarez. Vasquez. Zumel.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd Spiritus sanctus non procedat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio simpliciter affirmatiua probatur authoritate Patrum, n. 1. ad 4.*
2. *Quid significet Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, n. 4. ad 7.*
3. *An Spiritus sanctus ita procedat à Filio sicut à Patre, n. 7. ad finem Articuli.*

1. *Conclusio simpliciter affirmatiua probatur authoritate Patrum Græcorum.*

PRIMA conclusio simpliciter affirmatiua maximè nititur authoritate multorum Patrum, præsertim Græcorum, ita loquentium. Origenes hom. 2. in Diuersos, multò ante medium, *Nihil ei*, nempe Verbo, *coæternum, vel consubstantiale intelligitur, vel coessentiale præter suum Patrem, & suum Spiritum, à Patre per ipsum procedentem.* Athanasius in Refutatione contra hypocrisim Meletij, fine. *Impossibile Trinitatis gloria Spiritum conglorificari, nisi ex Deo per Filium progrediendi modo, non autem fiendi ratione, naturam habeat.* Gregorius Thaumaturgus in breui Fidei confessione, quam in eius vita refert, & ipsum à Ioanne Euangelista, qui simul cum Beatissima Virgine illi apparuit, didicisse testatur Gregorius Nyssenus, ait, *Vnus Spiritus sanctus, ex Deo ortum & existentiam habens, quique per Filium apparuit, videlicet hominibus.* Quæ vltima verba, vt interpretatur Bessarion in oratione dogmatica c. 6. circa med. de qua supra art. 2. n. 3. non solum significant, *quòd per Filium sit hominibus notificatus temporaliter;* sed etiam, *quòd per Filium æternaliter producatur:* quoniam, vt statim optime ratiocinatur, *per Filium temporaliter manifestari, præsupponit necessario per Filium, æternaliter procedere.* Eodem modo idem Bessarion paulo post initium capitis citati exponit verba illa Basilij l. 5. contra Eunomium §. 12. initio, *Spiritus sanctus est ex Deo per Filium.* & multò post medium, *Apostolus Spiritum per Filium effulsisse clarum fecit, cum Filij Spiritum, sicut Dei, ipsum nominauit.* Vnde ita concludit Bessarion, *Idem igitur Occidentales Doctores significant, cum dicunt, ex Filio Spiritum procedere, quod S. Basilius cum dicit, per Filium, eum manifestari.* Item exponit alia verba Gregorij Nysseni, quæ refert ex illius l. 1. contra Eunomium, quibus dicitur Spiritus sanctus à Filio distinctus, *quòd per ipsum Filium sit manifestatus.* Quo loquendi modo processionem Spiritus sancti à Filio significari, tam à Nysseno, quam ab aliis sanctis, fusè ac doctè ostendit Bessarion. Præterea idem Basilius l. de Spiritu sancto c. 18. non longè à fine ait, *Natiua bonitas, ac naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per Vnigenitum ad Spiritum sanctum permanat.* Epiphanius hæresi 73. aliquantò ante medium, *Spiritus sanctus ex Patre per Filium datur.* & paulo post, *Confitentur Orientales Spiritum sanctum ex Patre per Filium.* Et hæresi 76. confutans 34. caput Aërij, ante medium, *Decet adorationem tribuere Patri ingenito, & Filio qui est ex ipso, & Spiritui sancto qui est ab ipso, & per vnigenitum,* Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus epistola ad summos Sacerdotes, initio professionis Fidei, *Credo in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium processit.* S. Maximus apud Bessarionem supra, *Spiritus sanctus, quemadmodum natura secundum*

secundum essentiam, Dei & Patris est; ita & Filij secundum essentiam est, tamquam ex Patre essentialiter per Filium ineffabiliter natum procedens. Cyrillus lib. 13. Thesauri cap. 1. aliquanto post medium, *Spiritus sanctus verus Deus, à Patre per Filium procedens.* Et c. 2. circa finem, *Spiritus sanctus à Patre per Filium mittitur.* Et c. 3. multò post principium, *Spiritus sanctus ex Patre per Filium prodit.* Et lib. 12. in Ioannem c. 56. paulò post principium, *Cum ei*, hoc est, Filio, *consubstantialis sit Spiritus sanctus, ex Patre per ipsum procedit.*

2. *Et Patrum Latinorum.*

Ex Latinis quoque Patribus similiter loquuntur Clemens Romanus lib. 6. Constitut. Apostolic. c. 11. paulò post principium, *Nunciamus vnum Deum, vnius Filij Patrem, vnius Paracleti per Christum*, supplendum ex superioribus est, principium, siue authorem. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 4. non longè à principio, *Spiritum non aliunde puto, quam à Patre per Filium.* Hilarius lib. 12. de Trinit. columna penultima, *Huius ergo nominis*, hoc est, creaturæ, *ne in sancto quidem Spiritu tuo patiar, ex te*, hoc est, Patre, *profecto*; *& per eum*, hoc est, Filium, *missio.* Et post nonnulla in eodem sensu subdit, *Ex te per eum sanctus Spiritus tuus est.* Et in fine eumdem Patrem alloquens vocat, *Sanctum Spiritum tuum qui ex te per Vnigenitum tuum est.* Quibus Hilarij verbis hanc conclusionem probat hîc S. Thomas in argumento, *Sed contra.* Demum Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti c. 10. circa medium, concedit Græcis, dici posse, *Spiritum sanctum de Patre per Filium procedere; sicut dicimus, A Patre omnia per Verbum facta. Sicut enim cum Pater facit per Verbum suum, non facit per aliud, quam per hoc quod ipse est, hoc est, per essentialem potestatem, quæ est eadem Verbi, & non dicitur tamen facere nisi per Verbum: cur non similiter dicimus, Spiritum sanctum à Patre procedere per Verbum, cum non procedat de Patre, nisi de hoc, & per hoc, quod idem est illi cum Filio?* Et ideo ita concludit, *Dicamus igitur, quia Spiritus sanctus cum procedit à Patre per Filium, procedit & à Filio similiter; sicut quæ facta sunt à Patre per Verbum, facta sunt similiter ab ipso Verbo:* iuxta illud Ioannis 5. quod idem Anselmus citat, *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Notat autem Anselmus, Græcos hæreticos in alio sensu, longè diuerso ab eo quo Græci Patres loquuti sunt, asserere, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium. Cum hoc enim nolebãt concedere, Spiritum sanctum procedere de Filio, sed concedebant tantum, Spiritum sanctum esse de Filio: idque explicabant exemplo fontis fluentis in riuum, qui riuus colligatur in lacum. Sicut enim videmus, inquiunt, *riuũ de fonte procedere, quasi de originali principio; lacus autem non procedit, sed colligitur de riuo, quamuis habeat esse de illo. Ita igitur etsi Spiritus sanctus habeat esse de Filio, non tamen procedere propriè dicitur de Filio, sed de Patre, quasi de principio.* Contra verò sapientissimè instat, & dissimilitudinem aperit Anselmus, ex eo quòd, *cum vnum sit, idemque Patri & Filio, id vnde procedit Spiritus sanctus, nec intelligi potest, nec dici debet, Spiritum sanctum procedere de Patre, & non de Filio.* At verò cum in fonte & riuo non sit eadem natura, nec eadem vis fundendi aquas cum riuus potius materialiter recipiat, quam effectiuè fundat aquas, sicut fundit fons, *ideo*, inquit Anselmus, *lacus est de fonte per riuum, non de riuo.* Et, vt ait Thomas 1. d. 12. q. vnica art. 2. ad 3. *non dicitur quòd lacus sit à riuo, sed quòd est à fonte.*

3. *Concilium Florentinum non esse contrarium.*

Hanc ob causam, nempe, quia Græci abutebantur isto modo loquendi, cum in Concilio Florentino sess. vltima §. *Quibus Latini.* contenderent præpositiones, *Per*, & *Ex*, diuersa significare, & ideo esse ponendum in Symbolo, Spiritum sanctum procedere per Filium, non ex Filio, *nolebant Latini*, vt ibi refer-

tur, *præpositionem, Per, suscipere, ne propter ambiguitatem vocabuli quisquam impius crederet, præpositionem Per, organum significare, instar scilicet aquæductus, cũ ipsi profiterentur, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque; vt ab vno solum principio; vnica operatione procederet.* Alioquin initio eiusdẽ §. eam præpositionem in alio bono sensu, quẽ citati Patres intenderũt, apertè suscipiunt, cum ita respondent Græcis, *Vt autẽ pateat, vnam eamdemq; subsistentiam ipsorum esse*, hoc est, Filij, & Spiritus sancti, *Sanctum Spiritum per Filium procedere, Latinos dicere.* Noluerunt igitur illius Concilij Patres Latini hunc loquẽdi modum, tam frequenter à Græcis, atque etiam Latinis Patribus vsurpatum, simpliciter repudiare; sed tantum magis declarare; & eo tẽpore, quo posterioribus Græcis erroris tegumentum prębebat, minus vsurpandum prudenter existimarunt. Quamobrem Eugenius IV. in ipsismet sanctæ Vnionis literis post medium de hac re expressam mentionem faciendam esse censuit, dicens, *Declarantes quòd id, quòd sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiã tendit, vt per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principiũ subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo, gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quòd Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.*

DVBITATIO I.

Quem sensum habeat conclusio huius articuli.

SVMMA.

1. *Spiritum sanctum procedere per Filium, non excludere procedere ex Filio, num. 4.*
2. *Cur dicant Patres Spiritum sanctum procedere per Filium, n. 5.*
3. *An dici possit Spiritus sanctus procedere à Filio per Patrem, n. 6.*

4. *Procedere per Filium non excludit procedere ex Filio.*

VNica conclusio. Cum dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre per Filium, nõ negatur, procedere etiam à Filio, eodem procedendi modo quo procedit à Patre. Hoc certa fide credendum est ex prædicta Eugenij definitione ita statuente, *Filium quoque esse causam & principium Spiritus sancti, sicut & Patrem:* &, quòd paulò ante verba citata habetur, *Quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio, tamquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit.* In duabus vero personis spirantibus, vbi non est nisi eadem vnica spiratio, & idem vnum spirandi principium, fingi non potest aliqua diuersitas pertinens ad modum ipsum spirandi, tametsi vt acutè distinguit Aureolus 1. d. 12. art. 2. §. *Sed fortè.* esse possit, & de facto sit aliqua diuersitas in alio modo habendi prædictum spirandi modum; hunc enim Filius habet ex Patre, vt definit Eugenius suprà, Pater verò habet ex se. Suaderi præter ea potest conclusio ex verbis Ioannis Theologi in Concilio Florentino sess. 24. fine, *Dictum à sanctis Patribus est, sanctum Spiritum per Filium natura procedere. Vnde sequitur, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere: quandoquidem, Per, præpositio, vt ex, præpositio, hac in re significare videtur; vt Leonis, Gregorij Papæ, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, ac aliorum multorum Doctorum, authoritatibus clarissimè patet.* Vnde apud ipsos eosdem Patres, qui dixerunt, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, passim legimus, Spiritum sanctum procedere ex Filio, vel de Filio, vel à Filio. Ergo per illud primũ noluerunt negare hoc secundũ.

Aureolus. Florentinũ.

Quod in eodem Concilio, sequenti sess. 25. & vltima post medium fusius ostendit Georgius Scholarius, vt ibi dicitur, *vir doctissimus*, in quadam oratione habita in conuentu Græcorum, post medium illius orationis dicens, *Credo, & profiteor sanctos Doctores tam Orientales, quam Occidentales, quorum alij literis mandarunt, sanctum Spiritum ex Patre Filioque; alij, ex Deo per Filium procedere, ad hanc vnam veritatem adspexisse, sanctum ipsum Spiritum à Patre Filioque accipere esse, ac ex Patre Filioque procedere, vt ab vnico principio.* Et multò copiosius Bessarion in citata oratione dogmatica c. 6. toto.

5. *Cur dicant Patres, Spiritum sanctum procedere per Filium.*

Cur autem Patres sæpè scribant, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, duplicem inuenio causam; alteram communiorem & clariorem, non obscurè indicatam verbis Eugenij modo relatis, & Anselmi supra n. 2. & apertè traditam hic in fine corporis, vt scilicet significarent, Spiritum sanctum ita procedere à Filio, vt hoc ipsum Filius habeat à Patre, Pater verò non ab aliquo alio habeat, sed ex se: quemadmodum, vt vtar exemplo Anselmi supra n. 2. dicitur Pater omnia creasse per Filium, quia creauit per illam eamdem potentiam & sapiẽtiam, quam Filio communicauit, & per quam ipsemet Filius omnia creauit, sicut & Pater. Quo modo etiam in rebus creatis, tametsi multò minus simile sit, dicimus, sententiam, vel legem ferri à Rege per Iudicem, vel alium eius ministrum; hoc est, per iurisdictionem, & authoritatem à Rege acceptam. Alteram minus claram, sed indicatam verbis Cyrilli supra n. 2. fine, & perspicuè assignatam à Latinis Patribus Concilij Florentini supra n. 3. vt significarẽt, Spiritum sanctum ita procedere à Filio, vt sit Filio consubstantialis, sicut Filius consubstantialis est Deo Patri. Quem sensum apud Anselmum supra n. 2. admittunt etiam Græci hæretici, & non ineptè explicant exemplo lacus collecti ex fonte per riuũ; vbi eadem aquæ substantia, quæ est in lacu, est etiam in riuo, in quo prius recepta, per illum deinde transit in lacum, à solo fonte scaturiens. Sed in hoc vltimo errarunt, quoniam consubstantialitas Filij & Spiritus sancti, quam Patres indicare potuerunt, non tollit, quin Spiritus sanctus procedat etiam à Filio: sicut eadem consubstantialitas inter Patrem & Filium, non tollit quin Filius procedat à Patre.

6. *An dici possit Spiritus sanctus procedere à Filio per Patrem.*

S. Thomas.

An verò sicut propter spirandi virtutem, à Patre datam Filio, dicitur Pater spirare per Filium; ita pariter à contrario, propter eamdem virtutem, in quãtum eam Filius habet passiuè acceptam à Patre, dici possit Filius spirare per Patrem; negat S. Thomas hic ad 4. quia ad hanc conuersionem non solum requiritur ordo suppositorum, qui est inter Patrem & Filium, sed etiam ordo virtutum, qui in casu nostro non est inter Patrem & Filium, cum eadem omnino spirandi virtus, quæ est in Patre ex se, sit etiam in Filio à Patre. Dicitur autem, inquit, *Rex operatur per Balliuum*, & è conuerso, *Balliuus operatur per Regem*; quia hîc est ordo & suppositorum, & virtutum, cum alia operandi vis sit in Rege, alia in Balliuo. Quam doctrinam recipit Durandus 1. d. 12. q. 3. n. 7. quem sequuntur Torres hîc in Commentario ante med. & alij recentiores; explicantes cum Durando, non posse dici Filius spirare per Patrem, *tamquam per modum*; quia Pater non est medius inter Filium & Spiritum sanctum, sicut Filius est medius inter Patrem & Spiritum sanctum: sed, inquit Durando, *sanè intelligendo, posset dici Filius spirare per Patrem, quia virtutem & authoritatem spirandi habet à Patre:* sicut Genes. 4. dicit Eua, *Possedi hominem per Deum.* Et Prouerbiorum 8. *Per me Reges regnant*, dicit diuina Sapientia. Et magis ad rem à Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 4. §. 3. Filius Dei dicitur, *Omnium per Patrem opifex.* Qui quidem sensus apparet ex se probabilis, & placet Molina hîc, tamen est minus proprius, & vix aliquando vsurpatus; & ideo cum S. Thoma simpliciter non admittendus.

Durandus. Torres.

Cyrillus Hierosolym.

DVBITATIO II.

An Spiritus sanctus procedat principalius, proprius, prius, & immediatius à Patre.

SVMMA.

1. *Spiritus sanctum procedere à Patre principaliter & propriè, non principalius, & proprius, num. 7. ad 10.*
2. *Patrem nullo modo spirare prius quam Filium, n. 10. & 11.*
3. *An Pater & Filius spirent æquè immediatè, n. 12.*
4. *Dicendum simpliciter, Patrem & Filium spirare eodem modo, n. 13. ad finem art.*

7. *Procedere principaliter & propriè, non principalius & proprius.* S. Thomas.

PRima conclusio. Quamuis in aliquo bono sensu liceat dicere, Spiritum sanctum procedere principaliter & propriè à Patre: tamen non videtur dicendum, Procedere principalius, & proprius à Patre. Prima pars plures, & graues habet authores. Supponitur, & simul probatur à S. Thoma hic ad 2. cum enim prius docuisset, *Spiritum sanctum, non magis procedere à Patre, quam à Filio, sed æqualiter procedere ab vtroque*; ita subiunxit, *licet aliquando dicatur, Principaliter, vel propriè procedere à Patre; propter hoc, quòd Filius habet hanc virtutem à Patre.* Hoc expressè docuerat eius præceptor Albertus p. 1. summæ q. 31. membro 3. circa finem. *Quia hoc ipsum, quòd Spiritus sanctus procedit à Filio, habet Filius a Patre, & sic originaliter authoritas processionis in Patre est, & à Patre*; quamobrem solus Pater dicitur principium totius Deitatis, vt suprà q. 33. art. 1. dub. 3. *propter hoc dicit Augustinus, quod principaliter procedit à Patre, & Hieronymus, quòd propriè.* Addit autem prudentissimè, nõ propterea posse dici, *quòd à Filio procedat secundariò, vel impropriè*; quia hoc secundũ indicaret aliquã essentiæ differentiam, quæ nulla est inter Patrem & Filium; primum vero indicat solum differentiam in originis authoritate, quæ non est eadem in Patre & Filio. Sequũtur Henricus in summa art. 54. q. 7. ad 2. & art. 60. q. 9. ad 1. Vdalricus, quem refert & sequitur Carthusianus 1. d. 12. q. 1. col. 2. Riccardus 1. d. 12. q. 2. fine. Aureolus art. 2. §. *Secundò verò.* Marsilius q. 15. art. 2. fine tribuens Augustino, & Magistro; Gabriel q. 3. art. 3. fine. Torres hic post med. Commentarij, & alij recentiores interpretes: qui omnes maximè mouentur, vt patet ex verbis Alberti supra, ex Authoritate Augustini l. 15. de Trin. c. 17. circa medium ita loquẽtis, & probantis loquutionem suam, *Non frustra in hac Trinitate non dicitur de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur; sed hoc quoque illi Pater dedit, nõ iam existenti, & nõ dum habenti, sed quidquid Vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit.* & Hieronymi in explanatione Fidei ad Cyrillum, aliquanto post medium dicentis, *Spiritum sanctum, verum Deum, inuenimus in Scriptura & de Patre propriè esse, & cum Patre & Filio semper.* Quæ verba minus vrgent, tum quia illius explanationis author non censetur Hieronymus, & sanè à Hieronymi stylo longissimè abest: tum quia author, quisquis ille sit, paulò post, idẽ scribit etiam de Filio, subiungens, *Spiritus sanctus propriè & verè de Patre, Filioque procedit.* Ergo quod antea dixerat de solo Patre, non censendus est negasse de Filio: tum quia esto de solo Patre, & non de Filio, dictum sit

Henricus. Vdalricus. Carthusian. Riccardus. Aureolus. Marsilius. Gabriel. Torres.

Albertus.

Augustinus

Hieronym.

sit illud, *propriè*, exponi facilè potest non de proprietate quoad modum spirandi, in quo Pater & Filius sunt prorsus æquales; sed de proprietate quoad modum habendi, in quo differunt cum spirare sit Patris proprium à nullo habitum; Filij verò sit proprium, sed habitum à Patre. Debet igitur hîc sumi, *propriè*, vt optimè distinguit Henricus in summa art. 54. q. 7. ad 2. fine, non vt distinguitur contra participatiuè; neque vt distinguitur contra commune; quia Filius habet spirare commune cum Patre, & idem omnino, non participatum; sed vt distinguitur contra ab alio esse: *quemadmodum*, inquit Hẽricus, *ille dicitur regnare propriè, qui ex se habet esse Rex, à nullo alio habendo quòd regnet; non autem ille, qui ab alio habet, & tenet Regnum suum. Sic solus Pater dicitur propriè spirare; quia à se ipso, non ab alio habet quòd spirat; non autem Filius, quia habet à Patre.* Demum in Concilio Florentino sess. 24. paulò post principium ait Ioannes Theologus, *Filius sanctum ipsum Spiritum à Patre præcipuè mittit.* Et post medium ita confirmat, *Duabus personis vnica potestas spirans, & mittens existit; à Patre tamen, vt dictum est, præcipuè creditur esse.* Dixerat autem ante medium, *Filius eumdem Spiritum sanctum mittere creditur; non tamen, vt Pater, præcipuè; quandoquidem Pater ipse, radix & fons Diuinitatis existit.*

Henricus.

Florentinũ.

8. Secunda verò pars negans esse dicendum, Principalius, & proprius, est expressè Hentici art. 60. cit. in quo sensu antea in art. 54. q. 7. ad 1. scripserat, *Quòd Pater & Filius non æquè primò spirant, sed ordine quodam, scilicet quo habent vim spiratiuam; Pater scilicet à se, Filius à Patre; sic enim conuenit Patri, primò spirare; & Filio, secundariò: & hoc, non ratione ipsius actus, sed ratione virtutis spiratiuæ, quam ordine quodam habent Pater & Filius, quia Filius à Patre.* Nam ratione actus spirandi, statim addit, *quòd Pater & Filius æquè primò absque omni ordine spirant, quia sunt vnum principium in origine spirationis.* Quamquam Albertus, Vdalricus, Carthusianus supra, & alij cautius nolunt concedere, Filium spirare secundariò, ne concedi videatur aliqua inæqualitas, vel inferioritas, vel posterioritas in spirando. Sequuntur Torres supra, in quantum non vult concedere, Spiritum sanctum à Filio procedere, *minus principaliter*: quod vtique negari non posset, si Spiritus sanctus à Patre procederet principalius, seu magis principaliter. Molina in fine huius articuli, loquens eodem modo, quo Torres; Suarez lib. 10. de Trinit. c. 3. n. 10. dicens, *Locutionem comparatiuam vitandam censeo.* Vazquez in Commentario articuli post medium dicens, *aduerbium comparatiuum suspicione non caret.* Et communiter alij recentiores. Quamquam veteres multi, & graues sint in contrarium, Bonauentura 1. d. 12. q. 2. fine dicens, *Filius principaliter producit Spiritum sanctum; sed Pater principalius; quia in eo est tantum authoritas, non subauthoritas:* hoc est, non authoritas ab alio accepta, sicut est in Filio. Riccardus q. 1. ad 2. Durandus q. 2. n. 3. 4. & 5. Marsilius q. 15. art. 2. conclusione 4. & art. 3. ad tertiam rationem contra quæsitum. Has duas opiniones refert Scotus 1. d. 12. q. 2. ad 1. alteram Bonauenturæ, alteram Henrici, quamuis eos non expressè nominet: sed etsi neutrum probet, tamen reiiciat, tamen primo loco refert opinionem contrariam Bonauenturæ, & secundo opinionem nostram Henrici, quam magis explicat; & propterea in eam magis inclinare videtur. Quare immeritò à quibusdam contra nos refertur Scotus.

Torres.

Molina. Suarez.

Vazquez.

Bonauent.

Riccardus. Durandus. Marsilius. Scotus.

9. *Cur non dicatur Pater spirare principalius.*

Congruentia contra hunc comparatiuum loquẽdi modum, quam fusiùs explicat Henricus, & breuius tangit Scotus, est quia omnis comparatio propriè fit in aliqua forma, seu termino communi pluribus, qui inuicem comparantur in illa forma magis participata ab vno, quã ab alio: sic enim dicitur v. g. vnus alio velocius currere, subtilius disputare, &c. At nihil ad spirandum pertinens, commune Patri & Filio, dici potest per aliquam comparationem esse magis in Patre, quam in Filio. Ergo non debet comparatiuè dici Pater spirare principalius quã Filius: vel Filius spirare minus principaliter quam Pater. Ex prima igitur conclusionis parte, quòd solus Pater spiret principaliter, non sequitur, Filium minus principaliter spirare, sed solum, quod concessit Henricus citato art. 6. q. 9. litera X. *non principaliter spirare.* Vtramque conclusionis partem docuit Anselmus; primam clarissimè, sed secundam etiam non obscurè, in epistola de Processione Spiritus sancti, c. 16. fine, ita concludens, *Si ergo dicitur, quòd Spiritus sanctus principaliter à Patre sit, non aliud significatur, quam quia ipse Filius, de quo est Spiritus sanctus, à Patre habet hoc ipsum, vt Spiritus sanctus sit de illo, quoniam id quod est, habet à Patre.* Atque hæc pro prima parte. Pro secunda ita immediatè subdit. *Non quemadmodum in rebus creatis, cum aliquid asserimus esse principaliter, volumus significare quòd magis sit hoc, quod dicitur esse principaliter, quam illud ad quod refertur.* Hoc verò *magis*, satis expressè significatur, cum comparatiuè dicitur, Pater principalius spirat, est principaliter spirator: Filius autem spirat minus principaliter, seu minus principalis spirator est. Sic enim videremur significare, quod omnes planè Theologi pro vtraque parte superius citati, meritò negant, Patrem spirare perfectius, plenius, inæqualius; & Spiritum sanctum, quod tamquam omnino absurdum vniuersaliter prohibet Anselmus citato cap. 16. paulò post principium, *magis, aut minus de vno esse, quam de altero.* Vnde c. 10. circa medium dixerat, *Spiritus sanctus cum procedit à Patre per Filium procedit à Filio similiter.* Quo verbo, *similiter*, idem docuit Cyrillus in quadam epistola à multis Conciliis approbata, vt refert Bellarminus lib. 2. de Christo c. 123. circa medium. Quod significauit Eugenius suprà n. 3. docens, Filium esse principium Spiritus sancti, *Sicut & Patrem.* Quo patet non parum in modo loquendi errasse Iauellum, quem refert & impugnat Nazarius hic dub. 1. circa med. ita scribentem, *Potest dici Spiritus sanctus spirari magis à Patre, quam à Filio.*

Henricus.

Anselmus.

Cyrillus.

Eugenius.

Iauellus.

10. *Pater nullo modo spirat prius quam Filius, ex Augustino,*

Isidoro, Anselmo.

Secunda conclusio. Nullo modo, ne origine quidem, prius spirat Pater, quam Filius. Ita omnes, absque vlla controuersia, docente Augustino lib. 15. de Trinit. c. 27. aliquanto post principium, *Spiritus sanctus non de Patre procedit in Filium, sed simul de vtroque procedit; quamuis hoc Pater Filio dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.* Quod etiam docuit Isidorus lib. 1. sententiarum c. 17. initio dicens, *Simul ab eis procedere.* Et clarius Anselmus epistola de Processione c. 16. paulo post principium, *Non est Spiritus sanctus prius de Patre, quam de Filio; nec de Filio, quam de Patre.* Et post nonnulla iterum, *Nec prius, nec post, est Spiritus sanctus de Patre, quam de Filio; aut de Filio, quam de Patre.* Ratio præcipua est, quia spirare neque distinguitur à Patre, neque à Filio. Ergo non potest concipi, vt prius origine in Patre, posterius origine in Filio. Consequentia patet ex eo, quòd prioritas, aut posterioritas originis, necessariò importat realem distinctionẽ inter prius & posterius. Sed in casu nostro, quod subtiliter aduertendum est, non fit præcisè cõparatio inter Patrẽ & Filiũ; qui sine dubio sunt origine prior & posterior; sed inter spirare Patris, & spirare Filij. Ergo si hæc verè non sunt nisi vnũ simplicissimũ spirare, nõ potest spirare Patris dici prius origine spirare Filij, nec contrà spirare Filij posterius origine spirare Patris: & consequenter spiratio passiua Spiritus sancti, dici non potest esse prius origine à Patre, quam à Filio. Qua eadem ratione nemo rectè dixerit, Pa-

rem habere Deitatem, sapientiam, omnipotentiam, aut aliquam aliam absolutam perfectionem prius origine, quam Filium: nec Patrem prius origine creare quam Filium, aut Patrem, & Filium, quam Spiritum sanctum.

11. *An virtus spiratiua sit prius origine in Patre.*

Vnde sequitur non esse necessariam limitationem quorumdam recentiorum dicentium, Patrem non spirare prius origine, tamen prius origine habere virtutem spiratiuam. Si enim vim faciunt, in eo quòd Filius acceperit à Patre solam spirandi potentiam, non autem ipsum spirandi actum, contradicunt Patribus docentibus, Filium habuisse à Patre actum spirandi: de quo apertè loquuntur Augustinus num. præcedente, Anselmus num. 9. Idem Augustinus num. 7. Eugenius num. 3. Item Albertus supra n. 7. & S. Thomas hic fine corporis dicens, *Filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus sanctus.* Etsi grauissimum Theologiæ axioma est, traditum à Sanctis, & ab ipso Eugenio in literis Vnionis vsurpatum, vt supra n. 3. Patrem omnia quæ sunt Patris dedisse Filio, præter esse Patrem, necessariò sequitur, non solum potentiam spiratiuam, sed etiã ipsum spirare accepisse Filium à Patre: quoniam nec habere vim spirandi, nec actu spirare, est esse Patrẽ, tamersi vtrumque sit Patris. Si vero contendunt, quòd quidquid accipitur à Patre, sit prius origine in Patre, sequitur contra ipsos, Patrem actu etiam spirare prius origine, quia hoc etiam Pater Filio dedit, vt probatum est: & præterea falsum assumunt, vt constat ex ratione conclusionis. Quamuis igitur, & vis spirandi, & ipse spirandi actus sit à Patre in Filium per generationem, & originem; id tamen non sufficit, vt propriè dicatur prius origine conuenire vni personæ, quàm alteri, vt conuincit argumentum de actu spirandi: nam, vt probatum est, nec origine quidem, prius spirat Pater, quàm Filius, quia quauis alioqui is, qui dat, sit prior origine illo qui accipit; nihilominus id, quod accipitur, si commune, & omnino identificatum sit danti, & accipienti, non dicitur proprie esse prius origine in vno, quàm in altero.

12. *An Pater & Filius spirent æquè immediatè, ex S. Thoma.*

Tertia conclusio, quæ habetur in responsione ad 1. *Si in Patre & Filio consideretur virtus qua spirant Spiritum sanctum, non cadit ibi aliquid medium; quia hæc virtus est vna & eadem:* & ideo sub ista ratione Pater & Filius æquè immediatè spirant, nec immediatius spirat vnus quam alius; & consequenter Spiritus sanctus æque immediatè procedit à Patre & Filio, nec immediatius procedit ab vno quam ab alio. In hac igitur Spiritus sancti processione, nulla est mediatio principij, nulla virtutis, nulla operationis; cum hæc omnia vnum & idem omnino sint in Patre & Filio. Quemadmodum eadem ratione omnes tres diuinæ personæ, æquè immediatè creant, tametsi creatiuam virtutem Pater habeat ex se, Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio. *Si verò considerentur ipsæ personæ spirantes, sic Spiritus sanctus immediatè à Patre procedit, in quantum est ab eo: & mediatè, in quantum est à Filio. Et sic dicitur procedere à Patre per Filium*: quia scilicet Filius spirat vt media quædam persona inter personam Patris, & personam Spiritus sancti. Quæ quidem mediatio, quia est secundum meram rationem suppositi, cum omnimoda immediatione principij formalis & actus, in quibus supposita nullam prorsus diuersitatem habent, non dici debet simpliciter & formaliter mediatio, sed tantum secundum quid, & veluti materialiter. Quamobrem simpliciter & formaliter loquendo dici debent Pater & Filius spirare æquè immediatè, & nullus immediatius alio: & ideo multò melius dicitur Spiritus sanctus procedere ex Patre & Filio, quo processionis immediatio significatur, quam ex Patre per Filium, quo significatur mediatio processionis. Atque hoc producere, & procedere ab eadem Patris persona immediatè simul & mediatè, à reliquis omnibus conceditur; tametsi in rebus creatis nullum habeat exemplum, vt notauit S. Thomas in fine responsionis ad 2. quoniam eadem omnino virtus & actio, propter identitatem eiusdem naturæ, in duobus suppositis, quorum vnum procedit ab alio, est propriissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium.

13. *Simplic dicendũ trem & lium spi eodem m*

Quarta conclusio. Simpliciter loquendo, & spectando maximè modum producendi qui solum attendi debet, cum dicũtur Pater & Filius spirare Spiritum sanctum, dici debent Pater & Filius eodem modo, & æquè primò, & principaliter, & immediatè tum immediatione virtutis, tum immediatione suppositi, producere Spiritũ sanctum: item Spiritus sanctus eadem ratione procedere à Patre & Filio. Hæc conclusio adeò certa visa est Suarez l. 10. de Trin. c. 3. n. 5. vt eam vocauerit veritatẽ fidei. Authoritas sanè magna est, quia vt suprà n. 9. fine epistola Cyrilli, & Anselmus, & Eugenius IV. absolutè loquendo definiunt, Spiritum sanctum à Filio procedere, *Similiter sicut & à Patre.* Et Magister, quem Scholastici communiter sequuntur, lib. 1. sent. d. 29. fine ita absolutè docet, *Spiritus sanctus non aliter procedit à Patre, quam à Filio.* Neque obstant Patres dicentes, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, quo eodem modo non licet è conuerso dicere, Procedere à Filio per Patrem; neque Augustinus suprà n. 7. dicens, Procedere principaliter à Patre; neque alij graues Theologi suprà n. 8. asserentes, procedere principalius à Patre: his enim loquendi modis, vt ipsimet sese explicant, non intendunt aliquã diuersitatem in modo producendi, qui duntaxat prædictis propositionibus simpliciter prolatis exprimitur, sed tantũ in modo habendi. Enim verò aliud est modus producendi, aliud modus habendi virtutem productiuam: ille enim consequitur virtutem iam habitã, & modũ quo habita est. Verum si æqualis, imò vnica, & eadem prorsus virtus habetur in Patre & Filio, quamuis in Patre habeatur ex se, à nullo cõmunicata, & in Filio habetur communicata à Patre, nõ debet variari modus producendi, cũ hic non oriatur ex modo habendi virtutem, sed ex ipsa virtute quæ habetur. Sicut virtus creatiua, non est eodem modo in omnibus tribus personis, quantum ad modum originis, tamen quia vna, & eadem est in omnibus, omnes dicuntur æquè primò, & principaliter, & per se, & immediatè creare: sicut etiam in priori signo posita diuersimodè voluntate in tribus personis, omnes æqualiter in posteriori signo intelliguntur liberè velle creaturas.

Suarez.

Magister.

Distinguit modus pro endi, & dus habe virtutẽ p ductiuam.

14. *Ratio a clusionis.*

Hinc sumi potest solidum, & valdè euidens conclusionis fundamentum, quia ad virtutem spiratiuã, & ad spirandum, nihil aliud requiritur, quam essentia diuina, & voluntas fœcunda, seu prior origine Spiritu sancto, seu termino volũtatis ab ipsa voluntate producto, & distinctio ab hoc termino per aliquam relationem, quæ non sit producta per spirationem, ac proinde sit prior origine processione Spiritus sancti. Hoc autem totum omnino æqualiter habetur in Patre & Filio, quia illi differunt solum in paternitate, & filiatione. Sed hæ relationes in eo conueniunt, vt sint relationes priores origine Spiritu sancto, quæ prioritas relatiua sufficientissima est, vt voluntas diuina sit fœcunda, & spiret. Nulla enim concipi potest congrua necessitas, cur ad hanc fœcunditatem requiratur paternitas vt paternitas, vel filiatio vt filiatio. Nam paternitas formaliter vt paternitas, facit ad generationem actiuam Filij, & filiatio formaliter vt

Quo mo paternitas filiatio ad randum co currant.

vt filiatio, facit ad eiusdem Filij passiuam generationem. Quod egregiè docuit S. Thomas de Potentia quæst. 10. art. 4. aliquanto post principium Corporis dicens, *Esse principium Spiritus sancti non conuenit Patri in quantum Pater est, ratione paternitatis; sic enim non refertur nisi ad Filium; vnde sequeretur, quòd Spiritus sanctus esset Filius. Similiter autem nec hoc repugnat rationi filiationis, quia secundum filiationem non refertur aliquid nisi ad Patrem.* Sicut igitur Pater spirat, & non vt Pater, in quo distinguitur à Filio, ita Filius spirat, & non vt Filius, in quo distinguitur à Patre. Ergo paternitas & filiatio ad spirandum concurrere debent secundum aliquam aliam communem rationem, in qua, saltem analogicè, conueniant: nimirum, in quantum vtraque est formaliter relatio quædam improducta per spirationem, & prior secundum originem processione per voluntatem. Cum igitur hæc ratio æqualiter reperiatur in Patre & Filio, sequitur necessario quòd eorum vnica voluntas sit eodem prorsus modo fœcunda, & spiratiua in vtroque. Et de Filiatione, de qua potest esse aliqua maior dubitatio, an sit origine prior spiratione passiua, id patet, quia est terminus productionis per intellectum; quæ productio de se est prior productione per voluntatem. Ergo Pater producens Filium per intellectum, communicat illi voluntatem fœcundam, & priorem origine Spiritu sancto; omnia enim communicat Filio, præter esse Patrem; & voluntàs fœcunda est in Patre non vt Pater est, sed vt spirator est. Ergo communicat Filio esse spiratorem. Ita tamen communicat Pater Filio voluntatem fœcundam ad spirandum, vt eamdem omnino ipse in se retineat. Ergo eumdem terminum, & eadem prorsus ratione spirant. Et ideo verissime Christus Filius Dei, loquens ad Patrem dixit Ioan. 17. *Mea omnia tua sunt; & tua, mea sunt.*

S. Thomas.

ARTICVLVS IV.

Utrùm Pater, & Filius, sint vnum principium Spiritus sancti.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd Pater & Filius non sint, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua probatur primo authoritate, num. 1.*
2. *Probatur secundo rationibus, num. 2. ad 5.*
3. *An Pater & Filius sint duo spiratores, vel duo spirantes, num. 5. ad 13.*
4. *Qua ratione Pater, & Filius sint vnum principium & vnus spirator, num. 13. ad 31.*
5. *Quomodo Spiritus sanctus duas personas postulet ad sui productionem, num. 31. ad finem Articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua fidei probatur ex Lugdunẽsi.*

ONCLVSIO simpliciter affirmatiua, est aperta Fidei veritas, expressè definita in Generali Concilio Lugdunẽsi initio, sub Gregorio X. & refertur c. vnico, de summa Trinit. in 6. *Fideli ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principijs, sed tamquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicauit, & docuit, hoc firmiter tenet, & prædicat, profitetur, & docet Sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra. Hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia.* Et paulo post, *Hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui præsumpserint temerario ausu asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio, tamquam ex duobus principijs, & non tamquam ex vno procedat.* Et in Florentino sess. vltima Eugenius quartus in literis vnionis post medium ita statuit, *Hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio, Diffinimus vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, Quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter tamquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit.* Hoc ipsum sine dubio profitetur quædam Romanorum Fides, quæ ponitur in fine Concilij Chalcedonensis, cum Spiritum sanctum fatetur esse *vnum Deum, qui ex vno*; principio scilicet Patris & Filij. Ex Patribus, omnium clarissime id expressit Augustinus l. 5. de Trinitate cap. 14. fine, *Fatendum est, Patrem & Filium, principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius, vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus; sic relatiuè ad Spiritum sanctum, vnum principium. Ad creaturam verò Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnum principium, sicut vnus Creator, & vnus Dominus.* In hoc sensu Isidorus l. 1. sententiarum cap. 17. num. 2. ita scribit, *Spiritus sanctus Patris & Filij est; & inde vnum sunt Pater & Filius, quia nihil habet Pater quod non habet Filius:* excepto scilicet esse Patrem, & esse Filium. *Non enim res vna, & duorum consubstantialis, poterit simul ab eis procedere, & simul inesse, nisi vnum fuerit, à quibus procedit.* Nimirum vnum non in ratione suppositi, sed in ratione principij spiratiui. Item Anselmus Epistola de Processione Spiritus sancti cap. 10. paulo ante finem. *Vnum est, idemque Patri & Filio, id vnde procedit Spiritus sanctus.* Et paulò post, *Spiritum sanctum asserimus suo modo non quasi de duobus fontibus, sed verè de vno fonte procedere.* Et cap. 11. ante medium, *Spiritus sanctus non est de hoc, vnde alij sunt ab inuicem Pater & Filius; sed de diuina essentia, in qua vnum sunt.* Et ideo, inquit paulò post, *Non dicimus duo eius principia, sed vnum principium.* Sicut enim, vt deinde explicat optimo exemplo, tradito etiam ab Augustino supra, *cum dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum principium, non tria principia, sicut vnum creatorem, non tres creatores, quamuis tres sint Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; quoniam per hoc, in quo vnum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus principium, siue creator: ita cum Spiritus sanctus dicitur esse de Patre, & de Filio, non est de duobus principijs, sed de vno, quod est Pater, & Filius.* Eadem repetit cap. 16. Et in Monologio cap. 52. Idem quoque significant Scripturæ, & Patres, dum Spiritum sanctum non solum vocant Spiritum Patris & Filij, sed etiam passim Spiritum Dei, & Spiritum Domini, vt supra art. 2. num. 11. & infra num. 36. indicantes Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, non in quantum sunt distincti in personis, sed in quantum sunt vnus Deus habens vnicam spirandi virtutem.

Chalcedon.

Augustin.

Isidorus.

Anselmus.

2. *Prima articuli ratio.*

Hæc conclusio in Corpore articuli probatur duplici ratione, altera ducta ex Theologico illo Axiomate, sæpe in superioribus probato, *Quòd Pater, & Filius, in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio.* Sed Pater, & Filius, in hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponuntur relatiuè; esse enim principium Spiritus sancti neque est esse Patrem, neque est esse Filium; Pater autem relatiuè opponitur Filio tantum, & Filius Patri tantum. Ergo Pater & Filius esse non possunt duo principia, sed necessario sunt

Secunda ratio de vnitate nominum substantiuorum, & adiectiuorum.

vnum principium Spiritus sancti. Altera ducta ex generali regula nominum substantiuorum, de qua infra quæst. 39. art. 3. significant enim formam per modum substantiæ, & per se stantis: substantia vero sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem, vel multitudinem suam. Nomina igitur substantiua non multiplicantur, nisi multiplicata forma, quam per se significant vt præcisam ab omni subiecto & supposito. Hanc enim ob causam, nempe quia Deus & Creator sunt nomina substantiua, & significant per se formam, quæ non est multiplex, sed vna in tribus personis, non licet asserere, illas personas esse tres Deos, sed vnum Deum; nec tres creatores, sed vnum creatorem. In quo ista nomina substantiua distinguuntur ab adiectiuis, quæ cum significent formam per modum adiacentis, & accidētis in subiecto; & accidentia, esse, & vnitatem habeant ex subiecto; accipiunt vnitatem & multiplicitatem ab vnitate & multiplicitate subiecti, non formæ.

S. Thomas.

Vnde S. Thomas hic ad 7. quod mox in 1. dubit. magis discutiam, docet, *Quòd Pater & Filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum; non autem duo spiratores, propter vnam spirationem: quia spirans, adiectiuum est; Spirator vero, substantiuum.* Et si in tribus hominibus v. g. esset eadem numero albedo, dicerentur tres albi, non vnus albus, sed vna albedo. At vero, inquit S. Thomas contra aliquos dicentes, Principium esse adiectiuum, quia non est nomen personæ, sed proprietatis existentis in persona, *licet hoc nomen, Principium, significet proprietatem, tamen significat eam per modum substantiæ; sicut hoc nomen Pater, & Filius, etiam in rebus creatis*, in quibus paternitatis & filiationis formæ significatæ illis nominibus, sunt accidentales, non substantiales; & nihilominus nomina ipsa, non ex re significata, sed ex modo significandi, sunt substantiua, non adiectiua. Ergo nomen principij, subdit S. Thomas, *numerum accipit à forma significata, sicut & alia substantiua. Sicut igitur Pater & Filius sunt vnus Deus, propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus; ita sunt vnum principium Spiritus sancti, propter vnitatem proprietatis significatæ in hoc nomine, Principium.* Atque hæc videtur prædictæ regulæ ratio magis quam illa Scoti 1. d. 12. quæst. 1. §. *Assigno.* quam solam recipit, & mirifice laudat, ac diligenter explicat Molina hic disput. 2. §. *Vt autem*, de duobus concretis adiectiuis, quorum alterum non determinat alterum, sed ambo determinant substantiuum; vt cum dicitur, Petrus est musicus albus, neque musicus determinat & modificat album, neque contra; sed vtrumque determinat & modificat Petrum. Et ideo cum termini numerales sint adiectiui, vt plures, multi, duo, tria, &c. si iunguntur alteri adiectiuo, vt si dicas, Petrus & Paulus sunt plures, vel duo albi, determinantur Petrus & Paulus, & non albedines; & sensus est, Petrus & Paulus sunt plures, vel duo, quorum quilibet est albus, siue vnica, siue duplici albedine. Si vero iunguntur substantiuo, determinat substantiuum, vt si dicas, Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt tres Dij, tres Creatores, illud, tres, determinat prædicatum, non subiectum, & ideo propositiones sunt falsæ. Equidem idem sentio. Sed si quis negaret primum assumptum, nempe, quòd vnum concretum adiectiuum non determinat aliud adiectiuum, sed substantiuum, oportet recurrere ad priorem regulam Sancti Thomæ, quod scilicet substantiuum significat rem vt per se, adiectiuum vero vt in alio.

Examinatur ratio Scoti & Molinæ.

3. Refertur sententia Durandi & Ariminensis.

Ex dictis intelligi facile potest quam longè, non à re ipsa, de qua benè sentiunt, sed à recto, ac proprio loquendi modo aberrauerint non nulli Doctores Catholici contendentes, Patrem & Filium de rigore & proprietate sermonis dici debere duo Spiritus sancti principium, non vnum principium. Ita Durandus 1. d. 29. quæst. 2. Sæpe ita scribens, *Propriè loquendo debet dici, quòd in Patre & Filio est vnum principium, quo spirant Spiritum sanctum: & nihilominus verè dicitur, quòd Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti; sed non æquè propriè sicut primum.* Idem multo fusius ac liberius habet Ariminensis 1. d. 12. quæst. vnica, per totam, præsertim à medio verum, vt ipsemet in fine modestè addit, *sine pertinacia, & assertione, & absque præiudicio intelligentiæ melioris.* De hac enim propositione, Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, ait, *quòd licet sit vera, & communiter concessa, non est tamen in sua proprietate accipienda; nec in sensu, quem primò facit, & de virtute sermonis, sed in sensu quem intendebant sancti illam scribentes. Si tamen inniteremur proprietati sermonis, tunc dici deberet, quòd Pater & Filius sunt duo principia Spiritus sancti.* Et Lugdunense supra exponit non de vnitate principij, sed de vnitate modi principiandi, & spirationis. Idque colligit ex ipsis Concilij verbis ita discurrens, *Quia Concilium noluit affirmare vnitatem principij, sed vnitatem modi principiandi, ideo ait, tamquam ex vno. Quia verè voluit asserere vnitatem spirationis, ait, Vnica spiratione; nec ait, Tamquam vnica spiratione; sicut ait, Tamquam ex vno principio.* Eamdem sententiam tribuit Altisiodorensi, cuius verba ipsemet refert, & Gerardo Nouarensi, & etiam Magistro 1. d. 29. Vbi verè non negat proprietatem prædictæ propositionis, & numquam dicit, Patrem & Filium esse duo principia; imo loquens de principio creaturarum, de quo, vt patet ex Augustino & Anselmo supra, est secundum aliquid eadem ratio, id bis expressè negat in §. 2. post medium vsque ad finem. Solum exponit, esse vnum principium, id est, vno eodemque modo esse principium. Quam expositionem, tacito nomine authoris refert hic S. Thomas, & impugnat breuiter, quia, inquit, *similiter posset dici Pater duo principia Filij & Spiritus sancti, id est, duobus modis*; altero Verbi per generationem intellectus, altero Amoris per spirationem voluntatis.

Quid senserit Magister.

4. Reijcitur prædicta sententia.

De hac Ariminensis assertione quam sequi etiam videtur Gabriel 1. dist. 12. quæst. 1. art. 2. ita censet Torres in 2. p. Commentarij huius articuli dub. 2. *est nimis periculosa, ne dicam erronea.* Quam censuram recentiores communiter probant. Primo quia Patres & Concilia non solum affirmant, esse vnum principium; sed etiam absolutè negant, duo principia. Ergo contra temere dicitur, illud esse falsum, & hoc verum, spectando proprium verborum sensum. Incredibile enim omnino est, propositionem propriè falsam, determinatam ac definiram esse ab Ecclesia vt veram; & è contrario, vt falsam illam, quæ est propriè vera. Secundo expositio Ariminensis leuiter fundatur in illa particula, *Tamquam*; hæ enim dictiones, Tamquam, sicut, Quasi, & aliæ similes, non semper denotant similitudinem & improprietatem, sed sæpe veritatem rei ac proprietatem: vt Ioan. 1. *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* & 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Et Hebr. 3. *Moyses fidelis in tota domo eius, tamquam famulus. Christus vero tamquam filius in domo sua.* Hic vero denotari rei veritatem, patet, tum quia cum Concilia docuissent, Spiritum sanctum procedere à duabus personis, Patre & Filio, videri poterant concessisse, esse duo Spiritus sancti principia. Vt igitur hanc falsam intelligentiam tollerent, necessarium esse duxerunt apponere limitantem aliquam particulam, quia declararent, duas personas, quæ etiam sunt

De particula, Tamquam, Quasi, &c.

Lugdunen. & Florētin. expositio.

sunt verè vnum, spirare non sub ea ratione, qua sunt duæ, sed sub alia ratione, qua sunt vnum. Itaque vera ac germana Conciliorum mens fuit vsurpare illud, *Tamquam*, pro *in quantum*, vel *Quatenus*, vel *sub ratione formali*: vt sit planus sensus, Spiritum sanctum procedere ex Patre & Filio, *non tamquam ex duobus principijs, sed tamquam ex vno principio*: hoc est, non ita ac si essent duo principia, sicut sunt duæ personæ; sed quia verè ac propriè sunt vnum principium, sicut sunt vnus Deus. Quoniam vero spiratio est simpliciter vna, & sumi non poterat partim vt vna, partim vt duplex, ideo illud, *Tamquam*, non de spiratione, sed solum de personis dictum est. Præterea ipsemet Eugenius quartus paulo ante definitionem allatam supra num. 1. refert sine particula, *Tamquam*, Latinos affirmare, *non se hac mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere, quòd duo ponant esse principia, sed vnum tantum asserant esse principium, vnicamque spirationem.* Similiter in eodem Concilio Florentino sess. 24. post medium, Ioannes Theologus, Latinorum Patrum nomine, ait, *Duabus personis vnica potestas spirans, & mittens existit.* Et deinde subdit, *Filius vna cum Patre principium vnicum est.* Et sess. 25. §. *Quibus Latini*, professio fidei Latinorum ad Græcos Missa sic habet. *Quoniam Græci suspicantur, nos duo principia in Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes sententiam, anathemate notamus. Quandoquidem ipsi credimus, Patris & Filij operationem, potestatemque mittendi, vnicam Spiritus sancti causam esse, ita vt Filius non sit diuersum à Patre principium.* Si anathematizantur absolutè dicentes Patrem & Filium esse duo Spiritus sancti principia; ergo nullatenus licet Theologo dicere, Patrem & Filium, verè ac propriè loquendo, esse duo Spiritus sancti principia. Item

Augustinus. Augustinus supra num. 1. absolutè, & absque alia limitante particula fatetur, *Vnum principium, non duo principia; sicut*, inquit, *Pater & Filius, vnus Deus, vnus Dominus, vnus creator.* Sicut igitur, vt fatetur

Athanasius. Athanasius in suo Symbolo, *Tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur*; ita etiam duo principia Spiritus sancti. Eodem modo loquitur

Anselm. Anselmus ibidem, *Verè de vno fonte procedere.* Si verè de vno, ergo non impropriè, & per similitudinem, & falsò simpliciter, secundum sermonis proprietatem. Ait etiam, *Non dicimus duo eius principia, sed vnum principium.* Et rursus, *Spiritus sanctus non est de duobus principijs, sed de vno, quod est Pater & Filius.* Non igitur solum de re ipsa, sed etiam de modo loquendi certa omnino esse debet conclusio.

DVBITATIO I.

An Pater & Filius sint duo spiratores, vel duo spirantes.

SVMMA.

1. *Esse vnum spiratorem, num. 5. ad 10.*
2. *Esse duos spirantes, num. 10.*
3. *Soluuntur duæ obiectiones, num. 11. & 12.*

5. Esse vnum spiratorem, & authores, qui id tenent.

PRima conclusio, Patet & Filius non sunt dicendi duo spiratores, sed vnus spirator. Ita S. Thomas hic ad 7. & omnes Thomistæ, & Interpretes huius articuli. Item Scotus 1. d. 12. quæst. 1. §. *Iuxta quæstionem.* à quo hæc dicitur, *Difficultas quasi grammaticalis de significatione nominis.* Sed nimirum digna Theologo in huiusmodi diuinissima ac subtilissima materia, vbi ipse etiam loquendi modus quàm accuratissime spectandus & seruandus est. Præterea Riccardus 1. d. 11. art. vnico quæst. 5. vbi etsi problematicè defendat vtramque partem, tamen in hanc, quam multò vberius tractat, magis inclinare videtur, vt censet etiam Carthusianus 1. d. 11. quæst. 4. post medium. Idem absolutè sequuntur Aureolus 1. d. 12. quæst. vnica art. 4. Carthusianus supra, qui post contrarias multorum Doctorum sententias recitatas, ita concludit in fine quæstionis, *Verius reor, quòd Pater & Filius sint vnus spirator Spiritus sancti.* Marsilius q. 19. art. 3. in dubio immediate ante solutionem argumentorum, & ad 6. in fine quæstionis. Gabriel 1. d. 12. quæst. 1. art. 2. fine, id tenens, *non de virtute sermonis, sed propter hæreticos, & propter vitare occasionem decipiendi simplices*; ne scilicet audiendo duas spiratores, putent fortasse concedi duas spirationes. Et alij recentiores communiter.

6. Aduersarij conclusionis.

Sed contrarium, vt ait S. Thomas hic in argumento 7. *à multis dicitur*, inter quos ipsemet olim fuit 1. d. 11. quæst. vnica art. 4. & d. 29. quæst. vnica art. 4. ad 2. Albertus p. p. summæ quæst. 31. membro 3. ad primam quæstionem incidentem concedens duos spiratores, & vnum principium spirandi. Item Alensis in summa p. p. quæst. 70. membro 3. art. 5. Bonauentura 1. d. 29. art. 2. quæst. 2. Ægidius 1. d. 11. art. 2. quæst. 4. Henricus in summa art. 54. quæst. 6. ad 11. fusè, & breuiter ad 12. & art. 60. q. 6. litera C. Scotus infra num. 18. Vdalricus apud Carthusianum supra. Qui omnes ita affirmant, Patrem & Filium esse duos spiratores, vt simul iuxta conclusionem principalem huius articuli, negent esse duo principia: & negent etiam, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse tres creatores. Neque enim secundum ipsos est eadem ratio de spiratore, & de creatore, vt refert S. Thomas hic ad 7. & non confutat, & ideo approbare videtur; quod nos etiam supra quæst. 30. art. 1. num. 57. notauimus: quoniam personalitas pertinet intrinsecè ad rationem ipsam producendi intra Deum, ita vt præcisa personalitate non possit intelligi completum principium productiuum in ratione producendi; quia hoc esse debet distinctum à termino producendo, præcisis autem personalitatibus nulla remanet distinctio in diuinis, sed omnia sunt vnum. Ad rationem vero producendi extra Deum, personalitas nihil omnino concurrit, cum neque sit principium formale agendi, neque sustentet ipsum esse principij formalis actiui, sed purè terminet, vt loco citato probatum est, neque demum sit necessaria ad distinguendum agens ab effectu; cum Deus vt vnus, præscindendo ab omni personalitate, sit satis superque distinctus à creatura. Vnde optime S. Thomas

An sit eadem ratio de vno spiratore, & vno creatore.

S. Thomas. 1. d. 11. quæst. vnica art. 4. ad 2. ita docet, *Creatio est actus trium personarum, non secundum quòd distinctæ sunt, sed se cundum quòd vniuntur in essentia: quia etiam per intellectum remota distinctione personarum, adhuc remanebit creatio.* In hoc igitur sensu rectè dixit S. Thomas cum aduersariis huius conclusionis, quòd *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt duæ personæ distinctæ, vt dictum est*; *non autem creatura procedit à tribus personis, vt sunt personæ distinctæ, sed vt sunt vnum in essentia.* Denique multò magis in contrarium sunt Durandus & Ariminensis supra, qui ne vnum quidem spiratiuum principium admittunt de proprietate sermonis.

7. Ratio conclusionis ex S. Thoma.

Hanc conclusionem S. Thomas benè probat eadem regula qua supra num. 2. probauerat vnum principium. Spiratoris enim nomen est substantiuum, vt patet. *Substantiua verò*, inquit S. Thomas, *numerum habent* non secundum suppositа, sed à se ipsis secundum formam significatam. Quamuis enim nomina substantiua concreta significent non solum formam, sed etiam suppositum, alioquin

essent nomina substantiua abstracta, non concreta; quia tamen non significant suppositum vt dans esse formæ, siue vt sustentans formam, sed contra potius significant formam per se stantem, quæ informat, & denominat suppositum formaliter tale, multò principalius significant formam, quam suppositum. Igitur non possunt multiplicari nisi multiplicetur forma, quantumuis multiplicentur suppositа. Ergo cum spiratoris nomen substantiuę tribuitur Patri & Filio, non dici rectè possunt duo spiratores propter duo suppositа quæ spirant; sed potius vnus spirator, propter vnam formam qua spirant.

8. *Explicatur magis regula nominum substantiuorum.*

Dices cum aduersariis, prædictam substantiuorum regulam esse intelligendam de substantiuis quę significant formam vt substantiam; non autem de aliis, quæ significant formam vt actum, & operationem, quia actus referuntur ad suppositа, vt refert S. Thomas aduersarios distinguentes: actus enim, & operationes ex se ipsis sunt suppositorum. Verū hoc tollere non debet generalitatem Regulæ prædictæ: quia allata differentia est materialis, de rebus ipsis quæ per nomina significantur; non prout formaliter stant sub modo significandi, seu significatione talium nominum. Quamuis enim spiratio significata nomine spiratoris, re ipsa sit actus spirantis suppositi; tamen prout significatur illo nomine, nimirum tamquam aliquid per se stans, & non inhærens alteri, ita significatur ac si esset substantia; & vt acutè distinguit Doctor subtilis supra, huiusmodi nomina, quæ verbalia appellat, quia sumuntur à verbo v.g. spirandi, creandi, &c. vt spirator, Creator, &c. *Non signant actum per modum actus & in fieri, sed per modum habitus & quietis*; quod est proprium rei subsistentis, seu per se stantis, ad cuius modum significant nomina substantiua quidquid significant. Alioquin eorumdem actuum nomina substantiua abstracta, vt spiratio, Creatio, item sapientia, Intellectio, Amor, & similia, quia significant actus, & operationes quæ sunt suppositorum, possent numerari in diuinis; & liceret dicere esse ibi duas spirationes, quia duo suppositа, quæ spirant; esse tres creationes, quia tria suppositа, quæ creant, esse tres sapientias, intellectiones, amores, quia tria suppositа quæ sapiunt, intelligunt, amant: quæ omnia ideo falsa sunt, quia etsi nomina significent actus, qui sunt suppositorum, tamen illos significant per se, & non vt inhærentes & adiacentes suppositis. Quod magis ad rem explicari potest alio nomine similiter substantiuo concreto Principij; quandoquidem ipsi etiam aduersarij rectè docent, dici non posse, Patrem & Filium esse duo spirandi principia: & nihilominus Principium spirandi, si spectemus materialiter quod significat, id neque est persona, sicut Pater & Filius; neque est substantia absoluta, sicut Deus; sed solum est quædam proprietas duorum suppositorum. Quoniam vero hæc proprietas, prout formaliter significata nomine Principij, non significatur ad modum proprietatis, sed ad modum substantiæ, omnes communiter dicimus, illud esse nomen substantiuum, & ideo non posse numerari, quia etsi plura suppositа, tamen forma, seu proprietas illo modo substantiuo principaliter significata, non est nisi vna in duobus suppositis. Ita pariter spirator significans actum spirandi duorum suppositorum, quia illum actum non significat vt actum suppositi, sed vt formam per se principaliter, numerari non debet, dicendo duos spiratores, quia illa forma est vnica, non numerabilis in se. Atque eadem ratione non licebit similiter dicere, Patrem & Filium duos principiatores Spiritus sancti.

9. Confirmatur alio simillimo exemplo ex modo loquēdi Augustini, qui sæpe docuit, Spiritū sanctum esse donum Patris & Filij; & tamen numquam hos plurali nomine donatorum, sed semper singulari nomine donatoris appellat. Ita l. 5. de Trinit. cap. 11. post med. *Relatio apparet, cum dicitur Spiritus sanctus donum Patris & Filij*: quia, inquit, *donum donatoris, & donator doni*. & sequenti c. 12. fine, *Cum dicimus Patris & Filij, dicimus donum donatoris, & donatorem doni*. Eademque ferè verba repetit serm. 38. de tempore columna 3. si igitur non licet asserere duos donatores, quoniam vna est donatio, substantiuè & primariò significata nomine donatoris; neque licebit asserere duos spiratores, quia vna est spiratio eodem modo significata nomine spiratoris. Exemplum quoque Creatoris non contemnendam vim habet: tum quia eo expresè vtuntur Augustinus & Anselmus supra num. 1. tum quia etsi vera simpliciter, & secundum se sit differentia tradita supra num. 6. inter Creatorem & spiratorem, tamen ad præsentem paritatem satis præcisè est, vt Creator consignificet & denominet suppositum, esto suppositalitas ad rationem principij creatiui, vt formaliter creatiui, nō concurrat. Verè enim dicimus tria diuina suppositа creare, & esse tres creantes; & tamen hæc tria suppositа non licet denominare tres creatores, ob vnicam illorum creandi virtutem, quæ per se & principaliter significatur nomine substantiuo Creatoris. Ergo pari ratione, ob vnicam spirandi virtutem, duo suppositа, quæ denominantur spirare, non licet denominare duos spiratores.

Eadem regula confirmatur ex Augustino exēplo Donatoris.

Item exemplo Creatoris.

10. *Patrem & Filium esse duos spiratu.*

Secunda conclusio. Pater & Filius dici rectè possunt duo spirantes. In hoc omnes plane concordant, propter contrariam regulam nominum adiectiuorum, cuiusmodi sunt hæc nomina; spirans, Creans, & similia, quæ, vt ait S. Thomas ad 7. hoc ipsum probans, *habent numerum secundum suppositа*, quæ adiectiuis nominibus significantur primario & per se, vt sustentantia formas illis adhærentes. Cum igitur spiratio conueniat duobus suppositis, & creatio tribus, possunt verè ac propriè dici duo spirantes, tres creantes, intelligentes, &c. Hoc modo loquutus est Gregorius l. 30. Moral. cap. 5. ante med. *Is, qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur*. Pater & Filium pluraliter vocat proferentes Spiritum sanctum, quod idem est cum hoc, quod communiter dicimus spirantes. Quo modo apertius loquitur Metropolita Milytenensis in Concilio Florentino sess. vlt. multò post medium, ita consentiens cum Latinis Patribus, *Neminem proferre debere, Patrem & Filium spirantes non esse; cum passim legatur, Spiritum Patris & Filij esse*.

Gregorius Papa.

Florentinū.

11. *Probatur obiectio tractans, an Pater & Filius sint idē principium Spiritus sancti.*

Obiicies primo. Si Pater & Filius essent vnum Spiritus sancti principium, & vnus spirator, sequeretur quod essent etiam idem principium, & idem spirator; sicut quia Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, sunt consequenter idem Deus. Vnum enim negat distinctionem, quam negant etiam idem. Vnde sicut in Patre & Filio est vna spirandi virtus & actiò, ita etiam eadem. Ergo si propter vnitatem virtutis & spirationis dicitur vnum principium, vnus spirator; ita propter identitatem eiusdem virtutis & spirationis dici posset idem principium, idem spirator. *Sed hoc*, inquit S. Thomas hic argumento 6. *à multis negatur*. nempe ab Alensi p.p. summæ quæst. 70. membro 3. art. 4. Bonauentura 1. d. 24. art. 2. quæst. 2. fine Corporis. Et Alano, qui fuit author libri de Maximis Theologiæ, propositione 51. vt refert Riccardus 1. d. 29. art. vnico, §. *Contra*. in secundo argumento, & in fine quæstionis, vbi vtramque partem problematicè defendit.

Negant Alēsis, Bonauentura & alij.

Respon

Respondetur affirmando cum S. Thom. Durando, & alijs.

Respondeo cum S. Thoma ad 6. quem omnes expositores sequuntur, & præterea Durandus 1. d. 29. quæst. 2. num. 4. circa finem, *quòd conuenienter potest dici, quòd Pater & Filius sint idem principium*: & similiter, quòd sint idem spirator. Neque enim est ne cessarium motiuum aduersariorum, nimirum, quòd *idem* refert ad suppositum, Pater autem & Filius non sunt idem suppositum. Enim vero sicut *vnum*, cum dicitur, Pater & Filius sunt vnum principium, quia immediate coniungitur cum Principio, quod est prædicatum propositionis, non cum Patre & Filio, qui sunt subiectum; non significat vnitatem suppositi, sed principij, ob vnicam spirandi virtutem, & spirationem in duobus suppositis: ita *idem*, cum dicuntur esse idem principium ob eamdem omnino rationem, non debet intelligi importare identitatem suppositi, sed virtutis & spirationis. & par est ratio de spiratore, vt si est vnus, sit etiam idem.

12. *Obiicitur secundo Hilarius.*

Obiicies secundo Hilarium l. 2. de Trinit. inter medium & finem, de Spiritu sancto ita loquentem, *De Patre & Filio authoribus confitendus est*. Non minus autem substantiuum est hoc nomen, *Author*, quā hoc nomen, *Spirator*. Ergo si plures authores, plures etiam spiratores. Donatores quoque in plurali vocauit Patrem & Filium Hugo Etherianus l. 3. contra Græcos cap. 3. paulò post principium, vbi, vt habetur tomo 9. Bibliothecæ veterum Patrum, loquēs de Spiritu sancto procedente à Patre & Filio, ait, *Qui amborum donum dicitur, & comparibus alterutri donatorum honoribus decoratur*.

Hugo Etherianus.

Respondetur exponendo Hilarium.

Respondeo cum S. Thoma in fine responsionis ad 7. Hilarium exponendum esse, quòd largè & impropriè vsurpauerit substantiuum pro adiectiuo. Sicut à contrario Athanasius in Symbolo negans, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tres æternos, tres increatos, tres immensos, tres omnipotentes, vt exponit idem S. Thomas infra quæst. 39. art. 3. fine Corporis, sumpsit adiectiua pro substantiuis. Quam responsionem dare tenentur etiam aduersarij negantes, Patrem & Filium dici posse plura Spiritus sancti principia: quia hoc nomen, *Author*, multò magis assimilatur huic nomini, *Principium*, quam huic nomini, *Spirator*. Non enim authoris denominatio sumitur ab aliquo actu suppositi, sicut denominatio spiratoris sumitur ab actu suppositi spirantis. Sicut igitur Pater & Filius non dicuntur in plurali principia Spiritus sancti, ita neque Authores; modo hæc nomina sumantur vt substantiua, prout verè ac propriè substantiua sunt. Eodem modo, & facilius, exponi potest dictum Hugonis supra, quia donator magis accedere videtur ad naturam, & formam nominum adiectiuorum.

Athanasius.

DVBITATIO II.

Qua ratione Pater & Filius sint vnum principium, & vnus spirator.

SVMMA.

1. *Non esse Vnum principium propter vnam personalitatem, num. 13.*
2. *Non esse Vnum principium propter vnam subsistentiam, num. 14. & 15.*
3. *Non esse Vnum principium propter vnam relationem spirationis actiuæ num. 16. ad 24.*
4. *Occurritur contrarijs argumentis, num. 24. ad 31.*

13. *Non esse vnū principium propter vnicam personalitatem.*

PRima conclusio Pater & Filius non sunt vnum principium Spiritus sancti & vnus spirator, propter vnā aliquam suppositalitatem, seu personalitatē, communem Patri & Filio. Hoc inquit Molina hic disp. 3. §. *Denique omnes concedunt, neque sine aperto errore posset negari*. Et quidem apud omnes Theologos certum esse debet, sicut certū omnino est, non esse in diuinis quatuor suppositа, seu personas: quod euidenter sequeretur si spirator, præcisè vt spirator, esset vnum quoddam suppositum, quod neque esset suppositum generans, neque suppositum genitū, neque suppositum spiratum. Contrarium autem verè non sentiunt Ochamus 1. d. 12. q. 1. §. *Circa primum dico*. Et Gabriel ibidem art. 2. aliquanto ante finem, vt illis nonnulli tribuunt: quoniam vt magis explicat Gabriel, etsi dicant, quòd *sicut ex essentia & spiratione passiua constituitur quod verè spiratur; ita & ex eadem essentia & spiratione actiua constituitur quod verè spirat*: tamen statim inter hæc duo constituta subiiciunt hanc differentiam; *quia primum constitutum est suppositum, non autem secundum, saltem formaliter*. Et paulò post addunt, *Quia Pater & Filius sunt illud constitutum vnicum realiter, licet non formaliter, ergo sunt vnum principium spirans, & vnus spirator Spiritus sancti*. & rursus infra, *Pater & Filius non sunt vna persona spirans*. Concedunt tamen quòd sunt *vnus spirans*, hoc est, inquiunt, *vnum constitutum ex essentia & spiratione actiua, circumscribendo tam paternitatem, quam filiationem*. Quid autem præcisè sit hæc actiua spiratio, non explicant; an formalis quædam subsistentia, an relatio, an virtus spirandi, quæ tria capita sequentibus conclusionibus examinabimus, an denique ipse actus secundus spirandi: quod vltimum, etsi asserere videantur, intelligi tamen probabiliter non potest; quia principium constitutum in actu primo ad spirandum in actu secundo, concipi nequit esse tale formaliter constitutum per ipsum actum secundum spirandi. Porrò quantus & Theologiæ, & Philosophiæ error sit in hoc sacratissimo Trinitatis mysterio præter tria suppositа, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vel ratione distinguere quarrum aliud suppositum commune pluribus, satis dictum est supra quæst. 30. art. 1. num. 55. Vnde Ariminensis 1. d. 12. quæst. vnica col. 2. deducens ex opinione Ochami quòd *Pater & Filius erunt vna persona, & duæ personæ*, subiungit, *quod non est sanè dictum*.

principium propter vnicam personalitatem.

Quid sentiāt Ochamus & Gabriel.

Arimin ēsis.

14. *Non esse vnū principium propter vnā subsistentiam à reliquis distinctam.*

Secunda conclusio. Pater & Filius non habent vnitatem in ratione principij spiratiui ex vna subsistentia, etiam secundum rationem distincta ab aliis tribus subsistentiis relatiuis, & quarta subsistentia absoluta, de quibus supra quæst. 30. art. 1. dub. 3. Ita ferè omnes. Neque enim contradicit Molina hic disput. 2. conclusione prima ponens principium spiratiuum in Patre & Filio, esse vnum quid, non suppositum, sed indiuiduum, constitutum ex diuina essentia & relatione spirationis actiuæ, quod ait, *esse vnum per se, ac subsistens*. Sed, vt constat ex sequenti §. *Est ergo*. nomine huius subsistentiæ non intelligit subsistentiam relatiuam, vt ratione distinctam ab existentia; sed vel ipsam absolutam diuinæ naturæ existentiam, quam cum nostra opinione probata supra quæst. 30. art. 1. d. 3. subsistentiam rectè vocat: vel relatiuam ipsius spirationis existentiam, quam ratione distinguit ab existentia absoluta naturæ, & ab omni subsistentia relatiua personali & incommunicabili, sed nihilominus subsistentiam simpliciter vocat, quia, vt ipse loquitur, *est existentia independens à quocumque alio, cui quasi inexistat*: nimirum, inquit, *non in ea acceptione, qua subsistens & suppositum, idem sunt; sed in ea, quæ diuinam essentiam dicimus esse quid subsistens*.

Quid sentiat Molina.

Funda

15. *Præcipua ratio conclusionis.*

Fundamentum conclusionis est, quia hæc vnica subsistentia Patris & Filij deberet esse relatiua, tum quia esset subsistentia principij spiratiui, quod relatiuum est, tum quia non potest esse subsistentia absoluta, quoniam hæc tota & totaliter includitur in conceptu intrinseco essentiæ diuinæ, cui essentialiter conuenit perfectissimum esse absolutum, infinitum & omnino illimitatum in suo genere absolutè essendi. Ergo si datur aliqua alia subsistentia, non communis tribus personis, qualis esse deberet ista subsistentia Patris & Filij tantum, illa esse non potest absoluta. Ergo erit relatiua, quia inter absolutum & relatiuum fingi non potest medium. Sequeretur igitur in diuinis, præter tres subsistentias relatiuas Patris, Filij, & Spiritus sancti, dari quartam subsistentiam relatiuam spiratoris; partim incommunicabiles, quia non conueniret Spiritui sancto, qui est spiratus, non spirator, partim communicabilem, quia conueniret Patri & Filio, qui sunt vnus spirator. Esse autem in Trinitate quatuor subsistentias relatiuas non communes tribus personis, non est minus inauditum, quam esse quatuor suppositа; vt videre abunde est apud omnes Patres, quorum verba attulimus supra q. 30. art. 1. dub. 3. & 4. & ideo ego ibi in num. 16. cum Suarez, & aliis communiter probaui, Relationem spirationis actiuæ, identificatam paternitati & filiationi, & eiusdem relatiui generis cum illis, non solum subsistere, sed etiam existere, relatiua subsistentia, & existentia paternitatis, & filiationis.

16. *Neque esse vnum principium propter vnam relationem spirationis actiuæ, sed propter vnam potentiam.*

Tertia conclusio. Pater & Filius non sunt vnum principium Spiritus sancti, & vnus spirator, propter vnam relationem spirationis actiuæ, quam eamdem numero probaui supra quæst. 28. art. 4. num. 41. esse in Patre & Filio: sed solum propter vnam formalem spirandi potentiam, non vt stat immediatè sub relatione spirandi, sed prout præcisè stat sub ipsis personalitatibus Patris & Filij, antequam intelligatur in illis alia spirandi relatio. Qua conclusione clarius asserimus, Principium spiratiuum vt quod, omnino completum in ratione talis principij, esse vnam numero voluntatem duarum personarum, Patris & Filij, nulla alia in illis intellecta relatione; quæ scilicet ad spirandum nullo modo concurrit, neque vt formalis virtus, neque vt distinctio virtutis, seu conditio necessaria, aut complementum necessarium distinguens illam virtutem à termino producendo. Hoc breuiter adnotauit Suarez lib. 5. de Trinitate cap. 8. num. 10. & multò fusius probauit lib. 10. c. 4. toto, cum S. Thoma, & quibusdam modernis Thomistis, & Gregorio Ariminensi supra, & iterum c. sequenti 5. à n. 4.

Suarez.

17. *Quid sentiat S. Thomas.*

Et quidem S. Thomas hîc ad 1. id significat dicens, *Quòd Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio in quantum sunt vnum in virtute spiratiua: quæ quodammodo significat naturam cum proprietate*, quam proprietatem statim declarat esse *vnam in duobus suppositis, quorum est vna natura.* Quibus verbis non vult significare naturam vnam, & præterea vnam aliquam proprietatem, sed naturam ipsam vnam, duobus appropriatam, siue vt stat sub duabus personalitatibus Patris & Filij. Et ideo ad hoc magis declarandum, subdit, *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt plures*, nimirum in ratione suppositi. Et clarius ad 2. *Vna proprietas est forma significata per nomen.* Principium autem formale significatum nomine principij spiratiui, non est nisi voluntas: & statim supponens, hanc formam esse quodammodo appropriatam duobus proprietatibus Patris & Filij, subdit, *Non tamen sequitur, quòd propter plures proprietates possit dici Pater plura principia.* Præterea distinctius infrà quæst. 40. art. 4. corp. post med. ita docet, *Origo actiuè significata, prior est secundum intellectum, quam relatio personæ originatæ, quæ non est personalis. Sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam, communem Patri & Filio.* Si actus spirandi est prior relatione spirandi, euidens sanè est, quòd hæc relatio nequeat esse aliquid prærequisitum ad constituendum principium spiratiuum. Neque contrarium habet 1. d. 29. quæst. vnica art. 3. initio corporis dicens, *Quòd vna numero notio est Patris & Filij, secundum quòd principium Spiritus sancti dicuntur, vt dicitur in litera*, nempe Magistri. Ambo enim loquuntur de principio vt formaliter relatiuo, non autem de principio vt formaliter productiuo, quod est fundamentum relationis principij, quo modo nos nunc de principio loquimur. Spectauit etiam S. Thomas principium vt correlatiuum ad principiatum, cum ibidem art. 4. post med. probat, quòd *vnum principium, dicit vnitatem notionis.* Et eodem modo exponi possunt verba superius allata de vna proprietate. Oportet enim diligenter aduertere, quod supra quæst. 28. art. 4. num. 15. & 25. & in hac quæst. 36. art. 2. num. 40. notaui cum Capreolo, & ipsomet S. Thoma, In Patre, & in Filio respectu Spiritus sancti, esse duplicem oppositionem, alteram productiui, alteram correlatiui. Principium igitur Spiritus sancti, vt correlatiuum ad Spiritum sanctum, est vnum per vnam relationem actiuæ spirationis. Vt verò productiuum Spiritus sancti, est vnum per vnam voluntatem fœcundam, non vt stat sub vna relatione, sed prout stat sub duplici relatione ac personalitate Patris & Filij.

18.

Eodem modo accipi debent nonnulli alij veteres & graues Scholastici, qui idem dicunt cum Magistro, & non bene contra nos afferuntur; vt Bonauentura 1. d. 29 art. 2. quæst. 1. circa finem corp. illis verbis, *Cum dicitur, Pater & Filius sunt vnum principium, Vnum dicit vnitate notionis.* Sed mouetur ex eo, vt paulò antè dicit, *quòd hoc nomen, Principium, dicat respectum ad personam*, videlicet principiatam. Sed de vnitate principij vt formaliter productiui, prius pro nobis apertè scripserat, *Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, in quantum vnus Deus improcessibilis*; sub qua ratione ait, quòd *sit in eis voluntatis vnitas, & voluntatis vna fœcunditas*, quæ, inquit, *dicit vnitatem principij*, scilicet vt formaliter productiui. Pater autem, & Filius habent rationem improcessibilis, scilicet per voluntatem, in quantum præcisè sunt Pater & Filius, seu Dicens, & Verbum dictum per intellectum, cuius origo est prior origine per voluntatem. Nec verè plus dicunt Alensis p. p. summæ quæst. 70. membro 3. art. 3. & quæst. 68. membro 3. §. 1. vbi clarissimè loquitur de principio relatiue sumpto. & Albertus p. p. summæ quæst. 31. membro 3. propè finem. Riccardus 1. d. 11. art. vnico q. 3. & 4. vbi pro nobis in corpore ita habet, *Potentia spiratiua dicit voluntatem diuinam cum modo habendi eam, non ab alio per spirationem; & ita cum ratione inspirabilitatis, in qua includitur primitas ad spirationis actū.* Pater & Filius præscindendo ab eis relationem spirationis actiuæ, ita habent diuinam voluntatem, vt eam non habeant ab alio per spirationem. Sed Riccardus præcedenti quæst. 3. probat, Patrem & Filium esse vnum spirandi principium, *in quantum sunt vnum in potentia spiratiua* Ergo vult, hanc vnitatem principij haberi in Patre & Filio absque relatione actiuæ spirationis. Item Carthusianus 1. d. 29. q. 4. Durandus quæst. 2. num. 5. Solum igitur contra conclusionem referri verè possunt Ochamus & Gabriel supra, quos sequuti sunt Torres hîc in 3. p. Commentarij col. 3 4. & 5. Bagnes hîc, §. *Mihi certè*, fine, & §. *Ad confirmationem.* Molina suprà num. 14. Valentia

Bonauent.

Alensis.

Albertus. Riccardus.

Carthusianus, Durandus. *Aduersarij & authores conclusionis.*

lentia quæst. 10. de Trinit. puncto 5. col. 3. Nazarius hâc controuersia 2. in resolutione, & conclusione 1. Becanus cap. 6. quæs. 5. à num. 6. & Zuniga disp. 16. dub. 7. & alij recentiores. Sed pro ea ex antiquioribus est apertè Henricus in summa art. 54. q. 6. ad nonum litera K. *Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, vt sunt vnum principium in essentia, distincti proprijs relationibus, quibus inter se referuntur.* Et subdit, *Non benè dicunt, quòd eadem est notio in Patre & Filio, secundum quam dicuntur vnum principium Spiritus sancti.* Item Scotus 1. d. 12. quæst. 1. §. *Quantum ad istum.* concedens, *Quòd Pater & Filius spirant Spiritum sanctum voluntate vna, quæ est in Patre & Filio, & ante ordine originis intelligitur in eis, quam intelligatur habere terminum adæquatum. Et ideo voluntas, vt in eis, est idem principium productiuum Spiritus sancti:* & numquam ad hanc spirationem requirit aliam communem relationem spirationis actiuæ. Et sequuntur ex recentioribus Zumel hic disp. 2. conclusione 1. §. *Solutio.* Albertinus in Prædicamento ad aliquid. corollar. 15. q. 15. dub. 1. conclusione 3. Arrubal hic disp. 129. c. 3. Florauantius l. 2. pag. 57.

Tertiæ conclusionis probationes.

19. *Probatur primo ex Toletano 11.*

Prima probatio duci potest ab authoritate Toletani 11. in Fidei professione multò post principium ita confitentis, *Spiritus sanctus ad Patrem & Filium relatiuè refertur.* Non potest autem referri ad Patrem vt Patrem, quoniam esset Filius; neque ad Filium vt Filium, quoniam esset Pater. Ergo refertur ad Patrem & Filium, in quantum personæ sunt origine antecedentes processionem per voluntatem: sub qua ratione licet includant vim spirandi, non tamen includunt relationem ad spiratum, quæ ad personam aliquam constituendam spectare non potest, & actiuam atque passiuam spirationem non antecedit vt principium ipsarum, sed potius consequitur: natura enim relationum, quæ in origine fundantur, hæc est, vt originis necessarium fundamentum præsupponant, non præcedant. Præterea

Ex Anselmo. Anselmus de hac principij spiratiui vnitate sæpe tractans, ob quam Pater & Filius vnum Spiritus sancti principium esse dicuntur, numquam aliud affert nisi vnitatem essentiæ sub duabus personalitatibus Patris, & Filij, & ne verbum quidem de communi spirandi relatione. In Monologio c. 52. circa med. *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius, sed ex eo in quo vnum sunt. Nam non ex relationibus suis, sed ex ipsa sua essentia emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.* & cap. 11. ante med. *Spiritus sanctus non est de hoc, vnde alij sunt ab inuicem Pater & Filius, sed de diuina essentia, in qua vnum sunt.* Et ideo, subdit paulo post, *non dicimus duo eius principia, sed vnum principium.* Et cap. 16. initio, *Constat, Spiritum sanctum esse de Filio, sicuti est de Patre; nec tamen esse de duobus, sed de vno: ex eo enim quod Pater & Filius vnum sunt, id est, ex Deo, & est Spiritus sanctus; non ex eo, vnde alij sunt ab inuicem: sed quoniam Deus, de quo est Spiritus sanctus est Pater & Filius, idcirco verè dicitur esse de Patre & Filio, qui duo sunt.* Quod dictum Anselmi, vt benè exponit S. Thomas 1. d. 29. quæst. vnica art. 4. circa medium corp. non est intelligendum de Deo simpliciter, quia cum Spiritus sanctus sit etiam idem Deus, ipse etiam esset principium sui ipsius: sed de Deo vt stat sub personalitatibus Patris & Filij, origine antecedentibus processionem per voluntatem.

20. *Probatur secundò ex essentiali ratione relationis spirandi.*

Probatio secunda dicitur ex natura communis relationis spirandi. Illa enim ipsimet aduersariis fatentibus, non pertinet ad formalem constitutionem personarum Patris & Filij, vt supra art. 2. n. 39. breui-

ter attigi, & infra in proprio loco vberius ostendam, & perspicuè docuit S. Thom. verbis supra art. 2. n. 46. adductis, & aliis in locis, de quibus infra. Est igitur ista relatio concipienda aduenire Patri & Filio, formaliter & perfectè constitutis in suo esse personali. Non potest autem concipi sic aduenire, nisi vt resultans, vel quasi resultans ex processione Spiritus sancti: sicut enim vnum attributum concipitur, vt ratio alterius; ita origo Spiritus sancti concipienda est vt ratio ob quam spirandi relatio conueniat Patri & Filio: ita vt Pater & Filius ideo referantur ad Spiritum sanctum, quia illum spirant; & non contra, ideo spirent, quia referūtur. Si enim hæc spirandi relatio, non est personalis, sed pura relatio, nullum aliud munus habens, nisi merè referendi ad terminum productum, subire debet essentialem regulam relationum prædicamentalium fundatarum in actione, & passione, quæ ex actione & passione resultant. Quod apertissime scripsit S. Thomas infra q. 40. art. 4. verbis relatis supra n. 17. & magis explicaui supra q. 28. art. 4. n. 33. Ex natura explicata talis relationis, euidenter sequitur, illam spectare non posse ad constituendum principium processionis Spiritus sancti. Si enim hoc principium origine præcedit, processionem. ergo ad illud constituendum pertinere non potest, quod processionem non præcedit, sed consequitur. Ergo si hæc relatio consequitur processionem, in qua fundatur, vt probatum est, videtur non posse intelligi, ex illa & diuina voluntate constitui in Patre & Filio vnum principium spiratiuum processionis Spiritus sancti.

21.

Confirmatur probatio. Ista relatio non pertinet ad principium *quod*, quia non est relatio suppositi, cuius propriè est operari *vt quod*. Non pertinet ad principium, *quo*, quia non est ipsa ratio, seu formalis virtus agendi, cum sit purus ordo referentiæ ad terminum: & cum non pertineat ad naturam vt natura est, sed ad duas tantum personas, habere consequenter non potest formalem rationem virtutis actiuæ, quæ ad naturam pertinet. Præterea non est necessaria vt distinguat Patrem & Filium à Spiritu sancto, cum hæc distinctio sufficientissimè habeatur per ipsas personalitates Patris & Filij. Sed præter duas rationes principij, *vt quod*, & *vt quo*, & præter rationem conditionis necessariæ ad distinguendum principium à principiato, nulla alia assignari potest necessitatis aut congruentiæ ratio, propter quam illa relatio poni debeat vt constitutiua principij spiratiui. Ergo talis constitutio non est admittenda.

22. *Probatur tertiò ex ratione paternitatis.*

Tertia probatio sumitur ex ipsa ratione diuinæ paternitatis. Hæc enim quia est adæquata personalitas Dei Patris, præscindendo à quacunque alia relatione, ideo est satis ad constituendum principium immediatè generans, & producens per intellectum, vt omnes fatemur. Ergo etiam satis esse debet ad constituendum principium immediate spirans, & producens per voluntatem. Consequentia est manifesta, quia certum est, idem suppositum esse cognoscens & amans: & ad amandum, præter suppositum, & naturalem voluntatem, nihil aliud requiritur nisi præcedens cognitio, quæ ab eodem supposito præhabetur; eaque habita, est inintelligibile cur præterea ad amandum prærequiratur in eodem supposito aliqua alia conditio necessaria ad constituendum principium amandi, quæ non requirebatur ad constituendum principium cognoscendi. Et ideo non exaggeratè dixit Suarez

Suarez.

supra cap. 4. num. 5. quod hæc *est potissima ratio quæ me mouet.*

23. *Probatur quartò ex ratione filiationis.*

Quarta probatio sumi etiam potest ex personalitate alterius spirantis Filij: quoniam filiatio, vt adæquata personalitas Filij, producta per intel-

lectum, præsupponitur tamquam prior origine ad personalitatem Spiritus sancti productam per voluntatem: sicut enim intellectus ex proprio conceptu est prior voluntate, ita productio per intellectum de se est prior productione per voluntatem. Ergo Filius Dei ex vi propriæ suæ processionis per intellectum debet intelligi recipere à Patre voluntatem ante productionem Spiritus sancti in prioritate originis debet intelligi habere in se voluntatem fœcundam. Ergo etiam simul cum Patre, immediatè producere per voluntates, & spirare. Sed Pater, vt probatum est, spirat antequam intelligatur illi aduenire relatio spiratoris. Ergo ita pariter spirat Filius. Atque hæc est à priori ratio, vt relatio spiratoris non habeat propriam aliquam subsistentiam, quia scilicet aduenire intelligitur personis, perfectè & vltimatò subsistentibus. Et ideo
S.Thomas. bene probat S. Thomas opusc. 2. de compendio Theologiæ cap. 60. post med. quod in vna persona non possunt intelligi *plures proprietates per se subsistentes*, alioquin, inquit, *essent iam plures personæ, & non vna. Oportet igitur intelligi, quod plurium proprietatum seu notionum, vni personæ conuenientium, illa quæ præcedit secundum ordinem naturæ, personam constituat; aliæ verò intelliguntur vt personæ iam constitutæ inhærentes. Communis autem spiratio, ordine naturæ præsupponit paternitatem & filiationem, sicut processio amoris processionem Verbi.* Quibus verbis certum est, quod quidquid de natura huius communis relationis in superioribus diximus, est expressa sententia S. Thomæ, qui etiam de Potentia q. 10. art. 5. ad 5. clarissime scripsit, *Relatio communis spirationis non est proprietas personam constituens, sed est relatio, personæ subsistenti inhærens.* Sed de hac re plura inferius.

Tertiæ conclusionis impugnationes.

24. *Prima obiectio.* Obiicies primò præcipuum aduersariorum fundamentum, quia ex Lugdunensi, Florentino, & Patribus supra num. 1. Pater & Filius non sunt duo Spiritus sancti principia, sed vnum; & in iis non est duplex spiratio actiua, sed vna, & consequenter, vna, & eadem spirandi virtus, vtrique realiter communis. Hoc autem dogma non videtur posse saluari, si dicamus, immediatum principium productiuum Spiritus sancti non esse vnum principium *vt quod*, constitutum ex essentia vna, & vna communi relatione spirandi, sed esse duas personas realiter distinctas Patris & Filij, prout abstrahunt à relatione spirationis actiuæ. Si enim duo realiter distincta suppositia principiant, ergo illa pariter sunt duo realiter distincta principia. Ergo ad saluandam vnitatem principij spiratiui ex necessitate poni debet vnum singulare, siue indiuiduum constitutum, commune Patri & Filio, quod sit immediatum principium Spiritus sancti.

Respondetur principium spirandi dici vnum propter vnã formam, non propter vnam conditionem. Respondeo, Principium, & virtutem spirandi, duo intrinsecè importare, alterum vt formam, & hæc est absoluta voluntas, vna & eadem in Patre & Filio, sicut etiam in Spiritu sancto. Alterũ vt conditionem, seu complementum formæ, & hoc sunt duæ tantum personalitates respectiuæ realiter distinctæ Patris & Filij, quatenus conueniunt in hoc vno conceptu, quòd vtraque sit personalitas improducta per originem à voluntate, ac proinde prior origine producta per voluntatem. Quod habetur tantum in duabus primis personis, & non in tertia persona Spiritus sancti; & satis est ad hoc, quòd diuina voluntas, vt coniuncta cum talibus personalitatibus, sit fœcunda, & habeat omnino completam virtutem spirandi, & actu spiret, etiam si nullam aliam relationem in illa voluntate concipiamus. Quando igitur Concilia definiunt, & Patres docent vnum principium & vnam spirationem, intelligunt de principio formali, à quo solo immediate promanat spiratio passiua; non de conditione suppositi, à qua, præcisè ac per se considerata, verè ac realiter nihil procedit, quamuis sit complementum intrinsece requisitum vt terminus ab illo principio procedat; quia in diuinis distinguit principium à suo principiato. Intelligunt præterea de spiratione, quæ sit ex se & formaliter ipsa actio producendi, non de conditione & complemento actionis, ad hoc vt ex illa, tamquam ex medio quo vltimato, promanet spiratio passiua, & Spiritus sanctus. Sicut si vna numero albedo esset in duabus quantitatibus, propter vnitatem formæ & principij formalis, diceretur simpliciter esse in illis vnicum principium, & vnica virtus disgregandi visum, tametsi duplex esset extensionis conditio necessaria ad disgregandum.

25. S.Thomas. *Quo modo Pater & Filius dicantur vnum principium vt quod.* Quamobrem hæc Conciliorum & Patrum interpretatio fit probabilissima ex generali illa sancti Thomæ regula supra num. 2. 7. & 8. docente, non esse necessariam vnitatem subiecti vel suppositi, sed satis esse vnitatem formæ, ad hoc vt nomen substantiuum, cuiusmodi est hoc nomen, Principium, dicatur vnum. Vnde cum dicitur, Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, in quantum sunt vnum, ipsemet 1. d. 11. quæst. vnica art. 2. corp. ita optime distinguit, *ly, in quantum, potest dicere conditionem agentis, vel principium actionis. Si dicat conditionem agentis, vel operantis, sic procedit Spiritus sanctus à Patre & Filio, in quantum sunt plures, & in quantum sunt distinctæ personæ. Si autem dicat conditionem principij actionis, sic dico, quòd procedit ab eis, in quantum sunt vnum.* Quapropter minus rectè obiectio requirit vnum principium *vt quod*, tamen illud, *Vnum*, debet intelligi vt cadens tantum supra *principium*, propter vnitatem formæ illo nomine significatæ; non vt cadens etiam supra illud, *vt quod*, hoc est, supra suppositum illius formæ: sic enim inquit S. Thomas hic ad 1. *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt plures.* Et clarius, & acutius ad 4. *Cum dicimus, Pater & Filius sunt vnum principium, hoc quod dico Principium, non habet determinatam suppositionem, imò confusam pro duabus personis simul.* Et iterum ad 5. *Hoc quod dico Principium, non supponit pro vna persona tantum, sed indistinctè pro duabus.* Quamuis igitur S. Thomas fateatur vnitatem ex parte principij simpliciter, tamen nullam vnitatem agnoscit ex parte principij *vt quod*, siue suppositi habentis formam, substantiuè significati. Præterea ne ipsi quidem aduersarij, illo constituto ex essentia & relatione spirandi, præcisè considerato, saluare possunt principium *vt quod*: cum illud constitutum, ipsis etiam fatentibus, neque sit suppositum, neque aliquid per se subsistens propria aliqua relatiua subsistentia, quo modo subsistunt diuinæ personalitates: sed est essentia per meram quamdam relationem immediatè affecta. Quod quidem constitutum, cum non sit suppositum, neque subsistens subsistentia relatiua, videtur omnino male constitutum pro principio productiuo ad intra adæquato & completo. Quod si in ratione principij *vt quod*, præter hoc constitutum includunt etiam ipsas personas Patris & Filij, cum quibus verè ex doctrina S. Thomæ supra, coniungitur immediatè communis relatio, & non immediatè cum essentia, vt aliqui aduersarij significare videntur, iam ipsi etiam tenentur admittere pluralitatem principij vt quod, cum vnitate principij simpliciter. Atque idem

idem dicendum de spiratore, quod dictum est de Principio. Sed de vtroque cautè est aduertendum, quòd tam Principium, quam spirator, cum dicitur, Pater & Filius sunt vnum principium, vnus spirator, à nobis sumitur formaliter prout concretum originis, quod præcisè concipitur vt fundamentum relationis, sicut est Genitor; non autem sumitur prout est relatiuum formale, sicut est Pater: sic enim certum apud omnes est, hoc relatiuum in esse formali talis relatiui, nempe ad Spiritum sanctum non constitui per paternitatem, aut filiationem, sed per vnam numero relationem spirandi, æqualiter communem Patri & Filio.

26. *Secunda obiectio ex Augustino, Anselmo, Bessarione, Florentino.* Obiicies secundo Augustinum l. 5. de Trinitate cap. 14. fine dicentem, *Pater & Filius relatiuè ad Spiritum sanctum, vnum principium.* Sic autem dici non possunt per paternitatem & filiationem; tum quia hæ relationes cum sint duæ realiter distinctæ, non possunt constituere vnum principium: tum quia per has Pater & Filius relatiuè dicuntur inuicem, non autem ad Spiritum sanctum. Ergo sic dicuntur per aliam tertiam spirationis actiuæ relationem. Item Anselmum sæpe docentem in epistola de Processione Spiritus sancti, relatiuè dici Deum de Deo, & hunc non solum esse Filium, cuius principium est solus Pater, sed esse etiam Spiritum sanctum cuius principium sunt Pater & Filius. Item Bessarionem in oratione dogmatica cap. 6. Sanctorum authoritate probantem, quòd Pater & Filius à Spiritu sancto non distinguuntur, nisi quatenus ad illum referuntur: insuper quòd non referantur ad illam, in quantum sunt Pater & Filius, sed alia relatione. Ergo non sunt principium Spiritus sancti in quantum sunt Pater & Filius, præscindendo ab alia relatione. Quod antea in eodem Concilio Florentino sess. 25. multo post medium docuerat Mylitensis Episcopus, ex sententia etiam Latinorum Patrum, nempe, *Spiritum sanctum sese neque ad Patrem, neque ad Filium referri, quatenus Pater & Filius sunt, quòd Spiritus per se relatiuum non est: ratione vero qua Spiritus est ad spirantem referri.*

Respondetur nos loqui de principio vt productiuo, non vt relatiuo. Respondeo ex dictis, hæc omnia verificari de principio vt relatiuo ad Spiritum sanctum. Formalis vero quæstio nostra est non de hoc principio, sed de principio vt productiuo Spiritus sancti. Concedimus igitur cum Augustino, vnum principium, non productiuè, sed relatiuè dici per vnam spirandi relationem. Hunc etiam relatiuum conceptum aliquando considerauit Anselmus, sed sæpe considerauit alium conceptum formaliter productiuum absque vlla relatione ad Spiritum sanctum, sed cum sola paternitate & filiatione, vt supra num. 19. Bessarion quoque loquitur de distinctione quam habet principium vt relatiuum à suo correlatiuo; non de distinctione quam habet principium vt producens à producto. Concedo præterea, Patrem & Filium non referri ad Spiritum sanctum, in quantum sunt Pater & Filius, sed alia communi relatione spiratoris. Quare cum hic infertur, ergo non sunt principium vt Pater & Filius, id verum est de principio vt formaliter relatiuo, & de Patre & Filio sub explicito conceptu relatiuo Patris & Filij; falsum vero de principio vt formaliter productiuo, & de Patre & Filio sub explicito conceptu duarum personarum origine antecedentium processionem per voluntatem. De hoc enim principio sub his explicitis formalitatibus accepto dixit
S.Thomas. S.Thom. hic ad 1. *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt plures:* & sicut idem magis explicat ad 7. *vt sunt duæ personæ distinctæ.* Demum sensus Mylitensis Episcopi est, Spiritum sanctum sub isto nomine præcisè & per se consideratum, non esse relatiuum. Consideratum vero vt Spiritum Patris & Filij, referri correlatiuè ad Patrem & Filium, non vt formaliter & explicitè sunt Pater & Filius, sed vt sunt spirantes, hoc est, vt habent communem vnam numero relationem actiuæ spirationis. In quo sensu nihil omnino est, quod ego non admittam.

27. *Tertia obiectio.* Obiicies tertio. Principium explicitè & formaliter intelligi non potest, nisi reali distinctione intellecta à principiato. Sed intellecto Patre & Filio simul cum essentia & amore absoluto, præscindendo à relatione spirationis actiuæ, non intelligitur aliqua realis distinctio eorum à Spiritu sancto. Ergo nec ratio principij Spiritus sancti. Confirmatur primo, quia in diuinis sola relatio originis constituit principium; qualis non sunt paternitas & filiatio in ordine ad Spiritum sanctum. Confirmatur 2. quia Pater & Filius realiter distinguuntur à Spiritu sancto in quantum sunt principium illius. Sed non distinguuntur realiter in quantum habent essentiam diuinam & amorem absolutum. Ergo vt sic non sunt principium Spiritus sancti.

Respondetur Patrem & Filium, etiã præcisa spiratiua relatione distingui à Spiritu sancto. Respondeo, concessa Maiore, nego Minorem. Si enim spirandi relatio non constituit personam, vt sæpe & clarissime docuit S. Thomas, quod ipsi etiam aduersarij admittunt; ergo præscindendo à tali relatione, adhuc remanet adæquate & totaliter conceptus personæ Patris, & personæ Filij: ergo cum reali distinctione à persona Spiritus sancti; quia de fide est, diuinas personas, vt formaliter personas, distingui realiter inter se. Ad primam confirmationem, concesso simpliciter antecedente, dico, paternitatem & filiationem esse aliquo modo relationes originis Spiritus sancti, nimirum constituendo principium productiuum Spiritus sancti, non constituendo principium relatiuum ad Spiritum sanctum; quo etiam modo paternitas est relatio originis Filij. Sed hoc est necessarium in prima productione per intellectum, quæ nullam aliam productionem præsupponit; non autem in secunda productione per voluntatem, quæ aliam præsupponit prioritate originis. Ad secundam confirmationem, cum in Maiori dicitur, Pater & Filius realiter distinguuntur à Spiritu sancto *in quantum sunt principium* illius, distinguo hoc vltimum; si reduplicetur adæquatè totum quod includitur in ratione principij, hoc est, & formalis ratio principiandi, & necessaria conditio ad principiandum, vera est Maior; sed tunc in Minore diminutè ponitur ratio formalis, nempe essentia & amor absolutus, omissa conditione, nempe paternitate & filiatione; & ideo nulla est consequentia. Si vero reduplicetur tota ratio formalis principiandi, in quo sensu sumi debet ab aduersariis iuxta sensum Minoris, falsa est Maior:
S.Thomas. nam vt ex S.Thoma notabam supra quæst. 27. art. 2. num. 45. potentia seu forma, qua diuinæ personæ producunt, est quid absolutum commune Patri, Filio, & Spiritui sancto, sicut infra quæst. 41. art. 5. ad 3. dicitur, *Quantum ad essentiam, quæ significatur in recto potentia generandi communis est tribus personis. Quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ Patris.* & idem de potentia spirandi.

28. *Quarta obiectio.* Obiicies quarto. Per nos tota ratio formalis constitutiua principij spiratiui, est absoluta. Ergo Pater & Filius, in quantũ sunt principium Spiritus sancti nullã prorsus vnitatem habent, quam non habet etiam Spiritus sanctus. Quod quidem videtur absurdum, quia Patres & Scholastici superius allati, notionalem aliquam vnitatem constituunt inter Patrem & Filium, quæ repugnet Spiritui sancto.

Respondetur cum S. Thom. formalem potentiam producendi ad intra esse in omnibus tribus personis.

Respondeo, cum disputamus de principio spiratiuo, non esse confundenda, quæ S. Thom. loco citato accuratè distinguit, nec Scholasticis terminis abutendum. *Ratio formalis constitutiua principij spiratiui*, quæ in antecedente vsurpatur, non debet significare omne id quod ad spirandum est necessario prærequisitum, siue sit forma, vel, vt citata quæst. 41. art. 5. vocatur à S. Thoma, *potentia*, quæ inquit, *in quocunque agente, propriè dicitur illud, quo agens agit*; siue sit conditio, aut connotatum, quo modo loquitur S. Thomas ibidem, de paternitate dicens, *Non potest intelligi vt quo Pater generat, sed vt constituens personam generantis*; sed debet significare formam tantum, & potentiam, & sic concedo antecedens cum S. Thoma ibi ita docente ad 1. *Potentia non significat ipsam relationem principij, sed id quod est principium, non quidem sicut agens, sed sicut id quo agens agit*; & subdit, quòd in diuinis, *id quo generans generat est commune genito & generanti, & idem numero*. Igitur concesso antecedente, vt formaliter loquitur, nullum videri debet absurdum, si cum eadem formalitate concedatur consequens; cuius sensus sit, quod eadem formalis ratio principij spiratiui, siue eadem formalis spirandi potentia, quæ est in Patre & Filio, sit etiam in Spiritu sancto: sicut S. Thomas supra de potentia generandi dixit, *communis est tribus personis*. Neque Patres vnam aliquam notionem postulant in Patre & Filio repugnantem Spiritui sancto vt constituant principium spiratiuum quoad puram rationem formalem, & potentiam spirandi; sed solum vt constituant principium spiratiuum sub ratione relatiua ad Spiritum sanctum. Quæ autem necessitas sit huius relatiuæ constitutionis, & quo modo ista relatio adueniens personis, non adueniat vt accidens, dictum est sufficienter supra quæst. 28. art. 4. num. 8.

29. *Quinta obiectio.*

Obiicies quinto. Si vnitas solius virtutis sufficit vt duo suppositа denominentur vnum principium. Ergo à contrario, sola pluralitas virtutum sufficiet vt vnum suppositum denominetur duo principia. Ergo Pater, in quo sunt duæ virtutes productiuæ, altera generatiua Filij per intellectum, altera spiratiua Spiritus sancti per voluntatem, saltem ratione ratiocinata distinctæ, dici poterit duo principia, scilicet Filij, & Spiritus sancti. Quod quidem

Intra Deum non esse duo propria.

negatur à S. Thoma hic ad 2. & à reliquis omnibus qui nolunt simpliciter concedere, Deum esse duo principia: ita vt nec etiam Pater vt generans, & Filius vt spirans, sint duo principia. Quod non obscurè significarunt Patres Latini in Fidei professione ad Græcos missa in Concilio Florentino sess. 25. §. *Quibus Latini.* ita incipientes, *Quoniam Græci suspicantur, nos duo principia in Trinitate profiteri; idcirco hanc habentes sententiam anathemate notamus.* Si autem Pater & Filius quomodolibet essent duo principia, iam ponerentur duo principia in Trinitate.

Florentinū.

Anselm.

Et multò clarius docuit Anselmus epistola de Processione Spiritus sancti cap. 11. non longè à fine, vbi cum dixisset, *quòd dici potest Pater principium Filij, & Pater & Filius principium Spiritus sancti*, ita subdit, *Nec tamen duo confitemur principia: vnum Patrem ad Filium; alterum, Patrem & Filium ad Spiritum sanctum: sicut non credimus, alium Deum, Patrem de quo est Filius; & alium Deum, Patrem & Filium de quo est Spiritus sanctus; quamuis de eodem Deo, siue de eodem principio suo quisque modo sit; alter scilicet nascendo, alter procedendo.* Et paulo post, *Non enim duas possumus dicere causas, aliam videlicet Filij, aliam Spiritus sancti, sed vnam: quemadmodum non duo Dij sunt, sed vnus Deus, de quo est Filius, & Spiritus sanctus.*

Respondetur ad pluralitatem nominis

Respondeo, negando primam consequentiam, & disparitatem esse, quam breuiter, & paulò obscurius assignauit S. Thomas ad 2. dicens, *quòd propter plures proprietates non potest dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorū.* hoc est, ad pluralitatem nominis substantiui concreti, cuiusmodi est hoc nomen, Principium, non satis est pluralitas formæ, sed requiritur etiam pluralitas suppositorū. Et ratio est, quia concretum substantiuum, significat per modum per se stantis non solum formā, sed etiā suppositum. Ergo vt multiplicetur, debet multiplicari tā forma, quam suppositum: & ideo semper dicitur vnum, tā si vna sit forma, & plura sint suppositа; vt tres diuinæ personæ dicūtur vnus Deus propter vnam numero naturam omnibus communē, & si tres diuinæ personæ assumerent eamdem numero humanitatem, essent vnus homo, vt docet expressè S. Thom. 3. p. q. 3. art. 6. ad 1. & sic in casu nostro duæ personæ dicuntur vnum principium, & vnus spirator, propter vnam communem spirandi potentiam: quàm si contra, vnum sit suppositum, & plures sint formæ; vt vnus Artifex substantiuè denominatur is, in quo sunt diuersæ artes. Sic Pater dici debet, vnicum principium, quamuis duas habeat principiandi virtutes, præsertim indistinctas in re: sed idem esset, etiam si re distinguerentur, vt patet de duabus artibus in vno artifice. Pater quoque vt generans, & Pater ac Filius vt spirantes, sunt vnum principium; quoniam etsi duo sint suppositа, tamen vna est in illis potentia spiratiua: & quamuis sit alia virtus in Patre vt generante, tamen quia is vt generans, non est suppositum distinctum à se ipso vt spirante, adhuc remanet vnitas principij. At vero concretū adiectiuum, quia significat per modum per se stantis solum subiectum, non formam, ideo multiplicatur ad multiplicationem solius subiecti; quidquid sit de pluralitate, aut vnitate formæ. Vnde sicut v. g. lac, in quo sunt plures qualitates albedinis, dulcedinis, &c. non dicimus esse plura qualia, seu subiecta qualificata; ita contra, si vna numero forma, v. g. albedo, esset in duobus subiectis, deberent dici plura alba, hoc est plura subiecta albificata vna albedine. Sic in diuinis adiectiuè dicimus plures sapientes, omnipotentes, &c. quamuis vna sit in omnibus sapientia, omnipotentia, &c.

substantiui requiri pluralitatē formæ, & suppositi.

S. Thomas.

30. *Sexta obiectio.*

Obiicies sexto. Ad intelligere essentiale in natura diuina nostro modo concipiendi, consequitur immediatè relatio paternitatis, per quam illa natura completur in ratione principij generatiui. Ergo pariter ad diligere essentiale consequi immediatè debet aliqua alia proprietas, per quam eadem natura compleatur in ratione principij spiratiui; quæ alia esse non potest nisi relatio spirationis actiuæ. Ergo hoc principium constitutum ex diuinitate, & tali relatione, erit immediatum principium spirandi.

Respondetur negādo antecedens & cōsequentiam.

Respondeo 1. falsum esse antecedens. Nam, vt ex instituto probaui supra q. 33. art. 4. à num. 32. prima personalitas Patris non concipienda est resultare ex actu intelligendi, vel amandi, sed ex ipsa natura ex se, in quantum ex se est substantialis natura omnino infinita, & fœcundissima, ac realiter communicabilis; quod præstare non posset, nisi fieret distincta à termino producendo per aliquam incommunicabilem personalitatem. Secundo admisso antecedente, negari potest consequentia. Nam satis est, vt ad diligere concipiatur resultare eadem paternitas, non quatenus prior origine productione per intellectum, sic enim concipi deberet resultare ad intelligere; sed quatenus prior origine productione per voluntatem; sub qua ratione probauimus, Paternitatem esse sufficiens constitutiuum, seu completiuum principij spiratiui.

DVBI

DVBITATIO III.

Quo modo Spiritus sanctus duas personas postulet ad sui productionem.

SVMMA.

1. *Probatur postulare per se & necessario ratione sui ipsius, num. 31. ad 40.*
2. *Occurritur duabus rationibus in oppositum, num. 40. ad finem Art.*

31. Postulare per se & necessario ratione sui ipsius.

VNica conclusio. Spiritus sanctus à Patre, Filioque producitur per se & necessario, non solum ex parte producentium, vt omnes concedunt, quatenus eadem communis virtus spirandi, necessario & per se est in Patre & Filio, & per illam Pater & Filius necessario & per se producunt; sed etiam ex parte termini producti, quatenus Spiritus sanctus, vt talis persona est, postulat per se, & non per accidens, procedere à duabus personis Patris & Filij: ita vt si per impossibile Spiritus sāctus vel à solo Patre, vel à solo Filio procederet, non esset eadem Spiritus sancti persona, quæ nunc est. Est multò cōmunior opinio, præsertim apud recentiores, qui de hac re distinctius & copiosius disputarunt. Ita Torres hic in 3. p. Commentarij, dub. vlt. Bagnes §. *Circa solutionem.* Bellarminus l. 2. de Christo cap. 27. prope finem apertè & optimè ita distinguens, *Mundus producitur necessariò à tribus, necessitate producentis, non necessitate producti. At Spiritus sanctus producitur à duobus necessariò, necessitate producentium, & necessitate producti.* Quare à quibusdam hoc eodem loco malè refertur in cōtrarium. Item Molina hic disp. 5. Zumel disp. 4. conclusione 2. & 3. Florauantius l. 2. pag. 58. & notatione 39. Valentia quæst. 10. de Trinitate puncto 5. fine ad Suarez l. 10. de Trinit. cap. 6. Vasquez disput. 150. cap. 2. Ruiz disp. 71. Albertinus in Prædicam. ad aliquid. Corollario 15. q. 15. dub. 1. conclusione 4. Arrubal hic disput. 130. cap. 2. Nazarius controuersia 3. conclusione 3. Zuniga disp. 11. dub. 4.

Authores cōclusionis.

32. Idem quoque omnes meritò tribuunt S. Thomæ hic ad 1. docenti, *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio vt sunt plures: procedit enim ab eis, vt amor vnitiuus duorum.* Et ad 7. *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt duæ personæ distinctæ.* Et similia habet 1. d. 11. q. vnica art. 2. circa med. Corp. & art. 4. ad 2. & clarius de Potentia quæst. 10. art. 2. ad 15. *Cum Spiritus sanctus sit amor mutuus & nexus duorum, oportet quod à duobus spiretur.* Et ideo hoc sequuntur omnes Thomistæ, Capreolus 1. d. 12. quæst. vnica, conclusione 4. Caietanus hic, §. *In responsione ad primum.* Ferrariensis 4. contra gentes cap. 25. circa finem & alij. Idem præterea significat breuiter Alensis p. p. quæst. 46. membro 5. ad 3. dicens, *Productio Spiritus sancti necessario requirit, quòd non sit ab vno solo, sed à pluribus.* Contrarium vero tenent Scotus 1. d. 12. quæst. 1. §. *Contra istam.* & §. *Quantum ad istum.* Durandus quæst. 3. num. 9. & 10. & d. 12. q. 1. n. 12. & 13. Ochamus d. 12. q. 1. ante med. & quæst. 2. cum Gabriele d. 12. quæst. 2. art. 1. notabili 1. & 2. & art. 2. Aur. d. 12. quæst. vnica art. 1. Propositione 2. & art. 3. Propositione 3.

Aduersarij conclusionis.

33. *Conclusionis fundamentū.*

Fundamentum præcipuum videtur, quia vt infra probabitur, Spiritus sanctus constituitur in suo esse personali formaliter, non per proprietatem aliquam absolutam, sed per solam procedentis relationem ad suum principium. Ergo ab illis personis per se procedit, quos per se relatiuè respicit. Omnis autem relatio, per se & vi sua formali ac necessaria respicit suum terminum adæquatum, ita vt vario suo termino formali adæquato, non possit concipi remanere eiusdem rationis & formalitatis relationem. Sed hæc Spiritus sancti relatio personalis, quæ de facto est, nunc pro termino suo formali & adæquato habet Patrem & Filium vt spirantes. Ergo hunc terminum respicit per se, & necessario, hoc est, ex vi intrinseca huius suæ propriæ personalitatis & processionis: ita vt si per impossibile procederet à solo Filio, esset quidem persona distincta à Patre, sed haberet personalem relationem alterius rationis, scilicet vi sua formali & propria terminatam adæquatè & immediate ad solum Filium: quemadmodum in simili casu supra art. 2. diximus de filiatione diuina, non futuram eamdem, quæ nunc est, si Spiritus sanctus procederet à solo Patre.

34. *Tres modi dicendi contra præcitatū fundamentū.*

Totus discursus est euidens, excepta illa Minore subsumpta, Spiritus sancti relatio nunc terminatur per se ad Patrem & Filium, non vt generantem & genitum, sed vt spirantes, seu producentes eadem vnica spiratione. Quæ quidem tripliciter negari potest. Primo si cum pleriſque in Philosophia teneas, relationem effectus non terminari formaliter ad agens vt agens, siue vt absolutum, quod relationis est fundamentum, sed ad agens vt correlatiuum est per suam formalem relationem ad passum vt formaliter respectiuum: vnde in Theologia consequenter dicas, Spiritum sanctum non respicere per se Patrem & Filium vt spirant seu producunt, quod est proximum fundamentum relationis spiratoris; sed solum vt formaliter referuntur ad Spiritum sanctum per vnam communē spirandi relationem. Secundo si dicas, Spiritum sanctum per se referri ad Patrem & Filium, non materialiter vt sunt hæc & illa persona, qua ratione distinguuntur; sed formaliter vt sunt principium spirandi, qua ratione sunt vnum: sicut multi Philosophi dicunt, Patrem creatum referri ad plures filios, non materialiter vt plures, sed formaliter vt filios; & ideo non variari paternitatem ad variationem filiorum; siue enim adueniat secundus filius v. g. siue esse desinat, semper remanere eamdem paternitatem. Tertio si dicas, referri quidem formaliter ad Patrem & Filium, non tamen ad vtrumque simul & determinatè, sed ad alterutrum indeterminatè, & sub disiunctione; ita vt loquendo de termino formali & adæquato, terminus sufficiens ita sit Pater per se, vt sit etiam Filius per se, & ideo vel ex hypothesi impossibili, vel per intellectus præcisionem, remoto siue Patre, remanente Filio; siue Filio, remanente Patre; semper inuariata remaneat eadem Spiritus sancti relatio. Verum his tribus dictis firmitas fundamenti minimè tollitur; sed potius magis apparet.

35. *An formalis terminus relationis sit respectiuus.*

Contra primū facit, quia contraria opinio, quòd scilicet formalis terminus relationis effectus sit agens vt agens, & non agentis correlatio, est & multò communior, & multo probabilior. Ex se enim apparet congruentissimum, & naturæ lumini omnino consentaneum, vt effectus illud formaliter ac principaliter per suam relationem respicere debeat, à quo pendet & esse habet: quod quidem non est correlatio agentis, sed ipsum agens vt formaliter agens. Idque egregiè intelligitur in relatione prædicamentali, quam habet creatura vt effectus Dei creantis, cui relationi nulla correlatio respondet ex parte Dei. Sicut igitur hæc relatio formaliter & essentialiter non respicit correlatiuum, cur non pariter reliquæ omnes? Adde ex Philosopho 5. Metaph. textu 20. communissimè recepto, inter mensuram, & mensuratum dari relationem prædicamentalem ex parte mensurati

Aristoteles.

surati dependentis à mensura, non ex parte mensuræ independentis à mensurato; v. g. ex parte scientiæ ad scibile, non ex parte scibilis ad scientiam. Sicut igitur in hoc relationis genere, mensuratum respicit mensuram, non vt correlatiuam, sed vt absolutam mensuram à qua in suo formali & absoluto esse mensurato dependet; ita in alio genere relationum fundatarum in actione & passione, effectus per suam relationem respicere debet id à quo per efficientiam dependet, non id quod ad ipsum refertur absque vlla dependentia. Ita quoque in diuinis, Spiritus sanctus per personalem suam relationem producti, & spirati, per se & immediate formaliter respicere debet Patrem & Filium, vt sunt duæ distinctæ personæ à quibus producitur & spiratur; non vt sunt vnum illius correlatiuum per relationem spirandi, quæ ex probatis dub. præcedente, nulla ratione concurrit ad constituendum principium ex quo procedit. Imo etiam Filius Dei genitus, quamuis ex parte sui principij generantis, non respondeat illi aliud quod sit generantis personalitas, & aliud quod sit generantis correlatio, quæ est paternitas, sicut in Patre & Filio, præter spirandi relationem, respondent Spiritui sancto paternitas & filiatio, quæ sunt personalitates; tamen quia diuina paternitas, ob eminentissimam sui perfectionem, habet tum formalem & explicitum conceptum personalitatis, tum formalem & explicitum conceptum relationis, seu correlationis ad Filium; & ex natura rei conceptus paternitatis vt est personalitas constituens personam generantem, est prior conceptu paternitatis, vt est relatio referens personam Patris ad Filium genitum; dici debet per suam filiationem per se formaliter ac præcisè respicere Patrem vt personam generantem, sub qua formali ratione ab illo esse accipit; & non vt correlatiuum ipsius, sub qua formali ac præcisa ratione Filius non se habet vt accipiens à Patre, sed vt purè terminans relationem paternitatis.

36. Hanc termini formalitatem, præcisam à correlatione, significasse videntur Patres potissimum in Spiritu sancto, cum loquentes de eius relatione, docent illius terminum esse Patrem & Filium, & nullam correlationis spirandi mentionem faciunt. Maximè fauent Beda Ioan. 8. in ea verba, *Principium, qui & loquor vobis*, vbi formales terminos quos per se respiciunt relationes constitutiuæ diuinarum personarum ita assignat, *Pater, quod ad se est, Deus est: quod ad Filium est, Pater est. Quod Filius ad se ipsum est, Deus est: quod ad Patrem est, Filius est. Spiritus sanctus quod ad se est, Deus est: quod ad Patrem & Filium, Spiritus sanctus est; quia Patris & Filij Spiritus est, ex Patre & Filio procedens.* Isidorus l. 7. Etymologiarum cap 4. med. *Cum dicitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, relatiuè dicuntur, quia ad se inuicem referuntur. Nam Pater, non ad se ipsum, sed ad Filium relatiuè dicitur, quia est ei Filius. Sic & Filius relatiuè dicitur, quia est ei Pater. Sic Spiritus sanctus, quia est Patris, Filiique Spiritus. His enim appellationibus hoc significatur, quod ad se inuicem referuntur.* Anselmus epistola de processione Spiritus sancti cap. 18. post med. *Est autem tribus commune, ad duos habere relationem. Pater enim ad Filium, & Spiritum sanctum refertur, sicut ad illos, qui desunt. Filius ad Patrem, & ad Spiritum sanctum, quia est de Patre, & Spiritus sanctus de illo. Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, quia est de vtroque.* Toletanum XI. in Professione Fidei col. 2. *In relatiuis personarum nominibus, Pater ad Filium & Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur.* & paulò post, *Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur, in eo quòd Spiritus Patris & Filij prædicatur.* Quæ verba habentur etiam in Concilio Vormacienli in Professione fidei ante medium. Omnes autem Patres, vt ex relatis eorum verbis cõstat, fundantur in Scripturis, quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Dei, & Patris, & Filij; quibus nominibus exprimuntur quidem diuinæ personæ à quibus procedit Spiritus sanctus; diuina autem spirandi relatio minimè exprimitur. Matth. 3. *Vidit Spiritum Dei descendentem.* Roman. 8. *Si Spiritus Dei habitat in vobis.* & infrà, *Quicumque Spiritu Dei aguntur.* 1. Cor. 2. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei.* & Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* & ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* & Roman. 8 *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et Ioan. 15 *Spiritus veritatis*, hoc est, Filij, qui ex vi formali suæ processionis, Sapientia & veritas est.

Contra secundum dictum, de Patre & Filio materialiter terminantibus relationem Spiritus sancti, arguo ex probatis dub. præcedente, quòd paternitas & filiatio constituant principium spiratiuum, ita vt præcisa paternitate, & filiatione, impossibile sit Patrem & Filium spirare; & posita paternitate, & filiatione & præcisa quauis alia relatione, Pater & Filius sint sufficientissimum & completissimum spirandi principium. Non potest autem rationabiliter dici, quòd Spiritus sanctus vt spiratus, non per se & formaliter, sed materialiter & per accidens respiciat id quod per se & formaliter facit ad essentialem constitutionem principij necessarij & sufficientis vt spiretur. Sicut igitur vt loquitur S. Th. supra n. 32. *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt plures, vt sunt duæ personæ distinctæ:* ita ad Patrem & Filium refertur, vt sunt plures & distinctæ personæ; ac proinde necessario & per se ex vi formali suæ processionis, quam accipit ab illis vt pluribus & distinctis personis. Vnde ne in creatis quidem processionibus, suppositum in agente, materialiter se habet ad terminandam relationem effectus ad agens; cum sine vlla suppositalitate agens non sit in actu primo cum completè potens producere effectum.

Contra tertium dictum, de Patre & Filio, terminantibus quidem formaliter; sed sub indeterminatione, & disiunctione, arguo primo quia de facto relationem Spiritus sancti tam determinatè terminat Pater, quam determinatè terminat Filius. Ergo in hoc casu non habet locum ista terminatio indeterminata & disiunctiua. Secundo prædicta relatio necessario terminatur ad Patrem, & simul etiam necessario terminatur ad Filium: alioqui si non necessario ad aliquem terminatur, ergo superfluè; quæ est magna imperfectio, quæ ne in creatis quidem relationibus reperitur, vt scilicet aliqua relatio de facto & actu terminetur formaliter ad aliquem terminum, & simul ad illum terminetur superfluè, & non necessariò. Præterea si relatio Spiritus sancti actu formaliter terminatur ad vtrumque, & tamen necessario terminatur ad vnum tantum, pero quis nam sit iste necessarius terminus, Pater an Filius? Sed cur potius Pater, quam Filius; vel Filius, quam Pater, cum ex probatis supra art. 3. dub. 2. Spiritus sancti principium nõ magis sit vnus quã alius? Ergo illa relatio simul ad vtrũque terminum necessario terminatur. Ergo ad vtrumque etiã adæquatè, & non adæquatè ad hunc tantum, vel ad illum tantum. Ergo altero termino remoto, tametsi remaneat alter, ipsam in se relationem variari necesse est esset ex variatione sui termini formalis & adæquati, quem essentialiter respicit. Efficax igitur est ratio, quia ex eo quòd personalis relatio Spiritus sancti

37. *Relationem Spiritus sancti terminari formaliter ad Patrem & Filium.*

S. Thomas.

38. *Relationem Spiritus sancti non terminari ad Patrem & Filium sub disiunctione.*

sancti ex vi suæ propriæ ac formalis processionis terminatur formaliter & adæquatè ad duas simul personas, à quibus spiratur, deducitur quòd necessariò, & per se requirit duas simul personas Patris & Filij, ex quibus procedat, & spiretur.

39. *Probatur cõclusio alia ratione S. Thomæ.*

Hoc ipsum proculdubio probabilissimè suadet ratio S. Thomæ suprà num. 32. ducta ex eo quòd *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ait amor vtriusque duorum; & vt amor mutuus, & nexus duorum.* &, vt ait quæst. sequenti 37. art. 1. ad 3. *Ex hoc ipso quòd Pater & Filius se mutuò amant, oportet quòd mutuus amor, qui est Spiritus sanctus, ab vtroque procedat.* Quod enim ita procedit à Patre & Filio, vt ratione suæ processionis vniat & connectat duas personas, sese mutuò amantes amore reciproco, non potest non per se, & ex necessaria vi ac formalitate sua propria requirere duas simul illas personas ipsum producentes ac spirantes. Sic enim altera desit, essentialis conceptus vnionis & nexus duorum pereat necesse est: & mutui amoris ratio consistere nullatenus potest, si vnus cesset amare, & spirare per amorem simul cum alio amante, & spirante. Hoc argumentum tangit Augustinus lib. 6. de Trinit. c. 5. Augustinus. initio de Spiritu sancto dicens, *Sine sit vnitas amborum, sive sanctitas sive charitas, sive ideo vnitas, quia charitas, & ideo charitas, quia sanctitas, manifestum est, quòd non aliquis duorum est*, (hoc est, non Pater, non Filius) *quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatorémque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio, seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et paulò post ita concludit, *Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris & Filij, quidquid illud est.* Et in fine capitis, *Ideo non amplius quam tria sunt; vnus diligens eum, qui de illo est; & vnus diligens eum, de quo est; & ipsa dilectio.* Si Spiritus sanctus ex propria personæ suæ ratione, est ipsa dilectio Patris diligentis Fillum, & Filij diligentis Patrem, & ideo est vnitas, sanctitas, charitas Patris ac Filij, vtrumque coniungens in vinculo pacis, maximè per se postulat Patrem & Filium sese mutuò amantes, & ita ipsum spirantes. Clarius ac breuius totam argumentationem expressit Concilium Toletanum XI. in Fidei professione multò post principium illis verbis, *Spiritus sanctus simul ab vtrèsque processione monstratur, quia charitas, sive sanctitas amborum esse agnoscitur.* Toletanum XI. Cum Augustino consentit Hieronymus in Ps. 17. initio dicens, *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Vnde Paulus dixit, Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hieronym. Item Bernardus serm. 3. in die Pentecostes, multò post principium, *Spiritus sanctus quasi specialiter Spiritus dicitur, quòd ab vtroque procedat, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis.* Rom. 5.

Occurritur duabus rationibus in oppositum.

40. *Prima & præcipua obiectio.*

Obiicies primò præcipuũ aduersariorum fundamẽtum. Tota spirandi virtus est vna, non solũ in Patre & Filio simul, seu collectiuè, sed etiam singillatim in Patre solo, & in Filio solo: est enim vna numero, & prorsus eadem spirandi virtus tota in Patre, tota in Filio, non perfectior in duobus simul, quam in singulis. Præterea Pater & Filius non solũ simul, sed etiam seorsim sunt perfectum ac totale principium Spiritus sancti, alioqui singuli per se essent tantum principium partiale, quod est manifestum inconueniens. Ergo respectu termini, per hanc virtutem producti, est per accidens, illam virtutem esse in duobus suppositis: quia si esset in vno tantum supposito, terminus procederet ab eadem omnino virtute, quæ de facto est in duobus suppositis. Ergo esset, & procederet idem prorsus terminus. Ergo quòd de facto necessaria sit duarum personarum concomitantia ad Spiritus sancti productionem, non oritur per se ex necessitate ipsius Spiritus sancti, sed solum ex necessitate duarum personarum, quæ præsupponuntur simul cum eadem voluntate fœcunda ante productionem Spiritus sancti. Etenim cum de facto non solum fœcunda sit diuina voluntas, sed etiam fœcundus sit intellectus diuinus, cuius processio est ratione prior processione voluntatis, fit vt ante processionem voluntatis præsupponantur duæ personæ cum eadem voluntate fœcunda. Verum si intellectus esset sterilis, aut si voluntas esset fœcunda in Patre, non in Filio per intellectum producto, vel contrà, adhuc idem Spiritus per eamdem voluntatem ab vna tantum persona procederet.

Respondetur explicando integram rationem potẽtiæ notionalis.

Respondeo ex doctrina S. Thomæ adducta supra n. 25. & 28. quam infrà ex instituto probabo, Potentiam notionalem dicere duo: alterum principaliter, quod est præcisè id vnde verè & immediatè procedit terminus productus: alterum secundariò, quod non est formaliter potentia & virtus producendi, sed solum intrinsecum complementum potentiæ, constituens potentiam in actu primo completum in ratione producendi, quod, vt ait S. Thomas infrà quæst. 41. art. 5. loquens de complemento potentiæ generatiuæ Dei Patris, sed eadem est ratio in potentia spiratiua Patris & Filij, *Non potest intelligi vt quo Pater generat, sed vt constituens personam generantis*; quæ personæ ratio, præsertim in diuinis, vbi præcisis personalitatibus non remanet nisi essentia absque vlla distinctione intra Deum, ac proinde omnino inepta ad producendum aliquid ad intra, est per se simpliciter necessaria ad generandum & producendum. Hinc distinguo antecedens, & dico, quòd tota spirandi virtus, & perfectum spirandi principium est in Patre solo, vel in Filio solo, quoad primarium, & formale significatum, quod est voluntas: non autem quoad secundarium & connotatiuum significatum, completiuum potentiæ spiratiuæ, & constitutiuum personæ spirantis, quod est tum paternitas, quæ est personalis proprietas Patris, non Filij; tum filiatio, quæ est personalis proprietas Filij, non Patris: ita vt hoc intrinsecum complementum principij spiratiui, sine quo nihil spirari simpliciter posset, & consequenter ipsum principium spiratiuum non esset in se completum in actu primo, & sufficienter constitutum in ratione principij spiratiui, non minus habeatur per vnam personalitatem, quam per aliam. Sic igitur distincto Antecedente, neganda est consequentia: quia cum terminus per se realiter productus in Spiritu sancto, non sit aliqua res absoluta, sed sola relatio passiuæ spirationis, hæc per se, & ex intrinseca ratione qua est ens ad aliquid, respicit suum terminum, qui est suum principium spiratiuum *vt quod*, adæquatè & completè constitutum in proxima & immediata ratione spirandi; quod quidem, vt probatum est, non est solus Filius, aut solus Pater, sed vterque simul.

41. *Non satisfacere qui tenent, Principium Spiritus sancti constitui ex essentia & relatione spirãdi.*

Inter Authores nostræ sententiæ sunt aliqui recentiores aduersarij tertiæ conclusionis dub. 2. suprà num. 16. qui putant, Principium spiratiuum *vt quod*, esse vnum singulare constitutum tantum ex essentia & relatione actiuæ spirationis, non autem ex paternitate, aut filiatione. Hi vero cohærenter ad has duas opiniones, minus intelligibiliter satisfacere possunt obiectioni propositæ. Si enim duo suppositа ad spirandum non concurrunt, neque vt virtus formalis spirandi, neque vt complementum

constitutiuum principij spirantis, & consequenter neque vt formalis terminus relationis spirationis passiuæ, non apparet qua ratione ita comparari possint ad Spiritum sanctum, vt hic dici possit per se formaliter postulare duo supposita ad sui productionem. Tunc enim ita prorsus se haberent Pater & Filius ad spirandum, sicut de facto se habent, quod mox in sequenti obiectione ostendam, Pater, Filius, & Spiritus sanctus ad creandum. Neque satisfaciunt dicentes, Actiuæ spirationis relationem, per quam, inquiunt, completur ratio potentiæ spiratiuæ, per se propter formalissimam rationem principij spiratiui, requirere, duas personas esse vnum principium tamquam se mutuo diligentes eodem amore. Enim verò hoc ipsum est quod negatur, & probari deberet, imò euidenter impugnatur ex alia opinione, qua dicunt, nullo prorsus modo istas personas concurrere ad complendum & constituendum principium spirativum. Relatio igitur spiratoris requirit quidem duas personas; tamen si personæ, vt personæ, neque sunt formalis ratio, neque complementum principij spiratiui, illa relatio non potest duas personas requirere propter rationem principij spiratiui, sed propter se ipsam præcisè, quæ cum pertineat ad rationem producendi per voluntatem, saltem consequutiuè, debet præsupponere priorem Verbi generationem per intellectum, ac proinde duas personas Patris & Filij: quemadmodum Deus vt Deus, non vt persona, concurrit ad creandam, vt docet S. Thomas citatus suprà num. 6. tametsi vt Deus postulet esse in tribus personis. Igitur relatio spiratoris requirit duas personas inuicem se diligentes, quod simpliciter verum est in omni opinione, etiam eorum, qui contra præsentem conclusionem dicunt, Spiritum sanctum per se non postulare duas personas ipsum spirantes. Sed si sola illa relatio & non persona, complet principium spiratiuum, vt dicitur, non potest consequenter intelligi, quod Spiritus sanctus per se, & ex propria ratione suæ processionis, postulet mutuã illam dilectionem; siue quòd illa relatio eamdem mutuam dilectionem postulet, vt ipsa constituat principium spiratiuum; & non potius sub alia ratione, nempe, quia ipsa est relatio ratione posterior paternitate & filiatione, ac proinde ex se, & non per ordinem ad Spiritum sanctum, præsupponens Patrem & Filium se mutuò diligentes. Nam si per impossibile, ità se mutuo diligerent Pater & Filius eodem amore, vt per hunc amorem quatenus est in Patre tantum, vel in Filio tantum, produceretur Spiritus sanctus, sicut de facto producitur per eumdem amorem quatenus est tantum in Patre & Filio, non quatenus est in Spiritu sancto, nihil planè deesset, quod spectaret ad complementum principij spiratiui. Quamobrem verissimum est, quod Spiritus sanctus sit ipsa dilectio Patris & Filij, eos inter sese connectens & vniens, quod Sancti suprà n. 39. docent; tamen hoc ipsum, sicut probat ex parte ipsiusmet Spiritus sancti requiri duas personas, ex quibus procedat; ita consequenter conuincit, duas illas personas requiri vt pertinentes ad principium spiratiuum; quod propterea non integrè consideratur, si spectetur vt omnino vnum, conflatum ex vna essentia, & vna relatione spirationis actiuæ. Alioqui dicet aduersarius, quòd posita ista opinione de principio totaliter vno, præcisis Patris & Filij personalitatibus, Spiritus sanctus habeat solum per accidens, quod sit mutua Patris & Filij dilectio, in quantum de facto spiratur per amorem, quo Pater & Filius se mutuò amant; non autem per se, ex necessitate sui principij spiratiui, vt spiratiui formaliter; quia cum hoc nulla ratione constituatur ex personalitate Patris, & ex personalitate Filij, vt volunt, semper habebitur idem completum formaliter principium spiratiuum, ac proinde idem plane terminus spiratus, siue intelligatur spirari ab amore diuino prout est in solo Patre, siue prout est in solo Filio. & ideo Rada controuersia 16. art. 1. multo ante finem, tenens cum Scoto supra n. 32. negat Thomistis, *quod de ratione intrinseca Spiritus sancti sit esse nexum.* Non igitur cohærere videntur ista duo, Spiritum sanctum per se ex vi suæ passiuæ spirationis requirere duas distinctas personas, & tamen duas distinctas personas ad rationem principij spiratiui, & actiuæ spirationis nullatenus pertinere. Rada.

Obiicies 2. Ad productionem creaturæ, respectu ipsius creaturæ, non requiruntur per se tres diuinæ personæ; ita vt si per impossibile solus Filius crearet, neque alius, neque aliter factus esset mundus. Ergo pariter ad productionem Spiritus sancti, per se non requiruntur Pater & Filius. 42. *Obiicitur secundò, paritu cum creatione.*

Respondeo disparitatem esse, quia hic Deus, propter communitatem, & identitatem quam habet cum quacumque re diuina, nihil diuinum potest ad intra producere. Et ideò per se, ac necessariò requirit ad rationem principij productiui ad intra, vt per aliquam relationem opponatur, & distinguatur ab alio termino relatiuo producendo. Quæ relatio per se requisita ad constitutionem principij processionis Spiritus sancti, tam est paternitas, quam filiatio, cum vtraque processionem voluntatis antecedat; non autem esse potest alia relatio consequens prædictam processionem. Ad creandum verò satis est hic Deus subsistens essentialiter, ad quem adæquatè terminatur relatio creaturæ: quia per istam communem Deitatis naturam omnes tres personæ sunt essentialiter distinctæ à creatura, ac proinde omnino completæ ac perfectæ in ratione principij creatiui. Quam ob causam dixit S. Thomas 1. d. 11. q. vnica art. 4. ad 2. *Per intellectum remota distinctione personarum, adhuc remanebit creatio.* Contra quam doctrinam apertè sentiunt aliqui recentiores, qui hoc argumentum ita soluunt, vt dicant, Tres personas diuinas esse per se requisitas ad creandum: cum tamen idem S. Thomas hic ad 7. non solum ex aliorum sententia, sed ex propria dicat, quod deinde non refutatur, non esse eãdem rationem de processione creaturæ à tribus diuinis personis, & de processione Spiritus sancti à Patre & Filio: *quia*, inquit, *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, vt sunt duæ personæ distinctæ, vt dictũ est. Non autem creatura procedit à tribus personis, vt sunt personæ distinctæ, sed vt sunt vnum in essentia.* Quod etiam ratione paulò ante adducta in solutione obiectionis efficaciter confirmatur. *Respondetur assignando disparitatem.* S. Thomas.

QVÆSTIO XXXVII.

De Nomine Spiritus sancti, quod est Amor, in duos articulos diuisa.

Deinde quæritur de nomine Amoris, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd Amor non sit proprium, &c.

SVMMA

SVMMA COMMENTARII.

1. *Prima conclusio negatiua de amore sumpto essentialiter, num. 1.*
2. *Secunda conclusio affirmatiua de amore personaliter sumpto, num. 2. ad finem art.*

1. *Prima cõclusio negatiua de amore sumpto essentialiter.*

RESPONDET S. Thomas duabus conclusionibus, quæ nullam controuersiam, & difficultatem habent. Prima est, Nomen amoris, si sumatur essentialiter, scilicet secundum propriam vocis significationem, qua, vt explicatur circa finem corporis, *non importatur nisi habitudo amantis ad rem amatam*, non est proprium Spiritus sancti, sed commune Patri, Filio, & Spiritui sancto. Et idem esse docet de nomine dilectionis, charitatis, & de verbis amandi, & diligendi. Sicut pariter essentialia & communia nomina sunt, Intelligentia, Intellectio, Intelligere; quæ propriè, inquit, *sunt vocabula adinuenta ad significandum respectum intelligentis ad rem intellectam.* Sic, vt conceditur ad 1. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 17. paulò ante medium, dixit, *Nescio cur non sicut Sapientia, & Pater dicit, & Filius, & Spiritus sanctus; & simul omnes non tres, sed vna sapientia: ita & charitas & Pater dicatur, & Filius, & Spiritus sanctus; & simul omnes vna charitas.* Qua communi acceptione ibidem ab initio capitis probat sumi illud 1. Ioannis 4. *Deus charitas est.* Quo nomine vult significari ipsam Dei substantiam, & non charitatis donum, quod à Deo in nobis est: quia, inquit, *Non est dictum, Domine charitas mea; aut, Tu es charitas mea; aut, Deus charitas mea; sed ita dictum est, Deus charitas est, sicut dictum est, Deus Spiritus est: & non sicut dictum est, Tu es patientia mea; non quia Dei substantia est nostra patientia, sed quòd ab ipso nobis est, sicut alibi legitur, Quoniam ab ipso est patientia mea; meus sicut dictum est, Tu es Domine spes mea, & Deus meus misericordia mea.* Sic etiam essentialiter dicuntur in diuinis amor & dilectio, cum passim alibi in Scriptura dicitur Deus amare & diligere creaturas, quas proculdubio æquè amant Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & cum dicuntur Pater amare Filium, & Filius Patrem; quo eodem amore etiam Spiritus sanctus amat Patrem & Filium.

Augustinus. *Ps. 70. Ps. 61. Ps. 70. Ps. 58.*

2. *Secunda conclusio affirmatiua de amore personaliter sumpto.*

Secunda conclusio. *Nomen amoris in diuinis, secundum quòd personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti; sicut Verbum est proprium nomen Filij.* Idem igitur nomen amoris, quod ex propria significatione, quam ex prima sui impositione habuit, sumitur essentialiter; deinde ex vsu loquentium Theologorum extensum est, & sumptum est personaliter, hoc est, vt proprium nomen solius personæ Spiritus sancti. In quo notat, & multis explicat differentiam inter processionem per modum intellectus, ad quam pertinet Filius, & processionem per modum voluntatis, ad quam pertinet Spiritus sanctus. Quamuis enim quoad rem, eadem proportionaliter sit ratio vtriusque processionis, vt ex hoc eodem loco, & ex aliis S. Thomæ locis ostendi suprà quæst. 27. art. 1. dub. 13. num. 261. tamen quoad voces differunt; *quia prima processio est nobis magis nota*, & ideo, inquit, *ad singula significanda, quæ in ea considerari possunt sunt magis propria nomina adinuenta: non autem in processione voluntatis.* In illa enim relationum nomina, nempe paternitas, filiatio, sunt distincta ab originum nominibus, quæ sunt generare & generari, dicere & dici; & terminus per intellectum productus habet nomen personale, nempe Verbum, distinctum à nomine essentiali, nempe intelligentia, intelligere. In hac vero *relationes*, quæ sunt in Patre & Filio, ad Spiritum sanctum, & in Spiritu sancto ad Patrem & Filium, *processionis & spirationis nominibus nominantur; quæ tamen sunt magis nomina originis, quam relationis secundum proprietatem vocabuli; & præter diligere & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quæ importent habitudinem ipsius impressionis, vel affectionis rei amatæ, quæ prouenit in amante ex hoc quod amat, ad suum principium; aut è conuerso. Et ideo propter vocabulorum inopiam, huiusmodi habitudines significamus vocabulis amoris & dilectionis: quibus*, inquit, *vtimur*, non solum ad exprimendam essentialem habitudinem amantis ad obiectum amatum, sed etiam habitudinem personalem termini producti per voluntatem ad suum principium, & principij producentis per voluntatem ad suum terminum: *ita quòd per amorem*, vt dicitur in fine corporis, *intelligatur amor procedens; & per diligere, intelligatur spirare amorem procedentem. Sic amor, est nomen personæ; & Diligere, vel Amare, est verbum notionale, sicut dicere, vel generare.*

3. *Probatur cõclusio cum Augustino.*

Hanc personalẽ vsurpationem Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 17. à medio, loquens sub nomine charitatis, sed eadem est ratio de nomine Amoris, probat primò, quia cum Spiritus sanctus procedat per actionem voluntatis, ex vi formali suæ processionis cõmunicatur illi essentialis amor, seu charitas substantialis: quod neque Patri, neque Filio conuenit. *Si ergo propriè*, inquit Augustinus, *aliquid horum trium, charitas nuncupanda est, quid aptius quam vt hoc sit Spiritus sanctus?* Secundò ex paritate cum nomine Filij Dei. *Sicut vnicum Dei verbum, propriè vocamus nomine sapientiæ, cum sit vniuersaliter & Spiritus sanctus, & Pater ipse sapientia: ita Spiritus sanctus, propriè nuncupatur vocabulo charitatis; cum sit vniuersaliter charitas & Pater & Filius.* Tertiò, quia sicut *Dei Filius apertè dictus est Dei sapientia* 1. Cor. 1. *Christum Dei sapientiam*: ita, inquit, *Spiritus sanctus vbi sit dictus charitas inuenimus, si diligenter Ioannis Apostoli scrutemur eloquium. Qui cum dixisset, Dilectissimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est: sequutus adiunxit, & omnis qui diligit, ex Deo natus est; qui non diligit, non cognoscit Deum, quia Deus dilectio est. Hic manifestauit, eam se dixisse dilectionem Deum, quam dixit, ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio.* Quem non esse filium, qui etiam est Deus ex Deo natus, sed esse Spiritum sanctum, qui est Deus ex Deo procedens, probat ex consequentibus, quibus docet Ioannes per dilectionem, quam Deum ipsum esse dixerat, nos in Deo manere, & Deum in nobis; cuius mutuæ immanentiæ causam assignat, *Quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Hinc ita arguit Augustinus, *Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio.* Et propterea Ioannem iterum subiunxisse notat, *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* De ea igitur charitate loquitur, quæ est ipsemet Spiritus Dei. Vnde, quod in fine capitis aduertit idẽ Augustinus nõ solum ipsum creatum charitatis donum, sed etiam ipsemet Spiritus sanctus qui est substantialis, & increata charitas, dari nobis dicitur Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Eamdem expositionem breuiter indicauit Gregorius hom. 30. de Pentecoste initio dicens, *Ipse Spiritus sanctus amor est. Vnde & Ioannes dicit, Deus charitas est.*' & refert, ac sequitur Magister lib. 1. sent. d. 10. litera E. Quamquam multi recentiores, inter quos ibi Lorinus, & in hunc articulum Valentia puncto 1. argumento 2. Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 1. num. 4. Ruiz disp. 73. sect. 1. num. 5. & alij, quos bene impugnat Nazarius hic in expositione textus, contendunt, esse intelligendum Ioannem de creata dilectione. Sed cum ipsi quoque rectè velint, ipsam Dei substantiam

Exponitur locus 1. Ioan. 4.

Gregorius. Magister. 1. Ioan. 4. Lorinus. Valentia. Suarez. Ruiz. Nazarius.

tiam nominatam esse, cum ibidem dicitur, *Deus charitas est*, facillimè, & congruentissimè intelligi potest de ipso etiam Deo dictum, *Charitas ex Deo est*. Præsertim quia satis frigida, & impropria esset Ioannis ratio, qua nos ita hortatur, *Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est*. Si charitas hic acciperetur pro nostra dilectione supernaturali, quam operatur Deus in nobis: hoc enim modo fides etiam, & spes, & cæteræ supernaturales virtutes ex Deo sunt. Redditur autem efficacissima adhortatio, & ex propriis si pro Deo accipiatur: sensus enim esset. Diligamus inuicem, quia dilectio ex charitate adeo excellens virtus est, vt ipsemet Deus Spiritus sanctus sit, & proprio nomine dicatur charitas es Deo procedens.

4. Sed quicquid sit de Scripturis, certum est ab omnibus Scholasticis, cum Magistro suprà, & Patribus, nomine amoris personaliter sumpti vocari propriè Spiritum sanctum, vt constat ex verbis Augustini, Concilij Toletani, & Hieronymi suprà q. 36. art. 4. n. 39. Præterea Prosper lib. sententiarum, sententia 371. ait, *Spiritus sanctus, Spiritus est Patris, & Filij, tamquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum.* Et Isidorus lib. 7. Etymolog. c. 3. post med. *Spiritus sanctus inde propriè charitas nuncupatur, vel quia naturaliter eos, a quibus procedit, coniungit, & sic, vnum cum eis esse ostendit: vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipse in nobis.* Et post pauca vsurpat Augustini verba posita supra n. 2. in secunda probatione. Bernardus serm. 8. in Cantica, aliquanto post principium docens, osculum Patris & Filij esse Spiritum sanctũ, *qui*, inquit, *Patris, Filiique imperturbabilis pax sit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas.* Guitmundus Archiepiscopus Auersanus in Confessione de sancta Trinitate col. 2. & habetur tom. 6. Bibliothecæ veterum Patrum, *Constat quia à Patre procedit amor ad Filium, & à Filio procedit ad Patrem suum; iste amor est Spiritus sanctus, qui ab vtroque procedit, & semper in vtroque manet.* Riccardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 10. non longè à fin. ita concludit, *Hic igitur amor, qui communis est ambobus, dictus est Spiritus sanctus.* Et in declarationibus ad Bernardum §. vlt. non semel Spiritum sanctum vocat amorem Patris, & Filij. Vnde Ecclesia de Spiritu sancto canit, *Fons viuus, Ignis, Charitas.*

Prosper. Isidorus. Bernard. Guitmũdus. Riccardus Victorinus.

5. *Cur Spiritus sanctus dicatur nexus & vnio ex S. Thoma.* Huc etiam spectant dicta Sanctorum, de quibus supra q. 36. art. 4. n. 39. vocantium Spiritum sanctum nexum, & vnionem. Nam, vt exponit S. Thom. hîc ad 3. *Spiritus sanctus dicitur esse nexus Patris, & Filij, in quantum est amor: quia cum Pater amet vnica dilectione se, & Filium, & è conuerso importatur in Spiritu sancto prout est amor, habitudo Patris ad Filium, & è conuerso, vt amantis ad amatum; sed ex hoc ipso quod Pater, & Filius se mutuo amant, oportet quod mutuus amor, qui est Spiritus sanctus ab vtroque procedat.* In Spiritu sancto procedente ex mutuo Patris, & Filij amore, distinguit S. Thomas duplicem habitudinem, alteram obiecti, quam Pater, & Filius inuicem habent, vt amantes, & amati: alteram originis, quam Pater, & Filius habent ad Spiritum sanctum, vt ab ipsis procedentem. Ratione secundæ habitudinis ait, *Spiritus sanctus non est medius, sed tertia in Trinitate persona.* nimirum producta à duabus prioribus secundum originem. Ratione verò primæ ait, *Est medius nexus duorum, ab vtroque procedens.* Quod ex sequenti artic. distinctius intelligetur.

ARTICVLVS II.

Utrùm Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Pater, & Filius non diligant se, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Prima conclusio negatiua de diligere essentialiter, num. 1.*
2. *Secunda conclusio affirmatiua de diligere notionaliter, num. 2. ad 6.*
3. *Soluuntur argumenta contra secundam conclusionem, num. 6. ad finem art.*

1. *Prima conclusio negatiua de diligere essentialiter. Probatur ex Augustin.* PRIMA conclusio, si diligere sumatur essentialiter, *sic Pater, & Filius non diligunt se Spiritu sancto, sed essentia sua.* Ita sanctus Thomas circa fin. corp. ab omnibus receptus. & bene probat ex Augustino, qui id multis expresè docuit lib. 15. de Trinit. cap. 7. ita incipiens aliquanto post principium capitis, *Quis audeat dicere Patrem nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum sanctum.* Quam loquendi præsuptionem post nonnulla ita efficaciter demonstrat, deducendo ad impossibile absurdissimum, *Si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profectò Filius Patrem sapientem esse facit. Et si hoc est Deo esse, quod sapere, & ea illi sapientia est, quæ sapientia, non Filius à Patre, quod verum est, sed à Filio potius habet Pater essentiam, quod absurdissimum, atque falsissimum est.* Et idem de Spiritu sancto, qui si esset ipsa essentialis dilectio Patris, & Filij, faceret Patrem, & Filium esse diligentes: & hoc esse diligentem, quæ est ipsa essentia, seu Natura Patris, & Filij haberent Pater, & Filius à Spiritu sancto à quo non procedunt, non autem Spiritus sanctus à Patre, & Filio à quibus procedit. Quod in nostro particulari casu de dilectione, & Spiritu sancto docuit etiam Riccardus Victorinus in declarationibus ad Bernardum §. vltimo post med. illis verbis, *Quod Pater Spiritu sancto diligere dicitur, non sic intelligitur quasi Spiritus sanctus author, & origo existat dilectionis, quod Pater est, & pro arbitrio amat, quod amat; sed quod Pater eam dilectionem, qua Filius diligitur, & Spiritus sanctus est, spiret, & illius author, & origo existat. Dicitur ergo Pater Spiritu sancto diligere non quod per eum amorem habeat, sed exhibeat.* Idem supponit Magister lib. 1. sent. d. 32. §. 2. fin. dum ait, quod Augustinus verbis paulò ante adductis, *apertè ostendit, Patrem non tantum per Spiritum sanctum diligere: non autem simpliciter dici: Patrem non diligere per Spiritum sanctum.*

Riccardus Victorinus. Magister.

2. *Secunda conclusio affirmatiua de diligere notionaliter. Augustinus. Magister.* Secunda conclusio, si diligere sumatur notionaliter, sic Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Ita S. Thomas ibidem, & reliqui omnes communissimè cum Magistro suprà id probante ex verbis Augustini positis suprà quæst. 36. art. 4. num. 39. *Quibus verbis*, inquit Magister cit. d. 32. lit. H. post med. *apertè significatur, Patrem, Filium, & Filium Patrem diligere: ea scilicet dilectione, quæ non est aliquis eorum, sed tantum Spiritus sanctus.* Et propterea non ausus est hanc propositionem negare, *Pater & Filius diligunt Spiritu sancto*, tametsi eam iudicaret omnino similem huic, quam Augustinus retractauit, vt falsam, vt mox dicam. *Pater sapiens est, seu sapit sapientia genita.* Sed ingenuè, & humiliter fatetur, se tanta huius

huius paritatis difficultate premi, vt nihil illi dignum occurrat, quod proferre possit in medium: & sane in reliquis omnibus eamdem propositionem admittentibus, tanta est varietas illam explicandi, vt hac ipsa varietate, magistri difficultatem probent, & silentium excusent, atque commendent. Eamdem propositionẽ sine dubio tradunt Concilium Toletanum, Hieronymus, Isidorus, Bernardus, & Guitmundus citati suprà q. 36. art. 4. n. 39. & in hac q. 37. art. 1. num. 4. docentes, Spiritum sanctum propriè esse communem amorem, & nexum Patris, & Filij: & omnium clarissimè Riccardus Victorinus suprà initio paragraphi ita ad Bernardum rescribens, *Quæris scire quomodo verum sit, quod Augustinus dicit. Dicit enim quod Pater Spiritu sancto diligit Filium, & Filius eodem Spiritu diligit Patrem suum. Quod tamen Pater ea sapientia qua Filius est, sapiat, omnino contradicit.* De quibus propositionibus disserit vsque ad finem, defendens, & probans primam, & damnans secundam: & tandem ita concludit, *Hæccine, Frater, est illa quæstio, quam solubilem putant insolubilem, & dicunt, & scribunt.* Quæ contra magistrum suprà dicta videntur. Igitur ex sententia non solum Magistri, sed etiam Riccardi, & Bernardi, est omnino indubitatum, quod author propositionis, quam in hac secunda conclusione defendimus, & Augustinus. Quapropter probanda non est coniectura Gotfredi Pictauiensis, qui refertur dixisse, Augustinum retractando hanc propositionem, quam scripserat l. 83. 99. quæst. 23. ante med. *Pater est sapiens sapientia genita*: istam aliam similem retractare, *Pater est diligens Spiritu sancto.* seu dilectione ab ipso spirata, cuius sententiæ meminit Sanctus Thomas primo loco hic, paulo post principium corp. Sed non videtur verisimilis, quia cum l. 1. retractat. cap. 26. inter principium & med. propositionem illam retractat, se remittit Augustinus ad libros de Trinitate; vbi l. 6. cap. 1. & 2. de illa propositione disputat, eamque deinde improbat l. 2. c. 1. paulo ante fi. & l. 15. cap. 6. non longè à principio, & c. 3. aliquanto post principiũ; sed eodem l. 6. c. 5. paulo post principium scripserat, Spiritum sanctum esse, *quo genitus à gignente diligatur genitorem que suum diligat.* Igitur hanc etiam propositionem, alteri proximam repudiare facile poterat, si falsam existimasset, quòd tamen nunquam prætitit: sicut nec vnquam repudiauit simillimam propositionem scriptam l. 7. de Trinit. c. 1. circa principium, *Pater Verbo, quod genuit, dicens est*; & ideo S. Thom. 1. d. 32. q. 1. art. 1. paulo post principium corporis ait, *Præsumptuosum videtur tales loquutiones negare.* Nec etiam probanda est sententia secundo loco relata à Sancto Thom. suprà dicentium, esse propositionem impropriam, & ita explicandam, *Pater diligit Filium Spiritu sancto, id est, amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto*: vt olim dixerunt Alensis p. p. q. 67. membro 3. art. 3. circa finem, ita concludens, *Istæ loquutiones, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, siue per Spiritum sanctum, propriè loquendo falsæ sunt, nec absolutè concedi debent, imo exponendæ.* & Albertus in sua summa p. p. q. 50. membr. 1. quæstiunc. 3. incidente, de iisdem propositionibus similiter scribens, *Si secundum quod sunt in voce, referuntur ad intellectum, vt dicit Priscianus, absolutè, & simpliciter falsæ sunt; & si inueniantur in authoritate non sunt exrendendæ, sed exponendæ. Sicut Pater, & Filius diligunt se amore, qui est Spiritus sanctus, & Pater, & Filius connectuntur Spiritu sancto, hoc est, nexu qui est Spiritus sanctus, & Pater, & Filius vniuntur Spiritu sancto, hoc est, vnione, vel vnitate, quæ est Spiritus sanctus.* Demum Torres hic post quartam conclusionem, quem sequitur. Molin. §. penult. & Becanus

Riccardus Victorinus. S. Thomas. Alensis. Albertus. Torres. Molina. Becanus.

3. *Duo principia ex quibus pendet conclusio.* cap. 6. quæst. 9. conclusione 2. contendit etiam non esse propriam propositionem. Sed reliqui omnes, tam antiqui, quam moderni, vt veram, ac propriam defendunt, & explicant.

Equidem omissis breuitatis causa aliorum dictis, quæ mihi videntur vel falsa, vel insufficientia, vel nimis obscura, & fusè refert, & impugnat S. Thom. 1. d. 32. quæst. 1. art. 1. eam probandam, atque explicandam censeo ex duabus generalibus præmissis, quas negare nemo potest. Prima verba actiua notionalia, esse in duplici genere. Quædam important solum habitudinem ad terminum productum, supra quem immediatè cadunt, & ad quem immediatè referunt agens. Ita in diuinis sunt, spirare, generare. Pater enim, & Filius dicuntur per voluntatẽ spirare Spiritum sanctum, non autem obiectum amatum; & Pater dicitur per intellectum generare Filium, seu Verbum, non autem obiectum cognitum. Ita etiam in rebus creatis, ignis v. g. dicitur generare ignem, producere calorem; non autem materiam primam, quæ per illam generationem igne fit; aut lignum, quod per illam productionem calefit. Quædam verò præter istam habitudinem ad terminum, important etiam aliam habitudinem immediatam ad obiectum, vel subiectum, supra quod directe, & immediatè cadunt, & ad quod eodẽ modo referunt agens. Ita absque vlla controuersia in diuinis est, *Dicere*: quod quidẽ, si spectemus non rem significatam, sed modum significandi, non est propriè dicere Verbũ, sed est dicere hanc, vel illam rem Verbi; sicut in corporalibus non propriè dicimus, & loquimur voces, sed res vocibus: & ideo Augustinus lib. 7. de Trinitate c. 1. cuius verba refero supra q. 34. art. 3. n. 18. sæpe scribit, Patrem dicere se ipsum Verbo; & nunquam, dicere Verbum. Hanc duplicem habitudinem in Verbo notionali dicẽdi, expresè distinguit S. Th. suprà q. 34. art. 1. ad 3, alteram *ad Verbum conceptum*, alteram *ad rem intellectam*. Eodem prorsus modo se habet diligere notionaliter sumptum respectu termini, & obiecti voluntatis: ex propria enim, & explicita significatione Verbi diligendi cadit immediatè supra obiectũ, quod diligitur; tametsi eadem notionalis dilectio sit actio qua producitur terminus à voluntate spiratus. Sic etiam in rebus creatis præter verba actiua afficientia immediatè effectum, de quibus dictũ est, sunt alia afficientia immediatè subiectum, vt ignefacere, calefacere, illuminare, &c. eamdem duplicem habitudinem inclusam in verbis notionalibus dicendi, & diligendi, significant nonnulli veteres, & graues Theologi, dum scribunt, huiusmodi verba non esse merè notionalia, sed notionalia simul, & essentialia; quia scilicet important etiam illam habitudinẽ ad obiectum, quam solam important intelligere, & diligere essentialiter sumpta. Ita Henricus in summa art. 61. quæst. 7. post medium Corporis. Scotus 1. d. 32. quæst. 2. §. *ad aliam quæstionem*; & ad argumenta. Ochamus, & Gabriel quæst. 2. art. 1. notab. 2. & art. 2. in conclusione responsali.

S. Thomas. Henricus. Scotus. Ochamus. Gabriel.

4. Secunda præmissa generalis est, Verba actiua notionalia secundi generis, quæ præter obiectum quod immediatè afficiunt, & denominant in casu accusatiuo, explicant etiam, ae denominant terminum productum in casu ablatiuo, includere quidem, siue importare terminum productum eadem ratione, quo ad modum significandi, nempe in casu ablatiuo, non tamen quo ad rem significatam; sic enim terminus in ablatiuo positus per se habet vt forma, sicut dicitur v. g. ignis calefacere, lignum potentia calefactiua, vel vt actio, vt ignis dicitur calefacere calefactione; vel vt modus actionis, sicut dicitur Angelus cœlum voluere maxima veloci

velocitate, vel vt instumentum, sicut dicitur artifex secare lignum serra; vel vt purus terminus productus, nam vt docet S. Thomas hic in med. corp. *Contingit aliquid denominari per id quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione*; quæ etiam immediatè, vt quo procedit ab agente, *sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur*; hoc est, vt ego quidem interpretor omissis longissimis, & minus claris interpretationibus Caietani hîc §. *Ad euidentiam.* & Syluestri p. p. Conflati quæst. 37. art. 4. §. *Quantum ad* 3. quando ipse effectus non coniungitur immediatè cum actione, vt accidit in verbis actiuis primi generis, sic enim v. g. non dicitur agens generare generato, spirare spirato, ædificare ædificio, &c. Sed est tãtùm de conceptu actionis, quæ in aliqua propositione immediatè coniungatur, non cum effecto, sed cum aliqua alia re in accusatiuo casu denominata, vt in aliis verbis actiuis secundi generis: tunc enim agens denominari in casu ablatiuo rectè potest ipso termino actionis qui est effectus; quia licet non immediatè coniungatur cum actione; tamen in intellectu actionis includitur, & iuxta hanc interpretationem, statim S. Thomas id quod dixerat explicat duobus exemplis, ita subdens, *Dicimus enim, quòd ignis est calefaciens calefactione, quamuis calefactio non sit calor, qui est forma ignis, sed actio ab igne procedens. & dicimus, quòd arbor est florens floribus, quamuis flores non sint forma arboris, sed quidam effectus ab ipsa procedentes.* Quod vltimum exemplum est ad rem, tametsi nonnulli minus intelligant, & reiiciant cum Scoto supr. §. *Contra.* Quamuis enim florere non sit Verbum actiuum, sed neutrum, tamen per illud actio floritionis significatur vt immediatè afficiens ipsam arborem, quæ in se ipsa florens esse dicitur, non autem vt immediatè afficiens ipsos flores, qui per illam actionem producuntur: in quo Verbum hoc neutrum omnino assimilatur verbis actiuis secundi generis, & ideo de illo, & de his, quoad hanc denominationem in casu ablatiuo, quæ sola in præsenti controuersia difficultatem facit, par est ratio.

Exponitur locus S. Thomæ.

Caietanus. Syluester.

5. *Probatio conclusionis ex S. Thoma.*

Ex his duabus præmissis deduci facilè potest, probatio conclusionis; & intelligi ratio S. Thomæ in fine corp. quæ ex se minus clara, & firma videri posset, nisi ex superioribus præmissis declarata maneret. *Notionaliter diligere*, inquit *nihil est aliud, quàm spirare amorem; sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores*: nimirum quoad rem significatam; nam quoad modum significandi, quem ipsæ in se voces ex impositione, & vsu loquentium habent, non significant actiones per immediatam habitudinem ad effectum, sed per aliam immediatam habitudinem ad obiectum, seu subiectum, cum qua principium actiuum denominari etiam rectè potest in ablatiuo ab effectu, sub nulla alia ratione, nisi puri termini producti. Hinc S. Thom. immediatè post, ita optimè cõcludit, *Sicut ergo dicitur arbor florẽs floribus, ita dicitur, Pater dicens Verbo, vel Filio, se & creaturam; & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto, vel amore procedente se, & nos.* Sunt igitur huiusmodi propositiones veræ, ac propriæ. Veræ quidem, quia in illis ablatiuus nullam aliam rationem habet, nisi puri termini producti, quam sine dubio habet Verbum diuinum respectu dictionis per quam generatur, & Spiritus sanctus respectu dilectionis notionalis, ex qua procedit. Propriæ autem, quia illo ablatiuo significatur proprius terminus actionis, quæ sanè significatio non concipienda est, vt superflua, sed vt omnino necessaria; si enim absolutè, ac præcisè diceretur, Pater notionaliter dicit se, vel, Pater notionaliter diligit Filium, significari videretur illa dictionis productio terminata ad Patrem, vel illa dilectionis productio terminata ad Filium, quod falsissimum est: & ideo ad tollendam huiusmodi ambiguitatem, ac deceptionem, necessarium fuit magis explicare, & in casu ablatiuo congruè addere terminum productum, ita subiungendo & supplendo, Pater dicit se Verbo, hoc est, notionali dictionis actione terminata formaliter, non ad ipsum Patrem, sed ad Verbum, cui ex vi formali suæ processionis communicatur ipsamet tota sapientia Patris, qua intelligitur, & manifestatur ipsemet Pater, qui duobus modis se intelligit, & essentialiter per sapientiam, vt suam quasi formam; & notionaliter per eamdem sapientiam, vt terminum notionalis actionis suæ: & similiter subiungendo, Pater, & Filius se notionaliter diligunt Spiritu sancto, hoc est, notionali dilectionis actione terminata non ad Patrem, & Filium, qui per illam actionem nihil recipiunt, sed ad Spiritum sanctum, qui per illam eamdem actionem à Patre, Filioque procedit; cui ex vi formali suæ processionis communicatur ipse mutuus amor Patris, & Filij, quo amore, vt forma essentialiter amant, quidquid amant, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: vt termino spirato tantum Pater, & Filius se mutuo amant notionaliter. Hunc sensum, fundatum in eo, quod ille ablatiuus, *Spiritu sancto*, ponitur in propositione non sub ratione causantis aliquid in Patrem, & Filium, sed sub mera ratione termini producti à Patre, & Filio, tradit re ipsa Riccardus Victorinus suprà num. 1. dicens; *propositionem non esse intelligendam, quasi Spiritus sanctus author sit dilectionis paternæ, sed quod Pater eam dilectionem, qua Filius diligitur, & Spiritus sanctus est, spiret, & illius author, & origo existat.* Vbi nullam differentiam facimus inter has duas propositiones, Pater diligit Spiritu sancto, Pater diligit per Spiritum sanctum; quo secundo modo loquitur Magister l. 1. sent. d. 32. §. 1. & 2. cum Augustino verbis citatis supra num. 1. Sicut Sancti in re simillima non solum scribunt, Patrem dicere omnia Verbo, sed etiam per Verbum, & quod Ioan. 1. dicitur, *Omnia per ipsum*, hoc est, *Verbum facta sunt*, Ps. 37. dicitur, *Verbo Domini, cœli formati sunt.* Quod enim rectè significatur casu ablatiui, nihil prohibet posse etiam æquè benè significari per accusatiuum; quia semper retinetur idem sensus, cum idem sint, Patrem diligere dilectione terminata ad Spiritum sanctum, & per dilectionem terminatam ad Spiritum sanctum.

Riccardus Victorinus.

Magister.

Soluuntur argumenta contra secundam conclusionem.

6. *Prima obiectio.*

Obiicies primò, omnes authore Augustino suprà num. 1. & 2. fatemur, falsò dici, Patrem esse sapientem sapientia genita. Ergo etiam, Patrem esse diligentem dilectione spirata; quia vtriusque propositionis videtur par omnino ratio.

Respondetur cum S. Thom non dici Patrem sapientem sapientia genita.

Respondeo cum S. Thoma ad 1. disparitatem esse, *quia esse sapientem, vel intelligentem, in diuinis non sumitur, nisi essentialiter*: & ideo si diceretur Pater sapiens sapientia genita, significaretur, Patrem esse sapientem, non per suam essentiam, sed per aliam Filij personam, à se realiter distinctam; *sed diligere sumitur, non solum essentialiter, sed etiam notionaliter.* Et ideo quamuis sit eadem ratio de diligere, si sumatur essentialiter, & de intelligere, seu sapere, tamen si diligere sumatur notionaliter, non rectè comparatur cum *intelligere*, sed cum *dicere.* Eadem responsionis ratio probat, dici rectè non posse, Patrem potentem potentia genita, vt probat Bonauent. 1. d. 32. art. 2 q. 2. & sequuntur Riccardus art. 2. quæst. 1. ad 5. Carthusianus quæst. 4. & alij: quoniam esse potentem in diuinis sumitur etiam essentialiter, non notiona

Non dicitur Pater potentia genita.

notionaliter: imo minus rectè dicitur pater potens potentia genita, quàm Pater sapiens sapientia genita; quia sapientia appropriatur Filio, Potentia verò appropriatur Patri, non Filio. Quamuis igitur Christum Filium Dei 1. Cor. 1. Paulus vocet. *Dei virtutem, & Dei sapientiam*, ex eo quod sit potentia, & sapientia à Deo Patre producta, tamen quia per hanc Pater non est in se potens, & sapiens, sed per suam essentiam; ideo non dicitur potens, seu sapiens, genita potentia, seu sapientia, seu per Filium. Dicitur autem per Filium spirare Spiritum sanctum, & producere creaturas; quia Filius habet rationem principij respectu Spiritus sancti, & creaturarum, sed non respectu Patris, & ideo Pater communicans filio suam virtutem spirandi, & creandi, dici potest per Filium spirare & creare. nullam autem virtutem habet filius per quam Pater aliquid possit, aut sapiat: & ideo Pater dici non potest ipsemet in se potens, & sapiens per Filium. Similiter non videtur dicendus Pater sanctus sanctitate spirata seu Spiritu sancto, cui sanctitas appropriatur, quem propterea *sanctitatem ipsam* vocat. Nazianzenus oratione in laudem Heronis propè fin. & Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 24. propè med. & Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 3. §. 1. fin. *sanctitatem substantialem, & consubstantialem Patris, & Filij.* Quamuis enim Spiritus sanctus ita denominetur ex proprietate suæ processionis per voluntatem in qua potissimum sanctitas consistit, & ideo dicatur sanctitas Patris, & Filij, quia à Patre, Filióque procedit, tamen quia Patri, & Filio nullam sanctitatem impertit, & esse sanctum non est aliquod notionale per ordinem ad terminum productum, sed merè essentiale, dici nulla ratione debet Pater, aut Filius sanctus sanctitate spirata; an vero dici saltem possit Pater sapiens sapientia ingenita, & similiter Filius sapiens sapientia genita, tractat sanctus Thom. 1. d. 32. quæst. 2. art. 2. & breuiter docet, neutrum dici posse si sapientia sumatur pro essentia præcisa ab hypostasi; quia, inquit in fin. corp. *sapientia essentialis neque genita, neque ingenita est.* quod vltimum probatum est supra quæst. 33. art. 4. num. 10. Si vero sumatur sapientia pro hypostasi, seu pro sapientia personali, Patrem esse sapientem formaliter, non originaliter sapientia sua ingenita; Filium quoque formaliter sapientem esse sapientia sua genita, non autem originaliter; sic enim esse sapientem de ingenita Patris sapientia: sapientia enim Patris neque ex ipso Patre, neque ex alio originem habet; Filij vero sapientia, etsi non originetur à genita ipsius sapientia, originatur tamen à sapientia Patris ingenita.

Non dicitur Pater sanctus sanctitate spirata aut Spiritu sancto.

An Pater sit sapiens sapientia ingenita, & Filius sapientia genita ex S. Thoma.

7. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundo, *Diligere notionaliter nihil est aliud, quam spirare amorem*, vt loquitur ipsemet S. Thom. hic circa fin. corp. sed non dicimus, Patrem, & Filium spirare Spiritu sancto. ergo neque diligere notionaliter Spiritu sancto.

Respondetur Patrem dicere non spirare Spiritu sancto.

Respondeo, idem argumentum impugnat istam aliam, clarius veram, ac propriam propositionem, Pater notionaliter dicit Verbo. Nam idem S. Thom. supra quæst. 34. ad 1. ad 3. ait, *nihil est aliud dicere, quam proferre Verbum.* Et in hoc etiam articulo circa finem cum dixisset, *Diligere nihil est aliud, quam spirare amorem*, subdit, *sicut dicere est producere Verbum.* Sed nullus dicitur, proferre aut producere Verbum verbo: ergo neque dicere Verbo. Distinguenda igitur est maior vtriusque obiectionis. Notionaliter diligere & dicere, nihil sunt aliud, quam spirare, & producere, seu generare, quoad rem significatam, quæ est actio volitiua, & intellectiua, qua producitur aliquid: non autem quoad modum significandi; quia spirare, producere, generare, significant actionem cum sola explicita habitudine ad terminum productum, quem propterea immediatè appellant, & quasi accusant; vnde oritur, vt idem terminus productus non possit in ablatiuo subiungi, nisi ineptissimè, imo etiam falsò, vt si dicas, Pater spirat Spiritum sanctum Spiritu sancto, producit, seu generat Verbum Verbo, seu Filium Filio: vbi cum ablatiuus post explicitam mentionem termini producti non possit superaddi, & rursus explicari sub pura ratione termini producti, significaretur superaddi sub aliqua ratione vel formæ, vel actionis, vel instrumenti quæ termino producto minimè competit. Et hoc tantum probat exemplum Scoti 1. d. 32. quæst. 2. §. *Contra.* quo S. Thomam impugnat, de ædificatore, qui non dicitur ædificare ædificio; ædificare enim est ex illo genere verborum actiuorum, quæ important immediatam habitudinem ad terminum, siue effectum. At verò notionaliter diligere, dicere, eamdem actionem ita significant, vt explicitè, & immediatè eam referant ad obiectum amatum, & cognitum, & ideo illud solum in accusatiuo directè appellant; vnde oritur, vt possit, ac debeat explicitè superadi in ablatiuo terminus productus sub pura ratione termini producti, significandi terminum illius actionis accusantis obiectum, & explicatæ solum per immediatam habitudinem ad obiectum in accusatiuo, non esse verè obiectum, sed illud aliud in ablatiuo superadditum, Paulo obscurius respondet S. Thom. hic ad 2. sed reduci facile potest ad hanc responsionem, iuxta interpretationem datam à nobis supra n. 4.

Soluitur instantia Scoti.

8. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertio. *Nullus actus notionalis reflectitur supra principium actus*, vt sumit S. Thom. hic in argumento tertio, sed Pater, & Filius sunt principium actus notionalis, quo producitur Spiritus sanctus. Ergo dici non potest, Pater, seu Filius notionaliter diligit se Spiritu sancto; sicut, subdit S. Thom. ibidem, *non potest dici, quod Pater generat se, vel spirat se.*

Respondetur actum notionalem aliquando reflecti supra principium actus.

Respondeo, eodem argumento, si vim haberet, probare quis posset, Patrem non dicere se notionaliter Verbo; quam tamen loquutionem omnes vsurpamus: quia sic etiam actus notionalis generandi reflectitur supra principium illius, nempe Patrem. Itaque pro defensione vtriusque propositionis distinguo maiorem, nullus actus notionalis ex modo significandi immediatè, & explicitè afficiens, & in accusatiuo appellans terminum productum, reflecti potest supra principium actus; tunc enim significaremus ipsum principium actus esse terminum productum per illum actum; quod implicat: & hanc ob causam dici non potest, Pater generat se, Pater, vel Filius spirat se. Idem verò actus notionalis, si ex alio modo significandi, appellet, & accuset immediatè obiectum, reflecti benè potest supra principium; quoniam tunc significatur principium actus habere rationem obiecti respectu eiusdem actus; quod verissimum est in diuinis, vbi diuinæ personæ sunt principia, ad intra per actus intelligendi, & amandi easdem personas diuinas, vt in superioribus ostensum est. Huius autem generis sunt verba notionalia, diligendi, & dicendi. Vnde sicut verum est, Patrem notionaliter dicere Verbum Verbo, ita pariter, Patrem, & Filium notionaliter diligere Spiritum sanctum, Spiritu sancto, sic enim etiam significamus, Verbum, & Spiritum sanctum in accusatiuo, non vt terminos productos, sed vt obiecta; contra vero in ablatiuo, significamus non vt obiecta, sed vt terminos productos.

9. *Quarta obiectio.*

Obiicies quarto, quod sibi obiicit quarto loco S. Thom. 1. d. 32. q. 1. art. 2. Spiritus S. non amat se Spiritu sancto; alioquin Spiritus sanctus procederet à seipso; quia, inquit, *omnis amor procedit ab amante.*

Ergo nec Pater, nec Filius amat se Spiritu sancto. Probat consequentiam; quia *quocumque amore amat se Pater, amant se Filius, & Spiritus sanctus.*

Respondetur Spiritum sanctum diligere se Spiritu sancto essentialiter, non notionaliter.

Respondeo, distinguendo antecedens cum S. Thom. ibidem ad 4. illud enim inquit, *si intelligatur de dilectione essentiali, expresse verum non est: quia sicut se ipso Deus est*, hoc est, Deitate sibi essentiali; *ita se ipso essentialiter diligens est*, hoc est, dilectione sibi essentiali, quam vt propriam personam Spiritus sancti ex vi formali suæ processionis habet; si vero intelligatur de dilectione notionali, est verum; quia Spiritus sanctus ita amat se, & Patrem, & Filium, vt nec se ipsum, nec Patrem, nec Filium spiret. Diligere autem notionaliter, nihil aliud in se est, nisi spirare amoris terminum. Quapropter probatio consequentiæ est vera de amore essentiali, non autem de notionali.

10. *Quinta obiectio.*

Obiicies quinto, vt contra se arguit S. Thom. hic in tertio argumento, *eodem amore Pater diligit Filium & se, & nos.* Sed nos diligere non potest notionaliter Spiritu sancto, ergo neque se, neque Filium. Similiter Filius diligere non potest notionaliter se, & Patrem Spiritu sancto, quia eodem amore diligit creaturas, quas Spiritu sancto notionaliter diligere nequit; quia diuina persona procedere non potest per dilectionem rerum inferioris ordinis.

Respondetur explicādo, an Pater, & Filius eodem amore diligant se, & creaturas.

Respondeo, Patrem, & Filium eodem amore quo se diligunt, diligere creaturas; tamen diuerso modo, se in se ipsis; creaturas verò non in creaturis, sed in ipsa increata Dei bonitate, vt supra q. 19. art. 2 Maiore ita declarata, distinguo minorem, iuxta probata supra q. 34. art. 3. dub. 7. Pater, & Filius dilectione notionali, qua producunt Spiritum sanctum, non possunt diligere nos, vt creaturas actu existentes; sic enim tam Pater, & Filius, quàm ipsemet Spiritus sanctus æquè diligunt nos amore essentiali, libere terminato ad actualem nostram existentiam, post perfectam omnium personarum constitutionem, & productionem ad intra: possunt autem diligere, & necessario diligunt nos vt creaturas possibiles, eadem dilectione notionali, qua se se mutuo diligunt: quemadmodum Verbum procedit ex notionali cognitione Patris, seu dictione terminata etiam ad creaturas, non vt actuales, sed vt possibiles. Quamquam sicut eodem amore essentiali amantur essentialiter res futuræ; ita eodem amore personali amantur essentialiter; sicut de scientia dictum est supra q. 34. art. 3. n. 65. & satis est ad salnanda prædicta verba S. Thom. quorum sensum optimè explicat Suarez l. 11. de Trinit. c. 3. n. 12.

11. *Sexta obiectio Torres.*

Obiicies sexto ex Torres hic, col. penult. ita scribente; *Ingenuè fatemur, nos non posse intelligere, quo nam pacto prædicta propositio sit propria, quoniam non facit sensum iuxta propriam, & germanam significationem terminorum, ex quibus constat; si quidem diligere sua propria significatione non significat producere amorem, aut Spiritum sanctum; etenim verè diligit, qui non producit amorem, sed illum habet longo tempore antea productum: & vt quis diligat, requiritur, vt amor prius producatur.* Ergo producere amorem, non est diligere, sine amare.

Respondetur declarando duplicem habitudinē importatā Verbo diligendi.

Respondeo, quod fusius adnotaui tomo 1. q. 12. art. 2. num. 16. sicut intelligere dicitur æquè propriè tam per habitudinem actus intelligendi ad obiectum intellectum, quàm per habitudinem potentiæ intellectiuæ ad terminum actione intelligendi productum, quem vocamus Verbum; quo sensu S. Thomas supra q. 27. art. 1. post med. corp. scripsit. *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens:* ita diligere in propria sua significatione dicit duplicem habitudinem, alteram ad obiectum dilectum, alteram ad terminum per actionem diligendi productum. Differunt solum, quia in genere intellectiuo magis noto, habemus vocabulum dicendi, quo expressius, ac proprius significata est illa habitudo ad terminum, quod non habemus in genere volitiuo, seu dilectiuo; & ideo cogimur loqui distinguendo duplex diligere, alterum essentiale per solam habitudinem ad obiectum, alterum notionale per habitudinem expressam etiam ad terminum. Nego igitur arguenti, quod diligere simpliciter, & vniuersaliter acceptum, sua propria significatione non significat producere amorem. Et ad contrariam probationem dico, quod, qui non producit amorem, sed habet iam productum vel à se, vel etiam ab alio, vt à Deo solo, sicut multi existimant fieri posse, vel habet omnino improductum, vt habet Deus in sua essentia, is verè, ac propriè diligit, sed obiectiuè tantum: quod non tollit, quin diligere effectiuè, sit etiam verè, ac propriè diligere, vt loco citato distinxi de intelligere. Vbi aduerto, quod non quodlibet producere, actum intelligendi, & diligendi est intelligere, & diligere; nam si solus Deus actum in nobis produceret, per hanc productionem nullo modo denominari rectè posset intelligens, aut diligens; sed producere ipsius potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ, illud propriè denominatur intelligere, & velle, seu diligere: quo soluitur secunda obiectio Torres ducta ex eo, quod si Deus se solo produceret nostrum amorem, non diligeret, sed nos tantum diligeremus.

12. *Septima obiectio Torres & Rada.*

Obiicies septimo ex eodem impugnante exempla S. Thomæ. *Falsum est*, inquit Torres, *quod assumit S. Thom. quòd florere floribus, est producere flores, & dicere Verbo, est producere Verbum:* contra primum arguit primo, quia si *Deus se solo produceret flores in arbore, ipsa floribus floreret, & eos non produceret.* quod argumentum proposuit etiam Rada controuersia 17. §. 3. contra sanctum Thomam. Secundò, *quia prius natura est arborem producere flores, quam florere; non ergo producere flores est florere.* contra secundum arguit tertio quia *dicere Verbo non est formaliter producere Verbum, sed Verbo manifestare conceptus.*

Respondetur defendendo duo exempla S. Thomæ hic.

Respondeo ad primum in illo casu de solo Deo producente flores, nego quòd tunc arbor propriè floreret floribus; esset illa propter solos flores potius florida, quàm propriè florens, seu florificans: sicut si haberet fructus, quos ipsa non faceret, non esset fructificans, nec proprie fructificaret, sed esset potius, vt ita dicam, fructihabens. Ad secundum, nego esse prius producere flores, quam florere: ipsum enim florere est formaliter producere flores, siue actio florificatiua, tamen ex modo significandi importans immediatam habitudinem, non ad flores, sed ad arborem, quam in se subiectiue florentem denominat: sicut idem sunt ignis calefaciens, & ignis producens calorem; sed vt calefaciens importat immediatam habitudinem ad subiectum, quod calefit, quam non importat vt producens calorem. Ad tertium, nunquam dixit S. Thomas, quod *dicere Verbo est producere Verbum.* Bis in hoc articulo, & propè fin. corp. & ad 2. ait simpliciter, & absolutè, *dicere est producere Verbum.* Similiter supra q. 34. art. 1. ad 3. *dicere importat habitudinem ad Verbum conceptum, nihil enim est aliud dicere, quam proferre Verbum, sed mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quam in Verbo prolata manifestatur intelligenti.* Dicere igitur propriè, hoc est, notionaliter acceptum, si rem significatam spectemus, nihil est aliud quàm producere Verbum: si vero spectemus modum significandi, hoc ipsum producere significatur cum immediata habitudine ad obiectum, quæ habitudo vt sit formaliter notionalis,

lis debet intelligi, vt secundariò inclusa in termino producto. nam si intelligatur vt primario inclusa in ipso actu præcisè intelligendi, erit habitudo essentialis, & intelligere potius, quam dicere; & idem prorsus dicendum de diligere notionali, & essentiali.

QVÆSTIO XXXVIII.

De Nomine Spiritus sancti, quod est donum, in duos articulos diuisa.

Consequenter quæritur de dono, & circa hoc quærunt duo, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm donum sit nomen personale.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd donum non sit nomen, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Probatur conclusio simpliciter affirmatiua, num. 1. ad 4.*
2. *Donum esse etiam nomen essentiale, num. 4.*
3. *Donum dici aptitudinaliter, non actualiter, num. 5. ad finem art.*

1. *Prima conclusio affirmatiua.*

PRIMA conclusio affirmatiua omnino certa apud omnes Patres & Scholasticos, sæpè expressa in Scripturis, quæ diuinam aliquam personam donum nominant. De Spiritu sancto, quia est omnium propriissimè donum, vt art. sequenti, id frequentius, & expressius legitur Actorum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Vnde c. 8. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus,* & ablata pecunia dixisset, *Date, & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*, Petrus illi respondit. *Pecunia tua tecum sit in perditione; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Vbi ex contextu manifestum est, Spiritum sanctum vocari Donum Dei. Colligitur ex locis quibus Spiritus sanctus dicitur nobis dari. Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Rom. 5. *Per Spiritum sanctum, qui datus est vobis.* Itē clarius ex illo Christi Domini dicto ad Samaritanam Ioan. 4. *Si scires donum Dei.* Vbi per donum Dei intelligi donum Spiritus sancti, quod, inquit Augustinus, *Nihil est aliud quam Spiritus sanctus, sicut corpus carnis nihil est aliud, quam caro*, cum Coloss. 2. dicit, *in expoliatione corporis carnis*, multis acutè probat Aug. lib. 15. de Trin. c. 19. à principio, ex eo, quod ex sequentibus apertè constat id quod vocatum fuerat, *Donum Dei*, sæpe deinde vocari *aquam viuam, quæ fiet in eo*, hoc est, bibente, *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hanc autem aquam viuam esse ipsummet Spiritum sanctum, interpretatus postea est idem Ioannes c. 7. nam cū dixisset Dominus, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Subiungit Euangelista, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Actor. 2. 8.

Exponitur eū Aug. locus Ioan. 4.

Ioel 2.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

Eadem verba de Spiritu sancto exponit Athanasius lib. de humana natura suscepta, multò post principium dicens, *In Euangeliis item Filius ambulantibus in siti aquam se daturum pollicetur. Dum Samaritanæ de Spiritu sancto ita loquitur, si sciret donum Dei*, &c. *Athanasius.*

2. *Filium Dei vocari donū.*

Personam quoque Filij Dei dici donum, colligimus pariter ex Scriptura dicente, illum etiam nobis datum esse. Quod enim gratis, & omnino liberaliter dicitur dari iis, qui liberè illud accipiunt, eoque fruuntur, & vtuntur cum volunt, proculdubio aliquam doni rationem habet. Ita Isaiæ 9. *Filius datus est nobis.* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & Rom. 8. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quibus verbis Filium esse donum, probauit Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 24. fin. eaque ratione redarguens hæreticos arguentes, Spiritum sanctum non esse Deum, ex eo quod esset donum Dei, quia dicebant, *Donum nequaquam iisdem honoribus afficitur, quibus is qui dedit.* Præterea, Pater etiam dari dicitur Ioan. 14. *Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et propterea ipse etiam donum aliquo modo dici potest; nempe, non per ordinem ad alium distinctum realiter donatorem, sicut Spiritus sanctus est donum Patris, & Filij; & Filius est donum Patris: sed per ordinem ad eumdem qui se ipsum donat. Qua ratione ipse etiam Spiritus sanctus est donum, vt notatur hic ad 1. ex Aug. l. 15. de Trinit. c. 19. multò post med. ita docente de Spiritu sancto, *Nec quia illi dant, ipse datur, ideo minor est illis: ita enim datur sicut donum Dei, vt etiam se ipsum det sicut Deus. Non enim dici potest non esse suæ potestatis,* (quæ libertas omnino requiritur in donatore ad donandum) *de quo dictum est, Spiritus vbi vult spirat; & illud Apostolicum, Omnia hæc operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens propria vnicuique prout vult. Non est illic conditio dati, & dominatio dantium, sed concordia dati & dantium.* *Athanasius.* *Basilius.* *Quomodo Pater etiam dicatur donū Ioan. 14.* *Spiritus sanctus donat se ex Augusti.* *Ioan. 3.* *1. Cor. 12.*

3. *Ratio conclusionis ex Aristotele.*

Præter hanc authoritatem, naturalis ratio conclusionis est, quia ex Philosopho lib. 4. Topicorum, loco 54. *Donum alicuius, alicui dicitur; & datio alicuius, & alicui dicitur; est autem datio genus doni, nam donum datio irreddibilis est*, hoc est, non datur ad hoc vt accipiens reddat danti aliquid aliud bonum; hoc enim esset, vt docet S. Thom. 1. d. 18. quæst. vnica a. 3. ante med. corp. *Venditio & quæstus*, potius quam donum; aut, vt non inferat aliquod malum, quod ab eo timet, quod ex eodem S. Thoma esset non donum, sed redemptio: neque etiam est datio, qua dans reddat alicui aliquid, quod illi dare tenetur, vel ex iustitia, vel ex fidelitate, vel ex gratitudine, vel ex aliquo alio debito; hæc enim datio esset solutio debiti, & satisfactio potius, quàm donatio; sed est datio merè gratuita, ex cognitione boni, & puro amore, ac liberalitate illud largiendi, absque vllius retributionis intuitu. Nam, vt dicitur l. *donari*, ff. de donationibus, & l. *donari*, ff. de regulis iuris. *Donari videtur quod nullo iure cogente conceditur.* Quod magis explicat definitio Azonis, & Hostiensis dicentium, *Donatio est rei licitæ nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio.* Ad essentialem igitur doni rationem requiritur primò, vt sit aliquid dantis, nimirum, vt exponit S. Thomas hîc ad 1. vel *per modum identitatis, sicut dicit Augustinus super Ioan. Quid tam tuum est, quam tu? & sic dicitur quod Spiritus sanctus dat se.* vt suprà de Patre etiam dictum est. Vel, *vt possessio, vel seruus, & sic donum Dei est aliquid creatum, vel per originem tantum, & sic donum Patris est Filius, & Spiritus sanctus donum vtriusq; & est nomen personale.* Secundò, vt detur alicui, quem donatarium Iuristæ vocant. Tertiò *Definitio doni ex Iure ciuili.* *S. Thomas.*

motiuum, seu titulus dandi, nimirum vt ex parte donatarij nullum sit ius accipiendi, & ex parte donatoris nullum sit debitum dandi, sed detur ex pura liberalitate præstandi beneficium, ac proinde cũ conditione, ac libertate dantis, & cũ vtilitate accipiẽtis, qui bono dato possit liberè vti, vel frui, quod requiritur hic in corp. & ad 3. Hanc autem totã doni naturam, certum est conuenire diuinis personis, vel omnibus, vel saltem duabus procedentibus; vel maximè Spiritui sancto, vt in sequenti articulo. Etenim persona procedens est verè, ac propriè alterius, non per subiectionem, seu dominium & possessionẽ, sed per solam realem originem; ratione cuius sicut potest mitti, ita etiã, & donari. Potest etiã dari liberis creaturis, liberèvolẽtibus diuina persona frui, & vti bonis effectibus, quos illa dare promisit. Deniq; infinitum, ac supernaturale increatæ personæ bonũ naturis creatis, ac finitis, illud nulla prorsus ratione merentibus, dari non potest, nisi maxima cum liberalitate. Enim verò, vt docet S. Thom. suprà, *Constat quod illa datio in qua intenditur vtilitas dãtis, numquam competit Deo. Vnde ipse singulariter dicitur liberalis, quia in omnibus aliis dantibus intenditur aliqua vtilitas in dante, vel boni temporalis, vel spiritualis. Vnde nulla datio est purè liberalis, vt dicit Auicenna, nisi Dei.* Igitur donum in diuinis est sine dubio nomen personale, hoc est, diuinis personis conueniens.

4. *Secunda conclusio donum esse etiam nomen essentiale.*

Secunda conclusio. Nomen doni in diuinis est etiam interdum aliquo modo essentiale. Ita ad 2. his verbis, *Essentia dicitur esse donum Patris primo modo, quia essentia est Patris per modum identitatis.* Idque cõceditur propter Hilarium lib. 8. de Trinit. Vbi ad rẽ nihil aliud inuenio, nisi col. 8. quòd illud, in quo sunt vnum Pater, Filius, & Spiritus sanctus accepit Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, ac Filio; & subiungit, *Non habet hæc vnitas diuersitatem, nec differt, à quo acceptum sit, quod datum à Patre, datum referatur à Filio:* iuxta quem sensum ipsemet Filius Dei Ioan. 10. dicit, *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est*; & cap. 16. *Ille*, hoc est, Spiritus sanctus *de meo accipiet.* Ex quibus authoritatibus solum habetur, quod essentia sit aliquid datum personis procedentibus: hoc autem non est esse propriè, ac specificè donum, sed tantum impropriè, ac genericè; quia ex Philosopho suprà, *Est datio genus doni.* At verò propria, ac specifica ratio doni in diuina essentia inter ipsas personas impeditur, tum ex omnimoda identitate doni inter personam dantem, & personam accipientem: tum potissimum quoniam essentia personis procedentibus non datur ex liberali, & gratuita donandi voluntate, sed ex summa, ac naturali necessitate producendi ad intra. Quare minus impropriè nomen doni conuenit essentiæ in quantum creaturis dari dicitur per liberam participationem, quam in quantum dari dicitur diuinis personis per processionem omnino necessariam; & in hoc sensu videtur S. Thomas 1. d. 18. q. vnica art. 1. fin. corp. docere, *quod secundum hoc, quod id, quod datur, liberè habeatur, ipsa essentia dicitur dari, vel donari; & secundum hoc, donum, vel datum, non est personale, sed essentiale.* Datio enim quæ summo impetu, & omnimoda necessitate naturæ fit, nimis longè distare videtur à proprio donationis conceptu, quem communissimè omnes habemus. Et ideo initio conclusionis limitanter dixi, donum esse *aliquo modo* nomen essentiale. Quod benè probat Syluester p. p. Conflati quæst. 38. art. 1. circa med. commentarij dicens, *Donum cum sit nomen concretum non significat rem donatam, sed connotat. Significat autem formaliter relationem ad eum cuius est donum: quæ si sit relatio identitatis, sic est essentiale, si originis, sic est personale.*

Hilarius. S. Thomas. Sylueſter.

5. *Tertia conclusio, donum dici aptitudinaliter, non actualiter.*

Tertia conclusio habetur in responsione ad 4. & recipitur ab omnibus Scholasticis sequentibus Magistrum lib. 1. sent. d. 18. litera B. *Donum non dicitur ex eo quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem, vt possit dari. Vnde ab æterno diuina persona dicitur donum, licet ex tempore detur;* & ideo initio corp. formaliter dixerat, *Quod in nomine doni importatur habitudo ad hoc, quod donetur.* Hanc quæstionem in terminis mouet Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 15. & respondet his verbis, *Spiritus sanctus quia sic procedebat, vt esset donabile, iam donum erat, & antequam esset cui daretur.* Idque statim sic optimè probat. *Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum, nam donum potest esse, & antequam detur; donatum autem nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.* Et iuxta hoc in sequenti cap. initio addit, *Sempiternè Spiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam etsi Dominus non dicitur, nisi cum iam habere incipit seruum, etiam ista appellatio relatiua ex tempore est Deo.* Vnde duo colligo; primum, personam diuinam esse donum in æternitate, non solum antequam detur in tempore, sed etiam in priori signo rationis antequam concipiatur Deus per liberum voluntatis suæ decretum velle illam dare: tunc enim ita decernitur, quia præsupponitur persona donabilis, & consequenter propriè donum. Secundum, rationis relationes, quæ Deo in tempore conueniunt per ordinem ad creaturas temporaliter existentes non solum conuenire ratione essentiæ, cuiusmodi sunt relationes creatoris, Domini conseruatoris, & pleræque aliæ; sed etiam ratione personæ, cuiusmodi est hæc relatio donati, & etiam secundum sanctum Thomam 1. d. 18. quæst. vnica art. 1. ad primum, alia relatio quæ conuenit soli personæ Verbi, vt terminanti vnionem hypostaticam per propriam suam personalitatem: nam operatio ad extra, qua ad hanc terminationem assumpta est humana natura Christi est communis toti Trinitati. Quare cum idem Augustinus dicit deinde in lib. 15. de Trinitate cap. 19. aliquanto post med. de Spiritu sancto. *In tantum donum Dei est, in quantum datur eis, quibus datur.* Quæ verba vsurpat etiam Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 3. circa med. debet intelligi, vel de dono large sumpto in actu secundo, vel de dari non actualiter, sed aptitudinaliter, quod rectius dici existimat Torres hîc p. p. Commentarij circa med.

Tertia conclusio, donum dici aptitudinaliter, non actualiter. — Augustinus. — Rationem doni esse æternam. — Relationem doni esse personalem. — S. Thomas. — Augustinus. — Isidorus. — Torres.

ARTICVLVS II.

Vtrùm donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd donum non sit proprium nomen, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Prima conclusio affirmatiua de dono personaliter sumpto, num. 1. ad 6.*
2. *In quo sensu Spiritus sanctus eo sit donum, quo Deus, num. 6.*
3. *Per Spiritum sanctum dari omnia dona, n. 7.*
4. *Quo modo Spiritus sanctus sit, vel non sit donum nostrum, num. 8.*

1. *Prima cõclusio affirmatiua de dono personaliter sumpto.*

PRIMA conclusio affirmatiua de dono secundum quod personaliter sumitur in diuinis est omnium Theologorum, vno excepto Durando 1. d. 18. quæst. 1. à num. 6. vbi ex erroneo illo principio negante, processiones diuinas oriri immediate ex intellectu, & voluntate, vt suprà q. 27. art. 1. dub. 9. 10. & 11. sicut de Filio deduxit, non esse propriè Verbum, & Imaginem, sed tantum appropriatè, quia etsi non procedat per intellectum, tamẽ procedit per modum intellectus; ita pariter de Spiritu sancto deducit, neque esse propriè Amorem, neque propriè donum, quod essentialiter importat amorem liberum, sed tantum appropriatè, quia etsi non procedat per voluntatem, tamen procedit per modum voluntatis. & ideo scribit, *quod ratio doni inuenitur in diuinis, non respectu diuinorum,* (quod intellectum iuxta secundam conclusionem præcedentis articuli n. 4. verum est,) *sed respectu creaturarum*; & *competit,* inquit, *aquè propriè essentialibus sicut personalibus, vel essentiæ sicut personis; licet appropriatè soli personæ Spiritus sancti.* quæ opinio, vt rectè ait Aureolus 1. d. 18. art. 1. multò post medium, & mox ostendam, *expresiè est contra intentionem Augustini*; &, vt censet Carthusianus quæst. 2. multò post medium, *Videtur omnibus Doctoribus esse contraria, multiplicitérque erronea.* quam censuram ferunt etiam recentiores omnes.

Contra Durandum. — Aureolus. — Carthusian.

2. *Probatur cõclusio ex Augustino.*

Probatur conclusio ex Patribus, inter quos omnium clarissimè loquitur Augustinus. Nam lib. 7. de Trinit. cap. 4. non longè à medio ita scribit, *Spiritus sanctus propria significatione qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater, nec Filius.* Ergo Spiritus sanctus eadẽ propria significatione, qua dicitur Spiritus sanctus & distinguitur à Patre & Filio, dicitur etiam donum. Vnde c. 6. multò post medium, *Sicut Verbum non dicitur nisi Filius, ita*, inquit, *donum non dicitur nisi Spiritus sanctus.* Et lib. 15. cap. 18. prope principium, *nec Spiritus, propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem.* Sed solus Spiritus sanctus, vt ex eodem Augustino, & aliis Patribus ostendi suprà quæst. 37. art. 1. n. 3. & 4. est propriè dilectio & charitas. ergo etiam est propriè donum. & circa finem capitis, cum dixisset, *Dilectio quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus sanctus est*; hinc ita deducit pro præsenti conclusione, *Quocirca rectissimè Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum propriè, quid nisi charitas intelligenda est?* de qua dixerat c. 17. circa medium, *Si propriè aliquod horum trium, charitas nuncupanda est, quid aptius quam vt hoc sit Spiritus sanctus?* Idem ex eodem colligitur cum lib. 4. de Trinit. cap. 20. aliquanto post medium dicit, *Sicut natum esse, est Filio à Patre esse*; ita inquit, *Spiritui sancto donum Dei esse, est à Patre procedere.* Quibus verbis, quæ affert S. Thomas hic in argumento, *Sed contra.* clare distinguuntur natum esse, quod tribuitur Filio, & procedere, nimirum per spirationem voluntatis, quod tribuitur Spiritui sancto. Ergo si donum esse, est procedere, sicut Spiritui sancto propriissimum est procedere, & per amorem spirari, ita & esse donum; sicut pariter, quam comparationem verè facit Augustinus, propriissimum Filij est, & esse natum, & esse à Patre per generationem. Item ex verbis lib. 5. c. 11. medio, quibus solis nititur Aureolus suprà, *Ille Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relatiuè dicitur, cum & ad Patrem & Filium refertur; quia Spiritus sanctus & Patris & Filij Spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem cum dicitur donum Dei. Donum enim est Patris & Filij, quia & à Patre procedit.* Hinc arguo primo cum Aureolo, Donum expresè importat in Spiritu sancto relationem illam, qua ad Patrem & Filium refertur, à quibus procedit, sicut Spiritus vtriusque; quod apertissimè docet Augustinus, *Sed manifestum est*, vt rectè subdit Aureolus, *quòd realis illa relatio, est propria Spiritui sancto, & non appropriata*

doni. Ergo donum non est solum appropriatum, imò personale proprium. Secundò ex illa causali, quam facit Augustinus, *Donum dicitur, quia à Patre procedit*, sed procedere à Patre, est proprium & personale, non commune & essentiale. Ergo etiam & esse donum.

Consentiunt alij Patres. Athanasius oratione 2. contra Arianos inter medium & finem, cum non semel dixisset Spiritum sanctum donari per Verbum, & Christum filium Dei, ita subiungit, *Per quem autem, & à quo tandem conueniens erat Spiritum sanctum donari, nisi per Filium, cuius Spiritus est?* & post pauca, antonomasticè vocatur, *Donator ille Spiritus Verbum.* Et oratione 3. inter principium & medium, docet, Filium Dei esse *datorem Spiritus, quia Verbum Dei est.* Si Spiritus sanctus conuenientissimè dicitur donari per Filium, & à Filio; & Filius ideo illum donat, quia Verbum Dei est, & quia eius Spiritus est; ergo Spiritus sanctus propriissimè dicitur donum, ex personalitate sua, qua ad Filium tanquam ad Donatorem, ac principium spiratiuum refertur. Nazianzenus oratione 5. de Theologia non longè à fine, docet, multa de Spiritu sancto dici, inter quæ numerat esse *donum*, quæ, inquit, *ad primam causam referri debent, vt ex quo sit ostendatur.* Si in Spiritu sancto esse donum est relatio ostendens illius processionem à Patre; ergo est maximè proprium personæ Spiritus sancti. Basilius lib. 5. contra Eunomium, §. 7. initio, *Spiritus sanctus quomodo clamabit inte, Abba, Pater, nisi donum verè à Filio sit, non possessio eius.* De nulla diuina persona dici potest, *esse donum à Filio*, nisi de Spiritu sancto, qui si non esset propriè donum, esset potius non donum verè; & tamen Basilius contra vocat, *donum verè.* Hugo Ætherianus lib. 3. contra Græcos cap. 3. multò post medium, de Spiritu sancto, dicit, *Donum est Patris & Filij; in quo nomine habitudo videtur significari.* Quæ relatio Spiritus sancti ad Patrem & Filium, est ipsamet Spiritus sancti personalitas. Item Albinus Alcuinus lib. 1. de Trinitate cap. 5. fine, *Dicitur idem Spiritus, donum Dei; quia Deus donator doni sui est. In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula.* Bernardus sermone 3. in die Pentecostes aliquanto post principium, *Spiritus sanctus dicitur propriè sanctus, quòd sit donum Patris & Filij, omnem sanctificans creaturam.* Ergo ex proprietate est donum qua est Sanctus. Demum tam hi, quam reliqui omnes Patres, sicut Spiritum sanctum proprio nomine vocant Spiritum Dei, & Spiritum Patris & Filij, vt suprà q. 36. art. 4. num. 36. ex Scriptura probauimus, ita etiam vocat Donum Dei, & Donum Patris & Filij, fundati in Scripturis citatis suprà art. 1. n. 1. Ex quibus mota Ecclesia canit de Spiritu sancto, *Qui Paracletus diceris, Donum Dei altissimi.*

3. *Probatur ex Athanasio.* — *Nazianzene.* — *Basilio.* — *Hugone Ætheriano.* — *Alcuino.* — *Bernardo.*

Vnica & efficax conclusionis ratio, quam tradit S. Thomas hîc, sumitur ex essentiali ratione doni explicata suprà art. 1. num. 3. ex doctrina Philosophi. Donum enim propriè est datio irreddibilis, *id est*, inquit S. Thomas, *quod non datur intentione retributionis*; sed ex puro amore personæ, cui datur omnino gratis; hoc est, nullam aliam ob causam, nisi quia volumus ei bonum. Ergo primum donum, quod verè ac liberè damus donatario, est noster liber amor, quo volumus ei bonum. *Vnde manifestum est*, vt deducit S. Thomas, *quòd amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur*; ita vt rectè dici possit donum se ipso essentialiter, & nõ per ordinem ad liberam dandi voluntatẽ, sed ex supra probatis Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis habet esse amorẽ diuinum, procedit enim per actionẽ diuinæ voluntatis, qua per se formaliter

4. *Probatur ratione articuli.*

& immediatè produci, seu communicari non potest nisi amor, quo necesse est amari, & dari, quidquid amamus, & amando damus, siue liberè, siue necessariò. Ergo Spiritus sanctus ex propria & formali sua processione habet rationem boni primi: quam neque habet essentia, neque Pater, neque Filius, qui per se formaliter procedit per intellectum, vt Verbum non per voluntatem, vt Amor. Ergo solus Spiritus in diuinis, nomine sibi maximè proprio, appellari potest, ac debet, Donum. Vnde Pater, & Filius, & ipsemet Spiritus sanctus, cum mouentur ad donandum aliquid ad extra, mouentur ex amore, per quem procedit solum propria persona Spiritus sancti, & per propterea personaliter acceptus iuxta quæst. 37. art. 1. num. 2. & ipsemet Spiritus sanctus realiter & personaliter distinctus à Patre & Filio. Ita igitur, vt benè comparat S. Thomas hic ad 1. Spiritus sanctus est propriè donum, ex eo quòd procedit vt Amor per voluntatem, sicut Filius est propriè Imago, ex eo quòd procedit vt Verbum per intellectum.

Spiritus sanctus ita est donum, sicut Verbum est imago.

5. Augustinus. Hanc rationem significat Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. post medium illis verbis, *Spiritui sancto donum esse, est à Patre procedere*: quia nimirum ex propria conditione personæ suæ procedit vt amor; qui in omni donatione habet rationem primi doni, vnde promanant reliqua omnia, quæ donantur. Significant etiam suprà num. 3. Athanasius. Athanasius docens Spiritum sanctum conuenientissimè dici donum Filij, quia, inquit, *eius Spiritus est*; hoc est, amor ab ipso spiratur. Et Nazianzenus. Nazianzenus dicens, Spiritum sanctum, relatiuè dici donum, *vt ex quo sit ostendatur* nimirum per voluntatem, & amorem, per quem à Patre Filioque procedit; & Basilius. Basilius vocans Spiritum sanctum *donum à Filio* illum scilicet spirante per amorem. Et Augustinus, Hugo, Etherianus, Albinus, Alcuinus, & alij docentes, nomine Doni importari relationem ad donatorem Patrem & Filium; quæ relatio personalis est, ad principium spiratiuum per amorem, primum scilicet donum, radicem omnium donorum. Quod multò expressius & subtilius docuit Magister. Magister lib. 1. sent. d. 18. litera D. initio: nam ex prædictis Augustini verbis ita colligit, *Hîc apertè ostenditur, quòd Spiritus sanctus eo donum est, quòd procedit à Patre & à Filio: sicut filius est à Patre, quòd natus est ab eo.* Et paulò post, *Spiritus sanctus dicitur esse à Patre, & à Filio, quia Spiritus sanctus est donum Patris & Filij, id est, quia procedit ab vtroque*; nimirum per voluntatem communicantem per se formaliter amorem. *Eo enim dicitur Spiritus, quo donum, & eo donum, quo procedens.* Si eadem personalis relatio est, qua tertia persona denominatur Spiritus sanctus, & qua denominatur donum; ergo cum Spiritus sanctus per personalem suam relationem respiciat Patrem & Filium, à quibus per amorem producitur, ratio relatiua doni conueniet Spiritui sancto, ex eo quod producitur per amorem diuinum; qui in omni dono, quod à Deo donatur creaturis, est primò donatus, & est prima atque immediata radix vt donentur ad extra omnia bona, siue increata, siue creata, quæ intellectualibus creaturis propriè donantur: vt apertè significatur illis verbis Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et Vazquez. ideo placet mihi comparatio quam facit Vazquez disp. 154. cap. 2. initio, vt sicut cum Augustino de Filio dicimus, eo esse Filium quo Verbum, & è conuerso; ita pariter de Spiritu sancto liceat dicere, eo esse Spiritum sanctum, quo donum; & eo esse donum, quo est Spiritus sanctus. Nulla igitur diuina persona dici propriè potest donum, nisi Spiritus sanctus; vel saltem ita propriè, sicut Spiritus sanctus. Et ideo in Scripturis, citatis suprà art. 1. num. 1. & 2. Pater & Filius dicuntur quidem dari, non tamen donum: sed Spiritus sanctus & dari, & donum, etiam sæpe dicitur.

6. *In quo sint Spiritus sanctus eo sit donum quo Deus.* Secunda conclusio, Non formaliter, sed materialiter, seu concomitanter verum est, quod Spiritus sanctus eo est donum, quo Deus. Iuxta hunc sensum intelligo quæ docet sanctus Thomas 1. d. 18. quæst. vnica, toto art. 4. & probatur breuiter, distinguendo illas particulas, *eo* & *quo*: quibus significari potest, vt optimè ibi distinguit sanctus Thomas, vel formalitas relationis, vel formalitas emanationis, seu processionis. Si relationis, illa propositio formaliter est apertè falsa: quoniam, inquit sanctus Thomas, *Spiritus sanctus proprietate, seu relatione suæ, formaliter loquendo, est Spiritus sanctus, & donum, & amor, non autem Deus: sicut nec Filius filiatione est Deus, formaliter loquendo, sed filiatione est Filius, & Deitate Deus, & sapientia sapiens.* Si processionis, est etiam formaliter falsa, si vera est opinio cum sancto Thoma probata suprà quæst. 27. art. 2. quòd Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis non accipit naturam diuinam, sicut accipit Filius, sed tantum accipit illius naturæ attributum, quod est amor. Spectata igitur formaliter non relatione, sed processione, rectè de Filio dicitur, eo Filius, aut Verbum, aut Imago, quo Deus; non autem de Spiritu sancto, eo Spiritus sanctus, aut Amor, aut Donum, quo Deus. Verum quia omnis relatio, & processio identificatur cum Deitate, proculdubio in sensu materiali, & concomitanter semper erit vera illa propositio. S. Thomas.

7. *Per Spiritum sanctum dari omnia dona, ex S. Thom.* Tertia conclusio. Spiritus sanctus est donum, per quod dantur quæcumque alia dona, quæ à Deo dantur. Hoc ex instituto probat sanctus Thomas 1. d. 18. quæst. vnica, toto articulo 3. & breuissimè hic ad finem corporis. Probat 1. quia Spiritus sanctus est *primum donum*, hoc est, ex vi formali suæ processionis habet esse ipsum infinitum, & increatum Dei amorem, qui & in se ipso habet essentialem rationem doni, & ex quo omnes creaturæ, & omnia creaturarum dona promanant. Et ideo non solum materialiter, sed etiam formaliter, loquendo de ipsa formali ratione doni verum est quod scripsit Isidorus lib. 7. etymologiarum cap. 3. post medium, *Nullum maius est donum Dei, quam Spiritus sanctus.* Isidorus. Probat secundò ex Augustino, id apertissimè docente lib. 15. de Trinitate cap. 19. ante medium. Augustinus. Cum enim docuisset, Spiritum sanctum significari illis verbis Ephes. 4. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: subdit, Spiritum sanctum ideo dictum esse dona, non donum, *quia per donum, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria diuiduntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, & alij alia: quamuis ipsum donum, à quo cuique propria diuiduntur, omnes habeant, id est, Spiritum sanctum. Nam & alibi cum multa dona commemorasset. Omnia, inquit, hæc operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult.* Confirmatur ex paritate cum Verbo. Sicut enim quia Filius procedit à Patre, vt Verbum per intellectionem, omnia Pater intelligere, & intelligendo creare dicitur per Verbum suum: ita quia Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit, vt donũ per amorem, dici rectè possunt Pater & Filius omnia donare, & amare, & amando creare per donum, & amorem suum personalem. Quamobrem S. Thomas cit. art. 3. ad 3. concedit, Exponitur locus Ephes. 4. 1. Cor. 12.

cedit, quod omnium maxime difficile videbatur, *quòd quamuis Spiritus sanctus non sit principium Filij, est tamen principium effectus, secundum quem Filius dicitur dari, vel mitti; & ideo etiam ipse Filius est datus per donum, quod est Spiritus sanctus, scilicet per amorem. Vnde dicitur Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum*, &c.

8. *Quomodo Spiritus sanctus sit vel non sit donũ nostrum ex S. Thom.* Quarta conclusio, quæ habetur hîc ad 3. & ex instituto probatur ab eodem Sancto Thoma 1. d. 18. quæst. vnica toto art. 5. *Spiritus sanctus non potest dici quòd sit donum nostrum, sed donum Dei dantis. Cum autem iam datum est, tunc hominis est vel Spiritus, vel datum.* Ratio optima Sancti Thomæ est, quia donum, si non solum, tamen multò principalius & expressius respicit personam cuius est, vt potentis illud liberè dare; vt rectè notat Valentia q. Valentia. sua 12. de Trinitate puncto 2. ante medium, contra Caietanum. Vnde benè Molina hic disp. vnica paulo post principium, docet, quòd doni nomen *de formali significat esse alicuius, qui liberaliter conferre illud possit.* Molina. Quapropter ab Augustino l. 5. de Trinitate cap. 11. & 12. donum relatiuè definitur, *Donum donatoris donum, Donator doni donator*: & non dicitur, donum donatarij donum: & à Scripturis, & Patribus superius adductis cum Spiritus sanctus vocatur doni nomine, dicitur donum Dei, & donum Patris, & Filij; & nunquam dicitur donum creaturarum: & ex probatis suprà art. 1. conclusione 3. quod repetit hîc Sanctus Thomas, non importat dationem actu, quæ est recipientis, sed dationem potentia, qua dabile est recipientibus. Si igitur aliquod donum dicitur donum nostrum, seu donum hominis, seu donum Petri, significatur propriè, & expressè, donum esse sub nostro dominio, & in libera potestate nostra, siue hominis, siue Petri, vt scilicet possimus illud liberè dare cui volumus, & quando volumus. Certum autem est, in hoc sensu, Spiritum sanctum dici non posse donum nostrum. Solum dici potest donum dabile, seu donabile nobis. Sed cum dicitur donum nostrum, plùs sine dubio dicitur, nempe, quod nos ita habemus, vt tamquam nostrum, possimus illud cuilibet dare. Neque obstat, quòd Spiritus sanctus dicatur Spiritus noster, vt apud Augustinum l. 5. de Trinitate cap. 14. citea medium de Spiritu sancto dicitur, *Spiritus & Dei est, qui dedit; & noster, qui accipimus.* & paulo post confirmat, quia Luc 1. *dictus est Elias Spiritus, scilicet Spiritus sanctus, quem accepit Elias.* & Numer. 11. Moysi dixit Dominus, *Tollam de Spiritu tua, & dabo eis: hoc est*, inquit Augustinus, *dabo illis de Spiritu sancto, quem iam tibi dedi.* nam, vt respondet Sanctus Thomas citato art. 5. ad 2. *Spiritus importat rationum principij, in quantum à Spiritu est inspiratio, propter quod potest dici Spiritus noster.* Sicut dicitur creator noster, bonum nostrum, Deus noster, Pater noster, Deus salus nostra. Addit autem *quòd Spiritus sanctus est quædam circumlocutio inuenta ad exprimendum personam Spiritus sancti; ipse autem in quantum est persona subsistens, non importat relationem principij, sed magis eius, qui est à principio; & ideo non potest dici Spiritus sanctus noster*: sicut nec Filius Dei dici potest Filius noster, sed Doctor noster, & saluator, ac redemptor noster, vt subiungit respondens ad 4.

QVÆSTIO XXXIX.

De Personis ad essentiam relatis, in octo articulos diuisa.

Post ea, quæ de personis diuinis absolutè tractata sunt, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in diuinis essentia sit idem quod Persona.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd in diuinis essentia non sit, &c.

Conclusio affirmatiua ostenditur ex superioribus.

ONCLVSIONIS affirmatiuæ tam veritas, quàm veritatis certitudo, rationibus, & authoritatibus abundè probata remanet ex dictis supra q. 28. art. 2. quo quæritur, Vtrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia. Cum enim persona in diuinis, præter essentiã, nihil aliud importet nisi relationem; quidquid probat relationem esse, aut non esse, idem cum essentia, vel essentiam cum relatione; probat pariter, Personam esse, aut non esse idẽ cum essentia, vel essentiam cum persona. Solum differentia est, quia relatio latius patet quàm persona, propter quartam relationem spirationis actiuæ, quæ non est personalis: sed hæc differentia nihil facit ad præsentem quæstionem de identitate cum essentia, respectu cuius identitatis est eadem planè ratio de omnibus diuinis relationibus, tam personalibus, quam non personalibus; sed tantum facit ad aliam quæstionem de identitate huius quartæ relationis cum aliis tribus; de qua pluribus disputatum est ibidem art. 4. Neque ad rem ipsam quidpiam refert, quòd ibi facta fuerit comparatio inter relationem & essentiam, quarum neutra alteram includit, hîc vero comparatio fiat inter essentiam & personam, quarum essentia non includit personam, sed persona includit essentiam, docente Sancto Thoma supra quæst. 33. art. 3. ad 1. *Communia includuntur in intellectu proprium, sed non è conuerso, in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur*; quoniam in hac q. de identitate essentiæ cum persona, non consideratur essentia vt inclusa in persona, sed vt non includens totum id quod includit persona, scilicet relationem personalitatis: sicut à contrario, non consideratur persona vt includens essentiam, sed vt includens personalitatem non inclusam, saltem explicitè in conceptu essentiæ. Igitur hîc etiam re ipsa quæritur, vtrum essentia sit idem quod relatio personalitatis: quemadmodum idem in re est quærere, v. g. An rationalitas distinguatur ab humanitate, includente rationalitatem & animalitatem; ac quærere, An rationalitas distinguatur ab animalitate. S. Thomas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit dicendum tres personas esse vnius essentiæ.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd non sit dicendum, tres personas, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Quid de re ipsa sentiendum sit, num.* 1.
2. *Quomodo sit loquendum, num.* 2. *ad* 5.
3. *De voce, Homoiusios, num.* 5. *ad* 11.
4. *An tres diuinæ personæ dici possint tres substantiæ, num.* 11. *ad* 17.
5. *An dici possint tres essentiæ, vel naturæ, num.* 17. *ad finem Art.*

1. *Respondetur affirmatiue de re.*

HÆc etiam quæstio, quantum ad rem attinet, expedita sufficienter est q. 27. art. 1. dub. 1. à num. 19. ad 56. vbi probauimus, Filium Dei esse verum Deũ; & à num. 103. ad 140. vbi idem probatum est de Spiritu sancto. Etenim cum Pater sit verus Deus, quod nemo negat nisi qui negat ipsummet Deum; & ex probatis tomo 1. quæst. 11. art. 3. verus Deus sit tantum vnus numero; sequitur euidenter, quòd ille idem omnino Deus qui est Pater, est & Filius, & Spiritus sanctus: quod est, tres personas esse maximè consubstantiales in vna numero atque individua Deitatis essentia, seu natura. Idem deducitur ex ibidem probatis à num. 80. ad 103. de Filio, & deinceps de Spiritu sancto, quòd neuter est creatura, sicut nec creatura est Pater: nam, vt Augustinus. de Filij, Patrisque consubstantialitate discurrit Augustinus l. 1. de Trinitate cap. 6. paulo post principium, qui discursus idem demonstrat de Spiritu sancto, *liquido apparet, ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, eiusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est; & quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius eiusdem substantiæ cuius est Pater, ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt.* Quantum verò attinet ad modum loquendi, qui solum hîc tractatur, vt patet ex titulo quærente, *Vtrum sit dicendum*, &c. est,

2. *Conclusio affirmatiua de modo loquẽdi.*

Conclusio articuli affirmatiua, certa secundum fidem, quia ita loquuntur omnes Scholastici, & Patres, & Concilia, dum docent, & confitentur diuinarum personarum consubstantialitatem, quam solam significare voluerunt dicendo, Tres personas esse vnius essentiæ. In re certissima, & frequentissimè ab omnibus inculcata, satis fuerint grauiora testimonia, ac verba primò Concilij Nicæni l. 2. Concilium Nicænum. prope finem, in §. *His hoc modo.* vbi ita decernitur. *Visum est omnibus nostris, consubstantiale in Ecclesiastica fide definiri oportere, ad eum modum, quo & post Apostolos Sancti Patres nostri fidem hanc tradiderunt: hoc est, confiteri Filium & Spiritum sanctum eiusdem substantiæ cum Patre. Quam fidem omnes Nicææ congregati sancti Episcopi confirmarunt.* Vbi, quod Græcè dicitur, οὐσία, hoc est, essentia, versum Latinè est, substantia; quia, vt docet Sanctus Thomas supra q. 29. S. Thomas. art. 3. ad 3. fine, *Nomen substantiæ communiter accipitur apud nos pro essentia.* Quamuis enim substantia, quantum deriuatur à ratione substandi, minus Deo conueniat, cum illi repugnet esse subiectum substans accidentibus, vt supra quæst. 3. art. 6. propter quod Augustinus l. 7. de Trinitate cap. 5. post medium ait, *Manifestum est, Deum abusiuè substantiam vocari, vt nomine usitatiore intelligatur essentia, quod verè & propriè dicitur, ita vt fortasse solum Deum dici oporteat essentiam, est enim verè solus, quia incommutabilis est; idque nomen suum famulo suo Moysi enunciauit, cum ait, Ego sum qui sum; & dices ad eos, Qui est misit me ad vos*; quia vt dixerat in fine præcedentis capitis, *Ab eo quòd est esse, appellatur essentia*; & Sanctus Thomas 1. d. 8. quæst. 4. art. 2. ad 1. sequutus Augustinum, scribit, *Deus non omnino propriè potest dici substantia*: tamen in quantum deriuatur à ratione subsistendi, seu per se essendi, vnde eã deriuat ipsemet Augustinus cit. cap. 4. dicens, *Ab eo quod est subsistere substantiam dicimus*, absque vlla improprietate Deo tribuetur. Quapropter Ambrosius Ambrosius. l. de Incarnatione cap. 10. circa medium, vtrumque nomen æquè propriè tribuit Deo dicens. *Qui est, semper est. Ideo vel οὐσία Græcè, quòd sit semper; vel Latinè, quòd in suo maneat, nec ope subsistat aliena, appellatur substantia.* & Phœbadius, Galliarum Epi- Phœbadius. scopus, l. contra Arianos inter principium, & medium, in tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, *Substantia*, inquit, *dicitur id quod semper ex se se est; hoc est, quod propria intra se virtute subsistit: quæ visui & soli Deo competit.* Hilarius quoque l. de Synodis col. 5. ante canonem 1. nullã differentiam agnoscit inter essentiam, & substantiam illis verbis. *Propriè essentia idcirco est dicta, quia semper est: quæ idcirco etiam substantia est, quia res quæ est, necesse est subsistat in se se; quidquid autem subsistit, sine dubio in genere, vel in natura, vel in substantia maneat.* Hilarius.

Secundò Damasi Papæ, & Episcoporum nonaginta; qui ad eum in Romanam vrbem ex Italia & Gallia conuenerunt, epist. 5. aliquantò post principium, qui ita fatentur, *Patres nostri, trecenti decem & octo Episcopi, habito tractatu in vrbe Nicæna, hunc murum fortissimum contra arma diabolica statuerunt; & hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, vt Pater & Filius vnius diuinitatis, vnius virtutis, vniusque magnitudinis debeat credi; vniusque essentiæ, siue substantiæ; simul & Spiritus sanctus.* Tertiò Papæ Agathonis & Roma- Sexta Synodus. næ Synodi in ep. 2. initio col. 3. vt habetur in sexta Synodo Actione 4 circa finem, dum præcipiunt credendum esse Filium Dei, *consubstantialem Patri; id est*, inquiunt, *eiusdem cum Patre substantiæ.* Et paulò post, Trinitatem vocant *Vnitatem essentiæ*; confitentes, quòd Patris, & Filij, & Spiritus sancti est *vna essentia, siue substantia, vel natura, id est, vna Deitas, vna æternitas, vna potestas*, &c. Vbi etiam in Actione 11. Sophronius in sua ep. initio Profes- Sophronius. sionis fidei credit *in Spiritum sanctum, verè Patri & Filio consempiternum, consubstantialem, eiusdem essentiæ atque naturæ.* Et paulò post, *Sanctæ Trinitatis identitate essentiæ atque naturæ coniungitur.* Quarto Toletani VI. Toletanum VI. & XI. cap. 1. initio dicentis, *Credimus, & profitemur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnius essentiæ vniusque naturæ.* & vt initio Professionis fidei dicit etiam Toletanum XI. & sæpe in sequentibus repetit, *vnius substantiæ, vnius naturæ*, &, vt ait Bracarense I. can. 1. Bracarense I. & III. *vnius substantiæ.* Similiter Bracarense III. in Symbolo fatetur, *Filium Dei, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ.* Sicut etiam Basilius ep. 73. Basilius. paulò post medium, *Nos*, inquit, *homousiastas, siue homousianos probrosè vocant, propterea quod Filium cum Patre homousion, hoc est, eiusdem essentiæ confitemur.* Et Augustinus l. 7. de Trinitate cap. 6. post medium, Augustinus. *Tres personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus; quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona.* Et l. 3. contra Maximinum c. 14. multò post principium, *Pater & Filius vnius sunt, eiusdemque substantiæ. Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno aduersus Arianos à Catholicis Patribus veritatis authoritate, & authoritatis veritate firmatum est. Quid est enim homousion, nisi vnius eiusdemque substantiæ? Quid est, inquam, homousion, nisi Ego & Pater vnum sumus?* Ioan. 10.

3. Damasus.

4. Quibus Scripturæ verbis hanc conclusionem probant Patres omnes, quos attuli supra quæst. 27. art. 1. num. 155. & quæst. 28. art. 2. num. 26. & q. 31. art. 2. num. 9. & idem vniuersalius, includendo etiam Spiritum sanctum, probant alia similima verba

verba 1. Ioan. 5. *Hi tres, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, vnum sunt.* Quem locum pluribus exponimus supra q. 27. art. 1. à n. 120. ad 123. Quamuis igitur, vt S. Thomas. eruditè distinguit S. Thomas hic ad 2. *Tres personas esse vnius essentiæ, non inueniatur in Scriptura per hæc verba*, quæ nimirum explicitè dicant, Tres personas esse vnius essentiæ; *inuenitur tamen quantum ad hunc sensum.* Tres enim personæ dici verè non possent *vnum* absolutè & simpliciter, nisi essent vnius essentiæ, identificantis sibi omnia, quæ in illis tribus personis distinctionem inter se efficiunt. Præterea verbis illis Matth. vltim. *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non solum probatur *Exponitur locus Matth. vltimo.* Trinitas personarum, vt supra quæst. 27. art. 1. n. 145. sed etiam vnitas essentiæ; quia non solum nominantur tres distinctæ personæ, sed illis etiam tribuitur vnicum nomen, hoc est, vna virtus, atque authoritas, & consequenter vna Deitatis natura: alioqui alias creatas naturas cum natura Dei Patris æqualiter connumerare in sanctificatione animæ per baptismum apparet euidenter absurdum. *Non enim*, inquit Basilius l. 3. contra Eunomium, aliquantò post principium, *fas est, creaturis connumerare eum, qui in diuina & beata Trinitate connumeratur.* &, vt expendit Ambrosius l. 1. Fidei cap. 1. dictum est, *in nomine, non in nominibus*; quia, inquit, *vnus Deus, vnum nomen, vna potestas, vna est Trinitas.* Nam, vt interpretatur Fulgentius ad vltimam obiectionem Arianorum non longè à fine, *istud est nomen Domini, præter quem, aliud non nominus.* Dei igitur nomen, ac natura, æquè conuenit Patri, Filio, & Spiritui sancto. Atque in hoc testimonio tantam vim inesse senserunt ipsimet Ariani, vt referantur, baptizando tacuisse illud, *in nomine*, & dixisse tantum, *Baptizo te in Patre, & Filio, & Spiritu sancto*; vt sic scilicet, non vnam, sed tres naturas significarent. Ratio demum conclusionis explicata *Ratio conclusionis.* in corpore, & ad 4. hæc breuiter est, essentia diuina comparata ad personas ita à nobis concipitur, sicut in creaturis concipitur natura specifica comparata ad individua, seu supposita, in quibus est. ergo concipitur, vt forma personarum, & personæ concipiuntur, vt habentes talem formam. Sed in tali casu, cum loquimur de forma simpliciter, non dicimus, Rem formæ, sed formam rei; v. g. non dicimus, Hominem sanctitatis, vel doctrinæ, sed contra, sanctitatem, vel doctrinam hominis: cum verò loquimur de forma, cum adiectione alicuius adiectiui, quod designat, seu determinat illam formam ad talem rem, cuius est forma, solemus dicere Rem formæ, v. g. Hominem perfectæ virtutis, magnæ doctrinæ, &c. Sic igitur, vt significemus talem essentiæ formam, determinatam ad personas diuinas, nempè vnam essentiam esse trium personarum, adiiciendo ad essentiam, adiectiuum, *vnius*, rectè dicimus. *Tres personas vnius essentiæ, vt intelligantur isti genitiui construi in designatione formæ:* tametsi verè non persona sit forma essentiæ, sed essentia sit forma personæ. Et in responsione ad 3. acutè aduer- *Differentia inter naturã, & essentiam ex S. Thoma.* tit, *quòd magis exprimitur vnitas diuina per hoc, quòd dicitur, quòd tres personæ sunt vnius essentiæ, quàm si diceretur, quòd sunt vnius naturæ; quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur*; & ideò, inquit, *possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia; sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse.* Quod conuenit solum diuinis personis, quæ respectu diuinæ essentiæ vnum, omnino atque indistinctum esse debent.

DVBITATIO I.

De voce Homousios.

SVMMA.

1. *Esse ab omnibus vsurpandam, num.* 5.
2. *An Homousios habeatur in Scriptura, n.* 6. *&* 7.
3. *De nouitate vocis Homousios, num.* 8. *&* 9.
4. *De vocibus, Homoousios, & Synusios, num.* 10.

5. *Esse ab omnibus vsurpandam.*

PRima conclusio. Hæc vox in materia de Sanctissima Trinitate est ab omnibus Catholicis reuerenter suscipienda, & formalissimè retinenda, tamquam diuinitus inspirata ad exprimendam omnimodam essentiæ vnitatem in Trinitate personarum. Probatur primò, quia hanc vocem Concilium Ni- Nycænum. cænum tanti fecit, vt in ipso suo Symbolo ab omnibus aliis Conciliis, & Patribus, totaque Ecclesia recepto, eam collocauerit; quam Symbolum nostrum Latinè versit, *consubstantialem.* Quapropter Leo magnus epist. decretali 93. cap. 1. circa finem, Leo Papa. meritò scripsit, *Catholica Fides Homousion confitetur.* Secundò, quia eamdem vocem tamquam omnium clarissimam atque efficacissimam Ariani maxime abominabantur; *quemadmodum enim*, inquit Epipha- Epiphanius. nius hæresi 63. multò ante finem, *Serpens odit odorem bituminis, & spirationem cerui, & suffitum gagatæ lapidis, & fumum styracis; sic etiam Auius, & Sabellius odio habent verbum confessionis coessentialis in veritate.* Quo verbo scilicet significari videbant, Spiritum sanctum, & Filium esse de Patre, non quomodocunque, sed de ipsa vna, eademque Patris substantia; & consequenter Filij, & Spiritus sancti processionem à Patre esse æternam, sicut æterna est ipsa Patris substantia, atque essentia, quæ eadem omnino in ipsis est. Vnde cum reliquas voces de Filio dictas, quibus eius diuinitas significata, etiam hoc nomen, *Deus*, ad falsum, atque impium sensum traherent Ariani, solam vocem Homousion, cum nulla apparente rationem interpretari possent funditus, abrogare conati sunt. Hoc de Arianis testatus est Nazianzenus tractatu de fide non longè à medio; Nazianzen. Cum enim dixisset ab ipsis multas Catholicas voces recipi, sed peruersè exponi, ita subdit, *denique & nunc potuissent Homousion, sicuti & cætera verbotenus nominare, si habuissent, quomodo illud ad aliam intelligentiam sæuo sensu peruerterent. Sed cum viderent, se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem huius rei fieri voluerunt, ne aut profitendo crederent, aut credentes professi viderentur; subtili ingenio excusantes, quòd, aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oporteret, ne corporeus crederetur.* Item de iis- Ambrosius. dem ita scribit Ambrosius l. 3. Fidei cap. 7. paulò post medium. *Quid est aliud cur Homousion Patri nolint filium dici, nisi quia nolunt verum Dei filium confiteri? Sicut Author ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit, dicens, si verum Dei Filium, & increatum dicimus, homousion cum Patre incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu Fidei posuerunt Patres, quod viderunt aduersarijs esse formidini, vt tanquam enaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputarunt.* Idem verbum, vt refert Bellarminus l. 1. de Christo Bellarminus. in Præfatione aliquantò post medium odit Lutherus; & idem odium mendacissimè tribuit B. Hiero- Hieronym. nymo, qui, vt notaui supra q. 29. art. 2. num. 5. non de voce homousios, sed de voce hypostasis, dixit, *venenum sub melle latet.* Imò in fine illius epistolæ obtestatur Damasum *per Homousion Trinitatem*, vt daretur illi authoritas, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon. Tertiò, quia hoc vno verbo damnatur

simul

simul Ariani, & Sabelliani: Homousios enim, non dicitur nisi de pluribus personis eandem essentiam habentibus: sicut Latinè dicitur vna persona cósubstantialis, non sibi, sed alteri. Similiter coæternus, contemporaneus, conciuis, commensalis, & similia, non dicuntur de vno, sed de pluribus. In quantum igitur homousios importat vnitatem essentiæ, damnat Arianos. *Hæc enim vna voce homousio*, inquit Marius Victorinus aduersus Arium l. 2. prope finem. *omne venenum Ariani dogmatis internecatur, ô docti Episcopi, ô sancti, ô fidem Spiritu confirmantes: ô verbum verè verbum Dei.* In quantum verò importat pluralitatem personarum damnat Sabellianos. Hanc Græci nominis vim adnotauit Græcus Doctor Epiphanius hæresi 69. multò ante finem, vbi, cum docuisset, Filium esse coessentialem Patri, vocem explicans, subdit, *particula, con, non vnum significat, sed de coessentiali duo perfecta significat; sed non inter se diuersa, neque ab ipsorum vnitate aliena.* & ideò in Ancorato pag. 3. post medium ait, *Colligantia est fidei coëssentialem dicere. Si enim dixeris coëssentialem, soluisti Sabellij potestatem. Non enim vnius substantiæ significationem habet vox coëssentialis, sed significat, & in substantia esse Patrem, & in substantia Filium, & in substantia Spiritum sanctum. Cum verò coëssentialiter dicis, non alienum ab eadem Deitate significat, sed Deum ex Deo Filium, & Deum Spiritum sanctum eiusdem Deitatis, non tres Deos.* Idem ex Latinis Patribus obseruauit Ambrosius supra, qui immediatè post verba citata ita subiungit. *Frustra verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt*, nempè Ariani. *& in eo suam imperitiam produnt. Homousion enim aliud alij, non ipsum est sibi. Rectè ergo homousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio, & naturæ vnitas significatur.*

Marius Victorinus.

Epiphanius.

Ambrosius.

6. *An homousios habeatur in Scriptura.*

Secunda conclusio, vox homousios, quamuis in Scriptura non habeatur expressè quantum ad verba; tamen habetur realiter quantum ad sensum. Hęc est mens S. Thomæ in responsione ad 2. Idem enim in re sunt; Tres personas esse vnius essentiæ, & esse homousion; & ita passim Patres respondent Arianis, homousion repudiantibus ex eo quòd non legitur in Scriptura. Probatur primò ex Augustino supra n. 3. fi. *Quid est homousion, nisi, ego, & Pater vnum sumus?* Io. 10. Probatur secundò ex verbis 1. Ioan. 5. *Hi tres vnum sunt.* de quibus supra n. 4. Probat tertiò S. Th. ex illo Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Quod non potest aliter verificari nisi ratione vnius communis essentiæ identificantis sibi personalitates Patris, & Filij. Probat quartò Epiphanius hæresi 69. multò ante fi. ex verbis Exodi 3. Cum enim introduxisset Arianos contra homousion quod vocat *creatiuum pharmacum & salutare antidotum firmitatè fidei sanctæ Dei Ecclesiæ*, hunc in modum obiicientes, *vnde vobis essentiæ nomen affertur? Quæ Scriptura dixit de coëssentialitate? Quis ex Apostolis essentiam Dei dixit?* ita respondet *essentia est ipsum hoc, quod est, sicut dicit Moses, qui est, misit me. Qui est igitur, est, quod est; quod verò est, essentia existens est.* ex iisdem Exodi verbis idè colligit Cyrillus Dialogorum de Trinit. l. 1. aliquanto post principium. ex eo enim quod propriũ, ac particulare Dei nomen sit, *Qui est*, inquit. *Inde nimirum prisci, vsias, hoc est, substantiæ, vel essentiæ dictionẽ deriuarunt; idque merito, adeoque vt si quis Filium Patri dixerit consubstantialem, & consubstantialem, nihil insolitum in nominis impositione nouasse intelligatur; quandoquidem primitiuum in diuina Scriptura inuenitur. Etenim, quæ à talibus nominibus deriuata sunt, non prorsus secundum positionem propriam ab illis ipsis seiuncta sunt, eo quòd in primitiuo, vt in radice, plantata sunt.*

Colligitur ex Exodi 3. cum Epiphanio.

Cyrillus.

7. Præterea redargui possunt Ariani. Primò quia multa alia nomina, quæ non habentur expressè in Scriptura, omnes, etiam Ariani, Deo tribuunt; verbi gratia esse ingenitum, increatũ, vt obiciit Epiphanius supra. Item, esse incorporeum, infigurabilem, incircumscriptum, Regi non subditũ, vt obiicit Cyrillus supra secundo ad hominem, quia ipsi etiam Ariani hoc nomine vtuntur; tametsi erroncè, cum blasphemant, diuersas esse substantias, essentias, & naturas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Ita argumentatur Ambrosius l. 1. Fidei c. 9. circa med. dicens, *Quomodo reprehendunt, quia nos in Deo, aut vsiam, Græcè, aut Latinè substantiam dicimus; cum ex alia dicendo substantia Deum esse Filium, etiam ipsi substantiam Dei esse confirmant?* Quamobrem hoc ipsum argumẽtum vrgens Fulgentius in Responsione ad septimã obiectionem Arianorum, circa finem ita acutè, ac lepide instat, *mirum est eos, qui pro vnius substantiæ credulitate volunt nos Homousianos dici, quomodo se nolunt Triousianos, pro tribus, & diuersis substantijs appellari. Quamuis etsi tali nomine censeri fugiant, hoc eos tamẽ esse, qualitas suæ crudelitatis ostendit.* Tertio quia dũ Ariani pro vna voce, veritatis plenissima, ac fundatissima contra Catholicos vociferantur; interim ipsi quamplurimas voces contra Scripturam, & veritatem imprudentissimè iactant. Ita refert, ac respondet Athanasius epistola de Synodis Arimini, & Seleucię, multo post med. *Atqui inquiunt*, nimirum Ariani, *ista in Scripturis non reperiuntur, ac proinde voces alienas à sacris literis reijcimus. Cæterum illa ipsa est impudentis hominis cauillatio. Si enim eycienda putant verba in sacris literis non obuia, cur Ario tantum acerrum dictionum, quas nusquam in Scripturis reperias, accumulante, quales sunt ex non entibus, non erat Filius priusquam gigneretur, erat quando non erat, & quæcumque istiusmodi in ridiculo suo, & impio libello de sua sententia ab illo euomuntur, non contradicunt, sed potius pro illis pugnant, & ob ea cum Patribus suis belligerantur?*

Ambrosius.

Fulgentius.

Athanasius.

Tertia conclusio. Eadem vox, homousios, fuit quidem ab antiquis Ecclesiæ Patribus aduersùs Arium de nouo excogitata; eius tamen sensus antiquissimus est, non obscurè in veteri, ac nouo Testamento indicatus, & ab ipsis Apostolis clarius traditus, & semper in Ecclesia conseruatus Hoc omnium distinctissimum docuisse videtur Augustinus tr. 97. in Ioan. aliquanto ante finem. Cum enim illud 1. ad Timoth. 6. *Deuitans prophanas vocum nouitates*, ita exposuisset. *Non ait, verborum nouitates, sed addit prophanas: sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates:* hoc nonnullis exemplis confirmat, & inter alia affert exemplum huius conclusionis, dicens, *Aduersus impietatem quoque Arianorum hæreticorum nouum nomen Patres Homousion condiderunt: sed non rem nouam tali nomine signauerunt. Hoc enim vocatur Homousion, quod est, ego, & Pater vnum sumus; vnius videlicet eiusdemque substantiæ.* Eandemque rei antiquitatem demonstrant alia Scripturæ loca, de quibus supra n. 4. & 6. & illa etiam, quibus supra q. 27. art. 1. probauimus Diuinitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti. & Concilium Nicænum verbis positis supra n. 2. docet, hanc veritatem ab ipsis Apostolis acceptam esse; scilicet multo clarius, quàm in Scriptura traditum est. De hac enim veritate omnium præstantissima, intelligendus videtur Christus Dominus, Ioann. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ille me clarificabit.* Maxime enim clarificatus est Christus, cum Apostoli, & per Apostolorum traditionem reliqui omnes fideles, Spiritus sancti illustratione clarius perceperunt, illum habere eamdem essentiam, substantiam & naturam in nullo planè differentem, ac distinctam ab ea, quam habet Deus pater.

Augustinus. *Exponitur locus 1. Timoth. 6.*

8. *De nouitate vocis homousios.*

Exponitur locus Io. 16.

Eamdem

9. Hilarius.

Eamdem vocis nouitatem supponit Hilarius, dum lib. contra Constantium Augustum, circa med. Arianis eam nouitatem obiicientibus, non negat, sed potius supponendo excusat, ac defendit, dicens. *Nouitates vocum, sed prophanas deuitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis? Innascibilem scriptum nusquam legis. Nunquid, & hoc negandum erit, quia nouum est? Decernis similem Patri Filium. Euãgelia non prædicant. Quid est, quod non refugit hanc vocem? In vno nouitas eligitur; in alio submouetur. Vbi impietatis occasio patet, nouitas admittitur: vbi autem religionis maxima, & sola cautela est, excluditur:* eodem modo nouitatem suppono, excusat Fulgentius suprà, dicens, *Mirum est, quòd in hoc nomine sonus tantum à quibusdam intenditur, nec dicti intelligentia vestigatur; cum pleraque non sint antiquitus dicta, sed pro temporum, causarúmque opportunitatibus professioni Fidei reperiantur inserta.* Et iterum post nonnulla, *Cur nobis in Homousion putetur prohibendum, non sonum dicti considerare, sed sensum, nec attendere nouitatem verbi, sed virtutem intelligere Sacramenti?* Demum Athanasius in disputatione Laodiceæ habita contra Arium coram probo, multò ante med. seu potius, vt placet Bellarmino de scriptoribus Ecclesiasticis in obseruatione operum Athanasij in quartum tomum, Vigilius Episcopus Tridentinus, de eodem nomine, & re significata per nomen, ita loquentem Athanasium contra Arium refert, *Si demonstrauero rei antiquæ, & ab Apostolis traditæ nouum nomen attributum fuisse, victum tandem fateberis.* Et quamquam Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 3. ante med. quem sequuntur Florauantius lib. 1. de Trinitate, pag. 27. & alij recentiores notant ex eodem Athanasio, hanc vocem à nonnullis Patribus vsurpatam multò ante Nicænum Concilium; tamen Augustinus, & alij Patres citati, ad quorum sensum in hac conclusione loquimur, non sunt intelligendi de nouitate simpliciter, sed de nouitate publicam Ecclesiæ authoritatem, & communem omnium fidelium vsum. Nicænum enim Concilium primum fuit, quòd talem vocem, vt aptissimam contra Arianos, & Sabellianos, elegit, atque adeo in ipsummet Symbolum Fidei inserendum de nouo censuit; & quam vix vnus, aut alter expresserat, de nouo statuit ab omnibus Catholicis recipiendam: nimirum, non in sensu, quo, vt refert Bellarminus suprà notando 1. Concilium Antiochenum, negauit Paulo Samosateno, Filium esse Patri homousion; nempè consubstantialem in natura specifica, non in numerica; sed in alio sensu de numerica, & omnimoda naturæ consubstantialitate. Quæcumque autem huius vocabuli nouitas, non est catholicis vitio vertenda, quia vt Athanasius in eadem disputatione docuit, *Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, omnium vocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere; qua tamen existentium causarum virtutibus congruant, & quæ magis eadem antiquitus fuisse demonstrarent.* Quam doctrinam vniuersalem, tametsi applicatam particulari nominis personæ, legimus etiam suprà quæst. 29. art. 3. ad 1. vbi dicitur. *Ad inueniendum noua nomina antiquam fidem de Deo significantia, coëgit necessitas disputandi cum hæreticis, nec hoc nouitas vitanda est, cum non sit prophana, vtpote à scripturarum sensu non discordans. Docet autem Apostolus prophanas vocum nouitates vitare.* 1. ad Timoth. vlt. Neque refert, quòd olim hæretici nomen homousion malam in partem acceperint, & plerosque simplices Catholicos deceperint; quoniam, vt ait Hilarius lib. de Synodis post 27. canonem fidei Syrmicæ, col. 3. & refertur hic argumento 6. *Una substantia Patris, & Filij prædicata aut vnum, qui duas nuncupationes habeat, subsistentem significat; aut diuisam vnam substantiam, duas imperfectas feciſſe substantias; aut tertiam priorem substantiam, quæ à duobus, & vsurpata sit, & assumpta, quæ idcirco vna dicatur, quia in duas vna defecta sit.* Nam, vt idem Hilarius multò post respondet, & recipitur hîc ad 6. *Malè sanctis rebus præiudicatur, si quia non sanctæ à quibusdam habentur, esse non debeant. Non ergo gloriemur in Cruce Christi, quia scandalum mundo est; neque in viuente Deo mortem prædicemus, ne ab impijs mortuus Deus arguatur. Malè intelligitur homousion, quid ad me bene intelligentem?*

Fulgentius.

Bellarminus.

Athanasius.

Hilarius.

10. *De alia simillima voce homousios.*

Theodoret.

Nicephorus.

Hilarius. Cyrillus. Augustinus. Marius Victorinus.

Postremò ignorandum non est, Arianos, cum ex fidelium corde, & ore homousion non possent euellere, conatos tandem esse impia calliditate eludere, mutando homousion in homoousion, hoc est, non eiusdem substantiæ, sed similis substantiæ, vt hac scilicet perexigua, & vix sensibilis vocis immutatione viderentur recipere catholicum nomen, & simul falsitatem hæreticam retinerent; & sic tandem simplices fideles deciperent, eos paulatim trahendo ad heterusion, hoc est, alterius distinctæ, ac dissimilis substantiæ. Quam vocalem mutationem Macedonio tribuit Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, col. 6. §. *De Macedonianis*: licèt Marathonio tribuat Nicephorus lib. 9. Histor. Eccles. cap. 47. sub initium; eamque referunt, & confutant Hilarius toto lib. de Synodis. Cyrillus Dialogorum de Trinit. lib. 5. col. 5. Augustinus sermo 38. de tempore fin. & fusius Marius Victorinus aduersùs Arium lib. 1. multo post med. Quamuis enim Filium esse homoousion Patri, hoc est, similem summa similitudine, quæ est per identitatem in eadem omnino natura, quod expressiùs significatur per homousion, rectè dici simpliciter possit; quo sensu omnes Theologi asserunt, Filium procedere à Patre in similitudinem naturæ; tamen propter malitiam hæreticorum illius temporis, intelligentiam de minori similitudine, quam habere potest perfectissima creatura respectu sui creatoris, & propterea nolentium recipere homousion, necessarium planè fuit homoousion ab Ecclesia exterminare: sicut etiam aliud suspectum nomen, synusion, de quo apud Epiphanium in Ancorato pag. 3. ita legimus, *Filius coëssentialis Patri, non synusios, hoc est, simul essentiam habens, sed homousios, id est, coëssentialis, hoc est, non extra Patrem genitus, velut quidam per cauillum dicunt, adoptione volentes esse Filium, & non veritate:* & sanè, qui nihil aliud dicit, nisi Filium habere substantiam simul cum Patre, neque satis expressè reiicit Sabellium dicentem, Filium ita habere substantiam simul cum Patre, vt nominibus tantum differant, non personis; & multò minus reiicit Arium, qui vult Filium habere creatam substantiam, sed simul cum Patre, simultate coëxistentiæ creationis ante reliquas omnes creaturas, & simultata vnionis, ac similitudinis, secundum quam ita excellens erat substantia creata Filij, vt quam maximè ad increatam Patris substantiam accederet, & simul cum illa esset.

De voce Synusio, ex Epiphanio.

DVBITATIO II.

An tres diuinæ personæ dici possint tres substantiæ.

SVMMA.

1. *Conclusio simpliciter negatiua probatur primò authoritate, num. 11. & 12.*
2. *Probatur secundò ratione, num. 13.*
3. *Quomodo tres personæ dici possint tres substantiæ, num. 14. ad 17.*

Prima

11. *Prima conclusio simpliciter negativa.*

PRima conclusio, absolutè loquendo absque vllo addito limitante, ac restringente nomen substantiæ ad significationem personæ, non licet dicere, Tres personas esse tres substantias, præcipuum conclusionis fundamentum est authoritas, non solum omnium Scholasticorum, sed etiam omnium Patrum, & Conciliorum. Grauius vrgent Toletanum VI. cap. 1. in Fidei confessione ita docens, *In hac Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat.* Concilium Alexandrinum supra quæst. 29. art. 2. num. 8. *Tres substantias non dicimus in Deo.* Symbolum Athanasij, *Neque confundens personas, neque substantiam separantes.* Toletanum XI. in professione Fidei multò post principium, *Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus; sed vnam substantiam, tres autem personas.* Quod iisdem verbis confitetur Concilium VVormatiense aliquãto post principium; Agatho Papa in sexta Synodo Act. 4. epist. 1. col. 3. post medium, *Hic status est Apostolicæ fidei, vt confitentes sanctam Trinitatem, vnius naturæ, & substantiæ, sicut essentia eam prædicemus.* Pro eodem vsurpat substantiam, & naturam atque essentiam; sed nullus Catholicus asserere potest, in Trinitate esse tres naturas, aut essentias; ergo neque tres substantias. & epist. 2. col. 3. circa med. *Confitentes trium subsistentiarum vnam substantiam; quorum vna essentia, siue substantia, vel natura, id est, vna Deitas.* Item Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 1. initio. *Tres personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura.* & cap. 2. ante medium. *Quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina.* Iustinianus Imperator in edicto Fidei, multò ante medium, & habetur in secundo tomo Conciliorum ante quintam Synodum par. 654. *Omnes sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, siue substantiam, & formam; & aliud subsistentiam, siue personam; & naturam quidem, vel substantiam, & formam, hoc quod est commune significare: subsistentiam autem, siue personam, hoc quod est speciale. Vnam esse naturam, siue substantiam Deitatis dicentes, tres ipsius confitemur subsistentias, in vnaquaque subsistentia eamdem naturam, siue substantiam cognoscentes.*

Toletanum VI. & XI. — Concilium Alexandrin. — Athanasius. — Sexta Synodus. — Concilium Lateranense. — Iustinianus Imperator.

12. *Athanasius.*

Præterea, ex Patribus Athanasius in disput. cit. supra num. 9. propè med. contra Arium ita dixisse refertur, *Quòd sit impium atque sacrilegum, diuersas Patris, & Filij, & Spiritus sancti profiteri substantias; & quòd pium sit, atque religiosum vnius eos substantiæ confiteri, non coniecturis, & argumentis inuentum, sed cœlestis doctrinæ magisterio traditum demonstrabo.* Basilius l. 4. contra Eunomium cap. 2. initio probat, quòd ingenitum esse, & genitum esse, non est substantia, alioquin, inquit, sequitur hoc absurdum, quòd *Deus duæ, non vna substantia est.* & ideò post medium capitis, loquens de ingenito, & genito, quæ hæretici contendebant substantiam significare. & inde deducebant, Patrem, & Filium non esse eiusdem substantiæ, ita contra docet, *At nos hæc non dicimus substantias, verum nomina, substantiã cuiuslibet eorum significantia. Nihil autem prohibet diuersorum nominum vnam esse substantiam.* Hilarius l. 4. de Trinitate inter alios Arianorum errores, hunc etiam refert col. 6. *Tres substantiæ sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* & deinde ita subiungit. *Hic eorum error est, hæc mortifera institutio.* Ardentius pronunciat Hieronymus epist. 57. ad Damasum paulò post med. *& quis rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit?* Augustinus serm. 38. de tempore propè finem. *Substantia non est alia Patris, & Filij, & Spiritus sancti; nec sunt tres substantiæ similes, sed vna trium.* Cyrillus Dialogorum de Trinitate l. 1. multò post medium, Hermiæ interroganti, *si placet, dicamus esse duas substantias, vnam Patris, alteram Filij*, respondet, *Absit, caue ne in alienum sensum illorum sermonibus aucharis, & relicta quodammodo via regia, per malè tritam, & imperuiam incedas.* Boëtius de Trinitate paulò ante finem scripsit illud Axioma, *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Riccardus Victorinus l. 4. de Trinitate cap. 9. post medium. *In illa summa Trinitate tres substantias esse negamus*, & cap. 19. paulò ante finem. *Fideliter fatemur in diuinitate plures personas, non plures substantias esse.* & l. 5. cap. 1. paulo post initium. *Quoniam in diuina natura non est, nisi solum summè simplex, & indifferens esse. Ideò ibi confitemur vnitatem substantiæ.* & l. 6. cap. 23. fin. *ex eo, quòd Pater est substantia ingenita, Filius genita, non sequitur, quòd sit alia, & alia substantia, sed prorsus alia, & alia persona.* ex his aliisque authoritatibus, quas, ne sim longior, prætermitto, indubitatum censeo, non licere Catholicis asserere, in Trinitate tres esse substantias, hoc præsertim tempore, quando iam diu nullus Doctor Fidelis reperitur, qui ita loquatur. Non de nonnullis antiquis Doctoribus aliter loquentibus, dicam in secunda conclusione.

Basilius. — Boëtius. — Riccardus Victorinus. — Augustinus.

13. *Conclusionis fundamentũ. De voce substantia ex S. Th. & Boëtio, & Isidoro.*

Ex hac eadem authoritate sumitur præcipuum fundamentum rationis pro conclusione. Quamuis enim substantia possit etiam propriè sumi pro persona, si consideretur vocis proprietas, quæ significatur, quòd aliis subsłat, seu supponitur, quod conuenit personæ, seu suppositio, propter quod S. Thomas supra quæst. 29. art. 2. ad 2. scribit, *nomen substantiæ apud nos, quandoque significat essentiam, quandoque hypostasim*: & Boëtius l. de duabus naturis col. 3. circa fin. *Quod Græci hypostasim, nos substantiam, vel subsłare interpretamur*; & S. Thomas eodem loco cit. *Nomen substantiæ secundum proprietatem significationis respondet hypostasi*; & Isidorus l. 7. Etymolog. c. 4. §. vlt. dicit, *Tres hypostases, quod resonat in Latinum tres substantias, quoniam verè, apud Græcos substantia persona intelligitur non natura*: tamen, quia, vt notaui supra quæst. 29 art. 2. num. 9. nos non habemus duas voces substantiam significantes, alteram, quæ significet subsłantiam, vt subsłantem, ac suppositam; alteram, quæ significet subsłantiam, vt simpliciter per se existentem, sicut habent Græci hypostasim, & vsiam; ideò, ne in tam profundo mysterio, vocis æquiuocatione laberemur; &, vt dicitur supra q. 29. art. 2. ad 2. *posset esse erroris occasio*; & quia, vt additur ibidem art. 3. ad 3. *hæretici per hoc nomen simplices decipiebant, vt confiterentur plures essentias, sicut confitentur plures hypostases*; prudentissimus loquendi vsus obtinuit, vt nos hypostasim, non subsłantiam, sed subsistentiam nominaremus; & vsiam nominaremus subsłantiam.; & ideò, teste S. Thoma supra quæst. 29. art. 3. ad 3. *Nomen substantiæ communiter accipitur apud nos pro essentia.* Hanc rationem apertè affert Augustinus l. 5. de Trinitate cap. 9. initio, dicens, *Quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam non audemus dicere vnam essentiam, tres substantias; sed vnam essentiam, vel substantiam, tres autem personas: quemadmodum multi Latini ista tractantes, & digni authoritate dixerunt.* & iterum l. 7. cap. 4. initio, *loquendi causa de ineffabilibus, vt fari aliquo modo possimus, quod fari nullo modo possumus, dictum est à nostris Græcus, vna essentia, tres substantiæ; à Latinis autem vna essentia, vel substantia, tres personæ; quia non aliter in sermone Latino, essentia, quam substantia solet intelligi.* & deinde circa finem capitis, *si hoc est Deo esse, quod subsistere, ita non erant dicenda tres substantia, vt non dicuntur tres essentiæ: quemadmodum, quia hoc est Deo esse, quod sapere, sicut non tres essentias, ita non tres sapientias dicimus.*

Augustinus.

Nam,

Nam, vt paulò post addit, *ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus.* Vnde deducit hanc aliam rationem, quia si in diuinis essent tres substantiæ, substantia diceretur relatiuè; sola enim relatio multiplicat Trinitatem. *Absurdum est autem vt substantia relatiuè dicatur: omnis enim res ad se ipsam subsistit.* & rursus cap. 5. fin. *essentia, & substantia ad se dicuntur, non relatiuè ad aliquid. Vnde hoc est Deo esse, quod subsistere, & ideo si vna essentia Trinitas, vna etiam substantia.*

14. *Secunda conclusio affirmatiua cum aliquo addito.*

Secunda conclusio, licèt dicere in diuinis tres subsłantias, si ex aliquo adiuncto appareat, nomen subsłantiæ sumi pro persona, vt si dicamus tres subsłantias personales, vel incommunicabiles, vel relatiuas, vel oppositas, vel aliquid aliud æquiualens. Ita omnes: & ratio est, quia nomen subsłantiæ, si vis vocis spectetur secundum se, considerando propriam eius significationem, quam ab initio habuit, tribui propriè potest suppositio, seu personæ, vt dictum est in principio numeri præcedentis. Et quoniam tribui etiam propriè potest naturæ, siue essentiæ ad tollendam istam æquiuocationem in materia de Trinitate, in qua fatemur tres personas, & vnam essentiam, seu naturam, vsu loquentium Patrum, & Scholasticorum de hoc mysterio, ne fideles ab hæreticis decepti errarent, factum est, vt subsłantia absolutè prolata supponeretur pro essentia, non pro persona. Sed si ex aliquo addito appareat, ampliorem istam subsłantiæ significationem restringi ad personam, sicut in definitione personæ tradita supra quæst. 29. art. 1. num. 1. ex Boëtio restringitur, cum dicitur: *Persona est naturæ rationalis individua subsistentia*, iam cessat æquiuocatio, & consequenter tollitur omnis occasio decipiendi, & errandi. Igitur in huiusmodi loquutione nullus potest esse defectus. Vnde ipsemet Augustinus supra, quamuis doceat subsłantiæ nomine vtendum pro essentia, non pro persona, tamen in eodem cap. 4. cit. multò post medium, vsurpauit pro persona, dicens, quòd humana loquendi inopia, credens ex Scripturis tria realiter distincta, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, *quæsuit quid tria diceret, & dixit subsłantias, siue personas, vt non solum ibi vnitas intelligatur ex eo, quòd dicitur vna essentia, sed & Trinitas, ex eo, quòd dicuntur tres subsłantiæ vel personæ.* & cum rursus docuisset, esse dicendum vnam subsłantiam, non tres subsłantias, tandem in fine capitis quinti, ita dubitando, & non necessitatem, sed commoditatem spectando, concludit, *Fortassis igitur commodius dicuntur tres personæ, quam tres subsłantiæ.* & Thomas de Pot. quæst. nona art. 2. ad 9. docet, *quod sicut dicimus in Deo tres personas, ita possimus dicere tres subsłantias indiuiduas; vnam tamen subsłantiam.* & Hebr. 1. vbi græce habetur, *hypostaseos*, latinè versum est, *Figura subsłantiæ eius.* Quo nomine communissimè Patres citati supra q. 29. art. 2. n. 1. & 2. significari volunt non essentiam, sed personam Patris, & ideo Bellarminus l. 2. de Christo c. 4. circa finem scripsit, *In rigore possent dici in Deo tres subsłantiæ.*

Secunda conclusio affirmatiua cum aliquo addito. — Augustinus. — S. Thomas. — Bellarminus.

Confirmatur conclusio authoritate multorum Patrum ita loquentium; Antiochenum, vt refert Hilarius libro de Synodis aliquantò antè medium docet, *Nominibus Patris, Filij, Spiritus sancti, significari propriam vniuscuiusque nominatorum subsłantiam, & ordinem, & gloriam; vt sint quidem per subsłantiam tria, per consonantiam verò vnum.* Vbi inquit Hilarius, *tres subsłantias esse dixerunt, subsistentium personas, per subsistentias edocentes; non subsłantiam Patris, & Filij, & Spiritus sancti diuersitate dissimilis essentiæ separantes.* & de hoc Hilarij loco dicitur hic ad 1. *Quòd subsłantia sumitur pro hypostasi, & non pro essentia.* Basilius hom. 27. seu 28. contra Sabellianos aliquantò p ost

Concilium Antiochenum apud Hilarium. — Basilius.

principium, *Euangelista clamat, & Deus erat Verbum. Quæ sanè sententia propriam Filio subsłantiam tribuit.* Nyssenus oratione catechetica c. 1. initio, *Pietatis ratio sai etiam aliquam hypostaseon, seu subsłantiarum, & personarum cernere differentiam in vnitate naturæ.* & l. de differentia essentiæ, & hypostaseos ita exponit non longè à principio, *Hispostasis, quasi dicas, subsłantia, vel subsistentia.* & multò post medium, *Ratio fidei, inconfusam, & diuersam hypostaseon, siue subsłantiarum differentiam docet.* & in fine fatetur, *separationem hypostaseon*, id est, inquit, *naturarum subsistentium, siue subsłantiarum individuarum, & personarum discretionem.* Quamquam in his Nysseni locis, illa verba (*siue subsłantiarum*) non Nysseni verba sunt; sed glossema, & additamentum Interpretis: Epiphanius hæresi 69. paulo ante finem, *cum sint tres perfectæ subsłantiæ, vna verò deitas Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vbi subsłantiam manifestè sumit pro persona. Sed ante quatuor paginas sumpserat pro essentia illis verbis, *Non sciunt autem, quòd & subsłantia, & essentia idem est ratione.* & hæresi 73. propè med. *Proprietates personarum subsistentium subsłantias nominant orientales*, hoc est, fideles orientis Doctores; *non tres subsłantias; tria principia, aut tres Deos, dicentes*; hoc est, non dicunt absolutè tres subsłantias, sed limitate, tres subsłantias personarum subsistentium, seu personales, cum eadem limitatione multò ante finem ait. *Coëssentialem confitentes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres subsłantias, vnam essentiam, vnam deitatem, quemadmodum est vera fides, quam confessi sunt Patres nostri in Nicæna Synodo.* Sophronius epistola Professionis fidei in sexta Synodo, Actione 11. col. 6. initio, *Neque subsłantias confundentes, & in vnam eas subsistentiam deducentes.* Sed valde dubito, mendosè scriptum, *subsłantias*, pro *subsistentias*, tum quia sicut immediatè post prohibet diuidere, *vnam essentiam in tres essentias*, ita contra videtur antea prohibuisse vnire tres subsistentias in vnam subsistentiam: tum quia antea, & post semper loquitur de pluralitate subsistentiarum, & non subsłantiarum: tum quia paulò antè dixerat, *Neque tres confitemur deitates, non consubstantiales, non alteriùs subsłantiæ*: tum quia paulò post multis, & non semel dicit, quòd quælibet persona est quod est alia, *secundum subsłantiam*, & ideo vocat *consubstantialem Trinitatem.*

Ioann. 1. — Nicænum. — Epiphanius. — Sophronius.

16. *Cyrillus.*

Præterea Cyrillus Dialogorum de Trinit. l. 7. aliquantò ante med. ait, *simplex est summa natura, & subsłantiarum proprietatibus, personarumque, & nominum dilatata differentijs.* Augustinus l. 8. de Trinit. paulo post principium, docet, *Ideò dici tres personas, vel tres subsłantias, non vt aliqua intelligatur diuersitas essentiæ, sed vt, vel vno aliquo vocabulo responderi possit, cùm dicitur: quid tres, vel, quid tria?* Boëtius l. de duabus naturis aliquantò ante med. *Dicimus tres vsioses, id est, tres subsłantias. & quidem secundum hunc modum*, quo scilicet subsłantia propriè sumitur pro persona, *dicere vnam Trinitatis essentiam, tres subsłantias, trésque personas.* Sed statim addit iuxta primam conclusionem, nobis non esse ita loquendum ex eo, quòd *tres in Deo subsłantias ecclesiasticas loquendi vsus excluderet*, Anselmus in Monologio c. 76. med. concedit, *posse irreprehensibiliter dici, Trinitatem esse vnam essentiam, vel naturam, & tres personas, siue subsłantias.* & optimam rationem assignat, *Nam hæc duo nomina*, nempè persona, & subsłantia, *aptius eliguntur ad designandum pluralitatem in summa essentia; quia persona non dicitur nisi de individua rationali natura; & subsłantia principaliter dicitur de individuis, quæ maximè in pluralitate subsistunt.* Docet enim Philosophus initio Prædicamentorum, *subsłantia est quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de subiecto*

Cyrillus. — Augustinus. — Boëtius. — Anselmus.

aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt quidam homo, & quidam equus. Ex quibus omnibus authoritatibus constat, Andream Colossensem in Concilio
Florentin. Florentino sess. 19. col. 5. initio, rectè ita obseruasse, *In communi tum Græcorum, tum Latinorum Doctorum Theologia multum differt, simpliciter proferre diuinam substantiam, vel Patris Filiique substantiam. Doctores diuinam substantiam simpliciter proferentes, Patris, & Filij, sanctique Spiritus commune quoddam intelligunt. Substantiam vero Patris, dicentes Patris personam mente concipiunt.* Quod in sequentibus, & Ioannes Theologus, & Marcus recipiunt.

DVBITATIO III.

An sicut aliquando tres substantias, ita etiam tres essentias, vel naturas dicere liceat.

SVMMA.

1. *Prima conclusio negatiua de essentia, num. 17. & 18.*
2. *Secunda conclusio negatiua de natura, num. 19. & 20.*
3. *An in diuinis dici possint plures quidditates, & formæ, n. 21. & 22.*

17. *Prima conclusio negatiua de essentia.*

PRima conclusio negatiua de essentia, est omnium Scholasticorum, & Patrum, & Conciliorum ita loquentium, & explicantium fidem huius mysterij quantum attinet ad vnitatem, quam consistere docent in vna eademque omnino essentia communi tribus personis, quas propterea homousios vocant, hoc est, eiusdem essentiæ, vt supra num. 3. exponit Basilius, seu *Coessentiales*, vt num. 10. exponit Epiphanius. Vox enim Græca, ὁμοούσια, vnde homousion, idem apud nos significat, quòd essentia, vt ex Boëtio, & S. Thoma notatum est supra quæst. 29. art. 2. num. 9. Quare hæc conclusio verè non differt à conclusione articuli hactenus probata. & præter allatas authoritates magis
Sophronius. vrget Sophronius supra col. 5. vnitatem Dei in Trinitate ita explicans. *Vnitas quippe eius essentiæ, atque naturæ, numerari penitus non admittit, vtì non & differentiam deitatis introducat, & ex hoc essentiæ, & naturæ, & deorum multitudinem, vnum principium faciat.* Et paulò post; *numeretur ergo sancta Trinitas, non essentijs, nec naturis; Absit, sicut insaniunt Ariani, & sicut noui Tritheitæ, id est, tres Deitatis latratores, essentias tres, & naturas tres, & tres similiter vaniloquentes Deitates.* & iterum paucis interiectis. *Nequaquam tres Deos dicimus, neque tres naturas in sancta Trinitate glorificamus, neque tres essentias in ea prædicamus, neque tres confitemur Deitates; sed nec penitus Deos, aut naturas, vel essentias, aut Deitates agnoscimus, vel cognoscentes scimus. Neque vnam, eamdemque essentiam partientes, & in tres eam essentias discerpentes, & vnam ex hoc diuidentes Deitatem.* Quibus verbis, quod etiam in multis aliis Sanctorum dictis obseruauimus, manifestum est eodem sensu in Ecclesia negari tres in diuinis essentias, & naturas, quo tres Dij, & tres Deitates negantur.

18. *Differentia inter nomen substantiæ, & essentiæ.*

Diuersa autem ratio est de nomine substantiæ, quia substantia, cum deriuetur tum à substare, quod est proprium suppositi, tum à subsistere, quod conuenit essentiæ, seu naturæ; est ex propria sua significatione amplius nomen; & ideo, vt
S. Thomas. ait S. Thomas supra quæst. 29. art. 2. ad 2. *Quandoque significat essentiam, quandoque hypostasim.* essentiæ verò nomen, sicut etiam naturæ, minus amplam significationem habet, cum non importet totum illud, quod est in supposito, sed formalem tantum suppositi partem, qua suppositum in tali determinata entis specie constituitur, & tales proprietates, atque operationes habet. Nam, vt sequitur S. Thomas ibidem ad 3. *essentia proprie est id quod significatur per diffinitionem. Diffinitio autem complectitur principia speciei, non autem principia individualia*; nec consequenter personalitatem, quæ individuam substantiam præsupponit, & afficere, & modificare, seu terminare colligitur, vt supra quæst. 29. art. 1. num. 4. sicut etiam, vt dicitur hic ad 3. *Natura designat principium actus.* hoc autem formale principium, est illud, quod propriè vocamus essentiam, siue intrinsecam quamdam rationem, qua res in tali esse specifico, & formali constituta, potest hunc, vel illum actum efficere. Atque hinc intelligimus cur in diuinis dicere *Cur non dicantur tres essentiæ relatiuæ.* liceat tres substantias relatiuas, vt supra num. 14. non autem tres essentias relatiuas, vt ptobaui quæst. 30. art. 1. num. 27. Cum enim substantia propriè conueniat Deo, tum ratione absolutæ essentiæ, tum ratione personæ relatiuæ, potuit additione relatiui coarctari ad significationem personæ. At cum essentia, seu natura, sit nomen ex se limitatum ad significandam solum rationem formalem essendi in tali specie, quæ in Deo est ipsa Deitas absoluta, & communis omnibus diuinis relationibus, ac personalitatibus, sicut non licet in Deo asserere plures deitates relatiuas, ita nec plures essentias, seu naturas relatiuas. Neque enim fas est nomen ex se limitatum ad vnam significationem, addito aliquo, extendere ad aliam significationem, quam ex se non habet, præsertim, cum talis extensio, vt in casu nostro, sententiis hæreticorum congruere videtur. Itaque in Deo nulla dici debet esse essentia propria, & relatiua, sed tantum communis, & absoluta.

19. *Secunda conclusio negatiua de natura*

Secunda conclusio eodem modo negatiua de natura, ex superioribus authoritatibus, ac rationibus probata remanet; vbi supponitur, quod nemo negat, naturæ nomen, Deo etiam rectò tribui. Idque Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate inter *Cum Athanasio, Hilario, Ambrosio exponitur locus ad Galat. 4. & 2. Petri 1.* principium, & medium, Hilarius l. 1. de Trinit. med. Ambrosius de Incarnatione cap. 8. probant ex illo ad Gal. 4. *Tunc ignorantes Deum, ys, qui natura non sunt dij, seruiebatis. Nunc autem cum cognouerit is Deum, & scilicet, qui natura est Deus. & clarius 2. Petri 1. maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ.* Vnde etiam probat Ambrosius vnitatem naturæ in diuinis iuxta hanc secundam conclusionem, dicens, *Petrus vnam naturam ostendit esse diuinam. Potuit enim sic dicere, si aliter æstimasset, vt nos faceret diuinarum consortes naturarum.* Idem similiter colligit ex alio loco, ita subiungens, *Apostolus quoque Paulus dicendo, qui natura non sunt Dij, ostendit vnam verè Dei esse naturam. Namque & ipse potuit dicere, Qui naturis non sunt Dij, si sciret pluralitatem diuinæ esse naturæ, vt alia esset in Patre, alia in Filio, alia in Spiritu sancto. Dicendo ergo natura non sunt Dij, vnitatem naturæ expressit diuinæ.*

20. *Quinta Synodus.*

Athanasius.

Addi possunt aliæ grauiores authoritates. Quinta Synodus collatione 8. can. 1. *Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam naturam, siue substantiam, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus subsistentijs, siue personis adorandam, talis anathema sit.* Athanasius tractatu de Definitionibus aliquanto post principium, *Siquis de diuinitate quærat, quot confitearis naturas? Respondè, vnam; hypostases verò tres. Quòd si quis de Incarnationis dispensatione interroget, Quot naturas confiteare? Respondè, duas; vnam verò hypostasim.* Et paulo post. *In confessione diuinitatis sacra Trinitatis, vnam confitemur naturam.*

naturam. Vna tantum est natura, & essentia; tres autem sunt hypostases, vna in tribus personis diuinitas agnoscitur.
Fulgentius. Fulgentius l. de Fide ad Donatum non longè à principio, *Cum vnum Deum audis, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnam naturam summæ illius Trinitatis intellige.* Et paulò post adductis nonnullis Scripturæ locis ad probandam Trinitatẽ; & vnitatẽ diuinã, ita concludit. *His itaque testimonijs ostenditur, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres esse personas, sed non tres esse naturas.*
Damascen. Damascenus l. 3. Fidei c. 6. propè initium, *Numero, & non natura differre dicuntur Hypostases. Prædicatur igitur substantia de hypostasi. Quapropter vnaquæque hypostasis eon eiusdem speciei, perfecta substantia est. Quare non differunt ab inuicem hypostases, secundum substantiam.* Idem passim docent, & credunt reliqui omnes, adeò vt iure scribere potuerit
Iustinianus Imperator. Imperator Iustinianus in suo Fidei edicto citato supra n. 11. *Vnam esse naturam, siue substantiam Deitatis dicentes, Tres ipsius confidemur subsistentias; in vnaquaque subsistentia eamdem naturam, siue substantiam cognoscentes. Nemo enim vnquam ausus est in Catholica Ecclesia dicere, quòd sicut tres subsistentiæ, sic & tres naturæ sunt sanctæ Trinitatis. Tres enim naturas in sancta Trinitate solus Arius ausus dicere, tamquam blasphemus condemnatus est.*

21. *An plures quidditates dici possint in diuinis.*

S. Thomas.

Tertia conclusio, quamuis multiplicatio huius nominis, essentia, omnino vitanda sit in diuinis; tamen aliqua multiplicatio huius nominis, quidditas, tolerari potest. Hoc addere libuit propter S. Thomam, qui 1. dist. 25. q. 1. art. 4. ad 2. ita scribit, *Si per quidditatem intelligitur, non solum natura absoluta, sed ratio, vel intentio cuiuscumque vel substantiæ, vel accidentis, vel relationis; sic in diuinis, quamuis sit vna quidditas absoluta, tamen sunt plures rationes relationum realium, & ita plures quidditates quodammodo.* hoc est, non absolutè, & simpliciter dicendo, tres esse quidditates in Deo, sed limitatè, & secundum quid addendo, tres esse in Deo quidditates personales, seu relatiuas, seu personalium relationum. Verum, ne hanc quidem loquutionem satis propriam esse, & sine necessitate communiter vsurpandam docet, ita continuo subiungens, *Quamuis hoc non possit propriè concedi, quia quidditas, & essentia, & diffinitio, est simpliciter tantum substantiarum, vt probat Philosophus 7. Metaph.* nimirum tit. 11. & 13. & idem significat d. 33. quæst. vnica art. 1. ad 1. fin. dicens, *quòd paternitas, & essentia non vniuntur in esse, quod significat diffinitio rei, quia alia est ratio paternitatis, qua ad aliud refertur, alia ratio essentiæ.* Nam, vt discurrit de Pot. quæst. 8. art. 2. ad 11. *Ratio non significat esse*, nempè simpliciter, *sed esse quid, id est, quid aliquid est.* Vnde concedit, quòd de paternitate, & essentia, quæ habent vnum esse, *dupliciter potest dici quid est.* Concedit igitur paternitati suam propriam
Capreolus. quidditatem. & ideo Capreolus 1. d. 29. quæst. vnica art. 2. ad 4. ait. *Improprie loquendo potest concedi in persona esse plures quidditates; tamen ille modus loquendi improprius est, & periculosus:* quia scilicet quidditas absolutè, & simpliciter importat essentiam, quæ in singulis, & omnibus diuinis personis vnica est, & non multiplex. Idem dicere
Scotus. tenetur Scotus 1. d. 11. quæst. 2. circa fin. §. *Ad rationes*, dum concedit, *quod quidditas relationis, non est formaliter essentia.* In communi igitur loquendi vsu, quidditas est nomen magis abstractum, quàm essentia: est enim quælibet ratio intrinseca cuiuscumque entis, qua vnumquodque formaliter constituitur in tali determinato esse, & ideo potuit aliquo modo tribui etiam diuinis personalitatibus, vt distinctis ab essentia, quibus non tribuitur nomen essentiæ.

22. Idem, quod de quidditate, dicendum de nomi-

ne formæ; hoc est, posse dici tres diuinas personalitates esse tres formas, non simpliciter, & absolutè, sed secundum quid, & cum addito, nempè tres formas relatiuas. Ita S. Thomas 1. d. 25. quæst. vnica art. 4. vbi post med. Corpor. distinguitur in diuinis. *Quædam forma absoluta, vt essentia, vel Deitas, quæ non multiplicatur; quædam forma relatiua, vt paternitas, quæ secundum rationem, non solum in intellectu existentem, sed etiam extrà, est alia à filiatione:* & ideò inquit, *pluraliter prædicatur, vt sint ibi plures tales formæ relatiuæ,* & idem paulò post dicit in
Tertullian. responsione ad primum, & recipit Capreolus supra ad 1. In quo sensu Tertullianus l. contra Praxeam cap. 2. fin. Patrem Filium, & Spiritum sanctum, dixit esse *tres formas:* & Basilius l. 2. contra
Basilius. Eunomium multò antè finem, dicens, esse in Diuinis *genitum, atque ingenitum, vt specifices quasdam proprietates in substantia consideratas*, ita subiungit, *Proprietates enim, ac notæ, quasi characteres quidam, & formæ in substantia inspectæ distinguunt quidem, quod commune est appropriatis characteribus; communicationem verò substantiæ non amputant*; similiter Nys-
Nyssenus. senus l. de differentia essentiæ, & hypostaseos propè finem. Deum Patrem ter vocat, *principalem formam, & Archetypum*, respectu cuius dicitur Filius, Imago. Sed reliqui omnes Patres communissimè formam Dei accipiunt pro ipsius essentia, & natura; & ideò sicut hanc non multiplicant, ita nec illam. Idque benè probant ex illo Philippens. 2. *Qui, cum forma Dei esset.* Vnde colligit S. Thomas supra q. 31. art. 2. ad 2. *quòd est tantum vna forma in diuinis:* & Hilarius l. 12. de Trinit. aliquantò post principium ait, *esse in forma Dei, non alia intelligentia est, quàm in Dei manere natura.* Et paulo post confirmat hanc expositionem ex aliis verbis sequentibus, quibus priora verba explicari videntur; *In forma Dei esse, nihil aliud est, quàm æqualem Deo esse.* Quæ æqualitas non habetur nisi per eamdem Dei naturam. Confirmat etiam Basilius l. 1. contra Eunomium inter med. & fin. ex aliis verbis, dicens. *Ego vero id, quod dicitur, in forma Dei esse, æquum ei quod est, in substantia Dei esse, assero. Nam sicut formam serui suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat; sic cum in forma Dei esse dicat, diuinæ substantiæ ipsi profectò attestatur proprietatem.* Quapropter Athanasius tractatu de
Athanasius. definitionibus, aliquantò post principium, ait. *Natura, essentia, & forma idem sunt.* & Iustinianus supra
Iustinian. n. 11. ex omnium Patrum doctrina, pro eodem vsurpat *naturam, substantiam, & formam.* & Damascenus
Damascen. l. de Decretis primæ institutionis c. 1. initio, *essentia*, inquit, *natura, & forma, vt sanctis Patribus placet, idem valent.* Nulla igitur ratione formæ nomen multiplicandum est in diuinis, nisi ex adiunctis in propositione euidenter appareat, multiplicationem non cadere supra Deitatis naturam, sed solum supra personalitates, quibus tamquam formis concipimus terminari, & quasi modificari naturam, & constitui personam in esse formali personæ.

An de Diuinis dici possint plures formæ.

S. Thomas.

Exponitur locus Philippens. 2. cum Thoma, Hilario, Basilio

ARTICVLVS III.

Vtrùm nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd nomina essentialia, vt hoc nomen, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Exponitur titulus articuli, num. 1.*
2. *Quomodo dicantur in diuinis nomina abstracta, n. 2.*

3. *Concreta substantiua dici tantum singulariter, num. 3. ad 8.*
4. *Nomina adiectiua prædicari pluraliter in diuinis, num. 8. & 9.*
5. *Occurritur contrarijs argumentis, num. 10. ad fin. Articuli.*

1. *Exponitur titulus.*

EX toto articulo constat, essentialia sumi prout distinguuntur contra notionalra, aut personalia, aut relatiua; & sunt omnia nomina absoluta, & communia tribus personis, siue sint in recta essentiæ, quæ propriè essentialia dicuntur, siue extra essentiam, quæ propriè dicuntur attributalia, siue etiam sint negatiua, vt esse *increatum*, de quo exemplificatur in fin. corp. & iuxta hunc ampliorem sensum ad 3. distinguitur de nomine, *secundum quod pertinet ad relationem, & secundum quod pertinet ad substantiam:* & ad 4. distinguitur de nomine quo significatur non essentia, vel natura, sed personalitas. Hanc vsurpationem essentialis, vt distinguitur contra notionale, pluribus probaui in 1. tomo quæst. 4. art. 2. num. 28. cum Scoto ex Augustino.

2. *Quomodo dicantur in diuina nomina abstracta.*

Præterea mouetur quæstio solum de nominibus essentialibus concretis, & non transcendentalibus, vt sunt, Deus, sapiens, omnipotens, & similia, quæ concreta sunt, & conueniunt essentiæ, non personalitatibus. Et enim transcendentalia, siue sint concreta, vt esse ens, esse rem; siue abstracta, vt esse entitatem, esse realitatem; certum est in diuinis prædicari singulariter, & pluraliter, cum sint communia vni singulari Deo, & pluribus personis, vt conceditur ad 3. & sufficienter explicatum est supra q. 28. art. 2. num. 150. & quæst. 30. art. 1. à num. 28. ad 33. Abstracta vero non transcendentalia, sed propria essentiæ, vt Deitas, sapientia, sine vllo dubio dicuntur tantum singulariter, non pluraliter; sicut indubitatum apud omnes fideles est, essentiam esse vnam singularem, & nulla ratione in pluribus personis pluralitatem. ergo cum huiusmodi abstracta nomina non significent nisi essentiam, vt omni modo præcisam à personis, in quibus solis habetur pluralitas in Deo, non possunt vllo modo pluraliter enuntiari, dicendo, verbi gratia, tres Deitates, tres sapientias, sed singulariter tantùm solum difficultas, & controuersia est de essentialibus concretis, quoniam non solum significant essentiam, quæ vna est, sed etiam suppositum, quod non est vnum, ac proinde ratione essentiæ videntur posse prædicari singulariter, ratione verò suppositi videntur posse prædicari pluraliter. Neque contra communem doctrinam traditam de abstractis est Nazianzenus oratione 2. de pace aliquanto ante medium vocans *diuinitatis naturam, vitas, & vitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam, verum & veritatem.* Etenim ex missione abstractorum, cum concretis, & singularis, cum plurali, patet ipsum largè loquutum, & accepisse abstracta pro concretis adiectiuis; ita vt nihil aliud dicere velit nisi, Diuinitatis naturam, quia est vnitas essentiæ, & Trinitas personarum, esse & tres personas viuentes, & vnum viuentem Deum; item tres personas gloriosas, & vnum glorioſum Deum; & idem de aliis.

Exponitur Nazianzenus.

De nominibus substantiuis.

3. *Concreta substantiua dici tantum singulariter.*

Prima conclusio. Nomina essentialia concreta, & substantiua, vt hæc nomina, Deus, Dominus, Creator, Rex, Principium, spirator, iudex, & id genus quædam prædicantur de tribus quæ de duabus diuinis personis singulariter tantùm, & non pluraliter. Ita S. Thomas hic initio corp. & 1. d. 9. quæst. 1. art. 2. corp. & reliqui planè omnes, etiam Scotus 1. d. 12. quæst. 1. §. *Iuxta quæstionem.* Aureolus ibidem art. 4. Durandus 1. d. 9. q. 3. & d. 25. quæst. 3. & 3. sent. d. 1. quæst. 3. num. 23. & alij, exceptis Alliacensi 1. sent. quæst. 5. multò post medium. §. *Ad secundam rationem*, dicente cum Ochamo, *quòd iste terminus, Deus, ex modo significandi habet supponere pro supposito, non pro natura, nisi ex vsu loquentium, ratione alicuius adiuncti.* Vnde sequitur, quòd de virtute sermonis deberemus dicere, Tres personas esse tres Deos: sed monet, hoc non esse concedendum, *ex vsu Sanctorum loquentium, & maximè propter hæreticos, ne detur eis occasio errandi, & decipiendi simplices, qui nesciunt virtutem sermonis, & sic hæretici facerent eos credere pluralitatem Deorum, & multitudinem diuinæ essentiæ,* & Marsilio 1. sent. quæst. 5. art. 2. ad 5. docente idem breuius, & clarius, & 3. sent. quæst. 2. art. 3. dub. 2. idem fusius probante; & Gabriele 1. d. 12. quæst. 1. art. 2. fin. dicente de his propositionibus, Pater, & Filius sunt duo principia Spiritus sancti, sunt duo spiratores, *quòd de virtute sermonis illæ essent concedendæ.* Non sunt tamen concedendæ inquit, *Propter hæreticos, & propter vitare occasionem decipiendi simplices.* Et idem sentit Ariminensis ibidem quæst. vnica circa med. Eadem autem est ratio de aliis nominibus concretis communibus, & substantiuis, quæ de principio, & de spiratore, vt ostendi supra quæst. 36. art. 4. dub. 1. Et refertur etiam contra nos idem Gabriel in 3. d. 1. q. 2. art. 3. dub. 4. ad 2. concedens plures humanitates assumptas ab vna persona diuina, esse vnum hominem, non plures homines, quia, inquit, *nomina concreta non pluralizantur nisi propter pluralitatem suppositorum.* Sed non videtur contra hanc conclusionem requirentem pluralitatem formarum ad pluralitatem prædictorum nominum: sicut enim nos per hoc non negamus esse etiam necessariam pluralitatem suppositorum, ita Gabriel, à contrario, requirens pluralitatem suppositorum, non negat esse etiam necessariam pluralitatem formarum, vt mox clarius explicabo.

Conclusionis Authores, & Aduersarij.

4. *Non dici plures Deos, & Dominos.*

Probatur conclusio, primò à posteriori, quia de quibusdam nominibus, vt de Deo, & Domino, constat ex Scripturis, Conciliis, & omnibus Patribus, & Scholasticis errorem esse dicere plures Deos, plures Dominos; quam propositionem Torres hic propè finem Commentarij contendit contra aliquos iuniores illam in bono sensu vsurpantes, *esse aperte hæreticam:* & sequuntur Bagnes §. *Nihilominus*, & Zumel disput. vnica conclusione 1. Neque enim solum dicitur Deuteron. 6. *Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, & Ephes. 4. *vnus Dominus, vnus Deus, & Pater omnium*; sed etiam negando plures Deos, dicitur 1. Cor. 8. *Scimus, quòd nullus est Deus: nisi vnus. Nam etsi sint, qui dicantur Dij, siue in cælo, & in terra (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia,* &c. & in Symbolo Athanasij, Catholica Ecclesia credit. *Quia sicut sigillatim vnamquamque personam, Deum, ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, & Dominos dicere Catholica religione prohibemur.* Et antea dictum fuerat, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*; *& tamen non tres Dij, sed vnus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus; & tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.* Ad loquendū autē hoc modo tot sapientissimi, & sanctissimi viri non potuerunt aliunde moueri quàm ex vnitate Diuinæ naturę, ac potestatis significatę nomine cōcreto substātiuo. Quā rationē omniū clarissimè expressit Damasus Papa in Professione Fidei circa fi. vt habetur

Athanasius.

tomo 1. consiliorum pag. 706. post Concilium Laodicenum. *Si quis*, inquit, *patiatur, Deum Patrem dicens, & Deum Filium eius, & Deum Spiritum sanctum, Deos dici, & non Deum propter vnam Diuinitatem, & potentiam, quam credimus esse, & scimus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, anathema sit. Nomen enim Deorum, & Angelis, & Sanctis omnibus à Deo est impositum, & donatum. De Patre autem, & Filio, & Spiritu sancto propter vnam, & æqualem diuinitatem, non nomen Deorum, sed Dei nobis ostenditur, atque indicatur, vt credamus.* ergo quodcumque aliud diuinum nomen, eodem modo concretum, & substantiuum, quod prædicatur de tribus personis, si importet vnam, eamdemque formam, seu perfectionem non purificatam in pluribus personis, non licebit eadem omnino ratione enunciare pluraliter, sed tantum singulariter. Ex his aduertere possumus, temerè dici, quòd iste terminus, *Deus*, quantum est ex propria significatione posset plurificari. Sic enim Fidei nostræ maiestas, ac credibilitas, apud omnes infideles vilesceret, & irrideretur; quæ scilicet decreuerit veram, & credendam esse propositionem, quæ propriè loquendo, secundum virtutem sermonis, est falsa: & è contrario, falsam esse, quæ secundum propriam verborum significationem est vera.

5. *Exponitur ratio articuli ducta ex natura nominū concretorum substantiuorum.*

Probatur secundo ratione S. Thomæ à priori, quę optima est, & communiter recipitur, præsertim à recentioribus, tametsi veteribus nonnullis displiceat. *Nomina substantiua*, nimirum concreta, *significant aliquid per modum substantiæ*, hoc est, quidquid significant, siue suppositum, siue naturam, siue formam, & quamlibet aliam naturæ perfectionem, illud significant per modum entis per se stantis, quod ex se habet esse independenter ab alio, in quo sit tamquam in recipiente, ac sustentante suum esse: hanc enim ob causam dicuntur substantiua, & non adiectiua, & quamuis significent naturam, non à supposito abstractam, sed concretam in supposito; tamen ex proprio modo significandi substantiuè non significant illam, vt adiacentem supposito, sicut nomina adiectiua significant formam, vt inhærentem subiecto; sed solum, vt per se subsistentem in supposito, tamquam in aliquo ipsiusmet naturæ. *Substantia autem, sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem, vel multitudinem*; quia hæc, vt probatur in metaphysica, consequuntur ad esse. Ergo *singularitas, vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen.* Ergo vbi forma, seu natura substantiuè significata, est vna; tametsi pluribus suppositis concreta sit, non potest nomen propriè, ratione plurium suppositorum enunciari pluraliter; sed ratione vnius formæ debet de virtute sermonis enunciari tantum singulariter: alioquin ex proprio modo significandi indicaremus in pluribus suppositis esse plures naturas, seu formas, & non tantum vnam, contra id, quod verè supponitur in re ipsa. Si igitur, vt credimus, est vna, & eadem omnino natura diuina in tribus personis, non potest natura, vel quęuis alia naturæ perfectio, vt significata nomine concreto substantiuo, rectè prædicari in plurali de pluribus personis. Quemadmodum etiam in creaturis, si eadem Christi humanitas assumpta à verbo, assumeretur simul à Patre, & Spiritu sancto, quod fieri posse probaui cum S. Thoma 3. part. quæst. 3. art. 6. vel dimitteretur à verbo, & assumeretur ab alia diuina persona, aut daretur illi propria creata personalitas; semper in omnibus istis casibus esset vnus homo propter vnam humanitatem, & non essent plures homines propter plures personalitates, vt respondet ibi S. Thomas ad 1. & eadem formalis ratio est de principio, de spiratore, de Creatore, aliisque omnibus concretis, & substantiuis nominibus significantibus vnam aliquam formam in pluribus suppositis, vt notaui supra quæst. 36. art. 4. num. 8. & 9.

6. *Pluralitas substantiuorum postulat pluralitatem formæ, & suppositi.*

Per hanc rationem, quòd pro aliis materiis præsertim de Incarnatione, diligenter aduertendum est, probatur quidem ad multiplicationem substantiui esse necessariam multiplicationem formæ; non tamen probatur, hanc esse sufficientem: quoniam, vt nomen substantiuum pluraliter enuncietur, præter pluralitatem formarum, est simul necessaria pluralitas suppositorum. Et ideo si vna persona diuina assumeret plures humanitates, quod ex infinitate diuinæ personæ assumentis posse fieri omnes concedunt cum S. Thoma 3. p. q. 3. art. 7. adhuc illæ essent dicendæ vnus homo, vt ibidem ad 2. contra aliquos, quos acriter sequutus est noster Vasquez disp. 155. ferè per totum, diligenter, & fusè hanc quæstionem hic pertractans, docet S. Thomas communiter receptus, retractans contrarium in 3. dist. 1. q. 2. art. 5. ad 2. & 3. sicut vnus habens plura dominia, & plura Regna, seu plures artes, non dicitur plures Domini, & plures Reges, seu plures artifices: &, quod multo magis simile est, Christus Dominus, quamuis habeat plures naturas substantiales completas, diuinam, & humanam, tamen propter vnitatem suppositi, dicitur simpliciter vna substantia, non plures substantiæ, aut duplex substantia. Quod non obscurè significare voluit Athanasius in Symbolo de eo dicens, *qui licèt Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus.* & multi alij Patres relati supra q. 31. art. 2. n. 6. docentes, non posse concedi Christum esse alium, & alium, siue masculinè esse duos, & non vnum tantum. Quod si hoc non licet dicere de vno supposito habente duas diuersissimas naturas, increatam, & creatam, multò minus dicere licebit de vno supposito habente duas humanitates solo numero differentes. ergo si hæ dici non possunt alius, & alius homo, euidens est, quòd dici non possunt plures homines. Et à posteriori suaderi potest ex eo, quòd vbi sunt plura, semper vnum negari potest de alio. At vbi est vnum suppositum, non potest vnum negari de alio; sicut de facto, quia vnum verbi suppositum est Deus, & homo, neque Deus de homine, neque homo de Deo negari potest. ergo pariter si vnum suppositum esset in pluribus humanitatibus, nó posset cōcretè dici, vnus homo non est alius homo. ergo dici nō posśet simpliciter plures homines. Cōfirmatur, quia de facto in Christo sunt duæ distinctissimæ filiationes, altera increata ad Deum Patrē, altera creata ad Virginem matrē: & tamen quia vnū est suppositum Filij Dei, & Filij hominis, & nomē Filij est concretū substantiuū, non dicitur Christus duo Filij, sed vnus tantū Filius; ergo eadē prorsus ratione, duæ humanitates propter vnum suppositum dici non possunt duo homines, sed dici debēt vnus. ergo vnitas, & pluralitas substantiui pendent etiam ab vnitate, & pluralitate suppositi.

S. Thomas. Vasquez. Athanasius.

7. *Extenditur ratio articuli.*

Ratio autem à priori non potest aliunde sumi, quàm ex hac ipsa S. Thomæ regula, quæ vniuersalis est, licèt ratione particularis materiæ, de qua tractabat, nempè de nominibus substantiuis significantibus vnam formam in pluribus suppositis, eam applicet vnitati formæ; sed loquendo de hoc alio contrario casu, nempe de nominibus substantiuis significancibus plures formas in vno supposito, eamdem applicare facilè possumus vnitati suppositi, hunc in modum. Nomen concretum substantiuum significat per modum substantiæ, & per se stantis, non solum formam, sed magis etiam suppositum. ergo si ex hoc modo significandi nascitur, & non possit multiplicari nomen sine multiplicatione formæ, ex eodem pariter nasci debet.

Differentia inter substantiua, & adiectiua nomina.

vt idem nomine multiplicari etiam non possit absque alia multiplicatione suppositi. In quo hæc nomina concreta substantiua differunt à nominibus concretis adiectiuis, quæ significant aliquid per modum accidentis inhærentis subiecto, & solum ipsum subiectum significant substantialiter, & per se stans: ergo ad multiplicationem adiectiui satis est multiplicatio suppositi, quidquid sit de vnitate, vel multiplicatione formæ, verbi gratia, tres personæ diuinæ cum eadem sapientia, dicuntur tres sapientes; quia sapiens ex modo significandi, non significat sapientiam, vt habentem esse per se, sed hoc modo significat solum suppositum, quod à sapientia denominatur sapiens, hoc est, habens sapientiam. ergo sapientis vnitas, vel pluralitas, quæ consequitur esse, attendi debet solum ex vnitate, vel pluralitate suppositi. Igitur substantiua, & adiectiua conueniunt in hoc, vt non multiplicentur, nisi multiplicatis suppositis; differunt autem, quòd substantiuum, vt sit vnum requirit vnitatem formæ, etiam si suppositа sint multa, vt tres personæ sunt vnus Deus: similiter, vt sit multiplex, requirit multitudinem formæ, præter multitudinem suppositorum; vt in casu de vno suppositо assumente plures humanitates, quæ essent etiam vnus homo. At adiectiuum potest esse multiplex cum vnitate formæ, vt tres diuinæ personæ sunt tres sapientes cum vna sapientia, etsi vna, verbi gratia, albedo, poneretur in tribus hominibus, essent tria alba. Contra etiam potest esse vnum cum multis formis, vt vnus artifex cum multis artibus, & vnus Rex cum multis Regnis. Rectè igitur S. Thomas hoc loco, quo intendit tradere differentiam inter nomina substantiua, & adiectiua, omissa conuenientia, quam habent ex parte suppositi, vt scilicet neutrum possit esse vnum sine vnitate suppositi, nec possit esse multiplex sine multiplicitate suppositi, assignauit solum diuersitatem, quam habent ex parte formæ, ita concludens aliquanto post principium Corp. *Vnde singularitas vel pluralitas nominis substantiuæ, attenditur secundum formam significatam per nomen*; alioquin, vt bene explicat Valentia, hic puncto 3. propè finem ad 1. & ante ipsum Torres hic. §. *Ad rem*, attenditur etiam secundum suppositum eodem nomine significatum: sed hanc aliam singularitatis, & pluralitatis radicem substantiua communem habent cum adiectiuis. Atque ex his soluitur præcipuum argumentum, quo Vasquez hic

S.Thomas. Valentia. Torres.

Vasquez.

disp.155.cap.4. & 5. ex his S.Thomæ verbis contra eumdem mouetur, vt dicat, tres humanitates ab vna persona assumptas, esse tres homines.

De nominibus adiectiuis.

8. *Prædicari pluraliter in diuinis.* S.Thomas.

Secunda conclusio. Nomina essentialia concreta adiectiua de tribus diuinis personis, *Prædicantur pluraliter propter pluralitatem suppositorum: dicimus enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos, & increatos, & immensos, si adiectiuè sumantur, si verò substantiuè sumantur, dicimus vnum increatum, immensum, & æternum*; vt Athanasius dicit in Symbolo. Ita habetur hic in fine corporis, & est communis sententia omnium Patronorum primæ conclusionis, & etiam Aduersariorum, qui cum plurificant substantiua, multò magis plurificant adiectiua. Ratio vnica, & optima S. Thomæ est similis rationi præcedentis conclusionis n. 5. *Nomina adiectiua significant aliquid*, nempè formam, non suppositum, *per modum accidentis, quod inhæret subiecto*: ex modo enim significandi forma significata, siue illa in re sit accidens, siue substantia, significatur, vt accidens non habens esse per se, sed esse subiectatum in esse alterius per se? *Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita in subiecto suscipiunt vnitatem, vel multitudinem*: hæ enim sunt passiones entis; ergo sicut rebus conuenit ratio entis, siue essendi, ita conuenit ratio vnitatis, vel multitudinis. Sed ratio essendi non conuenit per se accidentibus, sed solum per ordinem ad subiectum: ergo nec illis per se conuenire debet ratio vnius, vel multorum, sed solum per ordinem ad vnum subiectum vel multa subiecta. *Et ideo in adiectiuis attenditur singularitas, & pluralitas secundum suppositа.* Semper enim, si vnum est suppositum, erit vnum adiectiuum, etiam si formæ adiacentes sint plures; & è contra, si plura sunt suppositа, plurificabitur nomen adiectiuum, etiam si in illis sit vna adiacens forma; vt explicatum magis est n. præcedente per comparationem ad nomina substantiua.

9.

Confirmatur dictis Sanctorum ita loquentium, & multiplicantium essentialia iuxta multitudinem diuinarum personarum, dum ea adiectiuè explicant. Damasus Papa supra num. 4. ait, *Si quis tres personas, non dixerit veras Patrem, & Filij, & Spiritus sancti, æquales, sempiternitates, omnia continentes visibilia, & inuisibilia, omnipotentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia saluantes, anathema sit.* In Concilio Nicæno l. 2. §. *In libro Iob.* circa principiū, loquente de tribus diuinis personis æqualiter creantibus, tribuitur illis, *æqualis certificum peritia, æqualis opificum appellatio.* Vbi nomina artificum, & opificū, quæ apud Latinos sunt propriè substantiua, ac proinde nō deberent in diuinis multiplicari, si propriè loquendum esset, accipiuntur adiectiuè pro creantibus, & facientibus, vt ex contextu manifestum est legenti antecedentia, & subsequentia Athanasius in Symbolo fatetur, *quòd tota tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Concilium Lateranense sub Innocentio III. c. 1. initio de tribus personis ita firmiter credit. *Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæterni.* Nazianz. supran. 2. Trinitatis personas vocat, *bonas, & sanctas.* Epiphanius in Ancorato non longè à medio. *Tria sancta, tria consancta, tria conformia, tria operatia, tria cooperantia, tria in substantia extantia, tria existentia.* Et denique cū nullus Theologus tres personas, tres diuinitates dicere audeat, tamē omnes Theologi adiectiuè in plurali, diuinas personas passim nominat. & vt docuit Torres hic §. *At verò*, benè dicitur, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres diuini*, hoc est, tres habentes vnam diuinitatem.

Damasus.

Concilium Nycænum.

Athanasius.

Concilium Lateranense.

Nazianzen. Epiphanius.

Occurritur contrarijs argumentis.

10. *Prima obiectio ex Marsilio.*

Obiicies primò ex Marsilio 3. sent. quæst. 2. art. 3. dub. 2. in conclusione responsali, *si ad imaginationem eadem albedo numero inhæreret tribus distinctis subiectis, ipsa redderet quodlibet eorum album, & essent tria distincta alba.* ergo pariter vna humanitas in tribus suppositis erit tres homines.

Respondetur distinguendo.

Respondeo, si in antecedente Marsilius tria alba accipit substantiuè, sicut si diceret, tria disgregatiua visus, negо tria subiecta, cum vna albedine esse tria alba; sicut tres personæ creantes cum vna formali ratione creandi, dici non possunt substantiuè tria principia creationis. Si verò accipit adiectiuè, & significat verbi gratia, tres parietes albos vna albedine, concedo antecedens, sed nego consequentiam; quia homo est nomen substantiuum, albas verò est nomen adiectiuum: non est autem eadem ratio de pluralitate nominis substantiui, & adiectiui, vt probatum est.

Obiicies

11. *Secunda obiectio ex eodem.*

Obiicies secundò ex eodem in casu vnius humanitatis assumptæ à tribus suppositis, *quodlibet diuinum suppositum esset homo, & non videtur, quòd esset idem homo, qui est aliud suppositum, igitur esset alius homo.* ergo tria suppositа erunt tres homines, & non vnus, & idem homo. Minorem, quæ falsa est, sic probat; *quia cum homo sit nomen suppositi, non plus Pater, est idem homo, quam est idem suppositum.* Sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus terminantes hypostaticè vnam naturam humanam, non sunt idem suppositum, sed tria suppositа. ergo non sunt idem homo, sed tres homines.

Respondetur retorquendo, & soluendo argumentum.

Respondeo hoc eodem argumento probari contra sanctissimam Trinitatem, quòd non sit vnus, & idem Deus: quoniam ibi etiam quodlibet suppositum est Deus, & non sunt idem suppositum; & tamen sunt idem Deus. Dicendum igitur pro vtroque casu, quòd hæc nomina, Homo, Deus, sunt nomina suppositi, sed implicitè, & materialiter consignificati, seu connotati: sunt autem nomina naturæ formaliter, & explicitè, atque adeò per se, & principaliter significatæ per modum substantiæ, & per se stantis in supposito. Contra verò, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Item Petrus, Paulus, &c. sunt nomina suppositi explicitè, & formaliter, ac principaliter significati. Hinc nascitur, vt nomina suppositorum non possint inuicem prædicari, quia tunc de pluribus suppositalitatibus distinctis, explicitè significatis, quarum vna non est alia, falsò diceretur, quòd vna esset alia. Nomina verò naturæ, quæ est eadem in pluribus suppositis, possint de pluribus suppositis prædicari; tunc enim nomine significante formaliter, & explicitè naturam, & solùm materialiter, & implicitè significante suppositum, non censetur de vno suppositо prædicari suppositum, sed solùm natura suppositi. Si igitur in tribus diuinis suppositis est eadem natura deitatis, vel humanitatis assumptæ, licebit dicere, Pater est idem Deus, vel idem homo, qui est Filius, & qui est Spiritus sanctus; sed hinc non sequitur, quòd Pater sit idem suppositum quod est Filius, & quod est Spiritus sanctus. Et si Porphyrio cap. 3. de specie, multò post medium, dicere licuit, *Participatione speciei plures homines, vnus*, nempè homo; cur non multò magis propriè, plures habentes vnam numero Deitatem, Humanitatem, dici possunt vnus Deus, vnus homo?

Porphyrius.

12. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò, si pluralitas formarum absque pluralitate suppositorum non sufficit ad pluralitatem nominis substantiui: sicut dictum est cum sancto Thoma plures humanitates assumptas ab vna persona, non esse plures homines, sed vnum hominem. ergo à contrario, vnitas formæ absque vnitate suppositi, nec erit sufficiens ad vnitatem nominis substantiui; & ideo vna humanitas à tribus assumpta, non poterit esse vnus homo, sed tres homines.

Respondetur eodem modo.

Respondeo, similiter probari contra omnes fideles, quòd tres diuinæ personæ terminantes vnam Deitatem, non sunt vnus Deus, sed tres Dij. Negandа est igitur consequentia, & discriminis ratio est, quia nomina essentialia concreta substantiua, tam ex modo significandi, important formam per modum substantiæ, & per se esse habentis, quàm suppositum. ergo tam important per se vnitatem formæ, quàm per se vnitatem suppositi, quia esse per se vnum, consequitur ad esse per se ens. ergo pluralitas nominis substantiui, quo significatur simul natura, & suppositum, & ambo per modum substantiæ, tam impediri debet, si sit vnum suppositum cum pluribus formis, quam si contra sit vna forma, cum pluribus suppositis.

13. Obiicies quartò, quòd hic primo loco obiicit S.Thomas. Tres diuinæ personæ, sunt tres habentes Deitatem. ergo tres Dij. Probatur consequentia, quia sicut nomine hominis significatur habens humanitatem, ita nomine Dei significatur habens Deitatem. ergo si sunt tres habentes, erunt tres homines, tres Dij.

Quarta obiectio.

Respondet optimè S.Thomas, quòd licet Deus, & homo, sint quoad rem idem, quod habens Deitatem, & habens humanitatem; *est tamen alius modus significandi: nam Deus dicitur substantiuè; sed habens Deitatem, dicitur adiectiuè. Vnde licet sint tres habentes Deitatem, non tamen sequitur, quòd sint tres Dij.* Si igitur nomen Deus sit formaliter explicandum ex formali suo modo significandi, quem habet ex proprietate vocis, dici non debet habens Deitatem, sed potius Deitas per se subsistens concreta in supposito diuino. Non sunt autem tres Deitates ita per se subsistentes; tametsi tres sint, in quibus Deitas ita per se subsistens sit. Quod à posteriori suaderi potest, ex eo quòd rectè dicitur, Filius est alius habens Deitatem, non autem est alius Deus.

Respondetur cum S. Thoma, in diuinis esse tres habentes Deitatem, non tres Deos.

14. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò, quòd secundo loco obiicit sanctus Thomas, illud Genesis 1. *In principio creauit Deus.* Hebraicè Elohim, *quod*, inquit S.Thomas, *potest interpretari Dij, sicut Iudices; & hoc dicitur propter pluralitatem personarum.* ergo tres personæ sunt plures Dij, & non vnus Deus.

Respondetur explicando locum Genes. 1. S.Thomas.

Respondet S.Thomas, supponendo Elohim dici pluraliter de tribus personis. Idque refert ad modum loquendi linguæ Hebraicæ. Quapropter, inquit, *sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases, ita & in Hebræo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos, neque substantias, ne pluralitas ad substantiam referatur.* Verum idem periculum esse poterat apud Græcos, & Hebræos, imò sanè multò maius, quia tam Græci ob Græcam Arianorum hæresim, quàm Hebræi ad idololatriam proniſſimi, multò facilius labi poterant in pluralitatem Deorum, & diuinarum substantiarum. Cur igitur tantoperè abhorreāt Latini tres Deos, & tres substantias in Deo dicere, non autem Hebræi, & Græci! Idem supponunt Magister lib. 1. sent. d. 2. litera G. Bonauentura ibidem dubio literali 8. & d. 4. art. vnico quæst. 3. ad 1. Alensis p. p. summæ quæst. 50. membro 2. ad 2. Carthusianus 1. d. 2. quæst. 8. Lyranus, & Burgensis in illa verba Genesis, & alij recentiores, qui ex hoc loco probant pluralitatem personarum in Deo; quam probationem minus efficacem esse probaui suprà quæst. 27. art. 1. num. 149. cum Bellarmino, & Vazquez, quibus consentiunt Pererius in cap. 1. Genesis disp. 17. Suarez lib. 4. de Trintt. cap. 12. fin. Ruiz de Trinit. disp. 77. sect. 5. & alij apud ipsum. Quare dicendum, nomen Elohim non tribui personis, sed solum voci Deo, qui vt singularis, & vnus, ex propria phrasi Hebræi sermonis significatur in plurali, vt ibidem adnotaui sequens Bellarminum.

Magister. Bonauent. Alensis. Carthusian. Suarez. Ruiz.

15. *Sexta obiectio.*

Obiicies sextò, si tres personæ assumerent eamdem humanitatem, ideo essent vnus homo, & non tres, quia illud tres numeraret humanitatem, quod est falsum; sed si contrà, tres humanitates assumerentur ab vna persona, & dicerentur tres homines, verè numerarentur tres humanitates. ergo tres humanitates ab vna persona assumptæ dici verè possunt tres homines.

Respondetur explicando cur tres humanitates sub vno suppositо essent vnus homo.

Respondeo, causalem illam in maiore positam non esse adæquatam; nam tres homines non solum numerant humanitates, sed etiam personas. Quam ob causam in alio casu de tribus humanitatibus ab vna persona assumptis, non possunt verè dici tres homines. Instabis, vnus homo, sicut vnus Deus, ita importat vnitatem naturæ, vt non importet vnita-

tem suppositi : alioqui falsò dicerentur tres diuinæ personæ vnus Deus, & vna humanitas à tribus assumpta falsò diceretur vnus homo. ergo plures homines ita debeant importare pluralitatem naturæ, vt non importent pluralitatem suppositorum. Respondeo, negando consequentiam, & paritatem; quia, vt acutè tetigit Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 13. sect. 3. post med. §. *Ratio vero*, vnus homo, & vnus Deus important vnam naturam per se subsistentem, & per modum per se subsistentis ex modo significandi vocis substantiuæ; sed tamen non important vnam naturam abstractam, sed vnitam, & concretam supposito. Potest autem vna numero natura esse concreta, vel vni supposito, vt naturaliter in rebus creatis, vel pluribus suppositis, vt naturaliter in sanctissima Trinitate, & supernaturaliter in vna humanitate à tribus assumpta. Et ideo vnus homo ex modo significandi, ita consignificat suppositum, vt non significet illud debere esse vnum, co non multiplex; sed significat tantum humanitatem vnitam supposito, siue vni, siue multiplici. At verò plures homines, v.g. tres, ita significant tres humanitates vt in eo, in quo dicuntur tres, non significent aliquam vnitatem trium humanitatum cum aliquo supposito, sed solum significent singulas humanitates singulis suppositis vnitas, in quantum quilibet trium hominum dicitur homo, quod est nomen propriè significans humanitatem vnitam supposito. ex isto igitur significandi modo tres humanitates cũ vno supposito, dici rectè nequeunt tres homines: significarentur enim tres humanitates cum tribus suppositis: si dicantur autem vnus homo, non significatur vna humanitas, sed solum vna siue humanitatis, siue humanitatum vnitas, siue vnio, & concretio in vno supposito.

Suarez.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd nomina essentialia concretiua, non, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *De suppositione huius nominis, Deus, extra propositionem, num. 1. ad 4.*
2. *De eiusdem nominis suppositione in propositione, n. 4. ad 25.*
3. *An hæc sit vera, Hic Deus est hic Deus, n. 25. ad finem articuli.*

1. *Exponitur titulus.*

NOTA quæstio versatur circa hoc nomen, *Deus*, quod non distinguitur à nomine, *Hic Deus*, quia cum de intrinseco conceptu naturæ Deitatis sit esse indiuiduam, & singularem, siue vnam numero; idem omnino significatur nomine naturæ, *Deus*, quod nomine indiuidui, *Hic Deus*, vt notaui in primo tomo quæst. 13. art. 8. num. 2. fin. In quo, vt rectè obseruat Vazquez d. 157. cap. 6. num. 27. differt hoc nomen, Deus, ab hoc nomine Homo; nam pronomen *Hic*, si addatur Deo, nihil verè addit supra naturan Deitatis, sed tantum explicat singularitatem in illa natura essentialiter inclusam; si verò addatur Homini, verè addit singularitatem non inclusam in essentia humanitatis: qua hæcceitate humanitas verè diuiditur in plures numero humanitates. Quidquid verò dicitur de hoc nomine, *Deus*, datum intelligi debet de aliis similibus nominibus concretis essentialibus, cuiusmodi sunt Dominus, Rex, Creator, Principium, Finis, & id genus alia.

DVBITATIO I.

De suppositione huius nominis, Deus, *extra propositionem.*

SVMMA.

1. *Supponi pro natura, & pro persona, n. 2. & 3.*
2. *In quo differat nomen, Deus, & alia concreta nomina creaturarum, num. 3.*
3. *Pro quo supponat Deus, cum dicitur Deus creat, num. 3.*

2. *Supponi pro natura, & pro persona.*

VNica conclusio, hoc nomen, Deus, non solum quantum ad rem significatam, quæ est Deitatis natura identificans sibi diuina omnia, siue essentialia, siue attributalia, siue personalia, sed etiam quantum ad suum concretum significandi modum, est secundum se, & extra propositionem consideratum, tum nomen essentiale supponens pro natura, secundum rationem præcisa ab omnibus personis, tum nomen personale supponens pro persona, seu personis in communi, & in confuso, siue indistinctè. Hanc esse arbitror expressam S. Thomæ sententiam in hoc articulo. Quamuis enim initio corp. confutans aliquos dicentes, nomen, *Deus*, propriè secundum suam naturam supponere pro essentia, & solum ex adiuncto notionali trahi ad supponendum pro persona, doceat supponere pro persona, nunquam tamen negat supponere etiam pro essentia; & ideò cum aliis dicit solum, *Quod hoc nomen, Deus, ex modo significandi, cum significet diuinam essentiam, vt in habente ipsam, sicut hoc nomen, homo, humanitatem significat in supposito, habet vt possit supponere pro persona, sicut & hoc nomen, Homo.* Dicit, *vt possit supponere pro persona*, nimirum etiam pro persona, & non tantum pro essentia. Et propterea continuò ita clarissimè pro hac conclusione concludit, *Quandoque ergo hoc nomen Deus, supponit pro essentia, vt cum dicitur, Deus creat. Quandoque verò supponit personam, vt cum dicitur, Deus generat.* & quod dixerat initio corp. magis explicat iuxta nostram interpretationem in responsione ad 1. de eodem nomine dicens, *Non oportet, quòd semper supponat pro essentia.* Intendit igitur, quòd supponit pro essentia, tamen non solum pro essentia, vt illi dicebant; sed etiam pro persona. Et ad 3. acutè aduertit differentiam in supponendo, quam habent hæc nomina, Homo, Deus. *Nam homo*, inquit, *per se supponit pro persona, etiamsi nihil addatur, quod determinet ipsum ad personam, quæ est suppositum distinctum. Deus verò per se supponit pro natura communi, sed ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam.* Quam differentiam in conclusionis probatione mox clariùs exponam. Demum in hoc sensu suprà quæst. 13. art. 8. ex instituto probat, *Quòd hoc nomen, Deus, sit nomen naturæ, impositum ad significandum diuinam naturam*, vt ibi concludit in fine corp. & in fine responsionis ad 2. & nos multis Sanctorum authoritatibus confirmauimus ibidem in tomo primo.

S. Thomas.

3. *Ratio conclusionis.*

Fundamentum præcipuum conclusionis sumitur ex probatis suprà quæst. 30. art. 1. dub. 3. de subsistẽtia absoluta, conueniente diuinæ essentiæ ex se, vt præcisè à singulis, & omnibus relatiuis, & personalibus subsistentiis: quam absolutam subsistentiam, qui negant, mea quidem sententia, non possunt probabiliter defendere, quòd tamen plerique defendunt: Deitatem omnino præcisam à personis, posse

posse adhuc concreto nomine dici Deum. Nam dicere cum Arrabal disp. 114. cap. 2. sequente Valentiam, id non haberi ex subsistentia absoluta, quam negant, sed ex absoluta existentia habente omnem simpliciter perfectionem in ratione essendi, hoc sane non est discrepare in re, sed tantum in voce. Enim verò eamdem prorsus essendi rationem, omnes admittimus, sed ipsi contendunt eam non esse vocandam, nisi existentiam. Nos autem posse etiam propriè vocari subsistentiam. Hinc igitur sequitur, vt essentia diuina, etiam præcisè considerata, sit in se ipsa essentialiter existens & subsistens, ergo sufficiens, vt determinetur propriè Deus in concreto, & non solum Deitas in abstracto, quod ibidem à num. 54. ad 58. concessi, ac defendi cum Scoto, Caietano, Suarez, & aliis. Deus enim, vt concretum nomen est, sufficienter explicatur si intelligatur importare Deitatem, non vt abstractam ab existentia, & subsistentia, sed vt in suo esse existente, & subsistente concretam. Deus enim ex modo significandi habet, vt non sit præcisè Deitas, sed vt præterea sit concretè subsistens Deitas: quòd verò sit subsistens in se ipsa essentialiter, vel personaliter in supposito habente ipsam, non facit, vt illud nomen sit concretum simpliciter, sed solum facit, vt sit concretum tale, scilicet concretum essentiale, vel concretum personale. ergo nomen, Deus, vt concretum nomen est, habet, vt possit supponere non solum pro persona, sed etiam pro natura præcisa à personis; cum hac tamen differentia, quæ ad intelligendum discrimen traditum à S. Thoma suprà de Homine, & Deo, accuratè perpendenda est, quòd quando supponit pro natura, est suppositio distincta, & determinata, quia exprimitur subsistentia absoluta, quæ ex se est vnica, & simplicissima, ac proinde distincta, & determinata: quando verò supponit pro persona, est suppositio indeterminata, & confusa, siue indistincta, quia in Deo, non vna, sed tres sunt personæ, quarum hoc nomen, Deus, ex se nullam explicat: sed omnes, & singulas confusè, atque indistinctè comprehendit. Atque in hoc sensu potuit verè dicere. S. Thomas ad 3. *quòd hoc nomen, Deus, per se supponit pro natura communi*, nimirum explicitè, ac determinatè; alioquin implicitè & indeterminatè supponit etiam per se pro persona. *Sed ex adiuncto*, inquit, *determinatur eius suppositio ad personam*, nimirum, vt sit suppositio explicita, & determinata; vt si dicas, Deus generat supponitur pro Patre; si dicas, Deus spirat, supponitur pro Patre, & Filio; si dicas, Deus est trinus, vel liberè vult creare mundum, saluare, &c. supponitur pro Patre, Filio, & Spiritu sancto. Vnde oritur differentia inter hoc nomen concretum, Deus, & alia concreta creaturarum nomina, v.g. homo: quoniam nomen, Deus, ob infinitam præstantiam rei significatæ, est ex se duplex concretum, & explicitum naturæ, & implicitum personæ; & ideo si per se spectetur absque vllo addito, intelligitur explicitè supponi pro concreto naturæ, & inde etiam habet, vt ex adiuncto possit ita supponere pro concreto naturæ, vt excludat aliam suppositionem concretam pro persona, vt cum dicitur, Deus est vnus, est communis, seu communicabilis tribus personis, non est realiter distinctus à personis: quæ propositiones de supposito, etiam in communi, essent euidenter falsæ. At verò nomen, Homo, est vnum dumtaxat concretum implicitum personæ, & propterea si concretè supponat, non potest non supponere pro concreto personæ ex quacumque additione ad illud facta; vnde ex se habet, vt supponat semper pro persona. Sed nomen, Deus, licèt ex se proprie habeat, vt supponat concretè, tam pro natura, quàm pro persona; tamen, sicut ex adiuncto habet, vt supponat pro persona, & non pro natura, vt cum dicitur, Deus est trinus; ita à contrario ex adiuncto etiam habet, vt supponat pro natura, non pro persona, vt, cum dicitur, Deus est vnus, vel Deus creat; in qua secunda propositione, inquit expressè S. Thomas hic post med. corp. *Nomen, Deus, supponit pro essentia*, siue, vt loquitur, & concedit etiam Scotus 1. distin. 4. quæst. 2. propè med. *Pro hoc Deo existente in natura diuina in quantum existens in ea, non intelligendo aliquod suppositum, vel aliquod incommunicabile in illa natura, quia incommunicabilitas non est ratio talium actuum*, vt suprà quæst. 30. art. 1. num. 57. distinctius explicatum est; & benè adnotauit Caietanus hîc §. *Ad secundum dubium*, dicens, *Nec tñ est verum, quòd actiones sint suppositorum vniuersaliter, sed singularium subsistentium*; qualis est hic Deus, & sequitur Bagnes hîc ad 4. Valentia puncto 3. quæst. 1. Zumel disp. 1. conclusione 2. & 4. quamuis immeritò repugnent aliqui recentiores contendentes, quòd cum dicitur, Deus creat, nomen Deus supponat pro supposito diuino in communi. Actio enim creandi, cum sit particularis, & determinata, conuenire debet, vel omnibus tribus diuinis personis in particulari, vel nulli. Quod probabilius videtur, cum personalitas in diuinis non concurrat ad aliquid, quod in Deo per se necessarium sit ad operandum ad extra, sicut concurrit personalitas, & vniuersaliter suppositum in Creaturis.

Pro quo supponat Deus cum dicitur, Deus creat.

Caietanus.

Bagnes. Valentia. Zumel.

DVBITATIO II.

De suppositione huius nominis Deus *in propositione.*

SVMMA.

1. *Aliquando supponi pro vna persona, aliquando pro duabus, aliquando pro tribus, n. 4. ad 7.*
2. *Verè dici, Deus generat, n. 7.*
3. *Falsò dici, Deus non generat, n. 8. ad 17.*
4. *Falsò dici, Deus genuit se Deum, vel eumdem Deum, n. 17. & 18.*
5. *Falsò dici, Deus genuit alium Deum, n. 19. ad 23.*
6. *Falsò dici, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater, num. 23. & 24.*

§. Thomas.

In quo differant nomen Deus, & alia concreta nomina creaturarum.

4.

PRima conclusio, nomen, *Deus*, sumptum, non vt concretum essentiale, sed vt concretum personale, quomodo, inquit S. Thomas hîc aliquantò post principium corp. *significat diuinam essentiam, vt in habente ipsam; sicut hoc nomen, homo, humanitatem significat in supposito*, quamuis ex se extra propositionem supponat pro persona *indistinctè*, vt suprà loquitur S. Thomas 1. d. 4. quæst. 1. art. 2. siue, vt non semel loquitur Albertus p. p. summæ q. 45. membro 2. art. 1. corp. *indefinitè, & communiter*, siue, vt loquitur Henricus in summa art. 54. quæst. 3. ad 3. initio *in communi*, siue, vt idem loquitur quodlib. 5. q. 8. propè finem, *sub indifferentia ad tres, vel ad duas, vel ad vnicam supponendam*; tamen in propositione ex diuersis adiunctis aliquando supponit pro vna tantum persona, aliquando pro duabus, aliquando pro tribus. Hoc inter alios expressè aduertit S. Thomas hic in fine corp. & ad 3. & 1. d. 4. quæst. 1. art. 2. ante med. corp. & ad 2.

S. Thomas. Albertus.

5. *Probatur primò supponi pro vna persona.*

Probatur primò, quòd supponat pro vna tantùm. Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum*, hoc est, Patrem, vt omnes Patres exponunt, quos attuli suprà

suprà quæst. 27. art. 1. num. 26. & 27. & 153. & 1. Corinth. 1. apertissimè de solo Patre dicitur, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius Iesu Christi Domini nostri.* & Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*, & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:* sicut etiam de solo Filio dicitur 1. Ioan. 5. *Hic est verus Deus.* & Ioan. 1. *Et Deus erat Verbum.* Et Isai. cap. 5. *Deus ipse veniet, & saluabit nos.* Et cap. 45. *Tantum in te est Deus*, & multis aliis locis, quibus Filij Dei diuinitatem probaui suprà quæst. 27. art. 1. à n. 20. ad 56. Sic etiam Deus, vt exemplificat S. Thomas 1. d. 4 quæst. 1. art. 2. ad 2. *In hac propositione, Deus generat Deum, in supposito stat pro Patre, in appositio pro Filio.* In quo sensu fatemur in Symbolo, *Deum de Deo*; quæ verba ad hoc probandum affert S. Thom. hic in argumento, *Sed contra*. Præterea soli etiam Spiritui sancto nomen tribuitur, Actor. 5. *Cur tentauit Satbanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo.* Et 1. Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Et nonnullis aliis locis, quibus Spiritus sancti diuinitas probata est suprà quæst. 27. art. 1. à num. 106. ad 113.

S. Thomas.

6. *Secundò pro duabus personis.*

Probatur secundò, quòd supponat pro duabus personis, *vt cum dicitur, Deus spirat*, quod exemplum affertur hic in fine corp. In quo sensu multis locis, & Scripturæ, & Patrum citatis suprà quæst. 36. art. 2. num. 11. & art. 4. num. 36. Spiritus sanctus vocatur *Spiritus Dei*, nimirum Patris, & Filij, à quibus procedit; qui etiam ab Anselmo epistola de processione Spiritus sancti cap. 6. multò post principium, & cap. 1. fin. vocatur *Deus de Deo*, hoc est, Spiritus sanctus de Patre, Filioque procedens. Probatur tertiò, quòd supponat pro tribus personis, *vt cum dicitur, Deus est Trinitas*, inquit S. Thomas 1. d. 4. quæst. 1. art. 2. ante med. corp. &, vt habetur hic in fine corp. *Cum dicitur* 1. *Timoth.* 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili soli Deo honor, & gloria.* Quæ verba omnes ferè Patres, aliique Interpretes, vt notaui suprà q. 31. art. 3. n. 10. & 13. exponunt de tota Trinitate.

Anselmus.

Tertiò, pro tribus personis.

Verè dici, Deus generat.

7. *Deus generat, verificatur de solo Patre.*

Secunda conclusio in responsione ad 3. *cum dicitur, Deus generat, ratione actus notionalis, supponit hoc nomen, Deus, pro persona Patris.* Quod alij communiter sequuntur; quia actus generandi non conuenit Filio, non Spiritui Spiritui sancto, non essentiæ à personis præcisæ, præter quæ non remanet, cui tribui verè possit, nisi Pater. Nam quod aliqui recentiores addunt, in prædicta propositione intelligi posse, Deum supponi etiam pro communi concreto Deitatis indefinitè, & indifferenter, non video, quem diuersum, & bonum sensum habere possit: si enim per hoc concretum, vt videntur intelligere, significatur suppositum diuinum in communi, præscindendo ab hoc, vel illo determinato supposito, non potest nomen, *Deus*, hanc indeterminatam suppositionem, quam vt concretum personale verè habet ex se extra propositionem, retinere in propositione, in qua de illo determinata quædam proprietas prædicatur; sic enim propositio esset manifestè falsa, quia non quodlibet diuinum suppositum generat, sed dumtaxat vnum determinatum, quòd vocamus Patrem. ergo in illa propositione, nomen, *Deus*, supponitur pro Patre. Si verò per commune Deitatis concretum significatur ipsemet Deus in se ipso absolutè existens, & perfectissimè subsistens, vnus, & communicabilis tribus personis, ac proinde ab omni personalitate præcisus, tunc ipsis etiam fatentibus falsa est propositio; quia si generare conueniret huic Deo, ita absolutè, & communiter accepto, procul dubio conueniret cuilibet diuinæ personæ, cum cuilibet conueniat esse vnum. Eumdemque illum Deum. Neque contrarium benè colligitur ex eo, quod prædictum concretum prædicatur de Patre, tanquam natura de persona, cuius est natura; cum non quidquid prædicatur de hoc determinato supposito, sicut generare prædicatur de solo Patre, prædicari possit de natura præcisa à supposito, aut de communi supposito præscindente ab hoc, vel illo determinato supposito, vt ex terminis ipsis manifestum est. Neque etiam eos iuuat exemplum, quod afferunt huius propositionis, *Homo currit*; quæ vera est etiam solo Petro currente; quoniam in hoc quoque casu, nomen, *Homo*, quòd extra propositionem latè supponitur pro persona humana indefinitè, & indeterminatè, in propositione ex coniunctione cum definito, & determinato prædicato, quod conuenire dicitur vni soli personæ Petri, restringitur ad supponendum pro solo Petro, non sub explicito conceptu Petri, sed sub explicito conceptu hominis. Ita pariter, quamuis nomen, *Deus*, ex se sit nomen diuinæ personæ in communi; tamen cum in propositione coniungitur cum generare, non manet in eadem lata suppositione, sed restringitur, & vt loquitur S. Thomas hîc ad 3. *Ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam* determinatam Patris, non sub explicito conceptu Patris, sed sub explicito conceptu Dei.

Falsò dici, Deus non generat.

8. Bagnez. Zumel.

Tertia conclusio, quamuis ex eo, quòd Pater generat, hæc affirmatiua *Deus generat*, sit vera secundum omnes, & vt censet Bagnes hîc col. 2. circa finem, & sequitur Zumel disp. 2. conclusione 1. *de fide tenenda*, quippe quæ est omnino similis illi, quæ in Scriptura Christus dicitur, *Filius Dei*, nempe generantis, & qua Filium à Patre genitum, in Symbolo dicimus, *Deum de Deo*; tamen ex eo quòd etiam nec Deus Filius, nec Deus Spiritus sanctus generet: non sequitur, quòd vera sit hæc negatiua, *Deus non generat*. Ita habetur in eadem responsione ad 3. & ex ratione, qua hoc ibi probatur, vt mox referam, constat, negatiuam illam esse falsam, non per accidens, ex solo vsu omnium Theologorum ita loquentium contra Arianos blasphemantes, nullam intra Deum generationem esse, sed per se ex vi, & natura terminorum. Ratio S. Thomæ apparebit euidenter efficax, si ita proponatur. Nomen, *Deus*, ex se est indeterminatum respectu trium diuinarum personarum, cum singulis conueniat, & nullam magis explicet, quàm aliam; hanc enim ob causam, nimirum, vt ait S. Thom. 1. d. 4. q. 1. art. 2. ad 2. *Quia supponit personam indistinctè, ideo potest stare in loquutione pro quacumque persona, & sic reddit loquutionem veram.* ergo vt ster pro vna persona, & non pro alia, debet ex aliquo adiuncto determinari ad vnam personam, & non ad aliam. *Sed cum dicimus, Deus non generat, nihil additur, quod determinet hoc nomen ad personam Filij*, aut ad personam Spiritus sancti, de quibus verum est, quòd non generans, sed potius additur aliquid, quòd vniuersaliter omnes personas, & præcipuè Patrem à generando excludit. ergo, inquit S. Thomas, *datur intelligi, quòd generatiæ repugnet diuina natura.* Minor subsumpta, quæ dumtaxat in toto hoc discursu probatione indiget, nempe, quod non generare adiunctum huic termino, seu subiecto *Deus*,

Probatur eit S. Thoma falsitas, ex natura terminorū.

Deus, distribuat vniuersaliter omnes diuinas personas, easque à generando excludat; patet ex vno principio in logica notissimo, ac receptissimo, quòd cum de vno subiecto secundum se vniuersali, seu communi negatur prædicatum aliquod positiuum, illud negatur distributiuè, & vniuersaliter, secundum omnes partes subiecti: quoniam particula, *Non*, quam propterea logici vocant malignantis naturæ, habet vim vniuersaliter distribuendi subiectum secundum omnes suas partes. At verò cum de eodem subiecto affirmatur, idem prædicatum, ad veritatem propositionis sufficit, vt illud prædicatum conueniat subiecto, secundum vnam aliquam subiecti partem. Hoc manifestum est exemplis Philosophicis, & aliis Theologicis. Rectè enim affirmando dicitur, Homo sentit, discurrit; tametsi sentiat ratione vnius tantum gradus animalitatis, & discurrat ratione vnius tantùm gradus rationalitatis, sed non rectè dicitur negando, Homo non sentit, non discurrit; tametsi verè non sentiat ex eo formaliter, quòd sit rationalis, nec discurrat ex eo formaliter, quòd sit animal. Similiter licèt dicere, Homo est corporeus; quod verificatur tantùm ratione materiæ; non autem, Homo non est corporeus, quamuis rectè secundum animam non sit corporeus. Præterea Theologicè verum est, Deus est incarnatus, est passus; falsum verò & hæreticum, Deus non est incarnatus, non est passus similiter, quia credimus Beatissimam Virginem esse Matrem Dei, verè, ac propriè dicitur, Deus est genitus à Virgine; sed contra fidem loqueretur, qui diceret, Deus non est genitus à Virgine. Dicimus etiam, Deus est Pater, non autem, Deus non est Pater; tametsi Filius, & Spiritus sanctus sint Deus, & non Pater. Quæ omnia inde ortum habent, quia negatio tollens prædicatum à subiecto communi, tollit illud prædicatum vniuersaliter ab omni eo, quod in illo subiecto communi continetur: affirmatio vero tribuens prædicatum subiecto communi habens multas partes, non necessario tribuit illud prædicatum subiecto secundum omnes illius partes, sed potest tribuere secundum vnam partem, non secundum aliam, cuius differentiæ non videtur posse aliam reddi rationem, nisi propriam vocum significationem ex rationabili primorum inuentorū placito illis impositam. ergo in casu nostro eadem ratione propriè loquendo, qui sumpto hoc nomine, *Deus*, pro persona in cōmuni, & indifferenter ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, affirmatiuè dicit, Deus generat, Deus spirat, potest intelligi nō distributiuè de omnibus tribus personis; sed in prima propositione de Patre tantum, in secunda de Patre, & Filio, non de Spiritu sancto. Qui verò negatiuè dicit, Deus non generat, Deus non spirat, debet necessario intelligi distributiuè, & vniuersaliter de omni diuina persona; quæ distributio est contra fidem.

De vi particulæ Non.

9. *Deus non generat, excludit præcipuè Patrem.*

Dixi initio huius rationis, non generare, prædicatum de Deo, excludere à diuina generatione omnes personas, *& præcipuè Patrem:* quoniam cum dicitur, Deus generat, generare affirmatur de solo Patre: ergo cum dicitur, Deus nō generat, generare negatur, saltim præcipuè, de Patre; imò etiam solum de Patre quoad rem, tametsi quoad vim propositionis æqualiter negetur etiam de Filio, & Spiritu sancto. Hanc affirmationis, & negationis de eodem subiecto doctrinam acutè, ac fusè adnotauit Augustinus l. 5. de Trinitate c. 7. per totum, probans, quòd per particulam, *Non*, in omni prædicamento, *id totum negatur, quod sine illa aiebatur.* Hinc etiam docuit S. Thom. 1. d. 4. q. 1. art. 2. ad 3. communiter receptus, *quod istæ, Deus generat, Deus non generat*, opponuntur contradictoriè, quia in re idem valent, quòd Pater generat, Pater non generat. Denique rectè monet S. Thomas hic ad 3. fin. quod si prædictæ propositioni negatiuæ *addatur aliquid pertinens ad personam Filij, vera erit loquutio, vt si dicatur, Deus genitus non generat; Filius est Deus non generans.* Idem si dicatur, Deus spiratus non spirat, nec generat.

Augustin.

S. Thomas.

Contraria argumenta Aureoli, & Durandi.

10. *Aduersarij conclusionis.*

Contra hanc tertiam conclusionem sunt primo Sotus, & alij Thomistæ, quos refert, & multis impugnat Torres hic in 3. part. Commentarij dub. 2. procedentes ex falso fundamento, quòd in ea propositione, Deus supponat pro natura, quæ non generat; non pro persona, quæ generat; sed reliqui omnes admittunt; quòd sicut est concretum personale in affirmatiua, Deus generat; ita quoque in negatiua, Deus non generat. Sunt etiam secundò ex parte Aureolus 1. d. 4. quæst. 1. art. 2. Durandus quæst. 2. num. 12. & sequentibus, Ochamus quæst. 1. litera I. ad 1: Argentina q. vnica art. 3. Ariminensis quæst. vnica post med. Marsilius quæst. 8. art. 3. ad 2. principale, Gabr. quæst. 1. art. 2. conclusione 2. dicentes, quòd hæc, Deus non generat, est vera *secundum naturam terminorum*, vt loquitur Aureolus, seu *quantum est de virtute sermonis*, vt loquitur Durandus; sed non est concedenda, *ex accommodatione vsus loquentium Magistrorum, ne sit occasio erroris in imperitis, ex hoc credentibus, quòd omnino non sit generatio in diuinis*, vt iidem dicunt, præsertim Durandus. ex his Aureolus.

11. *Prima obiectio Aureoli contra S. Thomam.*

Obiicit primò, quia S. Thomas hic ad 3. *videtur sibi repugnare.* Dicit enim, *quòd Deus non supponit pro persona, sed pro essentia. Hæc autem est vera, essentia non generat: ergo & ista, Deus non generat.*

Respondetur explicando verba S. Thomæ.

Respondeo S. Thomæ verba non referri integrè, ac distinctè. Hæc enim sunt. *Hoc nomen Deus per se supponit pro natura communi, sed ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam.* Quibus manifestum est tradi duplicem suppositionem illius nominis; alteram, quam habet extra propositionem; alteram, quam habet in propositione: suppositioni enim, *per se*, opponitur suppositio, *ex adiuncto*: sed suppositio ex adiuncto, est suppositio in propositione. ergo suppositio per se, est suppositio extra propositionem. Quomodo autem Deus per se & extra propositionem supponere dicatur pro natura communi, & supponat etiam pro diuina persona communiter, & indeterminatè, pluribus explicatum est supra n. 3. Nego igitur Aureolo, Maiorem illam esse S. Thomæ, loquendo de suppositione, quam habet Deus in his propositionibus, Deus generat, Deus non generat. Docet enim apertè, quòd ex adiuncto, scilicet in propositione, supponit pro persona, non pro essentia. Quare non sunt æquipollentes, essentia non generat, Deus non generat: & ideo ex eo quod vera sit prima, non sequitur, quod secunda etiam sit vera. Aliter respondet Capreolus 1. d. 4. quæst. 1. art. 2. ad 1. sed responsio data videtur magis congruere proprio sensui verborum S. Thomæ.

Capreolus.

12. *Secunda obiectio eiusdē.*

Obiicit secundò, *Prædicatum affirmatiuum, & negatiuum reducuntur ad idem genus, secundum Augustinum* 5. *de Trinit.* verbis citatis supra n. 9. *Sed generare est aliquid pertinens ad personam: ergo, & non generare, & per consequens determinabit Deum scilicet pro persona, dicendo, Deus non generat.*

Respon

Respondetur argumentum esse contra Authorum.

Respondeo, omissis responsionibus Capreoli, & Caietani minus claris, argumentum euidenter esse contra argentem: quia si per particulam, *Non*, vt bene sumit Aureolus ex doctrina Augustini suprà, *id tantum negatur, quòd sine illa aiebatur*, ergo cum dicitur Deus non generat, negatur generare de persona Patris, quia de hac eadem persona aiebatur generare in contradictoria affirmatiua propositione, Deus generat. Sed Pater non generat, est propositio Ariana: ergo etiam, Deus non generat.

13. *Tertia obiectio eiusdem, & Argentina.*

Obiicit tertiò, *Deus non generat, & omnis Deus generat, sunt contradictoriæ; & per consequens affirmatio, & negatio de eodem, sed dicendo, omnis Deus generat, Deus supponit pro persona: ergo & dicendo. Deus non generat, stabit pro eodem.* Eamdem obiectionem vsurpat Argentina suprà.

Respondetur, Deus generat, omnis Deus generat, esse contrarias, non contradictorias.

Respondeo, posito, quod Aureolus per illud, *omnis Deus*, intelligat omne suppositum, quod est Deus, alioquin, vt contra hoc Aureoli argumentum animaduertit Caietanus hîc ad 3. *Nefas est dicere, omnis Deus, quoniam vnus numero tantum est*, nego cum eodem Caietano illas duas propositiones esse contradictorias; sed esse potius contrarias vniuersales, & ambas falsas, nempe, omne diuinum suppositum generat, nullum diuinum suppositum generat; cui vniuersali negatiuæ, vt probatum est, omnino æquipollet hæc, Deus non generat; quemadmodum quibusdam hominibus currentibus, & aliis non currentibus, falsæ pariter sunt istæ contrariæ vniuersales, omnis homo currit, Nullus homo currit. In hoc igitur sensu, cum dicitur, omnis Deus generat, Deus supponit non pro vna aliqua persona, sed pro omnibus: ergo pro his etiam stabit negatiua, Deus non generat; & ideo hæc erit falsa non minus, quàm illa, hæc enim propositio negatiua, quamuis careat signo vniuersali, *Nullus*, ac proinde secundum formam loquendi videatur indefinita, sicut indefinita est, Deus generat, ex qua ratione propositionis indefinitæ mouentur Ariminensis, & Gabriel supra; tamen, vt sapienter aduertit Capreolus ibidem ad 4. *tantum valet, ac si esset vniuersalis negatiua. Idem enim est dicere, sortes non currit, &, nihil, quod est sortes, currit. Sic in proposito, Deus non generat, &, Nihil quod est Deus generat.* Iam ex Durando

Capreolus.

14. *Quarta obiectio Durandi contra S. Thomam.*

Obiicies quartò. S. Thomas 1. d. 4. quæst. 1. art. 2. ad 3. *Contradicit sibi ipsi. Dicit enim, quòd ea, quæ prædicantur de singulis suppositis, prædicantur de hoc nomine Deus: sed generare prædicatur de Patre, non generare de Filio; ergo non generare, & generare prædicatur de Filio; cuius oppositum postea dicunt.*

Respondetur explicando verba S. Thomæ.

Respondeo, nullam esse contradictionem: quia ex antecedentibus constat, S. Thomam intelligere de prædicari, affirmando, quod est propriè prædicari, hoc est, dici, & affirmari; non de prædicari, negando quomodo de subiecto negatur aliquid potius, quàm prædicatur. Et sensus est, quidquid affirmatur de quauis diuina persona, seu de duabus, seu de omnibus tribus, affirmari potest de Deo prout est concretum personale implicitum, commune, & indistinctum. Sic enim habet. *Hoc nomen, Deus, prædicatur essentialiter de singulis suppositis*, scilicet affirmatiuè, dicendo, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; *& inde habet, quòd ea, quæ prædicantur de singulis suppositis*, scilicet eodem affirmatiuo modo; *prædicantur de ipso.* At verò quando aliquid negatur de vna tantum persona, vt spirare negatur de Spiritu sancto, aut de duabus tantum personis, vt generare negatur de Filio, & Spiritu sancto, non est eadem ratio, vt idem negetur de Deo simpliciter: tunc enim vniuersaliter negaretur de omni eo, quod est Deus; ac proinde falsò de omnibus tribus personis.

15. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò, Hoc nomen, Deus, vt concretum essentiale respectu prædicatorum essentialium non plurificatur, sed vt concretum personale respectu prædicatorum personalium plurificatur. ergo dicendum de hoc secundò genere prædicatorum respectu Dei, *quòd affirmatio, & negatio se habeant subcontrariè, & possint simul verificari dicendo, Deus generat, & Deus non generat*: quemadmodum verificantur istæ similes, Homo currit, homo non currit.

Respondetur distinguendo antecedens.

Respondeo ex dictis, Antecedens esse verum in prædicatis personalibus affirmatiuis: tunc enim Deus sumptus personaliter plurificatur quodammodo, hoc est, modo supponitur pro vna persona, modo pro alia; v.g. Deus generat, supponitur pro Patre tantum: Deus generatur, supponitur pro Filio tantum: Deus spiratur, supponitur pro Spiritu sancto tantum: Deus spirat, supponitur pro Patre, & Filio, non pro Spiritu sancto. Falsum verò esse in quolibet prædicato negatiuo, quod ita Deum afficit ex propria sermonis vi, vt vniuersaliter distribuat pro quacumque diuina persona. Quapropter istæ, Deus generat, Deus non generat, non sunt subcontrariæ, sed potius contradictoriæ, quarum necessariò altera est vera, altera falsa. Et idem dicendum de similibus, quamuis enim subcontrariæ sint, Aliquis homo currit, Aliquis homo non currit, tamen non subcontrariæ, sed contradictoriæ sunt, Homo currit, Homo non currit. Similiter dici potest, quoddam diuinum suppositum generat, quoddam non generari, sed dici simpliciter non potest, diuinum suppositum, seu quòd idem est, Deus, vt nomen concretum personale, non generat.

16. *Sexta ratio Durandi.*

Obiicies sextò. *Vbi in vno supposito sunt plures naturæ de illo supposito possunt verificari contradictoria ratione alicuius, & alterius naturæ vt patet in Christo. ergo vbi in vna natura sunt pluræ suppositæ, de termino significante naturam in concreto, possunt contradictoria verificari ratione alterius, & alterius suppositi; vt hæc, Deus generat, Deus non generat.*

Respondetur, de Christo ob duas naturas non posse idè affirmari, & negari.

Respondeo, negando antecedens, ex cuius falsitate probatur potius falsitas consequentis, iuxta præsentem conclusionem; supponendum enim hoc loco est, quòd ex instituto cum communi sententia probaui in 3. parte quæst. 16. de communicatione idiomatum, ex eodem fundamento, posse quidem de Christo Domino affirmari diuersa prædicata, etiam inter se contraria, & verificari ratione diuersarum naturarum, vt quod sit, v.g. increatus, inuisibilis, impassibilis, quia est Deus; & quod sit creatus, visibilis, passibilis, quia est homo; non tamen vnum, atque idem prædicatum, quod verè de illo affirmatur ratione vnius naturæ posse verè negari ratione alterius naturæ; v.g. quia verè affirmando dicitur, Christus est passus, est passibilis; non potest verè dici negando, Christus non est passus, non est passibilis. Similiter in casu nostro dicitur, Deus est genitus, Deus est ingenitus, seu non genitus; item, Deus est spiratus, Deus est inspiratus, seu non spiratus; tamen non dicitur, Deus est genitus, spiratus; &, Deus non est genitus, non est spiratus; sicut de homine verè dicitur, est corporeus, est spiritualis, siue est immaterialis, est non corporeus, non materialis: sed falsò, dicitur, non est corporeus, non est spiritualis, non est immaterialis. Plurimum enim interest particulam, *Non*, ponere ante, vel post copulam, *est*; si enim ponitur post, habet rationem puri prædicati, quod licèt in se sit negatiuum; tamen non negatur, sed affirmatur de subiecto, & ideo subit naturam prædicatorum positiuorum, quæ affirmantur de subiecto, & pertinet ad propositionem affirmatiuam, quæ non habet vim vniuersaliter distribuendi subiectum in omnes sui partes: si verò ponitur ante

Particula, Non, ante, vel post copulam, est.

ante, non habet rationem prædicati, sed immediatè, & simpliciter cadens supra copulam, habet vim tollendi simpliciter, & indiuisibiliter, ac proinde vniuersaliter copulam, siue vnionem prædicati cum subiecto, etiam illam, quam copula ex se affirmabat. ergo non potest per copulam verè affirmari aliquod prædicatum, & illud idem verè negari simpliciter per negationem copulæ; esset enim hæc verissima contradictio. Quod rectè inter alios obseruauit noster Ruiz de Trinitate disput. 79. sect. 3. num. 12.

Nihil generare potest se ipsum ex Augustino.

Falsò dici, Deus genuit se Deum, vel eumdem Deum.

17. *Deus non genuit se Deū.*

Quarta conclusio in responsione ad 4. *hæc est falsa, Pater genuit se Deum*: siue, quod idem est, Deus genuit se Deum, quia in hac propositione illud *Deus*, necessariò debet supponere pro sola persona Patris. Ita omnes, nemine excepto. Vnica, & optima falsitatis ratio breuissimè traditur à S. Thoma, *quia ly, se, cum sit reciprocum, refert idem suppositum.* Cum enim agitur de veritate, aut falsitate similium propositionum, in quibus tam subiectum, quàm prædicatum est Deus, diligenter obseruanda est communis regula tradita à Bonauentura 1. d. 4. art. 1. quæst. 2. post med. corp. quòd, quia inter diuinas personas non est omnimoda distinctio, neque omnimoda vnio, sed est distinctio in personalitatibus, vnio in essentia, ideo prædictæ propositiones de Deo, *non recipiunt nomina importantia simpliciter distinctionem, aut omnimodam vnionem in supposito, & forma; sed illa tantum vocabula recipiunt, quæ medio modo se habent*, hoc est, ita important distinctionem in personis, vt non excludant vnionem in essentia; & è contrario, ita important vnionem in essentia, vt non excludant distinctionem in personis. *Vnde*, inquit Bonauentura, *hæc non recipitur, Deus genuit se*; quia importatur vnio non solum in natura per illud, *genuit*, cum generatio sit processio in similitudinem naturæ, sed etiam in supposito per illud, *se*, quod propriè refert verbum ad subiectum, seu suppositum. Falsum autem omninò est, idem generare se ipsum. Quod vniuersalissimè implicare docuit Augustinus l. 1. de Trinit. cap. 1. multò post principium, illis verbis, *Qui putat eius esse potentiæ Deum, vt se ipsum ipse genuerit, eo plus erat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritalis, nec corporalis creatura. Nulla enim omninò res est, quæ se ipsam gignat, vt sit.*

Regula S. Bonauenturæ.

Ratio S. Thomæ.

Deus non genuit eumdem Deum, ex S. Thoma, & aliis contra Scotum, & Vasquez.

18. Idem iudicium ob eamdem rationem ferendum est de hac alia simillima propositione, Deus genuit eumdem Deum, vt docent S. Thomas 1. d. 4. quæst. 1. art. 3. ad 3. Albertus p. p. summæ q. 51. ad primam quæstionem incidentem, Durandus 1. d. 4. q. 2. n. 16. & multi alij contra Scotum 1. d. 4. q. 1. ad 1, & Scotistas, quos sequutus est noster Vasquez hic disp. 157. c. 7. n. 36. Si enim hæc est falsa, Deus genuit se Deum, ex eo quòd, vt benè ait Scotus, *pronomen reciprocum denotat actum terminari ad idem suppositum, à quo procedit ille actus, aliter non esset reciprocum*; ita erit falsa hæc, Deus genuit eumdem Deum, quia illud, *eumdem*, est relatiuum, & non minus, quam illud, *se*, refert Deum, qui prædicatur ad Deum, qui subiicitur in propositione; quod si cum Scoto hanc secundam propositionem ita exponens, *Deus Pater genuit eumdem Deum, quia Filium, qui est idem Deus*, ita pariter exponi posset prima, quam negat, Deus Pater genuit se Deum, quia genuit Filium, qui est ipsemet Deus, qui est Pater. ergo si hæc secunda expositio est potius iuxta rectum loquentis mentem, quàm iuxta sensum, quem propositionis verba per se pro-

Expositio Scoti reijcitur.

priè important, ita etiam erit prima expositio Scoti. Neque vrget eius motiuum, quo Vasquez etiam vtitur, sumptum ex Aristotele 10. metaph. tract. 12. *Quia idem, & diuersum immediatè, diuidunt quodlibet ens.* Sed Deus Pater non genuit Deum diuersum, siue alium Deum, vt mox probabo; ergo genuit eumdem Deum. Maior enim Philosophi vera est, si duo termini, qui inter se comparantur per idem, & diuersum, accipiantur, vt acutè distinguit Durandus supra, *vno modo, & vniformiter*, v.g. Deus generans, & Deus genitus, si considerentur in ratione Deitatis, sunt vnus, & idem Deus; si in ratione suppositi, sunt duo suppositi realiter distincta, alterum generans, alterum genitum. At vero eum dicitur, Deus genuit eumdem Deum, illud, *eumdem*, vt ait S. Thomas in illa responsione ad 3. *significat vnitatem in substantia, & præter hoc, quia relatiuum est, & habet articulationem implicitam*, hoc est, dicens, Deus genuit eumdem Deum, implicitè dicit, genuit hunc ipsum eumdem Deum generantem, importat vnitatem suppositi; & ideo quia refert simul, & identitatem essentiæ, & identitatem suppositi, propositio, vt distinctè loquitur Durandus supra, *falsificatur pro altera parte, scilicet pro persona, cuius notat identitatem*, non autem pro essentia, quæ verè est vna, & eadem. Quemadmodum à contrario, est etiam falsa hæc, Deus genuit alium Deum, quia, inquit, Durandus, *falsificatur pro altera parte, scilicet pro essentia, cuius notat diuersitatem*; non autem pro persona genita, quæ verè est alia, & diuersa. Atque hanc ob causam S. Thomas 1. d. 4. quæst. 1. art. 3. ad 1. dicit, *quòd idem, & diuersum sufficienter diuidunt ens creatum, propter hoc, quòd vbicumque in creaturis est diuersitas suppositorum, est diuersitas essentiæ; sed in Deo in diuersis suppositis est vna essentia. Et ideo nec identitas competit propter diuersitatem suppositorum, nec diuersitas propter identitatem essentiæ.* Non negat simpliciter reperiri in diuinis idem, & diuersum, si termini diuini præcisè considerentur: quoniam diuinæ personæ, etiam si formaliter, & præcisè considerentur inter se vt personæ, sunt diuersæ, non idem; si vero vt Deus, habent identitatem, non diuersitatem; verùm si spectentur prout in re ipsa simpliciter, sunt, vnaquæque persona, tametsi in se simplicissima, non habet diuersitatem sine identitate, nec identitatem sine diuersitate. In quo manifestè differunt ab omnibus rebus creatis; & consistit radix falsitatis vtriusque propositionis, & importantis identitatem in persona, & diuersitatem in natura.

Soluitur motiuum oppositum ex Aristotele.

Quomodo idem, & diuersum reperiatur in diuinis.

S. Thomas.

Deus non genuit alium Deū, ex Durando.

Falsò dici, Deus genuit alium Deum.

19. Quinta conclusio in eadem responsione ad quartum, Hæc est falsa, Pater, seu Deus genuit alium Deum. Ita etiam sentiunt reliqui omnes, & veteres, & recentiores: quia, vt efficacitèr probat S. Thomas, *licet Filius sit alius à Patre, vt supra dictum est*, nempè quæst. 31. art. 2. vbi nos à num. 1. ad 5. *non tamen est dicendum, quod sit alius Deus, quia intelligeretur, quòd hoc adiectiuum, alius, poneret rem suam*, hoc est, alietatem, & distinctionem, quam ex se significat, *circa substantiuum, quod est Deus, & sic significaretur distinctio Deitatis.* Refert deinde quosdam, inter quos reperio Albertum p. p. summæ q. 51. ad primam quæstionem incidentem, quem non omninò reiicit Bonauentura 1. d. 4. art. vnico quæst. 2. initio corpor. dicentes, prædictam propositionem posse concedi, si ly *Alius, sit substantiuum*; *& ly, Deus, appositiue construatur cum eo*: hoc est, inquiunt, Albertus, & Bonauentura, *vt sit sensus, Deus genuit alium*; *qui est Deus.* Verum prudenter confutat S. Thomas subiungens,

Ratio S. Thomæ.

Expositio Alberti, & Bonauenturæ reiicitur.

sed hic est improprius modus loquendi, & euitandus, ne detur occasio erroris. Quomodo autem Deus verè genuerit Deum, & non genuerit se Deum, nec eumdem, & tamen ex his non sequatur, quod genuerit alium Deum, patet ex dictis numero præcedente. Cum enim simpliciter dico, Deus genuit Deum, ex illo adiuncto, *genuit*, quia generatio est suppositorum, Deus stat pro supposito; ex aliis verò adiunctis ad Deum, *se, eumdem, alium*, determinatur Deus, vt stet etiam pro natura Deitatis. Nulla autem prædictarum trium propositionum verificari potest de supposito simul, & de natura. Qua autem ratione contra hanc conclusionem non sit illud Ioann. 4. *Alium paracletum dabit vobis*; sufficienter expositum est supra quæst. 31. art. 2. num. 4. sed præterea S. Thomas in eadem responsione ad 4.

20. *Prima obiectio.* Obiicit sibi Augustinum epist. 66. ad maximum medicum, ante med. *Pater, vt haberet Filium de se ipso, non minuit se ipsum, sed ita genuit de se alterum se, vt totus maneret in se.* & circa medium, *Pater genuit quod est ipse.*

Respondetur Augustinum non contrariari, cum dicit, Deus genuit alterum se. Respondet S. Thomas, quòd illud, *Alterum se*, potest dupliciter accipi, primò, *vt ly se, sit casus ablatiui, vt sit sensus, genuit alterum à se.* Secundò, retinendo casum accusatiui, quem manifestè petunt verba, & contextus, dicit, quod, ly, se *facit relationem simplicem, & sic refert identitatem naturæ*, hoc est, non refert suppositum, & naturam genitiad Patrem generantem, sed refert naturam tantum; de qua secunda expositione subdit, *sed est impropria, vel emphatica loquutio:* qua scilicet illud significatur, quod non dicitur, *vt sit sensus, genuit alterum simillimum sibi.* & quidem plus habet de emphatica, quàm de impropria loquutione. Cum enim non dicat, genuit alterum Deum, neque se Deum, sed vtrumque coniungens, dicat, *alterum se*, satis apertè indicat in Filio genito, & distinctionem suppositi per illud, *alterum*, & identitatem naturæ per illud, *se*, vbi nulla apparet loquutionis improprietas; sicut si Rex mitteret Proregem cum eadem omninò potestate, quam ipse habet, propriè diceret, mittere alterum se, hoc est, distinctam personam, cum eadem regia potestate, quæ in se est. Ita etiam propriè dixit Augustinus, Pater genuit alterum se; vel, id, quod est ipse; hoc est, distinctam personam cum eadem natura, quam in se ipse habet. Eumdem loquendi modum ante Augustinum vsurpauerat Nazianzenus tractatu de fide aliquantò post med. nam enumeratis multis Filij Dei nominibus, subiunxit, *Hæc est Filius Dei, eo quòd Pater est alius idem:* hoc est, alia persona, idem Deus; & post multa iterum ipsemet se clariùs explicat, *Hoc est, quod Græci Homousion appellant, id est, aliunipsum, vt audienti a nominum, personæ fierent, non vt substantiam vocabula separarent.* Refertur etiam Ambrosius libro vnico de Filij diuinitate c.6. in med. quærere, *Quid est Filius?* & similiter, respondere, *de eo, quod Pater est alius idem.* Verum enim verò primis illis, & sapientissimis Theologiæ Magistris licitum fuerit, ita loqui; Scholasticis certè cautiùs, & castigatiùs loquendum videtur.

Nazianzen. Ambrosius.

21. *Secunda obiectio.* Obiici potest secundò, Deus generans distinguitur à Deo genito. ergo Deus Pater genuit Deum distinctum: ergo alium Deum.

Respondetur negando consequentiam. Deus non distinguitur à Deo, sed Deus generans distinguitur à Deo genito. Respondeo, concesso Antecedente simpliciter, vt iacet, nego consequentias, quia in illis mutantur termini antecedentis, in quo non dicitur, Deus distinguitur à Deo. Nam, vt testatur Bonauentura 1. d.4. art. vnico q.2. non longè à fine corp. *hæc non admittitur, Deus distinguitur à Deo.* Quæ etiam deinde non est admissa ab Henrico in summa art. 59. q. 3. ad 5. initio, Scoto 1. d. 4. q. 1. ad 2. Ochamo q. 1. ad 2. Riccardo art. vnico q. 1. ad 1. & aliis. Sed dicitur, Deus generans distinguitur à Deo genito. Quarum propositionum differentiam, omnium clarissimè probauit Riccardus; quia, inquit, *per verbum distinguendi importatur distinctio tantum:* ergo si hoc verbum tribuatur Deo simpliciter, & absque vllo alio restringente, quomodo, vt rectè scribit Henricus supra, *ly, Deus primo & principaliter supponit pro essentia*, nimirum Deitate, quam distinctè, & explicitè manifestat, significabitur propriè, & principaliter distinctio in Deitate. At vero cum in alia propositione restringitur Deus per illud, *generans*, & per illud, *genitus*, Deus supponitur principaliter pro persona, non pro natura; *quia*, inquit Riccardus, *in verbo generandi in diuinis notatur cum distinctione genitoris & geniti, essentiæ vnitas in vtroque*, & ideo verbum distinguendi cadens supra Deum, non simpliciter, sed generantem, & genitum, significat verè, ac propriè determinatam distinctionem in persona, non in essentia, ex hoc igitur antecedente, quod expressè admittit Riccardus in fine, *Deus generans, distinguitur à Deo genito*, malè deducitur, ergo Deus Pater, seu generans, genuit Deum distinctum, quia in antecedente, distinctio cadit supra Deum genitum; in consequente autem supra Deum simpliciter: & ita mutata suppositione terminorum nulla est consequentia.

Riccardus. Henricus.

22. *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò, quod sibi obiiciunt Bonauentura 1. d. 4. art. vnico quæst. 2. argumento penultimo, Scotus quæst. 1. arg. 3. Riccardus art. vnico quæst. 2. argumento 1. *Pater, sine Deus genuit alium; hæc est vera*, inquit Bonauentura; ergo vel genuit alium Deum, vel alium non Deum: hæc enim sunt contradictoria, & ideo alterutrum necessario dandum. Sed constat, quòd non genuit alium non Deum, quia genuit Filium, qui est Deus. ergo genuit alium Deum.

Respondetur Deū nec genuisse alium Deum, nec alium non Deum. Respondent primò aliqui recentiores, negando primum antecedens; quia etsi prædices simpliciter alium, tamen, cum subiectum propositionis sit Deus, vel Pater, videris ex tali coniunctione tacitè significare, quòd genuit alium Deum, vel alium Patrem. Sed huiusmodi interpretatio non videtur necessaria: alioqui inter homines generantes non liceret dicere, verbi gratia, Petrus genuit alium, nimirum aliam personam à se distinctam. melius igitur Bonauentura, Scotus, Riccardus primam illam propositionem non negant, sed eam supponentes, vt veram negant primam consequentiam; & ad probationem dicunt, hæc non esse contradictoria, Genuit alium Deum, Genuit alium non Deum. Inter hæc enim datur hoc tertium medium à Riccardo his verbis optimè explicatum, *Genuit alium in persona, qui est idem Deus cum generante.* Si igitur spectemus contradictionem totius propositionis, inquit acutè Scotus, *contradictoria huius, genuit alium Deum, non est hæc, Deus genuit alium non Deum, sed est ista, Deus non genuit alium Deum.* & ideo, quia hæc est vera, illa est falsa. Si verò spectemus contradictionem solius prædicati propositionis; similiter dico cum Bonauentura, & Scoto, non esse contradictoria, Alium Deum, Alium non Deum, sicut nec sunt contradictoria, inquit Bonauentura, *Albus Monachus, albus non Monachus.* Nec secundum Scotum, *lignum album, lignum non album:* & ideò per Bonauenturam, *non valet, demonstrato Monacho nigro, qui est albus per naturam, iste, aut est albus Monachus, aut albus non Monachus. quia vtraque falsa*; est enim albus, & simul Monachus, & secundum Scotum, *non sequitur, lapis non est lignum album. ergo lapis est lignum non album, quia*

Riccardus. Scotus. *Alius Deus, alius non Deus, non sunt cōtradictoria.*

quia affirmatur lignum in secunda, quod non affirmabatur in prima. Dices saltem sunt contradictoria. Alius Deus, non alius Deus; quia sic negatio non cadit supra partem compositi, vt cum dicitur Alius Deus, Alius non Deus, sed cadit supra idem totum compositum affirmatum, vt postulat lex veræ contradictionis. ergo saltem, si est falsa, Deus genuit alium Deum, erit vera, Deus genuit non alium Deum. Respondetur, neque hoc sequi; quia generare non alium Deum, est generare eumdem Deum, contra dicta in num. 18. Nego igitur illas propositiones esse contradictorias, cum vtraque sit affirmatiua prædicans generationem positiuam de Deo Patris, quæ generatio neque determinatur ad alium Deum, neque determinatur ad non alium Deum, siue ad eumdem Deum; sed terminatur ad aliam personam genitam, quæ est idem Deus cum Patre generante: qui est tertius quidam sensus affirmatiuus traditus à Riccardo suprà. Sicut ambæ falsæ, & consequenter non contradictoriæ sunt, v.g. mulus generat mulum, mulus generat non mulum; nihil enim generat. Sic etiam de cæco nihil videnti, semper est falsum, Videt cœlum, videt non cœlum.

Deus non genuit non aliū Deum.

Falsò dici, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater.

23. Sexta conclusio in responsione ad 5. *Hæc est falsa, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater; & negatiua est vera, Genuit Deum, qui non est Deus Pater.* In falsitate affirmatiuæ omnes concordant cum Magistro 1. sent. d. 4. §. 2. & ratio est manifesta, quia inquit S. Thomas, *Cum ly, Pater appositiuè construatur cum ly Deus, restringit ipsum*, nempè Deum *ad standum pro persona Patris, vt sit sensus, genuit Deum, qui est ipse Pater; & sic Pater esset genitus, quod est falsum.* Atque hinc probatur etiam veritas negatiuæ. Illud enim, *genuit Deum*, intelligitur de Deo Filio, qui solus in diuinis genitus est. Deus autem Filius verè non est Deus Pater, cum sint duæ personæ inter se realiter distinctæ; licet sint vnus, & idem Deus. In qua etiam secunda parte omnes concordant, vno excepto Præpositiuo; qui, vt refert S. Thomas, voluit falsam esse non solum affirmatiuam, sed etiam negatiuam, ex eo, quòd in negatiua per illud, *qui non est Deus Pater*, esse Deum Patrem, non tantum remouetur à persona Filij, sed etiam à Diuinitate eius. Hoc autem S. Thomas meritò vocat *irrationabile, cum secundum Philosophum de eodem, de quo est affirmatio, possit esse negatio.* Si enim cum de Filio affirmatur, *est Deus Pater*, falsum dicitur, quia esse Patrem tribuitur toti supposito Filij, & non soli Deitati illius suppositi, quæ verè est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; cur, cum negatur, *Non est Deus Pater*, esse Deum Patrem non negabitur pariter de eodem toto supposito Filij, sed de sola eius Deitate.

Ratio S. Thomæ. *Deus genuit Deum, qui non est Deus Pater.* *Contra Præpositiuum.*

24. *Distinctio Magistri.* Magister vero docet, negatiuam, nempe, *genuit Deum, qui non est Deus Pater*, dupliciter posse intelligi. Primò, *genuit Deum Filium qui Filius non est Pater, qui Deus est*; & hunc sensum esse verum. Secundò, *Genuit Deum, qui non est Deus, qui Pater est.* Et hunc esse sensum falsum, & contrarium affirmatiuum esse verum, nempè, genuit Deum, qui est Deus, qui est Pater; quia, vt subiungit Magister, *vnus & idem Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; & è diuerso, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus est Deus.* Hanc Magistri distinctionem recipiunt Alensis p.p. summæ q. 50. memb. 3. art. 2. §. 4. vbi tradit multos alios sensus, qui apud ipsum videri possunt; quia inutiliter multiplicantur, & virtute continentur in duobus sensibus prædictis. Albertus p.p. summæ q. 51. ad quæstionem 1. incidentem ante fin. Marsilius 1. sent.

Alensis. Albertus. Marsilius.

q. 8. art. 3. ad vltimum, & alij. Sed S. Thom. hîc ad 5. de ea meritò dixit. *Hæc est extorta expositio*, quia cum in illa negatiua propositione dicitur de Filio genito, *Qui non est Deus Pater*, est manifestè, vt loquitur S. Thomas, *constructio appositiua*; hoc est, non sumitur Deus per se, sed apponitur illi Pater, vt intelligatur illud, *Deus*, cui apponitur restringi, ac determinari ad exponendum pro persona Patris. Secūdus autem Magistri sensus sumit illud, Deus, per se; ac si illud esset vltimum prædicatum vnius integræ propositionis, & deinde propter vnicam illam dictionem, *Pater*, interponit violenter aliam integram distinctam propositionem, dicendo, *Deus est Pater.* Quā exponendi violentiā perpendens Henricus in summa art. 54. q. 3. ad 3. litera X. ante med. ait, *Magister non debuit dicere*, &c. quia, inquit, *idem est dicere, Genuit Deum, qui non est Pater; & Genuit Deum qui non est Deus Pater; hoc enim non refert.* Sed excusat Magistrum, quòd nunquam ita distinxisset, *nisi feciſſet calumnia, & extorsio hæreticorum*; quos ipsemet Magister initio citati §. 2. vocat *garrulos ratiocinatores, dicentes, Si Deus Pater genuit Deum, qui non est Deus Pater: ergo Deus est, qui non est Deus Pater. Non ergo vnus tantum Deus est.* Cuius consequentiæ nullitas absque alia distinctione facillimè demonstrari potest; quia in consequente, Deus supponit alio modo, quàm in antecedente. Cum enim dicimus, Pater genuit Deum, ex illo adiuncto, *genuit*, manifestum est, illud, *Deum*, non supponi pro communi concreto Deitatis, sed pro concreto personali determinato, nempè genito, quod non est nisi Deus Filius. ergo cum eidem propositioni immediatè post additur, *Qui non est Pater*, illud, *qui*, refert ad Deum, non quomodolibet, sed ad Deum genitum, & Filium. At in primo consequente variatur ista suppositio, cum dicitur, *Ergo Deus est, qui non est Pater*; vbi Deus supponitur alio modo, nimirum essentialiter, non personaliter. Solum, retinendo eamdem suppositionem iuxta regulas Logicas, in bona, & catholica consequentia sequitur, ergo Deus genitus, seu Deus Filius, non est Deus Pater.

Reiicitur à S. Thoma, *& ab Henrico.* *Soluitur obiectio hæreticorum.*

DVBITATIO III.

An hæc sit vera, Hic Deus est hic Deus.

SVMMA.

1. *Ratio dubitationis, num. 25.*
2. *Prima conclusio affirmatiua in triplici sensu, n. 26.*
3. *Secunda conclusio negatiua in alio sensu, n. 27.*
4. *Tertia conclusio affirmatiua ex natura terminorum, num. 28.*
5. *Quarta conclusio, Hic Deus, demonstrato Patre, non est hic Deus, demonstrato Filio, n. 29. ad 35.*
6. *Soluuntur oppositæ rationes, n. 35. ad finem articuli.*

25. *Ratio quæstionis.* EX vetеribus Theologis nullum inuenio, qui huiusmodi controuersiam excitauerit; ea tamē fuit adeò celebris, & grauis inter recentiores tempore Bartholomæi Torres Episcopi Canariēsis, vt in tertia parte commentarij in hunc articulum dub. 3. initio de illa scripserit, *Hoc sanè dubium grauius est præcedentibus.* Et fortasse ne aliquam partem, aut negantem, aut affirmantem viuentium Theologorum sui temporis offenderet, potius quàm ob ipsius rei difficultatem, cautè, & modestè subiungit, *In hac quæstione non censoris, sed narratoris potius munus sustinendum nobis est: & eligendam eam partem dabimus pro arbitrio, quæ tibi verior apparuerit.* Equidem hac facultate humiliter accepta aperiam liberè quid sentiam, præsertim hoc tempore, quo talis controuersiæ ardor videtur propemodum extinctus.

26. *Prima conclusio affirmativa in triplici sensu.*

Prima conclusio, si, *Hic Deus*, tã in subiecto, quàm in prædicato, accipiatur pro indiuiduo Deitatis, quo modo sumi posse pro essentia præcisa ab omni persona, docet S. Thomas infrà q. 39. art. 8. fin. propositio est verissima, quia identica; si verò in subiecto accipiatur pro indiuiduo Deitatis, in prædicato pro supposito diuino in communi, siue indistinctè, vel si contra, in subiecto accipiatur pro supposito, in prædicato pro indiuiduo, adhuc proculdubio vera est, quia verè vnus, atque idem numero Deus est diuinum suppositum, imò Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & quodlibet diuinum suppositum, imò ipsamet tota sanctissima Trinitas est vnus Deus.

27. *Secunda conclusio negativa in alio sensu.*

Secunda conclusio, si, *Hic Deus*, in subiecto supponatur pro vna persona, v.g. Patre, & in prædicato supponatur pro alia persona, v.g. Filio, absque vllo dubio existimo falsam esse propositionem. Nemo enim, nisi fuerit hæreticus Sabellianus, dicere potest, Pater est Filius, vel Spiritus sanctus, &c. quæ conclusio commodiùs examinabitur in quarta conclusione de veritate contradictoriæ illius.

28. *Tertia conclusio affirmativa, ex natura terminorum.*

Tertia conclusio, si illud, *Hic Deus*, consideretur per se, secundum propriam vocis significationem, tam potest sumi, vt demonstret determinatum individuum naturæ diuinæ, ab omni prorsus personalitate præcisum, quod vnicum est, quàm vt ex tribus diuinæ naturæ suppositis demonstret vnum aliquod determinatum suppositum: vt satis constat ex dictis, & probatis suprà num. 2. & 3. Quare iisdem terminis per se consideratis, & non in ordine ad demonstrantem, prædicta propositio semper est identica, & non potest, *Hic Deus*, quantum est ex se, & ex propria natura, seu vi vocis, aliter sumi in subiecto, aliter in prædicato; in quo Molina, Vazquez. sensu intelligo Molinam hic disp. 1. paulò post principium, & Vazquez disp. 156. cap. 4. aliquantò post principium, dicentes, quòd *Hic Deus*, non potest demonstrare duas personas, vnam à parte subiecti; aliam à parte prædicati. Et sub hac consideratione, semper est vera affirmativa, Hic Deus est hic Deus; & semper falsa negativa, Hic Deus non est hic Deus. Vbi nullam video dubitandi rationem in contrarium. Quoniam verò, *Hic Deus*, vt patet, est terminus quidam demonstratiuus, dicit ordinem ad demonstrantem. Igitur quamuis terminus secundum se non demonstret hoc potius quàm illud, sed indifferens sit ad plura demonstranda, sicut sic homo demonstrare potest, Petrum, Paulum, & quemlibet alium singularem hominem; tamen potest per ordinem ad demonstrantem, & per liberam demonstrantis designationem supponi pro quauis persona; sicut Baruch 3. illis verbis, *Hic est Deus noster*, demonstratur persona Filij, vt notaui suprà quæst. 27. art. 1. num. 34. fin. eodemque modo demonstrari possunt aliæ personæ, & de illis formari propositiones. Solum igitur videndum remanet, quod aliquam habet difficultatem, & est vel vnicus, vel præcipuus punctus totius controuersiæ, An demonstrata vna persona, v. g. *Patre*, ex parte subiecti & demonstrata alia persona, v. g. *Filio*, ex parte prædicati, sicut hæc affirmatiua, est falsa, Hic Deus est hic Deus, vt constat ex secunda conclusione, ita è contrario, sit vera negatiua, Hic Deus non est hic Deus. Pro quo sit

29. *Quarta conclusio, Hic Deus, demonstrato Patre, non est hic*

Quarta conclusio, Hæc est vera, Hic Deus non est hic Deus; sub nomine, *Hic Deus*, intelligendo in subiecto Patrem, in prædicato Filium. In hanc sententiam omnino inclinat Torres, vt patet legenti totum dubium; tametsi propter grauissima scandala illius temporis, & loci, non audeat expressè rem definire; eamdem apertè sequuntur Molina, & Vazquez suprà, contra hanc conclusionem duo genera aduersariorum inuenio. Primò quosdam cohærenter errantes, quos primo loco refert Torres contra hanc conclusionem, & sequutus est Zumel hic disp. 2. dub. 3. cui multum fauet Arrubal disp. 137. num. 10. & 11. probantes, hanc negatiuam, *Hic Deus non est hic Deus*, ita esse falsam, & introducere cum idololatris pluritatem Deorum contra Scripturas, & illud Symboli, *Credo in vnum Deum*, vt vera sit contraria affirmatiua contra secundam conclusionem, *Hic Deus est hic Deus*. Secundò alios minus cohærentes, tametsi minus aberrantes, qui volunt, & affirmatiuam in secunda conclusione, & negatiuam in hac quarta conclusione esse falsam; contra quos breuiter arguo; quia, Hic Deus est hic Deus, Hic Deus non est hic Deus, sunt propositiones contradictoriæ in omni rigore Logico, cum in vtraque supponantur termini eodem prorsus modo, & negatio cadat non supra prædicatum, vt suprà num. 22. sed supra ipsam affirmationem formaliter, seu copulam *est*: vnde prima est affirmatiua, secunda negatiua de iisdem terminis eodem modo supponentibus. ergo vtraque simul vera, aut simul falsa esse nequit, sed necessariò esse debet altera falsa, altera vera.

Deus, demonstrato Filio.

Prima opinio contraria.

Secunda opinio cõtraria.

Hic Deus est hic Deus, Hic Deus non est hic Deus, esse propositiones contradictorias.

30. Respondent, non esse verè contradictorias; quia *Hic Deus* est terminus, non omnino, completéque singularis, cum sit tres personæ realiter distinctæ. Vnde oritur, inquiunt, vt vitientur plurimi syllogismi expositorij de hoc mysterio; vt, Hic Deus est Pater, Hic Deus est Filius; ergo Pater est Filius. Cõfirmant primò, quia dicens de Patre, non est hic Deus, qui demonstratur esse Filius, significat quòd Pater omnino, totalitérque non sit id, quod est Filius, ac proinde non sit Deus; quia negatio, vt dicunt, vim habet destruendi totum, quod inuenit post se. Secundò quia, si hic Deus non est hic Deus, erit igitur vnus Deus, & alter Deus, qui non est ille primus Deus. Verum non videntur satisfacere, primò, ex eo quòd hic Deus sit tres personæ, non rectè dicitur terminus non omnino, completéque singularis; alioquin Hic Deus esset aliquo modo pluralis, & multiplex; & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non essent vnus, & idem hic Deus, omnino, & completè singularis: quæ loquutio non videtur vsurpanda, quia personæ nullo modo pluralis, & multiplex; & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non essent vnus, & idem hic Deus, omnino, & completè singularis: quæ loquutio non videtur vsurpanda, quia personæ nullo modo pluralificant, sed tantum terminant omnimodam & completam singularitatem vnius Dei. Secundò esto in bono sensu, hic Deus dicatur terminus non omnino completéque singularis; hoc tamen nihil refert ad tollendam contradictionem obiectam, quia controuersia non est de termino, *Hic Deus*, prout supponit pro tribus personis, quasi singularibus; sed solum prout in vtraque propositione semper determinatè, & omnino singulariter, seu personaliter supponit in subiecto pro solo Patre, & in Prædicato pro solo Filio. Ergo non est ad rem confugere ad aliam suppositionem, & ad syllogismos expositorios, in quibus hic Deus sumitur, vt medius terminus, & tamen sine vlla distributione, ac determinata suppositione, sed pro vna persona supponitur in maiore, & pro alia persona supponitur in minore; quæ vitia non reperiuntur in duabus propositionibus, de quibus disputamus. Tertiò falsum planè est, quod negans de Patre hunc Deum, demonstrato Filio, neget de Patre, quidquid est in Filio, scilicet & personam, & naturam: sic enim falsò etiam diceretur, Pater non est Filius, quæ tamen est catholica propositio; quia non negat Patrem esse Deum, qui est Filius, sed negat tantum

Soluntur contraria argumenta.

tantum esse personam Filij: sic etiam in rebus creatis, demonstrato Petro, & Paulo, non verè diceretur, Hic homo non est hic homo: quamuis enim differant non solum in supposito, vt Pater, & Filius in diuinis, sed etiam in natura singulari, quo modo non differunt personæ diuinæ, tamen non differunt specificè in natura specifica. ergo falsò sumitur, quòd negatio prædicati de aliquo subiecto, vim habet, destruendi totum, quod est in prædicato; satis enim est, quòd destruat, & tollat à subiecto totum illud, quod primò, & principaliter importatur nomine prædicati, v.g. cum dicitur, Homo non est equus, negatur de homine esse equum, non tamen esse animal, tametsi equus sit animal. Regula Logica est, vt scripsi suprà num. 8. quòd particula, *Non*, neget prædicatum de subiecto vniuersaliter, vniuersalitate tenente se ex parte subiecti; non autem quòd neget de subiecto prædicatum vniuersaliter vniuersalitate tenente se ex parte prædicati. Aliter nulla prorsus fingi posset negatiua propositio contradictoriè opposita alicui affirmatiuæ, quia semper in prædicato negatiuæ, est aliqua entis ratio communis cum subiecto. Et in particulari illæ, de quibus suprà num. 7. 8. & 9. Deus generet Deum, Deus non generat Deum, non essent contradictoriæ, & consequenter cum affirmatiua sit vera, posset etiam esse vera negatiua: sicut à contrario dicuntur ambæ falsæ istæ, Hic Deus, est hic Deus, Hic Deus non est hic Deus. Neque quidquam vrget secunda confirmatio de pluribus Diis, quam infrà soluam obiectam à primis aduersariis: nunc satis sit ad hominem respondere, quòd sicut in hac affirmatiua, Hic Deus, est hic Deus, quæ etiam dicitur falsa, non affirmatur idem Deus de eodem Deo, sic enim propositio esset verissima; sed affirmatur vna persona diuina de alia diuina persona, quæ est falsitas Sabelliana: ita in hac negatiua, Hic Deus non est hic Deus, non negatur vnus distinctus Deus de alio distincto Deo, quæ est idololatria, sed tantum vna diuina persona de alia negatur, quæ fides est catholica.

Regula Logica de particula, Non.

31. *Probatur secunda, & quarta conclusio, primò.*

Contra alios dicentes negatiuam falsam, contra hanc quartam conclusionem, & affirmatiuam veram, contra secundam conclusionem arguo primò, si hic Deus supponitur determinatè, & signatè pro persona Patris in subiecto, & pro persona Filij in prædicato; ergo nimis euidens est, quod, sicut hæc est falsa, & Sabelliana, Pater est Filius, seu persona Patris, est persona Filij; & hæc est vera, & catholica, Pater, seu persona Patris, non est Filius, seu persona Filij; ita pariter hæc est falsa, Hic Deus est hic Deus; & hæc vera, Hic Deus non est hic Deus. Respondent aduersarij apud Torres, primò negando consequentiam, & disparitatis rationem afferunt ex eo quòd Pater, & Filius sint nomina relatiua; Hic verò Deus est nomen absolutum. Sed hæc differentia nullius momenti est, tum quia hic Deus designando Patrem, & Hic Deus designando Filium, sunt verè nomina relatiua quoad significationem, seu rem significatam; tametsi relatiua non sint quo ad vocem, sicut sunt Pater, & Filius; hæc autem, Pater est Filius, non est falsa, ex eo præcisè, quòd voces sint relatiuæ, sed ex eo quòd voces significant, & supponunt duas personas realiter distinctas, quorum vna non est alia. Vnde in humanis posito Petro Patre Pauli, tam verè dicitur terminis absolutis, Petrus non est Paulus, siue, Hic homo, designato Petro, non est hic homo, designato Paulo, quàm terminis relatiuis, Hic Pater, non est hic Filius; quia semper significantur duæ personæ, quarum vna verè non est alia. Sic etiam in diuinis ridiculum esset asserere, hanc esse veram, Pater non est Filius, quia constat terminis relatiuis, hanc autem esse falsam, Hæc persona diuina, non est hæc persona diuina, designatis duabus personis; vel, vna persona diuina non est alia, quia non constat terminis relatiuis, sed absolutis, licèt significantibus personas relatiuas, quas etiam significant, hic Deus, & hic Deus, in propositionibus de quibus disputamus. Item Pater, aut Filius, non est vox relatiua ad Spiritum sanctum, quoniam Pater non refertur nisi ad Filium, & Filius non refertur, nisi ad Patrem, ex alia etiam parte, nomen Spiritus sancti non est simpliciter relatiuum, quoad vocem, docente Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 11. circa medium. *Relatio non apparet in hoc nomine*, nempe Spiritus sanctus; & Thoma suprà quæst. 36. art. 1. ad 2. *Hoc, quod dico, Spiritus sanctus, relatiuè non dicitur; tametsi pro relatiuo ponatur in quantum est accommodatum ad significandum personam sola relatione ab aliis distinctam.* Sed non obstante hoc defectu vocum relatiuarum, solum ex eo, quòd per eas significantur distinctæ realiter personæ, hæ propositiones sunt hæreticæ, Pater, aut Filius, est Spiritus sanctus; seu Spiritus sanctus est Pater, aut Filius. ergo eadem ratione pariter esse debet hæc falsa, Hic Deus est hic Deus; & vera eius contradictoria, Hic Deus non est hic Deus, si his terminis designentur, & supponantur duæ distinctæ personæ, quidquid sit de vocibus relatiuis, aut absolutis.

Augustinus. S. Thomas.

Prima aduersariorum responsio impugnatur.

32. *Impugnatur secunda responsio.*

Respondent secundò, quòd, *Hic Deus*, demonstrat quidem Patrem, & Filium, non tamen qua Patrem, & Filium, sed qua sunt habens Deitatem; sicut, inquiunt, hic homo, designato Petro, habente Filium, demonstrat quidem Petrum, quatenus homo est, & habens humanitatem, non quatenus Pater est. Hæc autem responsio si distinctiùs explicetur, apparebit vel falsa, vel insufficiens. Primò, si hic Deus, vt conceditur, demonstrat simpliciter Patrem, & Filium; ergo hic Deus est hic Deus, non præscindit simpliciter à Patre, & Filio. ergo simpliciter, & in re ipsa prædicat Filiũ de Patre; esto non prædicet Filium, quatenus Filium de Patre, quatenus Patre. Enimuero non solum est falsa hæc reduplicatiua, quam ne Sabellius quidem concederet, Pater quatenus Pater est Filius, quatenus Filius; sed etiam hæc specificatiua, & simpliciter prolata, quam Sabellius intendebat, Pater est Filius. ergo si hæc, Hic Deus est hic Deus, supponit simpliciter, & re ipsa in subiecto, & prædicato, quidquid est in Patre, & Filio, alioqui non demonstraret simpliciter Patrem, & Filium, esto non supponat reduplicatiuè, siue explicitè, non tollitur, quia sit æquiualens illi, & falsa, sicut illa, Pater est Filius. Secundò, cum dicitur, *Non demonstrat Patrem, qua Patrem*, &c. vel sensus est, non includit simpliciter, & verè in suo significato Patrem, & hoc ne ab aduersariis quidem dicitur, quoniam ipsi etiam assumunt, quòd pronomen demonstratiuum, *Hic Deus*, demonstret, & supponat vnam determinatam personam Patris. Alioquin nulla esset huiusmodi controuersia, vel sensus est, non includere reduplicatiuè; & iam ostensum est, ad falsitatem satis esse includere simpliciter, vel non includere explicitè; & hoc partim est falsum, quia licèt non includat explicitè vi vocis, includit tamen explicitè vi designationis factæ à demonstrante, partim insufficiens, quia falsitas prædicationis, solum pendet ab eo, quòd in re ipsa prædicatur de subiecto, & tamen non conuenit subiecto, esto prædicetur voce explicitè,

aut implicitè, seu potius minus explicitè illud significante: quemadmodum in diuinis propositio hæretica est, non solum hæc sub istis explicitis terminis, Pater non generat Filium; verum etiam hæc sub aliis implicitis terminis idem significantibus, Deus non generat Deum. Vnde omnes fideles fatentur natum non solum Filium de Patre, sed etiam Deum de Deo. Item si dicatur, hæc diuina persona, non significatur explicitè relatio, nec Pater, nec Filius explicitè; & tamen falsum est, hæc diuina persona est illa diuina persona; sicut etiam falsum est, demonstrato Christo, dicere, hic homo non est Filius Dei; tametsi, hic homo non significet explicitè Christum; sed ad falsitatem illius propositionis sufficit, Christum significari explicitè per demonstrationem, & de Christo sic significato negari Filium Dei. ergo pariter, vt sit falsa, Hic Deus est hic Deus; sufficit, vt de Patre demonstratiuè significato in subiecto, per, *Hic Deus*, affirmetur Filius demonstratiuè etiam significatus in prædicato per, *Hic Deus*. Tertiò, Hic Deus, prout de eo, est præsens controuersia insufficienter explicatur per, *Habens Deitatem*; vel explicari debet, per, hic particularis, seu determinatus habens Deitatem: quo sensu manifestum valdè est, quòd hic determinatus habens Deitatem, non est hic alius determinatus habens Deitatem. Vbi omnes voces sunt absolutæ, & nulla est relatiua; & ideo, vt notat Torres, aduersarij tenentur consequenter contrariam concedere; tametsi ipsi; quia expressiùs hæretica est, concedere non audeant. Quartò, exemplum de Pronomine, *Hic homo*, demonstrante Petro, qui est Pater, est cum falsò explicatum, tum malè applicatum: quia tunc, hic homo, non demonstraret tantum Petrum, quatenus homo est, & habens humanitatem; sic enim non magis demonstraret Petrum, quàm quemuis alium hominem; sed demonstraret Petrum, quatenus est hic homo determinatus, & hic determinatus habens humanitatem, qui est solus Petrus, & non alius homo. Ita etiam, hic Deus, si demonstret Patrem, non est tantum Pater, quatenus Deus, aut habens Deitatem, sed est hic determinatus habens Deitatem', quæ est hæc determinata persona diuina Patris, & non alia diuina persona. Præterea, hic homo, designans personam Petri, non designat paternitatem, quia hæc ad illam personam per se, & intrinsecè non pertinet. At verò, hic Deus, designans personam Patris, non potest non designare paternitatem, quia hæc est ipsamet personalitas Dei Patris.

33. *Probatur secundò.*

Arguo secundò, Hæc simpliciter probata, Deus generat Deum, non potest catholicè negari, & ab omnibus Theologis conceditur, vt suprà num. 7. & 8. initio, vbi illud, pro quo supponitur Deus in subiecto, non potest esse illud idem, pro quo supponitur Deus in prædicato. Quod est ita manifestum, sicut manifestum est, idem non posse generare se ipsum. ergo, qui fatetur, illam esse veram, non potest non fateri hanc quoque veram esse, Deus generans non est Deus genitus: siue quòd clarius est, Hic Deus generans, non est hic Deus genitus. Si enim in prima propositione affirmatiua, illud *Genuit*, satis fuit, vt per alia persona supponeretur Deus in subiecto. Et pro alio in prædicato; quanto magis erit satis illud; *Hic generans*, & illud, *Hic genitus*, vt Deus stet in subiecto pro vna persona, & in prædicato pro alia. Aduersarij verò, vt refert Torres, contendunt, has omnes propositiones, quæ apertam continent falsitatem, esse veras, Deus generans est Deus genitus: Deus generat Deum, qui est Deus Pater, de cuius falsitate supra à num. 23. Hic Deus generat ostenso Filio: Hic Deus generatur, ostenso Patre, quoniam, inquiunt, tantum est vnus Deus, qui est hic Deus, & hic Deus est Pater, qui generat; & Filius, qui generatur. ergo siue ostendas Patrem, sicut Filium, semper hic idem Deus est genitus, & generans, siue qui generatur, & qui generat. Qui discursus planè nullus est, & laborat illo logico morbo, quo multi syllogismi expositorij in materia de Trinitate vitiosi redduntur; nimirum quia non distinguunt duplicem suppositionem, quam Deus, siue, hic Deus, habet; aliam communem, & indeterminatam, absque distributione extra propositionem; aliam particularem, & determinatam cum distributione in propositione; sic enim discurrunt, Hic Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ergo hic Deus est Deus generans, Deus genitus, Deus spirans, Deus spiratus. Ergo Deus generans est Deus genitus. Cuius discursus antecedens, & prima consequentia sapienter procedunt, quia de hoc Deo supponente simpliciter, & ad nullam personam coarctato per aliquid adiunctum limitans, & restringens prædicantur omnes personæ, omnésque personarum proprietates, cum vno Deo prorsus identificatæ. At verò secunda consequentia vitiosa est; quia in consequente, variata suppositione, esse genitum, non tribuitur Deo simpliciter supponenti, vt tribuebatur in præcedentibus, sed Deo supponéti personaliter, & determinatè pro vna sola persona Patris, nimirum Deo generante, qui neque est Filius, neque Spiritus sanctus, neque essentia præcisè, sed solus Pater. Id autem, quod facit illud *generans*, in determinando illud, *Deus*, ad personam Patris; facit etiam illud, *Hic Deus*, demonstrando personam Patris; sicut, *Hic homo*, demonstrando Petrum, determinat ad personam Petri: alioqui, si demonstrando Patrem; adhuc hic Deus remaneret indeterminatus: ergo demonstratio Patris fuit vana, ac ridicula, & idem prorsus fuisset, si demonstrasset Filium, aut Spiritum sanctum, aut nullam omnino personam. Ergo sicut Deus generans supponitur pro solo Patre, ita pariter hic Deus, demonstrato Patre: & eadem ratione idem erunt Deus genitus, & hic Deus, demonstrato Filio. Ergo est intolerabilis terminorum abusus, præbens ingentem occasionem errandi, & decipiendi in tam subtili, & periculosa materia, vbi etiam, vt initio huius operis num. 1. fin. cum omnibus Theologis ex Hieronymo scripsi, *Ex verbis perperam, atque inordinatè prolatis incurritur hæresi*, asserere, quod verè dicitur, demonstrato Patre, Hic Deus est genitus; & contra demonstrato Filio, Hic Deus est generans; &, quòd multò minus tolerabile videtur, Hic Deus generans est hic Deus genitus. Quid enim quæso supereset, nisi, vt cum Sabellio dicatur, Pater est Filius?

34. *Extenditur conclusio cum Torres.*

Denique prudenter aduertit Torres, quòd vtriusque partis Authores concedunt, idem, quod dicitur de prædictis propositionibus, esse ob eamdem rationem dicendum de his aliis similibus; vt si demonstretur Pater in subiecto, Filius in prædicato, & dicatur, Hoc principium Spiritus sancti est, aut non est hoc principium Spiritus sancti, Hic spirator est, aut non est hic spiratus. Sicut enim tres personæ sunt vnus Deus, ita duæ personæ sunt vnum spirandi principium, & vnus spirator, vt suprà q. 36. art. 4. Idem, si eadem humanitas assumpta à Verbo, assumeretur simul à Patre, & Spiritu sancto; & demonstrata alia persona in subiecto; & alia in prædicato, diceretur, hic homo est, aut non est hic homo; tunc enim essent etiam tres personæ, & vnus homo, sicut nunc sunt tres personæ, & vnus Deus: vt suprà art. 3.

Contrariis

Tres falsæ propositiones, quæ sequuntur ex cõtrariâ opinione.

Contrarijs argumentis occurritur.

35. *Prima obiectio.*

Obiiciunt Aduersarij apud Torres, Primò si hæc est vera, Hic Deus non est hic Deus. ergo hic Deus, & hic Deus, realiter distinguuntur. ergo sunt plures Dij. Confirmant alij primò. Hic Deus, designando Patrem, non est hic Deus, designando Filium, vt defendimus in quarta conclusione. erit igitur vnus Deus, & alter Deus, qui non est ille primus Deus, consequens autem est hæreticum, quia Pater, & Filius sunt vnus Deus. Confirmant secundo, quia Pater, & Filius non est alius, & alius Deus; quamuis sit Deus, & Deus; vt Patres docent. ergo ostensis Patris, & Filij personis, nefas est dicere, hic Deus non est hic Deus.

Respondetur distinguendo.

Respondeo distinguendo primum antecedens. Si nulla demonstretur determinata persona, falsum est dicere simpliciter, Hic Deus non est hic Deus; quia vt probaui supra num. 21. explicatur pluralitas Deorum. Si vero in subiecto demonstretur vna persona, verbi gratia, Pater, & in prædicato alia persona, verbi gratia, Filius, concedo antecedens. Et si in primo consequente non supponantur eædem personæ demonstratæ, falsa est prima consequentia ex mutata suppositione terminorum: si verò non varietur suppositio, concedo primam consequentiam, qua deducitur, quòd, hic Deus, demonstrato Patre, & hic Deus, demonstrato Filio realiter distinguuntur. Nego autem secundam consequentiam; non enim ex præmissis sequitur pluralitas Deorum, sed solum pluralitas personarum, quæ sunt vnus Deus. Ad primam confirmationem, concesso antecedente nego simpliciter consequentiam, laborantem eodem defectu mutatæ suppositionis terminorum, vt patet. Ad secundam, conceditur simpliciter antecedens, & negatur consequentia, sumptis terminis vt supra iuxta quartam conclusionem.

36. *Secunda obiectio.*

Obiiciunt secundò. Hic Deus est, ostenso Patre; & hic Deus est, ostenso Filio; & iisdem personis demonstratis, Hic Deus non est hic Deus: ergo hic Deus est alius Deus ab hoc Deo. ergo sunt diuersi Dij. Confirmant exemplo, si eadem numero natura humana esset in Petro & Paulo, hæc esset vera, Hic homo est hic homo, primo pronomine demonstrante Petrum, secundo Paulum. ergo idem de Deo, &c.

Respondetur negando sequelam de pluritate Deorum.

Respondeo, consequentiam esse apertè falsam; neque enim, demonstratis pluribus personis diuinis, dicitur, Hic Deus non est hic Deus, ex eo, quòd sint plures Dij, sed ex eo quòd sint plures personæ, seu plures eamdem Deitatem habentes. Itaque hic Deus, & hic Deus, demonstratis non Deitatibus, sed personis, non sunt alius & alius Deus; sed sunt alia, & alia diuina persona. Ad confirmationem, nego antecedens. nam tunc etiam per illa pronomina demonstratiua, non demonstrarentur plures humanitates, sed plura vnius humanitatis supposita, quorum vnum non est aliud.

37. *Tertia obiectio.*

Obiiciunt tertiò. In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio; sed hic Deus, & hic Deus, non opponuntur relatiuè. ergo hic Deus est hic Deus. Minor probatur, quia nomen Deus ex se est absolutum. ergo per pronomen demonstratiuum, hic, non potest demonstrare relatiuum, quod ex se non significat; sicut hic homo, non potest demonstrare lapidem.

Respondetur declarando, quomodo opponantur hic Deus, & hic Deus.

Respondeo, distinguendo minorem iuxta dicta supra num. 32. Hic Deus, & hic Deus, si nulla persona demonstretur, non opponuntur relatiuè: si verò demonstrentur, ac proinde significentur, & supponantur duæ personæ, oppositionem relatiuam inter se habentes, opponuntur relatiuè non quidem secundum voces relatiuas, sed solum, secundum res relatiuè oppositas, significatas implicitè vocibus absolutis. Etenim, vt docet S. Thomas hic circa med. *hoc nomen, Deus, significat diuinam essentiam, vt in habente ipsam; sicut hoc nomen, homo, humanitatem significat in supposito; & ideo hoc nomen, Deus, ex modo significandi*, scilicet Deitatem, quam explicitè, & principaliter significat, *habet, vt propriè possit supponere pro persona, sicut, & hoc nomen, homo.* Si Deus potest propriè supponere pro persona diuina, ergo illam significare potest. nomina enim significare debent res, pro quibus supponuntur. Sed persona diuina est relatiua. ergo nomen, Deus, absolutum secundum vocem, est etiam relatiuum aliquo modo, secundum significationem, seu rem significatam. ergo hic Deus, & hic Deus, possunt relatiuè opponi, si supponant, & significent Patrem, & Filium, qui relatiuè opponuntur: sed quando, vt fatentur etiam Aduersarij supra num. 32. initio, hic Deus demonstrat Patrem, & hic Deus demonstrat Filium, hic Deus, & hic Deus, in oratione taliter demonstratiua supponunt, & significant sine dubio Patrem, & Filium; sicut, hic homo, si demonstraretur Christus, & dicatur, hic homo est Filius Dei, supponit, & significat Christum; vel si demonstretur Petrus currens, & dicatur, hic homo currit, supponit, & significat Petrum. ergo tunc non possunt non relatiuè opponi. Hinc ad probationem minoris, dico, nomen, Deus, esse absolutum, considerata voce materialiter, sicut de nomine Spiritus sancti, dixerunt Augustinus, & Thomas supra num. 31. Sed esse etiam ex se relatiuum, considerata eius significatione formaliter; alioqui dici non posset Deus de Deo, & Deus generat Deum; quoniam in diuinis nihil absolutum generat aliquid absolutum. Potest igitur hic Deus, demonstrando personam, demonstrare, & consequenter supponere, & significare relatiuum. Quamobrem non est eadem ratio de pronomine, hic homo, quod non potest demonstrare lapidem; quoniam homo, nulla ratione, neque explicitè, neque implicitè significat lapidem, sed implicitè, & in genere significat personam humanam, & ideo potest demonstrare, & significare hanc, vel illam humanam personam ad libitum demonstrantis. Deus verò significat pariter aliquo modo personam diuinam, & propterea potest propriè, vel per aliquod adiunctum, vel per loquentis liberam designationem cum pronomine, *hic*, determinari ad significandum hanc, vel illam diuinam personam.

38. *Quarta obiectio.*

Obiiciunt quartò. Pater, & Filius non distinguuntur sub esse absoluto, quatenus sunt Deus, sed sub esse relatiuo, quatenus sunt Pater, & Filius, & in quantum personæ sunt. ergo esto Pater non sit Filius, & hæc persona non sit hæc persona; sunt tamen idem Deus. ergo hic Deus est hic Deus.

Respondeo negando consequentiam.

Respondeo, concedo totum, præter vltimam consequentiam; modo in consequente, Hic Deus, demonstret Patrem ex parte subiecti, & Filium ex parte prædicati. Cum enim in primo consequente, Pater, & Filius esse dicuntur *idem Deus*, supponitur Deus simpliciter, hoc est, vt præcisus ab omni personalitate; cum verò in secundo consequente, demonstratis personis Patris, & Filij, dicitur, Hic Deus est hic Deus, supponitur Deus personaliter, & ideò mutata terminorum suppositione, non valet secunda consequentia.

39. *Quinta obiectio.*

Obiiciunt quintò, Hæc essentia, & hic Deus, est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quidquid demonstretur illo nomine, hic Deus. ergo demonstrato Patre in subiecto, & Filio in prædicato semper

demonstrabitur hic Deus,qui vnus & idem est.ergo quæcumque facta demonstratione, semper verum erit dicere, Hic Deus est hic Deus; & falsum, Hic Deus non est hic Deus. Atque hoc fuit potissimum contrariæ opinionis fundamentum.

Respondetur, aperiendo radicem contrariæ opinionis.

Respondeo hoc fundamento, aduersarios insufficienter considerasse personas per comparationem tantum ad essentiam, quomodo habent vnitatem, non distinctionem; & non per comparationem inter se, quo modo habent distinctionem,non vnitatem. Itaque in forma dico, quòd hic Deus,vt supponens simpliciter pro essentia, & indiuiduo Deitatis; siue,vt nomen essentiale, est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: vt supponens personaliter pro vna tantum determinata persona, est quidem vnus atque idem omnino Deus cum reliquis personis, tamen non est alia persona, à qua realiter distinguitur. Ita declarato, seu distincto Antecedente, ad primam consequentiam dico, insufficienter ibi sumi,quòd demonstrato Patre, & Filio, demonstretur hic Deus, qui idem est. Nam præterea demonstrantur duæ diuinæ personæ realiter inter se distinctæ, quarum vna non est alia; tametsi quælibet sit vnus,atque idem Deus. Et ideo nulla est vltima consequentia, vbi demonstratis duabus personis quæ sunt vnus Deus,considerantur illæ personæ,vt sunt vnus Deus,& non vt sunt duæ personæ:ratione cuius dualitatis, Catholicè dicitur, Hic Deus, demonstrando Patrem, non est hic Deus, demonstrando Filium: non minus, ac Catholicè dicitur contra Sabellianos,Pater non est Filius; tametsi Pater,& Filius sint vnum in Deitate. Contra quam responsionem, ac doctrinam, nullum sanè effugium video, nisi fortasse velint, Pronomen demonstratiuum,*hic Deus*, demonstrare quidem Patrem, v.g. non tamen supponere,& significare Patrem, sed solum Deum communem Patri, Filio,& Spiritui sancto. Quod quidem ex ipsis terminis apparet adeò absurdum,vt nulla alia indigeat confutatione. Ipsa enim demonstratio rei significatæ, cui nomen applicatur,est omnium euidentissima nominis suppositio pro re significata; & maximè declarat, rem illam demonstratam significari per illud nomẽ.Quapropter ipsemet Torres,tametsi cautissimè scribens, ne in alterutram partem propendere videatur, cum retulisset aduersarios dicentes,quòd ostenso Filio, adhuc est vera,Hic Deus generat,vbi hic Deus supponit pro solo Patre; & è contrario, quòd ostenso Patre,adhuc est vera, Hic Deus generatur, vbi hic Deus supponitur pro solo Filio; non potuit tamen se continere,quin ita scriberet; *Hoc nimirum difficile videtur, quòd hic Deus ostendat Filium, & tamen supponat pro Patre.* Quod cum tanta circumspectione scribens,dixit,*difficile*, si liberiùs scripsisset, vocasset profecto absurdum impossibile. Pro qua enim re magis supponit nomen quàm pro illa, quæ illo nomine demonstratur, & quasi digito ostenditur; & ad quam demonstrandam, & significandam, nomen illud assumitur cum Pronomine demõstratiuo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd nomina essentialia in abstracto, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Falsò dicitur, essentia generat,generatur,spirat,spiratur, n.1.ad 4.*
2. *Exponuntur oppositæ authoritates,n.4.ad 7.*
3. *Dissoluuntur oppositæ rationes, num. 7. ad finem Articuli.*
4. *An essentia generetur prout est in Filio,n.11.*
5. *An Paternitas generet,num.13.*
6. *Essentiam communicari,non generari,n.14.& 15.*

1. *Conclusio negatiua, vnde deducitur falsò dici, essentia generat, generatur,spirat,spiratur.*

VNICA conclusio negatiua,quæ potissimum apparet in his propositionibus,essentia diuina generat, essentia diuina generatur; quarum falsitas ex hac ipsa conclusione apertè deducitur. Si enim hoc nomen abstractum, *essentia*, supponere posset pro persona, profectò de essentia verè prædicarentur,generare,& generari; sicut exprobatis art. præcedente à num.1.ad 8. verè prædicantur de hoc nomine concreto, Deus, ex eo quòd supponere possit pro persona. Itaque idem omninò est probare, quòd nomina essentialia in abstracto significata non possint supponere pro persona, & quòd non rectè dicatur,essentia generat, spirat, generatur, spiratur. Hæc est mens S.Thomæ in hoc articulo, vbi, vt probet conclusionem negatiuam, totus est in probanda falsitate prædictarum propositionum. Nec in connexione harum duarum rerum, aliquem contradicentem inuenio, præter Ochamum 1.d.5. quæst.1.litera B. vbi quamuis dicat, *conclusio est certa, quod essentia diuina non generat, nec generatur, & est determinata per Ecclesiam*; tamen impugnat rationem S.Thomæ hic,id probantis, ex eo, quòd essentia in abstracto significata, non potest supponere pro suppósito. *Contra*,inquit Ochamus, *si ista ratio esset bona, hæc esset falsa, essentia est paternitas.* Et ferè his similia ante ipsum scripserat Aureolus ibidem art.2. Propositione 4.Verum longè diuersa ratio est prædicationis paternitatis, & cuiuslibet alterius personalitatis, de essentia, & prædicationis actus notionalis de eadem essentia. Cum enim paternitas, & omnis alia personalitas, & relatio verè sit relatio, ac personalitas ipsius essentiæ secundum se, dici verè, & rectè potest propter summam identitatem, quam inter se in re ipsa habent, essentia est Paternitas,Paternitas est essentia. At verò cum actus notionales generationis, & spirationis,non sint actus essentiæ,secundum se, sed ipsarum personarum,siue essentiæ concretæ in personis,non possunt cum sermonis proprietate,ac veritate tribui essentiæ significatæ per nomen abstractum, quo importatur sola essentia, & nullo modo personalitas.

Ochamus, & Aureolus contra S.Thomã.

Itaque optimus est discursus S.Thomæ in Corp. qui non potest clarius, ac profundius proponi, quàm ipsiusmet Authoris verbis. *Ad veritatem*, inquit, *loquutionum, non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi; licet autem secundum rem sit idem Deus, quod Deitas, non tamen est idem modus significandi vtrobique. Nam hoc nomen, Deus, quia significat diuinam essentiam vt in habente, ex modo suæ significationis naturaliter habet, quòd supponere pro persona. Et sic ea, quæ sunt propria personarum, possunt prædicari de hoc nomine Deus, vt dicatur, quòd Deus est genitus, vel generans. Sed hoc nomen essentia, non habet ex modo suæ significationis,quòd supponat pro persona, quia significat essentiam vt formam abstractam: & ideo,ea quæ sunt propria personarum, quibus abinuicem distinguuntur, non possunt essentiæ attribui: significaretur enim, quòd esset distinctio in essentia diuina, sicut est distinctio in suppositis.* hoc est, qui dicit,verbi gratia,essentia generat, is, quia genitum à generante realiter distinguatur necesse est, dicit necessario, essentiam generantem distingui realiter à supposito genito;quod ex quæst.28. art.2. falsum

2. *Discursus articuli.*

falsum est. Eamdem rationem, & conclusionem ipsam clarissimè expressit Ioannes Latinorum Theologus in Florentino, sessione 19. §.*Vt exemplum*, propè finem ita discurrens. *Quoniam diuina substantia nomen abstractum existit, idcircò generatio eì non potest adscribi. Namque cum vna numero sit, siquidem generare posset, proculdubio in diuinis esset distinctio: quandoquidem non se ipsam, verum quidquam aliud generaret. Propterea communi Doctorum sententia, diuina substantia nequaquam generat.* loquitur de substantia, sed eadem est ratio de quocumque alio nomine essentiali abstracto, v.g.Deitas,Diuinitas,essentia,natura,sapientia,omnipotentia,& similia.

Ioannes in Florentino.

3. *Quam certa sit hæc,essentia non generat.* Concilium Lateranense.

Præterea prædictarum propositionum falsitas, & consequenter veritas huius conclusionis, confirmari potest authoritate, quæ magna est: nam Innocentius III.in Concilio Lateranensi cap.2.*Damnamus.* in fauorem Magistri Petri Lombardi, qui l. 1. sent.d.5. ferè per totam, huiusmodi propositiones confutat, & contra Abbatem Ioachim, qui hac de re quemdam libellum contra Magistrum ediderat, ita grauissimè definit paulò ante med. *Nos autem sacro, & vniuersali Concilio approbante credimus, & confitemur cum Petro, quòd quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina; & illa res non est generans,neque genita,nec procedens;sed est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus sanctus,qui procedit; vt distinctiones sint in personis,& vnitas in natura.*& circa finem ita concludit. *Si quis sententiam,siue doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere,vel approbare præsumpserit,tanquam hæreticus ab omnibus confutetur.* Quibus verbis omnes plane Scholastici,& antiqui,& noui, nemine excepto,Magistri sententiam recipiunt,ac defendunt,vt omnino certam,ac probatam ex Ecclesiæ determinatione.Et ideo contrariam sententiam *errorem* vocat S.Thomas initio Corp. dicens, *Circa hoc errauit Abbas Ioachim asserens, quod sicut dicitur, Deus genuit Deum;ita potest dici, quòd essentia genuit essentiam; considerans,quòd propter diuinam simplicitatem,non est aliud, Deus, quàm diuina essentia.* Eamdem vocat apertius Argentina 1. d.5. quæst.vnica art.1. ante med. *erroneam,& ab Ecclesia Catholica condemnatam.* & Torres hic col.2.Commentarij,Zumel conclusione 1. *hæreticam*; & Bellarminus lib. 2. de Christo cap.7. ante med.*grauissimum errorem*, quẽ tribuit Ioanni V Vigãdo.Idemque sentiunt Suarez l.6.de Trinit.c.7.n.10. Bagnes hic,post obiectiones,Valentin puncto 1.notab. 2. & Vasquez initio Commentarij, docentes, hanc conclusionem esse de fide, quod multò ante ipsos docuerat Albertus p.p.summæ q.30.membr.3. art.1.initio Corp.dicens, *hæc est Catholica fides, quod natura diuina nec generans,nec genita est, nec spirans,nec spirata.* Verum in hac censura placet temperamentum nostri Didaci Ruiz,viri eruditissimi, disput. 8. sect.4. Concilium recepisse quidẽ,ac probasse modũ illum loquendi Magistri, tamen eius intentum non fuisse definire illã præcisè locutionẽ de fide,& contrariam,vt hæreticam damnare; sed solum damnare aliud reale illius Abbatis dictum de essentiæ diuinæ vnitate;quam esse dicebat, *non veram, & propriam,sed quasi collectiuam, & similitudinariam*; *quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia.* Quibus verbis ponere videtur in tribus diuinis personis tres essentias,realiter & numero distinctas: & in hoc sensu voluisse dicere, vnam essentiam Filij generari ab alia essentia Patris.Si quis igitur bene sentiens,expressè profiteretur, essentiæ diuinæ vnitatem esse veram, & propriam, & omninò identificatam cum tribus personis; & tamen propter identitatem, quam essentia habet cum qualibet persona,ita loqueretur,essentia diuina generat, generatur, &c. temerè quidem loqueretur contra modum loquendi probatum ab vniuersali Concilio,& receptum ab omnibus Theologis,vt determinatum ab Ecclesia, non tamen loqueretur hæreticè contra Fidem. In hoc autem temeritatis gradu, vt notauit Molina hic paulò post principium excessisse videtur Robertus Holchot in suis determinationibus q. 10. ad 4. dubium, dicens (licèt *sine assertione*,vt expresè profitetur,& non parum ipsum excusat)ita esse loquendum, solum quia ita reuelatum est Ecclesiæ, *non propter aliquam rationem naturalem cogentem:quia rationes à Doctoribus assignantur,quæ valdè parum mouent.*Enimuerò significat, spectata naturaliter vi vocabulorum, secundum se posse verè,ac propriè dici, essentia generat. Quasi vero facta Ecclesiæ sit reuelatio, non solum de his rebus;sed etiam de his vocibus:& reuelatum sit, res fidei esse explicandas talibus verbis,contra propriã, & naturalem illorum verborum significationem. Quis enim non ingentem temeritatem existimet, asserere,quòd Deus reuelet Ecclesiæ vniuersæ hanc propositionem sub his terminis esse veram, *essentia generat*;quæ nihilominus sub illis terminis propriè loquendo iuxta naturalem, & communem loquendi vsum sit falsa?

Doctorum censura contrariæ propositionis.

Molina contra Holchot.

Oppositæ authoritates exponuntur.

4. *Obijcitur primò Augustinus.*

Obiicies primò multos Patres,quos exactè,& copiosè congerit Ruiz supra,sect.1. & 2. dicentes,essentiam generare, & generari, & vniuersaliter tribuentes alicui termino abstracto aliquid notionale,quod est vnius personæ proprium. Hic in primo argumento vnus tantum Augustinus obiicitur l. 7. de Trinit.illis verbis,quę habentur in c.2.poit med. *Pater,& Filius vna sapientia, quia vna essentia; & singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.* Possunt etiam obiici verba Ambrosij supra q. 27. art.1.num.99.

Respondetur asserendo, & declarando duas expositiones S Th. & aliorum.

Respondet S.Thom. *quòd ad exprimendam veritatem essentiæ, & personæ*, hoc est, quam habet essentia cum persona. *Sancti Doctores aliquando expressius loquuti sunt, quàm proprietas loquutionis patiatur. Vnde huiusmodi loquutiones non sunt extendendæ, sed exponendæ;vt scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia:* nimirum,vt sapientia, & essentia, non solum accipiantur pro sapiente, & pro habente essentiam,quæ est prima expositio; sed etiam pro ipsa persona Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti; quæ est secunda expositio multò probabilior, quia conformior intentioni Patrum, quod mox ostendam: *vt cum dicitur essentia de essentia, vel sapientia de sapientia,sit sensus,Filius,qui est essentia, & sapientia,est de Patre,qui est essentia,& sapientia.* Hanc secundam expositionem, tradunt Magister supra litera F. Alensis p. p. quæst. 49. membro 1. art. 4. ad 1. Albertus p. p. summæ quæst. 30. membro 3. art. 1. in Corpor. & ad argumenta contraria; & eam apertè colligo ex ipsis Patribus,quia ferè semper cum nominibus essentialibus abstractis in eadem oratione vsurpant nomina personarum; significantes nominibus illis abstractis non esse intelligendas perfectiones essentiales à personis præcisas, sed ipsasmet personas ab essentia re ipsa omnino indistinctas. Ita expresse Augustinus verbis citatis, loquens de Patre, & Filio *singillatim*, & non vt sunt *simul vna sapientia*: hoc est, vt sunt singulæ per se personæ realiter distinctæ, quarum quælibet est vna sapientia, vna essentia. Et paulo ante cum præmisisset, *Verbum, sapientia est*, ita subiunxit. *Id dici recipiamus, cum dicitur Verbum;*

bum; ac si dicatur, nata sapientia. Non igitur de sapientia abstracta, sed de persona Verbi dicit, *nata sapientia*, hoc est, natum verbum, quod est sapientia. Idem clarissimè licet obseruare in tota ista propositione, quam habet in eodem l. 7. cap. 14. initio, *Verbum Dei Patris, Vnigenitus Dei Filius, per omnia Patri similis, & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia.* Sic etiam cap. 15. aliquanto post princ. *Illud Dei Verbum maximè dicitur, maximeque dicendum est, essentia de essentia.* & cap. 20. non longè à principio, *quidam vnigenitum verbum, ipsum consilium, seu voluntatem Patris esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio, & voluntas de voluntate; sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia.* & l. 3. contra Maximinum cap. 14. multò post principium, loquens de Filio nato ex Deo Patre, quem ostendere contendebat eiusdem naturæ cum Patre, ait, *Deus de Deo natus, quia non aliùs prius fuit, sed natura coæterna de Deo, non est aliud, quàm est ille, de quo est; hoc est, vnius, eiusdemque naturæ, vel vnius eiusdemque substantiæ.*

4. *Exponuntur eodem modo alij Patres.* Cyrillus. In aliis quoque Patribus, apparet idem loquendi Spiritus. Athanasium, Basilium, & Cyrillum refert Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 4. dicentes, *quòd essentia sit genita in Filio, & spirata in Spiritu sancto.* Et in fine refert eumdem Cyrillum sic exponentem. *Pater de se, vita viuente, & essentia veraciter existente, tanquam à vera radice, generando Filium, dat ei naturaliter suam naturalem vitam, & essentiam.* Itaque subdit S. Thomas, *quòd Pater genuit naturam suam in Filio, exponendum est, quòd per generationem, suam naturam Filio dedit.* Sic etiam Patrem, & Filium spirasse naturam in Spiritu sancto, nihil est aliud, quàm per spirationem dedisse Spiritui sancto eamdem naturam, quam in se habent. Hoc sensu etiam à Nazianzeno oratione de dogmate, & constitutione Episcoporum in med. Pater dicitur. *Diuinitatis Author, qua in Filio, & Spiritu sancto consideratur.* Quod ipsemet videtur voluisse exponere, cum postea in oratione de moderatione in disputationibus seruanda pag. 2. circa finem, Spiritum sanctum vocat, *Spiritum vnum, substantiam ex Deo habentem.* Non dixit, essentiam Spiritus sancti à Patre spiratam; sed dixit, ipsummet Spiritum sanctum à Patre spiratum habere à Patre eamdem cum ipso Diuinitatis substantiam; indicans, quòd sicubi primum illud dicitur, per hoc secundum est explicandum. & Hilarius l. 9. de Trinit. initio, vocat *Generationem Diuinitatis*, quia, vt statim subdit, *non aliunde, quàm ex Deo Deus natus est; & ex Deo Deus non potest non id esse, quod Deus est.* & l. 10. col. 3. docet de Patre, & Filio. *Non vnum eos esse ex geminatis nominibus vnionis, sed ex natiuitate naturæ:* hoc est, ex vna natura communi, quam Pater per Filij natiuitatem Filio dedit. Et l. de Synodis exponens canonem 3. Orientalium, vnitatem naturæ Patris, & Filij ita probat. *Quomodo inter Filium, atque Patrem natura discernitur, cum in his, quæ Patris sunt propria, subsistens Filius per naturam in se genitam consistat.* hoc est, per naturam, quam accepit per propriæ personæ generationem. Et sequenti can. 4. & alibi frequenter has abstractas locutiones habet Hilarius, quibus ipsas diuinas personas intelligit. Similiter Filius Dei à Basilio l. 2. contra Eunomium, aliquanto ante medium dicitur *existens Patri, à quo habet substantiæ causam.* & l. 5. cap. 15. ante medium, Deus Pater dicitur *sapiens, quia sapientiam genuit;* sed vt significetur nomine abstracto sapientiæ, esse intelligendam personam Filij, immediatè post subiungitur, *vt hypostasis proprium characterа*, nempè genuit. Item Athanasius oratione 2. contra Arianos aliquanto ante medium Dei Filium vocat *propriæ Patris substantiæ germen.* & post pauca, *Filium naturæ Patris.* & paulo post medium ait, *substantiæ Patris proprius Filius.* Et iterum post multa, *Paternæ substantiæ progenies.* Cyrillus l. 2. Thesauri cap. 1. multò post principium, *Diuina substantia Filium ex Patris hypostasi genuit: non enim potest esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 2. aliquanto ante medium, & extat inter opera Augustini tomo 3. *Illa natura, quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam suscepit.* Et paulò post, *Diuinitatem eius,* hoc est, Filij Dei, *de natura Patris natam esse non dubites.* Anselmus in monologio cap. 47. initio, *Filius memoria natæ de memoria, sicut sapientia nata de sapientia.* Vbi cum esse sapientiam, & memoriam prædicet de Filio, quando dicit natam sapientiam, non sapientiam abstractam à Filio, sed ipsum Filium natum esse significat.

Nazianzen. Hilarius. Basilius. Athanasius. Cyrillus. Fulgentius. Anselmus.

6. *Ricardus Victorinus contra Magistrum.* Demum inter Patres omnes, modus iste loquendi adeò communis est, vt Riccardus Victorinus l. 6. de Trinitate cap. 22. paulò post principium, grauiter inuehatur in multos sui temporis Doctores, & intelligit præcipuè Magistrum viuentem tempore Riccardi, qui, inquit, *contra sanctorum Patrum authoritatem, & tot attestationes paternarum traditionum nullo modo concedunt, quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam. Pertinaciter negant, quod omnes sancti affirmant. Ad id, quod ipsi dicunt, authoritatem inuenire non possunt. Afferant si possunt authoritatem non dicam plures, sed saltem vnam.* Qua in re duo breuiter dico. Alterum, apud ipsum etiam Riccardum nomine abstracto substantiæ, non significari substantiam, siue naturam, siue essentiam abstractam à personis, sed ipsasmet personas. Nam eodem c. 22. ante verba citata, ait de Filio, *si diceretur figura ingenitæ substantia, idem esset, ac si diceretur figura ingenitæ personæ. Si Patrem dicis, si ingenitam substantiam, si ingenitam personam nominas, eamdem proculdubio personam designas. Proculdubio nil aliud est Patris persona, quàm substantia ingenita: nihil aliud est Filij persona, quàm substantia genita.* & post medium ex eo, quòd substantia Filij est genita, & substantia Patris ingenita, nec genita sit ingenita, aut è contra, inquit, *Non sequitur, vt ibi sit alia, & alia substantia; sed alia, & alia persona.* Et iterum in fine eadem repetit. Verè igitur, ne Riccardus quidem est contra istam conclusionem, in qua loquimur de nomine abstracto supponente pro re abstracta, quam propriè significat nomen abstractum; non autem de nomine abstracto supponente pro re concreta, quæ est latior, & minus propriè abstracti nominis vsurpatio; Riccardus autem loquitur hoc secundo modo, non primo, vt ipsemet apertissimè se se explicat. Alterum, quoad reliquos Patres, non exaggeratè dixisse Riccardum, omnes asserere, essentiam, sapientiam gigni, & gignere, &c. nimirum in secundo sensu, in quo ipse etiam tantum loquitur, non in primo; vt patet ex citatis, & ex multis aliis, quos breuitatis causa prætermittimus. Et qui contra hunc secundum sensum loquatur, nec vnum quidem reperiri. Imò vix etiam inueniri, qui primo modo strictè, ac propriè loquatur. Quamuis enim pauci quidam exponentes proprietatem Patris ingeniti, dicant, essentiam Patris, & totius Trinitatis esse ingenitam, vt Iustinianus in reprehensione Decretorum Aristotelis ex l. 1. de natura, non longè à fine. *In Deo non ortum esse, negationem significat originis essentiæ;* vbi loquitur de negatione creationis, quæ conuenit etiã omnibus personis; & Athanasius

Riccardus Victorinus contra Magistrum. Iustinus. Athanasius.

Dialo

Dialogo 2. de Trinitate propè finem, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ingenita sunt essentia;* vbi ipse quoque videtur ingenitum sumere pro increato; & Basilius l. 5. contra Eunomium c. 15. paulò post principium, *Qui dixit ingenitum Deum, quòd substantia Dei nata non sit, demonstrauit;* & Ephræm Syrus tomo 3. in sermone longissimo de pœnitentia, pag. 18. paulò post principium, vocat, *vnam consubstantialis Trinitatis naturam ingenitam;* & ibidem in confessione, & reprehensione sui ipsius pag. 7. initio. *Cum Spiritus, & Verbi vna, & eadem sit principij expers essentia, atque substantia;* tamen nos cum Magistro, & Scholasticis in alio sensu contendimus dici non posse, essentiam generare essentiam, vel ab essentia generari. Cur autem hunc sensum non expresserint Patres, arbitror causam fuisse, quia toti erant in Ariana hæresi confutanda; & ideo essentialem Trinitatis vnitatem, quæ expressius importatur illis vocibus, *essentia de essentia, sapientia de sapientia,* & similibus loquendi modis, significare voluerunt. Nimirum, vt docet Albertus p. p. summæ quæst. 30. membro 3. art. 1. post med. Corpor. *Propter hæreticos, præcipuè Arianos, & Nestorianos; qui dixerunt, Patrem, & Filium, esse diuersæ essentiæ; & tunc Sancti occurrentes illi hæresi in oppositum extendendo locutionem, dixerunt, essentiam de essentia.* In quo, inquit paulo post, *Sancti aliquid simile fecerunt, his, qui tortuosa lignorum dirirunt. Illi enim non tantum tortuosum lignum dirigunt ad rectum, sed incuruant ad oppositum, vt amissa curuitate indebitæ, per naturam in rectum redeat.* Alioqui de sapientissimis Doctoribus in dubium reuocari non poterat, ipsos velle, idem à se ipso procedere, quod sæpè negant. Postea verò Concilium Lateranense, animaduertens largo illo, & minus propriè loquendi modo Abbatem Ioachim abusum ad introductionem sui erroris de Trinitatis vnitate collectiua non propria, vt supra num. 3. censuit publica Ecclesiæ authoritate probandum, ac recipiendum strictiorem, & magis proprium loquendi modum Magistri, & Scholasticorum: qui non est contrarius modo loquendi Patrum in alio sensu, tametsi minus ab illis expressus. & ideò post hoc Concilium nemini licitum est aliter loqui; quidquid aliter, sed in alio bono sensu maiores nostri loquuti antea fuerint.

Basilius. Ephræm Syrus. Albertus.

Dissoluuntur oppositæ rationes.

7. *Obijciuntur quatuor sophismata.* Bellarminus. Obiicies secundò, tria sophismata, ex quibus de multis aliis similibus iudicium ferri facilè poterit. Primum, omnis Pater generat. Essentia est Pater. ergo essentia generat. Secundum, Pater est Pater Filij. Sed essentia est Pater. ergo essentia est Pater Filij. Tertium, Filius Dei est genitus. Filius Dei est essentia quædam viua, non figmentum. ergo essentia est genita. Ita apud Bellarminum l. 2. de Christo c. 7. paulò post principium arguebat Ioannes VVigandus l. contra nouos Arianos, iactans, hanc esse demonstrationem; & ita soluens, nimirum negatione minoris, hoc aliud quartum sophisma Valentini Gentilis. Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus. Sed vnus Deus in essentia non gignit, nec gignitur, nec procedit. ergo vnus Deus in essentia non est verus Deus. Maiorem sic probat. Nullus est Deus præter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Sed Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus sanctus procedit. ergo, qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus. Minorem etiam primi Syllogismi probat, quia Deus in essentia, nihil est aliud, quàm ipsa essentia communis tribus. essentiam autem non generare, nec generari, nec procedere, sententiarij docent.

Soluitur primum sophisma cum Bonauentura, & Riccardo. Respondeo ad primum sophisma cum Bonauentura l. d. 5. art. 1. quæst. 1. ad 2. & Riccardo ibidem ad 1. nullam esse consequentiam ex variatione modi prædicandi. Nam cum in minore dicitur, *essentia est Pater*, Pater de essentia prædicatur per identitatem meram, & non tribuitur subiecto aliquis actus illi conueniens propter aliquam rationem inclusam in formali, & intrinseco conceptu subiecti; paternitas enim non est de ratione quidditatiua essentiæ, supra quæst. 28. art. 2. Cum vero in consequente dicitur, *essentia generat*, assumitur de essentia prædicatio alterius generis, nempè per inhærentiam, vel quasi inhærentiam; qua significatur, prædicatum esse formam, siue actum afficientem subiectum, ac proinde conuenientem subiecto propter adæquatam aliquam rationem in illo subiecto intrinsecè, & formaliter inclusam. Hæc autem adæquata ratio, propter quam prædicatum generandi conueniat subiecto, non est in essentia, cum dicitur, *essentia generat*, sicut est in Patre, cum in maiore dicitur, *Pater generat*; simile vitium est in hoc alio syllogismo, supposito est incommunicabile, essentia est suppositum, ergo essentia est incommunicabilis. & reperiri etiam potest in terminis creatis in opinione eorum, qui non distinguunt quædam à parte rei, verbi gratia essentiam & existentiam, relationem & fundamentum, & alia similia. Ita non valeret, essentia hominis producit vsibilitatem, aliasque hominis potentias, seu passiones. Sed existentia hominis est essentia hominis. ergo existentia hominis producit, &c. Item potentia generatiua producit, sed paternitas est potentia generatiua. ergo Paternitas producit. Teneret autem consequentia, vt acutè adnotauit Riccardus supra, si loco illius consequentis, *essentia generat*, deduceretur hoc aliud, *ergo essentia est id, quod generat.* Tunc enim etiam in conclusione seruaretur de essentia idem modus prædicandi per identitatem, sicut in minore.

8. *Soluitur secundum sophisma cum Riccardo.* Ad secundum sophisma dico, consequentiam laborare eodem vitio variatæ prædicationis in minore, & conclusione, vt respondet Riccardus 1. d. 5. art. 1. quæst. 1. ad 5. Nam cum in minore dicitur *essentia est Pater*, de essentia prædicatur Pater per identitatem: solum enim dicitur, quòd essentia identificatur cum persona Patris, seu cum paternitate; & non dicitur, quòd persona Patris, seu paternitas est inclusa in essentia, sicut, cum dicitur, prima persona Trinitatis est Pater, seu persona generans in Trinitate est Pater; sic enim falsò diceretur, essentia est Pater. Cum verò in conclusione deducitur, ergo essentia generat, siue, quod idem est, essentia Pater Filij, de eadem essentia prædicatur generare, siue esse principium Filij, non per identitatem, sed per inhærentiam; quæ prædicatio ex sua propria ratione, vt verificetur, supponit in essentia, vt essentia est, esse totum id quod ad generandum requiritur, & ad principiandum Filium; ac proinde supponit, in essentia esse paternitatem, seu paternitatis personalitatem, cuius, tamquam proprij subiecti actus, est generare: quæ paternitas est in Patre, non in essentia, quæ intra suum intrinsecum, & essentialem conceptum, nullam includit personalitatem, nec consequenter esse Patrem. ergo non potest verè tribui illi actus generandi, siue esse Patrem principium Filij, & relatum ad Filium; quæ omnia primæ Patris personæ conueniunt,

&

& non essentiæ secundum se ab omni personalitate præcisæ. Cum enim dicitur, *Essentia generat*, inquit Riccardus, *in ista ipse actus attribuitur essentiæ, vt emanans ab ea.* Potest etiam simpliciter concedi consequentia cum eodem Riccardo. Sicut enim cum dicitur in minore, *Essentia est Pater*, inquit Riccardus, *sensus est, quòd essentia est ille, qui est Pater*, ita cum ex hoc infertur, *Essentia est Filij Pater*, debet pariter intelligi in eodem sensu identico, *quòd essentia est ille, qui est Filij Pater*; sicut cum eodem Riccardo dici identicè potest, *Essentia est generatio. Sic enim dicendo, non significatur generatio emanare ab essentia, sicut dicendo, essentia generat.* Similiter soluitur tertium sophisma, quia Filius est essentia per identitatem, cui non conuenit esse genitum ex eo quòd sit essentia simpliciter, quæ secundum rationem à Filio distinguitur; sed ex eo quòd sit Filius, qui addit aliquid supra essentiam. Perperam igitur in conclusione esse genitum, tribuitur essentiæ secundum se. Quare aliter soluendum est quartum Sophisma Valentini. In illo enim variatur suppositio maioris extremi, quod est, *Verus Deus*. Nam in maiori propositione, cum dicitur, *Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus*, accipitur Deus pro diuina persona; & si sumeretur pro essentia, esset falsa minor, quia in Lateranensi suprà n. 3. de essentia diuina dicitur, *Illa res non est generans, neque genita, nec procedens.* At in conclusione, cum infertur; *ergo vnus Deus in essentia non est merus Deus*; accipitur Deus pro essentia, seu Deitate. Nam etsi vnus Deus in essentia sua non habeat aliquam personalitatem, habet tamen veram Deitatem.

Solvitur 3. sophisma.

Soluitur 4. sophisma.

Lateranense.

9. *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò. Totus Filius generatur, & totus Spiritus sanctus spiratur. ergo generatur, & spiratur etiam essentia, quidditatiuè clausa in Filio, & Spiritu sancto. Quod si dicas, totum Filium generari, & totum Spiritum sanctum spirari; non tamen totaliter, seu potius, totum collectiuè, non totum distributiuè, sicut quælibet tota persona distinguitur ab alia tota, refertúrque ad aliam totam; & totus Filius humanitatem assumpsit; & tamen nec distinctio, nec relatio, nec assumptio est formaliter ac præcisè ratione essentiæ, sed solius personalitatis; sicut etiam in creaturis totus homo generatur, & tamen neque materia prima, neque anima rationalis, quæ essentiales sunt hominis partes generantur; in contrarium videtur Hilarius lib. 4. de Trinitate col. 5. circa med. dicens, *Nihil nisi natum habet Filius*, quæ verba manifestè faciunt sensum vniuersalem distributiuum.

Hilarius.

Respondetur exponendo verba Hilarij cum Magistro.

Respondeo benè negatam esse consequentiam. Sensus autem verborum Hilarij, vt patet ex contextu, non est contrarius; quia, vt exponit Magister l. 1. sent. d. 5. litera H. initio, non vult aliud, nisi quòd Filius nihil habet etiam ipsam essentiam, & ipsum esse Deum, nisi quòd nascendo accepit; & ipse nascendo Patris in se subsistentem naturam habuit. Idem igitur est apud Hilarium, esse natum, quod esse per natiuitatem acceptum. Huc spectat, quòd hic respondetur ad secundum, nempe in rebus creatis produci per accidens, & corrumpi naturam, per se corrupto & producto supposito. In diuinis vero, nec per se, nec per accidens produci naturam producto supposito: quia in creaturis alia numero natura est in generante, & alia in genito, quæ ideo in eo incipit de nouo. *Sed Deus genitus eandem naturam numero accipit, quam generans habet.* Ea verò sicut in generante nullo modo producitur, ita nec in genito. Neque obstat, quòd Deus & essētia diuina sint idem; quia vt deinde respondetur ad 3. *Licet sint idem, secundum rem, tamen ratione alterius modi significandi*, scilicet in concreto, & in abstracto, *oportet loqui diuersimodè de vtroque.*

Declaratur responsio ad secundum & tertium.

10. *Quarta obiectio.* Obiicies quartò. Istæ sunt propositiones Augustini lib. de Fide, & Symbolo cap. 3. med. *Deus cum Verbum genuit, id, quod est ipse, genuit.* Et iterum propè finem, *Deus Pater hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit.* Illud autem quod Deus Pater est, non est nisi diuina essentia, quia ex probatis suprà quæst. 31. art. 2. Pater, & Filius sunt vnum, & idem neutraliter; non vnus, & idem masculinè, sed alius, & alius. ergo diuina essentia dici rectè potest generari.

Respondetur explicando cum Magistro verba Augustini.

Respondet optimè Magister lib. 1. sent. d. 5. litera D. *Augustini verba sic intelligenda esse, Pater de se ipso genuit illud, quod ipse est, id est Filium, qui est illud, quod Pater est. Nam quod Pater est, & Filius hoc est; sed non qui Pater, & Filius hic est.* Hoc indicat ipsemet Augustinus, prius dicens, *Deus Verbum genuit.* ergo deinde addens, *genuit quod est ipse*, iuxta verba præcedentia intelligendum ita est, Genuit Verbum, quod est illud idem, quod est ipse, qui illud genuit. Hunc sensum eodem loquendi modo clarius ex antecedentibus expressit Epiphanius hæresi 76. confutans cap. 47. Aetij illis verbis, *Cum autem Deus increatus genuerit sibi ipsi Filium, & non creauerit, non aliud gignit à sua essentia.*

Epiphanius.

11. *Quinta obiectio.* Obiicies quintò. Si non rectè dicitur simpliciter, & absque vllo addito, essentia diuina generatur, generat, saltem cum ista limitatione, seu reduplicatione dici rectè poterit, essentia diuina prout est in Filio generatur, prout est in Patre generat. Quod concessit Bonauentura 1. d. 5. art. 2. quæst. 1. circa finem dicens, *Posset dici, quòd non generetur commune, nisi vt in hoc; & non tantum in creaturis hoc verum est, sed etiam in diuinis.* Quoniam, inquit, *commune vt in hoc, non significatur in abstractione, sed in concretione*; sicut hoc nomen, Deus; de quo generare, & generari propriè dicimus.

Respondetur cum Riccardo contra Bonauenturam, essentiam non generari præc. est in Filio.

Respondeo cum Riccardo 1. d. 5. art. 1. quæst. 1. ad 6. videri probabilius non hunc quidem loquendi modum esse vsurpandum, si non est vsurpandus primus: quia cum essentia, etiam considerata prout est in Filio, non sit alia ab essentia, prout est in Patre, sed vna, eademque omnino sit in Patre, Filio, & Spiritu sancto, dici non potest genita, aut generans, etiam prout est in Filio, aut in Patre. Quemadmodum nec alia, nec distincta, nec incommunicabilis. Confirmatur primò, quia illa reduplicatio, Prout est in Filio, non reduplicat propriè ipsummet Filium formaliter, cum quo essentia identificatur, sed habitudinem quamdam identitatis, quam habet ad Filium, seu potius existentiam suam absolutam, quam habet in Filio. Sicut si vna numero albedo esset in Petro, & Paulo, albedo prout in Petro non reduplicaret ipsum formaliter Petrum, sed tantum terminatiuè, reduplicando solum albedinis esse, quod albedo habet in Petro, sed eamdem identitatis habitudinem, quam essentia habet ad Filium, habet ad Patrem, & Spiritum sanctum, & eamdem absolutam existentiam, quam essentia habet in Filio, habet etiam in Patre, & Spiritu sancto. ergo essentia prout in Filio, & prout in Patre, adhuc non importat in se aliquā realem distinctionem, cuius ratione dici ipsa possit generari, aut generare. Secundo, dicens essentiam generari, non prout est in se, sed prout est in Filio, significaret essentiam generari, non per se generatione ad ipsam in se terminata, sed per accidens, generatione terminata ad Filium per se generatum, in quo ipsa essentia est. At verò essentiam generari per accidens, negant, non solum S. Thomas suprà num. 9. fin. sed etiam Aureolus 1. d. 5. q. vnica art. 4. §. *Sed dicendum*, & alij communiter.

Diuinam essentiam, ne per accidens quidem generari, dicunt S. Thomas, & Aureolus.

ter; quod enim singulare, atque indiuiduum in se est, & prius origine præexistit in generante, & idem omninò in posteriori originis existit in genito, sicut est diuina essentia, siue hic Deus, ita se habet, vt si per impossibile non generaretur aliud suppositum, adhuc idem prorsus existeret in alia persona ingenita. ergo ne per accidens quidem dici potest, generari genito Filio: quasi verò si per impossibile non existeret Filius, non existeret essentia Filij; existeret enim non in Filio, sed in Patre eadem omnino. Tertiò, qui dicit, essentia vt in Patre generat, peccat etiam in materia; sicut non debet dici, inquit Riccardus supra, *Fortitudo vt in homine frangit lapidem; sed homo per fortitudinem. Actus enim non est forma vt agentis, sed vt illius per quod suppositum agit; ita duo, quod non debet concedi, diuina natura, vt in Patre generat; sed Pater per diuinam naturam, vt non habens eam ab alio.* Quartò, si valeret, essentia vt in Patre, generat, & essentia vt in Filio generatur, vt arguit idem Riccardus, *sequeretur, quòd essentia, vt in Patre generaret semetipsam, vt in Filio; quod*, inquit Riccardus, *non est mihi intelligibile; quia per generari, accipit res esse simpliciter, non tantum esse in aliquo.*

12. *Sexta obiectio.* Obiicies sextò, essentia est Pater generans, essentia est Filius genitus; dicit enim Lateranense supra n. 3. de diuina essentia, *quòd vna quædam summa res est, quæ veraciter est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus sanctus, qui procedit.* ergo essentia est generans, & genita. Probatur consequentia, quia, vt obiicitur hic in 5. argumento, *si essentia non sit generans, erit essentia res generans, & non generans quod est impossibile.*

Respondetur negando consequentiam, quia sit tres situs de sensu identificato ad denominatium.

Respondeo concesso antecedente in sensu identico, in quo solum verificatur, nego consequentiam; quia in ea fit transitus ad alium sensum denominatiuum, quem Bonauentura, & Riccardus supra vocant, *Prædicationem per inhærentiam, non per identitatem.* Ad probationem consequentiæ dico, istas duas propositiones esse subtiliter distinguendas, essentia est res generans, essentia est generans. In prima de essentia prædicauit nomen substantiuum, *Res generans*: in secunda nomen adiectiuum, *Generans*, docet autem S. Thomas ad 5. initio, *quòd hæc est differentia inter nomina substantiua, & adiectiua; quia nomina substantiua ferunt suum suppositum*; illud scilicet per se, & directè significando; sicut homo, verbi gratia, significat per se subsistens in humanitate; siue, vt dicitur art. præcedente, *humanitatem significat in supposito, vt in habente ipsam*; *adiectiua verò non, sed rem significatam ponunt circa substantiuum. Vnde Sophistæ dicunt, quod nomina substantiua supponunt*, hoc est, ponunt & significant aliquid per se, quod est suppositum, *adiectiua verò non supponunt, sed copulant*: hoc est, præsupponunt suppositum subiectum, & solum significant aliquid illi inesse. Hinc deducit, & est generalis regula valde obseruanda pro modo rectè loquendi in hac materia, nomina personalia substantiua posse prædicari de essentia, etiam abstractè significata, quia huiusmodi nomina in subiecto propositionis, non præsupponunt suppositum, sed illud secum ferunt, & ponunt in subiecto per identitatem, quam cum illo habent; & ideò rectè dicitur in sensu identico, essentia est Pater, est Filius, est res generans, est res genita; quæ, aliáque similia prædicata non determinant sibi distinctam essentiam, sed solum sibi eam identificant; quemadmodum ipsa à parte rei est verè vna, & omnibus personis communis per summam identitatem. Nomina verò personalia adiectiua de eadem essentia prædicari non posse, quia illa non secum ferunt, aut ponunt suppositum, sed præsupponunt; & solum dicunt, aliquid inesse, & copulari cum tali determinato supposito;

Differentia inter nomina substantiua, & adiectiua, ex S. Thoma.

13. *Septima obiectio.* Obiicies septimò. Hæc est simpliciter vera, *Paternitas generat*, vt colligitur ex S. Thoma de Pot. q. 8. art. 2. ad 7. docente, quòd bonus, sapiens, intelligere, velle, creare, & alia huiusmodi, dicuntur verè, sed non propriè de essentia in abstracto significata; & etiam verè de relatione abstracta, licèt minus propriè. Si enim hæc est vera, Paternitas creat, ergo multò magis hæc erit vera, Paternitas generat, quia multò magis concurrit paternitas ad generandum, quàm ad creandum: nam, vt loquitur S. Thomas in fine prædictæ responsionis, *Deus est bonus, vel creans ex eo, quòd habet essentiam; non ex eo quòd habet relationem.* At verò Deus est generans, non solum ex eo quòd habet essentiam sed etiam ex eo, quòd habet relationem paternitatis: hinc enim oritur vt quamuis eadem omninò essentia sit in Patre, Filio, & Spiritu sancto, tamen solus Pater generat: & cum essentia diuina in se sit vna, & prorsus indistincta, si consideretur per se præcisè ab omni relatione, non potest ad intra generare aliquid à se distinctum: potest autem ad extra creare valdè res alias distinctas. ergo multo magis dici debet hæc simpliciter vera, essentia generat; quia procul dubio ad generandum multò magis concurrit essentia, quàm Paternitas.

Respondetur primo cum Alense, & S. Thoma, quòd Paternitas non generat.

Respondeo, Antecedens totum negari ab Alense p. p. quæst. 68. membro 5. art. 4. & 5. imo ab ipsomet S. Thoma suprà quæst. 32. art. 2. ad 2. *Non possumus dicere, quòd Paternitas generet, vel creet*; quem sequuntur ibi Torres, Vasquez, & alij; & sanè non improbabiliter posita opinione superius probata, quod diuina relatio neque explicitè, neque implicitè in sua intrinseca ratione includat essentiam: sic enim relatio abstracta ab essentia, neque est generans *vt quod*, neque est generans, *vt quo*, seu ratio formalis generandi, neque est ipsa formalis generatio, vt inferius ostendam; sed solum est formalis ratio distinguendi generantem à genito, ad generandum necessariò requisita: quod non videtur sufficiens, vt illi simpliciter tribui possit, generare. Quis enim de creaturis dixerit, Approximatio calefacit, existentia intelligit, Personalitas, seu subsistentia operatur? Tametsi ignis non approximatus calefacere non possit, nec possit intelligere intellectus non existens, nec vniuersaliter operari possit natura creata spoliata omni personalitate. Nihilominus, admisso antecedente, nego consequentiam: nam etsi ad generandum multò magis concurrat, & necessaria sit essentia, quam paternitas; tamen generatio concipi simpliciter non potest cum sola essentia indistincta, sicut concipi nequit, idem generare se ipsum; sed cum sola Paternitate realiter distincta à Filio concipi vtrumque potest generatio, nimirum non cum aliquo generante, aut formali generandi principio; sed cum aliquo formali constitutiuo, ac distinctiuo, ad generandum simpliciter necessario.

Secundo potiùs dici, Paternitas generat, quam essentia generat.

14. *Octaua obiectio. Essentiâ communicari.*

Obiicies octauò, Diuina essentia passiuè communicatur, eámque actiuè Pater communicat Filio. & Pater & Filius communicant Spiritui sancto. Nihil enim aliud est essentiam communicare, quàm vi alicuius actionis eam ita dare alteri, vt ipse etiam dans in se retineat, ac proinde eam facere communem danti, & accipienti: quo modo dari essentiam diuinam certum est ex omnibus Patribus, & Scholasticis, fundatis in Scriptura Ioannis 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Vbi per vitam, vt exponit Hilarius libro de Synodis col. 6. ad can. 4. orientalium, *manifestum est, quòd intelligitur substantia, & essentia significata.* & paulò post, *Quod in vtroque visa est, id in vtroque significatur essentia.* & rursus ad can. 6. post med. *In vita natura, & essentia significatio est, quæ sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum.* Itaque clarius exponit Augustinus l. 15. de Trinit. c. 26. non longè à fine, dicens. *Sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de Patre generatio; ita Spiritui sancto præstat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de vtroque processio.* & de Spiritu sancto dicitur Ioann. 16. *De meo accipiet.* Quem locum pluribus explico supra quæst. 27. art. 1. num. 159. & quæst. 36. art. 2. num. 7. ergo dici etiam rectè potest eadem essentia passiuè generari, & Pater eam actiuè generare.

Exponitur locus Ioannis 5. cum Hilario, & Augustino.

Respondetur cum S. Thoma, essentiam communicari, non generari.

Respondeo, negando consequentiam cum S. Thoma hic ad 6. vbi commune illud Sanctorum dictum quod declaraui supra q. 33. art. 1. n. 23. & 24. *Pater est principium totius Deitatis*; ita exponit, *Non quia eam generet, & spiret, sed quia eam generando, & spirando communicat.* Concedit, essentiam communicari per generationem Filij, & spirationem Spiritus sancti, & tamen negat, eam generari, & spirari. Vnde colligo, communicationem formaliter non esse ens rationis, vt aliqui illam immeritò vocant; nullo enim intellectu cogitante, verè, ac realiter vna persona communicat alteri diuinam essentiam; ergo per veram, ac realem actionem: sed esse ipsammet generationem, & spirationem, non qua generetur, & spiretur essentia, quæ communicetur alicui termino præexistenti, & prius producto, sicut vnus amicus bona sua communicat alteri amico; sed qua generetur, & spiretur terminus, cui vi talis actionis realis, essentia generantis, & spirantis fiat communis cum termino generato, & spirato. Itaque vt bene docet, & probat Durandus 1. d. 7. q. 2. num. 23. *generatio Filij, & communicatio essentiæ Filio à Patre, est eadem actio, scilicet sola generatio.* Quæ actio non debet intelligi per se terminata ad rem communicatam quæ est essentia indistincta à communicante; sed tantum *concomitanter*, vt loquitur Scotus 1. d. 5. q. 1. in responsione ad argumenta §. *Ad rationem illam*, & significat S. Thomas supra dicens, *generando, & spirando, communicat*: hoc est, Pater essentiam communicat, non per se, actione scilicet ad ipsam essentiam secundum se terminata; sed concomitanter, actione scilicet per se terminata, ad genitum, & spiratum, cum quibus essentialiter identificatur eadem vna Patris essentia. Differt præterea eadem actio, vt productio formaliter, & vt communicatio formaliter: vt productio, importat explicitè duos tantum terminos, producentem, & productum: vt communicatio verò, importat explicitè tres terminos, communicantem, qui communicatur, & cui communicatur. Vt productio, est omninò realis, & fundat duas oppositas reales relationes originis; vt communicatio, si consideretur adæquatè etiam per respectum ad id, cui communicatur, est eodem modo realis, & fundat easdem reales relationes: si verò consideretur inadæquatè, & præcisè per ordinem communicantis ad id tantum, quod communicatur, dici non potest actio realis simpliciter cum reali relatione propter defectum distinctionis inter terminos, sed erit actio quasi realis, seu quasi rationis; in quantum ipsa actio, quæ concipitur, est realis; sed non concipitur adæquatè, & explicitè, vt realis, cum concipitur inter terminos ratione tantùm distinctos. In hoc sensu intelligo Scotum supra dicentem. *Producere in diuinis dicit relationem realem. Communicare autem dicit relationem originis, & quasi rationis concomitantem illam realem, communicare enim, & communicari sunt relationes rationis oppositæ, secundum proprias rationes suas; licet necessario concomitentur aliquas relationes reales oppositas.*

Durandus. *Scotus.* *S. Thomas.*

Cur ex communicatione non producitur.

Ex his apparet ratio, cur negetur consequentia obiectionis; nempe, cur ex communicatione essentiæ, non sequatur essentiæ generatio: & disparitas, quæ ex dictis colligitur, est, quia generatio, vt formaliter generatio, & productio, terminatur ad aliquid in se ipso formaliter generarum, & productum, & consequenter distinctum à generante, & producente, quam distinctionem non habet diuina essentia. ergo dici non potest generari à Patre, aut Pater eam generare. At vero generatio, vt formaliter communicatio non terminatur ad aliquid in se ipso communicatum, sed communicatum alteri per ipsam communicationem, producto. Communicatio enim essentiæ non sistit in ipsa essentia, sed tendit vlterius, & principalius ad suppositum productum, cui communicatur essentia, suppositum illud concomitans per summam, & essentialem identificationem. Et ideo quamuis terminus, qui communicatur, sit idem cum communicante, satis est, id, cui communicatur, esse realiter distinctum à communicante, vt possit rectè dici communicari prædictus terminus, seu communis essentia, indistincta omninò, & à communicante, & ab eo, cui communicatur essentia: igitur, vt communicata formaliter, non est formaliter producta, aut originata, aut generata, aut spirata; sed tantùm concomitanter; quia huiusmodi communicatio essentialiter concomitatur productionem diuini suppositi, cui Deitas communicari dicitur. Ita etiam communicare, & communicari dici debent realiter distincta, & opposita, & relatiua; non per se formaliter, sed concomitanter, in quantum essentialiter concomitantur producere, & produci, quæ inuicem realiter distinguuntur, opponuntur, & referuntur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd Personæ non possunt, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Personas prædicari de nominibus essentialibus in abstracto, n. 1. ad 5.*
2. *Personas prædicari de nominibus essentialibus in concreto, n. 5. & 6.*
3. *Quomodo prædicetur Trinitas de supposito, & de Deo, n. 6. ad 9.*
4. *Satisfit nonnullis obiectionibus, num. 9. ad finem Articuli.*

PRIMA

1. *Prima conclusio affirmatiua de nominibus in abstracto.*

PRIMA conclusio. Tres diuinæ personæ prædicantur de nominibus essentialibus, sed in abstracto significatis. Ita S. Thomas hic non tam signatè, quàm exercitè. Non enim distinguit nomina essentialia abstracta, & concreta, sed de illis re ipsa distinctè loquitur, probans dici, *Deus est tres personæ*, ex eo, quòd dicatur, *essentia est tres personæ*, sequuntur reliqui omnes Scholastici cum Magistro l. 1. sent. d. 4. litera C. ita referente, & docente. *Quidam veritatis aduersarij concedunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sine tres personas esse vnum Deum, vnam substantiam: sed tamen nolunt concedere, vnum Deum, siue vnam substantiam esse tres personas, dicentes, diuinam substantiam prædicari de tribus personis, non tres personas de substantia diuina. Fides autem Catholica tenet, ac prædicat, & tres personas esse vnum Deum, & vnam substantiam, sine essentiam, siue naturam diuinam; & vnum Deum, siue essentiam diuinam, esse tres personas.* Hos aduersarios fuisse Porretanum, dicunt S. Thomas hic ad 1. & Alensis p. p. quæst. 50. membro 3. art. 2. §. 7. & *Porretani discipulos*, dicit Riccardus in fine distinctionis citatæ.

Conclusionis Authores, & Aduersarij.

2. *Certius dici, Deitas est Trinitas, quàm Deus est Trinitas.*

Probatur primò ex Patribus, quos sequenti conclusione afferam, prædicantes Trinitatem de Deo, qui per Deum intelligunt Deitatem ipsam. Multo enim facilius de Deitate omninò abstracta à personis, quàm de Deo, qui est etiam nomen personale intelligitur, quòd sit tres personæ; sicut facilius intelligitur, vnam naturam, quàm vnum suppositum identificari tribus suppositis. Quapropter minus probo, quòd aliqui recentiores animaduertunt, minori censura dignum, qui negat, Deitas est Trinitas, quàm qui negat, Deus est Trinitas; illam enim negationem esse erroneam, hanc temerariam tantum. Sapientiùs Magister supra docuit, vtramque propositionem Catholica fide teneri, ac prædicari; & cum S. Thomas secundam probauerit per primam, profectò censere non potuit minus certam esse primam, quàm secundam.

3. *Lateranense.*

Probatur secundò directis authoritatibus, & præcipuè Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 2. *Damnamus*; vbi omnes credere, & confiteri iubemur, *quòd vna res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* & continuo subiectum propositionis, ita explicat, *Illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina.* ergo hæc est Fidei propositio expressè definita, essentia diuina est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Præterea in Concilio Nicæno l. 2. col. 9. fin. §. *Sancta, & magna, & generalis Synodus*, ita decernit. *Diuinitas non est vna persona, vt Iudæi opinantur; sed tres personæ, verè subsistentes non solo nomine.* Item Nazianzenus, & Damascenus citati supra q. 28. art. 2. num. 13. docent, exactius dici, Deitas, ac Diuinitas est tria, seu tres personæ, quàm dicatur, est in tribus.

Nycænum.

4. *Fidei propositio est, tres personæ sunt vna Deitas.* *Bernardus.* *Ephræm Syrus.* *Athanasius.* *Augustinus.*

Probatur tertiò ad hominem. Rectè dat Porretanus, hanc esse de fide, Tres personæ sunt vna Deitas, sicut etiam docet Bernardus, l. 5. de consideratione circa medium, *Personas ipsas non aliud, quàm vnum Deum, vnam diuinam substantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam, & summam maiestatem, fides Catholica confitetur.* Hoc modo loquuntur Ephræm Syrus tomo 3. serm. de Pœnitentia pag. 12. circa finem. *Neque sola vnitas, neque Trinitas est Diuinitas, sed vtrumque simul.* & clarius in confessione, & sui ipsius reprehensione, pag. 7. circa principium, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem sunt personæ; sed vna substantia, & vna Diuinitas.* Augustinus l. 1. de doctrina Christiana c. 5. ante med. *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, simul omnes vnus Deus, & vna substantia.* Anselmus in Monologio c. 57. post princi-

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

pium, *omnes tres simul non sunt nisi essentia vna summa.* & c. 34. *simul Pater, & Filius cum suo Spiritu, sunt vna, eademque summa essentia.* & reliqui omnes communiter. ergo è conuerso eamdem veritatem habere debet hæc, quam Porretanus negabat, Deitas est tres personæ. consequentia est manifesta, quoniam in veraque propositione seruatur eadem terminorum suppositio: & prima dicens, Trinitas est Deitas, nullam aliam ob causam vera dici potest, nisi propter omnimodam vnitatem, & identitatem, quam Trinitas habet cum Deitate; aliter in sensu formali esset falsa, Trinitas est Deitas, quia personalitates Trinitatis identificantur quidem cum natura, sed hæc in quidditatiuo earum conceptu non includitur: & ideò in creaturis, in quibus personalitas distinguitur à parte rei à natura in omni sensu est falsa, Persona est natura, & consequenter est falsa, etiam è conuerso, natura est personalitas. Sed eandem vnitatem, & identitatem quam habet Trinitas cum Deitate, habet etiam Deitas cum Trinitate. ergo non minus vera erit secunda, Deitas est Trinitas. Neque enim Deitas, & Trinitas inuicem comparantur, tamquam superius, & inferius, in quibus, quia non æquè latè patent, superius prædicatur de inferiori, non contra; v. g. dicitur, Petrus est homo; non tamen propriè dicitur, homo est Petrus: sed comparantur solum tanquam duo, secundum rationem tantum distincta, quæ sunt æquè vnum in re, & æquè latè patent, cum tam Trinitas sit Deitati identificata, & à Deitate inseparabilis, quàm è conuerso, Deitas sit Trinitati identificata, & inseparabilis à Trinitate. Igitur nulla ratio probabilis potest assignari, ob quam vna potius quam alia prædictarum propositionum verificetur.

5. *Secunda conclusio affirmatiue de nominibus in concreto.*

Secunda conclusio, eædem tres diuinæ personæ prædicantur etiam de nominibus essentialibus in concreto significatis, vt Deus est Trinitas, seu tres personæ, seu Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Hæc ab omnibus recipitur, vt Fidei propositio, vt supra num. 1. & 2. expressè definita à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura.* Quibus vltimis verbis satis explicat quod in prædicta propositione, sicut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus supponuntur pro tribus personis, ita Deus supponatur pro sola essentia, & natura abstracta, seu præcisa ab omni personalitate. Qua explicatione confirmatur, quod superius adnotatum est de æquali certitudine vtriusque propositionis. Confirmatur etiam, quòd nomen, Deus, etsi extra propositionem indifferens sit ad supponendum pro concreto essentiali, & pro concreto personali; tamen in hac propositione, Deus est Trinitas, limitetur ad supponendum pro concreto essentiali, non personali; sicut è contrario in hac alia, Deus generat, limitatur ad supponendum pro concreto personali, non essentiali; vt explicatum est supra art. 4. à num. 1. ad 7.

6. *S. Thomas.* *Alensis.* *Riccardus.*

Quod sapientissimi viri probantes hanc conclusionem expressè docuerunt. Ita S. Thomas in fin. Corp. *quia hoc nomen, Deus, per se habet, quod supponat pro essentia, vt dictum est, ideo sicut hæc est vera, essentia est tres personæ, ita hæc est vera, Deus est tres personæ.* Consentit Alensis supra, ita vniuersaliter, & optimè sumens, *Quod per hunc terminum, Deus, quandoque supponitur essentia, quandoque persona:* & inde inferens, quòd quia *essentia significata per hoc nomen Deus, indiuisa remanet in personis; ideò hæc est vera, Deus est Trinitas.* Similiter Riccardus supra, soluens fundamentũ Porretanorum contra prędictã

propositionem dicentium, *Quòd terminus à parte subiecti stat pro supposito, & nullum deinde suppositum est tres personæ*, respondet, non valere obiectionem, *quia terminus à parte subiecti potest stare vel pro supposito, vel pro ipsa natura.* In casu autem nostro stat pro natura, & ideò est vera propositio; *quia*, inquit, *certum est, quòd ipsa diuina natura, est ipsa tria suppositа prædicatione per identitatem.* Et quidem, si cum dicitur, Deus est Trinitas, supponeretur Deus pro aliquo supposito, esset falsa propositio; quia neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus, est tres personæ, sed vna tantum. Idem esset secundum aliquos, si supponeretur Deus pro supposito indistinctè, & in communi; quia quod communi alicui termino tribuitur, debet posse tribui singulis particularibus, siue inferioribus sub illo communi termino contentis; verbi gratia, quia homo est risibilis, est animal, &c. hæc etiam de singulis hominibus prædicantur. Si igitur de nullo diuino supposito prædicatur Trinitas, neque prædicabitur de diuino supposito in communi. Hic esse videtur discursus S. Thomæ in responsione ad 1. quem confirmat exemplo hominis, *qui*, inquit, *per se habet supponere pro persona: & ideò hæc est falsa, Homo est omnis homo, quia pro nullo supposito verificari potest.* Si igitur cum dicitur, Deus est Trinitas, similiter supponeretur Deus non pro hoc, vel illo supposito diuino, sed pro supposito communi omnibus diuinis suppositis, quæ non sunt nisi tria, seu Trinitas suppositorum, esset etiam falsa propositio, quia pro nullo supposito verificari posset. & ideò iuxta prædictam doctrinam, ita continuo concludit S. Thomas. *Vnde licet pro nullo suppositorum diuinæ naturæ hæc sit vera, Deus est Trinitas, est tamen vera pro essentia. Quod non attendens Porretanus eam negauit.* Vbi tamen distinctione opus est. Quædam enim conueniunt termino communi, communitate inclusionis omnium particularium, tamquam partium constituentium illud commune, tanquam totum, sicut esse substantiam, & accidens, conuenit enti: & hæc non necesse est conuenire singulis sub illo communi contentis. Quædam verò conueniunt termino communi, vt formaliter communi, non vt formaliter toti, & hæc necesse est conuenire singulis particularibus, vt quia homo est risibilis, Petrus, & singuli homines sunt risibiles. Igitur cum dicuntur tres personæ, seu Trinitas, non prædicari de diuino supposito in communi, non est intelligendum de communi primo modo, communitate totius ad partes; sed secundo modo, communitate vniuersalis, seu superioris ad particularia, siue inferiora. Prima enim illa prædicatio, quæ dicitur, suppositum diuinum est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vel similiter, ens est substantia & accidens, est potius prædicatio identitatis, quàm communitatis, vt mox clarius explicabo.

An Trinitas prædicari possit de supposito saltem in communi.

S. Thomas.

7.

Eamdem propositionem Patres passim vsurpant, & vt Catholicam docent, omnium frequentissimè Augustinus, quem solum multis in locis citat Magister l. 1. sent. d. 4. litera C. Nam l. 1. de Trinitate cap. 6. post principium, exponens illud 1. Timoth. 6 *Qui solus habet immortalitatem*, bis ita scribit, *Deus est ipsa Trinitas*; & tandem ita concludit. *Rectè ergo ipse Deus Trinitas intelligitur.* & l. 5. cap. 8. paulo post principium, *Non tres Deos, sed vnum Deum dicimus eamdem ipsum præstantissimam Trinitatem.* Et l. 6. cap. 7. post medium. *Dicimus Deum solum ipsam Trinitatem.* & in Enchiridion. cap. 9. post med. *Satis est Christiano credere bonitatem creatoris, qui vnus, & verus est Deus; eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum.* Præterea Cyrillus l. 12. Thesauri cap. 14. fin. *Vnus est Deus ipse Trinitas sancta.* Anastasius Synaita l. 1. de rectæ fidei dogmatibus propè medium. *Deus vnus est Trinitas.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. circa principium, *Vnum Deum simul Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, dicimus esse.* & post pauca. *Fides vnum Deum prædicat Trinitatem, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* & paulo post, ex pluralitate naturarum in diuinis tamquam absurdum infert, quòd *vnus Deus Trinitas ipsa non esset*; & subdit, *sed quia in illo vno vero Deo Trinitate non solum quòd vnus Deus est, sed etiam quòd Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est.* Anselmus epist. de Processione Spiritus sancti cap. 18. fin. *Deus vnus est tres personæ; & personæ tres vnus Deus.* & 1. Timoth. 1. illud, *inuisibili soli Deo*, ait, *quod de solo Deo, qui est ipsa Trinitas dictum sit.* Denique Patres Concilij Toletani XI. in professione Fidei multò post principium ita docent. *Nec rectè dici potest, vt in vno Deo sit Trinitas, sed vnus Deus Trinitas.*

Anastasius Synaita. Fulgentius. Anselmus. Toletanum XI.

Cyrillus.

8.

Ratio conclusionis est eadem cum ratione conclusionis primæ; nempè, quia, inquit S. Thomas, *hoc nomen, Deus per se habet, quòd supponat pro essentia.* Nam ex se, vt probatum est supra art. 4. num. 3. non solum est nomen concretum personale, sed etiam nomen concretum essentiale. ergo infert S. Thomas, *sicut hæc est vera, essentia est tres personæ; ita hæc est vera Deus est tres personæ.* Sed prima est vera, vt dixerat paulò antè, *propter realem identitatem essentiæ, & trium personarum.* ergo propter eamdem identitatem vera est secunda. Quod clarissimè docuit ad secundum, vtrique propositioni tribuens prædicationem eiusdem rationis, *Cum dicitur*, inquit, *Deus, vel diuina essentia est Pater, est prædicatio per identitatem; non autem sicut inferioris de superiori; quia in diuinis non est vniuersale, & singulare.* Nec alium sensum, nisi identicum agnouit Riccardus verbis citatis supra num. 6. & ibidem non obscurè significat Alensis dicens, nomen, Deus, supponi pro essentia; nec alium sensum tribuens huic propositioni, Deus est Trinitas, & alium illi, essentia est Trinitas. Quod aduerto contra aliquos modernos dicentes, hanc secundam esse veram in sensu identico; sed primam esse veram in sensu formali: quia, inquiunt, hoc nomen concretum, Deus, per se habet supponere pro habente Deitatem in supposito, non autem pro essentia in se ipsa subsistente. In quo S. Thomæ contradicunt, eiusque doctrinæ in superioribus probatæ; illi potissimum, quam tradit hic ad 1. & declaraui supra num. 6. Si enim cum dicitur, Deus est Trinitas, esset sensus, diuinum suppositum est tria suppositа; vel diuinum suppositum in subiecto propositionis sumitur vt quid vniuersale, siue analogicè commune ad inferiora suppositа; & tunc propositio esset falsa, vt cum S. Thoma probatum est supra num. 6. vel sumitur vt quid æquiualens per identitatem tribus suppositis; sicut cum dicitur, ens est substantia, & accidens; & tunc est sensus identicus, non formalis; præterquam quòd est contra intentionem loquentium Theologorum, qui cum dicunt, Deus est Trinitas, intendunt tres personas prædicare de vno singulari, ac determinato Deitatis individuo; & asserere, illud in tribus personis subsistere per omnimodam identitatem cum illis. & apparet ex se nimis inutilis, imò etiam periculosus ille sensus. Diuinum suppositum est tria suppositа: viderentur enim introduci in diuinis quatuor personæ. Præterea hic formalis sensus fundari non potest in eo, quòd personalitates sint de formali conceptu essentiæ diuinæ; hoc

Ratio articuli.

Deus est Trinitas *vera in sensu identico, non autem formali.*

hoc enim impugnatum est supra, quæst. 28. art. 2. dub. 3. & negant ipsimet aduersarij authores huius sensus formalis. Dicendum igitur cum S. Thoma, Alensi, Riccardo, & aliis, hoc nomen, Deus, cum dicitur, Deus est Trinitas, esse nomen concretum essentiale, & supponere pro sola essentia, & nullo modo pro persona; & propterea propositionē non posse in alio sensu verificari, nisi identico. Tādem Possetanus ex dictis, præsertim n. 4. impugnari potest ad hominem. Nam concedit, Tres personę sunt vnus Deus. Vbi manifestum est, vnum Deum non posse sumi personaliter; sed tantum essentialiter pro vna essentia diuina: & consequenter, propositionem verificari identicè, non formaliter; quia formaliter loquendo, tam in Deo, quàm in creaturis, falsò dicitur, suppositum est natura; etenim natura comparatur ad suppositum, tamquam pars ad totum. Non licet autem, partem de toto prædicare in sensu formali. Sumitur igitur vnus Deus pro vna essentia in sensu identico. ergo eadem ratione è conuerso, dici potest, vnus Deus est tres personæ; quia non minus identificatur essentia cum personis, quàm identificentur personæ cum essentia.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

9.

Prima obiectio.

Obiicies primo, quod primo loco contra se proponit S. Thomas, Non dicitur, Homo est omnis homo. ergo nec dicitur, Deus est tres, & omnes diuinæ personæ.

Respondetur, non dici, Homo est omnis homo; sed dici, Deus est omnis diuina persona. Alensis.

Respondent communiter, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Rationem discriminis aliqui esse dicunt, quia homo non est realiter singularis, & realiter identificatus cum omnibus suppositis suis, sicut est Deus. Quod sumi potest ex Alensi p. p. q. 50. membro 3. art. 2. §. 7. Corp. dicente, disparitatem esse, quòd essentia significata per hoc nomen, homo, diuiditur, & multiplicatur in indiuiduis personis humanis, essentia vero significata per hoc nomen, Deus, immultiplicata, & indiuisa remanet in pluribus personis. & ideò dicit, *Quod si essentia significata per hoc nomen, homo, esset indiuisa in indiuiduis, hæc esset vera, Homo est omnis homo:* sicut hæc est vera, Deus est Trinitas. Hæc responsio non defendit vniuersaliter falsitatem antecedentis. Vel enim homo sumitur ibi pro natura humana tantum, vel etiam pro supposito. Si primum, cum natura humana à parte rei, sit omnino, aut saltem realiter identificata omnibus singularibus naturis humanis, verum erit in sensu identico, Homo est omnis homo. Si secundum, idem sequitur; quia suppositum humanum analogicè commune omnibus humanis sup positis, omnia in se identicè, & implicitè includit; sicut ens includit omnia entia. Defendendo igitur falsitatem antecedentis, assigno aliam disparitatem, quam dare videtur S. Thomas ad 1. quia homo est ex natura sua terminus vniuersalis & superior, habens sub se indiuidua tamquam singularia, & inferiora. Prædicata autem realia, quæ tribuuntur termino vniuersali, debent posse verificari de inferioribus, si non omnibus, saltem de aliquo, sed quod homo sit omnis homo, vt ait S. Thomas, *pro nullo supposito verificari potest*, & pro nullo suo inferiori, cum quilibet homo sit aliquis homo, & non omnis homo. ergo nec de termino vniuersali, Homo, prædicari verè potest omnis homo. At verò Deus, non est terminus vniuersalis, & communis pluribus indiuiduis inferioribus; sed singularissimus, & omninò indiuisibilis, tametsi communis pluribus personis, non quidem vt inferioribus sub se contentis, sed vt puris terminis per identitatem cum illis. ergo cum tres personæ de

Disparitas prædictarum propositionum ex S. Thoma.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

illo prædicantur, non necesse est illud prædicatum verificari de singulis personis, quia illud non tribuitur Deo, vt vniuersali, sed vt singulari identificato cum pluribus personis, quod nulli personæ conuenire potest: quælibet enim vna persona ab alia distinguatur necesse est.

10.

Secunda obiectio.

Obiicies secundò. Istæ sunt propositiones contradictoriæ, nullus Deus est Trinitas, Deus est Trinitas: sicut hæ; Nullus homo currit, Homo currit: quoniam prima negatiua vniuersalis, necessario negat, quod affirmatur in secunda affirmatiua indefinita. Sed ex his negatiua est vera, quia nec Deus Pater, nec Deus Filius, nec Deus Spiritus sanctus est Trinitas personarum, sed quilibet est vna tantum persona. ergo affirmatiua est falsa.

Respondetur non esse contradictorias, nullus Deus est Trinitas, Deus est Trinitas.

Respondeo, omissa minus clara solutione Scoti 1. d. 4. quæst. 2. ad 1. negando illas propositiones esse contradictorias, ex eo, quòd non eadem ratione sumatur, & supponatur Deus in negatiua & in affirmatiua. Nam in negatiua, vt ex subiecta probatione illius manifestum est, supponitur personaliter, non essentialiter: dicitur enim, *nullus Deus*, ex eo quòd dentur plures diuinæ personæ, non autem plures Dij, seu plures essentiæ diuinæ; contra verò in affirmatiua sumitur essentialiter, non personaliter, vt dictum est. Mirum igitur esse non debet si vtraque propositio vera sit. Hinc patet, illam affirmatiuam, Deus est Trinitas, vbi Deus supponitur pro Deitate, quæ est singularis, & determinata natura, tametsi communicabilis pluribus, non naturis, sed suppositis, non posse recte dici propositionem indefinitam.

Deus est Trinitas, non est propositio indefinita.

11.

Tertia obiectio.

Obiicies tertiò, si vera esset, Deus est Trinitas, sequeretur Patrem, v. g. esse Trinitatem, quia Pater est Deus.

Prima responsio insufficiēs.

Respondent aliqui, nullam esse consequentiam ex varia suppositione illius nominis, *Deus*; quia in illa, Deus est Trinitas, supponitur pro essentia; in hac verò, Pater est Deus, supponitur pro persona. Ex his igitur non potest benè inferri, ergo Pater est Trinitas. Non satisfaciunt, quoniam idem ille Deus prædicatur de *Patre*, qui prædicatur de Filio, & de Spiritu sancto, & qui est communis omnibus diuinis personis. Hoc autem modo Deus non supponitur pro persona, sed pro essentia. Dicendum igitur, nullitatem consequentiæ nasci ex alio capite, nimirum ex eo, quòd medius terminus, qui est, *Deus*, est terminus quidam simpliciter communis pluribus, iisque identificatus; & tamen neque in Maiori, neque in minori distribuitur. ex medio autem termino communi, & non distributo, non valet argumentatio secundum summulistas; vt si arguas, Aliquis homo currit, Petrus quiescens est homo, ergo Petrus quiescens currit. Sic etiam in nostra materia non valet, Deus est Pater, Filius est Deus. ergo Filius est Pater. Ita esset in forma, Deus est Pater, sed Filius est omne id, quod est Deus. ergo Filius est Pater. Sed tunc falsum esset consequens deductum ex minori falsa. Sicut etiam, si in obiectione ita argueremus, Deus est Trinitas, Pater est omne id, quod est Deus; ergo Pater est Trinitas; esset bona consequentia, sed falsum consequens ex falsa minori.

Secunda, & vera responsio.

12.

Quarta obiectio.

Obiicies quartò, quod hic in secundo argumento obiicitur. *Inferiora, non prædicantur de suis superioribus, nisi accidentali prædicatione, vt cum dico, Animal est homo: accidit enim animali esse hominem. Sed hoc nomen, Deus, se habet ad tres personas, sicut commune ad inferiora, vt Damascenus dicit*, & dicunt etiam alij Patres relati, & explicati supra quæst. 29. art. 1. num. 10. & quæst. 30. art. 4. à num. 12. ad finem articuli. *ergo videtur, quòd nomina personarum*

non possint prædicari de hoc nomine, Deus, nisi accidentaliter. quod quidem Deo repugnat.

Respondetur cum S. Thom. ad 2.

Respondet optimè S. Thomas negando minorem; *quia*, inquit, *in diuinis non est vniuersale & singulare*; quamuis sit commune, & proptium, vt essentia communis tribus personis; & paternitas, verbi gratia, propria solius personæ Patris. Quoniam verò huiusmodi communitas est per omnimodam identificationem, quam scilicet tam essentia respectu personalitatum, quàm personalitates respectu essentiæ petunt per se ex summa, imò etiam essentiali necessitate, sit vt istæ prædicationes, Pater est Deus, Deus est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, est Trinitas, sint quidem, vt loquitur S. Thomas, *per identitatem; tamen per se, & nullo modo per accidens.* Quod latius expositi supra q. 28. art. 2. num. 85.

13. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò. Si istæ essent veræ, Deus est Trinitas, Deitas est Trinitas; sequeretur, hanc etiam esse veram, Deitas est trina; quia idem sunt Deus, & Deitas. Sed hanc negant Bonauentura 1. d. 24. fini. Riccardus art. 3. quæst. 1. fin. Carthusianus quæst. 5. propè fin. & alij communiter. ergo illæ etiam censeri debent falsæ.

Respondetur dici, Deus est trinus, Deitas est Trinitas, non autem, Deitas est trina.

Respondeo, negando sequelam. Et disparitatem esse petendam ex differentia tradita à S. Thoma supra art. 5. ad 5. & ibi à nobis explicata num. 12. inter prædicata substantiua, & adiectiua. Vnde breuiter dicendum, nomen, *Trinitas*, ex eo quòd sit substantiuum, ferre secum suppositum; & ideò posse per identitatem tribui essentiæ in abstracto, quæ etsi nulla ratione significet suppositum, tamen est ex se, & in se, omnibus diuinis suppositis identificata. Nomen verò, *Trina*, ex eo quòd sit adiectiuum ferre tantum rem significatam circa substantiuum, ac suppositum, quod formaliter denominat, & afficit, ac proinde præsupponit in propositionis subiecto, cui formaliter tribuit. Et ideo Deitatem, quæ ex abstracto suo significandi modo nullum inuoluit suppositum, non posse rectè dici trinam; sic enim significaretur pluralitas Deitatum, non diuinorum suppositorum: rectè autem dici trinum Deum, vt supra quæst. 31. art. 1. qui ex se est etiam nomen concretum personale. Neque obstat identitas inter Deum, & Deitatem; quia, vt superius diximus cum S. Thoma art. 5. ad 3. hæc est identitas, *secundum rem, non secundum modum significandi.*

Exponitur ciu Carthusiano hymnus Ecclesiæ.

Neque etiam obstare debet quod in hymno corporis Christi canit Ecclesia ad matutinum in fin. *Te trina Deitas, vnaque possimus*, &c. quia vt respondet Carthusianus supra, *abstractum ibi capitur pro concreto, videlicet Deitas pro Deo.* Quæ licentia minus strictè, ac propriè loquendi ferenda magis est in poëtica hymnorum loquutione. Alioqui communiter reprehenditur illud Authoris libri de speculo, qui habetur in tomo 9. operum Augustini, sed illius non est; nam cap. 10. fin. Sic loquitur ille Author, *Tu verò Trinitas Deitatis, personarum pluralitate multiplex.*

14. *Sexta obiectio.*

Obiicies vltimò verba Damasceni l. 3. Fidei cap. 11. propè fin. *Nam de vnaquaque hypostaseon Deus nominatur:* quia scilicet dicitur, Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus est Deus: *sed Deitatem dicere de hypostasi non possumus.* ergo à Damasceno non conceditur hæc, Pater est Deitas. ergo neque è conuerso, Deitas est Pater; nec consequenter, Deitas est Trinitas.

Respondetur exponendo verba Damasceni.

Respondeo, mentem Damasceni, vt ex antecedentibus, & consequentibus manifestum est, non esse aliam, nisi hoc nomen, Deus, esse concretum personale; quia, vt infra subdit, *Deus & commune naturæ significat, & vnamquamque hypostaseon denominat; nam Deus est diuinam naturam habens, & homo humanam:* & ideo posse supponi pro vna sola Verbi persona, & dici, Deus est incarnatus, est passus. At verò hoc nomen abstractum, *Deitas*, esse nomen merè essentiale; & ideo pro nulla persona posse supponi; nec consequenter, quod ibi probare intendit Damascenus, Deitas est incarnata, est passa. Et propterea post verba citata in obiectione ita probat, Deitatem dici non posse de hypostasi; *Nam Deitatem, Patrem solum, aut Filium solum, aut solum Spiritum sanctum non audiuimus.* hoc est, inauditum est, quòd ea, quæ conueniunt soli Patri, vt generare; vel soli Filio, vt generari, incarnari, pati; vel soli Spiritui sancto, vt à Patre, Filioque procedere; sicut tribuuntur personis, & Deo, ita tribuantur Deitati. longè autem aliud est, quod hoc loco probauimus; nempe, Prædicatione identica & per se prædicari personas de Deitate, & Deitatem de personis. De qua prædicatione ipsemet Damascenus docuerat l. 1. Fidei cap. 11. post med. cum Nazianzeno citato supra q. 28. art. 2. num. 13. *exactius loqui* cum qui dicit, Personæ sunt Diuinitas, quàm qui dicit, in personis est Diuinitas. Nullę sunt igitur omnes consequentiæ, quæ in obiectione ex verbis Damasceni contra illius mentem deducuntur.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nomina essentialia sint appropriandа personis.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quòd nomina essentialia non sint, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Nomina essentialia appropriari personis, n. 1. ad 4.*
2. *Distinguitur duplex appropriatio ex S. Thoma, n. 4.*

1. *Prima conclusio probatur 1. authoritate.*

PRima conclusio simpliciter affirmatiua, est omninò certa apud omnes Patres, & Scholasticos, nemine contradicente; quia ista appropriatio habetur de facto in Scriptura: vt 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum crucifixum, Dei virtutẽ, & Dei sapientiam.* Et nihil frequentius apud omnes Patres, vt ex quamplurimis eorũ testimoniis superius allatis manifestũ est, quam Filium Dei appropriato nomine vocari sapientiã. Vnde hæc verba, *sapiẽtia Dei, & virtus*, docet Damascen. epist. de Trisagio, pag. 3. circa principiũ, *de solo Filio dici, & esse ostensiua hypostaseos ipsius.* Item per illam sapientiam Dei, quæ dicit Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterna ordinata sum, antequã terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* & Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; omnes Patres citati supra q. 27. art. 1. à n. 6. ad 17. intelligunt Filium Dei. Præterea multis locis, & Scripturæ, & Patrum, adductis supra q. 36. art. 1. esse Spiritũ, & esse sanctũ, quæ sunt essentialia nomina, communia toti Trinitati appropriantur tertiæ personæ procedẽti per voluntatẽ, & amorẽ; quę hinc proprio nomine vocata est Spiritus sanctus. De Patre etiam multi intelligũt illud 1. Timoth. 6. *Solus potens Rex Regum*, &c. tametsi multi intelligant de Deo cõmuni tribus personis. Sed illi potentiam appropriat ipsemet Filius, ita orans Marc. 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Vnde tam in Symbolo Apostolico, quàm Nicæno, dicitur, initio, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*: & frequenter Ecclesia ad solum Patrem orationes suas dirigens, ita incipit, *Omnipotens sempiterne Deus.*

Huiusmo-

2. *Probatur 2. ratione S. Thomæ.*

Huiusmodi vero appropriationem conuenienter factam esse, probat S. Thomas in cap. ex eo, quòd *essentialia attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem, quàm propria personarum; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem deuenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum, vt supra dictum est.* nempè quæst. 32. art. 1. Est autem maximè conueniens ad Fidei nostræ introductionem, conseruationem, dignitatem, & gloriam, vt profundissimum Trinitatis mysterium, quoad eius fieri potest manifestetur. ergo maximè conueniens fuit, illud, tamquam ignotius, manifestari per attributa essentialia, nobis notiora, tribuendo illa alicui personæ ob peculiarem aliquam illius personæ rationem. Subiungit autem, quòd *hæc manifestatio personarum per essentialia attributa, appropriatio nominatur.* Quæ quidem non repugnat cum communitate attributorum, quæ appropriantur, vt benè declarat idem S. Thomas 1. d. 31. q. 1. art. 2. circa principium corp. *Quamuis enim attributa essentialia communia sint tribus, tamen vnum secundum rationem suam magis habet similitudinem ad proprium eius personæ, quàm alterius. Vnde illi personæ appropriari potest conuenienter. V. g. Potentia habet in ratione suæ principium; & ideo appropriatur Patri, qui est principium non de principio: & sapientia Filio, qui procedit vt Verbum: & bonitas Spiritui sancto, qui procedit vt amor, cuius obiectum est bonum. Et ista similitudo appropriati ad proprium personæ, facit conuenientiam appropriationis ex parte rei.* Præterquam distinguit aliam conuenientiam ex parte nostra, quæ est, inquit, *vtilitas consequens*; in quantum scilicet ex huiusmodi appropriatione, *sumitur aliqua via ad manifestationem personarum.*

3. *Leo Papa.*

Hanc secundam conuenientiæ rationem ex parte nostræ vtilitatis desumptam, elegantem tradit Leo Magnus serm. 1. de Pentecost. c. 2. fin. Et cap. 3. initio. *De quæ*, inquit, nempè de beata Trinitate, *cum sancta Scriptura sic loquitur, vt aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur conuenisse personis, non perturbatur fides Catholica, sed docetur, vt per proprietatem, aut vocis, aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam, siue sub Patris, siue sub Filij, siue sub Spiritus sancti appellatione pronuntur, vt confessio credentium in Trinitate non erret: quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.*

4. *Secunda conclusio de duplici appropriatione ex S. Thoma.*

Secunda conclusio, quæ habetur aliquanto post med. corp. *Possunt manifestari personæ diuinæ per essentialia attributa dupliciter:* hoc est, in diuinis duplici ratione moueri potest intellectus noster, vt quod est omnibus personis commune, appropriet peculiariter vni personæ. *Vno modo per viam similitudinis*, quam scilicet attributum commune habet cum vna persona potius quàm cum alia, *Sicut ea, quæ pertinent ad intellectum appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus, vt Verbum. Alio modo per modum dissimilitudinis; sicut potentia appropriatur Patri, vt Augustinus dicit, quia apud nos, Patres solent esse propter senectutem infirmi, ne tale aliquid suspicemur in Deo.* Quo autem in loco scripserit Augustinus, quem pro eodem referunt Alensis p. p. quæst. 67. membro 3. art. 1. corp. addens, *in lib. de Trinit.* & Albertus p. p. summæ quæst. 50. membr. 1. in solutione prima, non satis constat. Certè primum appropriandi fundamentum, nempè *per viam similitudinis*, vt loquitur S. Thomas, seu *ratione ostendendæ veritatis*, vt loquitur Alensis, seu, *vt instruatur veritas*, vt loquitur Albertus supra, quòd antea in quæst. 48. initio vocauerat, *accessum vicinitatis*, & Henricus 2. p. summæ art. 72. quæst. 1. corp. fin. vocat correspondentiam, *secundum similitudinem ad aliquod proprium alicui illorum*, ab omnibus ponitur, & clarè apparet rebus ipsis naturaliter congruum, ac proportionatum. Secùndum verò quod à S. Thoma dicitur, *per modum dissimilitudinis*, ab Alensi, *remotio erroris*, ab Alberto, *recessus vicinitatis, & obuiatio erroris.* Quamuis ponatur à Magistro lib. 1. sent. d. 34. litera G. & H. tamen minus frequenter legitur apud reliquos Theologes; & sanè videtur valdè accidentale, & indirectum, ac longè petitum. Nihilominus Magister, Alensis, Albertus, illud primo loco ponunt, & vniuersaliter explicant, sicut etiam S. Thomas hic in tertia consideratione non solum de Patre, sed etiam de Filio, & Spiritu sancto. Nam in creaturis Pater ex antiquitate habet defectum potentiæ; Filius ex nouitate habet defectum sapientiæ; Spiritus est apud nos *nomen inflationis, & tumoris*, vt dicunt Magister, & Alensis; *& iræ*, vt addit, ac probat Albertus; ne igitur homo audiens in diuinis Patrem, Filium, Spiritum Dei, illis etiam tribueret prædictos defectus, obuiauit Scriptura, approprians Patri potentiam, Filio sapientiam, Spiritui sanctitatem, benignitatem, & bonitatem.

Magister.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm conuenienter à sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.

Ad octauum sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter à sacris Doctoribus, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Exponitur appropriatio facta ab Hilario, n. 1.*
2. *Exponitur alia appropriatio facta ab Augustino, num. 2.*
3. *Exponitur alia vulgata appropriatio, num. 3.*
4. *De alia appropriatione ad Romanos 11. & Ioan. 14. n. 4. & 5.*
5. *De appropriatione libri vitæ, & nominis*, Qui est, *n. 6. & 7.*

OLliguntur ex articulo septem conclusiones, quas solito fusius explicat S. Thomas; & ideò eas breuiter indicabo eodem ordine, quo scriptæ sunt; & si quid grauius ad maiorem declarationem, & confirmationem addendum occurrerit, non prætermittam.

1. *Prima conclusio de appropriatione facta ab Hilario.*

Prima conclusio ex Hilario lib. 2. de Trinit. propè initium, æternitas appropriatur Patri, species Filio, vsus Spiritui sancto. Verba Hilarij hæc sunt; cum enim docuisset, illis verbis Matth. 28. *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, contineri omnia, ita subdit, *Nec deesse quidquam consummationi tantæ reperietur, intra quam sit in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, infinitas in æterno, species in imagine*, quæ est Filius supra quæst. 35. *vsus in munere*, seu dono, quod est Spiritus sanctus suprà quæst. 38. Hoc laudat, & exponit Augustinus lib. 6. de Trinit. c. 10. sed paulò aliter ita refert quemadmodum referunt S. Thomas hic, & Magister lib. 1. sent. d. 31. litera C. & ibi Scholastici, & Alensis p. p. q. 67. membro 1. Albertus p. p. summæ q. 49. membro 2. Henricus 2. p. summæ a. 72. q. 3. & 4. *Æternitas in Patre, species in imagine, vsus in munere.* Patri appropriatur æternitas; quia, inquit S. Thomas, *Æternitas in quantum significat esse non principiatum*, nec principio durationis, nec principio essentialiter diuerso, nec principio personaliter

Augustinus.

S. Thomas.

Alensis. Albertus.

Henricus.

tantum diuerso, quibus omnibus principij rationibus caret æternitas diuina absoluta, in abstracto significata; *similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio.* quod, vt addit Albertus supra, *non convenit Filio,* qui est de Patre, *vel Spiritui sancto*, qui est de Patre Filioque spectes appropriatur Filio, &, vt ait S.Thomas, *habet similitudinem cum propriis Filij*; quia ex vi formali suæ processionis, qua solus ipse habet esse Filium, & Verbum, & Imaginem, accipit totam speciem, & pulchritudinem, & formam naturæ Patris, eamque repræsentat modo perfectissimo, & naturaliter, & intentionaliter. Vsus habet similitudinem cum propriis Spiritus sancti, eique propterea appropriatur; nimirum largè sumptus, prout comprehendit etiam fruitionem, gaudium, & delectationem, atque suauitatem, iuxta illud Augustini lib. 10. de Trinit. c. 11. ante med. *Frui est cum gaudio vti.* Hoc modo, inquit S. Thomas, vsus quo Pater, & Filius se inuicem fruuntur, conuenit cum proprio Spiritus sancti, in quantum est amor: quia, vt ait Augustinus in primo loco, *Ille ineffabilis quidam complexus Patris, & Imaginis, non est sine perfruitione, sine charitate sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio. felicitas. siue beatitudo, vsus ab illo,* scilicet Hilario, *appellatus est breuiter, & est in Trinitate Spiritus sanctus.* Præterea Spiritui sancto, in quantum est donum, appropriatur etiam *vsus quo nos fruimur*; vt ait S. Thomas, & benè probat ex sequentibus Augustini verbis; *Vsus est Spiritus sanctus, non genitus, sed Genitoris, Genitique suauitas ingenti largitate, atque vbertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, vt ordinem suum teneant, & locis suis acquiescant.* Præterea Augustinus, Magister, & Scholastici non appropriant infinitatem Patri, videntur enim illis Hilarij verbis, *Infinitas in æterno*, accepisse infinitatem in Durando, quæ est ipsamet æternitas. Quamquam infinitas etiam in essendo facilè potest eadem ratione appropriari Patri, in quantum ipse solus negat omne principium, à quo omnis limitatio, & finitudo essendi proueniat necesse est.

2. *Secunda conclusio de appropriatione facta ab Augustino lib. 1. de doctrina Christiana cap. 5. fin. his verbis, In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis, æqualitatisque concordia. Et vtria hæc vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.* Perspicua, & acuta est explicatio S. Thomæ, tametsi alij paulò aliter exponant. Vnitas, inquit, appropriatur Patri. Nam sicut vnitas dicitur absolutè, non præsupponens aliquid aliud, cum sit prima in numero, ita Pater non præsupponit aliam personam, cum sit principium, non de principio. Æqualitas appropriatur Filio; quia æqualitas est quædam vnitas per respectum ad alterum, quam ex suis propriis habet Filius ad Patrem, tum vt formaliter Filius, in quantum ipse, & non Spiritus sanctus, habet ex vi formali suæ processionis accipere naturam æqualem omnino naturæ Patris; tum vt formaliter imago, in quantum suo exemplari *coæquatur*, vt ait Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. paulò post principium, quod ex vi formali processionis conuenit Filio, non Spiritui sancto, vt suprà quæst. 35. art. 2. Concordia, seu connexio, apertissimè appropriatur Spiritui sancto, in quantum procedit per mutuum Patris, & Filij amorem, quo inuicem connectuntur. Hinc dixit Augustinus, tres personas esse vnum propter Patrem, quia Filius, & Spiritus sanctus vnitatem cum natura Patris habent per processionem à Patre esse æquales propter Filium, non quòd Filius sit principium æqualitatis Patris; sed quia æqualitas statim posito Filio inuenitur; qui est secunda in Trinitate persona, à qua procedit. Tertia æqualis duabus prioribus; æqualitas enim non intelligitur nisi inter plura; ergo is, à quo quasi incipit pluralitas in diuinis, nempe Filius intelligi debet, vt quædam ratio æqualitatis, quam inter se habent omnes diuinæ personæ: esse demum connexas propter Spiritum sanctum, quia ipse est vinculum, & nexus sanctissimæ Trinitatis, vt suprà q. 36. art. 4. num. 59. & q. 37. art. 1. num. 5.

3. *Tertia conclusio de vulgata appropriatione.*

Tertia conclusio, Patri appropriatur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas. Hæc est appropriatio omnium communissima, ac facillima, sufficienter explicata suprà art. 7. Solum aduertendum cum S. Thoma in fine tertiæ considerationis, quòd in Scriptura, & frequentissimè apud Sanctos, virtus attribuitur etiam Filio, vt 1. Cor. 1. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*; imò etiam Spiritui sancto, vt Luc 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*; & clarius de Spiritu sancto dicitur Luc. 24. *Ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in Ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.* Et Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*; & sæpè alibi Scripturæ simul ponit virtutem, & Spiritum sanctum. Verum his locis, inquit S. Thomas, *Virtus appropriatur Filio, & Spiritui sancto non secundum quod virtus dicitur, ipsa potentia rei. Sed secundum quod interdum virtus dicitur id, quod à potentia rei procedit, prout dicimus, aliquod virtuosum factum esse virtutem alicuius agentis.* Verè enim Filius est veluti primum exercitium potentiæ productiuæ, quæ est in Patre; & Spiritus sanctus est veluti secundum exercitium potentiæ productiuæ, quæ est in Patre, & Filio. Præterquam quòd, & Filius est ipsum Verbum, & imperium efficax Patris, per quod omnia ab ipso facta sunt: & Spiritus sanctus est personale donum, cui attribuuntur creata gratiæ dona; quæ omnia sunt virtutes quædam, ac potentiæ. Ipsa igitur potentia diuina, in se formaliter, & absolutè considerata, soli Patri appropriatur. Quo S. Thomas sentire videtur, quod valdè rationabile ex se apparet, tametsi nonnulli contradicant, vnum attributum essentiale appropriatum vni personæ, non posse appropriari etiam alteri personæ. Appropriatum enim est, quod alicui personæ conuenit propter aliquid proprium ipsius; sed proprium vnius personæ non potest esse alterius proprium. ergo appropriatum vni, non potest esse appropriatum alteri. Quamobrem S Thomas in fine primæ considerationis, quod sequitur etiam Albertus p. p. summæ quæst. 50. membro 1. ad primam q. incidentem, docet, quod *non appropriantur essentia, & operatio; quia in ratione horum propter sui communitatem, non inuenitur aliquid similitudinem habens cum propriis personarum.*. Et propterea apud nullum grauem Authorem appropriata leguntur.

Quo sensu virtus approprietur etiam Filio, & Spiritui sancto.

Appropriatū vni persona non appropriari alteri, ex S. Thoma, & Alberto.

4. *Quarta conclusio de appropriatione Rom. 11. ex Augustino.*

Quarta conclusio, Aliam appropriationem tradit Augustinus lib. 6. de Trinit. fin. illis verbis, *Nec confusè accipiendum est, quod dicitur Rom. 11. ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*; siue, vt legitur in nostra vulgata, *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Nam, vt idem Augustinus exponit lib. 1. de Trinit. cap. 6. paulò post med. hæc intelligi possunt *de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vt singulis personis singula tribuantur. Ex ipso, id est, ex Patre, per ipsum, id est, per Filium. In ipso, id est, in Spiritu sancto.* Eodemq; modo alij Patres communiter eadem particulas, singulas singulis personis accommodant: quamquam non desunt, quod contextui Pauli valdè congruit, qui omnes de eodem vno Deo Trinitate dictas accipiant. Verum appropriando, inquit S. Thomas, præpositio, *ex*, non est accipienda, vt importans habitudinem causæ materialis, quæ locum non habet in diuinis; sed habitudinem causæ efficientis, quæ competit Deo ratione suæ potentiæ actiuæ; & ideo appropriatur Patri, sicut & potentia. Præpositio verò, *Per*, si designet causam mediam, quo modo dicitur Faber operari per Martellum, illud *Per ipsum*, non est appropriatum, sed proprium Filij, secundum illud Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*; non quia Filius sit instrumentum; sed quia ipse est principium de principio. Si verò designet habitudinem formæ, per quam agens operatur, sicut dicimus, quod artifex operatur per artem, appropriatur Filio; sicut illi, ratione suæ formalis processionis per intellectum, appropriantur ars, & sapientia. Demum præpositio, *In*, quæ propriè denotat habitudinem continentis, si significet continentiam non idealem, & intentionalem, quæ etiam appropriatur Filio, sed gubernatiuam, & conseruatiuam, & adductiuam ad finem conuenientem, qua Deus sua bonitate, ac benignitate fouet, & continet vniuersa, appropriatur Spiritu sancto, sicut & bonitas. Eamdem appropriationem ante Augustinum expressius, ac fusius docuit Basilius lib. 5. contra Eunomium §. 14. versùs finem dicens, *Illud ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia, in vnum nomen colligit, Patris, & Filij, & Spiritus sancti propriet atem. Vnus enim Deus est, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*; *vnus vero Spiritus, in quo omnia; secundum quod dicitur, Vos non estis in carne, sed in Spiritu si Spiritus Dei habitat in vobis. Quamobrem, & illud, In Deo viuimus, & mouemur, & sumus*, apertè *Spiritus est proprietas in Deo figurata*, Item Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium, *Quod non tres Dij*, multò post principium, opera Trinitatis ad extra indiuisa, cum hac differentia explicat. *Omnis actio ad creaturam à Deo perueniens, quæ secundum varias notiones, atque considerationes nomen accipit, à Patre proficiscitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu sancto perficitur.* Quibus verbis nihil aliud significatur, nisi Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ita indiuisibiliter, & æqualiter, & principaliter operari, vt tamen operandi potentiam Pater à nullo habeat, Filius prius origine habeat a Patre, Spiritus sanctus posterius origine habeat à Patre, Filioque. Vnde Chrysostomus hom. 4. in Ioan. paulò ante med. exponens illud, *Omnia per ipsum facta sunt*, ait, *Per ipsum, hoc in loco nulla alia ponitur gratia, quam ne ingenitum quispiam suspicaretur.* Quod ibi sequitur Theophylactus, dicens, *Vsus est præpositione, Per, vt ne suspiceris illum i genitum, & absque principio esse.* Et idem Chrysostomus hom. 2. ad Hebr. illud, *Per quem fecit, & sæcula*, docet non denotare aliud, nisi purum ordinem originis, dicens, *Sicut enim neminem iudicat, sed dicitur iudicare per Filium, quem iudicem genuit; sic etiam dicitur operari per Filium, quia eum constat opificem genuisse.*

Basilius. Rom. 8. Actor. 17. Nyssenus. Chrysost. Theophyl.

5. *Filio appropriari veritatē Ioan. 14.*

Quinta conclusio, veritas appropriatur Filio, qui de se ipso dixit Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* illi enim conuenit propter propriam eius processionem per intellectum, ad quem veritas pertinet. Et ideo ab Augustino serm. 11. de verbis Domini, aliquantò ante med. dicitur, *Filius de veraci Patre orta veritas*: sicut ibi etiam dicitur, *Spiritus sanctus à Patre bono, & Filio bono effusa bonitas.* Patrem non veritatem, sed veracem vocat peculiari ratione in quantum eius personalis proprietas est dicere Verbum, quod est orta, ac genita veritas.

6. *Librum vitæ appropriari Filio, & Spiritui sancto.*

Sexta conclusio. Liber vitæ, qui definitur, vt suprà quæst. 24. art. 1. & 2. notitia Dei de his, qui habituri sunt vitam æternam, secundum id, quod dicit in recto, nempè notitiam, appropriatur Filio, de quo in argumento quarto refertur glossa intelligere illud Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me*: hoc est, inquit Glossa, *Apud Patrem, qui est caput meum*: sed secundum id, quod dicit in obliquo, nempe vitam, à S. Thoma appropriatur Spiritui sancto, *in quantum vita importat quemdam interiorem motum; & sic conuenit cum proprio Spiritus sancti, in quantum est amor.* Verum si consideretur vita vt importat operationem vitæ omnium nobilissimam, quæ est intelligere, approprianda est Filio iuxta illud Ioann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et antea in cap. 1. de Filio dicitur, *In ipso vita erat, & vita erat Lux hominum.* Et idem Ioannes initio prioris epistolæ scribit, *Vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

7. *De appropriatione nominis*, Qui est.

Septima conclusio. Nomen, *Qui est*, si non sumatur relatiuè, quo modo est personale, vt si dicas, Filius est genitus, qui est, sicut & Deus genitus; sed sumatur infinitè, & absolutè, quo modo est essentiale, sicut pro sola essentia, non pro persona, dicitur Exod. 15. *Iste Deus meus, & glorificabo eum*; appropriatur Filio, non secundum propriam rationem, sed ratione adiuncti; in quantum scilicet in locutione Dei ad Moysen præfigurabatur liberatio humani generis, quæ facta est per Filium. Multa alia possent addi, quæ à S. Thoma non tanguntur, & pertinent potius ad Scripturarum eruditionem, quàm ad disputationem Theologicam.

QVÆSTIO XL.

De Personis in comparatione ad relationes, in quatuor articulos diuisa.

Deinde quæritur de Personis in comparatione ad relationes, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm relatio sit idem, quod persona.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd in diuinis sit idem, &c.

DE materia huius articuli satis superque in superioribus disputatum est, præsertim quæst. 28. art. 2. vbi quæritur, vtrum relatio in Deo sit idem, quod sua essentia. Quod in re est idem cum præsenti quæsito; sicut etiam cum eo, quod quæritur art. 1. præcedentis quæstionis, vtrum in diuinis essentia sit idem, quod persona, vt ibidem notaui. Enim verò, vt docet Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. aliquantò post med. *Persona ex subsistantia, proprietatibusque consistit*; quas proprietates statim docet non esse aliud, nisi relationes; quod articulo sequenti ex instituto demonstrabitur. Et sess. 19. *Persona nil aliud est, nisi subsistantia, & proprietas*, quæ est inquit, *ad aliquid*: ergo siue quæratur identitas essentiæ cum persona, siue relationis cum persona; semper re ipsa aliud non quæritur, nisi identitas inter relationem, & essentiam; ex qua identitate ipsemet S. Thomas probat affirmatiuam huius quæstionis partem, ita discurrens aliquanto post principium corp. *Quia relatio est ipsa essentia, essentia autem est idem quod persona, vt ex dictis patet, oportet, quod relatio sit idem quod persona.* Reliqua verò, quæ immiscentur hic de relationibus assistentibus, quas ponebat Porretanus, vel de omnimoda identitate relationum cum personis contra Præpositiuum,

sitionem, vel de diuersis, & contradictoriis prædicationibus essentiæ, & relationum, quæ tanguntur in responsione ad 1. & 3. superius etiam variis in locis sufficienter expedita reperiuntur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm personæ distinguantur per relationes.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Personæ non distinguantur, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *An personæ constituantur, & distinguantur per proprietates simpliciter, n. 1. ad 17.*
2. *An per quamlibet proprietatem. n. 17. ad 28.*
3. *Quomodo constituantur per proprietates, num. 28. ad 36.*
4. *An constituantur, & distinguantur per proprietates absolutas, n. 36. ad 56.*
5. *An per origines, num. 56. ad 63.*
6. *An relatio personas constituat, ac distinguat in ratione hypostasis, n. 63. ad 67.*
7. *Sub qua formali ratione relatio constituat, & distinguat, n. 67. ad finem articuli.*

Taffirmantem partem communissimam, & valdè certam, potissimum propter authoritates Patrum, & Ecclesiæ, quam S. Thomas in hoc articulo probat, ordinate, & consequenter maiori cum facilitate concludamus, necesse est præmittere quædam in generali, & quasdam etiam particulares sententias in contrarium prius confutare; & ideo sit

DVBITATIO I.

An in personis diuinis dentur aliquæ proprietates, quibus constituantur & distinguantur.

SVMMA.

1. *Conclusio simpliciter affirmatiua probatur ratione, & authoritate, n. 1. ad 4.*
2. *Eam tueri non possunt, qui ponunt essentiam de conceptu proprietatis, n. 4.*
3. *Referuntur, & soluuntur obiectiones Ariminensis, n. 5. ad 17.*
4. *Quomodo hanc constitutionem Patres explicauerint, num. 9. & 10.*
5. *Quid de illa habeatur ex Concilio Lateranensi, n. 11. ad 17.*

Diuinarum personarum constitutiuum, ac distinctiuum inquitimus primò sub vniuersali, ac notiori conceptu proprietatis, postea explicaturi magis particulariter, quod difficilius videtur, an huiusmodi personales proprietates sint absolutæ, vel relatiuæ; & sub qua relatiua ratione constituant, ac distinguant personas.

1. *Conclusio simpliciter affirmatiua, contra Prapositiuum, & Ariminensem, & Maiorem.*

Conclusio simpliciter affirmatiua, est omnium; exceptis, Præpositiuo, qui, vt refert S. Thomas supra quæst. 32. art. 2. initio corp. *Attendens simplicitatem personarum dixit, non esse ponendas proprietates in diuinis*; & Ariminensi 1. d. 26. & 27. q. vnica art. 2. contendente quatuor conclusionibus, *Quod nullis proprietatibus, qualitercumque sumantur proprietates, personæ diuinæ constituuntur, nec distinguuntur proprietatibus, quæ sint rationes distinguendi, aut principia distinctiua, sed tantum se ipsis*; & Ioanne maiore 1. d. 26. q. vnica expresè probante sententiam Magistri Præpositiui. Fundamentum, quo S. Thomas hic initio corp. nititur, euidens est, *In quibuscumque pluribus inuenitur aliquid commune, oportet quærere aliquid distinctiuum. Vnde cum tres personæ conueniant secundum essentiæ vnitatem, necesse est quærere aliquid, quo distinguantur, ad hoc quòd plures sint.* Enim verò naturæ lumine notissimum est, quod tria, quæ sunt verè, ac realiter tria, & simul verè, & realiter vnum, sicut in diuinis firmissimè credimus, esse verè, & realiter tres personas, easque simul esse verè, ac realiter vnum Deum, non possunt per illam eamdem rationem formalem, saltem mente consideratam, & præcisam, per quam sunt tria, & realiter distincta, esse vnum, & realiter indistincta.

Ratio S. Thomæ.

2. Accedit communissima, & grauissima Patrum authoritas, quorum multos retulimus suprà q. 32. art. 2. 3. & 4. tractantes de quinque diuinis notionibus, quæ omnes, vel saltem aliquæ sunt proprietates. Præterea clarius fauent Athanasius Dialog. 1. de sancta Trinitate circa med. *Hypostasis proprietatem habet minimè communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt.* & paulò post, *Quidquid numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet: & quod proprietatem habet, numerum admittit. Ipsa enim proprietas numerum inducit.* Si personæ habent proprietatem; ergo proprietas non consideratur, vt ipsa persona, sed vt aliqua personæ ratio, quæ est in persona, & habetur à persona. Præterea si proprietas numerum inducit; ergo distinctionem; ergo est præcisè ipsa ratio distinguendi, & non res distincta; alioquin ipsa non induceret, & causaret numerum, sed esset numerus ipse inductus, & causatus. ergo est etiam ratio constituendi personas, quia idem est principium distinctiuum, & constitutiuum, ex probatis suprà q. 36. art. 2. à num. 35. & iterum post vnam columnam, *Quando tres hypostases dicimus Patris, Filij, & Spiritus sancti, verè esse dicimus proprietatum differentiam in hypostasi, non autem in essentia.* Nazianzenus oratione de dogmate, & constitutione Episcoporum propè med. *Necesse est tres fateri subsistentias, sine tres personas, & vnamquamque cum sua proprietate.* Et oratione habita ad 150. Episcopos, aliquantò post medium, *Quid vobis hypostases volunt, aut persona? Nimirum tria esse quæ diuidantur, non naturis, sed proprietatibus optimè.* Basilius ep. 43. fin. loquens de maxima similitudine inter Deum Patrem, & Filium, ita limitat, *Manente quæ in ipsis consideratur, vtriusque proprietate, ad hoc, vt euidens sit hypostaseon, hoc est, personarum discreta acceptio.* Et lib. 2. contra Eunomium multò ante finem, loquens de proprietatibus diuinarum personarum, *Hæc enim proprietatum natura est, vt in identitate substantiæ, distinctionem ostendant.* Nyssenus lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos, aliquantò ante med. loquens de Spiritu sancto, *Hoc signum continet, quo eam, quæ circa hypostasim consideratur, proprietatem agnoscamus.* Si proprietas consideratur circa hypostasim, seu personam; ergo est consideratione distinctum quid à persona egregiè Sophronius in professione Fidei col. 6. fin. vt habetur in sexta Synodo, Actione 11. docet, vnam personam diuinam non esse aliam, *propter alterificas horum trium proprietates, propterque dissimilitudinem proprietatum, quæ inconfusè vnamquamque figurant personam. Sicut ergo esse Deus, vnaquaque incorruptibiliter possidet; ita & proprietatem, per quam ipsa persona figuratur, immutabilem, & immobilem obtinet, quæ eidem soli est insita, & ab ipsis aliis personis eà discernit.* Anastasius Synaita lib. 1. de rectæ fidei

2.
Athanasius.
Nazianzen.
Basilius.
Nyssenus.
Sophronius.
Anastasius Synaita.

fidei dogmatibus, aliquantò ante med. docet, *Tres esse proprietates, personarum significatiuas.* Et post nonnulla, *Id, quod vt proprium personis tribuitur; vnam ab altera signatè distinguit personam.*

3. *Augustinus.* Ex Latinis quoque Patribus multi fauent, expressius Augustinus lib. 3. contra Maximinum c. 10. circa finem, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & propter indiuiduam Deitatem vnus Deus est, & propter vniuscuiusque proprietatē, tres personæ sunt.* Et serm. 38. de Tempore circa medium, *Habent singulæ in Trinitate personæ aliquid proprium, quo inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem.* Et paulò post, *Sed hæc tria verè, & essentialiter tria sunt, habentia proprietates suas.* *Fulgentius.* Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 1. aliquantò post principium, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, personarum sunt ab inuicem proprietate distincti.* Et in responsione ad primam obiectionem Arianorum, paulò post principium, *Dum vera Patris generatio, & vera Filij natiuitas prædicatur, in vno genitore, & vno genito, non solum vnitas substantiæ, verum etiam in vnoquoque proprietas possit agnosci persona. Non enim ipse est Pater, qui Filius; quoniam in vtroque personarum proprietas reseruatur.* *Riccardus Victorinus.* Apertissimè, & sæpissimè Riccardus Victorinus in libris de Trinitate. Satis sint, quæ scribit lib. 4. cap. 17. propè initium, *In illa absque dubio Trinitate oportet tot personales proprietates esse, quot sunt personæ, proprietas personalis est, ex qua vnusquisque habet esse is, qui ipse est. Personalem proprietatem dicimus, per quam quilibet vnus, est ab omnibus aliis discretus. Numquam enim personam dicimus nisi aliquem solum à cæteris omnibus singulari proprietate discretum.* Et propè finem, *Proprietatibus incommunicabilibus differunt personæ.* Prioribus illis verbis, *ex qua vnusquisque habet esse*, &c. explicatur personarum constitutio per proprietatem. Posterioribus verbis declaratur personarum distinctio per eamdem proprietatem. Præterea Ioannes Papa I. lib. de duabus naturis aduersùs Eutychianistas non longè à principio cum Augustino dicit, *Quid Trinitas sit propter proprietatem personarum.* qua particula, *propter*, & constitutionem, & distinctionem expressit. Et paulò post dicit cum Nazianzeno, personas diuinas esse tres, *secundum vniuscuiusque proprietates.* Et à Cōcilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Formiter.* ante med. dicitur, *Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta.* Demum Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. §. *Diuina substantia*, ait, *Persona ex substantia, proprietatibusque consistit: quæ tametsi ratione, ac secundum nostram intelligentiam differant, ipsa tamen substantia cum personis communicat: proprietates verò nequaquam communicabiles sunt.* Et iterum sequenti sessione 19. fin. *Credimus, personam ex diuina substantia, proprietatéque constare; ita vt persona nil aliud, nisi substantia, & proprietas sit. Quæ quidem substantia & proprietas, licèt vnum re ipsa sint, & per suas proprietates re inter se differant, quandoquidem ad aliquid sunt, ipsas tamen secundum substantiam Deum vnum esse fatemur.* Tot igitur aliisque quamplurimis, breuitatis causa omissis sapientissimorum hominum testimoniis, non potest prudens Theologus negare, dari in diuinis personis aliquas proprietates ab essentia ratione præcisas, quibus personæ in se ipsis constituantur, & inter se realiter distinguantur. Quamobrem non desunt qui contrariam Præpositiui, & Ariminensis sententiam damnent. A Molina hic disputatione 1. paulò post principium dicitur, *Error in fide, aut certè errori proxima.* A Zumel art. præcedente disp. vnica cōclusione 3. *Falsa, periculosa, imò verò erronea.* Torres suprà art. 1. in prima parte Commentarij circa med. vocat, *aut errorem, aut errori proximam*: & testatur quòd *velut errorem confutat Magister.* Et art. 4. part. 2. commentarij, col. 4. vocat *temerariam.* A Bagnes suprà art. 1. dicitur, *vel error in Fide, vel proxima errori.* Suarez lib. 7. de Trinit. c. 3. n. 2. ait, *Non esse sine temeritate in modo loquendi.*

Ioan. Papa I.
Lateranense.
Florentinū.
Contraria sententia censura.

Secunda conclusio. Minus intelligibiliter, & commodè tueri possunt diuinarum personarum constitutionem, & distinctionem per proprietates, qui putant de intrinseco, & quidditatiuo conceptu proprietatum esse essentiam: quam sententiam ex instituto confutaui supra quæst. 28. art. 2. dub. 4. Ratio difficultatis euidenter oritur ex eo, quòd ratio distinctiua vnius ab alio, non debet in eo, in quo formaliter dicitur distinctiua, includere indistinctionem vnius ab alio: quod quidem ex ipsis terminis manifestum videtur. Si enim in essentiali conceptu rationalitatis, v. g. includeretur animalitas, quis quæso dicere posset se, dum concipit rationalitatem, habere conceptum hominis distinctum à bruto? Simul enim haberet conceptum animalitatis indistinctum à conceptu bruti. Similiter difficile est, ne dicam impossibile, aliquid constitui in tali esse personali, distincto ab esse personali alterius, per id formaliter, ac præcisè, quod est natura, in qua illa duo sunt omnino vnum, & indistincta. Quemadmodum à contrario, in sententia includentium personalitates in essentia naturæ, non possent duæ personæ dici vnum, & constitui in ratione vnius per illam naturam, per quam sunt essentialiter plura, & realiter distincta.

4. *Conclusionem articuli non cohærere cum sententia impugnata q. 28. art. 2. dub. 4.*

Contraria Gregorij Ariminensis argumenta.

Obiicit primò in prima conclusione. *Quælibet persona diuina est simpl ex omnino. Ergo nulla persona diuina per aliquid in suo esse constituitur.* Vt probet consequentiam, sumit illud constituens, præcisè *secundum se*, & quærit, *An ipsum sic præcisè acceptum est persona, aut non, sed est aliquid eius.* Non primum, vt ex se patet. Non secundum, quia inquit, *aut illud habet esse per operationem animæ tantum.* Ergo non potest constituere personam æternam, quæ summa res est; *aut est aliquid extra animam.* Vnde, inquit, *sequitur quòd persona non sit omnino simplex.* Atque hoc ipso fundamento, ducto ex diuinarum personarum simplicitate, nititur Præpositiuus, vt refert S. Thomas suprà num. 1.

5. *Prima obiectio.*

Respondeo, negando consequentiam, quoniam huiusmodi constitutio, vt ait ibi S. Thomas, *Diuinæ simplicitati non præiudicat*, quæ nimirum non est simplicitas imperfecta ex defectu entis, sed simplicitas perfectissima ex infinita plenitudine entis æquiualentis eminentialiter multis entibus diuisis, & imperfectis; ac proinde à nobis conceptibilis pluribus, & inadæquatis conceptibus. Ad probationem consequentiæ, dico, Proprietatem, qua constituitur persona, vt præcisè acceptam, & abstractam à persona, non esse personam, sed aliquid personæ; proprietates enim, v. g. paternitas, & filiatio, vt ait Basilius l. 2. contra Eunomium multò ante finem, *sunt personarum notæ, quasi characteres quidam, & forma in substantia inspecta*; quæ, inquit, *distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus; communicationē verò substantiæ non amputant.* Quando igitur de hac forma constituente, secundum rationem præcisa, ac distincta, petit Gregorius, An sit extra, vel intra animam; respondeo esse intra, quantum ad præcisionem, & distinctionem, quæ non est nisi rationis: esse extra, quantum ad rem ipsam, quæ præcisè consideratur; quod non est simpliciter tollere, sed præstantissimam diuinæ simplicitatis eminentiam explicare, mentaliter diuidendo, non diuisione tenente se ex parte rei cognitæ, sed ex parte cognoscentis,

Respondetur cum S. Thoma, simplicitatem non obstare constitutioni personæ.
Basilius.

qui

qui ob ſui imperfectionem, non poteſt vnico actu totam illam ſimpliciſſimi entis plenitudinem apprehendere, ac veluti exhaurire.

6. *Secunda obiectio.*

Obiicit ſecundò, *Non minus eſt ſimplex perſona diuina, quàm eſt eſſentia diuina, aut aliqua proprietas perſonalis,* v.g. paternitas. Sed eſſentia, & proprietas, ob ſimplicitatem non conſtituuntur per aliquid. ergo nec perſona.

Reſpondetur comparando concretum cum abſtracto in ſimplicitate.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem. Hæc nomina, Deitas, Deus; item, Pater, Paternitas, conſiderari poſſunt, vel quoad rem ſignificatam, quo modo æqualem omninò ſimplicitatem habent, quia ſunt vna res omnino ſimplex, & indiſtincta; vel quoad modum ſignificandi, & concipiendi, nimirum Deitatem concretam in ſuppoſito, & à ſuppoſito ratione abſtractam; item, paternitatem concretam in eſſentia, & ratione abſtractam ab eſſentia; & hoc modo falſa eſt maior, quia eadem res, prout ſignificata nomine verbi gratia paternitatis abſtracto ab eſſentia, eſt magis ſimplex, quàm prout ſignificata nomine Patris concreto in eſſentia: nomina enim concreta ſignificant duas res ratione diſtinctas, nempè naturam, & perſonalitatem, vt Deus, Pater, abſtracta vero ſignificant, vel ſolum naturam, vt eſſentia, Deitas; vel ſolum perſonalitatem, vt Paternitas, Filiatio. Ex eo igitur, quòd in huiuſmodi abſtractis non datur aliud conſtituens, & aliud conſtitutum, non ſequitur, idem dari non poſſe in concretis.

7. *Tertia obiectio.*

Obiicit tertiò, *Si perſona conſtitueretur per proprietatem aliquam, conſtitueretur etiam per eſſentiam, & eſſentia conſtitueret perſonam, verbi gratia, Patrem; & per conſequens eſſentia non eſſet Pater, quod eſt contra determinationem Eccleſiæ in cap. Damnamus.*

Reſpondetur perſonã conſtitui per perſonalitatem, & eſſentiam diuerſo modo.

Reſpondeo, concedo antecedens, ſi intelligatur debito modo, nempè, vt Pater conſtituatur per paternitatem, tamquam per rationem formalem diſtinguentem, & determinantem, quia Pater eſt formaliter pater, non deitate, ſed paternitate, conſtituatur verò per eſſentiam tanquam per rationem, veluti materialem, hoc eſt, communem pluribus diſtinctis, non diſtinguentem, ſed adunantem, & identificantem ſibi omnia. Hinc vero non ſequitur, quòd ſimpliciter loquendo, eſſentia non ſit Pater: quia licèt eſſentia ſit nomen abſtractum, tamen exprimit tantum rem, quæ eſt abſtracta, & non exprimit abſtractionem, ſeu rem prout abſtractam; & ideo ſi diceretur ſimpliciter, eſſentia non eſt Pater, videretur negari identitas, quam re ipſa habet eſſentia cum Patre. Atque hanc vſurpationem eſſentiæ pro re, quæ eſt eſſentia ſecundum ſe à parte rei, ſignificat Lateranenſe lo.ci dicés, *Quòd vna quædam ſumma res eſt, quæ veraciter eſt Pater,* &c. Item, *qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſiue natura diuina.* Quod ſi præter rem ipſam ſignificaremus abſtractionem ipſius à perſonis, eadem propoſitio eſſet vera; vt ſi dicas, eſſentia prout ſignificata nomine abſtracto ab omni perſona, non eſt Pater. Quemadmodum in ſimili, inquit S. Thomas

S.Thomas.

ſupra q.32. art.3. ad 3. & ſequitur Scotus, quem refero, & explico tomo 1. q.4. art.2. n.10. *Non dicimus, quòd attributum potentiæ ſit attributum ſcientiæ; licet dicamus, quòd ſcientia ſit potentia.*

8. *Quarta obiectio.*

Obiicit quartò, quia *ſequeretur, quòd Pater eſſet aliquo modo cauſatus, & principiatus: nam quodlibet conſtitutiuum eſt quodammodo cauſa, & principium ſui conſtituti.* Confirmat, quia hæc vocabula *conſtitutiuum, conſtitutio, conſtitutum, & ſimilia,* non inueniuntur apud Auguſtinum, & alios Patres, vbi loquuti ſunt de diſtinctione diuinarum perſonarum.

Reſpondetur explicando magis conſtitutionem perſonalem.

Reſpondeo, negando ſequelam. Hoc enim loco, conſtitutiuum non ſignificat partem aliquam realiter cauſantem aliquod totum, ſed purius ſignificat rationem formalem, ſeu formalitatem, ex qua aliquid quantumuis ſimplex, habet formaliter eſſe tale diſtinctum ab alio, quod quidem quælibet perſona diuina non habet ex eo, quòd ſit Deus, ſiue ex Deitate communi, & indiſtincta ab omnibus perſonis; ſed ex aliqua propria ratione, quæ verè, & formaliter eſt in re; tametſi abſque diſtinctione ab eſſentia ſimiliter conſtitutum non ſignificat aliquod conflatum, ſeu compoſitum ex pluribus partibus, ſed vnum ſimpliciſſimum, in quo diſtingui mentaliter poſſunt plures reales rationes, quamuis re ipſa identificatæ, quarum vna ſit peculiaris, & diſtinguens, alia communis, & identificans. Demum hæc conſtitutio non eſt concipienda per vnionem, & compoſitionem, ſed per vnitatem, & identitatem, in qua verè, ac realiter eſt, & ratio communis, & ratio propria; ita tamen, vt res illa ſimplex ſit formaliter in tali eſſe determinato, ac diſtincto, v.g. ſit Pater, & non Filius, per rationem propriam, non per communem. Atque hoc eſſe formaliter tale per hanc formalem rationem intrinſecam, & non per aliam illi identificatam, vocamus conſtitutionem.

Ad confirmationem, quamuis non multos Patres inuenerim, qui voce conſtitutionis expreſsè vtantur; tamen per æquiualentiam omnes dicunt, quod voces illæ ſignificant. Et quidem Ioannes Theologus in Concil. Florent. ſeſſ. 18. non multò ante finem relatus ſupra n.3. Concilio ipſo tacitè approbante, tamquam omnino certum, & ab omnibus conceſſum, non ſemel ſumit, *Perſonam ex diuina ſubſtantia proprietatéque conſiſtere*, quod verti etiam potuit, *conſtitui*, Græcè enim eſt ὑφίστασθαι, Nam paulò poſt, vbi idem Græcum verbum habetur, Interpres in Conciliis Græcolatinis iuſſu Pauli V. editis vtitur *Conſtituendi* verbo: *Ita enim*, inquit, *ſenſit Epiphanius de originis habitudine conſtituente perſonas.* Græcè eſt idem verbum: περὶ τῆς ἀρχικῆς σχέσεως τῆς ὑφιστώσης τὰ πρόσωπα. Similiter Iuſtinus Martyr in expoſitione fidei de Trinitate, non procul à principio, ait, *Hæc verba, ingenitum, genitum, profectum, non naturæ, eſſentiæque ſunt nomina, ſed modi, & rationes, quibus res conſtant.* Præterea Auguſtinus ſupra num. 3. cuius loquendi modum probat Ioannes Papa I. dicit de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, *Sunt propter Deitatem vnus Deus, propter vniuſcuiuſque proprietatem tres perſonæ.*

Auguſtin.

Quæ verba euidenter ſupponunt eſſe in vnaquaque perſona duas formalitates, ſaltem ratione diſtinctas, & Deitatis, & proprietatis; & ſingulis formalitatibus aſſignant ſatis diuerſa prædicata, nempe vnitatis, & pluralitatis, & per illam formalem, & reduplicatiuam particulam, *propter*, manifeſtè ſignificant rationem, quæ formaliter conſtituit perſonam in eſſe vnum cum aliis perſonis, non eſſe proprietatem, ſed Deitatem, & è contra, rationem, quæ formaliter conſtituit perſonam in eſſe quid diſtinctum ab aliis perſonis, non eſſe Deitatem, ſed proprietatem. Eadem formalitate, ac reduplicatione ſcribit libro 7. de Trinit. cap. 6. paulò poſt principium, *ſubſtantia Patris, ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt,* ſcilicet in ſe ipſo Deus: nam Pater eſt paternitate Pater, & Deitate Deus. & antea cap. 2. paulò poſt principium ſimiliter ſcripſerat, *Non eo Verbum, quo ſapientia.* Ergo per aliam rationem intrinſecam Pater eſt Pater, ſiue quod idem prorſus eſt, Pater habet eſſe Patrem, ſeu conſtituitur in formali eſſe Patris, & per aliam eſt Deus, ſiue conſtituitur in formali eſſe Dei. Item verbi perſona per illam rationem, per quam conſtituitur in eſſe formali Verbi, non conſtituitur in eſſe formali ſapientis. Quas reduplicatiuas diuerſas in

in eadem perſona vſurpant Athanaſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, & idem Auguſtinus locis, & verbis citatis ſupra quæſt.28. art.2. num. 37.

Athanaſius.

Adde Athanaſium ſupra num. 2. dicentem, quòd *Hypoſtaſes eſſentiæ ſubſunt.* ergo perſona, non eſt ſola eſſentia, ſed conſtat etiam hypoſtaticis proprietatibus. Et profecto plus eſt dicere, Perſonam ſubeſſe eſſentiæ, quam perſonam conſtitui per eſſentiam, & proprietatem. Et tam Athanaſius, quàm alij omnes ibi, & ſequenti num.3. citati dicunt, Perſonam habere proprietatem. ergo Perſona non eſt tantum

Auguſtin.

proprietas, ſed, vt loquitur Auguſtinus libro 7. de Trinit. cap.1. paulo poſt med. *eſt aliquid aliud, excepto relatiuo.* ergo conſtat, & conſtituta eſt intrinſecè in ſe per omnimodam identitatem, tum proprietate,

Damaſ.

ſeu relatiuo, tum illo aliquo alio. Damaſcenus quoque libro 3. fidei cap. 6. paulo poſt principium, dicens, *Hypoſtaſim definiunt ſubſtantiam cum accidentibus,* hoc eſt, cum proprietatibus, quæ accidunt ſubſtantiæ, in quantum ſunt extra illius conceptum eſſentialem; apertè ſignificat, perſonam conſtitutam eſſe, & conſtare ſubſtantia, & proprietatibus: illa enim particula, *cum*, ſi non propriè compoſitionem, ſaltem conſtitutionem, ſeu conſtantiam expreſsè importat. Quod obſeruare etiam licet in

Nazianzen.

Nazianzeno ſupra num. 2. confitente *vnamquamque perſonam cum ſua proprietate.* Denique omnes Patres dicentes ſupra num. 2. & 3. Perſonam diſtingui per proprietatem, non per eſſentiam, hoc ipſo dicunt, Perſonam in eſſe formali perſonæ conſtitui per proprietatem, non per eſſentiam; quoniam valde certum apparet ex terminis, rem omnem inde formaliter habere quòd ſit in ſe talis, ſeu taliter conſtituta in ſe ipſa, vnde habet, quòd vt formaliter talis diſtinguatur ab alio. Si igitur perſona, vt formaliter perſona, habet à proprietate, & non à Deitate, vt diſtinguatur ab alia diuina perſona; ab eadem proprietate, & non ab eſſentia habebit neceſſariò quòd in ſe ipſa intrinſece ſit perſona, & conſtituatur in eſſe formali perſonæ, tametſi ab eſſentia re ipſa prorſus indiſtincto.

10. *Quinta obiectio.*

Obiicit quintò in ſecunda concluſione, Hieronymum, Auguſtinum, Magiſtrum, de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, dicentes, *ſubſtantia vnum ſunt, perſonis diſtinguuntur. Et, Perſonæ ſe ipſis differunt.*

Reſpondetur, exponendo verba Hieronymi, Auguſtini, & Magiſtri.

Reſpondeo, omiſſis breuitatis cauſa multis, quæ de his authoritatibus dici poſſent, verba citata, vel eſſe contra Ariminenſem, vel illi nihil fauere. Nam cum dicuntur tres, ſubſtantia vnum, perſonis diſtincti, clariſſimè diſtinguuntur in perſonis duæ rationes, altera ſubſtantiæ, vnde habetur vnitas, altera perſonalitatis, vnde habetur diſtinctio. Ergo perſonæ iſtis duabus rationibus intrinſecè conſtant; & non diſtinguuntur inter ſe perſonis, hoc eſt, per omnem rationem, quam in ſe intrinſecè habent, ſed tantum per illam, per quam formaliter ſunt perſonæ. Dicuntur etiam perſonæ, differre ſe ipſis; quia non differunt per aliquid à ſe, vel in ſe diſtinctum re ipſa, tametſi differant per illam ſimplicem, & indiuiſibilem rationem, in quantum eſt formaliter perſonalitas, ſeu proprietas, non in quantum eſt formaliter ſubſtantia, ſeu Deitas: hæ enim rationes formales, & perſonalitatis, & Deitatis, ſunt verè, & realiter in qualibet perſona, totam illius entitatem intrinſecè conſtituentes, quamuis abſque vlla diſtinctione à parte rei. Ab eo autem, quod actu vnum eſt, & virtualiter, ſiue eminenter, & æquiualenter multiplex, poteſt prouenire aliquid in quantum eſt formaliter tale, ſecundum vnam rationem, non ſecundum omnem ſui rationem: ſicut vnio hypoſtatica humanitatis aſſumptæ terminatur formaliter ad perſonalem verbi ſubſiſtentiam, non ad communem Deitatis naturam: & Deus Pater per æternam generationem communicat Filio eſſe Deum, non eſſe Patrem; tametſi illa ſubſiſtentia cum natura, & Deus cum Patre ſint vnum quid in ſe ſimpliciſſimum. Hinc autem Ariminenſis in tertia ſua concluſione,

11. *Sexta obiectio ex verbis Lateranenſis.*

Obiicit ſexto, intendens probare, *quod non eſt dare aliquas tales entitates proprias perſonarum*, idque ait eſſe manifeſtum *per expreſſam determinationem Eccleſiæ, extra De ſumma Trinit. cap. Damnamus, ſic dicentis, Pater ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, non quòd partem ſuæ ſubſtantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi, cum ſubſtantia Patris ſit indiuiſibilis, vtpote ſimplex omnino. Nec quòd ſic dederit ſubſtantiam Filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi. Patet ergo, quòd ſine vlla diminutione Filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit; & ita Pater, & Filius habent eamdem ſubſtantiam; & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.*

Arguit primo.

Ex his Concilij verbis ita arguit primò. *Filius totam ſubſtantiam Patris ſine diminutione accepit. ergo nullam entitatem in ſe habet ſibi propriam Pater, quam Filio generando non dederit.* Quod ſi concedatur antecedens de ſubſtantia, negatur conſequens de entitate; inſtat acutè Gregorius, tum quia ideo dicitur data tota ſubſtantia, quia illa *eſt indiuiſibilis, & ſimplex omninò*; non minus autem indiuiſibilis, & ſimplex eſt entitas Patris, quàm ſubſtantia Patris. ergo data pariter eſt tota entitas Patris: *tum quia ſtultiſſimum*, inquit, *eſt imaginari, quòd in Patre ſit aliqua entitas, quæ non ſit ſubſtantia, vel de ſubſtantia eius; ſic enim eſſet accidentalis, vel extranea.*

Secundo.

Arguit ſecundò. *Si eſſent in perſonis tales propriæ entitates, tunc non eadem res eſſet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vt dicit Eccleſia.* Conſequentiam probat, & probationis ſenſus clarius explicatus hic eſt, ſi in Patre eſſet aliqua propria entitas, tunc res, quæ eſt Pater, non ſolum eſſet eſſentia communis, ſed etiam illa propria entitas. Sed hæc propria entitas non eſt in Filio. ergo, inquit, *Non eadem res, quæ eſt Pater, eſt Filius.*

Tertio.

Arguit tertio, quia *ſequeretur, quòd eſſentia diuina non eſt Pater, nec è contrario*: conſequentiam probat, quia eſſentia diuina, vt ibidem definitur, *veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ.* Totum autem non eſt pars, neque pars eſt totum.

Quartò.

Arguit quartò, *Si qualibet perſona habet aliquam propriam entitatem, præter communem entitatem, quæ eſt Deitas*; ſequeretur, dari quatuor diuinitates, & quatuor Deos, quia, inquit, nihil eſt in Deo, quod non ſit Deus. & plures alias rationes, & authoritates affert Gregorius, quæ impugnat ſolum diſtinctionem à parte rei inter eſſentiam, & proprietatem, quas ſupra quæſt. 28. art. 2. attulimus, & conceſſimus.

Quintò.

Ex quibus arguit quintò ſic. *Illa entitas propriè non eſt entitas diſtincta modo aliquo à deitate communi, ſed eſt ipſa. ergo nulla pluralitas entitatum eſt in perſona, nec in ea eſt aliquid quo conuenit cum alia perſona, & aliquid aliud, quo diſtinguitur ab ea. ergo nulla proprietas eſt in perſona, vel eſt perſonæ, tranſitiue loquendo, qua diſtinguatur ab alia perſona; ſed ipſamet perſona, nulla plura proprio modo includens, ſe ipſa primo diſtinguitur ab alia.*

12. *Reſpondetur ad 1. explicando. & expendendo verba Concilij.*

Reſpondeo ad primum Patrem dediſſe Filio totam ſuam ſubſtantiam, ſiue entitatem abſolutam; non ſimpliciter totam, & abſolutam, & relatiuam.

Quod, ni fallor, tenemur omnes de Fide dicere; quia Eugenius IV. in fine Concilij Florentini in literis vnionis, in med. ita credendum definit: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Quam exceptionem Patres communiter exprimunt, & contra Sabellianos subintelligendam esse docent, cum dicitur Ioann. 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* & cap. 17. *mea omnia, tua sunt: & tua, mea sunt.* Atque eamdem exceptionem expressè fatemur omnes in ipso Trinitatis articulo, credentes Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem. Hinc contra Gregorium confici potest hæc Theologica demonstratio. Pater non dedit Filio esse Patrem. Sed esse Patrem est aliqua realis entitas, nimirum relativa, quam in se ipso intrinsece habet Pater. ergo Pater habet in se propriam aliquam realem entitatem, quam non dedit Filio. Lateranense igitur verbis citatis accipit substantiam, non largius, vt distinguitur contra accidens, sic enim in diuinis esse Patrem est substantia; sed strictius, vt distinguitur contra personam, ita vt idem sit substantia, quod natura. Vnde ipsummet Concilium ita se explicat, *videlicet substantia, essentia, siue natura diuina.* Nec facit vim præcisè, & simpliciter in indiuisibilitate, & omnimoda simplicitate, quasi vero id, quod est actualiter vnum, sed virtualiter multiplex, non possit dari, aut producere, aut terminare, secundum vnam rationem, & non secundum aliam; verbi gratia, Pater in se simplicissimus, generat, vt Pater, non vt Deitas; & dat Filio suam naturam, non suam personalem proprietatem. Item Filius generatur vt Filius, non vt Deitas, & humanitatem assumptam terminat formaliter secundum quod est persona, non secundum quod est natura diuina. Item Pater generat verbum per intellectum, non per voluntatem; & à contrario, spirat amorem personalem per voluntatem, non per intellectum. Facit igitur vim in indiuisibilitate, & simplicitate naturæ diuinæ datæ per veram, ac propriam generationem, in quantum illa non est natura diuisibilis in plures numero naturas, sicut diuisibiles sunt naturæ creatæ; & propterea si per generationem communicatur, non potest non tota communicari, etiam secundum esse indiuiduum, ac singulare, talis naturæ, quod in nulla creata generatione reperiri potest.

Exponitur locus Ioann. 16. & 17.

13. *Respondetur ad 2.*

Ad secundum cum dicit Concilium, *quòd eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*; manifestum est, quod illud, *eadem res*, sumitur pro essentia abstracta à personis. Quare in suo argumento æquiuocat Gregorius, sumendo illud, *eadem res*, pro persona, siue pro essentia cum propria aliqua personali entitate. Cum igitur concludit, *Non eadem res, quæ est Pater, est Filius*; est falsum, si sumatur res pro essentia, hæc enim res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; & in hoc sensu loquitur Concilium; est verum de fide, si res sumatur pro Patre, quem credimus esse personam distinctam realiter à persona Filij.

Respondetur ad 3.

Ad tertium, nego sequelam; in cuius probatione etiam æquiuocè proceditur, quia cum dicitur à Concilio, essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; est prædicatio identica, non formalis, cum essentia præcisè, in se formaliter non includat Trinitatem. In sensu igitur formali dici verè non posset, essentia est Pater, aut Pater est essentia, vt probat obiectio; non autem in sensu identico, in quo loquitur Concilium.

Respondetur ad 4.

Ad quartum ex proprietatibus personarum nego sequi quatuor diuinitates, aut Deos; quia proprietas personalis secundum se præcisè considerata, est identicè Deus, non autem formaliter; alioqui, si esse Patrem, verbi gratia, esset formaliter esse Deum, Pater, qui non dedit Filio esse Patrem, nec illi dedisset esse Deum. Nihil igitur est in Deo, quod non sit identificatum cum Deo; non autem quod in se formaliter, & præcisè consideratum, non sit Deus.

14. *Respondetur ad 5.*

Ad quintum distinguo antecedens, Illa entitas propria, non est entitas distincta modo aliquo à Deitate communi, nimirum, distincta à parte rei, nam distinguitur ratione ratiocinata, cum maximo fundamento. Quare illa entitas propria, est entitas communis, identicè, non autem formaliter, in suo quidditatiuo conceptu intrinsecè spectata. Hinc verò cum deducitur, *ergo nulla pluralitas entitatum est in persona*, concedo de pluralitate actuali in re, nego de pluralitate fundamentali, seu virtuali per ordinem ad intellectum nostrum. Et cum additur, *Nec in ea est aliquid, pro conuenit cum alia persona, nec aliquid aliud, quo distinguitur ab ea*; est falsum, si, *aliquid aliud*, sumatur distinctum, ratione ratiocinata; est verum, si sumatur distinctum ex natura rei. Quamquam etiam in re ipsa idem simplicissimus Deus Pater, verbi gratia, vt est formaliter Deus, non distinguitur à Filio, & Spiritu sancto; vt est formaliter Pater, distinguitur ab illis. Oportet enim subtiliter animaduertere, quòd in Patre, quamuis non sit in re distinctio inter Deitatem, & paternitatem, est tamen ibi verè in re, non virtualiter, & eminenter, sed actualiter, & formaliter ratio, siue entitas Deitatis, & ratio siue entitas paternitatis: sicut etiam eodem modo est esse indistinctum, & esse distinctum à Filio, & Spiritu sancto. Quamobrem à parte rei ante omne opus intellectus verificatur, quòd Pater est indistinctus in re, secundum quod in re est actualiter, & formaliter Deus; & est etiam distinctus in re, secundum quod in re est actualiter, & formaliter Pater.

Quomodo Pater à parte rei distinguat, & non distinguatur à Filio.

15. Hinc apparet quid dicendum sit ad illud vltimum consequens, *ergo nulla proprietas est in persona, vel est personæ transitiuè loquendo*: est enim verum de reali transitu cum distinctione ex natura rei inter id, quod transit, & id ad quod transit; est vero falsum de transitu per distinctionem rationis cum fundamento à parte rei. Etenim proprietas ex natura sua in re habet, nimirum ex eo, quòd à parte rei ipsa formaliter est ratio distinguendi personam, vt si distinctè concipienda sit, concipi debeat; vt aliquid personæ, & in persona; siue vt ratio formaliter constituens personam in esse formali personæ distinctæ à quacumque alia persona. Et id eo à Patribus citatis supra n. 2. & 3. dicuntur personæ habere proprietatem: & proprietates in personis, & personæ esse cum proprietatibus, & proprietates personarum. & multorum Patrum 5. q. 31. art. 1. num. 9. est illud, *Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate.* & ipsa Ecclesia in Missa de Trinitate canit, *In personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.* Denique cum in fine argumenti dicitur, *Ipsamet persona diuina, nulla plura quoquo modo includens, se ipsa primo distinguitur ab alia*, nego illud vniuersale, *quoquo modo*, quia quælibet diuina persona includit plura, & in se fundamentaliter, & actualiter ratione ratiocinata, Quare si illud *se ipsa*, significet sine vlla actuali distinctione in re, concedo, se ipsa distingui, &

Missa de Trinitate.

& non per proprietatem actu in re distinctam: si verò significet secundum omnem sui formalem rationem, quam in se ipsa actualiter, ac realiter habet, nego distingui se ipsa simpliciter, sed distinguitur per aliquid sui formaliter, nempè per propriam entitatem personalitatis relatiuæ, non per communem, & absolutam Deitatis entitatem. Vnde S. Thomas 1. d. 26. q. 2. art. 1. ad 5. quod benè obseruauit Ferrariensis 4. cont. gent. c. 26. §. *Ad euidentiam horum*, & sequutus est Torres hîc in 3. p. Commentarij circa principium, concedit, *Quod etiam personæ diuinæ se ipsis distinguuntur, in quantum personæ, secundum rem sunt ipsæ relationes: sed sicut persona, quantum ad modum significandi, non est idem quod relatio, ita etiam se ipsis non distinguuntur, sed relationibus.*

S. Thomas cit Ferrariensis, & Torres.

DVBITATIO II.

An diuinæ personæ per quamlibet proprietatem constituantur, ac distinguantur.

SVMMA.

1. *Titulus dubitationis exponitur, n. 16.*
2. *Omnis proprietas constituit, ac distinguit aliquo modo, num. 17.*
3. *Innascibilitas neque constituit, neque distinguit personam in esse personæ formaliter, n. 18.*
4. *Idem probatur de relatione spirandi, n. 19. ad 25.*
5. *Soluuntur Aureoli, & aliorũ obiectiones, n. 25. ad 28.*

16. *Exponitur titulus.*

IN hac quæstione largius sumo proprietatem pro omni eo, quod non conuenit omnibus personis, sed vel soli vni, & generare, vel duabus tantum, vt spirare; siue illud, quod ita propriè conuenit, sit positiuum, siue negatiuum, vt innascibilitas conueniens soli Patri. Pro qua re oportet recolere, quæ dicta sunt suprà quæst. 32. art. 3. præsertim num. 11. & 12. Videtur enim spiratio actiua, quia est communis pluribus personis, maximè recedere à ratione proprietatis; & tamen eam ipsemet S. Thomas proprietatem vocat 1. d. 26. quæst. 2. art. 3. circa med. corp. *non simpliciter, sed secundum quid*: est enim, inquit, *proprium Patris, & Filij, respectu Spiritus sancti.* Et opusc. 2. de compendio Theologiæ cap. 59. paulò post principium, *secundum illum modum, quo aliquid dicitur proprium aliquibus per respectum ad aliud, sicut bipes homini, & quasi per respectum ad quadrupedia nihil prohibet, etiam communem spirationem, proprietatem dici.*

Spiratio etiã dicitur proprietas à S. Thoma.

17. *Prima conclusio.*

Prima conclusio generalis. Omnis proprietas aliquo modo distinguit, & constituit personas: & sicut reperiri nequit aliqua proprietas, quæ constituat, & non distinguat; ita contra, fingi non potest aliqua, quæ distinguat, & non constituat; scilicet, vt quo modo constituit, eodem distinguat; & quo modo distinguit, eodem constituat. Hoc cum communi opinione contra nonnullos ex instituto probatum est supra q. 36. art. 2. n. 36. & 37. nunc probo breuiter primò, quod omnes concedunt, omnem proprietatem distinguere aliquo modo; quoniã omnis proprietas est identificata personæ, & est in vna persona, non in alia. ergo se ipsa formaliter facit, vnam personam non esse aliam, quod est distinguere. Confirmatur ex dictis q. 32. art. 2. & 3. de notionibus: quia in latiori significato, quò nunc de proprietate disputamus, omnis proprietas est notio. Certum autem est per notionem, quæ est ratio cognoscendi vnam personam distinctam ab alia, distingui inter se personas. ergo etiam per proprietatem. Probo 2. omnem proprietatem constituere aliquo modo;

Omnem proprietatẽ aliquo modo distinguere.

& aliquo modo constituere.

quia omnis proprietas est formaliter in persona. ergo facit personam talem formaliter, qualis est ipsa proprietatis formalitas; v. g. paternitas facit vnam personam formaliter Patrem, Filiatio Filium; relatio spirationis passiuæ, Spiritum sanctum, innascibilitas facit Patrem formaliter innascibilem; relatio spirationis actiuæ facit Patrem, & Filium, formaliter spirantes. ergo omnis proprietas constituit personam aliquo modo; hoc est, in aliquo esse, siue negatiuo, vt innascibilitas, quæ negatio est, vt suprà quæst. 33. art. 4. dub. 3. siue positiuo, vt aliæ proprietates: quod esse positiuum, vel est ipsum esse formale personæ, quod habetur ex paternitate, filiatione, & spiratione passiua, vt inferius ostendam, vel est aliquod esse relatiuum substantialiter superadditum personæ, eique identificatum, vt non semel in superioribus dictum est, & mox iterum probabo, de spiratione actiua. Probo tertiò proprietatem eo modo distinguere, quo constituit, & è contra; quia omnis ratio formaliter constituens in aliquo esse determinato, facit ens hoc, seu tale: omne autem, quod est hoc, seu tale ens determinatum, non est aliud. ergo est distinctum ab alio. ergo omnis ratio constituens; est distinguens. ergo constituens tali modo, v.g. in esse personali, in esse purè correlatiuo, in esse negatiuo, est proportionaliter distinguens eodem modo. Item omnis ratio distinguens, facit hoc non esse illud; quod intelligi non potest facere, nisi faciendo, & constituendo hoc, ad quod essentialiter consequitur non esse illud: negatio enim huius ab illo, quæ est formaliter ipsa distinctio, præsupponere necessariò debet hoc, in quo fundatur. ergo omnis ratio distinguens, esse necessariò debet ratio constituens. ergo distinguens tali modo, v.g. personaliter, correlatiuè, &c. erit eodem proportionali modo constituens. Ob cuius discursus euidentiam rectè scripsit Aureolus 1. d. 11. q. 1. a. 3. propositione 1. initio, *Est notum per se, quod omnis res in tali esse constituit, in quali esse distinguit. Vnde si albedo distinguit qualitatiuè album à nigro, dat esse qualitatiuum; & si distingueret substantialiter, daret esse substantiale: & quod distinguit personaliter, dat esse personam.* Et S. Thomas hic post med. corp. sapientissimè pronunciat, *In diuinis oportet, quod ipsa distinguentia constituant res distinctas.* Verùm hic in tam amplo sensu non inquirimus, An per quamlibet proprietatem diuinæ personæ constituantur, & distinguantur quomodocumque, sed solum in particulari, ac determinato esse personali formaliter, ita vt videndum sit, An omnis proprietas, quæ in tribus diuinis personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto reperitur, pertineat ad formalem rationem constitutiuam, & distinctiuam personæ, in esse personæ formaliter. In quo sensu sit

Proprietatem eo modo distinguere, quo constituit; & è contra.

Aureolus.

S. Thomas.

18. *Secunda conclusio. Innascibilitas non constituit, nec distinguit, ex S. Thoma.*

Secunda conclusio, innascibilitas, quæ ex probatis supra q. 33. art. 4. est proprietas solius Patris, non constituit, nec distinguit personã Patris. Ita omnes, & expressè S. Thomas opusc. 2. de compendio Theologiæ c. 60. post med. Probat primò, quia personalitas Patris est ens aliquod positiuum reale, vt de omni diuina persona in communi probatum est supra quæst. 29. art. 1. præsertim à num. 5. Innascibilitas verò formaliter non importat conceptum aliquem positiuum, sed negatiuum dumtaxat, vt suprà q. 33. art. 4. dub. 2. & 3. *Nihil autem*, inquit S. Thomas, *negatione constituitur.* Secundò, quia ibidem dub. 4. probatum est negationem, quam de formali importat innascibilitas, fundari in paternitate: hæc autem, vel ipsa formaliter est tota,

& integra personalitas Patris, vt inferius dicam; vel saltem præsupponere debet personam integrè constituram, vt accidit in Patribus creatis. Pater enim secundum omnia positiua, quæ formaliter, & intrinsecè includit, est is, qui Filium generat, & ad Filium refertur, qui non potest non intelligi, vt perfecta persona. ergo negatio, quæ tanquam quid consequens fundatur in Paternitate, seu persona Patris, non potest pertinere ad formalem, & intrinsecam personæ constitutionem: *quia*, vt ait S.Thomas, *naturaliter affirmatio negationem præcedit.*

19. *Tertia conclusio, relatio spirandi non constituit, nec distinguit. Probatur ex S.Thoma.*

Tertia conclusio, spirationis actiuæ relatio, communis Patri, & Filio, non potest esse formalis aliqua ratio constitutiua, & distinctiua alicuius personæ. Hæc est expressa sententia S.Thomæ 1. suprà q.30.art.2.ad 1.de spiratione actiua, ait, *Licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas; quia non conuenit vni tantum personæ, neque relatio personalis, id est, constituens personam.* Secundò, in hac quæstione art. seq.3. circa med. corp. *Remoto per intellectum à Patre, quòd sit ingenitus, vel spirans, remanet hypostasis, vel persona Patris.* Tertiò, in 1. d.33. quæst.1. art.3.corp.explicat aliquas proprietates esse in personis, *Sicut illud, quod aduenit post esse constitutum; sicut albedo est in sorte; & ita secundum intellectum proprietates non personales, vt innascibilitas, & communis spiratio, sunt in personis.* Quartò, multò clarius de Potentia q.10.art.5.ante med.corp. *Cum in Patre sint duæ relationes, scilicet, paternitas, & actiua spiratio, sola paternitas constituit personam Patris; vnde dicitur proprietas, seu relatio personalis. Spiratio vero actiua, est relatio personæ, non personalis, quasi personæ iam constitutæ superueniens. ex quo patet, quod paternitas, secundum ordinem intelligendi præsupponatur ad spirationem.* Quintò, opusc.2. de compendio Theologiæ cap.60. med. ait, *Licet vni personæ plures notiones, aut proprietates conueniant, vna tamen sola est, quæ personam constituit. Non enim sic constituitur persona proprietatibus, quasi ex pluribus constituta, oportet igitur intelligi, quod plurium proprietatum, seu notionum, vni personæ conuenientium, illa, quæ præcedit secundum ordinem naturæ personam constituit. Alia verò intelliguntur, vt personæ iam constitutæ inhærentes. Communis autem spiratio ordine naturæ præsupponit paternitatem, & filiationem, sicut processio amoris, processionem Verbi. Relinquitur igitur, quòd tres sunt notiones constituentes personas, scilicet, paternitas, filiatio, & processio. Id enim, quod personam constituit, oportet soli illi personæ conuenire. Dicuntur igitur prædictæ tres notiones, personales proprietates, quasi constituentes personas. Alia verò dicuntur proprietates, seu notiones personarum; non autem personales, quia personas non constituunt.*

20. *Insufficienter à quibusdam exponi S. Thomam.*

Vere nihil clarius, ac distinctius scribi poterat pro hac tertia conclusione. Nihilominus quidam moderni contendentes, Patrem, & Filium non constitui ac distingui plenè, & integrè, & formaliter in ratione personæ, per solum explicitum conceptum paternitatis, & filiationis, sed præterea necessarium esse intelligi explicitè relationem spirandi; dicunt, verba S.Thomæ, *pertinere solum ad explicitum modum intelligendi*; hoc est, quantum ex antecedentibus, & subsequentibus colligere possum, spirandi relatio negatur pertinere ad personalem constitutionem, ac distinctionem Patris, & Filij, si implicitè tantum concipitur inclusa in explicito conceptu paternitatis, & filiationis: non autem, si concipiatur explicitè. Verum enimuero vnusquisque ex se, attentè perpendens dicta S. Thomæ, & hanc expositionem, iudicare facilè poterit, eam esse manifestè extortam, & ad sensum exponentis potius, quàm ad mentem Authoris. Quod præterea suaderi potest, primò quia res ipsa quæ dicitur, præscindendo à verbis S.Thomæ, apparet irrationabilis; vt spiratio quidditatiuè (vt ipsi dicunt, sed multis reiectum est suprà quæst.28. art.4. à num.20.) inclusa in paternitate, & filiatione, si explicitè concipiatur constituat personas; non constituat verò, si concipiatur implicitè. Etenim persona, præsertim diuina, est in se ipsa, independenter omnino à nostro intellectu, aliquid positiuum reale. ergo eius constitutio, ac distinctio ab aliis personis, esse debet realis per aliquam realitatem, seu formalitatem in re ipsa existentem. ergo huiusmodi constitutio, ac distinctio, quasi esset aliquod ens rationis ab intellectu, confictum, perperam dicitur poni, & tolli, posito, ac ablato hoc, vel illo nostro intelligendi modo. Sic enim non esset in Patre, & Filio vltimata, ac perfecta personalitas, nisi per extrinsecam nostram conceptionem explicitam; quod est manifestum absurdum. Sicut igitur relatio paternitatis, v.g. ad constitutionem personæ Patris pertinet, vt est quædam relatio realis secundum se, & non prout hoc, vel illo modo à nobis concipitur; ita si spiratio ad eamdem constitutionem pertinet, pertinere debet secundum id, quod est formaliter in re ipsa, non secundum nostrum concipiendi modum. Deinde per Aduersarios, paternitas, seu filiatio, explicitè concepta includit implicitè spirationem; non potest autem assignari aliqua probabilis ratio, cur hæc realis, imò etiam quidditatiua inclusio, tametsi implicita, & non satis explicata nomine paternitatis, aut filiationis, non sufficiat, vt dicamus paternitatem, aut filiationem, aut implicitè includentem spirationem constituere personam; sed præterea ad hoc requiratur explicitus spirationis conceptus.

2 *Expenduntur verba S.Thomæ supra n.19.*

Secundò arguo ex ipsis S. Thomæ verbis, quia in primo loco de spiratione, non solum dicitur absolutè, *Non est relatio constituens personam*, sed additur optima, & conuincens ratio, *quia non conuenit vni tantum personæ.* Cui probationi, non potest conuenienter aptari distinctio de intelligere implicitè, & explicitè. Deinde in secundo loco docet, quòd in intellectu præscindente, & non explicitè concipiente in Patre esse ingenitum, & esse spiratorem, *remanet persona Patris.* Ergo ad hoc, vt expressè concipiatur persona Patris, non est necessarium explicitè intelligere spirationem. Additur etiam in tertio loco, *quòd innascibilitas, & communis spiratio aduenient post esse constituta, sicut albedo in sorte.* Hoc aduenire, debet intelligi saltem in esse explicitè concepto. ergo spiratio etiam vt explicitè concepta in patre aduenit post constitutam personam Patris. & cum quoad constitutionem, idem semper doceat de innascibilitate, & de spiratione, & certum sit ex ipsomet S.Thoma vt supra in conclusione 2. innascibilitatem non pertinere ad constitutionem personæ Patris, idem certum esse debet de spiratione. Clarius in quarto loco, expressè distinctis, & intellectis duabus relationibus paternitatis, & spirationis in vna persona Patris, disertissimè subditur de vna tantum paternitate explicitè intellecta, cum aperta exclusione spirationis, *Sola paternitas constituit personam Patris*: & loquitur de paternitate, quæ, inquit, *secundum ordinem intelligendi præsupponitur ad spirationem.* Igitur illa paternitas sola constituit personam Patris, quæ intelligitur prius, quàm

quam intelligatur spiratio; ergo manifestè contra S.Thomam dicitur, quod spiratio prout explicitè intellecta post personam Patris sit quædam formalis ratio vltimata integrans personam Patris. Demum in quinto loco clarissimè dicitur, *Licet vni personæ plures notiones aut proprietates conueniant, vna tamen sola est, quæ personam constituit:* & hæc notio constituens est, inquit, *illa quæ præcedit secundum ordinem naturæ*; qualem præcedentiam habere docet paternitatem, & filiationem respectu spirationis, quæ inquit, *intelligitur, vt persona iam constituta inhærens.* ergo quando spiratio explicitè intelligitur, non debet secundum S.Thomam intelligi vt formaliter constituens, sed vt aliqua ratio veluti *inhærens*; hoc est, adueniens personæ, quæ ex aliqua alia præcedenti proprietate intelligitur formaliter, & adæquatè iam constituta. Præterea ibidem dicitur spirationis actiuæ relatio, ita præsupponere personam constituram per paternitatem & filiationem, sicut processio amoris præsupponit processionem Verbi. Sicut igitur ob hanc præsuppositionem, & præcedentem, processio amoris dici non potest inclusa in conceptu quidditatiuo processionis Verbi, nec eam aliquo modo constituens; ita nec paternitas, nec filiatio, ex eo quòd præsupponantur ad spirationem, dici possunt claudere in se quidditatiuè spirationem, & per spirationem aliqua ratione constitui. Quod ibi etiam efficaciter probat eodem modo, quo supra dicens, *Id enim, quod personam constituit, oportet soli illi personæ conuenire.*

22. *Sequuntur Capreolus.*

Idem sequuntur Thomistæ omnes, Capreolus 1. d.11. quæst.vnica art.2. ad 1. in secunda responsione, vbi dicit, *Eadem res est filiatio, & spiratio; sed vt est filiatio constituit Filium in esse personali.* Et d.13. quæst. vnica art.2. ad 2. Aureoli contra secundam conclusionem, dicens, *Non enim spiratio concurrit ad constitutionem diuinæ personæ: nec tamen est accidens, sed relatio subsistens, & diuina persona.* Caietanus suprà quæst.36. art.2. §. *Ad hæc breuiter.* Ferrariensis 4. cont.gent.cap.24. §. *Aduertendum tamen.* Syluester p.p. Conflati quæst.36. art.3. §.1. Bagnes supra quæst.36. art.2. dub.3. ad 2. Consentiunt Scotus, & Scotistæ omnes; qui, vt patet ex dictis supra quæst.36. art.2. num.28. cum Henrico, Alliacensi, Baccono, Carthusiano, Ochamo, Gabriele, ex hoc, quod persona Filij constituatur, & distinguatur à Spiritu sancto per solam filiationem, maximè arguunt, futuram realem distinctionem inter Filium, & Spiritum sanctum, etiamsi Spiritus sanctus à Filio non procederet. Accedunt Durandus 1. d.11. quæst.2. ad 2. circa fin. & d.12. q.1. num.24. & 25. vbi quamuis videatur contrarius, tamen verè non est; quoniam solum vult, Patrem constitui in esse distincto à Spiritu sancto per relationem spirandi, sed non constitui simpliciter in esse personali: sentit enim cum Thomistis relatis, & impugnatis supra quæst.36. art.2. n.37. personam Filij Dei constitui per solam filiationem, non tamen per hanc, sed per aliam spirandi relationem distingui à tertia Spiritus sancti persona. Torres supra quæst. 36. art. 2. p.2. Commentarij, ad 3. & ibidem Zumel disp.2. ad 1. Molin. disp.3. ad 2. Vazquez disp. 147. num.34. & sequentibus, Valentia de Trinit. quæst. sua 10. punct.3.in secundo argumento. Suarez lib.5.de Trinit.c.8.n.4. & lib.7.c.4. num.5. & sequentibus. Albertinus in Prædicamento ad aliquid, coroll.7.q.6. ad 5. & alij communiter. Præterea idem ex instituto probat Henricus in summa art.60.q.5.tota. Sed contrarium apertè sequitur Aureolus 1. d.11. q.1. art.3. propositione 2. & aliis sequentibus, de persona Filij non semel dicens, constitui non per solam filiationem, sed simul etiam per spirationem actiuam, cui consentire videntur quidam recentiores contendentes, Patrem, & Filium per paternitatem, & filiationem, à Spiritu sancto distingui radicaliter, non formaliter; quia, vt dicunt, spiratio actiua est formalis ratio distinctionis Patris, & Filij, à Spiritu sancto; & propterea illi non plenè, & integrè constituuntur explicito conceptu paternitatis, & filiationis, quousque intelligatur explicitè spiratio actiua; per quam sicut formaliter distinguuntur à Spiritu sancto, ita etiam vltimatè, & adæquatè constituuntur: & ad hunc sensum conantur trahere S.Thomam, vt dixi, & impugnaui suprà num.20. & 21.

Caietanus. Ferrariensis. Bagnez. Durandus. Torres, Zumel. Molina. Vazquez. Valentia. Suarez. Albertinus. Henricus. *Contra Aureolum,* *& aliquos recentiores.*

23. *Probatur ratione præcipua.*

Fundamentum præcipuæ conclusionis, cui innituntur S. Thomas suprà, & reliqui omnes, est communicabilitas spirationis actiuæ, seu communitas, quam illa habet cum duabus personis. De ratione enim essentiali personæ est, vt sit incommunicabilis, & consequenter distinguatur realiter ab omni alia persona, vt suprà quæst. 29. art.1. ergo formalis ratio constituens personam in esse formali personæ, siue totali, & adæquato, siue partiali, & inadæquato, non potest esse aliquid communicatum, siue commune pluribus personis. Enimuero ex terminis ipsis repugnare videtur, vt persona constituatur formaliter incommunicabilis, & distincta, per aliquam personalitatem communicabilem, & indistinctam. Iuxta hunc sensum sine dubio de proprietatibus, & notionibus personalibus, & personarum constitutiuis, quæ esse necessario debent propriæ vnius tantum personæ, oportet intelligere Basilium ep.43. paulò ante med. ita scribentem de Filio Dei, *Nullam prorsus notionum communicationem, secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quàm cum Spiritu sancto habet*; & Nyssenum lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos multò ante med. similiter docentem. *Filius nullam, quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu sancto.* Probè nouerant Basilius, & Nyssenus, quod probaui suprà q.36. art.2. n.11. spirationem actiuam esse notionem Patri, Filioque communem; & nihilominus scribunt, Filium nullam cum Patre communem habere notionem; spectantem scilicet ad propriam illius personam constituendam.

Basilius. Nyssenus.

24. *Alia S.Thomæ ratio.*

Tangitur quoque à S.Thoma supra n.19. aliud efficax fundamentum, ductum ex posterioritate relationis spirandi, quæ ex propria sua ratione, secundum quam est relatio fundata in processione amoris per voluntatem, præsupponit processionem verbi per intellectum; ac proinde, quia hæc processio in diuinis, est substantialis, & perfectissima generatio, præsupponit Patrem perfectissimè generantem, & Filium perfectissimè genitum. Quod autem Pater generans, & Filius genitus, sint personæ omninò perfectæ, notissimum omnibus est ex ipsis rebus creatis, in quibus nullus Pater, nullus Filius esse potest, qui perfectam personæ rationem non habeat: quæ perfectio multò magis tribuenda est Deo Patri, & Deo Filio, à quibus omnis paternitas, & omnis filiatio in cœlo, & in terra nominatur: cum enim actiones sint suppositorum, perfectissima actio perfectissimi suppositi sit necesse est. ergo relatio, natura posterior generante, & genito, non potest rationabiliter intelligi, vt formaliter pertinens ad essentialem, seu formalem constitutionem personæ generantis, & personæ genitæ; sed, vt loquitur S.Thomas suprà, *Persona iam constituta superueniens, & veluti inhærens, & sicut*

Ephes.3.

illud quod aduenit post esse constitutum. Hinc oritur primò, vt, sicut dicitur art. sequenti circa med. corp. *Remoto per intellectum à Patre, quòd sit spirans, adhuc remanebat persona Patris*; quia spiratio neque est personalitas Patris, neque aliquid illius. Oritur secundò, quod probatum est suprà quæst. 36. art. 4. dub. 2. vt spirandi relatio nullum constituat spirandi principium, sed hoc sint Pater, & Filius, secundum quod integræ personæ sunt præcisa quauis relatione ad Spiritum sanctum. Oritur tertiò, quod significaui suprà quæst. 30. art. 1. num. 16. cum Suarez, Relationem spirandi non habere ex se aliam subsistentiam, ne ratione quidem distinctam à subsistentiis paternitatis, & filiationis; hæc enim subsistentia esset relativa, & consequenter non esset intrinsecè inclusa in natura communi; & ideo esset etiam aliquo modo personalis, in quantum est opposita subsistentiæ personali Spiritus sancti. Igitur præter subsistentiam absolutam darentur quatuor subsistentiæ relativæ personales, seu personarum, & non naturæ; contra omnes Patres citatos supra q. 30. art. 1. num. 38. & 49. qui non nisi tres subsistentias in diuinis personis agnoscunt, & perpetuò prædicant. Quod apertissimè docuit, & probauit S. Thomas opusc. 2. cit. supra num. 19. dum vult, quòd in vna persona non possunt intelligi *plures proprietates, vt seorsum per se subsistentes*; alioquin, inquit, *essent iam plures personæ, & non vna.* Et 1. d. 26. quæst. 2. art. 3. ad 6. dicit, *Quòd quælibet proprietas in diuinis, & quidquid est ibi, est subsistens; non oportet, quod sint tot res subsistentes, quot sunt proprietates; sed quot oppositio exigit realiter distinguens.* Idque optimè confirmat exemplo perfectionum absolutarum continuò subiungens. *Unde, sicut in Deo bonitas, & sapientia est subsistens, non tamen alia, & alia res est subsistens, quia non habent oppositionem; ita etiam communis spiratio est subsistens, non tamen est alia res subsistens, quam paternitas & filiatio; quia non habent oppositionem ad eam: unde in una re subsistente cum utroque esse potest*; & statim ponens, & probans præsentem conclusionem, ita addit, *Nec tamen constituit personam, in qua est; quia præsupponit, secundum ordinem naturæ paternitatem, & filiationem; sicut & processio præsupponit generationem; & ideo non est personalis notio: & similiter innascibilitas, cum non habeat oppositionem ad paternitatem, in eadem re subsistente esse potest: & quia negatio importata in ea, sequitur secundum intellectum positionem principij, ideo non constituit personam, sed est in persona constituta per paternitatem.* Quam ob causam, quia nimirum spiratio, & innascibilitas non habent propriam aliquam subsistentiam, sed subsistunt personalibus subsistentiis Patris, & Filij, de illis dixit quinto loco cit. suprà num. 19. quod *intelliguntur vt persona iam constituta inhærentes.* hoc est, non ex se subsistentes, sed per identitatem cum duabus relationibus ex se subsistentibus. Similiter de Potentia quæst. 10. art. 5. ad 5. probat non tot esse subsistentias, quot sunt relationes; quia, inquit, *paternitatis relatio constituit personam subsistentem: sed relatio communis spirationis non est proprietas personam constituens, sed est relatio personæ subsistenti inhærens.*

Relationem spirandi non habere propriam subsistentiam.

Probatur ex S. Thoma.

Quo sensu relatio spirandi dicatur à S. Thoma inhærens.

25. *Prima obiectio ex Aureolo.*

Obiicies primò, præcipuum Aureoli fundamentum, si filiatio præcisè constitueret Filij personalitatem, *Spiratio actiua*, inquit, *esset aduentitia, & extra personalitatem Filij, & suam perfectam, ac personalem discretionem. Quod esse non potest, quia tunc esset accidens sibi adueniens tanquam aliquid extrinsecum, & sine quo remaneret persona.* Confirmant alij aduersarij recentiores, quia si spiratio non pertineret ad personam, intrinsecè constituendo, sed illi superueniret, faceret cum illa compositionem magis indignam Deo, quam sit compositio ex genere, & differentia: nam hæc compositio est essentialis, illa verò esset per modum accidentis ratione distincti, superuenientis personæ iam constitutæ.

Respondeo distinguendo primum consequens. Spiratio actiua esset aduentitia, non tanquam aliquid extraneum, & nulla ratione pertinens ad personam, cui aduenire à nobis concipitur, cum duæ personæ Patris, & Filij illam intrinsecè, & connaturaliter, per summam naturæ necessitatem, exigant; sed solum est aduentitia, tamquam aliquid conueniens Patri, & Filio, posita alterius tertiæ personæ processione; & non conueniens, vt constituat, aut, vt simpliciter distinguat à Spiritu sancto, sed solum, vt referat ad personam Spiritus sancti, correlatione substantiali, correspondente, scilicet relationi personali Spiritus sancti. Esset etiam extra personam per negationem inclusionis essentialis, non autem per negationem realis identitatis. Hinc autem non sequi spirationem esse in se verè, ac propriè accidens, vt accidens distinguitur contra substantiam, sufficienter explicatum est supra q. 28. art. 4. num. 8.

Respondetur, relationē spirandi esse aduentitiam nō simpliciter, sed secundum quid.

Ad confirmationem ex eo, quòd spiratio concipiatur vt superueniens personæ, in quantum spiratio est posterius originè in Patre, & Filio, perfectè constitutis in esse personali, negosequi illam compositionem cum persona: hæc enim superuenientia est, & concipitur cum identitate, non cum distinctione, quæ ad compositionem necessaria est. Quare persona, & spiratio illi superueniens, non sunt comparandæ cum genere, & differentia, quæ esto in re identificentur, tamen ratione distinguuntur, & sic distinctæ concipiuntur componere vnam perfectam essentiam, in quo genere essentiali illæ sunt imperfectæ, & partiales: neque sunt comparandæ cum subiecto, & accidente, quæ re ipsa distinguuntur, & componunt realiter vnum per accidens, qua vnione singulæ partes componentes, simpliciter in se imperfectæ perficiuntur. At verò persona diuina, & relatio spirandi, nihil componunt, neque essentiale, neque personale; & per hanc relationem persona non perficitur, neque in esse essentiali, neque in esse personali, sed tantum purè refertur formaliter ad aliud sibi oppositum correlatiuum substantiale, & personale.

Relationem spirandi superuenire non componendo, sed futurè referendo.

26. *Secunda obiectio.*

Obiiciunt secundò aduersarij recentiores, quia præcisa relatione spirationis actiuæ, non haberetur in Patre, & Filio integra, plenaque distinctio à Spiritu sancto: ergo nec integra, plenaque constitutio personæ. Antecedens probant, nam si per paternitatem, & filiationem Pater, & Filius distinguerentur à Spiritu sancto præcisa relatione spirationis actiuæ, sequeretur inter diuinas personas reperiri realem distinctionem, vbi non obuiat relationis oppositio contra Anselmum, Boëtium, & reliquos omnes Theologos.

Respondetur, Patrem, & Filium, præcisa etiam relatione spirandi, opponi Spiritui sancto.

Respondetur ex dictis suprà quæst. 28. art. 4. n. 15. & 25. cum Capreolo, & Zumel, negando antecedens de distinctione personali simpliciter: quamuis enim præcisa relatione spirandi, Pater, seu Filius, non distinguerentur à Spiritu sancto, vt correlatiuum à correlatiuo, sicut inter se distinguuntur Pater & Filius; tamen distinguerentur realiter, vt vna persona ab alia persona, nimirum per eamdem illam rationem, per quam in formali esse personæ constituitur. Et ad probationem antecedētis, nego simpliciter sequelam. Duplex enim, vt

vt ibi dicebam, est in diuinis oppositio relationis: altera puræ originis, quo modo relatio spirationis passiuæ opponitur paternitati & filiationi, à quibus originatur modo exposito supra quæst. 36. art. 4. dub. 2. altera puræ correlationis, quo modo relatio spirationis actiuæ opponitur relationi spirationis passiuæ. Quamquam vtramque simul oppositionem habet paternitas ad filiationem: quia Filius non solum est correlatiuus Patri, verum etiam terminus realiter productus à Patre.

27. *Quarta conclusio.*

Quarta conclusio, si tres personæ diuinæ non constituuntur per proprietates absolutas, sed relatiuas, vt inferius probabitur, non possunt constitui nisi per paternitatem, per filiationem, per relationem spirationis passiuæ. Hoc certum est partim ex dictis supra quæst. 28. art. 4. de numero quaternario diuinarum relationum: partim ex hactenus probatis de relatione spirationis actiuæ, quòd non sit personæ constitutiua: hac enim quarta relatione reiecta, non remanent in Deo aliæ relationes, nisi reliquæ tres prædictæ, quibus tres diuinæ personæ in se ipsis constitui, & inter se realiter distingui possint.

DVBITATIO III.

Qualis sit diuinarum personarum constitutio per proprietates.

SVMMA.

1. *Diuinarum personarum constitutionem non esse primò cum distinctione, num. 28.*
2. *Non secundo per compositionem realem, num. 29.*
3. *Non tertio per compositionem rationis, num. 30.*
4. *Esse autem constitutionem verè, ac propriè realem, non rationis, num. 31. ad 36.*

28. *Non est constitutio cum distinctione.*

PRima conclusio non est constitutio cum aliqua distinctione ex natura rei partium constituentium inter se, & constituti à singulis partibus; quomodo est physicè constitutus, verbi gratia, homo; & in probabili distinguente à parte rei, gradus etiam metaphysicos, est metaphysicè constituta humanitas ex animalitate & rationalitate. Hæc conclusio nullos habere potest aduersarios, nisi qui in diuinis personis, in quibus, vt ait S. Thomas hic circa med. Corp. *non est aliud intelligere, nisi essentiam, & relationem, siue proprietatem,* ponunt actualem in re distinctionem inter essentiam, & personalitates. Quam sententiam pluribus impugnaui supra q. 28. art. 2. ex quibus præsens conclusio probata omninò remanet.

S. Thomas.

29. *Non est constitutio per compositionē realem.*

Secunda conclusio, non est constitutio per realem compositionem totius constituti ex partibus constituentibus. Hæc est magis certa, quàm præcedens; nam etiam qui re ipsa distinguunt essentiam à personalitatibus, nolunt concedere, tametsi concedere efficaciter conuincantur realem aliquam compositionem in diuinis personis, quas fides docet esse omninò simplices, vt in primo tomo q. 3. art. 7. & quæst. 4. art. 2. dub. 12. præsertim num. 97. & 98. & in hoc 3. tomo quæst. 28. art. 2. à num. 15. ad 26. Realis enim compositio, præter realem partium distinctionem, importat realem aliquam earumdem partiū vnionem, qua partes singulæ, per se imperfectæ, vnitæ in aliquo vno toto, ex ipsis cōflato, inuicē perficiantur. Qui conceptus manifestè pugnat cum infinita Dei perfectione. Quamobrem in Deo reperitur quidē realis distinctio personarū inter se, sed realis cōpositio, quippè quę essēcialiter imperfectionem includit, reperiri nulla ratione potest.

30. *Non est constitutio per compositionē rationis.*

Tertia conclusio, non est constitutio per compositionem rationis ex pluribus ratione ratiocinata distinctis; ita vt talis compositio fit cum fundamento in re ex parte ipsius diuinæ personæ, quam ratione cōponimus, & sine vlla imperfectione concepta obiectiuè in ipsamet persona; sed solum cum imperfectione cōcipientis, & intentionaliter componentis: alioqui cum imperfectione tam ex parte concipientis, quàm ex parte rei conceptæ poterit absque vllo dubio hæc diuinarum personarum constitutio esse per compositionem rationis. Hic nulla alia difficultas, & controuersia esse potest, nisi quam latè tractaui in primo tomo quæst. 3. art. 7. à n. 13. ad finem articuli, An diuinæ simplicitati repugnet non solum compositio realis, sed etiam compositio rationis. Quoniam vero ibi ostendi repugnare ex parte diuinæ perfectionis, quod etiam bene probat Arrubal hic disput. 111. cap. 4. non autem ex parte imperfectionis concipientium, inde sequitur, huiusmodi constitutionem non posse esse per compositionem rationis ratiocinatæ, habentis aliquod concipiendi fundamentum in ipso Deo; sed solum habentis fundamentum in creaturis imperfectis. Neque nunc addendum occurrit aliquid notatu dignum.

31. *Est simpliciter constitutio realis, non rationis.*

Quarta conclusio loquendo simpliciter de diuinarum personarum constitutione ex essentia, & proprietatibus, illa non est constitutio rationis, sed verè ac propriè realis: quamuis ob nostram intelligendi imperfectionem, eam concipiamus, & significemus cum distinctione plurium partium earumque vnione in vno aliquo toto. Iuxta hanc partem secundam accipio plerosque scribentes, hanc constitutionem esse rationis, vt Capreolus 1. d. 26. q. 1. art. 2. ad 1. Gregorij, dum dicit, *Hoc prædicatum, constituere, conuenit paternitati, non vt est eadem Patri; sed vt distinguitur ab eo secundum rationem concreti, & abstracti:* tametsi in sequentibus nonnulla addat, quæ non obscurè significant realem constitutionem. Cajetanum hic §. *In responsione ad 1.* & clarius, & multò fusius Ferrariensem 4. cont. gent. cap. 26. post med. §. *Ad euidentiam.* Torres hic in 3. p. Commentarij, & infra art. 4. in p. 2. Commentarij, Molinam hic disput. 1. versus finem in 1. & 2. conclusione, Valentiam quæst. sua 14. puncto 2. circa principium, & deinceps. Vasquez disput. 147. n. 36. & disput. 158. cap. 2. num. 5. & alios recentiores. Tota vero conclusio ponitur, & multis declaratur, & probatur à Suarez de Trinitate l. 7. cap. 3. à num. 4. ad finem capitis. Arrubal disput. 111. cap. 3. & ab aliis viris doctis recipitur, & significatur à Capreolo 1. d. 2. quæst. 3. art. 2. ad 4. principale; quando concedit Aureolo, *quod nullo concedendum est, Deum esse compositum etiam secundum rationem:* quoniam constitutio rationis, est ipsamet compositio rationis, vt mox ostendam.

Aduersarij, & Authores conclusionis.

32. *Prima conclusionis ratio.*

Probo igitur conclusionem primò, quia in constitutione personæ diuinæ non possunt considerari nisi tria, quæ omnia sunt realia; nimirum & ipsa res constituta, quæ est persona realis, & ipsæ rationes constituentes, seu constitutiuæ, nempè Deitas, & proprietas, verbi gratia, paternitas; quæ etiam secundum se reales sunt, vt patet; & denique ipsa constitutio, quæ est etiam realis; quia non est aliud, nisi intrinseca existentia rationum constituentium in ipso constituto, vnde constitutum habet esse tale, & tale formaliter, verbi gratia esse formaliter Deum, esse formaliter personam; hæc autem existentia, siue entitatiua inclusio non est necessariò cum distinctione constituentium, & compositione constituti, vt in rebus creatis; sed potest esse, vt in Deo, cum summa identitate, vnitate, & simplicitate

vnius rei indiuisibilis, quæ cum nulla distinctione in re, habeat in se ipsa hanc realem perfectionem Deitatis, & illam realem perfectionem paternitatis; & per Deitatem formaliter habeat in se realiter esse Deum; & per paternitatem formaliter, habeat formaliter in se esse talem personam Patris. ergo in constitutione personæ diuinæ nihil est ex parte rei conceptæ, quod sit ens rationis, & non à parte rei: tametsi ex parte concipientis imperfecti, ad totum hoc reale concipiendum, & significandum, sit necessaria aliqua distinctio rationis, quæ distinctis actibus res illa indiuisibilis concipiatur inadæquatè, modo secundum hanc rationem tantum, modo secundum aliam tantum; & vtraque significetur esse in re per identitatem, non per aliquam distinctionem ex natura rei.

33. *Secunda ratio.* Secundò constitutio rationis non potest constitere in sola rationis distinctione plurium constituentium, nisi etiam addatur conuenientia istorum plurium ad conflandum vnum constitutum; qui enim concipit distinctè Deitatem, & paternitatem, non concipit vnum personam Patris ex illis constitutam, nisi concipiat illa simul in vnum conuenire. ergo constitutio rationis est propriissima compositio rationis. Hæc autem, vt fusius ostendi loco citato, repugnat Deo, quia non solum ponit imperfectionem in ipsa ratione componente, sed etiam in ipsomet Deo, qui per rationem componitur, & in quo distinctio, & limitatio, & potentialitas concipitur. ergo constitutio rationis quoad eius fieri potest, excludenda est à diuinis personis; quarum constitutio concipienda, & explicanda est, non per compositionem, sed per identitatem, eminenter æquipollentem pluribus, in illa indiuisibiliter, & formaliter inclusis, siue realiter existentibus.

34. *Tertia ratio.* Tertiò quælibet persona est realiter distincta ab alia, ergo est pariter realiter constituta in se ipsa: hoc est, habet in se ipsa intrinsecè, & realiter id, per quod realiter est distincta. Probatur, siue explicatur magis consequentia: quoniam distinctio cuiusque rei præsupponit eiusdem rei perfectam in se ipsa constitutionem; qua nil aliud significatur, nisi rem habere totum id, quod habere in se debet, siue cum distinctione & compositione, vt in creaturis; siue cum vnitate, ac simplicitate, vt in Deo. Cum igitur quælibet diuina persona sine vllo opere intellectus habeat in se quidquid ad rationem suæ personæ spectat, hoc est, & naturam communem, & suam proprietatem, dici potest, ac debet, habere à parte rei suam perfectam constitutionem ex natura communicabili, & proprietate incommunicabili. Quam ob causam ipsemet Deus vidit personas diuinas suis proprietatibus realiter constitutas, & distinctas; & tamen Deus, qui perfectissimè intuetur res, sicut in se sunt, non distinguit, aut componit mente, quæ in re non distinguuntur, nec componuntur. ergo constitutio in diuinis personis ex parte rei significatæ, & conceptæ, tota est à parte rei; nimirum ipsamet diuina persona, in quantum per omnimodam identitatem est habens in se & naturam communem, qua cum aliis conuenit, & ipsam proprietatem incommunicabilem, qua est in se à parte rei vltimò determinata, & completa, & à reliquis realiter distincta. Dixi, *ex parte rei significatæ, & conceptæ*; quia quoad modum concipiendi, & significandi, quo nos hanc rem concipere, & explicare solemus, non est à parte rei. Nos enim hanc constitutionem concipimus distinguendo in illa duas res ratione, hoc est, id, quod actu est vnum, virtute multiplex, per duos distinctos actus distinctè concipiendo, & præterea easdem duas res comparando cum habitudine constituentium ad aliud tertium ex illis constitutum, nempè personam: quem distinctionis, & compositionis modum res illæ à parte rei non habent.

35. Atque ad hanc constitutionem, prout à nobis concipitur cum imperfecto fundamento ex parte creaturarum, non cum aliquo perfecto fundamento inuento in ipsomet Deo, dixit S. Thomas in compendio Theologiæ, cit. supra num. 19. quòd *proprietates personales sunt quasi constituentes personas*; quia scilicet non constituunt per compositionem, quo modo constituere à nobis concipiuntur; sed per identitatem, in qua intrinsecè existunt, & includuntur plures virtualiter res; & iuxta hunc alium modum omninò realem, quem primo illo rationis modo significare, & apprehendere volumus, idem S. Thomas sæpius in aliis locis ibidem citatis dixit simpliciter, & absque vllo addito diminuente, constitui personas per proprietates. Quemadmodum etiam in hoc articulo paulò post med. Corp. ait, *Distinctio in diuinis personis non est sic intelligenda, quasi aliquid commune diuidatur, quia essentia communis remanet indiuisa: sed oportet, quod ipsa distinguentia constituant res distinctas.* Si id, quod distinguit, constituit; sequitur, quòd sicut distinctio vnius personæ ab alia est realis, ita pariter realis sit constitutio cuiuslibet personæ in se ipsa: & sicut vnam personam ab alia non distinguit essentia, sed proprietas identificata essentiæ; ita constitutio personalis in esse formali personæ, est constitutio, non per compositionem rationis, sed per identificationem à parte rei; quem realem constitutionis modum per identitatem explicat S. Thomas continuò subiungens, *sic autem relationes, vel proprietates distinguunt, vel constituunt hypostases, vel personas, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes; sicut paternitas est Pater, & filiatio est Filius.* S. Thomas docet, proprietates constituere per identitatem à parte rei, hoc est, *in quantum sunt ipsa persona*: aduersarij autem dicunt, constituere contrario modo, in quantum sunt secundum rationem distinctæ à personis. In eodem sensu in fine Corp. dicitur, *Hoc nomen, Pater, significat relationem, quæ est distinctiua, & constitutiua hypostasis.* Eodem modo loquitur, sicut etiam in sequenti articulo tertio, de constitutione, & distinctione, quæ realis est, & ideo in hoc tertio argumento ad mentem S. Thomæ ex reali distinctione vnius personæ ab alia, deduximus realem, & intrinsecam vniuscuiusque personæ constitutionem. S. Thomas.

DVBITATIO IV.

An diui æ personæ, vt formaliter personæ, constituantur, ac distinguantur proprietatibus absolutis.

SVMMA.

1. *Conclusio negatiua declaratur, & refertur contraria Scoti sententia, eiusque censura, num. 36. ad 39.*
2. *Probatur primò authoritate Scripturæ, num. 39. ad 43.*
3. *Probatur secundò authoritate Conciliorum, num. 43. ad 47.*
4. *Probatur tertiò authoritate Patrum, num. 47. ad 53.*
5. *Probatur quartò rationibus, num. 53. ad 56.*

36. *Conclusio negatiua declaratur.* VNica conclusio negatiua: ex qua euidenter sequitur, personas constitui proprietatibus relatiuis; quia ens adæquatè diuiditur in absolutum, quod est ens ad se, & in respectiuum, seu relatiuum,

relatiuum, quod est ens ad aliud. Cum igitur diuinæ personæ in esse personali formaliter constitui, ac distingui debeant per reales aliquas proprietates ex dub. 1. & 2. si hæ non sunt proprietates absolutæ, non possunt esse aliæ, nisi proprietates relatiuæ: quæ vel sunt ipsæ puræ relationes, vt paternitas, filiatio, relatio passiuæ spirationis; vel origines, siue actus notionales intrinsecè inuoluentes aliqua ratione relationem; quod quæst. sequenti determinabitur. Nunc simpliciter probamus constitutionem per proprietates relatiuas, non absolutas; in sequenti dubitatione distinctius explicaturi, an hæ relatiuæ proprietates sint origines, vel solum puræ relationes: inter quos conceptus originum, & relationum, esse aliquam differentiam, saltem secundum rationem, & in modo significandi constabit ex inferius dicendis.

37. *Aduersarij conclusionis.* Conclusio sic in genere explicata, est omnium Scholasticorum, & veterum, & recentiorum, excepris dumtaxat Gullielmo Parisiensi Episcopo in tractatu suo de Trinitate, cuius sententiam, & verba refert Carthusianus 1. d. 26. q. 2. paulo post med. & Linconiensi, & Adam apud Marsilium l. 1. sent. quæst. 30. art. 1. paulo post principium, & Ioanne de Ripa, cuius opinionem referre censetur Scotus 1. d. 26. quæst. 1. §. *Tertia opinio.* & pro viribus, vt probabilem explicare, ac defendere conatur, adeò fusè, ac subtiliter, vt eius author existimari prudenter possit. & ne recedat Scotus à Scriptura, & Patribus, vtitur opinione Bonauenturæ, quem ibi tacito proprio nomine citat, & referemus dub. sequenti, dicentis, Personas constitui per origines. Vult igitur Scotus, personas per absolutas proprietates constitui formaliter; per origines verò constitui, *quasi principiatiuè*; & de hac secunda constitutione explicat Sanctos, qui sicubi dicunt constitui relationibus, exponit, origines significari nomine relationum. Neque propterea negat Scotus relationes, sed ait, eas se melius ponere, nimirum in distinctis fundamentis, absolutis, quæ sunt ipsæ personæ iam aliunde constitutæ per præcedentes proprietates absolutas; ex quarum naturali necessitate consequuntur ralationes substantiales, non accidentales; quod enim S. Thomas supra dixit de vna spirandi relatione adueniente Patri, & Filio, vult Scotus posse dici de ipsa paternitate, filiatione, processione; quas omnes ponit naturaliter resultare ex ipsis personis per absolutas proprietates iam formaliter constitutis, ac proinde dici etiam posse personas constitui etiam consequutiuè per relationes, quibus non constituuntur formaliter, sed solum formaliter referuntur. In eamdem sententiam nimis affectos se se ostenderunt Ochamus, & Gabriel supra quæst. 28. art. 2. num. 1. dum inclinati ad funditus euertendum ens relatiuum, quod à creaturis omnino tollunt, contra diuinas etiam relationes, occasione opinionis, quam impugnamus, ita scripserunt, *Dabiles sunt viæ negandi omnes respectus in diuinis, sustinendo opinionem de constitutiuo personarum per proprietates absolutas*; quæ, inquiunt, *condemnata non est tanquam erronea.*

Refertur contraria Scoti sententia.

38. *Censura contrariæ sententiæ.* Verumtamen multi graues Authores, etiam ex antiquis, eam non sine magna probabilitate damnatam esse arbitrantur. Nam Durandus 1. d. 26. q. 1. num. 10. initio, ait, *esse expresè contra intentionem Sanctorum, & contra determinationem Ecclesiæ.* Et Carthusianus supra, circa finem quæstionis, *Videtur*, inquit, *non solum erronea, sed etiam periculosa, & ad defendendum illicita, vtpotè contra determinationem Ecclesiæ.* Torres hic in 2. p. Commentarij aliquantò ante finem, ita censet: *quantumuis Scotus magna diligentia conetur fulcire, atque defendere eam opinionem, nos planè existimamus errori quàm proximam, ne simpliciter dicamus errorem*, & 3. p. Commentarij col. 9. post med. *esse errorem, aut errori proximum.* Arrubal disput. 111. cap. 5. num. 21. ait *esse temerariam, & errori quam proximam.* Molina disput. 2. membro 1. med. *temerariam & parum in fide tutam.* Nazarius art. 4. controuersia vnica. §. 2. initio, *non solum temerariam, sed errorem in fide* Bagnes in sua prima conclusione vocat *manifestam hæresim*, ex ea parte, qua dicuntur personæ distingui per absoluta: sed ex alia parte, quæ dicuntur personæ constitui per absoluta, mitius censet *esse errorem in fide, vel errori proximum.* Zumel disput. 1. conclusione 1. de distinctione, ait, *erroneum est, & fortè hæreticum*; de constitutione in 2. conclusione, *temerarium, & erroneum.* Eodem discrimine Vasquez disput. 158. num. 14. ait, Ripam, & Scotum, quoad distinctionem personarum per absoluta, *manifestè lapsos fuisse*: quoad constitutionem verò, *non ita plane damnari posse.* Verum cum Scotus, & Scotistæ, Axioma illud, principium formale distinctiuum, est principium formale constitutiuum, & è contra, in superioribus demonstratum, præsertim quæst. 36. art. 2. à num. 38. benè recipiant tanquam lumine naturæ notissimum, hæc censuræ diuersitas contra ipsos minus est necessaria; vltrò enim concedent, quòd si qua certitudine sentiendum à fidelibus est, Personas diuinas distingui proprietatibus relatiuis, non absolutis, eadem sentiendum sit constitui eodem modo. Negant autem aliquid esse, etiam quoad distinctionem, ab Ecclesia, & Patribus determinatum, in sensu scilicet, quo Scholastici disputant de distinctione formali. Et ideo temperatius, & cautius censet Suarez l. 7. de Trinitate cap. 5. num. 5. nam relata aliorum censura de sententia erronea, ita eam mitigat, *sed fortasse non attingit illum gradum. Satis est, esse improbabilem, & contrariam consensui Theologorum.* Verè enim omnes authoritates diligenter, ac fusè expendit Scotus; & quamuis non omninò probabiliter, tamen non omnino intolerabiliter, exponere videtur. Quare valdè probabile est, non tamen euidens, opinionem illam esse damnatam.

Authoritas conclusionis ex Scriptura.

39. Præcipuæ, & vrgentiores authoritates, quo probationis genere potissimum nititur huius conclusionis veritas, sumuntur primò ex Scriptura generaliter, in quantum semper ac vnica, & propria voce nominare vult diuinas personas, vtitur nominibus relatiuis, Pater, Filius, Verbum, Imago, Spiritus sanctus. Nomen Patris, est adeo proprium primæ personæ, vt de illo Augustinus, Chrysostomus, & Cyrillus adducti supra quæst. 33. art. 2. num. 2. intelligant illud dictum à Christo Ioan. 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus*: & Cyrillus ita scribat, *Nomen Patris magis ei conuenit, quàm nomen Dei.* Præterea Athanasius citatus ibidem art. 3. num. 3. ait, *In sola Deitate Pater, propriè Pater est*; & *Filius, propriè Filius.* & Chrysostomus hom. 5. de incomprehensibili Dei natura, col. 4. *Pater, & Filius, nomen Personæ proprium est*; *vt personarum denotetur proprietas. Deus verò, & Dominus, commune*; *vt eadem, atque indifferens substantia ostendatur.* & Cyrillus citatus supra quæst. 28. art. 1. num. 2. docet, quòd Christus, cum baptizare iussit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *collegit, & præ aliis proposuit nomina, distinctissimè nobis constituentia vniuscuiusque significati propriam existentiam.* & ibidem Bernardus, *quòd alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum designatio est.* & supra quæst. 34. art. 1. de verbo, & quæst. 35. art. 1. & 2. de Imagine, & q. 36. art. 1.

Primam personam nominari propriè Patrem.

art. 1. de Spiritu sancto, ostensum est, hæc nomina esse relativa, & propria personarum. Et in particulari de Spiritu sancto, quòd sit nomen relativum quoad rem significatam; tametsi non ita clarè quoad vocem, sicut relativæ voces sunt Pater, & Filius, præter Augustinum ibi allatum, expressè definitur in Toletano XI. in Fidei professione multò post principium. *In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur: quæ cum relativè tres personæ dicantur, una tamen natura, vel substantia creditur. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est: & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter, & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relativè refertur, in eo, quòd Spiritus Patris, & Filij prædicatur.* Vnde optimè Anselmus epistola de processione Spiritus sancti cap. 2. paulò post principium, *Nomen Spiritus sancti, ideo quia Spiritus sanctus, alicuius intelligitur spiritus, pro relativo nomine ponitur: est enim Spiritus sanctus, Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Filij.* Si igitur propriissima personarum nomina, sunt relativa, non absoluta, non est probabile proprietates personales, quibus vnaquæque in suo proprio esse personali formaliter constituitur, & ab aliis distinguitur, esse absolutas, non relativas.

Nomen, Spiritus sanctus, esse relativum ex Toletano XI.

Anselm.

40. *Duæ Scoti responsiones.* Ad hanc Scripturæ authoritatem responderi possunt duo, quæ affert Scotus supra, alterum minus probabile in §. *Primum ostenditur*, non valere istam consequentiam, Scriptura non imponit personis nomina absoluta. ergo personæ non sunt absolutæ: quia inquit Scotus, locus ab authoritate negatiuè non tenet. Alterum probabilius in §. *Ad primum forsan*, &c. Personas nominari in Scriptura nominibus relatiuis, tum quia proprietates relatiuæ erant nobis notiores proprietatibus absolutis; sicut sæpius dicere solemus, inquit, *Hoc fecit Papa, vel Episcopus, vel Rex; non ita sæpe dicimus, Petrus, vel Ioannes; quia officia sunt notiora personis:* tum quia nominibus relatiuis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, plura exponuntur ad fidem pertinentia, hoc est, inquit, *non tantum distinctio personarum, sed etiam origo, quæ est in eis, & aliquo modo ex consequenti vnitas essentiæ, quia in tali origine perfecta, est communicatio eiusdem essentiæ. Per tria nomina absoluta, non sic exprimuntur hæc omnia.*

41. *Contra primam responsionem.* Prima responsio facilè confutatur; quia nostrum argumentum non est merè negatiuum, sed principaliter positiuum. Neque enim arguimus solum ex eo, quòd in Scriptura non sint nomina personarum absoluta; sed ex eo quòd semper sunt relativa, & nunquam absoluta; addendo efficacem confirmationem ex omnibus Patribus docentibus, imposita esse nomina relativa, quoniam illa sunt singularum personarum maximè propria.

42. *Contra secundam responsionem.* Secunda etiam responsio non plenè satisfacit. Non primum membrum de maiori notitia: quia ex creaturis, verbi gratia, Petrus Pater, & Paulus eius Filius, non sunt nobis magis noti, imo etiam minus, si nominibus relatiuis vocentur Pater, & Filius, quàm si absolutis nominibus vocentur Petrus, & Paulus. Cum igitur tam ignotum nobis sit, personas diuinas esse relativas, quàm esse absolutas; & in creaturis multò notius sit ens absolutum, quod omnes fatemur, quàm ens relativum, quod plerique negant; certumque sit personas creatas esse absolutas, ac substantiales, non constitutas per relationes, quæ accidentales sunt; si verum esset, personas diuinas in se, & ad se constitutas esse per absolutas proprietates, sicut constituuntur creatæ personæ, perperam sanè Scriptura reuelans hominibus mysterium Trinitatis, tres personas semper appellaret nominibus relatiuis; sed contra potius appellare debuisset nominibus absolutis, quomodo appellantur creatæ personæ: aliter nos decepisset, dedisset magnam occasionem existimandi, personas diuinas constitui per proprietates relativas, quas tamen contraria opinio putat esse verè constitutas per proprietates absolutas. Signum igitur valdè vrgens est, scripturam, data opera, voluisse abstinere à vocibus absolutis, & relativas dumtaxat vsurpare, vt hac sapientissima loquendi observantia quoad eius fieri poterat, explicaret altissimam diuinarum personarum Trinitatem, innuendo, illas non esse in se constitutas, & inter se distinctas absolutis proprietatibus, quo modo limitato, atque imperfecto constituuntur, ac distinguuntur creatæ personæ; sed proprietatibus relatiuis, eminentiori, ac simpliciori modo, maximè proprio illarum personarum, quæ eminentissimæ, ac simplicissimæ perfectionis sunt. Quod non mediocriter confirmatur ex eo, quòd cum vnius personæ nomen, Spiritus sanctus, non esset relativum, sicut nomen, Pater, nomen Filius, solliciti tamen fuerunt Patres Concilij Toletani XI. & Anselmus supra n. 39. & ante ipsos Augustinus, cuius verba citantur q. 36. art. 1. n. 2. vt aduerterent, illud nomen absolutum vsurpari pro relativo, ad significandam proprietatem relativam, non absolutam. Quòd enim tali animaduersione, & explicatione opus fuisset, si putassent, tertiam illam personam, vt formaliter personam, esse absolutam? Tunc enim vox absoluta congrueret absoluto significato; & sic multò magis propriè nominaretur tertia persona, quàm prima, aut secunda persona relatiuis vocibus Patris, & Filij: & potius explicandum fuisset, nominibus relatiuis Patris, & Filij significari proprietates personales absolutas, quàm contra, nomine absoluto Spiritus sancti significari proprietatem personalem relativam. Non demum in eadem secunda responsione satisfacit secundum membrum de maiori expressione huius mysterij. Nam, & personarum origines, & vnitatem essentiæ illarum, frequenter alibi Scriptura explicat. Ergo fuisset prorsus irrationabile, vt has veritates explicaret etiam in nominibus propriis personarum, vti vocibus relatiuis, & omittere absolutas, quas rerum significatarum natura requireret. Verum iuxta sanam sententiam de relatiuis proprietatibus constituentibus, & distinguentibus personis, hæc omnia benè saluantur; quia propriis & personalibus nominibus relatiuis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non solum significantur origines, & essentiæ vnitas, vt vult Scotus, sed etiam, quod quidem potissimum significandum erat, relativa proprietas constitutiua, ac distinctiua vniuscuiusque personæ.

Eiusdem conclusionis authoritas ex Conciliis.

43. Secundò sumuntur authoritates ex Conciliis. Videntur valdè vrgere verba supra num. 39. citata ex Toletano XI. quibus addi possunt alia paulò post sequentia. *Cum dicimus, Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium; sed ad se specialiter Deus dicitur.* Vbi in toto illo distinctissimo discursu notandum videtur, Concilium, cuius authoritatē ex tacita quadam ac diuturna totius Ecclesiæ approbatione, omnes recipiunt, referre adæquatissimè omnia, quæ sunt in Trinitate, nempè Deū, Patrem, Filiū, & Spiritū sanctum: & de Deo docere, quòd sit ens absolutū, non respectiuum. Cōtra verò de omnibus, & singulis personis, quòd sint entia respectiua, non absoluta: ergo quidquid addunt personæ supra Deum, ex doctrina

Toletanum XI.

doctrina Concilij, est solum conceptus realis respectiuus, non absolutus. Sed personæ constituuntur, & distinguuntur per id, quod addunt supra communem Dei naturam. ergo constituuntur, & distinguuntur per solas relationes. ergo proprietates personales non sunt absolutæ, sed solum relatiuæ. Præterea, si persona Patris, v.g. constitueretur per absolutum tantum, vel etiam per absolutum, & respectiuum, falsissimè Concilium negaret absolutè, & simpliciter, Patrem non esse ad se; & assereret, Deo *specialiter* conuenire, hoc esse, & dici ad se. Præterea paulò post efficacius ad rem nostram ita docet, *In relatione personarum numerus cernitur. Hoc solo numerum insinuant, quòd adinuicē sunt: & in hoc, numero carent, quòd in se sunt.* Quæ verba desumpta sunt ex Augustino tractatu 39. in Ioannē aliquantò ante med. Si in diuinissima Trinitate numerantur solum personæ, quatenus personæ; ergo personæ, quatenus personæ, nō sunt *in se*, hoc est, absolutæ, sed sunt *adinuicem*, hoc est, relativæ. Item, si personæ formaliter essent absolutæ; multò verius, ac proprius dixisset Concilium, In entitate absoluta, quàm, *In relatione personarum numerus cernitur*: tunc enim in relatione hic numerus ad summum cerneretur consequutiuè, siue arguitiuè, tanquam in posteriori aliqua ratione consequente; in entitate verò absoluta cerneretur formaliter, & per se, tanquam in priori aliqua ratione, antecedenter, & primariò constitutiua, ac distinctiua. Demum per illud, *hoc solo*, clarissimè docet, Per nullam aliam rationem, nisi respectiuam, numerari, & multiplicari tres personas: & tamen per aduersarios valeret hæc alia planè contraria propositio, Personæ hoc solo numerum insinuant, non quod ad inuicem sunt, sed quod in se sunt, eadem ferè verba leguntur etiam in Concilio VVormatiensi in Professione Fidei non longè à medio.

Augustinus.

VVormatiense.

44. *Florentinū.* Multum etiam fauet Concilium Florentinum. Nam in sess. 18. §. *Diuina substantia.* Ioannes Theologus sustinens personam totius Ecclesiæ Latinæ in disputationibus contra Græcos, cum dixisset, *Persona ex substantia, proprietatibúsque consistit*; de his subiunxit, *Proprietates nequaquam cōmunicabiles sunt; quod quidem ex relationis vi creditur euenire*: idque tribuit Græcis Patribus, præsertim Nazianzeno. Incommunicabilitas personalis prouenit sine dubio ex illa personali proprietate, quæ constituit personam in esse formali personæ. Sed illa incommunicabilitas prouenire creditur ex vi relationis. ergo ex vi relationis, & non ex vi entis absoluti, credi debet prouenire constitutio personalis. Clarius, ac profundius paulò post in §. *Dixi equidem. Sola relatio, quam principalem habitudinem superius nominauimus, apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa, à quo, & ad quod, de quibus est supra dictum, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt non vlla alia ratione, quàm vi relationis, Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant: quem quidem in modum, Spiritus etiam ab alia est.* Si sola relatio multiplicat personas, ergo sola relatio, ac proinde non entitas aliqua absoluta constituit, & complet personam in vltimato, ac formali esse personæ: persona enim perfectè constituta, & completa, in eo, quòd formaliter talis est, multiplicatur in diuinis. ergo ratio, quæ constituit, & complet formaliter personam, illa est ratio, quæ multiplicat diuinas personas. ergo si sola relatio multiplicat, sola relatio constituit. Hæc autem relatio limitatur per illud, *diuina processione*, & per illud aliud, quod idem est, *cui conueniunt à quo, & ad quod*, ad excludendam spirationis actiuæ relationem à formali constitutiuo personarum, vt suprà à n. 19. quæ non pertinet ad principium processionis, vt suprà q. 36. art. 4. n. 16. Item si nulla alia ratione Pater differat à Filio, nisi vi relationis: ergo non vi entitatis absolutæ. Sed persona Patris vi suæ personalitatis differt à persona Filij: ergo talis personalitas non est absoluta, sed tantum relativa. Quæ doctrina extenditur etiam expressè ad Spiritum sanctum; tametsi nomen Spiritus sancti non sit ita relativum, sicut est nomen Patris, & nomen Filij. Demum aduertit Ioannes, se in superioribus per habitudinem principij intellexisse relationem, cui conueniunt à quo, & ad quod. De qua habitudine supra in citato §. *Diuina substantia*, pro hac conclusione dixerat de hypostatica, personalique proprietate incommunicabili constituente formaliter, & distinguente personam, *Doctores inquiunt, nil nisi principij habitudo est, in qua quidem hæc duo considerantur à quo aliquid, & ad quod aliquid: ob idque Pater, & Filius sunt, quod Pater principium est, Filius autem ex principio: in quo quidem nequaquam communicāt, cum ceteris in rebus inter se dubio procul communicent.* Si Pater, & Filius, in omnibus communicant, excepta tantum habitudine, seu relatione principiantis, & principiati: ergo cōmunicant in omni prorsus entitate absoluta: ergo in hac cōsistere non potest proprietas personalis: quia, vt ibidem idem Theologus sapientissimè ratiocinatur, *Si proprietas communicabilis esset, proprietas, non esset proprietas.* ergo cum Pater, & Filius non communicent in solis relationibus, & solæ relationes, quibus cōueniunt à quo, & ad quod, sint incommunicabiles, hæ tantum relationes erunt in diuinis personales proprietates Patris, & Filij, & non aliæ antecedentes entitates absolutæ, sicut contingit in creaturis.

45. *Idem Florentinum.* Præterea idem Theologus in sess. 19. propè finem, ita docet, *Credimus personam ex diuina substantia, proprietatéque constare, ita vt persona nil aliud nisi substantia, & proprietas sit.* Et de personis subiungit, quòd *per suas proprietates re inter se differant*; quòd continuò ita probat, *quandoquidem ad aliquid sunt.* ergo proprietates, quas habent personæ præter communem essentiam, sunt ad aliquid: ergo ens relatiuum, non absolutum. His motus Eugenius IV. in sess. vlt. in literis vnionis post med. ita credendum definiuit, toto approbante Concilio, *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* ex quo principio statim deducit articulum de processione Spiritus sancti, non solum à Patre, sed etiam à Filio, quia spirare Spiritum sanctum non est esse Patrem, quod esse dumtaxat non datum est Filio. Hinc nos etiam non minus necessariò, & euidenter possumus contra Scotum, ita deducere; esse Patrem est formaliter, & expressè quid relatiuum, non absolutum. Sed Filius habet à Patre omnia, quæ sunt Patris, excepto solo esse Patrem. Ergo quidquid aliud præter paternitatis relationem in Patre considerari potest, est commune Patri, & Filio. ergo non potest esse propria personalitas Patris. ergo hæc non potest aliud esse, nisi ipsa relatio paternitatis. Denique totum Concilium tacitè approbasse omnia, quæ pro hac conclusione apertissimè docuerat Ioannes Theologus non obscurè indicauit Illustrissimus, ac Doctissimus Bessarion in oratione dogmatica ad Græcos Patres dumtaxat habita pro vnione post publicas disputationes cum Patribus Latinis in c. 6. multo post med. ita optimè discurrens, *Cum in diuinis præter essentiā, & relationes, atque diuersum processionū modū, quem Latini originē nominant, nil aliud intelligere sit; relinquitur vt vel origo, vel relatio, vel vtrūq; diuinas personas distinguat.* (Nā antea dixerat, in essentia, in qua sunt vnū, non posse differre.) *Cum vero relatio,*

Bessarion.

&

& origo, & si secundum modum intelligendi differunt, siquidem origo significatur per modum actus, vt generatio; relatio verò per modum formæ, vt paternitas; re tamen non differunt: ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ; prius tamen, & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur personæ; consequenter autem per diuersum processionum modum, siue per originem. Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam, sed paternitas, & filiatio, scire Patrem, & Filium esse, quod relationis est. Si in diuinis personis nil aliud intelligere est, præter essentiam, relationes, & origines: ergo singuntur proprietates personales absolutæ; quæ nihil horum sunt. Si personæ distinguuntur, & constituuntur prius, & principalius per relationes. ergo antè has non dantur aliæ absolutæ proprietates prius, & principalius constituentes, ac distinguentes.

46. *Quid colligatur ex Lateranensi.* Carthusian. Durandus.

Probat quoque Carthusianus supra ex illis verbis Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 1. *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua: secundum personales proprietates discreta.* Quibus etiam motus videtur Durandus supra, cum scripsit. *Determinatio Ecclesiæ dicit expresè, Personas distingui solum relationibus.* Nam vt colligit Carthusianus: *certum est, quòd personales proprietates intelligat Concilium paternitatem, filiationem, & processionem; sicut & expositores testantur.* Quod quidem non potest aliunde probari, nisi, vt probat Suarez l. 7. de Trinitate cap. 5. num. 6. quia ante illa verba, & post, in eodem cap. præter communem essentiam, & naturam in Deo nominantur tres personæ, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Alioquin in toto illo capite nunquam nominatur relatio, aut paternitas, aut filiatio, aut processio. Verum hinc nil contra Scotum saltem expresè deduci rectè potest. Enimverò Scotus de tribus personis nominatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, contendit esse constitutas, & discretas secundum personales proprietates, non quæ sint relationes, quas illa nomina expresè repræsentant; sed quæ sint aliæ priores entitates absolutæ per prædictas relationes, quæ in illis fundantur, & consequenter per prædicta relatiua vocabula significatæ.

Suarez.

Authoritas conclusionis ex Patribus.

47. Nyssenus.

Tertiò sumuntur authoritates ex Patribus. Et omissis quæ minus efficaces videntur, & exponi facilè possunt, afferam clariores. Nyssenus l. ad Ablabium, *Quod non tres Dij*, paulò ante finem, ait, *eam, quæ circa causam, & causatum consideratur, differentiam non negamus; per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus; nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, & ex eo quod ex causa est.* His verbis apertè significantur relationes producentis, & producti: per quas *solum* discernitur alter ab altero. ergo non per alias proprietates absolutas, quæ antecedant origines, & relationes. & paucis interiectis, idem rursus ita magis explicat, *Causam autem, & id quod ex causa est, dicentes, non naturam per hæc nomina significamus (neque enim aliquis eam de causa, & naturæ rationem reddiderit) sed eam, quæ est secundum aliqualiter esse differentiam indicamus.* & iterum in fine libri, *Hypostaseis sanctæ Trinitatis, causæ ratio discernit; aliud quidem absque causa, aliud verò ex causa esse postulans.* Multò clarius Cyrillus l. 2. Thesauri cap. 3. aliquanto post principium. *Cum non composita, sed simplex natura Deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, non secundum essentiam, sed secundum relationem, & quasi extrinsecus intellecta, per quam vtrinsque persona in propria hypostasi constituitur.* optimè docet, personas Patris, & Filij, per idem & inter se distingui, & in se constitui. & l. 7. cap. 1. paulo post med. *Pater, & Filius, sola diuersitate relationis, quæ diuersis nominibus significatur, nec alia re vlla distinguuntur.* ergo non distinguuntur, & constituuntur alia re absoluta: & tamen aduersarij oppositio prorsus modo dicunt, sola re absoluta, & non relatione, formaliter distinguuntur, & constituuntur. Similiter Damascenus l. 7. Fidei cap. 11. paulo ante med. *Vnum agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus paternitatis, filialitatis, & processionis, differentiam intelligimus.*

Cyrillus.

Damascen.

Respondet Scotus supra §. *Ad Ioannem Damascenum.* per illud, *solis*, &c. excludi omne absolutum non personale, includi vero omne absolutum personale. Quemadmodum enim inquit, *in creaturis, inclusa accidente, non excluditur subiectum; ita inclusa relatione in persona diuina, non excluditur illud, quod refertur ea: sicut si diceretur, quod sola paternitas est, non propterea excluderetur Pater, qui paternitate esset Pater.* Manifestè autem non satisfacit: quia verba Damasceni, sicut etiam Nysseni, & Cyrilli, qui vtuntur eadem exclusiua particula, conuincunt, omne personale in Deo, esse relatiuum, & nullum esse aliud personale absolutum. Arguo enim sumendo dictum Damasceni pro maiore, in solis proprietatibus relatiuis, differentiam intelligimus in Deo. Sed in omnibus proprietatibus personalibus differentiam intelligimus in Deo. ergo solæ proprietates relatiuæ in Deo, sunt proprietates personales; hoc est, constituentes, & distinguentes personas diuinas. Alioqui possent Ariani Patribus passim docentibus, diuinas personas differre in solis personalitatibus, similiter satisfacere, & respondere, non excludi differentiam naturarum quarum illæ personalitates sunt subsantiales termini, & veluti quædam affectiones, seu modificationes, quibus naturæ incommunicabiliter subsistunt. Ad exemplum igitur Scoti de accidente, & subiecto, dicimus, incluso accidente, non necessario includi subiectum, sed posse illud excludi similibus loquendi modis; verbi gratia, Christus extra sacramentum, à Christo intra sacramentum differt in solo accidentali modo localiter essendi. Sic enim excluditur differentia in subiecto, quod est corpus Christi. Item duo homines differunt in solis differentiis individuantibus: quo modo excluditur natura specifica, cui veluti accidunt illæ differentiæ, in qua natura duo homines non differunt specificè. Et si in sententia Scoti diceretur, solæ proprietates absolutæ sunt formale constitutiuum, & distinctiuum personale in Deo; excluderetur profectò omne aliud absolutum, & relatiuum. Quando igitur dicunt Patres, solæ relationes paternitatis, & filiationis faciunt realem differentiam inter Patrem, & Filium; non excluduntur simpliciter Pater, Filius, & Deus; sed excluditur Deitas à ratione formali: constituendi differentiam, seu distinctionem realem inter Patrem, & Filium: & dicitur, quod in Patre, & Filio, in quibus omnes sancti Doctores nihil omninò aliud agnoscunt præter Deitatem, paternitatem, & filiationem; ratio, propter quam realiter inuicem distinguuntur, non est Deitas, sed sola relatio paternitatis, & filiationis.

48. *Reijcitur Scoti expositio.*

49. Augustinus.

Ex Latinis quoque Patribus, Augustinus frequenter vsurpat generale illud Axioma receptum à Magistro l. 1. sent. d. 22. litera E. & F. & omnibus Scholasticis, in diuinis singulariter dicitur, & commune est omnibus personis, & ad communem substantiam, seu naturam spectat, quidquid ad se, siue absolutè

absolutè dicitur; plnraliter verò dicitur, & non conuenit omnibus personis, quidquid ad aliquid, seu relatiuè dicitur. Ita l. 5. de Trinit. cap. 8. initio. *Illud præcipuè teneamus, quidquid ad se dicitur, substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relatiuè; tantamque vim esse eiusdem substantiæ in Patre, Filio, & Spiritu sancto, vt quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter, sed singulariter accipiatur.* Per substantialiter dici, intelligit esse aliquid pertinens ad substantiam, seu naturam, in qua tres personæ vnum sunt. Per dici ad se, quod distinguit contra dici ad aliquid, & dici relatiuè, clarè significat esse aliquod ens absolutum. Item c. 11. initio. *Quod propriè singula in Trinitate dicuntur*, hoc est, quod quædam singula singulis personis conueniunt, & singularum personarum propria sunt, *nullo modo ad se ipsa, sed ad inuicem, aut ad creaturam dicuntur; & ideo relatiuè, non substantialiter ea dici, manifestum est.* & l. 8. initio, *Diximus ea dici propriè in Trinitate, distinctè ad singulas personas pertinentia, quæ relatiuè dicuntur ad inuicem. Quod verò ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter.* Idemque axioma non semel repetit in serm. 38. de tempore, ex quo ita demonstrare possumus intentum confutando directè sententiam oppositam; omne ens absolutum, seu, quod ad se dicitur in diuinis, est commune tribus personis. Sed nulla proprietas personalis, formaliter constituens, & distinguens diuinas personas, potest esse communis tribus personis. ergo nullum ens absolutum, seu, quod ad se dicitur in diuinis, potest esse proprietas personalis, formaliter constituens, & distinguens diuinas personas. Maior est vniuersalis, & receptissima regula Augustini. Minor apud omnes manifesta est, cum proprietas personalis, & communitas personalis, in ipsismet terminis expressam repugnantiam ostendant. Consequentia bona est, cum argumentum sit in secunda figura in secundo modo, quem Summulistæ vocant, *Camestre.* Possumus etiam ex eodem Axiomate demonstrare intentum, probando directè conclusionem, omne, quod in diuinis vni tantum personæ conuenit, dicitur ad aliquid, & relatiuè. Sed omnis proprietas personalis vni tantum personæ conuenit. Ergo omnis proprietas personalis dicitur ad aliquid, & relatiuè. Maior est Augustini; Minor est omnium consequentia in forma, vt patet.

50. *Respositio Scoti ad Augustinum non probatur.*

Ad hoc Scotus supra §. *Ad authoritates*, respondet, *quòd Augustinus loquitur de his, quæ sunt ad se, ita quòd nec sunt relatiua, nec referibilia, sed etiam opposita relationi.* At verò proprietates personales, quæ absolutæ ponuntur, quamuis non sint relatiuæ, tamen non sunt oppositæ relationi, cum sint ipsa relationum fundamenta referibilia per relationes. Quam expositionem confirmat ex ipsomet Augustino l. 7. de Trinit. c. 4. docente, quod Deus subsistere dicitur ad se; & tamen subsistere etiam dicitur personaliter. Sed hæc limitatio generalissimæ regulæ Augustini, est mere voluntaria, trahens illam ad proprium sensum, & expresè contradicit verbis Augustini, quibus illud dici ad se, explicat pro dici substantialiter, non personaliter; idque vniuersaliter distinguit contra dici ad aliquid, seu relatiuè. Intentum enim Augustini, erat tradere aliquam certam, & vniuersalem regulam dignoscendi, quæ diuina nomina dicantur singulariter, & quæ pluraliter: & ait, omnia dici singulariter, quæ dicuntur absolutè, non per ordinem ad aliud, sed ad se, vt Deus, substantia, sapientia, &c. omnia verò dici pluraliter, quæ dicuntur per ordinem ad aliud. In hoc autem secundo genere includere etiam aliqua, quæ dicuntur ad se, est omninò confundere regulam, & illam reddere non solum obscuram, & ambiguam, sed etiam inutilem, & planè nullam: quia si quædam absoluta dicuntur singulariter, & quædam alia absoluta dicuntur pluraliter, vt gloslat Scotus, iam primum membrum regulæ esset vniuersaliter falsum, quia quædam dicerentur pluraliter, & nihilominus dicerentur ad se; & tamen Augustinus docet vniuersalissimè, quòd quæ de singulis, & non de omnibus dicuntur, *nullo modo ad se ipsa, sed adinuicem, aut ad creaturam dicuntur:* secundum etiam membrum regulæ esset insufficiens; quoniam etsi omnia relatiua plurificentur, tamen plurificarentur etim alia, quæ non sunt relatiua, sed absoluta. Quapropter nihil certi verè sciretur, sed debuisset tradere Augustinus aliam regulam de nominibus absolutis, ad sciendum, quæ dicantur singulariter, & quæ pluraliter. Neque satis esset dicere cum Scoto, dici singulariter absoluta, non referibilia, & non personalia, dici verò pluraliter absoluta referibilia, & personalia. Enim verò hoc ipsum, quod regulæ respondetur, cognoscere quærit regula; scilicet, quæ sint ista absoluta non personalia, nec referibilia, quæ dici debeant singulariter, & communiter de omnibus personis, & quæ sint alia etiam absoluta personalia, & referibilia, quæ dici debeant pluraliter iuxta pluralitatem personarum. Verè igitur nullius momenti esset Augustini regula; quam tamen vt vtilissimam Theologi omnes suscipiunt, & commendant. Neque viget, quod ex eodem Augustino affert Scotus de subsistere; quia, vt notani supra quæst. 30. art. 1. num. 5. & num. 24. per subsistere, simpliciter prolatum, quod ad se esse dicit, intelligit tantum communem, & singularem ipsius Deitatis perfectissimam existentiam, ibi ait, *Hoc est Deo esse, quod subsistere.* Hoc autem subsistere, ita simpliciter prolatum, non dicitur secundum Augustinum pluraliter, sed singulariter, quia non dicitur aliquid, sed ad se.

51. Boëtius.

Boëtius l. 1. de Trinitate cap. 12. plenè consentit Augustino, cuius doctrinam initio libri imitandam sibi proposuerat. *Facta est*, inquit, *Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis; sed seruata est substantiæ vnitas in eo, quod est indifferentia, vel substantiæ, vel operationis, vel omninò eius, quæ secundum se dicitur, prædicationis. Ita igitur substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo sola sigillatim proferuntur, atque separatim, quæ relationis sunt. Nam idem, qui Pater, hic Filius non est; nec idem vterque, qui Spiritus sanctus. Idem tamen Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; idem iustus, idem bonus, idem magnus, idem omnia, quæ secundum se poterunt prædicari.* Vnde etiam desumunt omnes Theologi celebre illud pronunciatum, quo etiam contraria opinio plane destruitur, *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* verè enim Boëtius vniuersalissimè tribuit prædicationi, *secundum se*, hoc est nominum, quæ absolutè, non relatiuè dicuntur, vt patet ex illis verbis, *vel omninò eius, quæ secundum se dicitur, prædicationis*: & ex illis aliis, *idem omnia, quæ secundum se poterunt prædicari*, & ideo meritò tribuitur Boëtio illud cum particula vniuersaliter excludente, *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Quam particulam ipsemet expressit illis aliis æquiualentibus verbis, *Sola sigillatim proferuntur quæ relationis sunt.* & tamen aduersarij proprietates personales, quibus formaliter, & per se primò personarum Trinitas multiplicatur, & omnis Trinitatis numerositas nititur, esse volunt absolutas, & secundum se, siue ad se; non relatiuas, & ad aliquid. Ex his facilè apparet quam longe à verbis, & mente Boërij distet expositio Scoti supra cum §. *Ad Boëtium* dicit, *quod Doctor ille accipit relationem pro origine: & multiplicare, non pro formaliter distinguere, sed quasi principiatiuè, correspondenter principio effectiuè.*

Sola relatio multiplicat Trinitatem. Respositio Scoti ad Boëtii impugnatur.

tiuè. Etenim Boëtius loquitur de puro, ac formali prædicamento Relationis, quod in cap. præcedente distinxerat à prædicamento actionis, ad quod reuocatur origo: & multa ibi affert relationum exempla, & ne verbum quidem de origine. Præterea, quòd multiplicare non accipiat effectiuè, seu principiatiuè, sed formaliter, patet; tum quia eam multiplicationem distinguit contra vnitatem, & expressè ibi vocat etiam pluralitatem, & numerositatem: tum quia de ea multiplicatione loquitur, ratione cuius Pater non est Filius; & nec Pater, nec Filius est Spiritus sanctus; quæ est præcisè & formaliter per relationes oppositas paternitatis, filiationis, & processionis.

52. Anselmus.

Plurimum quoque fauet Anselmus illo alio Axiomate receptissimo, cuius ipsum authorem esse ostendi supra q. 28. art. 4. n. 12. *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Sed inter personas consideratas formaliter, & præcisè cum quibuscumque rationibus absolutis, non obuiat relationis oppositio. Ergo inter personas taliter acceptas, nulla potest esse distinctio, sed tantum vnitas. ergo proprietates personales, quæ formaliter constituunt, & distinguunt personas, esse non possunt absolutæ, sed esse debent relatiuæ; sic enim in personis obuiare poterit relationis oppositio, ne sint vnum. Neque satisfacit Scotus supra §. *Ad Anselmum*, dicens, *quod omnia sunt vnum, & eadem vbi non obuiat relationis oppositio, vel formaliter, sicut relatio obuiat alicui relatiuo; vel sicut natum referri relatione oppositæ: & isto modo personæ, si essent absolutæ, distinguerentur.* Etenim Anselmus epistola de Processione c. 3. vbi hoc docet, loquitur sæpè, ac semper de relatione, & nunquam de fundamento relationis. Et loquitur de tali relationis oppositione, quæ inquit, *ex eo nascitur, quia Deus de Deo est.* De fundamento autem relationis id dici non potst, nisi ineptissime. Quis enim dixerit, Fundamentum paternitatis nascitur ex eo, quòd Filius generatur à Patre? Potius generatio, & paternitas nascuntur, ex fundamento, quàm fundamentum nascatur ex generatione. Præterquam quòd inter duo absoluta fundamenta, præcisis ipsis relationibus, non tam est oppositio relationis, quam potentia, vt aduenientibus formis relatiuis, sit in fundamentis talis oppositio. Ibi etiam dicit Anselmus, *Pluralitas sequitur relationem*: & tamen contraria opinio asserit, Pluralitas Trinitatis sequitur proprietates absolutas, præcisa quacumque relatione.

Excluditur responsio Scoti ad Anselmum.

Qua ratione sit probanda conclusio.

53. Iacto certiore, ac solidiore authoritatis fundamento confirmare etiam illud possumus naturali ratione; quæ quamuis ad tantam supernaturalitatem mysterij, de quo disputamus, non se ex se ipsa possit attollere, certa tamen effecta per fidem de veritate, eidem euidentiam, & patrocinium rependere potest, ac debet. Quamquam Valentia puncto 2. §. *Hæc sententia*, putat hoc nulla ratione probari posse, sed sola authoritate. Ratio igitur præcipua, & à priori probans proprietates trium diuinarum personarum constitutiuas, & distinctiuas, non posse esse absolutas, sed relatiuas, videtur esse, quia personæ, vt personæ debent esse inuicem realiter distinctæ, & oppositæ per proprietates incommunicabiles. Nam, vt dicebat Ioannes Theologus supra n. 44. fin. *Si proprietas communicabilis esset, proprietas, non esset proprietas*; & propter hanc communicabilitatem, quam relatio spirandi habet cum Patre, & Filio, de ipsa etiam dixit S. Thomas supra quæst 32. art. 3. circa finem corp. *communis spiratio non est proprietas, quia conuenit duabus personis.* Non possunt autem in diuinis, salua diuinitate, & illimitatione essentialiter imbibita in qualibet ratione diuina, dari duæ distinctæ, & oppositæ rationes absolutæ, sed solũ relatiuæ. Quod non videtur posse aliunde oriri, quam ex ipsa naturæ relatiui, & absoluti. Relatio enim, vt relatio, siue diuina sit, siue creata, habet essentialiter esse ordinem vnius ad aliud. ergo essentialiter requirit vnum, & aliud à parte rei, & duo realiter inuicem distincta, & opposita. ergo relatiuum, vt relatiuum, non potest in se realiter includere illud aliud, quod respicit. ergo infinitas, & diuinitas relatiui, vt formaliter relatiui, saluari benè potest etiam si non includat in se terminum, sed ab eo realiter distinguatur, eique opponatur. Absolutum verò est ens ad se: ergo ex suo proprio, & essentiali conceptu non petit non esse aliud, & distinctionem ab alio, & oppositionem: ergo si hæc habet, id non potest prouenire, nisi ex imperfectione, & aliqua limitatione suæ intrinsecæ entitatis; quia scilicet non habet in se aliquam aliam perfectionem, quàm vt absolutum est, non repugnat illi habere. Vnde in omnibus creaturis absoluta omnia, quæ distincta, & opposita sunt, id habent, quia sunt finita, & imperfecta: & absolutum quo est perfectius, eo simplicius, & eo plures rationes in vna indiuisibili entitate continet. Quamobrem essentia diuina; quia absoluta est, & perfectionis omnino illimitatæ, cum nulla alia re formaliter diuina, & cum nulla prorsus perfectione, vbi nulla sit imperfectio, oppositionem habet, & à nulla distinguitur ex natura rei. Igitur cum quæuis ratio absoluta, formaliter diuina, sit perfectissima, ac proinde repugnet illi omnis imperfectio, & limitatio, illi quoque repugnabit distinctio ab alio, & oppositio cum alio siue absoluto, siue etiam respectiuo. Atque hæc est ratio, cur in diuinis nullum absolutum multiplicari possit; quia cum absolutum, non sit ex genere suo oppositum absoluto, & consequenter non possit multiplicari & in plura diuidi propter oppositionem sui generis, multiplicari deberet propter limitationem aliquam suæ propriæ naturæ in esse generico absoluto; quæ limitatio stare non potest cum qualibet ratione formaliter diuina. Si igitur Pater, verbi gratia, constitueretur in esse Patris per proprietatem aliquam absolutam, hæc etiam esset infinita simpliciter in suo genere entis absoluti, & quia esset absoluta, non posset opponi Filio, & Spiritui sancto. ergo deberet secum identificare Filium, & Spiritum sanctum: sicut de facto dicimus, relationem spirandi, quia est infinita in suo genere entis relatiui, & non opposita paternitati, & filationi, ab his non distingui. ergo per proprietates absolutas non posset salutari Trinitas in Deo.

Proprietas esse debet incommunicabilis ex S. Thoma, & Ioanne Theologo.

Cur in diuinis multiplicetur relatiuum.

Non multiplicetur absolutum.

54. Dices, hoc discursu nimium probari; nimirum, nullam rationem formaliter diuinam esse posse intra Deum, quæ sit formaliter relatiua, & correlatiua alteri rationi formaliter relatiuæ, & diuinæ: quia in omni relatiuo, etiam diuino, inuoluitur necessario oppositio, & distinctio, quæ essentialiter importat limitationem, & imperfectionem. Omne enim realiter distinctum ab alio, non potest esse illud aliud, à quo realiter distinguitur. ergo respectu illius est limitatum, & simpliciter imperfectum in suo genere, hoc est, in genere entis absoluti, si est absolutum, & distinctum ab absoluto; vel in genere entis relatiui, si est relatiuum, & distinctum à relatiuo. ergo non possunt duæ res essentialiter, & formaliter diuinæ, distingui realiter inter se.

Instantia contra præsentem rationem.

Respon

Respondetur probando cum S. Thoma, oppositionem relatiuam non esse imperfectam.

Respondeo, addendo probationem, qua S. Thomas 1. d. 26. quæst. 2. art. 2. circa finem Corp. peculiari ratione de relatiuo, quæ non procedit de absoluto, acutè ostendit quòd oppositio relatiua nullam inuoluit imperfectionem: quia, inquit, *in relatiuis non est oppositio secundum id, quod relatiuum in aliquo est; sed secundum id, quod ad aliud dicitur:* hoc est, duæ relationes dicuntur oppositæ non per ordinem ad subiectum, sed per ordinem ad terminum: qua in re differunt ab oppositis contrariis, quia duæ rationes contrariæ, verbi gratia, album, & nigrum, respectu eiusdem parietis; vel rationale, & brutuale respectu animalis; ex eo, quòd opponantur præcisè per id, quod in se sunt, habent quidem non posse esse simul in eodem supposito; sed quia singulæ per se natæ sunt esse in illo, si adest vna cum negatione perfectionis, quæ est in alia, affert necessario aliquem defectum in supposito, in quo est, expellens se ipsa formaliter aliam perfectionem sibi oppositam, & incompossibilem. At vero in oppositione relatiua secus res habet, sequitur S. Thomas; *nam quamuis vna relatio habeat adnexam negationem alterius relationis in eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem defectum; quia defectus non est, nisi secundum aliquid, quod in aliquo natum est esse. Vnde cum id, quod habet oppositionem relatiuam ad ipsum secundum rationem oppositionis non ponat aliquid, sed ad aliquid, non sequitur imperfectio, vel defectus: & ideo sola talis oppositio competit distinctioni personarum.* Et vult dicere, quod duæ relationes, ex eo quia non opponuntur per id præcisè quod in se sunt, sed per terminum, quem, vt aliud à se realiter distinctum respiciunt, ita ad suppositum, in quo sunt, comparantur, vt vbi est vna relatio, ibi opposita, non possit simpliciter esse, hoc est, neque simul cum alia, neque per se sola; verbi gratia, paternitas, & filiatio, neque esse simul possunt in eodem supposito aut generante, aut genito; neque etiam in supposito generante, vbi est paternitas, potest esse sola filiatio, etiam sine paternitate; quia tunc, cum filiatio sit ordo ad generantem, idem referretur ad se ipsum; neque pariter à contrario, in supposito genito, vbi est filiatio, potest esse sola paternitas, etiam sine filiatione; quia tunc etiam idem referretur ad se ipsum, cum paternitas sit ordo ad genitum. ergo quod vna relatio dicat negationem alterius relationis oppositæ in supposito, in quo illa est, ac proinde inuicem realiter distinguantur, nullus in eo supposito defectus inducitur: quia defectus non est, nisi secundum aliquid quod in aliquo natum est esse, & non est in illo. Non habere autem, quod in non habente, natum non est simpliciter haberi, non est imperfectio, imò esset imperfectio habere. Adde demum, quòd in diuinis maximè proprium est, & in quocumque supposito tollit simpliciter omnem limitationem, & negationem habendi, ita vnum oppositum relatiuum non haberi ab alio opposito relatiuo, à quo realiter distinguitur, nimirum, non haberi præcisè, & formaliter secundum quod est oppositum, & distinctum; vt ramen habeatur ratione communis naturæ absolutæ, respectu cuius plura opposita, & realiter distincta, nullam oppositionem, nullam distinctionem habent, sed vnum simpliciter sunt omninò indistinctum; quod apertissimè significant illa verba Filij Dei Io. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Ioan. 14.

55. Addi potest alia ratio ducta ex personarum Trinitate, quam fide credimus, & rationabiliter defendimus, si proprietates personarum constitutiuæ ponantur esse relationes originis: vnde supra quæst. 30. art. 2. Trinitatem demonstrauimus. At vero posito, quòd personæ sint per absolutas pro-

prietates constitutæ ante omnem processionem, & relationem, sicut constitutæ sunt, verbi gratia, personæ humanæ, multò difficilius sanè est huius ternarij numeri congruentem aliquam rationem assignare. Posita enim personarum constitutione antecedenter ad omnes processiones, & relationes, non possunt ex duabus processionibus, & quatuor relationibus, ostendi tres tantum personæ, vt nos loco citato ostendimus. Tunc enim ad vnam per intellectum processionem cur vna tantum persona concurrat. Sicut de facto ad vnam processionem per voluntatem concurrunt duæ personæ. Quod si ad vnam verbi processionem per intellectum concurrunt duæ personæ, cur non plures? cur non infinitæ? Constituendo autem personas proprietatibus relatiuis processionum, facilè intelligimus per vnam verbi processionem, & generationem haberi non posse nisi vnam paternitatis relationem constitutiuam vnius personæ Patris generantis; & vnam filiationis relationem constitutiuam vnius personæ Filij geniti: item per aliam amoris processionem haberi non posse nisi vnam spirationis passiuæ relationem constitutiuam vnius personæ spiratæ, & vnam spirationis actiuæ relationem communem, & identificatam duabus personis spirantibus, & ideo nullius personæ spirantis constitutiuam. Addunt Suarez l. 1. de Trinitate c. 4. n. 11. & l. 7. cap. 5. n. 9. & alij recentiores aliam rationem, quia nulla proprietas personalis potest esse perfectio simpliciter simplex. Sed omnis proprietas absoluta esse debet perfectio simpliciter simplex. ergo nulla proprietas personalis esse potest absoluta. Huius syllogismi maior non est omninò vera, vt constat ex dictis supra quæst. 28. art. 2. n. 157. & 158. Minoris etiam probatio pendet ex dictis hic in prima ratione num. 53. & 54.

DVBITATIO V.

An formalis constitutio, & distinctio personarum habeatur per origines.

SVMMA.

1. *Exponuntur termini dubitationis, num. 56.*
2. *Personas aliquo modo constitui, & distingui per origines, num. 57. & 58.*
3. *Sed prius, & principalius, & formaliter per relationes, num. 59. ad 63.*

56. *Quo modo sumatur origo.*

HOc loco originem non accipimus pro principio producente, in quo sensu Basilius l. 1. contra Eunomium non longè à fine scripsit, *Pater causa est, atque origo Filij*, & iterum post pauca verba, *Patris nomen ostendit causam eius, qui ex se natus est, atque originem.* & Hilarius libro de Synodis post can. 27. *Origo sua*, hoc est, *Filij, innascibilis substantia est*; hoc est, Pater ingenitus. Et Florentinum sess. 22. ex Basilio recipit, *quod origo, atque causa essendi, Pater ipsi est*; nempe Filio, & ab Ambrosio, Concilio Toletano VI. & XI. & VVormaciensi supra q. 33. art. 1. n. 22. *Pater dicitur origo totius diuinitatis.* Sed accipimus, quę est frequentior vocis vsurpatio, & propria apud omnes Scholasticos, pro actuali ipsa processione, & emanatione, siue actiua, siue passiua, de qua cum S. Thoma in quæst. sequenti disputabimus, quid sit. Nunc satis sit siue duo, quæ omnes ferè recipiunt. Alterum in diuinis neque esse, neque concipi posse originem sine relatione; quoniam in diuinis præcisa omni relatione non remanet aliqua distinctio in re absoluta. Sine vlla autem distinctione in re inter originans, & originatum, nulla esse,

Originem in diuinis non esse sine relatione.

aut intelligi poteſt origo. ergo, vbi eſt, aut intelligitur diuina origo, ibi relatio ſit, aut intelligatur neceſſe eſt. Alterum, ita includi conceptum relationis in conceptu originis; vt tamen aliquo modo inter ſe differant. Quod omnes concedunt, præter paucos, quos reiicit Suarez l.7.de Trinit.c.6. initio, ſed ſequutus eſt Molina hic diſp.2. membr.3. corollario 3.de relatione, & origine dicens. *Idem omninò ſunt in re formaliter, ac virtute, eodemque modo ab eſſentia, & attributis abſolutis diſtinguũtur virtute.* Vnde contra ea, quæ in hoc dubio cum S. Thoma dicturi ſumus, conſequenter colligit, *Promiſcuè dici poſſe, Perſonas conſtitui, ac diſtingui ab inuicem relationibus originis, aut actibus notionalibus, originibuſque ipſis.* Idem ſentit Becanus de Trinitate cap. 3. quæſ. 12. concluſione 2 Cuius quidem ſententiæ falſitas conſtabit ex fundamenti, quo nititur, ſolutione, de quo infra quæſt.41.art.1.dub.1. Nunc autem ſufficiant, quæ contra hoc fundamentum præmittit, ac præſupponit S.Thomas hic initio corporis ad præſentis controuerſiæ deciſionem. *Inueniuntur in diuinis perſonis duo, ſecundum quæ differunt; ſcilicet origo, & relatio; quæ quidem, quamuis re non differant, differunt tamen ſecundum modum ſignificandi. Nam origo ſignificatur per modum actus, vt generatio; relatio vero per modum formæ, vt paternitas.* His ſuppoſitis ſit

Originem, & relationem differre aliquo modo.

57\. *Prima concluſio affirmatiua in vno ſenſu.*

Prima concluſio, Perſonæ diuinæ dici debent conſtitui, ac diſtingui aliquo modo per origines. Hoc aperte conceſſit S. Thomas hîc ante fin. Corp. illis verbis. *Licèt enim perſonæ diſtinguantur vtroque modo*, ſcilicet per relationes, & per origines; quod nemo negat, niſi qui ſupra num. 37. conſtituunt, & diſtinguunt perſonas per proprietates abſolutas; qui etiam volunt per origines conſtitui, *quaſi principiatiuè.* vt loquitur ibi Scotus. Probatur primò, quia in diuinis relatio, & origo habent inuicem eſſentialem connexionem: neque enim eſſe poteſt paternitas abſque generare, neque filiatio abſque generari, neque relatio ſpirati abſque ſpirari: neque è contrario, generare, generari, ſpirari, eſſe poſſunt abſque paternitate, filiatione, relatione paſſiuæ ſpirationis. ergo etiam ſi dicamus perſonas conſtitui per relationes, poſſumus quoque ob hanc connexionem eſſentialem, & adæquatam in re, dicere conſtitui aliquo modo per origines. Probo ſecundò aperiendo iſtum conſtituendi modum per origines. Nam origo actiua, cum ſit actualis, & vltimata ratio, qua perſona agens, agit, præſupponit perſonam producentem, eamque in ſuo eſſe perſonali conſtitutam, conſequitur neceſſariò, & eſſentialiter, perſona enim Patris, verbi gratia, neque eſſe, neque concipi poteſt vt talis perſona, niſi generet Filium. ergo origo actiua generandi, dici poteſt, perſonam Patris conſtituere conſequenter, hoc eſt, tanquam quid neceſſario, & eſſentialiter conſequens ad illam. origo verò paſſiua, eſt via, qua producitur perſona, ac proinde conſtitutio, ac diſtinctio perſonæ, ita vt nulla alia ratione multiplicari poſſint diuinæ perſonæ, niſi per originem vnius ab alia, & ab vna improducta, cum plures improductæ implicent, vt demonſtratum eſt ſupra quæſt. 27. art.1. dub. 12. ergo origo paſſiua comparatur ad perſonam productam, & conſtitutam tanquam quid ad illam antecedens vt via. ergo dici poteſt illam conſtituere antecedenter, non antecedentia formæ, ſeu rationis formalis formaliter conſtitutiuæ; ſed ſolum antecedentia viæ cuiuſdam ad terminum per ipſam formaliter productum. Nam vt docet S. Thomas infra art. 4. circa medium. *Origines paſſiuè ſignificatæ, ſimpliciter præcedunt ſecundum intellectum proprietates perſonarum procedentium, etiam perſonales: quia origo paſſiuè ſignificata, ſignificatur vt via ad perſonam proprietate conſtitutam.*

S. Thomas.

58\. *Probatur concluſio ex Patribus.*

Tertiò confirmari poteſt authoritate Patrum ſupra à num. 39. ad 53. docentium, Perſonas conſtitui, ac diſtingui per relationes: ſed origines eſſentialiter includunt relationes. Ergo etiam dicere poſſumus conſtitui per origines. Quamobrem multi Patres ſuperius citati modo diſtinguunt per relationes, modo per origines: modo etiam vtramque diſtinguendi rationem afferunt, vt Bernardus ſupra num.39. *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciſſimè dicitur, perſonarum deſignatio eſt.* Et Ioannes in Florentino ſupra num. 44. *Sola relatio apud omnes diuina proceſſione perſonas multiplicat; cui duo illa, à quo, & ad quod, conueniunt.* Præterea Athanaſius Dialogo 1. de Sancta Trinitate paulò ante med. ait, *Pater à Filio differt in Patrem eſſe & Filium eſſe; quoniam ille quidem genuit, hic verò genitus eſt.* & ſimiliter Gregorius Boëticus l. de Trinitate multo poſt med. vt habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum. *Hoc ſolo differens à Patre Filius, quòd ille Pater eſt, & hic Filius; id eſt, quòd ille genuit, hic natus eſt.* & Hilarius cum de Patre, & Filio dixiſſet l.4. de Trinitate inter med. & finem, *vterque vnus, & ſolus eſt, proprietate videlicet in vnoquoque & innaſcibilitatis & originis*; & l. 6. circa med. non ſemel de Filij Dei natiuitate dixiſſet, eſſe proprietatem: tamen l. 7. inter med. & finem præter originis differentiam, addidit differentiam relationis dicens, *Nec non vnum ſunt, qui in inuicem ſunt*, ſcilicet per mutuam relationem. *In inuicem autem ſunt, cum vnus ex vno eſt*, nempe vnus Filius ab vno Patre per generationem. Item Damaſcenus l.1. Fidei c.11. ante med. Trinitatis differentiam tradit prius per origines, *ſecundum omnia vnum ſunt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, præter ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem:* ſed paulo poſt tradit etiam per relationes, ſubiungendo, *In ſolis proprietatibus paternitatis, filiationis, & proceſſionis, ſecundum cauſam, & cauſale, & perſonalem perfectionem, id eſt, exiſtentiæ modum, differentiam intelligimus.* & Iſidorus l. 1. Differentiarum cap. 2. ante med. cum pro ſecunda concluſione ſequenti ſcripſiſſet, *In relatione, perſonarum Trinitas eſt:* in c.3. initio pro hac prima concluſione ſcribit, *Inter perſonam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ita ſecernitur, quòd Pater nec genitus eſt, nec procedens; Filius ex Patre genitus, non procedens; Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio non genitus, ſed procedens*; & Anſelmus epiſtola de Proceſſione Spiritus ſancti c.2. poſt med. explicatis duobus modis, quibus procedunt Filius & Spiritus ſanctus, ait, *Hæc ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſint alij abinuicem, quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo; quod totum poteſt dici relatio:* quia ſcilicet in ipſis originibus, quibus Deus de Deo eſt, includitur eſſentialiter relatio. & ideo ſequenti c. 3. non longè à principio relationem ab origine clarius diſtinguit, dicens, *ſupradicta relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum de inuicem dici, & propria ſingulorum alijs attribui.* & poſtea, omiſſa origine ſubiungit, *Pluralitas ſequitur relationem:* & quod ibi eſt vnitas, *vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio.* Demum Riccardus Victorinus in eodem ſenſu, hoc eſt, non excludendo, ſed includendo principaliter relationem, ſæpe docuit, Perſonas diuinas inter ſe differre, ſecundum ſolam originem, vt l.4. de Trinit. cap. 13. med. c.15. med. & deinceps.

59\. *Secunda concluſio negatiua in alio ſenſu, ex S. Thoma.*

Secunda concluſio. Perſonæ diuinæ conſtituuntur, & diſtinguuntur, *prius, & principalius*, atque adeò

adeò

adeò formaliter; per ſolas relationes, non per origines. Vnde Pater eſt formaliter perſona per paternitatem, non per generationem actiuam; & Filius per filiationem, non per generationem paſſiuam; & Spiritus ſanctus per relationem ſpirati, non per ipſam paſſiuam ſpirationem. Ita S.Thomas circa fi. Corp. vnde colligit, quod ad rectum loquendi modum pertinet, *quòd hoc nomen, Pater, non ſolum ſignificat proprietatem, ſed etiam hypoſtaſim; ſed hoc nomen, Genitor, vel generans, ſignificat tantum proprietatem: quia hoc nomen, Pater, ſignificat relationem, quæ eſt diſtinctiua, & conſtitutiua hypoſtaſis; hoc autem nomen, Generans, vel Genitus, ſignificat originem, quæ non eſt diſtinctiua, vel conſtitutiua hypoſtaſis*; nimirum formaliter; alioquin origo etiam dici poteſt aliqua alia ratione conſtituere, ac diſtinguere, iuxta modum traditum ſupra n. 57. quē re ipſa explicat S.Thom. paulò antè, illis verbis, *origo actiuè ſignificata, ſignificatur, vt progrediens à perſona ſubſiſtente; vnde præſupponit eam:* & ideo dixi ſupra, hanc originem ad perſonam ſpectare conſequenter. *Origo autem paſſiuè ſignificata vt natiuitas, ſignificatur vt via ad perſonam ſubſiſtentem, & non dum vt eam conſtituens*, & ideo talem originem dixi ad perſonam ſpectare antecedenter, tanquam viam quamdam. eamdem ſententiam communiſſimè ſequuntur reliqui omnes Doctores, & veteres, & recentiores; & clariſſimè tradidit Illuſtriſſimus Beſſarion in oratione dogmatica ad Patres Græcos Concilij Florentini verbis citatis ſupra n.45. quæ animaduertimus pene omnia deſumpta, ac deſcripta eſſe ex corpore huius articuli. Verbis verò ibi citatis hæc alia addidit tam pro hac, quàm pro prima concluſione; *ſed quia relatio, & origo idem ſunt re, & relatio conſequitur originem, ideo vtroque quidem modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ, ſed principalius relatione, ſiue proprietatibus.* Cum dicitur relatio conſequi originem, non eſt cōtra S.Thomam, qui ſupra dixit de origine, *præſupponit eam*, hoc eſt perſonam conſtitutam per relationem, ac proinde origo præſupponit relationem; vnde origo conſequitur relationem potius quàm relatio conſequatur originem. Etenim diuina relatio perſonalis ſubſiſtens, quæ eſt ipſa ſubſiſtentia incommunicabilis, habet duplex munus, & conſtituendi perſonam, & referendi perſonam conſtitutam. Relatio, ſecundum munus referendi ſemper conſequitur originem: ſed ſecundum munus conſtituendi, antecedit originem actiuam, quæ eſt actus ſuppoſiti, &, vt ait S.Thomas, *ſignificatur vt progrediens à perſona ſubſiſtente.* Hoc diſcrimen idem S. Thomas infra art.4. fi.Corp. acutè, ac perſpicuè docuit, loquens de paternitatis relatione conſtitutiua perſonæ Patris. *Proprietas perſonalis Patris poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt eſt relatio; & ſic ſecundum intellectum præſupponit actum notionalem; quia relatio in quantum huiuſmodi, fundatur ſuper actum. Alio modo, ſecundum quod eſt conſtitutiua perſonæ, & ſic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni.* Neque aliud velle videtur Bonauentura 1. d. 26. art. vnico q.3. & d.27. art.1. q. 2. vbi communiter contra hanc concluſionem referri ſolet. Alioqui pro relatione iuxta præcedentem concluſionem apertiſſimè eſt cit. d. 26. q. 2. ſolum inuenio expreſsè contrarium Aureolum 1.d.26. q.vnica art.2. col.2. & 3. & d.27. p.p. diſtinctionis art.4. Propoſitione 4. vbi in terminis impugnat doctrinam huius articuli. Alios antiquiores aduerſarios ſine nomine refert, & confutat S.Thomas hic §. *Quidam igitur*. Quorum ſententiam Torres hic in 3.p. Commentarij col.8. fin. probabilem cenſet, licèt aliam S. Thomæ defendat vt probabiliorem.

Beſſarion. *S.Thomas.* *Bonauentura.* *Torres.*

60\. *Prima articuli ratio.*

Impugnat autem S.Thomas, primò, quia etſi tam proprium ſit perſonæ Patris, & ipſi ſoli conueniat, paternitatis relatio, quàm actiuæ generationis origo; ſicut etiam perſonæ Filij, tam filiationis relatio, quam origo paſſiuæ generationis; & perſonæ Spiritus ſancti tam relatio procedendi, quàm ipſa proceſſionis origo; tamen origo, vt formaliter origo, non concipitur, &, vt ait S.Thomas, *non ſignificatur vt aliquid intrinſecum*, nimirum rei, quæ originat, vel originatur; *ſed vt via quadam à re, vel ad rem; ſicut generatio ſignificatur, vt via quædam ad rem genitam, & vt progrediens à generante.* Relatio vero, vt relatio, verbi gratia, paternitas, concipitur, & ſignificatur, vt forma in eſſe permanenti, intrinſeca rei in facto eſſe, & quaſi quieſcenti in ſuo eſſe iam habito, vel ex ſe, vel ex alio. ergo per hanc potius, quàm per illam dici debet conſtitui perſona. Probatur cōſequentia, quia perſona ſignificat rem permanentem, & iam in ſe ipſa intrinſecè conſtitutam. ergo debet conſtitui, & ab aliis perſonis diſtingui per aliquam permanentem, & intrinſecam formam. Nam, vt vniuerſaliter ſumit S.Thomas, *ad hoc quod aliqua duo,* quæ ſcilicet habent in ſe ipſis eſſe permanens, & completum, *diſtincta intelligantur, neceſſe eſt eorum diſtinctionem intelligi per aliquid intrinſecum vtrique; ſicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam.*

Impugnat ſecundò, quia principium diſtinctiuũ, eſt principium conſtitutiuum, vt in ſuperioribus nō ſemel oſtenſum eſt. *Sed contra rationem originis eſt, quod conſtituat hypoſtaſim, vel perſonam.* ergo etiã quòd diſtinguat. Minorem probat, quoniam origo actiua *ſignificatur vt progrediens à perſona ſubſiſtente*, ſiue vt actualis influxus perſonæ producentis, & completè, atque vltimatò ſubſiſtentis communicabiliter. ergo hanc perſonam ita conſtitutam præſupponit, ſaltem ex modo ſignificandi, & intelligendi cum aliquo fundamento in re. origo autem paſſiua, *ſignificatur vt via ad perſonam ſubſiſtentem*; qua via ſcilicet perſona producatur cum omni ſua proprietate conſtituente, ac diſtinguente. ergo non poteſt perſona conſtitui, ac diſtingui per paſſiuam originem, ſed ſolum per id, ad quod illa tendere concipitur. Vniuerſaliter enim nullum fieri termini conſtituit formaliter terminum, ſed tantum effectiuè, producendo terminum, eiuſque conſtitutionem; qui terminus tunc maximè intelligitur habere ſuum formale, & intrinſecum conſtitutiuum, cum intelligitur perfectus, & completus in ſuo eſſe, ac proinde ſub facto eſſe, & non ſub fieri. Confirmari poteſt ex ſententia, quam q. ſequenti art. 1. probabimus de origine, ſiue actiua, ſiue paſſiua, quod in ſuo intrinſeco, & principali conceptu includat actum abſolutum communem, qui non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiua perſonæ incommunicabilis, & diſtinctiua vnius perſonæ ab alia. 61. *Secũda ratio.*

Hanc eandem concluſionē verè probant multæ authoritates adductę ſupra à n.39. ad 53. contra proprietates abſolutas. Pleræque enim docent, Diuinarũ perſonarum nomina eſſe propriiſſimè relatiua. Aliæ dicũt, *In relatione perſonarum numerus cernitur. Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt.* Quod falſum ſimpliciter eſſet, ſi non relationibus, ſed originibus, vel ſi nō ſolis relationibus, ſed etiã originibus cōſtituerētur perſonæ. Aliæ ita habēt, *non vlla alia ratione, quàm vi relationis vna perſona differt ab alia. Sola relatio multiplicat Trinitatem. In diuinis omnia ſunt vnũ, vbi non obuiat relationis oppoſito.* & omniũ clariſſimè Cyrillus ſupra n.49. *Pater, & Filius ſola diuerſitate relationis, nec alia re vlla diſtinguũtur.* & ibidē Damaſcen. *In ſolis proprietatibus paternitatis, filiationis, & proceſſionis differentiam intelligimus.* Per has particulas excluſiuas vniuerſales, nō ſolũ includuntur potiſſimũ relationes, ſed etiã excludũtur omnia, quæ in eſſentiali relationis conceptu non ſunt incluſa, quæ non ſolum 62. *Probatur cōcluſio authoritate.*

Xx 3 ſunt

sunt omnia prædicata absoluta, sed etiam ipsæmet origines, quæ vel consequuntur, vel antecedunt relationes personales, vt superius cum S. Thoma declaratum est. Quapropter hic loquendi modus, *sola relatio multiplicat Trinitatem*, qui à Patribus frequenter vsurpatur, differt ab hoc alio, *Sola origo multiplicat Trinitatem*, quem ab aliquo Patre aliquando vsurpatum inuenire difficile est, vt patet ex citatis supra pro originibus num. 58. quia per primum excluduntur origines, non inclusæ in relationibus: per secundum non possunt excludi relationes essentialiter inclusæ in toto intrinseco conceptu diuinarum originum.

DVBITATIO VI.

An relatio, vt relatio, personas constituat, & distinguat in ratione Hypostasis.

S V M M A.

1. *Declaratur, & probatur conclusio affirmatiua, n. 63. & 64.*
2. *Exponitur S. Thomas dicens, Relatio, vt relatio, distinguit; vt est diuina essentia, constituit, n. 65. & 66.*

63. *Conclusio affirmatiua declaratur.*

VNica conclusio, Relatio, vt relatio, hoc est, secundum esse respectiuum contra distinctum ab omni esse absoluto, constituit personam non solum in ratione personæ, sed etiam in ratione hypostasis, seu subsistentis suppositi. Ita ferè omnes, & distinctè notatur à S. Thoma art. sequente 3. post med. Corp. contra aliquos innominatos dicentes, *quòd hypostases in diuinis non distinguuntur per relationes, sed per solam originem; vt intelligatur Pater esse hypostasis quædam per hoc, quod non est ab alio, Filius autem per hoc quod est ab alio per generationem. Sed relationes aduenientes, quasi proprietates ad dignitatem pertinentes, constituunt rationem personæ, vnde & personales dicuntur.* Videtur etiam consequenter esse contra nonnullos Doctores, præsertim Thomistas, quos refero supra q. 30. art. 1. num. 59. dicentes, nullam aliam in diuinis dari subsistentiam, nisi essentialem, & absolutam. Vnde necessariò sequitur, quod esse simpliciter subsistens in personis dari non possit per relationem, vt præcisam ab essentia. Hinc Capreolus 1. d. 26. quæst. 1. art. 1. in tertia conclusione ita scribit, & postea fusissimè defendit, *licet relatio, ex natura relationis, habeat constituere, & distinguere in esse relatiuo diuinas hypostases; non tamen ex natura relationis habet distinguere, aut constituere illas in esse hypostatico subsistenti, seu personali*; sed vt magis distinctè addit in fine totius conclusionis, *relatio, in quantum est diuina essentia, habet quod illa, quæ distinguit relatiuè, distinguat tanquam duo suppositа; & quod illud, quod constituit, sit suppositum naturæ rationalis, & consequenter sit persona; ita quod distinctio, & constitutio conuenit relationi reali in quantum relatio realis; sed quod illud distinctum per relationem sit subsistens, vel suppositum, vel persona, hoc facit relatio in quantum est diuina natura subsistens, & intellectiua, & in quantum etiam talis relatio est incommunicabilis.* Idque tribuit S. Thomæ in multis locis, quæ supra quæst. 30. art. 1. n. 59. & 60. afferimus, & explicamus. Eamdem sententiam, vt probabilem tuetur Bagnes infra art. 4. quam tribuit Ferrariensi, Marsilio, Victoriæ, Soto; & sequi videtur Bellarminus tom. 1. l. 2. de Christo cap. 15. circa medium.

Aduersarij conclusionis.

64. *Probatur conclusio ratione.*

Ratio desumenda est ex dictis, tum in quæst. 29. art. 1. & 2. de persona, & hypostasi, inter quæ apud omnes Sanctos, & Scholasticos nullum est verè discrimen in quantum ad ipsam præcisam subsistendi rationem, quæ est de essentiali conceptu omnis suppositi. ergo quod constituit, & distinguit hypostasim debet etiam constituere, & distinguere personam: tum in quæst. 30. art. 1. dub. 4. de tribus subsistentiis relatiuis personalibus, realiter distinctis inter se, & ratione distinctis à subsistentia absoluta. Confirmatur impugnando duo dicta Capreoli, quæ non videntur posse cohærere. Primum, relatio, vt relatio distinguit, & constituit in esse relatiuo. Secundum, relatio, vt est diuina essentia constituit in esse personali. Primò, quia S. Thomas hic post med. Corp. ait, *oportet, quod ipsa distinguentia constituant res distinctas.* Sed relatio, vt relatio, distinguit personas. ergo constituit. Secundò, si relatio, vt est diuina essentia constituit personas; ergo vt sic etiam distinguit: cum cogitari non possit ratio, quæ sit constitutiua rei, & non distinctiua. Tertio, *In persona diuina*, inquit ibidem S Thomas, *non est aliud intelligere nisi essentiam, & relationem, siue proprietatem.* Illa autem ratio formali intelligi debet constituere formaliter personam in esse formaliter personali, quæ intelligitur superaddi essentiæ communi tribus personis: enim verò manifestè implicat, in essentia tota, & totaliter communi, intelligere aliquam rationem formalem, vel totaliter, vel etiam partialiter constitutiuam personæ incommunicabilis. Sed nil aliud intelligi potest superadditum essentiæ communi nisi relatio, vt relatio. ergo relatio, vt relatio, esse, & dici debet totalis ratio formalis constitutiua personæ incommunicabilis. ergo nō bene dicitur, quòd relatio constituit personam, non vt relatio, sed vt diuina essentia: hoc enim verè est dicere, quod diuina essentia, seu subsistentia essentialis absoluta, & communis, cui identificatur relatio, constituit personam, non autem relatio secundum id, quod in se est, ratione distinctum ab essentia. Etenim in Theologia, & Philosophia receptissimum est, quod apertè colligitur ex Patribus tractantibus mysteria Trinitatis, & Incarnationis, rationem formalem personalitatis consistere in aliqua subsistentia. Si igitur in diuinis nulla alia subsistentia cogitari potest, nisi essentialis, & communis secundum rationem ratiocinatam distincta ab omni relatione, & proprietate, iam formalitas personalis, saltem præcipua, ponitur essentialiter inclusa in essentia communi, & præcisa ab omnibus personis; & quælibet persona in proprio suo esse personali distincto realiter à reliquis personis, constituitur formaliter per id, quod æquè commune est omnibus personis. Quod quidem, vel ex ipsis terminis apparet improbabile. Vnde Bagnes infra art. 4. vol. 2. bene reiicit sententiam Mantij dicentis, *Personas constitui per relationes, non actualem, sed aptitudinalem*, quam volebat esse ipsam diuinam essentiam, *quatenus in virtute, & radice continet omnes relationes*: hæc enim est formaliter absoluta; & non est relatio formaliter, & simpliciter dicta, cui Concilia, & Patres tribuunt constituere, & distinguere personas.

Arguitur contra Capreolū.

Bagnes contra Mantiū.

65. *Exponitur S. Thomas dicens, Relatio, vt relatio distinguit; vt est diuina essentia, constituit.*

Quando igitur S. Thomas multis in locis, vt de Potentia quæst. 2. art. 1. & quæst. 8. art. 3. ad 7. 8. & 9. & quæst. 10. art. 3. & l. 1. sent. d. 26. quæst. 2. art. 2. ad 1. & alibi, vt refert Capreolus supra, expressè dicit, quòd relatio, vt relatio distinguit personas, sed constituit vt est diuina essentia, si attentè consideretur, hoc non dicit ex eo quòd nulla personalis subsistentia sit in diuinis nisi absoluta essentialis, & communis; sed solum quia, vt non obscurè significat in citata responsione ad 7. & 9. relatio personalis, quæ essentialiter est subsistentia relatiua propria vnius tantum personæ, ac proinde habet duplicem habitudinem,

tudinem, alteram, vt subsistentia ad naturam tanquā ad subiectum, quod verè terminat, & quasi afficit, & modificat per identificationem; alteram, vt explicitè relatio ad terminum, tanquam ad aliud à se realiter distinctum; ex prima habitudine habet constituere personam per identificationem cum essentia diuina, cui non opponitur; ex secunda habitudine habet distinguere personam ab aliis, quibus opponitur. Verè enim à parte rei, relatio & est identificata essentiæ, & est oppositа termino. ergo si formalissimè loquendum est, dicere debemus, quòd relatio, vt identificata essentiæ, constituit personam; vt oppositа termino, distinguit personam. In hoc sensu scribit S. Thomas in citata responsione ad 7. *Relationes in diuinis, etsi constituant hypostases, & sic faciant eas subsistentes* (quod sanè facere non possent, nisi relationes essent ipsæmet subsistentiæ hypostaticæ, seu personales; sicut enim non est intelligibile, v. g. album aut existens constitui formaliter album, aut existens ab eo, quod non est formaliter ipsa albedo, aut ipsa existentia; ita non potest intelligi, subsistens constitui formaliter subsistens ab eo, quod non est formaliter subsistentia; & si nulla esset subsistentia in diuinis, nisi absoluta, tunc verè non relatio, vt docet S. Thomas, sed essentia faceret personas subsistentes) *hoc tamen faciunt in quantum sunt essentia diuina*; cum qua scilicet omnes relationes, & proprietates identificantur. Relatio enim in quantum est relatio, hoc est, præcisè, & explicitè considerata, in quantum respicit terminum, cui opponitur, *non habet quòd subsistat, vel subsistere faciat; hoc enim solius substātiæ est. Distinguūt verò relationes, in quantum relationes sunt, sic enim oppositionem habent.* Non negat simpliciter, relationes, etiam vt ratione distinctas ab essentia, esse substantias quasdam, seu potius ipsas subsistentias incommunicabiles, & substantiales rationes incommunicabiliter subsistendi; sed solum vult, hoc esse substantiæ, seu subsistentiæ, & consequenter facere personas subsistentes, non conuenire relationi secundum explicitum conceptum, quo respicit terminum, cui opponitur, & à quo distinguitur. nam hunc conceptum habent etiam accidentales relationes creatæ; sed solum secundum alium explicitum conceptum, quo, vt diuinæ, petunt identificari essentiæ Deitatis, cum qua nullam habent oppositionem.

66. *Confirmatur prædicta expositio.*

Quod magis confirmo ex citata responsione ad 9. *Relatio, vt dictum est, distinguit in quantum est relatio; constituit autem hypostasim, in quantum est diuina essentia: & vtrumque facit in quantum est diuina essentia, & relatio.* Vbi breuiter facit istas duas propositiones. Relatio, in quantum est relatio, constituit, & distinguit. Relatio in quantum est diuina essentia constituit, & distinguit. Quibus non aduersantur istæ duæ propositiones. Relatio, vt relatio, distinguit, non constituit. Relatio, vt diuina essentia, constituit, non distinguit. Nam in primis duabus reduplicatur entitas ipsa relatiua, secundum quod ratione distinguitur ab omni esse absoluto, quæ in re ipsa & distinguitur realiter à termino, cui opponitur, & identificatur realiter essentiæ, cum qua nullā habet oppositionem. In reliquis verò reduplicatur hæc ipsa identitas, quam habet relatio per comparationem ad subiectum, vel quasi subiectum, in quo esse concipitur; & reduplicatur hæc ipsa distinctio, sicut oppositio, quam eadem relatio habet per comparationem ad terminum. Igitur relatio, in quantum relatio, hoc est, secundum suum esse respectiuum, quod per se illi conuenit, non secundum esse absolutum, quod illi conuenit ratione essentiæ, cum qua identificatur, non solum distinguit personam, sed etiam constituit: quod facere non posset nisi ipsa, secundum id, quod per se est, esset subsistentia personalis. Eadem quoque relatio in quantum est essentia diuina, hoc est, secundum illud idem esse respectiuum identificatum essentiæ, & constituit, & distinquit; quia essentiæ identificatur relatio non solum vt subsistentia incommunicabilis terminans naturam, qua ratione personam constituit; sed etiam vt oppositа termino, qua ratione eamdem personam ab ipsa constitutam distinguit ab aliis personis. Atque hæc tandem vsa est ad germanam S. Thomæ mentem commodissima ratio, qua saluis tribus personalibus subsistentiis, magna sanctorum Patrum, atque adeò ipsius etiam S. Thomæ authoritate firmatis suprà quæst. 30. a. 1. dub. 4. multæ illius difficiles propositiones, & ob rei subtilitatem, ac vocabulorum penuriam, terminis ipsis penè repugnantes, quæ Thomistas ipsos diuersos fecit, & plerosque in sententiam minimè intelligibilem abire coëgit, in verum, ac proprium sensum adducerentur.

DVBITATIO VII.

Sub qua formali, ac præcisa ratione relatio constituat, ac distinguat diuinas personas.

S V M M A.

1. *Minus rectè dici primò, quòd relatio constituat, vt forma hypostatica, non vt relatio, n. 67. ad 72.*
2. *Secundò, quòd relatio constituat, vt concepta, non vt exercita, n. 72. & 73.*
3. *Tertiò, quòd relatio constituat, vt relatio, non vt referens, n. 74.*
4. *Quartò, quòd relatio constituat secundum esse In, non secundum esse Ad, n. 75.*
5. *Explicatur, & defenditur sententia S. Thomæ, n. 76. ad 79.*
6. *Relatio vt relatio, est principium formale constituēdum, & distinctiuum, n. 79.*
7. *Sed relatio constituit, quia est subsistentiæ incommunicabilis identificata essentiæ, n. 80.*
8. *Distinguit verò, quia opponitur termino, n. 81.*
9. *Tres vltimæ propositiones probantur multis S. Thomæ, n. 82. ad finem articuli.*

67. *Prima conclusio. Relatio nō distinguit, vt relatio, & constituit vt forma hypostatica.*

PRima conclusio, non benè simpliciter dicitur, quod relatio, vt relatio distinguat, non constituat personas, siue hypostases: constituat verò vt est proprietas personalis, seu forma hypostatica, & subsistens, seu potius ipsamet subsistentia incommunicabilis, præscindendo simpliciter ab esse *Ad*, seu respectiuo. Hoc non obscurè indicauit S. Thomas, tum verbis citatis n. præcedente de Potentia q. 8. a. 3. ad 9. *Relatio in quantum est relatio vtrumque facit*; hoc est, vt antea dixerat, *distinguit & constituit hypostasim*: tum in toto hoc articulo, vbi personas constituere, & distinguere, æquè tribuit relationi, vt relatio est. & ideo post med. corp. ita vniuersaliter sumit, *In diuinis oportet, quòd ipsa distinguentia constituant res distinctas.* & statim subdit, *Relationes distinguunt, vel constituunt hypostases, vel personas.* Ergo secundum S. Thomam personalis constitutio, non est neganda relationi, vt relatio simpliciter est, & secundum illud esse respectiuum, quod in se formaliter includit. Idē alij cōmuniter sequuntur, & necessariò sequi debent omnes, qui sentiūt, personas diuinas constitui, ac distingui per solam relationem, & per nihil absolutū, & relationes personales esse ipsamet relatiuas subsistētias, & rationes subsistēdi incōmunicabiliter.

68. *Aduersarij, & Authores conclusionis.* Nihilominus referuntur multi in contrarium, præsertim Thomistæ, propter verba S. Thomæ, quæ retulimus supra n. 65. & 66. & infra magis explicabimus in bono sensu, quem sequemur in tertia conclusione, vt Capreolus 1. d. 26. q. 1. ferè per totam, & maximè art. 2. respondens ad primum eorum, quæ tertio loco inducta erant, & dicens, *Quod primum suppositum in diuinis constituitur per paternitatem, non vt est relatio, sed vt est subsistens, vel vt est quædam forma individualis diuinæ naturæ; siue vt est quædam talis forma incommunicabilis communicabilitate communis, aut vniuersalis.* Quod, inquit, *videtur esse de mente S. Thomæ in multis locis*; quæ ipse affert, & nos infra expendemus. Item Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 26. post medium. Et non longè à fine, ita breuiter explicat S. Thomam. *Paternitas, si consideretur in quantum relatio, id est, id est, vt ad Filium ordinem dicit, distinguit Patrem à Filio relatiuè, non autem constituit in esse hypostatico subsistenti. Si autem consideretur in ratione formæ incommunicabilis gerentis vicem omnium principiorum individuantium in rebus creatis, sic constituit hypostaticè, & non distinguit à Filio relatiuè.* Atque hæc Capreoli sententia, inquit Torres infrà art. 4. in 3. p. Commentarij paulò ante med. *Satis probabilis est, & forsan vera.* Et probabilis censetur etiam à Bagnes, & tribuitur Victoriæ, & Soto vt supra num. 63. fin. eamque sequuntur Bellarminus ibidem citatus, & Marsil. lib. 1. sent. quæst. 29. art. 1. dub. 1. conclusione 1. & 2. & Valentia puncto 2. conclusione 3. & 4. & alij, qui omnes ad bonum sensum reuocari possunt iuxta tertiam conclusionem infra ponendam. Quamuis impugnentur à Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 7. num. 7. Arrubal disp. 112. num. 5. ad 8. Zumel infra art. 4. disp. 1. conclusione 1.

69. *Probatur cõclusio ex Scoto.* Probatur præsens conclusio primo ratione, quàm breuissimè tetigit Scotus 1. d. 28. quæst. vltima. §. *Ad quæstionem.* Nam relatio, vt est formaliter proprietas personalis, vel est entitas absoluta, vel relatiua. Si primum, ergo persona constituitur per absolutum formaliter, quod ipsimet Aduersarij negant; inter quos tamen Ferrariensis supra minus rectè scripsisse videtur, quòd cum concipitur persona constituta per relationem sub ratione formæ incommunicabilis, *Tunc concipitur persona, non vt quid relatiuum, sed vt quid absolutum:* non enim concipi potest persona in se constituta, nisi vt habens in se aliquid personale sibi proprium, quod in diuinis non potest esse absolutum; quia omne absolutum est commune omnibus personis; ergo si concipitur illa persona conceptu fundato in re, & non conceptu repugnante veritati rei, non potest concipi, vt quid absolutum, sed necessariò concipi debet, vt quid relatiuum: hæc enim relatio constitutiua personæ, vt optimè docet Scotus supra, *quomodocumque varietur secundum considerationem, eadem tamen est in re; & secundum quod est in re, constituit personam.* Si dicatur secundum, nempè quòd relatio, vt proprietas constituens personam sit entitas relatiua; ergo persona constituitur per relatiuum formaliter, quod intendimus in hac conclusione.

70. *Alia conclusionis ratio.* Probatur secundò, quia si personalitas secundum id, quod addit proprij supra communem essentiam, est solus conceptus relatiuus, sicut essentiæ vt præcisæ à personalitatibus est solum absolutus; ergo illa non rectè distinguitur, & vt relatio formaliter, & vt personalitas formaliter; tunc enim personalitas, vt personalitas formaliter; & reduplicatiuè, esse non posset nisi relatiua. Si verò est conceptus partim absolutus, partim relatiuus, licèt in re simplicissimus; quemadmodum ipsa persona, identificata cum essentia est vnus conceptus absolutus, & respectiuus; & per personalitatem, vt absolutam, constituitur persona; vt relatiuam, distinguitur, & refertur persona; iam persona, vt persona, constitueretur materialiter per relatiuum, sed formaliter per absolutum; hoc est, constitueretur per id, quod à parte rei est relatiuum, & absolutum, tamen non quatenus relatiuum, sed quatenus absolutum: sicut quælibet persona identificata cum essentia constituitur quidem in esse personæ per id, quod à parte rei est essentia, tamen non nisi materialiter, cum formaliter constituatur per illud, quatenus est personalitas, quidquid tandem illa sit. Neque dici potest cum Heruæo 1. d. 26. quæst. vnica art. 3. circa finem, cuius opinionem refert, & impugnat Aureolus ibidem art. 2. §. 2. & Bagnes supra art. 2. fin. ait, *Esse vel errorem, vel errori proximum.* Relationem, sub ratione formali proprietatis personalis, præscindere omnino ab absoluto, & respectiuo; tum quia illa ratio formalis per aduersarios constituit formaliter diuinam personam in esse diuina personali, quod est esse singulare, omnino in re determinatum, & completum, & realiter existens; sicut igitur propter hanc rationem non potest fingi singularis persona creata, quæ neque sit absoluta, neque respectiua, ita neque persona increata; quamuis enim persona in communi, præscindendo ab increata, & creata, præscindere possit ab absoluto, & respectiuo, tamen non potest hoc modo præscindere persona particularis increata, vel creata; sicut relatio, vt relatio, communis creatæ, & increatæ, neque est accidens, neque substantia, tamen creata est accidens, increata est substantia: tum quia si non sequeretur personam constitui per absolutum, tamen sequeretur non constitui per respectiuum; at Concilia, & Patres supra à num. 39. ad 53. non solum negant constitui per absolutum, sed positiuè, & maximè affirmant, constitui per relatiuum: tum quia persona diuina constitui debet per aliquid formaliter incommunicabile, & oppositum aliis personis. Hoc autem habetur per ens diuinum formaliter relatiuum: alioqui ens diuinum simpliciter, sicut præscindit ab absoluto, & respectiuo, ita præscindit à communicabili, & incommunicabili, & consequenter ab esse naturæ diuinæ, quæ est communicabilis, & ab esse personæ diuinæ, quæ est incommunicabilis.

Heruæus ab Aureolo, & Bagnes impugnatus.

71. *Tertia ratio conclusionis.* Probatur tertiò. Si relatio, vt subsistens constituit personam, ergo illa esse, & concipi debet, vt subsistens non subsistentia essentiali, & communi, sed personali, & incommunicabili, vt demonstratum est suprà n. 64. ergo, vt opposita; quia incommunicabilitas oritur in diuinis ex sola oppositione. ergo vt relatiua formaliter secundum esse *Ad.* Enimuero ibi alia oppositio esse non potest, nisi relatiua. Quartò eadem sententia potest peculiariter impugnari de prima Patris persona, propter quam videtur excogitata, ad saluandum scilicet, quo modo Pater prius sit in se persona constituta, deinde generet, & referatur ad Filium, quod hac in re potissimam difficultatem facit, vt inferius patebit. Dicunt enim hanc personam per formam hypostaticam esse prius constitutam in esse personæ ante generationem, & consequenter ante relationem, quæ generationem consequitur; & deinde per relationem distingui à persona, in posteriori originis producenda. Quæ quidem duo dicta non videntur posse stare; quia in illo priori originis, in quo Patris persona concipitur constituta ante generationem, vt porens generare, esse necessariò debet distincta à termino producendo; cum impossibile sit, idem posse producere se ipsum, &

Quarta ratio particularis de persona Patris.

& esse primum principium sui ipsius. ergo semper ac Pater intelligitur vt completum principium generationis filij, debet intelligi, vt realiter distinctus à filio. Quintò minus etiam rectè distinguũt aduersarij duas formalitates, quarum altera sit principium constitutiuum personæ in se, altera principium distinctiuum personæ ab alia persona, quæ non est ipsa; quoniã distingui nihil est aliud, quam non esse illud, à quo res dicitur distingui. Hæc autem negatio essendi aliud, ideo est in re, quia res est cõstituta per tale esse intrinsecum, quod ex propria natura sua non est esse alterius rei, à qua distingui dicitur. Sextò denique in cap. firmiter suprà n. 46. dicitur; *Trinitas secundum personales proprietates discreta,* ergo Paternitas, v.g. non solum vt relatio, sed formaliter vt personalis proprietas Patris, discernit ac distinguit Patrem à Filio.

Quinta ratio.

Sexta ratio ex Lateranensi.

72. *Secunda conclusio. Relatio non vt concepta constituit, vt exercita distinguit.* Secunda conclusio, nec etiam bene simpliciter dicitur, quod relatio personalis, v.g. paternitas, vt concepta, hoc est, vt forma relatiua antequam intelligatur exercere effectum relationis, constituat personam, & sit prior ipsa generatione, & actu referendi, vt exercita verò, siue, vt exercet munus referendi, non constituat personam, sed distinguat, & sic posterior persona constituta, & actuali generatione. Est contra Caietanum infra art. 4. ad 2. dub. quem impugnant Ferrariensis supra §. *Sed hæc interpretatio,* à quo dicitur *subtilia, non tamen ad mentem S. Thomæ: & in se ipsa contradictionem implicare.* Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 7. num. 4. & 5. Arrubal disp. 112. num. 3. Molina disp. 2. membro 2. col. 2. Valentia supra. Vazquez disp. 159. cap. 2. & alij recentiores communiter. Sed sequi videtur Torres infra art. 4. p. 3. Commentarij ante med. §. *Pro quæ.* dicens, personas constitui per relationes, prout relationes sunt, non prout actu referunt. Relatio enim vt relatio, siue, vt Torres loquitur, *vt proprietas, seu forma, aut ratio relatiui,* est illa, quam Caiet. vocat, *vt conceptam*; relatio vero vt actu referens subiectum ad terminum, est illa, quam idem Caiet. vocat, *vt exercitam.* Quæ distinctio relationis sub his formalibus terminis, vt conceptæ, vt exercitæ, est multò antiquior Caietano cum scripta legatur apud Albertum p. p. summæ quæst. 34. membro 1. immediatè ante solutionem argumentorum, qui videtur approbare hoc, quod aliis tribuit, *Satis conuenienter*, vt ipse ait, discurrentibus: *in hoc differunt paternitas, & pater, quia paternitas dicit relationem, vt conceptam, pater autem, vt exercitam.* Idem, sed sub aliis terminis, sequi videtur Bagnes cit. art. 4. dub. 1. concl. 1. & 2. dum vult, *Quòd relatio secundum esse In, non distinguit, sed constituit personam, qua ratione persona est in se subsistens. Sed secundum esse Ad, distinguit personam, & etiam constituit, prout persona est incommunicabilis.* Caietani sententiam, vt non improbabilem defendit etiam Zumel infra art. 4. disp. 1. conclusione 3. sed conclusione 4. simpliciter non probat.

Concluſionis authores, & aduersarij.

73. *Arguitur cõtra Caietanum.* Hæ omnes sententiæ, licèt accipi possint in bono sensu mox explicando; tamen ad hanc difficultatem subtilissimam clarius penetrandam, contra illas, vt simpliciter proponuntur, argumentor, & primò contra Caietanum; quia relationem actu referre, nihil est aliud, quam esse actu in re, siue in formare, & actuare rem: v.g. relationem similitudinis referre hoc album ad aliud album, est solum, similitudinem esse actualiter in albo, vt formam constitutiuam albi in esse similis, hoc est, per similitudinem formaliter relati ad aliud album. Enimuero secundum Aristotelem, & omnes Philosophos, totum esse relationis est ad aliud se habere. ergo si diuina paternitas concipitur actu esse in Patre, & actuare, & constituere Patrem, & consequenter, vt informans illum, & dans illi formaliter esse relatiuum Patris vt Patris formaliter, est impossibile, vt non concipiatur cum suo effectu formali, hoc est, vt actu referens, & vt actualiter exercens officium suum referendi Patrem ad Filium; ergo relatio verè, & adæquatè concepta vt relatio, secundum vltimam rationem constitutiuam relationis in suo formali esse relatiuo, non potest non habere suum esse exercitum, & non concipi vt exercita cum suo effectu formali. Confirmatur ex maiori explicatione terminorum. Quid enim quæso est relatio vt concepta? Illud, *vt*, non reduplicat conceptionem nostram; sic enim ridiculum esset, constitui personas per relationem, vt conceptam, hoc est, per conceptionem nostram. Reduplicat igitur aliquid aliud in ipsa relatione realiter existens, quod distinctè, & explicitè obiicitur, & subsistat conceptioni nostræ. Explicandum igitur est quid sit hoc, quòd in re ipsa à nobis concipitur, dum dicuntur personæ constitui per relationem vt conceptam. Vel enim concipitur ordo ad aliud, vel non. Non hoc secundum, quia tunc non esset concepta relatio, hoc est, id, quod est essentialiter, & propriè relatio, quæ non est nisi ordo ad aliud, sed concepta esset, vel entitas absoluta, vel entitas præscindens ab absoluto, & respectiuo: neutra autem entitas, sed solum entitas relatiua constituit, & distinguit personas, vt hactenus probatum est. Si primum, ergo relatio vt relatio constituit, si constituit relatio vt concepta, & hæc non est nisi ipsa formalissima ratio ordinis ad aliud, quæ à nobis distincta concipitur ab omni esse absoluto. Quod si relatio vt relatio constituit, profectò non potest constituere nisi vt assistens rem constitutam, eique dans suum effectum formalem; ergo constituit referendo, siue exercendo formalem suum actum, & quasi formalem effectum referendi: ergo constituit relatio non solum vt concepta, sed etiam vt exercita.

74. *Arguitur cõtra Torres.* Hinc argumentor secundò contra modum dicendi Torres: quoniam relatio, *vt proprietas, vt forma, vt ratio relatiui,* alia esse non potest nisi ipsa formalissima ratio relationis; ergo constituit relatio, vt relatio, sed non constituit relatio, vt præcisa à persona constituta; neque concipitur relatio constituere personam extra personam constitutam, quod euidenter apparet implicare; sed expressè concipitur constituere personam relatio identificata personæ, eique quasi inhærens, & se ipsam formaliter tribuens, quasi informando, ac modificando. Hæc autem intrinseca constitutio per huiusmodi informationem, & afficientiam, esse non potest sine actu referendi; sicut enim, v.g. albedo, vt actu informans parietem, nihil est aliud, quam albedo vt se ipsa actu formaliter albificans parietem; ita relatio, vt actu informans personam, non potest esse aliud, quam relatio vt se ipsa actu formaliter faciens personam relatam ad aliud, siue ad aliud referens. Frustra igitur, & inutiliter distinguitur, & dicitur relatio constituere, vt ratio relatiui, vt forma, vt proprietas, sed non vt actu referens.

75. *Arguitur cõtra Bagnes.* Tertiò contra modum dicendi Bagnes, occurrit primò, quia minus recta videtur illa distinctio, quòd per vnam rationem, nempe esse *In*, constituatur persona vt persona in se subsistens; & per aliam rationem, nempe, per esse *Ad*, constituatur persona, vt incommunicabilis: quoniam ex definitione ipsa personæ, à Boëtio tradita, & explicata suprà q. 29. art. 1. constat, in ipsomet essentiali conceptu personæ includi incommunicabilitatem. ergo vnde habetur essentialis conceptus personæ, inde pariter incommunica

communicabilitatis conceptus habeatur necesse est. Secundò subsistentia, qua persona, vt persona, subsistens constituitur, & per quam subsistentiam substantia completa, & indiuidua subsistit personaliter, nó potest esse nisi subsistentia propria, & vltimo terminans naturam in genere substantiæ; ergo subsistentia incommunicabilis. ergo non rectè dicitur subsistentia personalis haberi ex aliqua ratione, ex qua non habetur subsistentia incommunicabilis. Tertiò ex superioribus constat, Rem quamlibet per illud formale esse constitui in se, per quod distinguitur à quocumque alio quod non est ipsa. Igitur contra hoc certissimum principium dicitur, constitui & non distingui personam per esse *In*; & è contra, Distingui, & non constitui personam per esse *Ad*.

Explicatio & defensio sententiæ S. Thomæ.

76. *Tertia cõclusio distinguẽs principium formale, & formalem rationem principiandi.*

Tertia conclusio formale principium, totum & adæquatum, formaliter constituens, & distinguens diuinam personam, est relatio vt relatio; hoc est, secundum esse purè, & formaliter respectiuum, vt cõtradistinctum saltem ratione ab omni esse absoluto. Ratio autem propter quam hoc principium formale respectiuum cõstituit personam diuinã in se ipsa, est quia illud est subsistentia incommunicabilis idẽtificata essentiæ; sed ratio propter quam distinguit vnam personam ab aliis diuinis personis, est quia illud idem principium est oppositum termino, & consequenter non est terminus, seu non est idem cũ termino, cui opponitur. Pro cuius conclusionis intelligentia, tria sunt aduertenda. primum, me vniuersaliter in quauis re constituta in hoc, vel in illo formali esse, & consequenter distincta ab omni alia re, quæ non est ipsa, distinguere duo, & ipsum principium formale constituens, ac distinguens formaliter; & præterea rationem propter quam constituit, & propter quam distinguit. Quamuis enim necesse sit, idem esse principium constitutiuum, & distinctiuum, tamen non est necessarium, imò est impossibile, vt eadem prorsus ratio, omnimodo considerata, propter quam illud principium constituit rem in se ipsa, distinguat etiam ab aliis. Quod suadeo manifestis exemplis, tam in genere absoluto, quam in genere respectiuo; v.g. albedo est principium formale constituens album, & distinguens à nigro, & à quocumque alio quod nos est album; sed ratio propter quam constituit, est, quia in se ipsa est albedo, inhærens, & vnita subiecto, illúdque informans; ratio vero propter quam distinguit, est, quia est in se limitatæ, ac finitæ entitatis, ac proinde non est nigredo, aut alia entitas; & ideo albedo constituit album per comparationem ad subiectum, cui intrinsecè inhæret; distinguit, non per hanc intrinsecam comparationẽ, sed per aliam extrinsecam comparationem ad terminum extrinsecum, quem ratione suæ limitationis negat. Similiter homo cõstituitur formaliter per rationalitatem quatenus est positiua quædam formalitas identificata realiter animali; sed distinguitur à Bruto, à Planta, & ab aliis omnibus, quæ non sunt homo, per eamdem rationalitatem, tamen sub alia ratione, in quantum scilicet est limitata entitas, quæ non est aliud quod non est rationalitas; ac proinde constituit formaliter, ac præcipuè per entitatem suam positiuam comparatam intrinsecè ad animal in quo est; distinguit vero per negationem in illa positiua entitate fundatam, qua comparatur extrinsecè ad reliqua omnia, quæ non sunt illa entitas positiua. Item in respectiuis, Paternitas v.g. cõstituit Paulum patrem, & distinguit à Petro filio. Sed ratio propter quam constituit, est, quia est in Paulo, cui non opponitur: ratio propter quem distinguit, est quia est ad Petrum filiũ, cui opponitur. Hinc colligi potest huius veritatis ratio à priori: quoniam cõstituere dicitur per ordinem ad aliud, cum quo simul per vnionem, vel per vnitatem efficitur aliquod vnũ tertium: distinguere autem dicitur per ordinem ad aliud, cum quo distinguens, nullam vnitatem, nullã vnionem habet, sed potius oppositionem. Ergo in principio formali constituente, ac distinguente, semper potest, ac debet distingui duplex ratio, altera propter quam conueniat cum alio, altera propter quam opponatur alteri: quæ rationes, vt possit, non possunt esse omnino idem, tametsi conuenire possint eidem formali principio. Et ideo hæ rationes aliquando separantur, & datur principium constitutiuum sine distinctiuo, quia habetur prima ratio cõuenientiæ, & deest secunda ratio oppositionis, vt Deitas personam Patris constituit formaliter Deũ, quia est vnum, & idem cum Paternitate; sed eadem Deitas non distinguit Patrem à Filio, quia cum filiatione etiam nullam habet oppositionem, sed omnimodã vnitatem. Idem igitur est principiũ formale, quod constituit, & distinguit, sed non est eadẽ ratio propter quam constituit, & propter quã distinguit.

Prædicta distinctio probatur 1. exẽplis.

Secunda ratione à priori.

77. *Relatio diuina, vt relatio est subsistentia.*

Secundò aduertendum, quod relatio diuina personalis considerata etiam formaliter, & reduplicatiuè, vt relatio, & secundum suum formale esse respectiuum, est subsistentia incommunicabilis; quemadmodum relatio creata, est accidens etiam vt relatio; &, vt probaui in Metaphysica substantia, vt substãtia formaliter, ac reduplicatiuè est ens; & similiter ens etiam est accidens, vt accidẽs: sicut igitur conceptus accidentis essentialiter imbibitur in formali ratione constitutiua relationis creatæ, & conceptus entis est essentialiter inclusus in perfeitate & suatietate, quæ sunt formales differentiæ, quasi constitutiuæ substãtiæ, & accidentis: ita conceptus subsistẽtiæ personalis incommunicabilis est essentialiter imbibitus in omni relatione diuina personali, in paternitate, filiatione, in relatione passiuæ processionis: & ideo hæc, *Paternitas, vt paternitas, est subsistentia incommunicabilis*, est vera in sensu formali, & reduplicatiuo, non tamẽ adæquato, sed inadæquato; quia esse subsistentiã incommunicabilem, ita conuenit paternitati secundũ formalem, & vltimam rationem constitutiuam paternitatis, vt eodem modo conueniat filiationi, & processioni. Hæc enim est natura prædicatorũ analogorum, vt in re ipsa concepta, non præscindant ab analogatis, sed in se ipsis formaliter omnia analogata confusè, siue implicitè contineant. Hinc sequitur, non esse repugnãtes istas duas propositiones in cõclusione positas. Relatio, vt relatio in diuinis formaliter, & reduplicatiuè accepta, constituit personã. Relatio constituit, quia subsistentia incommunicabilis est, identificata essentiæ: quandoquidem probatum est, Relationem formaliter, & reduplicatiuè, vt relationem, esse subsistentiam incommunicabilem. Loquimur autem semper de relationibus personalibus, hoc est, quæ personas constituit: ad excludendam spirationem actiuam, quæ nullam personam constituit. Verum etsi relatio, vt relatio quoad rem significatam importet subsistentiam incommunicabilem identificatam naturæ, quæ est ratio propter quam relatio diuina constituit personam; tamen quia quoad modum explicitum significandi non exprimit hanc subsistentiam, & identificationem, sed solam oppositionem ad terminum, & consequenter negationem identitatis cum termino, seu distinctionem à termino, quæ est ratio propter quã eadem relatio distinguat vnã personam ab alia persona; dixit nonnunquam S. Thomas, quod relatio, vt relatio non constituit, sed distinguit tantum. Quo loquendi modo illud, *vt*, non reduplicat principium formale,

Exponitur mens S. Thomæ.

formale, quod est relatio secundum totum esse suum respectiuum indiuisibile distinctum ratione ab omni esse absoluto, & ipsum totum est principium indiuisibiliter constituens, & indiuisibiliter distinguens; sed reduplicat rationem propter quam hoc principium formale, quod est relatio, vt relatio distinguat, & non constituat; quæ ratio est oppositio ad terminum, à quo distinguitur. Atque in hoc fortasse discrepamus à Thomistis, & aliis authoribus opinionum impugnatarum in prima, & secunda cõclusione; qui videntur intellexisse, prædictas S. Thomæ propositiones reduplicari ipsum principiũ formale distinctiuum, & non solam rationem propter quam distinguit; & ideo dixerunt, personas nó constitui per relationem secundum esse *Ad*, proprium relationis, vt distinctæ contra entitatem absolutam; neque constitui per relationẽ exercitam, neque per ipsum actum referendi, sed per aliquem conceptum præscindentem ab esse absoluto, & ab esse relatiuo. Præterquam quod aliqui Thomistæ ab ipsa relatione personali, vt distincta secundum rationem ab essentia, tollunt omnem conceptum subsistentiæ; imò videntur ab ipso esse *Ad* diuinæ relationis tollere etiam omnem realis entis conceptum. Quæ duo in superioribus ex instituto confutata sunt.

78. *Declaratur magis præcedens distinctio.*

Tertiò aduertendum, quòd sequitur ex dictis, præsertim in primo aduertendo, quod aliud est dicere, id quod opponitur, siue id quod actu refert, vel est exercitium referendi, vel est esse ad aliud, constituit formaliter diuinam personam; & aliud, id quod opponitur, &c. constituit formaliter, quia opponitur, &c. Prima enim propositio est vera, quia principiũ formale constitutiuum est ipsa forma relatiua opposita essentialiter termino, & identificata personæ, cui se ipsa formaliter tribuit effectum formalem referendi, & essendi ad aliud. Secunda verò est falsa, quia significat rationem ob quam principium formale relatiuum constituit diuinam personam, quæ ratio non est oppositio, & esse ad aliud. Quemadmodum à contrario, verum est dicere, quod distinguens vnam personam ab alia, est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ: sed falsum est dicere, quod hoc distinguens, ideo distinguit, quia est subsistentia identificata essentiæ, hæc enim non est ratio distinguendi, sed constituendi.

79. *Relatio vt relatio, est principium formale constitutiuũ, & distinctiuum.*

His positis, probatur prima pars conclusionis, qua dicitur, quod principium formale simpliciter constitutiuum, & distinctiuum personarum est relatio, vt relatio reduplicando totum ipsum esse relatiuum contra distinctum ab absoluto; quia ex supra probatis constat, hoc principium non posse esse aliquid absolutum, sed esse aliquid relatiuum. Ergo quando reduplicatur hoc principium, non potest reduplicare aliquid absolutum, aut aliquid indifferens, & commune ad absolutum, & respectiuum. Sic enim diceretur, hoc principium non esse magis respectiuum, quam absolutum; & nec esse absolutum, nec etiam respectiuũ. Ergo necessario reduplicatur ipsum formale, ac determinatum esse respectiuum, ratione distinctum à quacumque ratione absoluta.

80. *Relatio constituit, quia est subsistẽtia identificata essentiæ.*

Secunda pars habet duo membra. Primum, quod ratio propter quam relatio constituit personam, est quia illa relatio est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ, probatur primò, quoniam persona, vt persona formaliter, est substantia indiuidua, & perfecta vltimato terminata, & subsistẽs subsistentia incommunicabili, & non amplius terminabili in genere substãtiæ; vt suppono ex Philosophia, &, quantum Theologico huic instituto necessarium erat, ostensum est suprà q. 29. art. 1. ergo quodlibet principium formale constituens formaliter personam in esse personæ, id ideo præstare potest, quia est subsistẽtia incõmunicabilis. Ergo diuina relatio, si est principium formale constitutiuũ personæ, ideo constituit, quia est subsistentia incommunicabilis. Quapropter si diuina paternitas esset pura relatio, & non subsistentia incommunicabilis, non posset per illam formaliter adæquatè cõstitui persona, vt suprà n. 64. ficut de facto relatio spirandi, communis Patri, & Filio, nullam personam constituit, quia in se ipsa intrinsecè considerata, non est subsistentia, sed pura relatio substantialis, subsistens relatiuè subsistentiis paternitatis, & filiationis. Ergo ratio cur Paternitas constituat Patris personam, non est quia relatio diuina simpliciter est, sed solum quia subsistentia incommunicabilis est. Confirmatur, quia si per impossibile vna tantum esset diuina persona, vt putarunt gentiles Philosophi, cognoscentes vnitatem Dei, & ignorantes personarum Trinitatem, illa esset formaliter constituta, non per relationem ad alias eiusdem ordinis personas, quæ supponuntur non esse, nec ad alias personas creatas inferioris ordinis; sed per aliam proprietatem absolutam, quæ etiam esset subsistentia incommunicabilis, quemadmodum de facto omnes personæ creatæ constituuntur per subsistentias incommunicabiles absolutas. Ergo de facto quælibet persona diuina, si consideretur præcisè, vt persona diuina in se ipsa simpliciter est, & non vt distincta ab aliis personis eiusdem ordinis, constituitur per relationẽ, nó quia relatio simpliciter est, sed quia est incõmunicabilis quædam subsistentia. Secundò principium formale constitutiuum, esse debet intrinsecum rei cõstitutæ; & omnis ratio propter quam res aliqua in se ipsa intrinsecè, & formaliter talis est, maximè intrinseca esse debet illi rei, quæ talis est; vel per vnionem, vt ferè semper in creaturis, vel per vnitatem, & identitatem, vt in diuinis propter infinitatem terminorũ, inuicem non oppositorum. Ergo in diuinis ratio propter quam principium formale constituit personam, est quia identificatur personæ; sed hæc identificationis ratio multò magis explicatur per subsistentiam incommunicabilem terminantem naturam, quæ concipitur solum per ordinem ad subiectum, & personam ipsam constitutam, & se ipsa formaliter, & in se ipsa intrinsecè subsistentem; quam per relationem, cuius totum esse est esse ad aliud sibi oppositum, & realiter distinctum. Ergo dicendum quod relatio ideo constituit personam, quia est subsistentia incommunicabilis omnino idẽtificata naturæ, & personæ; & ideo distinguit personã, quia est relatio opposita termino, & realiter ab illo distincta.

81. *Relatio distinguit. quia opponitur termino.*

Quo probatum etiam remanet eiusdem secundæ partis secundum membrum, nempe, quod ratio propter quam eadem relatio distinguit, est quia relatio opponitur termino, & ab illo distinguitur. Quod præterea confirmari potest ex illo communi Axiomate, multoties in superioribus inculcato, & probato. In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuia relationis oppositio. Ergo ratio cur principiũ constitutiuum personæ diuinæ, ita constituat vnã personam, cui identificatur, & non opponitur, vt eam distinguat ab aliis personis eiusdem ordinis est, quia ipsũ aliis diuinis terminis opponitur, & realiter ab illis distinguitur. Ergo, quia, est relatio vt relatio, reduplicando adæquatè formale esse ad aliud, nam alia oppositio in terminis positiuis absolutis, non habet locum in diuinis, vbi omnia absoluta vnum sint necesse est, vt demonstratum est supra n. 53. & 54. Confirmari etiam potest duobus exemplis superius significatis; altero de Deitate, quæ quoniã nullam oppositionem habet cum Patris persona, v.g. sed illi identificatur, est principium formale constitutiuum Patris in esse Dei, non autem principium

Probatur duobus exemplis.

distinctiuum

distinctiuum Patris à reliquis duabus personis,quia Deitas illis etiam non opponitur,nec ab illis distinguitur. Ergo ratio cur principium formale constitutiuum distinguat rem constitutam,est quia ipsum opponitur,& distinguitur. Altero de relatione creata,v.g.paternitate accidentali, quæ ex eo quod est accidens inhærens subiecto, eique non oppositum, habet constituere illud Patrem: ex eo autem quòd est relatio, habet opponi filio,& relatiuè distingui ab illo; & propter hoc habet distinguere relatiue patrem à filio.Ita diuina paternitas, quæ est incommunicabilis quædam subsistentia,constituit personam,quia est subsistentia identificata naturæ,& personæ; distinguit ab aliis personis,quia illis opponitur,& ab illis distinguitur.

82. *Confirmatur tota conclusio ex S. Thoma.* Hanc totam conclusionem hausimus, & significatam intelleximus multis Sancti Thomæ minus clarè dictis; quibus propterea inter ipsos etiam Thomistas non nihil ortum est dissidij, plerisque tollentibus realitatem ab esse *Ad* diuinarum relationum;aliis negantibus relatiuas subsistentias, singularum personarum proprias; & ratione distinctas à subsistentia absoluta naturæ communis; multis contendentibus, in diuinis non esse idem principiũ constitutiuum,& distinctiuum; quibusdam asserentibus, principium constitutiuum diuinarum personarum neque esse absolutum,neque respectiuũ, sed aliud commune & indifferens ad vtrumque; nonnullis demum non conuenientibus in assignandis eisdem formalibus rationibus, personarum constitutiuis,ac distinctiuis, quarum aliquæ assignatæ ab vno Thomista impugnantur ab aliis.Incipiendo igitur ab hoc articulo, & sequentibus, vbi de hac materia ex professo agitur, ait S. Thomas paulo post med. Corp. *In diuinis oportet quod ipsa distinguentia constituant res distinctas.* Sed relatio vt relatio distinguit:ergo relatio,vt relatio constituit, vt dicitur in prima parte huius conclusionis. Postea sequitur, *sic relationes distinguunt,vel constituunt hypostases, vel personas,in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut Paternitas est Pater,& filiatio est Filius.* Relationibus sub eadem formalitate consideratis, æquè tribuit constituere,& distinguere; quoniam etsi non sit eadem ratio constituendi,& distinguendi, iuxta secundam partem conclusionis, tamen idem omnino indiuisibile principium formale,est constitutiuũ, & distinctiuum, quod scilicet per vnam rationem cõstituit, & per aliam distinguit. & ideo in fin. Corp. subdit, *Hoc nomen,Pater,significat relationem, quæ est distincta,& constitutiua hypostasis.* Deinde ad 2. *Personæ diuinæ,non distinguuntur in esse,in quo subsistunt*; scilicet in esse naturæ absoluto,in quo absolutè subsistunt,vnde continuo subiungit,*neque in aliquo absoluto; sed solum secundum id quod ad aliquid dicuntur*; hoc est, distinguũtur solũ subsistentiis propriis relatiuis. *Vnde ad earum distinctionem,sufficit relatio:* nimirũ,quia relatio,vt relatio, opponitur & distinguitur. & ad 4. optimè,& clarissimè dicit,*quod relatio præsupponit distinctionem suppositorum,quando est accidens; sed si relatio sit subsistens, non præsupponit, sed secum fert distinctionem.* Quod quidem non alio modo contingere posse videtur, nisi constituendo ipsa suppositа distincta; quem sensum magis explicat art. sequenti post med.Corp. *Proprietates personales, non sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis,sicut forma subiecto præexistenti; sed ferunt secum sua suppositа.*

83. *Exponuntur alia S. Thomæ dicta in hac quæst. 40.* Præterea art.3. sequenti multo post med. Corp. *Relatio est quæ distinguit hypostases, & constituit.* Non est igitur aliud principium formale constitutiuum à distinctiuo,& iterum paulo post, *Relationes distinguunt, & constituunt hypostases,*& ad 2. *Paternitate Pater non solum est Pater,sed est persona.*& ad 3.in fin. *Remota paternitate nõ remanet in diuinis hypostasis Patris, vt distinguatur ab aliis personis,sed vt distinguitur à creaturis,sicut Iudæi intelligũt.* Ergo ratio cur Pater sit vna persona diuina realiter distincta ab aliis personis,etiam diuinis, est quia eius personalitas est relatiua, scilicet opposita,& distincta intra ipsum Deum. Et ideo si esset absoluta,ac proinde absque vlla oppositione,ac distinctione intra Deũ, cõstitueret quidem personam diuinã, quia esset subsistentia incõmunicabilis identificata diuinæ naturæ:tamẽ non distingueret ab aliis personis increatis, quia ipsa propter suam absolutam infinitatẽ à nullo alio increato termino distingui posset; sed solũ distingueret ab aliis personis creatis, à quibus ipsa distingueretur tamquam increatũ à creato.Deinde art.4.circa fi.Corp. ita acutè distinguit. *Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo vt est relatio; & sic secundum intellectum præsupponit actum notionalem; quia relatio in quantum huiusmodi,fundatur super actum. Alio modo secundum quod est constitutiua personæ;& sic oportet quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* In hac distinctione,si attente penetretur,duo dicuntur, seu potius necessario supponuntur.Alterum,quod relatio in quantum relatio,non est constitutiua personæ:quoniam relatio distinguitur,& secundum quod est relatio,& secundum quod est constitutiua personæ. Vnde euidenter sequitur, quod relatio secundũ quod est relatio nõ est constitutiua personæ.Alterũ,quod ipsamet relatio est constitutiua personæ, ita vt quando intelligitur persona Patris constituta ante actũ notionalem actiuæ generationis, non præintelligatur aliud nisi relatio: totũ enim hoc apertè important verba posterioris mẽbri distinctionis. Quæ omnia vera esse intelligo,quia diuina relatio personalis potest dupliciter considerari.Primo simpliciter secundum esse relatiuũ, prout distinguitur ab omni esse absoluto:& in hoc sensu formaliter, ac reduplicatiuè dici potest, quo modo aliquando ipsummet S. Thomam loquutũ esse ostendi sup.n.64.& 66. Relatio,vt relatio,est principiũ formale constitutiuũ,& distinctiuũ diuinarum personarum; quia nihil aliud nisi relatio in diuinis cõstituit, & distinguit personas.Secundo,magis distinctè secundũ aliquas peculiares rationes essentialiter imbibitas in ipso cõceptæ diuinæ relationis; & hoc modo si consideretur hæc relatio prout est subsistẽtia incommunicabilis idẽrificata naturæ,est ratio cur constituat personã:si vero cõsideretur,vt est ad aliud,per oppositionẽ cũ illo,& distinctionẽ ab illo, est ratio cur eandẽ personã distinguat ab aliis diuinis personis. & quoniã prima ratio subsistentiæ incõmunicabilis, quamuis relationi diuinę personali cõueniat formaliter,& reduplicatiuè,quia talis est,tamẽ,quia cõuenit inadęquatè,cũ conueniat etiam absolutis creaturarũ personalitatibus,quæ etiã sunt incõmunicabiles subsistentiæ;ideo à S.Thoma dicitur,quòd relatio,vt relatio non est cõstitutiua personæ;si enim per impossibile vna tantũ persona esset Deus, proprietas constitutiua personæ diuinæ esset absoluta, non relatiua.Contra vero,quoniam alia ratio oppositionis,& distinctionis ab aliis diuinis personis conuenit relationi personali, non solum formaliter, & reduplicatiue,quia relatio est,sed etiam adæquatè, cum conueniat reliquis omnibus relationibus siue increatis, siue creatis, ex eo quod relationes sunt, ideo idem Sanctus Thomas fere semper munus distinguendi vnam personam ab aliis personis, etiam diuinis, seu munus constituendi personam diuinam vt distinctam ab aliis, tribuit relationi, in quantum relatio est: si enim non esset relatio,essent impossibiles in Deo plures, ac distinctæ personæ absolutæ;

absolutæ;quia tunc oppositio, ac distinctio oriretur ex limitatione, quæ Deo, & consequenter cuilibet diuinæ personæ repugnat, non ex ipsa intrinseca, & essentiali ratione entis absoluti, quæ est ad se, non ad aliud; sicut de facto oritur ex ipsa intrinseca, &essentiali ratione entis respectiui, quæ est ad aliud.

84. *Et in aliis omnibus.* Eamdem doctrinam, ac distinctionem clarius, ac frequentius expressit S.Thomas in aliis suis operibus. De Pot. quæst. 8. art.3. non longe à fin. corp. ita concludit. *Oportet igitur, quod filiatio sit formaliter constituens, & distinguens hypostasim Filij.* si filiatio *formaliter* constituit, ergo filiatio, vt filiatio, reduplicando formalitatem filiationis, ac relationis. & ibidem ad 7.ait, *Relationes in diuinis, etsi constituant hypostases, hoc tamen faciunt in quantum sunt essentia diuina.* hoc est in quantum sunt incommunicabiles subsistentiæ, terminantes essentiam per omnimodam identificationem cum illa. *Distinguunt vero relationes in quantum relationes sunt: sic enim oppositionem habent.* quia scilicet omnis relatio, vt relatio, est ad aliud; ergo ad distinctum. Ratio igitur distinguendi vnam personam diuinam ab alia, non est subsistentia simpliciter, quæ essentialiter includitur in conceptu diuinæ relationis personalis, & cuiuslibet alterius personalitatis creatæ, & etiam increatæ, si ibi daretur vna tantum persona;sed est oppositio inclusa in conceptu essentiali solius relationis in quantum relatio est. Et iterum paulo post, *Paternitatis relatio est constituens hypostasim Patris; quod habet in quantum est idem substantiæ diuinæ.* & idem repetit ad 8. & 9. & postea in quæst.10.art.3. post med. corp. *Relatio, quia secundum rem est ipsa natura diuina, hypostasim diuinam constituere potest.* Præterea 1. d.26. quæst.2. art.2. ad 1. ita optimè distinguit, ac docet, *Relatio diuina habet aliquid in quantum est relatio, & aliquid in quantum est diuina; in quantum enim diuina, habet quod sit subsistens hypostasis; quia ibi nihil est accidens, nec aliqua forma inhærens, non subsistens. Vnde quamuis ex hoc, quod est relatio, non habeat quod distinguat hypostasim, quia sic omnis relatio hoc faceret; tamen habet hoc in quantum est relatio diuina: sic enim non assequitur substantiam, imo est ipsa substantia.* Vnde elicitur iste discursus,Relatio diuina,in quantum est relatio diuina distinguit hypostasim. Sed relatio diuina,in quantum est relatio diuina,habet,quod sit subsistens hypostasis. ergo relatio diuina in quantum est subsistens hypostasis, distinguit hypostasim. Quod non est contra doctrinam, ex eodem sancto Thoma non semel inculcatam de relatione personali, quod constituat vt subsistentia, distinguat vt relatio: etenim distinguere personaliter vnam personam ab alia, considerari potest dupliciter; primo simpliciter & præcisè, non considerando constitutionem personalem, quæ in personali distinctione essentialiter includitur, cum impossibile plane sit, quancumque personam distingui personaliter per aliquid, per quod non constituitur personaliter; & sic relatio diuina, quia relatio est, & non quia est subsistentia, est ratio distinguendi; sicut à contrario, quia subsistentia est, non quia est relatio, est ratio constituendi. Secundo pro distinguere constituendo;& sic relatio diuina distinguit, non quia relatio simpliciter est, sed quia relatio diuina est, & ipsamet subsistentia incommunicabilis relatiua.Vnde nil aliud vere colligi potest,nisi quod intendimus in toto hoc articulo,& ipsemet S.Thomas sumit post med. corp. *In diuinis oportet quòd ipsa distinguentia constituant res distinctas.* & d.27.q.1. art.2.paulo post principium corporis, *non inuenitur, inquit, aliquid distinguens personas, & constituens eas, niſi relatio secundum rationem suæ oppositionis.* Dicit, per relationem, quia est opposita, constitui *personas* in plurali.Alibi vero dixit, per relationem, quia est subsistentia identificata personæ, vel vt in hoc art. loquitur, *ipsa persona subsistens*, constitui personam in singulari. Relatio enim est in diuinis necessaria ad constituendas plures personas:nam si ibi esset vna tantum persona, proprietas eam constituens deberet esse absoluta,& non posset esse relatiua.

Ex dictis soluta remanent multa,quæ obiici possunt.De præcipua vero difficultate, quam facit sola persona Patris, quæ vt Pater, consequitur, generationem,vt persona generationem antecedit,erit infra integer articulus quartus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm abstractis per intellectum relationibus à personis adhuc remaneant hypostases.

Ad 3.sic proceditur. Videtur quòd abstractis per intellectum proprietatibus,&c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Prima conclusio negatiua de abstractione vniuersali,n.1.*
2. *Secunda conclusio affirmatiua de abstractione relationum non personalium,n.2.*
3. *Tertia conclusio negatiua de abstractione formali perfecta,n.3.*
4. *Quarta conclusio negatiua tam de hypostasi, quàm de persona,n.4.*
5. *Præcisis relationibus ne communem quidem personæ conceptum haberi in diuinis, n.5.*

1. *Articuli primæ conclusio.* TOta articuli doctrina continetur quatuor conclusionibus, quæ omnes ex superioribus sufficienter probatæ remanent, & propterea breuiter eas indicabo.

Prima conclusio, *Si loquamur de abstractione, quæ fit secundum vniuersale, & particulare*, considerando scilicet personas, quasi particulares quasdam substantias, quibus commune est esse Deum,quo modo considerant, & loquuntur Damascenus, & alij Patres citati supra q.29 art.1.n.10.& q.30. art.4. n.13. abstractis omnibus relationibus, remanet in intellectu essentia communis, non autem remanent particulares hypostases:sicut si,verbi gratia, ab homine,qui est quoddam particulare,positum sub animali vniuersali remoueatur per intellectum rationalitas, intelligitur tantum animal; non autem homo. Ratio est, quia sicut homo in esse hominis constituitur formaliter per rationalitatem, ita diuina persona in ratione personæ constituitur formaliter per relationem, vt præcedenti articulo probatum est. Remoto autem per intellectum formali constitutiuo alicuius particularis, non intelligitur illud formale constitutum, sed solum intelligitur aliud commune omnibus particularibus.

2. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio, *si loquamur secundum modum abstractionis formæ à materia*, considerando scilicet personam diuinam vt quid constitutum in se ipsa ex aliquo formali principio, *remotis proprietatibus non personalibus,remanet intellectus hypostasim, & personarum: sicut remoto per intellectum à Patre quod sit ingenitus vel spirans,remanet hypostasis,vel persona Patris.* sequitur necessario ex duobus supra probatis,primo quod esse ingenitum sit proprietas Patris, non positiua,sed negatiua,per negationem immediate fun-

datam in paternitate, non explicito conceptu relationis, sed sub explicito conceptu primæ subsistentiæ incommunicabilis, quam essentia diuina ex suis intrinsecis principiis,& solũ quia diuina est, habere postulat;vt supra q.33.art.4.per totum.Vnde etiã in hac q.40.art.2.n.18.probatũ est,innascibilitatem nec constituere,nec distinguere personam Patris.Ergo si non consideretur huiusmodi negatio,adhuc poterit considerari prima Patris persona, quæ negationem illã fundat.Secundo quòd spirare,& relatio spirandi non constituant,& distinguant personam Patris,nec Filij;vt supra art.2.à n.19.ad 28. Ergo illis proprietatibus non consideratis, adhuc possunt remanere in intellectu integræ personæ Patris, & Filij. Confirmatur ex probatis supra q. 36. art. 4. quod Pater & Filius, non relatione spiratoris, sed ipsis personalibus relationibus paternitatis, & filiationis, constituantur in ratione principij spiratiui, & personaliter distinguantur à Spiritu sancto, eique originaliter opponantur. ergo vt intelligantur perfectæ Patris, & Filij personæ etiam in ordine ad Spiritum sanctum, non necesse est intelligere in illis actualem spirationis actiuæ relationem.

3. *Tertia conclusio.*

Tertia conclusio, loquendo iuxta eundem modum abstractionis formæ à materia,remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis, *Non enim proprietates personales sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto præexistenti; sed ferunt secum sua suppositа, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes, sicut Paternitas est ipse Pater. Hypostasis enim significat aliquid distinctum in diuinis,cum hypostasis, sit substantia individua; cum igitur relatio sit, quæ distinguit hypostases, & constituit, vt dictum est, relinquitur, quod relationibus personalibus remotis per intellectum, non remaneant hypostases.* Ex dictis in præcedenti articulo persona diuina dupliciter considerari potest. Primò, vt præcisè in se personaliter constituta. Secundò vt distincta etiam personaliter ab aliis personis eiusdem ordinis diuini. Si proprietates, seu relationes personales, nulla ratione considerentur, neque explicitè, neque implicitè, & neque secundum esse *Ad*, neque secundum esse *In*, conceptus personæ omnino tollitur ab intellectu: quoniam per solum esse respectiuum, contradistinctum ab omni esse absoluto, probatum est diuinas personas, non solum distingui inter se, sed etiam in se ipsis constitui. Et in hoc sensu omnimodè abstractionis relationum personalium loquutus est sanctus Thomas,cum absolutè asserit, probat, & concludit, Abstracta personali proprietate, seu relatione tolli intellectum hypostasis. Si vero relatio imperfectè, & quasi partialiter abstrahatur, non considerando illam explicite secundum esse *Ad*, siue vt est relatio respiciens oppositum terminum, sed tantum secundum esse *In*, siue vt est subsistentia incommunicabilis identificata naturæ, quam terminando supponitat per hanc abstrationem tolletur quidem conceptus personæ secundo modo vt distinctæ; non tamen tolletur conceptus personæ primo modo, vt simpliciter constituræ.Neque plus vult, aut probat Scotus quodlib.4.art.3.§.*ex istis duabus*.quem sequitur Vasquez in commentario huius articuli, qui rectè notauit, hoc non esse contra S.Thomam, imò esse conforme doctrinæ sequentis articuli de Paternitate; quod scilicet, vt constitutiua personæ, sit ante generationem;vt relatio,sit post generationem; neque aliud præter hoc velle videtur Augustinus, qui exponitur hic ad 3. & fusius à nobis supra q.33. art.4.n.24.& 25.dicens l.5.de Trinit.c.6.initio.*Non hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere; quia est filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum.* Si prima Trinitatis persona filium non genuisset, non posset in illa intelligi paternitas vt est relatio ad Filium, & consequenter vt distinguens personam Patris à persona Filij;posset autem intelligi paternitas, vt est subsistẽtia incommunicabilis constitutiua primæ personæ diuinæ;in quo formali, ac præciso paternitatis conceptu fundatur innascibilitas primæ personæ, vt ostensum est loco citato.

Scotus.

Vasquez.

Augustinus.

4. *Quarta conclusio.*

Quarta conclusio remotis per intellectum omnibus relationibus à personis diuinis, tollitur non solum intellectus personæ, sed etiam hypostasis. Ita S. Thomas contra aliquos innominatos dicentes Diuinam hypostasim constitui per originem, *vt intelligatur Pater esse hypostasis quædam per hoc, quod non est ab alio; Filius autem per hoc quod est ab alio per generationem.* Personam vero constitui per relationes, quæ ad dignitatem pertinent.Et ideo remotis huiusmodi relationibus per intellectum, remanere quidem hypostases,sed non personas.Probatur conclusio,quia cõtraria opinio reiecta est supra art.2.n.64. constituere enim personas per originem remota omni relatione, est vere illas constituere, & distinguere per absolutum; cum nullum cogitari possit medium inter absolutum, & respectiuũ.Præterea ex probatis supra q. 29. art. 1. & notatur hic ad 1. Ratio personæ supra rationẽ hypostasis, nihil aliud addit, nisi quod sit hypostasis naturæ rationalis;& hoc ipso intelligitur addere aliquid ad dignitatẽ pertinẽs,quod nõ intelligitur addere hypostasis aliarũ naturarũ non rationalium. Ergo male distinguitur hypostasis diuina,ac proindè perfectissimæ,ac dignissimæ naturæ intellectualis,à ratione personæ diuinæ; dũ dicitur illa haberi per solas origines præcisis relationibus,hæc vero per relationes superadueniẽtes. Diuinis igitur relationibus nullo modo intellectis, est plane impossibile intelligere diuinas personas,& hypostases, & ipsamet origines,in quarum essentiali intellectu clauditur distinctio; quæ sine relatione intelligi non potest in diuinis,vbi omnia sunt vnum, nisi obuiet relationis oppositio. Quare etiam Bonauentura,& Aureolus qui sup.art.2.n.59. dicebant, personas constitui per origines,inter aduersarios huius conclusionis numerandi non sunt: quoniam ab originibus constituentibus personas, non excludunt omnino conceptum relationis, & oppositionis relatiuæ, per quam vna persona producens distinguatur ab alia producta.

5. *Corollariũ ex dictis.*

Ex dictis colligere licet contra aliquos recentiores, quod ablatis per intellectum relationibus, non manent in Deo hypostases, etiam sub generali, & confuso cõceptu diuinarum hypostasum abstrahendo ab hoc quod sint relatiuæ,vel absolutæ.Ratio manifesta est, quoniam etsi conceptus personæ, vt abstrahit à relatiuo,& absoluto,vere, & formaliter sit, & intelligi possit in Deo;sicut est, & intelligitur ratio entis simpliciter præscindendo à creato, vel increato,à finito,vel infinito,ab actuali, vel potẽtiali, tamen hoc generali, & confuso conceptu non concipitur persona diuina potiusquam creata. Ergo vt explicitè habeatur conceptus personæ diuinæ, non satis est concipere rationem communẽ personæ diuinæ:sed oportet concipere aliquid aliud competens personæ diuinæ, & non aliis;quod non est nisi conceptus relatiuus excludens omnino conceptum absolutum. Ergo qui intelligit in Deo non solum rationem hypostasis simpliciter, sed rationem hypostasis diuinæ, & multiplicatæ, vt addunt aduersarij, non potest huiusmodi intellectione abstrahere à relationibus,quæ essentialiter constituunt, & distinguunt,& multiplicant hypostases diuinas.si non vt simpliciter, & præcisè hypostases, saltem vt hypostases tales, nempe diuinas.

ARTIC

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actus notionales præintelligantur proprietatibus.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd actus notionales præintelligantur, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Quid consequenter sentiendum, positis aliis falsis sententiis,n.1.*
2. *Origines passiuas præintelligi relationibus productis, num.2.ad 5.*
3. *Originem actiuam præintelligi relationi spirandi, n.5.*
4. *Generationẽ præintelligi paternitati,vt relatio est,n.6.*
5. *Paternitatem, vt constitutiuam personæ præintelligi generationi,n.7.ad 10.*
6. *Satisfit obiectionibus.n.10.ad fin.articuli.*
7. *De fundamento diuinarum relationum,n.10.*
8. *Patrem præintelligi, & cointelligi filio diuersa ratione,num.12.& 13.*
9. *An filiatio præintelligatur Patri,n.14.ad fin.artic.*

1. *Quid consequenter dicendum ab aliis suprà impugnatis.*

IN hoc etiam articulo quidquid dicitur,ad quatuor conclusiones reuocari cõmodè potest,quæ ex dictis in articulo 2.de formali principio constitutiuo, ac distinctiuo diuinarum personarum colliguntur. Et primò quidem pro cohærentia aliarum opinionum,quæ superius probatæ non sunt, aduertit S.Thomas initio corp. quod secundum eos, qui volunt personas constitui, ac distingui proprietatibus absolutis, relationibus vero manifestari tantum distinctas,& constitutas,dicendum absolutè, & vniuersaliter est, quod relationes secundum modum intelligendi consequuntur actus notionales;ita vt etiam de Patre, de quo est præcipua huius articuli difficultas,dici possit simpliciter, Ideo est Pater, quia generat. Similiter ex alia sententia constituente, & distinguente personas per origines, sequitur, omnem actum notionalem præintelligi simpliciter relationi in illo actu fundatæ. Quamquam in hac etiam sententia ægerrimè potest intelligi,quo modo relatio vt pura relatio est,cũ non ponatur constitutiua, & distinctiua personæ, possit mentaliter concipi post originem;quãdoquidem videtur omnino certum in diuinis,quod in intrinseco,& essentiali cõceptu originis,sicut includitur distinctio,ita etiam includatur relatio, sine qua in diuinis omnia sunt vnum.Ergo,qui concipit originem,relationem quoque concipiat necesse est.Ergo origines non possunt simpliciter præintelligi relationibus.In vera igitur sententia de puris relationibus constituẽtibus,& distinguẽtibus personas, sit

2. *Origines passiuæ præintelliguntur relationibus productis.*

Prima conclusio, *origines passiuè significatæ* cuiusmodi sunt natiuitas Filij, & processio Spiritus sancti, *Simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentiũ etiam personales*,cuiusmodi sunt filiatio,& relatio passiuæ spirationis.Loquitur de præcedentia *simpliciter*, hoc est,secundũ omnẽ considerationem:passiua enim generatio,v.g.præintelligitur filiationi, non solum secundum quod est relatio, sed etiam secundum quod est constitutiua personæ: optimè probat,*quia origo passiuè significata, significatur vt via ad personam proprietate constitutam.* Omnis autem via præintelligitur illius viæ termino. Ergo omnis origo passiua præintelligitur relationi,vt constitutiuæ personæ procedentis. Præintelligitur etiam eidem relationi, vt relationi formaliter,& explicitè;quia omnis origo passiuè significata,concipitur, vt præcedens fundamentum, seu ratio fundandi relationem, quæ posita illa origine, & posito termino per illam producto, consurgere intelligitur.

3. *Impugnantur primò quidã recentiores.*

Contra hanc conclusionem neminem inuenio, nisi primo quosdam recentiores dicentes, natiuitatem,& filiationem,processionem,& relationem passiuæ spirationis, itémque generationem actiuam,& paternitatem,ita esse simul, vt neutra possit intelligi,quasi prior ratione, quàm altera; ductos ex eo, quod altera sit de essentiali, & intrinseco conceptu alterius.Vnde sequitur,vt neque origo sine relatione,neque relatio sine origine intelligi possit,saltem pleno,& explicito conceptu.Quamquam iuxta hãc primam conclusionem fatentur,natiuitatem,& processionem præintelligi Filij, & Spiritus sancti relationibus,incompletè,& imperfectè conceptis,præscindendo à conceptu originis in ipsis essentialiter incluso.Sed in sequenti quæstione ostendam, quòd etsi in conceptu originis sicut clauditur distinctio, ita claudatur relatio;contra tamen in conceptu relationis non claudatur origo. Alioqui perperam S.Thomas supra art.2.probasset, & in fine corporis absolutè concluisset,*Quod relatio,& non origo,est distinctiua,& constitutiua hypostasis.* Si enim,quidquid sit de modo significandi explicito,vel implicito,tamen in re ipsa significata,& concepta per rationem præscindentem, nulla est differentia inter originem,& relationem, ita vt nullam rem, nullam formalitatem, nullam omnino obiectiuam rationem importet relatio, quam non importat origo, & è contra, non video qua veritate dici simpliciter & absolutè possit,Relatio constituit,arque distinguit, origo non constituit,& distinguit personas. Perperam etiam dixisset in hoc art.in med. corp. de originibus passiuè significatis, *Simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium*, ac proinde relationes earum. Præcedentia enim secundum incompletum,& imperfectum nostrum modum concipiendi explicitè, vel implicitè, non esset præcedentia *simpliciter*, sed secundum quid,& valde diminuta;nempe non ex parte rei cõceptæ, sed ex parte alius concipientis imperfectè; qui scilicet non cognoscit explicitè se concipere aliquid,quod verè,ac realiter concipit, & includitur in ipsa re,etiam præcisè concepta.

4. *Secũdò Marsilius.*

Secundo contrarium inuenio Marsilium 1. sent. q.30.art.3.ad 1.vbi ex eo quod Pater, & Filius sint simul natura,& cognitione, sicut quælibet alia duo correlatiua; & Pater ratione præcedat omnem generationem, & actiuam, & passiuam; ita deducit, quod ex terminis apparet absurdum, *esse Filium, vel filiatio,in æternis apud intellectum prius est, quam ipsum gigni.*Quis quęso concipere valeat,fingat licet,prius Filium genitum, posterius verò concipiat generari Filium.Inordinatè enim,ac stultè,postquam intellectus est terminus,iã acquisitus per viam,intelligitur via ad illum terminum acquirendum.Vnde ad secũdum consequenter negat Marsilius, *quod generari in Filio procedit filiationem in ratione cognoscendi.*

5. *Origo actiua præintelligitur relationi spirandi.*

Secunda cunclusio ab omnibus recepta sine vlla controuersia.*Origo actiuè significata, prior est secundum intellectum,quàm relatio personæ originantis, quæ non est personalis: sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam, communem Patri, & Filio.* Ratio sumenda est ex probatis supra art.2.à num.19.ad 28.de ista communi spirandi relatione, quod sit pura relatio, nullius personæ constitutiua, sed superueniens personis iam aliunde perfectè constitutis. Sicut igitur duæ personæ spirãtes præintelligi debent actui notionali spirandi,ex eo quod vniuersaliter, vt docet

S.Thomas hic in fin. corp. *Persona agens præintelligitur actione*; ita patiter actus notionales spirandi, debet præintelligi puræ spirandi relationi; quia vt idem paulò ante docet, *Relatio in quantum huiusmodi fundatur super actum.* Omne autem fundamentum, cum præsupponatur ad rem in illo fundatam petit, saltem ratione ratiocinata, præintelligi rei, quam in se fundat, & quasi sustentat.

6. *Generatio præintelligitur paternitati vt relatio est.* S.Thomas.

Tertia conclusio, *Proprietas personalis Patris considerata vt est relatio secundum intellectum præsupponit actum notionalem: quia relatio, in quantum huiusmodi, fundatur super actū.* Ita S.Thomas hic circa fin.corp. & de Potentia q.10.art.3.& lib.1.sent.d.13.q.1.art.2. fine.& d.27.art.2.& cohærenter ad hoc dixerat sup. q.28.art.1.ad 4.quod Paternitas,& Filiatio sunt relationes reales in diuinis,quia,inquit, *consequuntur operationem intellectus,quæ sunt inter verbum intellectualiter procedens,& illud à quo procedit.* Dixerat etiam,& probauerat Bonauent.1.d.27.p.1.art.1.tota q.2.*quòd ideo est Pater, quia generat,non è conuerso.* Quod satis conueniens esse docet Albertus p.p. summæ q.30. membro 1.& probabiliter defendit Riccardus ibidem art.1.q.3.Vnde S.Thom.hic ad 1.exponit,*quod cum Magister dicit,quòd quia generat, est Pater,accipitur nomen Patris secundum quod designat relationem tantum, non autem secundum quod significat personam subsistentem:sic enim oportet è conuerso dicere, quòd quia Pater est,generat:*iuxta sequentem conclusionem.Eodem sensu scribit Cyrillus l.1.Thesauri c.5.non longè à med.*Pater est,quia generat:Filius quia generatur.*

Bonauent.

Albertus. Riccardus.

Cyrillus.

7. *Paternitas vt constitutiua personæ præintelligitur generationi.*

Quarta conclusio Paternitatis relatio cõsiderata secundum quod est constitutiua personæ, hoc est, non per ordinem ad Filium,ad quem refert personã Patris,& cui relatio opponitur,& à quo realiter distinguitur;sed per ordinem ad naturam, cuius absq; vlla oppositione,ac distinctione est prima subsistentia incommunicabilis,& per ordinem ad ipsam primam personam,quæ se ipsa per summam identitatẽ constituit in esse formaliter personæ; *oportet quod præintelligitur actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Ita S.Thomas hîc & aliis locis citatis conclusione præcedente. Sequuntur Thomistæ omnes, & præterea Alensis p.p. q.59. membro 3. corp.& clarius,ac distinctius ad 1. Albertus 1.d.27. art.2.ad primam quæstiunculam.Bonauent.sup.ad 1. Riccardus supr.præsertim in solutionibus argumẽtorum.Vdalricus,& Petrus de Tarantasia apud Carthusianũ 1.d.27.q.2. Henric.2.p.summæ art.58.q.4. paulò post principium corp. & deinceps. Argent.1. d.27. q.vnica art.3. initio sequens Doctorem suum Ægidium,& recentiores ferè omnes contra Aureolum citatum suprà art.2.n.59.fin.& Durandum 1.d. 26.q.1.n.18.procedentem ex falso fundamento impugnando q.seq.art.1. *quod origines non sunt,nisi ipsamet relationes,à quo aliud,& quod ab alio;& non fundamentum earum.* Vnde, inquit, *qui præintelligit personas originibus,aut origines relationibus, malè intelligit:sed simul intelligenda est persona constituta cum sua relatione, & origine.*Quod deinde d.seq.27.q.1.tota probat;& contra Ochamum,quem refert, & sequitur Gabriel 1.d.26.q.1.art.3.dub.4.à literaT.& q.2.tota.Contradicere etiam videtur Scotus 1.d.28. q.4. §. *Ad quæstionem.*& §. *Ad primum argumentum*; qui omnes eodem falso fundamento niti videntur, quod scilicet nulla distinctio, ne rationis quidem ratiocinata sit inter relationem,& originem.

Conclusionis Authores, & aduersarij.

8. *Probatur ex rationis distinctione inter paternitatem,& generationem.*

Probo igitur conclusionem primò ex contrario fundamento,quod non sint idem omnino origo, & relatio in diuinis,vt inferius ostendam.Origo enim formaliter est actio, quæ pertinet ad aliud Prædicamentum,saltem ratione distinctum à Prædicamento relationis. Vnde à sanctis Patribus, & Scholasticis Filius,& Spiritus sanctus non dicuntur produci, & originari per relationẽ, sed per actionẽ intellectus, & voluntatis; & propterea ille dicitur procedere vt Verbum, hic vero vt Amor. Quapropter Theologi omnes aliã disputationẽ instituunt de relationibus diuinis,aliam de actibus notionalibus diuinarũ personarum;qui actus idem sunt quod origines,& processiones.Si igitur origo,& relatio conueniunt formaliter Deo,& relatio paternitatis est ipsamet personalitas primæ personæ originãtis,& generãtis,est impossibile non præintelligere personam istam, & consequenter paternitatis relationem,vt constituiuam talis personæ,ante originem,& generationem. Sicut enim etsi in Deo intellectus,& voluntas idem sint,tamen quia virtualiter distinguũtur,& si distinguerentur à parte rei,sicut distinguũtur in creaturis, intellectus esset realiter prior, & voluntas realiter posterior,& propterea nos habemus reale fundamẽtum in ipsomet indiuisibili obiecto,prius concipiẽdi diuinũ intellectum, posterius diuinam voluntatem,non contra. Ita quãuis personalitas Dei Patris, quæ est ipsa paternitatis relatio,sit identificata origini, tamen quia virtualiter distinguũtur per correspondentiam in creaturis ad duas realiter distinctas, nempe personam generantem,& actum generandi, & si distinguerentur in re,personalitas præcederet, sequeretur generatio, quemadmodum contingit in rebus creatis, debemus omnino asserere, quòd si à nobis imperfectè cõcipientibus sit distinctis actibus concipiendum illud in re vnum, & indistinctum, quod est & formaliter relatio constituiua personæ, & formaliter generatio, priori actu cum magno fundamento in re concipere debemus paternitatem,vt constitutiuam personę,posteriori autem generationem,quæ est operatio illius personæ.

9. *Probatur simul tertia,& quarta conclusio.*

Probo secundo simul tertiam, & quartam conclusionem, supponendo duas opiniones superius probitas de principio formali cõstitutiuo,& distinctiuo diuinarum personarũ;quod neque sit proprietas aliqua absoluta,neque ipsa origo, vt formaliter origo,sed sit pura relatio secundũ rationẽ distincta ab omni perfectione absoluta,atque adeò ab ipsamet origine in quantum hæc importat etiam actum absolutum intelligendi, & volendi. Ex his necessariò sequitur, quod in aliqua diuina persona,v.g.Patris, *in qua*, inquit S.Thomas supr.art.2.circa med.corp. *non est aliud intelligere,nisi essentiam*, quæ communis, atq; omnino indistincta est,*& relationẽ,siue proprietatẽ;*sola paternitas secundum suum esse relatiuum formaliter, & præcisè consideratum esse in se ipsa debeat non solũ ordo realis ad aliud,ac proinde sibi oppositum,& à se realiter distinctum,sed etiam subsistẽtiæ personalis,hoc est,vltimata,& incommunicabilis,non opposita naturæ, & personæ Patris,sed illi omnino identificata ex natura rei.In paternitate igitur duplex quædã habitudo cum duplici munere essentialiter includitur,altera ad distinctũ,& terminum ad quẽ refert,& à quo distinguit,altera ad idẽtificatum,& quasi subiectum,quod constituit subsistens personaliter,& incõmunicabiliter. Ex his habitudinibus,seu rationibus, & muneribus,prius ratione sine dubio est, paternitatem esse in se subsistentiam personalem idẽtificatam naturæ,& personæ Patris, atque adeò constituere Patrem incommunicabiliter subsistentem, & formaliter personã, quã referre personã Patris ad Filiũ, ab eóque realiter distinguere.Enim vero prima habitudo,& primũ munus est per id quod, quod ipsa paternitas intrinsecè in se simpliciter est,quoniãverè in re paternitas est ipsemet Deus Pater,formaliter cõstitutus in ratione personæ per paternitatẽ;sed secũda habitudo, & secundũ munus est ratione alterius à se distincti.

Prius

Prius autem,saltem ratione, est, quod res habet per ordinem ad suam entitatem intrinsecè spectatam, quàm quod habet per ordinem ad aliud sibi extrinsecum,& à se realiter distinctum:& ex terminis ipsis manifestum apparet,quod referre personam,supponat constitutam personã,quæ refertur,& quod prius est personam esse in se personam,quam esse relatam, atque ordinatam ad aliud. Ergo paternitas,& quæuis alia relatio personalis, vt personalitas, siue vt subsistentia incommunicabilis, siue vt constitutiua personæ,præintelligitur sibimet, vt est relatio, siue vt refert ad aliud,& ab alio distinguit.Origo etiam, per rationem ratiocinatã cum fundamento in re,vt diximus,est quid medium inter relationem vt constituentem,& vt referentem. Si enim hæ tres rationes,& personæ constitutæ in se, & originis actiuæ, & relationis referentis personam originantem ad aliud originatum,distinguerentur in re,quemadmodum distinctas esse constat in creaturis, proculdubio priorem realiter locum haberet persona, eiúsque personalitas,medium origo,tertium relatio.Ergo spectando ordinatum modum concipiendi per intellectum, prout termini formaliter postulant, prius debet intelligi relatio, vt constitutiua personæ,quàm origo,vt dicitur in quarta conclusione:& prius origo,quàm relatio,vt relatio,siue vt referens ad aliud,vt dictum est in tertia conclusione.

Nonnullarum difficultatum solutiones.

10. *Prima obiectio probans, relationes diuinas nullum habere fundamentum.*

Obiicies primò.Tota doctrina huius articuli fundatur in eo quod relationes diuinæ habeant fundamentum.Hoc autem est falsum,primò,quia relationes diuinæ sunt subsistentes. Relationes verò indigent fundamento, ex eo quod sint accidentales, & inhærentes,vt in creaturis. Ergo relationes diuinæ substantiales, & per se subsistentes, nullo indigent fundamento. Secundo,quia nullum assignari potest diuinorum relationum fundamentum. Non essentia, vt cum S.Thoma, & aliis communiter contra Scotum ostendi suprà q.28.art.4.à num.49. & rursus à n.58. non persona, quia cum in persona præter essentiam, nihil aliud sit, nisi relatio, si relatio fundaretur non in essentia,sed in persona,idem esset fundamentum sui ipsius.

Respondetur probando oppositum.

Respondeo non posse simpliciter,& omnino negari, Diuinas relationes habere fundamentum aliqua ratione:nimirum non cui inhæreant, & à quo sustententur, cum sint ipsæmet subsistentiæ personales, nullam imperfectionem includentes, in illa subsistendi ratione;sed quod referant propter aliquã rationem in illo præsuppositam ob quam generalẽ fundamenti rationem; nullus in relatione apparet defectus,nulla indigentia, nulla imperfectio. Vnde ipsemet S.Thomas hic circa fin.corp. quod ipsamet diuina Paternitas,vt est relatio præsupponat actum notionalem,probat ex fundamenti ratione communi omnibus relationibus & creatis, & increatis,dicens, *Quia relatio in quantum huiusmodi,fundatur super actum.* Et quidem ratio quidditatiua cuiuscumque relationis,in quantum relatio est, consistit in hoc, quod sit ordo vnius ad aliquid,propter aliquam rationem inter vnum,& aliud intercedentem.Vbi necesse est dari vnum in quo sit relatio, vel per inhærentiam, vt in creaturis, vel per identitatem, vt in Deo;& quod refertur ad aliud,& hoc vocamus fundamentum; & præterea rationem propter quam illud referatur,quam vocamus rationem fundandi.

Hoc posito ad primum in contrarium,nego minorem vniuersaliter. Relationes enim ex eo quod sunt accidentales,indigent fundamento inhæsionis, & sustentationis.Ex eo autem quod relationes simpliciter sunt, postulant absque vlla imperfectione, alterius rationis fundamentum, quod dici potest fundamentum non inhærentiæ,sed simplicis inexistentiæ,ac referentiæ,hoc est,quod simpliciter referat,& in quo simpliciter inexistat;quæ inexistentia contingere potest sine imperfectione, nempe per omnimodam identitatem. Ad secundum dico, non posse vniuersaliter assignari diuinarum relationum fundamentum ab ipsis relationibus distinctum, aut re, aut ratione ratiocinatæ perfecta, quemodo distinguitur relatio ab essentia,cum conceptus præcisus alterius,alterum non includat,nec explicitè,nec implicitè,sed solum ratione ratiocinata imperfecta, hoc est,præscindente non à relatione simpliciter,sed ab vna ratione relationis: quæ scilicet, cum habeat in se essentialiter inclusam duplicem rationẽ, & referendi,secundum quod est opposita termino,& cõstituendi, secundum quod est subsistentia vltimata naturæ,consideretur præcisè,& explicitè secundum rationem constituentis naturam vltimato subsistentem, non secundum aliam rationem referentis ad aliud oppositum rem constitutam vltimato subsistentem.Dicendum igitur,fundamentum relationũ personalium,non esse essentiam,sed esse simpliciter personam.Ex quo non sequitur, idem omnino, & sub eadem ratione,esse fundamentum sui ipsius,sed solum sequitur, idem sub vna ratione referentis ad aliud distinctum,fundari in se sub alia ratione constituentis formaliter vnum sibi identificatum.

Assignari fundamenta Diuinarũ relationum.

11. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò, actus notionalis generandi præsupponit personam non solum constitutam in se,sed etiam distinctam à termino generando; cum nihil generare valeat aliquid à se indistinctum. Sed in diuinis relatio, quamuis constituat in quantum est forma hypostatica, seu subsistentia incommunicabilis,tamen distinguit in quantum est relatio opposita alteri,& ab altero realiter distincta,vt dictum est sup.art.1.Ergo relatio sub nulla ratione,hoc est, neque vt constitutiua personæ,neque vt relatio est, secundum intellectum præsupponere potest actum notionalem generandi; alioquin idem sub vna ratione præsupponeret se ipsum sub eadem omnino ratione; quod non est intelligibile.

Respondetur distinguendo ratione tres conceptus diuinæ relationis.

Respondeo,declarando magis, quod suprà dictũ est de distinctione personarum inter se,proueniente ex relatione,in quantum est relatio.Potest enim relatio sumi tripliciter;primo omnino præcisè secundum se,vt est quædam forma in se, abstrahendo ab omni suo effectu formali,seu quasi effectu formali: quo modo concipitur relatio, siue ordo ad terminum oppositum,& distinctum;& consequenter concipitur ipsum esse ad aliud:tamen neque concipitur effectus formalis constituendi vnum,neque effectus formalis referendi ad aliud;& quoniam hoc primo modo concepta diuina relatio, non solum est habitudo ad terminum,sed etiam est habitudo ad subiectum,tamquã forma hypostatica naturæ, potest illa intelligi,vel explicitè vt relatio,vel implicitè vt relatio,sed explicitè,vt subsistentia personalis,quę essenialiter est ipsa diuina relatio.Secundò cũ effectu formali constituendi personã præscindendo ab alio effectu formali referẽdi ad aliud,qui effectus est ratione posterior,vt suprà n.9. Tertiò, cũ effectu formali referẽdi ad aliud. Ad maiorẽ igitur dico,quod antequã intelligatur generatio,præintelligi quidem debet explicitè persona constituta per formã hypostaticam,& per hanc formam distincta à termino generando:tamen sicut non est necessariũ præconcipere explicitè,quod illa sit cõstituta per formam, quæ sit proprietas absoluta, vel proprietas relatiua, ita neque est necessarium præconcipere, quod sit distincta explicitè per relationem, vel per absolu-

tum. Similiter ad minorem dico, quod relatio constituens personam in quantum est forma hypostatica, distinguit personam vt relatio est primo modo præcisè concepta, antequam intelligatur referre personam, & exercere vltimum suum effectum formalem: ita vt intelligatur constitui formaliter, & distingui persona per totum hoc, nimirum, per subsistentiam incommunicabilem relatiuam ad aliud oppositum, & distinctum: sed intelligatur explicitè constituta, & distincta per subsistentiam incommunicabilem: non autem intelligatur explicitè, sed tantum implicitè, quod hæc subsistentia sit relatiua. Post personam præintellectam hoc modo constitutam, & distinctam, antequam intelligatur explicitè relatio, vt relatio, & vt referens, præintelligendus est actus notionalis generandi, tamquam ratio fundandi eamdem relationem, vt relationem, & vt referentem. Qui actus, siue effectus referendi, non distinguit, sed refert ad distinctum, præsuppositum distinctum propter ipsam formam secundum se, & in se ipsa præcisè consideratam, quæ est per se intrinsecè relatio ad terminum oppositum, & distinctum, antequam intelligatur ad illum terminum referre rem priori suo effectu constitutam, & distinctam. Atque hoc significauit Hēricus quodl. 4. Apud Carthusianum 1, d. 26. q. 8. initio. Cum relationem personalem fundari dixit, *In essentia, & persona; sed diuersimodè: in essentia tamquam in primo suo fundamento, & in persona tamquam indistincto, & constituto per se*, hoc est, per ipsam relationem. Essentiam vocat fundamentum relationum personalium, quomodo loquitur etiam Suarez lib. 8. de Trinit. cap. 1. n. 7. scilic. in quantum hæ relationes sunt ipsæmet personales subsistentiæ; quæ primo, & immediatè concipiuntur esse in ipsamet essentia, seu natura, alioquin in quantum relationes sunt exercentes munus referendi, non possunt fundari, nisi in personis, per ipsasmet relationes sub alia ratione iam constitutis, ac distinctis inter se.

Henricus.

Suarez.

12. *Tertia obiectio ex Marsilio.*

Obiicies 3. fundamentum Marsilij suprà num. 4. Pater iuxta quartam conclusionem est prior generatione actiua, & consequenter passiua. Sed in illo priori, in quo ante generationem præintelligitur Pater, præintelligi etiam debet Filius simul eum Patre: quia Pater & Filius, & vniuersaliter omnia correlatiua, sunt simul natura, & cognitione. Quam proprietatem conuenire omnibus relationibus mutuis, non solum creatis secundum Philosophum; sed etiam increatis secundum sanctos Theologos, ostendi suprà quæst. 28. art. 1. à n. 3. ad 7. Ergo Filius præintelligitur generationi actiuæ, & passiuæ. Quod consequens immeritò concessit Marsilius conuictus hoc argumento. Et ideo contra illum ita scripsit Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 6. num. 9. *Mirabile est, & sanè improbabile, Filium prius concipi filium, quàm genitum.* Qui enim concipit filium, si non concipit subsistentiam genitam à Patre, verè non concipit filium: & si quis concipiat, non filium, formaliter vt filium, sed subsistentiam illam quæ est Filius, eamque præconcipiat vt iam habentem in se esse, non potest deinde rationabiliter concipere generationem, per quam illa subsistentia recipiat esse, quod præhabere in se antea concipiebatur. Idem argumentum multò ante Marsilium, contra relationes constitutiuas personarum, proposuit Scotus 1. d. 26. quæst. 1. §. *Ex secunda via*. verficulo, *Item ex secunda*. hunc in modum, *Suppositum aliquo modo præintelligitur actioni: quia prius intelligitur vnumquodque per se esse, quam per se agat. In illo priori, si est suppositum ad se, habetur intensum: si non est suppositum ad se, sed ad aliud, vt ad Filium, ergo simul intelligitur Filius: & ita Filius præintelligitur generationi; & ita Filius non est terminus generationis.*

& ex Scoto.

Respondetur, Deum Patrē diuersa ratione esse, & non esse priorem Filio.

Respondeo distinguendo Maiorem. Pater secundum nostrum intellectum est prior generatione, in quantum explicitè intelligitur tantum, vt est subsistens subsistentia personali, quæ est relatiua, non in quantum per illam subsistentiam vt relatiuam explicitè intelligitur relatus ad Filium; sic enim est posterior, cum generatio sit ratio fundandi paternitatem, vt relatio est, referens personam generantem ad Filium genitum. Ex hac distinctione patet, minorem esse simpliciter falsam, quia in illo priori, in quo ante generationem intelligitur Pater præcisè vt personaliter subsistens per relationem in quantum est subsistentia, & forma hypostatica Patris, non in quantum est relatio, non est necessarium præintelligere simul Filium; quia in illo priori Filius à Patre respicitur, non prædicamentaliter vt correlatiuus, sed quasi transcendentaliter vt terminus producendus. Vnde non sequitur, præintelligi Filium in suo esse actuali ante generationem, sed solum præintelligi personam potentem per generationem producere Filium: quod nullum est absurdum, imo omnino necessarium ad intelligendam & explicandam potentiam generatiuam, quam habere intelligitur Pater antequam intelligatur actualiter generare.

Ad argumentum Scoti in forma.

Ad idem argumentum, prout proponitur à Scoto, dico, minorem esse insufficientem: quia suppositum diuinum in illo priori, in quo præintelligitur actioni, neque intelligitur explicitè vt suppositum ad se, hoc est, absolutū, neque vt suppositū ad aliud, hoc est, relatiuum; sed solum intelligitur explicitè vt suppositum in se, præscindendo explicitè ab absoluto & relatiuo. Quare nego consequentiā, quòd scilicet Filius intelligatur simul cum Patre, & præintelligatur generationi: sed intelligitur vt posterior terminus potentiæ generatiuæ, & generationis. Pater igitur & Filius si sumātur formaliter & explicitè vt sunt termini correlatiui, sunt simul natura & cognitione: si verò Pater sumatur formaliter & explicitè vt persona potens generare Filiū, & Filius, vt terminus generationis, ac proinde origine Pater, posterior Filius, tunc proculdubio non sunt simul cognitione, sed Pater præintelligitur generationi, & Filio: omne enim producens, realiter distinctum à termino producto, ex eo quod est prius origine, præbet nobis fundamentum vt possimus illud præintelligere suo posteriori.

13. *Prioritatem originis stare cum simultate naturæ, ex Scoto.*

An autem hæc prioritas originis, & cognitionis, stet cū simultate naturæ, affirmat Scotus suprà, concedens ex duobus correlatiuis, *vnum posse esse prius origine altero, licet sint simul natura*. Quod sanè videtur satis probabile; quoniam prioritas & posterioritas originis in diuinis stant cum eadem omnino natura in originante & originato, & cum eadem essentiali, & summa necessitate essendi in illa natura; tametsi non cum eodem originis ordine, seu modo: nā prima personalitas est in Patre à nullo originata, sed secunda personalitas est in Filio originata à solo Patre, & in Spiritu sancto tertia personalitas originata à Patre Filioque. Itaque in creaturis duo correlatiua dicuntur esse simul natura, non quòd alterum non originetur ab altero, sed quia in eodem instanti, & rationis signo, quo intelligitur vna relatio oriri à suo fundamento, intelligitur, & alia correlatio ab alio suo fundamento oriri. Contra verò, causa & effectus nō sunt simul natura, non ex eo quòd effectus originetur simpliciter à sua causa, sed quia ita originatur vt non accipiat eamdem prorsus naturā causæ ex essentiali illius naturæ necessitate. Atq; hæc videtur potissima ratio, cū relationes diuinæ, quæ dicūtur

Diuina relationes dici possunt tradicamentales, & transcendentales.

tur prædicamētales in quantum sunt puri respectus præcisi ab omni esse absoluto, dici etiam possint aliqua ratione transcendentales, in quantum vnum correlatiuum originatur ab alio, sicut forma materialis originatur à materia ad quam transcendentaliter refertur; & creatura originatur à Creatore, ad quem dicit transcendentalem ordinem. Qua in re minus probo quorumdam, præsertim recentiorum sententiam, qui proprietates relatiuorum prædicamentalium, vt habere fundamentum, & rationem fundandi, esse simul natura, & cognitione, aliaque eius generis, nulla ratione applicare volunt relationibus diuinis, dicentes, illa propria esse relationum creatarum, & finitarum, & inhærentium; non autem infinitarum, & per se subsistentium. Enim verò quamuis multæ & graues sint inter eas differentiæ, tamen nonnullas conuenientias habeant necesse est ex ipso præciso relationis conceptu, analogicè illis communi. Sicut enim ex hoc habent oppositionem, distinctionem inter se, vnitatem cum personis quas referunt, & respicientiam aliarum ad quas referunt; ita alia, quoad eius fieri potest, debent illis attribui, vt fæciunt Sancti relati supra quæst. 28. art. 1. num. 3. ad 7. S. Thomas, Scotus, & alij veteres Theologi. Ad huius enim mysterij fidem facilius persuadendam, præstat, quantum possumus, minus recedere ab iis, quæ de relationibus naturalis Philosophia docet.

14. *Quarta obiectio.*

Obiicies 4. Omnis forma constituens præintelligitur constituto per illam formam: prius enim aliqua ratione est id quo aliquid est, quàm quod est per illud. Sed paternitas est forma constituens Patrem, vt supra art. 2. dub. 3. ergo paternitas præintelligitur Patri. Sed filiatio est simul natura & cognitione cum paternitate. ergo filiatio præintelligitur Patri. ergo Filius non habet filiationem à Patre; seu, deducendo magis in forma, ergo Filius præintelligitur non habere filiationem à Patre.

Respōdetur 1. Paternitatem præintelligi Patri.

Respondet dupliciter Molina hîc disput. 2. membro 4. ad 7. Negando primò, Paternitatem præintelligi Patri. Sed cum ipsemet ibi concedat, constitutionem, qua paternitas constituit Deum Patrem, esse constitutionem, *non quidem ex natura rei, tamen virtute*; non potest consequenter negare prioritatem rationis ratiocinatæ in paternitate respectu Patris. Vbi enim est constitutio virtualis, nimirum ex parte obiecti, seu virtutis illius quæ est in obiecto, per suam eminentialem vnitatem æquiualentem pluribus rebus distinctis in creaturis, habemus in re ipsa fundamentum concipiendi prius formam constituentem, quàm totum constitutum.

15. *Respondetur secundo Filiationē nullo modo præintelligi Patri,*

Respondet 2. quod *si sermo est de præintellectione, nostro intelligendi more, sine fundamento in re talis prioritatis, tunc admissis omnibus, negandum, inde sequi, Filium non habere suam proprietatem personalem à Patre. Noster namque intelligendi modus, quando non respondet fundamentum in re, nihil præiudicat rebus ipsis.* Videtur igitur admittere illam propositionem, quam ita limitat, *Filiatio præintelligitur Patri secundum modum nostrum significandi*: eamque excusat ex eo, quòd sit quædam præintellectio sine vllo fundamento in re. Et propterea ait, hinc non sequi, quòd in re filiatio non habeat suum esse à Patre. Sed contra primo; quia saltem sequitur, quòd eo modo, quo filiatio præintelligitur Patri, præintelligitur filiatio esse in se, & tamen in illo priori non intelligatur, nec intelligi possit esse à Patre, qui ponitur posterius intelligi. Manifestum enim est, quòd quidquid præintelligitur esse ante aliud, præintelligitur productum ante illud, saltem non ab illo, ante quod præintelligitur esse, & consequenter productum ab alio, vel ex se. Hæc autem præintellectio diuinæ filiationis existentis, & productæ, & non à Patre, apparet ex ipsis terminis absurda ac repugnans. Secundo iam num. præcedenti probatum est, Paternitatem præintelligi Patri cum fundamento in re. Illud enim quod est in re fundamentum distinguendi mentaliter essentiam à paternitate, est etiam fundamentum concipiendi vnum totum constitutum ex essentia & paternitate, nempe Patrem, & consequenter præconcipiendi non solùm essentiam, sed etiam paternitatem constituentem ante Patrem constitutum. Tertio filiationem præintelligi Patri, probat Molina ex natura & essentia correlationum, quia scilicet filiatio cointelligitur cum paternitate, quæ præintelligitur Patri. Ergo talis præintellectio filiationis respectu Patris, procedit cum magno fundamento in re. Quarto idem colligitur ex illa limitatione, qua dicitur filiatio præintelligi Patri *secundum modum nostrum significandi*: quia humanus modus significandi res diuinas, non est absque aliquo fundamento in re, saltem in rebus creatis, quibus concipiendis assueti sumus, & ad quarum similitudinem solemus concipere, & nominibus significare diuina. Dicendum igitur cum Capreolo 1. d. 26. quæst. 1. art. 2. ad argumenta Scoti contra secundam & tertiam conclusionem. Ad illa tertio loco posita, ad 5. quòd *paternitas præcedit in intellectu nostro, & secundum nostrum modum intelligendi, filiationem & Filium:* & cum Suarez libro 7. de Trinitate cap. 6. n. 9. fine, *quòd Filius nullo modo, aut consideratione potest esse prior Patre vt generante.*

Capreolus.

Suarez.

16.

Hoc enim probare possumus ratione adeò efficaci, vt vocari meritò possit Theologica demonstratio, hunc in modum. Filiatio secundum omnem conceptum, quem in se intrinsecè includit, habet esse à Patre; vt docet Fides. Sed id, quod secundum omnem sui conceptum habet esse ab alio, est illo posterius & in re, saltem virtualiter, & in cognitione; vt notum est lumine naturæ. Ergo filiatio secundum nullum intrinsecum suum conceptum potest intelligi prior Patre, sed secundum omnem conceptum suum intrinsecum est intelligenda posterior Patre. Itaque soluendo aliter obiectionem in forma, concedo, formam constituentem præintelligi constituto; & consequenter, paternitatem præintelligi Patri. Cum vero subsumitur, *sed filiatio & paternitas sunt simul natura & cognitione*; id in vno sensu est verum, in alio falsum, vt constat ex distinctione data supra num. 12. & 13. At cum ex istis duabus præmissis, Paternitas præintelligitur Patri, Paternitas & Filiatio cointelliguntur; deducitur hoc consequens, ergo filiatio præintelligitur Patri; nego consequentiam, & consequens, quoniam argumentum non est in forma, ex varia suppositione terminorum. Etenim in Maiore, Paternitas sumitur formaliter & explicitè vt forma constituens Patrem, ac proinde secundum esse *In*; nullam enim aliam ob causam dicitur paternitas prior Patre, nisi quia est forma constituens Patrem; sumitur igitur secundum esse quod habet in Patre, & per habitudinem quam habet ad Patrem, vt forma constituens illum. At vero eadem paternitas in Minore aliter sumitur & supponitur, pro vt formaliter & explicitè est relatio ad Filium, & secundum esse ad aliud, & per habitudinem ad terminum oppositum ac distinctum. Ideo enim dicitur esse simul cognitione cum filiatione, quia relatio, vt relatio, est simul cognitione cum sua correlatione. Similiter filiatio in Minore sumitur vt relatio præcisè secundum esse *Ad*; sed in conclusione mutat suppositionem, & aliter sumitur tanquam forma

Respondetur tertio in forma, negando consequentiā.

quædam constituens: quamuis enim hoc non dicatur explicitè, tamen dicitur implicitè ex eo, quòd illa prioritas ad Patrem, quæ tribuitur paternitati, quia est forma constituens Patrem, tribuitur etiam filiationi. Et breuiter ac dilucidè, vitium pravæ consequentiæ consistit in hoc, quòd esto duæ relationes mutuæ, consideratæ formaliter secundum esse quod altera ad alterum habet, sint simul cognitione; tamen quia sunt invicem realiter oppositæ, ac distinctæ, potest ac debet vna habere aliquam habitudinem ad suum subiectum & constitutum, quam non habet alia. Itaque si propter hanc peculiarem suam habitudinem, quam habet paternitas ad Patrem, paternitas est prior Patre secundum intellectum, non potest ex vi consequentiæ, tribui eadem prioritas filiationi, quæ talem habitudinem ad Patrem non habet, sed habet ad Filium; cum filiatio non sit forma constituens Patrem, sed Filium. Sicut in opinione probabili, quod in humanis vna relatio fundat aliam relationem, paternitas & filiatio, v. g. sunt simul natura: & tamen paternitas fundans aliam relationem similitudinis respectu alterius paternitatis, est prior natura illa similitudine; quam prioritatem non habet filiatio, quæ est simul natura cum paternitate; cum illa similitudo paternitatis ad paternitatem, pendeat in esse à paternitate, non à filiatione; ex qua dependentia in esse, oritur prioritas secundum naturam. Non est igitur necessarium vt, si duo sunt simul cognitione & natura, quæcunque prioritas conuenit vni, conueniat & alteri.

17. *Cur in humanis, non in diuinis, filiatio præintelligatur Patri.*

Dixi, *ex vi consequentiæ*; quia in humanis paternitas & filiatio non solum sunt simul cognitione, sed etiam sicut paternitas præintelligitur Patri vt relatiuo, constituto per accidentalem paternitatem; ita eidem Patri præintelligitur filiatio. Hoc autem non deducitur necessario ex eo præcisè, quòd filiatio sit simul cognitione cum paternitate; sed ex eo quod est etiam simul origine: in eo enim instanti rationis signo, quo paternitas intelligitur pullulare & esse ex suo fundamento, v.g. Petro generante, intelligitur pariter filiatio pullulare & esse ex alio suo opposito fundamento, Paulo genito. At vero in diuinis, quia paternitas & filiatio ita sunt simul natura & cognitione, vt tamen non sint simul origine, sed paternitas prior, filiatio posterior, dici quidem possunt simul cognitione, sed deinde ex eo quòd paternitas sit cognitione prior Patre, quia scilicet non procedit à Patre, sed constituit Patrem, nulla ratione deduci potest filiatio cognitione prior Patre; quoniam de filiatione est opposita prorsus ratio ac de paternitate: filiatio enim non constituit Patrem, sed procedit à Patre. Quemadmodum igitur in humanis, quia paternitas procedit à Generante, filiatio à Genito, ideo nec paternitas præintelligi potest ante Generantem, nec filiatio ante Genitum; ita in diuinis, quia filiatio, etiam vt relatio procedit à Patre, ideo illa nullo rationabili modo potest præintelligi ante Patrem, constitutum per paternitatem, in esse principij fœcundi generatiui.

18. *Instantia.*

Instabis cum nonnullis recentioribus contendentibus, nullum esse inconueniens, imò necessario deduci vi obiectionis propositæ, Filiationem præintelligi Patri: quoniam, inquiunt, non videmus quod absurdum sequatur ex ista propositione, Filiatio præintelligitur Patri; quod non sequitur ex hac alia, Filatio cointelligitur paternitati; quæ tamen est communissima, & receptissima.

Respondetur Patrem cointelligi, & præintelligi Filio diuersa ratione.

Respondeo, mirum est non videri discrimen valdè manifestum. Et enim duo cointelligi, bene stat cum hoc, quòd vnum sit, & intelligatur prius origine, & principium alterius: sicut enim de Deo Patre & Filio, duo simul credimus, & esse correlatiua, & Filium procedere à Patre, non contra; ita deinde ex naturali Philosophia nouimus de iisdem esse duo simul dicenda; scilicet, & quòd vt correlatiua cointelligantur; & quòd vt principium & principiatum, Pater præintelligatur Filio, seu paternitas filiationi. At vero vnum præintelligi alteri, stare nulla ratione potest cum hoc quòd prius intellectum, sit posterius origine; & è contrario, quòd posterius intellectum, sit prius origine. Quod enim præintelligitur esse, iam præintelligitur productum. Ergo nihil concipi rectè potest prius cognitione, & simul posterius origine illo, quo est prius cognitione. Sed filiatio, seu Filius est origine posterior Patre. Ergo non potest esse Patre prior cognitione. Potest autem in diuinis præintelligi paternitas Patri; quia non paternitas à Patre, sed contra potius, Pater est à paternitate, non originatiuè, sed constitutiuè & quasi formaliter, sicut, constitutum est à forma constituente. Hanc vero habitudinem constituentis non habet filiatio respectu Patris, sed tantum respectu Filij. Ergo ea ratione præintelligi potest Filio, non Patri. Aliam habitudinem respectu Patris non habet filiatio, nisi correlatiui; & procedentis. Habitudo correlatiui, affert tantum simultatem cognitionis, non prioritatem. Habitudo procedentis, impedit & prioritatem, & simultatem cognitionis; & necessariò postulat, vt quod est posterius origine, sit pariter posterius cognitione. Videtur igitur satis certum, Filiationem nulla ratione posse rectè dici priorem Patre secundum intellectum.

Cur diuina paternitas, nō filiatio, possit præintelligi Patri.

QVÆSTIO XLI.

De Personis in comparatione ad actus notionales, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de personis in comparatione ad actus, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm actus notionales, sint attribuendi personis.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd actus notionales non sint, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua probatur, & declaratur, n. 1.*
2. *Quid formaliter & intrinsecè importet actus notionalis, num. 2. ad 12.*
3. *Quomodo actus notionales distinguantur, num. 12. ad finem Articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua eiusque certitudo, & explicatio.*

CONCLVSIO simpliciter affirmatiua est ita certa, sicut certum est, Personam Patris generare; personam Filij generari; item Patrem & Filium spirare; Personam vero Spiritus sancti spirari: & sicut certum est, in diuinis dari processiones & origines, vt probatum est in superioribus, potissimum tota q. 27. de Processionibus.

bus. Hæc enim, nimirum, Generare, spirare, Generari, spirari, ab omnibus Theologis vocantur actus notionales, hoc est, formales productiones, vel actiuæ, vel passiuæ, quibus personæ inter se distinctæ cognoscuntur; cum prædicti actus ita conueniant vni aut duabus personis, vt non conueniant omnibus; vt constat ex dictis supra quæst. 32. art. 2. 3. & 4. de notionibus. Vocantur etiam communissimè Processiones, & Origines, quæ pariter passim nominantur actiuæ & passiuæ. Itaque quidquid de actibus notionalibus dicetur in tota hac quæstione, vsurpando istas voces cum S. Thoma, idem omnino intelligi debet dictum de Processionibus, & Originibus. Dicuntur autem actus notionales, qui sunt personales, seu personarum proprij intra ipsum Deum; ad differentiam aliorum actuum essentialium, qui sunt communes omnibus personis, & sunt à Deo extra Deum, vt creare, iustificare, & c. quam actuum diuersitatem explicat S. Thomas hic ad 1.

DVBITATIO I.

Quid in formali & intrinseco suo conceptu, importet actus notionalis.

SVMMA.

1. *Importare primo intrinsecè, & in recto, actum absolutum intelligendi, & volendi, num. 2. ad 7.*
2. *Soluuntur contraria fundamenta Molinæ, & Suarez, num. 7. ad 10.*
3. *Importare secundo etiam intrinsecè, & in recto, relationem, num. 10. & 11.*

1. *Important in recto & formaliter actus absolutum.*

PRima conclusio. Actus notionalis, non in obliquo & connotatiuè, sed in recto formaliter & intrinsecè includit ipsos absolutos actus intelligendi & amandi: hoc sine dubio significant omnes Patres & Scholastici citati supra quæst. 27. art. 1. dub. 10. contra Durandum docentes, Verbum Dei immediate procedere per intellectionem, & Spiritum sanctum per dilectionem. Nomine enim actus notionalis omnes intelligimus id quo immediate & vltimatò persona producit, aut producitur. Significant quoque citati supra q. 34. art. 3. dicentes, Verbi & Spiritus sancti productionem, quæ est actus notionalis, vel esse intelligere & velle notionale, ratione diuersum ab intelligere & velle essentiali; vel esse ipsummet intelligere & velle essentiale. Idem expressius significat Capreolus 1. d. 27. quæst. 2. art. 1. conclusione 2. dicens iuxta mentem S. Thomæ, *quòd dicere includit intelligere, & cum hoc relationum originis; & ideo soli Patri conuenit dicere:* quod omnes affirmant esse aliquem actum notionalem. & conclusione 3. *Verbum*, inquit, *producitur per actum intellectus paterni:* qui est actus notionalis, soli Patri conueniens: idque probat ex S. Thoma. Neque contrarium habet in q. 1. art. 1. conclusione 1. 2. & 3. vt contendunt aduersarij quidam recentiores. Nam conclusione 1. probat, quòd omnis actio diuina, etiam ad intra, & notionalis, *dicit essentiam cum relatione.* Absoluti autem actus intelligendi & volendi, ad diuinam essentiam pertinent. In conclusione 2. non negat, quod paulò ante concesserat, Generare esse simpliciter actionem, sed solum negat esse *actionem pertinentem ad Prædicamentum actionis, quæ infert ex se passionem.* In conclusione 3. ait, *Actus notionales, ciuiusmodi sunt generare & spirare, sunt idem realiter cum relationibus personarum.* Si sunt idem realiter cum relationibus, ergo sunt aliquid aliud præter relationes. Vnde art. 2. ad 1. contra secundam conclusionem. *Non nego*, inquit, *imò firmiter teneo, quòd generare dicit diuinam actionem cum relatione.* Consentit Caietanus supra quæst. 27. art. 1. ferè per totum, vbi ad 2. dubium ita testatur, *S. Thomas vbique tenet, quòd dicere ad intelligere exprimendo, vel exprimere intelligendo; ita quòd vtrumque horum est de eius ratione.* Et benè subdit, quod secundum S. Thomam in illo 1. articulo, *Intellectio ipsa, est productio conceptus. Dicit enim expresse litera, quòd per actionem immanentem, qua est intelligere, conceptus, seu Verbum procedit.* & postea ad 3. Scoti formalissime respondet, *quòd aliqua intelligentia est ipsa gignitio Verbi.* Item Torres supra quæst. 27. art. 5. disput. vnica, parte 2. Notabili 3. dicens, *quòd intellectus & voluntas sunt principium quo producendi Filium & Spiritum sanctum. Intelligere tamen, & velle, sunt ipsa productio.* Similiter 3. p. disputationis, col. 2. ante medium, *Palam docet D. Thomas in articulo præsenti*, nempe art. 5. quæst. 27. *quòd intelligere & velle sunt productiones personarum.* Quare cum paulò post addit, *Dicere importat respectum ad Verbum*, ita includit relationem in conceptu dicendi, vt ab eo non excludat actum intelligendi. Quod apertè significat paulò ante ita scribens, *Respondemus quòd Verbum producitur per actum intelligendi, quatenus est dicere, non autem qua est intelligere*; nimirum absolutum absque respectu ad terminum producendum: producitur igitur Verbum per intelligere relatum ad Verbum, Quare cum in commentario huius articuli declarans responsionem ad 2. non semel asserit, quòd origo nihil aliud sit quam relatio, intelligitur, nihil aliud, re distinctum: nam initio responsionis ita habet, *Relationes & origines sunt plane idem re, & sola ratione distinguuntur.*

Caietanus.

Capreolus.

Torres.

2. *Alij authores, & aduersarij conclusionis.*

Eamdem conclusionem clarius ac distinctius sequuti sunt nonnulli recentiores; vt Bagnes supra quæst. 40. art. 2. notabili 2. Zumel hic disput. 1. conclusione 1. Vasquez supra quæst. 27. art. 5. disp. 112. num. 6. & in Commentario huius articuli, Notabili secundo Nazarius ibidem art 1. controuersia 3. conclusione 1. & 2. & in hunc articulum controuersia vnica conclusione 1. 2. & 4. Arrubal disp. 97. cap. 3. & disput. 140. cap. 2. & alij. Quamuis contradicant Ioannes de Neapoli quæst. 30. puncto 1. Notando 2. dicens, quòd emanatio, vt Deo attribuitur, est idem non solum re, sed etiam ratione cum relatione. & ex recentioribus Molina supra quæst. 27. art. 3. disput. 4. & art. 5. disput. 2. §. *Vt ad argumenta*. dicens, Processionem Filij per intellectum, & processionem Spiritus sancti per voluntatem, esse solam relationem, quod repetit in breui præsentis articuli expositione; & non includere intrinsece & in recto intellectionem intellectus, & dilectionem voluntatis, sed tantum in obliquo connotare præsupponendo: quia, vt ipse loquitur, Pater intelligendo producit Filium. Et Suarez l. 1. de Trinitate cap. 8. quatenus cum Henrico contra Torres, & alios modernos contendit, Actum intelligendi, & amandi, in Deo non esse ipsam actualem productionem, sed tantum proximum principium *quo* productionis. Et l. 6. cap. 1. num. 4. originem passiuam nihil esse aliud quam ipsammet relationem prout in produci, atque adeò viam quasi relatiuam: & num. 5. & 6. originem actiuam esse solam relationem personæ producentis.

3. *Pro conclusione esse S. Thomam.*

Probatur conclusio primo ex S. Thoma, quo aduersarij maximè nituntur; cum tamen, vt ait Caietanus supra, expresè sit contra ipsos tota q. 27. de processionibus. Etenim art. 1. post med. Corp. cum vniuersaliter de omni processione ab intra, siue creata, siue increata, docuisset, esse actionem manentem

manentem in ipso agente, ita subdit, *Et hoc maximè patet in intellectu, cuius actio, scilicet intelligere, manet in intelligente.* Clarissimè explicat, quòd notionalis actus, siue actio, qua procedit Verbum diuinum, est intelligere. Deinde in art. 2. paulò ante finem Corporis, Verbum, inquit, *procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ.* Quod manifestè non potest intelligi dictum de sola relatione paternitatis. Et art. 3. initio Corp. *In diuinis est processio secundum actionem, quæ manet in ipso agente. Huiusmodi autem actio in intellectuali natura, est actio intellectus, & actio voluntatis.* Sola & pura relatio, præcisa ab omni ratione absoluta, nullo modo concipi potest vt actio intellectus, & actio voluntatis. Ergo si processio, in recto & intrinsecè considerata, est huiusmodi actio, non potest in sola relatione consistere. Item ad 3. *Processiones in Deo sunt secundum actionem intellectus & voluntatis*, & art. 4. med. Corp. & ad 1. repetit, Processiones in diuinis attendi *secundum rationem intellectus, & secundum rationem voluntatis.* Denique apertissimè loquitur art. 5. initio Corp. *Processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina, non sunt nisi duæ, scilicet intelligere, & velle.* Sed sola relatio vt relatio, per rationem præcisa ab actibus absolutis, non est ex proprio conceptu intelligere & velle, siue intellectio & volitio. Ergo sola relatio non potest explere formalem & intrinsecum conceptum actus notionalis. Et de potentia quæst. 2. art. 5. circa finem Corporis, *generatio significat actionem cum aliquo respectu. Unde ipsa generatio est Dei actio, sed prout est Patris tantum.*

4. *Exponitur S. Thomas hic ad 2.*

Quare non putandus est sibi contrarius in hoc articulo ad 2. in principio & in fine dicens, *Quòd actus notionales secundum modum significandi tantum differunt à relationibus personarum, sed re sunt omnino idem. Unde Magister dicit in 1 sent. 26. d. quòd generatio & natiuitas, aliis nominibus dicuntur paternitas & filiatio.* Et circa med. *Remoto motu, actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, secundum quòd à causa aliqua, vel principio procedit in id, quod est à principio. Unde cum in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio. Quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones.* His enim verbis puto S. Thomam considerasse actus notionales, siue actiones diuinas intra ipsum Deum, non secundum omnia quæ includunt, sed tantum secundum quòd distinguuntur à terminis, quorum productiones sunt; quam distinctionem non habent nisi per relationem, iuxta sequentem conclusionem. Verè enim actus notionales, considerati formaliter vt notionales sunt, hoc est, secundum id proprij & personalis, quod addunt supra actum communem & absolutum intelligendi & volendi, non sunt aliud nisi relatio in quo diuina generatio v.g. differt à creata generatione, quæ ex se antecedenter, ad omnem relationem; distinguitur à termino per illam producendo. Hanc igitur differentiam videtur S. Thomas tradere voluisse; cum ibidem explicet, huiusmodi diuinas actiones non esse coniunctas cum motu & passione, sicut coniunctæ sunt creatæ actiones.

5. *Alter exponitur à Vasquez.*

Aliam expositionem non improbabilem affert Vasquez hic Notando 4. S. Thomam per modum significandi non intelligere solam vocum differentiam, sed differentiam rationis ratiocinatæ; ita vt velit tantum non esse ex natura rei distincta paternitatem & generare, filiationem & generari. Quare cum dicitur actus notionalis *nihil aliud* esse nisi habitudo & relatio, est intelligendum, nihil aliud esse re distinctum à relatione. Vnde loquendo formaliter Capreolus 1. d. 27. quæst. 1. art. 2. ad 2. contra secundam conclusionem ait, *In diuinis iterum concedo, quòd originare & originari non dicunt in sua ratione solos respectus, sed diuinam actionem cum respectu dantis, vel accipientis.* Idque rectè notat dici ab ipsomet S. Thoma de Potentia q. 2. art. 5. prope fi. Corp. illis verbis, *Generatio significat actionem cum aliquo respectu. Unde ipsa generatio est Dei actio, sed prout est Patris tantum.* Confirmari potest expositio ex eodem S. Thoma qui aliquando apertè docuit, quod differre per modum significandi, non sit differre solis vocibus, negando omnem aliam differentiam & secundum rem, & secundum rationem, vt videtur intelligere Ioannes de Neapoli supra notando 3. Nam S. Thomas 1. d. 27. q. 1. art. 1. ad 5. ita habet, *Sicut in essentialibus idem est secundum rem diuina operatio, & Deus, & Deitas, sed distinguuntur secundum rationem fundatam in re; ita in personalibus, idem est secundum rem operatio personalis, & persona, & proprietas constituens personam; sed tantum differunt secundum rationem, & modum significandi.* Pro eodem sumit differre secundum modum significandi, & differre secundum rationem fundatam in re, idque distinguit tantum contra differre secundum rem. Et multò clarius d. 33. quæst. 1. art. 2. circa med. Corp. cum ex eo quòd in diuinis, *aliquid attribuitur proprietati, quod non attribuitur personæ, & è contra, sicut personæ attribuitur distingui, proprietati autem distinguere*; ita deduxisset, *Et ideo oportet, quòd differant secundum modum significandi, proprietates à persona:* statim explicat, se per differentiam in modo significandi, intelligere differentiam rationis ratiocinatæ, ita subiungens, *Nec modus significandi diuersus veritatem haberet, sed vanitatem, nisi esset alia ratio proprietatis, & personæ, cui respondet aliquid in re.* Sic etiam in casu nostro paternitati, verbi gratia, tribuitur constituere & referre personam; generationi tribuitur, non constituere & referre, cum præsupponat personam potentem generare, & præcedat genitum, & consequenter relationem generantis ad genitum, & geniti ad generantem, sed producere personam; ergo differunt secundum modum significandi, non vanum, sed verum, habentem scilicet in re ipsa fundamentum distinctis actibus concipiendi, & distinctis vocibus & significationibus exprimendi relationem & originem. Igitur nomine actus notionalis aliquid aliud concipitur & exprimitur, quod non concipitur & exprimitur nomine relationis. Hoc autem aliud esse nequit, nisi actus absolutus intelligendi & volendi.

Quid sit in S. Thoma differre secundùm modum significandi.

6. *Ratio conclusionis.*

Probatur secundo rationibus. 1. Principium quo formale ac proximum in diuinis est intellectus & voluntas, vt contra Durandum pluribus ostensum est supra quæst. 27. art. 1. dub. 10. & 11. Ergo actualis & vltimata ratio principiandi alia esse non potest nisi intellectio & volitio, siue actio intelligendi, & actio volendi; sicut quia calor v.g. est principium quo formale ac proximum producendi calorem, ipsa actualis atque vltimata ratio producendi calorem, non potest esse nisi calefactio, siue actio calefaciendi. Sed sola relatio præcisè considerata, non est actio intelligendi & volendi. Ergo sola relatio non est actualis & vltimata ratio principiandi in diuinis. Sed hanc rationem omnes significamus nomine actus notionalis. Ergo actus notionalis non est sola relatio, sed in recto & intrinsece est ipsa absoluta intellectio & volitio; quæ, si illi intelligatur coniuncta relatio; erit essentialiter notionalis actus generationis & spirationis. Secundò persona Filij est propriè Verbum: ergo notionalis actus, per quem procedit à Patre dicente, seu loquente, est

est vitalis dictio, seu loquutio; quæ in re omnino spirituali esse non potest alia nisi intellectio. Quapropter in nobis etiam, verbum mentale procedit per actionem intelligendi, & non per aliam actionē, seu rationem, quæ præsupponat actionē intelligendi. Similiter persona Spiritus sancti est propriè Amor. Ergo eius productio est propriè dilectio. Tertiò acutè arguit Vazquez citata disp. 112. n. 6. Si dictio, seu productio, qua Pater Verbum generat, non esset formaliter intellectio, sed solū præsupponeret intellectionem essentialem, & communem omnibus personis, non magis dici posset, Pater intelligere in Verbo se ipsum & alia, quam Filius, vel Spiritus sanctus: quoniam etsi solus Pater produceret Verbum, tamen non produceret formaliter per intellectionē: quæ productio per intellectionem paternā, est vnica causa propter quam solus Pater propria ac peculiari ratione dici possit intelligere in Verbo, vt in termino producto per suum intelligere. Idem argumentū procedit de Patre & Filio, qui dicūtur se ipsos amare in Spiritu sancto: quia scilicet illum spirant per actum amandi formaliter. Quartò efficacius arguere possumus ex diuinarum processionum numero binario; cuius nulla alia sufficiens reddi potest ratio, nisi quam affert S. Thom. supra q. 27. art. 5. quia nimirum diuina processio personæ omnino consubstantialis, ac proinde immanentis intra ipsum Deū, esse debet aliqua diuina operatio, non ad extra trāsiens, sed immanens ad intra. Cuius generis operationes, siue actiones; siue productiones in Deo duæ tantum sunt, altera intelligendi, altera volendi; sicut duo tantum in Deo cogitari possunt principia immediata productiua, nempe Intellectus, & Voluntas. Ergo diuinæ processiones, in recto, quoad formalē, & intrinsecum conceptum spectatæ, sunt ipsæmet actiones intelligendi, & volendi. Si enim processio in recto non esset de genere actionis productiui alicuius principij, sed de genere relationis; difficillimū sanè esset, ne dicam impossibile, sufficientem & firmam aliquam rationem afferre de processionibus diuinis, cur non sit vna tantum? cur non sint plures quam duæ? Enim verò præscindendo ab actionibus intellectus & voluntatis, ex ipsis relationibus sic præcisè consideratis nulla sumi potest efficax ratio, cur diuinæ relationes, quæ solæ ponuntur esse ipsæ formaliter processiones, sint tot, & non plures, aut pauciores.

7. *Prima obiectio, ex Molina.*

Obiicies 1. fundamentum Molinæ supra, quia Pater intelligendo producit Filium; & Pater & Filius se mutuò amando ac diligendo producunt Spiritum sanctum. Ergo ad productionē Filij, & Spiritus sancti, quæ est propriè actus notionalis, præsupponitur actus intelligendi & diligendi. Ergo ratio formalis, & intrinseca actus notionalis non potest consistere in actibus absolutis intellectus, & voluntatis; ergo in solis relationibus.

Respondetur explicando quid sit, Pater intelligēdo generat.

Respondeo, cum dicitur, Pater intelligendo producit Filiū, illud, *intelligendo*, non debet sumi concomitāter, aut præsuppositiuè, quasi productio Filij sit aliquid concomitans, aut præsupponens actionē intelligendi; sicut cum dicitur, v.g. in sensu concomitante, Aristoteles ambulādo docet; vel in sensu præsuppositiuo & antecedente, Homo intelligendo amat: sed sumi debet solum formaliter, quia productio in se ipsa intrinsecè, & in recto est intellectio. Sic etiam Pater & Filius amando formaliter, hoc est, per ipsam amandi actionem, producunt Spiritum sanctum; quemadmodum dicimus, Ignis calefaciendo producit calorē, Pater generando producit Filiū.

8. *Secunda obiectio ex Suarez.*

Obiicies 2. ex Suarez sup. quia S. Thom. hic ad 2. sic arguit, Actio in creaturis solum dicit mutationem cum relatione. Sed in diuinis excludenda est imperfectio mutationis. ergo ibi nihil aliud esse potest actio nisi sola relatio.

Respondetur declarando doctrinā articuli ad 2.

Respōdeo, quoad mentem S. Thomæ attinet, iam diximus, illum loqui de actione prout dicit aliquid proprium distinctum à termino, & productione passiua termini; quod in diuinis aliud esse nō potest nisi relatio. Quoad vim verò argumenti, pro maiori declaratione maioris dico, quòd omnis actio, quatenus actio, etiam in creaturis, præter relationē, importat ipsum actum secundum agentis, v.g. calefactionem, intellectionē, &c. Est enim actio, ipsa ratio formalis, & vltimata, qua agens agit; siue est ipsū agere principij actiui, perfectè cōstituti in actu 1. potētis agere, quod essentialiter præsupponitur ad agere. Hic verò actionis conceptus non potest consistere in sola relatione agētis ad passum, seu principij ad principiatum, cū hæc relatio præsupponat actionem, tamquā fundamentū proximū. Hæc autem duo ad conceptū actionis pertinentia, nimirum tā relatio, quā actus, includūt in rebus creatis imperfectionem mutationis, seu motus: hoc est, cuiusdam tendentiæ de non esse ad esse, cum nouitate, vel saltē dependētia & diuersitate essendi, ac naturæ. Ablata igitur huiusmodi imperfectione ab actione diuina, remanebit non pura relatio, sed actus absolutus cum relatione.

9. *Tertia obiectio ex eodē.*

Obiicies 3. ex eodē Suarez. In natura diuina simplicissima, ac perfectissima, poni non potest intellectus, aut voluntas, vt potētia; & intelligere, aut amare, vt actus; quemadmodum ponitur in creaturis intellectualibus ob earū imperfectionē & potētialitatem. Deo igitur competit solum intellectus, qui per se ipsum & essentialiter sit vltimus actus, & completa perfectio intelligendi: & idem de voluntate, & actu volendi. Sed in diuinis, intellectus & voluntas sunt principium *quo* proximum productionis, sicut essentia est principiū *quo* radicale, & quasi remotū. Ergo etiam intelligere, & velle. Ergo hic actus non possunt esse ipsęmet vltimatæ producendi rationes.

Respondetur distinguendo in intellectu, & voluntate Dei rationem potentiæ, & actus.

Respondeo negando vltimam consequentiam. Quāuis enim vt infrà a. 4. ostendā, in diuinis personis producentibus poni nequeat potētia ad origines actiuas: quia persona producens non distinguitur à productione actiua, sicut distinguitur à passiua; non potest autē potentia poni ad aliquid ab ipsa prorsus indistinctum: tamen admittenda est potentia ad origines passiuas, à quibus realiter distinguitur persona producens. In ordine autē ad processiones passiuas, eadē simplicissima intellectionis & volitionis entitas, dupliciter cōcipi, ac distingui à nobis debet. Primò vt aliquid perfectè constituti in actu primo, siue vt habens vim & potentiam ad producendum aliud intra se ipsum, à se realiter distinctum; & sic dicitur Intellectus, Voluntas, Potentia notionalis, & Principiū *quo*. Secundò, vt aliquid omnino actuale, siue vt vltima & completa ratio actualis producendi; & sic dicitur, & concipitur vt intelligere & velle, & vt actio, & actiua processio, & origo, & actus notionalis. Idem enim simplicissimus, ac perfectissimus gradus intellectiuus, ac volitiuus in Deo, ob sui infinitatē, respectu rerū à se distinctarū, habet simul duplicem vim, & potētię, & actus; quā, vim creaturę, ob limitationē, habēt diuisā per potentiā ab actione distinctā.

10. *Actus notionalis dicit etiam in recto relationē, sed minus principaliter.*

Secunda conclusio. In eodem formali, & intrinseco conceptu actus notionalis, includitur etiam in recto relatio: quamuis minus principaliter. Hoc secundum conclusionis membrum, quod solum intēdunt Zumel hic disp. 1. conclusione 4. & alij recentiores, dicentes, Relationē in actu notionali includi connotatiuè, non in recto, patet ex eo quòd, vt mox ostendam, relatio includitur non vt actus ipse, sed vt ratio distinguendi actum à termino, seu principio. Multò autem principalius in origine est, id

id quo formaliter res procedit, quam id quo formaliter distinguitur processio à procedente, vel producente. Primum membrum ponitur ab Arrubal hic disp. 140. à num. 8. & est omnium commune.

Probatur à posteriori. Et probatur primo à posteriori. Processiones formaliter, & actus notionales quatenus tales, & secundum id quod in se ipsis intrinsecè sunt, non sunt communes omnibus tribus personis: v. g. generare dicitur Pater, non Filius: contra vero generari dicitur Filius, non Pater. Ergo præter actus absolutos communes, debent in se ipsis intrinsece includere aliquid proprij; quod, vt ex superioribus

Probatur à priori. constat, esse non potest nisi relatio. Secundo à priori. Omnis res producta, debet in suo intrinseco esse includere aliquid per quod distinguatur à suo principio productiuo; nihil enim sui ipsius actiuum principium esse potest. Sed non solum persona procedens, est producta *vt quod*, verum etiam ipsa processio passiua est producta *vt quo*; cum enim non sit simpliciter ex se, debet esse aliquo modo ex vi sui principij, tamquam ratio formalis identificata cum persona procedente, quæ per illam processionem formaliter procedit. Ergo intrinsece in se ipsa includit aliquid distinctum à persona producente; quod non potest esse nisi respectiuum, cum sola relatio in Trinitate distinctionem ac multitudinem pariat. Sicut igitur Filius Dei in producto esse distinguitur à Patre per intrinsecam inclusionem filiationis in esse producto & permanenti; ita idem Filius in produci distinguitur à Patre per intrinsecam inclusionem eiusdem filiationis vt in produci, & in via. Similiter à contrario, omne principium productiuum, ac proinde, ipsamet actiua productio, quæ etiam producit aliqua ratione, scilicet non *vt quod*, sed *vt quo*, cum sit formalis & vltimata ratio, per quam actiuè procedit quidquid ab illo principio passiuè procedit siue vt *quod*, siue vt *quo*, esse debet in se distinctum à termino siue in esse producto, siue in produci. Ergo debet in se ipso intrinsece includere conceptum relatiui; ex quo solum haberi potest distinctio in diuinis, vt non semel in superioribus probatum est. Actus igitur notionalis, siue origo includit intrinsece & actum absolutum, communem tribus personis, & relationem aliquam propriam, quæ sit in persona producente, non in producta, vel in persona producta, non in producente.

11. *Probatur ex Patribus.* Tertio afferri possunt nonnulla Patrum dicta, quæ videntur contra primam conclusionem, sed verè nihil aliud probant nisi secundam. Athanasius Dialogo 2. de S. Trinit. inter med. & finè ait, *Generatio non est essentia*: quia scilicet etsi importet intelligere, quod est essentia; tamen simul etiam importat relationem, quod non est essentia, seu potius de essentia Deitatis. Similiter cum Cyrillus Dialogorum de Trinit. l. 1. propè finem scribit, *Pater, pater, & non Filius, quia genuit; Filius autem, iterum filius, quia genitus est*: significat in essentiali conceptu generationis actiuæ includi paternitatẽ, non tamen ab illo excludi naturam, & actum intelligendi; sic etiam in conceptu essentiali generationis passiuæ includi filiationem, non autem ab illo excludi intellectionem. Anselmus quoque epistola de Processione Spiritus sancti c. 2. post medium ita habet. *Sola causa pluralitatis est in Deo, quia prædictis duobus modis est Deus de Deo: quod totum*, inquit, *potest dici relatio*: nimirũ, non quòd Deum de Deo procedere sit sola relatio, sed quia in intrinseco suo cõceptu includit relationẽ, ex qua solũ haberi potest pluralitas in diuinis. Vnde c. 3. paulò post principium ait, *Supradicta relationis oppositio ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est.* Si relatio nascitur ex eo quòd Deus de Deo est, siue ex actu notionali; ergo hic non est sola relatio. Bernardus etiam ep. 190. propius ad med. quam ad principium, cum dicit, *Quòd alter ex altero, vel alterum ad alterum veracissimè dicitur, personarum designatio est*: pro eodem vsurpat processionem & relationem, non quòd idem omnino sint, sed quia tam per processionem, quàm per relationem habetur personalitatis conceptus, quo designantur personæ. Demum in eodem sensu multi Patres citati supra quæst. 40. art. 2. num. 58. asserunt, Diuinas personas distingui & constitui per origines, quia distinguuntur & constituuntur per relationes in recto inclusas in formali & intrinseco conceptu originum.

DVBITATIO II.

Quo pacto actus notionales ab essentia, & à persona & inter se distinguantur.

SVMMA.

1. *Quemlibet identificari cum essentia non adæquatè, sed inadæquatè, num. 12.*
2. *Actum notionalem passiuum identificari adæquatè cum persona per illum productam, num. 13. ad 16.*
3. *Actus notionales passiuos distingui realiter inter se, num. 16.*
4. *Actus notionales actiuos identificari cum personis producentibus, non cum productis, num. 17. ad 21.*
5. *Actus notionales actiuos non distingui à parte rei inter se; item nec generari à spirare, n. 21.*
6. *Cur in creatis, non autem in diuinis actio identificetur cum termino, num. 22.*
7. *Non dari in diuinis reale principium productionis actiuæ, num. 23.*
8. *Quot sint actus notionales, ibidem.*

12. *Quilibet cum essentia identificatur inadæquatè.* PRima conclusio. Nullus actus notionalis identificatur adæquatè cum essentia diuina, sed solum inadæquatè. Ita omnes, qui per identitatem adæquatam, siue conuertibilem, & immediatam, intelligunt illam, qua duo ita inter se sunt idem, vt cum quocunque vnum est idem, sit etiam aliud; & à quocunque vnum distinguitur, distinguatur pariter aliud: quam identitatem habent v. g. paternitas & Pater. Contra vero per identitatem inadæquatam, intelligunt illam, qua duo ita sunt idem, vt tamen vnum identificetur cum aliquo tertio, à quo aliud distinguitur; quo modo sunt idem v. g. paternitas & Deus, nam Deus est idem cum paternitate & filiatione, quæ inter se realiter distinguuntur. Conclusio ita explicata, certa est apud omnes, quia actus notionalis, si non est sola relatio, tamen secundum omnes aliquo modo essentiali includit relationem v. g. generatio actiua includit paternitatem, natiuitas includit filiationem, processio Spiritus sancti includit relationem spirationis passiuæ. Inquit enim S. Thomas hic ad 2. initio, *Actus notionales, secundum modum significandi tantum differunt à relationibus personarum, sed re sunt omnino idem.* Vbi etiam probat dictum Magistri, *quòd generatio & natiuitas, aliis nominibus dicuntur paternitas & filiatio.* Sed singulæ istæ relationes ita identificantur cum essentia, vt non identificentur cum omni eo cum quo identificatur essentia, quod est identificari inadæquatè cum essentia; quia vna relatio distinguitur realiter ab alia relatione, & tamen neutra distinguitur ab essentia. Ergo eadem ratione inadæquata identificatur actus notionalis cum essentia. Igitur actus notionalis, quãuis si consideretur quoad actum absolutum, quem intrinsece & magis principaliter importat, sit adæquate identificatus cum omnibus personis, quibus communia sunt omnia absoluta, & consequenter cum essentia; tamen consideratus quoad relationem, quam etiam intrinsece includit in recto, tametsi minus principaliter, ita inadæquatè identificatur essentiæ, sicut inadæquatè identificatur essentiæ ipsa relatio v. g. quia generatio actiua inuoluit intrinsece paternitatem, sicut paternitas non adæquatè, sed inadæquatè est idem essentiæ, ita etiam illa generatio. Præterea mox probabo, quemlibet actum notionalem adæquatè identificari cum aliqua persona, & non cum omnibus tribus personis. Sed nulla persona identificatur adæquatè cum essentia, quia quælibet persona distinguitur ab aliis, essentia vero à nulla persona distinguitur. Ergo etiam nullus actus notionalis adæquatè identificatur cum essentia.

13. *De identificatione actus notionalis passiui.* Secunda conclusio. Actus notionalis passiuus identificatur adæquatè cum persona producta per illum actum; & consequenter cum relatione constitutiua eiusdem personæ: quoniam quælibet persona & relatio illius constitutiua sunt idẽ adæquatè v. g. natiuitas adæquatè identificatur cum Filio, eiusque filiatione. Sic etiã processio adæquatè identificatur cum Spiritu sancto & relatione spirationis passiuæ, constitutiua personæ Spiritus sancti. Hæc teste Suarez l. 6. de Trinit. c. 1. n. 4. est omnium plane sententia, & significatur à Scriptura & Sanctis omnibus, vocantibus Filium Dei proprio nomine Vnigenitum: hoc enim necessario supponit, esse genitum, quod est actus notionalis passiuus, nulli termino diuino tribui posse, nisi vni & soli Filio; alioqui tale nomen non posset dici vnius tantum personæ proprium: sicut à contrario, hoc nomen, Deus, quia non vni tantum personæ conuenit, non potest illo propriè intelligi aut solus Pater, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus; & ideò Deus non est idem adæquatè cum singulis personis. Si igitur passiua geniti origo de vno, & solo Filio propriè dicitur, illa erit adæquatè & conuertibiliter idem cum Filio: quia sicut in diuinis est Vnigenitus, ita est vnicus Filius. Quod indicauit Ambrosius libro 2. Fidei in Prologo prope medium illis verbis, *Tria illa, id est generatio, Filius, Vnigenitus, principaliter & propriè indicant ex Deo Filium.*

Ambrosius.

14. Idem significant Patres citati supra quæst. 40. art. 2. num. 47. & 58. frequenter asserentes, quòd personæ distinguuntur & constituuntur per origines, & propterea has esse proprietates personarum. Addi possunt Nazianzenus oratione in laudem Heronis, non longè à fine. *Proprium Patris est, quòd generatus non sit; Filij autem generatio, at Spiritus sancti emissio.* Athanasius quæst. 5. de natura Dei. *Omnia æqualiter habet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, præterquam proprietates suas. Proprium enim Patris, ingenitum esse; Filij verò, genitum; Spiritus sancti, procedere.* Basilius libro 2. contra Eunomium, multò ante finem *Genitum, & ingenitum, specifica ac declarativa sunt proprietates.* Anastasius Synaita in 1. tomo Bibliothecæ veterum Patrum libro 1. de rectis Fidei dogmatibus, inter principium & medium, *Ingenitum, & genitum, & processio, sanctam constituunt Trinitatem.* In tomo autem 4. alter Anastasius Patriarcha Theopolitanus in compendiaria Fidei expositione sub init. *Filius à Patre differt hypostasi, quatenus Pater est ingenitus, Filius autem genitus; est enim ex Patre: Spiritus sanctus vero differt à Patre & Filio hypostasi, quatenus procedit.* Denique Toletanum XI. in Professione Fidei aliquantò post medium, *est vnicuique personæ manens sua proprietas. Pater enim æternitatem habet sine natiuitate, Filius*

Naz ianz en. Athanasius. Basilius. Anastasius Synaita. Anastasius Theopolitanus. Toletanum XI.

æternitatem cum natiuitate, Spiritus vero sanctus processionem sine natiuitate. Si actus notionalis passiuus est proprius vnius tantum personæ productæ, vt generari est proprium Filij, procedere est proprium Spiritus sancti. ergo adæquatè identificatur & conuertitur cum persona producta.

15. *Probatur primo ratione.* Ratio conclusionis est, quia processio passiua, est ipsamet persona vt in produci, & intrinsece includit relationem personæ procedentis; natiuitas enim includit filiationem, & processio includit relationem spirationis passiuæ. Sed personalis relatio identificatur adæquatè cum persona, cuius est personalitas, quia & identificatur cum omni eo quod identificatur cum persona, & distinguitur ab omni eo quod à persona distinguitur. Qua in re processio passiua diuina conuenit cum creata, quia hæc etiam est ipse terminus in fieri; licet differant in eo quòd creata distinguitur à parte rei modaliter à termino; non autem diuina; propter summam simplicitatem, & infinitam perfectionem personæ productæ. In qua rerum creatarum distinctione fundati, nos ratione distinguimus à persona producta formalitatem quandam qua persona producta recipit in se suum esse ab alia persona producente, absque dependentia aut quauis alia imperfectione, quam habent passiones creatæ. Quam formalitatem S. Thomas supra quæst. 40. art. 2. aliquanto ante fin. corp. & art. 4. post med. corp. vocat viam, dicens, *Origo passiuè significata, vt natiuitas, significatur vt via ad personam subsistentem, & proprietate constitutam, & nondum vt eam constituens.* Eodemque modo alij Theologi loquuntur. Vnde in Concilio Florentino sess. 18. col. 3. §. *ex tuæ.* Ioannes Theologus ait, *Processio videtur esse via ab vno in aliud.* Cui Marcus, Græcorum nomine statim respondet, *Eam intelligo processionem esse, qua sanctus Spiritus à Patre accipit esse, ac illud totum quo est, quòque propriè sanctus Spiritus nuncupatur.* Verum sicut ad explicandam identitatem, saltem realem, termini & passionis, siue passiuæ originis in rebus creatis, hæc dici communiter solet ipsemet terminus non prout est in facto esse, sed prout est in fieri; ita in diuinis ad explicandam omnimodam identitatem, quam in re habent terminus productus & origo passiua, hæc aptius dicitur ipsemet Filius, vel Spiritus sanctus, non prout est in esse producto, sed prout est in produci. Vtor cautius generaliori & abstractiori verbo producendi; quamquam Vasquez in commentario huius articuli notando 2. ita loquatur, *Generatio passiua nihil aliud est quam filiatio in fieri, & in via.* Sed quia in plerisque Fidei Symbolis fatemur, Filium & Spiritum sanctum generari & procedere, non fieri, castigatius loquendum cum Suarez l. 6. de Trinit. c. 1. n. 2. dicente, *Origines, vt via, & quasi in fieri significantur: quia*, vt addit, num. 4. *ibi non est proprium fieri, quantum ad imperfectionem, quam importat, sed ita concipitur ac si esset*: nimirum ex imperfectione modi nostri concipiendi absque vllo fundamento in ipso Deo, sed tantum cum fundamento imperfectionis creaturarum.

Produci distinguitur ratione à producto, & quid formaliter sit origo passiua.

Vasquez.

Suarez.

16. *De distinctione actus notionalis passiui.* Tertia conclusio. Actus notionales passiui, vt generari, spirari, distinguuntur realiter inter se. Sequitur necessario ex præcedenti conclusione, & ab omnibus conceditur: si enim generari, seu natiuitas identificatur adæquatè cum Filio & filiatione; & spirari, seu processio identificatur adæquatè cum Spiritu sancto & spirationis passiuæ relatione, ipsum constituente; ergo sicut Filius & Spiritus sanctus, seu filiatio & relatio passiuæ spirationis inter se realiter distinguuntur, ita etiam generari & spirari, seu natiuitas & processio inter se distinguantur necesse est.

17. *Origo actiua identificatur adæquatè ab persona producente.*

Quarta conclusio. Actus notionalis actiuus, vt generare, spirare, adæquatè identificatur cum persona producente, eiusque relatione. v. g. generatio cum Patre & paternitate; spiratio cum Patre & Filio, ac relationibus paternitatis, filiationis, & actiuæ spirationis. Et consequenter, actus notionalis actiuus realiter distinguitur ab actu notionali passiuo, vt generatio à natiuitate, spiratio à processione: si enim actus passiuus adæquatè identificatur cum persona producta, vt in conclusione secunda & actiuus adæquatè identificatur cum persona producente, vt dicitur in hac quarta conclusione; ergo, quia persona producens realiter distinguitur à producta, debet etiam actus notionalis actiuus realiter

S.Thomas. distingui à passiuo. Ita expresè S. Thomas hic ad 2. *In diuinis*, inquit, *actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quam habitudo principij ad personam: quæ quidem habitudines, sunt ipsæ relationes, vel notiones.* Si actio est habitudo principij producẽtis ad personam productã; ergo est in persona producente, non in producta. Idem aperte deducitur ex eo, quòd actio sit relatio producentis; quæ procul dubio est in producente, non in producto. Et sequuntur ferè omnes, paucis quibusdam exceptis, præsertim recentioribus dicentibus, tam passiuam, quam actiuam originem, adæquatè identificari cum persona producta, & realiter distingui à persona producente: eamdem enim filiationem v. g. vt est in via, posse dupliciter concipi; primo vt est egrediens à Patre, &

Suarez. sic esse generationem, & distingui realiter à Patre, quia ab illo realiter fluit. Secundo vt tendit ad Filium, & sic esse natiuitatem. Quam sententiam vt probabilem multis explicare conatur Suarez l. 6. de Trinit. cap. 2. præsertim num. 6. & 7. pro eaque refert S. Thomam & Riccardum, qui tamen in alio sensu loquuntur, vt infra dicam num. 21. & 23. Sed absolutè eam confutat. Et quidem clarè contradicunt Magistro, cuius pronunciatum refert & probat S. Thomas hic ad 2. *quòd generatio & natiuitas, aliis nominibus dicuntur paternitas, & filiatio.*

18. *Probatur cõclusio ex Patribus.*

Probari potest conclusio primum ex Patribus, ex quibus multi afferuntur citati supra quæst. 40. art. 2. n. 58. dicentes, Patrem differre à Filio, quia ille genuit, hic genitus est. Quod quidem non multum vrget: nam aduersarij facilè respondebunt, ex eo quod Pater generet, non sequi, Generare esse in Patre, sed satis esse, si generare sit à Patre; sicut in agentibus creatis, agere est ab agente, non in agente. Per diuinum igitur generare, dicitur Pater differre à Filio, non quòd ipsa generatio sit intrinseca Patris differẽtia, sed quia per actiuum illius generationis principium Pater intrinsece differt à Filio. Grauius vrgent verba illa Athanasij Dialogo 1. de sancta Trinitate col. 3. initio. *Nulla est differentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, neque in natura, neque in voluntate; sed in eo demum aliqua, quòd gignere & gigni, emittere & procedere, siue emitti, inter se differunt.* Si istæ processiones actiuæ & passiuæ, inter se differunt, ergo non possunt esse in vna eademque simplicissima persona, neque in essentia omnibus personis communi per omnimodam identificationem. Ergo si passiua processio, vt ipsi etiam aduersarij fatentur supra in secunda conclusione, identificatur adæquatè cum persona producta, processio actiua debet adæquatè identificari cum alia realiter distincta persona producente. Præterea Cyrillus libro 1. Thesauri cap. 6. propè finem, concedit hæreticis, *Actiuam esse generationem Patris. Sed sicut actiua est*, inquit, *sic naturalis, & substantialis, & inseparabilis ab hypostasi.* Ergo identificatur *hypostasi Patris, non hypostasi Filij.* Ambrosius l. 1. de Fide, c. 2. aliquanto ante medium, *Inter Patrem & Filium, generationis expressa distinctio est.* Ergo non omnis generatio, tam passiua, quam actiua est in Filio; alioquin inter Patrem & Filium, esset quidem expressa distinctio relationis, non tamen generationis. Vt igitur inter Patrem & Filium sit etiam expressa distinctio generationis, debet vna generatio passiua poni in Filio, & alia realiter distincta generatio actiua poni in Patre. Fulgentius ad primam obiectionem Arianorum circa principiũ. *Dum vera Patris generatio, & vera Filij natiuitas prædicatur in vno genitore, & vno genito, non solũ vnitas substantiæ, verum etiam in vnoquoque proprietas possit agnosci personæ.* Generatio & natiuitas non ponũtur simul in vno solo genito, sed generatio ponitur in genitore, natiuitas in genito: & ita per generationem agnoscitur proprietas Patris, per natiuitatem proprietas Filij.

19. *Probatur ex Bessarion.*

Probatur secũdo ex Bessarione in oratione dogmatica habita pro vnione ad omnes Græcos Patres Cõcilij Florentini, in c. 6. aliquantò post medium, vbi de relatione & origine docens, quòd *secundũ modum intelligendi differunt, re tamen non differunt*, exemplificat de paternitate, & generatione. Ergo generatio actiua non est in Filio; sic enim re differret à paternitate. Qua propter ibidem docet, quamlibet diuinam personam constitui & distingui, non solũ relatione, sed etiã origine, vt ex multis etiam Patribus relatum est supra q. 40. art. 2. n. 58. & 59. Hoc autem falsum esset, si in Patre, vbi nulla est origo passiua, nulla etiam esset origo actiua: tunc enim nulla ratione dici posset persona Patris cõstitui & distingui per originem, sed solum per relationem. Probatur 3. ex verbis Lugdunensis & Florentini adductis supra q. 36. art. 4. initio decernentium *Spiritum sanctum ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio; non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedere.* Ex qua connexione spirationis cum principio spiratiuo, satis manifestum est, Concilia nomine spirationis intelligere non relationem, non originem passiuam Spiritus sancti, sed vnicam actiuæ spirationis originem quæ est in Patre & Filio. Non est autem maior ratio cur spiratio actiua identificetur adæquatè cum duabus personis spirantibus; & generatio actiua non identificetur adæquatè cum vna persona generante.

Probatur ex Concilijs.

20. *Probatur rationibus.*

Probatur quarto ex dictis supra dub. 1. de quidditatiuo conceptu cuiusliber actus notionalis, qui vel est sola relatio, vt multis placet, vel intrinsece includit relationẽ, vt probatũ est n. 10. Quapropter si generatio actiua includit paternitatẽ, & spiratio actiua relationẽ spiratoris, ergo nõ possunt adæquatè identificari, nisi cũ iis, cũ quibus adæquatè identificatur relatio Patris, & relatio spiratoris. Sed illa adæquatè identificatur cũ Patre, & distinguitur realiter à Filio eiusque passiua origine; & hæc adæquatè identificatur cum Patre & Filio, & realiter distinguitur à Spiritu sancto, eiusque processione: ergo quælibet processio actiua adæquatè idẽrificatur cum persona producente, & distinguitur realiter à persona producta, & à processione passiua. Probatur quinto, quia inter esse Patrẽ, & esse generãtẽ, nulla apparet oppositionis ratio, imò verò maxima affinitas & cohærẽtia: similiter inter esse spiratorẽ, & esse spirantẽ. Ergo actiua generatio, & spiratio, poni non potest identificata cum genita, & spirata persona; & cõsequenter distincta realiter à persona generãte, & spirãte; quia in diuinis, si non obuiet aliqua oppositio, omnia sũt vnũ. Contra vero inter generare & generari, seu terminũ generatũ, inter spirare & spirari, seu terminum spiratũ manifestè apparet oppositio, saltẽ producẽtis & producti; quia omnis actio realis, est aliqua formalitas vi cuius agẽs verè ac realiter producit, & dat esse termino. Ergo illa esse debẽt inter se realiter distincta. Ergo esse non possunt in eadem persona genita, aut

aut spirata, quæ cum simplicissima sit, nullam in se pati potest distinctionem ex natura rei. Ergo diuidi debent, & poni in distinctis realiter personis; nempe actiua origo identificata adæquatè cum persona producente, & passiua identificata adæquatè cum persona producta.

21. *Origines actiuas non distingui inter se: itẽ nec generari à spirare.*

Quinta conclusio. Actus notionales actiui, nempe generatio actiua Filij, & spiratio actiua Spiritus sancti, inter se non distinguuntur à parte rei; sicut etiam nec generatio passiua Filij distinguitur ab eadem actiua spiratione. Sequitur ex dictis; quia si generatio actiua est in Patre, & in eodem est spiratio actiua, vt precedenti conclusione probatum est, non possunt isti actus notionales in vna eademque simplicissima persona vllam in re distinctionem inter se habere. Similiter de generatione passiua Filij, quæ secundum omnes est in Filio, & de spiratione actiua, quã conclusione præcedenti probauimus esse etiam in Filio. Neque contrarium sentit Riccardus 1. d. 13. art. 1. q. 3. probans, generationem & spirationẽ distingui realiter; nam manifestè loquitur de spiratione passiua Spiritus sancti, quæ realiter distinguitur ab omni generatione, sicut & ipsemet Spiritus sanctus. Ita vero Pater, seu paternitas, seu generatio actiua identificatur spirationi actiuæ, vt non identificetur adæquatè, quia realiter distinguitur à Filio, eiusque filiatione, & passiua generatione, cum quibus realiter identificatur eadem actiua spiratio, quæ vnica est in duabus personis Patris & Filij. Idem omnino dicendum de spiratione actiua & relatione spirandi, quia hæc etiam, sicut ipsa origo spirandi, est vna & eadem communis Patri & Filio. Ergo tam Pater, seu generare, quam Filius, seu generari identificatur inadæquatè cum spirandi relatione, sicut cum origine. Si vero inter se comparentur, identificantur adæquatè; quoniam ita identificantur, vt à quocunque distinguitur origo, distinguatur etiam relatio; & à quocunque distinguitur relatio, distinguatur etiam origo. Quod quidem assero propter identitatem quasi materialem, non autem formalem: quia cum principium spiratium formaliter non constituatur ex ista spirandi relatione, vt supra q. 36. art. 4. à num. 16. Sed ex ipsis paternitatis & filiationis relationibus, præcisis à communi relatione spirandi, ipsa quoque actiua spirandi origo in Patre & Filio præconcipienda formaliter est, vt identificata cum paternitate & filiatione, sub quo conceptu habet totum id quod requiritur ad formalem rationem originis spirandi, antequam concipiatur identificata cum spirandi relatione, quæ concipitur aduenire Patri & Filio post actiuam spirationem Spiritus sancti: de hac enim scripsit S.

S.Thomas. Thomas supra q. 4. art. 4. post med. Corp. *Actus notionalis spirationis, secundum intellectum præcedit proprietatem relatiuam innominatam, communem Patri, & Filio.*

22. *Obijcitur cõtra quartam conclusionem.*

Obiicies præcipuum fundamentum aduersariorũ quartæ cõclusionis. Productio actiua nihil est aliud, quam ipse terminus vt in via, & in fieri, seu producier ergo identificatur cum termino producto, ac proinde cum ipsa productione passiua; quemadmodum accidit in omnibus rebus creatis, in quibus actio & passio identificantur, si non omnino ex natura rei, saltem realiter cum termino producto, & inter se; vt calefactio v. g. cum calore; productio actus intelligendi cum ipso actu, & verbo; & creatio Angeli cum Angelo. Sed terminus productus, etiam in diuinis, est realiter distinctus à producente; ergo

Respondetur actionẽ identificari cum termino in creatis, non in diuinis.

processio actiua adæquatè identificatur cum persona producta, & realiter distinguitur à producente. Respondeo, primum antecedens esse verum de creatis actionibus, & passionibus; falsum vero de diuinis processionibus, & notionalibus actibus. Dispa-

ritas oritur ex infinitate omnino illimitata perfectionis naturę diuinæ. Hinc enim necessario prouenit, vt inter principiũ & terminũ non possit cũ fundamẽto in re cogitari media aliqua principiãdi ratio distincta realiter à principio: sic enim cõciperetur, & re ipsa esset imperfectũ principium in ratione principij, seu principiandi, cũ non haberet sibi identificatã actionem, quæ sine dubio ad generică principij rationẽ spectat, & pertinet ad completã atque vltimatã perfectionẽ principij in genere principij; cũ sit ipsa formalis principiatio actiua, qua formaliter & proximè ipsum principiũ principiare intelligitur. Si igitur hæc poneretur realiter distincta à principio, poneretur principiũ limitatũ in ratione principij nõ habens in se omnẽ principiandi rationẽ, cum qua nullã habet oppositionem: quæ carẽtia repugnat principio diuino, h. e. simpliciter infinito in sua saltẽ generica principiandi ratione; non autẽ principio creato, & finito, & habenti quasi diuisam rationẽ principij in actum primum, & actũ secundũ realiter ab actu primo distinctũ, quemadmodum eadẽ ratione, creaturę intellectuales, & nõ Deus, intelligunt per actũ secundum intelligendi distinctũ ab actu primo potẽtiæ intellectuæ, siue intellectus, vt pluribus ostendi in primo tomo q. 4. art. 2. dub. 8. & 9. Eadẽ disparitas, allata ex parte principij producẽtis, afferri pariter potest ex parte principij producti; quod in diuinis, nõ autẽ in rebus creatis, habet omnimodã infinitatẽ & simplicitatem, cum qua planè pugnat actio idẽtificata cũ termino producto. Enim vero necessariũ est, vt omnis actio in quantũ actio, ac proinde, actio etiã diuina, distinguatur in re à suo termino, quia est realis influxus in terminũ; ergo requirit aliquã distinctionem ex natura rei à termino: alioquin idẽ in re esset influxus sui ipsius, & haberet oppositionẽ ad se ipsum. In eadẽ autem diuina persona, perfectissima ac simplicissima, non possunt reperiri duo à parte rei distincta. ergo proprium esse debet actionis diuinæ ad intra, vt sit in principio producente, distinctio realiter à termino producto; non autẽ in ipso termino. Cõtra vero creatura producta, ob sui limitationẽ & imperfectionem, habere potest in se ipsa actionem ex natura rei distinctam à termino producto. Neq; ex dictis sequitur, nõ posse in diuino termino producto poni ipsũ produci, quod est quasi passio, sicut probatũ est nõ posse poni ipsũ producere, quod est quasi actio: quoniam passio non cõparatur ad terminũ, tanquã ratio influẽdi in terminũ, sicut cõparatur actio; sed solũ rãquã formalis ratio recipiẽdi ab agẽte: quæ absq; vlla oppositione ita cohæret cum recipiente sicut actio cum agente. ergo sicut actio nõ necessario opponitur agẽti, & ab agẽte distinguitur; ita passio nõ necessario opponitur passo, seu termino producto, ab eoque distinguitur.

Cur in persona producta sit productus, nõ autem producere.

23. *Nõ dari principium originis actiua.*

Ex qua tota solutione sequitur, Personam producentẽ in diuinis, non esse reale principium originis actiuæ, sed solum per illam esse reale principium & personæ productæ, & eius passiuę productionis, siue originis; licet contrariũ accidat in creaturis ob disparitates assignatas. Neque verè cõtradicit S. Th. de potentia q. 2. art. 5. ad vltimũ, dũ docet, dari in Deo omnipotentiam respectu generationis Filij, sumptæ non per modũ relationis, ad quam 5. Phys. c. 10. non est motus, sed *per modum actionis, & per modum hypostasis subsistentis*: hic enim non considerat actionẽ vt distinctã à passione, quam generationis actionẽ locis citatis supra n. 17. manifestè ponit in Patre, non in Filio; sed sumit actionem pro actu notionali, ad quẽ prout existentẽ in persona producto, quo modo est passio, nõ prout existentẽ in persona producẽte, quo modo est actio, est omnipotẽtia. Sequitur præterea, actus notionales in diuinis, præsertim cõsideratos

S.Thomas.

Quot sint actus notionales.

ratos sub ista formali ratione ac denominatione actus esse tantum duos; alterũ intellectus, & dicitur generatiõ; alterũ voluntatis, & dicitur spiratio, seu processio. In quo sensu S. Th. supra q. 27. tota, præcipuè art. 3. & 5. docet ac probat, esse duas tantum processiones. Quamuis enim duæ sint origines actiuæ, nempe generatio Filij, & spiratio Spiritus sancti; & duæ quoque origines passiuæ, nempe natiuitas Filij, & processio Spiritus sancti: tamen actus notionalis, quatenus talis, dicitur propriè per cõparationem ad potentiã notionalẽ, de qua infra, art. 4. & 5. Potentia autẽ notionalis datur in Deo, non respectu originum actiuarum, sed solum, vt probatum est, respectu passiuarum, quæ tantum duæ sunt. Præterea actus notionales cõcludunt intrinsece & essẽtialiter actus absolutos, vt supra à n. 2. qui tantũ duo sunt, nempe intellectus & voluntatis: sed quia coniũguntur cũ quatuor relationibus, paternitatis, filiationis, spirationis actiuæ, & spirationis passiuæ, dicuntur constituere duos actus notionales actiuos & duos passiuos.

ARTICVLVS II.

Vtrùm actus notionales sint voluntarij.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd actus notio nales sint, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Exponitur titulus articuli, num. 1.*
2. *An actus notionales sint voluntarij voluntate concomitante, num. 2. ad 5.*
3. *Quem ordinem voluntas generandi habeat ad generationem, num. 5. ad 10.*
4. *An actus notionales sint voluntarij voluntate antecedente, num. 10. ad 17.*
5. *An sint naturales, & necessarij, n. 17. ad finem Art.*

1. *Exponitur titulus articuli.*

HOc loco, vt manifestè supponitur initio Corp. esse voluntarium, idem significat quod esse volunrate. Quare quæsiti sensus distinctior, & planior est, vtrum voluntate Pater generet, Filius generetur, Pater, & Filius spirent, Spiritus sanctus spiretur. *Aliquid autem esse vel fieri voluntate*, inquit S.Th. *dupliciter potest intelligi. Vno modo vt ablatiuus designet concomitantiam tantum; sicut possum dicere, quod Ego sum homo meâ voluntate; quia scilicet volo me esse hominem; & Deus est voluntate Deus, quia vult se esse Deum. Alio modo, quod ablatiuus importet habitudinem principij; sicut dicitur quod Artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis.* Iuxta duo huius distinctionis membra, quæ vocatur ab Henrico 2. p. summæ art. 54. q. 3. litera D. *distinctio magistralis*, ponuntur duæ conclusiones vniuersales de quouis actu notionali; ad quas reuocari facilè possunt nonnullæ aliæ quæstiones, quas sub aliis terminis nonnulli mouent, vt, An actus notionales sint necessarij, An liberi, An naturales.

DVBITATIO I.

An actus notionales sint voluntarij voluntate concomitante.

SVMMA.

1. *Conclusio affirmatiua eiusque declaratio, n. 2.*
2. *Probatur primo authoritate Scripturæ, ibidem.*
3. *Probatur secundo authoritate Patrum, n. 3. & 4.*

2. *Conclusio affirmatiua.*

VNica conclusio, omnis actus notionalis est voluntarius voluntate concomitante, hoc est, nõ causaliter, siue effectiue, sed obiectiuè tantum tendente ad generationem, & spirationem. Ita omnes, quamuis enim controuersia sit, vt mox referam, an hæc voluntas, qua diuinæ personæ volunt suos actus notionales, sit prior actibus; tamen nemo est qui dicat eam esse principium actuum, & ideò vocant concomitantem, hoc est, comparatam ad actus, non tamquam ad effectus, sed tamquam ad obiecta, cum quibus necessariò coniuncta est; hoc S. Thom. tamquam omnino certum, non tam probat, quàm à pari explicat dicens, quod Deus Pater sicut *est voluntate Deus, qui vult se esse Deum*; ita est voluntate Pater & generans, quia, inquit, *vult se generare filium*, & esse Patrem. Quo patet, hanc voluntatem concomitantem, esse amorem omnino necessarium, circa obiectum, necessario, & formaliter existens intra ipsum Deum; ac proinde non esse amorem efficacem, qui est causa vt aliquid sit, sed esse amorem simplicis complacentiæ de bono necessario, & æterno, & increato; quod ex probatis supra in 2. tom. quæst. 19. art. 2. & 3. Deus per voluntatem suam non potest non amare. Quem amorem non obscurè significant multa Scripturæ loca, præsertim in Euãgelio Ioannis, quibus Christus filius dicitur diligi à Deo Patre. Neque enim accipi debent solum de filiatione temporali, sed potissimum de alia filiatione æterna, quæ est infinitè præstantior, & amabilior. Non potest autem filius vt filius à Patre diligi, nisi Pater diligat suam generationem actiuam, & passiuam filij, sine qua implicat esse, & concipere filium. Et si Io. 14. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem*, filius diligit Patrem non solum, vt Deum, sed etiam vt Patrem, ac proinde complacet sibi in eo quod est genitus à Patre; debet vicissim eadem ratione Pater diligere filium non solum, vt Deum, sed etiam vt filium, ac proinde complacere sibi in eo quod filium generat. Adde, Patrem diligere se, etiam vt Patrem; ergo vt generantem; item filium diligere se, etiam vt filium, ergo vt genitum. Similiter Pater, & filius ita spirant, vt velint se spirare: & Spiritus sanctus ita spiratur, vt velit se spirari. Hoc argumento ex Scripturis ducto vsus videtur Cyrillus l. 1. Thesauri cap. 8. multo post med. dicens, *nec vllum habet in hac generatione locum velle, aut nolle; Pater enim, ait Saluator, diligit filium.*

Conclusionis explicatio, & probatio.

Hilarius.

Cyrillus.

Accedit authoritas Patrum, qui hoc expressius docuerunt. Athanasius sermone 4. contra Arianos paulo ante fi. cum iuxta sensum conclusionis dubitationis sequentis negasset Arianis, Dei filium genitũ ex voluntate, & placito Patris, statim rẽ magis declarando ad sensum huius primæ conclusionis ita subiunxit, *non tamen inuito illi, & præter sententiã filius extitit. Sicut enim volens, cupitorque est suæ essentiæ; ita quoque filius, qui illi ex substantia proprius est, non est illi inuito superinductus. Diligatur igitur filius à Patre, sitque is, quem Pater velit. Filius voluntate, qua vult; illum Pater, ea & ipse diligit, & vult, & honorat Patrem. Aliud enim est*, vt paulo post acutè dist inguit, *si dicas eum voluntate esse factum; aliud autem si dicas quod eum, qui iam ex natura est filius, diligat, ac velit.* Basil. orat. aduersus eos qui calũniantur nos, quòd tres Deos colamus, in fi. ait, *Apud nos non quod vult Pater generat. At verò Deus concurrentem voluntati habens potentiam genuit dignum se ipso. genuit velut ipse nouit.* Cyrill. Dialogorum de Trinitate l. 2. quatuor columnis ante fin. loquens de Verbi generatione, eamque probans neque esse modo voluntario, neque præter voluntatem Patris, ita optimè ratiocinatur, *est enim non absque voluntate, quæ est naturaliter; cum voluntas cum natura eius simul currat, vt sit quæ est.*

3. *Authoritates Patrum.*

Athanasius,

Basilius.

Cyrillus.

Scripturæ fundamentum.

hoc est generatio diuini Verbi est naturalis; & ideo nec est contra voluntatem, nec antecedenter ex libera voluntate, sed concomitanter simul cum voluntate. Et paulo post, *Dico quod nihil quidem præcesserit filij natiuitatem, neque prius orta sit voluntas quam is, qui genuit; fuerit autem simul Pater, Deus, & volens vt esset Deus. Est enim non sine voluntate quod est; neque necessariam in hoc sustinet volitionem. Quemadmodum videlicet si intelligatur Sanctus, & bonus; & volens esse quod est; & non aliter de Deo coniectandum est.* Ad eamdem veritatem pertinet dictum Hilarij, quod argumento primo refertur, & in responsione exponitur de paternæ voluntatis concomitantia, *non naturali necessitate ductus Pater genuit filium*, quæ expositio, vt bene subdit S. Thomas, *patet per præcedentia, & subsequentia.* Nam l. de Synodis post med. declarans Hilarius Canonem 25. Syrmicæ Synodi, *Si quis nolente Patre natum dicat filium, anathema sit*, ita habet, *non enim nolente Patre, coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet genuit filium: sed mox vt voluit, sine tempore, & impassibiliter ex se vnigenitum demonstrauit.* Quare cum ibidem docet, filium genitum, *secundum voluntatem*; & cum paulo post addit, *nec voluntas sola genuit filium*, non significatur voluntas antecedens, vt principium generationis, sed tantum voluntas concomitans, & tendens ad generationem, tamquam ad obiectum: quam voluntatem clarè exprimit paulo post ita se explicans, *Ante tempora omnia Pater ex naturæ suæ essentia impassibiliter volens filio dedit naturalis natiuitatem essentiæ.* In eodem sensu immediatè ante eiusdem Synodi Symbolum scripserat, *Natiuitatis in eo adeò perfecta natura est, vt qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio eius, & voluntate nascatur, ex voluntate enim atque consilio, non ex corporalis passione naturæ, essentiæ Dei de essentia Dei genitæ absoluta perfectio est.* Nomine Consilij, & voluntatis, non inquisitio, aut deliberatio, aut generandi libertas significatur, sed solum perfectissima scientia, & summa voluntatis inclinatio, atque complacentia: quibus à Verbi generatione intendunt excludere ignorantiam, temeritatem, casum, coactionem, & corporalis, seu naturalis alicuius passionis necessitatem. Quemadmodum etiam Synodus Sardicensis in Confessione fidei, fi. vt paulo ante refert idem Hilarius, ait, *Eos qui dicunt, quòd neque consilio, neque voluntate Pater genuerit filiũ, anathematizat Sancta, & Catholica Ecclesia.* Neque dicendum cum Vasquez d. 160. num. 14. quem sequuti sunt Arrubal. disput. 142. num. 8. & Florauantius l. 2. pag. 90. Concilium Syrmiense fuisse Arianum; & definitionem illam continere errorem Arij, ac proinde nullius esse momenti: quia vt notauit Illustrissimus Bellarminus tom. 2. lib. 1. cap. 7. §. 2. Concilium illud duas habet fidei formulas. Vnam compositam Græcè à Marco Arethusio Martyre; *quæ quidem ea esse videtur, quam Hilarius in l. de Synodis vt Catholicam explicat. Alteram alij composuerunt Latinè, plenam aperta blasphemia, quam Hilarius reprehendit in l. de Synodis, non procul ab initio.* Idem ferè notauit §. 1. de Sardicensi Concilio, vbi *trecenti Episcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quam exponit Hilarius in l. de Synodis. Reliqui septuaginta sex Episcopi Orientales fidem Arianam scripserunt.* Itaque eodem modo, quo Thomas supra exponit Hilarium, necesse est exponere prædicta Concilia, cum tam illa, quam Hilarius iisdem fere verbis loquantur.

De Concilio Syrmiensi, & Sardicensi ex Bellarmino.

4. *Ephræm Syrus.*

Similiter Ephræm Syrus tomo 3. in confessione, & sui ipsius reprehensione, multò ante med. cum de Deo Patre ita loquitur, *Quoniam præuidit, nihil eorum quæ fecit, ipsum capere posse, produxit filium, &c.*

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

per illud, *Quoniam*, non reddit causam cur Deus Pater consultando, ac deliberando generauerit; nam ipsemet ibidem addit, *Quia naturaliter ipsum ex substantia sua genuit*: sed solum reddit causam cur non generauerit ignoranter, & casualiter, seu fortuito. Et cum ibidem necessitatem excludit à diuina generatione, non sumit necessitatem, vt contra distinctam à libertate, sed à natura, *non ex necessitate*, inquit, *sed ex natura. Omnis autem natura eius à necessitate est aliena, ac libera, & maximè quia voluntati naturam admisuit. Voluntas necessitatem exterminauit.* Ponit igitur Ephræm in diuina generatione voluntatem admissam: quam nos vocamus concomitantem; & solum excludit necessitatem, quæ vel est cum coactione contra voluntatem, vel etiam sine vlla scientia, ac voluntate. De hac voluntate concomitante, & respiciente generationem vt obiectum, non vt terminum ab ipsa productum; apud Clementem Romanum l. 8. constitutionum cap. 16. circa principium, de Deo Patre dicitur, *Vnigenitum filium tuum ante omnia secula genuisti voluntate.* Item Athanasius in Euangelium de Sanctissima Deipara inter principium, & med. de filio Dei dicit, *Cum sit ex voluntate illa paterna, & vera.* Sic etiam potest intelligi Eusebius Cæsariensis lib. 4. de demonstratione Euangelica cap. 3. paulo ante med. *Filius ex sententia, & proposito, Imago Patris exisit, volens enim Deus, filij Pater exisit, & alterum lumen in omnibus sibi ipsi simile substituit.* & in fi. cap. de eodem filio Dei ait, *de Patris consilio, ac virtute ante omne æuum essentiam est nactus.* Quamquam de Eusebij mente dubitari possit an in sensu Arrianorum, quibus aliquando adhæsit, loquutus sit, de quo infra n. 11. & 12. Certè tamen Augustinus l. 15. de Trinitate c. 20. ante medium, filium vocat, *Consilium de consilio, voluntatem de voluntate*, & tam ab ipso, quam ab aliis Patribus sæpe filius Dei vocatur, *Voluntas Patris.* Quoniam summa, & infinita paternæ voluntatis complacentia genitus est.

Clemens Romanus.

Athanasius.

Eusebius.

Augustinus.

DVBITATIO II.

Quem ordinem voluntas generandi habeat ad generationem.

SVMMA.

1. *Voluntas generandi est secundum rationem posterior generatione, num. 5.*
2. *Voluntas generandi non est principium generationis, ibidem.*
3. *Voluntas generandi est essentialis, non notionalis, num. 6.*
4. *Posse concipi generationem absque voluntate generandi, num. 7.*
5. *Patrem absque generatione non esse perfectè beatum, num. 8.*
6. *Quid dicendum de voluntate spirandi, n. 9.*

5. *Non est simul in eodẽ signo rationis.*

EX dictis colligo, hanc voluntatem dici concomitantem, non quod sit in eodem signo rationis cum actu notionali circa quem obiectiuè versatur, omne enim obiectum aliqua ratione præsupponitur ad actum tendentem ad illud obiectum: sed quia in Deo non potest esse actus notionalis, sicut nec aliqua alia eius perfectio, siue absoluta, siue relatiua, quin diuina voluntas, in eo sibi compleaceat. Est igitur voluntas concomitans, quia posito actu notionali voluntas complacentiæ, necessario illum sequendo comitatur. Quare non placet, quod dicunt Scotus 1. d. 6. quæst. 1. §. de *quarto*. Caietanus hic, & alij, voluntatem generandi esse priorem ge-

Non est prior ratione, sed posterior.

neratione secundum considerationem intellectus: quæ sententia à Bagnes hic dub.1. dicitur probabilis, tametsi contrarium sequatur cum Capreolo, vt expressam sententiam S.Thomæ.Præstat igitur asserere cum S.Thoma de potentia q.2.art.3.ad 2.quem reliqui omnes Thomistæ,& alij multo communius sequuntur, *Respectu generationis filij, non est voluntas præcedens,nec tempore,neque intellectus,sed solum voluntas concomitans*: quoniam hæc comparatur ad generationem,tanquam ad obiectum existens,& præcognitum, nihil enim volitum esse potest quod prius non sit,& concipiatur cognitum: omne autem obiectum, sicut etiã eiusdem obiecti cognitio ratione saltem præcedere debet volitionẽ illius obiecti,quę præsertim sit complacentia,& fruitio,& gaudiũ,seu delectatio quæ præsentiam obiecti existentis necessario postulat. Neque enim concipi recte potest diuina voluntas versari circa generationem,tanquam circa bonum,aut non existens,sed possibile;aut existens quidem,tamen futurum,vel absens,& nõ præsens:hæc enim manifestam imperfectionem important tum in diuina voluntate, tum in ipsa generatione diuina; tum in præcedenti cognitione, qua diuinæ voluntati, generationis bonum imperfectè proponeretur. Neque hæc voluntas concomitans potest dici prior generatione, tanquam generationis principium, vt contendunt quidam recentiores ex eo quod voluntatem in intrinseco, & quidditatiuo conceptu essentiæ diuinæ includant quæ est principium quo generationis: nam & hæc inclusio falsa est,vt ex superioribus constat; & esto sit vera, negari omnino debet,essentiam,prout est voluntas, concurrere,vt principium ad Verbi, & filij generationem, sed solum prout est intellectus; illa enim sententia, inquit Bagnes hic ante primum dub. *non videtur satis tuta*; & multò grauius reprehenditur à Zumel disput.4.dubio post sextam conclusionem. Neque facienda est vis in eo,quòd diuina generatio est cognitio,quæ habet pro obiecto etiam voluntatem; ac proinde præsupponat voluntatem ratione priorem,tamquam obiectum; hæc enim præsuppositio,seu præcedentia,vt ex instituto explico in tomo 1.q.4.art.2.num.76.& 77.non est quoad esse,sed quoad puram terminationem præcisè.

Non est generationis principium.

6. Obijcitur primo.

Dices primo voluntas,seu complacentia generationis est essentialis,non notionalis; quia competit omnibus, & singulis personis: neque solus Pater vult Patrem generare, sed etiam idem omnino, & eodem voluntatis actu volunt filius, & Spiritus sanctus.ergo est prior generatione;quæ est prædicatum quoddam notionale, quia ex q. 33. art. 3.ad 1. *Communia sunt priora quàm propria.*

Respondetur ẽtra Torres, voluntatem generationis esse essentialẽ non notionalem.

Respondet Torres hic part.3.Commentarij ad 1. negando antecedens; quia,inquit, *Soltu Pater vult se generare filium; filius verò & Spiritus sanctus non volunt se generare filium; quando hoc vtique pugnet.* Verum æquiuocatio manifesta est in illo, *se*. Cum enim dicitur,Pater vult se generare,illud,*se*, supponit pro Patre; & sensus est,Pater vult quod generet Pater, & ideo falsum est quod solus Pater vult se generare;nam tam filius,quam Spiritus sanctus vult quod generet Pater. Cum verò dicitur, filius non vult se generare, nihil probatur,.quia variatur suppositio;illud enim,*se*,tunc supponit pro filio;& sensus est,non vult filius,vt generet filius; quod etiam non vult Pater,non vult Spiritus sanctus, similiter Spiritus sanctus non vult se generare,hoc est, Spiritus sanctus non vult vt generet Spiritus sanctus, idẽque non vult Pater,non vult filius:volũtas igitur generandi,vt dicunt Bagnes hic dub.1.ad 1. Zumel disp.3.ad 1. Molina disp.2. ad 1. Vasquez disp.160. n.5.& alij,est essentialis,seu communis,non notionalis,seu propria.Quapropter cõcesso antecedente, neganda est consequentia; & ad probationem fundatam in dicto S. Thom. illud non integrè referris; sic enim habet, *Communia absolutè dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora quam propria.* Igitur quædam prædicata essentialia,& communia, *dicuntur absolutè*,absque vlla comparatione ad notionalia, & propria,vt voluntas simpliciter dicta, sicut etiam cognitio simpliciter dicta,est essentialis, seu cõmunis,& ideo prior quacumque notione, seu proprietate:quædã verò dicuntur per comparationẽ ad notionalia,& propria,tamquam ad abiecta, vt voluntas generandi,spirandi; & hæc præsupponunt obiecta,& sunt illis posteriora, non quidem quoad esse simpliciter, sed quoad puram terminationem, siue quoad esse, vt terminatum ad obiectum notionale. Quo pacto etiam essentialis cognitio obiecti notionalis est posterior obiecto notionali;vt notatum est in fine numeri præcedentis.

An communia sint priora quam propria.

7. Obijcitur secundo.

Dices secundo,si per impossibile non esset in Patre voluntas generandi, non esset in Patre generatio.ergo voluntas generandi est prior generatione.

Respondetur posse concipi generationem absque voluntate generandi.

Respondent aliqui,concedendo antecedens.Quo quidem concesso, difficile est negare consequentiã: quoniam quod est prius, ac proinde independens omnino à posteriori, concipi non potest, tolli per ablationem sui posterioris.ergo si conceditur, quod non potest in Patre considerari generatio, si fingamus tolli, & non considerari in eo voluntatẽ generandi,signũ conuincens est, quod generatio non sit prior illa voluntate. Itaque aliter respondendũ, negatione antecedentis: ablata enim per impossibile voluntate generationis, non necessario cõcipienda est ablatio generationis,cũ prædicta volũtas ad generationẽ nulla ratione concurrat, sed solum illam necessario sequatur: & vniuersaliter actus pẽdet ab obiecto,non obiectum ab actu, ac proinde,quamuis actus esse nequeat absque obiecto, tamen obiectum bene potest concipi esse absque actu. Ergo cum voluntas generandi comparetur ad generationem tamquam ad obiectum, si per impossibile dicamus, non esse talem voluntatem in Patre, non propterea necesse est dicere, non esse in Patre generationem.

8. Obijcitur tertio.

Dices tertio,Pater in aliquo priori instanti, antequam concipiatur,vt actu generans,concipitur cum fundamento in re, vt potens generare. Sed in illo priori concipi debet, vt perfectè beatus per perfectam sui fruitionem.Ergo cum dilectione sui ipsius, & generationis suæ.

Respondetur, Patrem,si nõ concipiatur generare,non concipi perfectè beatum.

Respondent aliqui, concedendo totum argumẽtum.Neque enim existimãt inconueniens,voluntatẽ generandi esse generatione priorẽ secundũ quid, vt ipsi loquuntur, idque explicant, tum quia talis voluntas pertinet ad principium quo generationis; tum quia est essentialis,& communis. Verum ex dictis constat primam rationem esse falsam, & ex secunda non argui prioritatem; & si hæ essent veræ rationes prioritatis,efficerent sane voluntatem generandi priorem potius,quã posteriorem, & consequenter,priorẽ potius simpliciter, quàm secundum quid;& ideo neganda est consequentia obiectionis. Ex eo enim quod Pater prius ratione quàm generet, sit potens generare, non sequitur quòd tunc, non adhuc præ concepta generatione, concipi debeat adeò perfectè beatus, vt concipiendus sit frui non solum sua potentia generandi, quæ tunc in eo esse concipitur, sed etiam sua generatione actuali, quæ tunc non concipitur in eo esse.

9. Quid dicendũ de voluntate spirandi.

Hæc omnia quæ dicta sunt de volũtate generandi comparata ad generationem, sunt proportionaliter intelligenda de voluntate spirandi ad spirationem comparata:

comparata,quoniam eædem prorsus rationes idem de vtraque voluntate probant. Solum differentia est,quia cum generatio sit per intellectum,non per voluntatem, possumus cum fundamento in re distinguere ratione in Deo voluntatem generandi ab ipsa generatione. At verò cum spiratio sit per voluntatem, quam ob causam Augustinus lib.15.de Trinit.cap.20.post med.scripsit, *Voluntas Dei si propriè dicenda est aliqua in Trinitate persona,magis hoc nomen Spiritui sancto competit,sicut charitas:nam quid est aliud charitas,quam voluntas?* non possumus cum fundamento in re per rationem distinguere duplicem voluntatem,alteram directam,quæ est,ipsa spiratio; alteram reflexam,quæ sit voluntas præcedentis voluntatis,seu spirationis;vt pluribus ostendi in 1.tomo quæst.4. art.2. num.74. & 75. in simillimo casu de duplici diuina intellectione directa,ac reflexa. Verum etsi voluntas spirandi distingui rectè non possit à voluntate spirante, tamen illa ponenda est formaliter in Deo,secundum rem, & rationem idẽticata cum voluntate spirante, ob eamdem omninò rationem,qua supra num.2. ponitur ab omnibus voluntas generandi. Etsi imperfectè per rationem distinguantur istæ duæ voluntates in Deo,sicut realiter distinguuntur in creaturis voluntas directa, & voluntas reflexa, tunc de voluntate spirandi, sicut de voluntate generandi, ob easdem rationes superius factas dicendum est, quod illa non est aliqua ratione prior spiratione, sed simpliciter posterior, eam necessariò concomitans;ac proinde quod sicut generatio,ita etiam spiratio,sit actus notionalis voluntarius voluntate concomitante.

DVBITATIO III.

An actus notionales sint voluntarij voluntate antecedente.

SVMMA.

1. *Voluntas, vt voluntas non est principium alicuius actus notionalis,num.10.ad 13.*
2. *Differentia tradita à S.Thoma inter voluntatem, & naturam,num.10.*
3. *Soluitur præcipuum argumentum Arianorum probantium, filium genitum voluntate, num. 13. & 14.*
4. *Exponitur locus Ioan.5.& ad Coloss.1.n.15.& 16.*

10. Voluntas, vt voluntas nullius actus notionalis est principium.

VNica conclusio, Nullus actus notionalis est voluntarius voluntate antecedente, quæ sit principium, & voluntas, non vt natura. Hos terminos declarat S.Thom. ante med.corp. his verbis, *Voluntas & natura secundum hoc differunt in causando; quia natura determinata est ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum.* Quod statim probat, & post probationem ita concludit, *Eorum igitur voluntas principium est, qua possunt sic, vel aliter esse: eorum autem,quæ non possunt nisi sic esse principium,natura est.* Vbi obiter prudentem Lectorem monere iuuat, vt animaduertat quantum ab hac doctrina aberrent noui Thomistæ,qui vt liberam voluntatem contradistinctam à natura constituant causam in actu primo proximè completam ad operandum, eam prædeterminant ad vnum.Hoc planè destruit differentiam in hoc articulo traditam, quam voluntas, & natura habent in causando. Si enim voluntas causat vt prædeterminata ad vnum,ergo causat vt natura, *quia natura in causando determinata est ad vnum*, vt expressis verbis clarissimè docet S.Thomas: ergo etiam voluntas causat non vt voluntas, sed oppositio prorsus modo, quia idem inquit, *voluntas in causando non est determinata ad vnum.* Qua confusione voluntatis cum natura in ratione causandi, nisi se videns est omnem in causando libertatem de medio tolli. Sed de his alibi fusius agendum. Hoc loco scire tantum oportet, ad nullum actum notionalem comparari posse diuinam voluntatem, vt principium indeterminatum, & indifferens, ac proinde voluntatem, vt voluntatem non vt naturam, quomodo diuina voluntas comparatur ad actum creationis. Atque hic est planus sensus conclusionis,sub quibus terminis à nullo catholico negatur, sed solum ab Arianis, & aliis, qui Filium & Spiritum sanctum creaturas esse blasphemant; & ideo, vt testatur S.Thom. circa fin. corp. *Dixerunt, quòd Pater genuit Filium voluntate, secundum quod voluntas designat principium. Nobis autem dicendum est, quod Pater genuit Filium, non voluntate, sed natura.*

Notanda S. Thomæ differentia inter voluntatem, & naturam.

11. Contraria Arij, & Eunomij sententia,

In hoc impio sensu Arius in epistola ad Eusebium, quàm refert Epiphanius hæresi 69. pag.3.de Filio Dei ita scribit, *Nos autem dicimus quod Filius voluntate,& consilio subsistit ante tempora, & ante secula,plenus Deus vnigenitus*, &c. Item in alio loquenti epistola ad Alexandrum,ait,*Hunc Deum*,scilicet Patrem, *genuisse Filium non in apparentia, sed veritate; substituisse verò propria voluntate immutabilem,& inalterabilem,creaturam Dei perfectam.* Et de eodem Filio paulò post repetit,*Voluntate Dei ante tempora,& ante secula creatum esse, & viuere,ac esse à Patre accepisse, ita vt Pater simul substituerit ipsi gloriam.* Basilius quoque lib.2. contra Eunomium inter principium, & med. refert Eunomium ita dicentem, *Est autem substantia Filij ante omnia nata Patris voluntate.* Hos imitatus, imò etiam in impietate superans Valentinus Gentilis dixit in sua 10. Prothesi, vt refert Bellarminus lib.1.de Christo cap.2.circa fin. *Deus habuit vim generandi,& propagandi,quia voluit: ideóque & λόγον ante secula genuit, & Spiritum propagauit.* Non solum generationem,& spirationem,vt Ariani, sed ipsam etiam generandi,ac spirandi vim,& potentiam subiecit diuinæ voluntati: quam insignem stultitiam ne ipsi quidem Ariani ausi sunt asserere; quoniam ne creandi quidem vim, ac potentiam habet Deus ex bene placito voluntatis, sed ex necessitate perfectissimæ naturæ.

& Valentini Gentilis.

12. Athanasij ratio.

Hunc errorem impugnant omnia quibus suprà quæst.27.art.1.latissimè probauimus Filium,& Spiritum sanctum non esse creaturas, sed vnum verum Deum cum Patre, personásque ab æterno productas. Præterea optimè arguit Athanasius Dialogo 1.de sancta Trinit.col.4. *Si voluntas non idem est, atque essentia,& quæcumque facta sunt, opera sunt voluntatis eius;fatere Filium esse ex eius essentia. Sic enim eum etiam vnigenitum esse fateberis, qui solus ex essentia genitus sit.Nam si,& ipse voluntatis Filius est,nempe non est vnigenitus;cum multa sint quæ peperit voluntas.Scriptum est enim, Volens genuit nos verbo veritatis.* Et oratione 4.contra Arianos aliquantò ante fin. *Filium non voluntate conditum esse*, sic probat, *Nam cum ipse sit propria Patris ratio,fieri non potuit, vt ante ipsum nulla voluntas ratiocinata sit:quippe qui ipse sit viua voluntas Patris,ac potestas, architectúsque eorum, quæ Patri videntur,& placent. Ergo si omnia per Verbum facta sunt, sequitur vt ipse exemptus sit è numero eorum,quæ per voluntatem condita sunt. Qui igitur potest Verbum cum sit voluntas expetitióque Patris, voluntate, & expetitione, vt cætera,fieri?* Præterea Cyrillus lib.1.Thesauri c.8. prope med.ita acutè arguit,*Ipse est viuens Patris consilium per quod vniuersa fecit. Quare si consilium Patris est, quomodo generationem suam voluntas præcedet? Videbitur enim ipsum se ipsum fecisse; & qui nondum factus erat secundum hæreticos,de se ipso deliberasse videbi-*

Iacobi 1.

Alia Cyrilli.

tur, quod absurdissimum est. Posteà ex eo quod Filius sit ipsa voluntas Patris, & voluntas Patris non sit aliquid medium distinctum à Filio, quo modo est quid distinctum à creatura, ita deducit, *Vbi ergo voluntas erit, si nullum medium inter Patrem, & Filium intelligitur? Non ergo voluntate natus est, sed ipse voluntas Patris est. Nam quæ per voluntatem facta sunt à Deo, secundum naturam distant: ita vt quod factum est, non possit esse voluntas factoris sui.* Et paulò post principiũ eiusdem capitis ait, *Si voluntas Patris generationem Filij præcessisset, cur non ita de Filio loquitur Scriptura, sicut de creaturis? faciamus hominem. omnia quæ voluit Dominus fecit. De generatione autem Filij, nullibi tale quid legitur, sed erat, & est in Patre, & apud Patrem sulumnodo audimus. Quare Filius non per voluntatem factus est vt creatura, sed ex Patre nascitur, & genitoris hypostasi est coæternus.* Idemque docent, & probant reliqui omnes Patres. Et ideo Hilarius lib. de Synodis post med. recipit, & exponit Canonem 24. Synodi Syrmiensis contra Photinum Congregatæ, *Si quis voluntate Dei tamquam vnum aliquem de creatura filium factum dicat, anathema sit.* nam vt in commentario ratiocinatur Hilarius cuius verba refert etiam S. Thomas in fin. corporis, *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei contulit: sed naturam dedit Filio ex impassibili, ac non nata substantia perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia ea esse Deus voluit. Filius autem natus ex Deo, talis subsistit, qualis & Deus est; nec dissimilem sui edidit natura naturam.*

Genes. 1.

Ps. 124.

Hilarius.

13. *Prima obiectio Arianorum.*

Obiicies primò fundamentum Arianorum, quod multi Patres referunt, & inter alios ita refert Nazianzenus oratione 3. de Theologia pag. 3. *Illud immane quàm est contentiosum, & impudens. Aut volens, inquiunt, Pater genuit Filium, aut non volens? Deinde vtcumque possunt, laqueum nectunt, vinculis certè infirmis, & valdè putidis. Si enim nolens; coactus est, inquiunt. & quis eum coëgit? & quomodo qui coactus est, Deus erit? Si verò volens; voluntatis Filius erit hic Filius. Qui ergo natus erit à Patre. Hac captione pro patre, nouam quamdam matrem, voluntatem scilicet, nobis effingunt.* In eadem obiectione Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 8. initio, præter volitionem, addidit intellectionem, hoc modo. *Vtrum inquiunt absque consideratione Pater Filium genuit, an considerans atque volens? Nam si neque considerans, neque volens; aliquid passus est, quod nolebat. Sin autem, quoniam necesse est considerationem, & voluntatem ante rem esse, qua secundum voluntatem consideratur, Patrem quoque Filio præfuisse necesse est: voluntas enim & consideratio necessario generationem præcessit.*

Respondetur neque volentem, neque nolentem genuisse, sed ex natura.

Communis, & optima omnium Patrũ responsio est, Deum Patrẽ neque volentem, neq; nolentẽ, aut nõ volentem, siue inuitum, aut coactũ, & ex necessitate genuisse Filiũ, sed ex natura, & essentia. Vbi cum à generatione voluntatem negant, intelligendi sunt de voluntate antecedente, quæ sit libera causa efficiens: quo sensu dicitur Ps. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*; & Iacobi 1. *Voluntariè*, siue vt legit Athanasius suprà, *volens genuit nos Verbo veritatis*: non autem de voluntate concomitante, seu respiciente generationem tamquam obiectum, non tamquam effectum; cum ipsimet eam admittant suprà num. 3. & 4. Ita Athanasius suprà respondens ait, *Fatere, Filium esse ex eius essentia: sic enim eum etiam vnigenitum esse fateberis; qui solus ex essentia genitus sit.* Et oratione 4. contra Arianos, quinque columnis ante fin. *Sufficit, Deum, qui non ex voluntate sua factus est, Verbum habere sibi non ex voluntate factum, sed ex natura genitum.* Basil. homil. 28. contra Sabellianos col. 3. *Ex Patre namque Filius non mandato factus, sed ex illius natura genitus est.* Epiphanius hæresi 69. p. 12. *Neque volens genitus, neque inuitus; sed in natura supra consilium. Natura enim ipsi est Deitas, neque consilio opus habens, neque sine consilio quid faciens; sed simul ex se ipso omnia habens.* Et iterum sex paginis ante fin. *Neque volens genuit, neque non volens; sed in natura consilium transcendente. Natura enim est Deus, consilium excedentis, omnémque intelligentiam, ac opinionem.* Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 8. aliquanto post med. huius obiectionis solutionem, quam toto capite multis explicat, ita concludit, *Sicut igitur nos non ex voluntate habemus, vt Filiorum nostrorum Patres simus, sed à natura; sic, & Deus Pater non ex voluntate Pater est, sed naturaliter; & sicut Pater non est ex voluntate Pater, sic & Filius, non est voluntatis Filius, sed ex Patre secundum naturam; cum sit splendor, & character genitoris sui.*

Athanasius.

Basilius.

Epiphanius.

Cyrillus.

Præterea Patres obiectionum contra impios authores grauiter & acutè retorquent. Athanasius oratione paulò ante cit. ita redarguit, *Dicant nobis ipsi, quòd bonus est, & misericors Deus, ex voluntate, ne hoc illi adest, an non? Si ex voluntate, ergo ante oculos patet, eum incœpisse bonum esse, ac fieri posse vt non sit bonus: nam deliberare, diligereque, in vtramque partem momenta sua habet, & ea affectio in naturam rationalem cadit. Quod si propter istã absurda, concedi non debet, vt ex voluntate bonus, aut misericors habeatur, audiant ipsi ergo, quorsum illorum ratiocinationes tendant: sequitur enim vt ex necessitate inuitúsque bonus sit. At quis est qui illi hanc necessitatem imposuerit? Quod si absurdum est dicere, In Deo esse necessitatem, ac propterea illum natura bonum esse: multò magis, veriusque, Filij sui Pater natura sua extiterit, & non voluntate.* Fusè etiam retorquet, interrogando de ipsa persona Patris, quomodo est id, quod est, an volẽs, an nolens? Sicut igitur ipsi etiam aduersarij respondere tenentur, Patrem esse id quod est, non ex voluntate sua, aut ex alterius principij voluntate, neque contra voluntatem suam, sed ex sua natura; ita non ex voluntate, neque contra voluntatem, sed ex natura sua Filium generasse. Eodem modo retorqueat Nazianzenus, & Cyrillus supra; item Ambrosius lib. 4. de fide cap. 4. multò post med *Sicut bonus Pater nõ aut ex voluntate est, aut necessitate, sed per naturam: ita non generat ex voluntate, aut necessitate Pater.* Hanc redargutionem refert, & laudat Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 20. ante med. *Acutè sanè quidam respondit hæretico versatissimè interroganti, Vtrum Deus Filium volens, an nolens genuerit: vt si diceret, nolens, absurdissima rei miseria sequeretur: si autem, volens, continuò quod intendebat velut inuicta ratione concluderet, non natura esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissimè vicissim quæsiuit ab eo, vtrum Deus Pater, volens, an nolens sit Deus: vt si responderet, nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo credere, magna insania est: si autem diceret, volens, respondet ei; ergo & ipse, Deus est sua voluntate, non natura. Quid ergo rectabat, nisi vt obmutesceret, & sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret.*

14. *Retorquetur obiectio à Patribus.*

Obiicies secundò, quia Dominus Iudæis quærentibus illum interficere, *Quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*, ita respondit Ioannis 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filiũ, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit; & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini.* Hunc locum, vt patet ex eius expositione suprà q. 27. a. 1. n. 53. & 54. Patres communiter intelligunt de Christo vt Deo, idque apertè suadere videtur cohærentia responsionis Christi ad intentionem Iudæorum. Docet igitur Filius Dei, ideo ipsum habere eamdem operandi potentiam, & operationem, & consequenter, eamdem cum Patre naturam acceptam à Patre per generationem,

15. *Secunda obiectio.*

tionem, quia Pater diligit Filium. Ergo Filius est Filius dilectionis, & voluntatis.

Respondetur exponendo locum Ioan. 5.

Respondeo, negando consequentiam. Primò quia nonnulli, vt Maldonatus in ea verba, & Suarez in 3. p. tomo 2. q. 59. a. 1. circa fin. Commentarij, intelligũt de humanitate Christi; ac proinde Christum ex dilectione, ac voluntate Dei habere, vt per suam humanitatem vnitã Verbo, sciat, & velit, & faciat omnia quæ vult, & facit Deus; sed quia, vt dixi, Patres docent, & contextus persuadet, Christũ loqui de se ipso vt Deo, iuxta quam expositionem, illud, *demonstrabit*, intelligi debet quoad executionem, ideo melius est negare consequentiam; secundò, quia illa, causalis non est intelligẽda de dilectione antecedẽte, sed concomitante; cum ergo dicitur, *diligit enim*, &c. non redditur ratio antecedens, & à priori ob quam Pater Filio communicauerit scientiã & operationem; sed ratio cõsequens, & quasi à posteriori; summa enim, & infinita dilectio, qua Pater diligit Filium, est euidẽs signum, Patrem filio genito communicasse propriam suam naturam, & scientiam, & omnipotentiam. Ita apertè exponit Athanas. orat. 4. contra Arianos col. penult. dicens, *Pater diligit Filium, & omnia filio suo ostendit: vt enim bonus esse, non ex voluntate incœpit, cum tamen non inuitus, nolénsque bonus sit; nam hoc ipsum quod est, cum voluntate sua est: ita quoque quod filius ille sit, etsi non ex voluntate principium ducĉum est, non tamen inuito illi, & præter sententiam filius extitit.* Sic etiam Cyrillus l. 1. Thesauri c. 8. post med. *Vereantur*, inquit, *saluatorem dicentem, quia Pater diligit Filium. Nam sicut bonus, & omnipotens est, quæ quamuis non habeat præcedente voluntate, ac electione consilij, non tamen inuitus hæc habet, vult enim id esse quod est: sic licet non ex voluntate genuerit filium, non tamen inuitus habet eum, sed diligit, vt scriptum est. Et sicut hypostasis Patris est, non quia ipsum esse voluit, sed quia est, nec ipsum esse non vult: sic & Filius ex Patre non inuito nascitur, nec tamen voluntas generationem eius præcedit.*

Athanasius.

Cyrillus.

16. *Tertia obiectio.*

Respondetur cum August. & Thoma, exponendo locũ Coloss. 1.

Obiicies tertiò illud Coloss. 1. *Transtulit nos in Regnum Filij dilectionis suæ*: quod sibi obiicit S. Thomas hic in 2. argumento.

Respondeo cum Aug. lib. 13. de Trinit c. 19. fin. quod per illud, Filij dilectionis suæ, *nihil aliud intelligitur, quàm filij sui dilecti.* Addit Thomas, ita de Filio Dei dici Hebraica phrasi, *in quantum est à Deo superabundanter dilectus, non quod dilectio sit principium generationis Filij.* Hic igitur Hebraismus nihil aliud significat, nisi Filium dilectissimum. Quare non probatur voluntas antecedens generationem, sed tantum concomitans, vt suprà n. 2.

DVBITATIO IV.

An actus notionales sint naturales necessarij.

SVMMA.

1. *Quid certum sit apud omnes catholicos de re ipsa, n. 17.*
2. *Actus notionales dicendos esse naturales, n. 18. ad 22.*
3. *Eosdem dicendos esse necessarios, n. 22. ad 25.*
4. *Contraria Scotistarum argumenta soluuntur, n. 25. ad finem articuli.*

17. *Quid de re ipsa omnes catholici sentiant.*

DE re ipsa idem est omnium Catholicorum Doctorum consensus, qui ex dictis intelligi facilè potest. De nomine non nullam inter eos discrepantiam inuenio, præsertim inter antiquiores. Et radix discrepantiæ est, quia quidam accipiunt naturale, non vt distinguitur contra voluntarium tale, nẽpè liberum, & indifferens ad opposita, qua ratione sine dubio omnis actus notionalis est naturalis, hoc est, non potens non esse, id quod est, & non potens aliter esse, ac est, sed vt distinguitur contra voluntarium simpliciter, hoc est, nec elicitũ, nec productũ, nec volitum per voluntatem, sicut naturale est Soli illuminare, igni calefacere: quomodo certũ est, nullum actum notionalem esse naturalẽ, quia ex probatis dub. 1. & 2. quilibet actus notionalis est maximè volitus, seu voluntarius voluntate concomitãte: & quamuis spiratio actiua non sit elicita, nec producta à voluntate, sicut nec generatio actiua ab intellectu vt suprà art. 1. n. 9. ad 3. tamen est actio voluntatis, & ipsum velle diuinum Patris, & Filij, & spiratio passiua quamuis non sit elicita, seu producta per modum actus secundi à voluntate, tamquam ab actu primo virali, quomodo amor creatus producitur, & elicitur à voluntate, tamen est ipsemet Spiritus sanctus per voũlatem Patris, & Filij verissimè productus. Ex alio quoque capite, necessariũ aliqui sumunt pro coacto, in qua significatione nullus Catholicus dicere potest, aliquem actum notionalem esse necessarium, sed quemlibet esse liberum, scilicet à coactione: alij verò sumunt pro determinato ad vnum; & ita omnes asserunt, quemlibet actum notionalem esse necessarium, & non liberum, siue indeterminatũ, & indifferentem ad plura opposita præter hæreticos blasphemantes, Filium, & Spiritum sanctum esse creaturas à libera Dei voluntate productas. Vt igitur sciamus grauiorem ac tutiorem loquendi modum, in hac materia simpliciter vsurpandum, & hoc tempore ab omnibus receptum, rem totam duabus conclusionibus aperiam.

Dicendos esse naturales.

18.

Prima conclusio, omnes actus notionales dicendi simpliciter sunt naturales, etiam ipsa spiratio Spiritus sancti, quæ est voluntaria non solũ vt obiectum volitum, quomodo est etiam voluntaria generatio Verbi, sed etiam vt actio voluntatis, & terminus per voluntatem productus, quod solum competit spirationi Spiritus sancti. Ita S. Thomas hic tum in corpore de Verbi generatione, cuius principium docet non esse voluntatẽ, sed naturã; tum ad 3. de spiratione Spiritus sancti, qui inquit *naturaliter procedit quãuis per modũ voluntatis procedat*: hoc est, procedit quidem à voluntate, tamquam à principio, tamen non in quantum voluntas est, sed, vt distinguit initio responsionis, *in quantum est natura quædam: sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem: & similiter Deus naturaliter vult, & amat se ipsum*: cum quo tamẽ stat, quòd Spiritus sanctus qui producitur naturaliter, hoc est, per innatam sui principij vim determinatam ad illum producendum, non producatur per modum naturæ, hoc est, siue voluntate, vt docet, & explicat se de pot. q. 10. a. 2. ad 4. dicens, *Procedere dicitur in diuinis per modum naturæ, quod procedit sicut ea quæ in creaturis à natura producuntur, & non à voluntate*: hoc est, vt bene explicat Rada contro. 13. §. 3. not. 6. quia Spiritus sanctus procedit alia processione Verbi præsupposita, ac proinde procedit à duabus personis Patris, & Filij, & non procedit, vt similis principio ex vi formali suæ processionis: ad differentiam processionis Verbi, quæ dicitur per modum naturę, tum quia nulla alia præsupposita processione; tum quia ab vno tantũ principio; tum quia ex vi formali ipsius communicatur natura. Sequuntur reliqui omnes, præter Scotum 1. d. 10. q. vnica, post §. *Aliter dico.* & clarius quodlib. 16. a. 2. & 3. & Scotistas omnes dicentes Spiritum sanctũ spirari quidem necessariò, tamen nõ naturaliter, sed liberè, ad differentiã Verbi, quod dicunt generari. & necessariò, & naturaliter. Pro qua sententia refertur etiam Henricus, qui more suo nimio prolixè, & obscurè loquitur. Sed eadem sententia ex dictis ipsius potest intelligi: nam

Spiritũ sanctum produci naturaliter, sed non per modum naturæ cõtra Scotum, & Henricum.

in

in 2.p.ſummæ a.45.q.3.in fi.corp. & in ſolutionibus argumentorum contendit, voluntatem Dei eſſe omnino liberam, etiam cum neceſſariò amat ſe ipſum. Aliam enim eſſe libertatem ſimpliciter, aliam libertatem arbitrij: hanc pugnare cum neceſſitate, illam neceſſitati benè cohærere. Vnde ſequi videtur, quòd productio Spiritus ſancti, quæ eſt per voluntatem, ita ſit neceſſaria, vt ſit etiam libera, ac proinde non naturalis. Sed deindeſin a.54.q.3.litera C. de generatione, & aſpiratione ſcribit, *ambæ emanationes naturales dici poſſunt.*

19. *Explicatur ratio articuli.*

Fundamentum S. Thomæ congruentiſſimum eſt. Voluntas abſolutè ſumpta, ac nominata diſtinguitur contra naturam; omnes enim, vt duos oppoſitos agẽdi modos concipimus & diſtinguimus, agere voluntate, & agere natura: *quia*, inquit, *voluntas, & natura ſecundum hoc differunt in cauſando, quia natura determinata eſt ad vnum, ſed voluntas non eſt determinata ad vnum.* Vnde poſtea optimè deducit, quòd *eorum voluntas principium eſt, quæ poſſunt ſic, vel aliter eſſe. eorum autem, quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principiũ natura eſt; quod autem poteſt ſic, vel aliter eſſe, longè eſt à natura diuina, ſed hoc pertinet ad rationem creaturæ, quia Deus eſt per ſe neceſſe eſſe. creatura autem eſt facta ex nihilo.* Quæ ratio, vt patet, vniuerſalis eſt pro quouis actu notionali; nullus enim, etiamſi ſit à voluntate, poteſt aut ſimpliciter non eſſe, aut non eſſe eo modo, quo eſt.

Et ideo, quamuis in corpore applicetur proceſſioni Verbi, de qua inquit, *nobis dicendum eſt, quod Pater genuit Filium non voluntate, ſed natura*; tamen eadem ad 3. applicatur etiam proceſſioni Spiritus ſancti, quem ait, *procedere naturaliter*, quia procedit à voluntate, non in quantum voluntas eſt habens ſe ad vtrumlibet, ſed in quantum ipſa etiam eſt quædam natura ex intrinſeca, ac naturali ſua ratione habẽs ſe ad vnam determinatam partem. Confirmatur potiſſimum ex eo, quòd iſto loquẽdi modo magis recedimus à modo loquendi hæreticorum. Nam Ariani, & Eunomiani, vt probarẽt, Filium, & Spiritum ſanctum non eſſe Deum, ſumebant, eos à Deo proceſſiſſe voluntate, non natura. Quibus omnes ferè Patres opponũtur, contrario modo loquentes, & dicentes, proceſſiſſe natura, non voluntate; vt patet ex multis ſuperius citatis. Nam n.3. Athanaſius ait, *ex natura eſt Filius*; & Cyrill. de Verbi generatione dixit, *eſt naturaliter*: & Hilarius docet, Patrem genuiſſe *ex natura ſuæ eſſentiæ*; & n.4. Ephræm, *naturaliter ipſum ex ſubſtantia ſua genuit*; & iterum, *non ex neceſſitate, ſed ex natura.* Et n.13. idem Athanaſ. *Verbum non ex voluntate factum, ſed ex natura genitum.* Et Baſilius, *Filius ex natura genitus eſt.* Et Epiphanius, *Genitus in natura*; & idem Cyrillus, *Pater non ex volũtate pater, ſed naturaliter. Filius ex Patre, ſecundum naturã*; & n.14. Idẽ Athan. ait, quod Deus *Filij ſui Pater natura extiterit, & non voluntate.*

Confirmatur ex Patribus.

20.

Addi præterea poſſunt Concilium Nicænum l.2. §. *Quomodo.* fin. vbi Chriſtus ideo dicitur verus Deus de Deo vero, quia eſt *natura Filius æterni Dei, & Patris.* Alexander Alexandrinus in epiſt. ad Alexandrũ Conſtantinopol. col.6. & habetur in lib.1. eiuſdem Concilij, non ſemel dicit de Chriſto, *qui eſt natura Dei Filius*, & ſubdit, *Illud, ex vtero ante Luciferum genui te, perſpicuè oſtendit naturalem, qua in Filio eſt paterna generationis proprietatem, quam propria naturæ vi cõſecutus eſt.* Præterea Athanaſ. orat.2. contra Arianos, aliquantò ante med. ait, *Extra controuerſiam eſt, Filium non aliunde, ſed ex Patre eſſe naturale genimen.* Et paulò poſt, *Scriptura, Filium eum ea de cauſa appellauit, vt naturalem, & verum Patris ſubſtantiæ fœtum declararet.* Et orat.3. col.6. ait, *A Patre naturalem generationem*: ſicut etiam Baſilius lib.2. contra Eunomium, multò ante medium, *Generationem connaturalem ad Patrem.* Hilarius lib.6. de Trinit. col.7. illud, *ex vtero,* Pſal.109. dictum eſſe ait, *Vt non ex nihilo creatio ſubſtitiſſe, ſed ex ſe, vnigeniti ſui naturalis doceretur natiuitas.* Auguſt. lib.15. de Trinit. c.20. initio, vt errorem Eunomij contra fidem refert, quòd Filium Dei *non naturæ dixit eſſe Filium, ſed Filium voluntatis Dei.* Cyrillus lib.1. c.6. circa fin. de generatione, qua Deus Pater actiuè generat, ait, *Sicut actiua eſt, ſic naturalis, & ſubſtantialis, & inſeparabilis ab hypoſtaſi.* Damaſcenus lib.1. fidei c.8. paulò poſt med. *Generatio quidem ſine principio, & æterna, naturæ opus eſt; creatio verò opus voluntatis.*

Exponitur locus Pſal. 109.

21. *Cur actus notionales dici debeãt naturales.*

De actu igitur notionali, quo Pater generat, & Filius generatur, non poteſt Theologus, rectè loquens, illum non vocare naturalem, cum omnes Patres ita vocent. & ſanè iure optimo; tum quia (quod generatio cum ſpiratione commune habet) generatio eſt per determinationem ad vnum, qui eſt modus naturæ, cum nec non eſſe, nec aliter ac eſt eſſe poſſit: tum quia generatio eſt immediatè per intellectum, qui, vt ſuperius oſtendi, eſt prædicatũ eſſentiale, vltimò conſtitutiuum naturæ diuinæ, & conſequenter per generationem intellectiuã ex vi formali proceſſionis communicatur natura: in quo generatio differt à ſpiratione, quæ eſt immediatè per voluntatem, quæ non eſt eſſentia, ſed proprietas naturæ diuinæ, eſſentialiter illi identificata, per quam conſequenter non communicatur natura, niſi ex vi identica proceſſionis. Ex quo ſequitur, actum notionalem generationis pluribus rationibus, & magis propriè denominari naturalem, quàm actum notionalem ſpirationis; & ideò multò frequentius, & expreſſius Patres naturalitatem tribuunt generationi: præſertim quia diſputabam contra Arianos, & Eunomianos, qui cum tori errent in euertenda Filij diuinitate, ab eius generatione maximè conati ſũt naturalitatem tollere, eamque ſoli diuinæ voluntati ſubiicere. Quamquam aliquando Patres ſpirationi etiam naturalitatẽ expreſsè tribuunt, vt Cyrill. l.13. Theſauri c.2. aliquantò poſt principium, vocãs *Spiritum ſanctum ex ipſo Filio, & in ipſo naturaliter exiſtentem.* & paulò poſt de Spiritu ſancto, ait, *modò quodam ex ſubſtantia Dei emanat, & naturaliter ipſe dependet, ſicut ex humana manu digitus.* & mox iterum, *ex Filio naturaliter, ac eſſentialiter Spiritum ſanctum, ſicut ex patre prouenire credimus. Non eſt igitur aliud Spiritus à Deitatis eſſentia, ſed ex ipſa, & in ipſa naturaliter, ſicut & digitus in manu, & manus in corpore.* & poſtea ita concludit, *Non eſt ergo alienus à Deitatis eſſentia Spiritus ſanctus, ſed quaſi operatio naturalis, ac eſſentialis. In propria tamen hypoſtaſi ex ipſo prodiens Deo, & in ipſo manens, omnia, qua Dei ſunt, operatur.* & poſt medium capitis, iterum de Spiritu ſancto, ait. *Naturaliter ex Patre in Filio eſt.* Et poſt nonnulla docet, *Spiritum ſanctum ex Deitatis eſſentia naturaliter emiſſum.*

Spirationem etiam vocari naturalem à Cyrillo.

Dicendos eſſe neceſſarios.

22. *Autheres, & aduerſarij concluſionis.*

Secunda concluſio. Omnes actus notionales, ſimpliciter loquendo, dici debẽt neceſſarij, non liberi. Hæc concluſio præſertim de actu notionali ſpirationis, eſt minus recepta, & minus certa. Primò, quia contrario modo loquuntur non ſolum Henricus, & Scotus, & Scotiſtæ omnes de proceſſione Spiritus ſancti, vt ſuprà n.18. ſed etiam ipſemet S. Thomas de Pot. q.10. art.2. ad 5. ita prius docens in genẽrali, *Naturalis neceſſitas, ſecundum quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, vel felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſtinus docet in 5. lib. de ciuitate Dei. Libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur. Non eſt autem violentia, vel coactio in hoc, quòd aliquid ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouetur, ſed magis in hoc, quòd naturalis motus impeditur, ſicut cum impeditur*

ditur grauis, ne deſcendat ad medium: vnde voluntas liberè appetit fœlicitatem; licet neceſſariò appetat illam; ſic autem, & Deus ſua voluntate liberè amat ſe ipſum, licet de neceſſitate amet ſe ipſum. Hinc ad rem noſtram ita deducit, *Liberè ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* Quamquam contrarium loquendi modum aliis in locis frequentius vſurpat, vt notat Capreolus 1. d.10. q.1. art.1. concluſ.3. vt 1.d.6.quæſt.1.art.2. circa med. corp. vbi ait, *Voluntas quantum eſt in ſe, libera eſt. Vnde principiatum voluntatis ſunt tantum ea, quæ poſſunt eſſe, vel non eſſe.* Sumit igitur liberum pro eo, quod poteſt eſſe, vel non eſſe. Quo ſenſu in hoc etiam articulo poſt med. corp. loquens de voluntate, prout diſtincta à natura, quæ eſt voluntas libera, ait, *Eorum voluntas, principium eſt, quæ poſſunt ſic, vel aliter eſſe.* Cum igitur non ſolum diuina generatio, ſed etiam ſpiratio ita ſit, vt non poſſit non eſſe, aut aliter eſſe, ſequitur, quòd hęc etiam non ſit libera, ſed tantum neceſſaria; clarius de veritat. quæſt.22. art.6. circa fin. corp. *Voluntas dicitur libera in quantum neceſſitatem non habet*, ſed, vt dixerat initio corp. *Ex hoc aliquid dicitur eſſe neceſſarium, quod eſt immutabiliter determinatum ad vnum*: & vt docet hic ad 5. *Per ſe dicitur aliquid neceſſarium, quod non poteſt non eſſe.* Ergo ſpiratio, quæ hoc modo eſt neceſſaria, non poteſt dici ſimpliciter libera. Item Bonauentura 1. d.6. art. vnico quæſt.1. cum probaſſet generationem diuinam eſſe neceſſariam *neceſſitate immutabilitatis*, quo modo etiam neceſſaria eſt ſpiratio, ſubiungit in fine corporis, *Hæc autem neceſſitas non repugnat libertati voluntatis, ſed ſolum vertibilitati, qualis non eſt in Deo.* Liberius Argentina 1. diſt.6.quæſt.2.art.4. ad primam inſtantiam, non ſolum dicit, Spiritus ſancti proceſſio eſt libera, ſed ſubdit etiam, *Filij generatio ſic eſt naturalis, & neceſſaria, quòd tamen eſt liberrima, non tamen libertate contradictionis, ſed libertate perfectiſſimæ complacentiæ, quæ eſt multò maior libertas, & nobilior, quàm ea quæ eſt contradictionis.*

23. *Quomodo loquantur alij Patres.*

Secundò, quia non ſolum Scholaſtici, ſed etiam Patres videntur contrario modo loqui. Verũtamen ex adiunctis clarè conſtat, eos, cum in Verbi generatione neceſſitatem negant, intelligere coactionem contra voluntatem generantis: illam enim negant reſpondendo ad argumentum Arianorum, vt ſuprà n.13. quærentium, An Pater generauerit volẽs & liberè, an nolens & ex neceſſitate, ſeu coactus, vt patet ex verbis Cyrilli ſuprà n.3. *Neque neceſſariam ſuſtinet volitionem*; & Hilarij ibidem, *Non enim nolente Patre, coactus Pater, vel naturali neceſſitate ductus, cum nollet genuit Filium*, & Ephræm Syri ſupra num.4. negantis neceſſitatem, quia, inquit, *voluntas neceſſitatem exterminauit.* Sumit igitur neceſſarium pro coacto, & inuito contra voluntatem; & Athanaſij ſupra num.14. *Ex neceſſitate, inuitúſque. At quis eſt, qui illi hanc neceſſitatem impoſuerit?* Et de hac neceſſitate, quam quis inuitus ab alio cogente patitur, ſubiungit, *Abſurdum eſt dicere. in Deo eſſe neceſſitatem.* Et Ambroſij ibidem, *Non voluntate, aut neceſſitate, ſed per naturam.* Vbi neceſſarium expreſsè opponitur voluntario, & naturali. Similiter Cyrill. l.1. Theſ. c.8. aliquantò poſt med. ſoluens idem argumentum Arianorum, volentium inferre neceſſitatem coactionis, ait, *Non erubeſcunt, ipſum quoque Deum neceſſitati ſubiicere. Nos verò, qui rectè credere ſtudemus, eſſentiam Dei ſupra omnem neceſſitatem eſſe fatemur*; quia, vt poſt nonnulla addit, *Non eſt inuito Patre genitus Filius.* In eodem ſenſu Toletanum XI. in profeſſione Fidei, non longè à principio ita faretur. *Filius Dei natura eſt Filius, non adoptione, quem Deus Pater, nec voluntate, nec neceſſitate genuiſſe credendus eſt; quia nec vlla in Deo neceſſitas, cadit, nec voluntas ſapientiam præuenit.* Neceſſitatem expreſsè diſtinguit contra naturam, & voluntatem; quæ neceſſitas eſt violentiæ, & coactionis.

24. *Probatur cõcluſio ratione ex Riccardo de S. Victore, & Anſelmo, & Thoma.*

Fundamentum concluſionis eſt, quia fide certum eſt, omnem actum notionalem ita eſſe, vt per nullam potentiam poſſit non eſſe. *Quod enim*, vt generaliter docet Riccardus Victorinus lib.6. de Trinit. cap.1. fin. *poteſt eſſe, vel non eſſe, non poteſt eſſe in ipſa Diuinitate. Alioqui mutabilitas ei ineſſet, nec veram æternitatem haberet.* Quod autem ſemper eſt, & nulla ratione poteſt non eſſe, in communi omnium ſapientum rectè loquentium, & ſcribentium vſu dici propriè ſolet neceſſarium. Sæpè dicimus, inquit Anſelmus lib. de concordia c.1. col.2. *Neceſſe eſt, quòd nulla vi eſſe cogitur; & neceſſe non eſſe, quòd nulla prohibitione remouetur. Nam dicimus, neceſſe eſt Deum immortalem eſſe, & neceſſe eſt Deum non eſſe iniuſtum, non quòd vis aliqua cogat eum eſſe immortalem, aut prohibeat eſſe iniuſtum, ſed quoniam nulla res poteſt facere, vt non ſit immortalis, aut vt ſit iniuſtus*; & poſt nonnulla, *Non aliud ſignificat neceſſitas, niſi, quia quod erit, non poterit ſimul non eſſe*; ſic neceſſarium eſſe dicimus, Deum ſe intelligere, & amare; Beatas creaturas videre, & amare Deum; omnem voluntatem ferri in bonum; omne, quod naturaliter operatur, operari neceſſariò. Primos, atq; indeliberatos voluntatis motus, eſſe neceſſarios. Hoc fundamentum ſignificat breuiter S. Thomas in fine huius articuli dicens, *Per ſe dicitur aliquid neceſſarium, quod non poteſt non eſſe, & hoc modo Patrem generare Filium, eſt neceſſarium.* Itemque Patrem, & Filium ſpirare Spiritum ſanctum. Confirmatur, quoniam etſi non omne neceſſarium ſit naturale, cum violentum, & coactum ſit neceſſarium, & non naturale; tamen omne naturale, præſertim, ſi ſit omnino immutabile, eſt neceſſarium: ſed ex concluſione prima actus notionales ſunt naturales, & omninò immutabiles, etiamſi aliquis eorum ſit à voluntate, quia eſt à voluntate, non vt voluntas eſt, ſed vt eſt natura, nimirum determinata ad vnam partem; ergo ſunt dicendi omnes ſimpliciter neceſſarij. Valdè etiam fauent Pius V. & Gregorius XIII. damnantes hanc propoſitionem Michaëlis Baij, vt refert Arrubal diſp.142. c.1. fin. *Quod voluntariè ſit, etiamſi neceſſitate fiat, liberè ſit.*

Probatur ex Pio V. & Gregorio XIII.

Occurritur oppoſitis argumentis.

25. *Prima obiectio.*

Obiiciunt aduerſarij. Primò Auguſtinum ita loquentem in Enchiridion. cap.105. *Multò liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit ſeruire peccato. Neque enim voluntas libera dicenda non eſt, qua beati eſſe ſit volumus, vt eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus.* Quibus verbis expreſsè dicit, quòd actus Beatorum, quo volunt non peccare, eſt liber: ſed idem actus eſt neceſſarius, cum beati non poſſint velle peccare. Ergo pariter eadem diuinæ voluntatis ſpiratio, quamuis non poſſit non eſſe, & conſequenter ſit neceſſaria, poterit etiam dici ſimul libera; quia maximè ſpontanea.

Reſpondetur exponendo Auguſtinum.

Reſpondeo, negando, Auguſtinum loqui de vno aliquo actu particulari; qui ſit ſimul neceſſarius, & liber, qualem eſſe contendunt Aduerſarij actum notionalem ſpirationis. Dico igitur voluntatis beatæ actum volendi non peccare eſſe neceſſarium ſaltem quoad ſpecificationem, qua ratione non eſt actus liber: & ſi eſt liber quoad exercitium, non poteſt eadem ratione eſſe neceſſarius. Loquitur autem Auguſtinus apertè de libero arbitrio, & voluntatis

voluntatis potentia, quam docet in patria esse liberam, non ad actum peccati, hoc enim modo est potius necessaria, cum non possit actum illum elicere, sed liberam ab actu peccati. Sumit igitur esse liberum pro esse immune, seu remotum ab aliqua imperfectione, & seruitute, cui antea subiacebat. Nos verò longè aliter disputamus hic de libero, pro aliquo, quod potest esse, vel non esse, seu potest produci, vel non produci: qua ratione dicimus, nullum actum notionalem esse liberum, sed quemlibet esse simpliciter necessarium. Hanc libertatem, quæ est potius liberatio à miseria operationis prauæ, quæ propriè libertas ad eliciendam, vel non eliciendam prauam operationem, clarius expressit idem Augustinus lib. 22. de ciuit. cap. 30. aliquanto post principium, loquens de Beatis, *Nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt: magis quippè erit liberum à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare; sed potuit & peccare. Hoc autem nouissimum eo potentius erit; quo peccare non poterit.* Docet liberum arbitrium esse magis liberum, quia liberatum à libertate valdè imperfecta operandi bonum, & malum; relicta tantummodo perfectissima libertate operandi, vel non operandi hoc bonum, aut illud bonum. De hac libertate non simpliciter, sed perfecta, & libera ab omni seruitute, & imperfectione, ita etiam scripsit Anselmus Dialogo, de libero arbitrio cap. 1. propè principium, ex cuius etiam verbis pro sui Doctoris sententia, arguit Rada controuers. 13. §. 3. not. 3. *Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi, & non peccandi. Quippè si hoc eius esset definitio, nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere.* Et iterum paulò post, *non pertinet ad definitionem arbitrij posse peccare; nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas,* & post medium, *Qui sic habet, quod decet, & quod expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere, & ad hoc, quod dedecet, & non expedit, valeat adduci.* Hæc videtur germana Augustini, & Anselmi mens, tametsi aliter alij eos exponant; verè quidem, minus tamen ad mentem Authorum.

Probatur expositio eodem argumento.

Anselm.

Rada.

26. *Secunda obiectio.*

Obiiciunt secundo, quia ab eodem Augustino lib. 5. de ciuit. cap. 9. aliquantò post med. ita diuiditur causa, *est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria*; sed spiratio est voluntaria, à principio voluntario; ergo non est naturalis.

Respondetur exponendo diuisionem iam traditam ab Augustino.

Respondeo, diuisionem illam non tradi ab Augustino, vt suam, sed vt Ciceronis, contra quem ibi ad hominem arguit ex illa diuisione. Verum si eam Augustinus vt bonam recipit, vel sumit primo naturale strictius pro causa agente absque intellectu, & voluntate; & voluntarium largius pro omni causa intellectuali, siue necessario, siue libere agente; vel contra, sumit secundo naturale largius pro omni causa agente ex natura ad vnum determinata, siue sit natura rationalis, siue irrationalis, & voluntarium strictius pro causa intellectuali liberè tantum operante. In vtraque vsurpatione nihil sequitur contra nos. Nam etsi iuxta primam spiratio non esset naturalis, sed voluntaria, & iuxta secundam contra esset voluntaria, non naturalis; tamen nos superius sumpsimus propriè naturale, pro omni eo, quod est à natura ad vnum determinata, quod conuenit etiam actui notionali, qui est ab intellectu, & qui à voluntate; & sumpsimus propriè voluntarium pro omni eo quod est volitum, vel à voluntate; quo modo generatio, & spiratio sunt actus notionales voluntarij.

27. *Tertia obiectio.*

Obiiciunt tertio Philosophum lib. 9. Metaph. c. 10. diuidentem potentias in rationales, & irrationales; quas, inquit, *necesse est, vt cum quoad possint, actiuum, & passiuum approximent, hoc quidem faciat, illud verò patiatur: illas verò, non est necesse: Hæ enim omnes, vna vnius factiua; illæ vero contrariorum.* Vult igitur omnem potentiam rationalem agere liberè, sed diuina voluntas in spiratione Spiritus sancti est potentia rationalis, ergo ab illa liberè procedit Spiritus sanctus.

Respondetur exponendo diuisionē potentiarum traditam ab Aristotele.

Respondeo, etiam si extendamus Aristotelis verba ad notionales potentias, & actus, de quibus tamen gentilis, & naturalis Philosophus nil scire poterat; adhuc falsam esse consequentiam; quoniam vt verificetur, voluntatem, etiam diuinam, esse potentiam rationalem, & liberam, non est necessarium, illam esse liberam in omnibus actibus suis, sed satis est esse liberam in actibus, qui versantur circa aliquid extra Deum, tametsi necessario, & non liberè versetur circa amorem sui ipsius, & spirationem intra ipsum Deum. Proprium enim est potentiæ rationalis operari liberè, in quantum nulla potentia operari potest liberè, nisi fuerit rationalis; non autem, quòd potentia rationalis semper, & circa quodlibet obiectum, & quemlibet terminum operari debeat liberè: sicut cum animal diuiditur in Brutum, & Hominem, & proprium hominis esse dicitur rationari, Bruti vero sentire, non propterea negatur dari etiam in homine operationes sensitiuas, sed tantum asseritur, nullum animal ratiocinari, nisi fuerit homo. Ex eo igitur quòd actus spirationis pertineat ad potentiam rationalem, non sequitur illum actum esse liberum.

28. *Quarta obiectio ex Rada.*

Obiiciunt quarto, quod multis vrget Rada controuers. 13. conclus. 5. & 8. quia operari naturaliter, & operari liberè, sunt modi operandi valdè oppositi, vt ex terminis ipsis manifestum est; sed omnes concedimus diuinæ voluntati competere modum operandi liberè. ergo eidem competere non potest alius contrarius modus operandi naturaliter.

Respondetur operari naturaliter, & liberè esse opposita circa idem, non circa diuersa.

Respondeo illos modos operandi, nempe naturaliter cum determinatione ad vnum, & liberè cum indifferentia ad plura, esse oppositos, si versentur circa idem obiectum, & eumdem terminum, quo modo diuinam voluntatem naturaliter & liberè operari non asserimus, sed circa Deum, & actum notionalem spirandi versari naturaliter, & non liberè: contra verò, circa creaturas actualiter existentes versari liberè, & non naturaliter.

29. *Quarta obiectio.*

Obiiciunt quinto, operatio libera multò perfectior est operatione necessaria, quemadmodum causæ liberæ, quæ sunt substantiæ rationales, & intellectuales, sunt multò perfectiores causis necessariis, quæ sunt irrationales, & simpliciter corporeæ; ergo actus diuini amoris, quo Pater, & filius mutuo se diligentes spirant, dici potius debet liber, quàm necessarius.

Respondetur operari liberè non semper esse melius, quàm operari necessario.

Respondeo, antecedens esse verum, si vniuersaliter, & in genere intelligatur: esse vero manifestè falsum, si intelligatur de particulari aliqua operatione circa aliquod determinatum obiectum, v.g. longè perfectius est, vt docebat Augustinus, & Anselmus supra num. 25. non habere libertatem ad peccandum, quam propterea non habent Deus, & Beatæ creaturæ: è contrario, circa obiectum in quo nulla est ratio mali, sed infinita ratio boni, vt circa Deum, actusque omnes intra ipsum Deum versari necessario, vt versantur Deus, & Beati, est multo perfectius, quàm versari liberè, vt versantur miseræ creaturę in via, qua peregrinatur à Domino.

Cum

Cum igitur notionales actus amoris, quo producitur Spiritus sanctus, sit amor summi, & infiniti boni, & productio personæ diuinæ infinitæ, poni omninò debet necessarius ex intrinseca, & perfectissima diuinæ naturæ necessitate.

ARTICVLVS III.

Vtrùm actus notionales sint de aliquo.

Ad 3. sic proceditur. Videtur quòd actus notionales non, &c.

NIHIL omnino in hoc articulo exagitatur, aut tangitur, quod in superioribus abundè discussum non sit. Primò, *quod filius non est genitus de nihilo*, vt dicitur, initio corporis, tractatum est quæst. 27. art. 1. dub. 1. puncto 5. probando filium Dei non esse creaturam, hoc est, non esse factam creationem ex nihilo. Et puncto 4. esse filium naturalem; nam, vt rectè discurrit sanctus Thomas hic circa medium corp. *Si filius Dei procederet à Patre, quasi existens ex nihilo, non esset verè, & propriè filius*: & puncto 1. & 2. esse verum Deum; vnde euidenter sequitur, non posse esse ex nihilo creatum. Qua ratione etiam idem sequitur de Spiritu sancto, cuius diuinitatem ibidem, puncto 6. probauimus. Secundo quòd filius est genitus de substantia Patris, quod ex primo probatur, in corpore articuli, explicatum est ibidem dub. 8. vbi etiam tradita est vis huius particulæ, de qua agitur hic ad 1. 2. & 3. Quæ omnia extensa sunt ad processionem Spiritus sancti: & in præcedenti dub. 7. actum est de termino à quo diuinarum processionum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in diuinis sit Potentia respectu actuum notionalium.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd in diuinis non sit potentia &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Diuisio rerum de quibus disputandum, n. 1.*
2. *An in Deo sit potentia passiua, n. 2. ad 6.*
3. *An in Deo sit potentia actiua ad actus notionales actiuos, n. 6. ad 9.*
4. *An ad personas productas, n. 9. ad 21.*
5. *An ad actus notionales passiuos, n. 21. ad 24.*
6. *An potentia productiua identificetur ratione cum producente, n. 24. ad finem art.*

1. *Diuisio dictorum.*

PONAM prius duas conclusiones negatiuas, quæ breuiter significantur in hoc articulo. Deinde statuam illud, quod, quia valdè certum est, hic ferè supponitur. Tum explicabo conclusionem positam in corpore. Postremo addam aliud, quod in prædicta conclusione implicitè continetur, eamque distinctius explicat.

DVBITATIO I.

An intra Deum detur aliqua Potentia passiua.

SVMMA.

1. *Probatur conclusio negatiua simpliciter, n. 1. ad 5.*
2. *An personæ productæ dici possint possibiles, n. 3.*

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

3. *An tribui possit Deo, saltem potentia quasi passiua, seu passiua terminatiua, n. 4. & 5.*

2. *Conclusio negatiua probatur primo ex dictis.*

CONclusio negatiua, quæ breuiter ponitur in responsione ad secundum, absolutè dicendo, *Potentia passiua non est in diuinis*; & clarius 1. d. 7. q. 1. art. 1. ad 3. *Potentia diuina nullo modo passiua est, nec etiam verè actiua, sed super actiua*, hoc est, actiua absque vlla imperfectione ex his, quæ reperiuntur in actiuis potentiis agentium creatorum: *& ideo*, inquit, *non requirit materiam, in quam agat*, quod est non requirere potentiam passiuam; *& non oportet, quòd creatio sit ex materia, & multo minus, quòd generatio diuina.* Idem reliqui omnes sequuntur, exceptis Henrico, & Durando, quos refero, & multis impugno supra quæst. 27. art. 1. dub. 8. à num. 197. asserentes, diuinam essentiam in actibus notionalibus habere rationem quasi subiecti, & quasi materiæ. Quod autem habet aliquam rationem subiecti, siue materiæ, aliquam etiam passiuæ potentiæ rationem habeat necesse est. Hinc duci potest prima conclusionis probatio, quia sicut potentia actiua essentialiter importat agens, ita passiua potentia importat essentialiter passum: quod quidem est propriè subiectum, & materia. ergo vbi repugnat ratio subiecti, & materiæ, ibi etiam esse nequit ratio passiuæ potentiæ: sed intra Deum repugnat illa ratio, vt loco citato latè ostensum est; ergo & hæc.

3. *Probatur secundò ratione S. Thomæ.*

Probatur conclusio. Secundo ex secundo S. Thomæ argumento, eiusque solutione; *Possibile, secundum quod necessario opponitur, sequitur potentiam passiuam*; sed quæcumque sunt in Deo, siue essentialia, siue personalia, *non sunt de numero possibilium, sed de numero necessariorum.* Nullum enim esse potentiale cogitari rectè potest in Deo, qui essentialiter est purissimus actus, vt probatum est supra quæst. 27. art. 1. num. 175. ergo neque diuinis personis productis, neque earum processionibus, quæ sunt entia actualia, & summe necessaria, & non possibilia, conuenire potest vlla ratio propria potentiæ passiuæ, quæ essentialiter respicit ens possibile. Addit S. Thomas, quod in diuinis, etsi non sit possibile, secundum *quod necessario opponitur*, tamen est, inquit, *secundum quòd possibile continetur sub necessario*; in quantum scilicet, omne quod necessarium est, vt sit, est multò magis possibile, vt sit; non quòd possit esse, aut non esse, sed quia non implicat esse, & ita est, vt habeat intrinsecam, imo etiam essentialem aptitudinem ad esse receptum ab alio; quo modo possibilis est Deus filius à Patre, & Deus Spiritus sanctus à Patre, filioque. Verum per rationem potentiæ passiuæ importari possibilitatem contradictionis ad esse, & non esse, & non possibilitatem inclusam in necessario, determinatam ad solum esse, probo ex eo quòd potentia passiua essentialiter, est potentia recipiendi aliquam actualem perfectionem ab alio agente, & educente, vel saltem reducente illam ad actum, quo in intrinseca sua natura passiua, & subiectiua caret, quique propterea non conuenit illi potentiæ ex essentia ipsius. Hæc autem manifestam imperfectionem important, quæ est propria creaturæ. ergo conceptus potentiæ passiuæ, est conceptus potentiæ creatæ. Ergo possibile, quod talis potentia respicit, est aliquid creatum. Ergo potest esse, vel non esse. Omnis enim creatura, etiam si facta ponatur ab æterno, habet aliquem ordinem ad non esse, siue ad nihil; nam, vt acute distinguit, & docet S. Thomas 1. d. 5. q. 2. art. 2: paulò post principium corp. *Aliquid habet ordinem ad nihil dupliciter, scilicet ordinem temporis, & ordinem naturæ*; *ordinem temporis ex eo, quòd prius fuit non ens, & postea est ens; & hoc nulli æterno conuenit: ordinem naturæ, quando aliquid*

Quo modo nō esse conueniat creaturæ æternæ, ex S. Thoma.

habet esse dependens ab alio. Hoc enim ex parte sui non habet nisi non esse, cum totum esse suum ab altero dependeat: & quod est alicui ex se ipso, naturaliter præcedit id, quod est ei ab altero, & ideo supposito, quòd cœlum fuerit ab æterno, adhuc tamen est verum dicere, quòd est ex nihilo, sicut probat Auicenna. Neutro autem modo filius habet ordinem, ad nihil non ordinem temporis, quia æternus est: non ordinem naturæ, quia suum esse est absolutum, non dependens ab alio. hoc est, vt pluribus explico supra q. 27. art. 1. n. 174. & 175. ex necessitate essentiali exigens suum esse actuale, tametsi acceptum ab alio per veram ac realem productionem. Qua ratione, etiam Spiritus sanctus concipi nequit sub aliquo nihilo. Et ideo neque generatio, neque spiratio ponenda est in diuinis per ordinem ad aliquam potentiam passiuam, in quo hi diuini actus notionales distinguuntur à creatione, non solum ab æterno facta ex libero decreto Dei, sed etiam si fingeretur fieri ex necessitate agendi, quam aliqui gentiles Philosophi posuerunt in prima causa: tunc enim esset quidem ex necessitate agendi primæ causæ, non autem ex necessitate existendi creaturæ; At Filius, & Spiritus producuntur non solum ex naturali necessitate, quam habent eorum principia, vt producant, sed etiam ex necessitate essentiali, quam ipsi quoque habent, vt producantur.

4. *Probatur tertia cõtra potentiã quasi passiuam.*

Probari præterea potest conclusio tertia, excludendo à diuinis conceptum potentiæ passiuæ, etiam largo modo acceptæ, ita vt dici nequeat esse ibi, aut simpliciter potentia passiua, vt hactenus demonstratum est; aut secundum quid, quasi potentia passiua, vt loquuntur Henricus, & Durandus supra. Enim vero potentia passiua, non solum in essentia sua, sed etiam in suo explicito concepta, importat imperfectionem pariendi, & recipiendi ab alio perfectiore agente perfectionem superadditam naturæ suæ imperfectæ. Huius autem generis prædicata, non possunt rectè accommodari diuinis, addita particula, *quasi*, quoniam per talem additionem, prædicatum, cui additur, extrahi non potest à conceptu imperfectionis, quam explicitè significat. Quam ob causam nemo dixerit, Filium Dei, quasi creaturam, quasi minorem, & inferiorem Patre: Spiritum sanctum, quasi ex nihilo factum: Patrem quasi coactum, & inuitum produxisse Filium, & Spiritum.

5. *An in Deo sit potentia passiua saltem terminatiua.*

Dices, posse poni in filio, & Spiritu sancto potentiam passiuam, si non subiectiuam, vt hactenus probatum. Solum videtur, saltem terminatiuam: nam persona diuina procedens, est terminus verè, ac realiter productus. ergo producibilis; ergo possibilis terminatiuè.

Respondeo, hunc loquendi modum videri minus inconuenientem, quem propterea vsurpaui loco citato n. 77. & n. 187. concessi cum Scoto, vocante potentiam passiuam *obiectiuam*. Verum multo cautius est ab illo abstinere nulla vrgente necessitate, quia terminus producibilis, adhuc significatur explicitè, vt passiuè recipiens in se productionem ab alio. Quod quidem non reperitur in diuinis. Producitur enim v. g. filius, non ex aliqua passiua potentia, quam habeat in se recipiendi productionem, vt sit; sed potius ex essentiali necessitate, quam natura diuina fœcunda habet, vt sit etiam cum personalitatibus, filij, & Spiritus sancti, & ex simili necessitate quidditatiua, quam quælibet diuina personalitas habet essendi cum natura diuina. Duo namque habet quilibet terminus formaliter diuinus, in quantum talis ex conceptu suo quidditatiuo. Alterum, vt sit actus purus, in sua nimirum quidditate, includendo actualem existentiam, tametsi filius & Spiritus sanctus, non autem Pater habeant hoc esse actuale acceptum ab alio; quod non contradicere puritati actus, & æqualitati diuinarum personarum, ostendi supra q. 27. art. 1. n. 175. & 259. Alterum, vt propter infinitatem cuilibet diuino termino essentialem, quilibet essentialiter petat identificare sibi omnem perfectionem cui non opponitur. Ex hac igitur essentiali inclusione actualitatis essendi, & ex essentiali infinitate, identificante omnia, oritur, vt filius, & Spiritus habere debeant esse per realem processionem ab alio, non autem ex aliqua potentiali capacitate essendi, sicut oritur in creaturis.

DVBITATIO II.

An in diuinis detur aliqua potentia actiua respectu actuum notionalium actiuorum.

SVMMA.

1. *Conclusio negatiua colligitur ex dictis, n. 6.*
2. *Quid sit de essentiali ratione Potentiæ productiuæ, num. 7.*
3. *Deducuntur tria Corollaria, n. 8.*

6. *Conclusio negatiua probatur ex superioribus.*

COnclusio negatiua quam significare videtur S. Thomas hic ad 3. est valde communis contra aliquos relatos, & impugnatos supra art. 1. n. 1. ponentes actum notionalem actiuum, vt generare, spirare, in generato, & spirato; & consequenter realiter principiatum, ac distinctum à generante, & spirante; ex contraria verò communi opinione, quam ibi sequutus sum, ponente generandi, & spirandi actionem, non in termino producto, sed in principio producente, euidenter sequitur hæc conclusio, negans potentiam actiuam in personis producentibus respectu productionum, & originum actiuarum: quoniam, vt benè sumit S. Thomas initio responsionis ad 3. *Potentia significat principium. Principium autem, distinctionem importat ab eo, cuius est principium.* Sed si origines actiuæ sunt in personis producentibus nullam in illis distinctionẽ habere possunt, cum vnaquæque persona sit in se simplicissima absque vlla distinctione ex natura rei. ergo nec in illis simul esse possunt duo, quorum vnum habeat rationem potentiæ actiuæ principiantis, & aliud rationem actus principiati.

7. *Quid sit de essentiali ratione potentiæ productiuæ.*

Arguo præterea absolutè à priori soluendo præcipuum fundamentum aduersariorum, quo probare conantur dari actus notionales actiuos in personis productis, ac proinde dari respectu illorum potentiam actiuam, seu productiuam in personis producentibus, ex eo, quòd omnis potentia productiua distingui debeat ab actione per quam producit, vt apparet in agentibus creatis. Hoc autem assumptum vniuersaliter censendum est falsum. Etenim in rebus creatis habetur potentia actiua distincta ab actione, non propter essentialem, ac proprium conceptum potentiæ actiuæ, vt sic, sed propter potentiæ creatæ imperfectionem quæ consistit in hoc, quod in vno simplici actiuitatis conceptu non includunt omnem actiuitatis perfectionem, sed habent actiuitatem realiter diuisam in actiuitatem remotam, quæ est potentialis, & in proximam, & actualem, quæ est actio. Ad veram igitur, ac propriam rationem potentiæ, satis est, & necessariò requiritur, vt distinguatur à termino producto, eiusque passiua processione. Sicut enim in omnium sententia non requiritur distinctio inter generari, & genitum, inter spirari, & spiratum; ita nec inter generare & generantem, inter spirare & spirantem. Et ratio est, quia actio, vt actio, non cõparatur ad agentem, vt principiatum ad principium, sed solum, vt aliquid pertinens ad rationem ipsius principij, hoc

hoc est, vt vltima, & completa ratio principiandi; siue, vt ipsa actualis principiatio complens principium in ratione perfecta, & adæquata principij; quemadmodum è contrario passio ad passum, seu fieri ad factum, & omnis productio passiua ad suum terminum productum, non comparatur tamquam principians ad principiatum; sed solum, vt aliquid pertinens ad rationem ipsius principiati, hoc est, vt principiatum *vt quo*, siue vt ratio quædam principiata, qua formali ratione passiua principiatur formaliter in ratione principiati ipsum principiatum, *vt quod*. Atque ex ista carentia habitudinis principij, & principiati inter actionem, & principium, inter passionem, & principium, sicut possunt hæc identificari inter se, ita & illa; cum tam actio, & principium conueniant in communi quadam ratione principiantis, quàm passio, & principiatum in communi ratione principiati. At verò actio, & potentia actiua comparantur ad terminum productum, eiusque passiuam productionem, tanquam principium ad principiatum, inter quæ non potest non esse distinctio à parte rei.

8. *Tria corollaria.*

Ex hac natura actionis, & potentiæ actiuæ, hactenus à priori explicata, oriuntur tria dicenda de actu notionali actiuo. Primum, vt non possit esse in termino producto, quia deberet esse distinctus ab illo, tanquam principium à principiato, in quo propter summam simplicitatem, nulla potest esse distinctio. Secundum, vt non possit non esse in principio producente, propter eius perfectionem producendi, & principiandi omninò infinitam, qualis non esset, si deesset illi actio, quæ est vltima, & completa, ac perfecta producendi, ac principiandi ratio, nimirum ipsamet formalis productio, & principiatio. Tertium, quod in hac conclusione directè intendimus, vt ad illum non possit poni actiua potentia, nec in termino producto, qui, cum sit principiatum ab actione; non potest ad illam comparari, vt principium actiuum illius; nec in principio producente propter omnimodam identitatem, quam ex natura rei habet cum actione, siue actu notionali actiuo.

DVBITATIO III.

An in Deo detur potentia actiua respectu Personarum productarum.

SVMMA.

1. *Conclusio affirmatiua, & censura contrariæ sententiæ Aureoli, n. 9.*
2. *Probatur primò authorita e, n. 10. ad 13.*
3. *Probatur secundò rationibus. n. 13.*
4. *Satisfit obiectionibus Aureoli, n. 14. ad 21.*

9. *Conclusio affirmatiua, eiusque certitudo contra Aureolum.*

COnclusio affirmatiua est prorsus indubitata apud omnes Theologos, & magnum fundamentum habet in sanctis Scripturis, ac Patribus; à qua propterea temerè discessit vnus Aureolus 1. d. 7. q. 1. art. 2. dicens negatiuè in prima propositione, *quòd potentia generandi non nominat aliquod principium productiuum in diuinis*; & affirmatiuè in secunda propositione, *quòd potentia generandi est, sicut potentia, qua Deus potest esse Deus, vel Pater esse Pater, vel Filius esse Filius: & sic sic liceret loqui, non est aliud potentia generandi, quam potentia patrizandi. Eodem enim modo Pater facit se Patrem; & potest semper paternitatem, & facit se generantem, & potest semper generare; & facit se Deum, & potest semper facere Deum. In omnibus istis namque non sumitur potentia, pro Fasoli in D. Thom. Tom. III.* principio productiuo, *sed pro necessitate, & actuali connexione terminorum.* Quam sententiam Molina initio huius articuli vocat, *non solum singularem, sed etiam parum consonam Scripturæ sacræ, Conciliis, ac rationi ipsi.* Ruiz verò disp. 99. sect. 2. num. 23. *temerariam, periculosam, & errori proximam.* Zumel etiam his disp. 1. concluf. 5. de hac conclusione dixit, *est de fide.* Quamque Zuniga disp. 16. dub 4. reiiciens censuram Molinæ, dicit Aureoli sententiam *non carere probabilitate.* Equidem, sicut eam non omnino damno, vt nec damnant Valentia, Suarez, Vazquez, & alij, ita probabilem esse minimè dixerim. Neque enim aliqui fideliter referunt cum Aureolo sentire Gregorium Ariminẽsem, qui, vt mox referam, ex instituto impugnat sententiam Aureoli, & affert aliam sententiã, tametsi etiã falsam, & impugnandã dub. 5.

10. *Probatur cõclusio ex Scripturæ.*

Probatur igitur conclusio, primò ex Scriptura, vbi sæpissimè prima persona dicitur Pater; & secunda, Filius: & Sancti relati supra q. 28. art. 1. à n. 1. ad 7. & q. 33. art. 2. & 3. & q. 36. art. 1. explicant Patrem esse verè, ac propriè Patrem: & Filium esse verè, ac propriè Filium. Omnis autem verus, ac proprius Pater veri, ac proprij Filij habere debet veram, ac propriam potentiam generandi Filium, sicut habet veram, ac propriam generationem, & paternitatis relationem fundatam in potentia generatiua, & actuali generatione. Præterea ex multis locis superius adductis, quibus Scriptura docet, Filium procedere, generari, exire, prodire, emanare, accipere esse à Patre; & Spiritum sanctum procedere à Patre, accipere esse à Filio; idem alia Theologica demonstratione euidenter deducitur; quia naturæ lumine manifestum est, quòd omnis actualis productio debet in producente supponere necessariò potentiam, seu vim, ac virtutem producendi: sed ex fide certum est, quòd Pater producit actualiter Filium, & Pater, & Filius actualiter producunt Spiritum sanctum. Ergo in Patre ponenda est potentia, seu vis, ac virtus productiua Filij, & in Patre, ac Filio potentia productiua Spiritus sancti.

11. *Secundò ex Conciliis.*

Secundò ex Conciliis, præsertim Lugdunensi, & Florentino, verbis adductis supra q. 36. art. 4. initio, quibus definitur non solum vnica spiratio, qua Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum, sed etiam, quòd Pater, & Filius sint vnicum principium spirariuum Spiritus sancti. Quo modo, etiam Concilia, & Patres passim docent, Patrem esse principium Filij, & initium, & causam, & authorem, vt supra q. 33. art. 1. ferè per totum. Quæ omnia sunt prorsus inintelligibilia, nisi in persona generante, & spirante ponatur aliqua potentia generatiua, & spiratiua, quæ sit actiua, seu productiua Filij, & Spiritus sancti. Nam principium, v. g. spirationis, quòd Concilia expressè distinguunt à spiratione, non potest esse aliud, quàm potentia actus spirandi Spiritum sanctum. Vnde manifestè apparet falsa responsio Aureoli supra art. 3. ad 8. primò obiectum; quæ vult, *Principium generandi esse sumendum pro ipsamet generatione*, quia hæc, inquit, *potest inferre generari*: in quo generatio actiua habet quamdam rationem principij generationis passiuæ. Enim verò, si Concilia distinctissimè loquuntur de spiratione, & de principio, dum definiunt, *Spiritum sanctum procedere ab vno principio, & vnica spiratione*, non possumus sumere principium spirationis pro ipsamet spiratione, ex qua infertur spirari. Ergo nec sumi potest principium generandi pro generatione, ex qua infertur generari. Præterquam quòd si Aureolus, vt contra illum benè instat Ariminensis 1. d. 7. q. 1. art. 1. col. 3. ponit in Patre aliquid, quòd est actualiter generare, ponere consequenter debet posse generare, quoniam actio sine potentia actiua,

seu vi, ac virtute agendi est inintelligibilis, &, vt ait Arminensis, *ponere productionem, & negare eius principium productiuum, est incompossibilia affirmare.* Quis enim concipiat creare, calefacere, mouere, & similes actiones absque potentia creatiua, calefactiua, motiua, &c. & ideo sapienter Augustinus lib.5. de Trinit. cap.14. initio, ex generare non colligit generari, sed generandi principium, ac potentiam: *si gignens ad id, quod gignitur, principium est Pater, ad Filium principium est, quia gignit eum.* Quapropter inferre generari, insufficienter explicat principium generandi: non enim solum generare, illud infert proximè vt actio; sed principium generandi infert etiam remotè, vt potentia. Vnde propriissimè dicitur principium generandi, seu Pater generatur: non nisi ineptissimè diceretur, Generare generat. ergo principium generandi perperam exponitur, nihil aliud esse, quam ipsum generare.

12. *Tertiò ex Patribus.*

Tertiò ex multis Patribus, qui in personis producentibus esse docent non solum principium, sed expresè etiam potentiam, & vim, & virturem, & facultatem producendi. Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinit. col.5. exponens Verbi generationem per illud Psalm.109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, ait, *Vterum audiens generandi vim intelligo*; & post multa iterum, *Vteri nomine, quem Scriptura Deo tribuit, genitricem vim hypostaseos ipsius intelligo.* Et rursus multò post, *Vterus generandi vim declarat.* Et de vnica Deitate lib.5. circa med. contra Arium, dicentem de Deo Patre, *Antequam generaret non erat Pater, sed erat omnipotens Deus*; arguit, ista duo non cohærere; *quia si omnipotenti Deo de recenti honor Patris accessit*, ergo inquit, *prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur.* Quo manifestè supponit, Generare esse actum paternæ omnipotentiæ, & ideo subiungit paulò post, *Omnipotentem nos Patrē prædicamus, quia omnipotentē Deum qualis ipse est in natura, talem genuit Filium.* Hilarius l.5. de Trinit. non longè à fine, loquēs de Filio Dei, ait, *Ex virtute naturæ in naturam eamdem natiuitate subsistit.* Idem clarius l.11. col.2. *Natiuitas in naturæ eius sit virtute, quæ genuit.* Præter natiuitatem, quæ est generatio passiua, & præter actiuam generationem significatam per illud, *genuit*, admittit *virtutem* paternæ naturæ ad generandum. Et antea lib.6. col.9. initio, *Genitum à te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 7. non longè à principio, *Qui omnibus vim gignendi impartitur, cum hac facultate priuare, impium sanè fuerit.* Basilius supra art.2. n.3. *Deus concurrentem voluntati habens potentiā, genuit*, &c. & lib.4. contra Eunomium §.1. circa med. ita impugnat dicentes, Deum Patrem non generasse ab æterno. *Si Deus non generat, quoniam non potest, minor est, quàm generans, & perfecta natura, cum ad hoc imbecillitas ipsi insit.* Supponit igitur, Patrem ab æterno non solum actu generasse, sed etiam potuisse generare. Epiphanius hæresi 73. aliquantò ante med. *Vox Pater, plus est, quàm nomen ingeniti. In ingenito enim non apparet Patris potentia. Verum in nomine, Pater, apparet, quòd causa est similis sui ipsius Filij.* Nomine Patris exprimi Patris potentiam benè probat ex eo, quòd exprimatur causa Filij, quia in causa, seu principio generandi Filium, non potest non esse generatiua potentia. Quo supra n. 10. ex Scriptura nominante Patrem, collegimus potentiam generandi Filium. Cyrillus lib.1. Thesauri cap.7. aliquantò ante finem, *Sicut essentia diuina vna ineffabilique virtute omnia creat; sic & generatiua virtute indiuisibiliter generat.* & cap.8. non longè à fine. *Generandi vim naturaliter Pater habet: creandi etiam per Filium vim habet; nec idcircò compositus est. hæc enim omnia in vna natura sunt.* Sicut in natura Patris ponit vim creandi, ita vim generandi; sed illa est verè, ac propriè potentia creatiua; ergo hæc erit verè, ac propriè potentia generatiua. Et Dialogorum de Trinitate libro 1. colum. penultim. *Dei Patris naturam dehonestant: quandoquidem spoliant eum gignendi facultate.* Augustinus lib.3. contra Maximinum cap.7. initio refert tanquam errorem, quem Catholici Arianis obiiciebant, *Deum non potuisse gignere id quod est ipse.* Et in fine ita probat, Filium æqualem esse Deo Patri, *Prorsus ad hunc articulum res colligitur, vt Deus Pater æqualem sibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus; si noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrumque hoc falsum est.* Et cap.12. initio, vt Arianorum dictum refert, & multis deinceps impugnat, *Quòd non potuerit omnipotentem gignere omnipotens.* Et in fine, *Absit, vt ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater. Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit.* Ne Filio quidem negare vult formalem generandi potentiam, quæ non est aliud, quàm ipsa natura communis omnibus personis, vt articulo sequenti constabit. Fulgentius in responsione ad 5. obiectionem Arianam ante medium, *Genitori, quod nefas est potentia naturalis adimitur, si Filio paterna substantiæ æqualitas abnegetur.* Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus inter principium, & medium, *Ea omnia quæ habet Pater, sunt Filij, sola gignendi vi excepta.* Non licet igitur Theologo personis diuinis actu producentibus negare producendi vim, atque potentiam; quam omnes sancti Doctores in illis esse fatentur.

Exponitur locus Ps.109.

13. *Quartò rationibus.*

Quartò, duabus rationibus in corpore articuli. Prima, quia fide certum est, dari principium producendi diuinas personas procedentes, vt supra n.11. Nomine autem actiuæ, seu productiuæ potentiæ, nil aliud significatur, quam principium producendi. Et sanè nimis libera, & manifestè absurda est expositio Aureoli suprà n.9. dicentis, Non alio modo in Patre esse potentiam generatiuam, quam sit in Deo potentia, vt sit Deus, & facere se possit Deum; & in Patre, & Filio, & Spiritu sancto sit potentia, qua vnusquisque possit facere id id, quod est. Sic enim æquè propriè diceretur Pater principium Patris, & Filius principium Filij, & Spiritus sanctus principium Spiritus sancti, ac de facto dicitur Pater principium Filij, & Spiritus sancti; Filius principiū Spiritus sancti. Et si potentia generatiua nil aliud est, nisi potētia patrizandi, vt loquitur Aureolus, sequeretur in vnaquaque persona esse potentiam producendi se ipsam: quoniam in vnaquaque est quædam potentia, seu potius non repugnātia essendi id, quod est: vnde vlterius sequereretur quòd esset potentia generatiua, seu productiua in Deo; etiamsi vna tantùm in eo esset persona, sicut nunc est in sanctissima Trinitate. Quæ quidem ab omnium Theologorum, & Philosophorum sensu abhorrent. *Secunda quia potentia generandi*, inquit sanctus Thomas, *Significat id, quo generans generat: omne autem generans, generat aliquo. Vnde in omni generante, oportet ponere potentiam generandi; & in spirante potentiam spirandi.* Certum de fide est, Patrem producere, ac generare Filium. Item, Patrem, & Filium producere, & spirare Spiritum sanctum. Certum quoque apud omnes Theologos, & Philosophos est, Agens, in quo sunt multæ rationes, seu actualiter, seu virtualiter distinctæ, non agere secundum omnem rationem, quam in se habet, sed secundum vnam rationem agere, secundum aliam non agere. v.g. Homo discurrit secundum quod rationalis est, non secundum quod animal est; contra verò, sentit, vt animal, non vt rationalis. Sic etiam Pater generat, vt intelligens, non vt volens; sed spirat vt volens, non vt intelligens. Ergo in omni agente datur ratio formalis, secundum quam agens agit; quæ ratio à S. Thoma dicitur, *id quo*: sed hæc ratio formalis, & id quo agens formaliter, & immediatè agit, est potentia actiua, seu productiua; ergo hæc datur in Deo Patre respectu Filij; & in Patre, & Filio respectu Spiritus sancti.

Contraria Aureoli argumenta.

14. *Prima obiectio.*

Obiicit primò. *Vbi productiones non sunt elicitæ, vanum est quærere productiuam potentiam, aut principium producendi; sed in diuinis generare, & spirare, non sunt productiones elicitæ. Ergo vanum est quærere productiuam potentiam, vel principium producendi respectu istarum productionum.*

Respondetur potentiam in Deo esse respectu producti, & non actionis.

Respondeo, si maior intelligatur limitatè iuxta limitatum sensum minoris, & conclusionis, concedo totum vt supra iuxta conclusionem dub.2. n.6. vt concedunt Arimінēsis, & Capreolus 1.d.7.q.1.ad 1. Aureoli. Quoniam verò maior loquitur vniuersaliter de potentia productiua simpliciter, & verè, Aureolus, vt contra ipsum ostendit Arimінensis supra, intelligit de potentia productiua, non solum respectu productionis, sed etiam respectu producti, ideò maior, vt iacet, neganda est; quia, vt discurrit S. Thomas hic ad 3. *Actio ab agente non distinguitur in Deo, nisi secundum rationem tantum, alioquin actio esset accidens.* Ergo respectu actionis in Deo poni non potest potentia, quia, inquit, *potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat.* Et si est principium in re, importare debet distinctionem secundum rem. Et ideo distinctius suprà quæst.25. art.1. ad 3. ita docuerat, *Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo saluatur ratio potentiæ, quantum ad hoc, quòd est principium effectus; non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis*, quia scilicet terminus productus distinguitur in diuinis à principio producente, non autem actiua principiatio. Vnde autem oriatur, vt generans creatum principiet etiam actionem ipsam generandi, non autem Deus Pater generans, dictum est supra n.7.

15. *Secunda obiectio.*

Obiicit secundò, quia *eadem est potentia, qua potest Pater generare, & qua potest esse Pater. Sed posse esse Patrem, non est posse potentia productiua.* Ergo nec posse generare, est posse potentiæ productiuæ.

Respondetur, posse generare, & posse esse Patrem, nō esse idem.

Respondeo, negando simpliciter maiorem; alioquin, vt acutè instat Arimінēsis eadem esset potentia, qua Deus potest creare, & qua potest esse creator. Sicut igitur Deus se ipso est creator absque alia potentia, qua producatur in esse creatori; ita Pater se ipso est Pater, absque alia potentia, qua producatur in esse Patris. Manifestum igitur discrimen est inter posse generare, & posse esse Patrem in diuinis: quia cum dicitur Pater posse generare, comparatur vnum suppositum Patris ad aliud suppositum Filij: inter duo autem supposita potest esse vera ac propria potentia productiua. Cum vero dicitur Pater, potest esse Pater, comparatur idem ad se ipsum, vbi nulla esse potest realis potentia productiua, sed solum potentia essendi largè, & impropriè accepta pro non repugnantia, seu necessaria connexione terminorum ad essendum id quod res est. Neque Aureolus benè probat maiorem, assumens, quòd idem omninò sunt generare, & esse Patrem, seu personam potentem generare; vt constat ex dictis supra q.40. art.2. dub.5. & in hac q.41. art.1. dub.1.

16. Obiicit tertiò. Si potentia generandi est potentia productiua, ergo, inquit Aureolus, *aliqua perfectio simpliciter est in Patre, quæ non est in Filio*; quia Filius non potest generare alium Filium; & si potentia creatiua, & productiua creaturæ, est perfectio simpliciter, multò magis perfectio simpliciter erit potentia generatiua, & productiua Dei creatoris. *Tertia obiectio.*

Respondetur, ex conclusione non sequi inæqualitatē personarum.

Respondeo, cum ex probandis art. sequenti, potentia productiua in diuinis præter naturam absolutam, communem, & identificatam omnibus personis, non aliud addat, nisi relationem paternitatis, quæ est vnius personæ propriæ; inde sequitur, quòd potentia generatiua, ratione naturæ, est in omnium sententia perfectio, simpliciter simplex; & de hac non procedit argumentum, quia, vt docet S. Thomas articulo sequenti ad 3. *Quantum ad essentiam, potentia generandi communis est tribus personis*; ratione verò paternitatis, secundum Capreolum, & alios relatos, & impugnatos supra quæst.28. art.2. dub.5. nullam dicit perfectionem; & iuxta hanc opinionem falsa est consequentia. Sed quia loco citato probaui conceptum perfectionis in diuinis relationibus, etiam abstractè consideratis, neganda est consequentia ex aliis capitibus, de quibus latè disputatum ibi est à n.132. ad 149.

17. *Quarta obiectio.*

Obiicit quartò ex verbis Augustini supra n.12. *Filius non genuit, non quia non potuit.* ergo negatio potentiæ generandi, quam Augustinus tribuit Filio Dei, non est negatio potentiæ, nimirum generatiuæ, seu productiuæ. Hanc enim negationem potentiæ, negat Augustinus esse in Filio, cum dicit, *non quia non potuit*; in quo tamen per illud, *non genuit*, negat generationem, & consequenter potentiam generatiuam. Ergo hæc non habet rationem potentiæ productiuæ. nam, vt benè assumit Aureolus, *Cuius negatio non est negatio potentiæ, ipsum non est formaliter potentia.*

Respondetur exponendo Augustinum.

Respondeo, Augustinum negare tantum in Filio actualem generationem, non autem potentiam generandi; imò hanc expresè affirmare, negando de Filio, quòd *non potuit*, scilicet generare. Nam, vt contra Aureolum notat Arimінensis, *Cum Augustinus negat non posse, affirmat posse; ac per hoc potentiam productiuam.* Sensus igitur Augustini est, Totam naturam, omnémque formalem potentiam, atque adeò ipsam quoque generandi potentiam, quæ est in Patre, esse etiam in Filio. Sed Filius actu non genuit, quia, inquit Augustinus *non oportuit*; hoc est, non ex defectu formalis potentiæ generatiuæ; neque ex libertate generandi, aut non generandi; sed ex naturali incompossibilitate vnius diuinæ personalitatis Filij cum alio diuino Filio; alioquin indecentissima infinitorum Filiorum turba ponenda esset in diuinis, vt ipsemet Augustinus ratiocinatur, & se explicat, ita omninò subdens, *Immoderata enim esset diuina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri; quia etiam ipse nepos, nisi auo suo pronepotem gigneret, impotens diceretur. Similiter ille, si nepotem non gigneret auo suo, & pronepotem proauo suo, nova à vobis appellaretur omnipotens; nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur; nec eam perficeret vllus, si non sufficeret vnus omnipotens.* Itaque Dei Filium non genuisse alium Filium, non fuit impotentia, aut imperfectio, sed infinita perfectio vnius diuinæ generationis, & vnius diuini Filij; propter quam perfectionem, non oportuit, & nulla fuit necessitas, imò fuisset maximum inconueniens, si ipse etiam Dei Filius alium Filium genuisset. Quomodo autem potentia generandi sit in Filio, & in omnibus personis, explicat S. Thom. q.41, n.5. ad 3. *Cum dico*, inquit, *potentiam generandi, potentia significatur in recto, & generatio in obliquo: sicut si dicerem essentiam Patris.*

Vnde quantum ad essentiam, quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis: quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ Patris. de quo latius diximus ibi num. 35.

18. *Quinta obiectio.* Obiicit quintò, quòd Ariminensis ita clarius, & breuius proponit, *In Patre diuino non potest poni aliqua potentia productiua respectu sui formalis constituti, alias produceretur in esse Patris. Sed generare est formale constitutiuum Patris. ergo respectu generare nulla est in eo potentia productiua.*

Respondetur concedendo totum. Respondeo, minorem esse falsam ex dictis supra art. 1. vbi probauimus, actum notionalem, atque adeò ipsum generare, non consistere in sola paternitate, quæ est formale Patris constitutiuum, aut in quauis alia relatione, sed multò principalius in ipsis absolutis actibus intelligendi, & volendi. Esto autem minor etiam vera sit, nos non negamus conclusionem inde deductam. Non enim contendimus hic, dari potentiam productiuam respectu generare, sed respectu geniti, & Filij.

19. *Sexta obiectio.* Obiicit sextò, *constat, quòd Filius caret potentia generandi. ergo si in Patre est potentia productiua, Filius carebit potentia aliqua eiusdem rationis; & per consequens, poterit dici impotens, & erit in eo impotentia*, & priuatio; sicut in Talpa est priuatio visus, qui competit aliis animalibus 5. Metaph. t. 27.

Respondetur, formalem generandi potẽtiam esse etiã in Filio. Respondeo negando simpliciter antecedens, vt supra num. 16. Filius enim *non genuit, non quia non potuit*, inquit Augustinus supra: nam ex articulo sequenti ad 3. *Cum dico potentiam generandi, essentia significatur in recto, & relatio in obliquo.* Cum igitur eadem Patris essentia sit in Filio, erit in Filio id, quod in recto, & principalius importat potentia generandi, nan autem, quod importat in obliquo, & connotatiuè, & minus principaliter; quod non est aliud, nisi paternitas; qua etiam non omninò caret Filius, cum eam habeat ratione naturæ, cum qua omnes relationes identificantur. Atque ideò Filius dici non debet simpliciter, & absolutè impotens, vel priuatus, vel carens potentia generandi, sicut in sententia eiusdem Aureoli, & omnium, nec Pater dici simpliciter potest carere, & priuari filiatione, aut passiua spiratione. Quare cum Magister, quem Aureolus pro se citat in suo 7. argumento, aut alius grauis Author, dicit, Filium non posse generare, *non negatur potentia aliqua à Filio*, inquit Capreolus ad 7. *sed negatur ab eo modus habendi potentiam, scilicet cum tali relatione.* Multa alia obiicit Aureolus, quæ ex dictis facilè solui possunt.

20. *Septima obiectio.* Obiici præterea potest dictum Ambrosij lib. 4. de Fide cap. 4. paulò post principium, *Generatio paternæ proprietatis est, non potentiæ.* Et Cyrillus Dialogorum de Trinit. lib. 2. tribus columnis ante finem, sæpè dicens, *Patrem nunquam fuisse potentia Patrem, neque potentia ad generandum Filium.*

Respondetur exponendo Ambrosium, & Cyrillum. Respondeo ad Ambrosium, ex contextu constat, ipsum negare generandi potentiam non simpliciter, sed quæ sit in Patre, & non in Filio. Generationem verò esse actum paternæ proprietatis, non quia sit in Patre sine vlla potentia generandi, sed quia est actus potentiæ generatiuæ prout est in Patre, non prout est in Filio. Et hoc modo sufficientissimè soluit argumentum Arianorum, dicentium, Patrem esse potentiorem Filio ex eo, quòd Pater, & non Filius generauerit. Cyrillus quoque, vt ex toto discursu, quem ibi facit, manifestum est, non accipit potentiam simpliciter, sed potentiam actu priuatam, quam habere solent creaturæ, & intra se habere non potest Deus.

DVBITATIO IV.

An in Deo sit actiua potentia respectu actuum notionalium passiuorum.

SVMMA.

1. *Conclusio affirmatiua omnium contra Aureolum, n. 21.*
2. *Exponuntur nonnulli, qui videntur contradicere, num. 22.*
3. *Probatur conclusio rationibus, n. 23.*

21. *Conclusio affirmatiua omnium.* COnclusio affirmatiua, quæ ponit in Patre potentiam realem, ac propriè dictam, siue, vt loquitur S. Thomas hîc ad 3. potentiam, secundum propriam rationem principij, respectu generationis passiuæ Filij, & in Patre, & Filio respectu spirationis passiuæ Spiritus sancti. Hoc solum directè intenditur in corpore huius articuli; &, vt ego quidem existimo, à reliquis omnibus conceditur, si vnũ Aureolum excipias, vt supra, qui etiam non omninò diffidet: nam, vt tetigi supra n. 11. & contra illum obseruauit Ariminensis 1. d. 7. q. 1. art. 1. §. *Ad hanc rationẽ.* Aureolus admittit, Deum Patrem esse aliquo modo principium productiuum, nimirum, *non per aliquam potentiam productiuam, sed per ipsam productionem, puta generare, quod est in ipso.* Hoc autem, nisi lis sit de solo nomine, dici debet potentia productiua; quæ, inquit Ariminensis, *diffiniri habet complètè per esse principium productiuum alterius, in quantum alterum; sicut actiua diffinitur per esse principium actiuum alterius, in quantum alterum.* Quare Aureolus videtur non negare potentiam simpliciter in personis diuinis producentibus, sed solum negare, illam ne ratione quidem esse distinctam à productione; contra ea, quæ supra art. 1. n. 9. probauimus. Verum cum Aureolus prædictam principij rationẽ explicet, ex eo quòd *generare infert generari*, venit in suspicionem, quòd neget omnem propriam potentiæ, & principij rationem; vel saltem insufficienter loquitur: quia generari etiam infert generare; ex qua tantum inferendi ratione, generatio passiua nullo modo dici potest potentia, aut principium generationis actiuæ.

Quid sentiat Aureolus.

22. *Quid sentiãt alij.* Quidam præterea, qui in contrarium referuntur, verè non contradicunt: quoniam, vel primò negant potentiam respectu productionum actiuarum, vt supra dub. 2. vel secundò etiam respectu passiuarum negant potentiam, secundum omnia, quæ intrinsecè in illis includuntur, nam ex probatis supra a. 1. quilibet actus notionalis, siue actiuus, siue passiuus, includit absolutum actum intelligendi, & volendi; qui actus communicantur quidem formaliter personis productis; tamen ipsi verè, & realiter non producuntur, vt in superioribus non semel dictum, & probatum est, & apertè docuit S. Thomas in fine huius articuli, dicens, *Intelligere, & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei, à Deo distincta, vel essentialiter, vel personaliter. Vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi, prout diuersimodè significatur in Deo intellectus, & intelligere.* Qui modus intelligendi, ac significandi, seu rationis nostræ distinctio, non habet fundamentum in Deo, cui planè repugnat, sed solum in creaturis, vt notaui in 1. tomo q. 4. a. 2. n. 69. & benè explicat Capreolus 1. d. 7. quæst. 1. art. 2. ad 1. contra primam conclusionem, dicens, *quia diuina intelligimus per creaturas, & quia in creaturis potentia est principium actionis, ideo dicitur quod in diuinis potentia est principium actionis, secundum rationem, vel modum intelligendi, quod non est aliud dicere, nisi quod simili modo concipimus talia diuina, sicut si realiter vnum principiaret*

principiaret aliud; quia concipimus ea, secundum modum, quo concipimus creata, vbi potentia ab actu distinguitur secundum rem, & est principium realiter actionis. Vel tertiò negant potentiam productiuam, quæ sit propriè elicitiua vitaliter actuum notionalium passiuorum, secundum se consideratorum, scilicet sistendo in illis, & non vlterius progrediendo ad productionem personarum procedentium; quemadmodum in creaturis dantur potentiæ vitales elicitiuæ actuum præcisè; vt potentia intellectiua, aut volitiua elicit actum intelligendi, aut volendi. Non sic in diuinis, vbi est potentia productiua generationis passiuæ, vt per illam producatur Filius; & potentia productiua spirationis passiuæ, vt per illam producatur Spiritus sanctus. Hoc vniuersaliter significatur ad 1. illis verbis, *Potentia ad actus notionales dicitur in diuinis solum per respectum ad procedentem personam.* & Caietanus in §. vltimo sui Commentarij, acutè explicat, dicens, quòd *in Patre potentia generandi est principium generationis, non secundum se, sed secundum quod ponit genitum.* Idemque rectè aduertit Zumel hic disp. 1. concluſ. 2.

Conclusionis rationes. Probatur conclusio primo, quia certum est, in diuinis dari actuam generationem, & productionem Filij, & actuam spirationem, & productionem Spiritus sancti. Fides enim docet, Deum Patrem producere Filium, Patrem quoque, & filium producere Spiritum sanctum. Similiter certum est, dari passiuam Filij, & Spiritus sancti productionem; quia eadem fide constat, Filium à Patre generari, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere, & realiter, ac propriè produci. Omnis autem passiua productio ab actiua productione emanet necesse est: & omnis actiua productio debet necessario supponere potentiam productiuam, si non vt principium vnde ipsa fluat, saltem vt principium cuius ipsa sit formalis, & actualis, & completa producendi ratio. ergo cuilibet passiuæ productioni, sicut necesse est, vt ex parte agentis correspondeat aliqua actiua productio; ita necesse est, vt ex parte eiusdem agentis correspondeat aliqua potentia productiua. Alioquin terminus produceretur ab agente per solam agentis actionem, seu productionem, non autem per aliquam potentiam, seu virtutem, ac vim producendi in agente. Quod ex ipsis ferè terminis manifestam habet repugnantiam. Secundò ex præcedenti dubitatione certo constat, in diuinis personis producentibus dari potentiam producendi; nempe in Patre potentiam generandi Filium, in Patre, & Filio potentiam spirandi Spiritum sanctum. Ergo hæc potentia respicit immediatè productionem; non actiuam, vt superius ostensum est; ergo passiuam. Præterea hæc potentia respicit terminum non simpliciter, sed vt productum, siue, vt producendum passiuè per passiuam productionem, verbi gratia, Filium vt genitum, seu generandum generatione passiua. ergo immediatius, ac proximius debet intelligi respicere ipsam passiuam productionem. Confirmatur exemplo creaturarum, vbi ex essentiali connexione, quam inter se habent passio, actio, & potentia actiua, non potest esse, aut concipi passio, nisi pendens ab actione; & potentia actiua, & omnis terminus, qui realiter fit, habere debet suum fieri emanans à causa, illud potente facere, & actualiter faciente. Ergo si in diuinis vna persona realiter, ac propriè principiatur ab alia, hoc passiuum principiari prærequirit necessario, & principiationem actiuam, & actiuam potentiam principiandi. Confirmari vlterius potest secunda ratio; quia, vt notaui supra art. 1. n. 15. ex omnium sententia, processio passiua nil est aliud, quàm ipsemet terminus in fieri, seu produci; &, vt addidi num. 22. circa finem, passio non comparatur ad terminum productum, tamquam ratio influendi in terminum, sed solum tamquam formalis ratio, qua terminus esse suum recipit ab agente. ergo passio, & terminus habent rationem vnius producti totalis, & *vt quod*; ergo si in agente ponitur potentia actiua respectu termini producti, eadem potentia dici debet esse respectu productionis passiuæ, qua formaliter producitur terminus ab agente, & sine qua produci non posset.

23. *Conclusionis rationes.*

DVBITATIO V.

An potentia productiua sit idem etiam ratione ratiocinata cum persona producente.

SVMMA.

1. *Conclusio negatiua contra Ariminensem & Maiorem, num. 24.*
2. *Probatur quatuor rationibus, num. 24. & 25.*
3. *Ariminensis, & Maioris argumenta dissoluuntur, num. 26. ad finem Articuli.*

24. *Conclusio negatiua, eiusque Authores, & aduersarij.* COnclusio negatiua omnium contra Ariminensem 1. d. 7. quæst. 1. art. 2. conclusione 1. quem sequitur Maior quæst. vnica initio dicentem. *Non est aliquod principium quo, producliuum Filij, aliud à principio, quod producit.* &, vt se explicat post tertiam rationem, *per aliud*, intelligit distinctum non solum re, quo modo in vna simplicissima persona, certum est ex alibi probatis, non distingui principium, *quod*, & *quo*, sed etiam ratione. Contrarium expresè docuit S. Thomas in fine corporis, dicens, *Potentia generandi significat id, quo generans generat. Omne autem generans, generat aliquo. Vnde in omni generante, oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi.* Præter generantem, & spirantem, qui est principium, *quod*, in omnium sententia, ponit id, *quo*, generans generat, & spirans spirat, quod dicitur principium, *quo*, & cum rectè doceat, nomine potentiæ nil aliud proprie significari, nisi hoc principium *quo* producit producens, vt *quod*: &, omne generans vt *quod*, non posse generare, nisi habeat in se aliquid, *quo* generet; non obscurè significat, vbi non est principium *quo* agens vt *quod* possit agere, ibi esse non posse actiuam potentiam; ac proinde minus consequenter philosophari Ariminensem, & Maiorẽ concedentes, Deum Patrem habere potentiam productiuam Filij, & esse producendi principiũ, vt *quod*, & tamen nullum in eo esse producendi principium, vt *quo*. Atque hæc sit prima conclusionis ratio, quia nomine potentiæ omnes planè concipimus, & significamus, non totum ipsum potens, & agens, quod vocamus principium vt *quod*, sed aliquam formalem rationem, qua formaliter agens potens habet vt sit potens agere; quam formalem rationem vocamus principium, vt *quo*. Hoc manifesta inductione patet in reliquis omnibus potentiis, tam creaturarum, quàm ipsius Dei: semper enim potentia est id *quo*. Agens agit, & non est totum id, quod agere denominatur; verbi gratia, potentia intellectiua, visiua, motiua, &c. non est totus homo, qui intelligit, videt, mouetur, &c. sed aliqua peculiaris, ratio formalis, seu formale principium, quo homo est formaliter potens intelligere, videre, mouere, &c. sic etiam in ipsomet Deo potentia creatiua non est omnis ratio existens formaliter in Deo, verbi gratia, existentia, personalitas, neque secundum S. Thomam supra q. 25. art. 1. ad 4. quem

Prima ratio.

ibi sequutus sum, est intellectus, aut voluntas, sed alia posterior ratio, quam ibi vocat *rationem principij exequentis*: item potentia formaliter terminativa alienæ naturæ assumptæ, non est Deitas, aut aliquid essentiale, siue absolutum Deitatis prædicatum, sed solum diuina ipsa personalitas, vt suo loco probaui. Pari igitur ratione, potentia notionalis, verbi gratia, generativa in Deo Patre, dici non debet totus ipse Deus Pater, qui est principium generatiuum, & generans, vt *quod*; sed aliqua peculiaris ratio, vnde formaliter habeat, vt possit generare, & conueniat illi actu generare. Quod inde euidenter suaderi potest, quia Pater per generationem producit Filium, & per aliam diuinæ rationis originem, quæ non est generatio, producit Spiritum sanctum, qui non est Filius. Ergo non potest intelligi per eamdem omnino rationem, per quam constituitur potens generare, & non spirare, constitui potens spirare, & non generare. Ergo si in vna simplicissima Patris persona non distinguantur ratione ratiocinata vnum principium *quo* generandi, & aliud principium *quo* spirandi, fit prorsus inintelligibile, quo modo vnum indiuisibile principium, vt *quod*, absque vlla, & reali, & rationis diuersitate principij, & generet tali formali modo, quo non potest spirare; & è contrario, spiret tali formali modo, quo non potest generare.

25. *Secunda ratio.* Secunda ratio sit, quia ex probatis supra q. 27. art. 1. dubit. 9. 10. & 11. contra Durandum, immediatum, & proximum principium processionis Filij, est intellectus Patris, non voluntas; & processionis Spiritus sancti est voluntas Patris & Filij, non intellectus; sed ratione ratiocinata distinguitur intellectus à voluntate, & voluntas ab intellectu, & tam intellectus quàm voluntas à toto Patre & Filio, qui sunt principium producendi vt *quod*. Ergo hoc est, aliud ratione ratiocinata à principio producendi, vt *quo*. Tertia ratio valdè efficax sumitur ex fidei definitione facta in Lugdunensi, & Florentino supra quæst. 36. art. 4. num. 1. de Patre & Filio, quòd sint vnicum principium Spiritus sancti. Quod quidem non potest intelligi de principio, vt *quod*, quia sub hac ratione sunt duæ personæ spirantes, & duo spirandi principia inter se realiter distincta. ergo intelligendum est de principio spirandi, vt *quo*, quod verè est vnica voluntas Patris, & Filij, & ideo vnicum principium formale spiratiuum, & vnica spiratio. Ergo principium, vt *quod*, non potest rectè dici omnino idem, & re, & ratione cum principio, vt *quo*. Quarta ratio. Persona Patris, verbi gratia, constat ex natura absoluta, & relatiua personalitate distinctis inter se ratione ratiocinata, vt in superioribus ostensum est; ex quibus personalitas præcisè considerata, non est ratio producendi, sed mera ratio terminandi, & constituendi, ac distinguendi personas, & referendi. Sola autem natura est ratio producendi. Ergo sola natura habere potest rationem formalis principij, & potètiæ, sed sola natura vt præcisè considerata non est principium *quod*. hoc enim est ipsa tota persona, constans ex natura, & personalitate, sed est principium *quo*; hoc est, non est totum id, quod denominatur producere, sed est aliquid ipsius, quo producit; ergo principium *quo* in diuinis distinguendum ratione ratiocinata est à principio *quod*.

Tertia ratio ex Concilijs.

26. *Prima obiectio Ariminensis.* Obiicit primò Ariminensis, quod ferè ad verbum sumit Maior, *Principium producens Filium se ipso primo producit. Igitur non est aliquod principium quo, aliud à principio quod producit*: alioquin, inquit, *iam non à se ipso primò producit, sed ab alio principio.* Probat antecedens, *quia si non produceret se ipso primò, cum per se producat, produceret primò per aliquod sui intrinsecum sibi.* Quod probat dici non posse, *quod omne quod producit primò per aliquid intrinsecum sibi, & non se ipso, includit in se aliquam entitatem, vltra illud, per quod dicitur primò producere; ac per hoc ad minus duas entitates includit. Hoc autem est impossibile de principio, quod generat Deum, cum ipsum sit infinitæ simplicitatis.*

Respondetur, explicando, quid sit in diuinis, producere se ipso primo.

Respondeo in hoc argumento nullam esse difficultatem, si distinguatur in Antecedente, & magis explicetur illud, *Producere se ipso primò*, quod in consequentibus æquiuocè vsurpari videtur ab Ariminensi. Potest enim significare primò, *non produci ab alio principio*, vt ipsemet Ariminensis explicare videtur in probatione suæ primæ consequentiæ: & sic antecedens verissimum est, quia quidquid in Patre generat, siue natura, siue personalitas, à se ipso habet, & à nullo alio principio acceptum. Potest significare secundò, *non producere per aliquid sui*, sed per totum id, quod in se ipso est, & per quamlibet sui rationem omnino indiuisibiliter, & re, & ratione; quo modo in reliquo argumento sumi videtur; & sic antecedens est manifestè falsum, quia certum apud omnes Theologos esse debet, Patrem per se, & se ipso producere Filium per intellectum, non per voluntatem; & è contrario, producere Spiritum sanctum per voluntatem, non per intellectum. ergo per aliquid sui producit Filium, & per aliquid sui non producit, & ita etiam producit Spiritum sanctum, Ad contrariam probationem dico, Patrem includere duas entitates, seu potius formalitates, & perfectiones, non ex natura rei, sed sola ratione distinctas. Hæc autem distinctio non repugnat diuinæ simplicitati, imò potius eam entitatiuè plenissimam, & perfectissimam esse supponit, & declarat.

27. *Secunda obiectio eiusdē.* Obiicit secundo Ariminensis, *si Pater per aliud à se aliquo modo produceret tanquam principio, quo, esset aliquo modo illud tale causa Patris; quia omne, quod agit per aliquid aliud, aliquo modo habet esse, vel tale esse per illud. Vnde in quibuscumque talia principia, quo, & quod, distinguuntur principium quo, est forma constituens, vel perficiens ipsum principium quod.*

Respondetur principium, quo, non esse causam personæ producentis.

Respondeo, Patrem producentem principio *quo*, malè dici in antecedente, *producere per aliud à se*, cum producat per aliquid sui, sibi intrinsecum, ac proinde ratione distinctum ab omni alio, quod re ipsa est Pater. ex hoc autem antecedente ita declarato, nego sequi, quod principium *quo* Pater producit, seu potentia productiua, sit causa Patris. est enim solum ratio veluti formalis, vnde Pater habet, vt sit formaliter petens producere, non vt sit formaliter Pater, habet à sola paternitate, quæ sola non est potentia productiua, imò non est aliqua formalis ratio producendi, sed tantum distinguendi producens à producendo, vt ostendam art. sequenti. Ad probationem consequentiæ, dico iterum, Patrē, cum producit per potentiam tanquam principium, *quo*, non producere per aliquid aliud, sed per aliquid idem sibi, & in se ipso essentialiter inclusum; & propterea nō aliud ratione ab ipso toto Patre, in quo intrinsecè includitur, sed aliud ratione ab aliquo alio, incluso etiam in eodem Patre per summam identificationem in re cum illo. Hoc autem non est habere esse ab alio, sed contra potius habere esse à se ipso, seu per id, quod est ipsum esse suum. Quamobrem in fine obiectionis non benè comparatur principium *quo* diuinum, cum principio, *quo* creato; quod quia limitatum est, ac distinctum realiter à principio *quod*, habet, vt vera causa formalis, componere, & realiter perficere, & informare principium

cipium *quod*. Principium verò *quo* diuinum, quia est infinitum, & identificatum cum principio *quod*, & est ipsummet omnino in se, ab huiusmodi imperfectionibus compositionis, & perfectibilitatis, & informationis longè distat. Quapropter principiū *quo* producit Deus Pater, non dicendū est cōponere, aut informare, aut etiam perficere illum, sed dici debet perfectio Patris, quæ est ipsemet Pater, illi intrinsecè, & essentialiter identificata, tametsi ratione cum fundamento in re ab illo distinguibilis.

28. *Tertia obiectio eiusdem.* Obiicit tertiò Ariminensis, & sequitur Maior, *si aliqua formæ simplex substantialis, vel accidentalis per se separata, diuina virtute, aut naturaliter existens ageret, ipsa se ipsa primò ageret, & non aliquo alio principio quo: cuius veritatis præcisa causa est simplicitas. Sed in primo producente est summa simplicitas. Igitur in eo non erit talis principiorum distinctio.*

Respondetur, si forma separata ageret, nihil sequi contra conclusionem.

Respondeo primò, negando simpliciter antecedens. Etenim in eo etiam casu forma separata non ageret, vt principio formali, per omnem realē rationem, quæ in ipsa est: nam saltem non ageret formaliter per existentiam, non per subsistentiam, aut aliquem modum, illi à Deo superadditum, vt possit miraculosè existere separata à subiecto: & si esset forma habens multas actiuas proprietates, illa etiam ageret, vt *quod* per principium formale *quo*; sicut anima nostra separata à corpore intelligit per intellectum, vult per voluntatem, &c. Secundo esto admittatur antecedens, vt iacet, nego præcisam causam veritatis antecedētis esse quamlibet simplicitatem, sed solam simplicitatem imperfectam per defectum entis; qua ratione corpus, v.g. simplicius est toto homine composito ex anima, & corpore, & tamen imperfectius, vt explico in primo tomo q. 3. art. 7. n. 9. In primo autem producente est diuersissimæ rationis simplicitas perfectissima cum infinita entis plenitudine, virtualiter æquipollens infinitis rebus distinctis, & compositis. Ex cuius generis simplicitate tollitur quidem actualis in re distinctio principiorum *quod*, & *quo*; tamen ponitur reale, atque vrgens fundamentum, vnde nos possimus, & debeamus ea principia distinguere.

29. *Quarta obiectio eiusdem.* Obiicit quarto Ariminensis contra hanc responsionem distinguentem in Deo secundum rationem principium *quod*, & principium *quo*: quia, inquit, *distinctio rationis, aut cōceptus nihil ad propositum: nec conceptus, vel ratio est principium quo, nec quod generandi Filium, sed res extra, in qua, cum nulla penitus sit distinctio, non potest ibi talis principiorum distinctio assignari.* Alioquin, inquit, *eadem ratione in forma simplici creata posset assignari principium quo, aliud à principio quod: quod tamen nullus dicit.*

Respondetur explicando distinctionem principiorum quod, & quo.

Respondeo, distinctionē rationis esse ad propositum, de quo disputamus: quoniā illam non adducimus ad ponendam ipsam realem rationem principij *quod*, & principij *quo*, vt imaginari videtur arguens; sed solum ad explicandum, sub qua formali ratione existēte in re ipsa, habeat Deus esse principiū *quod*, & principium *quo* in generatione Filij, & spiratione Spiritus sancti. Quod quidē nos, in hac saltem vita imperfectè concipientes, intelligere, & exprimere non possumus, nisi distinguēdo ratione in Deo plures perfectiones, seu pluribus actibus concipiendo Deum inadæquatè; vno scilicet actu, concipiendo Deum præcisè sub illa tantū ratione, sub qua habet formaliter esse principium *quo*; & alio actu, concipiendo eumdē Deum sub alia ratione, sub qua habet formaliter esse principium *quod*, neque est eadē ratio de forma simplici creata, vt constat ex responsione ad 3. hęc enim est simplicitas imperfecta ex qua imperfectione oritur, vt non sit ibi assignare duplex principium, *quo*, & *quod*. Diuina verò simplicitas est entitatiuè infinitè perfecta; in qua perfectione habet intellectus noster fundamentum distinguendi in Deo plura principia, quamuis in re sint vnum, & idem omnino. Esto igitur secundum rem *nulla penitus sit distinctio*, nempe actualis in Deo; tamen ad hanc principiorum pluralitatem rationabiliter introducendam, satis est in re ipsa dari distinctionem virtualem, seu fundamentalem, hoc est, ipsum fundamentum distinguendi ratione, & concipiendi pluribus actibus, ea quæ non sunt plura, sed vnum, tametsi pluribus, & distinctis perfectionibus, seu rebus æquivalens.

ARTICVLVS V.

Vtrùm potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd potentia generandi, vel spirandi significet, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Non significari solam relationem, & authores vtriusque partis, num. 1.*
2. *Probatur authoritate Patrum, num. 2.*
3. *Exponitur ratio articuli, & confirmatur ex Hilario, Anselmo, & Florentino, num. 3. ad 6.*
4. *Relationem in Deo non esse principium agendi, n. 6.*
5. *An sola essentia sit potentia notionalis, n. 7. ad 17.*
6. *Quid principalius sit de ratione potentiæ notionalis, num. 17. ad finem Articuli.*

1. *Potentia notionalis non significat solā relationem.*

ONCLVSIO simpliciter negatiua, non solum respondens limitato titulo articuli *de potentia generandi*, sed etiam vniuersalius, idem negans de potentia spirandi iuxta prima verba articuli, *Videtur, quòd potentia generandi, vel spirandi*, &c. Et iuxta probatam præcedente articulo, sensus esse debet. Actuum notionalium, hoc est, generationis passiuæ Filij, & spirationis passiuæ Spiritus sancti, principium productiuum, vt *quod*, est ipsa persona producens; de quo nemo dubitat: principium verò productiuum, vt *quo*, & dici solet principium formale, & potentia notionalis, non est sola relatio absque essentia, siue, vt præcisa ab essentia, sed necessario includit essentiam. Ita omnes, exceptis quibusdam, quos sine nomine S. Thom. initio corporis refert, & deinde impugnat. Quos sequuti sunt Bonauentura 1. d. 7. art. vnico q. 1. Durandus q. 2. à n. 29. Carthusianus q. 1. idem tribuens Henrico, & Altisiodorensi. Sed Henricus etiam in verbis, quæ Carthusianus refert ex quodl. 3. q. 3. clarè dicit, essentiam claudi in conceptu potentiæ. Similiter pro conclusione est expressè Altisiodorensis l. 1. c. 6. quæst. 3. Vnde initio quæstionis ita testatur, *Communis est omnium opinio, quòd cur dicitur Pater, potest generare Filium, hoc verbum, potest, prædicat diuinam essentiam.* & ideò propè finem concedit, quòd *potentia generandi est in Filio, id est*, inquit, *potentia qua potest aliquis generare est in Filio.* Neque S. Thomas per illa verba 1. dist. 7. q. 1. art. 2. post med. Corp. *essentia, secundum quod, est ipsa paternitas, est principium huius actus, qui est generare*, habet contrariam sententiam, quam hoc loco retractauerit, vt ei imponunt Capreolus 1. d. 7. q. 1. art. 1. fi. & Caietanus hic ante §. *circa finem*. nam facilè potest accipi iuxta sensum huius articuli explicandum duabus dubitationibus infra, vt accipit Heruæus, quem referunt, & sequuntur Sylvester

Authores, & Aduersarij conclusionis.

p.p.Conflat.quæst.27.art.6.ad 5. & Nazarius hic in expositione textus.

2. *Probatur ex Patribus.*

Probatur conclusio primò ex Patribus, qui Filij generationem sæpè tribuunt naturę Dei Patris. Clarius loquuntur Magnus Dionysius de diuinis nominibus cap.2. aliquanto post med.vocans *Iesum,& Spiritum sanctum fœcundæ Diuinitatis germina à Deo prodeuntia*.Basil,lib.5.contra Eunomium §.15. multo post principium, de Filiis Dei adoptiuis ait. *Filij non veri sunt; a natura enim, ac veritate res proficiscuntur*. Contra vero de verbo æterno subiungit,esse verum Filium Dei, quia,inquit, *natura essentialiter ab ipso natus est*; & aliquanto ante finem dicitur, *Deus natura generans*. & paulo post de Deo Patre credendum esse docet, *naturæ diuinæ proprium Filium genuisse*. Hilarius lib.5.de Trinitate col.penult. *Verum Fidei nostræ sacramentum est, Deum ex Deo confiteri, non naturæ in naturam transfusione, sed mysterio, & potestate naturæ. Non enim per defectionem, aut protensionem, aut per derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturæ in naturam eamdem natiuitate subsistit*. Potestas, & virtus naturæ importat propriè naturalem quamdam potentiam in ipsa natura intrinsecè inclusam; qualis non est sola paternitatis relatio, quæ est naturæ terminus potius, quàm virtus. Cyrillus lib.1. Thesauri cap.7. aliquanto ante finem,cum de Patre dixisset, *generativa virtute indivisibiliter generat*: statim hanc virtutem vocat generatiuam essentiam,subdens, *Generativa essentia Dei nullam divisionem, nullum defluxum, nullam passionem patitur, cum unicus eius Filius ex ipsa effulserit*. & cap.8. non longe à fine dixerat, *Generandi vim naturaliter Pater habet, & creandi vim*: idque statim ita probat, *hæc enim omnia in una natura sunt*: significans, quod sicut vis creandi ad naturam intrinsecè pertinet, non præcisè, & solum ad personalitatem; ita quoque & vis generandi:& Dialogorum de Trinit.lib.2. col.4.ante finem docet, *Confitendum genitorem esse secundum naturam Patrem*; & paulò post, naturam Patris non semel vocat *naturam generatiuam*. Si vis generandi esset in sola paternitate ac personalitate; non natura, sed sola persona dici posset generativa:& Pater non secundum naturam, sed secundum personam tantum esset genitor. Damascenus lib.1.Fidei cap.8.inter medium, & finem, loquens de æterna Verbi generatione, ait, *Naturæ opus est, & ex substantia eius perfecta*.

3. *Exponitur ratio articuli.*

Probatur secundò rationibus.Primò ex S.Thom. initio corporis; cuius ratio,vt sit vniuersalis,ni mirum de omni agente vniuoco, & in debita forma, hunc in modum clarius proponenda,& explicanda videtur; *illud propriè dicitur potentia in quocumque agente,quo agens agit*, nimirum formaliter tanquam ratio aliqua intrinseca agenti, & ad actionem præsupposita tamquam formale principium,vel productiuum actionis,vel productiuum terminiper actionem:qua limitatione à ratione potentiæ excluduntur non solum conditiones extrinsecæ loci, & temporis, sed etiam conditiones intrinsecæ necessario prærequisitæ ad agendum, non tamen, vt formalia agendi principia; cuiusmodi sunt existentia, subsistentia,& aliæ similes.Sed illud,quo agens agit modo explicato,est illud,in quo productum assimilatur producenti, vt homo genitus, est similis generanti in natura humana, quæ est principium formale generandi hominem: ergo illa est dicenda potentia formalis, in quocumque agente, secundum quam productum assimilatur producenti. Sed in diuinis persona producta assimilatur producenti in natura, non in personalitate,seu relatione.ergo potẽtia,seu principium formale *quo*,productiuum in diuinis,est natura,non personalitas,seu relatio; saltem non est sola relatio,quod tantum probare intendit hæc prima conclusio.Hanc vniuersalem rationem, de qualibet potentia notionali applicat S. Thomas particulari potentię notionali generatiuæ ita subsumens ex præcedenti discursu.*Illud est potentia generativa in aliquo generante,in quo genitum similatur generanti. Filius autem Dei similatur Patri gignenti in natura divina. Vnde natura divina in Patre est potentia generandi in ipso*. In qua ratione,vt sit propria generatiuæ potentiæ debet natura sumi strictè pro pura essentia, non solum vt distincta contra personam, sed etiam contra attributum, quod in primo tomo quæst. 4. art.2.probaui non contineri in intrinseco conceptu essentiæ. Vbi etiam ostendi huius essentiæ formale quasi specificatiuum, & vltimò constitutiuum, esse purissimum actum intelligendi, quem ex formalissima in processionis generatiuæ Pater communicat Verbo,ac Filio. Vnde sequitur,in hac perfectissima,& essentiali intellectualitate,secundum quam Deus generans assimilatur formaliter Deo genito, consistere formalem potentiam generatiuam, siue immediatum,& formale principium, quo Deus Pater gignit Filium. Si vero natura largius sumatur, prout complectitur,non solum essentiam,sed etiam attributa, ac proprietates essentiæ, & distinguitur tantum à personalitatibus; eadem ratio accommodari potest potentiæ notionali spiratiuæ; quæ etsi non sit natura, hoc est essentia, tamen est natura, hoc est, naturalis proprietas essentiæ, nempè voluntas Patris, & Filij, in qua Spiritus sanctus spiratus illis assimilatur, & non in personalitatibus ac relationibus: cum ex vi formali suæ processionis communicetur Spiritui sancto eadem voluntas Patris, & Filij, vnde immediatè, & formaliter procedit, vt in proprio loco superius explicatum est.

4. *Confirmatur ex Hilario.*

Hanc rationem confirmat S.Thomas verbis Hilarij quæ citat ex l.1. de Trinitate, sed non inuenio nisi in libro 5. non longè à fine. *Natiuitas Dei non potest non eam,ex qua perfecta est,tenere naturam.Neque enim aliud,quàm Deus subsistit,quod non aliunde, quam ex Deo Deus subsistit*. Optimè probat ex natiuitate, quæ est passiua generatio Filij Dei, ideo haberi naturam diuinam.quia talis generatio profecta,& orta est ex ipsamet diuina natura:& ideo Filium genitum subsistere Deum in eadem Deitate cum Deo Patre,quia ex ipsamet Deitate Patris emanauit.Vnde sequitur, id, quod Pater generat,& principium formale,quo,productiuum generationis Filij, quod propriè importatur nomine potentiæ generatiuæ, nihil aliud esse, nisi ipsammet Deitatis essentiam in Patre.Eamdem rationem de alia potentia notionali spiratiua multo clarius expressit Anselmus in Monologio c.52.ita scribens de Spiritu sancto, *Non ex eo procedit,in quo plures sunt Pater,& Filius; sed ex eo,in quo vnum sunt.Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt(alia est enim relatio Patris,alia Filij)sed ex ipsa sua essentia,quæ pluralitatem non admittit,emittunt Pater,& Filius tantum pariter bonum*.Quod bonum statim vocat *amorem*,significans illam essentiam, ex qua dixerat procedere Spiritum sanctum, esse diuinam voluntatem,quæ sola formale principium amoris esse potest:non quòd ipsa sit inclusa in intrinseco essentiæ conceptu, sed quod sit essentialiter vnum cum essentia.Et in epistola de processione Spiritus sancti c.6.multo post med probat, falsam esse istam causalem,*Spiritus sanctus ideo est de Deo,quia est de Patre*:sic enim inquit,*erit diuina essentia in Spiritu sancto,non de Deitate Patris,sed de relatione; quod stultissimum est dicere*. Vnde in fine capitis, contrariam causalem veram esse,ita concludit,*Credendum, & confitendum est, ideo de Patre Spiritum sanctum esse, quia est de Deo*.

ex Anselm.

Illud,

Illud, de quo est Spiritus sanctus, est proculdubio potentia notionalis productiua Spiritus sancti; sed Spiritus sanctus est, inquit Anselmus, *de divina essentia,de Deitate,non de relatione*.Ergo secundum Anselmum hæc potentia,est essentia, non sola relatio. Quod clarius repetit c.10.aliquantò post principiũ, ita deducens ad impossibile, *Nisi forte quis dicat Spiritum sanctum non procedere de Deitate Patris,sed de paternitati; nec per Deitatem Filij,sed per filiationem: quæ opinio sua se patenti fatuitate suffocat*.

5. *Et ex Florentino.*

Idem terminis magis vsitatis in schola, & expressius significantibus potentiam, & subtiliùs distinguentibus duplex principium productiuum, *quod*,& *quo*,docuit in Concilio Florentino Ioannes Theologus sess.18.multò post medium. §. *Dixi equidem*.Cum enim initio dixisset, *Filium ex Patre,ac ex Patris substantia generari, idem significare*; id statim declarat,ac limitat,subiungens, *ita tamen, vt persona sit producens, & generans. Principium autem quo ipsa persona generet, sit id,quod solum communicabile est.Pater ergo generativum principium est, & suppositum quoddam significat.Diuina vero substantia non quidem generat,sed est principium quo generatio fit; quæ doquidem suppositum nullum significat*. Quemadmodum,inquit, (quod exemplum rem mirificè illustrat) *quamuis hic homo generet,cuius tamen substantia generationis eiusdem principium est,quandoquidem actiones suppositorum sunt: quæ quidem substantia, vel essentia in homine, cum sit humanitas, generationis principium existit, quo generat homo*. Quod paulò post ita diuinis accommodat. *Non aliter profectò de diuinis personis intelligere possumus.Nam Patris persona suppositum est,atque generans. Diuina verò natura generativum principium, quod Pater generat Filium:qui quidem Pater suam personam Filio nequaquam communicat, cum tantum eius substantia, & natura communicabilis sit*. Idem exemplum, eamdemque doctrinam fusiùs explicat sequenti sessione 19. §. *Vt exemplum*. Vbi non obscurè significat, quod verbis citatis docet S. Thomas, nempè, potentiam generatiuam esse illud principium, in quo genitum similatur generanti. *Patris*,inquit,*substantia principium est,per quod generat Pater;quódque per generationem Filio tradit, atque communicat*. Et iterum ante §. *Quæstionem suam*, loquens de substantia, & natura Patris, ait, *Hæc autem substantia absolutè,simpliciterque considerata, qua generandi potestas est, principium est quo, vel per quod. Quod quidem à Patre Filio communicatur, ac traditur*. Quam potestatis notionalis doctrinam postea extendit ad processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio.

6. *Relationem in Deo non posse esse principium agẽdi ex Capreolo, & S.Thoma.*

Secunda ratio. Sola relatio, aut sola personalitas præcisè considerata, dici non potest principium formale,& immediatum operandi, seu producendi, cuius generis principium omnes intelligimus nomine potentiæ productiuæ. Relatio enim vt relatio, non est virtus actiua, etiam in diuinis, sed solum referendi, & suppositandi, & distinguendi vnam personam ab alia, & constituendi in esse incommunicabili;ex quo sequitur,non posse esse vim producendi, quia hæc est opposita vis communicandi,&constituendi in esse communicatiuo.Quam deductionem rectè tetigit Capreolus 1.d.7.q.1.a.2. ad argumenta primo loco inducta contra secundam conclusionem ad 3.dicens de relatione diuina, *Ex eo quod habet vim constituendi in esse incommunicabili, non potest habere vim principiandi productionem, aut productum*. Præterea persona non agit per suam personalitatem, sed per naturam. Quod ita suadet sanctus Thomas post med. corporis. *Paternitas habet se ad personam Patris, vt forma individualis ad aliquid individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat; alioquin sortes generaret sortem. Vnde neque paternitas potest intelligi, vt quo Pater generat; sed vt constituens personam generantis: alioquin Pater generaret Patrem*. Quæ consequentia fundatur in principio supra posito,quòd id, quo generans generat, & potentia generatiua in aliquo generante, illud est, in quo genitum similatur generanti. Tertia ratio, quia, cum actus notionales, sint rationes substantiales, & vitales, quibus communicatur perfectissima vita substantialis intellectiua, & volitiua, oriri debent à principio, quod sit vita substantialis, quam vitæ rationem, non habet relatio per se, & præcisè, sed sola essentia. Præterea si consideretur sola relatio, vt potentia, siue vt principium, dici non possunt personæ diuinæ procedere per intellectum, & voluntatem, vt suprà quæst.27.art.1. dub.10. quoniam relatio, vt relatio, neque intellectus, neque voluntas dici potest. Et cum sit incommunicabilis, non potest per se intelligi, vt dans formaliter communicabilitatem, & fœcunditatem. ergo non vt formale principium productionis, & communicationis.

DVBITATIO I.

An potentia producendi diuinas personas consistat in sola essentia.

SVMMA.

1. *Relationem pertinere ad potentiam simpliciter, probatur authoritate, & ratione,n.7.ad 10.*
2. *Referuntur, & confutantur responsiones Aureoli, & Ochami,n.10.ad 13.*
3. *Relationem ad potentiam spectare non agendo, sed distinguendo,n.13.& 14.*
4. *Sub qua formali ratione spectet relatio ad potentiam, n.15.& 16.*

7. *Conclusio negatiua S. Thomæ contra Ochamũ, & Gabrielẽ.*

PRima conclusio negatiua, loquendo de potentia simpliciter, hoc est, secundum omnia ad producendum prærequisita, etiamsi non sint ipsa formalia principia productionis, sed illorum complementa, & conditiones antecedentes. Ita omnes, exceptis quibusdam antiquis, quod sine nomine refert, & impugnat sanctus Thomas de Potent.quæst.2. art.2. post med. corpor. & in fine, ita concludens, *In ratione potentiæ includitur quodammodo paternitas, etiam quantum ad id, quod est generationis principium, & propter hoc cum aliis dicendum est, quòd potentia generandi simul essentiam, & notionem significat*. Dicit includi *quodammodo*:quia iuxta sequentem conclusionem non includitur, vt formale principium productionis. Dicit, includi *in ratione potentiæ, etiam quantum ad id, quod est generationis principium*; quia includitur, vt intrinsecum complementum principij formalis, ita, vt sine tali complemento essentia non sit simpliciter, & omnino sufficiens ad generandum. Atque idem est cum eo, quod docet in hoc articulo, ita concludens in fine corp. *& ideo potentia generandi significat in recto materiam diuinam, sed in obliquo relationem*.Quare potentia generandi,simpliciter loquẽdo,neque est sola essentia, neque sola paternitas,sed etiam, vt explicat,& loquitur ad 3. *Essentia Patris*. Contrariũ quoque deinde sequuti sunt Ochamus,& Gabriel 1.d.7.q.1. fi.contendentes essentiam diuinã se ipsa sola esse determinatam ad generandum, & spirãdum,& per nullam relationẽ determinari, vt sit generatiua in Patre,& spiratiua in Patre,& Filio.

8. *Conclusionis authoritas.*

Probatur primò authoritate, quia hanc conclusionem non obscurè significauit Ambrosius lib.4. de

de fide cap. 4. dicens paulo post principium, *Generatio paternæ proprietatis est non potentia:* scilicet non alicuius formalis principij, quod sit in vna persona, & non in alia; sed eiusdem communis principij formalis, tamen, prout est in solo Patre, siue, vt identificati cum paternitate, non cum aliis relationibus. In quo sensu post nonnulla ita concludit, *Non est ergo naturæ, non est potentia in Christo aliqua, quod non generauit infirmitas; quia generatio (sicut sæpè iam diximus) non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ*, hoc est, solus Pater generat, non propter perfectionem aliquam, naturam, aut potentiam, quam ipse solus habeat; sed tantum propter suam relatiuam proprietatem paternitatis clarius, & magis scholasticè fauet Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 19. multo post med. aliquanto ante §. *Quæstionem tuam.* Cum enim de natura diuina dixisset, *Hæc substantia absolutè simpliciterque considerata, quæ generandi potestas est, principium est quo, vel per quod*; statim limitando addit, *Non tamen secundum absolutam eius considerationem*; quia essentia absoluta, vt sit completum simpliciter principium, *quo*, postulat esse sub aliqua proprietate relatiua. & paulo post, cum docuisset, eamdem ipsam communem substantiam esse, *principium quo, vel per quod*, Pater, & Filius producunt Spiritum sanctum, iterum ita clarius limitat, *Propterea tamen non sequitur, vt hæc substantia secundum suum esse commune, ac absolutum, principium sit per quod.* Illud igitur esse absolutum, & commune omnibus personis, intelligitur habere completam rationem principij *quo*, vel *per quod*, hoc est, potentiæ notionalis, prout concipitur quasi informatum, ac modificatum, seu determinatum aliqua relatione. Non igitur tota ratio potentiæ notionalis, est sola essentia præcisa ab omni relatione.

9. *Conclusionis ratio.*

Probatur secundo ratione. Sola essentia, vt essentia, prout consideratur præcisa ab omnibus personalitatibus, & relationibus, est aliquid absolutum, & commune, & non notionale, ac proprium, cuiusmodi sine dubio esse debet principium productiuum in diuinis, quod non competit omnibus personis. ergo sola essentia nisi aliud aliquo modo superaddatur, non potest huius principij, & consequenter potentiæ notionalis rationem habere. ergo essentia, vt sit virtus completa in ratione potentis simpliciter producere ad intra, postulat necessario habere in se intrinsecè aliquid, per quod distinguitur à termino producendo: nam, vt docuit S. Thomas articulo præcedente ad 3. *Potentia, & principium, distinctionem importat ab eo, cuius est principium:* alioquin idem posset producere se ipsum. Hæc autem distinctio in diuinis non habetur nisi per relationem; & vltra totam essentiam, seu naturam diuinam nihil aliud superadditum intelligi potest, nisi relatio; vt & authoritatibus, & rationibus non semel in superioribus demonstratum est. ergo potentia notionalis constare intrinsecè debet ex essentia, & aliqua proprietate relatiua. Confirmatur primò, quia tota essentia est in Patre, Filio, & Spiritu sancto; sed potentia generandi, secundum omnia, quæ necessaria, & sufficientia sunt ad actualiter generandum, est in Patre, non in Filio, non in Spiritu sancto; docente Damasceno supra art. 4. num. 12. fine, *omnia, quæ habet Pater sunt Filij, sola gignendi vi excepta*; alioquin actu generarent, etiam Filius, & Spiritus sanctus; quia cum diuina potentia productiua ad intra, sit omnino necessaria, vt supra art. 2. non potest in ea persona, in qua est non habere suum actum. Similiter potentia spiratiua omnino completa ad actu spirandum, est in Patre, & Filio, non in Spiritu sancto. ergo potentia notionalis habens omnia prærequisita ad actu producendum ad intra, præter totam naturam diuinam communem, & absolutam, importare necessario debet aliquem alium conceptum, qui non potest esse nisi respectiuus, & proprius vnius personæ, aut duarum personarum, non autem omnium. Confirmatur secundò, quia si essentia in vna persona tantum est principium, *quo* generans, & in duabus tantum personis est principium, *quo* spirans: ergo essentia secundum se præcisè spectata, est principium formale intrinsecè indeterminatum, & non sufficienter completum ad generandum, & spirandum. ergo ad hoc debet determinari per aliquid proprium vnius personæ, aut duarum personarum, & non commune omnibus tribus personis. quod in diuinis aliud esse nequit, præter relatiuum. Ergo determinata potentia ad generandum, & determinata potentia ad spirandum in sua intrinseca completæ, & determinatæ potentiæ ratione, præter essentiam ex se indeterminatam, requirit aliquid aliud personale, illam determinans, & quasi complens.

S. Thomas.

Damasceen.

10. *Aureoli responsio non probatur.*

Respondet primò Aureolus 1. d. 7. parte 1. art. 3. §. *Ad obiecta quartò.* dicens, *quòd Pater per generare determinatur ad Filium, per spirare ad Spiritum sanctum; nec indiget aliquo formali principio prædeterminante.* Sed manifestum est, hoc insufficienter dici, quia generare, & spirare, sunt actus secundi, & actiones ipsæ, & inuicem ordinatæ; cum prior origine sit generatio, posterior spiratio, & non communes omnibus personis. Vt actus secundi, præsupponunt aliquem actum primum. Vt actiones, postulant principium aliquod actiuum, cuius sint actiones. Vt inuicem ordinatæ, habere debent, ex parte suorum principiorum, aliquam rationem ordinis, propter quam vna determinatio sit prior, alia posterior. Vt non communis, intelligi planè nequeunt, nisi in vna persona assignetur aliqua ratio, propter quam illi tantum conueniat generare: & in duabus personis aliqua alia ratio, propter quam illis tantum conueniat spirare.

11. *Alia Ochami responsio impugnatur.*

Respondet 2. Ochamus 1. d. 7. quæst. 1. versus finem ad primam; essentiam diuinam esse indeterminatam ex eo, *quòd est illimitatum, & commune*: non autem *quia non est ex se sufficiens.* & ideò, *non recipit aliquam determinationem; sicut*, inquit, *Sol est indeterminatus ad producendum plures effectus; & per hoc, quod producit vnum effectum, non limitatur ad illum, nec sibi appropriatur, sed essentialiter manet indeterminatus.* Verum enim vero hanc ipsam indeterminationem coniunctam cum omnimoda producendi sufficientia, & expeditione in actu primo, efficaciter impugnat ratio facta: quia si essentia ita sufficienter, & expeditè potens generare, & spirare reperiretur in singulis personis, ita vt à nulla relatione intelligatur accipere aut virtutem, aut aliquam determinationem producendi, non posset reddi probabilis aliqua ratio, cur singulæ personæ non generent simul, & spirent: vel cur vna potius quàm alia generet, aut spiret. De solo enim principio libero intelligimus, quod existens simul indeterminatum, & sufficiens ad plura, possit pro sua libertate producere vnum, & non aliud, vel etiam nihil producere. At essentia diuina quidquid ad intra producit, non liberè, sed necessario producit. ergo quando, & vbi potest producere, non potest non actu producere. Neque exemplum Solis est ad rem, imò est contra respondentem: quoniam sol potest intelligi vt agens necessarium, & in se sufficiens,

sufficiens, & indeterminatum ad plura, & tamen non semper producere illa plura, verbi gratia, aurum, & argentum; quia in agendo dependet à materia taliter, & taliter disposita, à qua proprerea determinatur ad producendum hoc, & non illud. Essentia vero diuina, si, vt conceditur, est principium indeterminatum per illimitationem producendi plura, non per exigentiam alicuius relationis determinantis, ac proinde est ex se omnino sufficiens ad plura producenda, non potest intelligi, aut ex subiecto, aut aliunde determinari, vt generet, aut spiret identificata potius cum vna personalitate, quàm cum alia.

12. *Ochami instantia.*

Instabis cum Ochamo supra ad quintum dubium. *Quia vanè, & superfluè ponuntur tales respectus determinantes. Nam adhuc essentia est indeterminata ad illos respectus, cum illa secundum se, & absolutè sit vnica, & respectus sint plures. ergo oportet, quòd determinetur ad alios respectus per alios respectus; & sic in infinitum: vel si potest ex se determinari ad plures respectus, eadem ratione poterit ex se determinari ad illos actus.*

Respondetur, essentiæ præcisè esse determinatæ ad relationes, indeterminatæ ad actus notionales.

Respondeo non esse eamdem rationem de respectibus, qui non postulant alium respectum determinantem essentiam ad illum; & de actibus generandi, & spirandi, quia necessario postulant aliquem respectum, quo determinetur essentia ad generandum, & spirandum in vna persona, non in alia. Nam respectus sunt ipsæmet personalitates; natura verò diuina, quia substantialis natura, habet ex se determinationem ad personalitatem, seu substantialem naturæ terminum, conuenientem naturæ substantiali ex se, vt multis explicaui supra q. 33. art. 4. dub. 5. At vero actus producendi, cum sit suppositi, & principij producentis distincti à termino producendo, non potest cohærere per se sufficienter, cum sola natura præcisa à supposito, & prorsus indistincta à producente, & producto; sed necessario limitari, seu determinari debet ab aliquo alio, quod in diuinis non potest esse nisi respectus, vt constituatur in tali esse suppositi, & distinguatur ab alio supposito, vt in vno supposito possit esse principium quo producendi, non autem in alio.

13. *Ad potentiã notionalem spectat relatio vt distinguens, non vt agens.* Ioannes de Neapoli. S. Thomas.

Secunda conclusio. Relatio ad rationem potentiæ notionalis non requiritur, vt virtus per se formaliter actiua, siue vt principium formale quo producendi, quod est sola essentia, siue, vt loquitur Ioannes de Neapoli quæst. 29. puncto 2. §. *His ergo*, est *totaliter* essentia; sed solum, vt aliquod necessarium complementum principij formalis distinguens & determinans illud. Hæc est mens sancti Thomæ in hoc articulo. Ita enim loquitur, & discurrit, vt videatur totam potentiæ rationem ponere in sola essentia, vt patet ex eius ratione supra num. 3. & 4. sed, vt ostendi num. 7. non excludit relationem à conceptu potentiæ, sumptæ pro omni eo, quod in actu primo necessarium est ad actum secundum producendi; sed tantum sumptæ pro ipsa formali virtute agendi, quæ est id, quo agens agit; &, vt docet initio corp. *propriè dicitur potentia in quocumque agente:* quia etsi non sit tota simpliciter potentia, tamen est tota formalis veluti ratio potentiæ: sicut enim omnis potentia actiua creata nihil simpliciter potest re ipsa agere nisi realiter existat, tametsi existentia non sit ipsa formalis potentia; ita in diuinis essentia non est potentia ex se omninò completa, & sufficiens ad simpliciter producendum ad intra sine relatione; quamuis ipsa sola, & non relatio sit formalis virtus productiua, qua persona producens producit. Atque ad hunc sensum in sua prima ratione ita concludit, *Vnde natura diuina in Patre, est potentia generandi in ipso*, nulla facta relationis mentione. Et postea non vult concedere, quod

potentia generandi significat essentiam in quantum est idem relationi, vt significet ex æquo vtrumque. hoc est, vt sicut essentia, ita etiam relatio, sit illud, quo generans generat, & dici solet ipsa formalis virtus generatiua, & formale generandi principium. Vnde exclusa paternitate, subiungit, *Id, quo Pater generat, est natura diuina, in qua sibi Filius assimilatur.* & ad 1. *Id, quo generans generat, est commune genito, & generanti, & idem numero.* Quod nulli relationi inter genitum, & generantem, sed soli essentiæ conuenire potest. Et ad 3. docet nomine potentiæ significari essentiam, relationem vero non significari, sed connotari: & ideo, si spectetur, quòd significatur, non quod connotatur, ait, *Potentia generandi communis est tribus personis.* Idque etiam in eodem sensu docuit Altisiodorensis supra num. 1. & docent communiter omnes, & veteres, & recentiores, exceptis aduersariis conclusionis supra num. 1. qui totam potentiæ rationem tribuunt soli relationi; & aliis, qui idem essentiæ, & relationi tribuunt ex æquo, vt S. Thomas circa medium corp. refert, & impugnat; sed illos sequuntur Arrubal disp. 143. c. 3. vbi num. 17. magis se explicat, dicens, ad generandum concurrere essentiam *cum paternitate, tanquam cum ratione partiali influendi*; & clarius Zuniga disp. 16. dub. 6. membro 2. & 3. & fortasse etiam Valentia q. sua 15. de Trinit. puncto 2.

Arrubal. Zuniga. Valentia.

14. *Probationes conclusionis.*

Hanc conclusionem apertè significant verba Anselmi supra num. 4. expressè excludentis relationem, & includentis solam essentiam in conceptu potentiæ; & Ioannis Theologi num. 5. qui sæpè explicans principium quo generationis, semper dicit, esse essentiam; & nunquam, relationem. Probant quoque rationes allatæ pro conclusione articuli supra n. 3. & 6. Si enim id, quo agens agit, est id, in quo producens assimilat sibi productum, cum in diuinis assimilatio sit tantum secundum naturam, non secundum relationem, secundum quam est potius dissimilitudo, seu distinctio, atque oppositio; sequitur, solam naturam, & non relationem posse esse id, quo agens agit, ac proinde formalem potentiam producendi. Præterea, personæ diuinæ procedentes producuntur vitaliter per intellectum, & voluntatem; & per actiones intelligendi, & volendi; quæ omnia ad commnem naturam formaliter pertinent, non ad naturæ personalitates, ac relationes. Itaque in sensu formali, ac proprio dici potest, ac debet potentia notionalis consistere in sola essentia, & ideò optimè loquitur Suarez l. 6. de Trinit. cap. 5. num. 6. dicens. *Hanc potentiam, seu principium formale producendi esse solam essentiam; postulare autem in producente relationem propriam; seu, quod idem est, quòd habeat ipsam naturam sine tali productione.* Et in hoc sensu Molina hic in sua prima conclusione scribit: *Potentia generatiua, & spiratiua, non est relatio, sed natura diuina:* scilicet, quod addit in tertia conclusione, *accepta sub certa quadam conditione, nempè, vt est eius, qui habet eam à se.*

Suarez. Molina.

15. *Sub qua formali ratione spectet relatio ad potentiam generandi.*

Tertia conclusio, Ad rationem diuinæ potentiæ notionalis spectat relatio, non sub quolibet communi conceptu relationis, sed sub aliquo proprio conceptu talis relationis, in quantum talis, conclusio indiget tantum explicatione, quam admittere tenentur omnes Authores, includentes etiam relationem in conceptu potentiæ. Dico igitur relationem, si consideretur vt ratio distinguendi, & constituendi, ac referendi personam, esse quidem aliquid necessarium, sed non sufficiens, vt essentia diuina habeat adæquatum & totalem conceptum potentiæ notionalis. Quod manifestum est ex eo, quòd eadem omnino essentia, verbi gratia, in Filio, est distincta à Patre, & in Filio non est principium

productiuum Patris. ergo præter essentiæ, & paternitatis, vt referentis simpliciter ad personam distinctam, & vt constituentis simpliciter personam, ac distinguentis ab aliis personis, aliquid aliud concipi debet in Patre, vt in illo tantum, & non in alia persona sit potentia generatiua. Quod quidem aliud esse non potest, nisi talis relatio, prout talis est; verbi gratia, paternitas, vt paternitas, in quantum ex propria ratione habet esse à se ante omnem originem, solum per immediatam coniunctionem cum essentia, vt supra quæst. 33. art. 4. dub. 5. sub qua ratione constituit personam sine vlla origine ab alia, siue ingenitam, vt loquuntur Patres, siue innascibilem, vt frequentiùs loquuntur Scholastici. Deitas igitur vt concipitur vnita per identitatem cum tali relatione habet esse principium primæ originis; quæ relationis ratio in nulla alia persona reperitur, & ideò in solo Patre est completa potentia notionalis generandi.

16. *Et ad potentiam spirandi.*

Similiter relationes paternitatis, & filationis, vt tales relationes sunt, scilicet conuenientes essentiæ ante originem per voluntatem, & constituentes personas secundum originem priores spiratione, sub quibus præcisè considerata essentia, non consideratur vt accepta, seu communicata per originem à voluntate, habent constituere perfectum spirandi principium in Patre, & Filio, vt supra q. 36. art. 4. dub. 2. præsertim à num. 16. Principium igitur productiuum in diuinis consideratum etiam vt quo, si concipiatur vt in actu primo totaliter perfectum, concipi à nobis debet, vt quid intrinsecè conflatum, seu constitutum ex essentia, & relatione tali, sine qua non intelligitur potentia notionalis completa quoad omnia necessaria ad actualiter producendum. Quod apertè docuit sanctus Thomas supra quæst. 36. art. 4. ad 1. dicens: *Virtus spiratiua, quodammodo significat naturam cum proprietate.* & q. 2. de Pot. verbis citatis, & expositis supra num. 7. & 1. d. 7. quæst. 1. art. 2. post medium corp. *essentia secundum quòd est ipsa paternitas, est principium huius actus, qui est generare; non sicut agens, sed sicut, quo agitur.* Igitur quemadmodum in rebus creatis omnis potentia actiua includit intrinsecè, non solum præcisè formalem vim, atque efficacitatem agendi, sed etiam omnia, cum quibus illa vis postulat habere entitatiuam, & intrinsecam connexionem, vt compleatur in actu primo, & sit omnino sufficiens ad agendum, verbi gratia, existentiam, actualem distinctionem à termino producendo, & similia sibi intrinseca; ita in diuinis essentia, vt intelligatur completa in ratione potentiæ productiuæ ad intra, debet intelligi vt distincta à termino producendo, & non communicata vi illius originis, ad quam comparatur, vt principium productiuum. Quod essentia non intelligitur habere, nisi intelligatur habere actualem, & intrinsecam connexionem per omnimodam identitatem cum paternitate sola respectu potentiæ generatiuæ; & cum paternitate, & filiatione, respectu potentiæ spiratiuæ.

S. Thomas.

DVBITATIO II.

Quid principalius importetur nomine potentiæ notionalis, essentia, an relatio.

SVMMA.

1. *Importari essentiam multò principalius. num. 17. & 18.*
2. *In diuinis idem esse principium communicationis, & productionis. num. 19.*
3. *Soluuntur argumenta Durandi. n. 20. ad 27.*
4. *Satisfit obiectionibus aliorum. n. 27. ad 33.*
5. *An quælibet potentia notionalis sit in omnibus personis, & pertineat ad diuinam omnipotentiam. n. 33. ad finem articuli.*

17. *Importari multò principalius essentiam ex S. Thoma.*

VNica conclusio, quæ ex dictis facilè deducitur, & ferè probata remanet, si inter essentiam, & relationem, in conceptu potentiæ notionalis inclusas, fiat comparatio, Potentia notionalis importat essentiam multò principaliùs, quam relationem. Ita S. Thomas hic dicens circa med. corp. *Potentia generandi principaliter significat diuinam essentiam, vt Magister dicit 7. distinct. primi sent.* & in fine corp. *Potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.* Idem habet ad 3. vbi acutè addit, quod idem est dicere, *potentiam generandi*, ac dicere, *essentiam Patris.* & ideo inquit, *essentia significatur in recto; relatio, seu notio, in obliquo connotatur.* Si enim dicatur, Pater est principium generandi, significatur principium *quod*, quo modo paternitas principaliter, & in recto significatur vt forma constituens Patrem. Si vero dicatur, essentia Patris est principium generandi, significatur principium *quo*, & hoc loquendi modo paternitas connotatur in obliquo, & minus principaliter significatur, essentia vero significatur principalius, & in recto. Idem sequuntur communiter alij & veteres, & recentiores, contra quandam opinionem, cuius meminisse videtur sanctus Thomas post med. corp. dicentem, nomine potentiæ notionalis *significari ex æquo vtrumque*, hoc est, essentiam, & relationem. Vel primò quia, vt dicunt aliqui, quos refert, & impugnat Durandus 1. d. 7. q. 2. num. 18. essentia est principium generationis in quantum est communicatio naturæ; relatio verò est principium eiusdem generationis, in quantum est productio proprietatis: vel secundo quia ad diuinæ personæ processionem, quocunque modo consideratam, non minus in ratione potentiæ notionalis concurrit relatio, quam essentia, vt dicunt Henricus quodlib. 3. quæst. 3. med. corp. vbi vult, quòd in potentia generatiua, quæ ab ipso vocatur ratio generandi, ratio quæ distinguit, quæ est relatio, *sit principalior, & completiua*, non autem ratio quæ assimilat, quæ est essentia: Riccardus 1. d. 7. art. 1. quæst. 1. docens initio corp. *quòd potentia generandi in diuinis dicit quid, & ad aliquid simul; sed formalitas ad aliquid, quam quid.* Idémque sentit Petrus de Tarantasia, vt refert Carthusianus 1. d. 7. quæst. 1. post med.

Differentia inter principium quod, & quo.

Aduersarij conclusionis.

18. *Ratio conclusionis, & solutio contrarij fundamenti.*

Fundamentum conclusionis sumitur ex probatis supra, quòd sola essentia, & non relatio, sit per se, & formaliter virtus actiua; & consequenter id, quo agens agit, quod, inquit S. Thomas initio corp. *proprie dicitur potentia in quocunque agente.* Vnde facilè soluitur fundamentum aduersariorum volentium significari principalius relationem, quia hæc determinat, & complet essentiam in ratione potentiæ notionalis. Neque enim determinat, & complet addendo, vel dando, vel se ipsa afferendo rationem potentiæ, & virtutis actiuæ; sed solum tanquam conditio necessariò prærequisita ad hoc, vt essentia, quæ est tota, & completissima potentia in ratione formali potentiæ, & principij formalis *quo*, possit exire in actum secundum productionis termini. Cum igitur essentia, vt sit formaliter potentia, non habeat ab hoc determinatiuo, seu completiuo, sed absolutè ex se, dici rationabiliter non potest nomine potentiæ importari principalius, aut formalius, aut potius, aut in recto relationem determinantem, & complentem; sed essentiam ipsam, quæ sola est vere, ac propriè potentia. quemadmodum in creaturis, existentia,

existentia, & subsistentia, & inhærentia, non sunt virtutes agendi; sed intrinseca quædam complementa virtutum agendi; ita vt sine illis nulla virtus sit in actu primo perfectè completa in ratione agendi. Et propterea nemo dixerit, verbi gratia, potentiam intellectiuam, aut calefactiuam, significare formalius, & in recto existentiam intellectus, aut caloris, siue ignis, sed potius ipsam intellectus, aut caloris, siue ignis essentiam, in qua sola inest formalis vis intelligendi, aut calefaciendi significata expressè, ac directè nomine potentiæ intellectiuæ, & calefactiuæ. Valdè fauent verba Dionysij, Basilij, Hilarij, Cyrilli, Damasceni supra num. 2. quibus actum generandi tribuunt soli naturæ; & multo magis verba Anselmi, & Ioannis Thologi num. 4. & 5. quibus expressè excluditur relatio à ratione potentiæ, & principij *quo*, & essentia tantum includitur. ergo saltem non est relatio principalius, & formalius, & in recto significatum potentiæ. Per has verò authoritates non excluditur à potentia notionali relatio, vt aliquid intrinsecè consignificatum, & connotatum in obliquo; sed solum excluditur, vt aliquid non significatum principaliter, & non importatum in recto; siue vt aliquid, quod per se spectatum, non est virtus actiua, quamuis sit intrinsecum virtutis actiuæ complementum, sine quo intelligi nequeat posse ab illa virtute per talem processionem produci talem terminum. In particulari non vrgent illa verba Ioannis Thologi in Florentino sess. 18. §. *Dixi equidem*, vbi dicitur, *Principium quo persona generat, est id, quod solum communicabile est.* vbi per illam particulam, *solum*, excludi relationem, notauit Suarez lib. 6. de Trinitate cap. 5. num. 6. Sed hæc obseruatio non est magni momenti, quia illud, *solum*, cadit supra essentiam, quæ in diuinis solum communicabilis est, non autem cadit supra principium, *quo*, quod solum sit essentia communicabilis, & non relatio incommunicabilis. Vnde ipsemet Io. Magis se explicans indicat non solum essentiam, sed etiam relationem spectare ad intrinsecum complementum potentiæ simpliciter, nam continuo subdit, Principiū, quo fit generatio, esse diuinam substātiam, non simpliciter, sed quæ, inquit, *cum Patre realiter idem est.*

Authoritates conclusionis.

Suarez.

19. *In diuinis idē esse principium communicationis, & productionis.*

Præterea rectè à Durando supra n. suo 23. dicitur opinio falsa, quæ ratione distinguit duplex principium, alterum communicationis, quod sit essentia, alterum productionis, quòd sit relatio: tum quia relationi per se, & præcisè nimis tribuit, nimirum non solum vim formalem referendi ad distinctum, & constituendi, ac distinguēdi, sed etiam vim actiuam producendi distinctum. Tum à priori ex Durando, quia generatio, vt communicatio, & vt productio, ne secundum rationem quidem est duplex actio, sed vna prorsus indiuisibilis, vt tetigi supra quæst. 39. art. 5. num. 14. & 15. quæ, in quantum producit personam distinctam, dando illi vnam naturam communem producenti, & producto, dicitur productio: in quantum producendo dat producto eandem numero naturam producentis, dicitur communicatio: vbi & in essentiali, ac proprio conceptu productionis includitur communicatio; & è contra, in essentiali, ac proprio conceptu communicationis includitur productio. Ergo non licet per ordinem ad hanc communicationem, & productionem, tamquam duos actus notionales, distinguere in principio *quod*, duplex principium, *quo*; sed sicut idem, etiam secundum rationem, est actus, quo producitur persona eiusdem naturæ cum producente, & quo per ipsam productionem producens dat suam naturam producto; ita idem re, & ratione, sit principium productiuum personæ distinctæ, & communicatiuum eiusdem naturæ: alioquin essent in diuinis quatuor origines, duæ productiuæ, & duæ communicatiuæ; & quatuor relationes fundatæ in actione, duæ in productione, & duæ in communicatione; & pariter in rebus creatis, cum, v. g. Petrus generat Paulum, possent in Petro generante distingui duo principia generatiua, alterum productiuum Pauli, alterum communicatiuum naturæ humanæ eiusdem speciei: quæ omnia abhorrent à communi Theologorum, & Philosophorum sensu,

Satisfit contrarijs argumentis Durandi.

20. *Prima obiectio.*

Multa obiicit Durandus 1. d. 7. quæst. 2. à num. 19. obiicit primò intendens probare, essentiam diuinam non posse esse principium, *quo* suppositum producens producit; ex eo, quòd essentia in re nullo modo distinguatur à termino producto; & principium *quo* non possit esse aliquid indistinctum re à termino, qui producitur. Sic arguit num. 19. *Producens, & productum, necessario distinguuntur; nihil enim est impossibilius, quàm quòd aliquid producat se ipsum. Sed producens est totaliter producens ratione principij, quo producit. ergo oportet, quod producens, & productum realiter distinguantur quantum ad principium productionis, & terminum.*

Respondetur cum S. Thom. producens nō esse totaliter producens ratione principij quo.

Respondeo cum Sancto Thoma hic ad 1. concessa maiore, negando simpliciter minorem. Principium enim *quo* agens agit, ex terminis ipsis manifestum est non agere, sed esse rationem formalem, qua aliud, nempe agens, agat. *Per hoc ergo*, inquit, optimè S. Thomas, *quòd dicimus, quòd essentia diuina est principium, quod generans generat, non sequitur, quòd essentia diuina distinguatur, sicut sequeretur si diceretur, quòd essentia diuina generat.* Falsum itaque est, *Producens esse totaliter producens ratione principij, quo producit*: nam ad producendum non solum est necessaria formalis virtus productiua quàm formam generans genito communicare intendi generando, & dicitur principium formale *quo*: sed etiam prærequiritur, vt talis virtus sit existens, & in supposito, & distincta: quæ licèt non sint ipsæ formales rationes producendi, sunt tamen necessariæ conditiones, vt ipsa potentia, seu vis productiua prodire possit in actum secundum. Vt saluetur igitur distinctio, quæ requiritur inter producens, & productum, satis est, vt hoc totale principium, quod producit, distinguatur à termino producendo; & non est etiam necessarium, vt principium formale, quo producit, sit distinctum ab illo termino. Quamuis enim huiusmodi distinctio requiratur in creaturis, vbi, verbi gratia, non solum Petrus Pater distinguitur à Paulo Filio, sed etiam ipsa humanitas Petri, qua Petrus generat, est distincta à Paulo genito eiusque humanitate; id tamen, vt sapienter obseruat ibidem Sanctus Thomas, contingit non ex essentia principij quo simpliciter, sed ex imperfectione, & limitatione principij *quo* creati, propter quam habere non potest identitatem cum pluribus suppositis realiter distinctis, producente, & producto; sicut eam identitatem habet diuinum principium, *quo*, nempe essentiam propter suam omnimodam infinitatem. Et ratio à priori est, quia vt sumitur initio Corporis, & exemplo probatur. *Omne producens aliquid, per suam actionem producit sibi simile, quantum ad formam, qua agit, sicut homo genitus, est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem.* ergo ad essentialem ac præcisum conceptum formalis principij *quo* generatiui,

S. Thomas.

nil aliud requiritur, nisi, vt sit illud in quo genitum assimilatur generanti; ac proinde, vt subiungitur ad 1. *vt id, quo generans generat, sit commune genito, & generanti.* ergo principium formale *quo*, quanto magis simile, & commune est, tanto perfectiorem habebit rationem principij *quo*, & tanto perfectior erit generatio. Sed similitudo per identitatem, & communitas in eadem numero forma, est multo maior, ac perfectior similitudo, & communitas, quàm similitudo, & communitas in sola specie cum numerica distinctione. ergo illa, & non hæc ponenda est in diuino, ac perfectissimo principio *quo*. ex quo discursu ita concludit ibidem S. Thomas. *Vnde cum diuina generatio sit perfectissima, id, quo generans generat est commune genito, & generanti, & idem numero, non solum specie sicut in rebus creatis.*

21. *Secunda obiectio.* Obiicit secundo Durandus num. 20. *Oportet, quod terminus productionis, quo productum terminatur, sit non solum communicatus, sed productus. Si enim totum esset communicatum, & nihil productum, nulla esset productio. Sed si terminus productionis posset esse realiter idem cum principio productionis filij, impossibile esset ipsum esse productum; quia exiſſit in Patre, qui nihil habet productum. ergo impossibile est, quòd principium productionis, & terminus idem sint realiter, sed necessario distinguuntur.*

Respondetur, terminū formalem productionis esse communicatum, non productum. Respondeo, negando maiorem ex probandis articulo sequente. Philosophandum enim est eadem proportionali ratione de principio formali *quo*, & de termino formali *quo* productionis: nam sicut illud non agit, sed est id, quo agens agit, ita hic non est id quod producitur, sed est formalis ratio eius, quod producitur. Quare hinc non sequitur, nihil esse productum, & nullam esse productionem; quia præter essentiam communicatam, v. g. Filio, quæ non producitur, datur filius, qui verè, ac realiter producitur, per quam productionem & communicatur eadē numero essentia producentis. Et quamuis Minor sit simpliciter vera, quòd scilicet essentia, neque in filio, neque in Patre sit producta; tamen eius probatio non videtur efficax, cum dicitur, essentia est in Patre, qui nihil habet productum. ergo essentia in filio non est producta: quoniam simili prorsus discursu contra fidem probaretur, essentiam non esse communicatam Filio; quia essentia existit in Patre, qui nihil habet communicatum.

22. *Tertia obiectio.* Obiicit tertio num. 26. *Principium, & principiatum realiter differunt secundum Philosophum 1. Phys. sed principium, & principiatum non solum sunt illud, quod producitur, & illud quod producit: sed per prius, & verius dicitur principium illud, quo producens producit, quàm suppositum, quod producit; & proportionaliter verius est principiatum, correspondens prædicto principio illud, quo productio terminatur, quam suppositum quod productionem terminat*, ergo, &c. *Sed essentia diuina à nullo, quod sit in diuinis distinguitur. ergo non potest esse principium quo, vel terminus productionis diuinæ.* Minorem primum probat ex illo Philosophico axiomate, *Quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed producens dicitur principium producti ratione formæ, per quam ipsum producit, & non è conuerso. ergo*, &c.

Respondetur, principium quo, & principiatū quo non differre in diuinis. Respondeo negando maiorem vniuersaliſſimè acceptam. Quāuis enim à principiato distingui realiter debent omne principium *quod*, & omne principium *quo* creatum, ob imperfectionem, vt supra num. 20. de quibus tantùm principiis potest intelligi naturalis Philosophus; non tamen principium *quo* diuinum ad intra, propter suam perfectionem infinitam simpliciter, identificatum in re cum principio producente, & cum termino producto. Esto igitur principium *quo*, per prius, & verius dicatur principium, quàm principium *quod*, non sequitur omne principium *quo* distingui, si distinguitur principium *quod*, vt in reliquo suo argumento conatur extendere Durandus: quoniam non dicimus, principium *quod* distingui ex eo præcisè, quia est simpliciter principium; sed quia est principium agens vt *quod*, habens scilicet in actu primo non solum formalem agendi virtutem, sed reliqua omnia necessario prærequisita ad agendum, inter quæ esse debet aliqua ratio distinguens à termino producendo, quæ in casu nostro de diuinis productionibus ad intra, est aliqua relatio identificata essentiæ. Hinc sequitur, in principio *quo* identificato cum principiato non posse esse relationem realem ad principiatum, sed rationis tantum, vt docet Molina hic ad 4. Ad confirmationem Molina.

Obiicit quarto in num. 30. *Quandocunque aliquis actus inest alicui supposito, & non alteri, imò repugnat, oportet, quòd ille actus insit per illam rationem formalem, per quam vnum differt ab alio; non per illam, secundum quam conuenit cum ipso. Verbi gratia, ratiocinari inest homini, & non bruto; & certè oportet, quòd conueniat homini per idem, per quod differt à bruto. Sed generare conuenit Patri, & non Filio. sed repugnat. ergo oportet, quod conueniat ei per id, per quod differt à Filio: & illud est paternitas, non essentia.* 23. *Quarta obiectio.*

Respondetur, negando maiorem. Respondeo, maiorem esse veram de actibus creatis, & imperfectis, habentibus diuersam, saltem numericè, naturam à suis principiis; vel de producentibus diuersam numero naturam à natura principiorum; quod tantum probat exemplum de actu ratiocinandi, & aliud exemplum quod idem Durandus n. suo 31. ad idem confirmandum affert ex Aristobile de hominis felicitate, quod non sit sensitiuæ partis, qua homo cum bruto conuenit; sed partis intellectiua, qua homo differt à bruto. esse autem falsam de actibus notionalibus increatis, ac perfectissimis, quibus producitur terminus realiter distinctus non in natura, sed in supposito. Ratio verò, propter quam alicui supposito cōuenit producere substantialiter aliud suppositum, non potest esse nisi principium formale *quo* productiuum, & assimilatiuum; ergo non suppositalitas paternitatis, quæ quasi specie differt à filiatione, sed natura Patris, eadem numero, vi perfectissimæ generantis communicata Filio genito.

Obiicit quinto in num. 32. *Imperfectionis est in aliqua forma, quòd det actum primum, & non possit dare secundum: sicut qualitas esset valdè imperfecta, quod docet actum primum, & nullo modo posset in actum secundum. Sed proprietas relativa in diuinis dat actum primum, scilicet esse personale, nec aliquid imperfectionis habet: ergo oportet dare actum secundum, qui est generare.* 24. *Quinta obiectio.*

Respondetur distinguendo maiorem, & minorem. Respondeo, maiorem esse intelligendam de forma, quæ ex se ita est ratio agendi, vt nullam aliam intrinsecam conditionem ad agendum prærequirat, sicut prærequirit essentia diuina ad generandum, & spirandum modo explicato supra num. 15. & 16. Nego autem minorem, sumendo actum primum ad propositum argumenti, nempe pro actu primo generatiuo. Quamuis enim paternitas constituat Patrem, qui est potens generare tamquam principium *quod* generandi; tamen vim formalem generandi non habet Deus Pater ex paternitate præcisè, quæ est relatio, & personalitas, non natura; sed habet ex Deitate, quæ est ipsius natura, per generationem Filio communicata, in qua sola sibi Filium assimilat. ergo actus secundus generandi, non est tribuendi paternitati tanquam principio *quo*, sed soli Deitati Patris. Quare paternitas, per se præcisè considerata, nō est totalis ratio, vt Pater sit principiū *quod* generandi; cum enim hoc constet ex suppositalitate, & formali virtute generatiua, paternitas ad hanc constitutionem concurrit in ratione suppositalitatis, essentia vero Patris concurrit in ratione virtutis. Et ideo Pater, qui solus determinatur generare, ab essentia habet virtutem generandi; à paternitate vero habet conditionem, sine qua non posset illa virtus actu generare.

25. *Sexta obiectio.* Obiicit 6. in num. 34. *Tanti ambitus debet esse aliquis actus, quanti ambitus est principium præcisum respectu illius actus. Sed potentia generandi, est principium præcisum generandi. Ergo non excedit actum generandi. essentia autem excedit, quia est in Filio, cui non competit generare. ergo*, &c.

Respondetur, exponēdo quo modo principium generādi non excedat actum. Respondeo, distinguendo maiorem. est enim vera de principio *quo* totaliter, & completè accepto, secundum omnia necessaria vt exire possit in aliquem actum: non autem de principio *quo*, præcisè accepto pro formali virtute productiua illius actus. In diuinis igitur potentia, seu principium *quo* generandi, primo modo adæquatè sumptum, non est sola essentia, sed essentia prout est in Patre, seu prout est determinata, & quasi modificata paternitate; & tale principium non excedit actum generandi, sed sicut generare est in solo Patre, ita in solo Patre est hoc generandi principium. Secundo autem modo inadæquatè, seu præcisè sumptum pro sola formali vi, est essentia; & reperitur in Patre, Filio, & Spiritu sancto; excedens actum generandi, qui in his omnibus non reperitur.

26. *Septima obiectio.* Obiicit septimo in num. 35. *Posito, quòd relationes sint principia emanationum, statim rationabiliter ponitur, quòd non sint nisi duæ emanationes in diuinis, secundum duas relationes, scilicet paternitatem, & spirationem actiuam: non sic autem si sola essentia ponatur principium: quia qua ratione ipsa vna existens erit principium, non vnius tantum, sed duorum, eadem ratione plurium, vel infinitarum.*

Respondetur, rationē duarum processionum non posse sumi ex relationibus. Respondeo, argumentum conuinceret, si sola essentia, eadem, & præcisa ratione esset principium emanationum, non solum remotum, sed proximum, & immediatum, vt contra ipsum Durandum ostendi supra quæst. 27. art. 1. dub. 9. præsertim num. 208. sed quoniam ibidem dub. 10. & 11. probaui hoc principium esse intellectum, & voluntatem, hinc redditur probabiliſſima ratio duarum emanationum, & non plurium, vt cum Sancto Thoma factum est supra quæst. 27. art. 5. Nec ratio, quam reddit Durandus ex parte relationum, videtur multum efficax; quoniam duæ relationes actiuæ fundantur in duabus actiuis emanationibus. ergo prius supponuntur duæ emanationes, posterius intelliguntur duæ relationes. ergo non potest rationabiliter reddi causa duarum emanationum ex duabus relationibus; sed contra potius, duarum relationum ex duabus emanationibus. ergo prior aliqua causa, seu ratio assignanda est, propter quam in Deo duæ tantum sint emanationes: quæ non potest esse alia, nisi quia in Deo, substantia puriſſimè spirituali, & intellectuali non sunt aliæ potentiæ immanenter productiuæ intra ipsum Deum, vnde tantum emanare possunt personæ, quæ sunt ipsemet Deus, quod sola fide credimus, nisi duæ, scilicet intellectus, & voluntas. Hinc duplex emanatio, altera verbi per intellectum, altera Amoris per voluntatem. Neque enim, vt Capreolus respondet 1. d. 7. quæst. 1. art. 2. ad 5. contra 2. conclusionem primo loco, & ad primum secundo loco, *essentia, sub ratione qua essentia est principium generandi, & spirandi; sed essentia, sub ratione intellectus est principium generandi; sub ratione voluntatis est* Capreolus.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

principium spirandi. Quod Molina hic ad 3. benè explicat exemplo creato animæ nostræ, cuius essentia est remotum principium intelligendi, & volendi, proximum verò, & immediatum est intellectus, & voluntas. Molina.

Satisfit obiectionibus aliorum.

Obiicies octauo quòd Durando etiam tribuit Capreolus 1. d. 7. quæst. 1. art. 2. circa finem obiectionum. Formalia principia productionis debent correspondere formalibus terminis. Sed in Filio est essentia, vt communicata, relatio verò prout producta. Ergo correspondenter in Patre sola paternitas ponenda est, vt producens, essentia autem, vt communicans tantum. 27. *Octaua obiectio.*

Responsio Capreoli minus probatur. Respondeo, hoc ipsum consequens, quod euidenter falsum esse demonstrauī supra num. 19. cum ipsemet Durando, significat in obiectione nullam vim esse. eam soluit Capreolus dicendo, quòd in generatione Filij Dei, & si terminus simpliciter productus, est ipsum Filij suppositum, tamen, *non est aliquis terminus formalis productus, sed terminus formalis productionis & essentia.* Verum cum in termino simpliciter producto non sit aliud præter essentiam, & filiationem, videtur non posse rationabiliter negari, quòd filius productionem, vt formaliter productionem, & non vt formaliter communicationem, terminet non secundum essentiam, quæ eadem est in Patre nullo modo producta, sed secundum formalem rationem filiationis; ita vt eadem prorsus essentia cum paternitate non terminet productionem, terminet autem cum filiatione, & relatione passiuæ spirationis: ex quo habetur euidens signum, quòd ratio propter quam Filius, & Spiritus sanctus terminent productionem, non sit essentia, sed filiatio, & relatio spirati. Si sumatur igitur in hoc sensu formalis terminus, neganda est simpliciter maior: quia præter hunc formalem terminū largè, & impropriè dictum, datur alius formalis terminus primario intentus à producente, & multo magis proprius, & est essentia, seu natura, quam Pater, generando Filium, intendit illi communicare, assimilando sibi illum. ergo omnis terminus quacumque ratione productus ordinatur ad hunc tantū primarium terminum formalem, & non ad alterū, qui producitur propter communicationem essentiæ. Sicut igitur eadem prorsus actione indiuisibiliter & generatur Filius, siue in aliquo bono sensu explicato, producitur filiatio, & communicatur essentia; ita idem prorsus principium formale *quo*, esse debet id, quo Pater, & producit Filium, seu filiationem, & communicat essentiam. Sed principium quo communicatur essentia, non potest esse paternitas, vt videntur concedere, & supponere ipsimet arguentes. ergo principium, quo producitur Filius, & filiatio non potest esse paternitas, sed vtrumque principium erit ipsa sola essentia. *Alia responsio probabilior.*

28. *Nona obiectio.* Obiicies nono filiatio est in Filio verè, ac realiter producta. ergo paternitas est in Patre verè, ac realiter producens.

Cur filiatio sit producta, & paternitas non sit producens. Respondeo, negando consequentiam, & omissa negationis huius ratione allata à Capreolo circa finem citatæ quæstionis ad 4. assigno aliam clariorē, quia multo plus requiritur ad producere, quàm ad produci. Omne ens creatum producitur, non omne ens creatum producit: prima enim materia est producta, & nullo modo est actiua. Relatio creata, vt ego quidem existimo, verè, ac realiter producitur à fundamento, & tamen nullā habet producendi vim. Ad produci, satis est, vt aliquid sit eius dependēs, quod habet omnis creatura. Ad producere, requiritur

perfecta aliqua entis ratio, quæ scilicet in sua virtute contineat aliud productum. ex eo igitur, quòd vna relatio producatur in Filio, & habeat rationem termini comproducti, scilicet cum Filio, qui propriè dicitur produci, non licet inferre, quòd alia relatio in Patre sit producens, vel comproducens. Paternitas enim præcisè comparata cum essentia, non est principium comproductiuum; quamuis sit, vt benè illud vocat Capreolus ibi, *Principium cointellectum*; siue vt castigatius loquitur S. Thomas de pot. q.2.art.2.ad 5. *quodammodo cointellectum*; modo scilicet superius explico à num.13.

Capreolus S.Thomas.

29. *Decima obiectio.*

Obiicies 10. essentia est principium essentialis actionis ad extrà, quæ est creatio; ergo à pari, personalitas esse debet principium personalis actionis ad intra.

Respondetur assignando disparitatem inter creationem, & actum notionalem.

Respondeo, negando paritatem. Neque enim actus notionalis, dicitur personalis ex eo, quòd sit personalitate, & non ab essentia; sed solum quia est ab essentia, vt stat sub vna personalitate, non sub aliis; ac proinde, quia conuenit vni personæ, non omnibus: sicut à contrario, creatio dicitur actus essentialis, quia conuenit omnibus: & præterea, quia essentia præcisa ab omni personalitate potest intelligi principium creaturarum, à quibus distinguitur, non autem principium personarum diuinarum, à quibus nullam in re distinctionē habet. Essentia igitur dici potest principium *quo* respectu creaturarum & respectu relationum diuinarum; quia non solum in sua eminentissima virtute continet omnes creaturas, sed etiam in vi, ac fœcunditate suæ naturæ continet ipsas diuinas relationes, ac personalitates.

30. *Vndecima obiectio.*

Obiicies 11. Generatio distinguit genitum à generante: idem enim non generat se. ergo eo Pater generat Filium, quo distinguit eum à se. Sed Pater distinguit Filium à se per paternitatem formaliter; ergo eadem est id quo formaliter Pater generat.

Respondetur, generationem distinguere actiuè, non formaliter.

Respondeo, antecedens, vel esse simpliciter falsum, vel saltem impropriè loqui. Generatio non distinguit, sed est productio geniti distincti à generante. Quare distinguit actiuè, non formaliter. Generatio ex probatis supra art.1.essentialiter, & principalius importat actum absolutum communem non distinguentem; quamquam importat essentialiter paternitatem, quæ est formalis ratio distinguendi generantem à genito. Cum eadem proportione dico de principio generatiuo, quod primario importat absolutum, quod, vt ait S. Thomas ad 1. est *commune genito, & generanti*. Sed minus principaliter importat etiam personalitarem distinguentem formaliter illud principium à termino producendo. Sicut igitur non sequitur, quòd actus notionalis sit ipsa ratio distinguendi; ita nec sequitur, quòd potentia notionalis in eadem distinguendi ratione consistat. Paulo aliter, sed fortasse obscurius respondet Capreolus supra ad 4. contra secundam conclusionem primo loco.

31. *Duodecima obiectio.*

Obiicies 12. quod ex Augustino sibi obiicit Capreolus supra argumento septimo contra secundam conclusionem, in secundo loco, & Molina hic argumento 6. citans lib. 5. de Trinit. c. 6. & 7. *Filius eo filius, quo genitus*. ergo à pari, Pater eo pater, quo generans. Sed constat, quòd est Pater paternitate. ergo generat paternitate.

Respondetur, exponendo Augustinum.

Respondeo primò, me non legere ea verba in Augustino, sed hæc alia diuersa, & ad diuersum propositum scripta, *Ideo Filius, quia genitus: & quia Filius vtique genitus*, vt eruditè obseruat Torres hic in 3. parte Commentarij ad 5. Quæ verba attulit Augustinus, vt probaret, non solum hoc nomen, *Filius*, sed etiam hoc nomen, *Genitus*, dici ad aliquid; idque probando subdit, *Ideo quippe Filius*, &c. Non intendit igitur Augustinus, quòd eadem formalitate, qua Filius dicitur formaliter Filius, eadem dicatur passiuè genitus, ita vt notionalis actus passiuæ generationis, non sit aliud, nisi sola filiatio, qua sola filius dicitur formaliter filius: sed tantum vult, & contextui cohæret, quòd illa relatione, qua filius relatiuè dicitur ad patrem, eadem genitus relatiuè dicatur ad genitorem. Quod quidem non facit ad rem præsentis controuersiæ. Secundo esto sint ea verba in Augustino, respondent Capreolus, & Molina, concedendo, quòd sicut generatio passiua consistit in sola relatione filiationis, ita generatio actiua consistat in sola paternitatis relatione. Sed hoc, quod falsum esse probaui supra art.1. non est necessarium, & ideò aliter dico, magis ad prædictam mentem Augustini, per illud, *& filius, quo genitus*, non reduplicari totam formalitatem geniti, quæ essentialiter inuoluit etiam aliquid absolutum, sed tantum formalitatem illam, qua genitus dicitur ad aliquid, nempè ad generantem, quæ est eadem cum illa, qua Filius dicitur ad aliquid, nempè ad Patrem. Vnde pariter sequitur, quòd in eodem sensu, Pater eo sit pater, quo generans; quoniam eadem relatione Pater ad filium, & generans ad genitum relatiuè dicitur. Hinc autem nullo modo sequitur, Patrem eadem paternitate, tamquam principio productiuo *vt quo*, esse generantem, seu generare; quia sit transitus de pura relatione actus notionalis ad formalem rationem potentiæ, & principij; nam, vt docet S. Thomas ad 1. *Potentia non significat ipsam relationem principij, alioquin potentia esset in genere relationis; sed significat id, quod est principium; non quidem sicut agens dicitur principium, sed sicut id, quo agens agit dicitur principium.* Quia vt magis explicat de potentia quæst.2. art. 2. initio Corp. confutans contrarium fundamentum eorum, qui volebant, Potentiam in diuinis dici tantum ad aliquid, *id, quod est principium actionis, vel passionis, non est relatio, sed aliqua forma absoluta, & id est essentia potentiæ, & inde est, quod Philosophus ponit potentiam non in genere relationis, sed qualitatis, sicut & scientiam, quamuis vtrique accidat aliqua relatio.*

32. *Decimatertia obiectio.*

Obiicies 13. In creaturis personalitas, seu relatio non est de intrinseca ratione potentiæ productiuæ; ergo neque in diuinis.

Respondetur, personalitatē creatam minus, quàm increatam esse necessariā ad producendum.

Respondeo primò, posse negari simpliciter antecedens. Nam creatura intellectualis sine personalitate, aut aliquo alio supernaturaliter addito supplente vicem illius, non potest simpliciter existere: ergo nec realiter operari. Secundo admisso antecedente, adhuc negandam esse consequentiam; & disparitas est, quia potentia productiua creata, considerata etiam secundum se, & vt præcisa à personalitate, & relatione ad terminum producendum, & modo sit existens, esto non sit subsistens, neque inhærens; adhuc habet sufficientem distinctionem in ratione potentiæ productiuæ à suo termino. Hanc vero distinctionem habere non potest natura diuina propter suam infinitam perfectionem, nisi per solam personalitatem, & relatiuam oppositionem.

An quælibet potentia notionalis sit in omnibus personis, & pertineat ad diuinam omnipotentiam.

33. *Decimaquarta obiectio.*

Obiicies 14. si relatio non addit virtutem, vt virtutem formaliter, hoc est, per se præcise, neque est totale, neque partiale principium formaliter produ

productiuum quo immediatè, & formaliter producens producat, vt suprà concessimus, & probauimus, sed hæc virtus est sola essentia communis. ergo potentia notionalis est in omnibus personis.

Respondetur, potentiā notionalem non simpliciter, sed secundum quid esse in omnibus personis.

Respondeo, hoc consequens non esse concedendum absolutè, quia potentia notionalis essentialiter, & intrinsecè constat ex aliqua proprietate, quæ non est in omnibus personis; & sine qua implicat essentiam, quamuis ipsa sola sit vis productiua, posse simpliciter producere; sicut implicat idem posse producere se ipsum. Et in hoc sensu Damascenus supra n.9. negat Filio *gignendi vim*. Ex antecedente autem tantum sequitur, consequēs concedendum esse cum tali limitatione, Potentia notionalis accepta secundum id, quod habet immediatam, & formalem rationem potentiæ, & principij, est communis, & reperitur in omnibus personis. Hoc apertè concessit S. Thomas ad 1. dicens, *Id quo generans generat, est commune genito, & generanti, & idem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis; & distinctius ad 3. Potentia generandi, quantum ad essentiam, quam in recto significat, communis est tribus personis.* Quod quidem nullum est inconueniens; imò, vt prudenter adnotauit Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 5. n. 9. id videtur necessarium ad ponendam æqualitatem diuinarum personarum in omni genere potentiæ tam ad extra, quàm ad intra.

S. Thomas.

Suarez.

34. *Potentia in aliqua persona est sine actu absque vlla imperfectione.*

Dices, si hæc potentia est in omnibus personis. ergo debet in omnibus exire in actum: alioquin in aliquibus deberet imperfectè concipi, hoc est, impedita ab actu. Respondeo, concipi absque vlla imperfectione; quoniam non debet concipi impedita priuatiuè, sed tantum negatiuè; hoc est, concipienda est, sine actu in aliqua persona, non quod actus sit simpliciter possibilis, & tamen propter aliquod impedimentum non fiat, sed solum quia postquam illa potentia semel in actum prodiit in persona producta per talem productionem, in qua persona præexistebat prioritate originis, est ex natura rei impossibilis alius actus eiusdem speciei. Quod non oritur ex aliqua imperfectione, sed potius ex infinita perfectione, tum potentiæ producentis, tum actus producti: quia nimirum potentia producit cum quanta possibili perfectione producere potest, & actus productus continet in se omnes perfectiones possibiles in sua ratione quasi specifica.

35. *Exponitur S. Thomas.*

Confirmatur responsio ex sancto Thoma art. sequenti ad primam initio, *Simpliciter concedendum est, quòd potentiam, quam habet Pater, habet Filius.* Sed limitando, subiungit, *non tamen concedendum est, quod Filius habeat potentiam generandi; si generandi, sit gerundium verbi actiui, vt sit sensus; quòd Filius habeat potentiam ad generandum; sicut licèt idem esse sit Patris, & Filij, non tamen conuenit Filio esse Patrem propter notionale adiunctum. Si tamen hoc, quod dico, Generandi, sit gerundium verbi passiuè, potentia generandi est in Filio, id est, vt generetur. Et similiter si sit gerundium verbi impersonalis, vt sit sensus, Potentia generandi, id est, qua ab aliqua persona generatur.* Cum igitur potentia generandi sit aliquid essentialiter importans absolutum commune, & respectiuum notionale, illa prædicata, quæ important absolutum tantum, tribuuntur omnibus personis; alia verò, quæ important absolutum simul, & respectiuum, non tribuuntur omnibus, sed illis tantum, quibus conuenit illud respectiuum. Igitur quon am potentia sine alio addito, est aliquod prædicatum absolutum, benè docet sanctus Thomas, quòd Filius habet eamdem potentiam, quam habet Pater, nimirum, vt potentiam præcisè consideratam, quæ, vt sic nullum respectum significat. Si verò addatur, Potentia generandi Filium, vel generatiua, vel vt generet Filium, vel qua potest generare Filium, quem sensum in communi hominum vsu significare propriè videtur potentia generandi, docet hanc potentiam non esse in Filio, sed in solo Patre. Similiter si dicatur potentia notionalis, potentia ad spirandum Spiritum sanctum, potentia spirandi, seu qua aliquis potest spirare, seu spiratiua, tribuitur quidem Patri, & Filio, non tamen Spiritui sancto. Quod pro recto loquendi modo in hac subtilissima, ac lubrica materia diligenter est obseruandum. In hac doctrina fundatur alia valdè affinis tradita quæstione sequenti art.6.ad 3. *Quod eadem est potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur*; nimirum considerato absoluto potentiæ significato; quod idem prorsus est in Patre, Filio, & Spiritu sancto. In quo sensu ita immediatè post deducitur ibidem, *Vnde manifestum est, quòd quidquid potest Pater, potest Filius; non tamen sequitur, quòd Filius potest generare*, quia, inquit, *mutatur quid in ad aliquid*. hoc est, mutatur absolutum, quod significatur absoluto potentiæ nomine, & per illud, *Potest*, in respectiuum, quod significatur per illud, *Potest generare*. Vbi non fit vis in respectu existente in Filio, ad quem actio generandi terminatur; sed in respectu existente in Patre, quem respectum supponit actio generandi, sicut omnis actio præsupponit principium actiuum, cuius est actio. Mutari igitur quid in ad aliquid iuxta sensum traditum ita probat, & explicat S. Thomas, subiungens. *Nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam, quam Pater, sed cum alia relatione; quia Pater habet eam, vt dans, & hoc significatur, cum dicitur, quòd potest generare: Filius autem habet eam, vt accipiens; & hoc significatur, cum dicitur, quòd potest generari.* Vnde etiam intelligi possunt difficilia illa Augustini verba lib. 3. contra Maximinum cap. 12. propè finem, nunquam satis explicata, *Filius non genuit creatorem: neque enim non potuit, sed non oportuit*, hoc est, non genuit, non ex defectu potentiæ absolutæ, quam habet Pater, sic enim Pater esset potentior Filio, ac proinde Filius inæqualis, & non eiusdem naturæ cum Patre, quod Maximinus Arianus extorquere intentabat ab Augustino, sed solùm ex eo, quòd illam potentiam non habuit Filius eo modo, quo oportet, & omninò necessarium est habere, ad hoc, vt actu generet; nempè, vt non acceptam ab alio per generationem, quo modo, vt oportet ad actu generandum, eam habet Pater.

Eadem potētia Patrem generare, & Filium generari.

Difficilis locus Augustini explicatur.

36. *Potentias notionales comprehendi sub omnipotētia.*

Hinc etiam obiter intelligere possumus, quòd ex dictis de potentia generatiua, & spiratiua, communi omnibus personis, necessariò deducitur, Nomine omnipotentiæ, in qua certum fide est, æquales esse Patrem, Filium, & Spiritum, de quibus propterea omnes Catholici fatemur in Symbolo Athanasij, vt iisdem verbis fatetur etiam Augustinus l. 11. de ciuit. c. 24. paulò post principium, *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens*, comprehendi posse, ac debere non solum potentiam creandi ad extra, sed etiam potentiam generandi, & spirandi ad intra; secundum illam scilicet rationem formalem, secundum quam istæ potentiæ sunt virtutes producendi, & principia, quibus producens formaliter producit; non autem secundum aliam rationem relatiuam, necessariam ad hoc, vt tales potentiæ prodire sufficienter possint in actum secundum, quam rationem multi Scholastici, & antiqui, & noui, considerantes in prædictis potentiis, dixerunt, illas non contineri sub omnipotentia, in qua tres personæ dicuntur æquales. Verum contrarius loquendi modus non rarò vsurpatur à Patribus; & ideò cum prædicta distinctione loquendum, qua conciliari possunt

diuersæ sententiæ Theologorum aliter loquentium. In primis Athanasius lib.5. de vnica substantia Trinitatis in med. contra Arium, dicentem, Deum Patrem non genuisse ab æterno, sed in tempore, & quod proinde *antequam generaret non erat Pater, sed erat omnipotens Deus*; ita arguit, manifestè supponens, actum generandi ab æterno, pertinere ad omnipotentiam Patris; & consequenter, stultè dici, Patrem ab æterno omnipotentem, & non ab æterno generantem. *Si omnipotenti*, inquit, *tamquam homini egenti per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur.* Et paucis interiectis, tanquam absurdum infert, quòd in tempore, dum generat Filium, *Magis omnipotens Pater esse inuenitur, cui illa tanta censura omnipotentia se se prius submiserit, vt honorem nuper per hunc gradum paterni nominis adsumeret.* Et paulò post alloquens Arianos ita habet. *Quem ignorando, omnipotentem Deum testati estis, nos ipsum, Patrem esse prædicamus; quia omnipotentem Deum, qualis ipse est in natura, talem genuit Filium, sicut in Scripturis causam inuenimus, Qui est, & qui fuit, & qui venturus est omnipotens Deus. Vides omnipotentem esse Dei Filium in natura, sicut, & Patrem: ideò nihil nuper accessit in vnita Diuinitate sempiternæ omnipotentiæ, Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Apertè fatetur, Patrem ideò esse ab æterno omnipotentem, quia ab æterno genuit. ergo secundum Athanasium potentia generandi spectat ad omnipotentiam communem omnibus personis. Et oratione contra Gregales Sabellij, aliquantò ante med. cum dixisset, quòd *Dei potestas Filius sit*, subiunxit hanc causalem, qua intensum mirificè demonstrat; *Ideò plenè, & ad perfectum potens est Pater, hoc est, omnipotens, quoniam Pater potestatis est, nempè Filij.*

Athanasius.

Apoc.1.

37. Hilarius.

Clarissimè Hilarius lib.6. de Trinit. col.8. fin. Deum Patrem ita alloquens; *Omnipotentem te scio; nec conscia tibi tantum, atque ipsi vnigenito tuo natiuitatis inenarrandæ expecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est; & genitum à te Filium, omnipotentia tuæ virtute, non ambigo: ambigens enim iam omnipotentem te negabo.* Item Cyrillus l.12. Thesauri cap.1. aliquantò post principium, arguens contra negantes consubstantialitatem Filij cum Deo Patre, quærit, *Vtrum, quia talem generare non potuit, an quia noluit?* & vtrumque ita impugnat, *Si non potuisse dixerint, impudenter impotentiam Patri attribuent. Si noluisse, turpissimam illi pigritiam imponent, propter quam, priorem genuerit, cum potuerit meliorem. Melius enim est consubstantialem sibi, quàm contra gignere. Quia igitur, & omnia Pater potest*, hoc est, omnipotens est, *& meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Idem argumentum proponit Augustinus lib.3. contra Maximinum cap.7. post med. actum generandi perspicuè referens ad omnipotentiam Dei Patris, illis verbis. *An fortè dare non potuit?* nimirum Pater Filio per generationem esse æquali sibi. *Vbi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, vt Deus Pater æqualem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit: si non potuit; infirmus, si noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrumque hoc falsum est. Patri ergo Deo Filius verus æqualis est.* Eodem ferè modo arguit cap.15. aliquantò ante finem, addítque exemplum hominis, qui inquit, *Si posset, Filium mox generaret æqualem, nec expectaret annos. Deus ergo cur non æqualem genuit filium, cui nec anni necessarij fuerunt, per quos adimpleretur, nec omnipotentia defuit?* In eo igitur sensu, quo Magister lib.5. sent.d.7. litera F. docuit, *Quòd eamdem potentiam habet penitus Filius, quam & Pater*; quod Scholastici communiter sequuti sunt, & S. Thomas hic ad 1. & 3. dicere pariter possumus Potentiam generandi, & spirandi pertinere ad communem omnipotentiam. Certè rem totam, & loquendi modum cautissimè exposuit sanctus Thomas de Potentia quæst.2. art.5. initio corporis, dicens, *Quòd potentia generandi pertinet ad omnipotentiam Patris, non autem ad omnipotentiam simpliciter:* quia vt ratiocinatur, & colligit in fine corporis, *Potentia generandi significat potentiam cum respectu, vnde potentia generandi, est Dei omnipotentia, prout est Patris tantum.* In quantum igitur potentia notionalis dicitur potentia, pertinet ad omnipotentiam, quæ communis est omnibus personis. In quantum verò notionalis, non pertinet ad omnipotentiam simpliciter, & absolutè dictam, nec est in omnibus personis, quoniam notionalitas non addit rationem formalem potentiæ, sed respectum necessarium ad exercendum actum illius potentiæ. Quod deinde magis explicauit S. Thomas ibidem ad 5. subdens, *Sicut vna, & eadem est essentia trium personarum, non tamen sub eadem relatione, vel secundum eumdem modum existendi est in tribus personis; ita est ibi de omnipotentia.* & 1. sent. d.20. quæst.1. art.1. ad 4. ait, *Omnipotentia Patris extenditur & ad generare, & creare. Nec tamen sequitur, quòd Filius non sit omnipotens, si non potest generare; quia à Filio remouetur actiua generatio, non nisi ratione relationis importatæ: relatio autem, in quantum huiusmodi, nullum ordinem ad potentiam habet*: quia scilicet ipsa in se formaliter, & præcisè considerata, non est potentia, & virtus agendi. Quam doctrinam iuxta mentem sancti Thomæ clarius expressit Capreolus 1.d.20. quæst.1. art. vnico, conclusionne 1. dicens, *Quòd Filius non possit in generationem, nec habeat potentiam generandi, hoc non est ex defectu potentiæ; sed quia non habet illam relationem, quam potentia generandi importat: & ita non potest argui, quòd non sit omnipotens ex hoc, quòd non habet potentiam generandi.*

Cyrillus.

Augustinus.

Magister.

S.Thomas.

Capreolus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm actus notionalis ad plures personas terminari possit.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quòd actus notionalis ad plures personas, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Exponitur titulus, & conclusio articuli, num.1.*
2. *Quis sit terminus diuinarum productionum ad intra, num.2. ad finem articuli.*

1. *Explicatio, & decisio articuli.*

SENSVS tituli est, vt declaratur initio primi argumenti, An in diuinis per plures generationes produci possint plures Filij, & per plures spirationes produci possint plures Spiritus sancti. Conclusio negatiua, demonstratione Theologica per euidentem consequentiam deducitur ex maiore nota lumine naturæ, & minore certa secundum fidem, hunc in modum. *Posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis*, vt pronunciat Philosophus ab omnibus receptus lib.3. physi. tit.32. Quod maximè locum habet in potentijs, & actibus diuinarum personarum intra Deum, qui ab omnibus Theologis dicitur ipsum necesse esse, sed de facto in Deo Trinitate, præter vnam personam improductam, non dantur aliæ personæ productæ, nisi duæ, vna genita, & vna spirata; si omnes enim in symbolo Athanasij ita credimus, *Vnus Pater, non tres Patres, vnus*

Aristoteles.

vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Ergo, nec de possibili diuina generatio terminari potest ad plures personas genitas, aut diuina spiratio ad plures personas spiratas. Ad cuius discursus declarationem nihil hic addere necesse est, quia sufficienter explicatus remanet ex dictis quæst.27. art.1. dub.12. & art.4. & 5. & quæst.30. a.2. & quæst.33. art.4. dub.6. Solum inquirendum superest, quod in huius etiam articuli titulo includitur, sub qua ratione persona genita terminet potentiam & actum generandi, & persona spirata potentiam, & actum spirandi.

Nicænum.

Nazianzen.

Hilarius.

DVBITATIO VNIC.

Quis sit terminus diuinarum productionum ad intra.

SVMMA.

1. *Terminum totalem esse personam, num.2.*
2. *Terminum formalem processionum esse naturam, num.3.*
3. *Naturam esse terminum formalem processionis, vt est productio, non vt est communicatio, n.4.*
4. *Terminum formalem productionis esse naturam vt communicatam, non vt productam, n.5.*
5. *Terminum formalem, vt productum non esse naturam, sed personalitatem, num.6.*
6. *Personalitatem comproduci potius, quàm produci, num.7.*
7. *Soluuntur contraria Aureoli, & Ochami argumenta, n.8. ad finem quæstionis.*

2. *Terminum adæquatum esse personam.*

PRima conclusio, terminus adæquatus, & completus, siue totalis & vltimatus, vt *quod*, est secundum omnes ipsa persona, quæ tota verè, & realiter producitur; ita vt non producatur sola relatio in essentia, sed producatur tota persona, realiter accipiens à principio producente, non solum esse relationum personalitatis, verum etiam ipsum esse absolutum essentiæ. Iuxta hanc explicationem non dubito, quin conclusio sit veritas Fidei. Nam Concilia apertè definiunt, personam productam à producente habere etiam esse Deum. Sexta Synodus actione 11. in epistola Sophronij in Fidei professione, initio ait de Filio Dei, *Nec aliunde quàm ex Patre ipsam substantiam habet.* Concilium Lateranense sub Innoc. III. c.2. *Damnamus*, ita definit. *Pater ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur, Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Florentinum in literis vnionis post medium docet, *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Sed Filius, etsi non sit Pater, tamen est Deus. ergo Pater per generationem dedit Filio esse Deum; & paulò ante de Spiritu sancto, magis directè, & clarè, *Hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur; sicque omnes profiteantur; quia Spiritus sanctus essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre, simul & Filio.* Idem sine dubio significat Nicæna Fides, quam refert Nazianzenus in breuissimo tractatu, de Fide Nicæna, dum paulò post initium, Filium Dei à Patre genitum, vocat *totum à toto.* & ipsemet Nazianzenus in longiore tractatu de Fide, multo post medium, ita fatetur, *Tantus est Filius, quantus videbitur Pater: totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto.* Eadem verba, nempè, *totum ex toto, perfectum de perfecto*, posuit Antiochena Ecclesia initio sui Symboli, quod refert, & probat Hilarius lib. de Synodis, multò ante medium, & vsurpant Patres communiter. Inter quos Augustinus lib.3. contra Maximinum cap.14. propè finem, ita videtur voluisse exponere prædicta Nazianzeni verba, *Tantum genuit, quantus est ipse: quia de se ipso genuit verum Filium, & perfectum genuit plenitudinem diuinitatis.* Et ideo prudenter, tanquam de re ad fidei certitudinem pertinente, ita monet Hilarius lib.5. de Trinit. col.4. fin. *Nemo ambigat, naturam Authoris in Filij natiuitate connasci.* Et Augustinus lib.1. de Symbolo ad Catechumenos cap.2. initio, *Tenere fortiter, firmiter, fideliter, quia hoc genuit Deus Pater, quod est ipse omnipotens.*

Sexta Synodus.

Lateranense.

Ioan.10. Florentinũ.

Augustinus.

3. *Terminum formalẽ processionum esse naturam.*

Secunda conclusio. Diuinarum processionum terminus formalis, simpliciter loquendo dici debet natura ipsa diuina. Ita sentit, & loquitur sanctus Thomas 1.d.5. quæst.3. art. vnico, vbi eum explicat, & sequitur Capreolus ibidem art.1. conclusione 1. Ita etiam Scotus quæst.2. §. *Contra istam.* & paulò ante solutionem argumentorum; & alij, etiam recentiores, valdè communiter, contra Aureolum 1.d.5. quæst. vnica art.2. propositione 3. & art.3. §.2. Ochamum quæst.3. Arimenensem quæst.2. art.2. conclusione 2. Gabrielem quæst.3. art.2. concedentes, nullum alium dari formalem terminum, præter personam ipsam, iuxta præcedentem conclusionem; & Durandum 1.d.7. quæst.2. à num.19. qui sicut supra art.5. num.20. vult principium esse solam relationem producentis, ita etiam terminum esse solam relationem producti. Fundamentum probabilissimum est, quia in omni productione terminus formalis, remotis creaturarum imperfectionibus, sufficienter intelligitur, vt sit ille, in quo formaliter assimilatur productum producenti; quam formalem assimilationem primariò intendit producens, cum ideò producat, vt communicet alteri suum esse, & suum principium producendi. Totus autem iste conceptus termini formalis, vbi nulla apparet imperfectio reperitur in diuinis productionibus ad intra, non quidem cum actuali distinctione inter plura in eadem persona, quorum vnum sit terminus formalis, & non aliud; sed cum sola distinctione virtuali inter naturam, & personalitatem. Hic igitur formalis terminus non potest esse personalitas, secundum quam persona producens, & persona producta, differunt non solum realiter, sed formaliter, & quasi specie. ergo est sola natura, in qua sola tamquam forma, omnes personæ habent summam formalem conuenientiam, hoc est, & specificam, & numericam, qua sunt vnus numero Deus, & realiter, & formaliter: eamque conuenientiam omnis diuina productio per se intendit, ac spectat; vel perfeitate formali, vt generatio Verbi diuini; vel perfeitate reali, vt spiratio diuini Amoris, modo pluribus explicato q.27. art.2. Atque hac ratione intelligimus, diuinas productiones esse quasi vniuocas, non æquiuocas, cuiusmodi essent, si terminarentur ad oppositas relationes, quæ sunt diuersæ rationis.

Authores, & Aduersarij conclusionis.

Conclusionis probationes.

4. *Naturam etiam esse formalem terminum processionis, vt est formaliter productio, non cõmunicatio.*

Tertia conclusio, eadem natura est formalis terminus diuinæ productionis, vt formaliter productio est, & non vt est formaliter communicatio. Supponit conclusio, quòd cum sancto Thoma, & Durando, & aliis omnibus sufficienter explicatum est, quæst.39. art.5. num.14. & 15. & in articulo præcedente, num.17.19. & 21. diuinam processionem considerari posse, & vt formaliter productionem, & vt formaliter communicationem. Assero igitur naturam esse terminum formalem processionis

processionis conceptæ sub formali, siue explicita ratione productionis, non autem sub formali, & explicita ratione communicationis. Est contra aliquos recentiores contrario modo loquentes, qui fortasse possunt intelligi iuxta duas alias sequentes conclusiones. Hæc enim conclusio, vt iacet, videtur satis certa. Primò, quia cum in persona producta nihil habere possit rationem communicati, nisi natura, quæ sola est producto, & producenti communis, nam personæ, ac personalitates sunt propriæ, & realiter inuicem distinctæ; & ideò productæ, non communicatæ; & communicatio, vt sic non possit terminari ad productum, sed ad communicatum; manifestè sequitur, naturam respectu communicationis formaliter non posse habere rationem termini formalis, & vt *quo*, sed potius termini totalis, & vt *quod*. Secundò productio, vt formaliter productio, non solum habet producere, sed etiam producendo communicare producto formam, seu naturam producēris, qui ideò producit, quia naturaliter per productionem intendat formalem suam similitudinem alteri communicare. Quod apertè explicare videtur S. Thom. q. 39. a. 5. fin. dicens de Deo Patre, *Est principium totius Deitatis, non quia eam generet, sed quia eam generando, & spirando communicat.* Et in hac q. 41. a. 3. fin. corp. *Necesse est, quòd Pater generando Filium, totam naturam ei communicauerit*, & non obscurè significat suprà n. 2. Lateranense dicens, *Pater Filium generando, suam substantiam ei dedit*; & Florentinum illis verbis, *gignendo dedit*: hoc est, producendo communicauit. ergo natura est formalis terminus productionis, vt productio est, qua scilicet intenditur produci aliquid, vt illi communicetur natura, qua formaliter fit producens similis producto.

Rationes cōclusionis.

S. Thomas.

5. *Terminū formalem productionis formaliter esse naturam, vt communicatam, non vt productam.*

Quarta conclusio. Formalis terminus productionis, vt productio est, est natura, non vt formaliter producta, sed vt formaliter communicata vi formalis productionis. Quare productio, vt productio terminatur, & ad personam productam, & ad naturam communicatam; ad illam, tanquam ad terminum totalem, vt *quod*; ad hanc, tanquam ad terminum formalem, & quasi partialem, vt *quo*. Fundamentum sumitur ex probatis suprà q. 39. art. 5. de communi natura diuina, quòd non possit intelligi producta, neque à se, neque ab alio, sed tantum communicata. ergo non potest comparari ad productionem, tanquam terminus formalis productus, sed solum, vt communicatus. Quod non incongruè nonnulli explicant exempla naturalis generationis hominis; in qua ita dicitur homo generari, vt *quod*, vt per illam generationem verè, ac realiter non producatur materia, aut anima, sed sola vnio inter animam, & materiam, quæ producuntur modo longè diuerso per creationem. Sicut igitur hæc generatio est productio vnionis, & communicatio animę, quia naturali vi illius vnionis, eiusque productionis communicatur anima aliunde producta per creationem: ita per diuinam productionem ad intra producitur persona, & communicatur natura præexistens secundum originem in principio producente, quæ suum esse habet essentialiter ex se, per nullam actionem productum.

6. *Terminū formalem, vt productum, nō esse naturam, sed personalitatem.*

Quinta conclusio. Productionis diuinæ terminus formalis, & vt *quo*, si consideretur non vt formaliter communicatus, sed vt formaliter productus, seu potius comproductus, non est natura, sed personalitas. Probatio ex dictis manifesta remanet. In persona producta debent tria distinctè considerari. Primò ipsa persona. Secundò personalitas. Tertiò natura. Ex his natura nullo modo, etiamsi sumatur prout est in persona producta, denominari potest producta, vt suprà q. 39. art. 5. num. 11. Sed solum est verè, ac realiter communicata vi productionis. Ergo ad productionem non potest comparari, vt formalis terminus, nisi vt formaliter communicatus. Contra verò, neque persona, neque eius personalitas est cōmunicata, sed potius realiter distincta à communicante, & producente; ergo est producta. Sed persona est terminus vltimato productus, *vt quod*; ergo personalitas, ex qua, vt producta, habet personæ formalem rationem producti, dici potest terminus formalis, *vt quo*, vt formaliter productus. Si enim personalitas ipsa non haberet in se aliquam formalem rationem producti, sub qua formaliter terminaret productionem, non posset persona propriè denominari producta. Cum enim persona sit aliquid simplicissimum, in qua nihil aliud est considerare, nisi naturam, & personalitatem, si quemadmodum natura, ita quoque personalitas, nullam in se habere posset rationem termini producti; productio alicuius diuinæ personæ esset planè intelligibilis.

7. *Cur processio, vt communicatio, habeat vnum terminum; vt productio, duos.*

Hinc intelligimus primò, cur diuina processio, vt communicatio non habeat nisi vnum terminum communicatum; quia in persona producta nihil potest considerari habens rationem communicati, nisi vna sola natura: ipsa enim persona non est terminus communicatus, sed potius veluti subiectum, cui communicatur natura: vt productio vero habeat duos terminos productos; alterum, *vt quod*, alterum, *vt quo*; quia producitur personalitas, vt per illam productam producatur persona. Secundò, cur diximus, personalitatem dicendam esse comproductam potius quàm productam; quia productionem terminat non per se, & vltimatò, quasi verò productio sistat in personalitate, & non concipienda sit vlterius progredi; sed quia terminat in natura, siue vt vnita naturæ per summam identitatem, vt hoc modo oriatur, & constituatur alia distincta persona producta. Quapropter diuinæ productionis formaliter, vt productionis, vltimatus terminus productus, vt *quod* est persona: terminus verò quodammodo immediatus, & inadæquatus, & *vt quo*, ipsa persona vltimatò producta terminat productionem, est personalitas. ergo hæc dici potius debet comproducta; hoc est, non producta per se quasi separata, sed producta vnita, & identificata naturæ, vt ex his producererur vna alia distincta realiter persona per illam personalitatis productionem primariò, & vltimatò intenta; & consequenter personalitas, est producta simul, ac veluti comproducta cum persona; sicut in creaturis forma materialis dici etiam à multis solet comproduci, & generari, *vt quo*, quoniam generatur vnita materiæ, vt cum illa constituatur vnum compositum generatum *vt quod*.

Personalitatē comproduci potius, quàm produci.

Soluuntur aduersariorum argumenta.

8. *Prima obiectio.*

Obiicies primò præcipuum fundamentum, quod multis probare nituntur Aureolus, & Ochamus supra, impugnatur tamen, & soluitur non solum à Capreolo 1. d. 5. quæst. 1. art. 2. dum respondet ad argumenta contra primam conclusionem, sed etiam ab ipsomet Ariminensi, tametsi eamdem, quam Aureolus sententiam contra nos sequatur. Videntur, inquiunt, repugnare ista duo, essentiam nullo modo accipere esse per productionē, & nihilominus eamdem essentiā esse terminum formalē productionis.

Respondetur non repugnare, essentiā nō produci, & esse terminum formalē productionis.

Respondeo, hæc non repugnare, posse efficaciter suaderi, primò exemplo nutritionis, quod Capreolus supra benè retorquet contra Aureolum, respondens ad octauum illius argumentum: etenim nutritio est aliqua substātialis productio; vi cuius alimētum conuertitur in substantiam aliti: cuius productionis terminus formalis, est forma informans partem alimenti conuersum, quæ forma, saltem in homine cum nutritur, non producitur, sed multò ante tempore producta præexistit in corpore, quod nutritur; quo etiam exēplo Aureolum impugnat Ariminensis supra ratione secunda. Secundò exemplo resurrectionis, quod etiam contra Aureolum retorquent Capreolus ad 9. & Ariminensis ad 1. In illa enim producitur substantialiter homo ex anima rationali multò ante præexistente, & tamē illius productionis terminus formalis esse non potest alius, quàm anima, quia terminus generationis, seu resurrectionis hominis, est homo, sub ratione hominis: ergo terminus formalis esse debet ille, quo vi illius actionis accepto constituitur homo in formali esse hominis, qui terminus est anima. Tertiò similiter, quod etiam Capreolus ibidem contra Aureolum benè vrget, & ante ipsum Ariminensis; si nunc, quādo homo generat hominem, Deus non crearet animam, sed iam diu creatam infunderet; adhuc esset naturalis generatio hominis, & terminus formalis non esset diuersus ab eo, qui nunc est, hoc est, anima. Imò de facto actio generatiua hominis, non attingit substantiam animæ, sed solum dispositiones accidentales, & substantiales, vel etiam vnionem; & anima per aliam diuersissimam actionem creatur. Nec ad illam generationem, eiusque formalem terminum quidquam referre videtur, quod anima creetur in instanti, quo dispositiones naturaliter illam postulant, vel quid antea creata sit; modo in illo instanti infundatur corpori, quam solam infusionem naturaliter ex se postulat prædicta actio generatiua, præscindendo, quòd anima tunc producatur, vel antea, vel quòd sit simpliciter producta: sicut enim, vt instat Capreolus ad 13. *in corruptione hominis sua forma non desinit esse, ita nec oportet, quòd in eius generatione incipiat esse.* Igitur vt aliquid sit formalis terminus productionis, non necessariò requiritur, vt ea productione vel producatur, vel comproducatur: sed satis est, vt aliunde quomodocumque præexistens vi illius actionis, siue ex naturali exigentia illius communicetur; & in re, per illam productionem adæquatè producta, sit formalis ratio illius constitutiua. Quare quòd termini formales creatarū productionum, ita productiones illas terminent, vt simul etiam producantur realiter in esse, id vt acutè aduertit Capreolus supra §. *Ad primum contra primam conclusionem*, non est ex essentiali ratione formalis termini secundum se, sed ex materiali conditione creatorum terminorum, quibus non competit essentialiter, sicut competit naturæ diuinæ, per se subsistere, & esse suum esse. Solum igitur, inquit Capreolus, *de ratione formalis termini alicuius productionis est, quod per illam productionem communicetur producto; & quòd productum capiat esse per illam, & quòd per illum terminum, productum assimiletur producenti.* Quæ omnia reperiuntur à natura diuina per productionem non producta, sed communicata personæ productæ.

Respondetur explicando, propter quod vnumquodq;

9. *Instantia Aureoli.*

Instabis primò cum Aureolo. *Formalis terminus cuiuscumque productionis, est illud quo formaliter totum compositum capit esse, & habet quod producatur: sicut enim formale principium actionis est illud, quo agens agit; sic eius formalis terminus est illud, quo actum agitur. Sed propter quòd vnumquodque tale, & illud magis. ergo formalis terminus magis capit, quòd sit ex vi productionis, quàm ipsum productum. Constat autem, quòd essentia ex vi generationis non capit entitatem suam. ergo impossibile est, quod essentia sit terminus formalis.*

Respondent optimè Ariminensis ad 2. & Capreolus ad 3. concedendo simpliciter maiorem, sed negando consequētiam; quia Logicum illud Axioma in minore non benè assumitur. Nam, vt ait Ariminēsis, & iisdem verbis refert, & sequitur Capreolus, *Ad veritatem illius inter alia requiritur, quòd illud, propter quod aliud dicitur esse tale, etiam ipsum sit tale: v. g. si conclusio sit nota per principium, ad hoc, vt concludatur, quòd principium sit magis notum, necesse est, vt principium sit notum; alioquin non concluderetur, sicut patet: nam quamuis conclusio sit scita propter principium; quia tamen principium non est scitum, licet sit notum; non sequitur, quòd principium sit magis scitum. Quia igitur formalis terminus aliquando non accipit esse per productionem, non sequitur, quòd accipiat magis esse.* Adde, hoc Axioma non posse habere locum in terminis diuinis, inter quos propter summam eorum indiuisibilitatem, & infinitam perfectionem, & omnimodam æqualitatem, non potest fieri comparatio per magis, & minus. Demum essentia diuina est quidem ratio, propter quam persona producta habeat esse simpliciter diuinum, communicatum illi per productionem, & ita concedi aliquo modo potest, quod magis, hoc est, per prius, & ex se, ipsa essentia habent illud esse; tamen non est ratio formalis producta, propter quam persona *habeat quod producatur*, vt etiam in sua maiore sumit Aureolus: hæc enim ratio est personalitas potius, quàm essentia, vt supra à n. 5. ad 8. & ideo illa dici potest aliquo modo producta magis, quàm persona, hoc est, immediatius, & proximius, & prius quasi in exequutione, non in intentione.

10. *Instantia Ochami.*

Instabis secundò cum Ochamo, *Sicut de ratione termini totalis alicuius productionis, est non habere esse totale, nisi per productionem; ita de ratione termini formalis est non habere esse formale nisi per productionem.* Quam comparationem falsam, vt probatum est, conatur suadere primò, exemplo materiæ primæ, quæ inquit, *Propterea nec est totalis, nec formalis terminus cuiusquam, quia non habet esse per productionem.* Secundò, *si anima intellectiua esset primò creata, & postea crearetur materia sub ea, non diceretur, quòd anima esset terminus illius productionis, & tamen caperet esse in materia per productionem*: non autem caperet esse simpliciter in se. Ergo, inquit, *formalis terminus productionis est illud, quod capit esse simpliciter per illam productionem.* Tertiò, *Non ideò dicitur aliquis terminus formalis, quia forma est: nam si Deus crearet ipsammet materiam per se existentem, ipsa esset terminus formalis, & tamen non esset forma. Et ideo terminus formalis dicitur illud, quod primò, & secundum se totum, habet esse tale per productionem. Cum igitur essentia diuina non capiat esse qualecumque per generationem, sequitur, quòd non est formalis terminus generationis.*

Respondetur defendendo terminū formalem productionis, & non productū.

Respondeo ad primum. Materiam non esse terminum formalem, non quia non producitur, sed quia vi productionis compositi non communicatur ab agente, vt forma rei productæ, in qua productum assimilatur producenti. Ad secundum dico cum Ariminensi supra, in eo casu esse distinguendas duas actiones, alteram creationis materiæ, alteram generationis hominis; quidquid in contrarium scribat Capreolus supra respondens ad hoc argumentum Ochami. nam eius opinionem ego non sequor, & ex instituto impugnaui in Philosophia de materia quòd ipsa per se sola non possit esse terminus actionis creatiuæ. Respondeo igitur cum Ariminensi supra, in eo casu esse distinguendas duas actiones, alteram creationis materiæ, alteram generationis hominis; quidquid in contrarium

vt docet Capreolus supra, est forma communicata ab agente ipsi producto. Quod non haberet illa materia creata per se sola: tunc enim illa esset terminus per se, & formaliter totalis, non autem terminus formalis propriè dictus, de quo nunc disputamus; hoc est, quasi partialis per comparationem ad alium totalem, & adæquatum terminum, per se, & vltimato productum.

II. *Secunda obiectio Ariminensis.*

Obiicies secundò, argumenta, quibus post reiecta motiua Aureoli, & Ochami, in eandem sententiam motus est Ariminensis. Primò, *vbicumque est terminus formalis, alius à termino per se; ibi formalis est pars per se termini, & in illo inclusus. In simplicissimo autem nulla est pars.* Quam ob causam in creatione rei simplicis, verbi gratia, Angeli, Animæ, *non assignatur*, inquit, *terminus formalis distinctus à termino per se creationis.* Secundò, *Illud est formalis terminus, quo actu productum est tale. Sed Filius non aliquo alio à se est Deus, aut Filius, vel persona, cum ipse sit sua diuinitas, & omne, quod est in eo; nec in eo distinguatur quod est, & quo est; & ideò se ipso per se ipsum est, & Deus est.*

Respondetur terminū formalem nō esse propriè partē.

Respondeo ad 1. negando maiorem, saltem ad sensum Gregorij, qui intelligit de parte simpliciter, & secundum rem: quoniam terminus formalis potest esse alius ratione tantum, & non re à termino totali. In casu autem nostro hic terminus formalis, qui est diuina essentia, vt benè respondet Capreolus supra ad primum Gregorij, *non est pars secundum rem, nec etiam pars secundum rationem:* quia à persona non distinguitur secundum rem; & quamuis distinguatur secundum rationem, tamen non potest aliqua distinctio ratione ratiocinata in re ipsa concipi: & ideo essentia non potest cum fundamento in re concipi, vt pars, quia tunc deberet concipi vt distincta. Quo fundamento in primo tomo quæst. 3. art. 7. à num. 13. probaui, repugnare diuinæ simplicitati omnem compositionem, & realem & rationis. Nego etiam cum Capreolo ibidem ad 2. in creatione Angeli non posse assignari terminum formalem; ibi enim est etiam natura, & suppositum, imò cum reali distinctione inter se, quæ non est in diuinis. Potest igitur natura dici terminus formalis, & suppositum terminus totalis. Similiter in creatione animæ compositæ ex essentia, & existentia, & subsistentia, assignari potest essentia pro termino formali, & tota ipsa anima pro termino totali. Et idem dici poterat ad Aureolum in fine numeri præcedentis de materia per se creata sine vlla forma; nam materiæ etiam essentia, quamuis sit materialis, non formalis respectu compositi; tamen respectu ipsiusmet materiæ dici potest terminus formalis, quo materia in suo essentiali, ac velut formali, seu quidditatiuo esse materiæ constituitur, & quasi specificatur, ac metaphysicè formatur. Ad 2. ex superioribus constat; satis esse distinctionem rationis ratiocinatæ, vt dici possit natura esse id quo persona producta est Deus, & similis producenti absque vlla distinctione: quemadmodum etiam personalitas id, quo productum est persona distincta realiter à producente.

12. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò, difficilem quamdam paritatem. Principium formale verè, & realiter producit, *vt quo*; hoc est, est illud, quo immediatè agens agit, ita vt virtus formaliter actiua, non sit aliud, nisi ipsum, quod vocamus formale principium. ergo à contrario, terminus formalis esse tantum debet illi, qui verè & realiter producitur, *vt quo*; ita vt sit ipsa ratio producta immediatè, qua mediante producatur totalis terminus productus *vt quod*. Manifestum est autem hanc rationem termini producti, *vt quo*, conuenire soli relationi, non essentiæ personæ productæ.

Respondetur explicando, cur essentia producat, vt quo, non producatur vt quo.

Respondeo, negando consequentiam, & breuitatis causa, omissis aliorum disparitatibus, de quarum insufficientia quiuis iudicare facilè poterit; dico, disparitatem, quæ mihi semper visa est omnium probabilissima, esse, quia essentia considerata simul cum relatione in principio producente, comparatur ad relationem oppositam in termino producto, v. g. filiationem, quæ relatio verè, & realiter producitur; & ideò respectu illius, essentia in principio producente habere potest rationem principij formalis verè, & realiter producentis, *vt quo*. At vero eadem essentia considerata simul cum relatione in terminis producto, ad nihil personæ producentis comparare potest, tamquam ad principium actiuum; non ad relationem oppositam, v. g. paternitatem, quia relatio, vt relatio, nullo modo est actiua, non ad essentiam, quia vna, & eadem est essentia vtriusque personæ. ergo essentia, vt formalis terminus productionis, nulla ratione denominari potest producta, sed solum communicata vi productionis, qua producitur personalitas, *vt quo*, & persona, *vt quod*.

QVÆSTIO XLII.

De æqualitate, & similitudine diuinarum personarum adinuicem, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de comparatione personarum, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm æqualitas locum habeat in diuinis.

Ad primum sic proceditur. Videtur quòd æqualitas non compétat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Dari æqualitatem in diuinis, num. 1. & 2.*
2. *Dari pariter similitudinem, num. 3. & 4.*
3. *Satisfit duabus obiectionibus, num. 5. & 6.*
4. *Quid sint æqualitas, & similitudo in diuinis, n. 7. & 8.*
5. *Æqualitatem Personarum oriri ex natura, non ex relationibus, num. 9. & 10.*
6. *An æqualitas sit etiam inter relationes præcisè consideratas, num. 11. ad finem Articuli.*

1. *Dari æqualitatem in diuinis.*

PRIMA conclusio simpliciter affirmatiua, est manifesta fidei veritas, quam realiter probant omnes authoritates, quibus supra quæst. 27. art. 1. probauimus, Filium, & Spiritum sanctum esse verum Deū, cuius nomine omnes intelligimus id, quo maius, aut melius cogitari non potest: & quibus etiam probauimus, tres diuinas personas esse vnum. Quæ enim habent summā vnitatem, & in se magna sunt, non possunt non habere in magnitudine summam æqualitatē. Præterea omissis omnibus Patribus, ac Scholasticis, quos referre nimis longū esset, Scriptura etiā expresè tribuit æqualitatem diuinis personis. Io. 5. Cum Dominus dixisset, se esse Filium Dei, & Patrem suum esse Deum, Iudæi *quærebant eum interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem*

Exponitur locus Ioan. 5. *æqualem se faciens Deo.* Vbi, vt omnes Patres intelligunt, Ioannes non refert hoc, tanquam dictum falsò impositum Christo à Iudæis, sed tanquam verum Christi dictum, & rectè à Iudæis intellectum, sed peruersè acceptum, tanquam impium, & blasphemum. Quod quidem si verum non fuisset, debuisset profectò Christus declarare se nunquam id dixisse: & tamen contra potius, totus est deinde in confirmanda illa diuinitate, & æqualitate, quam Iudæi de ipso conceperant ex verbis ipsius. Paulus quoque ad Philippenses 2. de Christo, ait. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Qua phrasi, & contrapositione clarè significat æqualitatem naturalem, fundatam scilicet in ipsa forma, & essentia Dei; & propterea eam æqualitatem Filius Dei, assumendo contrariam serui formam in Incarnatione, nec timuit, nec potuit amittere, sicut raptores possunt & timent amittere bona, quæ ex rapinis iniustè possident. *Exponitur locus Philipp. 2.*

Athanasius. Hinc omnes fideles in symbolo Athanasij fatemur, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.* & infra, *In hac Trinitate nihil maius, aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* & iterum paulò post, *Æqualis Patri secundum Diuinitatem.* Item Toletanum VI. in Professione fidei, ait non longè à principio, *Deus de Patre per omnia coæqualis Patri.* & post pauca, *In hac Trinitate, tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat.* Quam continuo explicat, subiungens, *Nec minor in singulis, quàm in omnibus: nec maior in omnibus, quam in singulis personis manet.* Similiter Toletanum XI. paulò post principium. Professionis fidei. *Æqualis Deus per omnia Deo Patri.* & post multa, æqualitatem naturæ diuinæ in tribus personis ita explicat, *nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet cum vnaquæque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totæ tres personæ vnus Deus enunciantur.* Toletanum VI. & XI.

2. *Explicatur ratio articuli.* Ratio articuli oprima est ex Philosopho l. 10. metaphys. t. 18. & 19. *Æquale dicitur quasi per negationem minoris, & maioris*; in iis scilicet, quæ magnitudinem aliquam habent, siue molis, siue virtutis, ac perfectionis; nam, vt docet Augustinus 6. de Trinit. c. 8. circa principium, *In ijs, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* Æqualia igitur dicuntur, quæcunque ita destinata, ac magna sunt, vt nec minus, nec maius vnum alio sit. Sed hoc habent tres personæ ex vna essentia communi Deitatis, in qua omnes personæ, & personalitates, & relationes omnes vnum, & idem prorsus sunt. ergo inter tres personas, eadem numero magnitudine magnas, nulla omnino fingi potest minoritas, nulla maioritas, inæqualitas nulla. ergo summa intercedit æqualitas. *Vnde relinquitur*, inquit S. Thomas in maiorem confirmationem, & explicationem minoris, & radicis æqualitatis diuinarum personarum, *quod si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, quod non esset in eis vna essentia, & sic non essent tres personæ vnus Deus; quod est impossibile.* Quod confirmat ex Boëtio l. de Trinitate paulò post principium ita scribente contra hæreticos ponentes inæqualitatem inter diuinas personas; *eos differentia comitatur, scilicet Deorum, ac naturarum, qui vel augent, vel minuunt.* nempè vnam personam respectu alterius: *vt Ariani, qui gradibus numerorum, Trinitatem variantes, distrahunt, atque in pluralitatem deducunt*, plurium, scilicet, Deorum, ac diuersarum naturarum. Hanc eamdem rationem afferre videtur Fulgentius l. de Fide ad Petrum cap. 1. ante medium, explicans æqualitatem per negationem maioris, & minoris, & distinctè discurrens per tres

Augustin. Boëtius. Fulgentius.

veluti species spiritualis quantitatis, nimirum, secundum essentiam, æternitatem, & potentiam, cum dicit; *nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est; nec Filij æternitas, atque immensitas, velut anterior, aut maior, Spiritus sancti immensitatem, æternitatémque aut præcedere, aut excedere naturaliter potest. Sicut ergo nec Filius posterior, aut minor est Patre; ita nec Spiritus sanctus posterior, aut minor est Filio.* Et tantæ æqualitatis radicem assignat ex parte naturæ, statim subdens, *Æternum quippe, & sine initio est, de Patris natura natus existit; & æternum, ac sine initio est, quòd Spiritus sanctus de natura Patris, Filiique procedit.*

De similitudine idem dicendum, quod de æqualitate.

3. *Probatur ratione in respōsione ad secundum.* Secunda conclusio, eadem certitudine, qua credimus personas diuinas esse æquales inter se, credendum etiam est, esse similes. Rationis fundamentum sumitur ex argumento 2. ciúsque solutione. Eadem essentia diuina, in qua tres personæ vnum sunt, concipitur à nobis, & vt quantitas virtualis, sub qua ratione personas denominat æquales; & vt forma quædam, quasi qualificans personas, sub qua alia ratione eas denominat similes. Nam ex Philosopho 5. metaphys. t. 20. ante med. *Eadem sunt, quorum substantia vna, similia vero, quorum qualitas vna. Æqualitas autem, quorum quantitas vna.* Ergo sicut certum est, diuinas personas habere perfectissimam vnitatem in vna numero substantia, & natura; ita pariter, habere inter se perfectissimam identitatem, æqualitatem, similitudinem. Vnde Chrysostomus in cap. 1. ad Hebr. hom. 2. col. 5. ait; *Forma declarat essentiam simul, & similitudinem, quæ est secundum essentiam.* & ideo, vt concludit S. Thomas ad 2. *non solum dicimus, Filium esse similem Patri, vt excludatur error Eunomij; sed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arij.* Nam Eunomius sequens Aetium, vt refert Theodoretus l. 4. hæreticarum fabularum cap. 3. initio, *Arij blasphemias apertè auxit. Et primus Aetius ausus est dicere, Filium esse in omnibus dissimilem Patri, qui genuerat.* Arius enim negauit æqualem, sed concessit similem. Eunomius autem dixit, vt testatur Basilius l. 1. contra Eunomium aliquanto ante finem, *Nec æqualis, nec similis.* & ideò ipsimet Ariani, vt refert Ambrosius l. 1. de Fide cap. 4. paulò post principium, *Eunomij personam diffugiunt: aiunt enim prodidisse effusius, quam Arius scripserat.* In quo quidem cautiùs, & congruentius errauit Arius, nam vt docet S. Thomas ad 2. initio. *Æqualitas secundum quantitatem virtualem includit in se similitudinem, & aliquid plus, quia excludit excessum. Quæcumque enim communicant in vna forma, possunt dici similia, etiam si inæqualiter illam formam participent; sicut si dicatur aër esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si vnum altero perfectius formam illam participet.* Ergo Arius, negans Filium æqualem Patri, potuit, salua tota ista blasphemia, Filium similem Patri concedere: & ideò similem concessit, vt errorem suum, quoad eius fieri poterat, tegeret, & plures sub minoris erroris specie facilius deciperet.

Aristoteles.

Chrysost.

Eunomius peior Ario, ex Theodoreto, Basilio, Ambrosio.

Hanc similitudinem sub aliis verbis realiter fatemur omnes in symbolo Athanasij, cum dicimus, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus, increatus Pater*, &c. Ambrosius initio capitis citati, cum de hæreticis ita retulisset, *Dissimilem dicunt esse:* statim omnium Catholicorum nomine

4. Athanasius.

Probatur eū Ambrosio ex Scriptura.

grauissimè subiunxit: *Nos negamus, imò potius horremus hanc vocem.* Idque probat ex illo Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* & ex illo Hebræorum 1. *Qui, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* & ex illo Sap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* & ex illo Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ita arguit Ambrosius: *Pater Filio dicit, Ad similitudinem nostram: & tu dissimilem Filium Dei dicis?* Hilarius quoque l. 3. de Trinitate aliquanto ante fin. certitudinem fidei exprimit illis verbis, *Audis, Pater in me est, & ego in Patre.* Quibus verbis, inquit, *eamdem in vtroque similitudinem, & Deitatis plenitudinem confitemur: omnia enim Dei Filius accepit à Patre, & est Dei forma, & imago substantiæ eius.* Et paulò post subdit, *Qui dixit, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, inuicem esse sui similes, in eo, quòd similitudinem nostram dicit, ostendit.* De hac perfectissima similitudine, quæ in conceptu æqualitatis essentialiter includitur, vt dicitur hic ad 2. scripsit Hilarius l. de Synodis inter medium & finem. *Nunquid non id est esse simile, quod æquale? non est æqualitas in dissimilibus; non sunt dissimiles, æquales. Prædicantes itaque similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quàm æqualem prædicamus. Perfecta æqualitatis habet significantiam similitudo: & hoc ex sacris Scripturis intelligendum est.*

Hilarius. Ioann. 10. Genes. 1. Hilarius.

5. *Obijcitur, & soluitur fundamentum Eunomij ex Basilio.*

Obiicies primò fundamentum Eunomij, qui de Filio, respectu Parris ita sentit, & arguit apud Basilium supra. *Idcirco nec æqualis, nec similis; quoniam nec quantus est, & absque qualitate est.*

Respondet Basilius acutissimè, terminis propè scholasticis. *Ego verò*, inquit, *in hoc ipso pono similitudinem, quòd sicut Pater ab omni compositione liber est; ita & Filius simplex omninò, & incompositus. Et similitudinem non formarum, qualitatis identitate, sed ipsa substantia perspici arbitror. Nam quibuscumque forma, vel figura adiacet, ijs identitate qualitatis inest formarum similitudo: quæ verò sine forma, & sine figura natura est, reliquum est, vt similitudinem in substantia ipsa, & æqualitatem, non in mensura magnitudinis, sed identitate virtutis possideat.* Similitudo igitur in diuinis non ponitur secundum qualitates, & accidentales formas, sed secundum substantiam, & naturam eamdem numero, identificatam in omnibus personis. Item non ponitur æqualitas secundum quantitatem magnitudinis mensurabilis, & corporeæ, sed secundum quantitatem virtutis, seu virtualis ac spiritualis magnitudinis; quæ eadem in singulis, & omnibus æqualiter reperitur propter eamdem communem omnium naturam, cuius illa virtus est.

6. *Obijcitur Augustinus, & exponitur ad 3.*

Obiicies secundò illud Augustini lib. 6. de Trinit. cap. 10. paulò post principium. *Imago si perfectè implet illud, cuius imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ.* Sed Pater, quamuis sit similis Filio, eamen non est imago Filij, vt supra quæst. 35. art. 1. & 2. ergo Pater non est æqualis Filio, quia per Augustinum, imaginatum non coæquatur imagini. ergo nec Filius erit æqualis Patri; quia æqualitas esse debet reciproca, omne enim æquale, est æquali æquale.

Respondet optimè S. Thomas ad 3. *Quòd æqualitas, vel similitudo, dupliciter potest significari in diuinis, scilicet per nomina, & per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis personis, & similitudo; Filius enim est æqualis, & similis Patri, & è conuerso; & hoc ideò, quia essentia diuina non magis est Patris, quàm Filij: vnde sicut Filius habet magnitudinem Patris, quod est esse eum æqualem Patri; ita Pater habet magnitudinem Filij, quod est esse eum æqualem Filio.* Et idem de similitudine, quæ in eadem communi essentia, & æquè in omnibus perfecta fundatur. In quo differt hæc similitudo mutua inter diuinas personas à similitudine inter creaturas & Deum, quæ non est mutua, quia creatura similis Deo est, non Deus similis creaturæ: quod ex instituto discussum est in 1. tomo q. 4. art. 3. *sed verba*, sequitur sanctus Thomas, *significant æqualitatem cum motu: & licèt motus non sit in diuinis, est tamen ibi accipere. Quia igitur Filius accipit à Patre, vnde est æqualis ei, & non è conuerso, propter hoc dicimus, quod Filius consequatur Patri, & non è conuerso.* Eadémque ratione, vt ex eodem sancto Thoma extendit Torres hic 2. parte Commentarij col. 6. initio, licebit dicere, Filius assimilatur Patri, non autem Pater assimilatur Filio. Quæ distinctio nunc probabilior mihi videtur, maximè propter authoritatem S. Thomæ; quamuis tomo 2. q. 16. art. 1. num. 56. aliter senserim contra Durandum. Igitur consequentiæ omnes nullæ sunt, quia Augustinus loquitur de æqualitate significata verbis, non autem nominibus: quam secundam æqualitatem significatam nominibus, tum alibi, tum in iisdem libris de Trinitate sæpè fatetur in omnibus personis, præsertim initio libri 8. vbi docet, *Tantam esse æqualitatem in Trinitate, vt non solum Pater non sit maior quàm Filius, quod attinet ad Diuinitatem; sed nec Pater, & Filius simul, maius aliquid sint, quàm Spiritus sanctus, aut singula quæque persona qualibet trium, minus aliquid sit quàm ipsa Trinitas.*

Quid sint æqualitas, & similitudo in diuinis.

7. *Formaliter sunt relatio rationis.*

Tertia conclusio, tam æqualitas, quàm similitudo diuinarum personarum inter se, si formaliter accipiatur, importat aliquem conceptum relatiuum, non relationis realis, sed rationis. Tota hæc conclusio, quam apertè ponit sanctus Thomas ad 4. & Magister apud ipsum, sufficienter probata est q. 28. art. 4. à num. 47. ad 66. Quòd his vocibus importetur conceptus simpliciter relatiuus, clarè expressit Hilarius l. 3. de Trinitate aliquanto ante finem de Filio Dei scribens. *Imago sola non est, & similitudo non sibi est:* quæ statim dicitur relatiua denominatione, *alterius ad alterum similitudo.* & Magister 1. d. 31. litera B. *cum dicitur Filius similis Patri, relatiuè quidem dicitur.* Sed vt significet, relationem non esse realem, sed rationis, ita concludit, *est ergo appellatio tantum relatiua.*

Hilarius. Magister.

8. *Fundamentaliter important aliquam negationem in natura.*

Quarta conclusio. Eadem æqualitas, seu similitudo, si accipiatur fundamentaliter importat aliquid negatiuum; nempè æqualitas importat negationem maioris, & minoris: similitudo negationem diuersitatis in forma, seu qualirate substantiali; quæ negationes fundantur in vna, eadémque numero natura diuina Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ita omnes tam qui negant, quàm qui concedunt, his nominibus formaliter significari relationem. In hoc sensu accipiendum est, quod scribit Magister supra, & hanc conclusionem benè explicat, *Quibusdam non indoctè videtur nomine æqualitatis, vel similitudinis, non aliquid poni, sed remoueri: vt ea ratione dicatur Filius æqualis Patri, quia nec maior est eo, nec minor; & hoc propter vnitatem essentiæ. Ita & similis dicitur, quia nec diuersus, nec alienus, nec in aliquo dissimilis, & hoc propter essentiæ simplicitatem.* Vnde Philosophus supra n. 2. ait, *Æquale dicitur quasi per negationem minoris, & maioris.* Additum videtur illud, *quasi*, ex eo quòd nominis positiui, & ex se relatiui, significatum formale ac proximum est aliqua positiua relatio, & quidem realis in creaturis: negatio verò non est nisi significatum remotum, ac fundamentale. Præterea Patres, vt explicarent quod à Theologis potissimum spectari debet, quid his nominibus in re ipsa significetur, quod neque est relatio realis, quæ nulla est, neque

Exponitur Aristotelis.

neque relatio rationis, quæ non est in re, sed obiectiuè tantum in intellectu; ferè semper per prædictas negationes hanc æqualitatem, & similitudinem declarant; vt obseruare licet in Athanasio, Toletano VI. & XI. suprà num. 1. & Fulgentio num. 2. & in Augustino num. 6. Item in eodem Augustino lib. 7. de Trinit. cap. 6. multò post med. *Non maior essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius, sed tres simul æquales sunt singulis; quod animalis homo non percipit.*

Augustinus.

9. *Radicè æqualitatis esse naturam, non relationem.*

Quinta conclusio. Tota æqualitatis, ac similitudinis ratio inter diuinas personas, oritur ex natura identificante sibi omnes relationes; quæ natura æquè perfecta reperitur in singulis personis: non autem oritur ex relationibus inuicem oppositis, ac realiter distinctis, quibus ipsæmet personæ constituuntur, & inter se realiter opponuntur, ac distinguuntur. Hoc, vt iacet, docere videntur omnes Patres, & Scholastici, qui huius æqualitatis, ac similitudinis, radicem semper assignant solam naturam, & nunquam relationem, imò hanc non rarò excludunt: ad cuius veritatis intelligentiam quamplurima dicta sunt q. 28. art. 2. à n. 132. ad 149. Enimuero ipsimet cònclusionis termini, si rectè perpendantur, rem manifestam faciunt. Nam ratione relationum, vna persona distinguitur realiter ab alia. Ergo hæc relatiua radix distinctionis, ac separationis, non potest esse radix vnius, eiusdemque perfectionis in singulis personis per se acceptis, quæ est in omnibus tribus simul, sed ratione naturæ, tres personæ sunt vnum, & idem omninò. ergo natura sola potest esse radix diuinæ æqualitatis, ac similitudinis. Et ideò Magister num. præcedente diuinas personas æquales esse docuit, *propter vnitatem essentiæ*; & similes, *propter essentiæ simplicitatem.* & tandem ita concludit, *Non ergo secundum quod Filius est genitus à Patre, æqualis, vel inæqualis est Patri, nec similis, vel dissimilis; sed æqualis, & similis secundum substantiam.* Idem apertè supponit S. Thomas hic, dum probat æqualitatem personarum ex vnitate essentiæ, vt supra num. 2. Et clarius ad 2. *Quia non solum vna est natura Patris, & Filij, sed etiam æquè perfectè est in vtroque; ideo non solum dicimus, Filium esse similem Patri, sed etiam æqualem.* Et ad tertiam, *Filius est æqualis, & similis Patri, & e conuerso: & hoc ideò, quia essentia diuina non magis est Patris, quàm Filij.* Et ad 4. cum distincti initio docuisset, *quòd in diuinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur:* post-ea omissis relationibus, æqualitatem ad solam essentiam refert, subiungens, *Ex hoc personæ sunt sibi inuicem æquales, quòd sunt vnius essentiæ.*

Magister. S. Thomas.

10. *Probatur ex Patribus.*

Multum etiam iuuat ad melius percipiendum hanc profundissimam vnitatem, quam, vt Augustinus supra dicebat, *animalis homo non percipit*, sanctorum Patrum dicta recolere. Toletanum VI. supra n. 1. *In Trinitate, tanta est vnitas substantiæ, vt pluritate careat, & æqualitatem teneat.* Acutissimè fit vis in vnitate talis essentiæ, respectu cuius ipsæmet tres personæ, inter se realiter distinctæ, quæ æquales sibi inuicem dicuntur, *pluritate careant.* Et ex hac pluritatis carentia, siue omnimoda vnitate, quam personæ habent propter essentiam, non propter relationem, infertur summa æqualitas, quam quælibet persona seorsim habet cum tribus simul. Fulgentius num. 2. vt ibi notaui, æqualitatem refert ad naturam; & illam expresè limitat, *Quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet.* Chrysostomus num. 3. docet, *Similitudinem esse secundum essentiam.* Hilarius num. 4. similitudinem inter Patrem, & Filium ita probat, *Omnia enim Dei Filius accepit à Patre*; à quo tamen non accepit esse Patrem. ergo Pater, & Filius non sunt similes in esse Patrem, & in esse Filium, sed solum in esse Deum. Basilius num. 5. expresè fatetur, se ponere *similitudinem in substantia ipsa, & æqualitatem in identitate virtutis.* Augustinus num. 6. explicans diuinarum personarum æqualitatem, ita limitat, *Quòd attinet ad diuinitatem.* Præterea Nazianzenus oratione 4. de Theologia pag. 4. initio explicans, qua ratione Pater, qui Ioan. 14. dicitur, *maior Filio*, sit etiam Filio æqualis, ita conciliat, *An non manifestum, maius illud ad causam, æqualitatem autem ad naturam referendam esse?* Ita etiam conciliat Gregorius Bœticus l. de Trinit. inter med. & fin. in tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, *Dicamus & nos, Patrem maiorem de solo Sacramento generationis: & hunc enim pium sensum nonnulli Catholici prosequuti sunt dicentes, Patrem, & Filium eiusdem substantiæ; & ideo secundum substantiam alterum altero non esse maiorem. Qualis enim Pater est Deus; talis, & Deus Filius est; nihil enim minus ex se genuit, quàm ipse est. Etsi ergo, qua Deus, Deo aqualis est Filius; tamen qua Filius, minor dicitur Patre. Et ideò non dicit, Deus maior me est, sed Pater maior me est.* Tam ipse, quàm alij, quos ipse exponit, tribuunt æqualitatem diuinis personis, non secundum personalitatem, *nec qua Filius*, aut qua Pater, *Sed secundum substantiam, & qua Deus.* Similiter Basilius l. 1. contra Eunomium aliquantò ante fin. ait. *Nos autem secundum habitudinem causarum ad ea quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio proponi dicimus: naturæ verò diuersitate nequaquam; neque tẽporis excessu.* Et post multa, *Quoniam à Patre origo est Filio, hoc maior est Pater quòd causa est; atque origo. Quapropter Dominus sic dicit, Pater meus maior me est, vt eo, quòd Pater est, maior esse intelligatur.* Item Cyrillus l. 2. Thesauri c. 3. col. 2. initio, *Scriptura æqualitatem attestatur, ne vlla in essentia Patris, & Filij, dissimilitudo, & differentia reperiatur. Quamuis ergo secundum rationem substantiæ Patris, æqualis, & penitus similis sit;* nempè Filius Patri, *maior tamen ipse Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo, quia ex eo Filius est.* omnium clarissimè loquutus est Augustinus. Nam lib. 5. de Trinit. cap. 6. circa finem ita habet. *Quia Filius non ad Filium relatiuè dicitur, sed ad Patrem, non secundum hoc, quòd ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri. Restat ergo vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quidquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo, vt secundum substantiã sit æqualis.* Et sermone 38. de tempore, aliquando ante med. ait, *Non aliquid maius, tres simul, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quam vnus quilibet, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus, quia eadem natura est in vnaquaque persona simul dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis.* Eamdem æqualitatis probationem, excommunitate vnius perfectissimæ naturę ductam, habet Anselmus in Prosologio c. 23. post medium, *Quod autem est singulus quisque, hoc est, tota Trinitas simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; quoniam singulus quisque non est aliud, quàm summe simplex vnitas, & summè vna simplicitas, qua nec multiplicari, nec aliud, & aliud est potest.* Quod in diuinis non est persona, quæ multiplex est; sed natura tantùm, quæ est vna prorsus indiuisibilis in pluribus personis. Idem eleganter more suo explicat Bernardus epistola 190. ad Innocentium column. 3. *Totum est Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse & Pater, & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod & ipse & Pater, & Filius. Et totum, vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summúmque bonum, quod sunt, inter se particulariter diuidunt, quoniam*

Ioan. 14. Basilius. Cyrillus. Augustinus. Anselmus. Bernardus.

nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt.

11. Ex his, aliisque similibus Sanctorum dictis, duo certa habemus. Alterum negatiuum, Æqualitatem diuinarum personarum nulla ratione sumendam esse ex personalitatibus, aut relationibus. Alterum affirmatiuum, sumendam esse ex natura, & consequenter, non aliunde, quam ex sola natura, & sumendam totaliter ex natura; quia ex sancto Thoma hic ad 4. *In diuinis personis nihil est considerare nisi essentiam, & relationes*; quod sumpsisse videtur Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 19. non longè à fine in §. *Substantia est*, dicens, *In Patris persona nil aliud, quàm substantia, & paternitas est.* An verò inter ipsas relationes per se solitariè consideratas, vt ratione præcisas ab essentia, sit etiam æqualitas, & similitudo, vel inæqualitas, & dissimilitudo, est incertum, & positum in libertate discurrentium Theologorum. Tres omninò dicendi modos inuenio. Primum neque esse æquales, neque inæquales; neque similes, neque dissimiles. Ita scripsit Magister verbis relatis suprà in n. 9. & tenentur consequenter dicere, qui volunt in relationibus præcisè acceptis nullam esse perfectionem. Quoniam verò hoc fundamentum falsum esse multis probatum est supra q. 28. art. 2. dub. 5. necesse est falsam quoque esse sententiam illi inhærentem. Secundum, esse æquales, & similes. Ita Aureolus, & Ocham. ibi citati num. 120. & Suarez num. 143. Tertium, esse inæquales, & dissimiles. Ita Ariminensis ibidem num. 143. Zuniga num. 148. Valentia hic §. *Neque aliud*, & clarius ad 4. Quod mihi quidem videtur probabilius, & probatum est ibidem à n. 143. ad 149. qua de re iterum clariùs, ac breuius.

S. Thomas.

Florentinũ.

An æqualitas sit inter relationes præcisè consideratas.

12. Dico primò. Quælibet opinio in hac præcisa controuersia nullam meretur censuram, vt rectè notarunt aliqui apud Zumel hic disp. 2. circa principium, quidquid ipse in contrarium scripserit. Primò quia, & Scriptura, & Sancti omnes, nemine excepto, quem sciam, vt patet ex multis superius citatis, loquuntur semper de æqualitate diuinarum personarum in concreto. Nostra verò quæstio est de personalitatibus in abstracto, quæ etiamsi inæquales fuerint, non tollunt æqualitatem personarum, quoniam in singulis personis clauditur essentia, quæ sibi identificat omnes alias diuinas perfectiones, & absolutas, & relatiuas, quantumuis inter se inæquales ac dissimiles. Secundò, quia Patres num. 10. æqualitatem semper probant ex essentia, in qua omnes personæ vnum sunt, & nunquam ex relationibus, per quas personæ constituuntur, & distinguuntur: & non semel expressè limitant esse æqualitatem secundum essentiam. ergo saltem reliquerunt Scholasticis liberam opinandi potestatem de æqualitate inter personalitates, seu relationes ab essentia præcisas.

Partem negatiuam non mereri censuram.

13. Dico secundò, Patres adeò clarè, ac frequenter fauere. Tertio dicendi modo de inæqualitate, ac dissimilitudine, vt ingenuus Theologus, qui eos attentè legit, & non suum, sed eorum sensum sequi vult, non possit tertium illum dicendi modum abiicere. Multos attuli loco citato num. 146. & 147. qui considerantes Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in iis, in quibus realiter distinguuntur, dixerunt Patrem Filio *maiorem authoritate, honore, dignitate, maiestate, originis modo, secundum causam, in quantum principium, principij modo.* Ita Athanasius, Hilarius, Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus, Chrysostomus, Euthymius, sequentes modum loquendi Christi Domini Ioan. 14. *Pater maior me est*, eumque exponentes de Christo, etiam vt subsistente in natura diuina. Si igitur Patres affirmant æqualitatem, cum dicunt, Patrem, vt Deum, non esse maiorem Filio; censendi vtique sunt negare æqualitatem, cum contra dicunt, Patrem, vt Patrem, esse maiorem Filio. Quod expressius dixisse videtur Cyrillus ibidem illis verbis, *Dei Verbum omnia, præter solam paternitatem, cum Patre æqualia habet.* Ergo præcisa natura, non habet aliquid æquiualens paternitati. Item Augustinus, *In substantia minor non est Filius: authoritate maior est Pater; ipso Domino dicente, Pater maior me est.* Quibus verbis declarare videtur Hilarium, vocantem Patrem maiorem Filio, sed nolentem vocare Filium minorem Patre. Quod nisi accipiatur, & explicetur respectu diuersorum, est prorsus inintelligibile, vt notaui supra q. 27. art. 1. n. 49. Eodem numero citato 147. clarissimè Athanasius, *Omnia æqualia habet Pater, Filius, & Spiritus sanctus; præter proprietates suas* Sed hæ sunt paternitas, filiatio, processio. Ergo has non habent æqualiter. In hoc articulo n. 10. Gregorius Bœticus distinctissimè ait, *Quæ Deus, Deo æqualis est Filius, quæ Filius, minor Patre.* Idem Basilius; *Nos secundum habitudinem causæ, Patrem Filio præponi dicimus; naturæ verò diuersitate, nequaquam. Hoc maior est Pater, quòd causa est. Dominus dicit, Pater maior est, vt eo quod Pater est, maior esse intelligatur.* Et Cyrillus, *Maior Pater est in hoc solummodo, quia ex eo Filius est.* Ibidem Augustinus has duas propositiones apertissimè concedit, *Filius secundum relationem non est æqualis Patri. Filius secundum substantiam est æqualis Patri.* Athanasius etiam orat. 2. contra Arianos non longè à fine ait, *Pater maior est, non quidem magnitudine, aut ætate; sed quia ex illo ortum habet.* Demum Cyrillus lib. 2. Thesauri c. 3. cum post medium multis probasset, Maius neque esse, neque intelligi posse sine minori; & consequenter, Filium Dei esse minorem Patre ea ratione, qua Pater illo maior esse scribitur; id verificari docet, non ratione naturæ, sed ratione personalitatum: & tandem ita concludit, *Non ergo natura, sed vt Filius, Patre minor dicitur.* Quisquis autem dicitur minor, is propriè dicitur inæqualis, & non solum non æqualis.

Exponitur loc. Ioan. 14.

14. Dico tertiò. Posita probata, & valdè communi sententia de relatione diuina, quòd etiam vt præcisa à natura, dicat perfectionem, nimio manifestam esse inæqualitatem diuinarum relationum; saltem in duplici comparatione. Primò si comparetur quælibet vna seorsim cum omnibus simul. Quis enim non videat, tres simul perfectiones realiter distinctas & oppositas, & propterea specie, vel quasi specie diuersas, esse maiores vna quauis illarum, non solum maioritate extensiua, sed etiam intensiua, cum in vna non sint illæ specificæ perfectiones, quas in reliquis duabus esse supponimus? Secundò, si paternitas, vt identificata relationi spirandi comparetur cum sola filiatione, vt filiatione præcisè; vel contra, si filiatio vt identificata relationi spirandi comparetur cum paternitate, vt paternitate præcisè, sic enim omninò certum est, plus perfectionis relatiuæ esse in vna entitate relatiua, prout est paternitas simul & spiratio, quàm sit in alia entitate relatiua, prout concipitur secundum quòd est tantum filiatio, non spiratio. De tertia verò comparatione, prout, v.g. sola paternitas comparatur cum sola filiatione, eamdem inæqualitatem, quæ in tali casu minus apparet, probaui & authoritate, & rationibus suprà q. 28. art. 2. à n. 145. & verè exprimunt omnes Patres citati num. præcedente.

Efficaciter probari rationibus.

15. Dico quartò, singulas relationes comparatas tã singulis relationibus, quàm omnibus simul posse sub aliqua vna communi consideratione dici omnino æquales; in quantum scilicet, quælibet diuina relatio, quantumuis abstractè concepta habet identificabilitatem cum natura diuina, eaque mediante cum reliquis omnibus relationibus, quas omnes vna communis natura sibi identificat: quam identificabilitatem non magis habent omnes simul relationes, quàm singulæ per se. Sed præter hunc communem, ac veluti genericum identificabilitatis conceptum, qui non solum conuenit relationibus respectu naturæ; sed etiam naturæ respectu relationum, dantur in relationibus alij proprij ac specifici conceptus, inter se realiter oppositi, ac distincti; qui præcisi per rationem ab vnitate cum natura; & considerati tantum vt plures, nihil prorsus habent, vnde vnitatem, & consequenter æqualitatem, illis tribuere possimus: nec etiam dissimilitudinem, quia, vt suprà quæst. 27. art. 2. num. 44. cum Henrico ostendi, personæ in proprietatibus relatiuis, etiam in paternitate, & filiatione, quæ conueniunt in virtute spirandi plures habent dissimilitudines, quàm similitudines. Et ipsemet Suares lib. 4. de Trinit. cap. 15. fin. refert Anastasium Synaitam, quòd dixerit, *Personas in propriis dissimiles.* Solum pro primo modo dicendi supra num. 11. contra secundum & tertium esse videtur S. Thomas, tum infra art. 4. ad 2. dicens, *Æqualitas in diuinis, & similitudo, secundum essentialia attenditur, nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici.* Idque probat ex Augustino lib. 3. contra Maximinum c. 18. post med. dicente, *Originis quæstio est, quis de quo sit: æqualitatis autem, qualis, & quantus sit.* Et suprà quæst. 35. art. 2. ante med. corp. ait, *Secundum relationes non attenditur in diuinis, neque æqualitas, neque inæqualitas, neque similitudo*; & citat Augustinum, qui id videtur docere lib. 5. de Trinit. cap. 6. post med. Et lib. 6. cap. 4. fin. Et idem habet de Pot. quæst. 10. art. 1. ad vltimum. Verum hæc authoritas est pro quinta conclusione n. 9. non contra secundum & tertium dictum n. 13. & 14. Aliud enim est dicere, Diuinæ personæ non sunt inter se æquales, aut inæquales, seu similes, aut dissimiles, propter æqualitatem, aut inæqualitatem, seu propter similitudinem, aut dissimilitudinem relationum, sed sunt æquales, & similes solum propter vnam communem naturam, identificantem sibi omnes relationes quantumuis inter se inæquales, & dissimiles. Quod dicitur à sanctis Augustino, & Thoma iuxta quintam nostram conclusionem. Aliud verò est, Diuinas relationes ratione præcisas ab essentia, neque esse inter se æquales, aut inæquales, neque similes, aut dissimiles; quod nullus vnquam Sanctus assentit, imò cum omnibus ferè Sanctis benè negant Authores secundi, & tertij modi.

Qua ratione defendi possit alia pars affirmatiua.

Exponitur locus Augustini, & Thomæ.

tum ex instituto est q. 27. art. 1. dub. 1. vbi à num. 56. ad 70. probata est coæternitas Filij Dei cum Patre, & à num. 103. ad 140. ostensum est, Spiritum sanctum esse vnum numero Deum cum Patre, & Filio, à quibus procedit; & consequenter, esse ex natura sua increatum, & æternum eadem æternitate increata, qua necesse est Deum esse æternum. Quibus nunc nihil præterea addendum, occurrit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in diuinis personis sit ordo naturæ.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd in diuinis personis non sit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Dari in diuinis ordinem, simpliciter loquendo, num. 1. ad 4.*
2. *Hunc ordinem non esse alium, nisi originis, n. 4.*
3. *An in diuinis detur etiam prius, & posterius, num. 5. ad finem articuli.*

Esse ordinem simpliciter.

1. PRIMA conclusio. Inter diuinas personas admitti potest ordo, simpliciter loquendo. Hoc apertè supponi videtur à S. Thoma in corpor. tum quia concedit simpliciter ordinem, & negat simpliciter prioritatem: tum quia initio, ordinem simpliciter, & absolutè loquendo, ita explicat, *Ordo dicitur per comparationem ad aliquod principium*; sed inter diuinas personas, rectè conceditur, & verè, ac propriè est realis ratio principij simpliciter, & absque vlla limitatione restringẽte ad rationem principij secundum quid, & impropriam. ergo etiam ratio ordinis. Quare videtur tacitè correxisse, quod dixerat 1. d. 10. q. vnica art. 3. sic concludens in fin. corp. *Vnde non est concedendum, quòd sit ibi ordo simpliciter, sed ordo naturæ.* Et mouetur, quia vbi est ordo simpliciter, ibi est simpliciter prius, & posterius, quod in diuinis omnes negant. Quo fundamento idem docuerunt Alensis, & Albertus, quos refert Carthusianus 1. d. 10. q. 2. à principio, sed non multum vrget, quia omnes plus intelligimus significari per prius, & posterius, quam per ordinem: ita vt quamuis vbi est prius, & posterius, ibi sit ordo, non tamen contra necesse est, vt vbi est ordo, ibi sit prius & posterius. Per hoc igitur significatur aliquis excessus, & defectus; siue aliqua maioritas, & minoritas; siue aliqua inæqualitas, quæ sit inter plura simpliciter ordinata. Per ordinem verò purius, & abstractius significantur plura inter se ordinata simpliciter, quocumque modo ordinentur: quæ ordinatio esse potest sine vlla inæqualitate, sed tantum secundum perfectissimam rationem principij consubstantialis in eadem infinita natura, vt in diuinis personis inter se omninò æqualibus; tametsi, vna respectu alterius habeat ordinem, & rationem principij. Et ideò sapientius S. Thomas in hoc loco summæ, ordinem simpliciùs explicauit per solam habitudinem principij, & non per rationem prioris, & posterioris; quo modo explicauerat antea in scripto.

Differentia inter ordinẽ, & prius ac posterius.

Confirmatur, quia propter hunc ordinem simpliciter dictum, & intellectum in diuinis, omnes fideles innixi sanctis Scripturis, ac Patribus in numeratione personarum sanctissimæ Trinitatis, hoc ordine, & nunquam alio, nominamus Patrem,

2.

Basilius. Filium, & Spiritum sanctum. Hunc ordinem expressit Basilius lib. de Spiritu sancto c. 18. circa fin. Cum enim docuisset, perperam hæreticos in Trinitate dinumerare, *primum, secundum, & tertium*, ita scilicet intendentes, *Deorum multitudinem inducere*, subiungit, *Sed nobis sufficit à Domino præscriptus ordo, quem qui confundit, non minus peccabit, quàm peccat illorum impietas.* Ordo autem præscriptus est à Domino Matth. vltim. cum iussit baptizare, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et lib. 3. contra Eunomium initio, concedit Eunomio, Spiritum sanctum esse tertium dignitate, & ordine; negat autem esse tertium natura, aitque, *Quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est; quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo, atque causa essendi Pater ipsi est; natura verò nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas: ita videlicet, & Spiritus sanctus, etsi dignitate, & ordine secundus à Filio est, non tamen aliena natura.* Ordinem simpliciter absque vlla restrictione tribuit diuinis personis, eumque non aliter probat, quàm ex processione vnius ab alia: ergo iuxta mentem Basilij, initio corp. ordo simpliciter, & propriè dictus explicatur solum per hoc, quòd ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium.

Athanasius. Eodem modo loquitur Athanasius apud Thomam opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. §. 29. post med. introducens Filium Dei ita loquentem, *Eumdem ordinem, & eamdem naturam habet Spiritus ad me Filium, vt sit Deus de Deo, quem ordinem, & quam naturam habeo ego ad Patrem, vt sim Deus de Deo.* & §. 32. ex aliis verbis eiusdem Athanasij probat, *Ordinem distinctarum personarum, Spiritum paracletum*, inquit Athanasius, *dicimus terminum beati, & supereſſentialis diuini ordinis; sicut & Pater tenet ipsius ordinis caput, & fontale principium imprincipiatus ipse. Medium autem extremitatum ordinis veraciter tenet Filius inter Patrem, & Spiritum sanctum.* Et paulò post, *Pater à se, principio trini ordinis diuini, per medium Filium genitum, terminat ipsius ordinis finem naturali proprietate in tertio, spirato spiritu.* Ibidem refertur, quod à Cyrillo dicitur, *Ordo Trinitatis*; &, *Spiritus sanctus terminus Trinitatis.* Et propterea Athanasius, & Cyrillus ibi hunc ordinum diuinarum personarum assimilant catenæ.

Cyrillus.

3. *Probatur aliis Sanctorum dictis.*

Hunc eumdem ordinem simpliciter dictum, & non prioritatem, manifestè indicant multi Patres, absolutè numerantes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, per primum, secundum, & tertium apud Thomam supra cap. 2. initio Athanasius ait, *Spiritus sanctus tertius est à Patre, à Filio tamen est secundus.* Et Basilius, *Recepimus Spiritum sanctum à Patre, & Filio tertium connumeratum; quia tradens ordinem salutiferi baptismatis dixit, Euntes baptizate eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Præterea Tertullianus contra Praxeam cap. 8. fin. *Omne, quod procedit ex aliquo, secundum sit eius necesse est; de quo procedit. Tertius est Spiritus à Deo, & Filio.* Et c. 9. circa finem ait ostendi, *Tertium gradum in Paracleto, & secundum in Filio.* Hilarius lib. 12. de Trinit. duabus col. ante fin. *Et quidem confessione communi, secunda quidem ab Authore natiuitas est, quia ex Deo est, non tamen separabilis ab Authore.* Et post vnam col. Deum Patrem alloquens ait de Filio, *Dum ex te est, secundus à te est.* Epiphanius hæresi 62. aliquantò ante med. *Spiritus sanctus tertius nomenclatura, æqualis Deitate.* Nyssenus lib. *Quòd non tres Dij*, propè fin. Filius Dei ex Patre, inquit, *sine medio ex primo est.* Et de Filio subdit, *Qui ineditus intercedit*, indicans, Spiritum sanctum esse tertium, & vltimum. Similiter Damascenus epistola de Trisagio circa med. Dei Filium, ait esse *medium & Patris, & Spiritus.* Quibus Sanctorum dictis satis manifestum est ordinem inter diuinas personas tuto, ac propriè, ac simpliciter vsurpari posse.

4. *Esse ordinem originis ex Augustino.*

Secunda conclusio. Prædictus ordo non est alius, nisi ordo originis. Ita omnes authore Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 14. multò post med. vbi loquens de missione, qua Pater mittit Filium, non Filius Patrem, ait, *Hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quòd alter prior esset altero, sed quòd alter esset ex altero.* Quibus vltimis verbis realiter explicatur tantum ordo originis; & ita vocatur ab omnibus Scholasticis. Vocatur autem ab Augustino, *Ordo naturæ, non quod ipsa natura ordinetur, sed quòd ordo in diuinis personis attenditur secundum naturalem originem*; vt exponitur ad 3. vel etiam, quod ferè idem est, quia ipsamet diuina natura ob suam perfectissimam fœcunditatem, & communicabilitatem, ordinem originis postulat, quo scilicet in vna persona sit absque vlla processione, in alia per processionem intellectus à persona ingenita, & in alia per processionem voluntatis à duabus personis, altera ingenita, altera genita; & ideò, vt additur ad 4. *Ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quàm ordo essentiæ, quia natura quodammodo importat rationem principij*, vt patet ex eius definitione 2. phys. t. 3. *Non autem essentia.* Ratio corporis est, quia ordo semper dicitur per comparitionem ad aliquod principium. Nullum autem aliud principium inter personas, quarum quælibet est essentialiter Deus, esse, aut cogitari rectè potest, nisi purissimæ originis. Quapropter non hunc perfectissimum ordinem, sed alios imperfectos ordines, vel durationis, vel loci, vel maioris dignitatis, & perfectionis, qui omnes sunt cum diuersitate naturæ, negare censendi sunt aliqui Patres, qui aliquando in diuinis ordinem negarunt: vt Eusebius Cæsariensis apud Bonauenturam 1. d. 20. art. 2. q. 1. in argumento *Sed contra* dicens, *In diuinis est numerus, sed non ordo.* Et Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto c. 18. paulò ante med. ponderans Christum Ioan. 10. vt iugularet Arianos, quos futuros præsciebat, dixisse, *Ego, & Pater vnum sumus; non, Pater, & ego. Quod vtique non contumaciæ, sed pietatis, & præscientiæ fuit; ne nos errorem in ordine putaremus. Nescit enim vnitas ordinem.* scilicet quem ponebant Ariani inæqualium naturarum, de quibus dici non potest, *Vnum sumus.* & Gen. 24. Chrysostomus orat. de illo Abrahami, *Pone manum subter femur meum.* inter principium, & medium, dum se excusat, quòd primo loco mētionem faceret Spiritus sancti, deinde Filij, postea Patris, eumdem diuersarum naturarum ordinem excludit, dicens, *Non enim ordinem diuinæ personæ habent, nec velut confusæ sunt, sed omnem ordinem longè excedunt.* Et August. l. 19. de ciuit. c. 13. paulò post principium, ita definiens. *Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio.* Loquitur enim de ordine, quem habere debent creaturæ; vt viuant in pace, vt constat ex materia totius illius capitis.

Cur ordo originis vocetur ordo naturæ, non essentiæ.

Exponuntur aliqui Patres negantes ordinem in diuinis.

DVBITATIO VNIC.

An in diuinis præter ordinem, sit etiam prioritas.

SVMMA.

1. *Non dari prius & posterius, absolutè loquendo, n. 5. & 6.*
2. *Non dari prius & posterius natura, n. 7.*
3. *Prius est posterius origine non dari in vno sensu, n. 8.*
4. *Dari verò in alio sensu, n. 8. ad finem articuli.*

Prima

5. *Conclusio simpliciter negatiua ex S. Th.*

PRima conclusio simpliciter, & absolutè loquendo absque vllo addito diminuente dici rectè non potest vna persona prior alia. Ita in med. Corp. *In diuinis dicitur principium secundum originem absque prioritate.* & ad 2. *In diuinis, neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum vna persona potest esse prior alia; neque etiam secundum naturam, & intellectum.* Et confirmatur verbis Augustini supra clarissimè dicentis, *Non quòd alter prior esset altero.* Vnde Thomas 1. d. 9. quæst. 2. art. 1. initio Corp. ait, *Pater nullo modo est prior Filio, neque duratione, neque natura, neque intellectu, neque dignitate.* Et opusc. 1. cap. 2. paulo post principium, *Nullus modus prioritatis est, secundum quem Pater prior Filio dici possit. Vnde colligit, quòd propriè loquendo, Filius non possit dici esse secundus à Patre, nec Spiritus sanctus tertius ab eodem.* & Patres supra num. 2. & 3. contrarium dicentes exponit, quòd loquantur *secundum ordinem in numerando.* hoc est, non denominant primum, & secundum, & tertium, propter prioritatem, sed propter ordinem in ratione principij originis. Quo manifestum est, Sanctum Thomam admittere quidem in diuinis ordinem originis, & naturæ, & principium secundum originem; non autem prioritatem aut naturæ, aut etiam originis: tametsi aliqui recentiores absque vllo solido fundamento contrarium scribant. Præstat igitur cum Durando 1. d. 20. quæst. 2. num. 5. ita acutè distinguere; *in diuinis est prima persona, secunda, & tertia; licèt ibi non sit prior persona & posterior. Primum enim, secundum, & tertium, dicunt solum ordinem; sed prius, & posterius excessum, & defectum.*

Durandus.

6. Probatur conclusio, primò ratione allata n. 1. de diuersis significationibus, quas propriè habent ista nomina, *Prioritas, ordo.* Secundo præcipuè authoritate. Nam in Symbolo Athanasij absolutè dicitur, *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus.* Sed non dicimus Patrem maiorem Filio, Filium minorem Patre. ergo nec Patrem priorem Filio, nec Filium posteriorem Patre. & in Concilio Nicæno l. 2. §. *Siquidem, si.* Sancti Patres de Trinitate loquentes ita respondent, *Nihil in ea prius aliquando, sed semper, & eodem modo existentem, indiuiduam, & consubstantialem Trinitatem.* Item Nazianzenus oratione 5. de Theologia aliquanto ante med. loquens de tribus personis, ait, *Non enim aliud alio, aut magis, aut minus Deus; neque aliud prius, aliud verò posterius.* Ambrosius l. 4. de Fide cap. 6. paulo post med. exponens illud Roman. 11. *Quis prior dedit illi?* Per hoc, inquit, *non accepisse per naturam à Patre Filium denegauit; sed priorem non posse dici inter Patrem & Filium declarauit: quia etsi Pater dedit Filio, non tamen quasi posteriori dedit; quia increata, & inæstimabilis Trinitas, qua vnius est æternitatis, & gloriæ, nec tempus, nec gradum, vel posterioris recepit, vel prioris.* Isidorus Pelusiota l. 2. epistola 149. med. loquens de Trinitate, ait, *qua nec prius, nec post; nec primum, & secundum, & tertium admittit.*

Athanasius. Nyc. Nazianzen. Ambrosius. Isidorus Pelusiota.

7. *Non esse prioritatem naturæ.*

Secunda conclusio, nulla diuina persona dicenda est prior natura respectu alterius personæ diuinæ. Ita Sanctus Thomas verbis citatis n. 5. & reliqui omnes, vno excepto Henrico 2. parte summæ art. 54. quæst. 5. qui videtur dicere oppositum; sed more suo, non clarè loquitur. Fundamentum Sancti Thomæ in citato opuscul. 1. est, quia vna, & eadem omnino est natura Patris, & Filij, & Spiritus sancti. ergo nullus ex his dici potest prior natura aliis; quia significaretur, aliam naturam esse in priori, & aliam in posteriori; alioquin euidens est, aliquem non posse dici priorem alio in ea re, in qua sunt vnum simplicissimum sine vlla distinctione. Addi potest Patrum authoritas. Basilius supra num. 2. & conclusionem, & fundamentum apertè tangit his verbis, *Filius natura nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas. Ita & Spiritus sanctus.* Significat Epiphanius num. 3. à quo Spiritus sanctus ita dicitur in Trinitate *tertius*, vt ad significandum hanc tertij posterioritatem non esse in natura, statim quasi limitando subiungit, *Æqualis Deitate*: quod idem est ac non prior, sed simul natura, significat etiam Augustinus num. 4. Cum enim præmisisset, quòd missio vnius personæ ab alia, *non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ*; ne quis suspicaretur, etiam secundum istum naturæ ordinem, & non tantum secundum ordinem originis, esse prioritatem in diuinis, ita statim se explicat; *non quòd alter prior esset altero, sed, quod alter esset ex altero.* Significant denique Eusebius, Ambrosius, & Chrysostomus ibidem negantes in diuinis ordinem, scilicet quo vnus alio prior sit secundum naturam: nam id dixerunt contra Arianos, qui hunc ordinem prioritatis naturæ potissimum intendebant. Neque contradicit Riccardus Victorinus l. 5. de Trinitate cap. 7. med. dicens, *Nihil ibi prius tempore, nil tempore posterius. Sed quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, & eo ipso naturaliter.* Vbi ipsamet explicat, per *prius naturaliter*, nil aliud intelligi, *nisi prius causaliter*, hoc est, origine, & principiandi ratione: quam prioritatem probabo in quarta conclusione. Idem habet Riccardus, sed clarius explicat de sola prioritate originis l. 6. cap. 7. initio, *Prius, & posterius, hoc loco intelligi volumus, non temporum successione, sed ordine naturæ*, hoc est, ordine naturalis originis. De hac enim expresè ita deinde concludit. *Quantum ergo ad naturæ ordinem principalior est processio illa cui inest principalior procedendi causa, scimus etiam, quòd secundum ordinem processionis erit*, &c.

Basilius. Epiphanius. Augustinus. Riccardus Victorinus.

8. *In vno sensu non dici personam prioriè origine.*

Tertia conclusio, si personæ diuinæ considerentur adæquatè, & explicitè, secundum omnia, quæ in re ipsa sunt, & vt loquitur Caietanus paulo post medium Commentarij, *secundum rem purè*, vna persona, ne origine quidem prior alia dici potest. In hoc sensu, cum Caietano accipio Sanctum Thomam, tum in corpore post medium ita concludentem, *Vnde oportet ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate*; nimirum secundum originem, de qua immediatè ante loquebatur: tum ad 2. vbi discurrens per particulares prioritatis species nullam in diuinis agnoscit: tum in aliis locis citatis num. 5. vbi vniuersalissimè omnem prioritatem excludit, dicens, *Nullo modo prior. Nullus modus prioritatis.* Cui vniuersali modo loquendi æquiualere viderur modus loquendi Patrum supra num. 6. negantium in diuinis prius, & posterius indefinitè. Accipio etiam Bonauenturam 1. d. 20. art. 2. quæst. 2. Durandum d. nona, quæst. 2. & d. 20. quæst. 2. ad primum: & alios, negantes in diuinis omnem prioritatem, & posterioritatem; & concedentes solum ordinem naturæ, & originis. Ratio Sancti Thomæ ad 2. quam fusius proponit 1. d. 9. quæst. 2. art. 1. Corporis, & opuscul. 1. cap. 2. est, quia in personis diuinis, *non possumus nisi duo considerare, vel id, quod absolutum est*: & respectu huius, quia vnum, & idem omnino est in omnibus, non potest vna persona esse prior alia, *vel id quod est ad aliquid*; & nec respectu huius vllam

habere possunt prioritatem, & posterioritatem: quia ex Philosopho, vt pluribus exposui q. 28. art. 1. à num. 3. ad 7. Relatiua simul sunt, & duratione, & natura, & cognitione, & ideo, vt acute subdit S. Thomas in sent. *quamuis in hominibus, ille, qui est pater, sit prior eo, qui est filius, vt fortes Platone; nihilominus tamen ista duo relatiua, in quantum relatiua sunt, Pater, & Filius, simul sunt omnibus modis.* Quæ distinctio applicari non potest diuinis personis; quia ibi, remotis relationibus, non possunt remanere plures distinctæ personæ. Cum igitur personæ in diuinis; sint constitutæ, ac distinctæ per relationes, & vt relatiuæ; si adæquatè considerentur, vt relatiuæ secundum esse *Ad*, qua formali ratione vna non est ab alia, sed solum est ad aliam, vna dici non potest prior alia secundum originem.

9. *Dici verò in alio sensu.*

Quarta conclusio, si personæ diuinæ considerentur inadæquatè, & vt loquitur Caietanus supra, *sub aliquo partiali conceptu, seu modo concipiendi*, nempè vt incommunicabiliter subsistentes per relationes, non explicitè, vt relationes, sed tantum, vt formas hypostaticas dici rectè possunt, & verè sunt priores, & posteriores inter se sola prioritate, & posterioritate purissimæ, ac perfectissimæ originis in eadem numero natura. In hoc alio sensu accipio quamplurimos Scholasticos, & veteres, & modernos admittentes in diuinis prioritatem, & posterioritatem originis. Et quamuis S. Thomas hoc nunquam satis expressisse videatur, propter quod aliqui interpretes hic, ne prioritatem quidem originis volunt admittere, vt Torres, Bagnes, Molina, Nazarius, Becanus cap. 8. quæs. 3. tamen nec vnquam expresè negauit; imò, vt probat Caietanus supra, non obscurè concessisse videtur supra quæst. 40. art. 4. circa fin. Corp. vbi de paternitate dicitur, *potest considerari dupliciter. Vno modo, vt est relatio; & sic secundum intellectum præsupponit actum notionalem. Alio modo secundum quod est constitutiua personæ; & sic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni*; quæ sine dubio est prioritas originis. Si igitur Pater, & Filius sumantur non vt formaliter correlatiui sunt, qui est adæquatus, ac totalis eorum conceptus; sed vt sunt duæ personæ per se incommunicabiliter subsistentes, quarum hæc est ab illa, non contra, qui est inadæquatus, ac veluti partialis eorum conceptus, tunc ordine originis, Pater est prior Filio, Filius posterior Patre: similiter si Pater & Filius sumantur non vt formaliter respicientes Spiritum sanctum per relationem spirationis actiuæ, sed vt perfectè constituti, ac distincti in esse personali per paternitatem, & filiationem, præscindendo ab actuali origine, & relatione spirationis, dici possunt priores origine Spiritu sancto, & Spiritus sanctus posterior illis origine.

S. Thomas.

10. *Prima conclusionis probatio.*

Probatur conclusio primò, quia ordo originis, quem supra num. 2. ad 4. ex Scriptura, & Patribus probatum omnes recipimus, vt primo loco nominetur Pater, secundò Filius, tertiò Spiritus sanctus, ac proinde, vt prima Trinitatis persona dicatur esse Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus, habere vtique debet aliquod reale fundamentum in ipsa Trinitate, quod aliud assignari non potest, nisi huiusmodi prioritas originis, secundum quam principium originis Filij est Pater, non Filius Patris: & principium originis Spiritus sancti sunt Pater & Filius, non Spiritus sanctus principium Patris & Filij. Neque enim sufficienter dicitur cum Sancto Thoma opuscul. 1. cap. 2. med. quòd cum Sancti, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vocant primum, secundum, & tertium, nil aliud intendunt, *nisi ordinem in numerando.* Enimuerò cum talis ordo non sit conflictus, aut introductus ad liberum numerantis beneplacitum fundari debet in aliqua prioritate, & posterioritate, quæ in re ipsa sit, propter quam solam vna persona semper dici potest, & debet prima, alia secunda, alia tertia, qui ordo prioritatis, & posterioritatis in diuinis non potest esse nisi solius originis.

11. *Secunda probatio ex Patribus.*

Probatur secundò, quia multi Patres eamdem prioritatem magis directè, atque expresè admittunt, quidquid in contrarium scripserit Caietanus hic §. *circa hanc*, dicens, quòd *Sancti Doctores his vocabulis vsi non sunt*: & propter eorum reuerentiam moneat tenendam sententiam, sed linguam cohibendam. Nam præter Riccardum Victorinum supra num. 6. qui omnium clarissimè loquitur, Origenes homil. 2. in diuersos inter principium & medium, ait, *Præcedit Pater Verbum, non natura, sed causa. Pater præcedit Filium causaliter.* Negat prioritatem naturæ iuxta secundam conclusionem. Affirmat prioritatem originis, quam Græcorum more causalitatem vocat. Ephræm Syrus tomo 3. in longiori opusculo de sui ipsius reprehensione, propius ad medium, quàm ad principium; *Quod porrò post Filium, Spiritum sanctum dicimus; id non temporis, sed personæ est significatiuum*: personæ scilicet, vt procedentis à Filio; de qua processione egerat in præcedentibus. Intelligit igitur Spiritum sanctum esse post Filium posterioritate processionis, & originis; & consequenter, Filium esse ante Spiritum sanctum anterioritate originis. Eademque ratione Patrem esse antè Filium, & Filium post Patrem. Similiter Nazianzenus oratione de Dogmate, & constitutione Episcoporum, aliquanto ante finem, loquens de Filio Dei respectu Patris, ait, *Qui ex ipso est, non post ipsum, aut saltem sola principij cogitatione:* scilicet non fingente principij rationem, quæ in ipso Patre formaliter est, sed distinguente rationem principij, in qua Pater & Filius distinguuntur, à ratione naturæ, in qua nullam habent distinctionem. Concedit igitur, Filium esse post Patrem in sola ratione formali principij generatiui, quæ posterioritas est originis. Clarius Basilius l. 1. contra Eunomium multo post medium, reprehendit Eunomium, quòd neget in diuinis *naturalis ordinis genus, non nostra constitutum positione, sed ipsius naturæ vi consequens, vt ignis ad lucem, quæ ab ipso est. Nam in ijs priorem esse causam dicimus, posterius verò, quod ab ipsa est.* Quam vniuersalem doctrinam mox applicat diuinis personis, *in quibus*, inquit, *est prius, & posterius, non positione nostra, sed naturali quadam rerum consequutione*; quam nos originem vocamus, & paulo post subdit, *Nos autem secundum habitudinem causarum ad ea, quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio præponi dicimus; naturæ verò diuersitate nequaquam, neque temporis excessu.* Chrysostomus etiam prioritatem originis expressit post homilias octoginta septem in Ioannem, homil. 1. de Fide in Christo, aliquanto post principium illis verbis, *Priusquam nasceretur vnigenitus, in suo genitore generandus manebat.* Clarissimè Augustinus, seu quiuis alius grauis Author illius libri fuerit, qui habetur tom. 9. operum Augustini de triplici habitaculo cap. 6. ante med. *Tunc iustis manifestum erit, quomodo Pater non præcessit Filium tempore, sed origine; nec Spiritum sanctum.* Multum denique fauent Patres supra art. 1. num. 13.

num. 13. dicentes, Patrem Filio maiorem origine. Neque contradicere censendi sunt Patres citati num. 6. negantes simpliciter in diuinis prius, ac posterius; & primum, secundum, & tertium; multa enim nomina per aliquod additum diminuens, ita restringuntur, & quodammodo mitigantur, vt iam dici possint de aliquo, de quo simpliciter prolata non dicuntur. Sic imago Cæsaris, non dicitur simpliciter Cæsar, aut homo, sed Cæsar pictus, aut homo pictus. Sic etiam peccatum veniale, vt docet S. Thomas de malo quæst. 7. art. 2. ad 10. *propriè loquendo, non habet rationem offensæ*; quia vt idem ratiocinatur 3. p. q. 86. art. 2. circa principium corp. *offensa directè opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum à gratia sua*; peccatum autem veniale non tollit gratiam: & tamen, quòd offensa simpliciter dici non potest, per additum diminutionis dicitur communiter offensa leuis. ergo pariter, etsi in diuinis dici nequeat absolutè, Pater prior Filio, Filius posterior Patre, id dici poterit si diminuendo addas, prior & posterior origine.

Peccatum veniale ex S. Thoma non dicitur absolutè offensa.

12. Probatur tertiò ratione, quia non obstante omnimoda identitate naturæ, ob quam Pater dici non potest Filio prior secundum naturam, est inter Patrem, & Filium realis distinctio in ratione originis, ita vt Filius sit persona realiter originata à Patre tanquam ab eius vero, ac reali principio, non sit autem Pater persona originata neque à Filio, neque à quouis alio. ergo sicut propter diuersitatem naturæ productæ in Creaturis, causa producens dicitur natura prior effectu producto; ita in diuinis, propter diuersitatem personæ originatæ, absque vllo inconueniente persona originans dicetur origine prior persona originata. Confirmatur, quia quod est verè principium alicuius in aliqua ratione, habere debet aliquam primitatem, seu prioritatem, & antecedentiam quamdam respectu sui principiati, in ea scilicet ratione, in qua est principium, in quantum, hoc est, ab illo aliqua ratione, non illud ab hoc; nam ab hac primitate, & prioritate, ipsum principij nomen deriuatum esse videtur. Sed Pater in diuinis est verè, ac propriè principium Filij in ratione personalis originis. ergo Pater erit verè, ac propriè prior Filio in hac pura ratione originis personalis. Quæ originis prioritas nil aliud in re est, & significat, nisi Filium originari à Patre, non Patrem à Filio: seu Patrem esse principium originis Filij, non Filium Patris.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Filius sit æqualis Patri secundùm magnitudinem.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd Filius non sit æqualis, &c.

ONCLVSIO affirmatiua Fidei abundè probata est supra art. 1. & ratio S. Thomæ id theologicè demonstrat. Nam, vt sumit initio Corp. magnitudo Dei non est aliud, quàm perfectio naturæ ipsius. Sed in hac diuinæ naturæ perfectione, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non solum sunt æquales, sed etiam planè vnum, & idem, vt docet Fides huius mysterij. ergo secundum magnitudinem sunt perfectissimè æquales. Quidquid autem ad maiorem huius discursus declarationem addendum esset, habetur loco citato. Præterea illud Ioan. 14. *Pater maior me est*, & illud 1. Cor. 15. *Ipse Filius subiectus erit illi, qui subiecit omnia*, quæ contra hanc æqualitatem obiici untur in primo argumento, exposita sunt q. 27. art. 1 à n. 47. ad 53. multa etiam pro eadem veritate habentur q. 28. art. 2. dub. 5. præsertim à num. 132. ad 149.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filius sit in Patre, & è conuerso.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd Filius non sit in Patre, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua Fidei probatur ex Scriptura, num. 1.*
2. *Extenditur ad Spiritum sanctum, num. 1. ad 4.*
3. *Quomodo vocetur hæc mutua inexistentia, num. 4.*
4. *Qua ratione dicatur vna persona esse in alia, num. 5. ad 13.*
5. *An circuminsessio probetur alijs rationibus, n. 13. ad finem Articuli.*

ONCLVSIO simpliciter affirmatiua, est omnium Patrum, & Scholasticorum, & sine dubio de fide apertissimè expressa illis verbis Ioan. 10. *Operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et cap. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Quod Christus paulo post iterum inculcat, additque, *Pater in me manens, ipse facit opera.* Et cap. 17. *Rogo, vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te.* Quibus in locis, quamuis nihil explicitè dicatur de Spiritu sancto, tamen implicitè contineri etiam, Patrem & Filium esse in Spiritu sancto, & Spiritum sanctum esse in Patre & Filio, omnes Fideles credunt propter eamdem omnino rationem; quia sicut hæc mutua inexistentia Patris in Filio, & Filij in Patre, oritur ex triplici capite, vt docet hic S. Thomas, ex essentia, quæ est eadem in vtroque, & ab vtroque indistincta; ex mutua relatione, quarum altera est de intellectu alterius; ex origine, quæ est per actionem intelligentis manentem in ipso intelligente: ita quia in Spiritu sancto est eadem indistincta essentia, & Spiritus sanctus refertur ad Patrem & Filium, vicissimque Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum; & origo Spiritus sancti est etiam per actionem amantis manentem in amante, dici pariter debent Pater & Filius esse in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in Patre & Filio.

1. *Conclusio affirmatiua Fidei probatur ex Scriptura.*

Extenditur ad Spiritum sanctum.

Confirmari potest ex 1. Corinth. 2. vbi & Pauli probatio, & ipse contextus manifestè indicant, Spiritum sanctum esse in Deo, à quo procedit, nempè in Patre & Filio. Intendit igitur probare Paulus, *quòd Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; & ideo subdit, *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita, & quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei*, subintelligendum ex connexione cum præcedenti membro comparationis, *qui in ipso est*; alioqui non probaretur intentum, vt patet. Quapropter hunc locum cum prædicto supplemento, virtualiter contento in verbis Pauli, ita legit Athanasius in prima epistola ad Serapionem Episcopum aliquanto post principium: *nemo nouit quæ sunt hominum, nisi Spiritus hominis, qui est in ipso. Sic & quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei, qui est in ipso.* & epistola 2.

2. *Exponitur locus 1. Cor. 2.*

Athanasius.

circa

circa medium, de Spiritu sancto docet Athanasius, *Quòd si Spiritus est Dei, & in ipso esse dicitur in Scripturis.* Idque statim ex hoc loco ita cõfirmat, *Nam ea quæ sunt Dei, nullus nouit, nisi Spiritus Dei, qui est in ipso.* Et addit aliam optimam probationem, suprà tactam ex alio simili loco de Patre & Filio subiungens, *Et ipse insuper Filius dixit, ego in Patre, & Pater in me.* Subintelligendum, ergo pariter Pater & Filius sunt in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus est in Patre & Filio. Quod magis declarat de vnita Deitate Trinitatis l. 5. non longè à fine dicens, *Cum inenarrabilis sit hæc plenitudo substantiæ indiuisa Trinitatis, sicut ipse Deus, Dei Filius indicat, Ego in Patre, & Pater in me. Sed & Spiritus sanctus in Patre, & in Filio inuicem, & in se consistens est; sicut scriptum est, Quis enim scit hominum*, &c. vt supra.

3. Thaumaturgus. Eandem Fidei veritatem de Patre & Filio, ad Spiritum sanctum extendunt alij Patres. Gregorius Thaumaturgus in breui Fidei confessione, quam ex Ioanne Euangelista, præsente, & hortante Beatissima Virgine didicit, vt in eius vita refert Gregorius Nyssenus, ait. *Neque verè deest vnquam Filius in Patre, neque in Filio Spiritus, sed immutabilis, & inalterabilis eadem semper Trinitas est.* Martinus Archiepiscopus Turonensis in alia sua breui etiam Fidei professione, quæ extat tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, ita de Spiritu sancto credit, *Spiritus vnus in duobus, & vterque in idipsum. Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu sancto.* Eademque verba repetit in fine professionis. Nazianzenus quoque in breuissimo tractatu de Fide Nicæna, *Spiritum sanctum*, inquit, *Deum Patris & Filij, semper in Patre & Filio, coæternum veneramur.* Cyrillus l. 13. Thesauri cap. 1. aliquanto ante medium, de Spiritu sancto docet, *esse ita vnum cum Verbo, vt quamuis in propria hypostasi sit; in ipso tamen verbo sit, & verbum in ipso.* Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 1. paulo ante medium. *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu sancto est, totus Filius in Patre & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est.* Damascenus l. 1. Fidei cap. 19. ante medium, *Filius in Patre & Spiritu, & Spiritus in Patre & Filio, & Pater in Filio & Spiritu.* Item Anselmus in Monologio cap. 57. ante medium. *Est totus Pater in Filio & communi Spiritu, & Filius in Patre & eodem Spiritu, & idem Spiritus in Patre & Filio.* Idemque in aliis Patribus frequenter legitur.

Thaumaturgus. Martinus Turonensis. Nazianzen. Cyrillus. Fulgentius. Damascen. Anselm.

4. *De nomine circumsessionis.* Hanc inexistentiam cuiusliber personæ in reliquis duabus Damascenus supra vocat Immanentiam, stabilitatem, circuitionem, Inhabitationem, his verbis. *Immanentia, & stabilitas hypostaseon inuicem est: nam ipsa inseparatæ, & inabscedentes sunt ab inuicem, inconfusam habentes inuicem circuitionem, non quòd commisceantur, aut confundantur, sed quòd inuicem inhabitentur.* Verum Scholastici tam recentiores, quàm veteres, frequentius vocant circumsessionem. Quam denominationem sumpsisse videntur ex illis verbis Magni Dionysij de diuinis nominibus cap. 2. inter principium, & medium. *Primarum, principaliumque personarum si ita dicendum est, aliarum in alijs omnino coniuncta, & nulla cum parte confusa mansio, & sedes.* Hinc sessio; & quia est sessio intrinseca, & singularum in omnibus, ac proinde quædam veluti circularis sessio vnius intra aliam appellata fuit circumsessio. Quamquam aliis videatur dicenda potius *Circumincessio* per c, vt Græcè sit περιχώρησις, hoc est, *Perambulatio:* quod vna in alteram personam inuicem quasi permeet, penetret, ac peruadat.

DVBITATIO I.

Qua ratione dicatur vna persona esse in alia.

SVMMA.

1. *Vnam personam cum sua etiam personalitate esse in alia persona, num. 5. ad 8.*
2. *Vnam personam esse etiam in personalitate alterius personæ, num. 8. & 9.*
3. *Personalitates formaliter mutuo inexistere, non vt inuicem distinctas, sed vt identificatas essentiæ, num. 10. ad 13.*

5. *Dubitationis ratio.* RAtionem dubitandi præbet realis inter diuinas personas distinctio, imo etiam oppositio, cum in se ipsis constituantur, & inter se ipsas distinguantur per relationes oppositas, vt in superioribus ostensum est. Quo modo autem de pluribus inter se realiter distinctis, atque oppositis, dici verè, ac propriè possit, alterum intrinsecè esse, & manere in altero, non apparet.

6. *Quam personam, etiam secundù personalitatem esse in alio.* Prima conclusio. Vna persona in alia esse dicitur, non solum secundum essentiam, secundum quam identificatur in re cum alia, sed etiam secundum personalitatem, secundum quam ab alia realiter distinguitur. Ita omnes, & videtur apertè contineri in verbis citatis Scripturæ dicentis, Pater est in Filio, Filius est in Patre. Aliud enim manifestè est dicere, Deus, seu, Diuina essentia, est in Filio; &, Pater est in Filio. Et si cum dicitur, Pater est in Filio, sensus esset, Deus est in Filio, significaretur idem esse in se ipso, cum Deus, & Filius idem sint; qui sensus & est ex se valdè improprius, quia idem à se ipso non distinguitur, vbi autem nulla est distinctio, impropriissimè dicitur, Hoc est in illo; & non esset diuinissimæ Trinitatis proprius, sed competeret etiam cuilibet enti creato, quia quodlibet ens est in se ipso. Hos duos sensus acutè distinxit, & præsentem conclusionem expressè docuit Augustinus 6. de Trinitate cap. 10. fin. vbi, vt diuinarum personarum æqualitatem ostenderet, ac probaret, ait, *singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.* Considerando naturam diuinam, noluit dicere, secundum illam vnum esse in alio, siue in omnibus, sed esse *vnum omnia.* Considerando autem integrè personas diuinas secundum omnia, quæ in se ipsis adæquatè sunt, siue prout realiter inter se distinctas, ac proinde considerando maximè personalitates, quibus inter se distinguuntur, alio proprio loquendi modo dixit, *singula esse in singulis, in omnibus*, &c.

Augustinus.

7. Hilarius. Eodem modo loquuntur, ac sentiunt reliqui omnes Patres. Fauent potissimum Hilarius l. 3. de Trinitate col. 2. paulo post principium, de Patre, & Filio dicens, *Non duo vnus, sed alius in alio, quia non aliud in vtroque Pater in Filio, quia ex eo Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius. Vnigenitus in Ingenito, quia ab Ingenito Vnigenitus.* Nimirum in vna, eademque natura consubstantialis. Si ideo Pater est in Filio, quia Filius procedit consubstantialis Patri: ergo Pater secundum totum esse suum, & absolutum, & relatiuum est in Filio; quia secundum hoc totum esse, Pater est principium Filij. & l. 6. multo ante medium, ita Deum Patrem alloquitur, *Cognoui in te Deo Deum non ex permixtione confusum, sed ex virtute naturæ; dum quòd tu Deus es, in eo, qui ex te est, inesses. Non vt idem tu esses, & inesses, sed inesse te in eo, qui ex te esset, perfectæ natiuitatis veritas edoceret.* Explicat se dixisse, Deum Patrem esse in Deo Filio, non in quantum idem Deus sunt Pater, & Filius: sed in quantum sunt duæ distinctæ personæ, quarum vna ab alia perfectè procedit, scilicet in eadem natura perfectissima. Similiter Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 8. fin. *Pater in Filio est, & Filius in Patre; non tamen, vt idem numero. Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est.* Ergo cum dicitur, Pater esse in Filio, debet intelligi de Patre, non præcisè secundum naturam, in qua ipse, & Filius sunt vnum, & idem, sed etiam secundum suam paternitatis proprietatem, in qua à Filio distinguitur; & lib. 3. cap. 1. paulò post principium, *Filius in Patre, & Pater in Filio est, sicut Character, sicut Imago, sicut splendor, atque similitudo Patris.* Quibus comparationibus tanguntur personales proprietates Patris, & Filij. Igitur secundum has etiam dicitur Pater in Filio, Filius in Patre. Quas expressè significauit Damascenus lib. 1. Fidei cap. 10. fin. illis verbis, *Tres hypostases in se inuicem astruimus, vt non multitudinem, & quamdam Deorum turbam inducamus. Per tres quidem hypostases incompositum, & inconfusum. Per consubstantialem verò immanentiam in se inuicem hypostaseon, & identitatis, & voluntatis, & operationis, & virtutis, & potestatis inseparabilitatem, & vnum esse Deum deprehendimus.* Idem quoque significant Fulgentius, & Anselmus supra num. 3. dicentes, *Totus Pater in Filio*, &c. Et Ecclesia, dum ex Ambrosio canit in Hymno Feriæ secundæ ad Laudes, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Cyrillus. Damascen. Ambrosius.

8. *Vnam personam esse in alia, etiam secundù personalitatem.* Secunda conclusio, sicut quælibet persona tota, & secundum essentiam, & secundum relationem, est in alia; ita pariter est in alia tota, & secundum essentiam, & secundum relationem. Hoc expressè docere censendi sunt Patres, qui non solum dicunt, totas personas esse in aliis simpliciter, sed etiam in aliis totis. Dionysius de diuinis nominibus cap. 2. multò ante med. admittit, *Diuina, cœlestiáque lumina, tota in totis.* Nyssenus libro de fide paulò post med. illis verbis Ioann. 1. *Verbum erat apud Deum*, docet significari, *quòd cum toto Deo, totum simul consideratur Verbum.* Et lib. de differentia essentiæ, & hypostasis fin. *Omnia, quæ Patris sunt, in Filio conspiciuntur; & omnia, quæ Filij sunt, Patris sunt: quoniam totus quoque Filius in Patre manet, ac totum rursus in se se Patrem habet.* Quæ verba habet etiam Basilius epistol. 43. fin. ad Gregorium Nyssenum fratrem, de eadem materia. Fulgentius lib. 3. ad Monimum non longè à fine, *Sicut de tota mente nascitur Verbum, sic intra totam permanet natum. Verbum de tota mente, & in tota est.* Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 1. col. 4. *Perspicuum est, totum Patrem esse in toto Filio, & totum Filium in toto Patre.* Præterea Athanasius oratione 4. contra Arianos col. 2. fin. illud Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me*, ita exponit, *Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere conceditur eo quòd quidquid est Filius, id vniuersim sit proprium substantiæ Patris.* Et Augustinus supra n. 6. non solum dicit, *Omnia in singulis*, sed contra etiam, *Singula in omnibus*, & vniuersaliter, *Omnia in omnibus.* Quod est, v.g. non solum totum Patrem esse in Filio, sed etiam Filium esse in toto Patre; & totum Patrem esse in toto Filio, & è conuerso.

Dionysius. Nyssenus. Basilius. Fulgentius. Cyrillus. Athanasius. Augustinus.

9. *Exponitur locus Ioan. 14.* Hæc etiam conclusio fundatur in verbis Scripturæ supra num. 1. Dixit enim Filius Dei se esse in Patre, & non in essentia diuina; sic enim dixisset, se esse in se ipso, vt supra num. 6. argumentamur in simillimo casu. ergo est intelligendus de esse in toto Patre; hoc est, non solum in essentia, sed etiam in ipsa proprietate Patris: alioquin insufficienter probaret ex his verbis, quòd, *qui videt me, videt & Patrem meum*: si enim in Filio præter essentiam Patris, non esset etiam ipsamet paternitas; & è contra, in Patre præter essentiam Filij, non esset etiam ipsamet filiatio; visio Patris nullatenus probaretur ex visione Filij, nec visio Filij ex visione Patris. Vlterius, vt pluribus ostendi supra quæst. 28. art. 2. à num. 135. ad 149. æqualitas perfectionis in omnibus personis non posset saluari, si perfectiones relatiuæ, quas ibi esse probauimus in ipsis etiam personalitatibus, abstractè consideratis non essent omnes in singulis personis. Demum posita omnimoda identificatione essentiæ cum omnibus personalitatibus, & relationibus, est à priori planè impossibile, in vna persona esse diuinam essentiam, & non esse reliquas omnes personalitates, & consequenter personas. ergo quælibet persona tota, & quoad essentiam, & quoad relationes, est in quælibet persona tota, & quoad essentiam, & quoad relationes. Et ideò Athanasius oratione contra Sabellij Gregales, aliquantò ante medium scribere potuit etiam in abstracto, *Perfecta paternitas in Filio subsistit.*

Athanasius.

10. *Pater, vt Pater, est in Filio, vt Filius, tamen ratione essentiæ.* Tertia conclusio. Cum dicitur vna persona esse in alia debet intelligi formaliter, & reduplicatiuè; ita vt non solum is, qui est, verbi gratia, Pater, sit in eo, qui est Filius, sed etiam ipsa formalis paternitas sit in ipsa formali filiatione; & consequenter pater vt pater, sit in Filio, vt Filio reduplicatiuè. Quo sensu dictum Christi Domini de inexistentia vnius personæ in alia, verificatur primò, & per se de ipsis personalitatibus, seu personis in quantum personis; non autem primò, & per se de essentia, secundariò, & quasi per accidens de personalitatibus. Quoniam verò quælibet diuina personalitas considerari potest sub duabus rationibus, quas in se ipsa formaliter habet, nempe primò, vt realiter identificata essentiæ, secundò, vt realiter distincta ab alia personalitate, intelligendum est, vnam personalitatem esse primò, & per se, in alia personalitate sumpta primo modo, non autem secundo; verbi gratia, paternitatem esse in filiatione, vt identificata essentiæ, non vt distincta à paternitate, & opposita illi. Hanc ego conclusionem, cum variis suis membris, & distinctionibus simul proponendam esse censui, vt statim appareret aliquis bonus sensus, in quo accipi, & conciliari facilè possunt diuersæ de hac re Theologorum sententiæ, quæ difficiliorem efficiunt hanc veritatem, ex se valdè difficilem. Enimuero de ea meritò scripsit Hilarius lib. 3. de Trinit. initio, *Affert plerisque obscuritatem sermo Domini, cum dicit. Ego in Patre, & Pater in me; & non immeritò. Naturæ enim intelligentia humanæ rationem dicti istius non capit. Videtur namque non posse effici, vt quod in altero sit, aquè id ipsum extra alterum sit. Et cum necesse sit, ea, de quibus agitur, non solitaria sibi esse, numerum tamen suum, in quo sint, conseruantia, non posse se inuicem continere; vt qui aliquid aliud intra se habeat, atque ita maneat, manénsque semper exterior ei vicissim, quem intra se habeat, maneat æquè semper interior.* Et ideò ad tollendam hanc in specie contradictionem, cum agitur de inexistentia vnius personæ in alia, etiamsi eam tribuamus personis, vt formaliter personis, & ratione etiam personalitatum, quarum altera in altera esse dicatur, opus est de personalitatibus distinguere, vel vt identificatis cum essentia, vel vt ab inuicem distinctis. Primo modo alteram, vt verbis Hilarij vtar, esse intra alteram, & interiorem alteri. Secundo modo, alteram esse extra alteram; & exteriorem alteri.

Hilarius.

Prima

DVBITATIO II.

An circuminsessio aliys rationibus rectè probetur.

S V M M A.

1. *Circuminsessionem probari etiam ex relationibus, num. 13. ad 16.*
2. *Soluuntur contraria argumenta Aureoli, & Durandi, num. 16. ad 22.*
3. *Circuminsessionem probari etiam per origines, n. 22. ad finem Articuli.*

11. *Probatur prima pars conclusionis.*

Prima igitur conclusionis pars, quòd prædicta inexistentia sit intelligenda de personis formaliter, & reduplicatiuè vt personis, seu primò & per se ratione personalitatum, probata sufficienter remanet ex prima, & secunda conclusione; quibus ostensum est, Scripturam, & Patres, cum docent, vnam personam esse in alia personam, loqui de rebus distinctis, in quarum altera visa necesse sit videre alteram. Personæ autem non sunt res distinctæ ratione essentiæ, in qua vnum, & idem omnino sunt, sed ratione personalitatum relatiuarum, quibus constituuntur, & distinguuntur. Iuxta hanc partem accipio Doctores, & antiquos, & modernos, communiter dicentes, vnam personam esse in alia primario, & per se ratione relationum, non ratione essentiæ.

12. *Probatur secunda pars.*

Secunda pars, quòd vna persona sit in alia, vt identificata essentiæ, non vt realiter distincta, & opposita illi, quæ in ipsa esse dicitur; seu, quod in re idem est, propter identificationem, quam personæ habent cum essentia, non propter distinctionem, & oppositionem, quam inuicem habent, dici possint altera in altera esse, pluribus explicata, & probata est quæst. 28. art. 2. à num. 135. vbi multos Patres, & Scholasticos attulimus, affirmantes, paternitatem esse in Filio, nimirum si paternitas, & filiatio sumantur vt identificantur essentiæ; multos verò negantes, nimirum, si paternitas, & filiatio sumantur, vt inuicem realiter oppositæ, ac distinctæ. Et præterea num. 139. omnes communiter referentes circuminsessionem ad vnitatem essentiæ. Et in hoc sensu accipio nonnullos Theologos dicentes, vnam personam esse in alia, primario & per se ratione essentiæ, secundario & quasi per accidens ratione relationum. Nunc satis sit exponere discursum Sancti Thomæ, quo circa principium Corp. probat, quòd *secundum essentiam Pater est in Filio; quia*, inquit, *Pater est sua essentia, & communicat suam essentiam Filio non per aliquam transmutationem*: hoc est, non producendo de non esse ad esse, sed communicando totum id, quod in se est essentia sua, quæ est ipsemet Pater, & paternitas. *Vnde sequitur*, inquit S. Thomas, *quòd cum essentia Patris sit in Filio, quòd in Filio sit Pater.* Vbi communicatio actiua essentiæ non affertur, vt ratio formaliter requisita ad circuminsertionem, cum Filius etiam sit in Patre, cui nihil communicat, sed tanquam ratio prærequisita præsuppositiuè. Nunquam enim Filius posset esse in Patre, nisi acciperet à Patre essentiam communicatam per generationem; quæ essentia, cùm sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, est tota formalis ratio circuminsessionis, tam respectu Patris, vt sit in Filio, quàm respectu Filij, vt sit in Patre. Et ideo hoc secundum probat deinde S. Thomas ex pura essentia communi absque vlla communicatione; quia, inquit, *cum Filius sit sua essentia, sequitur, quòd sit in Patre, in quo est eius essentia.* Semper igitur personalitas debet intelligi, vt est ipsamet essentia, quæ adæquatè, & simplicissimè est omnia, quæ sunt in omnibus tribus personis, ad hoc, vt intelligatur, & verificetur, quòd vna persona formaliter sit in alia persona, seu personalitate. Idque, vt acutè obseruauit Suarez l. 4. de Trinitate cap. 16. num. 11. non est formaliter, & præcisè identitas, sed potius quædam præsentia, & immensitas, secundum quam, duæ res distinctæ realiter inter se, ita se habent, vt semper altera sit præsens alteri; tametsi huius præsentiæ ratio sit identitas, quam vnaquæque habet cum essentia omnibus identificata.

Exponitur ratio articuli.

Suarez.

13. *Connexio cũ præcedẽtibus.*

EXistentiam vnius personæ in alia tribus rationibus probat Sanctus Thomas; Prima, & præcipua, ducta ex vnitate essentiæ communis tribus personis per omnimodam identitatem; secunda ducta ex conceptu relationum, quibus personæ constituuntur, distinguuntur, & referuntur; & has duas rationes affert etiam in 1. d. 19. quæst. 3. art. 2. Corp. & ad 2. Tertia, ducta ex origine, qua personæ diuinæ producunt, & producuntur. Prima ratio sufficienter in superioribus explicata est. De reliquis duabus sit

14. *Circuminsessio probatur etiam ex relationibus cũ S. Thom. contra Aureoli, Capreolum, & Caietanũ.*

Prima conclusio. Non solum cuiuslibet diuinæ personæ essentia, sed etiam relatio benè probat, vnam personam esse in alia. Est proculdubio S. Thomæ initio Corp. æqualiter tam de essentia, quàm de relatione, & origine dicentis, *secundum quodlibet istorum, Filius est in Patre, & è conuerso.* Tametsi id adeò breuiter, & obscurè probet, vt non solum impugnetur ab Aureolo 1. d. 19. quæst. 1. art. 1. col. 2. Sed etiam à Capreolo ibidem. §. *Ad argumenta secundo loco.* Negetur, dum ad quatuor Aureoli argumenta, concedendo, quòd probare intendebant, nihil aliud respondet, nisi, *quòd Sanctus Doctor ex parte relationis non intendit probare, quòd vna persona sit in alia secundum esse, sed secundum intellectum*; idque probat ex eo, quòd S. Thomas 1. d. 19. q. 3. art. 2. ad 2. scribat, *Quòd vna persona dicitur esse in alia, vel quantum ad esse, vel quantum ad intellectum relationum, quia in vna intelligitur alia.* Verum S. Thomas non dicit, *quantum ad esse*, sed, *quantum ad essentiam.* Quare his verbis non tangitur duplex modus essendi vnius personæ in alia, & secundum rem, & secundum intellectum tantum; sed solum tangitur duplex radix, vnde probari possit, vnam personam habere esse in alia secundum rem, seu, quantum ad esse reale. Quod manifestum est ex præcedentibus verbis Corp. initio. *Dicendum, quòd in diuinis personis, est duo considerare, scilicet essentiam, quæ est vna, & eadem; & relationes, quibus distinguuntur; & secundum vtrumque, Pater dicitur esse in Filio, & è conuerso.* Eodem prorsus modo dicitur Pater esse in Filio secundum essentiam, & secundum relationem: & non dicitur Pater secundum essentiam esse in Filio, sed secundum relationem intelligi tantum in Filio: quem secundum sensum habet Capreolus, & sequuti sunt Caietanus. §. *Circa hanc relationem:* & nonnulli alij interpretes.

15. *Explicatur probatio S. Thomæ.*

Probat igitur S. Thomas hic post med. Corp. Patrem, verbi gratia, verè, & realiter esse in Filio, ex eo, *quòd vnum oppositum relatiuè est in altero secundum intellectum*, hoc est, vt dicitur 1. d. 19. quæst. 3. art. 2. fin. Corp. *in vno relatiuorum intelligitur*: & clarius ad 2. *quia in vna relatione intelligitur alia, quamuis vnum relatiuum ab altero sit distinctum.* ex hoc principio de relatiuis, quòd sint simul cognitione, quod traditur à Philosopho, & conuenit etiam diuinis relationibus, vt adnotaui quæst. 28. art. 1. num. 3. & 6. non apparet quo

quo modo demonstrari possit intentum. Etenim totum hoc reperitur in relatiuis creatis, verbi gratia, humano Patre, & Filio; vbi tamen nec Pater in Filio, nec Filius in Patre realiter est. Applicando igitur hoc principium ad diuina, ita supplendum est, vt ratio appareat habere vim probandi intentum. Sed quælibet persona diuina, ob suam infinitatem simpliciter in omni genere entis, id habere debet maximè proprium, vt quidquid ad eius quasi definitionem, seu quidditatiuam rationem, & comprehensionem, atque intellectum pertinet, contineantur realiter in ipsa, & sit intra se ipsam aliqua reali ratione, & non sit totaliter extra ipsam; alioqui cum defectu cuius perfectionis formaliter diuinæ, ad eius intellectum pertinentis non posset intelligi in se intrinsecè infinita simpliciter in omni genere diuinæ perfectionis, nullam imperfectionem includentis. Ergo si filiatio diuina, verbi gratia, est de intellectu diuinæ paternitatis, est impossibile, vt filiatio, & consequenter Filius non sit aliquo vero, ac reali modo in Deo Patre: scilicet, non per realem oppositionem, & distinctionem, quam inuicem habent, sed per simplicissimam conuenientiam, & identitatem, quam habent cum essentia. Quapropter hæc secunda ratio ducta ex relatione, reducitur tandem ad primam ex essentia ductam, quam propterea superius vocaui præcipuam. Hanc rationem significasse etiam subobscurè videtur Cyrillus l. 1. Thesauri cap. 7. aliquanto post med. vbi loquens de Filio, ait. *Propriam ipse habet hypostasim, quamuis non separatam à Patre, sed in Patre, & cum Patre intellectam.* Ex eo quòd hypostasis relatiua Filij sit intellecta *in Patre*, quoniam intellecto Patre, Filius intelligatur necesse est, infert Cyrillus, eamdem hypostasim esse etiam cum Patre intellectam.

16. *Prima Aureoli obiectio.*

Obiicit Aureolus supra. Primò, *Pater & Filius, in quantum referuntur ad Spiritum sanctum sunt vnum; vnde referuntur ad ipsum, in quantum vnus spirator, non in quantum Pater, aut in quantum Filius. Sed constat, quod sunt in Spiritu sancto secundum suam totam personalitatem; vnde Pater est in eo cum paternitate sua, & Filius cum filiatione sua. Ergo illud, quo spirant, non est causa, quod Pater & Filius sint in Spiritu sancto.*

Respondetur negando consequentiam.

Respondeo concessa maiori, & minori, vt iacent, nego consequentiam, & consequens. Si enim de intellectu relatiua personalitatis Spiritus sancti est correlatio spiratoris, & hæc secundum rem sit ipsa relatio paternitatis, & relatio filiationis, quibus non opponitur, vt suprà quæst. 28. art. 4. dub. 2. sequitur necessariò, quod in Spiritu sancto realiter sit non solum ipsa præcisè relatio spiratoris, sed etiam cum paternitate & filiatione.

17. *Secunda obiectio.*

Obiicit secundò. Quoniam *habitudo Ad, & habitudo In, non sunt eadem habitudines. Sed relatio est causa, quod vnum relatiuum dicatur ad aliud. Ergo non est ratio, quod vnum sit in alio.*

Respondetur explicando magis fundamentum conclusionis.

Respondeo, Relationem diuinam non solum esse rationem, cur vnum relatiuum dicatur ad aliud, quod habet omnis relatio, vt relatio est, siue increata, siue etiam creata; sed etiam, cur vnum relatiuum sit in alio, quod non habet relatio diuina, vt est relatio præcisè, quia id non habet relatio creaturæ, sed tantum vt est diuina relatio, siue vt relatio personæ diuinæ, quæ ob suam infinitatem omninò illimitatam, non potest non continere aliqua ratione in suo esse id, per quod necessariò petit cognosci. Per eamdem distinctionem solui facilè possunt reliqua Aureoli argumenta, vt quod relatiua definiantur per esse ad aliud, non per esse in alio: quod propterea Pater humanus sit ad Filium, non in Filio: quod terminus relationis coopponitur relationi, eámque terminat, non autem continetur in relatione, nec relationi inexistit. Hæc enim omnia benè probant huiusmodi inexistentiam vnius relatiui in suo correlatiuo, non conuenire relationi Personæ diuinæ, quia relatio est, sed solum, quia est relatio personæ diuinæ, vt probatum est. Id enim omnino postulat, vt in qualibet persona diuina præter relationes oppositas relationibus aliarum personarum, quæ vt sic non possunt inuicem inesse, esse debeat aliquid, cum quo omnes relationes, tametsi inter se oppositæ nullam oppositionem habeãt, & propterea identificentur, quod est ipsa natura diuina, & ratione huius vnum relatiuum esse debet in alio. Quare hæc secunda ratio ducta ex relatione, non solum probat, vnam personam esse in alia, sed etiam in qualibet persona esse debere aliquid, omnibus personis, & relationibus absque vlla oppositione identificatum; scilicet ipsam naturam diuinam in qualibet diuina persona essentialiter inclusam.

18. *Tertia obiectio.*

Obiicit etiam ibidem Aureolus 3. contra discursum S. Thomæ suprà num. 12. probantis essentiam esse rationem, quare Filius sit in Patre. Quoniam, inquit, Filius est in Patre, sicut subsistens in subsistente, & sicut totum in toto, vt probaui suprà n. 6. 7. & 8. sed essentia non est in Patre, sicut subsistens in subsistente, sed sicut natura in supposito. ergo Filius non est in Patre ex hoc, quod essentia eius est in Patre.

Respondetur defendendo rationem S. Thomæ.

Respondet optimè ibidem Capreolus, negando consequentiam. Nam, vt rectè probetur, quòd essentia est ratio, vt Filius in Patre sit tanquam subsistens in subsistente, non est necessarium, immo est impossibile, vt essentia eodem modo sit in Patre, & Filio quo Filius est in Patre: sicut, inquit Capreolus, *corpus meum est mihi ratio, quod sim in loco dimensiuè; & tamen aliter sum ego in loco, quam corpus meum: quia ego sicut subsistens in subsistente, corpus autem meum non sic.*

19. *Quarta obiectio.*

Obiicit quartò contra idem, quia hic discursus S. Thomæ, Pater est sua essentia, sed essentia Patris est in Filio, ergo Pater est in Filio; est similis istis aliis discursibus, qui non valent; essentia Filij est in Filio, Filius est sua essentia, ergo Filius est in Filio. Item, Pater est sua essentia, Filius est in Patre; ergo Filius est in essentia.

Respondetur defendendo eamdem rationem.

Respondeo cum eodem Capreolo, hos duos discursus non esse similes. Primum deficere in eo, quia particulam, *In*, aliter accipit in præmissis, nimirum propriè cum aliqua relatione, ac distinctione inter duos terminos; & aliter in conclusione, nimirum improprè per puram fictionem intellectus ordinantis idem ad se ipsum; qui defectus non cernitur in discursu S. Thomæ, vbi non solum in minori propter relationem, & distinctionem rationis ratiocinatæ inter essentiam & Filium, cum proprietate dicitur, *essentia Patris est in Filio*, sed etiam in conclusione maximè propriè concluditur, *ergo Pater est in Filio.* Etenim particula, *In*, vt docet S. Thomas 1. d. 19. art. 2. ad 3. & refert, & sequitur Capreolus ibidem, propriè importat aliquam relationem, vel realem, vt cum dicitur Pater esse in Filio, vel rationis ratiocinatæ, vt cum dicitur essentia esse in Patre. & ideò, vt propriè dicatur aliquid esse in aliquo, requiruntur duo distincta, vel secundum rem, vel secundum rationem cum fundamento in re; quæ distinctio non reperitur, cum dicitur Filius esse in Filio. Secundus quoque Aureoli discursus deficit; quia ex eo, quòd *Filius sit in Patre, scilicet tanquam subsistens in subsistente*, concludit, quòd *Filius est in essentia*, hoc est, tanquam suppositum in natura; quod secundum Capreolum

S.Thomas.

ibi, & alios impropriè dicitur; quamquam ita loquitur Paulus ad Philippens. 2. *Qui cum in forma Dei esset.* At verò in discursu S.Thomæ nulla improprietas reperitur. Nam in minore propriè dicitur, *essentia est in Filio*, scilicet natura in supposito.

20. *Quinta Durandi obiectio.*

Obiicit quintò Durandus 1.d.19.quæst.3.num.7. fin. *Illud, in quo est aliud, debet excedere, vel esse in plus, quàm illud, quod est in ipso. Sed Pater se habet aliquo modo in plus, quàm Filius ratione solius essentiæ, & è conuerso. ergo vna persona, non est in alia, nisi ratione essentiæ*; non autem ratione relationis, vt dixit S.Thomas.

Respondetur negando maiorem.

Respondeo cum Capreolo, & aliis, negando maiorem vniuersaliter, etiam in rebus creatis, vbi etsi pars sit in toto illam excedente; vt forma, vel materia est in composito; & aqua, verbi gratia, sit in vase, seu locatum sit in maiore externo corpore locante; tamen à Philosopho etiam 4. physic. t.23. dicitur esse *totum in partibus*, quæ tamen non possunt esse in plus quam totum; & quælibet anima rationalis, esse dicitur in suo corpore illam non excedente; & genus est in vna specie, verbi gratia, animal in homine, & tamen animal est in reliquis omnibus animalis speciebus. Sic etiam in diuinis essentia dicitur est in Patre non excedente essentiam. Quamquam, vt superius exposui, cum dicitur vna persona esse in alia, ratione relationis, non excluditur essentia.

21. *Sexta obiectio.*

Obiicit sextò idem Durandus num.6. *Illud, per quod vna persona distinguitur ab alia, non est ratio quare vna sit in alia; quia illud, per quod vna est in alia, est commune vtrique, & est in vtraque: sed relationes, quibus persona distinguuntur, non sunt communes personis. ergo secundum eas vna non dicitur esse in alia.* Simile est aliud argumentum, quod ex eodem Durando sic refert Capreolus supra, *vnum oppositum non est in alio per relationem oppositam. Sed persona diuinæ sunt oppositæ per relationes. ergo vna non est in alia per relationem.*

Respondetur ex dictis.

Respondeo his argumentis probari, quod concessi supra num. 10. & 12. rationem, cur vna persona in alia sit, non esse relationem, vt distinctam, & oppositam, sed, vt identificatam essentiæ.

22. *Circumincessio probetur etiam per originem.*

Tertia conclusio, origo vnius personæ ab alia, probat etiam alteram personam esse in altera. Ita omnes, quamuis contradicat Aureolus supra. Ratio S.Thomæ est, quia origo diuina est actio non transiens ad extra, sed immanens intra ipsum producentem, vt ex superioribus manifestum est. Quod quidem contingere non posset, nisi persona producta reciperet eamdem producentis naturam infinitam, & propterea identificatam cum personis omnibus; vnde solum oriri potest, vt non solum persona producta maneat in producente, sed etiam persona producens maneat in producta. Hanc rationem tertiam ex origine descriptam afferunt frequenter Patres ad probandam circumincessionem. Inter alios expressiùs Hilarius l. 3. de Trinitate col. 2. initio, ita probat, *Pater in Filio, quia ex eo Filius, Filius in Patre, quia non aliunde, quòd Filius. Vnigenitus in ingenito, quia ab ingenito vnigenitus:* nimirum in vnitate eiusdem naturæ, quia immediatè ante dixerat: *Alius in alio, quia non aliud in vtroque.* & l. 4. non longè à fine: *Non enim Deus in diuersa, atque aliena à se naturæ habitaculo est; sed in suo, atque ex se genito manet Deus in Deo, quia Deus ex Deo est.* Fulgentius etiam l.3. ad Monimum aliquanto ante finem, ex natiuitate Verbi Dei de mente Patris, probat esse Verbum illud in mente paterna, dicens, *Natiuitas quippe illa, quæ ostendit quid sit, & de qua sit, ipsa ostendit, quòd extra eam, de qua natum est, esse non possit, nec in aliquo minus sit; sed sic de ipsa sit, vt apud ipsum, & in ipsa sit, tamúmque sit de illa, quantum in illa, & tantum in illa, quantum cum illa.*

Hilarius.

Fulgentius.

23. *Prima obiectio Aureoli.*

Obiicies ex Aureolo 1. *Dicit Commentator 4. physic. com. 24. quòd remotior, & imperfectior modus essendi in alio est ille, secundum quem res est in suo principio agente. Sed modus ille, quo Filius est in Patre, & vna persona est in alia, est perfectissimus, & summus. ergo non assimilatur illi, quo principiatum est in principio.*

Respondetur, modum essendi in principio consubstantiali esse perfectissimũ.

Respondeo, modum, quo principiatum est in suo principio, esse imperfectum, si principiatum alterius naturæ sit à suo principio, & ideò non actu in illo sit; sed potentia tantum; quo modo omnes effectus creati sunt in creatis causis, de quibus tantum loquitur Commentator. esse verò perfectissimum modum, si, vt est in casu nostro, principiatum habeat eamdem omninò perfectissimam naturam sui principij, à quo ita sit, vt simul etiam in eo semper actu essentialiter sit.

24. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundò, *Philosophus in 4. physic. t. 23. licet dicat, partem esse in toto, & totum reciprocè in partibus, & similiter genus in specie, & species in genere; sic tamen assignat modum, quo aliquid est in suo principio, quod non dicit reciprocè, principium esse in principiato, sed in diuinis est reciprocatio insistentiæ, & circuitus sessionis. ergo ille modus non est secundum quod originatum est in originante.*

Respondetur modum essendi in principio esse reciprocum in diuinis.

Respondeo, modum essendi in suo principio non esse reciprocum in rebus creatis, in quibus non est vnitas eiusdem infinitæ essentiæ identificantis sibi omnes personalitates, & relationes, quæ in ipsa sunt. Quæ vnitas est in diuinis, & ideo in illis est reciprocatio. Nec vrget, quod contra hanc responsionem affert Aureolus, hanc tertiam rationm ductam ex origine, sic non esse diuersam à prima ducta ex vnitate essentiæ: concedo enim non esse omninò diuersam; si enim diuinæ relationes, seu personalitates, & origines, non essent in eadem numero natura, ex illis vtique probari non posset inexistentia vnius personæ in alia. nego autem non esse simpliciter diuersam, quia prædictam inexistentiam non solum probat, quod essentia sit vna in omnibus, nulli opposita, & cum omnibus identificata; sed etiam, quòd vna persona non possit intelligi sine alia; & quòd vna persona originetur ab alia per actionem immanentem in originante. Vbi manifestum est diuersis viis, ac mediis procedi ad idem probandum: licèt duæ vltimæ viæ, in primam tandem recurrant, quæ plana, ac regia est.

25. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò. *Ipsi dicunt, quòd pater est in Verbo, sed secundum Augustinum de cognitione vera vitæ, Deus totam mundi formam Verbo suo dixit, & fecit. ergo secundum hoc, tota mundi forma erit in Verbo, eo modo, quo Pater est in eo, si illa ratio sit sufficiens.*

Respondetur diuerso modo esse in Verbo Patrem, & creaturas.

Respondeo cum Capreolo, tam creaturas, quam Deum Patrem esse in Verbo, *sicut repræsentatiuum in suo repræsentante*; esse tamen, diuersissimo modo; *quia Pater adæquat suum Verbum, quod eum repræsentat, non autem creatuæ.* Vnde est etiam aliud discrimen, quia Deus Pater repræsentatur in Verbo, & intra Verbum formaliter: creaturæ vero repræsentantur quidem in Verbo, sed formaliter extra Verbum; à cuius natura, & perfectione infinite recedunt.

ARTICV

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Filius sit æqualis Patri secundùm potentiam.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quòd Filius non sit, &c.

ONCLVSIO affirmatiua fidei remanet probata ex dictis art. 1. de æqualitate in genere; vbi num.1. Toletanum VI. & XI. vniuersalissimè fatentur de Filio Dei, quòd sit *per omnia coæqualis Patri*: ergo etiam secundum potentiam; de qua Fulgentius n. 2. in specie dicit, *Nemò alium superat potestate.* Et ideo in Concilio Lateranensi sub Innoc.III. cap. *Firmiter*, tres personæ dicuntur *coæquales, & coomnipotentes, & coæterni.* & Athanasius in Symbolo cum præmisisset, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas*; postea in particulari hanc æqualitatem explicans, inter alia ait de potentia; *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.* Et enim quemadmodum quòd tres personæ, quarum vnaquæque est Deus, non sint tres Dij, sed vnus Deus, explicat maximam æqualitatem in Deitate: ita quòd tres personæ sint vnus omnipotens, significat maximam æqualitatem in potentia. Quomodo autem potentia producendi tam ad extra, quàm ad intra, de qua etiam loquitur S. Thomas, vt patet ex responsione ad 3. consequatur perfectionem naturæ, cum conclusio articuli in corpore probetur per hoc vniuersalissimum medium, *Potentia agendi consequitur perfectionem naturæ:* sicut etiam 1.d. 20. quæst.1. art. 2. *Potentia radicatur in essentia. Sed vna est essentia Patris, & Filij numero; ergo & vna potentia*; & consequenter, cum natura sit communis, quomodo etiam in omnibus personis sit potentia generatiua, & spiratiua, vt dicitur hic ad 3. siue, vt cautius loquamur cum Molina hic disput. 1. sit id, quod formaliter est potentia generandi, & spirandi, explicatum est quæst. 41. art. 5. à num.33. ad 36. vbi etiam n. 36. & 37. ostendi, quòd sine dubio S. Thomas ad 3. tacitè concedit, nomine communis omnipotentiæ significari etiam potentias notionales ad intra. Denique authoritates Scripturæ, & Augustini, quæ in tribus articuli argumentis obiiciuntur, & soluuntur, in superioribus sufficienter expositæ sunt.

Molina.

QVÆSTIO XLIII.

De missione diuinarum personarum, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum de missione diuinarum personarum, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrùm alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd personæ non conueniat, &c.

Fasoli in D.Thom. Tom.III.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Probatur pars affirmatiua, & traditur essentia missionis, num. 1.*
2. *Missionem non præiudicare æqualitati, num. 2.*
3. *Quid missio principalius importet, num. 3.*
4. *Et an sit notionalis, vel essentialis, ibidem.*
5. *Soluuntur obiectiones Aureoli, num. 4. ad finem Articuli.*
6. *An in omni missione mittens causare debeat liberam aliquam volitionem in misso, num. 4.*

1. *Conclusio affirmatiua fidei.*

ONCLVSIO simpliciter affirmatiua est de fide propter multas Scripturæ authoritates, quibus expresse, & sæpissimè dicitur, præsertim in nouo Testamento, vna persona mitti ab alia. Ratio, quæ conclusionem probat, & missionis essentiam explicat, est, quia cum omnis missio sit alicuius rei missæ ab alia re mittente ad aliquem terminum, *in ratione missionis*, inquit S. Thomas, *importantur duæ habitudines, altera missi ad eum à quo mittitur, altera missi ad terminum, ad quem mittitur.* Per primam habitudinem missio debet necessario importare aliquam processionem missi à mittente, *vel secundum imperium, sicut Dominus mittit seruum, vel secundum consilium, vt si consiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum; vel secundum originem, vt si dicatur, quòd flos emittitur ab arbore*; vel herba mittitur à terra, vel radius à sole, vel odor à rosa; sicut etiam corpus proiectum mittitur à proiiciente, non tamquam tribuente esse, vt in aliis casibus, sed tamquam tribuente vim mouendi se ad aliquem locum. Per secundam habitudinem est necessarium, vt missus incipiat esse aliquo modo in termino ad quem mittitur, ac proinde, vt ante missionem in eo non sit, aut simpliciter, aut aliquo modo, quo ad illum terminum mitti dicitur. Sed hæ duæ habitudines de facto reperiuntur in diuinis personis; nam Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit per originem; & & Filius incepit in mundo esse per carnem assumptam, tametsi antea etiam, vt dicitur Ioan. 1. *in mundo erat*, nimirum per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt supra quæst. 8. art. 3. & Spiritus sanctus similiter existens in mundo, incœpit aliquo nouo modo in eo esse, &, vt ait Augustinus l. 4. de Trinitate cap. 21. initio, *sensibiliter demonstrari, siue per columbæ speciem, siue per linguas igneas*, ergo de facto, & Filius missus est à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Hanc diuinæ missionis rationem, constantem essentialiter duplici conceptu, & æternæ processionis, & temporalis destinationis ad aliquem terminum, expressit Augustinus l. 2. de Trinitate cap. 5. paulo post principium dicens, *à Patre exire, & venire in hunc mundum, hoc est mitti*, sic exponens verba Ioannis, de quibus multa quæst. 27. art. 1. num.1.2. & 3.

Quid sit missio.

Augustin.

2. *Missionẽ stare cum æqualitate contra Arianos.*

Vnde sequitur, nihil valere argumentum Arianorum, qui cum hanc missionem negare non possent propter nimiam Scripturarum euidentiam, illam in malam partem acceperunt, conantes inde deducere inferioritatem personæ missæ, & superioritatẽ personæ mittentis. Nam vt dicitur ad primum, *missio importat quidem minorationem in eo, qui mittitur per processionem, aut secundum imperium, aut secundũ consilium; quia imperans est maior, & consilians est sapientior:* non autem per professionem perfectissimæ originis in eadem numero natura, ratione cuius & missus & mittens omnimodam inter se æqualitatem

Augustinus. habent, quam solutionem tradit Augustinus supra in fine libri quarti dicens, *Non ideo minorem Filium, quia missus est à Patre; nec ideo minorem Spiritum sanctum, quia & Pater eum misit, & Filius.* Quoniam, inquit, *propter principij commendationem, non propter coæqualitatem, vel imparilitatem, vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis, hæc posita intelliguntur: quia etiam si voluisset Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter apparere, absurdissimè tamen, aut à Filio, quem genuit, aut à Spiritu sancto, qui de illo procedit, missus diceretur.* Quamobrem Christus Dominus Ioann. 5. illis verbis, *vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem, qui misit illum;* tunc se missum esse affirmare non dubitat, cum se Patri æqualem esse docet. Ibi enim per illud, *sicut*, æqualitatem significari, ex præcedentibus efficaciter, & latè demonstrat Cyrillus l. 2. in Ioan. cap. 141. ergo signum euidens est, huiusmodi missionem diuinarum personarum benè cohærere cum earum æqualitate inter se.

Expenitur locus Ioan. 5.

Cyrillus.

4. Quid principalius importet missio.

Ex prædictis autem duabus habitudinibus in completo conceptu missionis inclusis secundum omnes, altera reali personæ procedentis, & missæ, ad personam producentem, & missam; altera rationis ad aliquem creatum effectum, quæ nam se habeat formaliter, & principalius, & in recto, & quæ materialiter, vel minus principaliter, & in obliquo, seu connotatiuè, & an potius vtraque ex æquo conceptum missionis constituat, variæ sunt Doctorum sententiæ. Quæ quidem controuersia, logica est de solo modo loquendi. Theologo satis fuerit de re ipsa scire duo, quæ nemo negat, & manifesta sunt. Alterum, vtramque habitudinem esse de essentiali conceptu diuinæ missionis, ita vt intelligi simpliciter non possit vna persona ab alia mitti, vel per solam habitudinem ad personam, à qua procedit; quia si Trinitas nihil creare voluisset, adhuc intelligeretur persona procedens ad intra, non autem persona missa ad extra; vel per solam habitudinem ad aliquam creaturam, quia omnis huiusmodi habitudo ad extra, communis æquè est, tribus personis; ergo propter illam non potest dici vna persona missa magis, quam alia: præterquam quòd persona vt missa apertissimè importat aliquem ordinem ad aliquam aliam personam mittentem. Alterum, primam habitudinem realem, intrinsecam, & æternam præsupponi ad secundam rationis, extrinsecam, & temporalem, ideoque primam habitudinem esse ex se indifferentem, vt habeat, vel non habeat rationem missionis; sed adueniente de nouo secunda habitudine compleri, & incipere integrum, ac proprium missionis conceptum. Quod non obscurè docuit Augustinus l. 4. de Trinit. cap. 20. circa medium, ita concludens, *Non ergo eo ipso, quòd de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed vel eo ipso quod apparuit huic mundo Verbum caro factum; vnde dicit, Exiui à Patre, & veni in hunc mundum: vel eo quòd ex tempore, cuiusque mente percipitur, sicut dictum est, Mitte illam, vt mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* An autem hæc ratio essentialiter completiua missionis se habeat ad eius conceptum tamquam forma specificans, vel potius tamquam conditio sine qua non, quemadmodum se habet productio creaturæ seruæ, ad hoc vt Deo in tempore conueniat esse dominum quod principaliter illi conuenit ratione suæ omnipotentiæ æternæ; videtur mihi hoc secundum probabilius. Quod significauit Capreolus 1. d. 15. quæst. 1. art. 1. conclusione 3. ex variis S. Thomæ dictis ita rectè deducens, *ex prædictis potest haberi, quòd eadem res est generatio, & processio, & datio, & missio, licet respectus connotati, vel importati per ista nomina sint diuersi.* Vnde sequitur, missionem esse partim, & magis principaliter notionalem propter principaliorem habitudinem personalem; partim verò, & minus principaliter essentialem propter secundam rationis habitudinem communem omnibus personis, quæ omnia sunt conformia doctrinæ S. Thomæ 1. d. 15. quæst. 1. art. 2. & ideo congruenter Suarez l. 12. de Trinitate cap. 1. num. 6. definit, *Missionem diuinæ personæ esse processionem eius cum habitudine, seu connotatione temporalis effectus.* Quod sequitur, & fusius probat Vasquez hic disput. 170. cap. 2.

Augustin.

Ioan. 16.

Sap. 9.

Capreolus.

Missio est partim notionalis partim essentialis.

Suarez.

Vasquez.

Nonnulla vero obiicit Aureolus 1. d. 15. quæst. vnica art. primo paulo post principium, quæ refert, & soluit Capreolus supra & primò, *Missio prout de ea hic loquimur, non est idem, quod productio, nec minus est idem quod productus; imò missio sumitur pro legatione, & missus dicitur legatus, sicut de Filio dicitur. Abdiæ initio, Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit. Sed flos non dicitur legari ab arbore; nec originari, est legari. ergo missio, prout hic accipitur, non importat habitudinem originis.*

5. Ex Aureolo prima obiectio.

Respondetur, missionem diuinam esse physicam, & moralem.

Respondeo, negando in diuinis, missionem, & missum non esse idem cum productione & producto, secundum illam habitudinem, quam missio & missus important ad mittentem. Quod autem missio diuini verbi sit legatio, quæ est moralis quædam missio, non tollit, quin eadem sit productio, quæ physica quædam missio est. Neque enim vllum inconueniens est, imò ad infinitam diuinæ missionis perfectionem, maximè pertinet, vt eadem processio, remotis imperfectionibus, habeat totum id, quod in rebus creatis habet non solum missio physica, in quantum realiter recipit ab alio totum suum esse physicum, sed etiam moralis, in quantum ab eodem recipit totum suum esse morale, vt authoritatem, & potestatem præcipiendi, iudicandi, puniendi, saluandi, &c. Flos igitur ab arbore non legatur, quia non mittitur moraliter, sed physicè tantum. Et ideo quamuis originari creatum propter eius imperfectionem, non sit legari, tamen originari diuinum infinitè perfectum, est etiam legari. Non est autem necessarium, vt persona diuina missa recipiat per originem liberam voluntatem faciendi illum creatum effectum qui requiritur ad integrum missionis conceptum, vt contendunt Ruiz disput. 108. sect. 4. n. 12. & actius Zuniga disp. 18. dub. 3. contra Suarez, & Vasquez: sed satis est recipere eamdem numero voluntatem, cum omni prorsus realitate, & actualitate, quæ in libera Dei volitione reperitur. Illa enim libera terminatio, quæ superadditur, & in posteriori signo rationis intelligitur æquè prouenire ab omnibus personis, cum fundetur in eadem omnino reali, & actuali entitate actus, intelligitur etiam, si non actu, & formaliter, saltem virtute, & radicaliter recepta, & communicata per originem cum illa entitate. Quæ missionis ratio est Dei propriissima: quia in creaturis missus, & mittens, non habent eumdem volendi actum; & ideò necesse est, vt mittens causet moraliter in misso liberum actum volendi facere, vel dicere id, ad quod mittitur. Cæterum per diuinas origines communicari etiam ipsa libera decreta diuinæ voluntatis terminatæ ad hoc, vel illud opus ad extra, numquam potuit videri

Personæ missam non recipere à mittente libera decreta.

videri mihi probabile, vt intelligi facilè potest ex dictis supra quæst. 34. art. 3. dub. 7. tunc enim prius origine mundus esset futurus quàm generaretur Filius Dei, & procederet Spiritus sanctus: quod, vel ex ipsis terminis, apparet inconueniens.

5. Secunda obiectio.

Obiicit secundò. *Missio non importat processionem ab aliquo rationem consilij, vel imperij, sed magis secundum acceptionem potestatis, authoritatis & dominij. Vnde legatus dicitur in humanis, qui potestatem, vel authoritatem accipit à legante. Sed in diuinis Filius & Spiritus sanctus accipiunt authoritatem, & potestatem à Patre, ille nascendo, iste procedendo. ergo quamuis sit ibi habitudo originis, non tamen secundum eam dicetur persona legari, seu mitti, sed secundum acceptionem authoritatis, & potestatis.* Confirmat, *quia si esset origo, absque hoc, quòd communicaretur authoritas, sicut est in flore, qui oritur ex arbore, talis origo non induceret missionem; & similiter si esset authoritatis communicatio sine origine, sicut est in humanis, ibi saluaretur vera legationis ratio: propter quod origo Filij non dicitur legatio in quantum origo, sed in quantum authoritatis communicatio, & quædam transfusio.*

Respondetur, diuinam originem esse perfectissimam missionem, & physicam, & moralem.

Respondeo, negando maiorem, in qua diminutè Aureolus non agnoscit aliam missionem moralem nisi legationis. Quis enim negauerit, mitti seruos, & mancipia à dominis suis, non vt authoritatiuè, & potestatiuè aliquid faciant, sed vt purè exequutiuè seruiant, & operentur tantum, quod simpliciter iniunctum est? Quare ad minorem concedo, diuinam missionem esse acceptionem authoritatis, & potestatis: sed nego, non esse etiam ipsam originem, per quam Filius, & Spiritus sanctus præter esse morale, accipiunt esse physicum, vt dictum est. Ad confirmationem, dico, originem illam sine communicatione authoritatis esse missionem quamdam cum aliqua imperfectione, hoc est, purè physicam, & nullo modo moralem. Similiter à contrario, authoritatis communicationem sine origine esse missionem limitatam, hoc est, moralem, non physicam. Et ideò in diuinis processio, siue origo, quia est & physica communicatio naturæ, & simul moralis communicatio authoritatis, ac potestatis, est missio perfectissima, non solum moralis, in quantum communicatio potestatis, & authoritatis, sed etiam physica, in quantum origo, & communicatio naturæ; nec vt habeat completum conceptum missionis, aliquid postulat, nisi connotationem alicuius creati termini, ad quem persona procedens mitti dicatur.

6. Tertia obiectio.

Obiicit tertiò, si Filius diceretur mitti à Patre, secundum rationem illam, qua flos emittitur ab arbore, missio Filij esset ab æterno; quod nullus dicit.

Respondetur, originem præcisè non esse missionem.

Respondeo, productionem floris esse adæquatam missionem, quoniam per illam flos transit de non esse ad esse, & ad aliquem locum extra arborem, in quo antea non erat. Quare est ibi integra missio, & per habitudinem admittentem, & per habitudinem ad terminum. Productionem verò æternam Filij Dei præcisè, cum non sit transitus de non esse ad esse, aut ad alium nouum terminum extra mittentem, non habere habitudinem connotationis termini, ad quem est missio; & ideò non posse adæquatè, ac propriè dici missionem, & Filium esse missum ab æterno: habere autem principaliorem habitudinem ad mittentem ratione veræ, ad realis processionis per originem ab illo. Quod significarunt aliqui Patres, eam etiam largè vocantes missionem. Hilarius libro 5. de Tri-

Missionē verò vocari ab Hilario.

Vasoli in D. Thom. Tom. III.

nitate col. 4. fin. ait, *Missi & mittentis significatio non aliud, quàm Patrem, & Filium docet.* Cyrillus l. 12. Thesauri cap. 15. aliquanto post medium, *missum se Filius dicit à Patre, aut secundum Incarnationis modum; aut quia sicut ex sole lux emittitur, vel ex igni calor, sic inseparabiliter ex Patre emanat.* Clarius Gregorius homil. 26. in Euangelia paulo post principium, cum docuisset, Filium Dei missum ratione assumptæ humanitatis, subiungit. *Quamuis mitti etiam iuxta naturam Diuinitatis possit intelligi: eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur.* Et paulo post addit de Spiritu sancto, *eius missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit, & Filio.* Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur.

Cyrillus.

Gregorius.

7. Quarta obiectio.

Obiicit quartò, non esse necessarium, vt missus incipiat de nouo esse aliquo modo in termino, ad quem mittitur. *Nam*, inquit, *existenti Parisijs potest Papa committere authoritatem, causam aliquam ventilandi, & decidendi: & talis quidem diceretur legatus, non quia de nouo veniret Parisios, sed quia iam ibi existens, de nouo authoritatem acciperet. Similiter etiam si authoritate accepta mandaretur sibi de nouo vt ea vti inciperet, non est dubium, quòd diceretur quodammodo de nouo legare. Sic ergo in proposito non est de ratione diuinæ personæ, quando legatur quòd de nouo esse incipiat, sed quòd accepta authoritate de nouo vtatur.*

Respondetur, missum semper esse de nouo in termino, ad quem mittitur.

Respondet optimè Capreolus, *quòd impossibile est aliquem nouiter vti potestate sibi data Parisijs, quin nouo modo sit Parisijs*: nimirum non physicè per motum localem, quem solum essendi modum insufficienter imaginatur arguens; sed moraliter, vel incipiendo habere nouam potestatem, vel nouum vsum potestatis antiquæ. Nos enim dicimus, aliquem de nouo existere Parisiis, vel simpliciter, quia eò venit de nouo, cum antea nullo modo esset; vel secundum quid, quia incipit ibi de nouo esse, verbi gratia, iudex, vel iudicans, quo modo prius non erat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm missio sit æterna, vel temporalis tantùm.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd missio possit esse æterna, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Simpliciter loquendo missionem esse temporalem, non æternam, num. 1. & 2.*
2. *Esse etiam creatam, num. 3.*
3. *Differentia inter missionem, processionem, & dationem, num. 4*

1. Esse temporalem tantū.

PRIMA conclusio, Missio simpliciter loquendo, non est æterna, sed temporalis. Ita omnes, & benè probat S. Th. in argumento, *sed contra.* ex illo Galat. 4. *cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Probari quoque potest, quia missio in Scriptura, & petitur orationibus Prophetarū, vt Sap. 9. *Mitte illam de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, & mecum sit, & mecum laboret.* Et Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum.* & futura dicitur, ac promittitur: vt Io. 14. *Quē mittet Pater in nomine meo.*

& cap. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre.* & cap. 16. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Nihil autem quod ab æterno semper haberetur, potest peti, & desiderari, & dici futurum, & promitti.

2. *Explicatur ratio articuli.*

Rationem articuli sic explico, Diuina Missio, constat quidem altera parte æterna; eaque præcipua, nempè origine æterna Diuinarum personarum; & altera parte temporali, nempe creato, & temporali aliquo effectu, in quo de nouo esse, & apparere incipit aliqua diuina persona procedens, *non propter inuocationem diuinæ personæ, sed propter mutationem creaturæ; sicut & Deus temporaliter, dicitur Dominus propter mutationem creaturæ*, vt dicitur hic ad 2. tamen prima pars per se considerata non est formaliter missio, in cuius formali, & explicito conceptu, non solum est vt missus procedat aliquo modo à mittente, vel secundum originem, vel secundum motum, vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum moralem aliquam potestatem, siue authoritatem; sed etiam est vt missus incipiat de nouo esse aliquo modo in termino, ad quem mitti dicitur. Præterea prima pars æterna, non solum non est missio, sed præsupponitur missioni, & ad esse formale missionis intelligitur determinari, & contrahi per secundam partem temporalem; qua adueniente, statim illud æternum incipit habere rationem formalem missionis, seu pertinere ad missionem formaliter. ergo missio secundum conceptum formalem, & determinatum missionis incipit existere in tempore, & non habetur ab æterno. ergo non est denominanda æterna, sed temporalis tantùm; quemadmodum compositum ex temporali humanitate Christi, & æterna Verbi persona, quia factum est in tempore, hinc denominatur temporale, & non æternum: sicut etiam quia Deum esse Dominum creaturæ, importat non solum æternam vim, ac potestatem dominandi, sed etiam respectum ad creaturam in tempore factam, dicimus Deum fuisse factum Dominum in tempore; ac proinde, esse Dominum in Deo esse prædicatum temporale, non æternum; sic pariter, quia esse missum, v.g. Filium Dei, à Patre, importat non solum procedere à Patre, sed etiam procedere ad redimendum genus humanum in carne assumpta; quod totum, quia factum, & completum est in tempore, ideò missio Filij Dei dici non potest æterna, sed temporalis.

3. *Missionem esse aliquid creatum.*

Secunda conclusio, Missio diuinarum personarum sicut simpliciter denominatur temporalis, ita simpliciter denominari creata. Est omnium Authorum primæ conclusionis, vnde euidenter sequitur; quia, quod est temporale, & non æternum, debet necessario esse factum in tempore. ergo non est increatum, sed quid creatum. Solus Alensis p.p.q.71. membro 2. Corp. & ad 1. contendit, *quod missio siue dicatur actiuè, siue passiuè, est quid increatum, & idem, quod Deus*: quamuis membro 4. per totum probet, missionem esse temporalem, & contingentem. eius motiuum est, quia in missione, *principale significatum est quid increatum; connotatio autem creati effectus, est quid creatum.* Sed hoc, vt patet, si vim habet, æquè probat missionem esse increatam, & æternam. ergo minus consequenter si negatur secundum, affirmatur primum. esto igitur increata processio à mittente, sit principale missionis significatum, vt art. 1. num. 3. tamen quia non est totale, cum missio, vt formaliter missio, sit inintelligibilis absque respectu ad terminum, ad quem aliquid mittitur missio, vt missio dici, debet creata: quoniam etsi processio non sit creata, tamen totum hoc conflatum ex processione, & creato effectu, quod propriè, & formaliter dicitur missio, est quid creatum, hoc est, de nouo factum in tempore, cum antea non esset: quemadmodum homo, quamuis sit compositus ex anima, quæ est præcipua ipsius pars non genita, tamen totus dicitur genitus, quia vnitum ex anima & corpore fit per veram generationem substantialem, non per creationem.

Alensis.

4. *Missionem differre à processione, & datione ex S. Thoma.*

Tertia conclusio, quæ ex dictis deducitur, Missio de ratione sui differt à processione, & datione. Hoc tangit S. Thomas hic in corp. & clarius, ac fusius explicat 1. d. 15. quæst. 1. art. 1. corp. med. & ibidem Capreolus refert in sua tertia conclusione, & sequuntur communiter alij: *Processio*, inquit S. Thomas in sent. *in quantum processio, dicit realem distinctionem, & respectum ad principium, à quo procedit, & non ad aliquem terminum.* Et propter huius termini defectum non habet integram, & formalem rationem Missionis. *Datio autem non importat distinctionem dati à principio, à quo datur, quia idem potest dare se ipsum*, vt cum Augustino probaui supra quæst. 38. art. 1. num. 2. *Sed tantum ab eo, cui datur. Sed missio ponit distinctionem in ipso misso, & ad principium, & ad terminum. & ideò cum dicitur Spiritus sanctus, mitti, includitur in significatione missionis, vterque respectus; scilicet æternus, prout à Patre, & Filio procedit; & temporalis, prout significatur in habitudine ad creaturam, quæ nouo modo se habet ad illum.* Quapropter missio ex propria vi vocis verbalis in actu secundo, sicut etiã datio, differt ab hoc nomine *Donum*, quod tale est etiam, quando non donatur, aut mittitur, aut datur. Missio verò, & datio, non sunt, sicut etiã donatio, & donari, & donatum, nisi cum aliquid actu datur, & mittitur, vt ostendi supra q. 38. art. 1. n. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrùm missio inuisibilis diuinæ personæ sit solum secundùm donum gratiæ gratum facientis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd missio inuisibilis diuinæ, &c.

SVMMA.

1. *Articuli titulus exponitur, num. 1.*
2. *Personam mitti inuisibiliter secundum gratiam, num. 2. ad 5.*
3. *Imò non perfectè mitti sine gratia, num. 5. & 6.*
4. *Sed solùm aliquo imperfecto modo, num. 7.*

1. *Declaratur titulus articuli.*

ON quæritur, vtrum gratia gratum faciens, aũt eius productio, siue infusio sit formaliter ipsa inuisibilis missio alicuius diuinæ personæ, quia illa est purus effectus creatus temporalis, æquè productus indiuisibiliter à tota Sanctissima Trinitate. Aliud enim est, vt acutè distinguitur ad 2. *Quòd ipsum donum gratiæ est à Spiritu sancto, & hoc significatur cum Rom. 5. dicitur, Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Aliud verò est, quòd gratia gratum faciens disponit animam ad habendam diuinam personam; & significatur hoc, cum dicitur, quòd Spiritus sanctus datur, secundum donum gratiæ.* Itaque sensus quæsiti est, vt magis declaratur circa medium corp. *Vtrum nullus alius effectus possit esse ratio, quòd diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens.* Et quoniam hic effectus, & consequenter

quenter nouus essendi modus diuinæ personæ in creatura recipiente talem effectum, nullo sensu comprehensibilis est, inde factum est, vt huiusmodi missio dicta sit inuisibilis, ad differentiam alterius missionis visibilis factæ, scilicet in aliquo effectu, seu signo visibili, sensibiliter manifestatiuo personæ nouo modo venientis, atque præsentis; vt missio Filij Dei in carne humana, missio Spiritus sancti in specie Columbæ, & in aliis similibus.

2. *Personam mitti inuisibiliter, secundum gratiam.*

Prima conclusio sufficientissimè, & adæquatè, ac simpliciter mitti dicitur diuina persona, missione inuisibili in animam sanctificatam gratia gratum faciente. Hoc apertè supponit S. Thomas hic, dum probat, quòd nulla alio modo, nisi per hanc gratiam contingere potest missio inuisibilis: & nullus Theologus negat, & est in Scriptura, & Patribus adeò certum, vt meritò scripserit S. Thomas hic argumento 1. *Quòd est error dicere Spiritum sanctum non dari, sed eius dona:* quam censuram in responsione ipse tacitè concedit, & posterius communiter approbarunt. Nam Rom. 5. expressè dicitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Distinguitur charitas Dei ab ipsomet Deo Spiritu sancto; & tam illa primò dicitur *diffusa in cordibus nostris*; quàm ille supposita tali infusione, & sanctificatione, postea dicitur, *Datus nobis.* Mitti autem personam procedentem, nihil est aliud, quàm ipsam dari creaturis. His apertissimis Apostoli verbis connictus

Exponitur locus Rom. 5.

Ambrosius.

Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 5. aliquantò post principium, ait, *Quid autem dubium dicere, quia datus est Spiritus sanctus, cum scriptum sit, Gratia Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Eodem modo Spiritus sancti virtus, accepta à creaturis, distinguitur à Spiritu sancto superueniente in creaturis, Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.*

Exponitur locus Ioan. 14.

Augustinus.

Rom. 5.

Ambrosius.

Augustinus.

Præterea Ioan. 14. cum præmisisset Dominus, *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Quod vtique sine gratia gratum faciente non contingit, continuò subdit, *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Clarissimè loquitur de ipsa persona Spiritus sancti, quam ait sanctis Apostolis *dari*, & ab iis *accipi*, & *apud eos manere*, & in iis *esse*. Et ideò August. hæc verba exponens tract. 74. in Ioan. initio, ita declarat, quis sit iste alius paracletus. *Hic est vtique in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri, & Filio consubstantialem, & coæternum fides Catholica confitetur. Ipse est, de quo dicit Apostolus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Item Ambrosius supra cap. 4. aliquantò post principium, eadem verba exponens ait, *Ipsum Spiritum vitæ, Dominus in Euangelio Paracletum nominat, ipsum Spiritum veritatis.* Et postea probat, *Quòd ipse sit Spiritus sanctus, qui & Spiritus veritatis*, ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum.* Quod magis explicans Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. aliquantò post principium docet, *Eumdem Spiritum sanctum datum, tum insufflasse Iesus, de quo mox ait. Ite, baptizate omnes gentes, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vbi maximè commendatur hæc Trinitas, ambigere non debemus. Ipse est igitur, qui de cœlo etiam datus est die Pentecostes. Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imò quantus Deus est, qui dat Deum?*

3. *Exponitur locus 1. Ioan. 4.*

Idem colligitur ex illo 1. Ioann. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et paulò ante, *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Vnde concludit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 17. aliquantò ante finem, *Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis.* Siue igitur hoc loco per charitatem intelligamus ipsam increatam dilectionem, quæ est Spiritus sanctus, vt multis ibi contendit Augustinus, & tractatum est suprà quæst. 37. artic. 1. num. 3. siue dilectionem creatam, quæ ex Deo Spiritu sancto est infusa, semper habemus, non solum charitatem, & gratiam esse, & manere in sanctificatis hominibus, sed ratione illius in ipsomet Deo eos manere, & Deum in eis. Item ex illo 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus; Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.* Homines Sanctos habentes gratiam gratum facientem, vocat Apostolus templum Dei, & Spiritus sancti, in quo ipsemet Deus habitat. Ergo ad homines ea gratia præparatos, ac dispositos venit, ac mittitur persona diuina inuisibiliter. Vbi habere templum, tribui non potest alicui domo creato, vt probaui quæst. 27. art. 1. num. 108. *Neque enim*, inquit ibi Anselmus, *templum haberet, nisi Deus esset.* Quod docent etiam multi alij Sancti ibidem citati. Sunt etiam multa Scripturæ, & Patrum loca relata supra quæst. 38. art. 1. & 2. quibus ipsæ personæ diuinæ, præsertim procedentes, nempè Filius, & Spiritus sanctus dicuntur dona, & dari, & consequenter mitti. Vnde Augustinus ser. mon. 43. de verbis Domini in Ioannem col. 2. *Hoc scimus, hoc credimus, hoc fatemur, Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum sanctum, qui tale dat donum, qualis ipse est. Magna est autem misericordia Dei. Donum dat æquale sibi, quia donum eius Spiritus sanctus est, & vnus Deus*, &c. Demum Ioan. 14. Filius Dei, ait, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum*; vtique cum gratia gratum faciente; *& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vbi, & si aduentus Patris dici nequeat missio, quia Pater non est persona ab alio procedens; ac proinde à nullo simpliciter missa, sed ex se ipsa veniens, tamen Filij, & Spiritus sancti inuisibilis aduentus, secundum gratiam propriè missio nuncupatur, quia ambo dici possunt venire missi à Patre, à quo procedunt.

Exponitur locus 1. Cor. 3.

Augustinus.

Ephes. 4.

4. *Ratio articuli.*

Fundamentum conclusionis sumitur ex ratione corporis articuli. In tantum persona procedens mitti dicitur ab alia persona, à qua procedit, in quantum nouo modo incipit existere in aliqua creatura. In tantum etiam quælibet persona diuina dari dicitur, in quantum nouo modo incipit haberi, & possideri ab aliqua creatura. Vtrumque autem horum est semper, ac simpliciter, & sufficienter, secundum gratiam gratum facientem. Nam præter communem modum, inquit S. Thomas, *Quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, est alius specialis modus, quo Deus dicitur esse in creatura rationali, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo, & amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum, Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.* Vbi nimirum strictissimo supernaturalis amicitiæ titulo, ac vinculo, ita cognoscitur, amatur, laudatur, honoratur, vt illius vi, ac ratione, *vel quasi connaturali iure*, vt loquitur Suarez lib. 12. de Trinit.

Suarez.

cap. 5. num. 12. non possit esse absens, & non esse præsens, etiamsi per impossibile eius intima præsentia non esset aliis titulis necessaria, vt de facto est: sicut in materia de Incarnatione dici rectè solet de præsentia Verbi in assumpta humanitate vi, ac ratione ipsius creatæ vnionis hypostaticæ, etiamsi per impossibile alij præsentiæ tituli deessent. Cum hoc tamen discrimine, quòd vi vnionis habeatur præsentia ex connaturali necessitate: vi amicitiæ supernaturalis habeat eadem præsentia ex connaturali quadam congruentia. Totum autem, quod de hac noua possessione, & datione, & missione, & præsentia dictum est, habetur in hac vita maximè per gratiam, qua iustificati, & sanctificati fiunt consortes diuinæ naturæ, & hæredes Dei, & cohæredes Christi. Per eamdem quoque gratiam dicuntur personæ diuinæ vniuersalius nobis dari, & à nobis haberi, in quantum solæ creaturæ sanctificatæ per gratiam, habent potestatem fruendi diuinis personis. Enimuero, inquit sanctus Thomas, *Illud solum habere dicimur, quo liberè possumus vti, vel frui.* Quæ quidem specialiùs verificantur de Spiritu sancto, ita vt, etsi Pater, & Filius inuisibiliter dentur, & habeantur, & Filius etiam inuisibiliter mittatur, tamen specialiori ratione inuisibiliter dari, & haberi, & mitti dicatur Spiritus sanctus; in quantum gratiæ donum, ratione cuius persona diuina dari, & mitti dicitur, appropriatur Spiritui sancto, vt suprà quæst. 39. art. 7. & 8. Atque hoc significare videtur S. Thomas hic in fine corp. dum particulariter de solo Spiritu sancto ita concludit, *Sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis, Spiritus sanctus habetur, & inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur, & mittitur.*

S. Thomas.

5. *Secunda conclusio respondens directè titulo articuli.*

Secunda conclusio, directè respondens titulo articuli. Diuina persona non dicitur simpliciter, & perfectè dari ac mitti inuisibiliter, nisi solum secundum gratiam gratum facientem. Quamuis secundum aliud quodcumque, siue habituale, siue actuale supernaturalis gratiæ donum, dici etiam possit dari, ac mitti, secundum quid, & imperfecto quodam modo, siue, vt loquitur sanctus Thomas ad 4. circa finem, *Cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur, quòd alicui datur Spiritus sanctus propheticus, vel miraculorum, in quantum à Spiritu sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi.* Cum hac distinctione procedit sanctus Thomas ad 4. Quamuis in corp. simpliciter loquendo probet, quòd diuinis personis conuenit dari; & mitti, *Secundum solam gratiam gratum facientem*, ita, quod inquit, *nullius alius effectus potest esse ratio, quòd diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens*; eámque distinctionem omnes ferè sequuntur.

6. *Non esse perfectam missionem inuisibilem sine gratia.*

Prima conclusionis pars patet, applicando rationem pro prima conclusione factam num. 4. quoniam qui caret gratia gratum faciente, non est amicus, sed inimicus Dei. ergo saltem simpliciter ac perfectè non amat Deum, nec à Deo amatur; & consequenter modo quodam mortuo, non viuo, ac perfecto, credit, ac cognoscit, Deum, & sperat, & mouetur in Deum: nec propterea dici potest templum viuum diuino cultui dicatum, in quo sit, & inhabiter Deus: nec homo à Deo auersus, & non faciens eius voluntatem, dici simpliciter potest habere Deum, eoque liberè vti, vel frui. Iuxta hanc partem Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 18. initio, ait, quòd si non detur charitas, quamuis dentur per Spiritum sanctum alia dona supernaturalia, *Spiritus sanctus à sinistra non transfertur ad dexteram.* Et circa finem ita concludit, *Igitur per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* & paulo post, *charitas perducit ad Deum, & sine charitate quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum.* ergo sine charitate, & gratia iustificante, non habetur aliqua persona diuina, nec datur, nec mittitur. Iuxta eumdem sensum, simpliciter loquendo dicitur Prouerb. 15. *longè est Dominus ab impijs.* & Sap. 1. *In malenolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* & cap. 7. de Sapientia diuina dicitur, *in animas sanctas se transfert.* ergo animæ non sanctæ non habent ad se missam, ac translatam Sapientiam Dei genitam. & subditur, *neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat.* ergo peccatores, qui à Deo non diliguntur, sed odio habentur, non habitant cum diuina Sapientia, nec consequenter eam ad se missam habent.

Augustinus.

7. *Esse tamen imperfectam.*

Secunda pars conclusionis patet, quia etiam sine gratia gratum faciente haberi possunt multa alia gratuita, & supernaturalia dona fidei, spei, prophetiæ, aliarumque virtutum supernaturalium, quæ non dantur nisi ex speciali Spiritus sancti gratia, ac beneuolentia, quibus etiam per intellectum, & voluntatem supernaturalibus cognitionibus, & piis quibusdam affectibus in Deum aliquo modo tendimus, & mouemur. Ergo secundum quid, & quodammodo habent peccatores præsentem nouo quodammodo Spiritum sanctum in ipsis inchoatiuè inhabitantem, eisque datum, & ad eos missum, in quibus etiam Deus tanquam in quodam informi templo colitur aliquo imperfecto modo. Ad hunc sensum de inuisibili missione Filij Dei ita scribit Augustinus l. 4. de Trinitate cap. 20. aliquanto ante medium, *Tunc vnicuique mittitur, cum à quoquã cognoscitur, atque percipitur quantum cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficientis in Deum*; nimirum per actus supernaturales fidei, spei, timoris, pœnitentiæ, aliosque similes tendentis ad perfectum statum gratiæ gratum facientis, *vel perfecti in Deo animæ rationalis*; scilicet per adeptam iam prædictam gratiam, ac perfectam Dei possessionem. & postea inter alios modos, quibus *missus dicitur Filius*, numerat eum, *Quod ex tempore cuiusque mente percipitur, sicut dictum est, mitte illam, vt mecum sit, & mecum laboret.* Dei autem Filius per solam etiam fidem Trinitatis, incarnationis, & redemptionis, cuiusque mente percipitur. Sic etiam accipi potest Rabanus, quem S. Thomas argumento 4. refert dicentem, *quòd Spiritus datus est Apostolis ad operationem miraculorum.* Faeere autem miracula non est donum gratiæ gratum facientis, sed gratis datæ: quamquam S. Th. in responsione, exponit, dici datũ Spiritum sanctum ad operationem miraculorum, *quia datur gratia gratum faciens cum signo manifestante*: quoniam, inquit, *operatio miraculorum est manifestatiua gratiæ gratum facientis, sicut & donum prophetiæ, & qualibet gratia gratis data. Vnde 1. Cor. 12. gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus.* Sed quia hæc expositio non est necessaria, vt patet, cum dici facilius, & fortasse verius possit, Paulum ibi omnem gratiam gratis datam vniuersaliter vocare manifestationem Spiritus sancti, quia ab vno, eodemque Spiritu sancto omnes, & singulæ sunt, vt ipsemet Paulus non semel ibi postea docet; ideo statim aliter exponit Rabanum, sicut etiam exponi debet Paulus, non de *dari simpliciter*, sed de dari, *cum aliqua determinatione*, seu limitatione, & secundum quid.

Sap. 9.

Rabanus.

Exponitur locus 1. Cor. 12.

ARTI

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Patri conueniat mitti.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd Patri etiam conueniat, &c.

1. *Conclusio negatiua contra Cordubensem.*

CONCLVSIO negatiua omnium, & Patrum. & Scholasticorum, vno excepto Antonio Cordubensi in suo quæstionario lib. 1. quæst. 41. puncto 1. ad 3. ita dubitante, *Fortè rectè, & catholicè concederetur, quòd Pater mittitur à se ipso, sicut & datur à se ipso, sicut, & in actiua significatione Pater dat, mittitque se ipsum temporaliter ad nos, sicut & Filius, & Spiritus sanctus temporaliter dant, mittúntque se ipsos ad nos: quia*, inquit, *connotatio processionum non ita apertè, aut expresè in prædicta actiua, vt in passiua absoluta significatione; sed sola operatio ad extra, quæ communis est toti Trinitati, repræsentatur*; sed iam supra art. 1. ostendimus in intrinseco conceptu missionis includi essentialiter processionem missi ab alio mittente. Vnde euidenter sequitur, vt probatur in corp. Patrem nullo modo ab alio procedentem, nullo modo posse dici mitti; sed hoc conuenit, inquit S. Thomas, *Solum Filio, & Spiritui sancto; quibus conuenit esse cum alio.*

2. *Soluitur Cordubæ fundamentum.*

Neque in re est diuersa ratio de mitti passiuè, & de mittere actiuè: sicut enim nemo concipi potest mitti, nisi ab alio, ita prorsus nemo concipi potest mittere, nisi alium. Quòd si aliquando Filius & Spiritus sanctus dicuntur largè, & impropriè mittere se ipsos, in quantum scilicet ipsimet simul cum Patre mittente cooperantur ad productionem effectus, ratione cuius mitti dicuntur ab alio; tamen ne hoc quidem improprio modo dici potest Pater se ipsum mittere, quia non cooperatur missus ab alio, sicut comparantur Filius & Spiritus sanctus, ex eo enim quòd cooperatio est actiuè ab ipsis, & in ipsis ab alio precedentibus, habet veram rationem missionis, dici aliqua ratione potuit missio actiuè per ordinem ad effectum creatum, distinctum realiter ab illis. Eadem verò cooperatio ita est actiuè à Patre, vt in eo nulla omnino missionis, seu processionis ratio sit: & ideò ne impropriè quidem dictus est actiuè mittere se ipsum.

3. *Augustinus.*

Maximam autem authoritatem conclusioni conciliat Augustinus, vt interim alios omittam, minus clarè loquentes. Nam lib. 2. de Trinitate cap. 5. aliquantò post principium ait, quod hîc in argumento, *Sed contra*, refertur. *Pater solus nusquam legitur missus.* Quæ verba vsurpauit Isidorus lib. 7. etymolog. cap. 3 §. 4. Item lib. 4. cap. 20. paulò post medium, quæ verba afferuntur hic ad 2. *Pater cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus.* Idque statim probat ratione superius tradita, *Non enim habet, de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Et cap. 21. circa finem de eodem Patre, ait, *absurdissimè missus diceretur.* Similiter lib. contra sermonem Arianorum cap. 4. post med. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet authorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat. Et ideò non propter naturæ diuersitatem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter ipsam authoritatem, solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor, aut feruor ignem, sed ignis mittit siue splendorem, siue feruorem.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filio conueniat inuisibiliter mitti.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd Filio non conueniat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua, & appropriatio missionis inuisibilis, num. 1.*
2. *Quomodo distinguantur inuisibiles missiones Filij, & Spiritus sancti, num. 2.*
3. *Non posse mitti inuisibiliter Spiritum sanctum sine Filio, & è contra, num. 3.*

1. *Respondetur affirmatiuè.*

PRIMA conclusio simpliciter affirmatiua probata remanet ex dictis art. 3. præsertim num. 7. ex Scriptura, & Augustino; & à nullo negatur: quia, vt discurrit S. Thomas in fine corp. *Cum tam Filio, quam Spiritui sancto conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio esse vtrique conuenit inuisibiliter mitti. Patri autem licet conueniat inhabitare per gratiam, secundum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum facientes, non tamen sibi conuenit ab alio esse, & per consequens nec mitti.* Et quamuis dona gratiæ approprientur Spiritui sancto, atque adeò missio etiam inuisibilis, quæ secundum ea dona est, eidem appropriatur, vt supra art. 3. num. 4. tamen hinc non tollitur; quin eadem missio vere, ac realiter conueniat Filio; sicut ei, & Patri conuenit omnia dona producere, & infundere. Quamquam ex responsione ad 1. & 2. omnia dona considerari possunt dupliciter, vel in quantum dona sunt, & sic omnia tribuuntur Spiritui sancto, qui ex quæst. 38. art. 1. num. 7. est primum donum; vel secundum proprias rationes, & sic dona, quæ pertinent ad intellectum, & missio ratione illorum, attribuuntur Filio, cuius processio, est per intellectum: dona verò, quæ pertinent ad voluntatem, & missio ratione illorum, attribuuntur Spiritui sancto, qui per voluntatem procedit: vnde ad huiusmodi appropriationem respiciens Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. paulò ante med. de Filio Dei formalissimè, dixit, *Tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur.* Quoniam verò omnia dona intellectus ordinantur ad donum gratiæ, & charitatis in voluntate, & vt dicitur ad 2. *Filius est Verbum, non qualecumque, sed spirans amorem*; ideò Filio etiam tribui simpliciter potest perfecta ratio inuisibilis missionis, quæ ex art. 3. est secundum donum charitatis, & gratiæ gratum facientis.

Cui appropriatur missio inuisibilis.

2. *Quomodo distinguantur inuisibiles missiones Filij, & Spiritus sancti.*

Secunda conclusio, inuisibilis missio Filij ab inuisibili missione Spiritus sancti distinguitur realiter quantum ad originem personæ missæ, sicut generatio Filio à processione Spiritus sancti: quantum verò ad inhabitationem per gratiam, non distinguitur re; quia cum hæc inhabitatio fundetur in productione gratiæ, aliorúmque supernaturalium donorum, & productio sit realiter, & indiuisibiliter communis toti Trinitati, erit quoque eidem communis inhabitatio. Et ideò initio corp. dicitur, *Quòd per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem, secundum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et scripsit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. fin. Quod per charitatem diffusam per Spiritum sanctum in cordibus nostris,

nos

nos tota inhabitat Trinitas. Hæc autem gratia considerari potest dupliciter, vel secundum se, vt est in essentia animæ, tanquam radix omnium supernaturalium proprietatum; vel secundum suos effectus, qui sunt illuminatio, intellectus, & inflammatio affectus. Primo modo non appropriatur gratia Spiritui sancto potius, quàm Filio, nec è contra. Secundo modo illuminatio appropriatur Filio procedenti per intellectum, inflammatio appropriatur Spiritui sancto procedenti per affectum. Quamquam, & illuminatio considerata non specificè, vt illuminatio, sed genericè, vt donum, appropriatur Spiritui sancto, qui procedit, vt primum donum, vt suprà quæst. 5. 8. art. 2. & è contrario, inflammatio affectus considerata, vt constituens nos Filios Dei adoptiuos, appropriatur Filio Dei naturali. Atque his iisdem modis dici potest missio inuisibilis, appropriari, vel Filio, vel Spiritui sancto; & inuisibilis missio Filij ab inuisibili missione Spiritus sancti distingui sola ratione quoad huiusmodi appropriationem. Hæc ferè omnia docet S. Thomas ad 3. & certa sunt absque vlla controuersia.

3. *Non posse mitti inuisibiliter Spiritum sanctum sine Filio, & è contra.*

Tertia conclusio, quæ ex præcedenti sequitur, & notatur, & manifesta dicitur à S. Thoma in fine huius articuli; non potest inuisibiliter mitti Spiritus sanctus, quin etiam mittatur inuisibiliter Filius; & è contra consentiunt reliqui omnes, quia omissio inuisibilis consistit essentialiter in prædicta inhabitatione, quam probauimus, non posse non conuenire realiter, & indiuisibiliter tori Trinitati; & in processione ab alio, quam habent Filius, & Spiritus sanctus. Et quidem quòd inuisibiliter mittatur Spiritus sanctus per gratiam, quæ ipsi appropriatur, est magis expressum in Scripturis, & Patribus, vt suprà art. 3. Quòd verò per eamdem mittatur pariter Filius, probat Augustinus 4. de Trinitate cap. 20. ante med. ex illo Sap. 9. de Sapientia diuina. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* id est, inquit Augustinus, *doceat me laborare, ne laborem: labores enim eius, virtutes sunt. Sed aliter mittitur, vt sit cum homine*, quæ est missio visibilis, *aliter missa est, vt ipsa sit homo*, quæ est missio visibilis. *In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei, & Prophetas constituit; sicut etiam implet sanctos Angelos*, &c. Et post medium de eadem Filij missione subdit, *Cum autem ex tempore, cuiusque profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum. Neque enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus præsto est.* Quibus verbis perspicuè declarat missionem, quam Scholastici inuisibilem appellarunt.

Exponitur cũ Augustino locus Sap. 9.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd missio inuisibilis non fiat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Prima conclusio generalis, num. 1.*
2. *Secunda conclusio de Patribus veteris Testamenti, n. 2.*
3. *Tertia conclusio de iustis, quando in illis augetur gratia, num. 3.*
4. *Quarta conclusio de Beatis, num. 4.*
5. *Quinta conclusio de Christo Domino, n. 5.*
6. *De Sacramentis, num. 6.*
7. *De Peccatore, si illi extrinsecè remitteretur peccatum, num. 7.*

1. *Fieri ad omnes, in quibus est gratia, & aliqua innouatio per gratiam.*

PRIMA conclusio generalis, Ad omnes fit missio inuisibilis, in quibus inueniuntur, & inhabitatio gratiæ, & innouatio quædam per gratiam: nimirum, quando aliquis existens iam in gratia, ita recipit augmentum gratiæ, vt proficiat in aliquem nouum actum, vel statum gratiæ: vt puta, cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quòd ex feruore charitatis exponit se martyrio, aut ab renunciat his, quæ possidet, præsertim per ingressum religionis, aut quodcumque aliud opus arduum aggreditur. Ita ferè ad verbum in corp. & ad 2. & ratio in corp. est, quia ex probatis art. 1. missio de sui ratione, præter processionem à mittente, importat quòd ille, qui mittitur, vel incipiat esse, vbi prius non erat, sicut accidit in rebus creatis, vel incipiat esse, vbi prius fuit, sed quodam nouo modo, secundum quod missio attribuitur diuinis personis, & aliqua etiam ratione hominibus, vt cum Aureolo, & Capreolo notatum est in art. 1. num. 7. Ergo si diuina persona procedens incipiat esse in aliquo, vel simpliciter per gratiam, vel aliquo nouo modo per aliquem nouum actum, vel statum gratiæ, semper erit missio inuisibilis. Nunc de particularibus casibus, qui tanguntur in solutionibus argumentorum, sint sequentes conclusiones.

2. *Factam esse ad Patres veteris Testamenti.*

Secunda conclusio. Ad Patres veteris Testamenti facta est inuisibilis missio, vel quando primò iustificati sunt, vel quando ad nouum aliquem altiorem gratiæ gradum erecti sunt. Ita ad 1. & apud omnes certum est, & ex superioribus dictis in genere probatum remanet. Solum difficultatem posset facere illud Ioan. 7. quod sibi obiicit S. Thomas, *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Sed & huius loci intelligentiam, & rem totam egregiè tradit Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. non longè à fine dicens de hoc loco Ioannis, *Quomodo intelligitur, nisi quia certa illa Spiritus sancti datio, vel missio post clarificationem Christi futura erat, qualis nunquam antea facerat, Neque enim antea nulla erat, sed talis non fuerat: si enim antea Spiritus sanctus non dabatur; quo impleti Prophetæ loquuti sunt? cum apertè Scriptura dicat, & multis locis ostendat, Spiritu sancto eos loquutos fuisse: cum & de Ioanne Baptista dictum sit, Spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris suæ: & Spiritu sancto repletus Zacharias inuenitur, pater eius.* Et ibidem Elizabeth, eleuata ad notitiam Verbi incarnati, & adhuc inclusi in vtero Virginis, dicitur, *Repleta Spiritu sancto; & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me.* Et Luc. 2. de Simeone dicitur, *Spiritus sanctus erat in eo.* Similiter Leo magnus sermone 2. de Pentecoste cap. 3. post med. *Cum in die Pentecostes Discipulos Domini Spiritus sanctus impleuit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis. Quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, omnésque Sancti, qui in prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati; quamuis non eadem fuerit mensura donorum.* Per illud igitur, *nondum datus*, intelligit Leo, negari dationem, non simpliciter, sed secundum quid,

Exponitur cũ Augustino, & Leone locus Ioan. 7.

Luc. 1.

quid, nempe abundantem, & copiosam. Quod verbis antecedentibus videtur ibidem significare Dominus, dicens, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et subdit Euangelista, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus.* Et clarius Actor. 2. Petrus loquens de missione Spiritus sancti facta in Pentecoste, ait, *Hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël, & erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt Filij vestri*, &c. Additur ad 1. & significat Augustinus supra, *cum dicitur, Nondum erat datus Spiritus, intelligimus de illa datione cum signo visibili, quæ facta est in die Pentecostes.*

Ioel. 2.

3. *Fieri ad omnes in quibus augetur gratia.*

Tertia conclusio in responsione ad 2. his verbis, etiam secundum profectum virtutis, aut augmentum gratiæ, fit missio inuisibilis. Sed tamen secundum illud augmentum gratiæ, præcipuè missio inuisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum statum gratiæ, vt suprà num. 1. Probatur ibidem prima conclusionis pars ex Augustino lib. 4. de Trinitate cap. 20. aliquantò ante medium, dicente de hac missione inuisibili, *Tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfecta in Deo animæ rationalis.* Sed semper atque augetur gratia sanctificans, anima iusta magis in Deum proficit, ac perficitur, illum magis cognoscendo, percipiendo, amando, colendo, quantum pro captu suo hæc habere potest. Ergo talis anima Deum magis possidet, & ipse Deus aliquo nouo modo perfectiore, & intensiore incipit in ea esse. ergo fit noua missio inuisibilis. Et ideo idem Augustinus tractatu 74. in Ioannem paulò post medium, de Spiritu sancto ait, *Non solum non habenti, verum etiam habenti, non in cassum promittitur. Non habenti quidem, vt habeatur: habenti autem, vt amplius habeatur.* Secunda pars conclusionis suadetur ex prima. Si enim quolibet gratiæ augmento haberetur missio inuisibilis; ergo præcipuè haberetur, cum per excellens aliquod augmentum gratiæ euehitur anima ad præstantissimum aliquem gratiæ actum, aut statum.

Augustinus.

4. *Fieri ad Beatos.*

Quarta conclusio in responsione ad 3. his verbis, Ad Beatos facta est missio inuisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio inuisibilis, non secundum intensionem gratiæ, sed secundum quòd aliqua mysteria eis reuelantur de nouo, quod erit vsque in diem iudicij: quod quidem augmentum attenditur secundum extensionem gratiæ ad plura se extendentis. Prima pars patet, quoniam initio beatissimæ visionis incipit Deus nouo modo omnium perfectissimo cognosci, & amari; ergo & possideri. Secunda pars etiam manifesta est, quia Beati, quando illis reuelantur aliqua mysteria, acquirunt nouam aliquam supernaturalem cognitionem Dei, ac proinde fit illis præsens Deus noua aliqua ratione.

5. *Factam ad Christũ initio conceptionis, non postea.*

Quinta conclusio in eadem responsione ad 3. his verbis. Ad Christum fuit facta inuisibilis missio in principio suæ conceptionis: non autem postea cùm à principio suæ conceptionis fuerit plenus omni sapientia, & gratia. Vtraque pars confirmatur verbis illis Christi de se ipso Ioan. 3. *Quem enim misit Deus verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, ei scilicet, quem misit, vt omnes Patres, & Interpretes ex contextu exponunt: vnde Euthymius ita etiam expressè legit. *Non enim huic ad mensuram dat Deus Spiritum.* Aliis datur Spiritus, inquit Augustinus tract. 14. in Ioannem multò post med. *secundum mensuram donationis Christi. Hominibus ad mensuram dat.* iuxta illud 1. Corinth. 12. *Alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum*, &c. *vnico Filio non dat ad mensuram:* quia vt idem Dominus continuò subiungit, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Neque contra hanc missionem in instanti conceptionis est, quòd ante hoc instans non præexistebat Christi persona, vt subsistens in natura humana, non videtur autem missio intelligibilis nisi ad personam præexistentem ante missionem: satis enim est præexistentia secundum naturam. Prius igitur natura debet intelligi anima Christi vnica hypostaticè Verbo, posterius verò natura recipere omnia creata dona in excellentissimo gradu, tanquam sibi naturaliter debita ex illa vnione, & tunc ad illam animam missus est Spiritus sanctus, & consequenter ipsemet Filius, vt subsistens in natura diuina; cum ex probatis art. 5. mitti inuisibiliter non possit Spiritus sanctus absque Filio. Similis præexistentia prioritate naturæ saluat etiam missionem inuisibilem Spiritus sancti, & Filij ad omnes Angelos, & ad primos homines in instanti creationis, & ad Beatissimam Virginem in instanti Conceptionis.

6. *Non fieri ad Sacramenta.*

Sexta conclusio in responsione ad 4. his verbis, Inuisibilis missio diuinæ personæ non fit ad Sacramenta, sed ad eos, qui per Sacramenta gratiam suscipiunt: quoniam hi tantum, & non Sacramenta, aut aliæ irrationales creaturæ, vt templa, vasa, vestes, aliaque huius generis sanctificata, benedicta, ac Deo consecrata, supernaturaliter cognoscere, amare, & colere possunt Deum; & habere cum ipso supernaturalem amicitiam, quæ est necessarium fundamentum inuisibilis missionis.

7. *Non fieri per extrinsecam condonationẽ peccati.*

Septima conclusio, quæ necessariò deducitur ex dictis art. 1. & 2. de essentia missionis in genere, & art. 3. 4. 5. & 6. de missione inuisibili; si per possibile, vel impossibile, de qua re in materia de gratia, remitteretur peccatum mortale per voluntatem Dei prorsus extrinsecam, absque vllius supernaturalis actus, aut habitus infusione, non saluaretur essentia inuisibilis missionis. Ita Capreolus 1. d. 14. art. vnico non longè à fine. Ad argumenta Gregorij; & sequuti sunt Molina supra art. 3. fin. Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. num. 3. & 4. & alij contra Ochamum d. 14. quæst. 2. ad 1. quem sequi videtur Gabriel ibidem art. 3. dub. 3. & fusius contra Ariminensem quæst. vnica art. 1. conclusione 3. & art. 2. ad 2. Præcipua, & efficax ratio perspicuè proponitur à Capreolo, ab eoque confirmatur nonnullis S. Thomæ locis. *Contradictio*, inquit, *est Spiritum sanctum dari creaturæ, & nihil aliud dari creaturæ; quia Spiritum sanctum dari creaturæ, est ipsum nouo modo haberi à creatura, vt cognitum, vel dilectum: & quia Spiritus sanctus non potest esse formalis dilectio creaturæ, actualis, vel habitualis, similiter nec cognitio, oportet, quòd dato Spiritu sancto, detur noua cognitio, vel dilectio, quæ distinguitur à Spiritu sancto. Dicere ergo, quod solum Spiritus sanctus datur, est dicere, quòd datur, & non datur.* Confirmatur, quia prædicta extrinseca remissio concipi quidem potest, vt tollens formalem inimicitiam, & iniustitiam, atque irrectitudinem, & maculam peccati, non tamen concipi potest, vt ponens contrariam formalem

Conclusionis Authores, & Aduersarij.

Ratio Capreoli.

formalem amicitiam, & iustitiam, atque rectitudinem, & pulchritudinem, seu nitorem: sicut si auferretur ab aliquo corpore nigredo, verbi gratia, non ideò ex hoc præcisè poneretur in illo albedo. Igitur ista creatura sine peccato, extrinsecè remisso, se haberet sicut creatura, in qua neque est peccatum, neque gratia, aut alius supernaturalis actus, vel habitus; in qua sine dubio, dici non posset esse Deus speciali quadam ratione, quæ non est in reliquis creaturis, etiam rationalibus nullum habentibus supernaturale donum. At verò omnis missio, vt missio, est planè inintelligibilis, nisi missus in termino, ad quem mittitur, incipiat habere nouam aliquam præsentiam, seu nouum aliquem essendi modum, vt in singulis huius quæstionis articulis docet S. Thomas: quam quidem nouam præsentiam, non potest habere præcisè per solam ablationem impedimenti nouæ præsentiæ. Neque dici potest persona diuina habere hanc nouam præsentiam per aliud extrinsecum decretum dandi gratiam, & gloriam, pro alio tempore futuro: hoc enim satis est ad missionem futuram; sed non sufficit ad missionem præsentem; alioqui ad aliquos peccatores, dum sunt etiam peccatores, mitteretur præsentialiter diuina persona, quoniam prædestinati possunt esse peccatores pro aliquo tempore, quo etiam sunt prædestinati, & efficaciter præordinati ad futuram gratiam, & gloriam; non tamen habent tunc Spiritum sanctum in ipsis inhabitantem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Spiritus sanctus conueniat visibiliter mitti.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quòd Spiritu sancto non conuenit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Probatur conclusio affirmatiua, & explicatur quid sit mitti visibiliter, num. 1.*
2. *Diuerso modo mitti visibiliter Filium, & Spiritum sanctum, ibidem.*
3. *Explicantur omnes visibiles missiones Spiritus sancti, num. 2*
4. *Multa dicuntur de apparitionibus diuinarum personarum antè, & post incarnationem, num. 3. ad finem Articuli.*

1. *Probatur prima conclusio affirmatiua.*

PRIMA conclusio affirmatiua omnium, & ratio articuli est, quia loquendo in genere de missione visibili, prout comprehendit & missionem Filij, & missionem Spiritus sancti, nam Pater nullo modo mittitur, vt supra art. 4. mitti visibiliter, est, personam procedentem apparere sub aliquo signo sensibili, manifestante, & ipsam personam, & inuisibilem eiusdem personæ missionem, vel faciendam in tempore futuro, quo modo missus visibiliter est Filius in carne ad omnes homines ad quos missus inuisibiliter postea fuit per gratiam, & gloriam; vel factam in tempore præscripto quo modo Spiritus sanctus sub specie columbæ missus visibiliter est ad Christum baptizatum, ad quem missus inuisibiliter fuerat à principio suæ conceptionis, vt art. præcedente num. 5. & notatur hic ad 6. ante medium; vel quæ fit in tempore præsenti ipsius missionis visibilis, quo modo Spiritus sanctus missus visibiliter in die Pentecostes sub specie linguarum ignearum, & datus à Christo post resurrectionem sub specie flatus cum Ioan. 20. *Insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum*, &c. demonstrabat inuisibilem ipsius missionem, quam eo tempore faciebat. esse autem conuenientem visibilem huiusmodi missionem, patet, quia, inquit S. Thomas initio Corp. *Deus prouidet omnibus, secundum vniuscuiusque modum. est autem modus connaturalis hominis, vt per visibilia ad inuisibilia manuducatur. Et ideo conueniens fuit, vt inuisibiles missiones diuinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifesterentur.* Conuenieus autem fuit, visibiliter mitti diuerso modo Filium, & Spiritum sanctum, vt addit post medium Corp. & magis explicat ad 4. Filius enim est author Spiritus sancti, qui est ipsa charitas, & sanctitas substantialis. ergo mitti visibiliter debuit, vt author sanctificationis. *Et ideo oportuit*, inquit ad 4. *quod missio visibilis Filij fieret secundum naturam rationalem, cuius est agere, & cui potest competere sanctificari.* At verò Spiritus sanctus, cum ex vi suæ processionis non sit aliud, quàm ipsum sanctificationis donum, non postulat mitti visibiliter, *nisi tanquam sanctificationis indicium*, quod, inquit ad 4. *esse potuit quæcumque alia creatura. Neque oportuit, quòd creatura visibilis ad hoc formata, esset assumpta à Spiritu sancto in vnitatem personæ, cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum. Et propter hoc non oportuit vt duraret, nisi quamdiu perageret officium suum.* Totum hunc discursum ab omnibus Doctoribus receptum inuenio absque vlla controuersia, & in se nullam habet difficultatem. Nam quod de Spiritu sancto sub specie columbæ scripsit Tertullianus l. de carne Christi cap. 3. fin. *tam verè erat, & columba, quàm & Spiritus; nec interfecerat substantiam propria assumpta substantia extranea*: si de assumptione ad essendum in vnitate personæ, non de pura assumptione in ratione signi ad significandum accipiatur, ab omnibus fidelibus censetur temerè dictum, non agnoscentibus aliam naturam hypostaticè assumptam, nisi humanam à Verbo. *Quis enim hoc dixerit*, inquit Augustinus l. 4. de Trinitate cap. 21. post medium, *vt quidquid illud est creatura, per quod sonuit vox Patris, ita sit Deus Pater; aut quidquid illud est creaturæ, in quo per columbæ speciem, vel per igneas linguas, Spiritus sanctus demonstratus est, ita sit Spiritus sanctus, sicut est Filius homo ille, qui de Virgine factus est.* Vnde supra l. 2. cap. 6. initio docuerat, *Ideo nunquam scriptum est, quòd Deus Pater maior sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre, quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumptus est Filius hominis.* Idemque tanquam omnino certum supponit tract. 99. in Ioann. col. 1. fi.

S. Thomas.

Cur diuerso modo mittantur Filius, & Spiritus sanctus.

Nil vnquam in vnitatem personæ assumptum à Spiritu sancto, ex Augustino contra Tertullianum.

2. *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio in responsione ad 6. his verbis, specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus sancti ad Christum, ad Apostolos, & ad aliquos primitiuos sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur. Hoc probat S. Thomas ex illo 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem*, nimirum, vt addit S. Thomas, *Sanctæ Ecclesiæ. Quæ quidem vtilitas est, vt per visibilia signa fides confirmetur, & propagetur.* Quem finem non haberet visibilis missio si fieret ad manifestandam quamlibet inuisibilem missionem factam cuilibet priuatæ personæ iustæ. Primò igitur, inquit S. Thomas, *facta*

De missione facta ad Christum sub specie columbæ, *facta est missio visibilis ad Christum in baptismo sub specie columbæ, quod est animal fœcundum; ad ostendendum in Christo authoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem; vnde vox Patris insonuit, Hic est Filius meus dilectus, vt ad similitudinem vnigeniti, alij regenerarentur.* Tunc igitur, & non ante baptismum facta est visibilis missio ad Christum, quoniam ab ipso baptismo, quando, vt dicitur Luc. 2. *ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta*, initium sumpsit eius prædicatio, cui authoritatem præbere debuit prædicta Spiritus sancti missio, cum publica, & cœlesti Patris testificatione. Deinde facta est alia visibilis missio Spiritus sancti ad eumdem Christum in Transfiguratione, sequitur S. Thomas; *& sub specie nubis lucidæ,* *sub specie nubis lucidæ, ad ostendendum exuberantiam doctrinæ; vnde dictum est, ipsum audite.* Qua missione, ac testificatione mirum in modum confirmata est authoritas prædicationis, & doctrinæ Christi ad vniuersalem vtilitatem omnium fidelium, ad quos docendos ipse missus est in humanitate assumpta. Postea Ioann. 20. refertur visibilis missio Spiritus sancti facta ad Apostolos sub specie flatus, inquit S. Thomas, *ad ostendendam potestatem ministerij in dispensatione Sacramentorum; vnde dictum est eis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Denique missio Spiritus sancti omnium celeberrima fuit in die Pentecostes, *sub linguis igneis ad ostendendum officium doctrinæ, vnde dicitur, quòd cœperunt loqui variis linguis*: tunc enim Apostoli, aliique Domini discipuli, constituti sunt prædicatores, & Magistri Christianæ, atque Euangelicæ religionis per mundum vniuersum. Eodem die missum quoque Spiritum sanctum ad Beatissimam Virginem, nemo dubitat; quia Actor. 1. ipsa etiam cum reliquis refertur in cœnaculo inclusa expectasse aduentum Spiritus sancti; & cap. 2. vniuersalissimè dicitur, *seditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Nam etsi, vt ait S. Thomas 1. d. 16. quæst. 1. art. 2. ad 4. non ordinabatur *ad plantationem Ecclesiæ per modum doctrinæ*, nimirum publicè concionando, & administrationis Sacramentorum, sicut per Apostolos factum est; tamen sine dubio creditur à Christo relicta, vt esset prima, ac præstantissima Fidei Christianæ Magistra ad docendos, & illuminandos ipsosmet Apostolos, & Euangelistas, aliósque primos Christi discipulos. Vnde multò probabilius fit ad ipsam factas esse alias speciales Spiritus sancti missiones ad prædictam docendi authoritatem ostendendam, fundatam in excellentissima gratia Matris Dei, vt piè sentiunt Carthusianus 1. d. 16. quæst. 2. post medium, & alij; & significat Marsilius quæst. 19. art. 4. dub. 4. quamuis id negent S. Thomas supra, Aureolus art. 4. fin. & alij.

De missione facta ad Apostolos sub specie flatus,

& sub linguis igneis,

etiã ad Beatam Virginem.

3. *De apparitionibus diuinarum personarum ante Incarnationem.*

Tertia conclusio in eadem responsione ad 6. circa fin. Patribus veteris Testamenti fuerunt factæ visibiles apparitiones omnium diuinarum personarum, non solum Filij, & Spiritus sancti, sed etiam Patris; quod omnes fatentur, & adeò certum existimauit Augustinus l. 2. de Trinitate cap. 17. fin. vt scripserit, *nimis temerarium esse dicere, Deum Patrem nunquam Patribus, aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse*: quod sequenti cap. 18. probat ex eo, quòd Danieli apparuit antiquus dierum, Deus Pater, dans Regnum, & Filius hominis accipiens Regnum: & huiusmodi apparitionibus vetus Testamentum plenum est, quibus non Angelos, sed ipsasmet diuinas personas immediatè apparuisse, plerique Patres, & Scholastici docent. Illæ verò apparitiones, missiones visibiles dici non possunt. Hoc vltimum S. Thomas probat primò, *quia prius debuit perfici missio visibilis Filij, quàm Spiritus sancti;*

Daniel. 7.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

cum Spiritus sanctus manifestet Filium sicut filius Patrem. ergo ad Patres veteris Testamenti missio visibilis Spiritus sancti fieri non debuit ante incarnationem Filij. Secundò quia illæ apparitiones ostendebant quidem diuinas personas, vt constat ex Augustino suprà, tamen *non fuerunt factæ ad designandum inhabitationem diuinæ personæ per gratiam.* Quem ordinem ad missionem inuisibilem essentialiter importat visibilis missio, vt supra dictum est.

4. *De iisdem apparitionibus ante, & post incarnationem.*

Quarta conclusio in responsione ad 5. visibiles illæ rerum creatarum species, sub quibus diuinæ personæ vel apparuerunt ante incarnationem, vel post incarnationem missæ sunt, fuerunt formatæ ministerio Angelorum. Per illas tamen significabantur non ipsæ creatæ Angelorum personæ exequentes, & seruientes, sed personæ diuinæ imperantes, & ordinantes illa signa visibilia ad immediatam earum repræsentationem; quæ propterea erant in illis creaturis visibilibus, sicut signatum in signo; ita etiam reliqui omnes. De apparitionibus ante incarnationem id est omnino certum authoritate Scripturæ, & Sanctorum. Ad Galat. 3. lex antiqua dicitur *ordinata per Angelos in manu mediatoris.* hoc est, Moysis, qui de se ipso dicit Deuteronomij 5. *Ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo.* Item Hebr. 2. *Qui per Angelos dictus est sermo.* & Actor. 7. *Apparuit illi* nempe Moysi *in deserto montis Syna Angelus in igne flammæ rubi.* Vbi per Angelum Patres communiter intelligunt Filium Dei, qui nomine officij, non naturæ, dictus sit Angelus, hoc est, nuncius. Quod manifestum est ex verbis sequentibus, quibus, qui vocatus fuerat Angelus, statim vocatur Deus, & Dominus; *& facta est ad eum vox Domini dicens: Ego sum Deus Patrum tuorum:* & ex Exod. 3. vbi in eadem visione, non Angelus, sed Dominus, & Deus apparuisse refertur. His, aliisque Scripturæ locis commotus Augustinus l. 3. de Trinitate cap. 11. initio, ait, *Omnia, quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis, secundum suam dispositionem temporibus congruam præsentaretur per creaturam, facta esse, manifestum est. Et si nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus. Extat enim authoritas diuinarum Scripturarum*, &c. Tandem aliquanto ante fin. ita concludit. *Satis demonstratum est, & probabilitate rationis, & firmitate authoritatis de Scripturis sanctis, quod antiquis Patribus nostris ante incarnationem Saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ, & species corporales per Angelos factæ sunt, siue ipsis loquentibus, vel agentibus aliquid ex persona Dei, sicut etiam Prophetas solere ostendimus; siue assumentibus ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur hominibus.*

Exponitur locus Actor. 7.

Augustinus.

5. Idem quoque certum esse debet de apparitionibus, seu missionibus noui Testamenti. Nam Augustinus etiam ita docet l. 4. de Trinitate cap. 21. post medium. *Si autem quæritur post incarnationem Verbi, quomodo facta sit vel vox Patris, vel species corporalis, qua Spiritus sanctus demonstratus est, per creaturam quidem facta ista non dubito.* Et paulò post, *quomodo ista sine rationali, vel intellectuali creatura potuerint fieri, non video.* Consentit Gregorius l. 28. moral. cap. 2. ante med. dicens: *Verbis per Angelum loquitur Deus, cum nil in imagine ostenditur, sed superna verba loquutionis audiuntur: sicut dicente Domino, Pater clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te, protinus respondetur, Clarificaui, & iterum clarificabo. Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat, in tempore per suam substantiam, illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana*

Gregorius.

Ioan. 17.

verba distinxit: sed nimirum de cœlestibus loquens verba sua, quæ ab hominibus audiri voluit, rationali creaturæ administrante formauit. Et ratio vniuersalis pro omni statu est, quia sapientissima, atque ordinatissima Dei prouidentia postulat, vt non ipse solus omnia faciat, sed vt inferiores creaturas guberner, & illuminet per superiores, vt sancti, & Scholastici omnes, inter ipsos Angelos fieri docent. Quam rationem, & rem ipsam tradidit Magnus Dionysius de cœlesti Hierarchia cap. 4. nam ante med. loquens de angelicis substantiis, ait, *Angelorum præcipuè nomine appellantur, propterea quod primum in eis insit diuina illustratio; ac per eos ad vos perueniant eæ, quæ naturam nostram superant, patefactiones.* Quod multis probat, & post nonnulla loquens de particulari casu legis datæ Moysi, sic vniuersaliter ratiocinatur, *Theologia nos docet, eam Angelorum ad nos opera peruenisse; quasi illud ordo diuinæ legis sanciat, ea quæ secundum locum obtinent, ab iis, quæ primum, ad Diuinitatem erigi, & excitari.* Quod confirmari maximè potest ex eo, quòd Deus diuinissimum incarnationis mysterium non per se solum immediatè, sed per Angelum intimari voluit Matri sanctissimæ. ergo multo maiori ratione in reliquis omnibus minoribus dispositionibus eodem Angelorum ministerio vtitur. Ex quo non sequitur, demonstrari ipsum Angelum, sed potius diuinam personam missam, quam ipsemet Angelus demonstrare intendit, loquendo, vel agendo aliquid nomine illius. Sicut enim loquente Propheta, inquit Augustinus contra Adimantum cap. 9. ante med. *rectè dicitur, dixit Dominus; quia Verbum Dei, quod est Christus, in Propheta loquitur veritatem; sic & in Angelo ipse loquitur, quando veritatem Angelus annunciat. & rectè dicitur, Deus dixit, Deus apparuit; & item rectè, Angelus dixit, Angelus apparuit; cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creaturæ.* Frequentiùs autem in sacris literis scriptum est, dixit Dominus ad Moysem, & non potius, dixit Angelus ad Moysem, *quia*, inquit idem Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 11. aliquanto post principium, *cum verba iudicis præco pronunciat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille iudex.*

Dionysius.

Augustinus.

3. *Visibilia signa, sub quibus vna persona mittitur, omnes personæ causant.*

Quinta conclusio in responsione ad 3. sensibiles creaturas, sub quibus diuinæ personæ visibiliter mittuntur, tota Trinitas operatur. Nihilominus sub illis mittitur vna persona, & non alia. Prima pars ita certa est, sicut certum est, quamlibet creaturam ad extra fieri indiuisibiliter à tota Trinitate. Secunda pars certa etiam apud omnes esse debet, quidquid contrarium significet Antonius Corduben-

Corduba.

sis in suo quæstionario l. 1. q. 41. à principio. Probatur primò, seu potius declaratur à S. Thoma; *sicut enim diuersis missionibus significatur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; ita etiam diuersis rebus significari potuerunt; quamuis inter eos nulla sit separatio, aut diuersitas*, videlicet in natura, non in persona. Secundò quia sicut incarnatus est Filius, non Pater, nec Spiritus sanctus, ita per incarnationem missus visibiliter est solus Filius. Tertiò non Pater, nec etiam Filius, sed solus Spiritus sanctus missus est ad Christum per columbam, per nubem lucidam; & ad Apostolos per flatum, per linguas igneas. Et ideò Ioann. 14. 15. & 16. Filius expresè promittit missionem solius Spiritus sancti, eámque solam celebrat Ecclesia in die Pentecostes. Et Christus Ioann. 20. cum insufflauit, dixit, *Accipite Spiritum sanctum*; & non dixit, accipite Patrem, aut Filium: Quamuis igitur, & signum visibile, & inuisibilia gratiæ dona, ad quæ significanda dirigebatur signum, facta fuerint à tota Trinitate; tamen ex extrinseca Dei ordinatione conuenienter decreta, destinatum est signum ad demonstrandam solam personam Spiritus sancti, ratione alicuius effectus, illi soli appropriati.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm nulla persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quòd nulla persona diuina mittatur, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Totam Trinitatem dici posse mittere, non mitti. num. 1. ad 4.*
2. *Filium, vt hominem mitti etiam à Spiritu sancto, & à se ipso. n. 4. & 5.*
3. *Sic etiam mitti eundem Filium & Deum. num. 4. & 6.*
4. *Nullam personam diuinam mitti ab aliqua creatura. n. 7. & 8.*

PRIMA conclusio, cum ex dictis articulo 1. in missione duplex habitudo essentialiter includatur, & processiones ab eo, à quo missus mittitur, & effectus creati, ad quem missus mitti dicitur, ratione primæ habitudinis, nulla persona mittitur, nisi ab ea, à qua procedit æternaliter, nec vlla persona mittit, nisi sit alterius personæ principium, *& sic Filius mittitur tantum à Patre, Spiritus sanctus autem à Patre & Filio*: ratione vero secundæ habitudinis, *totæ Trinitas mittit personam missam*, ac proinde eadem persona missa mittit se ipsam. Cum hac distinctione respondet S. Thomas conciliando diuersas Doctorum loquutiones de hac re. Vbi aduertendum, quòd tota Trinitas dicitur mittens, non tamen missa, quia Pater est mittens tantum, non missus, cum sit producens, non procedens, vt supra art. 4. Filius verò est propriè missus respectu Patris, est propriè mittens respectu Spiritus sancti. Solus Spiritus sanctus, quia est procedens, non producens aliam personam, dicitur propriè, & adæquatè missus tantum, non mittens aliam personam, sed solum mittens se ipsum ad aliquem terminum creatum, sicut etiam se ipsum mittit Filius. Persona enim, quæ est missa ab alia persona, dici potest mittere se ipsam ad aliquem terminum: quæ verò non est verè missa, qualis est Pater, dici non potest mittere seipsam. Et ideò S. Thomas supra non dixit, tota Trinitas mittit seipsam, quia tunc etiam Pater mitteret se ipsum; sed dixit, *Tota Trinitas mittit personam missam*; quæ est Filius, & Spiritus sanctus, non Pater. Quoniam igitur vna persona ab alia, à qua procedit, ita mittitur ad terminum creatum, vt ad illum terminum ipsa etiam concurrat, verbi gratia, Filius per incarnationem missus à solo Patre, ipse etiam cum Spiritu sancto non minus ac Pater ad totam illam incarnationis actionem effectiuè concurrit; ideò ad explicandam hanc communem habitudinem effectiuam ad extra, quam tota Trinitas habet ad terminum aliquem creatum, quæ habitudo ingreditur essentiam missionis, dicta est tota Trinitas, atque adeò ipsamet persona missa, mittere personam missam: non quidem per aliquam authoritatem supra personam, quæ mitti dicitur, sed per authoritatem supra terminum, ad quem missus mittitur.

I.

Totam Trinitatem dici posse mittere, non mitti.

Hunc sensum expresè tradidisse videtur Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. paulo ante med. dicens, *Fortasse*

2. Augustinus.

Fortasse aliquis cogat, vt dicamus etiam, à se ipso missum esse Filium, quia ille Mariæ conceptus, & partus, operatio Trinitatis est, qua creante, cuncta creantur. Et quomodo iam Pater eum misit, si ipse se misit? & respondet *illam incarnationem, & ex Virgine natiuitatem, in qua Filius intelligitur missus, vna eademque operatione Patris, & Filij inseparabiliter esse factam; non vtique inde separato Spiritu sancto, de quo apertè dicitur, Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Item Hyginius epistola 1. Decretali, initio ait, *Filium non secundum Deitatem solam à Patre missus est, sed secundum carnem, quam pro nobis assumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum idem se Filius miserit, Apostolus contestatur, & dicit, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & humiliauit semetipsum,* &c. Similiter Toletanum XI. in professione Fidei col. vlt. *Filius à se ipso quoque missus accipitur pro eo, quòd inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.* Eodem sensu docet Magister lib. 1. sent. dist. 15. initio, Spiritum sanctum temporaliter procedere, & mitti non solum à Patre, & Filio, sed etiam à se ipso. Et probat ex Augustino, dicente, quòd Spiritus sanctus se ipsum dat. *Si autem*, inquit Magister, *se ipsum dat, tunc, & à se ipso procedit, & mittitur. Nam processio temporalis Spiritus sancti, vel missio, ipsius est donatio, & ipsa Dei operatio. Procedit ergo Spiritus sanctus temporaliter à se, & mittitur à se, quia datur à se.* Quæ consequentia bona est de persona procedente, non autem de non procedente. Pater enim datur, sed non mittitur, vt ex superioribus constat.

Matth. 1.
Hyginius.
Philipp. 2.
Toletan. XI.
Magister.

3. Contra verò, alij non attendentes tantum secundam habitudinem processionis ad extra, sed etiam primam habitudinem processionis ad intra negarũt, personam missam, mitti à se ipsa. Sic Basilius l. 5. cõtra Eunomium §. 2. non longè à principio, exponens illud Ps. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, ait de Spiritu sancto, *nec profectò ipse se ipsum mittit. Missionem autem vocat exitum ad opus, non de loco in locum migrationem.* Et Hieronymus l. 5. in Ezechielem c. 16. pagina penultima generaliter ita docet, *Quod coniunctum est, & in vno corpore copulatum, mitti non potest; sed illud, quod extra corpus est, v. g. lancea, telum, sagitta, gladius.* Nihil autem est magis coniunctum, quàm idem sibi ipsi: ergo nulla persona dici potest mitti à se ipsa. Et ex antiquis Scholasticis Altissiodorensis l. 1. summæ c. 7. q. 3. principali quæstiuncula 2. contendit, *quòd hæc est falsa, Spiritus sanctus mittit se.* Item, Filius à se missus est in corda fidelium, & in carnem. Solum concedit, quòd Filius à se missus est ad prædicandum. Scotus quoque 1. d. 15. q. vnica. §. *Videtur*, defendit vt rationabile, quòd nulla persona se ipsã mittat; tametsi §. *Licet*, defendat sententiam Magistri, quam tamen multis impugnat Durandus 1. d. 15. q. 3. cui ex recentioribus consenserunt Suarez l. 12. de Trinit. c. 2. n. 3. & c. 3. n. 6. & sequentibus. Vazquez disp. 170. cap. 2. initio, & c. 3. n. 11. sed reliqui omnes, & antiqui, & moderni multò communius cum Magistro, & S. Thoma fatentur, rectè etiam, licèt minus propriè dici posse, vnam personam mitti temporaliter non solum ab alia, à qua æternaliter procedit, sed etiam à se ipsa, à qua simpliciter procedere non potest. Nec oportet diutius immorari in controuersia de solo modo loquendi, qui præsertim in tanta, támque graui authoritate fundatus est.

Basilius.
Hieronym.
Altissiodorensis.
Scotus,
Durandus.
Suarez.
Vazquez.

4. *Distinguitur, & explicatur duplex Filij missio.*

Secunda conclusio, etiam Spiritus sanctus dici rectè potest mississe Filium, non solum in quantum est homo, hoc est, persona subsistens in natura humana, quæ persona, vt sic missa est à Spiritu sancto, & à tota Trinitate ad prædicationem, passionem, & mortem; sed etiam in quantum est Deus, hoc est, subsistens in natura diuina; quæ persona, vt sic missa est à Spiritu sancto, & à tota Trinitate, vt humanitatem assumeret. Hoc existimo significari à S. Thoma illis verbis in fine corp. *Si persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem extenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam.* Sed principium effectus incarnationis Verbi, ratione cuius effectus missum est Verbum, vt fieret caro, non solum est Pater, sed etiam Spiritus sanctus, & ipsemet Filius. Ergo ratione prædicti effectus præcisè, Filium misit non solum Pater, sed etiam Spiritus sanctus; & ipsemet Filius misit se ipsum. Quod verè non est aliud, nisi liberum decretum de Verbi incarnatione, factum esse à tota Trinitate; & ipsam incarnationis actionem, totúmque illius actionis effectũ esse à tota Trinitate effectiuè causatũ. Hanc duplicẽ Filij missionem apertè distinguit Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 20. initio, illis verbis, *Non tantum missus Filius, quia Verbum caro factum est*; quidquid enim dicitur de homine assumpto, dicitur per communicationem idiomatum de persona assumente, *Sed ideò missus, vt Verbum caro fieret.* Item Cyrillus l. 4. in Ioan. c. 42. non longè à fine, exponẽs verba illa, *Meæ doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*, ait, *Non seruilis hæc missio est, quamuis merito ita dici possit, quia formam serui accepit; sed mittitur etiam, vt Verbum ex mente, vt splendor Solis ex Sole, ac generaliter fulgor ex re fulgente.*

Augustinus.

Cyrillus.

5. *Filium quatenus hominẽ mitti à tota Trinitate. Exponitur locus Isaiæ 48.*

Prima conclusionis pars de missione Filij, quatenus hominis, ab omnibus conceditur, & Patribus, & Scholasticis; nec ab vllo sanæ mentis Theologo negari potest: quoniam Isaiæ 48. de persona Verbi æterni, secundum omnes Interpretes dicitur, *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*; hoc est, inquiũt, & Deus Pater, & Deus Spiritus sanctus. Hęc enim verba, inquit Augustinus lib. 2. de Trinit. c. 5. paulò ante med. *Ipse Christus intelligitur de aduentu suo futuro, dicere*; ad docendum, quod vt idem Augustinus scribit serm. 6. de Tempore, qui est secundus de Natiuitate, in med. *Sicut à Patre, ita etiam à Spiritu sancto ad redemptionem nostræ malitiæ destinatus est.* Vnde Toletanum supra, *Filius*, inquit, *non solum à Patre, sed etiam à Spiritu sancto missus credendus est, in eo, quòd per Prophetam dicitur, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Præterea Isaiæ 61. clarius de Filio Dei dicitur, vt ipsemet de se ipso dictum esse docet Luc. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus, misit me*, &c.

6. *Filium quatenus Deum mitti à tota Trinitate.*

Secunda pars de missione Filij, quatenus Dei à Spiritu sancto, est S. Thomæ, vt probaui num. 4. Et à multis aliis probabilissimè notatur contra Durandum, Suarez, & Vazquez supra negantes idem mitti à se. Qua enim veritate, ac rectitudine dicitur eadem persona mittere se ipsam, & tota Trinitas mittere personam missam, vt supra n. 1. & 2. eadẽ sine dubio dicitur. Spiritus sanctus mittere Filium missum ad assumendam humanitatem; nimirum non propter processionem à principio, à quo Filius mittitur, cum principium Spiritus sancti sit Filius, non Spiritus sanctus Filij; sed propter processionem ad terminum creatum, ad quem mittitur Filius: quæ processio, cum sit ad extra effectiuè, non minus est à Patre, quam à Spiritu sancto, & ab ipsomet Filio misso, & incarnato. Hoc modo loqui videtur Athanasius, vel quiuis Author fuerit operis de vnita Deitate lib. 3. de Assumptione Hominis, propè finem, dicens, *Memento reciprocam esse hanc naturæ virtutem mittentis, & missi; dum hic, qui nunc missus est*, videlicet Spiritus sanctus, *ipse iam pridem misisse mittentem inueniatur.* Quod confirmat verbis Isaiæ 48. & postea concludit. *Discę tandem aliquando vnitam esse hanc naturæ diuinitatem mittentis, & missi;*

Athanasius.

dum, qui nunc in Euangelio, quamuis missurum se Spiritum sanctum testatus sit, tamen se ipse ab eo iam prius missum per Esaiam professus est: dum hic qui mittitur, à mittente nunquam diuiditur, quia indiscreta natura est. Vbi Author clarissimè loquitur de missione reciproca inter personas diuinas
Ambrosius. eiusdem omninò naturæ. Ambrosius etiam lib.2. de Fide cap.4. col.2. fin. soluens Arianorum argumentum, deducentium, Filium minorem Patre ex eo, quòd à Patre missus est, instat, *Quia Christus in Esaia loquutus est ab Spiritu sancto esse se missum. Nunquid ergo Spiritus minor Filius, quia missus à Spiritu est?* Quæ instantia nullius momenti esset, si non intelligeret Ambrosius missum à Spiritu sancto Filium, vt subsistentem in natura diuina. Alioqui certum est, Filium, vt subsistentem in humanitate, minorem esse Spiritu sancto, vt subsistente in diuinitate. Præterea
Augustinus. Augustinus non obscurè dicit, ipsum Verbum missum etiam à Spiritu sancto, vt fieret caro. Nam lib.2. de Trinit. cap.5. aliquantò ante med. ait de Filio, *Missi à Patre sine Spiritu sancto non potuit: non solum, quia intelligitur Pater, cum eum misit, id est, fecit ex fœmina, non vtique sine Spiritu sto fecisse; verum etiam, quod manifestissimè, & apertissimè in Euangelio dicitur Virgini Mariæ quærenti ab Angelo, Quomodo fiet istud? Spiritus sanctus superueniet*
Luc.1. *in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et Matthæus*
Matth.11. *dixit, Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Proculdubio Deus Pater, vt dicitur ad Galat.4. *Cum venit plenitudo temporis, misit Filium suum factum ex muliere.* Quod, inquit ibi Augustinus, *Satis ostendit, eo ipso missum Filium, quo factus est ex muliere.* Hoc autem non est mittere Verbum iam factum hominem iuxta primam partem conclusionis, sed iuxta secundam est, ipsum Verbum in natura diuina subsistens mittere, vt fiat homo, & subsistat in alia natura humana. Idem habet Augustinus verbis citatis supra n.2. quibus missionem Filij à Patre, qua Verbum caro factum est, tribuit etiam Filio, & Spiritui sancto. Demum dixit Augustinus, vt refertur hic in corp. *quòd Spiritus sanctus etiam mittitur, & à se, & à Filio.* Ergo pari ratione dici potest Filius mitti & à se, & à Spiritu sancto. Illud autem non inuenitur in Augustino dictum actu, sed virtute, iuxta consequentiam Magistri supra n.2. probatam, quia ex eo, quòd Augustinus de procedente Spiritus sancti persona dixerit, Dari à se, rectè colligitur dixisse, mitti à se.

7. *Nullam personam diuinæ mitti ab aliqua creatura.*

Tertia conclusio, ex eo, quòd per ordinem ad effectum creatum, qui ordo in ratione missionis essentialiter includitur, tota Trinitas mittat personā missam, & consequēter eadem persona missa, mittat se ipsam, & mittatur non solum à persona, à qua procedit, sed etiam à persona, à qua non procedit, sicut Filius mittitur à Spiritu sancto; non sequitur, posse pariter rectè dici, Personam mittam, mitti etiam, aut dari ab homine, vel aliqua alia creatura. Hoc notauit, & probauit S. Thomas in fin. corp. dicens. *Non autem propter hoc homo dat Spiritum sanctum, quia nec effectum gratiæ potest causare;* ad quem inuisibilem effectum, & inuisibilem missionem demonstrandam omnis visibilis missio essentialiter ordinatur, ex a.7.
Magister. Idem sequuntur reliqui omnes, cum Magistro lib.1.
Augustinus. sent.d.14.litera D. propter expressam authoritatem Augustini, ita docentis l.15.de Trinit.c.26. aliquantò post principium, *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imò quantus Deus est, qui dat Deū? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctū. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipse cum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc seruat Ecclesia. Denique & Simon Magus offerens Apostolis pecuniam, non ait, Date & mihi hanc potestatem, vt dem Spiritum sanctum; sed, cuicumque, inquit, imposuero manus, vt accipiat Spiritum sanctum. Quia neque Scriptura superius dixerat, Videns autem Simon, quòd Apostoli darent Spiritum sanctum; sed dixerat, Videns autem Simon, quòd per impositionem manuum* Actor.1. *Apostolorum daretur Spiritus sanctus.* A qua datione post nonnulla excludit etiam ipsum Christum, vt hominem, subiungens, *In eo etiam, quòd de illo scriptum est, quod accepit à Patre promissionem Spiritus sancti, & effuderit, vtraque natura monstrata est, & humana scilicet & diuina; accepit quippe, vt homo, effudit vt Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro: effundere autem super alios non vtique possumus; sed vt hoc fiat. Deum super eos, à quo hoc efficitur inuocamus.*

Quare illud Pauli ad Galat.3. *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis.* Si de ipsomet Paulo intelligatur, vt intelligunt Magister supra in litera F. & Augustinus apud ipsum, & Thomas in expositione illius loci, referens glossam, est exponendum non de tribuere, & operari dando Spiritum sanctum, & operando gratiam, & virtutes animæ sanctificatæ; sed de tribuere, & operari, ministrādo per prædicationem, & impositionē manuum, quam deinde consequebatur Spiritus sanctus, ab ipso solo Deo datus. Quamquam multò probabilius est; id non esse intelligendum de Paulo, sed de ipso Deo, vt noster Iustinianus ibi cumulatissimè Iustinianus. adnotauit, sequens Hieronymum, Chrysostomum, & Theophylactum, & alios, & liberans Augustinum à priori intelligentia. Quæ omnia apud ipsum, si placet, legi possunt. Demum nec obstat per ministros Sacramentorum, seu manus dicere, per ipsa Sacramenta ab hominibus ministrata causari physicè gratiam, & virtutes. Quoniam admittendum, seu dandum Spiritum sanctum, qui est principalis causa gratiæ, non sufficit quæcumque ministerialis, & instrumentalis gratiæ productio; sed necessariò est productio ab ipso principali gratiæ datore, qui ex se liberè dat, quando vult, & quibus vult; & nemo alius dare potest nisi ab illo supernaturaliter elenatus; de quo solo dictum est Psalm.83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.*

8. *Exponitur locus ad Galat.3.*

Atque hæc satis de incomprehensibili diuinarum personarum Trinitate; satis quidem non pro dignitate materiæ, sed pro nostra imbecillitate; cui insufficienti cogitare aliquid ex se, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus dedit hæc scribere. *Verum*, vt hos meos commentarios claudam verbis Augustini in fine operis sui de Trinitate, Augustinus. quibus, aliisque multis à sanctissimo, doctissimóque viro ibi scriptis, cor meum mirificè delectari in Domino sentio, *inter hæc quæ multa iam dixi, nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate dignum, me dixisse audeo profiteri: sed confiteri potius mirificatam scientiam eius ex me, inualuisse, nec posse me ad illam.* Ps.138. *Quantum potui, quantum me posse fecisti, quæsiui te, & desideraui intellectu videre quod credidi; & multum disputaui, & laboraui. Domine Deus meus, vna spes mea, exaudi me ne fatigatus nolim te quærere, sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inuenire te fecisti. Et magis magisque inueniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas, & infirmitas mea: illam serua, istam sana. Coram te est scientia, & ignorantia mea. Vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem. Vbi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Domine Deus vnus, Deus Trinitas, quæcunque dixi de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLV.

De modo emanationis rerum à primo principio, in octo articulos diuisa.

Deinde quæritur de modo emanationis rerum à primo principio, &c.

Connexio cū præcedētibus.

NON erit omninò alienum à methodo, quam scientifici operis vnitas postulat, si in hoc eodem tertio tomo, vbi de Beatissima diuinarum Personarum Trinitate, earumque processionibus, intra ipsum Deum immanentibus agitur, simul etiā in genere de creaturarū processionibus, quæ à Deo quoque pariter emanant, sed extra Deum transeunt, disseramus. Cum enim impij Christianæ veritatis hostes diuinissimam Trinitatem creaturis, creatísque processionibus, vt ex superioribus constat, confundere, ac fœdare, stultissima temeritate conati sint, ad Theologum de Trinitate exactè disputantem pertinere videtur, non solum quid iuxta catholicam veritatem in ea sit, quod hactenus perfecimus, verum etiam quid in ea non sit, sed ab hæretica prauitate insipientissimè fingitur, quod in hac quæstione præstare intendimus, diligenter ostendere. Creationis enim natura, ac proprietatibus subtilius vberiusque explicatis, planè constabit in tribus diuinis personis, quæ sunt vnus Deus, cui per suam essentiam semper esse conuenit; creationem, quæ productio quædam temporanea est, ex non esse procedens, locum habere non posse; & nullam personam, quæ creatrix est, posse esse creatam. Virtus quoque, atque æqualitas diuinarum personarum fiet illustrior, cum demonstratum fuerit, creationis opus ita ab ipsis perfici, vt nullum alium artificem habere queat, & tanto consensu, tantaque connexione perfici, vt vna qualibet operante prorsus implicet reliquas pariter non operari. Demum diuina processione, ad extra transeunte, enucleatius tradita, ratio alterius diuinæ ac longè præstantioris processionis, ad intra manentis, multò clarius apparebit, præsertim cum hæc non ita creationem excedat, vt sit à creaturis omnino absoluta: nam in superioribus cum communissima opinione probatum est, & Verbum ex cognitione creaturarum, & Spiritum ex earumdem amore aliqua ratione procedere. Prætermissa est autem præcedens quæstio 44. quæ ferè tota occupatur in tractatione de primo rerum omnium principio efficienti, exemplari, atque finali; de his enim omnibus sufficienter disputatum est in primo tomo quæst.2. de existentia primæ causæ; & tomo 2. quæst.15. de Ideis; & quod in eadem quæstione reliquum est in art.2. de creatione primæ materiæ, commodius examinabitur in art.4. præsentis quæstionis 45. vbi de rebus creabilibus agitur.

ARTICVLVS I.

Vtrùm creare sit ex nihilo aliquid facere.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd creare non sit ex nihilo, &c.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua probatur primò authoritate, num.1. ad 4.*
2. *Probatur secundò rationibus, num.5. & 6.*
3. *Traduntur aliæ creationis acceptiones minus propriæ, num.4.*
4. *Exponitur creationis definitio, num.7.*
5. *Quid in creationis definitione significet illud* ex nihilo, *num.8. ad finem articuli.*

1. *Conclusio affirmatiua.*

PRIMA conclusio simpliciter affirmatiua, est omnium planè Theologorum ac Philosophorum, si antiquos illos infideles excipias, qui creationem agnouisse non videntur; vnde eorum erat communis illa vox, *Ex nihilo nihil fit*: de quibus Philosophus 1. phys. t.33. testatus Aristoteles. est, *communem opinionem Physicorum esse, quòd nihil fit ex eo quod non est.* & cap. sequenti 34. cum dixisset, *id quod est, ex iis quæ non sunt, fieri impossibile est*; subiunxit, *De hac enim conueniunt opinione omnes, qui de natura.* Et Anselmus in Monologio c.7. med. *Vox omnium est, quia nihil de nihilo.* Anselmus.

2. *Conclusionis authoritas, ex glossa, Anselmo, Iustino,*

Probatur conclusio primò authoritate, quoniam hunc creationis conceptum sapientes omnes, præsertim Catholici tradiderunt. S. Thomas in argumento *Sed contra*, probat ex eo, *quod super illud Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum, &c. dicit glossa, quod creare est aliquid ex nihilo facere.* Quam factionem ex nihilo acutè probat, & multis explicat Anselmus supra cap. 6. 7. & 8. Addi præterea possunt Iustinus oratione paræne- *Athanasio,* tica ad Genesin, aliquantò post medium, dicens, *Inter effectorem & opificem, magna est distinctio, ipsius Platonis sententia: nam effector, cum rem aliam nullam requirat, vi arbitratúque suo id, quod fit facit*: quod alij dicunt facere ex nihilo. *Opifex autem vi à materia sumpta, id quod fit, construit.* Et Athanasius serm.3. contra Arianos col.16. Dei Verbum non esse creatum, ita explicat: *Non esse quiddam, quod ex nihilo prodierit.* Et idem re ipsa docent Concilij Nicæni Patres, damnantes *Nicæne,* Arianorum sententiam dicentium, Filium Dei fuisse creatum, dum in confessione Fidei lib.2. circa fin. anathematizant, *eos qui dicunt, quia ex nullis substantibus factus est*; hoc est, ex nihilo, & lib.4. initio in Epistola Synodica scripta Ecclesiis, damnatur initio Arrius, *ex non existantibus Verbum Dei esse dicens.* Et paulò post, communem etiam verba vsurpando, in Fidei formula, in Concilio edita, initio anathema denunciatur iis, *qui dicunt, quòd ex nihilo ortus est.* & circa finem statuunt, *omnino vitandam hanc vocem, tamquam à Scripturis abhorrentem, quam nulla Scriptura diuinitus inspirata vsurpauit, Filium Dei ex nihilo ortum esse.* Et Ambrosius lib.1. Hexaëmeron. cap.4. fin. exponens *Ambrosio,* primam rerum creationem, ait de Deo, *qui momento imperij sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse, quæ non erat, & non de extantibus, aut rebus, aut causis, donauit habere substantiam.* Præterea Augustinus lib.1. de Genes. contra Mani- *Augustino,* chæos cap.2. post medium loquens de rebus, quas in principio creauit Deus, ait, *Nec ea genuit de se ipso, vt hoc essent quod ipse est, sed ea fecit de nihilo, vt non essent æqualia, nec ei à quo facta sunt, nec Filio eius per quem facta sunt.* Et lib. de Genes. ad literam imperfecto c.1. non longè à princ. *Deū creasse omnia quæ sunt, in quantum sunt, Catholica disciplina dici iubet; ita vt creatura omnis, siue visibilis, siue inuisibilis, nō de Dei natura, sed à Deo facta de nihilo; nihilq; in ea esse quod ad Trinitatē pertineat, nisi quod Trinitas cōdidit. Ista condita est.* Eādem de nihilo factionē eleganter idem

Augustinus ita explicauit lib. 12. de ciuit. c. 25. paulò post principium. *Vnus creator Deus mundum ipsum, & Angelos sine vllo mundo, & sine vllis Angelis fecit.* Et Cyrillus lib. 5. Thesauri c. 3. paulò post principium, *Creandi virtus ipsam rerum substantiam à nihilo ad esse producit.* & c. 4. aliquātò post principium, *Ea creari dicuntur, quæ ex nihilo ad esse procedere intelliguntur.* Et Damascenus lib. 1. Fidei c. 8. paulò ante medium probat, Filium Dei non esse per creationem productum, *Non enim ex non enti ad esse deductus Filius Dei.* Et post medium, *Creatura facta est non ex Dei substantia, quippe quæ ex nihilo ad esse voluntate eius, atque virtute producta est:* & vt addit paulò post, *De non esse ad esse deducitur.* & cursus infra, *Homo nihil ex non esse ad esse deducit; sed quodcunque facit ex materia, quam præiacere oportet, facit. Verū Deus ex nihilo ad esse cuncta perduxit.* & lib. 2. c. 2. *Deus ex nihilo ad esse deduxit, atque condidit vniuersa.* Et Gregor. hom. 26. in Euangelia, non longè à fine, *Deus simul omnia ex nihilo creauit, cœlum & terram ex nullis existentibus condidit.* & alij passim. Vnde Toletanum XI. in Fidei professione Filium Dei, ait, *nec factum, nec de nihilo;* hoc est, nec creatum; & Lateranense sub Innocentio III. c. 1. circa principium, Fidei certitudine credendum esse definit, *quod Deus simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam.* Et Magister l. 2. sent. dist. 1. initio, *Creator est qui de nihilo aliquid facit: & creare propriè de nihilo aliquid facere.* Quem conceptum, & loquendi modum ibidem, aliisque in locis, omnes planè Scholastici sequuti sunt.

Cyrillo. *Gregorio.* Toletanum XI. Lateranense. Magister.

3. Porrò autem hic communissimus consensus certum habet in sacris literis fundamentum. Nam Isaiæ 41. dicitur, *Ecce vos estis ex nihilo.* Et lib. 2. Machabæorum cap. 7. post medium, fortissima Mater ex Spiritus sancti instinctu dixit, *Peto nate vt aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis sunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Et apertè colligitur ex locis docentibus, quod fide credimus omnes prorsus creaturas factas à Deo esse, & præter vnum Deum nullam prorsus rem existere, quæ à Deo facta non sit. Psal. 145. de Deo dicitur, *Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt,* & Psal. 32. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Et Ecclesiastici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Et Ioan. 1. de Deo Verbo dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est:* hoc est, (vt cum communiore, & probabiliore Patrum sententia legendum, & exponendum esse ostendit ibi noster Maldonatus) nihil omninò est eorum quæ facta sunt, quod sine ipso, siue quod non per ipsum factum sit. Et Coloss. 1. *In ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia, & inuisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Si res omnes, quæ non sunt Deus, ab ipso Deo factæ sunt. ergo fieri non potuerunt ex aliquo quod non est Deus; quoniam hoc aliud, quod non est Deus, inter omnia à Deo facta contineatur necesse est; nihil autem factum esse potest ex se ipso, quia id ex quo fit res, debet præsupponi rei, eiusque factioni: ergo res omnes, quæ non sunt Deus, factæ sunt ex nulla prorsus re præsuppositа, quod est fieri ex nihilo. Sed factæ sunt per creationem; ergo creatio est factio rei ex nihilo. Ergo Scriptura explicitè docens, res omnis, quæ non sunt ipsemet Deus, factas à Deo per creationem, necessariò censenda est docere implicitè, quod creare non sit propriè aliud quàm ex nihilo aliquid facere. Quod argumentum tangit Augustinus lib. de natura boni contra Manichæos c. 26. cum Deum omnia fecisse de nihilo ita probat. *Non enim erat vnde aliquid faceret, de quo Apostolus apertissimè dicit, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* & initio capitis idē cōfirmat verbis Rom. 4. ita discurrens, *Quia Deus omnia, quæ de se non genuit, sed per Verbum suum fecit, non de his rebus, quæ iam erant, sed de his quæ omnino non erant, hoc est, de nihilo fecit, ita dicit Apostolus, Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.*

Exponitur locus Ioan. 1. *Exponitur cū Augustino locus Rom. 4.*

4. *Tres aliæ creationis acceptiones minùs propriæ.* Dixi, *propriè*, vt limitat Magister suprà, nimirum secundum vsum, quem apud omnes Theologos & Philosophos habet, disputantes de creatione, tamquam de mutationis, seu factionis quadam specie à reliquis distincta: alioquin eadem vox in aliis significationibus minus propriis, seu potius minus rigorosis, passim vsurpata legitur. Primò propurissima *productione, seu generatione rei, ex substantia generantis,* non tamen aut ex nihilo rei productæ, aut ex aliquo subiecto ad rem producendam præsuppositо. In hoc sensu ipsimet diuini Verbi generationi ista vox aliquando tributa est, vt Prouerb. 8. *Dominus creauit me, antequam quidquam faceret à principio. Nondum erant abyssi, & ego iam cōcepta eram: ante omnes colles ego parturiebar,* &c. vt exponunt S. Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Thomas, & multi alij Scholastici relati supra q. 27. art. 1. n. 14. & Ecclesiast. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,* vt exponit Euaristus ibidem relatus; & clarius aliis verbis eiusdem capitis 24. vbi eadem increata Verbi persona, ac sapientia, quæ prius dicit, *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturā;* postea de seipsa subdit non solum, *qui creauit me,* vt supra, sed etiam, *Ab initio, & ante sæcula creata sum:* vt interpretatur sanctus Thomas ibidem num. 14. & num. 18 1. Secundo *pro facere, etiam ex aliquo subiecto.* Sic multi Patres eadem quæst. 27. art. 1. à num. 6. præsertim num. 11. citata verba Prouerb. 8. intelligunt de Christo ratione humanæ illius naturæ, quæ non est ex nihilo producta, sed genita, & facta ex præexistenti materia. Iuxta hanc secundam acceptionem rectè testatur Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 4. circa principium, quòd in *Latinæ linguæ consuetudine dicatur aliquando creare pro eo quod est gignere.* ita passim, & eleganter dicitur, *liberorum procreatio:* & à Lucretio lib. 2. *Creatrix rerum natura:* & à Tullio pro Cornelio Balbo, *Creator huius vrbis Romulus.* Sic etiam Genes. 1. *Creauit Deus cete grandia;* quæ tamen ibidem producta dicuntur ex aquis, non ex nihilo. Et paulò post, *Creauit Deus hominem,* quem tamen non fecit de nihilo, sed vt subditur sequenti cap. 2. *Formauit de limo terræ.* Tertiò creari quoque dicitur, quod simpliciter non fit, neque ex nihilo, neque ex aliquo, sed iam factum, & esse aliūde præ habens, *transfertur tantum de vno in alium statum.* Ait enim Augustinus lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 23. non longè à principio, *Intelligimus id fieri, quod si non fieret, omnino non esset: creari autem, ex eo quod erat condi aliquid, vel constitui. sicut dicimus creari magistratus, atque vrbes.* Vbi, vt dicitur hîc ad 1. *Augustinus æquiuocè vtitur nomine creationis, secundum quòd creari dicuntur ea, quæ in melius reformantur, vt cum dicitur aliquis creari in Episcopum.* Hanc tertiam creationis vsurpationem tradiderunt etiam, & ex Scripturis sanctis probarunt Athanasius, Hieronymus, & Cyrillus locis, & verbis citatis supra quæst. 27. art. 1. n. 11.

Exponitur locus Prouerbiorum 8. *Et Ecclesiast. 24.* *Augustinus.* *Lucretius.* *Tullius.* *Exponitur locus Gen. 1.* *Augustinus.* *S. Thomas.*

5. *Conclusionis ratio ex corpore articuli.* Probatur secunda conclusio ratione articuli, quæ demonstratio est, saltem Theologica, & significata est supra num. 3. eamque in hanc formam explico. Præter Deum, cuius existentia, & numerica vnitas demonstrata est in primo tomo, dantur alia entia. Hæc igitur omnia alia entia & distributiuè, & collectiuè etiam accepta, non sunt Deus; ergo non habent à se, vel ex se esse, tunc enim essent

essent ipsum necesse esse, & haberent existentiam in ipsa essentia intrinsecè inclusam, & non dependentem ab alio distincto principio limitante, & consequenter prorsus illimitatam, ac proinde essent actus purus, & alius numero Deus. ergo entia omnia vniuersalissimè, Deo tantum excepto, habent esse per emanationem ab ipsomet Deo. *Huic autem emanationi,* inquit S. Thomas, *totius entis vniuersalis à primo principio impossibile est quod aliquod ens præsupponatur; sicut enim,* inquit, *quod procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi, sicut si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo:* ita omne ens, quod à Deo secundum emanationem vniuersalem procedit, nullum ens præsupponere debet. *Idem autem est nihil, quod nullum ens.* ergo huiusmodi vniuersalis emanatio est ex nihilo. *Hanc verò emanationem totius entis à causa vniuersali, quæ est Deus,* nempè ex nullo ente, siue ex nihilo, *designamus nomine creationis: sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio, qua est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil.*

6. *Confirmatur ratio ex Augustino.* Hanc rationem re ipsa ab Augustino multis traditam putamus l. de Fide & Symbolo cap. 2. dum ex eo quòd Deus est omnipotens, & factor reliquorum omnium entium, demonstrare contendit contra plerosque hæreticos, eum creasse, & fecisse mundum ex nihilo, non ex aliqua materia. *Si omnipotentem Deum,* inquit, *fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est, ex nihilo eum fecisse, quæ fecit. Non enim aliquid esse potest, cuius creator, non esset, cum esset omnipotens: quia etsi aliquid* Gen. 2. *fecit ex aliquo, sicut hominem de limo, non vtique fecit ex eo quod ipse non fecerat, quia terram vnde limus est, ex nihilo fecerat: & si ipsum cælum & terram, id est, ipsum mundum, & omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est, Qui fecisti mundum ex materia inuisa, vel informi, vt nonnulla exemplaria tenent, nullo modo credendum est, illam ipsam materiam, de qua factus est mundus, quamuis informem, quamuis inuisam, quocumque modo esset, per se ipsum esse potuisse, tamquam coæternam, & coæuam Deo; sed quemlibet modum suum, quem habebat, vt quomodo esset, & distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotenti Deo, cuius beneficio est res, non solum quæcumque formata, sed etiam quæcumque formabilis.* & paulo post, idem sic magis explicat. *Quapropter rectissimè credimus, omnia Deum fecisse de nihilo; quia etsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, vt ordinatissimo Dei muneri prima capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quæcumque formata sunt. Hoc autem dicimus, ne quis existimet contrarias sibi esse diuinarum Scripturarum sententias; quoniam & omnia Deum fecisse de nihilo, scriptum est; & mundum esse factum de informi materia.* Eumdem fere discursum

Anselmus. latius prosequitur Anselmus in Monologio cap. 6. toto, dum ex eo quòd *vniuersitas rerum seu visibilium, seu inuisibilium, esse non posset ex aliqua materia,* inde ita euidenter deducit in fine capitis; *proculdubio nihil apertius, quàm quod illa summa essentia tantam rerum molem sola per se ipsa produxit ex nihilo:* quam productionem omnes intelligimus nomine creationis.

7. *Creationis definitio.* Igitur creatio ex communissima sententia rectè definitur, *productio, seu potius factio alicuius rei ex nihilo.* Dixi, *potius factio,* quia factio est proximum genus ad creationē, & ad alias mutationis species, quibus res de non esse ad esse traducuntur. Quod, vt exponit Riccardus 2. d. 1. art. 1. quæst. 1. ad 1. significatur Psal. 32. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Vbi, inquit Riccardus, *non intendebat illam ex opposito distinguere; sed notare, quod factio est in plus quam creatio. Vnde secunda pars illius versus videtur specificatio primæ partis.* Productio verò est genus remotum, cum vniuersalius vsurpetur, & extendatur etiā ad actum, quo res accipit quidem esse, tamen non de non esse termini producti, sed de esse, & substantia principij producentis: quo sensu duas diuinas personas procedentes rectè dicimus esse productas, non autem dicere possumus, esse factas. Bona verò definitio tradenda est per genus proximum, non remotum: sicut homo, v. g. definitur per animal, non per viues, aut corpus, aut substantiam. In qua quidem definitione, quid sit illud, quod nomine productionis, seu factionis significatur, examinabitur art. 3. quærente, *Vtrum creatio sit aliquid in creatura;* quid præterea sit illud, *alicuius rei,* proprium locum habet in art. 4. agente de termino, qui per creationem fit. Nihil ergo aliud superest, quod ad præsentem articulum propriè spectet, nisi explicare vltimam particulam, *Ex nihilo;* de qua cum in toto corpore & ad 2. tum maximè ad 3. agitur.

Exponitur cū Riccardo loco Psal. 32.

DVBITATIO VNIC.

Quid in prædicta creationis definitione significet illud, ex nihilo.

SVMMA.

1. *Non significare habitudinem causa, num. 8.*
2. *Non significari negationem ipsius fieri, num. 9.*
3. *Significari ordinem alicuius post nihilū, n. 10. & 11.*
4. *Significari negationem subiecti, n. 11. & 12.*
5. *Quis sit creationis terminus* à quo, *num. 4. ad finem Articuli.*

PRima conclusio, non significat positiuam habitudinē causæ materialis, aut alterius cuiuscumque causæ realis ac positiuæ. Ita ad 3. illis verbis, *cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio, ex, non designat causam materialem.* & in eodem sensu scripserat multo ante in q. 3. de pot. art. 1. ad 4. *quod cum fit aliquid ex nihilo, non esse, siue nihil, non se habet per modum patientis.* nempè subiecti, ac materiæ, vt ipsemet statim explicat. & ad 7. *cum dicitur aliquid fieri ex nihilo, sensus falsus est, si præpositio importet habitudinem causæ:* qua scilicet affirmetur, Nihil, esse causam rei, quæ creatur; quoniam (inquit) *Non ens esse nullo modo potest causa entis.* Iuxta hanc conclusionem ita oprimè atque eleganter discurrit Anselmus in Monologio, *Anselmus.* cap. 7. initio, *Ex quocumque fit aliquid, id est causa eius, quod ex se fit & omnis causa necesse est, aliquod ad essentiam effectus præbeat adiumentum: quod sic omnes tenent experimento, vt etiam nulli rapiatur contendendo, vt vix vlli surripiatur decipiendo. Si ergo factum est ex nihilo aliquid, ipsum nihil fuit causa eius, quod ex ipso factū est, sed quomodo id quod nullum habebat esse adiuuit aliud, vt perueniret ad esse.* Ratio igitur conclusionis, quam *Probatur ex Durando.* perspicuè tradit Durandus 2. d. 1. q. 1. n. 5. est, quia materia est pars intrinseca rei factæ, ex qua simul cum forma conflatur aliquod totum ens reale, ac positiuum; est enim materia, inquit Philosophus 1. *Aristoteles.* Physicorum 82. *Subiectum ex quo fit aliquid cum insit.* Nihilum vero, seu non ens, alicuius entis positiui esse non potest pars intrinseca; sicut nec vniuersaliter aliqua realis causa: *quoniam intelligi non potest,* inquit Anselmus supra, *vt ex eo quod penitus non est, fiat aliquid. Nihil fit ex nihilo, sicut vox omnium est, quia nihil de nihilo.*

8. *Non significare habitudinem causæ.*

Secunda conclusio. Cum per creationem aliquid dicitur *fieri ex nihilo,* negatio importata in nihilo, nō accipienda est vt negans non solū præpositionem,

9. *Fieri ex nihilo, non excludit fieri.*

Ex, sed etiam verbum, *fieri*; ita vt significetur, penitus non fieri, nec esse factum quod dicitur ex nihilo fieri: sicut si de aliquo omnino tacente quis quærat, de qua re loquatur? respondere solemus, loquitur de nihilo: quo etiam modo de Deo possumus dicere, quod de nihilo fit, quia omnino non fit. Hunc sensum iisdem ferè verbis expressè excludunt S. Anselmus in Monologio c. 8. initio, & Thomas de pot. q. 3. art. 1. ad 7. *quamuis*, vt bene aduertit Thomas, *esse modus loquendi non sit consuetus*. Conclusio apud omnes manifesta est, quia nomine creationis nolumus significare negationem omnis factionis: hæc enim negatio fuit per totam æternitatem à parte ante, in qua tamen creationem non fuisse constat ex fide; sed potius inter omnes positiuas, ac reales factionis species, præcipuam quamdam & omnium primam, atque vniuersalem factionem, qua vt dicitur initio Geneseos, creauit Deus cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt.

10. *Ex nihilo significat post nihilum.*

Tertia conclusio. Cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, præpositio, *Ex*, designat ordinem: sicut cum dicitur, ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies, ita in creatione dicitur aliquid fieri ex nihilo, quia fit post nihilum. Quo sensu illud, *Ex*, non negatur, sed affirmatur; & consequenter, ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo eius quod est, siue alicuius ad præcedens eius non esse, siue ab nihilum illius alicuius quod creatur. Ita ferè ad verbum tum hic ad 3. tum de pot. q. 3. art. 1. ad 7. & sumitur ex Anselmo in Monologio, c. 8. med. docente. *Non inconuenienter quæ creantur, dici posse ex nihilo: eo modo, quo dici solet dies ex paupere, & recepisse quis sanitatem ex ægritudine, id est, qui prius pauper erat, nunc est dives, quod antea non erat; & qui prius habebat ægritudinem, nunc habet sanitatem, quam antea non habebat. Hoc modo res creari dicuntur de nihilo, id est, quæ prius nihil erant, nunc sunt aliquid.* Quemadmodum etiam, inquit, *aspicientes aliquem de valde humili fortuna multis opibus ab aliquo, hominibusque exaltatum, dicimus, factus est ille ab isto de nihilo, id est, ipse, qui prius quasi nihilum reputabatur, nunc illo faciente, vere aliquid æstimatur.* In qua significatione nihilum non est accipiendum determinatè, & particulariter pro negatione illius tantũ entis, quod per creationem fit, sic enim fieri ex nihilo, non esset proprium creationis, cum quidquid de nouo fit, siue creetur, siue ex subiecto educatur, si verè ac propriè fit, necesse sit fieri ex nihilo sui; v. g. tam ex nihilo sui fit anima, quæ creatur, quàm forma ignis, quæ educitur ex materia ligni; sed indeterminatè, & vniuersaliter pro negatione, & illius entis, quod per creationem fit, & cuiuslibet alterius entis creati, cuius generis nullum præsupponit creatio per se, & ex natura sua: quamuis enim creatio, vt creatio, non excludat alia entia præsupposita, cum hodie etiam, & quotidie post infinitas alias res creas, & factas, creentur animæ, tamen nullũ ens creatum præsupponit, vt patet in prima creatione cæli, & terræ post æternitatẽ; & anima, quæ hodie creatur, eodem modo, quantum est ex natura creationis, potuisset creari ante omnia entia creata, & consequenter, ex nihilo vniuersaliter; siue ex nullo simpliciter ente; tametsi ipsa res, quæ creatur, nempè anima rationalis, quæ est forma corporis, petat connaturaliter præsupposítum corpus quod informet. Et hoc secundo modo sumptum nihilum pertinet propriè ad solam creationem, cum aliæ mutationis, seu factionis species de necessitate, saltem connaturali, præsupponere debeant subiectum, vt generatio, augmentatio, alteratio, latio, de quarum nulla dici potest, sicut dicitur de creatione, quod sit factio ex nihilo, sed ex aliquo, saltem ex subiecto. Atque hãc differentiam non obscurè significatam intelligimus

Probatur ex Anselmo.

Quæ negatio entis sit de essentia creationis.

à S. Th. cum initio corp. docuit, *Emanationem totius entis vniuersalis designari nomine creationis*; ideoque vt postea subdit, *impossibile est, quod aliquod ens præsupponatur huic emanationi.* & quoniam, inquit, *idem est nihil, quod nullum ens, creatio, quæ est emanatio totius esse. est ex non ente, quod est nihil.* In quo discursu, *Nihil*, positum in creationis definitione clarè sumitur pro negatione totius entis vniuersalis; quam opponit non homini, & non albo, ex quibus particularibus nihilis procedunt aliæ particulares emanationes, à creatione, non solum specie, sed etiam genere distinctæ.

S. Thomas

11. *Limitatur conclusio cum Capreolo, Bagnes, & Molina.*

Hæc tertia conclusio, vt veritatem habeat, intelligi debet de creatione temporanea; seu de creatione, non quia creatio est, sed quia temporanea est, vt in commentario huius articuli rectè notãt Bagnes, præsertim in fine, Molina §. *Iuxta.* & ante ipsos aduertit Capreolus 2. dist. 1. q. 2. art. 3. ad 1. Aureoli cõtra quartam conclusionem. Nam si ponatur creatio æterna, quam plerique omnes possibilẽ esse admittimus, saltem de entibus inuariabiliter permanentibus, nullum in ea cogitari potest præcedens non esse, seu nihilum illius rei, quæ per eam creationem fit, non solum præcedẽs præcedentia durationis, sed etiam præcedentia naturæ: nihil enim dici potest antecedere natura, quod dici non possit existere simpliciter. At in æternitate existẽs negatio, sicut quodlibet ens positiuum, non potest nõ existere infinita, æternaque duratione; nam neque duratio formaliter, & virtualiter instantanea, neque finita aliqua duratio habere potest locum in æternitate, quæ est duratio infinita. ergo existente negatione aliqua ab æterno, v. g. Gabrielis, dici non potest ex hac negatione, seu nihilo factus ab æterno Gabriel per creationem: sic enim in æternitate ponerentur simul esse Gabriel & non Gabriel, quod absurdum esse nemo non videt, vt terigi etiã supra q. 27. art. 1. n. 193. Vbi, sicut iterũ paulo fusius in q. 41. art. 4. n. 3. notaui ex S. Thoma 1. d. 5. q. 2. art. 2. & acutè explicat Scotus 2. d. 1. q. 2. §. *Respondeo.* & sequitur Vasquez disp. 172. num. 11. quod res, quæ creatur ab æterno, quamuis non procedat ex nihilo simpliciter, quia de eo, quòd est in tota æternitate à parte ante, ac proinde semper habuit esse, dici non potest, aliquando non fuisse, seu non ens in illa æternitate, loquendo simpliciter & absque vllo addito, limitant non esse; tamen procedit ex nihilo secundum se, siue, vt loquitur S. Thomas, *de non esse ex parte sui.* Quod enim creatur, quantumuis ab æterno creatur, ex eo quod essentialiter sit ens creabile & potentiale, si præcisè in seipso tantum consideretur, non habet esse, sed indiget alio extrinseco principio, à quo recipiat esse. Ergo habet esse nihilum, secundum se, seu non esse ex se, & ratione sui præcisè. Quod quidem non esse ex se, quamuis benè stet cum esse ab alio, & consequenter, cum ipso simpliciter esse, vt per se manifestum est, tamen natura præcedit ipsum esse; quoniam, vt ad hoc probandum acutè ratiocinatur Sanctus Thomas ibidem, *quod est alicui ex seipso, naturaliter præcedit id, quod est ei ab altero.* Igitur iuxta hanc tertiam conclusionem, sumendo nihilum pro non esse, & intelligendo per illud, *Ex*, designari aliquem ordinem secundum quem per creationem res fiat aliquid post nihilum, siue accipiat esse post non esse, conclusio verificatur vniuersalem de quacumque creatione, tam temporali, quàm æterna; non eadem tamen ratione; nam temporalis est post nihilum, & post non esse simpliciter; æterna verò post nihilum, & post non esse secundum se.

Quomodo in creatione æterna reperiatur nõ esse ex S. Th. Scoto, Vasquez.

12. *Ex nihilo significat etiã negationem subiecti.*

Quarta conclusio. Illud, *Ex nihilo*, vt docet Sanctus Thomas in fine responsionis ad tertium, *importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur*; ita vt præpositio,

præpositio, *Ex*, non sumatur positiuè vt causa affirmans nihilum, iuxta primam conclusionem, sed negatiuè, vt negata per nihilum. Quare sensus est, creatio est factio rei ex causa quidem efficiente, quę est Deus, tamen non ex alia causa materiali; seu, nullo concurrente & adiuuante subiecto. Itaque vt

S. Thomas. idem S. Thomas exponit de potentia q. 3. art. 1. ad 7. *ideo dicitur aliquid ex nihilo fieri, quia fit quidem, sed non præexistit aliquid ex quo fiat*: quemadmodum fiunt quæcumque fiunt aliter quàm per creationem. Hæc est acceptio omnium vsurpatissima, & maximè propria creationis: si enim intelligas tantum, rem fieri independenter ab aliquo subiecto sustentante esse ac fieri illius, quocumque tandem alio modo eam fieri fingas, habebis integrum creationis conceptum, essentialiter diuersum à quauis alia mutationis ac factionis specie. In hoc sensu Iustinus supra

Iustinus. num. 2. effectorem seu creatorem, ita operantem, vt *rem aliam nullam requirat*, opponit opifici operanti,

Damascen. *vi à materia sumpta*, & clarius Damascenus ibidem, *Homo quodcumque facit ex materia, quam præiacere oportet, facit. Verum Deus ex nihilo ad esse cuncta perduxit.* Item Anselmus in Monologio cap. 6. propè

Anselmus. finem loquens de Deo, *omne quod fecit, sine dubio aut fecit ex aliquo, velut ex materia, aut ex nihilo: & quia ex nulla materia est, proculdubio, nihil apertius quam quod illa summa essentia tantam rerum molem sola per se ipsa produxit ex nihilo.* & cap. 8. aliquanto post principium; *Dicitur aliquid esse factum de nihilo, cum intelligimus esse quidem factum, sed non esse aliquid vnde sit factum*: & quæ in principio creauit Deus, *ex nihilo facta sunt, id est, non ex aliquo.* Sicut, inquit, *dici videtur cum homo contristatus sine causa, dicitur contristatus de nihilo*; quia vt subdit S. Thom. de potentia quæst. 3. art. 1. ad 7. *non habet tristitiæ suæ causam.*

13. *Probatur cõclusio.*

Ratio vero probans, hanc acceptionem esse omnium maximè spectandam, imo ipsam solam esse necessariam ac sufficientem in explicanda creationis definitione, est, quia ibi illud, *Ex nihilo*, ponitur tamquam vltima differentia contrahens generi-

14. cam factionis rationem ad talem determinatam factionis speciem, quam creationem vocamus. Per illud igitur, *Ex nihilo*, distingui essentialiter debet creatio à cæteris factionum speciebus. At creatio ita distinguitur maximè & solum per habitudinem causæ materialis negatæ. Nam aliæ habitudines, de quibus in prima, secunda, & tertia conclusione, vel illi non conueniunt, vt habitudo causæ materialis affirmatæ, n. 8. & habitudo factionis negatæ, n. 9. vel non sunt illi essentiales, & habitudo ordinis, num. 10. vel si sunt essentiales, non sunt illi propriæ, sed essentialiter communes reliquis omnibus creaturarum productionibus, vt habitudo essendi ex nihilo sui, secundum se, & quantum est ex natura sua, num. 11. hoc enim essentialiter competit omni creaturæ, omnique creatæ productioni, non solum temporali, verum etiam æternæ. Sola igitur habitudo ad causam efficientem tantæ virtutis, vt nulla ad agendum materiali causa adiuuante indigeat, est creationi essentialis, & propria essentialis, quia si hæc deesse intelligatur, & per actionem educatur aliquid ex præsupposito subiecto adiuuante ac sustentante, essentialis conceptus creationis desit necesse est. Propria, quoniam huiusmodi independentiam à subiecto, nulla alia creata actio participare potest; omnis enim alia actio, siue generatio, siue augmentatio, siue alteratio, siue latio, pendet à præexistente & sustentante aliquo subiecto.

Quinta conclusio, quæ ex dictis facile deducitur, Nihilum, ex quo per creationem aliquid fieri dicitur, intelligitur quidem ex imperfecto nostro modo concipiendi vt terminus *à quo*; tamen non est terminus *à quo* verè ac propriè: imo ne impropriè quidem, si spectetur creatio, vt creatio essentialiter, quæ æterna etiam esse potest, & non creatio vt temporalis. Prima pars habetur hic ad 2. vbi in fine de creatione dicitur, *Id quod intelligitur vt terminus à quo, est simpliciter non ens.* Nos enim notioribus mutationibus concipiendis assueti, quibus subiectum de vno termino in alium transit, imaginamur etiam in creatione, minus nobis nota, ipsam rem, quæ creatur, transire de non esse simpliciter, tamquam à termino *à quo*, ad esse simpliciter, tamquam terminum *ad quem.*

Terminus à quo, concipitur in creatione.

15. *Sed propriè non est, ex S. Thoma, & Durando.*

Secunda pars expressè ponitur, à S. Thoma de potentia q. 3. art. 1. ad 11. in secunda responsione. *Id quod fit ex nihilo, dicitur fieri non ab vno termino in alterum, sed secundum effluxum ab agente in factum. Hæc enim duo in generatione naturali inueniuntur, scilicet transitus de vno termino in alterum, & effluxus ab agente in factum; quorum alterum tantum est in creatione propriè.* Et art. 2. ad 2. *In generatione est aliquod commune subiectum priuationi & formæ: & ideo sicut ibi accipitur propriè terminus, sic & ibi accipitur proprie transitus; quod in creatione non est*: & multis probatur à Durando 2. dist. 1. q. 1. n. 6. & 7. Sed ratio præcipua, ac facilior est, quoniam ad propriam rationem termini *à quo*, requiritur subiectum, cui primò insit terminus *à quo*, atque adeò ab illo expellatur terminus *à quo* per aduentum alterius termini *ad quem*, incompossibilis cum termino *à quo*. Propriè enim terminus *à quo*, apud omnes sapientes significat terminũ, à quo transit subiectum ad recipiendum in se alium terminum *ad quem*: quo transitu debet subiectum amittere terminum *à quo*, & acquirere terminum *ad quem*; aliter subiectum non trãsiret de vno termino ad alium terminum, sed potius cũ vno termino acciperet alium terminum. Et ideò rectè scripsit Durandus supra, *necesse est in omni actione habente terminos, quod termini sint incompossibiles; & quod vnus præcedat alium.* Terminus igitur *à quo*, propriè loquendo, subiectum connotat. Quamobrem cum in creatione nullum detur subiectum, ex conclusione 4. nulla etiam dabitur propria ratio termini *à quo.*

16. *Imò, ne impropriè quidem.*

Tertia pars, qua negatur terminus *à quo*, etiam impropriè dictus, consistens in solo ordine præcedentiæ absque vllo subiecto, in quantum vnus terminus *ad quem*, est post alium terminum *à quo*, nempe nihilum, seu non esse simpliciter, post esse simpliciter, probata remanet ex dictis, num. 11. quoniam creatio in æternitate non potest ita tendere ad esse, vt habeat præcedens non esse incompossibile cum esse. Quod vltimum addo propter non esse secundum se, quod natura præcedit quidem esse, vt ibi probaui cum S. Thoma, tamen remanet cum esse, & ideo omnino caret essentiali ratione termini *à quo*, & habet potius rationem termini *cum quo*: quamuis terminum, *à quo* appellasse placeat Vasquez disput. 172. à num. 12. dum agit contra Durandum supra. Rectè igitur Capreolus 2. d. 1. quæst. 2. art. 3. ad 1. Aureoli contra quartam conclusionem negat Aureolo, *De ratione formali omnis productionis in quantum huiusmodi, esse, quod sit inter duos terminos.* Satis enim est ad essentialem conceptum creatæ productionis, si per illam res aliqua accipiat esse, quod non conuenit illi ex natura sua, sed dependenter ab alio extrinseco agente, quamuis hoc esse non accipiatur post non esse.

Vasquez. Capreolus.

17. *Solum Creatio temporalis est ex termino à quo impropriè, ex Capreolo.*

Quarta demum pars, qua affirmatur impropria ratio termini *à quo*, in creatione temporali, expressè à Capreolo 2. dist. 1. art. 3. ad 1. Aureoli

contra

contra quartam conclusionem conceditur Aureolo; & est manifesta; quia ante quodlibet esse creatum in tempore, præcessit in tota æternitate illius non esse simpliciter, seu nihilum, incompossibile cum esse simpliciter. ergo ibi sunt omnia requisita ad rationem essentialem termini *à quo*, excepta connotatione subiecti. est igitur ibi terminus *à quo* impropriè & incompletè, non completè ac proprie, & de huiusmodi diminuta ratione termini *à quo*, intelligendus est S. Thomas in fine corporis, ita concludens, *sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil.* Et cum in responsione ad 3. concedit, quod per illud, *Ex nihilo*, in aliquo bono sensu, *ostenditur ordo eius quod est ad non esse præcedens.* Et cum in q.3. de pot. art.1. ad 4. docet, *quod cum fit aliquid ex nihilo, non esse, siue nihil, non se habet per modum patientis, nisi per accidens*; hoc est, *ratione subiecti*, cum quo scilicet in omnibus naturalibus productionibus non esse rei quæ producitur, seu priuatio, identificatur, vt ipsemet explicat deinde ad 16. *Sed magis per modum oppositi ad id quod fit per actionem:* hoc est, per modum termini *à quo*, oppositi termino, *ad quem*. Similiter intelligi debet Anselmus in Monologio c.8. verbis relatis supra; n.10. Porrò per nihilum cum ponitur terminus, *à quo*, non negatur & actualitas essendi, & simul etiam possibilitas essendi; quæ enim creantur, præsupponi necessario debent creabilia, ac proinde si non actualia, saltem possibilia esse realiter actu. Vnde nemo dixerit, creari chimæras, aut aliud, rationis ens, & vniuersaliter ens implicans contradictionem, vt sit in re extra intelligentem; sed solum creari entia realia. Quam Nihili acceptionem multis acutè explicat Capreolus supra ad quartum Aureoli, ita tandem concludens, *Talis ergo natura, antequam habeat esse in rerum natura per creationem, est omnino nihil, prout nihil opponitur enti, quod dicit actum existendi extra causam suam; sed non erat nihil, prout opponitur enti, quod dicit quidditatem, vel naturam in se; vel dicit actum essendi in intellectu diuino, vel in potentia productiua Dei.* Atque in hoc sensu recipio quod docet Scotus 2.d.1.q.2. §. *Quantum ad istum articulum.* nempè, *non posse aliquid creari de nihilo, id est, nullo modo ente, nec simpliciter, nec secundum quid*; h.e. quod nec est actu realiter existens, nec potens actu realiter existere. Tametsi Scotus in alio sensu intelligat, & nonnulla difficilia addat pertinentia ad materiam de essentia & existentia, quæ examinare non est huius loci, & diligenter tractat Vasq. disp.172.c.1.& 2. Simul cũ sententia VVicleffi, ita creationem definientis: *Est productio de puro esse intelligibili ad esse essentiale extra Deum.* In qua insipientissimi Hæretici definitione refellenda immorandum non est, quoniam procedit per terminos æquiuocos, & obscuros, & iuxta mentem sui Authoris, obuios erroribus contra fidem, vt legi potest apud Vasquez.

S.Thomas.

Anselmus. *Quid negatur per nihilum.*

Capreolus.

Scotus.

Vasquez.

Creationis definitio ex VVicleffo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus possit aliquid creare?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Deus non possit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua probatur demonstratione Theologica, num.1.*
2. *An alicuius rei creatio implicet contradictionem, num.2. ad 9.*
3. *An creatio de facto detur, num.9. ad 13.*
4. *An creatio sit naturaliter demõstrabilis, n.13. ad 31.*
5. *An creatio fuerit Aristoteli omnino ignota, n.31. ad finem Articuli.*

ONCLVSIO affirmatiua omnium catholicorum ex fide confitentium, hunc mundum in principio esse creatum, & factum ex nihilo. Ex qua fidei propositione, & alia certa per naturalis luminis euidentiam, in bona forma deducitur conclusio Theologica, quæ aliqua ratione, explicata in primo tomo q.1. art.2. dub.5. ad fidem pertinet, hunc in modum; Omne agens, actu operans, potest actu operari; alioquin euidenter implicat, quod operetur illa causa, quæ non potest operari. Sed fide credimus, Deum actu creasse aliquid: ergo certum theologicè, & consequenter, ex fide est, quòd Deus possit aliquid creare: quæ est directa præsentis articuli conclusio, ad planiorem autem illius intelligentiam, quatuor distinctè explicanda sunt. Primum; An aliquid creari, implicet contradictionem. Alterum, An creatio ponenda sit de facto, imò etiam necessario ex suppositione productionis mundi. Tertium, An Deum posse creare, sit ab hominibus naturaliter agnoscibile. Postremum, An antiqui ac gentiles Philosophi, præsertim Aristoteles, creationem cognouerint.

1. Conclusio affirmatiua probatur demonstratione theologica.

DVBITATIO I.

An alicuius rei creatio implicet contradictionem.

SVMMA.

1. *Probatur conclusio negatiua, num.2.*
2. *Soluuntur contraria argumenta, num.3. ad 9.*
3. *An creatio sit accidẽs, & in quo subiecto sit, n.4. & 5.*
4. *An inter ens, & non ens sit infinita distantia, n.8.*

CONclusio negatiua, certa secundum fidem, vt patet ex discursu paulo ante facto. Probari præterea potest primò, quia mox subiiciam, & soluam omnes implicantias. Secundò, creatio non repugnat ex parte sui, in quantum est quædam productio ex nihilo, nam produci est accipere esse; & quod ex nihilo producitur verè, imò magis accipit esse, quàm quod producitur ex aliquo. Neque repugnat ex parte rei productæ: ex eo enim quod res creetur, & producatur ex nihilo, non amittit esse productum; quoniam produci ex nihilo, non negat ipsam productionem, sed negat tantum habitudinem causæ materialis, à qua ipsa creationis productio pendeat, vt supra art.1.n.9.& 12. Ergo rei productæ, vt producta est, non repugnat creari. Neque ex parte Dei producentis, quia, cum Deus habeat virtutem infinitam simpliciter, vt demonstratum est supra q.7. art.1. nõ potest in agendo pendere à concausa creata materiali, sustentante, & adiuuante actionem suam, actionisque suæ terminum. Ergo habet virtutem agendi ex nihilo: ergo creandi. Et præter ista tria capita repugnantiæ, non apparet aliud caput, vnde aliqua contradictionis ratio contra creationem peti possit. Tertio acutè arguit Durandus 2. dist.1. q.1. n.10. ex alio fidei articulo. Accidens potest esse sine subiecto, vt patet in Eucharistia: ergo etiam fieri accidentis potest esse sine subiecto; quod fieri, est creari. Ideo enim productio supponit subiectum, quia terminus productionis supponit subiectum. Ergo cum terminus possit esse sine subiecto, poterit etiam productio esse sine subiecto.

2. Probatur cõclusio negatiua.

Durandus.

Obiicies

3. Obiicies primò, quod sibi obiicit Durandus supra. Creatio est quædam actio. Dicit autem Author libri sex principiorum cap.2. circa med. *Actionem non quid*, nempè agat, *sed in quid agat exigere*: hoc est, non terminum, sed subiectum, ergo nulla actio dari potest sine subiecto; ergo nea creatio.

Prima obiectio ex Authore sex principiorũ.

Declaratur Author.

Respondeo cum eodem Durando ad primum. Authorem illum loqui de actione naturali, de qua paulò ante dixerat, *omnis actio in motu est.* Quod non conuenit creationi, quia vt dicitur art.3. initio corp. & ibi probabitur, *quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem.* De naturali igitur actione verum est, illam non requirere quid agat, sed in quid agat, hoc est, non requirere terminum præexistentem, sed subiectum præexistens, ac sustentans, quod supernaturalis, & multò vigorosior creationis actio non postulat.

4. Obiicies secundò, quòd idem Durandus secundo loco sibi obiicit. Omnis actio, ac proinde creatio est quoddã accidens, expresè collocatũ, ac numeratum à Philosopho inter nouem accidentium prædicamenta. Ergo creatio, vt creatio, requirit subiectum. Ergo creatio, quæ sit actio ex nihilo, hoc est, non ex aliquo subiecto, implicat manifestam contradictionem; esset enim ex non subiecto, quia est creatio; esset autem ex subiecto, quia est actio, & accidens.

Secunda obiectio.

Respõsio Durandi non probatur.

Respondent Durandus, & alij, tenentes, creationem in creatura non esse actionem, sed ipsammet creaturam prout stat sub reali respectu ad creatorem dantem esse. Sed nec placet sententia, vt dicam art. sequenti; nec si illa vera esset, satisfieret argumento; quia illa etiam relatio, est accidens; ergo requirit subiectum. Ergo creatio non est productio ex non subiecto. Admittendo igitur, creationẽ esse verè, ac propriè actionem, & accidens, in termino qui creatur, non in Deo creante, aliter respondeo, distinguendo in primo consequente, duplex accidentis subiectum; alterum eductiuum. Ex quo præsupposito, materialiter causetur res quoad suum fieri, & quoad primum suum esse simpliciter. Alterum purè inhæsiuum; in quo res inhæreat tantum, & sustentet esse suum, à sola causa efficiente sufficienter acceptum. Quæ quidem simplex inhærentia, si, vt in casu nostro fuerit formæ realiter identificatæ subiecto, non est concipienda per mediam, ac distinctam aliquam causalitatem; sed immediatè per realem identitatem: vt infra art.3.n.20. in fine ex Suarez distinctius explicabo. Hoc secundum genus subiecti purè inhæsiui, non eductiui, apparet si, v.g. calor à solo Deo creatus, & non eductus, ponatur deinde in aliqua materia, in qua inhæreat. Creatio igitur non negat vniuersaliter omne subiectum; sed solum subiectum eductiuum, præsuppositum ad actionem agentis, vnde pendeat, & adiuuetur agens in agendo: necessariò autem admittit subiectum purè inhæsiuum; in quo, posteaquam à solo agente independenter à subiecto eductiuo factum intelligitur, sustentetur per simplicem inhærentiam. Atque hanc distinctionem euidenter colligo ex S. Thoma, infra dicente de creatione, Non esse tale accidens, quod causetur ex principiis subiecti; *Sed*, inquit, *ex actione agentis innascitur, & sequitur actionem diuinam tantum.* Si, secundum S. Thomam, creatio est accidens inhærens termino creato; non tamen causatum, siue eductum ex illo, sed ex solo agente Deo; ergo cum eodem S. Thoma dicere possumus, quòd in eius dictis necessariò includitur, creationem habere subiectum non eductiuum, sed purè inhæsiuum. Hoc enim verè aliud non est, nisi creationem suum formale esse simpliciter habere in priori naturæ dependenter ab agente tantum, non ex subiecto; in posteriori autem naturæ habere idem esse secundum quid, nempe vt inhærens, dependenter à subiecto. Neque enim accidens, vt accidens, requirit semper subiectum, ex quo educatur: sed satis est, vt habeat subiectum, in quo simpliciter inhæreat. Calor enim, v.g. non solum est accidens quando fit, & educitur ex subiecto; sed etiam finit eductione, quando inhæret tantum in subiecto. Neque hæc qualiscumque ratio subiecti, est contra conceptum creationis. Subiectum enim, quod in creatione omnino negatur, est respectu rei creatæ, non respectu creationis; hoc est, non debet aliquid, quod creatur, educi ex subiecto, tamen ipsa necessariò requirit subiectum cui inhæreat; non tamen quod præexistat, sed quod per ipsam fiat. Vnde non dicitur ipsa creatio ex nihilo, sed factio alicuius rei ex nihilo, hoc est, ex nullo subiecto productæ.

Respondetur explicando subiectum creationis.

Respondeo etiam probabiliter, & facilius potest, creationem non esse accidens propriè, sed modum potius accidentalem, quo fit simpliciter terminus; & propterea nnn necessariò pendere à subiecto, ex quo aliquid educatur, cum ipse non sit eductio, sed productio simpliciter effectiua; pendere verò à termino, cum quo realiter identificatur, cuius est modus, & productio simpliciter. Confirmatur tota responsio; quia similem quamdam responsionem affert S. Thomas de Potentia quæst.3. art.3. ad 3. pro illa sua relatione, in qua consistere vult creationem existentem in ipsa creatura: cum enim sibi obiecisset, quod creatio non possit esse aliquid in rerum natura, quia deberet esse accidens, quod est prius suo subiecto. *Creatio etiam est naturaliter prior creato, quod nullum sibi supponit subiectum*, ita respondet. *Illa relatio accidens est, & secundum esse suum considerata prout inhæret subiecto posterius est, quàm res creata, sicut accidens subiecto intellectu & natura posterius est; quamuis non sit tali accidens quod causetur ex principiis subiecti; si vero consideretur secundum suam rationem prout ex actione agentis innascitur prædicta relatio, sic est quodammodo prior subiecto, & sicut ipsa diuina actio, quæ est eius causa proxima.* Creatio igitur, ex eo quod sit accidens, inhæret subiecto, non ex quo educatur, siue, vt loquitur sanctus Thomas, *non causatum ex principiis subiecti*; quod solum contradiceret conceptui creationis; sed in quo sustentetur. Nihil autem repugnat, imò contrarium non videtur intelligibile, creationem, quæ est ipsa formalis efficientia creaturæ, ita connecti cum creatura, vt creatura vi formali creationis accipiat esse simpliciter; creatio verò ex vi creaturæ non habeat esse simpliciter, sed sustentamentum essendi; cum creatio in se considerata, non sit propriè res per se; sed potius modus rei per se, nimirum ipsum intrinsecum fieri, & creari rei quæ fit & creatur. Plura distinctius art.3. à numero 19.

5. Creationem non esse propriè accidens, sed modũ accidentalem.

Obiicies tertiò. Quia posita creatione possibili cõruunt quædam principia, quæ in Philosophia censentur prima, & innato rationis lumine nobis manifesta: cuiusmodi sunt illa. Ex nihilo nihil fit; omne agens in aliquod subiectum agit. Materia est subiectum omnium mutationum; omnipotentiæ actiuæ debet correspondere potentia passiua; omne mouens prærequirit mobile; omne agens prius disponit materiam, quàm inducat formam. Potentia actiua est principium transmutandi aliud in quantum aliud 5.met.17.

6. Tertia obiectio.

Respondeo cum sancto Thoma hic ad 1. & de Potentia q.3.art.1.ad 1. & 8. has propositiones esse veras, & vsurpatas ab antiquis ex primo Physicorum tex.34.

Respondetur exponendo cũ S. Thoma nõnulla antiqua axiomata.

text. 34. & 35. *De emanatione effectuum particularium à causis particularibus:* quæ scilicet naturalem ad determinatam potentiam habent, ac proinde postulant vt aliquo præsupposito subiecto inuentur ad agendum; *non autem de prima emanatione ab vniuersali rerum principio*, agente per potentiam supernaturalem & illimitatam, cuiusmodi est potentia creatiua. & definitio illa potentiæ, inquit S. Thomas citata responsione ad 8. *intelligitur de potentia activa naturali.* Quo non obscurè significat potentiam creatiuam esse supernaturalem & ideo antea ad 1. docuerat, Deum vt creatorem non esse agens naturale, sed supernaturale.

Potentiam creandi esse supernaturalem.

7. *Quarta obiectio.*

Obiicies quarto, omne quod fit, habet necessario potentiam vt fiat, alioquin aliquid non esset possibile fieri, & tamen actu fieret; quod contradictionem euidenter inuoluit. ergo habet subiectum, in quo sit illa potentia. ergo omne quod fit, fit ex subiecto & ex materia.

Respondetur cum S. Thom. possibile dici per non repugnantiam, nõ per potentiã.

Respondet S. Thomas supra ad 2. rem dici possibilem fieri non secundum aliquam potentiam, sed per non repugnantiam, *quia in terminis ipsius enunciabilis non est aliqua repugnantia*; & hoc modo sumitur possibile 5. Metaph. 17. & opponitur impossibili, nec supponit potentiam passiuam in materia, sed actiuam in agente. Quæ responsio vera est, saltem vniuersalissimè intellecta. Si enim omne quod fit, deberet habere istam potentiam à se distinctam, & consequenter cum aliquid fit, ipsa etiam potentia fieri deberet, daretur processus in infinitum in huiusmodi potentiis ponendis: quia ipsa etiam potentia esset possibilis fieri, ergo per aliam potentiam, & sic in infinitum; sicut igitur ista potentia fieret, & esset possibilis non per aliam potentiam, sed se ipsa per non repugnantiam; ita res, & ruales essentiæ; eò ipso quod essentialiter reales sunt, nullam in se ipsis inuoluentes repugnantiam ad essendum, sunt possibiles. Alia enim positiua potentia superaddita, & fundata in essentia, esset extra essentiam, & accidentalis proprietas essentiæ, ac proinde non posset præintelligi in essentia ante ipsum fieri, sicut præintelligitur ipsa essentia, sed ante ipsum fieri præintelligitur res possibilis fieri. Ergo esse possibile fieri habetur ante potentiam ad fieri, & sine tali potentia ipsa essentia realis benè ac sufficienter intelligitur possibilis. Respondeti *Creationi repugnare subiectũ* ex quo, *non* cum quo, secundo facilius potest, quidquid sit de antecedente, & prima consequentia, negandam esse consequentiam secundam. Tunc enim quod fit, non fieret propriè ex subiecto, quod contradiceret creationi; sed tantum fieret cum subiecto, quod cum creationis conceptu nullam repugnantiam habet.

8. *Quinta obiectio tractans, an sit infinita distantia inter ens & non ens.*

Obiicies quinto. Distantia de non ente ad ens est infinita. ergo impossibile est illam pertransire, producendo aliquid ex nihilo, seu deducendo aliquid de non ente ad ens; quod quidem est creare. Ergo hoc est impossibile.

S. Thomas.

Respondet S. Thomas ad 4. *Quod obiectio procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum & ens; quod est falsum.* Quo non obscurè significat, distantiam propriè non esse aliam nisi mediatam: quæ esse non potest inter ens, & non ens, & vniuersaliter inter quælibet alia duo contradictoria, quæ seipsis immediatè pugnant absque vlla alia re intermedia. Quod si obiectio procedat etiam de distantia minus propriè sumpta & immediata, tunc cum S. Thoma de potentia quæst. 3. art. 1. ad 3. & clarius cum Durando 2. dist. 1. quæst. 4. num. 29. dicendum est, quod sicut quantitas distantiæ mediatæ sumenda est ex quantitate medij interpositi, siue quantitas sit extensiua vt in distantia locali, siue intensiua, vt in distantia qualitatum, quæ suscipiunt magis & minus. Sicut verbi gratia calidum vt vnum, à calido vt quinque distat per quatuor intensionis gradus; ita quantitas distantiæ immediatæ, quæ est inter quoslibet duos terminos contradictorios, qui medium non habent, sumenda est ex maioritate, siue excessu vnius extremi supra aliud. Quando igitur in Maiori dicitur, *Distantia de non ente ad ens est infinita*, falsum assumitur si intelligitur de non ente finito ad ens finitum; verbi gratia inter album & non album, & inter angelum & non angelum est distantia finita, tanta scilicet, quantæ entitatis sunt album & angelus, quæ entitatis finitæ sunt. Si vero intelligatur de distantia inter ens infinitum, & non ens infinitum, vt inter Deum & non Deum, inter infinitam & non infinitam albedinem, seu quantitatem, & inter omne ens creabile, quod saltem syncategorematicè est infinitum, & nihil creabile, erit quidem distantia infinita: sed tunc distinguo primum consequens. Quando creatur ens finitum ex nullo ente simpliciter, vel ens infinitum ex non ente infinito, quod creari posse probatum est supra quæst. 7. art. 3. & 4. tunc talis distantia infinita quæ superatur, non potest transiri successiuè per vnam finitam partem post aliam; benè tamen pertransibilis est tota simul per instantaneam productionem & intellectionem supra omnes & singulas partes simultaneè cadentem, vt ex instituto pluribus ostendo in primo tomo quæst. 7. art. 3. dubitatione nona.

An infinitũ sit pertransibile.

DVBITATIO II.

An de facto, & necessariò admittenda sit creatio?

SVMMA.

1. *Creationem de facto dari, num. 9.*
2. *Creationem esse necessariam ex suppositione, n. 10. ad 13.*

PRima conclusio. Creatio de facto est admittenda. Hic est vnus articulis nostræ fidei. Quamuis enim ex creationis possibilitate, probata in præcedenti dubitatione, non necessariò sequatur creationis actualitas, cum hæc libere pendeat à Deo creatore, qui potuit vel numquam creare, vel creare ante, vel post illud principium in quo creauit, vel etiam creare ab æterno: tamen Deus in mundi productione, determinato quodam temporis initio sapientissimè facta creandi actum de facto exercuit. Et ideo in Symbolo Apostoli expressè confitentur, *Deum creatorem cæli & terræ*: & Moses Genes. 1. docet, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quam creationem accipiendam esse in ea significatione, in qua nunc de creatione disputamus, prout scilicet est quædam factio ex nihilo, docuerunt non solum Patres & Scholastici omnes, sed definierunt etiam Concilia, vt Tolet. num & Lateranense, de quibus supra num. 2. imo etiam Scriptura allata n. 3. apertissimè dixit, *Ex nihilo fecit illa Deus.* Hanc fidei veritatem necessario atque euidenter probat sequens.

9. *Creationem dari de facto.*

Secunda cõclusio. Ex suppositione productionis mundi, & vniuersalius, quod Deus operatus sit aliquid ad extra, quam hypothesim vel ipsis sensibus in actu positam esse constat, non potest non admitti creatio: ita vt absolutè loquendo, nullo alio modo

10. *Creationem necessario admittendã ex suppositione.*

modo possit Deus simpliciter & primo operari ad extra, quàm per creationem, ex qua vltima propositione euidenter sequitur, catholicos credentes, Deum primo operatum esse ad extra, teneri consequenter credere Deum creatorem, atque adeò, creationem admittendam esse non solum de facto, sed etiam necessario: nimirũ necessitate non absoluta, quia Deus liberè sicut potuit nihil ad extra facere, ita nec simpliciter creare; sed ex suppositione primæ rerum productionis, quæ non potuit alio modo fieri nisi per creationẽ. Vbi aduertendum est, me ideo semper loqui de prima productione ad extra; quia post materiam primam primò creatam, facilè possunt, & conuenienter debent ex illa educi res omnes materiales absque vlla creatione; excepta dumtaxat productione animæ rationalis spiritualis & immortalis, & multiplicatæ in singulis hominibus, quam propterea non educi ex potentia materiæ virtute agentis naturalis, sed à solo Deo immediatè creari credimus. Quare cum quotidie homines generentur, aliqua creatio à Deo emanet necesse est.

11 *Probatur ratione S. Tho.*

Hanc conclusionem sic explicatam Sanctus Thomas communissimè receptus, breuiter sed dilucidè expressit initio corporis dicens, *quod non solum non est impossibile, à Deo aliquid creari; sed necesse est ponere à Deo omnia creata esse.* Et probatur primò ratione ipsius, quæ videtur demonstratiua. *Quicumque facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit, præsupponitur actioni eius, & non producitur per ipsam actionem: sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed & ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur quod illud præsuppositum non esset causatum ab ipso.* Ponere autem in rebus aliquid quod non est Deus, & tamen simpliciter improductum, vel productum ab alio quàm à Deo, esse impossibile demonstrauimus in primo tomo quæst. 2. art. 2. & 3. probantes, dari vnum solum principium rerum omnium. Totus discursus præcipuè nititur ista propositione, subiectum eductiuum præsuppositum actioni, ex quo scilicet pẽdet actio in ipso primo suo esse, non potest produci per illam actionem quæ ex ipso præsupposito pendet, sed præsupponi debet vel improductum, vel productum per aliam precedentem actionem. Quod quidem censeo euidenter verum; quia præsuppositum, est prius natura eo qui præsupponitur. Ergo in ea ratione formali secundum quam præsupponitur, non potest pendere ab eo cui præsupponitur. Ergo si materia prima præsupponi necessario debet agenti vt agat, non potest materia produci per hãc actionem: sic enim eadem materia, quia esset subiectum, & simul terminus productus, simul præsupponeretur actioni, & præsupponeret actionem, & secundum eamdem rationem esset prius, & posterius, independens & dependens. Verum hinc contra authores huius propositionis conuinci video, materiam primam non posse existere per existentiam formæ. Si enim præsupponi actioni qua producitur existẽtia formæ, prærequirit materiam primã aliundè productam. Ergo multò magis aliũde existentẽ: quia impossibile est esse productũ & non existere: & quod præsupponitur existens actioni, quæ est prior forma eiusque existentia quæ per illam actionem fit, multo magis præsupponi debet præexistens existentiæ formæ: ergo non potest intelligi existens formaliter per existentiam formę. Plura addere non est huius loci, satis fuerit occasione huius primæ rationis, doctrinæ atque opi-

An materia prima habeat propriã existentiam.

nionum cohærentiam aduertisse. Neque verò ex hac nostra doctrina sequitur, non dari mutuam causalitatem inter creationem, & terminum. Non enim hæc mutua causalitas consistit in eo, vt actio efficiat terminum, & terminus sit id, ex quo educatur, & fiat actio: hoc enim est impossibile: sed tantum, vt terminus sit id, in quo inhæret actio, quæ à solo agente Deo proficiscitur Et hoc modo creatio est prior creatura in genere causæ efficientis: creatura vero est prior creatione in genere causæ materialis: non quidem ex qua educatur creatio; sed in qua tantum creatio inhæreat.

12 *Secunda ratio.*

Præterea conclusio probari potest secundò quia Deus in suo esse à nullo depẽdet; omnes enim Dei nomine cõcipimus aliquod ens primum, ex se ipso habens esse, & ipsum sibi sufficientissimum ad essendum, & nullius indigens, ac proinde à nullo alio pendens in essendo. Ergo neque in operando habere debet ab aliquo dependentiã: modus enim operandi sequitur modum essendi; & si in operando penderet Deus à subiecto, haberet virturem astrictam, & limitatam ad materiam, ergo non simpliciter & vndequaque infinitam. Quis igitur virtutem illam definiuit ac limitauit? Ergo cum ante mundum, & ante quamlibet rem creatam, & omnes simpliciter creaturas non potuerit præexistere aliquid, ex quo fieri potuerit mundus, & aliqua simpliciter creatura, necessario admittere debemus in rebus à Deo iam productis aliquam creationem, & aliquid ex nihilo factum. Tertio demonstrauimus in physicis, dari in rebus productis materiam primam, quæ cum sit ens omnium imperfectissimum, & pura potentia, non potest fingi esse ex se aliquid improductum, & ab alio efficiente non pendens; quod est proprium actus puri, & infiniti, & ipsius Dei. Ergo materia prima producta est vel ex aliquo alio subiecto, vel ex nullo subiecto. Non primum, quia tunc illa materia non fuisset prima; & tandem ne ponatur processus in infinitum in materiis, deueniendum est ad aliquam materiam, quæ non sit facta ex alia materia: quod est creari, & fieri ex nihilo. Quarto constat euidenter, productam esse in homine animam rationalem, quæ vt demonstrauimus in libris de anima, est immortalis ac separabilis, potens per se esse ac naturaliter subsistere extra corpus corrupto corpore: cum enim in operari intellectualiter, non pendeat à corpore, deducimus necessario non posse pendere in esse. Independens autem in esse à materia, non potest ab ea pendere in fieri. Ergo fieri debet independenter à materia, ergo creari. Idem multo magis probari potest de Angelis, qui sunt aliæ spirituales & multò profectiores intelligentiæ, quæ si supponantur productæ, non possunt poni productæ ex aliqua materia; Ergo creatæ, atque ex nihilo productæ ponantur necesse est.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

DVBITATIO III.

An creatio sit naturali ratione demonstrabilis.

SVMMA.

1. *Demonstrari potest creatio vt possibilis, n. 13.*
2. *Demonstrari etiam potest vt iam facta, num. 14.*
3. *Non posse demonstrari creationem esse impossibilem, num. 15. & 16,*
4. *In quo sensu dici possit creatio repugnare, n. 17.*
5. *Soluuntur contraria Aureoli argumenta, num. 18. ad 27.*
6. *Soluuntur contraria Marsilij argumenta, num. 27. ad 31.*

13 *Demonstrabilem esse creationem vt possibilē.*

PRima conclusio affirmatiua de creatione vt possibili. Ita ferè omnes, & à sancto Thoma hic ponitur in actu exercito, in quantum naturali & conuincenti ratione explicata supra num. 10. & 11. probat, Deum posse aliquid creare. Certum enim omnino est, & naturalibus rationibus, & supernaturalibus authoritatibus adductis in tomo primo quæst. 2. art. 2. & 3. quod homo naturalis rationis vi demonstrare potest, omnes simpliciter res, vno solo Deo excepto, posse fieri à Deo, & vt ait S. Th. hic in fine corporis, & demonstrauerat etiā q. præced. ar. 1. *nihil posse esse in entibus, quod non sit à Deo qui est causa vniuersalis totius esse.* Sed naturaliter euidēs est, & demonstratū supra n. 11. & 12. omnia à Deo fieri nō posse nisi Deus agat per creationē. Ergo naturaliter euidens est, Deum posse creare.

14 *Et vi iam factam.*

Secunda conclusio etiam affirmatiua de creatione vt iam facta, iuxta sensum secundæ conclusionis supra num. 10. & sequitur ex eodem euidenti principio, quod nihil prorsus esse possit quod non sit à Deo: & ex eo quod euidenter manifestum sit, huius mundi visibilis productionem iam factam esse. Ex his enim apertissimis principiis manifestè sequitur, illam non potuisse fieri absque actuali creatione, hoc est, absque independentia ab aliquo subiecto præsuppositō, & non facto à Deo. Atque hoc probare intendit demonstratio S. Thomæ, vt patet ex principio corporis dicentis creationem non solum esse possibilem, sed etiam necessario ponendam. Quapropter antea in l. 2. sent. d. 1. q. 1. art. 2. initio corporis dixerat, *quod creationem esse, non tantum fides tenet sed etiam ratio demonstrat.*

15 *Non posse probari creationem esse impossibilem.*

Tertia conclusio. Quamuis creatio nullo modo esset ostensiuè demonstrabilis, & rationes allatæ, non essent efficaces, adhuc tamen contra creationem, ad probandum, eam esse impossibilem, & implicare contradictionem, afferri non possunt rationes naturali ratione euidenter conuincentes. Hoc existimo non posse negari in sana Theologia; quamuis à Capreolo in 2. d. 1. q. 1. art. 2. col. 13. ante medium, referatur Aureolus in principio 4. sent. probans *quod aliquid creari implicat contradictionem, & per consequens probationes, quæ innitantur rationi naturali, non valent.* Verum Aureolus agens de hac re quæst. procœmiali in 4. sent. ar. 1. id nunquam clarè asseruit, sed solum proposuit rationes quibus antiqui Philosophi, & secundum ipsum, etiam Aristoteles & Auerroës asseruerunt contra creationem, nihil fieri ex nihilo, easque quantum potuit, confirmare conatus est; ideoque ex propria loquutus sententia probabiliter cēseri possit; præsertim quia in §. *De secundo* affirmat, mirum esse quod repugnantia terminorum creationis, quorum significata sunt cōmunia Antiquis & nobis, apparuerit Antiquis & non nobis; & quod illam falsò viderint Antiqui, *de quibus constat quod habuerunt ingenia præclarissima.* Cum Aureolo referri etiam potest Marsilius l. 2. sent. quæst. 1. art. 2. parte quarta. Vbi etsi præcipuè contendat contra primam & secundam conclusionem non posse naturali ratione euidenter probari, creationem esse possibilem; tamen in prima ratione conclusionis assumit, *quod ista, nihil creatur, vel etiam hæc, creatio non est possibilis, sequitur ex principio Philosophiæ naturalis in puro lumine naturali.* Et immediatè antea in quinto corollario deduxerat, *quod hæc propositio, omne quod fit, fit ex subiecto præsuppositō, in solo lumine naturali considerantibus, & non illuminatis lumine superiori, est principium vel saltem ad modum principij, ab intellectu cognita.* Videtur igitur sentire etiam contra hanc tertiam conclusionem, in qua asserimus, probari non posse naturali lumine, creationem esse impossibilē.

Quid sentiat Aureolus.

Et Marsil. hic.

Certum conclusionis fundamentum peti debet ex probatis supra n. 1. & n. 9. quod scilicet ad fidem pertineat non solum, Deum actu creare, verum etiā, Deum posse creare. Vniuersaliter autem impossibile est, vt quod supernaturali fidei lumine firmissimè iudicatur esse verum, idem naturali rationis lumine euidenter iudicetur falsum. Sicut enim quod fide creditur non potest esse in re falsum, ita nec falsum iudicari potest per naturalem intellectiui nostri luminis euidentiam, quæ pro suo proprio ac formali obiecto, extra quod vagati repugnat, habet verū vt verum, sicut voluntas bonum vt bonum. Aliter si creatus intellectus, quod re ipsa verum est, videret esse falsum, & è contrario, quod re ipsa falsum est videret esse verum, iam creatum lumen intellectiuū non esset principatio quædam increati luminis intellectiui, quo essentialiter, quæ in se vera sunt, videntur esse vera, & quæ in se sunt falsa, videntur esse falsa: sed esset potius directa atque omnimoda oppositio cum illo lumine, & tenebræ potius quàm lumen. Ergo si diuinum fidei lumē demonstrat possibilitatem creationis, non poterit humanæ intelligentiæ lumen demonstrare creationis impossibilitatem; & vt vniuersaliter deducit S. Thomas supra quæst. 1. ar. 8. in fine corporis. *Cum fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.* Quòd acutè confirmat Ægidius in quodam opusculo *de corpore Christi* in proœmio, quia ratio naturalis ex se non potest videre & probare fidei veritates; ergo multo minus improbare, & videre illas esse quasdam falsitates. *Non est enim,* inquit, *quod fidem probare non possimus ex repugnantia veritatis, sed quia, quæ continet, supra rationem sunt, & ad ea probanda ratio non attingit: & si propter sui excellentiam, rationes deficiunt comprobantes, multo minus deficiunt improbantes. Quidquid igitur contra fidem potest per hominem ratione concludi, potest ab homine ratione dissolui.*

16 *Conclusionis probatio.*

Falsum non posse euidenter iudicari verum.

S. Thom.

Ægidius.

Quarta conclusio Deum posse creare aliquid ex omnino & puro nihilo sui nēpe & quoad esse reale existentiæ, & quoad esse reale essentiæ, non est demonstrabile; imo demonstrabili est oppositum. Est conformis dictis Scoti, & Capreoli supra art. 1. fi. & Henrici in summa art. 28. q. 4. in principio, & quod lib. 1. q. 9. paulo ante medium, & Auicennæ apud ipsum, & cōmuniter aliorum, distinguentiū duplex esse, Alterum essentiæ, alterum existentiæ, & dicentium Rem quoad primum esse essentiæ per se præcisè consideratū dependere à Deo in genere causæ exemplaris puræ, in quantū essentia cuiusli bet creaturæ est quædam participatio infinitæ essentiæ diuinæ: quoad secundum vero esse existentiæ, à Deo pendere in genere etiā causæ efficientis, ita vt non fiat, aut sola essentia aut sola existentia, sed fiat vtrumque simul, scilicet essentia existens, quæ in quantum essentia, quia vt sic nunquam fit, debet intelligi nunquam incipere, sed semper & ab æterno habere purum illud esse essentiale producibile: & ideo ad quamlibet creationem in tempore factam præsupponi esse essentiæ æternum. Hac opinione posita, quā olim iuuenis in Metaphysica docui, & nunc quoque valdè probabilem existimo, conclusio manifesta est, quia euidenter constat, nihil posse creari nisi in se ipso præsupponatur ens reale creabile, ac proinde in se ipso intrinsecè habens aliquod esse realis essentiæ. Hinc enim solum oritur, vt Deus possit creare hominem, verbi gratia, non hircoceruum. Ergo euidens est, nihil posse creari ex nihilo, omnimode, & quod esse existentiæ, & quoad esse essentiæ realis.

17 *In quo sensu creatio repugnet.*

Respon

Respondetur ad argumenta Aureoli.

18

Obiicit primò, *De formali ratione omnis productionis est, quod sit inter duos terminos.* Quam propositionem falsam tum de productionibus increatis, quæ non sunt de nihilo, sed de substantia producentis, vt supra q. 27. artic. 1. dubitatione septima, tum de creatis, vt supra à n. 14. probat ex eo quòd *impossibile sit concipere productionem, quin concipiatur terminus productus per ipsam, & oppositum termini prius existens, virtute productionis exclusum.*

Respondetur in qualibet productione non requiri terminum à quo.

Respondeo concedendo, productionem requirere necessario terminum *ad quem*, non autem terminum *à quo* oppositum & exclusum; vt constat de productione æterna non solum per creationem, de qua loco citato, sed etiam per alterationem aliquam instantaneam, si enim ab æterno daretur sol & aër, ab æterno etiam daretur illuminatio aëris à sole: in qua quidem productione luminis, semper existeret lumen ad quod terminatur illuminatio; nunquam vero existeret negatio luminis, opposita lumini, & exclusa per lumen, ex qua aër tenderet ad recipiendum lumen. Diuersa autem est ratio termini *ad quem* sine quo productio concipi nequit; & termini *à quo*, sine quo productio & concipi rectè potest, & esse etiam reipsa. Nam, vt docet S. Thomas supra art. 1. ad secundum, *Mutationes accipiunt speciem & dignitatem non à termino à quo sed à termino ad quem.* Verum quia creatio aliqua, nempè temporalis, pro termino *à quo* habet nihilum eius quod creatur, quod immediatè ante creationem non erat, imo etiam nihilum simpliciter omnis entis, vt si Deus ante creationem mundi & cuiuslibet alterius rei voluisset creare vnum Angelum, hic creatus fuisset ex nihilo sui, & omnis simpliciter entis, quod nihilum præcessisset per totam æternitatem, contra hoc Aureolus.

S. Thom.

19 *Secunda obiectio.*

Obiicit secundò, *Si aliquid fit ex nihilo tamquam ex termino, aut fit ex nihilo per se, aut per accidens.* Et quoniam S. Thomas de Potentia, quæst. 3. art. 1. ad 16. & refert ac sequitur Capreolus 2. dist. 1. q. 2. art. 3. §. *In quarto loco.* ad hoc benè respondet, *quod si ly, Ex, nominet causam, non fit aliquid ex oppositō nisi per accidens, scilicet ratione subiecti; si vero nominet ordinem, tunc fit aliquid ex oppositō per se; vndè etiam priuatio dicitur esse principium fiendi, non essendi; hoc autem modo dicitur aliquid fieri ex nihilo,* hoc est, post nihilum fit aliquid; sicut cùm dicitur ex nocte fit dies, hoc est, post noctem, vt ibidem ad 7. fusius declaratur, & in hac q. 45. art. 1. ad 3. Instat Aureolus. *Vbicumque talis ordo ponitur, succedente posteriore tollitur prius; sed succedente aliquo non potest aliter eius oppositum, quod est nihil, tolli, nisi ponatur aliquod commune substratum. Ergo illud prius non erat nihil, & per consequens, erat contradictio, quod ex nihilo aliquid fiat.* Minorem falsam probat, quia cum post nihil creatur, verbi gratia, lapis, nihileitas non tollitur ab ipso lapide, *quoniam,* inquit, *realitas lapidis nunquam fuit sub nihilo; sicut enim albedo nunquam fuit nigredo, sic lapis nunquam fuit non lapis, nec ens nunquam fuit non ens. Nec tollitur illa nihileitas absolutè, quia quidquid fuit nihil, semper remanet nihil, nisi nihil verteretur in ens, quod omnino est impossibile.* Ergo recurrendum est ad aliquod commune substratum, sicut, inquit, *nunquam ex die fit nox, nisi succedente sibi in aliquo communi.*

Respondetur cum S. Thoma fieri posse vnum post aliud absque aliquo communi substrato.

Respondeo cum sancto Thoma de Potentia, quæst. 3. artic. 2. corporis, quem Capreolus supra probat, negando minorem illam vniuersaliter. Quamuis enim commune aliquod subiectum dare sit in iis productionibus, quæ mutationes sunt, vt in augmentatione, alteratione, latione, & generatione; vel cum præsupponitur vnum atque idem commune tempus continuum, *in cuius prima parte,* inquit, sanctus Thomas, *est vnum oppositum & in secunda aliud, vt cum dicimus, hoc fieri ex hoc, id est, post hoc, sicut ex mane fit meridies:* tamen id minimè requiritur in productione, quæ non est mutatio, vt ostendam art. sequenti, sed simplex emanatio ab agente, qua fieri potest omne ens, etiam ipsum subiectum, & ipsum tempus. Concedit autem sanctus Thomas, quòd in creatione temporali, etiam illa prima ante quam, nihil prorsus erat creatum, *inuenitur aliquod commune subiectum esse secundum imaginationem tantum, prout scilicet imaginamur vnum tempus commune dum mundus non erat, & postquam mundus in esse productus est. sicut enim extra vniuersum, non est aliqua realis magnitudo, possumus tamen eam imaginari; ita etiam ante principium mundi non fuit aliquod tempus, quamuis fit possibile ipsum imaginari; & quantum ad hoc creatio, secundum veritatem propriè loquendo, non habet rationem mutationis, sed secundum imaginationem quamdam, non propriè, sed similitudinariè.* Ad minoris probationem plurima dicunt Capreolus supra & Gregorius, & Adam apud ipsum. sed facilius & clarius dici potest, quòd arguens petit æquiuocè, *A quo tollitur nihileitas lapidis?* Nam si illud, *à quo,* significat à quo subiecto, supponit principium, nempè dari subiectum nihili, ex quo creatio procedere dicitur; quod subiectum probandū sumperat. Vt igitur à parte rei detur nihileitas lapidis, & ex illa seu post illam creetur lapis, non est necessarium, vt illa sit in ipso lapide, vel in aliquo alio subiecto; sed satis est vt sit absolutè & simpliciter per absolutam negationē lapidis in re. Quapropter non ambiguè quærendum est, *A quo* tollatur, sed potius, *Per quid* tollatur illa nihileitas lapidis? & tūc facillimè responderi potest, tolli formaliter, vel quasi formaliter per lapidem; sicut vniuersaliter quodlibet vnum contradictorium tollitur per aliud sibi contradictoriè oppositum. Neque vrget quòd realitas lapidis nunquam fuit sub nihilo, & quòd lapis nunquam fuit non lapis: hæc enim impugnatio procedit ex falsa imaginatione, quòd negatio lapidis ante creatum lapidem nulla alia ratione esset à parte rei nisi subiectata in ipsomet lapide: erat autem alio modo, nimirum absolutè, & quasi per se, scilicet per simplicem & absolutam negationē termini, & non per negationem termini in aliquo subiecto: verbi gratia, non erat sicut negatio visus, est in animali cæco, sed sicut negatio visus suo modo erat ante quodlibet animal, & ante omnem aliam rem.

Quomodo creatio, habeat subiectum, & sit mutatio.

Qui verò in probabili opinione, vt supra n. 17. tenent, Essentiam distingui ab existentia, & essentias secundum purum esse essentiæ, & connexionis essentialis terminorum, esse ab æterno producibiles quidem, tamen improductas, aliter respondent dicentes, essentiam esse commune quoddam subiectū & existentiæ, quam per creationem temporalem recipit in tempore, & negationis existentiæ, quam negationem habet in tota æternitate à parte ante, quando nulla creatura extitit; & ideò creationem non esse ex nihilo essentiæ simpliciter, quod nihilū nunquā datur in ista sententia ponente semper dari illius contradictorium, nempè essentiā simpliciter, sed solum ex nihilo existentiæ. Vndè ad prædictam interrogationē Aureoli respondēt, lapidem nunquā fuisse sub nihilo essentiæ, sed solū sub nihilo existentiæ. Quare nihilū lapidis tolli per esse existentiæ, non per esse essentiæ ipsiusmet lapidis. Atque hanc responsionem refert Capreolus

20 *Alia responsio probabilis.*

supra, & non improbat, imo probare videtur; sed prima responsio videtur planior & vniuersalior pro omni sententia.

21 *Tertia obiectio.*

Obiicit tertiò, *Hæc implicat contradictionem, nihil fit aliquid; ergo & ista, ex nihilo fit aliquid.* Consequentiam probat inductione, *quia non reperitur instantia quin idem significet, ex hoc fit hoc, & hæc fit hoc. sicut cum dicitur, ex ære fit aqua, conceditur quòd aër fit aqua: ex puero fit vir, puer fit vir: similiter ex die fit nox, conceditur quod dies fit nox.*

Respondetur fieri ex hoc, *non esse semper fieri* cum hoc.

Respondet optimè Capreolus afferendo instantiã; quoniam, inquit, *nullus diceret quòd Martius fiat Aprilis; conceditur tamen, quòd ex Martio fiat Aprilis. Omnes etiam Physici dicunt ex priuatione fit forma,* Nemo vero dixerit, Priuatio fit forma. Neque vere scribere potuit Aureolus, quod æquè benè communiter dicatur, ex die fit nox, &, dies fit nox: hoc enim secundum apud nullum propriè ac rectè loquentem est in vsu. Alioquin eadem improprietate in aliquo bono sensu, vt contra arguentem instat Capreolus, *sicut ipse concedit istam, Dies fit nox ita concedam sibi istam, nihil fit aliquid, id est post nihil.* cur autem ex duobus terminis, ex quorum vno fit alius, vel in quibus post vnum fit alius, aliquando liceat dicere, vnum fieri alium, vt in primis duobus exemplis in obiectione; aliquando non liceat, vt in aliis exemplis in responsione; id oritur ex eo quòd aliquando datur vnum commune subiectum realiter manens modo sub vno termino, modo sub alio termino opposito, ratione cuius subiecti denominari in concreto potest vnum oppositũ fieri aliud oppositum. *Dixi in concreto*; nam si iidem termini sumantur in abstracto, dicetur quidem, ex hoc fit hoc, non tamen, hoc fit hoc: verbi gratia, dicitur ex forma aëris fit forma aquæ, non autem forma aëris fit forma aquæ, sicut dicitur, Aër fit aqua. Item dicitur, ex pueritia fit adolescentia; non autem, Pueritia fit adolescentia, sicut dicitur, Puer fit adolescens. sic eriã abstractè dicitur, ex priuatione caloris fit calor, non autem priuatio caloris fit calor; sicut concretè dicitur, non calidum fit calidum. Quoniam verò aliquando inter huiusmodi terminos inuicem succedentes, nullum datur commune subiectum in quo termini habeant aliquam connexionem & vnitatem, sed remanent termini inuicem omnino diuisi & oppositi, etiam si in concreto significentur, est impossibile verè dicere, vnum terminum fieri alium; verbi gratia, nec dicitur in abstracto, hora decima fit hora vndecima, nec etiam in concreto, tempus horæ decimæ fit tempus horæ vndecimæ. Similiter tam falsò dicitur abstractè, Nihilitas fit aliquidditas, quàm concretè, nihil fit aliquid. In omnibus enim istis casibus semper deest aliquod vnum commune vtrique opposito, in quo fundari necessario debet veritas propositionis, in qua dicitur, vnum oppositum fieri aliud.

22 *Quarta obiectio.*

Obiicit quartò, Terminus *à quo* habere debet aliquam connexionem cum termino *ad quem*; alioquin ex quolibet fieret quodlibet. *Sed nulla connexio esset termini ad terminum nisi poneretur subiectum*; quia, inquit, *terminus non habet per se habitudinem ad terminum, sed per accidens ratione subiecti.* Ergo non potest dari productio inter duos terminos absque vllo subiecto. ergo implicat creatio, quæ sit productio rei ex nihilo sine subiecto.

Respondetur explicando cõnexionem termini, à quo *cum termino* ad quem.

Respondeo, ad conceptum simplicis productionis vnius ex alio, sufficit vt terminus *à quo* dicitur productio procedere sit prior, & terminus *ad quem* posterior. Quæ connexio prioris & posterioris necessario reperit inter non ens & ens primo productum in aliquo tempore. Semper enim negatio illius entis in tota æternitate præfuerit necesse est. Nec præterea requirenda est connexio in vno aliquo communi subiecto, nimirum physico; nam iuxta ea quæ dicta sunt supra num. 17. ante creationem, & terminum qui creatur, non solum præcedit nihilum illius termini, quod in creatione temporali intelligitur vt terminus *à quo*, sed procedit etiam positiuum esse essentiæ secundum se, quod intelligitur veluti quoddam subiectum non realiter existens, sed realiter potens existere, & recipere effectum formalem existentiæ. In quo sensu Capreolus supra concedit Aureolo non solum quòd ex nihilo fit lapis, & quòd ex nihilo fit aliquid, sed etiam quòd nihil fit lapis, & quod nihil fit aliquid. Quo significari ait, *non quod nihilitas vertatur in aliquitatem sibi oppositam*, ad quam implicantiam nos deducere contendit Aureolus, *sed quia essentia lapidis prius erat nihil in genere existentium, postea est aliquid in genere illo.* Quam propositionem in isto sensu facere videtur Anselmus in Monologio c. 8. post medium, cum res esse à Deo creatas, & factas de nihilo, ita explicat, *id est quæ prius nihil erant nunc sunt aliquid*: quia scilicet ipsa essentia rei quæ creatur, prius concipitur esse sub nihilo existentiæ, posterius fieri aliquid existens.

In quo sensu Anselmus & Capreolus dicant nihil fieri aliquid.

23 *Quinta obiectio.*

Obiicit quintò, Non videtur sufficienter dictum à S. Thoma allato & explicato supra artic. 1. n. 12. quòd negatio inclusa in nihilo, *neget habitudinem omnem importatam per ly, ex, cum dicitur, ex nihilo aliquid fieri. Quin secundum hoc, Filius in diuinis esset creatus, cum sit productus non de aliquo, & ex nihilo, vt ly, ex, nihilo neget omnem habitudinem ad non esse præcedens. Igitur cum productio Filij in diuinis non sit creatio, relinquitur quòd ly, ex, in proposito, dicat aliquam habitudinem.*

Respondetur assignando rationes, cur diuina processio non sit creatio.

Respondet Capreolus, Filium Dei non posse dici creatum, quia *licet non sit ex aliqua materia, tamen est productus ex substantia Patris, quæ habet aliquam de conditionibus materiæ, scilicet quia non solum est in Filio genito, sed in Patre. Creatura autem non fuit creata ex aliqua materia nec ex aliquo habente conditionem materiæ, scilicet quod præesset in aliquo, quia nihil quod sit in creatura formaliter, præcessit eius productionem nec fuit in aliquo alio.* Sed quia ad hominem potest fieri instantia de essentia, quam ipsemet Capreolus admittit præcedere creationem sub negatione existendi, & postea per creationem fieri sub existentia, vbi etiam interuenire videtur aliqua materiæ conditio, ideo aliter respondeo iuxta fusius dicta supra quæst. 27. artic. 1. num. 174. 175. & 181. Filium Dei non creari, non ex eo præcisè quòd procedat ex aliquo præcedente simpliciter, nempè ex eadem omnino Patris substantia; sed etiam quia procedit de illa substantia exigente de necessitate essentiali illam productionem & existentiam: vnde Filius Dei, eiusque processio habent, vt si rectè considerari debeant, in nullo signo rationis considerari possint sub non esse, etiam si illud esse sit & considerari debeat vt acceptum ab alio. Non enim, inquit, S. Thomas de Potentia q. 10. art. 1. ad 15. *Omne quod non habet aliquid, nisi secundum quod recipit illud ab alio, in se consideratum caret illo, & nihil est.* Nimirum propter prædictam necessitatem essentialem, quam terminus productus habet recipiendi esse suum ab alio. Etenim in diuinis processionibus, inquit, idem S. Thomas de Potentia q. 1. art. 1. ad 13. *accipiens non sic accipit, quasi prius non habens, & postea accipiens; sed quia hoc ipsum quod est, habet ab alio: vnde non sequitur quod sit indigens.* Ob quam etiam causam ita egregiè scripsit Scot. 1. d. 2. q. 7. §. *tenendo* concordans in hoc cum S. Thom. *Stat de Filio, quòd sit à se formaliter necessarius, & tamẽ ab alio producẽte, cum*

S. Thomas.

Scotus.

cum quo habet eamdem entitatem necessariam. Creatio vero est ex aliquo præcedente, nempe essentia creaturæ, quæ simpliciter & ex intrinseca sua ratione non petit esse, neque ex se, neque ab alio, sed indifferens est ad esse ab alio, & ad non esse simpliciter. Et ideò non solum est productio cum negatione subiecti præsuppositi, qui duo conceptus reperiuntur etiam in diuinis processionibus; & propterea non satis explicant essentialem creationis conceptum, sed addi præterea debet, quod sit productio rei de non esse simpliciter, quantum est ex natura sua; cui conceptui, si demum adiungas conceptum accipiendi esse ab alio cum negatione causæ materialis physicæ, habebitur integra ratio creationis distincta essentialiter à ratione diuinarum processionum.

Essentia creationis distinctius traditur.

24 *Sexta obiectio de annihilatione.*

Obiicit sextò. Implicat annihilatio. ergo etiam creatio. Antecedens falsum probat, *Annihilatio nihil aliud est, quàm entis in nihil reductio. Sed impossibile est quod ens redigatur in nihil, nisi ratione substrati; & tunc non erit nihil.* Ergo implicat redactio rei in nihil simpliciter, sed semper remanebit aliquid illius nempe substratum. Ergo ab opposito, implicat pariter productio alicuius ex nihilo simpliciter, sed semper necesse est producere aliquid ex aliquo simpliciter, nempe ex substrato.

Responsio Capreoli.

Respondet Capreolus, concedendo totum in aliquo bono sensu secundum opinionem de essentia ab æterno, probatam supra num. 17. & 22. qua ipse nunc manifestè & sæpè vtitur. Ait igitur, *quod ens sumptum ab esse existentiæ, opponitur contradictoriè nihilo existentiæ: & ens sumptum ab esse essentiæ, opponitur nihilo essentiæ. Dico igitur quod essentia, quæ est ens secundo modo, potest reduci in nihil, sibi non oppositum; licet ens existentiæ non possit reduci in nihil existentiæ, nisi per accidens ratione substrati, scilicet essentia, quæ siue habeat actum existendi, siue non, semper tamen remanet ens, prout ens sumitur ab esse essentiæ, & significat essentiam reponibilem in prædicamento.* Qua responsione necessariò concedit, Annihilationem non tendere ad nihilum simpliciter, & quoad esse essentiæ, & quoad esse existentiæ; & similiter à contrario, creationem non tendere ex nihilo simpliciter, sed secundum quid, nempè nihilo existentiæ tantum. Verum alia sententia negans essentias ab æterno, & consequenter concedens creationem esse ex nihilo simpliciter, & annihilationem esse ad nihilum simpliciter, quia ipsæmet essentiæ, si non existant, nihil simpliciter in re ipsa sunt; potest facilè negare Aureolo minorem, scilicet, impossibile esse ens redigi in nihilum simpliciter, nisi ratione substrati: satis enim est simplex & omnimoda remotio totius entis, cui contradictoriè opponitur nihilum simpliciter, non ratione communis substrati, sed ratione ipsorum terminorum, qui se ipsis opponuntur contradictoriè, etiam præciso quocumque subiecto, quod non requiritur ex pura ratione contradictionis, sed solum ex ratione transitus seu mutationis de vno contradictorio in aliud; qui transitus, seu mutatio, postulat commune aliquod subiectum quod transeat & mutetur: nam, vt docet S. Thomas de Potentia quæst. 3. art. 2. initio corporis, *in nomine mutationis & transitus designatur aliquid idem aliter se habere nunc & prius.*

Alia responsio.

Transitus importat subiectum ex S. Thoma

25 *Septima obiectio.*

Obiicit septimo. Cum dicitur lapis in tempore creari, *aut erat omnino nihil, aut aliquo modo erat, & aliquo modo non erat.* si primum, *sequitur quod nihil prius, nunc factum sit ens, & ita nihil versum est in ens; quod est impossibile.* si secundum, *non erit creatio, seu productio ex nihilo, sed ex aliquo modo ente, & aliquo modo non ente.*

Responderi potest dupliciter, vt ad sextum. Primo cum Capreolo sequente Henricum, Godofredum, & Bernardum de Gannaco. Quòd lapis ille erat purum & omnino nihil in genere existentium, non autem in genere entium simpliciter, siue essentiarum, sicut omnino nihil est chimæra. Vnde nõ sequitur, inquit Capreolus, *quod nihil abstractiuè dictũ, sit conuersũ in ens, sed quod res, quæ prius nihil erat in actu, modo est aliquid actu; Prius enim nihil erat de quo posset dici, Hoc est actu: sed vltra nihilitatem, quæ est carentia actualis existentiæ, erat essentia in esse essentiæ, quæ absolutè considerata vt natura, vel quidditas, est substrabilis*, hoc est, substerni potest, *nihilitati existentiæ, & aliquidditati existentiæ: & ipsa secundum se semper est aliquid in genere essentiarum, & in esse intelligibili, & in potentia actiua creatoris; licet non in esse reali actuali.* Quod paulo post ita magis declarat. *Antequam crearetur mundus, erat mundus, & erat id quod nunc est, non in actuali existentia, nec in potentia actiua, vel passiua creaturæ, sed in potentia actiua Dei, & in esse intelligibili, & secundum suam absolutam considerationem; item in potentia logicali, quæ est non repugnantia terminorum. & ideò conceditur, quòd rosa ab æterno erat substantia, corpus, flos; non actu, sed potẽtia in Deo. Non sic erat omnino nihil chimæra, cui repugnat esse actu.* Et post nonnulla subiungit; *Essentia vel quidditas non est aliud quàm illud, quod importat ratio alicuius. Et quia ratio cuiuslibet rei est æterna in Deo, ideò quælibet essentia æternaliter est essentia, vel quidditas. Esse enim essentiam vel quidditatem, non est aliud quam haberi rationem veram, non fictitiam in intellectu alicuius verè intelligentis.* Deinde refert S. Thomam de hac re multa docentem conformia eidem sententiæ. Inter alia dicit, *quod hoc, quod alicui naturæ competit secundum absolutam considerationem est ratio quare competit naturæ alicui secundum esse quod habet in singularibus. & non è contra. Vndè dato quòd Socrates & Plato non essent, adhuc naturæ humanæ rationalitas competeret. Et remotis omnibus singularibus hominibus, adhuc remanet rationalitas, attribuibilis naturæ humanæ.* Ex his Capreolus respondet ad vltimum membrum obiectionis Aureoli, nimirum, creationem esse productionem ex omnino, & puro nihilo, *prout nihil opponitur enti, quod dicit actum existendi extra causam suam; sed non prout nihil opponitur enti, quod dicit quidditatem, vel naturam in se; vel dicit actum essendi in intellectu diuino, vel in potentia productiua Dei.* Et multa alia habet ex Alberto, sancto Thoma, & aliis.

Prima responsio Capreoli, supponens essentias ab æterno.

26 *Secunda responsio aliorum supponens contrariam sententiam.*

Responderi potest secundo iuxta aliam opinionem, quam Capreolus securiorem vocat, ponentem essentiam ante existentiam, esse omnino nihil in omni genere entis realis, ac veri, in quo valeat simpliciter dicere, essentia est, eamque responsionem sequitur etiam Capreolus, qui, inquit, *posset breuius dici ad argumentum, quod ista consequentia non valet, lapis ante sui creationem nihil omnino erat, & post sui creationem est aliquid, ergo purum nihil conuersum est in ens: sed solum sequitur, quod res quæ prius non fuit aliquid, postea est aliquid.* vel ad tollendam æquiuocationem & imaginationem alicuius entis, & communis substrati, per illam particulam, *Res*, cautius loquendum est, dicendo quòd post purum nihilum lapidis, seu puram & totalem negationem lapidis, quæ erat suo modo in tempore imaginario ante creationẽ, succedit virtute actiua solius creatoris absque vllo præsuppositi subiecto, esse totale ipsius lapidis: ita vt non sit transmutatio, sed mera successio vnius contradictorij posterioris,

quod est esse ad aliud contradictorium prius, quod est non esse. *sed prima solutio*, inquit Capreolus, *realior est, dummodo intelligatur.*

Respondetur ad argumenta Marsilij.

27 *Obiectio prima.*

Præterea Marsilius citatus supra n. 15. arguit primo. *Illud non potest probari in puro lumine naturali, cuius oppositum sequitur ex principio in illo lumine. Sed ista, nihil creatur, vel etiam hæc, creatio non est possibilis, sequitur ex principio Philosophiæ naturalis*; nimirum ex illo, *omne quod fit, fit ex subiecto præsupposito.* nam, vt dixerat paulo ante in quinto corollario, *vbicumque factio apparet sensui vel intellectui, apparet sibi subiectum; & in lumine naturali non potest videre causam quare non vbique est sic.* Ergo creatio est contra principium naturali lumine notum. Ergo naturali lumine demonstrari non potest.

Respondetur creationem non esse contra principiũ naturale.

Respondeo negando minorem. Illud enim principiũ, omne quod fit, fit ex subiecto præsupposito, seu, quod idem est, ex nihilo nihil fit, est quidem principium naturale considerantibus emanationẽ effectuum particularium à causis particularibus, quam tantum emanationem consideraruntantiqui Philosophi pronuntiantes, ex nihilo nihil fieri; non est autem principium naturale considerantibus primam emanationem ab vniuersali rerum principio: per quam euidenter ac necessario demonstrauimus, quòd Deus ex nihilo res in esse producit. Quæ responsio apertè colligitur ex doctrina & verbis huius articuli in corpore, & ad primum: & obiectio, si esset efficax, nimis probaret, scilicet, nos fide diuina credere aliquid quod lumine naturali euidenter demonstratur esse falsum. Quod ex terminis ipsis inconueniens esse apparet.

S. Thomas.

Nam, vt prudentissimè docuit Sanctus Thomas supra quæst. 1. art. 8. ad secundum. *cum gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subseruiat fidei; sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati.* & vt docet quæst. 2. art. 2. ad 1. *sic fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & vt perfectio perfectibile.*

28 *Obiectio secunda.*

Arguit secundo. Posse aliquid creari, est articulus fidei. De eadem vero re non potest esse fides & scientia, hoc est, cognitio obscura & clara. Aliqui negant antecedens, dicentes, articulum fidei non esse alium nisi Deum esse creatorem in tempore. Sed cum hoc euidenter includat, Deum posse creare, vt demonstrauisupra num. 1. hoc etiam dici debet spectare ad fidem, & ad eumdem fidei articulum. Et ideo rectè Sanctus Thomas cum in hoc articulo probandum sibi proposuisset, Deum posse aliquid creare, id in argumento, *sed contra*, probauit ex illo Genes. 1. de actuali creatione in tempore; *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Euidens enim & essentialiter necessarium est, eum posse creare, qui actu creat. Atque, hanc fidei certitudinem tam de possibilitate, quam de actualitate creationis, non obscurè expressit idem Sanctus Thomas de Potentia quæst. 3. art. 1. initio corporis dicens, *quòd tenendum est firmiter, quòd Deus potest facere aliquid ex nihilo, & facit.* Admisso igitur antecedenti.

Deum posse creare, esse de fide.

S. Thomas.

Respondetur, obiectum posse sciri & credi.

Respondeo negando consequentiam. Esto enim idem actus esse nequeat fidei & scientiæ, & in eodem intellectu esse non possint de eodem materiali obiecto duo actus, alter fidei, alter scientiæ; nihil tamen prohibet in diuersis intellectibus, vel in eodem pro diuersis tamen temporibus, idem esse modo creditum, modo scitum: imo in eodem intellectu pro eodem tempore idem esse creditum & simul scitum, non actualiter sed habitualiter. De qua re plura scripsimus in t. primo q. 2. art. 2. à n. 13. ad 16. & latius agitur in 2. 2.

29 *Obiectio tertia.*

Arguit tertio. *Hæc propositio. Aliquid potest creari, non est per se nota, nec per sensum, vel experientiam; nec ex his deducibilis. Ergo non potest concludi probatiuè ex lumine naturali.*

Respondetur creationem deduci ex aliis per se notis.

Respondeo, esse deducibilem ex aliis per se notis, cuiusmodi sunt, Deum habere potẽtiam infinitam in agendo, & independentem, à quacumque alia causa creata, esse primam causam effectiuam omnium entium. Vnde necessario, & euidenter deducitur, quod prima emanatio à Deo ad extra, non possit esse nisi per creationem ex nullo præsupposito subiecto, neque producto, quia aliter illa emanatio non esset prima, neque ex subiecto increato, quia supra in 1. tom. quæst. 3. art. 8. demonstratum est, Deum non posse supplere vicem materiæ. & quamuis Marsilius in sua tertia, & quarta ratione sumat, *in lumine naturali non esse notum, Deum esse infiniti vigoris & esse immensæ virtutis.* tamen in 1. tomo oppositum demonstrauimus cum Sancto Thoma de infinitate in quæst. 7. art. 1. de immensitate q. 8. ar. 1.

30 *Obiectio quarta.*

Arguit quarto. Deum posse aliquid creare, *vel probaretur ratione horum quæ nunc fiunt; & hoc non, quia in omnibus talibus apparet aliquid subiici: vel ex prima productione mundi: & hæc non est nota in lumine naturali.*

Respondetur, creationem probari ex productione animæ rationalis.

Respondeo, probari ex vtroque capite, primo ex productione animæ rationalis, quæ quotidie fit, & fieri non potest aliter quàm per creationem, cũ sit quidem forma materiæ, tamen non pendeat in operari & esse à materia, ac proindè præsupponat quidem materiam in informando, siue vt subiectũ informationis; non tamen in essendo, siue vt subiectum eductionis. Secundo ex prima mundi productione, quæ si consideretur vt facta in tali determinato tempore in quo facta est, non potest necessariò demonstrari, sed fide creditur ita à Deo liberè ac sapientissimè facta: si verò vt simpliciter facta in tempore, & non ab æterno, & in controuersia, an naturali lumine demonstrabile sit mundum non posse fieri nisi in tempore, quod communius Doctores affirmant, de qua controuersia in sequenti quæstione: & tunc, ex prima productione hoc modo accepta, euidens est secundum hanc sententiam, creationem probari naturali lumine. Si denique prima mundi productio consideretur vt prima, nõ primitate temporis, sed primitate causæ, nimirum vt facta à prima & increata omnium causa, etiam si per impossibile ponatur facta ab æterno absque vllo durationis principio, tunc etiam naturæ lumine demonstramus illam non posse fieri dependenter ab aliquo subiecto præsupposito, ex quo Deus res omnes eduxerit: quoniam hoc ipsum subiectum numerari deberet inter res à Deo productas, & non productum ex alio subiecto, alioquin procederetur in infinitum. Ergo ex nihilo per creationem.

Et ex prima mundi productione.

DVBITATIO IV.

An creatio fuerit Aristoteli omnino ignota.

SVMMA.

1. *Quid senserint de creatione veteres Philosophi ante Aristotelem n. 31.*
2. *Creationem non fuisse omnino ignotam Aristoteli. n. 32. ad 36.*
3. *Exponuntur auctoritates oppositæ, num. 36. ad finem articuli.*

Potissimum

31

POtissimum argumentum, quo moti Aureolus, & Marsilius scripserunt, naturali intellectus nostri lumine non posse probari, creationem esse possibilem, imo potius posse probari esse impossibilem, fuit authoritas omnium veterum philosophantium: quia, inquit Aureolus 4. sent. quæst. proëmiali, art. 1. in initio, & in §. *de secundo Philosophus, & Commentator, & omnes philosophi antiqui, de quibus constat, quod habuerunt ingenia præclarissima, reputauerunt creationem esse impossibilem, & propositionem illam per se notam, ex nihilo nihil fit.* Quamobrem operæ pretium erit ad exactam existentiæ creationis demonstrationem, diligenter inuestigare quid hac de re Philosophus senserit, omissis reliquis, de quibus minus solicitos esse oportet. Enimuero de Platone ipso, eiusque schola ita refert Ambrosius l. 1. Hexameron c. 1. initio: *Plato, & Discipuli eius tria principia constituerunt omnium, Deum, & Exemplar, & Materiam; & ea incorrupta, & increata, ac sine initio*; *Deumque non tanquam creatorem materiæ, sed tanquam artificem ad exemplar, hoc est, ideam, intendentem, fecisse mundum de materia.* Quod iisdem ferè verbis testatus est: Magister initio libri 2. sent. Præterea ipsemet Philosophus tam de Magistro suo Platone, quam de reliquis antiquioribus ita testatur l. 1. Phys. t. 33. *Communem opinionem Physicorum esse, quod nihil fit ex eo quod non est.* Et iterum in text. 34. *De hac enim conueniunt opiniones omnes, qui de natura.* Vnde Anselmus in Monologio c. 7. med. ait, *vox omnium est, quia nihil de nihilo.* Et S. Thomas opusc. 15. de Angelis c. 9. circa principiũ, esse ait, *communem suppositionem naturalem Philosophorum, ex nihilo nihil fieri.* Quibus sanè vitio verti non debet, nec naturali creationis veritati præiudicare, quod eodem naturæ lumine, quo nunc eam nos demonstramus, ipsi non viderint; tum quia nos multo maiori fidei lumine illustramur, quo ipsum naturale lumen non solum ad altiora supernaturalia intelligenda eleuatur, verum etiam ad ipsa quoque naturalia sibi propria, facilius tutiusque percipiẽda excitatur ac dirigitur. Hãc enim ob causam, vt docet S. Thomas suprà q. 1. art. 1. circa med. corp. *ad ea etiam, quæ de Deo ratione humana inuestigari possunt, necessarium fuit hominem instrui reuelatione diuina; quia veritas de Deo per rationem inuestigata à paucis, & per longum tempus, cum admistione multorum errorum, homini proueniret.* Tum quia creatio est quidem naturali lumine cognoscibilis, tamen magna cum difficultate, cum ad illam penetrandam oporteat multa de Dei potentia, & de prima rerũ origine ac dependentia ab vno primo principio percipere. Quæ autem huiusmodi sunt veteres illi infideles, quantumuis ingenio præstantes, in quibus primum nasci ac balbutire cœpit Philosophia naturalis, videre non potuerunt. *Paulatim enim*, inquit S. Thom. opusc. cit. *humana ingenia processisse videntur ad inuestigandam rerum originem.* Et ideo, subdit, *antiqui naturales solum ad particularem fiendi modum peruenire potuerunt, qui est per mutationem, vel motum. Vnde illud quasi principium supposuerunt, ex nihilo nihil fieri.* Quare cum in hoc art. ad 1. respondet, *quod antiqui non considerarunt, nisi emanationem effectuum particularium à causis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione: & secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo nihil fieri*: id non dixit ex eo quòd aliam longè præstantiorem ac difficiliorem emanationem primam totius entis vniuersalis ex nihilo simpliciter ab vno & primo principio immediatè, antiqui verè cognouerint, sed considerare ac nobis tradere noluerint, sed solum ex eo quod ad eam cognoscendam peruenire non potuerint. Quod clarius docuit

Quid senserit Plato ex Ambros. & Magist.

Quid senserint alij veteres ex Arist.

Aureolus.

Anselmus.

Thomas.

l. 2. con. gent. c. 16. fi. Vt igitur ab hoc numero seperemus Aristotelem, Philosophorum omnium, etiam posteriorum ætatum facilè principem, atque hinc naturalem creationis intelligibilitatem confirmemus, sit.

32

Vnica conclusio, productio rerum ex nihilo, quamuis nullibi fuerit ab Aristotele in terminis expressa, tamen nullibi etiam fuit expressè negata, imo nonnullis in locis fuit non obscure indicata quo ad rem ipsam. *Hoc*, inquit Caietanus in opusculis tom. 3. tractatu 2. col. 22. circa fin. *communiter excellentes viri concedunt etiam de mente Aristotelis, & Auerrois id pluries dicentis cõtra Algazelem.* Verè enim hãc notitiã Philosopho tribuunt Magn. Albert. p. p. sũmæ de quatuor coæuis q. 1. art. 1. circa med. S. Th. in lib. 8. Phys. lect. 2. nõ lõgè à principio, confutans Auerroem; cui tribuit contrariam sententiam Scotus in reportatis 2. d. 1. q. 3. §. *contra istum.* Durandus 1. d. 35. q. 3. n. 7. Riccard. 2. d. 1. art. 3. q. 2. §. *contra.* Maior q. 7. concl. 2. & ad argumenta contra illam. Argentina 2 d. 1. q. 1. art. 3. Idem tribuens Auerroi. Aliique nonnulli quos recentiores multò communius sequuti sunt, vt Caietanus suprà & de ente, & essentia q. 10. Soncinas 12. Metaph. q. 15. & 16. Sauellus ibidem q. 5. Sotus 8. Phys. q. 2. Toletus q. 6. Conimbricenses cap. 2 q. 2. art. 2. Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 1. num. 15. Bagnes p. p. q. 44. art. 1. ad 7. Mol. q. 45. art. 1. in fin. contra Bonauenturam 2. d. 1. art. 1. q. 1. in fin. corp. quærentem. An Aristoteles posuerit productionem ex nihilo, & respondenté. *Hoc ego nescio: credo tamen quòd non peruenit ad hoc.* Aureolum & Marsilium supra, Arimin. 2. d. 1. q. 1. art. 1. & q. 2. ar. 1. Bacconum q. 1. art. 2. & alios, quos ex recentioribus sequutus est noster Pererius in Physica l. 5. c. 7.

Creationem non fuisse omnino ignotam Aristoteli.

Ita Caiet. Albertus. S. Thomas. Scotus. Durandus. Riccardus. Maior. Argent. Soncinas. Sauellus. Sotus. Toletus. Conimbr. Caietanus. Suarez. Bagnes. Molina, cõtra Bonauent. Aureolum. Marsilium. Ariminen. Bacconum. Pererium.

33

Probatur conclusio prino ex alia opinione, vnde hæc manifesta sequitur. Philosophus enim cognouit, & concessit res in sua sententia æternas, vt intelligentias, cœlos, materiam primam, elementa, species mistorum naturalium, productas & factas esse. Nam l. 2. Phys. t. 45. & 46. *absurdum* esse ait dicere, Plantas & animalia esse facta propter aliquẽ finem; cœlum verò effectum à casu. Et docet, eodẽ modo, quo viuentia & maiori ratione factum esse cœlum propter aliquem finem. Et 8. Phys. t. 15. circa fin. reprehendit Democritum, *quod ipsius semper non vult principium quærere.* hoc est, quod dixerit, Æterna, quæ semper sunt, non habere causam ex qua sint facta. Et Æternitatem non impedire quo minus res æternæ causam habeant, probat exemplo Trianguli, quem habere tres angulos æquales duobus rectis, fuit verum ab æterno & tamen huius rei ab æterno etiam fuit causa. & l. 1. de cœlo t. 2, cum probasset, cœlum esse ingenerabile, & incorruptibile, ita concludit, *Rectè videtur natura id quod futurum erat ingenerabile, & incorruptibile, exemisse à contrariis; in contrariis enim est generatio atque corruptio.* Ergo cœlum factum est ab illa natura, quæ illud exemit à contrariis; alioqui contrariorum carentiam non habuisset à natura, sed à se, & necessariò. Et infra t. 100. loquens de quodam primo immortali ac diuino rerum omnium principio; hoc est, de Deo, ait, *vnde & aliis pendet, his quidem exactius, his autem obscurius, esse & viuere.* Quæ summa, atque vniuersalissima dependentia, absque efficientia esse non potest. Et lib. 2. de Generat. t. 51. in rebus corruptibilibus ponit tria principia, materiam, formam, & efficiens: & totidem, genere eadem, vult esse in sempiternis. *Sunt*, inquit, *& numero æqualia, & genere eadem, quæ & in sempiternis, & in primis.* Sempiterna vere & incorruptibilia effici nequeunt, ex materia Physica, quæ creationi re-

Naturale lumen inuarifidei lumine ex S. Thoma.

Prima probatio ex lib. 2. Phys. t. 35. 46.

l. 8. Phys. tom 15.

l. 1. cœli. t. 2.

& t. 100.

l. 2. de gen. t. 51.

pugnat, sed ex alia Metaphysica longè diuersa, scilicet ex intrinseca realis entis potentialitate ad essendum dependenter ab aliquo vno supremo rerum omnium effectore; quæ à creatione non abhorret sed supponitur. Et infra t. 59. aduertit, Deū optimè mundum constituisse quibusdam sibi proximioribus, incorruptibilitatem impertiendo; aliis vero, à se remotioribus, corruptibilitatem, ita tamen vt per continuas indiuiduorum vicissitudines, essent etiam quodammodo incorruptibilia.

& t. 59.

34 *l. 1. Metaph. sum. t. 6. 2.*

Clarius loquitur in libris Metaphysicorum. Nam l. 1. summa t. c. 2. circa finem docet, Deum quam maxime habere scientiam rerum Metaphysicarum, quas diuinas vocat, & rationem assignat dicens, *Deus etenim tum causa omnibus esse videtur, tū quoddam principium.* Vbi Philosophus intelligendus est de perfectissima causalitate effectiua, nimirum non solum per simplicem effectus executionem, sed etiam per idealem intellectus directionem, & imperium voluntatis: alioquin eius argumentatio, qua ex efficientia cognitionem probat, non esset efficax; cum multæ sint effectiuæ rerum causæ, & nihilominus non cognoscitiuæ. Et l. 12. t. 38. cum concessisset, *dari aliquid mouens, ipsum immobile existens, actu ens, quod nullo modo contingit aliter se habere, sed simpliciter est, & ex necessitate est ens & principium*, ita concludit, *A tali ergo principio tum cœlum, tum natura dependet.* Nimirum maximè dependentia effectiua; tum quia de solo Deo, vt à reliquis omnibus distincto dixerat, *esse principium & ens simpliciter necessarium.* Reliqua igitur, si non talia sunt, debent necessario ab hoc principio effectiuè pendere. Tum quia infra t. 52. constituit vnum Ducem totius vniuersi; *ad quem vnum*, inquit, *coordinata sunt omnia; non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est.* Est autem impossibile, hoc recte intelligere, absque dependentia, qua omnia ordinatissimè ac sapientissimè facta sint ab vno Deo. Tum quia t. 55. de Anaxagora, qui vnum constituit rerum omnium principium, nempe mentem, ait, *Bonum ponit principium, vt mouens: mēs enim mouet.* Mouere autem ad efficientiam pertinet. Tum quia t. 56. fi. loquens de vniuerso, eiusque gubernatione ab aliquo agente primo, ait, *non est bonum pluralitas principatuum*; quoniam, inquit, *entia nolunt male gubernari*; quod vtique sequeretur, si huiusmodi gubernatio à pluribus principiis effectiuè penderet. Vnde statim concludit, *vnus ergo princeps*: Nimirum omnium rerum causa, efficiens, & ordinans, & disponens, & gubernans, ac dirigens vniuersa. Ex quibus omnibus locis manifestum relinquitur, Philosophum agnouisse efficientiam rerum omnium ab vno principio. Sed inter has nonnulla sunt, quæ ex subiecto fieri nequeunt, vt intelligentiæ, cœli materia ipsa prima. Ergo cognouit earum efficientiam ex nihilo, hoc est, independentem ab aliquo subiecto præsuppositō; quam nos creationem appellamus. Quod quidem in productione materiæ primæ apparet luculentius: Ea enim si facta ponatur, facillimum, & cuiuis obuium erit inferre, illam non esse factā ex alia priori materia, ac proinde esse creatam; vt ex se patet. Ergo credibile non est, modum huius efficientiæ ignotum fuisse Aristoteli, Philosophorum omnium ingeniosissimo.

l. 12. Metaph. t. 38.

& t. 52.

& t. 55.

& t. 56.

35 *Probatio secūda ex animæ rationalis productione, l. 2. de gen. ani c. 3.*

Probatur secundo; quia, vt arguit Magnus Albertus, supra cognouit Aristoteles, animam rationalem produci de nouo & esse immortalem, & separabilem, atque independentem à corpore, quod omnium clarissimè expressit l. 2. de Gener. animalium c. 3. aliquanto post principium, agens de omnibus tribus generibus animarum, vegetatiuæ, sensitiuæ, rationalis, *omnes*, inquit, *potentia prius haberi, quā actu necesse est.* Et cū probasset, nō posse omnes animas *extrinsecus contingere*, hoc est, ex vi solius extrinseci efficiēris absque cōcursu materiæ, quæ est intrinseca causa cuiuslibet physici compositi, quia quædam animæ, vt vegetatiua, & sensitiua, pendēt à corpore, & sine corpore, esse & operari non possunt; ita subdit de anima rationali: *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*, & ideo vt ipsemet docuit l. 1. de Anima t. 49. *Melius est intellectui non cum corpore esse, quemadmodum & consuetum est dici, & multis placet.* Et iterum 3. de anima t. 6. loquens de eadem anima rationali sub nomine intellectus, ait, *neque rationabile est, ipsum mistum esse cum corpore*; quia, inquit, *ei instrumentum aliquod esset*, nimirum corporeū, cui alligatum esset in operando, *sicut sensitiuo, nunc autem nullum est*; nempe instrumentum corporeum ad exercendam operationem intelligendi. Vnde in eius sententia sequitur, animam intellectiuam si in operari non dependet à materia, nec etiam dependere in esse, sed posse separari, & per se esse, à materia separatā: quia ex vniuersali atque optima regula ab ipsomet prius tradita l. 1. de anima t. 13. *si est aliqua anima operatio propria*, hoc est, independens ab aliquo instrumento corporeo, *contingit vtique ipsam separari.* Quapropter postea in l. 3. t. 19. absolutè pronunciauit, *intellectus separabilis est, & immistus, & impassibilis*, & vt addit t. seq. 20. *immortalis, & perpetuus.* Si igitur Philosophus agnouit, animam nostram fieri, & nec in operari, nec in esse pendere à materia, ignorare vtique non potuit, eam fieri independenter à concursu materiali, quod fieri est creari ex nihilo.

l. 1. de anima t. 49.

& l. 3. t. 6.

& l. 1. t. 13.

Exponuntur authoritates oppositæ.

36 *Primo à Pererio.*

Obiicies primò, authoritates, quas affert Pererius loco cit. 1. sæpe Aristot. ait, ex nihilo nihil fit. Secūdò, nōpotest fieri aliquid ex simpliciter no ente 1. Phys. t. 75. Tertio, vnūquodq; fit ex suo opposito 1. Phys. t. 43. Quarto, omnia quæ fiūt, fiunt ex aliquo 7. Metaph. t. 22. Quinto, nunquā Aristoteles, ne in Metaphysicis quidem definit efficiens, nisi per id vnde principium motus; & nunquā indicauit alium modum efficiendi per creationem, absque motu, & mutatione. Sexto, potentia actiua est principium transmutandi aliud. 5. Metaphys. 13. Ergo secundum Philosophum, esse non potest agens sine patiente, nec actio sine passione & subiecto. Septimo, probat. 1. Phys. 82. primam materiam non esse productam, quia debuisset produci ex alia priori materia, quod est absurdum. Ergo non cognoscit aliam productionem nisi ex materia. Octauo, æternitas temporis, & motus 8. Phys. probatur ex eo quod si hæc essent facta, fuissent, facta per motum, & tempus. Nono Platonem dicentem, cœlum esse natum ab aliquo principio, sed nunquam interiturum, sic confutat l. 1. de cœlo. Quod incipit esse factum, est ex materia; ergo corruptibile.

Potētia actiua sine motu 9. Metaph. t. 1.

Respondeo ad quatuor primas authoritates, illas esse intelligendas de factionibus ac mutationibus Physicis & temporaneis; ad quas respiciens Aristoteles, nonnunquam negauit, Res æternas esse productas, seu factas, seu habere causam efficientē. Ad quintum locum, & sextum expressè Aristotelem 9. Met. t. 1. concedere potentiā actiuam, & efficientiā sine motu. *Potentia*, inquit, *in plus est quā illa quæ secundum motum solum dicitur.* Semper autem causam efficientem declarat more Physico per motum; quoniam huiusmodi efficientia notior nobis est, & intelligibilior, & ab omnibus concessa, ex qua deinde

Et 8. Phys. & 12. metaphys.

de obscurior alia efficientia per creationem facilius percipi posset. Ad 7. Ibi non probat materiam primam esse simpliciter improductam, sed solum non esse genitam, hoc est, factam, & eductam ex materia. Addit Durandus 1. d. 35. quæst. 3. num. 7. Aristotelem dixisse, materiam esse ingenitam, & incorruptibilem, *non à carentia principij productiui, cum Philosophus dicat, quod nihil prohibet, sempiternorum esse alteram causam; sed à carentia principij durationis.* Quæ expositio videtur minus probabilis. quia cum hac secunda carentia principij durationis stare potest esse verè ac propriè genitum. Si enim ab æterno crearentur Sol & aër, ab æterno etiam Sol lumen generaret, & educeret ex aëre: & ex materia prima ab æterno creata, Deus saltem in eodem æternitatis instanti generare atque educere posset aliquam formam substantialem. Quod expressè docuit Augustinus. l. 6. de Trin. cap. 1. aliquantò post princip. dicens, *splendor qui gignitur ab igne, atque diffunditur coæuus est illi & esset coæternus, si esset ignis æternus.* Esse igitur aliquid ingenitum, non sufficienter explicatur per esse productum absque vllo principio durationis. Ad octauum, Philosophus ibi arguit contra antiquos, qui dicebant, factū esse motum, & tempus; & tamen alium factionis modum non cognoscebant, quam per motum, & tempus. Ad 9. rationem illam ex opinione Platonis dicentis, cœlum esse naturæ elementaris & factum ex materia, rectè concludere, illud aliquando corruptum iri. Nam materia est intrinsecum corruptionis principium.

Durandi responsio minus probatur.

Augustin.

37 *Secundò ab aliis.*

Obiicies secundo ex aliis aduersariis alias autoritates. Primo Ingenitum, & æternum mutuò, conuertuntur, l. 1. de cœlo t. 125. Sed mundus in sententia Aristotelis est æternus. ergo ingenitus. Secundo, in l. 1. de partibus animalium cap. 1. multò post medium ait, *Verisimilius dixerim, cœlum factum esse ab huiusmodi causa, si factum est, quàm animalia.* Quò reuocare videtur in dubium efficientiam cœli. Tertio, posita creatione corrueret discursus Philosophi 8. Physic. & 12. Metaphys. vbi probat, mobile & motum, esse æternum; alioqui mobile factum esset per motum, & motus factus esset ex motu. Ergo in sententia ipsius, quicquid fit, debet necessario fieri per motum. Quartò in 2. Met. t. 4. ait, *Principia semper existentium, necesse est non habere causam.* Ergo mundus secundum ipsum æternus, & semper existens, efficientem causam non habet. quinto in 8. Physic. t. 15. ait, *Principiorum, quæ perpetua sunt, non est altera causa.*

Et t. 1. l. 1. de partib. anim.

Exponitur t. 125. lib. 1. de cœlo.

Respondeo ad primum, esto apud Aristotelem conuertantur æternum, & ingenitum, hoc est, non genitum per veram ac propriam generationem, quæ est ex subiecto; nego tamen conuerti, æternū & improductum; cum 8. Physic. t. 15. apertè doceat, non repugnare æternis, in quantum æterna sunt, habere causam; & propterea reprehendat Democritum, quod vniuersaliter, *ipsius semper non vult principium quærere.* Ad secundum illis verbis non significari dubium de factione cœli; sed illorum sensum esse, si vos admittitis cœlum esse factum (poterant enim illi dicere, cœlum non esse simpliciter factum, neque propter aliquem finem, neque casu) rationabilius deberetis admittere, cœlum esse factum ob aliquem finem; cum in cœlestibus corporibus minus fortunæ, ac temeritatis deprehendi possit, quàm in aliis. Ad tertium ibi Aristotelem argumentari ex suppositione opinionis Antiquorum, qui solam factionem per motum, & ex materia farebantur. Contra quos ita arguit: Motus fieri non potest per motum, abiremus enim in infinitum in motibus faciendis. Sed per vos, quidquid fit, per motum fit. Ergo motus non est factus. Ergo æternus. Nam ipsi etiam admittebant, id quod non est factum, esse æternum. Ad quartum dicunt Conimbricenses loc. citat. per principia semper existentia intelligi ipsum Deum, qui est efficiens, finis, & exemplar rerum æternarum, & verè causam non habet. Sed melius est dicere, ibi Philosophum loqui non de principiis incomplexis, vt de Deo, intelligentiis, sed de complexis, quæ sunt principia prima, & immediata conclusionum semper existentium, hoc est, æternæ veritatis; quæ principia non habent causam, hoc est alia principia, quibus à priori demonstrari possint. Hæc expositio probatur, quoniam ibi ita habetur, *Principia semper existentium necesse est verissima esse: nec enim aliquando vera: nec illis vt sint.* scilicet vera, *aliquid aliud causa est, sed illa cæteris.* Apertè & semper loquitur de veritate, quæ propriè non cadit in principia incomplexa, sed complexa. Præterea idem persuadet discursus Philosophi. Dixerat enim in textu tertio præcedente, *speculatiuæ finis, veritas.* Quam veritatem in text. 4. docet haberi per causas, hoc est, principia, seu præmissas, quæ etiam in libris posteriorum appellantur causæ, ex eo quod in ipsis causæ contineantur. Ex quo demum concludit, reperiri quædam principia quæ cognoscuntur vera, non per aliam causam, illa enim sunt causa cæteris cur sint vera, sed solum ex terminorum apprehensione. Ad quintum, Æterna, causam non habentia, esse tum ipsum Deum, tum principia complexa, & indemonstrabilia.

Et t. 4. l. 2. Metaph.

Et text. 15. l. 8. Phys.

ARTICVLVS III.

Vtrum creatio sit aliquid in creatura.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd creatio non sit aliquid, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Distinguuntur quinque conceptus in creatione. n. 1.*
2 *An in creatura detur absolutus aliquis influxus, quo formaliter creetur. n. 2. ad 38.*
3 *An aliquid in Deo habeat rationem creationis. num. 38. ad 46.*
4 *An creatura, vel aliquid ipsius, habeat rationem creationis. n. 46. ad 53.*
5 *An creatio sit motus, vel mutatio. n. 53. ad 57.*
6 *An creatio sit passio, vel actio. n. 57. ad fin. art.*

1. *Connexio cū præcedētibus.*

IN RADITA definitione creationis, art. 1. eiusque existentia probata, art. 2. redit hoc articulo S. Thom. ad creationis definitionem, & essentiam distinctius, & profundius explicandam. Dixerat art. 1. creare esse *facere*, & creationem esse *emanationem*; & artic. 2. fin. corporis, & ad secundum creare esse *agere, & producere*; & hoc artic. 3. corporis creationem vocat productionem, & ad primum, *actionem diuinam.* Nunc inquirit, quid sit, & in quo sit hoc facere, siue agere, siue producere; & hæc emanatio, siue productio, siue actio. Porrò in quauis creatione considerari quinque possunt, in quibus id situm esse dicatur. Primum, actus diuinæ voluntatis, quo ab æterno voluit producere creaturas in tali tempore, loco, & cum aliis circumstantiis. Secundum, Ipsa res creata, ad quam producendam creatio terminatur, verbi gratia, Angelus, anima rationalis. Tertium, Relatio Dei ad creaturam.

In creatione distinguūtur quinque conceptus.

Quartum,

Quartum, Relatio creaturæ ad Deum creatorem. Quintum denique, in creatione à plerisque cõsideratur quoddam fieri, seu creari, seu produci creaturæ; quod sit quidam realis, & absolutus actus, siue modus, siue influxus, per quem Deus communicet formaliter esse creaturis, & formaliter constituatur, seu denominetur agens ad extra, & Creator in actu secundo. Quemadmodum enim cum producitur calor, v.g. præter caloris entitatem, in ea reperitur calefactio, & ipsum fieri caloris, quod est aliquod reale, & quædam immediata, ac formalis principiatio, seu ratio principiandi, & communicandi, ac dandi esse calori, vt habet sententia valde communis in naturali Philosophia: ita pariter, cum Angelus creatur, & producitur ex nihilo, præter esse Angeli, reperiatur in ipsomet Angelo aliquod fieri ipsius, hoc est, quidam positiuus, realis, atque absolutus influxus, quo formaliter fiat, & pendeat à Deo creante. Prima quatuor ab omnibus conceduntur, & manifestum est esse concedenda. Solum de quinto grauis ac difficilis est controuersia, ab eáque incipiendum est, vt determinare possimus, in quo consistat formalis ratio creationis.

DVBITATIO I.

An in re, quæ creatur, detur absolutus aliquis influxus, quo formaliter creetur.

S V M M A.

1. *Ponitur conclusio affirmatiua, & probatur authoritate S. Thomæ. n. 2. ad 7.*
2. *Referuntur alij auctores vtriusque partis. num. 7. ad 12.*
3. *Creari esse aliquid reale. n. 12.*
4. *Creari non esse solam creaturam cum connotatione creatoris. n. 13. & 14.*
5. *An creari sit aliqua relatio. n. 15. & 16.*
6. *Creari esse medium inter creaturam & Deum. num. 17.*
7. *Creari esse quid distinctum à parte rei à creatura. num. 18.*
8. *Tractatur præcipua difficultas de creatione, an sit accidens. n. 19. ad 29.*
9. *Soluuntur multæ aliæ obiectiones. numero 29. ad 38.*
10. *An creatio concreetur, & sic creatura. n. 32.*
11. *Traditur differentia inter creationem, & conseruationem. num. 35.*

PRincipio inquirimus de existentia huius influxus, quæsituri postea facilius, an in eo sita formaliter sit creationis ratio.

2. *Conclusio affirmatiua, eiusque declaratio.*

Vnica conclusio, in termino creationis, præter rem quæ creatur, & præter relationem prædicamentalem, qua res creata refertur ad creantem vt purè terminum formaliter, datur medius quidam influxus absolutus, quo formaliter res creata recipit esse à creante, & consequenter respicit transcendentaliter creantem vt causam formaliter. Notandi diligenter sunt conclusionis termini, quibus breuissimè significo nonnulla vberius probata in Philosophia: nimirum, dari duplex relationis genus, alterum transcendentalis, quod est ipsum ens absolutum, prout se ipso ordinatur ad aliud vt perfectiuum sui aliquo modo; vt obiter declaro in tomo 1. quæst. 12. art. 8. num. 68. alterum prædicamentalis, quod est superadditum quoddam accidens merè relatiuum, respiciens terminum, vt purè terminum. Item omnem creaturam, quia est effectus causatus à Deo respicere Deum non solum transcendentaliter, in quantum habet esse, à Deo pendens, sed etiam prædicamentaliter, in quantum propter hanc dependentiam habet aliam superadditam relationem, quæ nihil aliud habet nisi esse ad Deum, quod est purè respicere terminum, vt terminum simpliciter. Demùm omnem influxum quo agens producit effectum, quia essentialiter est ipsa causalitas agentis, & totum esse suum habet dependenter ab agente, respicere transcendentaliter ipsum agens; & esse relationem transcendentalem ad agens, non quod purè sit ad illud, tamquam id *ad quod*, sed quia est ab illo, tamquam id *à quo* effectiuè per simplicem emanationem recipit esse suum.

Quid senserit S. Thomas.

3. *S. Thomam esse pro conclusione in corpore huius articuli.*

Hanc conclusionem ita explicatam tribuo in primis Sancto Thomæ: quamuis enim minus clarè loqui videatur, & propterea nonnulli Thomistæ in contrariam sententiam abierint, tamen si attentè considerentur omnia quæ dicit, probabilissime apparebit esse pro nostra sententia. Nam hic initio corporis probandum proponit, *quod creatio ponit aliquid in creato.* Quod apertè nobis fauet, in quantum dicimus, creationem non esse ipsam rem quæ creatur, sed addere aliquid supra illam. Cum vero subdit, quod hoc additum, *sit relatio tantum*, potest facile intelligi de relatione transcendentali, quæ est absolutus influxus; non de prædicamentali, quæ est pura relatio, in prædicto influxu fundata. Idque persuadeo primo, quia verbis citatis supra artic. 1. num. 15. à creatione excludit tantum, *fieri ab vno termino in alterum*; tamen apertè admittit in ea, *fieri secundum effluxum ab agente in factum.* Quod quidem fieri non est ipsa formaliter prædicamentalis relatio, sed præsuppositum illius fundamentum. Nec fieri dici potest esse in agente, quod, vt agens, facit, non fit, sed in facto, siue in termino, qui tantum fit. Et effluxus ab agente in factum, non potest poni in ipsomet agente, à quo effluere, hoc est, extra fluere, & quasi egredi dicitur; sed potius in ipso termino, qui verè ac propriè effluit, & originem trahit ab agente. Et statim idem magis explicans, ita subiungit, *Duo in generatione naturali inueniuntur, scilicet transitus de vno termino in alterum, & effluxus ab agente in factum; quorum alterum tantum est in creatione propriè*, nimirum effluxus. Sed effluxus ab agente in factum, non est prædicamentalis & pura relatio facti ad agens, vt vel ex ipsis terminis manifestum est; sed solum est absolutus quidam factionis & influentiæ modus, quo formaliter res, quæ fit, recipit suum esse ab agente. Ergo hic etiam modus per creationem ponitur in re quæ creatur, non minus quàm per naturalem generationem ponitur in re quæ generatur; in qua communissimè præter esse quod in se habet, & præter referri ad agens, ponitur etiam ipsum fieri seu generari ab agente.

Secundò, quia, *quod creatio ponit aliquid in creato secundum relationem tantum*, ita probat in hoc eodem articulo; *quia quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem; subtracto autem motu ab actione & passione, nihil remanet, nisi relatio.* quæ ratio non potest intelligi de relatione prædicamentali: tum quia hæc esset consequentia euidenter inepta, quod creatur, non fit per motum, nec per mutationem; ergo fit per puram relationem prædicamentalem, qua id quod iam præsupponitur factum, refertur ad causam, à qua factum est: nam præter motum, & mutationem, & ante relationem effectus ad causam, datur simplex influxus, siue effluxus effectus ab agente, vel in effectum ab agente; per quem influxum fieri potest terminus qui ex nihilo fit. Tum quia nihil omnino fieri potest per relationem prædicamentalem, quæ secundum omnes non est actiua, cum sit purum esse ad aliud. Tum quia de ea relatione apertè loquitur, quæ est in actione, & in ipsa remanet non remanente formali ratione motus; quæ relatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis. Tum quia cum dicitur, *subtracto motu ab actione, nihil remanet nisi relatio.* quibus solis verbis in contrariá sententiam motus est Vasquez infra num. 81. non potest intelligi de subtractione quoad entitatem & substantiam motus, quia hæc ipsa, omnino eadem est entitas & substantia actionis, vt ipsemet docuerat articulo præcedente ad 2. ex Philosopho l. 3. Phys. text. 18. & 21. Hac igitur subtracta, nihil prorsus actionis remanere intelligi posset: sed intelligendum est de subtractione quoad propriam ac formalem rationem motus, quæ est per habitudinem ad subiectum: qua habitudine sublata, remanet eadem motus substantia cum habitudine ad efficiens, & ad effectum; quæ habitudines conspiciuntur etiam in creatione, sine motu. Hunc sensum minus obscurè exprimunt verba art. 2. ad 2. *Cum actio & passio conueniant in substantia motus, & differant solum secundum habitudines diuersas*; nempe actio secundum habitudinem, ad agens passio secundum habitudinem ad terminum actum, motus secundum habitudinem ad subiectum mobile; *oportet quod subtracto motu*, scilicet quoad habitudinem suam propriam ad mobile, *non remaneant nisi diuersæ habitudines in creante, & creato.* hoc est, remaneat entitas absoluta transcendentaliter respiciens non aliquod subiectum, sed Deum creantem, & effectum creatum. Arque hæc à Suarez disput. 20. Metaph. sectione 4. numero 24. dicitur *probabilis expositio.*

Vasquez.

Aristoteles.

Suarez.

5

Idem probatur ex sequentibus articulis.

Tertio, quia iuxta hunc sensum ita concludit totum discursum huius articuli. *Vnde relinquitur quod creatio in creatura, non sit nisi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium sui esse; sicut in passione, quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motus.* Sed in passione quæ est cum motu, verbi gratia, in generatione passiua hominis, in calefactione, seu productione passiua caloris, non importatur relatio prædicamentalis ad generantem, seu calefacientem; sed transcendentalis, ad quam deinde consurgit alia prædicamentalis relatio effectus ad causam, vt communis habet Philosophorum sensus. Ergo similiter in ipsa creatione passiua non potest importari alia relatio nisi transcendentalis ad Deum creantem, non vt formaliter & purè terminum, sed vt formaliter causam; quæ deinde est ratio fundandi aliam prædicamentalem relationem effectus iam causati ad Deum qui iam causauit illum. Confirmatur, quia iisdem locis creatio, quæ expresè ponitur in creatura, vocatur *productio, per quam*, inquit articulo 2. ad 2. *producitur tota substantia rerum*: & articulo tertio corporis, *productio totius esse à causa vniuersali omnium entium, quæ est Deus, qui creando producit res sine motu.* Quæ omnia manifestum est quadrare minimè posse in puram relationem prædicamentalem, quæ sit pura termini respicientia, sed aptissimè quadrare in relationem aliam transcendentalem, quæ sit ipsamet absolutæ causalitas, siue influxus ipse immediatè, & se ipso formaliter causans. Vnde clarissimè articulo sequenti initio corporis ait, *creari est quoddam fieri, quod*, inquit, *ordinatur adesse rei*: prædicamentalis vero relatio non est tale fieri, quo esse rei producitur.

6 *Et ex l. 2. con. gēt. c. 18.*

Quartò arguo ex l. 2. cont. gent. capite decimo octauo initio, vbi pro hac conclusione clarissimè loquitur vbi videtur, *Creatio*, inquit, *est ipsa dependentia esse creati ad principium à quo instituitur, & sic est de genere relationis. Vnde nihil prohibet, eam in creato esse, sicut in subiecto.* Ergo cum hîc, & alibi docet, creationem esse *relationem tantum*, debet ex hoc loco exponi de relatione, quæ non sit aliud, nisi *ipsa dependentia esse creati ad principium à quo instituitur.* Quæ quidem dependentia non est ipsa formaliter relatio prædicamentalis, sed proximum illius fundamentum transcendentaliter respiciens tum Deum, cum sit formalis ratio, qua Deus facit aliud dependens à se; tum creaturam, cum eadem sit formalis ratio, qua aliud fit dependens à Deo. Quare per illam particulam *tantum*, non debet intelligi exclusa omnis ratio entis absoluti simpliciter, sed solum excluſa formalis ratio motus & mutationis, quæ est per habitudinem ad subiectum præsuppositum. Et ideo creationem esse *relationem tantum*, statim probat, *quia quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem.*

Ergo hæc solum intendit excludere, & non quamlibet aliam entis rationem simpliciter absolutam. Confirmari potest, quia ibidem paulò post de eadem dependentia, ac relatione subiungit, quod *res quædam est in esse à Deo producta, non tamen alia creatione creata; quam ipsa creatura prima, quæ per eã creata dicitur.* Quæ minus rectè dicta essent de relatione prædicamẽtali creaturæ ad Creatorem, quia hæc relatio, si produciturvel non producitur à Deo, sed ab ipsa creatura cum vniuersaliter huiusmodi relationes efficiantur à fundamẽto, non autem à causa à qua effectum est fundamentum, verbi gratia, filiatio emanat à genito, non à generante; sicut è contra, paternitas emanat à generante, non à genito: & consequenter, neque creatur, neque concreatur, sed propriè educitur ex ipsa creatura præsuppositа in priori naturæ. Demum in quæstione tertia de Potentia articulo primo initio, *creatio*, inquit, *est primus effectus diuinæ potentiæ*: qualis procul dubio non est relatio, qua res iam creata refertur ad Creatorem, & secundò distinct. primæ, quæstione prima, articulo secundo, ad secundum, *Creatio est quædam acceptio esse; vnde non oportet, quod habeat ordinem essentialem nisi ad dantem esse.* Clarè exprimitur relatio transcendentalis: tum quia de prædicamentali dici non potest, *est acceptio esse*, verbi gratia, de filiatione non dicitur, est acceptio esse, sed hoc bene dicitur de ipsa filiij generatione. Ergo secundum Sanctum Thomam, creatio, quæ est in creatura, non correspondet in naturalibus relationi effectus ad causam, sed generationi, seu processioni effectus à causa. Ergo creatio formaliter & præcisè non est res ipsa quæ creatur; non relatio qua res, postquam creata esse supponitur, refertur ad creatorem; sed est inter hæc medius quidam influxus, quo formaliter vltimate, & in actu secundo creator tribuit esse creaturæ, & creatura fit, & pendet in esse à creatore. Tum quia hunc crea

Et ex q. 1. de Pot. art. 1.

Et 1. sent. d. 1 q. 1. art. 2. ad 2.

creationis ordinem S. Thomas vocat *essentialem*. Essentialis autem dicitur ordo transcendentalis, non vero prædicamentalis, qui est accidentalis, & superadditus. Eumdem formalem & absolutum influxum apertè significat opusc. 15. de Angelis c. 9. med. creationem vocans, *modum fiendi, absque omni mutatione, vel motu, per influentiam essendi.* & iterum post nonnulla, *supremum modum fiendi, qui est per essendi influxum.* & paulo post, *simplicem emanationem, seu influxum.* Item postea, effectus creatus, dicitur *effectus per influxum causatus.* Maneat igitur S. Thomam posse probabilissimè referri pro nostra conclusione. Quod pluribus demonstrandum fuit, quia multi tam ex antiquis, quam ex modernis, referunt. S. Thomam in creationis termino, præter ipsam rem creatam, nil aliud admittere, nisi puram relationem prædicamentalem effectus ad causam: in eaque relatione existimare sitam esse formalem rationem creationis, quam ipse passiuam vocat, in ipsa re creata existentem.

& opusc. 15. c. 9.

Alij Authores vtriusque partis.

7 Eamdem conclusionem suprà num. 2. amplexati sunt multi, & veteres, & recentiores. In primis

Aureolus. Aureolus 2. d. 1. q. 2. art. 1. initio in sua propositione dicens, & deinde latè probans, *quod creatio, qua Deus ponit immediatè creaturam in esse elicitiuo, est vera actio transiens, de genere actionis, media inter Deum producentem, & creaturam productam.* & art. 2. probat, hoc medium esse in re creata, vt quid aliqua ratione distinctum ab illa. Et art. 3. non esse de

Ochamus. genere relationis, sed passionis. Ochamus 1. d. 43. q. 1 litera F. sæpe dicens, actionem Dei, quæ est creatio, esse actionem transeuntem; & in Deo non esse actionem creandi, sed principium huius actionis. Vnde litera O. ad 4. repetit, *quod actio Dei est ita*

Bacconus. *transiens, sicut actio Solis.* Bacconus 2. d. 1. q. 2. art. 1. post med. dicens, *quod creatio passio, sit acquisitio passiua ipsius esse creati.* & art. 2. probans. *quod ipsa acquisitio passiua, qua creatura recipit esse passiuè, est aliud à respectu actionis, & passionis, etiam est absolutum; & non est illud absolutum, scilicet creatum.* Et eadem habet in solutionibus argumentorum. Ægidius

Ægidius. q. 6. art. 2. in col. 3. dicens, in genere de actione; cuius speciem creationem esse docet, *quod licet agens agat totum, actio tamen propriè nō dicitur ipsū totū, sed dicitur aliquid quod est perfectio totius*: quam tamen dicit, non differre realiter à termino actionis; v. g. inquit, *calor qui dicitur esse calefactionis terminus, quia calefactio est via in calorem, non est realiter differens ab ipsa calefactione.* Et videtur negare omnem distinctionem à parte rei, & ponere tantum distinctionem rationis; quia subdit, *calefactio actio, & calefactio passio, & calor non differunt secundum rem, sed secundum modum considerandi: Eadem enim res secundum se absolutè accepta, est calor; & vt est ab alio, est calefactio actio; vt autem est in alio recepta, est calefactio passio.* Sed post nonnulla de creatione ita docet, *creatio, quæ est quædam esse factio, realiter est ipsum esse per creationem communicatum.* Quo apertè videtur significare, creationem, vi cuius realiter communicatur esse, addere aliquid reale supra esse; quod additum infra probabo, distingui ex natura rei ab esse cui additur. Deinde in prima, & secunda via ait, & probat, quod *creatio est actio transiens, & perfectio ait.* Et postea ad explicandam sententiam S. Thomæ & aliorum veterum Theologorum iuxta. ea quæ superius adnotauimus ex dictis S. Thomæ, ait, *multoties à Doctoribus inuenimus dictum, quòd creatio est quædam relatio, vel respectus quidam. Quod & suo modo veritatem habet. Nam creatio potest mihi dicere vel ipsum esse rei, cum creatio sit quædam esse factio, vel respectum fundatum super tali esse; sicut & potentia materiæ, potest dicere & ipsam essentiam materiæ, & respectum fundatum in tali essentia, quia secundum Commentatorem, potentia est in genere relationis*; nimirum transcendentalis; alioqui constat, Potentiam à Philosopho collocari in Prædicamento Qualitatis, non Relationis. sic etiam secundum Ægidium, & eo interprete, secundum S. Thomam & alios antiquos Doctores, illud quod *esse factio*, seu creatio, importat præter esse, est factio, quæ non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis de alio Prædicamento Actionis, realiter identificata cum esse, quod est terminus creationis: Ex quibus omnibus existimo, dici ab Ægidio, creationem à termino nō distingui realiter, sed ratione, seu consideratione, quia & si distinguatur ex natura rei, tamen non distinguitur tamquam res à re, sed solum tanquam modus, & formalitas à re, ita vt creatio, & res quæ creatur, non sint duæ res, sed vna dumtaxat, tametsi tanquam duæ res ab intellectu nostro distinctæ concipiantur. Vnde ad 2. non obscurè significat aliquam in re distinctionem, dicens, *quod omne agens dat aliquod esse per suam actionem.* & statim subiungit hanc causalem, quæ ita excludit distinctionem propriè, & adæquatè realem ex parte vtriusque termini, vt necessario includat minorem aliam distinctionem ex natura ei, quam hodie communissimè in scholis vocamus modalem, seu formalem; *quia*, inquit, *actio semper est via in aliquod esse, ideo nō oportet, quod differat realiter à tali esse, sicut calefactio, quæ est via in calorem, non differt à termino, qui est calor.* Hinc in forma respondet, *Ex eo quod esse dicit aliquid in alio, & agere dicit aliquid ab alio, non argui differentiam secundum rem.* scilicet vnius rei ab alia re; *sed secundum modum considerandi, vel se habēdi: Eadē enim res, quæ est in alio, potest sic esse in alio, quod est ab alio.* & hanc differentiam ad 3. vocat, *differentiā secundum rationē.* quia creatio inquit, *non addit rē aliquam supra esse, sed solum habitudinem ad agens, ideo creatio non dicit rem aliam, quam esse; nihil est enim creatio aliud, quàm quædam esse factio.* Tota igitur distinctio rationis inter terminum & creationem secundum Ægidium, nascitur solùm ex eo quod hæc duo non sint duæ res, sed vna res, & vnus modus eiusdem rei; quod benè stat cum aliqua distinctione à parte rei.

8 Idem sentit & eodem modo loquitur Argentinas 2. d. 19. quæst. vnica art. 1. toto. citans Doctorem suum Ægidium in tractatu de esse, & essentia q. 7. Probat etiam Argentinas 2. d. 37. q. vnica art. 1. & 2. creationis actionē esse transeuntem in creatura; non immanentem in Deo: & vniuersaliter omnē actionem transeuntem esse in passo, non in agente. Consentiunt nostri Conimbricenses 8. Phys. c. 2. quæst. 1. art. 3. & lib. 1. de generat. cap. 4. quæst. 4. art. 3. ad 2. contra primam conclusionem. Molina p. p. quæst. 3. art. 4. disp. 2. §. *Quod attinet* obiter & breuiter dicens, dari in creatione quemdam influxum, quo Deus creat, & conseruat substantias; eumque esse in Prædicamento actionis & passionis; & esse modum realem earumdem substantiarum, ab illis formaliter tantum distinctum: & præterea dari relationem ad Deum creatorem, quæ sit accidens reale in Prædicamento relationis, *quæ relatio*, inquit, *influxum illum & substantias ita productas consequitur.* & fusiùs q. 25. art. 1. disp. 2. concl. 3 & in hoc art. 3. quæst. 45. Suarez in Metaphys. disp. 18. sect. 10. num. 7. & 11. & disp. 20. sect. 4. n. 11. Mandoza in Physica disp. 12. ferè per totam. & alij complures. Quapropter mirum est scripsisse Fonsecam lib. 1. met. cap. 2. quæst. 13. sect. 2. in quod, *Nemo, sine*

Argent. Conimbricenses. Molina. Suarez. Mandoza. Fonseca.

Philosophorum, siue Theologorum scriptum reliquit, esse in re, quæ creatur, tale aliquod accidens, per quod Deus formaliter rem faciat ex nihilo. Tantum enim distinguunt in creatione rem, quæ creatur, à relatione actualis dependentiæ à Deo creante, quæ illam consequitur. Verum enim vero ipsemet sanctus Thomas de Potentia q. 3. art. 3. ad 2. fin. *creatio*, inquit, *propriè loquendo, est inhærens.* & ad 3. de passiua creatione, quam relationem vocauerat, ait, quòd *accidens est, & inhæret subiecto.* & 2. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. ad 4. *Creatio sumpta passiuè, est quoddam accidens in creatura; & significat quandam rem, non quæ sit in Prædicamento passionis, propriè loquendo, sed quæ est in genere relationis, & est quædam habitudo habentis esse ab alio.* Non dicit, esse in Prædicamento relationis, sed in genere relationis, significans, esse relationem transcendentalem, non prædicamentalem. Vnde eam esse docet habitudinem *ab alio.* quæ est ipsa absoluta causalitas, qua effectus pendet ab agente; non vero habitudinem *ad aliud*, qui est purus respectus prædicamentalis, quo effectus refertur ad agens, non tamquam *id a quo est*, sed tamquam id *ad quod est.* Et idem habetur hic ad tertium. Vnde Capreolus 2. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad 1. Scoti contra 1. concl. cum dixisset, *quod in quodam opusculo, quod attribuitur sancto Thomæ, legitur, quod relatio creaturæ ad Deum est quandoque substantia, vt cum substantia creatur, quandoque vero accidens, vt cum accidens creatur.* ita subiungit, *sed credo, quod S. Thomas non fecit illum tractatum; aut si fecit, dicta ibidem, alibi correxit; potissimè in summa, quia ibi continetur testamentum eius, & vltima determinatio.* Semper enim in aliis locis de quacunque creatione, vniuersalissime dixit, illam esse accidens; vt fatetur etiam Bagnes in fine huius articuli.

S. Thomas. Capreolus. Bagnes.

In contrarium tamen multi, & graues Authores esse videntur; tametsi explicari nonnulli possunt in sensu huius conclusionis, vt superius explicauimus sanctum Thomam & Ægidium. In primis Alensis 2. p. quæst. 9. membro 2. sentire videtur, Creationem supra esse termini creati non addere aliquid, sed connotare tantum *primò esse, post non esse: & hoc*, inquit ad 3. *dicitur fieri creationis, quod est creari.* Nam, vt in fine corp. dixerat, *Creari non est aliud, nisi nunc esse primò, post omnino non esse, ab eo qui potest creare.* Sed cum in Creatione æterna simpliciter possibili, vt ostendam quæst. sequent. datur creari, & esse creaturæ à Deo sine hoc non esse, & primò esse, non videtur per hoc satis explicatus essentialis conceptus passiuæ creationis. Magnus Albertus in summa de quatuor cœuis p. p. quæst. 1. artic. 1. ad 1. dicit, *quod creatio est in Prædicamento relationis*: quæ, inquit ad 2. *est relatio causata à principiis quæ sunt ante creaturam, vt Deus, & nihil.* Quod non potest intelligi de prædicamentali relatione, fundata in creatura ad Creatorem; hæc enim relatio non fit ex nihilo, neque ex Deo solo, sed fit à fundamento, & ex fundamento educitur, quod est ipsa creatura. Commodè autem intelligitur de transcendentali relatione influxus, cuius causa est solus Deus ex nihilo; quamquam non causatur *vt quod*, sed *vt quo* formaliter: ipsa creatura causatur *vt quod.* Deinde in artic. 2. quærit, *quid* sit creatio? & ad secundam dub. respondet, *quòd relatio est.* & in fine articuli multò difficilius ita definit, *secundum rem creatio nihil aliud est, quam relatio quædam rationis, quæ est in creatura ex hoc, quod incœpit esse post nihil.* Et antea contenderat, creare definiri per facere & agere, non secundum rem, sed secundum nomen tantum; quia nos creationem concipimus ad similitudinem actionum aliorum agentium naturalium: & propterea illam vocamus nominibus actionū, sed reuera talis non est.

Alens. Albert.

10 Item Bonauentura 2. dist. 1. artic. 3. quæst. 2. loquens de creatione passione, quæ est in creatura, illam definit per relationem. Sed intelligit de Relatione transcendentali, non prædicamentali: apertè enim negat, creationem pertinere ad illud genus relationis, *quæ*, inquit, *fundatur super proprietatem accidentalem; sicut aliqui dicuntur similes, quia albi. Sed creatio dicit relationem, quæ fundatur super dependentiam essentialem, sicut comparatio materiæ ad formam: quoniam ipsa creatura essentialiter & totaliter à creatore dependet*, Quibus transcendentalis, & essentialis relatio ipsius absolutæ creaturæ significatur. Vnde statim concedit, *quod creatio non est aliud secundum rem à creatura; nec medium inter ipsam, & Deum, secundum essentiam, sed secundum rationem & habitudinem.* Quam vero habitudinem intelligat, an illam essentialem & intrinsecam creaturæ, de qua antea dixerat, an aliam superadditam actualis influxus, de qua nos sæpe in superioribus, non multum apparet; Certè pro hac secunda est, quia significat habitudinem, à parte rei quidem, sed non re distinctam à creatura, & à prima habitudine, continuo enim ita sequitur ac deducit, *Vnde est prius natura creari, quam esse, non duratione. Plus tamen est idem creatio actio cum creante, quàm creatio passio cum creatura: quia ibi non est differentia nisi solum secundum modum nostrum accipiendi*; Ergo inter creari & creaturam est aliqua differentia ante omnem nostrum modum concipiendi: quam significat immediatè subdens, *Hic autem est differentia rationis, & etiam habitudinis*; *quæ non facit diuersitatem per essentiam, quia habitudo illa est essentialis.* Quapropter ad vltimum dicit, quod creatio est qua substantia exit in esse; & non creatur, sed concreatur, & creaturæ annectitur. Vnde antea in quæst. 1. probauerat, quod creatio non solum est productio, sed etiam quædam *mutatio, in qua productum, aliquo modo se habet nunc, & nullo modo prius.*

Bonauentura.

11 Præterea Scotus 2. dist. 1. quæst. 4. tota, conceptum creationis semper explicat per relationem. Vnde in 2. quæst. annexa, quæ incipit, *Ad illam quæstionem.* dicit, *quod creatio non tantum videtur importare relationem ad Deum in genere causæ efficientis, sed etiam respectum ad non esse præcedens ordine durationis.* Et de prima relatione communi omnibus creaturis, etiam si ab æterno crearentur, ac proinde numquam haberent non esse præcedens ordine durationis, sed semper essent, dicit, & probat, *quod est idem realiter fundamento, non tamen idem formaliter.* Verum sæpè explicat hanc relationem esse ipsam essentialem dependentiam à Deo creatore, quæ essentialiter includitur in conceptu creaturæ actu existentis. Quæ doctrina non est aliena à sensu nostræ conclusionis. Riccardus etiam ibidem artic. 1. quæst. 3. probat, *Quod creatio actio, est idem realiter quod ipse Deus: & ex consequenti connotat in creatura actualem & realem habitudinem ad Creatorem*; *& in ipsa diuina actione quandam habitudinem secundum rationem ad creaturam.* Et quæst. 4. probat, vt concludit in fin. corp. quod creatio passiua, seu creari, *non est aliud quam relatio essentiæ creatæ ad Creatorem.* Vnde ad 1. respondet, *Quod creari non est via in esse creaturæ, imo est ipsum esse creaturæ, sub ratione qua nunc primo acceptum ab aliquo, non de aliquo.* Quod quidem videtur directè contra conclusionem, sicut quod scribit

Scotus. Riccardus.

Durandus

Durandus ibidem q. 1. ad 2. *Quod creatio non est aliquid medium inter Deum & creaturam, sed est ipsamet creatura sub respectu, vel denominatione respectiua ad dantem esse. Est enim creari, idem quod habere esse ab alio secundum se totum.* Capreolus 2. d. 1. quæst. 2. artic. 3. defendit primò contra Aureolum, & Gregorium, quod actio creationis est ipsemet Deus. Quod in aliquo bono sensu inferius exponetur. Secundò contra Scotum, *Relationem dependentiæ ad Deum, quæ dicitur creatio passiua, esse aliquid distinctum à creatura.* Quod cum præsenti conclusione valdè cohæret. Et ideo ad primum Scoti, hanc relationem, & passiuam creationem, quæ secundum ipsum & omnes est in creatura, vocat *dependentiam*, quæ, inquit, *se ipsa formaliter dependet; quia cum sit habitudo, se ipsa refertur.* Dependentia vero effectus à causa, neque verè est, neque ab aliquo dicitur prædicamentalis relatio effectus ad causam, sed trãscendentalis tantum. & ad secundũ clarius pro conclusione nostra ita addit, *Illa relatio creationis & dependentiæ est inseparabiliter & accidens, & via in substantiam, & acceptio essendi.* Et antea ad 1. Gregorij dixerat, quòd talis relatio, quæ est creatio passiuè, *propriè non creatur, sed concreatur, imo potius se habet vt quo aliquid creatur.* & propterea ad tertiũ vocatur, *relatio media*, nimirũ inter Deum, & creaturam. Idque optimè probat verbis S. Thomæ de potentia quæst. 7. art. 9. ad 5. *Cum dicitur creatura immediatè à Deo procedere excluditur causa media creans; non tamen excluditur media relationis habitudo.* Si hæc relatio, in qua S. Thomas & Thomistæ consistere volunt rationem creationis passiuæ, est media inter rem creatam, & Creatorem, & secundum naturam prior re creata, vt Capreolus ex sancti Thomæ sententia concedit Scoto ad secundum illius argumentum, certum omnino esse debet, in sententia S. Thomæ & Capreoli, creationem passiuam non cõsistere in relatione aliqua prædicamẽtali, quæ est post creaturã, eamque præsupponit prioritate naturæ, sed in alia transcendentali relatione influxus ac dependentiæ in esse; qui influxus solum dici potest mediare inter Deum creantem, & rem creatam. Et in aliis solutionibus argumentorũ Aureoli, Scoti, Gregorij, multa alia habet Capreolus, quibus clarissimè apparet, ipsum cum S. Thoma in re, quæ creatur præter rem ipsam, & substantiam, & esse ipsius, ponere quemdam alium modum accidentalem, medium, & natura priorem, & à parte rei distinctum, quo formaliter res ipsa fiat, & creetur, & pendeat à Deo. Atque huius Thomistarum facilè principi debent intelligi conformes esse reliqui omnes Thomistæ; tametsi plerumque ambiguitate terminorum quibus loquuntur, minus clare nobis fauere, imo etiam contrarij esse videntur: vt Caietanus in hunc articulum, Ferrariensis l. 2. cont. gen. cap. 18. toto, præsertim dubio 3. Bagnes hic Zumel infra q. 65. art. 3. q. 1. concl. 2. & alij. Item Fonseca supra num. 8. Val. hic Punc. 1. corol. 2. dicens, *creationem nihil esse aliud quàm relationem dependentiæ, quam habet creatura ad Deum, vt effectus ad causam.* Quam relationem infra ait, non esse transcendentalem, sed prædicamentalem separabilem à creatura per diuinam omnipotentiam. Vazquez disp. 173. cap. 2. sed num. 4. creationem esse ait, *actionem à qua existente in creatura denominatur Deus creans, & creator.* & in num. 3. concesserat, *esse quemdam influxum realem, qui est veluti via ad esse.* vult autem non esse absolutum, sed relatiuum: & cap. 3. *sola ratione à re creata distingui.* sed supra q. 41. art. 1. fin. dixerat, *creationem esse medium actum, & viam inter creatorem, & creaturam; quamuis sit pura relatio.*

Caietanus Ferrarensis Bagnes Zumel Fonseca Valentia

Vazquez

Probationes conclusionis.

Vt rem à nonnullis confusè atque obscurè traditam, clarius explicemus, ac facilius intelligamus, nonnulla distinctè probanda sunt. Probo igitur primo quod ex instituto contra aliquos innominatos probat Argentinas 2. dist. 19. quæst. 1. art. 1. concl. 1. Creari, seu fieri creaturæ esse aliquid reale, primo quia creatura re ipsa, nullo intellectu cogitante, verè ac realiter creatur, & fit ex nihilo. Ergo nullus negare probabiliter potest; hoc creari, & fieri, esse simpliciter in re conceptum aliquem obiectiuum positiuum realem. secundo creari est, creaturam dependere, procedere, & accipere suum esse reale à Deo Creatore. Sed creatura intrinsecè ac realiter, hoc est, quoad suum intrinsecum ac reale esse dependet, procedit, & accipit à Deo. Ergo his vocibus sine dubio omnes explicare volumus, & intelligere debemus aliquid simpliciter reale. Tertio Deum creare, est quid reale. Ergo pariter, creaturam creari. Non enim est maior ratio quoad istum realitatis conceptum de creare, quàm de creari: imò maior ratio videtur de creari; quia creare habet Deus absque vlla intrinseca variatione in suo esse reali: creari vero habet creatura per intrinsecam aliquam ac realem variationem in suo esse reali, in quantum de non esse, saltem ex se, accipit realiter ab alio intrinsecum suum esse reale. Quartò esse *ad aliud* secundum Peripateticam, & communissimam sententiam Theologorum, & Philosophorum, est conceptus realis, positus in reali prædicamento relationis. Ergo esse *ab alio* dici etiam debet conceptus realis, positus in reali actionis prædicamento. Maior consequentiæ ratio, manifesta videtur ex eo, quod esse *ad aliud*, est purus respectus; esse vero *ab alio*, est respectus essentialiter causatiuus, vi cuius realiter communicatur esse reale à causa reali efficiente, sed per creari, significatur essentialiter hic conceptus essendi *ab alio*. Ergo creari, est quid simpliciter reale. Quinto res creata non solum habet *esse in se*, sed etiam habet esse verè & realiter *ab alio*. Ergo hoc esse non solum est quid reale provt in se absolutè spectatur, sed etiam provt spectatur respectiuè, nempè provt formaliter est esse *ab alio*. Ergo id per quod hoc esse habet formaliter vt sit *ab alio* scilicet creatore, & significamus per hoc verbum, *creari*, non potest non esse aliquid reale. Sextò fieri formaliter, hoc est, non solum provt est realiter ipsa res quæ fit, sed etiam provt est formaliter ac directè ipsum fieri rei, est aliquid reale *in iis* quæ fiunt per naturalem productionem ex præsuppositio subiecto. v.g. quid reale est non solum calor qui educitur ex aqua, sed etiam ipsum fieri caloris. Ergo pariter in iis quæ fiunt per creationem absque vllo subiecto præsupposito. Antecedens conceditur ab Alberto in summa de quatuor coæuis p. p. q. 1. art. 2. circa fin. sed negat consequentiam, quia, inquit, *primum non agit aliqua actione diuersa à se ipso.* Sed hoc nihil est, quia ad rationem primi entis, & primæ causæ satis est, vt ad causandum non indigeat aliqua alia causa coadiuuante, & simul concurrenti; sed ipsa sit vnica ac totalis causa, ex qua non solum causetur res quæ fit, sed ipsum quoque fieri immediatè procedat. Quod autem non possit res ab ipsa causari, nisi ipsum etiam causari, seu modus quo res formaliter causatur ac fit, ab ipso immediate sit, id non oritur ex aliqua primæ causæ indigentia; atque imperfectione, sed solum ex formali necessitate effectus, & ex indigentia atque imperfectione creaturæ, quæ non potest in se formaliter fieri, ac dependere, nisi per

Argentinas *creari esse aliquid reale*

Albertus

per formalẽ quemdã fiitionis, ac dependentię modũ, quo effectus denominatur formaliter effici ac depẽdere. Quod contra Greg. acutè notauit Capr. 2. d. 1. q. 2. a. 3. ad 2. eorũ quæ tertioloco inducit Greg. cõtra primã cõcl. vbi Capr. loquitur de cõseruatione; sed eadẽ est ratio de productione, quia, vt ipsemet antea in a. 1. cõcl 3. cũ S. Th. probauerat, idem in re sunt creatio, & conseruatio. Dicit igitur quod *licet Deus non indigeat aliquo modo ad conseruandã creaturæ substantiam; tamen ex hoc quòd Deus conseruat substantiã effectiuè, oportet quod in creatura sit aliquid formaliter, quo formaliter dicatur conseruari, & dependere à Deo. Vnde licet Deus possit creaturam se solo conseruare effectiuè, non tamen formaliter; sicut nec albificare sine albedine.* & ideo ad 3. merito dicit, *quod nullus potest negare, quin cõseruatio Angeli sit aliquid.*

Capreolus.

13 *Creari non esse solam creaturam cum connotatione creatoris.* Aureolus.

Probo secundo hunc realem dependentiæ conceptum non sufficienter explicari per ipsammet creaturã cũ simplici & extrinseca cõnotatione Dei creatoris. Quod Aureolus 2. d. 1. q. 2. toto a. 2. multis probare contendit. 1. quia esse *ad aliud*, non est solũ fundamentum extrinsecè connotans terminũ. Ergo multo minus esse *ab alio*, erit solus effectus extrinsecè connotans causã. Antecedens hoc loco supponendum est ex probatis in Logica de Relationibus. Cõsequẽtia probatur, quia esse *ad aliud* importat in fundamento merũ ac simplicem ordinẽ ad aliud, vt simpliciter ac purè terminãs: Esse vero *ab alio*, importat in effectu depẽdentiã in suo esse reali ab alio, vt causa realiter influẽte, & causante illud esse reale. Constat autem in hoc secundo conceptu multo maiorem realitatis rationẽ in esse, quã in primo. Ergo si ad primum conceptum constituendum & explicandum, non satis est extrinseca connotatio, sed necessaria est aliqua realitas addita supra entitatẽ fundamenti & termini; multo minus secundus conceptus essendi *ab alio*, importare poterit solã extrinsecam connotationem, sed addere debet aliquã verã realitatẽ supra realitatem effectus & causæ 2. quia effectus non solũ realiter est in se ipso, verum etiam realiter pendet à causa dãte realiter illud esse: vtroque enim conceptu manifestum est nos concipere aliquid reale positiuũ in re ipsa: Et cum concipimus pendentiã realẽ effectus à causa, nos non concipere solum ipsum effectum secũdum eas realitates, quas in se absolutè habet, sed præterea cõcipere aliquid aliud reale effectus, per quod formaliter habet intrinsecè in se ipso effectus, vt sit aliquid causæ, nimirum, productũ realiter à causa, & à causa realiter pendens; quod est ad causam referri realiter transcendentaliter. Totum autem hoc, si attentè ac prudenter penetretur, apparebit sine dubio esse multò plus quàm merè connotare causam connotatione simpliciter extrinseca. Enim vero constat, nos posse præcisè intelligere id quod effectus est intrinsecè & absolutè in seipso: constat etiam nos hunc ipsum effectum posse intelligere alio modo longè diuerso, scilicet non absolutè in se, sed cõparatiue per ordinẽ ad aliud, nẽpe vt pendentem à causa à qua realiter accipit esse, quod à se ipso non habet nec habere potest. Quo 2. conceptu patet nos non cõcipere solũ id quod concipiebamus primo cõceptu, sed præterea aliquid aliud reale superadditum ipsi effectui, hoc est, realem depẽdentiã, vnde habeat effectus vt in se ipso fiat intrinsecè & formaliter pẽdens à causa. Hinc arguo 3. à priori, quia effectũ pendere realiter à causa, est quædã connotatio realis, & non per intellectum, vt patet ex ipsis terminis. Omnis autem realis cõnotatio est extrinseca si fundetur in aliquo extrinseco, sicut connotatio v.g. visionis, est extrinseca parieti viso, quia fundatur in visione extrinseca parietis; & connotatio Petri est extrinseca Paulo coexistenti Petro, quia fundatur in Paulo existenti simul cum Petro, omnino extra Petrum. Si vero fundetur in aliquo intrinseco, esse debet intrinseca, vel per habitudinem prædicamentalem, vt cum filius per intrinsecam sibi filiationem cõnotat Patrem, & Pater per intrinsecam sibi paternitatem connotat filiũ; vel per habitudinem transcendentalem, vt cũ materia connotat formã, & forma materiã; Et cũ res vnita per vnionẽ sibi intrinsecam cõnotat aliud extremum cui vnitur; & cum in sententia ponente vbi distinctum à corpore, corpus per vbi sibi intrinsecum connotat locum extrinsecum. Sed in casu nostro connotatio causæ in effectu fundatur in aliquo positiuo reali intrinseco effectui, nẽpe in reali dependentia, quam effectus in se ipso intrinsece ac realiter habet à causa. Ergo est connotatio verè ac realiter intrinseca, non autẽ simpliciter extrinseca.

Quod quidem declarari, ac suaderi aptè poterit, si demus vnum, quod hodie in scholis communiter ac rectè admitti video, idem lumen v.g. quod nunc fit, & pendet in suo esse ab isto sole, A, posse destructo sole, A, remanere, & pẽdere ab alio sole, B. Tũc enim Sol, A, de efficiente lumen fieret nõ efficiens lumẽ; & à cõtrario, Sol, B, de non efficiente lumen fieret efficiens lumen: itẽ ipsummet lumẽ mutaretur duplici mutatione, altera deperditiua, altera acquisitiua; nam de pendente à sole, A, fieret non pendens ab illo; & de non pendente à sole. B, fieret de nouo ab illo pendens. Pendere autẽ realiter, & intrinsecè, hoc est, in suo reali, & intrinseco esse, est sine dubio aliquid reale intrinsecum in ipsa re pendente. Ergo si in variato absoluto esse rei in se, realiter variatur realis dependentia huius esse, non poterit hæc non esse aliqua realitas, seu realis formalitas, vel modalitas in re ipsa pendente. Similiter si variata actione & variatis causis realiter agentibus non variatur effectus secundum se, ergo actio, quæ vt probaui in Philosophia, non est in causa agente, sed in effectu acto, & realiter est ipsummet fieri & pẽdere effectus, addit aliquid reale intrinsecum in ipso effectu supra absolutum esse ipsius. Idem concluditur posito alio casu faciliore, si destructo sole, A, & consequenter destructa dependentia, quã hoc lumen ab illo habet, Deus se ipso immediatè cõseruare vellet illud lumẽ, supplendo illã dependentiã per aliũ influxum superadditũ. Itẽ si hoc lumen de facto productum à sole, A, fuisset productum, sicut saltẽ per diuinam omnipotentiã produci potuit, ab alio sole, B; Vel si lumen hodie productum per vnã determinatam dependentiam à sole, A, aut hodie etiã, aut cras produceretur per aliam depẽdentiam; Putamus enim valde probabile adhuc, quod in primo tomo pluries adnotatum est, vt q. 7. art. 1. num. 6. & quæst. 12. art. 5. n. 51. & art. 8. n. 92. In omnibus causis atque effectibus nullã ex natura rei esse determinationẽ, ob quã hîc & nunc hæc causa nõ possit agere, nisi hac determinata actione, & hunc determinatum effectum; item hic effectus non possit fieri & pendere nisi per hanc dependentiam; & ab hac causa: sed totum hoc negotium pendere ac gubernari ex suprema atque infinita primæ causæ prouidentia; vt hinc etiam existentiam vnius Dei omnia dirigentis, ac sustentantis, gentilibus Philosophis suadere possimus. Quod dictum est de effectibus eductis à causa naturali, vt nimirum in iis fieri ac dependere, non sit mera connotatio extrinsecæ causæ, sed realis & intrinsecus modus quo formaliter fiat ac dependeat esse rei quæ fieri ac dependere dicitur; idem omnino dicendum de effectibus creatis à Deo; cum isti non minus fiant ac dependeant à Deo; quam illi à suis naturalibus causis. Quod enim in producente, & produ-

14 *Effectum pẽdere à causa esse aliquid reale supra effectum.*

Determinatos effectus determinari à prima causa.

Quid sint connotatio extrinseca, & intrinseca.

cto, non solum sit ipsa res quæ producit & quæ producitur, sed sit etiam reale ipsum producere actiuum, & ipsum produci passiuum, oritur non ex aliqua imperfectione, sed ex ipsa formali ratione & essentiali necessitate terminorum secundum se, qui simpliciter & precisè considerati nullam exprimunt imperfectionem. Quamobrem vniuersi Theologi realitatem agnoscunt non solum in Deo patre generante, & in Deo filio genito, verum etiá in ipsa formaliter generatione actiua, & passiua, siue in ipso generare, & in ipso generari formaliter & præcisè consideratis: Nec adhuc inuentus est aliquis, qui hos actus notionales explicauerit solum per extrinsecas connotationes. Ergo etiam in creaturis, producere & produci, debent formaliter accipi vt reales & intrinseci quidam actus, non vt puræ connotationes extrinsecæ quamuis in Deo sint modo perfectissimo scilicet infiniti, & cum omnimoda indistinctione à persona in qua sunt, & absque vlla dependentia atque indigentia, vt in superioribus non semel explicatum est; in creaturis vero sint cum imperfectione finitatis, distinctionis, indigentiæ, &c.

15 *Creari non esse relationē prædicamentalem.*

Probo tertiò hunc realem, & intrinsecum ac formalem, & non tantum connotatiuum dependentiæ conceptum non esse relationem prædicamentalē, & consequenter esse ens aliquod simpliciter absolutū, primo & principaliter, quia huiusmodi relatio fundatur in prædicta dependentia, sicut omnis alia relatio, effectus ad causam. Ergo illam præsupponit. Ergo dependentia non potest esse formaliter relatio quá fundat, sed esse debet aliquid aliud præsuppositum & antecedēs secundò. Quia relatio pura, seu prædicamentalis est in fundamento, vt tātum referat illud: dependentia vero est in effectu principaliter vt influat, & cōmunicet esse, quia formaliter est ipsum fieri effectus. Tertio quia relatio effectus respicit causam vt purè terminū. Fieri vero effectus respicit causam vt causam formaliter, quia est ipsa causalis formalitas, qua formaliter causatur effectus à causa. Nō debēt igitur hęc duo cōfundi.

16 *Creari non esse relationē transcēdentalem essentialem, sed accidētalem creaturæ.*

Probo quarto. Non esse relationem transcendētalem intrinsecam & essentialem creaturæ, sed accidentalem & extrinsecam, seu potius superadditam creaturæ. Puto enim in omni re quæ creatur, esse distinguendas duas relationes trāscendentales. Alteram, quam vocare possumus substantialem, siue essentialem, ac proinde omnino intrinsecā, quia est formaliter & quidditatiuè inclusa in quolibet creaturę conceptu quantumuis precisso, modo intelligatur in eo formalis & explicita ratio creaturæ, quæ essentialiter est ratio entis participati, & consequēter, entis dependentis à Deo tum in genere causæ exemplaris, tum etiam efficientis: Nam quæcunque creaturæ essentia, etiamsi consideretur præcisa ab existentia & fieri, quamuis à Deo efficiente actu pendeat, pendet tamen à Deo potente efficere; ita vt impossibile planè sit illam actu effici atque existere, & non pendere à Deo actualiter efficienti, ipsum quoque fieri, non vt fiat, sed vt existat, necessario, pendere debet à Deo creatore. Ipsa demum existentia, non vt existat, sed vt fiat, non potest non pendere à Deo faciente. Quæ omnia hoc loco supponenda sunt in propria physica materia de concursu primæ causæ fusius probata. Alteram accidentalem, & quasi extrinsecam, hoc est existentem quidem formaliter in re quæ creatur, tamen extra essentialem illius conceptum. Atque in hac ego assero consistere ipsum fieri & creari, vnde formaliter habet creatura, vt pendeat actualiter, ac proinde contingenter, & accidentaliter à Deo tametsi ista pendentia in se ipsa considerata sit essentialiter aliquid Dei, non solum generalissimo titulo entis creati, sed speciali titulo influxus creatiui, qui est ipsa causalitas Dei creantis. Probo igitur, hunc influxum non esse relationem transcendentalem essentialiter inclusam in conceptu creaturæ, tum quia hæc relatio, est ipsa res quæ creatur, & terminat influxum creatiuum: tum quia hic influxus non est de essentiali conceptu creaturæ, quæ sicut potest non fieri & non esse; ita potest tali influxu carere. Probo etiam eumdem influxum esse aliam relationem transcendentalem, accidentalem rei quæ creatur; tum quia hic influxus est formalis quidam modus quo effectus fit & pender à causa; ergo importat essentialem & transcendentalem ordinem, & ad effectum cuius est modus & forma, & ad causam, seu Deum creantem, cuius est causalitas creatiua, qua mediante effectus vere & realiter à Deo creatur, ac pendet: tum quia hoc creari conuenit creaturæ omnino dependēter à libera voluntate Dei; & de facto non fuit in creatura ab æterno, sed in aliquo determinato tempore, & simpliciter potuit nunquam in ea esse; & postquá est, potest ab ea tolli: ergo est aliquid accidentale creaturę: imo in se ipso est accidēs in prædicamento accidētali actionis; de quo dixit S. Th. de Pot. q. 3. art. 3. ad 2. *Creatio, propriè loquēdo, est in hærens.* Et ad 3. expressè vocat *accidens*, sicut etiam 2. d. 1. q. 1. a. 2. ad 4. & de hac intelligo Caietanū, cū hæc ad 3. de passiua creatione dixit, *'est accidens, & non est relatio transcendens:* scilicet essentialis ipsius creaturæ, sed accidentalis. S. Thom.

17 *Creari esse medium inter creaturā, & Deum, ex S. Thom contra Ferr.*

Probo quintò. Esse aliquod ens mediū inter Deū & Creaturam, vt expressè docuit S. Th. de Pot. q. 7. art. 9. ad 5. & sequitur Capreolus supra n. 11. quod immeritò negat Ferr. 2. cont. gent. c. 18. ad 2. dub. quia creari, vt est actualis principiatio creaturæ, respectu huius principiari, inquit S. Th. hīc ad 3. *habet quamdam rationem prioritatis*; &, vt docet de Pot. q. 3. a. 3. ad 3. *est quodámodo prior subiecto.* Quoniá vero ex alia parte idem influxus, vt ibid. ait S. Th. *secundū suam rationem ex actione agentis innascitur, & diuina actio est eius causa proxima*, cum à Deo non solum creatura fiat per influxū, sed ipse etiá influxus immediatè prorsus emanet, idem fieri, quod est prius creatura ad quam terminatur, erit posterius Deo, à quo proficiscitur. Ergo mediū quoddā inter Deum & creaturam, nempe post Deum, & ante creaturā.

18 *Creari esse idem realiter cum creatura, & distinctum formaliter ab illa.*

Probo sexto. Idem fieri, seu creari, esse formalem quemdā modum, identificatū quidem proprie realiter cū creatura, in quantum non est per se quædā res cui conuenire possit esse per se separatū à creatura, sed si sit, petat necessario & essētialiter esse cū creatura, & in creatura, & propterea communissimè dicitur esse ipsa creatura in fieri, quod nemo negat; tamen ex natura rei formaliter, seu modaliter distinctum à creatura, quam distinctionem, & non maiorē, verè ac propriè realem, significat Caiet. hīc ad 3. ex manifesta sententia S. Th. dicens, *oportet vt creatio distinguatur realiter à substantia creata quacūque secundum doctrinam, quā sequimur.* Eodēque modo loquitur Ferr. lib. 2. cont. gent. c. 18. dub. 3. tenēs de mente S. Th. *quod creatio est accidens realiter distinctū à creatura.* Quamquā antea respondens ad 2. dub. nonnulla addat, quibus contrarium significare videtur. Arq; hanc distinctionē proprie & rigorosè realē, non vniuersaliorē ex natura rei, excludere intendūt Ægidius 2. d. 1. q. 6. a. 2. & alij antiqui Doctores probātes, creari & creaturā nō distingui secundū rē. 1. Ratio essēdi *ad aliud*, distinguitur ex natura rei ab eo, quod per talē rationē est, & refertur ad aliud: ergo eriá, imo multò magis ratio essēdi *ab alio*, debet ex natura rei distingui ab eo quod per talem ratio

Caietanus. Ferrariensis. Ægidius.

rationem realiter est, & fit ab alio. Vt probem consequentiam, & ostendam maiorem distinguendi rationem esse *ab alio*, quam esse *ad aliud*, arguo secundò, quia esse *ab alio*, importat veram ac realem quandam causalitatem, seu causationem in creaturam: esse vero *ad aliud*, importat puram quamdam ordinationem, siue habitudinem. Multò autem certius est, omne id quod habet aliquá causandi rationem, distingui à parte rei ab eo quod ab ipso causatum, quàm ita distingui ordinationem ab eo quod per ipsam ordinatur. Quapropter in diuinis, generatio actiua, per quam Pater generat Filium, distinguitur realiter à filio: Paternitas vero per quā Pater refertur ad filium, nullo modo à parte rei distinguitur à Patre. Tertiò ex dictis n. 14. constat, posse ipsū fieri, de nouo acquiri, ac dependi, non acquisita de nouo, nec deperdita re, quæ fit. Imo in omnibus effectibus naturalibus, qui fiūt ab aliquo creato agēte, à quo non conseruātur, ita datur fieri effectus, vt postea transeat, & non remaneat fieri, remanente re facta, v. g. facto homine, vel calore, non est fieri hominis, vel fieri caloris. Hæc autem separabilitas, vel actualis separatio vnius rei ab alia, euidens signum est distinctionis ex natura rei inter illa duo. Quod si fieri termini dependenter à subiecto, distinguitur in re à termino, non apparet aliqua probabilis ratio cur fieri termini independenter à subiecto, quod est creari, non debeat in re pariter distingui à termino suo: Et cur pariter dicere non possimus, quod licet creari, remaneat semper in re creata, etiam post instans creationis, & non, illo deperdito, adueniat alius distinctus conseruationis influxus, vt multò communior & probabilior habet opinio; tamen cum vna determinata re creata, verbi gratia, cum hac anima mea, non sit essentialiter connexum vnū aliquod determinatum creari, sed possit æquè bene, si Deo liberè creanti placuisset, eadem anima per aliud creári, ab eo fieri ac dependere. Ex qua possibilitate mutandi varios creandi influxus immutata remanente eadem re creata, efficaciter deducitur actualis distinctio à parte rei inter creari & rem creatam. Quartò argumentor cum Suarez disput. 20. Metaphys. sect. 4. num. 12. Dependentia qua dependet à Deo quantitas extra subiectum, non est dependentia qua dependet eadem quantitas existens in subiecto; quia posterior est cum concursu causæ materialis, non prior: sicut diuersæ rationis est dependentia, qua de facto dependet anima rationalis à Deo, ab illa qua ab eodem Deo dependent formæ corruptibiles; Nam illa est dependentia creatiua ex nullo subiecto, hæc vero generatiua ex subiecto præsuppositio. Sed quando quantitas, & formæ corruptibiles sunt in subiecto, non habent illam dependentiam, qua à Deo dependent extra subiectum, quia hæc etiam tunc esset superflua; imò contra proprium ac naturalem existendi modum. Ergo dependentia creatiua est separabilis re à creatura; ergo ab illa à parte rei distinguitur.

Suarez.

Soluitur potissima ratio in contrarium.

19 *Prima obiectio Fonseca & Vazquez, quia sequeretur dari accidens sine subiecto.*

Obiicies primò, præcipuum aduersariorum fundamentum, quod inter recentiores multis acriter vrgent Fonseca l. 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 13. sect. 2. Vazquez hic disp. 173. cap. 3. circa fin. & omnes nostri temporis Philosophi difficillimum esse iudicant, ideóque in illius solutione multum dissenunt, ac diffident, si creatio esset accidens quoddam absolutum, distinctum à re creata, deberet saltem natura præcedere rem creatam: esset enim formalis ratio, ac veluti via quædam, qua res creata ducitur de non esse ad esse: via autem præsertim factiua termini, est secundum naturam prior termino qui dependenter ab illa via fit. Sed hoc est absurdum, quia sequeretur, in aliquo priori dari accidens sine vllo subiecto.

Solutio sancti Thomæ.

Respondeo, hoc argumentum, à S. Thom. hic in tertio loco clarius proponi, quam solui. Concedit, *quòd creationis, secundum quod significatur vt mutatio, creatura est terminus. Sed secundum quod verè est relatio, creatura est eius subiectum, & prius ea in esse, sicut subiectum accidente.* Quoniam vero in primo membro distinctionis considerauerat creationem, non secundum id quod verè est, sicut considerat in secundo membro, sed secundum id quod falsò esse concipitur, & significatur à nobis, imperfectè concipientibus res aliter quàm in se ipsis sint, ita subiungit pro primo membro, vt explicet veram rationem formalem, sub qua creatio sit prior creatura, & se habeat ad illam, vt via ad terminum, *sed habet*, nempe creatio, *quamdam rationem prioritatis ex parte obiecti ad quod dicitur, quod est principium creaturæ.* Per obiectum videtur intelligere Deum, non creaturam; tum quia creatio creaturæ, quæ à S. Thom. dicitur, *verè relatio*, dicitur & refert ad Deum creatorem, nō ad creaturam: tum quia Deus est propriè principium creaturæ; & creatio est potius creaturæ principiatio, quàm principium: & tamen tradenda erat ratio creationis, non respectu Dei, sed respectu creaturæ, vt probaretur prioritas creationis respectu creaturæ, vt prioritas cuiusdam viæ respectu termini. Itaque declaranda magis est responsio ex iis, quæ ad idem argumentum soluendum habet de Pot. q. 3. art. 3. ad 3. vbi concedit, *quod illa relatio*, nempe creatio passiua, & ipsum creari creaturæ, *accidens est; & secundum esse suum considerata, prout inhæret subiecto, posterius est quàm res creata; sicut accidens subiecto, intellectu & natura posterius est: si vero consideretur secundum suam rationem, prout ex actione agentis innascitur prædicta relatio*, & non ex subiecto præsuppositio influente in primum esse illius, *sic est quodam modo prior subiecto.* Tam de Creatione respectu creaturæ, quam de creatura respectu creationis, docet esse priorem & posteriorem diuersa ratione. Creatio vt factio, siue actio, est prior creatura vt facta, siue vt acta: Eadem creatio vt accidens, est posterior creatura vt subiecto. Item creatura, vt terminus habens esse vi creationis vt influxus, est posterior creatione vt influente esse: Eadem Creatura, vt subiectum, cui inhæret creatio vt accidens, est prior creatione vt accidente.

Creatio, & creatura, inuicē prior & posterior, diuersa ratione.

20 *Instantia contra solutionē S. Thomæ.*

Contra hanc solutionem **fieri** potest molesta quædam instantia, quia creatio, siue sumatur vt creatio, siue vt relatio, siue vt fieri, siue vt actio, siue vt passio, siue vt dependentia, siue vt vltima agentis actualitas, se ipsa formaliter communicans esse, siue sub quauis alia formali ratione, sub qua dicitur prior natura, est procul dubio accidens: sicut enim in quacumque pura substantia, vt formaliter distincta ab accidente, nihil esse aut considerari potest, quod non sit substantia, vel substantialis aliqua ratio; ita in quocunque puro accidente, vt formaliter distincto à substantia, nihil fingi potest, quod non sit accidens, vel aliqua ratio accidentalis. Item sicut quia substantia vt substantia, est prior accidente, & substantia, etiam vt substantia, est ens; sequitur necessario, quod substantia, etiam vt ens, est prior accidente, ita quia creatio vt creatio, siue actio vt actio, est prior termino; & actio, etiam vt actio, est accidens; sequi pariter de ne-

cessitate debet, quod actio, seu creatio, etiam vt accidens, sit prior termino. Ergo non potuit sanctus Thomas verè atque aptè distinguere, ac dicere, creationem sub vna formali ratione, qua est accidens, esse posteriorem creatura; sub alia vero ratione formali qua est relatio, esse eadem creatura priorem: quasi vero sub hac alia secunda ratione non esset etiam essentialiter accidens, & consequenter, posterior creatura. Hanc difficultatem in alio simillimo casu contra se proponit Suarez 3. part. tom. 3. quæst. 75. articulo 5. dispur. 50. sectione 5. fin. Cum enim docuisset, actionem substantialem, qua in Sacramento fit Corpus Christi, non quidem omnino de nouo, sed per modum conseruationis, in quantum ita fit, vt antea simpliciter præexistat, esse à parte rei distinctam à Corpore Christi, tum quia potest esse Corpus Christi sine hac actione, vt est in cœlo; tum quia potest non esse in cœlo Christus, & solum esse in Sacramento; ergo ille alius influxus, quo nunc est in cœlo, est simpliciter distinctus in re à corpore; ita sibi obiicit, *si illa actio est prior natura quam terminus, & vt sic est accidens, quia non est substantia, & videtur esse propriè de prædicamento actionis: Ergo vt sic oportet esse in aliquo subiecto. Quomodo ergo intelligi potest prior natura, & absque subiecto?* Respondet autem dupliciter, primò, negando esse accidens, sed esse viam substantialem, quia est via ad substantiam, & propterea reduci ad prædicamentum substantiæ; quia omnis via reducitur ad prædicamentum sui termini. Sed hæc responsio quæ *verior* dicitur à Suarez, tum loco citato, tum in Metaphysic. dispur. 20. sectione 4. num. 28. fin. de medio tollit prædicamentum Actionis; quia omnis actio vt actio, est via ad terminum. Ergo si creatio reducitur ad substantiam, quia est via ad substantiam, omnis actio reducetur ad terminum, & erit in prædicamento sui termini; verbi gratia, generatio substantialis ad substantiam, Augmentatio ad quantitatem, Alteratio ad qualitatem, & ita de aliis absque vllo distincto actionis prædicamento; & non tollit omnino difficultatem; quia creet, vel faciat Deus quantitatem per se, separatam à materia; ista saltem actio, quia terminatur ad quantitatem, quæ est accidens, erit pariter accidens, siue actio accidentalis. Sed illa vt via terminata ad quantitatem, est prior natura quantitate. Ergo in aliquo priori naturæ intelligitur accidens, & tamen non intelligitur subiectum à quo pendeat, sed contra potius, intelligitur ipsum accidens esse aliquid à quo pendeat subiectum in suo esse: quæ est tota difficultas, in cuius solutione laboramus. Et ideo respondet secundò illam actionem, seu dependentiam esse quidem accidens in actionis prædicamento, tamen, inquit, *Non oportere in illo priore illam concipere vt in aliquo subiecto, sed vt ab aliquo agente; & quod habet esse ita diminutum, vt in eodem instanti requirat substantialem terminum, cui per identitatem*, scilicet non modalem, seu formalem, sed propriè realem, *coniungatur.* Atque hæc, inquit, *responsio est probabilis.* Sed mihi videtur absolutè vera, & tenenda, si magis explicetur: quam in fine numeri præcedentis, non obscurè indicauit sanctus Thomas, dicens de creatione passiua, *est quodam modo prior subiecto, si consideretur secundum suam rationem prout ex actione agentis innascitur.* Quod vt distinctè explicem, non per distinctas tantum voces, sed etiam per distinctionem in re ipsa.

Dua responsiones Suar.

Creationi actionē, etiam vt viam, esse accidens.

21. Dico, in hoc accidente, quod vocatur creatio, & probatum est esse à parte rei distinctum à creatura, esse considerandum & distinguendum primò esse suum simpliciter distinctum à creatura, quod in se ipso habet immediate tantum à Deo in genere causæ efficientis, & non habet à creatura in eodem genere, neque ex creatura in genere causæ materialis eductiuæ. Secundò, esse in creatura, quod sanctus Thomas de Potentia quæst. 3. artic. 3. ad 2. & 3. bis vocat *inhærere*, scilicet non per vnionem intermediam distinctam, quemadmodum inhærent quantitas & qualitas, sed per realem identitatem, vt bene dicebat Suarez supra. Ex his duobus realibus conceptibus, prius certè est esse in se ipso simpliciter distinctum à creatura, quàm esse in creatura inhærens, & vnicum, ac realiter identificatum cum creatura: tum quia vniuersaliter loquendo, prius natura est esse in se, quàm esse in alio; cum esse in se possit ex genere suo esse, & non esse in alio; esse autem in alio nulla res habere potest quæ non præsupponatur esse aliquid in se ipsa: tum quia etiam in iis accidentibus, quæ educuntur ex subiecto, prius natura est accidens habere in se ipso existentiam suam accidentalem causatam ex subiecto, quam idem accidens inhærere subiecto. Et ideo non potest accidens inhærere, & non simpliciter esse: potest autem simpliciter esse, & non inhærere; vt patet in quantitate specierum consecratarum. Ergo pariter prius natura est esse simpliciter creationis in se distinctum à creatura, quam illud idem esse inhærere & identificari realiter creaturæ. Tum quia prius natura intelligitur aliquid esse distinctum ab alio, quam cum eodem alio realiter vniri; verbi gratia, prius intelligitur forma distincta à materia, quàm vnita materiæ; distinctio enim ab alio, fundatur immediatè in ipsa vnitate intrinseca cuiuscunque rei, cum Vnum definiatur esse indistinctum in se, & distinctum à quocunque alio: & ex terminis ipsis manifestum apparet, quod quando duo realiter vniuntur, prius natura & intellectu est, illa esse in se realiter duo in se ipsis, ac proinde distincta inter se, quàm illa in vnum aliud tertium realiter vniri. Ergo si creatio, & creatura sunt duo à parte rei distincta, vt constat ex probatis supra, & concedunt etiam multi ex aduersariis, cum quibus disputamus, natura rei postulat, vt hæc prius concipiantur vt duo inter se distincta, quàm vt vnum realiter vnitum siue identificatum. Postremo hanc eamdem creationis prioritatem efficaciter probat ratio S. Thom. 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. ad 4. fin. quia inquit, *habitudo creationis non sequitur motum*, qui præsupponit præcedentem aliquam creaturam, quæ per illum motum moueatur, *sed actionem diuinam tantum, quæ est prior quam creatura.* etenim creatio est à Solo Deo immediatè; creatura vero à Deo est mediante creatione. Ergo prius natura est creationem habere suum esse immediatè à Deo quam mediante hoc esse, creaturam habere suum esse, & si creatio creaturæ, est *per actionem diuinam tantum*; Ergo non est à creatura: & ex alio capite, creatura est per creationem, ac proinde est aliqua ratione effectus creationis. Ergo creatio est aliqua vera ac reali ratione prior creatura secundum naturam.

Exponitur vera solutio S. Thomæ & Suarez.

S. Thomas.

His positis, ad obiectionem positam supra num. 19. concesso antecedente, quod creatio sit prior creatura, nego sequelam, quod in priori naturæ detur accidens sine subiecto, quod multis rectè explicant Conimbricenses lib. 1. de generat. c. 4. q. 4. art. 3. ad 2. contra primam concl. ex eo enim quod vnum sit simpliciter prius natura quàm aliud, non licet colligere, dari & existere vnum sine alio: vt ex eo quod calefactio calorem natura antecedat, non benè quis inferret, calefactionem in aliquo instanti existere non existente calore: neque ex eo quod Petrus prius natura sit substantia & animal, quàm homo, sequitur, dari in aliquo instanti re ipsa Petrum qui sit substantia tantum, vel animal tantum, & non sit homo. cuius rei ratio est, quia vt docet Durandus 2. d. 1. q. 2. num. 23. *prius & posterius secundum naturam, non attenduntur secundum entitatem, & non entitatem, vt verum sit dicere, quod vnum sit, alio non existente; quia nunquam, verum est dicere, quod sol sit, lumine non existente; & tamen sol est prior secundum naturam, quam suum lumen: sed attenduntur secundum entitatem dependentem, & independentem; quia illud est prius secundum naturam, cuius entitas est independens, & illud posterius, cuius entitas est dependens; & tamen istæ duæ entitates sunt semper simul. Sed prioritas causæ, non competit effectui sicut nec independentia.* Non rectè igitur ex eo quòd creatio animæ, v.g. sit prior natura quàm anima, aliquis deduxerit, dari & existere creationem priusquam animam: sed solum inferre licebit, cum simul omnino sunt & fiunt creatio & anima, animam dependere à creatione, per quam fit, creationem verò non pendere ab anima, per quam non fit. Aduertendum quoque est, hoc argumento non impugnari solum creationem, sed multo magis omnes actiones naturales, si eas secundum communiorem sententiam ponamus in terminis productis, ab eisque distinctas. Tunc enim calefactio, v.g. siue actio qua fit calor, quamuis quia est eductio, præsupponat subiectum v. g. aquam quæ calefit; tamen quia est etiam via quædam ad calorem, tanquam ad terminum per ipsam productum, necessario præcedit natura calorem. Hinc verò, si obiectio vim haberet, similiter sequeretur, in illo instanti præcedentiæ, seu prioritatis naturæ dari calefactionem sine calore. Quod sane multò est admirabilius, quam in aliquo instanti dari accidens sine subiecto, quod contra nos in illa obiectione deducitur: quoniam multò magis vnita & identificata est cum calore actio qua fit calor, & est ipsemet calor in fieri, quàm eadem actio cum aqua, vel alio quouis subiecto à quo realiter distinguitur.

Durandus:

23 *Respondetur ad instantiã supra n. 20.*

Ad instantiam factam supra num. 20. distinguo illud Antecedens, multis ibi probatum, creatio in illo naturæ priori, quo præcedit creaturam, sub quacumque formali ratione sumatur, seu consideretur, semper in se ipso essentialiter est accidens; & concedo esse accidens, quoad esse simpliciter accidentis, in quantum in illo priori intelligitur esse simpliciter extra causam per suam propriam existentiam, quæ inquit S. Thom. de Pot. q. 3. ad 3. *ex actione agentis innascitur*, &, vt dixit etiam 2. d. 1. q. 1. art. 2. ad 4. *sequitur actionem diuinam tantum*; quia scilicet primam illam existentiam habet à solo Deo & non à termino, quem natura præcedit, aut ab alia quacunque causa siue efficiente, siue materiali. In quo maximè differt hoc fieri; quod est creatio, abomni alio fieri, quod est eductio: Nam eductio ita est prior natura termino, vt tamen ipsa quoad primum suum esse simpliciter, pendeat non solum ab agente, sed etiam ex præsupposito subiecto, ex quo per ipsam educitur terminus. Creatio verò ita in illo suo priori intelligitur emanare ab agente Deo, ab eoque habere, primum suum simpliciter esse, vt in huius esse emanatione nullum subiectum, nulla omnino materia præsupponatur; atque adeò, vt suum illud simpliciter esse, quo ad suam immediatam emanationem, ac dependentiam, quam se ipso immediatè habet à causa creante nullo modo pendeat à creatura, & consequenter, sit creatura prius secundum naturam; alioquin esset propriè eductio, non creatio. Nego autem esse accidens, quoad esse accidentis secundum quid; nempe quoad actualiter inhærere, & realiter vniri, siue identificari subiecto; quod in posteriori naturæ signo illa eadem existentia habere intelligitur dependenter à subiecto: quod est creatura per ipsammet creationē facta. Quando igitur S. Thom. supra distinguēdo dixit, quod creatio vt creatio, & vt id, quò immediatè creatur creatura, & non vt accidens, est natura prior creatura; vt accidens vero est natura posterior creatura; non sumpsit accidens primo modo, scilicet vt simpliciter existens, sed secundo modo, scilicet, vt existens secundum quid, seu tali modo, hoc est, vt formaliter, & actu inhærens, quod valde explicitè significatur accidentis voce, enim verò esse id, quo immediatè creatura fit ex nihilo, & propterea esse quid natura prius creatura, non habet creatio ex generali sua ratione qua est accidens, sed ex peculiari sua explicita ratione qua est creatio, tametsi hæc ipsa explicita ratio implicitè & essentialiter sit etiam accidens: sed si per impossibile esset creatio, & tamen esset substantia, non accidens, adhuc illa esset natura prior creatura. Et ideò bene dictum est à S. Thom. quòd creatio, vt accidens, est posterior: quia & si sub ea ratione qua est prior, sit etiam accidens, tamen illam prioritatem non habet reduplicatiuè, quia est accidens, sed quia est creatio, seu factio termini, licet specificatiuè sit accidens: posteriorita-tem vero habet reduplicatiuè quia est accidens.

Explicatur magis responsio S. Thom.

24 *Tria naturæ signa in creatione distinguuntur.*

Igitur ad hanc subtilitatem distinctius penetrandam, debent distingui tria naturæ instantia, siue signa. In primo intelligitur creatio immediatè emanare, & habere proprium atque intrinsecum suum simpliciter esse à solo Deo, absque vllo prorsus concursu creaturæ neque eductiuo, neque sustentatiuo: & sic creatio est independens à creatura, atque adeo secundum naturam prior creatura. In secundo signo eadem creatio intelligitur exercere suam vim formalem causandi & efficiendi; *vt quo*, & se ipsa immediatè communicandi esse creaturæ absque vlla dependentia à creatura, & à quocunque alio subiecto: hanc enim vim sufficientissimè habet ex eo præcisè quod habet suum formale, & explicitum esse creationis à parte rei, quod totum habere intelligitur in primo signo: & ideo in hoc secundo signo creatura est dependens à creatione, eaque posterior secundum naturam. In tertio signo, facta iam creatura, ac proinde constituto subiecto in quo primum illud esse creationis sustentari, & inhærere possit, intelligitur creatio tamquam accidens dependere à creatura quoad actualem illam sustentationem & inhærentiam; & propterea esse posterior creatura secundum naturam: creatura vero vt subiectum sustentationis intelligitur prior natura creatione. Itaque tam creatio, quam creatura, est prior & posterior sub diuersa ratione in diuerso genere causæ. Creatio prior in genere causæ efficientis secundum suum creationis esse simpliciter, & creatura in eo genere posterior quoad suum esse creatum & factum. Creatura verò prior in alio genere causæ materialis sustentatiuæ, quoad simplicem subiectationem creationis; & creatio posterior in eo genere, quoad suum actualiter inhærere.

22 *Creatio vt prior natura non infertur ens existentiã sine subiecto.*

Ergo ex instantia supra num. 20. nihil aliud deduci verè potest, nisi quòd creatio in primo signo est quidem essentialiter accidens, & quod specificatiuè vt accidens sit prior; non tamen quod sit prior vt accidens reduplicatiuè: sicut enim homo v. g. discurrere dicitur vt rationalis reduplicatiuè, vt

25 *Quo modo creatio, vt accidens, sit prior creatura.*

substantia verò non reduplicatiuè, sed tantum specificatiuè ita creatio dici debet prior vt actio reduplicatiuè; prior etiam vt accidens, sed specificatiuè, non reduplicatiuè. Deducitur etiam necessario, quod in illo priori independentiæ intelligatur dari, & existere aliquod essentialiter accidens, & tamen pure negatiuè, ac præcisiuè, non intelligatur subiectum illius existere. De essentia enim accidentis, vt accidens est, non est inhærentia actualis, sed dumtaxat aptitudinalis. Et quamuis creatio essentialiter sit non solum accidens, sed accidens modale, & de essentiali conceptu entis modalis sit actuale exercitium, nempe actu modificare, v.g. de essentia vnionis vnire, figuræ figurare ac terminare, &c. tamen hinc non tollitur quia in hoc ipso ente modali prius natura sit habere in se ipso intrinsecè suum esse modale, & quasi modificatiuum in actu primo, quàm actu modificare aliud à se ipso distinctum ex natura rei: tametsi vterque conceptus ad integram entis modalis essentiam spectat, ita vt ne per diuinam quidem omnipotentiam fieri possit, vt detur aliquis modus, qui non actu modificet. Sic igitur in primo illo signo, prius natura intelligimus creationem, quæ essentialiter est modus, esse intrinsecè in se ipsa per dependentiam, siue simplicem emanationem à Deo tantum; quam creationem creare, & exercere aliquid in creaturâ: Verum ex eadem instantia non potest rectè deduci, quod in primo illo signo, in quo creationis accidens dicitur natura præcedere subiectum, aut sit, aut detur, accidens sine subiecto, quòd reiectum est supra num. 22. aut intelligatur aliquod accidens esse sine subiecto, siue, quod in re idem est, intelligatur non esse in subiecto: sic enim intelligeretur falsum, quia nullum assignari potest instans, in quo accidens, præsertim modale, sit in re, & non sit in subiecto. Satis ergo est vt in illo priori intelligatur ita accidens, vt negatiuè, seu præcisiuè non intelligatur esse in subiecto; sic enim abstrahentium nullum est mendacium. Et vniuersaliter de duobus existentibus simul duratione, quorum nihilominus alterum est natura prius altero, alterû posterius, verbi gratia de sole & lumine, intellectus quando intelligit vnum, potest circa aliud se habere duobus modis: vno negatiuè, non intelligendo illud; & est verus atque vtilis intelligendi modus: alio modo positiuè, intelligendo illud non coëxistere alteri; & hic est modus intelligendi falsus.

Quo modo creatio sit accidens. 26 Ex dictis intelligimus primo creationem esse simpliciter accidens, quia est actio, seu factio, & extrinseca causalitas agêtis & ipsum fieri creaturæ, extrinsecum, & contingens, & simpliciter separabile. Non esse autem accidens, quod educatur ex subiecto, vt calor, cum educi sit fieri dependenter ex subiecto, & creatio nec fiat simpliciter, quia est ipsum fieri, nec fiat dependenter ex subiecto, quia est fieri termini independentis à subiecto in sua productione. Quare creatio non est accidens quo mediante aliud educatur ex subiecto, vt est calefactio respectu caloris qui ex aqua educitur: sed solum est accidens, quia sustentatur in re quæ per ipsum fit. Quæ res, quatenus sustentat creationem, habet rationem subiecti, & respicit illam vt accidens: quatenus vero per creationem fit, habet rationem termini, siue effectus, illamque respicit vt productionem & actionem. Actio enim vt sic non importat explicitum ordinem ad subiectû, sed ad terminum quem seipsa formaliter agit *vt quo*: sicut relatio, vt relatio, dicitur explicitè per ordinem ad quem refert, & non ad subiectum cui in hæret: & sicut relatio est immediata & ipsa formalis ratio referendi, ita actio est immediata, & formalis ipsa agendi ratio.

Qua ratione creatio pendeat à creatura. 27 Intelligimus secundo qua ratione creatio pendeat à creatura quæ per illam fit, sunt enim in creatione acutè distinguenda duo. Alterum, esse ipsius; Alterum, emanatio seu processio, seu dependentia, ac quoddam veluti fieri huius esse à causa: quamuis enim non dependeat, aut fiat per aliam distinctam dependentiam, aut per aliud distinctum fieri; tamen vera aliqua, & si larga ratione, dici potest dependere & fieri se ipso formaliter, in quantum hoc esse reale realiter habetur & recipitur vi causæ. Dicendum igitur creationis esse quoad suam emanationem non haberi dependenter à creatura, sed à Solo Deo. Postquam vero intelligitur emanasse, & esse factum, haberi dependenter à creatura, non vt sit simpliciter, sed vt conseruetur ac sustententur. Hinc S. Thomas, vt supra diximus, duo de creatione docet: Alterum est, creationem causari, & innasci ab agente tantum, & non ex principiis subiecti: Alterum est, creationem esse accidens inhærens subiecto. Atque hanc subiecti rationem, quam habet creatura respectu creationis, & vniuersaliter omnis effectus respectu sui fieri, vocauimus supra n. 4. rationem purè sustentatiuam, & conseruatiuam non primò factiuam.

Puram materiam potentia non probari exemplo creationis. 28 Intelligimus tertio nonnullos iuniores, tenentes cum Thomistis, materiam primam, ex qua educitur existentia formæ, non aliter existere nisi per hanc ipsam existentiam ab illa eductam, non posse se sufficienter tueri hoc exemplo mutuæ causalitatis ac dependentiæ creationis & creaturæ: & enim nos non ponimus, ipsum esse simpliciter creationis, quo verè ac realiter fit creatura, fieri etiam à creatura, vel ex creatura, sed à Solo Deo: si enim fieret, & realiter dependeret in suo fieri à creatura, vel ex creatura, iam creatura vt sic esset prior natura creatione, & in illa prioritate essentialiter includeret existentiam, ergo non posset intelligi recipere deinde hanc existentiam à creatione. Ponimus igitur fieri creationem, siue emanare, & habere primum suum simpliciter esse independenter à creatura, & ideo possumus conuenienter intelligere, hoc ipsum quod non pendet à creatura, posse esse causalitatem & efficientiam, cuius vi habeatur & fiat ipsum esse creaturæ dependenter à creatione. Quod vero in posteriori signo intelligatur creatura purè sustentatiua illius esse creationis per quod immediatè ipsa in priori signo facta est, nullum importat absurdum, nimirum, rem sustentari in suo effectu, qui non est causa illius rei vt fiat & simpliciter sit, sed tantum vt, postquam ab alio facta est, sustentetur. At verò in casu Thomistico de Materia, longe aliter res habet; quia volunt materiam non existere nisi per existentiam ab ipsa eductam, ac proinde ipsa posteriorem natura in genere causæ materialis: in quo genere essentialiter includitur totus iste conceptus, esse subiectum in re ipsa realiter præsuppositum, ex quo per realem actionem agentis realiter educatur forma substantialis. In quo conceptu manifestum est includi existentiam. Ergo hæc præsupponitur in materia ante existentiam formæ. Ergo est plane inintelligibile materiam deinde fieri simpliciter existentem per hanc existentiam formæ. Nullum igitur absurdum est, rem aliquam pendere in fieri ab eo quod ab ipsa pendet non in fieri, sed in sustentari; qua ratione creatura pendet à creatione. Euidens verò absurdum videtur, rem aliquam pendere in esse simpliciter, ab eo quod in esse simpliciter, & in suo primo fieri pendet ab ipsa: quo modo

modo Thomistæ dicunt, materiam pendere à forma. Sed de his fusius agere non est huius loci.

Satisfit reliquis obiectionibus.

Secunda obiectio. 29 Obiicies secundò. Creatura vt Creatura essentialiter, est ens dependens: quia sicut de essentia primi entis est esse per essentiam, & consequenter, esse à se, non ab alio, ita de essentia omnis alterius entis est, esse per participationem, ac proinde esse dependens ab alio. Ergo hæc dependentia non potest esse quid distinctum à creatura: quoniam vniuersaliter nihil distinguitur à sua essentia, tunc enim res non esset essentialiter id quod essentialiter esse supponitur.

Respondetur aliquatus dependentiam esse de essentia creaturæ non omnem. Respondeo hoc tantum probare, dependentiam aptitudinalem, seu dependere aptitudinaliter esse de essentia creaturæ, & ipsammet creaturæ essentiam: Non autem esse de essentia actualem dependentiam, & actualiter dependere; cum hoc sit simpliciter separabile, & sit modus ad existentiam spectans, non ad essentiam. Neque enim essentia rei, separata ab existentia, dici rectè potest, actualiter pendere ab agente: quia agens, vt agens, dat effectui existentiam. Ergo pendere ab agente, est pendere in existentia. Sed existentia, siue actu esse, non est de essentia creaturæ; ergo nec actu pendere: quemadmodum communiter dicitur, de accidentis essentia esse inhærere aptitudinaliter, siue in actu primo, non autem actualiter, siue in actu secundo.

Tertia obiectio Scoti. 30 Obiicies tertio ex Scoto 2. d. 1. q. 4. multo post medium §. *secunda ratio principalis*. Conante probare, relationem dependentiæ, quæ in aliquo bono sensu, in superioribus explicato, est ipsa formalis creatio, non esse distinctam à parte rei à creatura: quia, inquit, hæc relatio dependentiæ vniformiter se habet in omni creatura; ergo nulli creaturæ accidit; ergo est idem omni creaturæ. Respondeo, negando antecedens: & omissa difformitate, quam in solutione huius argumenti attulit Capr. 2. d. 1. q. 2. ar. 3. col. 11. fi. dico clarius, & magis directè ad mêtem Scoti, iuxta distinctionê datam supra n. 16. de duplici dependêtia creaturæ à Deo altera essentiali, qua omnis prorsus res, quæ non est Deus, apta est esse & fieri dependêter à Deo: & de hac, quę non est creatio tantû, sed vniuersalissime omnis creatura, vt n. cit. probaui, concedo totum argumentum: altera non essentiali, qua omnis res, quando actu fit, & vt actu fit, necesse est vt actualiter pêdeat à Deo faciête, & dante esse. Atque hęc actualis depêdentia non essentialis, sed absolutè contingens, & simpliciter à creaturæ essentia separabilis, est propriè creatio. Hanc igitur dico non se habere vniformiter vniuersalissime; quia per ipsam reliquæ omnes creaturæ dicuntur accidentaliter & denominatiuè creari, depêdere, referri: ipsa vero nô hoc modo, sed essentialiter, &, vt rectè loquitur Capr. *seipsa formaliter creatur, seipsa formaliter depêdet, seipsa formaliter refertur*, & non peraliâ creationê, aut dependentiâ, aut relationê; aliter abiremus in infinitum in huiusmodi relationibus ponendis, vt in fine sui argumêti bene deducit ipsemet Scotus. Relatio igitur dependentiæ, quæ est creatio, accidit quidem reliquis omnibus creaturis, non tamen sibi ipsa. Vnde solum sequitur illam non distingui à se ipsa, distingui verò ab omni alia creatura.

Respondetur aliquam dependentiam non se habere vniformiter.

Quarta obiectio Scoti. 31 Obiicies quarto ex eodem Scoto in alio priori §. *contra istud*. Dicit Philosophus l. 7. Metaph. t. 4. *substantia, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura, omnium primum est*. Esse autem substantiam tempore priorem accidente, inquit Scotus, *intelligitur sic, quod nulla est contradictio ex parte substantiæ, quin prior posset esse duratione, omni dependentia ad Deum, & per consequens, non est contradictio, lapidem non dependere ad Deum; quod videtur absurdum.*

Respondetur exponendo Arist. 7. Met. t. 4. Respondeo mentem Philosophi, vt bene cum Alexandro exponit ibi noster Fonseca q 2. sect. 1. §. *dicendum*. non esse, comparare quamlibet substantiam cum omnibus & singulis accidêtibus: sic enim certum apud omnes est, aliqua accidentia esse simul tempore, seu duratione cum substantia cuius sunt accidentia, v. g. simul sunt propriæ passiones cum subiecto & nonnullæ relationes cum fundamento; imò etiam in sententia negante resolutionê vsque ad materiam primâ, multa accidentia, quæ præerant in corrupto, & remanent in genito, videntur tempore præcedere substantiam genitam. Sed tantum comparare substantiam subiectâ accidentibus cum multis accidentibus sibi inuicem succedentibus in eadem substantia; ita vt vna & eadem substantia modo sit sub quibusdam accidentibus, modo sub aliis; cum è contrario nullum accidens modo sit sub vna substantia, modo sub alia. Enimuero quantitas cômunis genito, & corrupto, non subiectatur in toto genito, aut in toto corrupto, sed in sola materia prima cômuni genito & corrupto; & ita illa quantitas nunquâ præcedit tempore subiectum, cuius est accidens. Addere possunt Theologi, si non ad mentem Aristotelis, saltem ad Scoti argumentationem. Quamlibet substantiam sub communi ratione qua substantia est, esse tempore priorem quouis accidente; quia in tota latitudine substantiarum datur aliqua substantia, nempe diuina, quæ nullum habet accidens, æternâque duratio præcedit omnem aliam substantiam & omnia simpliciter accidentia. Itaque *nulla est contradictio ex parte substantiæ*, nimirum in quantum est analogicè substantia, *quin prior esse posset duratione, omni dependentia ad Deum*, nempe creatiua, quamuis contradictio sit, creaturam creari à Deo, & nullam omnino dependêtiâ habere à Deo. Non est autem contradictio, non habere hanc, vel illam, vel quamlibet particularem dependentiam, modò habeat aliquam aliam, vt supra num. 18. Vnde facile soluitur aliud præcipuum Scoti argumentum, quo potissimum vsus est Vazquez hic disp. 173. cap. 3. initio, fundatum in hac vniuersali propositione. *Illud quod propriè dicitur in esse alîcui, sine quo illud non potest esse sine contradictione, est idem sibi realiter.* Tum quia esto vera sit, tamen nil concludit contra nos dicentes, posse creaturam esse sine qualibet particulari dependentia: vnde deducitur potius distinctio ex natura rei. Tum quia falsa simpliciter est, vt notauit Capreolus supra respondens ad 3. Scoti. Nihil enim repugnat, duo esse inter se actu distincta in re, & tamen esse inter se essentialiter connexa, & propterea per nullam potentiam inuicem separabilia. Sic in diuinis, tres personæ sunt realiter distinctæ, & nulla ratione separabiles: item omnipotentia, & omnipossibile, realiter distinguuntur, & tamen alterum sine altero, neque esse, neque concipi potest. Sic etiam in rebus creatis, essentia & existentia secundam probabilissimam sententiam distinguuntur in re, & tamen certum est neutram posse esse separatam ab alia. Et in opinione Thomistarum, materia realiter distinguitur à forma, à qua realiter separari non potest.

Ex dictis soluitur aliud arg. Scot. & Vazquez.

Duo posse esse inter se essentialiter connexa & distincta.

Quinta obiectio S. Thom. 32 Obiicies quintò. Quod sibi obiicit S. Thom. hîc secundo loco, & de Pot. quæst. 3. articulo 3. arg. 2. & 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. argumento quinto, si præter Deum creatorem, & creaturam, daretur fieri reale,

reale, illud neque esset creator, quia est idem realiter cum creatura; neque esset creatura, quia debuisset alia creatione creari, & sic in infinitum. Ergo esset aliquid reale, medium inter Deum creatorem, & creaturam; quod inquit S.Tho. de Pot. supra initio corpor. *à magistris erroneum est iudicatum.*

Respondetur primo afferendo instantiã.

Respondeo primo hoc argumentũ non esse solũ contra creationem, sed si quam habet vim, pugnare omnes actiones transeuntes, etiam naturales. Etenim agentia naturalia producunt suos effectus per actiones à parte rei distinctas tam à principiis efficientibus, quàm à terminis. Vel igitur hæ actiones sunt causæ producentes, vel termini producti. Non causæ producentes, quoniam illæ distinguuntur realiter ab effectibus, cum quibus actiones transeuntes realiter identificantur. Non termini producti quia essent producti per aliam productionem, & sic in infinitum. Datur igitur in rebus naturalibus aliquid, quod neque est causa producens, neque effectus productus, sed inter hæc medium; quod videtur absurdum.

Secundo explicãdo quomodo creatio sit creatura.

Respondeo 2. soluendo vtrumque argumentum; & dico. Creationem esse simpliciter dicendam creaturã, quo nomine significamus vniuersaliter omne ens distinctum à Deo, habens suum esse essentialiter pendens ab illo. Esse autem creaturam, non quæ creatur, quales sunt reliquæ omnes creaturæ præter creationẽ, sed qua aliud formaliter, & essentialiter creatur: sicut quælibet productio est producta, non *vt quod*, sed *vt quo* essentialiter; siue, non denominatiuè, sed formaliter: quemadmodum dicitur existẽtia existere, quãtitas esse quanta, albedo alba, &c. Et ideo non necesse est, in his procedi in infinitum. Atque in hoc sensu, inquit Aureolus 2. d. 1. q. 2. a. 2. ante med. *Concilium determinat contra Porretanum; quod omne quod est, vel est creatura, vel creatrix essentia.* Addit S.Thom. de Pot. q. 3. art. 3. ad 2. *Creationem non esse quoddam creatum, sed concreatum.* Et ad 7. *Ipsa*, inquit, *creationis relatio creatura est, non principaliter, sed quasi secundariò, sicut quid concreatum.* Quem loquendi modum, nimirum creationem, & productionem concreari, & comproduci, sequuntur Riccardus 2. d. 1. art. 1. q. 4. ad 2. Aureolus suprà sequens Albertum. Capreolus supra ad 1. Scoti. Et paulo ante ad 1. Gregor. Molina circa fin. huius art. & alij. Sed magis propriè dicitur, Creatio, & productio, creari & produci *vt quo* siue, vt ibidẽ Capreolus loquitur, *se ipsa formaliter.* Sicut ex S.Th. supra, *relatio creationis non refertur ad Deum alia relatione reali, sed se ipsa, vt dicit Auicenna in sua Metaph.* Et ratio est, quia comproducere significat propriè, producere vnum simul cum alio; ita vt detur aliqua productio, quæ primo & per se terminetur ad principalem aliquem terminum; secundario ad alium terminum minus principalem, connexum cum principali. Itaque in comproductione propriè sunt tria, ipsa productio, vna res quæ producitur, & alia quæ comproducitur. Sed cum creatur, seu producitur creatio, præter creaturam, & ipsam creationem, non datur alia productio ratione cuius dici possint illa duo comproduci. Quod incommodum tollitur, si creari, & produci, limitetur per illam particulam, *vt quo*; per quam significatur, nullam omnino productionem neque primariò, neque secundariò terminari ad creationem; sed illam esse rationem formalem producendi, & creandi aliud.

Aureolus.

An vllè dici possit creatio concreari, ex S.Th. & aliis.

33 *Sexta obiectio.*

Obiicies sextò. Si Deus non seipso immediatè produceret effectum, sed mediante actione transeunti, seu mediante fieri quod sit veluti quædam via ad terminum; quod medium, cum hic & nunc de nouo detur, & sit aliquid reale limitatum, est sine dubio aliqua creatura: sequeretur, Deum in agendo dependere ab aliqua creatura. Quod consequens videtur absurdum; quoniam multò nobilior, quia independentior & simplicior agendi modus est, producere effectum omnino immediatè, quàm aliqua ratione mediata. Ergo ille, & non hic agendi modus tribuendus est Deo, causæ omnium nobilissimæ.

Respondetur declarando quo modo dicatur Deus immediatè agere.

Respondeo, dici Deum agere immediatè, & esse immediatè præsentem effectui, quia non agit mediante alia causa creata, quæ concurrat cum sua propria actione: quamuis non agat adeo immediatè, vt non detur actio transiens, siue exequutio quædam diuinæ potentiæ creatiuæ; sine qua exequutione, quæ est ipsum fieri & creari creaturæ, & ipsa causalitas causæ creantis, impossibile est fieri, causari, & creari creaturam. Quod expressè docuit S.Thom. de Potentia quæst. 7. articulo 9. ad 5. his verbis. *Cum dicitur creatura immediatè à Deo procedere, excluditur causa media creans; non tamen excluditur media relationis habitudo:* Nimirum ipsum fieri, quod solùm dici potest esse quid aliqua ratione medium inter creaturam ad quam fieri illud terminatur, & creatorem à quo idem fieri proficiscitur. Quamquam istud fieri non debet dici simpliciter medium inter causam & effectum, quia computatur vt quid vnum cum effectu, cum sit realiter ipsemet effectus, actu & formaliter pendens ab agente, & ideo ipsum etiam dicatur ab agente esse, ac pendere, non *vt quod.* Sed *vt quo.* Esto autem vocetur medium, nego tamen quod agere sine tali medio sit agendi modus nobilior, cum sit impossibilis & implicans contradictionem: si enim fieret creatura sine fieri creaturæ, hæc esset facta & non facta, creata & non creata. Quare hac mediata ratione agere, non oritur ex dependentia, vel indigentia, aut ex aliqua alia imperfectione agentis, sed solum ex ipsa rei natura, & ex essentiali ac formali necessitate rei quæ fit; quæ quidem si fit, non potest fieri sine ipso fieri, quod supra à numero duodecimo probatum est esse aliquid reale præter rem ipsam quæ fit: quemadmodum enim Deus facere non potest vt in re sit Angelus sine modo reali essendi; ita nec vt in re fiat aliquid sine modo reali fiẽdi: vel, quod exemplum est magis proprium, ex eo quod Deus non possit mouere cœlum sine motu qui in cœlo recipiatur, quia hoc exigit natura rei quæ mouetur, non sequitur, Deum habere imperfectam agendi virtutem, vel dependere à creatura in agendo: sic pariter, non est imperfectus Deus ex eo quod ab eo creari non possit Angelus sine intrinseco aliquo modo, quo Angelus formaliter creetur. legi possunt quæ diximus supra n. 12.

S.Thom.

An creari sit medium inter Deum & creaturam.

Non esse absurdum, Deũ nõ posse creare sine media creatione.

34 *Septima obiectio Arimiensis.*

Obiicies septimò ex Ariminensi 2. d. 1. quæst. 6. articulo 1. concl. 2. probante, *quòd nulla res creatur creatione à se distincta.* Alioquin hæc creatio etiam deberet esse creata: *quia*, inquit, *omnis entitas; quæ non est Deus, est facta à Deo:* Et ista entitas creationis Angeli, *ita de nihilo fit, sicut & ipse Angelus; & constat, quod immediatè prius non fuit: igitur est creata, & si sic, aut alia creatione, aut non alia; si alia, eadem ratione & illa alia est creata, & sic in infinitum. Si non alia, eadem ratione nec Angelus: quia qua ratione, vna est entitas creata absque tali creatione, distincta, eadem & quælibet; cum nulla ratio, nec authoritas, plus cogat de vna, quàm de quælibet alia.*

Respon

Respondetur cum S. Tho. Capreolo, Aureolo, Ferrariensi, creationem se ipsa creari, non rem creatam.

Respondeo cum Capreolo 2. d. 1. q. 2. art. 3. col. 10. initio, Quòd vt ait S. Thom. hic ad 2. *creatio est in creatura, & est creatura.* nimirum non in eadem significatione sumpto creaturæ nomine. Est in creatura propriè ac strictè accepta pro termino creationis, qui per creationem propriè creatur. Est creatura, inquit, Capreolus *generaliter sumendo nomen creaturæ pro omni alio à Deo.* Quòd, quia est ipsa creatio, *non oportet*, sequitur ibidem S. Thom. *quòd alia creatione creetur.* sicut enim idem ait de Potentia quæst. 7. art. 9. ad 2. *relationes ipsæ non referuntur ad aliud per aliam relationem, sed per se ipsas; quia enim essentialiter relationes sunt, essentialiter referuntur*, ita creatio, quia est talis creatura, quæ essentialiter est ipsa creatio, ipsa non creatur per aliam creationem, sed per se ipsam. Quare non est eadem ratio de Angelo qui propriè creatur, & de eius creatione quæ propriè non creatur, sed est id quo creatur Angelus: sicut de aliis multis rationibus similibus formalibus, quæ non recipiunt in seipsis easdem rationes formales, ac denominationes, quas ipsæ seipsis essentialiter tribuunt aliis. Cum igitur creatio, vt clare discurrit Ferrariensis lib. 2. cont. gent. cap. 18. §. *ad secundum dub. non se habeat sicut id quod creatur; sed sicut id quo aliud creatur, per simplicem emanationem habens à sua causa esse, non oportet quærere, per quid creatio creetur isto modo, sed se ipsa est talis: sicut quia alteratio, non est vt sit id quod alteratur, sed id quo aliud alteratur, non oportet quærere, per quid alteratio alteretur suo modo, id est, per quid sit quo aliud alteretur, sed se ipsa est talis.* Vnde Aureolus 2. d. 1. quæst. 2. art. 2. dub. 2. de hac re, concedit quidem quod creatio est à Deo, & non à se ipsa; negat vero, *quòd capiat esse à Deo; non enim capit esse, sed est acceptio esse.* Qui loquendi modus in rigore bonus est: sed quia sæpe alio modo loquuntur Doctores, tutius & expeditius est, quòd sicut diximus, creationem à Deo creari, & pendere *vt quo*, non *vt quod*; ita dicamus, illam etiam capere, siue accipere esse *vt quo* non *vt quod.* Quibus terminis ipsemet Aureolus ibidem vtitur.

Capreolus.

35 *Octaua obiectio Ariminensis.*

Obiicies octauo ex eodem Ariminensi. supponit, creationem Michaelis verbi gratia durare tantum per vnum instans. Nunc igitur si illa creatio reproduceretur, & poneretur in Michaele, *sequitur quod nunc Michael creatur, igitur Michael immediatè prius non fuit, sed ponitur quòd fuit: igitur fuit & non fuit.*

Respondetur tradendo cũ S. Thom. differẽtiam inter creationem & conseruationem.

Respondeo, suppositionem esse falsam, cum manifestè implicet, permanente Michaele in esse, non permanere ac durare creationem, qua formaliter permanet Michael in esse. Idem enim influxus est per quem res dicitur produci & conseruari. Sic enim docet S. Thom. infra quæst. 104. art. 1. ad 4. *conseruatio rerum à Deo, non est per aliquem nouam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse; quæ quidem actio est sine motu; & tempore: sicut conseruatio luminis in aëre, est per continuatum influxum à sole.* & de Potent. quæst. 5. art. 1. ad 2. *Deus non alia operatione producit res in esse, & conseruat eas in esse.* Sola differentia est, quia creatio significat hunc influxum, vt ait S. Thomas hîc ad 3. fin. *cum quadam nouitate, seu incœptione*: quamquam de Potent. quæst. 3. art. 3. ad 6. scribit *quod nomen creationis potest accipi cum nouitate vel sine nouitate*: creatio enim æterna, si daretur, esset sine nouitate & incœptione, & tamen propriissimè diceretur creatio, productio, factio, sicut de facto æterna processio filij Dei dicitur propriissimè generatio, productio. Quapropter, vt bene colligit Capreolus supra art. 1. concl. 3. p. 2. *non est de propria ratione creationis, vt creatio est, quod importet nouitatem essendi, nisi ex accõmodatione loquentium de creatione: ex communi enim vsu Christianorum ponentium mundi incœptionem, creatio dicit relationem dependentiæ ad Deum cum nouitate essendi: quæ quidem nouitas, est quædam negatio præexistentiæ, in priori duratione.* Cõseruatio verò significat eumdem influxum cum cõtinuatione; quare connotat priorem aliquã durationem, seu mensuram, in qua influxus ille præfuerit. Verum si daremus arguenti, creationem durare tantum per instans, & in tempore sequenti reproduci eumdem influxum, vel alium alterius rationis, & poni in eodem Michaelem, adhuc nihil concluditur: quia potest dici primò quòd per illum secundum influxum Michael non creatur, sed conseruatur, & haberet ad Deum relationẽ dependentiæ in esse: non enim talis influxus esset cum nouitate essendi & per modum primæ productionis, sed cum continuatione essendi & per modum conseruationis, & permanentiæ in esse prius habito. Potest dici 2. quod Michael per secundum influxum vere ac realiter creetur, cum autem hinc infertur, *igitur Michael immediate prius non fuit*; nego consequentiam: quia Deus Pater ad filium dicit Ps. 2. *Ego hodie genui te*; & tamen eadem generatio in æternitate à parte ante præexistebat & de creatione in particulari docet S. Thom. de Pot. q. 3. art. 3. ad 6. *non esse inconueniens dicere, quod sicut aër, quamdiu lucet, illuminatur; ita creatura quamdiu habet esse fiat à Deo, vt etiam Augustin. dicit super Genes. ad liter. sed in hoc non est diuersitas, nisi secundum nomen.*

Psal. 2.

36 *Nona obiectio Vazquez.*

Obiicies nonò fundamentum Vazquez d. 173. cap. 2. quod ipse vocat *efficax argumentum ductum ex diuinis processionibus*, quæ inquit ex probatis à se quæst. 41. art. 1. *Nihil aliud sunt, quàm relationes ipsæ personarum; actiuæ quidem in personis producentibus, passiuæ vero in personis productis: ita vt generare non sit aliud quàm paternitas alio modo concepta, & generari non sit nisi filiatio sub diuerso conceptu. Ergo eodem modo in creaturis potest intelligi vera ratio actionis, & passionis, atque influxus, etiam si re ipsa non sit nisi relatio.*

Respondetur negando paritatem creationis cum processionibus diuinis.

Respondeo, mirum esse hoc fundamento niti Vazquez, cum expressè neget antecedens eodem loco, quo illud se probasse commemorat. Ibi enim §. *secundo obseruandum.* notat, *actum notionalem non esse solum relationem productionis, sed includere etiam operationem intelligendi & amandi.* Quod fusius probauerat disputat. 112. & nos sequuti sumus supra quæstion. 41. articul. 1. Verum etiam si daretur antecedens, non esset concedenda consequentia: quia in diuinis id sustineri vtcumque posset propter summam identitatem naturæ cum omnibus personis, & propter infinitam perfectionem diuinarum relationum. At in rebus creatis vtrumque dicendi caput deficit. Vnde communissima sententia est, influxum actiuum & passiuum pertinere ad prædicamenta actionis & passionis, non autem ad prædicamentum relationis: & relationem prædicamentalem prærequirere quidem hos influxus, tamquam fundamenta proxima, vt possit resultare, non tamen esse illos. Non sunt igitur istæ rationes formales in vnam confundendæ.

37 *Decima obiectio Mendozæ.*

Obiicies decimò fundamentum Mendozæ in Physica disputatione 12. §. Si ex parte nobis contradicentis. Vult enim creationem termini, natura sua educibilis à subiecto esse distinctam à termino: creationem vero termini non educibilis, qualis est Angelus, & anima rationalis, non esse distinctam. Ita arguit, *Angelus sua entitate est independens à subiecto. Ergo non eget creatione à se distincta. Consequen-*

tiam

xiam probat, quia effectus formalis creationis est reddere terminum tam perfectè existentem, vt nequeat à subiecto pendere: cum autem hic effectus Angelo conueniat per essentiam, nequit illum habere à forma distincta.

Respondetur Angelū esse actu indepēdentē à subiecto per modum superadditum.

Respondeo, posse facilè negari consequentiam. Imo ex antecedente videtur apertè sequi oppositum. Ex eo enim quod Angelus ex intrinseca natura sua habeat vt non possit dependere à subiecto., postulat, saltem naturaliter, vt quando actu & formaliter fit, fiat per aliquem actualem & formalem modum, naturæ suæ proportionatum; quo actu & formaliter fiat independens à subiecto; Angelus enim quoad naturam suam creabilem præcisè spectatus, antequam intelligatur actu creari, est quidem independentia aptitudinalis, seu fundamentalis à subiecto, tamen non est ipsa actualis & formalis independentia, quam habet solum quando actualiter & formaliter creatur: ergo tunc intelligi debet recipere in se actualem & formalem independentiæ modum, vt ipse intelligi possit fieri de nouo formaliter & actualiter independens à subiecto. Quod à contrario mirificè illustrari potest exemplo termini educibilis, verbi gratia, quantitatis. Enimvero ex eo quod quantitas ex essentia & natura sua sit dependens à subiecto, postulat fieri per aliquem modum distinctum, & sibi superadditum, quo formaliter fiat actu dependens à subiecto, quod aduersarij admittunt. Ergo admittere consequenter debebant, Angelum natura sua independentem à subiecto, postulare proportionatum distinctum, ac superadditum modum actualem, quo cum actu & contingenter fit, actu, & contingenter fiat independens à subiecto. Quod inductione constat in reliquis similibus, verbi gratia, Angelus, quia natura sua est intellectiuus, ideo vt intelligat, postulat distinctum intellectum. Accidens, quia est inhæsiuæ naturæ, ideo non seipso immediatè inhæret, sed mediante distincto actualis inhærentiæ modo: sicut à contrario, natura substantialis non per se immediatè subsistit, sed per superadditum subsistentiæ modum: & idem de aliis. Igitur ad probationem consequentiæ, nego, effectum formalem creationis esse, ita reddere terminum existentem, *vt nequeat à subiecto pendere.* Non posse à subiecto pendere, conuenit Angelo per essentiam, & ideo nequit istum effectum habere à forma distincta. Non actu pendere à subiecto, qui est formalis effectus creationis, non conuenit Angelo per essentiam, sed accidentaliter, & contingenter; & ideo potest ac debet illum habere à forma distincta.

DVBITATIO II.

An aliquid existens in Deo habere possit formalem rationem creationis.

SVMMA.

1 *Actum diuinæ voluntatis non esse creationem formaliter. num.* 38.
2 *Creationem formaliter non esse relationem Dei ad creaturam. num.* 39.
3 *Neque esse velle Dei cum respectu ad creaturas. num.* 40. *ad* 46.

Exponitur ratio ordinis.

EX probatis constat, quod initio huius articuli num. 1. notabamus, quinque omnino reperiri, in quibus creationis ratio sita esse videri possit, duo ex parte Dei, nempe voluntatem creandi, sine qua, vt in superioribus non semel ostensum est, nihil fieri, nihil esse potest; & relationem ad creaturas: tria ex parte creaturæ, nempe ipsam rem, quæ creatur; ipsum creari, seu modum quemdam, & influxum, quo fit, & in fieri dependet res à Deo; & demum relationem ad Deum creatorem. Quibus constitutis, videndum superest, quid ex his habere, aut non habere possit propriam creationis rationem. Et primò considerabimus, quæ se tenent ex parte Dei, deinde quæ ex parte creaturæ.

38 *Actum diuinæ voluntatis non esse creationem formaliter.*

Prima conclusio; Creatio formaliter, non est ipsum simpliciter ac præcisè velle diuinum. Ita omnes, etiam Thomistæ, & alij antiquiores Theologi, qui creationem, quam vocant actiuam, siue actionem, esse quidem volunt intellectionem ac volitionem Dei, non tamen simpliciter & sine alio addito, sed cum relatione rationis in Deo ad creaturam, vt patet ex ipsomet S. Thoma hic ad 1. Probatur primò cum Aureolo 2. d. 1. q. 2. art. 2. ad 1. dub. *quia cum esse, & velle Dei, sit ab æterno, actio creatiua esset ab æterno, & per consequens, productum esset ab æterno.* Secundò, quia diuinum velle, præcisum à respectu, & terminatione ad creaturam, est velle necessarium. Sed creatio, vt fides docet, est opus Dei liberum. Ergo non potest consistere, in volitione diuina prout necessaria, sed tantum prout libera, quæ sine aliqua habitudine ad creaturam intelligi non potest, vt suprà quæst. 19. art. 3. à dub. 4. & deinceps. Tertiò, Principium efficiens creationis, non est creatio, sicut principium efficiens calefactionis, vel generationis, non est formaliter ipsa calefactio, vel generatio. Sed velle diuinum est principium efficiens omnium rerum creaturum, & ipsius creationis; nam ad Ephes. 1. de Deo dicitur, *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ergo hoc velle non est ipsa formaliter creatio. Confirmatur primò, quia ab hoc velle diuino pendet etiam omnis operatio causæ secundæ, quæ non potest operari nisi vt subordinata Deo, volenti cum illa liberè concurrere: & tamen nemo dixerit, generationes, alterationes, aliásque similes actiones esse ipsam diuinam volitionem. Secundò, quia ex dictis in 2. tom. quæst. 19. artic. 4. dub. 1. & quæst. 25. art. 1. ad 4. vbi nos id latè probauimus ex sententia sancti Thomæ, & præcipuorum Thomistarum, tametsi Bagnes hic dub. 1. ad 2. absque vllo fundamento contrarium tribuat S. Thomæ, tria sunt principia in Deo actiua ad extra, intellectus, voluntas, potentia exequutiua. Creatio verò, cum sit ipsa exequutio, esse necessariò debet actus potentiæ exequutiuæ. Ergo, neque est intellectio, neque volitio; sed hi actus ad creationem se habebunt remotè & antecedenter tamquam dirigentes & applicantes ipsam potentiam exequutiuam ad exequendum ad extra, seu creandum. Ergo actio executiua, quæ est creatio, quamuis sit immediatè à Deo, eiusque potentia per simplicem emanationem, poni tamen non potest formaliter in Deo; quoniam executio, præcisè in se spectata, non est actus intentionalis, qui ferri potest in futurum, sed est actus merè realis, qui quando esse dicitur, præsens sit necesse est, ita vt antea non fuerit. Cum igitur exequutio diuinæ omnipotentiæ sit realis, & incipiat in tempore, non potest poni formaliter in Deo, in quo nihil reale nouum poni potest, quod in eo ab eterno non fuerit propter eius summam immutabilitatem. Confirmatur tertiò, quia cum Deus ita decernit, Volo saluare, Volo concurrere, Volo calefacere, &c. hoc non est ipsa actio saluandi, concurrendi, calefaciendi &c. Sed hæ actiones sunt obiectum

Ratio Aureoli.

Bagnes.

Alia rationes.

actum dumtaxat diuinarum volitionum, & ideo volitiones esse possunt æternæ, etiamsi actiones sint in tempore. Ergo cum similiter ab æterno decernit velle creare, non est dicendum quòd hoc velle sit formaliter ipsum creare, sed solum quòd creare sit obiectum illius velle.

Creationem formaliter nō esse relationē Dei ad creaturam.

39 Secunda conclusio formalis ratio creationis dici nullo modo potest consistere in sola relatione Dei ad creaturam. Est omnium, & magis certa quàm præcedens conclusio; quia hæc relatio est rationis, vt ferè omnes tenent. Creatio vero est sine dubio aliquid reale, quidquid illud sit; verè enim ac realiter Deus creat, & est vera ac realis causa efficiens per creationem, nullo intellectu cogitante. Et esto, sit relatio realis, illa præsupponeret creationem, in qua fundari deberet; ideo enim causa refertur ad effectum suum actu existentem, & ab ipsa factum, quia ipsa fecit illum. Vnde sunt conceptus valde diuersi, actio, & relatio, facere & referre: Nam actio est id, quo actualiter est, & pendet effectus à causa; relatio vero causæ est id, quo causa est ad effectum. Ergo creare, quod est agere & facere, non potest formaliter explicari per puram referentiam causæ ad effectum: quemadmodum supra n. 15. probatum est, creari formaliter, non posse explicari per puram referentiam effectus ad causam.

Neque esse velle Dei cū respectu ad creaturas. Authores vtriusque partis.

40 Tertia conclusio creatio formaliter non est velle diuinum cum respectu rationis ad creaturas. Hoc ex instituto probant Aureolus 2. dist. 1. q. 2. art. 1. Ocham q. 1. littera B, & C. Ariminensis q. 6. concl. 1. & sequūtur Molina hic, Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 4. præsertim num. 23. Vazquez hic disp. 173. cap. 4. ad 1. Mendoza in Phys. disp. 12. sect. 3. à §. 21. ad 51. & à §. 64. ad 73. Conimbricenses l. 8. Phys. cap. 2. q. 1. art. 3. à quibus dicitur *admodum probabilis* contraria sententia; quam tradunt antiqui, & graues Theologi, Alensis 2. p. q. 6. Memb. 2. art. 3. Bonauen. 2. d. 1. art. 3. q. 2. in. corp. Thomas hic ad 1. dicens, *quòd creatio actiuè significat actionem diuinam, quæ est eius essentia cum relatione ad creaturam. Sed relatio in Deo ad creaturam, non est realis, sed secundum rationem tantum.* Riccardus 1. d. 1. art. 1. q. 3. Capreolus q. 2. art. 1. concl. 1. & art. 3. initio respondens ad argumenta Aureoli & Gregorij; & sequuntur alij Thomistæ; & præterea Valentia hic puncto 1. §. *si autem* Pererius lib. 5. Phys. cap. 8. ad 7. & alij recentiores; qui cum Bonauentura, S. Thoma hic ad 2. & 3. & in sent. dist. 1. q. 1. art. 2. ad 4. & de Pot. q. 3. art. 3. paulò ante med. corp. diuidentes creationem in actiuam & passiuam, siue in actionem & passionem, illam voluntesse in creatore, hanc in creatura. Verum quod attinet ad S. Thomam mihi non videtur improbabile, ipsum non sumere creationem pro pura creandi actione, quæ sit vltimus actus Dei creantis, à quo Deus denominetur actu ac formaliter creare, & creans, & ab ipso 2. d. 1. q. 1. art. 2. circa med. corp. vocatur *causalitas creantis*, quo modo de creatione nos hic disputamus; sed pro vltimo ac proximo creandi principio, significato per modum actionis: quod quidem principium est in Deo, & ab omnibus dicitur esse ipsa libera Dei volitio, & ipsum liberum velle diuinum cum habitudine ad creaturas actuales. Idque significare videtur de Pot. q. 3. art. 3. ad 3. illis verbis, *ipsa diuina actio est eius causa proxima*, hoc est creationis, passiuæ, quæ est in creatura. Si loqueretur de pura actione, & ipsa causalitate, hæc profectio nimis impropriè dicta esset, *causa proxima effectus* Et de Pot. etiam, quæst. 7. art. 1. ad 2. *Operatio Dei, qua est per se causa, vt res sit, non est alia secundum quod facit principium essendi, & essendi continuationem.* Id quod est *per se causa*. non est ipsa causatio, & actio, & causa-

Quid sentiat S. Thom.

Rationes cōclusionis.

41 Probatur conclusio, 1. Principium effectiuum, simul cum relatione ad effectum, non est formaliter ipsa effectio: neque enim calefactio formaliter est ignis calefaciens cum respectu ad calorem. Sed ex probatis in præcedenti conclusione, velle diuinum est principium creatiuum, & effectiuum creaturarū. Ergo velle diuinū simul cum relatione ad creaturas, non est formaliter ipsa actio creandi. Secūdo Actus diuinæ voluntatis cum relatione ad creaturas actuales, est quid posterius creaturis, & consequenter creatione, quæ creaturas ipsas antecedit, vt superius cōcessum & probatum est; sicut ignis v. g. Et quæuis alia efficiens causa, si sumatur cum relatione ad effectū, est quid posterius ipso effectu, cum relatio non possit in causa resultare, & intelligi, nisi posito effectu, cum sit actualis ordo ad actualem effectum ex eo quod causa illum causauit. Ergo creatio formaliter non potest consistere in actu diuinæ voluntatis cum illo respectu; cum nullum prius, esse formaliter possit id quod est ipso posterius. 3. Aduersarij constituunt creationis essentiam in quodam conflato ex Deo & ente rationis. Quod sanè ex terminis manifestum inconueniens apparet. Essentia enim composita ex ente reali, & ente rationis, videtur merum figmentum, cuiusmodi non est creatio. Quartò velle diuinum, secundum se sumptum, non est creatio ex prima conclusione; Ergo neque cū relatione rationis: tū quia creatio vt creatio, est quædā actio, ipsis aduersariis cōcedentibus, qui hanc creationem vocant, creationem actiuam, & creationem actionem; Sed relatio non potest constituere aliquid in esse formali actionis, cum relatio & actio deferant prædicamento; Ergo neque velle diuinum in esse formali creationis: tum quia creatio vt creatio, est ens reale, cum Deus realiter creet, & mundus realiter creatus sit. Ergo creatio in formali esse creationis completi non potest per ens rationis: tum quia hæc relatio est post creationē, vt dictum est. Ergo non potest per illam constitui creatio in sua formali ac priori ratione creationis.

Efficax Aureoli argumētum.

42 Quintò arguo cum Aureolo P. *Per creationem actionē Deus est causa in actu: omne enim agens præcisè est agens in actu, quādo sua actio est in actu.* Sed velle diuinum cū respectu ad creaturas futuras, est ab æterno, Ergo si hoc velle esset creatio actio, Deus necessario deberet etiā ab æterno esse causa in actu agens, & creans. Sed hoc est aperte falsū, quoniā ab æterno etiam dari deberet effectus in actu causatus: cum sit prorsus intelligibile, Deum creare, & non creare aliquid, ac proinde nō esse hoc aliquid quod creetur. Tunc enim Deus verè crearet, & non crearet. Vnde optimè dixit Aureolus, *Contradictio videtur, quod creatio actio sit in actu, & causatum non sit in actu*; & quòd *effectus & causa in actu, simul se ponunt.* Cum igitur certum sit, nullum effectum actu creatum fuisse ab æterno, certum pariter esse debet nullam causam actu creantem, ac proinde nullam actualem creationis actionem ab æterno fuisse.

Prima Capreoli respōsio.

43 Ad hoc S. Argum. Capreol. 2. d. 1. quæst. 2. artic. 3. initio respondet dupliciter, primo. Causam coniunctam actioni, esse causam in actu, in quantum est *causa coniuncta suo actui, & est in sua vltima actualitate quoad absolutum importatum in nomine & ratione causæ*: & hoc modo causa in actu, inquit, *non exigit, nec infert effectum in actu.* Non esse autem causam in actu, *si hæc sumatur pro causa actualiter causante, vel faciente, provt est*

in sua vltima actualitate, etiam quantum ad respectum importatum ad effectum, seu quantum ad relationem causalitatis. & de hac tantum causa in actu concedit, *quod coëxigit effectum in actu pro simul.*

44 *Contra responsionem.*

Verum non videtur satisfacere; Primò quia causa coniuncta actioni, est causa omnino completa in sua vltima actualitate; hoc est, completa non solum quoad actum primum virtutis actiuæ, sed etiam quoad actum secundum agendi effectum; ita vt nihil in ea requiratur vt possit agere, & vt actualiter agat; siue vt sit causa non solum actiua effectus, sed etiam actu agens effectú: in quo conceptu euidens est inuolui effectú in actu positum extra causã. Secundo causa simul cum actione insufficienter explicatur per *absolutum importatum in nomine & ratione causæ.* Enim vero supra totum hoc absolutum actio importat aliquid aliud, quod pertinet ad rationẽ effectus potius, quàm ad rationem causæ: sicut enim intelligitur generationis v.g. actio esse à causa generatiua, ita creatio à causa creatiua, & vniuersaliter omnis actio creata à causa actiua. Tertiò causa actualiter causans, vel faciens, coëxigit effectum, vt conceditur. Sed causa cum actione, quæ est ipsamet causatio, seu factio, est causa actu agens, causans, faciens, quod videtur manifestum ex terminis. Ergo causa cum actione coëxigit effectum. Quartò actio & si non importet relationem prædicamentalem ad effectum, quia hæc relatio est posterior effectu, actio vero est prior; tamen importat relationem transcendentalem, diuersam ab ea quam importat potentia actiua; hæc enim essentialiter refertur ad effectum vt possibilem, actionis vero relatio refertur essentialiter ad eumdem effectum vt actualem: Ergo est inintelligibile, ponere causam non solum cum potentia & virtute causatiua, sed etiam cum actione, quæ est actus secundus & omnino vltimatus huius virtutis, & tamen non ponere effectum actualem, sed dumtaxat possibilem. Quintò conceditur quod causa in actu, si sumatur cum relatione causalitatis, coëxigit effectum. Sed ex S. Thom. supra num. 40. Creatio est causalitas creantis. Ergo concedi consequenter debet, quod non potest esse creatio, nisi cum illa sit creatus effectus.

45 *Secunda Capreoli responsio, & confutatio.*

Respondet secundo multò fusius: & breuiter tota responsionis vis est, quod causa in actu, siue cum actione, tunc esse debet simul cum effectu, quando est causa necessaria per naturam, non autem quando est causa libera per intellectum, & voluntatem, quo modo Deus est causa creaturæ. Sed hoc, inquit Aureolus, *Nihil ad propositum; nulla enim actio de libero agente, sic libera est, quod ex quo est posita in aliquo instanti, non sit illud, quod ex natura rei concomitatur actionem.* Etenim libertas actionis est per ordinem ad principium, quo posito potest poni vel non poni actio; non autem per ordinem ad effectum, quasi vero posita actione, possit poni, vel non poni effectus: omnis enim actio, in quantum actio, quæcunque illa sit, modò sit verè ac propriè actio posita in prædicamento actionis, quia ex natura sua est via, & omnino actualis, atque vltima ratio qua formaliter à causa promanat effectus, naturalem ac necessariam cum effectu connexionem habeat necesse est. Vbi aduertendum est; quod actio libera voluntatis considerari potest, vel in ordine ad actum siue effectum per ipsam formaliter elicitum; vel in ordine ad aliam actionem & effectum alterius potentiæ, qui per illum actum voluntatis imperatur vt fiat. Primo modo certum est, & probatum remanet ex dictis, non posse esse actionem liberam sine effectu. Secundo autem modo etiam certum est, posse esse præsens velle liberum tàm in Deo, quàm in nobis, de aliquo effectu, siue actione, non præsente, sed futura. Concedo igitur, quod tantum conuincunt rationes, & authoritates sancti Thomæ, & Alberti magni, quas ad hanc secundam responsionem persuadendam affert Capreolus, simul cum actione libera imperante non necessariò debere esse aliam actionem imperatam. Hinc autem non potest deducere intentum, sed deducitur solum, quod in Deo velle creare mundum, seu velle creationem mundi, non necessariò coëxigat creationem mundi. Verum longe aliud est, quod nunc probare contendimus, nempe, non posse esse creationem mundi sine mundo per illam creato: & consequenter, ipsum diuinum velle liberum creationis mundi, habere non posse formalem rationem actionis creatiuæ, seu creationis; quoniam nullum liberum velle, imperans aliam actionem præsertim alterius potentiæ à voluntate, potest in se ipsa formaliter esse actio illa quam imperat. Sed velle creare, seu velle actionem creandi, imperat creationem, quæ non est in Deo actio intellectus & voluntatis, sed alterius potentiæ exequutiuæ, quam in Deo omnipotentiam vocamus, & distinguendam esse ratione ratiocinata ab intellectu & voluntate probaui in 2.to.q.25.art.1. cum S. Thoma: ergo creationis actio, propriè & formaliter loquendo, dici non potest esse actio intrinseca intellectus & voluntatis Dei, sed actio extrinseca omnipotentiæ exequutiuæ: & actio diuinæ voluntatis dicenda potius est principium & causa creationis, hoc est, illius actionis, quam ab æterno decreuerat diuina voluntas, & in tempore exequuta est diuina omnipotentia. Quapropter cautè sanctus Thomas hic ad 1. dicit, *Quod creatio actiuè significat actionem diuinam, quæ est eius essentia, cum relatione ad creaturam.* Actio diuina non dicitur simpliciter creatio, quo nomine, inquit supra artic. 1. corp. *designamus emanationem totius esse ex nihilo,* &, vt dicitur artic. 2. ad 2. *productionem per quam producitur tota substantia rerum,* quibus verbis *emanationis,* & *productionis,* importatur simul in actu ipsemet effectus; sed dicitur *creatio actiuè,* hoc est, actio actiuè concurrens ad creationem, non tamquam actio creationis formaliter, sed tamquam principium actiuum huius actionis non realiter exequens, sed intentionaliter disponens & imperans: quæ æterna dispositio de creatione mundi, quia est omnino immutabilis, & efficacissima, atque certissima, dicta à grauibus & sapientibus viris aliquando est ipsa mundi creatio. Ita Magnus Albertus apud Capreolum supra, *Dicimus sicut dicit Augustinus, quod Deus ab æterno, creauit res, sed res non sunt ab æterno creatæ.* Eodemque ferè modo loquitur S. Thom. lib. 2. con. gen. c. 35. ad 2. vbi illud, *creauit,* clarè sumitur pro, immutabiliter, & infallibiliter creare disposuit. Et ideo non erat cur Magnum Albertum ita loquentem, acriter reiicerent Bagnes hic dubit. 2. §. *secunda sententia,* & Zumel infra quæst. 65. artic. 3. quæst. 1. Concl. 1. & tota quæst. 2. præsertim cum Isaiæ 45. & apud alios Patres passim legamus Deum fecisse quæ futura sunt, vt notauit in tomo 2. q. 14. art. 13. num. 58. 60. & quæst. 19. art. 7. num. 1. Paulò aliter sanctus Thomas de Potentia, q. 3. artic. 17. ad 26. *Actio Dei est æterna, sed effectus non est æternus:* quia, scilicet, actio illa Dei æterna, non est actio exequens; sed disponens & imperans effectum in tempore futurum. Nomine autem creationis actionis, omnes intelligere debemus actionem quæ exequitur

Exponitur S. Thom.

Exponitur Albertus contra Bagnes & Zumel.

S. Thom.

exequitur & facit effectum creationis, & non quæ tantum ordinat, & imperat illum effectum; sicut reliquæ omnes similes voces significant actionem facientem aliquid, & non imperantem: alioquin tota ista controuersia etit de nomine,

DVBITATIO III.

An creatura, vel aliquid ipsius habere possit formalem rationem creationis.

SVMMA.

1 *Creationem formaliter non esse ipsam creaturam, n. 46. & 47.*
2 *Neque esse relationem rationis, aut prædicamentalem ad creatorem, n. 48. & 49.*
3 *Creationem non esse formaliter quamlibet relationem transcendentalem, sed esse ipsum fieri creaturæ, n. 50. ad 53.*

46 *Creationem formaliter non esse ipsã creaturam.*

PRima conclusio. Creatio, præcisè & formaliter accepta, non est ipsa creatura simpliciter loquor ita limitatè ac distinctè, quia si creatio sumatur cõcretè, & materialiter, & creatura sumatur pro omni eo quod cum ipsa realiter identificatur, procul dubio creatio est ipsa creatura, cum non sit aliquid per se distinctum realiter à creatura, tamquam res à re, vt probatum est supra num. 18. Hoc sequitur ex conclusione huius articuli posita n. 2. eiusque probationibus à num. 12. quibus constat, in re quæ creatur, præter ipsam rem, ad quam terminatur creatio, dari realem positiuum, ac distinctum quemdam influxum, in quo formalem creationis rationem sitam esse mox ostendam.

47 *Ratio Aureoli.*

Deinde cum Aureolo 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. arguo primò, nomine creationis intelligi maximè debet vltimata quædam producendi ratio, qua immediatè & formaliter producitur creatura. creatio, inquit S. Thom. art. 2. ad 2. *est productio, per quam producitur tota substantia rerum.* Ergo ex sua formalitate comparatur ad creaturam, vt ratio principiandi ad principiatum, in genere causæ efficientis. sed vt bene subsumit Aureolus, *impossibile est in genere causæ efficientis, vt aliquid sit sibi ipsi causa vt sit, alias non haberemus viam aliquam ad probandum distinctionem Patris & Filij in diuinis.* Ergo creatio, vt creatio, non est ipsa creatura. Arguo secundò. Creatio intelligitur cum fundamendo in re per modum cuiusdam viæ productiuæ, ad creaturã tamquam ad terminum. Sed via, formaliter vt via, non potest esse omnino idem quod terminus ad quem ducit, sic enim idem duceret ac tenderet ad se ipsum, quod est inintelligibile. Ergo creatio & creatura idem prorsus esse non possunt. Arguo tertio creatio est *id quo,* creatura est à Deo, ergo non est creatura; quia creatura est *id quod* est à Deo, non *id quo* ipsa est à Deo, quapropter omnes alium cõceptum formamus de creatione, & de creatura, seu de re per creationem facta, sicut in naturalibus de generatione, & re genita de calefactione, seu productione caloris, & calore producto. Arguo quartò quia res, quæ creantur, sunt diuersissimæ rationis, vt Angelus, Anima, Cælum, Materia prima, Quantitas, aliáque accidentia si producerentur extra subiectum. Creatio vero semper est eiusdem simplicis rationis. Non potest igitur creatio formaliter per solam creaturam explicari.

Tres aliæ rationes.

48 *Neque esse rei ad rationem rationis ad creatorem.*

Secunda conclusio, formalis conceptus creationis dici non potest consistere in pura, ac formali relatione creaturæ ad Deum creatorem. De authoribus, patronis vel aduersariis huius conclusionis, sa-

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

tis dictum est supra à n. 3. ad 12. Fundamentum conclusionis est, quia hæc pura relatio non potest esse alia, nisi vel rationis tantum, vel realis prædicamẽtalis: aliæ enim relationes transcendentales, non sũt puri respectiui conceptus, sed simul etiam absoluti. Quod creatio consistat in relatione rationis, nullus dicit: tum quia, vt docet S. Thomas hic ad 1. *relatio creaturæ ad Deum est relatio realis, tametsi relatio in Deo ad Creaturam non sit realis, sed secundum rationẽ tantum:* tum quia, esto sit rationis, tamen creatio est realis actus potentiæ diuinæ exequutiuæ, vnde realiter pender ens reale creatum: tum quia rationis etiam relatio, qua intellectus refert creaturam existentem ad Deum creatorem, supponit pro fundamento ipsam creationem, vi cuius creatura facta est existens. Nemo autem dixerit, creationem esse illam, quæ præsupponit creaturam productam, scilicet ex nihilo, ac proinde creatam.

S. Thomas.

49 *Neque realem prædicamentalem.*

Quod vero creatio non consistat in alia relatione pura reali, quæ est prædicamentalis, cuius oppositum multi graues Doctores, & veteres, & recentiores dixisse videntur, præsertim Thomistæ, vt superius ostensum est; probo primò, quia creatio ab omnibus dicitur actio, productio emanatio, factio. Ergo eius natura non potest consistere in Relatione, quæ ab actione differt genere generalissimo. Respondere autem cum Periero l. 5. Phys. c. 8. ad 4. *Quod creatio non est actio propriè, sed tãtum æquiuocè;* est negare communissimum conceptum, quẽ omnes de creatione formamus, simillimum illi, quem formamus de generatione, de alteratione, & similibus, quas nõ æquiuocè, sed propriè actiones esse cõstat: sicut enim Deus creãs, est propriè, & nõ æquiuocè agens, & faciens, ita creatio, qua talis denominatur, esse debet propriè, & nõ æquiuocè actio, & factio. Secũdò Prædicamẽtalis relatio creaturę existẽtis & productæ à creatore, est ratio quædam realis posterior re creata; quia non cõsurgit nisi producta creatura, cum sit purus ordo actualis effectus ad suam causam efficientem. Ergo præsupponit creaturam, seu rem creatam, vt ipsius fundamentum. Ergo est multò magis posterior ipsa creatione; quæ ex probatis supra à n. 19. natura antecedit ipsam creaturã. Non igitur creatio esse potest relatio creaturæ. Tertiò creari, est accipere esse, referri vero effectum ad causam efficientem, est effectum respicere causam, à qua suum esse accepit. Quos quidẽ conceptus ex se patet esse diuersos. Quartò Relatio creaturæ ad Deum, causam efficientem, est realis, vt aduersarij fatentur. Ergo habere debet priorem aliquam rationem fundandi, quæ in relationibus effectuum ad causas efficientes, esse non potest alia, quam actio, & prodũctio ipsius effectus. Ergo præter relationem datur in creatura aliquid aliud antecedens, quod sit actio, & productio creaturæ ex nihilo, quæ est creatio.

Creationem esse propriè actionem, cõtra Pererium.

50 *Creationem formaliter non esse quælibet relationem transcẽdentalem.* Caietanus. Capreolus

Tertia conclusio. Creatio formaliter dici non debet relatio transcendentalis, essentialiter inclusa in qualibet creatura vt explico sup. n. 16. de hac relatione intelligo Caiet. hic §. *In responsione ad* 3. dicẽte, *quod relatio creationis, non est relatio transcendens.* Idemque significat Capreolus 2. d. 1. quæst. 2. art. 3. ad 3. Gregorij contra 1. conclus. dicens, quod *talis relatio,* in qua vult consistere formalem rationem creationis, *est propria passio omnis essentiæ creatæ, ita vt creatura non possit esse sine tali relatione, quia consequitur naturaliter, ad productionem substantiæ creatæ.* si hæc relatio creationis est propria passio consequens essentiam creatam. Ergo non est relatio transcendentalis in ipsamet essentia creata, essentialiter inclusa. Duo vero quæ præterea adduntur, probare minimè possunt: alterum,

creationem formaliter consistere in quadam relatione, quæ, inquit, *consequitur naturaliter ad productionem substantiæ creatæ*; hęc enim productio est ipsamet formalissima creatio; ergo hæc dici rectè non potest esse posterior illa consequens relatio: alterum, hanc relationē consequentem nulla potētia etiam diuina, separabilem esse à creatura. Omnis enim propria passio, & quiduis aliud posterius, quod naturaliter sequitur ab aliquo priori, potest ab authore naturæ supernaturaliter impediri ne sequatur.

Impugnātur duo Capreoli dicta.

§ 1 *Conclusionis fundamentū.*

Ratio concl. est manifesta, quia sicut existētia ita etiam creatio, quæ ad existentiam terminatur nō est de essentia creaturæ. Sed essētialis relatio, qua omne ens creatū refertur essentialiter ad Deum, est de essentia cuiuslibet creaturæ, siue illa sit sola essentia, siue existentia sola, siue ipsa creatio, siue essentia existens præscindendo à creatione: ergo per hanc relationem explicari non potest formalitas creationis; sic enim explicaretur quidē per aliquid inclusum essentialiter in ipsa creatione, quæ etiam in aliquo bono sensu tradito sup. n. 32. est essentialiter creatura, ac proinde aliqua ratione essentialiter dependens à Deo, tamen inclusum etiam essentialiter in conceptu ipsius termini creationis, qui propriè per creationem creatur; imo in conceptu cuiuslibet alterius mutationis naturalis, & cuiuscunque particularis termini ac modi. Hic autem generalissimus conceptus, quantumuis essentialis, est valde insufficiens ad explicandam propriam alicuius particularis entis formalitatem. Inde enim aliud non habetur, nisi vniuersalissima ratio creaturæ, siue entis essentialiter dependentis à Deo.

§ 2 *Sed esse ipsū fieri creaturæ.*

Quarta concl. Creatio formaliter nihil est aliud quàm ipsum fieri creaturæ satis explicatū, & rationibus atque authoritatibus confirmatū sup. n. 1. & per totam sequentem dubitationem primam. Ita omnes, qui, vt refero loco citato, in re quæ creatur, præter esse creaturæ, admittunt, ac distinguūt fieri creaturæ, seu formalem ac modalem quandam dependentiam, qua formaliter Deus facit & communicat esse creaturæ; & creatura fit, ac dependet, & suum esse accipit à Deo. Probatur 1. quia cōfutatis reliquis omnibus aliorum sententiis, nihil remanet, præter hoc fieri, quod formalem creationis rationē habere possit. 2. omnes concipimus, quod quemadmodum creare est quoddam facere, cū ex omniū sententia sup. art. 1. definiatur, quod creare est aliquid ex nihilo facere, ita creari sit quoddam fieri: sed verè ex suprà probatis, in creatura, præter creaturam ipsam, & relationem ad Creatorem datur fieri creaturæ. Ergo in hoc cōsistit ipsum formaliter creari. 3. Ita se habet creatio respectu creaturę, sicut generatio respectu formæ genitæ, calefactio respectu caloris: sicut enim hæ sunt actiones, & viæ quędam ad esse formæ & caloris; ita creatio est actio, & via quædam ad esse rei creatæ: & verò hunc cōceptum omnes habere, atque explicare videmur, cū de creatione loquimur. Sed generatio est ipsum fieri forma substantialis, calefactio est ipsum fieri caloris, & vniuersaliter omnis actio est in suo termino, tamquam emanatio & dependentia eius à causa. Ergo etiam creatio erit formaliter ipsum fieri creaturæ. Multa obiici possent, sed soluta sufficienter remanent ex dictis suprà dub. 1.

DVBITATIO IV.

An Creatio sit Motus, vel Mutatio.

SVMMA.

1 *Probatur, creationem non esse motum. n. 53.*
2 *Neque esse mutationem propriè. n. 54.*
3 *Habere tamen impropriam rationem mutationis, non motus. n. 55. & 56.*

PRima conclusio. Illud fieri, quod creationem formaliter esse probauimus, nulla ratione dici potest motus. ita omnes. Ratio est, quia ex Philosopho 3. Phys. t. 6. *Eius, quod potentia existit, actus, quatenus huiusmodi, motus est*: siue vt definit t. 10. *possibilis, quatenus possibile, actus, manifestum quod motus est.* & vt idem clarius explicat t. 16. *Motus est actus mobilis, quatenus mobile existit.* Motus igitur ex ratione sua essentiali importat directum & valde expressum ordinem ad subiectū imperfectum, quod potest tendere ad aliquam perfectionem recipiendam, & actu tendit ad illam per motum. Illud enim tantum moueri intelligimus, ac dicimus, quod præexistit ante motum, saltem naturę prioritate, & subiicitur motui, vt per eum tendat ad acquirendum aliquid quod in se, vel ex se non habet, sed ab alio agente recipit, à quo mouetur. Ergo ratio motus omnino contradicit creationi, quæ est quoddam fieri ex nihilo, hoc est, vt suprà art. 1. absque vllo concursu subiectiuo mobilis præexistentis.

§ 3 *Non est motus.*

Definitio motus ex Arist.

Secunda conclusio. Eadem creatio non est mutatio verè ac propriè, sed solum impropria aliqua ratione dici potest mutatio. Ita S. Thom. art. præced. ad 2. & ex instituto probat l. 2. cont. gent. c. 17. & de Pot. q. 3. ar. 2. & sequuntur Thomistæ omnes & ipsemet Durandus 2. d. 1. q. 2. n. 15. fin. dicens: *Illa quæ creantur, fiunt non per motum, aut mutationem, sed per simplicem emanationem.* Et Interpretes ac recentiores omnes. Ratio omnium optima, ad quam aliæ omnes reuocantur, est illa quam 3. loco attulit S. Thom. suprà con. gen. & solam proponit hic art. 2. ad 2. quia, inquit, *in omni mutatione oportet esse aliquid, aliter se habens nunc quam prius: hoc enim ipsum nomen mutationis ostendit.* Sed hoc est subiectum præexistens, & præsuppositum mutationi, saltem prioritate naturæ: quod subiectum est contra propriam ac formalem rationem creationis. Ergo contra hanc etiam esse debet mutationis ratio, quam verè ac propriè importat mutatio.

§ 4 *Non est propriè mutatio.*

S. Thom. Durandus.

Potest autem creatio dici impropriè mutatio, vel primò, vt ait S. Thom. suprà, *secundum modum intelligendi tantum; in quantum scilicet*, vt magis explicat l. 2. con. gen. cap. 18. circa med. *Intellectus noster accipit vnam & eamdem rem, vt non existentem prius, & postea existentem.* Vel secundò per inadæquatam mutationis rationem, quam mutationis nomen magis propriè & expressè importat: nimirum successionem duorum terminorum; inuicem incompossibilium; quæ est propria mutationis ratio, sed non totalis, & adæquata, quia mutatio hanc successionem importat in vno, eodémq; subiecto præsuppositō; in quo secundo subiecti conceptu mutatio conuenit cum motu. Sed creatio, saltem temporalis, successionem illam importat; cùm sit quædam tendentia de non esse ad esse, vt suprà art. 1. n. 16. tametsi præsuppositum subiectum omnino excludat. Ergo dici potest mutatio inadæquatè, quoad partem propriè & magis expressè significatam. Proprium enim constitutiuum & distinctiuum mutationis à motu, non est connotatio subiecti, quod etiam connotat motus, sed est prædicta successio, quę non est essentialis motui, ad cuius essentiam satis est, vt subiectum per illum tēdat ad recipiendum aliquem terminum *ad quem*, & non est præterea necessarium vt mutetur abiiciendo alium oppositum terminum *à quo*. Si enim in hoc instanti crearentur Sol & aër; Sol vtique in eodem instanti illuminaret aërem, & tunc etiam aër

§ 5 *Est mutatio impropriè ex S. Thom.*

Quomodo cōstituātur, & differant motus & mutatio.

aër moueretur quidem ad recipiendum lumen à sole per illuminationis motum, tamen non mutaretur ex tenebroso in luminosum, quia nunquam fuisset sub priuatione luminis, sed à primo existentiæ suæ instanti habisset lumen. & ideo sapientissimè Philosopus cum l. 3. Phys. vt supra n. 53. motum definiuisset per ordinem ad subiectum, per potentiam suam passiuam tendens ad terminum *ad quem*, nulla facta mentione termini *à quo*, postea in l. 5. t. 7. definiens mutationem, vtriusque termini, & prædictæ successionis valde expressam mentionem facit illis verbis, *omnis transmutatio est ex quodam in quiddam. Manifestat autem & nomen: post aliud enim aliquid, & aliud quidem prius significat, aliud autem posterius.*

Aristotcles.

§ 6 *Cur creatio dicatur mutatio impropriè, & non motus.*

Hinc vero sumi potest tertia ratio extensionis mutationis ad creationem: quia motus expressè importat ordinē ad mobile, quod non est nisi subiectum, & non est terminus ad quem tendit mobile per motū: cū enim producitur terminus nulla ratione dicitur moueri terminus, v. g. per calefactionis motū nō dicimus, moueri calorē ad subiectū, vel ad esse caloris: nullo enim modo realiter moueri dicimus aliquid nisi quod præsupponitur esse. At vero mutatio, & mutari, importat expressè ordinem ad mutabile, quod licet propriè ac strictè sit subiectum, tamen impropriè ac largè est etiam terminus, sicut enim de forma ipsa, siue substantiali, siue accidentali, ad quam terminatur motus, omnes passim dicimus generari, produci, emanare; procedere, deduci, ita etiam, saltem impropria ac larga vsurpatione mutari de nō esse ad esse. Essentia enim rei quæ fit, prius erat sub non esse, postea est sub esse. Cum igitur etiam in creatione, res quæ creatur accipiat esse post non esse, docente S. Thom. supra art. 1. ad 3. quod in creatione, *cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, ostenditur ordo eius, quod est, ad non esse procedēs*, creatio etiam dici aliqua ratione potest mutatio, nimirum terminatiua, non subiectiua, & creari, etiā dici potest mutari, nimirum terminatiuè non subiectiuè. In aliquo ex his tribus sensibus accipiendi profectò sunt multi graues auctores, qui creationem mutationem simpliciter esse asserunt. Ita Alēsis p. p. q. 12. membro 8. ad 7. vbi creatio dicitur simpliciter, *prima mutatio*. quamuis iuxta hanc conclusionem se explicet 2. p. q. 9. memb. 1. Itē Bonauent. 2. d. 1. art. 3. q. p. corp. circa medium, de productione quæ est ex nihilo, dicens, *Caret ratione motus, habet tamen productionis rationem, & mutationis*, & in fin. ita concludens, *concedendum est igitur quod productio creaturæ, est mutatio.* Bacconus q. 2. art. 1. dicens creationi non cōuenire materiale mutationis, quod, inquit, *est subiectum*: conuenire vero formale, quod est acquisitio esse post non esse. Sed in hoc etiam formali, quamuis non includatur subiectum, tamen includitur ordo ad subiectum: sicut enim motus vt formaliter motus est per ordinem ad subiectum mobile quod mouetur ad aliquid recipiendum; ita mutatio; vt formaliter mutatio, est per ordinem ad vnum commune subiectum mutabile, quod nunc est sub vno termino quem acquirit & antea erat sub alio oppositō termino quem deperdit, ac proinde mutatur. Præterea à Damasceno apud Bonauenturam, & Bacconum, creatio, dicitur *versio*. quæ idem prorsus significat quod mutatio, & vt refert Capreolus 2. d. 1. q. 2. art. 1. concl. 2. fin. Articulus Parisiensis dicit, *quod error est dicere, quod creatio non sit mutatio ad esse*. Sed subdit Capreol. *accipitur ibi mutatio valde largè & impropriè*. Ad eumdē articulum respicere videtur Riccard. 2. d. 1. art. 1. q. 2. fin. corp. dicens, *errant qui dicunt, quod creatio nō debet dici mutatio ad esse, si intelligatur de omni modo mutationis*. Quæ omnia accipienda sunt de creatione temporali, in qua datur esse post præcedens non esse, ac proinde rei mutatio de non esse ad esse. Nā creatio æterna, & consequenter creatio, vt creatio, cum sit simpliciter tendentia ad esse, & perpetua habitio essendi absque vllo oppositō non esse, vt supra art. 1. n. 11. & 16. nullā prorsus mutationis rationem habere potest, neque ex parte subiecti præexistentis & transeuntis de priuatione ad formam; neque ex parte termini aliter & aliter se habentis, scilicet prius sub non esse, posterius sub esse; sed semper & vniformiter in tota æternitate, absque vllo durationis principio: haberet & acciperet esse, & nunquam habuisset antea non esse.

Expenuntur Doctores qui videntur cōtrarij.

S. Thomas.

DVBITATIO V.

An creatio sit passio, vel actio.

SVMMA.

1 *Creationem non esse propriè passionem, n. 57.*
2 *Posse tamen dici impropriè passionem. n. 58.*
3 *Creationem esse propriè actionem transeuntem, non immanentem, n. 59. & 60.*
4 *An creationis actio sit in prædicamēto actionis. n. 61.*

§ 7 *Non esse propriè actionē, contra Aureolam Molinam Vazquez.*

PRima conclusio creationon est passio verè, ac propriè dicta. Ita omnes, & ex mente S. Thomæ bene probat Capreolus 2. d. 1. q. 2. art. 1. concl. 2. contra Aureolum q. 2. ar. 3. propos. vltim. dicentem, *Quod creatio passio est verè de genere passionis.* & contra Vazq. hic disp. 173. n. 3. dicentem, quod in creatione, *potest intelligi vera ratio actionis, & passionis*, tamen vt addit n. 5. & confirmat num. 16. ad 4. *non in prædicamento actionis*. & contra Molinam hic §. *Iuxta*. vbi contendit, creationem neque esse motum neque mutationem, *propriè loquendo, tamen esse veram passionem de prædicamento passionis.* Ratio est quia passio propriè dicta, importat essentialiter, &, vt bene addit Suarez in Metaphys. disp. 20. sect. 4. num, 18. *Clarius*, ac magis explicitè quàm mutatio, siue etiam motus, ordinem ad subiectum præsuppositum, & præexistens, quod agenti subiiciatur, ab eoque patiatur recipiendo aliquid: quem ordinem alienum esse à creatione nemo non videt. Hunc autem ordinem importari nomine passionis, suaderi potest 1. ex Philosopho 3. Phys. text. 22. qui definit actionem, *esse actum huius in hoc*; hoc est, agentis in passum, passionē vero *esse actum huius ab hoc*; hoc est, passi ab agente. sed quia responderi potest cum Molina, & bene, *quod Aristoteles loquatur de actione & passione naturalibus, quæ semper sunt coniunctæ cum motu aut mutatione*; alioquin creatio nec dici posset propriè actio, contra conclusionem, cum creatio non sit actus agentis in passum, sed solum actus agentis ad terminum, siue aliquem effectum producendum, ideo arguo secundo Passio, vt passio, dicit essentialem ordinem ad passum, sicut actio vt actio ad agens. Ergo sicut actio intelligi non potest sine agente, ita nec passio sine patiente. Passum autem, seu patiens, saltem propriè, non reperitur in creatione, quia passum propriè, præsupponitur ante passionē, sicut agens ante actionē: sicut enim quia actio est actus secundus potentiæ actiuæ, præsupponit actū primū potentiæ actiuæ in agente; ita quia passio est actus secundus potētiæ passiuæ, præsupponere pariter debet actū primum potentiæ passiuæ in patiente. Sed creatura nō præsupponitur ante creationē, sicut neque calor v. g. ante calefactionem. Ergo creatura in creatione non potest habere propriam rationem passi; & consequenter, neque creatio veram rationem passionis;

Suarez

Aristoteles

Tertiò. Ita se habet creatio respectu creaturæ, sicut calefactio respectu caloris, & vniuersaliter omnis generatio respectu formæ genitæ. Sed nulla generatio respectu termini, qui per illam fit, habet veram ac propriam rationem passionis, sed potius actionis ad effectum, seu viæ ad terminum. Ergo idem dicendum de creatione respectu creaturæ.

Refertur & reiicitur Caietani sententia.

§ 8 *Esse impropriè passionē.*

Loquutus sum de vera ac propria passionis ratione: alioqui constat, quod expressè notât Capreolus, aliique authores huius conclusionis, terminum creationis & significari vocibus passiuis, & concipi vt passum, in quantum apprehendimus rē, quæ passiuè creari & produci dicitur, tāquam aliquid præsuppositum & recipere esse ab agente, & abiicere negationē essendi. Ergo creatio largè, & impropriè, hoc est, secundùm nostrum modum significandi, & concipiendi tantū, dici potest passio. Et in hoc sensu accipiēdi sunt antiqui Doctores, qui passim creationem diuidunt in creationem actionem, & creationem passionem; siue in creationem actiuam, & passiuam; siue, vt cautius loquitur S. Thom. 2. d. 1. q. 1. art. 2. ad 4. & de Pot. q. 3. art. 3. paulò ante med. corp. & supponit hic ad 1. & 2. in creationē actiuè acceptam, & creationem passiuè acceptam.

Communis diuisio creationis.

§ 9 *Esse propriè actionem.*

Secunda conclusio. Creatio est verè ac propriè actio, simpliciter loquendo. Ita omnes, & significāt Scriptura & Patres locis citatis sup. art. 1. à n. 2. ad 8. dum creare explicant per facere; ergo creatio est propriè factio, ergo actio. Et ideo Patres Concilij Nicæni illud, *Creatorē cœli & terræ*, quod est in symbolo Apostolorum, verterūt in, *factorem cœli & terræ*: significantes, quod creare sit verè ac propriè quoddam facere, & agere. Ratio à priori sumitur ex probatis suprà tota dub. 1. & dub. 3. concl. 4. Actio enim propriè, nihil est aliud, quàm ipsum fieri rei, seu modus ille absolutus, quo formaliter, agens cōmunicat esse rei, vt generatio, calefactio, &c. Sed creatio formaliter est hoc fieri, & hic modus. Ergo est propriè actio; vnde Creator dicitur propriè causa agens, & efficiens. Certum est igitur, quod vt testatur Durandus 2. d. 1. q. 1. n. 5. *per creationem secundum quod nomen creationis communiter accipitur, importatur actio per quam aliquid producitur ex nihilo.* & S. Thom. 2. con. gen. c. 17. init. *Dei actio, quæ est absque materia præiacenti, creatio vocatur.*

Colligitur ex Symbolis.

Durandus.

S. Thomas.

60 *Esse actionē transeūtem, non immanentem, ex S. Thoma.*

Tertia conclusio. Creatio non est actio immanens, sed transiens. Est expressa sententia S. Th. 2. cont. gent. c. 1. init. vbi cùm distinxisset duas operationes, *vnam quæ in operante manet, & est ipsius operantis perfectio, vt sentire, intelligere, & velle; aliam quæ in exteriorem rē transit, quæ est perfectio facti, quod per ipsam constituitur, vt calefacere, secare, & ædificare*: ita subdit, *Vtraque autem dictarum operationum competit Deo: prima quidem in eo quod intelligit, vult, gaudet, & amat: alia verò, in eo quod res in esse producit, & eas conseruat & regit.* Idem fusius docet de Potēt. q. 10. ar. 1. corp. De aliis authoribus & aduersariis huius conclusionis dictum satis est in superioribus. Qui enim volunt, creationem esse ipsum fieri effectus, cum ipso effectu identificatum, sunt pro conclusione. Qui verò sentiunt creationem consistere in actione intellectus, & voluntatis Dei, sunt cōtra conclusionem. Quare conclusio probata remanet ex dictis, quibus ostendimus, creationem non esse diuinam aliquam vitalem actionem cum Creatore identificatam, atque in eo manentem; sed potius esse aliquam rationem formalem absolutam in ipsa creatura, quæ propterea sit extra Deum transiens totaliter, & quoad suum esse, & quoad suum fieri, seu quoad illam operationem & actionē, qua formaliter & agens facit illam, & illa fit ab agēte. Qua in re à veritate nimis aberrasse videtur Caiet. suprà quæst. 25. art. 1. ab omnibus reiectus, etiam à suis, vt à Bagnes hic dub. 1. concl. 2. Zumel inf. q. 65. art. 1. q. vnic. §. *argumentum primum.* & art. 3. q. 1. concl. 1. Ferrar. 2. cont. gent. c. 16. §. *sed occurrit.* dicens, quod si iuxta sententiam S. Thom. sup. q. 25. art. 1. ad 4. vbi multis eam probauimus, supponamus creationem esse actionem transeuntem potentiæ exequutiuæ, ratione ratiocinata distinctæ ab intellectu & voluntate, illam importare in ipsomet Deo aliquid reale; & ideo ita vniuersaliter sumit, *Actio transiens significat aliquid subiectiuè existens in agente creato; identificatum autē realiter substantia in agente increato.* Hæc enim sententia præter Philosophica incommoda ponendi actionem transeuntem in agente creato, de quibus vberius in physicis suo loco disputatum est, premitur etiam omnibus illis Theologicis absurdis, quibus suprà q. 19. art. 3. dub. 6. confutauimus aliam Caietani sententiam, huic simillimam, de volitione libera, addente in Deo intrinsecam perfectionem realem. Quod inconueniens clarius apparet in casu, de quo nunc disputamus. Quia actio transiens potentiæ exequutiuæ, tunc solum poni potest in agente, cum agens exequitur reipsa productionem effectus, qui realiter transeat de nō esse ad esse; ac proinde si actio est in tempore, tunc etiam in tempore aduenire debet actio in agente, si hæc in eo esse dicatur. At verò liberum velle, quia est quid intentionale, non exequens, sed imperans & disponens exequutionem liberè faciendam tali tempore, loco, modo, &c. poni potest in Deo ab æterno. Maius autem absurdum profectò videtur ponere in Deo aliquam liberam perfectionem temporalem, quæ actu per totam æternitatem nō fuerit in Deo, quàm æternam, quæ semper actu in Deo fuerit: præsertim quia, vt acutè scripsit Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 4. n. 29. Non solum creatio, de qua nunc disputamus an sit actio transiens, sed omnis alia creaturæ actio verè transiens, vt calefactio, est etiam actio transiens respectu ipsiusmet Dei; à quo immediatè procedit omnis actio creaturę: ergo cum transeuntes actiones causarum creaturarū sint innumerabiles, & semper de nouo incipiant ac desinant, teneretur Caietanus cōcedere in Deo infinitas propemodū mutationes aliquarum realiū formalitatū, quæ existentes & idētificatæ cum Deo, sunt ipsemet Deus. Neq; est necessariū vt omnis actio sit perfectio intrinseca potētiæ actiuæ; sed si est actio transiens in effectū, vel etiam in passum, erit intrinseca perfectio effectus, vel etiam passi, & solum erit extrinseca perfectio agentis, quę Deo nō repugnat.

61 *An creatio sit in prædicamento actionis.*

An autem creationis actio, non solum sit verè ac propriè actio, sed etiam in prædicamento actionis, est in cōtrouersia, quæ Logica est, & ideo dico breuiter duo. Alterum, hanc non esse necessariam consequentiam, est verè ac propriè actio, ergo in Prædicamento actionis: quia præter veritatem ac proprietatem actionis simpliciter, posset aliquid aliud esse requisitum ad rationem actionis prædicamentalis: quemadmodum diuina substantia, vel relatio, vel generatio, sunt verissimè ac propriissimè tales, & tamen non in prædicamento substantiæ, vel relationis, vel actionis. Alterum, nullam esse efficacem rationem excludendi creationem à Prædicamento actionis. Vazquez d. 173. n. 5. ad hanc exclusionem mouētur ex eo, quòd creatio neque est accidens re ipsa, neq; ex natura rei distinguitur à substantia. Verumque autem falsum esse constat ex superioribus; & non est certum, quod quidquid ponitur in Prædicamento accidentis, esse debeat in re distinctum à substantia; cū plerique non distinguant vel relationes à fundamentis, vel potentias à subiectis, vel actiones & passiones à terminis substantialibus.

Vaz. q. negat.

Et

Et esto hęc distinctio falsò negetur de rebus ipsis in se materialiter consideratis, tamen si illæ considerentur formaliter in ordine ad diuisiones prædicamentales per humanā rationem factas, nulla appareret necessitas, ob quam prædicta distinctio requiratur ad hunc effectum collocandi res in aliquo prędicamento, & non satis sit distinctio rationis, & esse quoddam accidens non re ipsa, sed sola nostra consideratione. Poterat Vazquez efficacius moueri ex eo, quod creatio per ipsum est *pura relatio*; quæ habet distinctum prædicamentum à prædicamento actionis. Sed hoc etiam falsum est ex sup. probatis: non enim videtur probabile, eandem simplicissimā formalitatem in rebus creatis, & esse putā relationem, ac proinde nihil absoluti in se habere, & simul *habere veram actionis, & productionis rationem*, vt tetigi sup. n. 36. & esto, sit probabile, deberet consequenter creatio poni in duplici prædicamento, & relationis & actionis: sicut locus ob duplicē rationē ponitur communiter & in prædicamento quantitatis, & in prædicamento vbi. Posset præterea excludi creatio à prædicamēto actionis, ex eo quod quāuis sit creata quædam actio, tamen non est actio naturalis: Creationem enim S. Thom. de Pot. q. 3. ar. 1. ad 11. verbis citatis suprà art. 1. n. 15. opponit *generationi naturali*: Et Magnus Albertus de quatuor coæuis, p. p. q. 1. art. 8. ex instituto probat, *quod creatio miraculosa est, non naturalis*: & Bonauentura 2. d. 1. art. 3. q. 1. ad 2. fin. opponit etiam creationem omnibus mutationibus *naturalibus*; & non longè à fine quæstionis de Creatione ait, *potest dici supernaturalis mutatio.*: & ex recentioribus Mendoza disp. 12. Phys. §. 82. eam vocat *accidens supernaturale*. Verū ne hæc quidem ratio videtur efficax: tum quia ista actionis supernaturalitas non est simpliciter, cùm sit ad terminum naturalem, v. g. Cœlum, Animam, sed secundum quid, hoc est, solum per ordinem ad causam efficientem, quæ non potest esse naturalis, non ex supernaturalitate intrinseca actionis secundum se, sed solum quia illa actio est primum principium omnis naturalitatis; ac proinde dicit essentialem ordinem ad causam efficientem supra totam naturam, quæ causa non potest esse alia nisi substantialiter supernaturalis, & ipsemet Deus: tum quia, esto sit quomodolibet supernaturalis, modo sit finita quædam creatura, non videtur supernaturalitas creata ac finita contradicere prædicamento simul cum aliis entibus naturalibus; sicut communiter dicimus, in prædicamento substantiæ collocari substantias & corporeas & spirituales, & in qualitatis prædicamento esse non solum qualitates corporeas, sed etiam spirituales, imo etiam supernaturales, vt sunt habitus fidei, spei, & aliarum supernaturalium virtutum; & si per impossibile daretur substantia supernaturalis creata, non apparet aliqua firma ratio, ob quam illa collocari non posset in prædicamento substantiæ. Ita pariter, & multo facilius, creationis actio, quæ est tantum supernaturalis secundum quid, absque vllo absurdo collocari potest in prædicamento actionis cum aliis naturalibus actionibus.

Creationem nō esse actionem naturalem.

S. Thom.

Albertus.

Bonauent.

Mendoza.

ARTICVLVS IV.

Vtrum creari sit proprium compositorum & subsistentium.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quòd creari non sit proprium, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Declarantur Materia & Titulus articuli. n. 1.*
2 *Non creari propriè nisi subsistens. n. 2.*
3 *Angelos, & animas rationales fieri non posse nisi per creationem. n. 3.*
4 *Composita materialia, etiam quæ generantur, fieri à Deo per creationem. n. 5. ad 8.*
5 *Composita materialia creari propriè. n. 4. 5. & 7.*
6 *Formas substantiales materiales non creari propriè, sed miraculosè. n. 6. 8. & 10.*
7 *An vnio possit creari. n. 6.*
8 *Quomodo producta sit materia prima. n. 9. ad fi. art.*

1 *Declarantur materia, & titulus articuli.*

QVAMVIS Caietanus initio sui Commentarij totam huius articuli doctrinam, quæ est de Creationis termino *ad quem*, vnica conclusione contineri dixerit, tamen operępretium est eam clarius ac distinctius pluribus conclusionibus explicare. Composita enim & subsistentia, de quibus quæstionis titulus propositus est, non sunt omnino idem. Nam etsi omne compositum, nempe physicum ex materia prima & forma substantiali, de quo tantum loquitur S. Thom. vt patet ex verbis totius articuli, sit subsistens; tamen non omne subsistens, est tale compositum; cum multa sint subsistentia, quæ nō sunt hoc modo composita, sed simplicia, vt Angeli, de quibus nemo dubitat, & anima nostra, de qua S. Thomas infra q. 75. art. 2. init. corp. scribit, *quod necesse est dicere, eam esse subsistentē.* Præterea cum dicantur quædam res creari, quædam non creari, sed concreari, oportet magis distinctè exponere, quid his terminis significetur.

Animam rationalē subsistere, ex S. Thom.

2 *Non creari propriè, nisi subsistens.*

Prima conclusio vniuersalis, omne quod *propriè* creatur, esse debet aliquid subsistēs, hoc est, vt ipsemet S. Thom. explicat circa med. corp. non solum *habere debet esse* quomodocumque, sed esse etiā debet *aliquid subsistens in suo esse*: nimirū habere debet esse ita intrinsecè terminatum ac perfectū, vt seipso solo in rerum natura stare ac sustinere possit, absque vllo sustentante subiecto, aut supposito. Ita omnes, & ratio articuli optima, & à priori est, *quia creari est quoddam fieri, vt dictum est; fieri autem ordinatur ad esse rei*: quoniam vt ad idem propositum dicitur infra q. 90. art. 2. init. corp. *fieri est via ad esse.* ergo inquit hic, *illis propriè conuenit fieri & creari, quibus cōuenit esse.* Sed esse propriè ac perfectè, quod simpliciter & absq; vllo addito vocatur esse, *Conuenit propriè subsistentibus, siue sint simplicia, sicut substantiæ separatæ, siue sint composita, sicut substantiæ materiales. Illi enim propriè conuenit esse, quod habet esse, & quod est subsistens in suo esse.* Ergo vt concluditur in fin. corp. *propriè creata sunt subsistentia.* Quod etiam ex ipsa creationis ratione suaderi euidenter potest: quoniam creatio est actio, qua producitur aliquid ex nihilo, & absq; vllo subiecto sustentanti. Quod autē sit extra subiectum, seu sine dependentia à subiecto, necesse est vt subsistat, vel habeat se ad modū subsistentis; quo modo subsisteret etiam accidens, si crearetur: hoc est, haberet à Deo modum aliquem essendi, similem subsistentię. Ex hac vniuersali conclusione, deducuntur omnes sequentes conclusiones tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ.

3 *Angelos, & animas rationales fieri non posse nisi per creationē.*

Secunda conclusio, Angeli, & Animæ rationales, non solùm propriè creantur, quia, vt ex propriis materiis hoc loco supponendum est, sunt entia subsistentia, completa quidem in ratione formali subsistendi, licet Angeli, non animæ sint, vt loquitur S. Thomas infra quæst. 75. art. 2. ad 1. *Subsistentia completa in natura alicuius speciei*; Sed etiam non possunt ex propria natura aliter fieri, quàm per creationem: quia ex propria natura habēt esse subsistens independens à materia; ergo nec in fieri dependere naturaliter possunt à materia: fieri autem independenter à subiecto est propriè creari.

4 *Composita materialia creari propriè.* Gen.1.

Tertia concl. propriè etiam creata sunt Materialia composita ex materia prima & forma substantiali, hoc in argumento. *sed contra.* probat S. Thom. ex illo Genes. 1. *creauit Deus cælum, & terram.* Vnde in Symbolo fatemur Deum *creatorem cœli & terræ*, & rursus, *visibilium omnium, & inuisibilium.* Composita autem sunt cælum & terra, & omnia visibilia. Et clarius Lateranense sub Innoc. 3. c. 1. *Deus simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem.* Probat etiam in corpore ratione, quia hæc etiam composita subsistunt, eisque *propriè conuenit esse.* Quoniam verò composita, quæ quotidie fiunt, sunt entia subsistentia, & tamen non creantur, sed generantur, addendum est, composita quamuis generentur, & non creentur, si fiant inadæquatè secundum aliquas tantum partes, tamen si fiant adæquatè secundum omnes partes, non posse non fieri propriè per creationem ex nulla materia præsupposita, quia vna illorum pars est materia prima, quam fieri ex alia præcedenti materia manifestè implicat, alioquin non esset prima, sed vel daretur infinitus processus in materiis prioribus, & prioribus in infinitum, vel deueniendum esset ad aliquam primam materiam increatam, quam insipienter admiserunt antiqui quidam Philosophi, quos refert & impugnat S.Th. q. præcedenti art. 2. & multò latius Suar. in Metaphys. disp. 20. sect. 1. à n. 17. ad 21.

Lateranens.

S. Thom. Suarez.

5 *Cælos fieri per creationem.*

Ex his habemus, primò omnia compósita materialia incorruptibilia, cuiusmodi sunt omnia corpora cælestia, non posse simpliciter fieri, nisi per creationem; & ideo communiter dicuntur non solum incorruptibilia, sed etiam ingenerabilia: quia cum habeant propriam aliquam materiam inseparabiliter vnitam propriæ formæ, non possunt fieri ex aliqua præsupposita materia. Ergo cum fiunt, fieri necessariò debent per creationem, per quam propria materia creetur. Corruptibilia vero composita cum habeant communem aliquam materiam iamdiu creatam, fieri non possunt per materiæ creationem tunc de nouo existentem, sed solum antea præsuppositam. Vnde habemus secundo ipsamet composita corruptibilia, cum primo à Deo immediatè facta sunt, facta necessario, fuisse per creationem; quia in illo temporis principio, in quo creauit Deus cælum & terram, aliaque corruptibilia elementa, nulla præexistebat materia antea creata; ergo tunc primo creari debuit illorum materia. Habemus tertio quod apertissimè docuerunt August. & Anselmus locis & verbis citatis supra art. 1. n. 6. omnia composita, etiam illa quæ post primam rerum creationem facta sunt, posse rectè dici esse à Deo creata, & ex nihilo facta: quoniam & si facta sint ex Materia, tamen ipsa materia, ex qua intrinsecè inexistente componuntur, ex nihilo facta est: &, quod potissimum ad rem facere videbitur, ipsemet formalis influxus creationis materiæ, diuina virtute continuo perseuerat sub ratione conseruationis. Quod Marsilius 2. sent q. 1. art. 2. p. 3. corol. 1. & 2. probabiliter extendit etiam ad ipsas formas ex materia eductas, vniuersalissime dicens, *Quid quid est citrà Deum, rationabiliter dicitur creatura; quia est creatum vel immediatè, vel mediatè*: hoc est, vt explicat in concl. *vel in re, vel in sua materia, ex cuius potentia genitum est.* In hoc sensu, inquit Augustinus *supra omnia Deum fecisse de nihilo, scriptum est.* Nam Isaiæ 41. dicitur, *ecce vos estis ex nihilo.* & lib. 2. Machab. c. 7. *Aspicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* & ad Colossi. 1. *in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia, & inuisibilia, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Vnde illud symboli, *factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Inquit etiam S. Thom. supra art. 2, initio corp. *Non solum est impossibile à Deo aliquid creari, sed necesse est ponere à Deo omnia creata esse.* & Riccard. 2. d. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. de quolibet composito scripsit, *secundum aliquem respectum creatum est, & secundum alium generatum est*: nimirum creatum ratione materiæ non productæ ex alia materia: generatum ratione vnionis ex materia productæ.

Augustin.

Compósita materialia initio facta necessario per creationem.

Composita materialia etiam, qua generantur, fieri à Deo per creationem.

Marsilius.

6 *Omnes materiales formas, & vniones, esse eductas.*

Habemus quarto quod, vt verè, ac rectè dicantur creari composita, non est necessarium, creationem immediate, & intrinsecè terminari ad formá substantialem, vel ad substantialem vnionis modum, quo formaliter fit compositum; quia, cum forma & modus in illo productionis instanti possint educi ex materia prima quæ tunc primo esse supponitur, & ex propria natura sint res educibiles ex materia, nulla est necessitas, ac proinde nulla probabilis ratio, vt omissa naturali generatione naturaliter debita, ac requisita, producantur miraculosè per aliam supernaturalem creationis actionem, ad ipsas per se immediatè terminatam. Præterquam quod difficilè valde est intelligere quo modo illa vnio, quæ ex propria ratione essentiali non potest esse sine extremis vnibilibus, quæ sunt eius subiecta essentialiter præsupposita, possit fieri per creationem absq; vllo concursu subiecti præsuppositi. Quod pluribus bene probauit Suarez in Metaphys. disp. 15. sect. 3. num. 10. & 11. quamuis ipse ibi sæpe contendens, vnica actione creatiua, absque vlla prorsus eductiua actione *productum esse cælum, secundum se totum*, vt loquitur, & explicat sect. 2. num. 16. teneatur admittere creationem vnionis, qua formaliter componitur cælum ex materia, & forma. Breuiter etiam, sed clarè ac solidè tetigit Ocham. 2. d. 1. quæst. 5. lit. P. dicens vniuersaliter, *Quod si sit aliqua forma, quæ non possit fieri per potentiam diuinam sine subiecto, quod illa non creatur à Deo: quia illud creatur, quod fit de nihilo, & nullo alio præsupposito.* Idemque obseruauit nuper Mendoza in disput. 6. Phys. sect. 4. §. 36. contra Suarez, quamuis §. 46. & 47. teneat per diuinam potentiam creari posse vnionem. Verum, cum vnio nullo modo produci possit absque subiecto, & consequenter absque concursu subiectiuo, non video, qua probabili ratione dici possit, produci ex nihilo, & creari & ad hanc sententiam accedere videtur, Vazquez hic disput. 174. cap. 3. & 4. non semel dicens, *compositum, quatenus compositum, non posse creari.*

An vnio possit creari.

Suarez.

Ocham.

Mendoza.

Vasquez.

7 *Compositum dicitur creari per creationem solius materiæ.*

Satis igitur est ad denominanda composita creata, vt creatio terminetur immediatè, & intrinsecè ad solam materiam: cum enim materiæ non competat, saltem naturaliter, esse nisi in composito; quoniam extra compositum non potest habere vllum actum secundum, ad quem essentialiter primariò ordinata est, eius etiam fieri censendum est naturaliter ordinatum, tum ex intrinseca ac naturali ordinatione rei quæ creatur, tum ex extrinseca ordinatione Dei creantis sapientissimo modo, naturis rerum debito, ad faciendum compositum. Per eamdem igitur, ac solam creationem, per quam intrinsecè denominatur creata materia, potest extrinsecè denominari creatum compositum. Quemadmodum in naturalibus actio generatiua formæ substantialis, cum forma tantum identificata ac proinde ad solam formam intrinsecè, & immediatè terminata, denominat etiam mediatè, & *vt quod*, siue vltimatò ipsum compositum generatum: neque eadem est ratio, vt sicut per creationem solius materiæ denominatur creatum compositum, ita per creationem animæ rationalis denominari debeat omnis homo creatus; quia esse subsistens

Per creationem solius animæ non denominari creatum hominem.

subsistens animæ est naturaliter ordinatum ad compositum, non propter naturalem necessitatem essendi simpliciter, cum extra compositum habeat suas præcipuas, ac naturales operationes intelligendi, quæ exercentur independenter à quocunque organo corporeo; sed solum propter naturalem virtutem, & inclinationem informandi, & componendi, ergo pariter fit in composito, non propter ipsum fieri, quod nulla ratione à corpore pendet, & idem omnino fieri esset, si crearetur extra corpus; sed propter informationem, & compositionem; fit enim anima rationalis, & est in corpore, nō vt simpliciter fiat, aut vt simpliciter sit, sed solum vt informet, & componat: esse verò materiæ primæ, esto sit subsistens, vt multis Doctoribus videtur, tamen contra propriā naturā est, vt simpliciter sit, & subsistat extra compositum, vt paulò antè probaui.

8 *Formæ substantiales materiales non creari propriè sed miraculosè.*

Suarez.

Molina. *Tamen concreari.* Riccardus.

Suarez.

Quarta conclusio. Formæ substantiales materiales, & accidentia omnia non possunt propriè, & cōnaturaliter creari, sed solùm cōcreantur. Ita S. Th. hic, & alij omnes, quia, cum hæc omnia non sint entia subsistentia, sicut connaturaliter petunt esse dependenter à subiecto; ita etiam & fieri, ac proinde non creari. Quo non tollitur, quin miraculosè fieri possint per creationem extra omne subiectū, Vnde vt docet, & testatur Suarez disp. 20. Metaph. sect. 1. n. 20. si quantitas fieret separata, *propriè crearetur ex omnium sententia.* hoc est, crearetur actione propria, ad ipsam solam terminata. Idque expressè concedit etiam Molina sup. ar. 1. §. *Intelligimus.* Prædicta igitur entia dicuntur concreari, non quia, vt bene explicat Riccardus 2. d. 1. ar. 1. q. 4. ad 2. *concreantur per aliam concreationem*, nec, quia vna, eadémq; actione creatiua producantur, vt Suarez in Metaph. disput. 15. sect. 3. num. 9. de materia & forma cœli; cùm probatum sit hæc educi ex ipsa materia præexistēte, sed præsuppositā, saltem prioritate naturæ; sed quia simul cum ipsa materiæ creatione producuntur, quamuis non eadem creatione, quomodo Theologi communiter dicunt, Gratiam concreatam cum Angelis: & Animasticis, potentias animæ rationalis concreatas cum illa.

9 *Materiā primam nō posse fieri aliter quā per creationem.*

Quinta concluſ. Materia prima euidenter non potest aliter produci, quàm per creationem, vt omnes sentiunt, quia non potest fingi alia prior materia, ex qua educi queat; si vero fieret miraculosè separata ab omni forma, *tūc sine dubio crearetur propriissimè*, vt rectè scripsit Suar. sup. tunc enim haberet, tam esse, quàm subsistere independenter à forma & à composito, & per propriam suam entitatem per se sola terminaret actionem illam, qua fieret independenter ab alio subiecto. De facto autem non est per creationem hoc modo producta; sed iuxta naturam suam producta est simul cum forma, & composito substantiali. Quomodo aliqui volunt illam esse propriè creatam, aliqui creatam impropriè, & potius concreatam. Qua in re, ne de nomine disceptemus, sed rem ipsam distinctè explicemus.

10 *Quomodo materia de facto creata sit.* Suarez.

Dico primò, de facto materia prima creata est per actionem creatiuā terminatam ad ipsam immediatè, & intrinsecè, non ad formam, nō ad vnionem, seu compositum. Hoc Suarez sup. acutè obseruault, nā loquens de illa actione, qua dicitur totum compositum creari, & concreari materia, ait, *si accuratè velimus distinguere illam, inueniemus totam rationē creationis, quæ in illa est, prouenire ex ea parte, quæ est effectio materiæ ex nihilo*: quia, vt ipsemet pluribus probauerat antea in disp. 15. sect. 3. & ego significaui sup. n. 6. init. omnes formæ, & vniones substantiales, etiam in prima rerum effectione, quando primò creata est materia, non sunt creatæ, sed ex materia eductæ. Quod ego quidem, quamuis contrarium

Nullam formam materialem, etiā cœli esse creatam.

contendat ibi Suarez, extendo etiam ad materias, & formas cœlorum; quoniam eadē ratione istæ etiam formæ, earúmque vniones pendent naturaliter in esse à materia; ergo etiam in fieri. Nec video solidam disparitatem in oppositum. Illa enim qua sola monetur Suarez, de cœli ingenerabilitate, quæ non saluaretur, si cœlum fieret per productionem eductiuam, non videtur multum vrgere, quia non omnis eductio ex quacunque materia est generatio propriè, ac strictè dicta, cui scilicet correspōdet corruptio; quæ tantum generatio repugnat cœlis, & competit reliquis sublunaribus compositis; sed generatio, cui respondet corruptio, est eductio ex materia indeterminata, & indifferēte ad plures, & oppositas formas: Materiæ autem cœlorum ingenerabilium, & incorruptibilium, non sunt huiusmodi, sed determinatæ ad vnam formam, & inseparabiliter affixæ propriis formis. Quarum eductio non est generatio strictè, vt correspondens corruptioni; sed largè, vt oppositā tantum creationi. Igitur si creari simpliciter, vel propriè creari, significat, actionem creatiuam, vt distinctam ab alia actione eductiua, esse terminatam ad vnum, non ad aliud, dici potest, ac debet materia simpliciter, & propriè creata, non concreata.

11 *An materia prima sit cōcreata.*

Dico secundò: Materia prima ex ordinata Dei creantis intentione, quam rei creatæ natura exigebat, creata de facto est, non ex se, siue vt in ipsamet materia sisteret productio; sed vt tali creatione mediante educerentur formę substantiales ex materia, & constituerentur composita ex materia, & forma vnitis. Hoc probatum est supra n. 6. & 7. Vnde colligo, quod si concreari, significat creari cum composito, ad quod illa creationis actio ex natura rei terminatur vltimatè, hoc est, mediante alia actione, quæ non est creatio, sed eductio, materia prima dici potest, & communiter dicitur concreata, vt loquitur S. Thomas de Potent. q. 3. art. 1. ad 13. Verum si non spectemus denominationem, sed rem ipsam, materia prima est adeo per se creata, & creationis actionem ipsa sola terminans, vt hanc ob causam Augustinus, & Anselm. sup. n. 5. velint, dici in Scriptura omnia à Deo creari, etiá quę hodie generātur, in quibus nihil fingi potest, ad quod realiter, & immediatè terminetur creatio, præter solā materiam primā, cuius productio semper perseuerat, cessantibus productionibus formæ, vnionis & cōpositi, quæ separatio euidens signum est distinctarū actionum.

S. Thom.

12 *Ex creatione materiæ primæ deduci propriam illius existentiam.*

S. Thomas.

Dico tertiò: Quæ de creatione materiæ hactenus dicta sunt, non posse sufficienter intelligi, nisi tribuamus illi propriam existentiam, seu, quod idem est, proprium esse actuale in re positum extra causā, independens formaliter ab esse formæ. Probata enim est actio creatiua, terminata intrinsecè, & immediatè ad materiam dumtaxat, non ad formā, non ad compositum. Sed, vt docet S. Th. hic ad 1. *Cum dicitur in l. de causis, quod prima rerum creatarum est esse, ly, esse, non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis.* Ergo est impossibile intelligere propriam creationem solius materiæ absque aliquo proprio esse illius. Enimvero, vt ad hoc ipsum probandum rectè sumit Suar. in Metaph. disp. 13. sect. 4. n. 13. *Creatio non nisi ad actualem entitatem, & existentem terminatur.* Præterea materia prima ex propria, & essentiali sua ratione creari debet, vt primum subiectum receptiuum, & sustentatiuum omnium formarum, & generationum, & vnionum, quibus composita ex materia, & forma constantur. Sub qua ratione necessariò debet præcedere omnes, saltem prioritate naturæ, & essentialiter includere existentiam, imò etiam subsistentiam, sine qua impossibile planè

Suarez.

est

Materiam primam habere etiam propriâ subsistentiam.

est intelligere posse realiter recipere, ac sustentare realem, ac physicam productionem rerum omniũ physicarũ, & realiter substerni omnibus actionibus omniũ naturaliũ agentiũ; sicut enim impossibile est, Agens non existens, nec subsistens, posse realiter agere, ita pariter fateor me non posse capere, patiẽs non existens, nec subsistens, posse realiter pati. Qua etiã argumentatione conuictus Suar. sup. sect. 5. n. 8. non solum dixit; *Habet materia actum existentiæ proprium*: sed præterea addit, *Habet actum subsistentiæ partialem, & proportionatum, illo enim omnino indiget, vt possit esse primum subiectum.* Verum ita pluribus persequi, negotij est purè Physici, vltrà terminos propositi finis mei; & materiæ præsentis.

ARTICVLVS V.

Vtrum solius Dei sit creare.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd non solius Dei sit creare, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Explicatur tota controuersia, & mens S. Thom. n. 1.*
2 *An vlla vnquàm creatura de facto creauerit, n. 2. ad 6.*
3 *An creatura possit creare perfectissimo modo, num. 6. ad 11.*
4 *An creatura possit aliquid creare vt causa secunda principalis, n. 11 ad 68.*
5 *An vt instrumentum Dei naturale. n. 68. ad 76.*
6 *An vt instrumentum Dei obedientiale, n. 76. ad finem articuli.*

1 *Explicatio totius controuersiæ.*

CREATVRA, & non solus Deus, tribus omnino modis intelligi potest creare. Primò vt causa principalis, nimirum secunda; nam creaturam creare, aut quocunque alio modo agere vt causam primam, manifestè implicat apud omnes; cum esse causam primam sit esse causam independentem ab alia priori causa, quæ independentia est propriissima Dei, vt contra distincti ab omni alio ente, essentialiter dependente ab ipso. Secundò vt causa instrumentalis naturalis. Tertiò vt causa instrumentalis obedientialis. Igitur, si distinctè probatum fuerit, creaturam nullo horũ trium modorum posse aliquid creare, probatũ quoque remanebit, creaturam nullo simpliciter modo posse creare, & consequenter partem affirmatiuam articuli esse vniuersalissimè veram, quod scilicet solius Dei sit creare; Quem vniuersalissimum sensum affirmatiuum, excludentem omni prorsus modo creaturam ab actione creandi, intendit sine dubio hic S. Th. & adeo certum atque euidentem existimauit, vt initio corp. dixerit. *Quod satis apparet in primo aspectu secundum præmissa, quod creare non potest esse propria actio, nisi solius Dei.* Tribus igitur propositis difficultatibus sequentes dubitationes respondebunt, & totam hanc grauem, & tã inter antiquos, quam inter modernos Doctores celebrem controuersiã distinctè explicabũr, in qua post traditã existẽtiam, & essentiã creationis, efficientẽ eiusdẽ causam inquirimus, tam de facto quam de possibili.

Mens S. Th. in hoc articulo.

DVBITATIO I.

An vlla vnquam creatura de facto creauerit.

SVMMA.

1 *Conclusio negatiua, eiusque aduersarij præsertim Ariani, n. 2.*
2 *Probatur primò ex Scriptura, n. 3.*
3 *Probatur secundò ex Patribus, n. 4.*
4 *Probatur tertiò rationibus, n. 5.*

2 *Conclusio negatiua de fide, ex S. Thom.*

CONclusio negatiua, omninò certa est apud omnes Catholicos: Nam vt ait S. Thom. de Potent. quæst. 3. art. 4. initio corporis, *secundum fidem Catholicam ponimus, quod omnes substantias spirituales, & materiam corporalem Deus immediatè creauit; hæreticum reputantes, si dicatur, per Angelum, vel aliquam creaturam aliquid esse creatum. Vnde Damascenus dicit, quicunque dixerit, Angelum aliquid creare, anathema sit.* Idque, vt post multa subdit, *fuit idololatriæ principium, dum ipsis creatis substantiis, quasi creatricibus aliarum, latriæ cultus exhibebatur.* & 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. relata contraria opinione veterum Philosophorum, de illa dixit, *pro hæresi condemnatur.* & in fin. corporis vocat *hæreticam.* Verum ex hæreticis Ariani olim filium Dei & à Deo Patre immediate creatum, & deinde creantem cætera, etiam ipsummet Spiritum sanctum: sic enim illi dicebant apud Athanasiũ orat. 3. contra Arianos col. 18. *Deum volentem creatitiam naturam producere, cum vidisset, eam paritatis suæ, & architectationis participem esse non posse, condidit primùs, & fecit vnus vnum, eumque appellauit suum filium, & verbum, vt illo condito, reliqua per illum condi possent. Hæc,* inquit Athanasius, *non solum dixere sed & scribere ausi sunt Eusebius, Arius, &, qui Idolis sacrificauit, Asterius.* Idem breuius aperuit quidam Philosophus pro Ario disputans in Concilio. Nicæno l. 2. propè med. dicens, *omnia per ipsum, vt per instrumentum fecit Deus, in hoc ipsum ante omnem creaturam ipsum faciens, ipsum instrumentum præparauit ad creaturarum naturarum effectionem.* Sed refutarunt Patres ibidem §. *Dic vir optime*, & §. *non ita.* De iisdem Arianis ita testatur Augustin. lib. vnico contra sermonem Arianorum c. 3. circa principium. *Quid est quod dicunt, iubente Patre, omnia creasse filium tanquam Pater non creauerit, sed per filium creari iusserit.* Item apud Cyrillum l. 5. Thesaur. cap. 2. initio. ita blasphemant Ariani, *Cum voluisset Deus creaturas de nihilo euocare, quoniam non potuissent meram illius virtutem sufferre, filium primò creauit (quem & verbum appellauit) talem, vt virtutem suam ei totam infuderit, vt per ipsum tamquam per medium, cætera fierent. Erat enim alioquin etiam indecens, ineffabilem Dei virtutem ad hæc minima peruenire.* Refert quoque Theodoretus l. 4. hæretic. fabul. col. 4. Eunomium, qui inquit, *aduersus vnigenitum, & sanctum Spiritum, palam blasphemias eructauit: & filium quidem, primam & eximiam Patris creaturam esse dicebat. Spiritum autem sanctum ante alias creaturas esse à filio fabricatum.* Quapropter Theophilactus in illud Ioan. 1. *omnia per ipsum facta sunt.* multis confutat Arium exponentem, *tamquam per instrumentum.* Quam sententiam legimus etiam in Origene tomo 2. in Ioannem pag. 5. fin. insertam fortasse ab Arianis. Eunomius etiam, vt refert Basilius l. 2. contra Eunomium paulò post med. de filio Dei dixit, *Idcirco vnigenitus, quoniam à solo natus & creatus perfectissimus factus est minister*; scilicet creationis reliquorum omnium quos imitari posteriores hæretici, filium Dei dixerunt, esse *instrumentum & ministrum Patris in creatione*; vt refert Bellarminus l. 1. de Christo c. 9. col. 2. §. *Ariani:* Præterea ex gentilibus Philosophis Auicenna & virtutem, & actum ipsum creandi tribuit creatis quibusdam intelligentiis, vt refert S. Thomas, hic circa med. corp. & l. 2. contra gentes c. 21. fi. & de Pot. q. 3. ar. 4. initio corp. vbi pro eodem errore citat etiam Algazelem: & multò fusius ac distinctius refert Fonseca 5. Met. c. 2. q. 8. sect. 1.

Cõtra Arianos apud Athanasiũ.

Nicænum.

Augustin.

Cyrillum.

Theodoret.

Theophil.

Basilius.

Contra alios hæreticos, & gentiles Philosophos.

Probatur

Probatur prima authoritate scripturæ.

Probatur conclusio, primò, quia, vt arguit S. Thom. 2. cont. gent. cap. 21. fin. Sacra scriptura Deum omnia creasse affirmat: & nunquã indicat aliquid creatum à creatura. S. Thom. affert tantum illud Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quem locum explicare voluisse videtur Ecclesia Catholica cum in suis Symbolis non solum fatetur, Deum esse *creatorem cœli & terræ*, sed etiam, *visibilium omnium, & inuisibilium*, Qua additione significatur, nihil prorsus fuisse creatum ab alio, quam à solo Deo. Afferri quoque potest illud Ecclesiastici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Vbi illud, *simul*, vt patet ex voce Græca, κοινῇ hoc est, pariter & communiter, vt docuit noster Pererius, doctissimus magister meus l. 1. in Genes. cap. 2. pag. 127. non significat simultatem temporis, sed collectionis, & vniuersalitatis; ita vt sensus sit; Deum pariter creasse omnia, tam cœlum, quàm terram, quàm reliqua; nec aliquid extitisse, quin à Deo de nihilo productum fuerit. Item illud Apocalyp. 4. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* & illud Hebræorum 3. *Quia omnia creauit, Deus est.* & ideo per creationem, tamquam per aliquid sibi propriissimum, verus Deus distinguitur à falsis Diis Ps. 95. *Dij gentium, Demonia: Dominus autem cœlos fecit.* & Hierem. 10. *Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de sub cœlo.* Cum igitur nullibi legatur creatura creare, & sæpe soli Deo tribuatur tam prima creatio primarum rerum, ad quam euidens est nullam creaturam potuisse concurrere, quàm reliquorum omnium creatio, certum omnino esse debet, Scripturam, cum Deo tantum tribuit actum creandi, velle ab eo omnem creaturam excludere: & ita intellexit Irenæus, cum Saturninum ac Basilidem hæreticos dicentes, mundum & hominem à septem Angelis fuisse factum, vt refert l. 1. c. 22. impugnat deinde l. 2. cap. 66. propè fin. ex eo quod in scripturis vnus Deus asseritur esse creator omniũ: Nam Ecclesiastici 24. Deus vocatur *Creator omnium.* & l. 2. Macab. cap. 1. dicitur, *Domine Deus creator omnium.* & clarius Ecclesiastici cap. 1. *Vnus est Altissimus creator, omnipotens, & Rex potens*, &c. & quod prudenter existimandum est magnam vim addere huic argumentationi, quamuis plerumque alia diuina nomina, etiam ipsummet Dei nomen, Scriptura tribuat creaturis, tamen nomen creatoris nulli vmquam tribuit nisi soli Deo; vt indicaret, creationem esse propriissimam vnius Dei operationem, & nulli vmquam creaturæ communicatam. Quod omnium clarissimè significatur Isai. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos, solus stabiliens terram, & nullus mecum.* & Iob. 9. de Deo dicitur *qui extendit cœlos solus.*

Exponitur locus Ecclesiastici. 18.

Irenæus.

4 *Probatur secundo ex Patribus.*

Probatur conclusio secundo quia eumdem sensum exclusiuum apud alios Patres passim legimus; multi enim quos referam dub. 3. asserunt, nullam creaturam posse creare. Multi etiam, qui ad hanc dubitationem pertinent, docent, nullam creaturam de facto creasse. Ex quibus grauissimè Augustin. lib. 12. de Ciuit. cap. 24. opinionem Platonis dicentis, Deum summum immediatè creasse quosdam Deos, à quibus deinde & homines, & cuncta mortalia creata fuerint, vocat *errorem*; & subdit, *neque enim fas est vllius naturæ, quamlibet minimæ, mortalisque creatorem, nisi Deum credere, ac dicere*; Quod deinde in cap. 25. & 26. pluribus docet, ac probat, & c. 26. ante medium, eamdem opinionem vocat *falsissimam*; quoniam inquit, *omnium viuentium, siue in cœlo, siue in terra, nullus est conditor, nisi à quo facta sunt cœlum & terra.* & post med. tamquam aliquid ad fidem pertinens, ita concludit, *Merito igitur vera est Religio, quæ mundi vniuersi eum*, nempe solum Deum absque vlla creatura, vt antea dixerat, *animalium quoque vniuersorum, hoc est, & animarum, & corporum conditorem agnoscit & prædicat.* & l. 3. de Trinitate cap. 8. ante med. *Non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores.* & lib. 9. de Gen. ad literam, cap. 15. initio *Angeli nullam omnino possunt creare naturam; solus enim vnus cuiuslibet naturæ seu magnæ seu minimæ creator est Deus.* & post med. ait, *creare naturam tam nullus potest Angelus, quam nec se ipsum.* Item Damascenus lib. 2. fidei cap. 3. fin. *Quicumque dicunt, Angelos conditores esse cuiuscunque substantiæ, ipsius diaboli sunt, eorum quidem patris: creatura enim cum sint, non sunt conditores. omnium vero factor, & prouisor, & contentor, Deus est solus increatus.* Multi etiam Patres, quos superius suis locis attulimus, Diuinitatem filij; & Spiritus Sancti probant ex eo quod illis tribuitur creandi actio: inter quos Athanasius epist. ad Serapionem, quæ incipit, *Admirabile*, paulo post med. ita pro vtroque arguit, *Si quia conditor est filius, ideo non est creatura, & si, quia per eum condita sunt omnia, non est de numero rerum conditarum, manifestum est, ne spiritum quidem esse creaturam, quandoquidem de illo scriptum est, emitte spiritum tuum & creabuntur.* Quæ quidem argumentatio, nullius esset momenti, si quis esset & creatura simul, & creator.

Damascenus

Athanasius.

Psalm. 103.

Augustinus

5 *Probatur tertiò rationibus*

Probatur conclusio tertiò rationibus. Prima quia ex probãdis constabit, creaturam nullo modo posse creare: & consequenter, creationem esse actionem solius Dei propriam, supra conditionem cuiuslibet creaturæ. Ergo fingitur creatura de facto creant. Hanc rationem breuissimè, sed clarissimè tetigit Damascenus supra illis verbis, *Creatura cum sit, non sunt conditores.* tetigit etiam Cyrillus l. 2. contra Iulianum proprius ad med. quam ad fin. dicens, *Si creare, naturæ magnificæ operatio est, & virtus, & vltra mensuram creaturæ, digna est Deo, cur summæ naturæ dignitatem detrahunt, & generationi & corruptioni obnoxiis donant, vt sibi placet?* hoc est, Angelis ex nihilo factis, & in nihilum conuertibilibus, quibus Iulianus, Platonẽ sequens, mundi creationẽ tribuebat. Secunda quia si præscindamus ab impossibilitate, & possibilitate, & consideremus factũ præcisè, non potest prudenter concedi creatio creaturis, nisi vel ex aliqua ratione, vel ex authoritate extrinseca: sed aduersarij nullã planè rationem probabilem afferunt, nullumetiam proferunt testimoniũ fide dignum, sed quam plurima & grauissima testimonia superius in contrariũ allata sunt: Ergo creatio à creaturis de facto prouenientes, non solum est impossibilis, sed etiã ad libitum conficta.

Damascenus.

Cyrillus.

DVBITATIO II.

An Creatura possit creare perfectissimo modo.

SVMMA.

1 *Dubitationis titulus exponitur. num. 6.*
2 *Implicat creaturam creare cum independentia à priori agente. num. 7.*
3 *Implicat creatura potens omnia creare. n. 8. ad 11.*

Exponitur titulus.

IN creatione præter perfectiones in superioribus explicatas, & probatas, considerari præterea possũt duæ aliæ perfectiones, in ipso quidem creationis conceptu essentialiter inclusæ, non tamen explicitè, sed implicitè; & ideo sequentibus dubitationibus probandæ; nunc autem supponantur non inclusæ, sed separabiles, vt ostendamus creaturam,

creaturam, esto creare simpliciter possit, non posse tamen creare, cum quibusdam perfectionibus, cum quibus de facto creat Deus; ostensuri postea non posse simpliciter creare, cum nulla creatio esse possit absque prædictis perfectionibus, quæ si nõ sunt communicabiles creaturis, non erit consequenter illis communicabilis creatio: & ideo ad hoc demonstrandum, necesse est ante omnia has perfectiones ab omni creatura excludere. Prima perfectio est, vt creatura possit creare omnino ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito, neque vt subiecto, neque vt efficiente. Secũda perfectio est, vt possit creare indeferenter, & indeterminatè, ita vt actiuam potestatẽ habeat supra totum ens creabile, & efficere possit omnia, quæ per diuinã omnipotentiã effici possunt,

7 *Implicat creaturam creare, nullo præsupposito ex parte agentis.* Durandus. S. Thom.

Prima conclusio creare cum prima perfectione hoc est, producere ex nullo præsupposito, etiam ex parte agentis, ita vt creans innitatur solum suæ virtuti, non potest vlli creaturæ communicari. Hoc ex instituto probat Durandus 2. d. 1. q. 4. n. 9. secundum omnes, vt ipse rectè testatur: Probat etiam S. Thomas de Pot. q. 3. art. 4. circa princip. corp. dicens, *Quod si strictè creatio accipitur, quæ nec præsupponat materiam, nec aliquam priorem causam agentem, constat quod non potest nisi primo agenti conuenire.* Constat scilicet apud illos etiam, qui creationem creaturis concedunt: quoniam inquit, *nec etiã ipsi Philosophi posuerunt Angelos vel intelligentias aliquid creare, nisi per virtutem diuinã in ipsis existentem.* Ratio sumi debet ex sæpe dictis & probatis in primo & secundo tomo de essentiali dependentia creaturæ à Deo non solum in fieri, sed etiam in conseruari, & in operari, siue agere: & ex singulis istis capitibus, per se & præcisè consideratis, demonstratur intentum. Si enim vt bene sumit S. Thomas, *causa secunda non agit nisi ex influentia causæ primæ*, nimirum immediata in ipsam formalem creaturæ operationem, euidenter sequitur, quod vt idem S. Thom. infert; *omnis actio causæ secundæ est ex præsuppositione causæ agentis.* Eadem enim actio ita est simul immediate à Deo, & creatura, vt in illa actione, creatura à Deo, non Deus à creatura dependeat. Ergo omnis actio agentis creaturæ, præsupponit agentem Deum, prioritate naturæ, siue independẽtiæ. Si vero cum Durando negetur huiusmodi immediate dependentia in operari; idẽ quoque apertè deducitur ex sola dependentia in cõseruari, quia, vt bene arguit Durandus, *quod innititur suæ causæ conseruatiuæ, innititur ei in esse, & per cõsequens in omnibus perfectionibus, quæ præsupponunt esse*, qualis perfectio sine dubio est operari, & creare. *Ergo nulli creaturæ potest communicari quod creet, nullo supposito ex parte agentis:* sicut nec vt quãlibet aliam operationem exerceat, quia vt sapienter aduertit Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 2. num. 6. quoad hoc; Eadẽ ratio esse de creatione & de quacunque alia operatione dependente à subiecto, quæ nõ potest esse independens à prima causa. Si denique spectetur sola depẽdẽtia in fieri, necessariũ etiã est, vt creatura, quæ nõ potest creare nisi ipsa ab alio facta & creata sit, si creat, præsupponat priorẽ aliã causã sui productiuã.

Suarez

8 *Implicat creatura potens omnia creare.* Durandus.

Secunda conclusio, implicat etiam communicari creaturæ vt creet aliquid cũ 2. perfectione, hoc est, per virtutẽ indeferentem ad creandũ quodcumque aliud. Hoc quoque probat Durãdus supra n. suo 10. & nemo negat, teste Suarez in Metap. disp. 20. sect. 2. n. 4. qui meritò dicit hoc esse *euidentissimũ*. Vnica Durandi ratio est, quia *Nulla creatura potest creare se ipsam, quæ est de numero creabiliũ. Ergo nec omne creabile. Ergo nulli creaturæ potest communicari creatio secundũ suum totũ ambitum.* Sed quia dicere quis posset, aliquã creaturam posse creare omnia, excepta se ipsa; addẽdum est, ne hoc quidem dici posse de causa secũda principali: hæc enim vel superari, vel saltẽ æquare debet nobilitatem sui effectus. Sed quacũque data creatura, sẽper Deus potest facere alias & alias in infinitum perfectiores, nec potest facere vnã aliquam creaturã cum infinitis perfectionibus, vt multis demonstratũ est in 1. tom. q. 7. ar. 3. dub. 13. Ergo nunquam assignari potest particularis aliqua creatura, quæ habeat, vt causa secunda principalis, vim actiuã in omne creabile, etiã se ipsa excepta. Idem probabitur inferius de causa instrumẽtali, etiã obedientiali: quæ est huius controuersiæ pars omnium difficillima, & pendet ex multis ac profundis discursibus faciendis dub. sequẽri.

Conclusionis ratio.

Cõfirmari maximè potest cõclusio, authoritate Patrũ, communiter probantium cõtra Arianos, Verbum non posse esse creaturam, quia de ipso Ioan. 1. legitur, *omnia per ipsũ facta sunt.* Quod argumentũ nihil valeret, nisi putarent omnino impossibile, esse aliquam creaturam quæ vim habeat creãdi omnia, & præcipuè deducũt aduersarios ad illud absurdũ, de quo Durãdus supra, quod idem posset producere seipsum. Ita arguit Athanasius Epistola ad Affricanos col. 3. *Si Verbũ per quod omnia facta sunt, & ipsum quoq; creatura fuerit, sequitur, vt illud seipsum creauerit. Sed quì quæso, id quod creatur, creare, aut quod conditur, condere poterit.* & Dialogo 2. de Trin. contra Anomœũ, aliquanto post med. *Si fateris omnia ex Patris voluntate per filium esse facta, & vna cum aliis filiũ quoque factum esse dicis, cõcedas etiam oportet, ipsũ à se ipso factum esse; quod absurdum est.* & Serm. 3. contra Arianos col. 15. *Si filiũ, opus, creaturamq. censeri vis, sequitur vt aut ipse se ipsum operetur, & creet, quãdoquidem quæ operatur Patris ea sunt & filij opera; quod absurdũ fuerit & impossibile; aut vt dum creat & operatur opera patris, ipse non fuerit opus, aut creatura.* Et paulò post, *neque verbum operatum fuisset omnia, si ipsum ex numero operum, aut rerum conditarum fuisset.* Ita etiam Ambrosius l. 1. fidei c. 6. ante med. *Si lectum est, quod per ipsum omnia facta sunt & sine ipso factũ est nihil, nunquid ipse se fecit!* Ita acutissime Augustinus l. contra sermonẽ Arianorum c. 2. *Si dicant, filium à Patre ex nihilo constitutũ, quærant per quem factus sit à Patre ex nihilo filius. Non enim per se ipsũ fieri potuit, tamquã iam esset antequã fieret, vt esset ipse, per quem fieret idem ipse. Et quid opus erat eum fieri, qui iam erat. Aut quomodo fiebat vt esset, qui iam erat, antequam fieret. Porro si per aliquem alium factus est, quis est iste alius, cum omnia per ipsum facta sint. Si autem à Patre per neminem factus est, quomodo per neminem aliquid à Patre factum est; cum per filiũ, hoc est, per eius verbũ facta sint omnia?* & lib. 1. de Trin. c. 6. circa princip. *liquido constat, ipsum factum non esse. per quẽ facta sunt omnia.* & tractatu primo in Ioan. post med. *Concede non factũ, per quod facta sunt omnia. non enim per se ipsum fieri potuit per quod facta sunt omnia.* Ita Gregorius Bœticus l. de Trinit. col. 3. & habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, *Si ipse factus est, quomodo per ipsum omnia facta sunt? Non enim cum fieret potest author esse, qui non fuit, atque ideo infectus credendus est per quem omnia facta sunt; quia vanum est, & absurdum, vt & ipse, cum non extaret, factus per se esse dicatur.* Cuius absurditatis, atque implicantiæ rationem assignauit Anselmus in Monologio cap. 28. med. *Quia quidquid fit posterius est eo per quod fit, & nihil est posterius se ipso.*

9 *Probatur cõclusio authoritate Patrũ.*

Athanasij

Gregorij Bœtici

Anselmi.

10 *Patres loqui de omni creante, etiã instrumentaliter.*

In qua Patrum argumentatione, quod confirmat conclusiones infra probandas in 4. & 5. dub. aduertendũ est, Patres loqui vniuersalissimè de causa productiua omniũ creabiliũ, quã docent esse non posse nisi Deũ increatũ; & de causa productiua sui ipsius, quam volunt neque esse posse creaturam, neque ipsum

ipsummet Deum, vt expresse extendunt Tertullianus l. contra Praxeam cap. 10. Riccardus Victorinus l. 1. de Trinit. cap. 6. & 8. & Bernardus l. 5. de consideratione prope med. & numquam facere vim in causa principali, sed velle excludere omnem causam, etiam instrumentalem obedientialem, vt rectè obseruarunt Fonseca l. 5. Metaph. c. 2. q. 8. sect. 3 fin. Ruiz de Trin. d. 110. sect. 8. n. 11. & sect. 9. n. 12. tũ quia neque de Arianis, neq; de Ario, quorũ sententias. Patres referunt & impugnãt, vmquã legimus restrinxisse suã hæresim ad filiũ creaturam, creantem omnia tanquam causam principalẽ, non tamquam causam instrumentalem: alioquin salua tota hæresi de filio Dei creato, facillimè, ac libentissimè concessissent Catholicis, filiũ fuisse creationis causam non principalem, quæ repugnat, sed instrumentalem Dei Patris, quæ non repugnat, & de hac loquutum Ioannem docentem, *omnia per ipsum facta sunt*: Sic enim verbi naturam minus perfectam reddidissent, quod impio Ario cordi erat. Tum quia aliquando Patres, vt relatũ est supra n. 2. expresse referunt Arium, Arianosque dicentes, filium creationis instrumentũ, & ministrum. Et instrumentum obedientiale non obscurè significauit Augustin. illis verbis. *Ipsi dicunt, iubente Patre omnia creasse filium.* & nihilominus Patres hoc ipsum, tamquam omnino impossibile generaliter reiiciunt. Ergo valde verisimile est, & ferè certum, in sensu vniuersali docuisse ac probasse Patres, nullam creaturam posse aliquo modo creare; aliter omnino vanum ac nullum redditur præcipuum eorum argumentum, quo increatam Verbi naturam demonstrare conati sunt, ex eo quod mundi creatio, quod ipsi quoque Ariani non negabant, facta dicatur per verbum. Idque ex eo potissimum mihi persuadeo, quia lego apud Augustinum l. 9. de Genesi ad literã c. 15. post med. *Creare naturam, tam nullus potest Angelus, qua nec se ipsum.* Sed apud omnes cõstat nullã rem, ne vt instrumentũ quidem obedientiale, posse creare seipsam. Ergo eadẽ certitudine, ex Augustini sententia cõstare debet, nullã creaturã posse aliquid simpliciter creare. Idemq; sensus esse debet reliquorũ Patrum, inferius citandorum, qui contra Arianos docet Creaturã, eo ipso quod creatura est, nõ posse creare; neq; limitant de creare hoc, vel illo modo.

Fonseca Ruiz

Augustinus

DVBITATIO III.

An Creatura possit aliquid creare, vt Causa secunda principalis.

SVMMA

1 *Posse dari moralem Creationis causam num. 11,*
2 *Implicat, creaturam esse causam principalem creationis, contra Durandum. num. 12.*
3 *Prædicta implicantia probatur primo authoritate Patrum n. 3. ad 16.*
4 *Probatur secundo præcipuo S. Thomæ fundamento, quod latè exponitur. num. 16. ad 21.*
5 *An ad creandum aliquid, requiiatur potentia infinita. num. 21. ad 24.*
6 *Quanta sit distantia inter ens & non ens. n. 24.*
7 *Idẽ esse. posse creare vnũ, & posse creare omnia. n. 25.*
8 *Examinantur quindecim aliæ rationes aliorum authorum. num. 26. ad 44.*
9 *Satisfit obiectionibus Durandi. n. 44. ad 50.*
10 *Soluuntur Scoti argumenta contra rationes, S. Thomæ num. 50. ad 58.*
11 *Soluuntur argumenta apud Adamum & Capreolum contra conclusionem. n. 58. ad 62.*
12 *Satisfit quibusdam difficultatibus à Suarez propositis. num. 62. ad 68.*

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

11 *Posse dari moralẽ creationis causã,* Bagnes Molina

NOmine causæ simpliciter, intelligimus efficiẽtem physicam. Nã si de morali sermo sit, nulli dubium est, quin creatura possit esse causa creationis, vt adnotarũt Bagnes hic dub. 2. initio & Molin. d. 2. ad 2. posset enim Deus moueri ad creandũ aliquẽ Angelũ propter preces, & alia meritoria opera Beatissimæ Virginis, vel alterius sanctissimi Viri. Et de facto nonnulli viri Sancti, qui orationibus, votis, aliisque piis operibus impetrarũt alicuius hominis generationem, videntur fuisse meritoriè causa creationis animæ rationalis, qua formaliter homo habet esse hominis. *Sic enim*, inquit Marsilius 4. q. 1. art. 3. p. 2. concl. 3. *Isaac Gen. 25, precibus obtinuit dari conceptũ Rebeccæ, & animas Iacob & Esau à Deo creari.* De facto etiã Christus Dominus, si ponatur prædestinatus ante præuisũ peccatum primorũ hominum, fuit meritoria ac moralis causa creationis reliquarũ omniũ creaturarũ. Ipse enim est inquit Apostolus ad Colos. 1. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniã in ipso cõdita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Et si sentẽtia S. Th. lõgè probabiliore, ponatur prædestinatus post peccatũ, fuit etiã moralis causa eiusdem creationis, si nõ quoad primũ illius esse, saltẽ quoad conseruationẽ. De causa igitur efficiente physica sit.

Marsilius

Colos. 1.

12 *Cõclusio negatiua contra Durandum*

Vnica conclusio negatiua omnium, vno excepto Durando 2. d. 1. q. 4. quamuis enim ibi indistinctè contendat, non implicare creaturam, quæ vi sua intrinseca, subordinata tamen primæ causæ, possit creare specialem aliquẽ effectum, non limitando ad causã instrumentalem, nec extendendo ad causam principalem; tamen n. 34. ad sextum argumentum, quo distinctè premebatur, vt declararet an creatura possit creare vt principale agens, aut instrumentũ; respondet, nõ esse tale agens instrumentale, *quod de se non exiret in actum, nisi speciali motione facta circa ipsum sicut est in securi*: esse tamen agens instrumentale, *quod supponit aliquod aliud agẽs*: quemadmodũ, inquit, *Omnis creatura in actu suo, quantumcumq; naturali; est agens instrumentale quia supponit primam causã, cui innititur in esse, & per cõsequens in agere.* Si creatura potẽs creare, nihil aliud habet de causa instrumentali, nisi supponere primã causam, à qua in esse & in operari dependeat, non excluditur per hoc à vera ac propria ratione causæ secũdæ; quam omnes vocamus principalem, non per exclusionẽ alterius prioris causę simpliciter, à qua in esse & in operari pendeat, quo modo causa principalis est solus Deus, sed solũ per exclusionẽ alterius prioris causę creatæ, cuius sit actiua virtus, & propriè dicitur instrumentalis; quò modo causæ, etiã creatæ, propemodum infinitæ dicuntur, & verè sunt causæ principales. Et in hoc sẽsu nunc disputamus de creatura principaliter creante, sicut est v. g. Sol principaliter illuminãs, & ignis principaliter calefaciens. Atque hos duos sẽsus distinctè expressit Magister I. 4. sen. d. 5. circa fin. dicens *Posset Deus per aliquem creare aliquã; non per eum tamquam authorẽ, sed per ministrũ cum quo, & in quo operaretur.*

Magister

Implicare igitur prædictam principalem creationis causã creatam, esse debet apud omnes Catholicos valde certũ propter expresã grauissimamque omnium Sanctorum Patrum authoritatẽ, qui præcipuum fidei nostræ mysterium, de Verbo increato eo potissimum argumento aduersus Aria nos defendunt. quoniam, vt constat ex scripturis, & ipsimet Ariani non negabant. Verbum creat. Ergo non, potest esse creatura; quia creãdi actus omnino cõtradicit essentiali rationi creaturæ. Quæ argumentatio debet saltem intelligi de Creatura creante vt causa

13 *Probatur cõclusio authoritate Patrũ.*

Athanasius

principali,qui est creatus operandi modus omnium nobilissimus. Ita arguit Athanasius serm.3. contra Arianos col.15. & consequentiâ probat his verbis. *Quomodo si secundum vos ex non entibus extitit, potens est non entia, vt entia sint, condere, atque architectari?* & post pauca subdit, *neque enim vel Angeli quidquâ creare possunt, cum & ipsi sint creaturæ. quinimo ne sol quidem, cum sit res creatitia vmquam effecerit, vt quod nihil est, aliquid fiat:* & paulo post, *si per Verbũ Deus, quæ entia non sunt: euocat ad essentiã, fieri nequit vt Verbum sit ex numero non entium, aut eorum qui euocantur vt sint.* Non facit vim in creatura potente creare omnia: sed apetissimè docet, creaturam ne vnum quidem effectũ creare posse; & vniuersalem implicantiæ rationem ducit ex sola, ac præcisa ratione creaturę. Quapropter col.19. subdit, *condere, & creare, solius Dei est, eiusque Verbi, & Sapientiæ.* Ideoque à posteriori prudentissimè persuader, continuo subiungens. *Ideoque in condendi ratione nõ alium inueneris, nisi solum Dei verbum.* Enimvero probabilissima cõiectura est quam tetigit Molina hic §. *Prætermissis.* & pluribus prosequitur Suarez in Metaph.d.20.sect.2.n.12.& 13. eaq; inquit *apud me est efficacissima ratio;* Tametsi aliqui recentiores immerito contradicant, sequentes Albertinũ tomo 1.pag. 138.n.17.& 18. & Mendozã dis.12.phys.sect.7.§. 115. quod creatura habens naturalem potentiam creandi aliquid, non sit factibilis, quia adhuc facta non est. Esset enim agés diuersi generis, & altioris ordinis supra reliqua omnia agentia; ac proinde sine illo, esset proculdubio imperfecta vniuersi natura; quemadmodũ si non esset creatus gradus agẽtis intelligentis, cum non minorẽ imperfectionem faciat carentia gradus cognoscitiui per intellectum, quàm gradus actiui per independentiam à subiecto. Constat enim omnia agentia hactenus creata, siue materialia siue inmaterialia, in essendo, esse materialia in operando, hoc est, dependentia à materia seu subiecto præsupposito. Si igitur creatura ita excederet, vt esset immaterialis non solũ in essendo, sed etiam in operando, quam perfectissimã immaterialitatem habet Deus, constitueret vtiq; altiorem entis creati gradum, & ordiné magis eleuatum à materia, & potentialitate: Ergo si vniuersum cum omnibus naturis & gradibus de facto creatis est perfectũ, & in eo non est natura, seu genus, seu gradus agentis creantis, signum vrgens esse videtur, huiusmodi agens nõ esse creabile. Confirmatur quia Cyril.l.5.Thes.c.3. aliquãto post principium, ex suppositione quod nõ detur plures creaturæ creantes, deducit, ne vnam quidem dari; ac proinde Verbum, cui Ioan.1. creatio tribuitur, non esse creaturam *Inuidiæ*, inquit, *vitium inurunt Patri ita dicentes*; nempe Ariani, qui volebãt, Deum Patré vni tantum creaturæ dedisse creãdi potentiam & artẽ: *Si quidẽ poterat creandi artem multos docere, & non fecit. Quid enim prohibebat, si doctrina creatio datur, multos esse creatores; sicut multos Angelos, atq. Archãgelos.* Ergo multò maiori ratione, ex suppositione, quod nulla vmquam creatura data sit quæ creauerit, aut creare potuerit, licebit nobis deducere, impossibilé esse creaturá, quæ creare possit. Maius quippe inuidiæ, atque auaritiæ vitium est, quod pores dare, præsertim absq; vlla rerũ tuarum diminutione, quemadmodũ, & non alio imperfecto modo dare poterit Deus, ne vni quidem velle dare, quàm dare vni tantum, & non aliis. Ergo si hoc, docctissimo Cyrillo iudice, est vitium diuina bonitate indignum, multò magis erit primum.

Probatur cõiectura Suarez & Molinæ, cõtra Albertinum & Mendozam, quod creatura non possit creare.

Confirmatur coniectura ex Cyrillo.

Athanasius

Præterea idem Athanasius epistola ad Africanos, aliquanto ante med, docens, quod repugnat, Verbũ creati, & simul esse creatorem, repugnantiam ita explicat, *Sed qui quæso, id quod creatur, creare, aut quod conditur, condere poterit.* Sunt quoq; ad rem verba eiusdẽ supra n.4. quibus ex eo quod filius etiam & Sp.Sanctus creãt, probat illorũ diuinitatẽ. Quod argumentum fusius prosequitur disp. contra Arium, habita Laodiceæ multò post mediũ: & faciũt etiam Patres Nicæni Concilij l.2. post med. §. *In libro Iob.* Naziãzenus oratione in sanctã Pentecostem, inter mediũ & finem. Basilius l.5. contra Eunomiũ sect.16. quæ est penultima, & Homelia 17. in S. Baptisma, post mediũ. Epiphanius in Ancorato, multo propius ad principiũ, quam ad mediũ. Gregorius Bœticus l. de Trinitate prope finem tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum, & passim alij.

Nicænum. Nazianzen. Basilius. Epiphanius. Gregorius. Bœticus.

Habemus etiã illustrissima Cyrill. testimonia. Nã l.2. Thesaur. c.2. fin. Arianã hæresim de Verbo Dei creato & creãte, impugnat ex eo quod, *Virtutẽ creatiuã susc ipere creatura non potest.* quoniã vt raciocinatur l.5.c.3. circa principiũ *Non est officiũ artus, ex nihilo creaturas producere, sed ineffabilis atq; creatiuæ virtutis. Artis enim est ea, quæ sũt, quasi per subiectã materiã solũmodo immutare: creandi autẽ virtus ipsã rerum substantiã à nihilo ad esse producit.* Quibus verbis tãgitur præcipuũ totius huius cõtrouersiæ fundamẽtum S. Thomæ, de quo mox dicam. Et non loquitur Cyrill. de virtute creãdi omnia, sed de virtute creãdi simpliciter. Quã magis explicat l.6. c.2. med. dicens: *Nulla creatura vmquã substantiã à nihilo producere poterit; finitæ namque, id virtutis esse non potest.* & l.12.c.15.col.2. *nihil factũ, creãdi virtutẽ, quæ infinita est, suscipere potest.* Clarissimè docet, ad simpliciter creandũ, necessariam esse virtutem infinitam; quod, vt inferius ostendã, perpetuò docuit, & probauit S. Thom. tametsi multi, tã ex veteribus, quã ex recentioribus nõ capiãt, & frustra impugnare conẽtur. & l.2. contra Iulianũ, aliquantò post med. *Hoc maximè contra diuinã gloriã militat, etiã alios putare posse creare, & ex nihilo producere. Non enim fas est dicere, quod ea, quæ diuinæ & ineffabilis naturæ propria & eximia sunt; naturaliter possint inesse quibusda ab ipsa factis.* Cyrillus.

Multũ quoq; probãt verba Augustini & Damasceni supra n.4. *Neq; enim fas est*, inquit Augustin. *vllius naturæ qualibet minimæ, mortalisq; creatorẽ, nisi Deum credere, ac dicere.* Quæ verba hãc veritatẽ docẽt, non solũ de facto, verũ etiam de possibili: sicut etiam illa alia, *Angeli nullam omnino possunt creare naturã; solus enim vnus cuiuslibet naturæ, seu magnæ, seu minimæ Creator est Deus.* & multò clarius iterũ, *Creare naturã, tam nullus potest Angelus, quam nec se ipsum.* Item Damascenus, quãuis doceat, nullam creaturã de facto creasse, assignat tamẽ apertissimam implicantiæ rationem, id probantem etiam de possibili, subiungens. *creaturæ enim cum sint, non sunt conditores.* Hugo etiam Victorinus de Sacramentis l.1.p.6. capite vltimo circa principium, ait, *de nihilo aliquid facere, siue de aliquo nihil, solus Deus potest.* Certa igitur, & communi Sanctorum Patrum authoritate, creatio, vt formaliter creatio, esse non potest actio procedẽs à creatura. Quid autẽ sit in formali conceptu creationis repugnãs creaturæ, vel quid sit in formali conceptu creaturæ contradicens actioni creandi, in magna cõtrouersia apud antiquos, & multo magis hodie apud modernos positũ est, ita vt vix iam inuenias duos inuicẽ consentientes. Et ideo Suarez in Metaph.d.20.sect.2.n.12. de hac verissima sententia dixit, *difficillimum censeo, cogentẽ rationẽ ad illam confirmandã afferre.* Et Valentia hic puncto 4. reiectis omnibus rationibus, ait, *Rationem huius repugnantiæ nondum compertã habeo.* Et ex antiquis nõnulli, vt Ochamus 2.q 7.litera.D, & quod l.2.q.8. & 9.& qui illam refert Gabriel 2.d.1.q.4.art.2. initio dicunt, non posse demõstrari, sed rationabiliter persuaderi. Idemque dixerunt Alliacensis 4.sen. q.1.

Damascen.

Hugo Victorinus.

Suarez.

Valentia.

Ochamus.

Gabriel.

Alliacensis.

Scotus.

quæst.1.art.2.concl.2. in primo dicto, & alij antiquiores apud Scotum 4.dist.1.quæst.1.§. *sed quæstionem.* inter quos in margine citatur Vaio 2.d.1.q.6.

Exponitur & defenditur S. Thomæ ratio.

16 Nihilominus ad hanc conclusionem rationem demõstrandam sufficiens videtur fundamentum, tum hic, tum pluribus aliis in locis à S. Thoma positum. Quod quidem multos habet aduersarios, & mihi etiam olim minus placuit, nunc autem re maturius considerata, videtur satis firmum, & vnica radix omnium quæ de potentia creatiua communiter dici solent, vt quod sit infinita, quod sit supernaturalis, quod sit propriissima actus puri & increati, quod ita repugnat creaturæ sicut eidem repugnat potentia producendi se ipsam ex doctrina Augustini suprà num. 4. quod esse nequeat instrumentalis nec naturaliter, nec etiam obedientialiter. Formo igitur principalem discursum, & implicantiæ rationem verbis ipsius Sancti Thomæ. *Impossibile est quod causa secunda ex propria virtute sit principium esse, in quantum huiusmodi.* de Potentia quæst.3. articul.4. paulo ante medium corporis, *sed producere esse absolutè, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis.* vt dicitur hîc paulo post principium corporis. Ergo impossibile est, quod causa secunda, quæ est creatura, sit ex propria virtute principium creationis. Manifestum est argumentum esse in forma. solum igitur probatione indigent maior, & minor. Et quidem maior, qua dicitur, quod implicat, creaturam esse causam secundam principalem essendi simpliciter, ac proinde entis creabilis, ex eo formaliter & adæquatè quod sit ens creabile, & non hoc, aut illud ens creabile, & consequenter, habere potentiam supra omne ens creabile, facile conceditur ab omnibus. Eamque probo primò cum eodem sancto Thoma lib.2.cont.gen.cap.21. num.3. & repetit hic initio corporis & de Potentia quæst.3. articul.4. Inter omnes effectus qui causantur ad extra, *esse simpliciter, est causatum primum, quod ex ratione suæ communitatis apparet.* & vt ait citato loco de Potentia *primus effectus est ipsum esse, quod omnibus aliis effectibus præsupponitur, & ipsum non præsupponit aliquem alium effectum.* Ergo non potest esse prius effectus nisi causæ primæ, & vniuersalissimæ, quæ est solus Deus. Secuudo Arguo ex iis quæ idem optimè docet ibidem, num. 4. Quidquid est causatum secundum aliquam naturam, non potest esse principalis causa illius naturæ, verbi gratia, Adam quia habet suæ humanitatis causam; non potest esse principalis causa humanitatis, quia cum humanitas sua sit causata ab aliquo, sequeretur quod esset causa sui ipsius, cum ipse quoque sit aliquid quod est per humanitatem. *Et ideo*, vt sapienter deducit Sanctus Thomas, *oportet, quod generans vniuocum, sit quasi agens instrumentale respectu eius, quod est causa primaria totius speciei.* Sed omnis alia res, præter Deum, est creatura habens esse, seu naturam ac rationem essendi simpliciter, non à se, sed ab alio causatam. Ergo est prorsus impossibile vt aliqua creatura, saltem vt causa secunda principalis, causet hanc naturam simpliciter essendi in quantum huiusmodi, non minus ac impossibile est, vt aliquis homo, verbi gratia, Petrus, causet naturam humanam Pauli, in quantum natura humana simpliciter est, & non in quantum talis determinata natura humana est. Quod quidem exemplum, ad hanc veritatem explicandam maximè idoneum, tanti fecit Sanctus Thomas ibidem, vt iterumre-

Ratio S. Th. in forma Syllogistica.

Nullã creaturam posse tendere in esse creabile vt sic.

petendum esse censuerit, num. 7. his verbis, *Quod est secundum aliquam naturam tantum, non potest esse simpliciter illius naturæ causa; esset enim sui ipsius causa: potest autem esse causa illius naturæ in hoc; sicut Plato est causa humanæ naturæ in sorte, non autem simpliciter, eo quod ipse est creatus in humana natura. Quod autem est causa alicuius in hoc, est attribuens naturam communem alicui, per quod specificatur, vel individuatur. Quod non potest esse per creationem, quæ nihil præsupponit cui aliquid attribuatur per actionem. Impossibile est igitur, aliquod ens creatum esse causam alterius per creationem.* Tertio Arguo ex iis, quæ habet num. 9. Omnis causa creata præsupponit suum esse ab alio creatum, & causatum. Ergo non potest esse per se causa essendi simpliciter: quod enim ita fit, vt præfuerit, non fit per se, sed fit per accidens, verbi gratia, cum corpus album fit nigrum, fit quidem coloratum, sed per accidens; per se vero fit solum nigrum, quia coloratum præexistebat in albo. Probat enim Philosophus lib.1.Phys. t.75. & 76. quod cum fit aliquod, vt homo, vel lapis, homo quidem per se fit, quia ex non homine; ens autem fit per accidens, quia non fit ex non ente simpliciter, sed ex non ente hoc. Ergo nulla causa creata potest esse causa per se essendi simpliciter, ergo nec principalis causa essendi simpliciter: quia omne agens principale, quamuis secundum, est agens per se respectu illius effectus, respectu cuius dicitur agens principale: certa igitur omnino est maior, nempe esse simpliciter esse effectum propriissimum solius Dei, & non posse esse effectum alicuius creaturæ, quæcunque illa sit. Aristoteles.

Minorem verò, quæ multo difficilior est, ac proinde multos habet aduersarios, nempe, quod essentialis ac formalis terminus creationis sit esse simpliciter, ita vt necesse quidem sit per quamlibet creationem, fieri materialiter hoc esse, vel illud esse determinatum, ac singulare; tamen formaliter, siue ex vi formali, creationis, in quantum est essentialiter creatio, non fieri hoc esse, aut illud esse, quia est hoc, aut illud, sed solum quia est esse simpliciter, quemadmodum per visionem vt exemplificat Ferrariensis infra, §. *circa hanc*, videtur hoc coloratum, non quia est hoc, sed quia est simpliciter coloratum, Probo etiam cum S. Thoma l.2. cont. gen. cap. 21. Et arguo primò assumendo verissimam propositionem quam ibi ponit, num.1. *creatio est prima actio, eo quod nullam aliam præsupponit, & omnes aliæ præsupponunt eam.* Ergo effectus essentialiter proprius illius actionis, quæ est essentialiter prima, qualis est creatio, esse debet primus effectus, sed primus effectus non potest esse alius nisi effectus vniuersalissimus essendi simpliciter, qui in omni alio effectu prorsus inseparabiliter includitur: & ante hoc, vel illud esse, semper est esse simpliciter, quod essentialiter præsupponitur ad omne esse secundum quid, seu esse tale. Ergo effectus essentialiter proprius creationis vt est essentialiter creatio, est esse simpliciter. Secundo ex eadem propositione sic arguo, si creatio essentialiter est prima actio, ergo creatio essentialiter est propria primi agentis, *cum secundum ordinem agentium*, inquit optimè Sanctus Thomas, sit, *ordo actionum. Ergo sicut* non est communicabile creaturæ, vt sit primum agens ita nec communicabilis illi est, vt agat per primam actionem, præsertim tanquam agens principale, quamuis secundum: vbi etiam apparet manifesta implicantia in ipsis terminis, nimirum vt agenti essentialiter secundo, conueniat naturaliter, & principaliter, quædam actio quæ essentialiter est prima actio. Sicut igitur quodlibet

17 *Omnẽ creationem essentialiter tendere in esse creabile vt sic.*

Explicatur id Ferrariẽsis exẽplo visionis.

agens creatum, est essentialiter agens secundum. Ita implicat, actionem, alicuius agétis creati propriam, esse aliam nisi secundam, quæ non est creatio, sed eductio.

18 *Arguitur ex quodam discursu S. Tho.*

Tertiò, sumo euidentem discursum S. Thomæ ibidem num. 3. *Effectus suis causis proportionaliter respondent, vt scilicet effectus in actu attribuamus causis in actu, & effectus in potentia, causis quæ sunt in potentia; & similiter effectus particularis causis particularibus; vniuersalibus vero causis vniuersales effectus, vt docet Philosophus in 2. Physicor. t. 38.* Sed esse est primus effectus, vt in superioribus probatum est. *Causa igitur propria essendi simpliciter, est agens primum, & vniuersale, quod Deus est: alia vero agentia, non sunt causa essendi simpliciter, sed causa essendi hoc vt hominem, vel album.* Huic discursui sic addo ad probationem prædictæ minoris. Sed hunc primum, & vniuersalissimum effectum essendi simpliciter, non potest Deus per aliam actionem causare, quam per creationem; omnis enim alia actio, quæ non est creatio, ac proinde est non ex nihilo, sed ex aliquo esse præsupposito, non potest causare esse simpliciter, & absolutè; ergo creatio essentialiter est prima & vniuersalissima actio, cuius terminus formalis est esse simpliciter, materialis vero hoc, vel illud esse: sicut à contrario eductio formaliter, & per se tendit ad hoc esse, & ad illud esse; materialiter vero, & per accidens, seu concomitanter tendit etiam ad esse simpliciter, essentialiter imbibitum in quolibet particulariente.

Probatur ratione à priori.

Quartò, ratio omnium optima, & à priori, ducta ex ipsa formali ratione creationis, est quia quælibet creatio, vt formaliter creatio nihil planè præsupponit, neque subiectum, neque vllum aliud quidpiam ens. Atque hoc expresè docuit S. Th. l. 2. cõt. gent. c. 21. cum n. 3. dixit, *creatio nihil præsupponit*; & n. 9. quod cum aliquid creatur, *fit omnino ex non ente*; & supra art. 1. fin. corp. quod cum creatio definitur, factio rei ex nihilo, *idem est nihil, quod nullum ens.* Ergo creatio, vt formaliter creatio, facit ens vt ens; siue, quod in re idem est, quidquid facit, ideo facit quia est ens. In hac enim propositione illud, *vt ens*, accipiendum est non reduplicatiuè, quasi vero quod aliquid sit creabile, habeatur formaliter, & adæquatè ex ipsa abstracta, & cõmunissima ratione entis, nam aliquod ens, quod est Deus, creari non potest, sed specificatiuè, seu declaratiuè, in quãtum in quolibet ente quod creatur, ipsa ratio entis non solum fit, sed etiam per se primò fit, & est formalis, & adæquata ratio vt fiant per creationem omnes aliæ particulares entis rationes; vt acutè notarunt in suis Metaphysicis Fonseca l. 5. c. 2. q. 8. sect. 3. §. *Deinde*. & Suarez disp. 20. sect. 1. n. 29. ita bene probans consequentiam huius quarti argumenti. *Per creationem per se primum fit res secundum totam rationem entis, eo quod creatio nullam rationem entis in ea supponat: nam iuxta doctrinam Aristotelis, illud dicitur per se primò fieri, quod nullo modo supponitur in re quæ fit; fieri ergo ens in quantum ens, nihil aliud est, quam quod ipsa ratio entis per se primò fiat in tali effectu per talem actionem.*

In quo sensu creatio dicatur fieri ad ens vt ens.

Fonseca. Suarez.

19 Quod vt magis explicem, ita vniuersaliter arguo. Omnis actio productiua, illam effectus rationem per se, & formaliter facit, quam non præsupponit aliunde factam. Sed creatio, vt formaliter creatio, non præsupponit ipsam rationẽ entis simpliciter, & absolutè: ergo formalis illius terminus est ens simpliciter. Confirmatur primò, sumendo veram causalem, quam facit Ferrar. suprà. *Producit Deus vnumquodque primò & per se in quantum est ens, quia produci ipsum postquam omnino nihil erat.* Sed creatio etiam essentialiter habet procedere ex omnino non ente præsupposito. Ergo creatio etiam cum hoc, & illud ens producit, ideo producit, quia est ens. Confirmatur secundò ex oppositis actionibus, quia, vt tangit idem S. Thom. 2. cont. gent. c. 21. n. 3. fi. Ideo per alias factiones fit hoc ens, vel tale, quia illę procedunt ex ente præexistente, quod non faciunt, sed præsupponunt; ita vt ex illo ente præsupposito, & ex alio ente quod faciunt, imponant, seu faciant vnum ens tale, compositum, vel quasi compositum ex ente vniuersali & ex alio ente particulari. Sed creatio non procedit ex ente præexistente, ergo ex sua formalitate non habet facere ens hoc, seu tale. Ergo solum ens simpliciter. Confirmatur tertiò, quia, vt tanquam per se notum ex receptissima ipsius termini significatione sumitur supra art. 1. corp. *nomine creationis designamus emanationem totius entis vniuersalis*: sicut nomine aliarum factionum designamus emanationes particularium entium. Ergo sicut propter hoc, particularis emanatio tendit formaliter ad ens tale, ita vniuersalis emanatio, seu creatio tendit formaliter ad ens simpliciter, & in quantum est ens; & sicut illa procedit per se ex non ente tali, quod non præsupponit, sed facit; ita hæc procedit per se ex non ente simpliciter, quod etiam ipsa facit, non præsupponit. Confirmatur quartò, quia eodem art. 1. ad 2. fin. *creationis terminus ad quem est tota substantia rei*, quod repetit art. 2. ad 2. Vnde art. 3. corp. med. & art. 4. fin. creatio dicitur *productio totius esse*. Ergo creatio non spectat formaliter hoc, vel illud esse, sed simpliciter & absolutè esse. Confirmatur quintò authoritate libri de Causis, propositione 4. initio, *prima rerum creatarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud; & non est post causam primam latius, neque prius causatum ipso.* Quæ verba benè exponit sanctus Thomas supra art. 4. ad 1. *cum dicitur prima rerum creatarum est esse, ly, esse, non importat substantiam creatam*, seu terminum materialem, qui per creationem fit, qui non est esse simpliciter, sed esse Angeli, esse animæ, &c. *Sed importat propriam rationem obiecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum, quod est ens; non ex eo quod est hoc ens; cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali. Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur, Quod primum visibile est color, quamuis illud quod proprie videtur, sit coloratum.* Maneat igitur, obiectum materiale creationis esse hoc, vel illud ens creabile; obiectum vero formale esse ens creabile simpliciter: & ideo non posse communicari creaturæ vt creet, præsertim naturali ac principali creandi virtute. Quam quidem veritatem adeò connexam existimauit sanctus Thomas cum iis quæ de natura creationis omnes sapientes communiter docent, vt hic initio corporis nõ exaggeratè scripserit, *quòd satis apparet in primo aspectu, secundùm præmissa, quod creare non potest esse propria actio, nisi solius Dei.*

Author libri de causis.

S. Thom.

20 *Prædictum fundamentũ esse etiam Athanasij.*

Hoc sancti Thomæ fundamentum ex sua intrinseca ratione valde firmum, multo firmius redditur extrinseca authoritate sanctorum Patrum, qui contra Arium, probantes Verbum non posse esse creaturam, quia creauit, illo etiam nituntur. In primis Magnus Athanasius verbis relatis supra n. 13. ita redarguit Arianos, *quomodo si, secundum vos, ex non entibus extitit*, hoc est ex nullo prorsus ente creatus est filius Dei, *potis est non entia, vt entia sint, condere.* Non dicit, vt hæc, vel illa entia sint, sed simpliciter & absolutè, *vt entia sint.* Ergo natura, & formalitas actionis creatiuæ est procedere ex non esse simpliciter ad esse simpliciter. Similiter ibidem docet, creaturæ impossibile esse efficere, quod per quamlibet creationem effici

effici necesse, *vt quod nihil est, aliquid fiat.* Vbi etiam loquitur simpliciter de nihilo, & aliquo. Et iterum paulo post, *si verbum, quæ entia non sunt, euocat ad essentiam, fieri nequit, vt Verbum sit in numero non entium.* quæ consequentia nulla esset, nisi supponeretur per creationem necessario ex non esse simpliciter, fieri esse simpliciter; alioqui si per creationem dari posset hoc esse, responderi facile posset, nullam esse repugnantiam, Verbum creatum ex tali non esse ad tale esse, nempe ex non esse Verbi ad esse Verbi, potuisse per creationem euocare alias res de alio non esse ad aliud esse, verbi gratia de non esse Angeli ad esse Angeli. Ideo igitur rectè censuit absurdum Athanasius, esse ex numero non entium, siue ex non ente creatum, & tamen per creationem euocare aliquid de non esse ad esse, quia quidquid per creationem fit, euocari necessario debet de non esse simpliciter ad esse simpliciter; quod esse supra vires cuiuslibet rei creatæ, ac proinde præsupponentis suum esse habitum non ex se, sed ab alio, manifestum est. Præterea Augustinus citatus supra num. 10. fi. dicens, *creare naturam tam nullus potest Angelus, quam nec se ipsum.* Idem fundamentum supponit, scilicet, rationem formalem obiecti creationis, esse rationem entis simpliciter, quæ ratio comprehendit omnẽ creaturam. Et omne ens creabile, ac proinde ipsammet creaturã, quæ creare fingitur; vnde euidenter sequitur absurdum Augustini, nimirum, idem esse, Angelum posse creare aliquam rem, & posse creare seipsum: quia potentia creandi, ex propria ac formali obiecti sui ratione, nõ est restringibilis ad vnũ, aut alterũ creabile, sed latissimè extenditur ad omne ens simpliciter creabile: sicut quia intellectio quidquid intelligit, ideo formaliter intelligit, quia ens intelligibile, seu verũ est; & volũtas quidquid vult, ideo formaliter vult, quia ens volibile, seu bonum, & appetibile est; & corporalis visio quidquid videt, ideo formaliter videt quia coloratũ est, concipi rectè nõ potest aliquis intellectus, qui possit intelligere vnum verũ, & non aliud, aut aliqua volũtas, quæ possit velle hoc bonũ, & nõ illud; aut vna potentia visiua, quæ videre non possit omnia colorata. Ita igitur nec dabilis est vna aliqua potentia creatiua, quæ non possit supra omne creabile, & consequenter, supra illam eamdẽ creaturam, quæ creandi potentiã habere dicitur. Clarius fauet Cyrillus citatus supra n. 15. probãs, creare aliquid esse diuinæ, & ineffabilis naturæ proprium, quoniam, inquit, *creandi virtus ipsam rerum substantiam à nihilo ad esse producit.* Nõ igitur hoc, aut illud esse, sed ipsum esse simpliciter, respicit formaliter creatio. Denique Damascenus supra n. 4. illa sua ratione, *creaturæ enim cum sint, non sunt conditores*; nihil probaret, nisi supponeret, creationem essentialiter tendere de non esse simpliciter ad esse simpliciter creaturæ: ex hoc enim solo fundamento oritur, vt creatio nulli creaturę cõpetere possit; & vt creatura, quia creatura est, & ens non à se, sed ab alio creabile, non possit creare, quod est tendere formaliter in omne creabile.

Et Augustin.

Et Cyrilli.

Et Damascen.

Nonnulla corollaria ex prædicto S. Thomæ fundamento.

21 *Ad creãdum requiri potẽtiã infinitam.*

Colligo primò, ad creandum aliquid, quantumuis finitum, requiri necessario potentiam infinitam: vt dicitur hic ad 3. & infra q. 65. art. 3. ad 3. & l. 2. con. gent. cap. 20. n. 4. & fusius quinque rationibus probatur q. 3. de Pot. a. 4. post med. corp. tam quod concesserunt etiam omnes authores citandi infra n. 26. & præterea. Adamus 4. sent. q. 1. ad 6. Argentina q. 1. a. 1. ratione 1. & ad 3. Ratio præciputa, & efficax: quia quælibet creatio, quamuis materialiter faciat hoc, aut illud esse factibile, quod finitum est; tamen modus illud faciẽdi est ex nullo præsupposito ente factibili, qui modus est infinitus, sicut infinitum, est, vel saltem non finitum, ens factibile, quod omnino per istum modum negatur: & consequenter, formalis ratio faciendi est, quia finitum illud quod fit; est simpliciter ens factibile, quod quidem est aliqua ratione infinitum. At vero, vt rectè sumitur hic ad 3. & iisdem ferè verbis repetitur q. 65. art. 3 ad 3. *virtus facientis non solum consideratur ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi.* Igitur si hic modus est infinitus, & infinita etiam est formalis faciendi ratio, per quamlibet creationem argui necessario debet; in creante virtus infinita. Quemadmodum enim quia verbi gratia intellectus quodcũque particulare verum intelligit, ideo formaliter intelligit quia verum simpliciter est, non minorem virtutem requirit ad intelligendum vnum verum, quam ad omne verum intelligendum; eademque ratione eiusdem virtutis est voluntas, quæ versatur circa omne bonum, cuius est voluntas, atque illa quæ versatur circa aliquod bonũ, quia bonum simpliciter est; & potentia visiua, quę videre potest omne coloratum, ac quæ videt vnum coloratum, quia coloratum simpliciter est: ita pariter, quia creare hoc esse non potest habere aliam formalem producendi rationem, nisi quia est esse simpliciter creabile, eadem virtus infinita, quæ sine dubio necessaria est ad posse creare omne creabile, requitur etiã ad creandum vnum tantum creabile, quodcunque finitum illud sit. Atque ad huius rationis sensum, vt vim habeant, & aduersariorum impugnationibus non exponantur, reuocari debent multæ aliæ rationes quibus S. Thom. probat, ad creandum quemlibet finitum effectum esse necessariam potentiam infinitam in creante.

Adamus. Argentina.

S. Thom.

Explicatur exemplis.

Est etiam alia ratio, quam Capreolus 2. d. 1. q. 3. art. 3. col. 2. fi. vocat *principalem, & potissimam.* Creatio ex ratione sua essentiali est prima, & immediata actio ipsiusmet Dei, vt ait Cyrillus l. 2. contra Iulianum, aliquanto post med. *diuisionę, & ineffabilis naturæ propria*: ita vt prima rerum productio à Deo esse aliter non possit, nisi per creationem, & per immediatam emanationem ab ipsa potentia Dei creatiua. Sed hæc est infinita, ergo quælibet creatio in principio creante postulat potentiam infinitam. Verum si ad hanc rationem dicatur, quod potentia creatiua Dei est infinita, non propter huius vel illius rei finitam creationem, sed propter creationes rerum omium, quæ sunt infinitæ; vt excludatur hæc distinctio, deueniendum necessario est ad præcedentem rationem, quam propterea præcipuam esse censui. Accedit grauissima & expressissima authoritas Cyrilli ita docentis l. 6. Thesauri cap. 2. med. *Nulla creatura vnquam substantiam à nihilo producere poterit: finitæ namque id virtutis esse non potest*; & l. 12. c. 15. col. 2. circa fi. *nihil factum, creandi virtutem, quæ infinita est, suscipere potest.*

22 *Expenditur ratio Capreoli pro 1. corollario.*

Cyrilli.

Colligo secundo, potentiam creandi debere esse infinitam, non quomodocunque, sed simpliciter in tota generica latitudine potentiæ productiuæ, ac proinde increatam: Hoc acutè tetigit Capreolus supra, cum initio articuli tertij respondens Durando impugnanti hanc creatiuæ potentiæ infinitatem, addidit, *quod posito, quod aliqua creatura esset infinitæ potentiæ secundum quid, non tamen posset creare*: quoniam inquit, *creatio non solum requirit infinitatem potentiæ in producente*, quam infinitatem non esse simpliciter repugnantem

23 *Quamlibet creandi potentiam esse infinitam simpliciter.* Capreolus.

cõstat ex probatis supra q.7.art.3.& 4.*imo etiam requirit potestatem*; nimirum supra totum ens creabile, ac proinde increatam, & simpliciter infinitam, in genere potentiæ. Ratio igitur Corollarij est, quia ex probatis, formalis ratio obiecti creationis non est hoc, aut illud esse simpliciter; Ergo in creante supponit essentialiter vim supra omne esse creaturæ;ergo vim essentialiter increatam; ergo vim simpliciter infinitam: cuius infinitatis in omnium sententia minimè capax est creatura.

24 *Quanta sit distantia inter ens, & non ens.*

Colligo tertiò, distantiam inter ens & non ens, posse dici finitam, siue infinitam, ex parte vtriusque termini, vel finitam ex parte vnius termini, infinitam ex parte alterius termini; pro vt nimirum ipsi termini diuerso modo accipiuntur.Si enim primo per non ens, negetur ens finitum,& per ens affirmetur etiam finitum ens, distantia est finita, vt inter non hominem, & hominem. Si secundo negetur, & affirmetur ens infinitum, infinitum est distantia, vt inter non Deum, & Deum, inter non ens simpliciter, & ens simpliciter,etiam in genere creabili, in quo etiam esse aliquam infinitudinem negare nemo potest. Si tertiò negetur ens infinitum, affirmetur vero finitum, vel contra, negetur finitum, affirmetur infinitum,vt inter non Deum, & hominem, vel inter non hominem, & Deum, est distantia infinita ex parte termini infiniti,& finita ex parte finiti termini; quæ omnia per se manifesta sunt; quoniam inter non ens & ens, non potest esse distantia mediata, seu materialis, quæ tanta est quantum est medium positum inter duo extrema positiua, sed est distantia immediata, seu formalis, quæ non est alia nisi ipsamet extrema, quæ distant se ipsis, seu non per aliud distãt,quam per id quod ipsa in se formaliter sunt. Ergo ista distantia, tanta dici debet,quanta est entitas extremi, quod distare dicitur. Vnde optimè S.Thom. S.Thom. 4.d. 5. quæst. 1.art.3. quæstiuncula 3.ad 5. loquens de hac immediata distantia inter ens & non ens,*tantum*,inquit,*distat aliquid ab vno oppositorum, quantum participat de altero*. Ex quo principio deducit primò, *quod non est distantia infinita inter ens & non ens ex parte ipsius entis, nisi ens sit infinitum*.Deducit secundo, quod *contingit aliquam distantiam esse infinitam ex vna parte & finitam ex alia; sicut quandocunque fit comparatio finiti ad infinitum. Nisi enim talis distantia esset aliquo modo finita,nõ minus distaret vna creatura à Deo, quam alia: & nisi esset aliquo modo infinita, posset intelligi aliquid magis distans à quacunque creatura, quam Deus*. Hinc ad rem nostram dicendum, cum per creationem ex non ente simpliciter fit aliquod ens finitum sub ratione formali entis simpliciter, ex parte rationis materialis, quæ creatur, est finita distantia,quia finitũ ens creatur: ex parte formalis obiecti creationis, quod est ens simpliciter, est distantia infinita, quia ens simpliciter creabile est infinitum ex parte non entis simpliciter, est etiam distantia infinita, quia negatur ens simpliciter creabile, quod aliquam infinitatem habet. Quod exponi docuit S. Thom. supra dicens. *Verum est quod dicta distantia est quodammodo infinita ex parte non entis simpliciter, eo quod omnem determinatam distantiam ab aliquo ente signato transcendit*; si enim creetur signatur aliqua creatura, verbi gratia, Gabriel, non ens simpliciter, ex quo non ente procedit omnis creatio, non solum negat Gabrielem, sed reliquas omnes creaturas perfectiores,& perfectiores in infinitum.

25 *Qui potest creare vnũ, posse creare omnia.*

Colligo quarto. Idem verè esse; posse creare vnum aliquod ens,& posse creare omnia entia creabilia: quia omnis creatio est ex non ente simpliciter, & tendit formaliter ad esse simpliciter, & omnino, vt probatum est.quod sapienter obseruauit noster Fonseca 5. Metaph. cap.2. quæst.8. sect. 3.§.*Deinde*, ita optimè discurrens. *Virtus producendi aliquid ex nihilo, terminatur primo ad creabile, quatenus creabile est:potest igitur creare omne creabile. Quare si creatura quocunque modo haberet virtutem producendi aliquid ex nihilo, posset hauddubie se ipsam creare; quod fieri nequit*. Idemque repetit infra ad 2. vnde sequitur, non posse dari vnam aliquam determinatam potentiam creandi, quæ non sit omnipotentia: quemadmodum dabilis non est vna potentia intelligendi, volendi, videndi, &c. quæ non sit omniintellectiua, omniuolitiua, omniuisiua, &c. Quod confirmat, omnem creandi potentiam esse infinitam, & increatam, sicut infinita, & increata est omnipotentia. Quapropter verè in re est eadem implicantia, tametsi minus apparens, creaturam posse creare vnum aliquod ens; & creaturam posse creare omnia entia creabilia; quæ secunda implicantia probata est supra à n. 8. Quam ob causam sancti Patres superius allati, vt probent contra Arianos, Verbum non esse creaturam, modo faciunt vim in eo quod Ioan. 1. *omnia per ipsum facta sunt*: modo etiam in eo quod simpliciter creat; & docent vniuersalissimè, quamlibet creationem contradicere conceptui creaturæ. Existimant igitur dari non posse causam: quæ possit creare vnum, & non possit creare omnia. Vnde Augustinus supra numero 19. potentiam creandi vnam aliquam naturam, extendit etiam ad ipsummet ens creatum, quod creare fingitur. Demum ex eodem S. Thomæ fundamento colligi facilè possent conclusiones dubitationum sequentium, quod inferius propriis in locis commodius præstabitur.

Fonseca.

Aliorum rationes examinantur.

26

Eadem conclusio, quæ docet, implicare creaturam esse principalem causam creandi aliquid, multis aliis rationibus probari solet; quas etiam spectare necesse est, vt ex minori earum vi, magis appareat firmitas discursus S. Thomæ, & necessitas recipiendi illum. Saltem huius operæ pretium erit, vt qui regiam S.Thomæ viam inire fastidiunt,multis aliis semitis cognitis,in minus abruptam ac præcipitem diuertere possint.

Communis ratio veterum Theologorum.

Prima ratio quia ad creandum requiritur potentia infinita.

Prima ratio magni Alberti 2. dist. 1. articulo septimo,in ratione 2. Bonauenturæ a.2. q. 2. vltimo argumento ,*sed contra*, & in principio,& fine corp. & ad 1. Henrici quod l. 4. q. vltima non longe à principio. Riccardi 2.d.1.a.4.q.4.corp. & ad 4.imo ipsius S.Thomæ locis cit.supra n.21.& Thomistarum omnium,& præterea Marsilij 4.q.1.a.3. concl. 3. probatione p. & 4.Fonsecæ l.5. Metaph. cap. 2. q.8.sect. 2.ratione 2. & sect.3.§. *probanda* & sect. 4.ad 2.Pererij l. 5. Phys. cap. 6.circa med. Molinæ disp. 1.§. *prætermissis*. dicentis esse rationem potissimam inter omnes.Zumel infra q.65.art.3. q. sua 4.conclusione 1.probatione 3. & in dubio annexo & demum,quod maximi momenti est,Cyrilli supra n.22.quia ad aliquid creandum, seu ex nihilo producendum,necessaria est potentia infinita,cum superanda sit infinita distantia inter non ens, & ens. Sed implicat creatura cum infinita potentia; ergo implicat creatura,quæ aliquid creet. Equidem hac ratione vsus non sum, quia non est præcipua conclusionis probatio,sed consequens præcipuam probationem, vt notaui supra n. 21. ad 25. quare non est

Iudicium primæ rationis,& Authores cõtrarij.

est probatio falsa, sed diminuta: quoniam multi sunt qui negant prædictam potentiæ & distantiæ infinitatem, vt Scotus,& Durandus infra. Alliacensis 4.q.1.art.2. concl.3. Gabriel 2.d.1.q.4. art. 3. dub.1. Valentia hic, puncto 4. ratione 4.Suarez in Metaph.disp,20.sect. 2.à n. 35. Vazquez hic disp. 175.c.1. Albertinus tomo primo pag. 135. & 136. & alij. Sed eam efficaciter probat ratio S. Thomæ, & ideo in ea potissimum insistendum, quam etiam omnes Doctores citati supponunt,& non obscurè, tametsi breuiter significarunt. Nam Albertus infinitatem probat ex eo quod omnis creatio, etiam si per eam fiat *minimum quid*, vt ipse extendit,verfetur *inter pure ens, & pure non ens*.Fundatur igitur principaliter in eo, quod multo clarius,& copiosius expressit,ac probauit S.Th. creationem formaliter tendere ex omnino non ente ad ens simpliciter:idé enim sunt *purè ens,& purè non ens*, vt loquitur Albertus, ac ens simpliciter, & omnino nõ ens,vt loquitur S. Th. Idem Albertus de quatuor coæuis q. 1.art.4.infinitatem cuiuslibet virtutis creatiuæ probat ex eo quod *educere aliquid de nihilo in esse, est infinitum*. Et infra loquens de terminis essentialibus cuiuslibet creationis,ait.*Illi in creatione sunt nihil,& ens*. Semper igitur loquitur de termino formali ad quem essentialiter tendit omnis creatio;qui non est hoc ens,aut illud esse, sed ens simpliciter, & esse quatenus esse. Eodem principio vsus est Bonauentura in vltimo illo argumento dicens. *Inter omnino nihil,& aliquid,est distantia infinita*. Et optimè subiunxit ad primũ.*Æqualis virtutis est producere Asinum ex nihilo, & Angelum*: Quia nimirum creatio Angeli primo, & per se,ac formaliter, non spectat Angelum vt Angelum, sed vt ens simpliciter creabile:& similiter creatio Asini, hoc ipsum æqualiter spectat,& non Asinum,vt Asinum. Et paulo ante in fin.corp.dixerat. *Quia creatio est totius substantiæ, secundum totum*;quod est esse entis simpliciter, secundum quod ens simpliciter est, cum in qualibet re præter totam ipsius substantiam nihil remaneat nisi non ens;*ideo non poterit esse alterius,siue per alterum*;scilicet ens creatum, sed solum per ens increatum.Idem innuit Henricus dicens. *Productio ex nihilo omnino,est opus potentiæ infinitæ,quia inter omnino nihilum,& ens in actu,est distantia infinita*.Clarius Riccardus in argumento, *sed contra* de quacunque creatione sumit, quod respiciat esse creatum, sub ratione qua, *esse creatum,non sub ratione qua est huius rei, vel illius tantum*. Et ideo vniuersaliter de omni creante subdit, *causa quæ potest creare,non tantummodo potest producere ipsum esse creatum sub ratione, qua est huius rei vel illius tantum:sed simpliciter in potestate eius est producere quodcunque creatum esse;quia qua ratione posset vnum,eadẽ ratione posset aliud*.Quia nimirum quælibet creatio sub vna eademque formali ratione respicit quodcumque creabile. Et ad quartum sequens S.Th.hic ad tertium docet, ad aliquid creandum requiri infinitam potentiam *non ratione essentiæ facti, quod finitum est;sed ratione modi faciendi*:qui modus est facere ex nullo prorsus ente præsupposito;ac proinde, habere pro suo proprio effectu quidquid habet in effectu rationem entis simpliciter,in quo faciendi modo creatio distinguitur ab omni alia productione, quæ cum supponat aliquod determinatum subiectum,cui vnit formam aliquam productam, non habet facere nisi tale determinatum compositum ex non tali determinato composito: ac proinde non habet facere totam entis rationem, quæ est in effectu suo: & ideo omnis alia productio facit quidem esse,non tamen formaliter quia est esse, sed tantum materialiter, seu concomitanter,quia esse non potest præscindi ab hoc vel illo esse. Sola actio,ac productio creatiua, quia ex propria essentia nihil omnino præsupponit, habet attingere formaliter per se primo esse simpliciter, & solum materialiter hoc, aut illud esse. in quantum esse simpliciter reperiri non potest absque hoc, aut illo esse. Item Marsilius, & apud ipsum Linconiensis dicunt. *A purè nihilo adducere in aliquid, cum omne aliquid in infinitum excedat purum nihil, est infinitæ potentiæ*. Et ideo in tertia sua ratione, quamlibet potentiam creatiuam esse incommunicabilem creaturæ probat, quia Deus nequit facere creaturam omnipotentem:significans iuxta dicta supra num.25.virtutem, quæ potest creare vnum aliquod, posse creare omnia: quia ratio creandi quodlibet, est vniuersalissima ratio entis creabilis. clarissime Fonseca verbis citatis supra n. 25. & postea ad secundum subdit. *Virtutem producendi aliquid ex nihilo, quocunque modo ponatur,dummodo ei nihil addatur, quo ipsa euertatur,terminari adæquatè ad creabile qua creabile est; ac proinde posse in omne creabile*: quia, inquit,*à nullo subiecto limitatur*.Demum eamdem doctrinam tradit Pererius toto illo capite, *quæ*, inquit col.3. *mihi quidem certe valde probatur*.

Rationem S. Thom. esse etiam Alberti.

Bonauenturæ.

Hentici.

Riccardi.

Marsilius.

Fonsecæ.

Pererij.

Nonnullæ Ægidij rationes.

27 *Secunda ratio,quia ages creatum est potentiale.*

Secunda ratio Ægidij quod l. 5.q.1.via 1. quam Suarez in Metaph. disp.20.sect.2. num.40. dixit sibi *non omnino displicere*: quia essentialiter omne agẽs creatum, est potentiale; & consequenter,actio eius esse pariter debet potentialis. Ergo, inquit, *nulla creatura poterit immediate in ipsum esse*. Ergo nec creare,sed tantum mouere & mutare:quia motus,& mutatio, sunt actiones potentiales, præsupponentes subiectum, eiusque passiuam potentiam. Primam consequentiam quæ est radix totius discursus, & negati facile potest, nulla alia ratione probat,nisi quia,*ipsum esse,quantum est de se,est actus tantum; &, si est admistum potentiæ hoc est, quia est receptum in alio*. Non potest autem creatura dare esse receptum in alio,nisi præsupponendo aliud, in quo esse recipiatur: quia, inquit, *posse inesse,vt non præsupponit id, in quo recipitur, est posse inesse secundum se*.De hac ratione Scotus 4. d. 1. quæst. 1. §. *Quarta ratio* bene dixit. *Non concludit*; quoniam si creatura, verbi gratia Angelus crearet, eius actio haberet eamdem, vel etiam maiorem potentialitatem; quam habet agens: nam illa creationis actio penderet cùm effectiuè ab Angelo, & à Deo, à quo tantum pendet Angelus; tum subiectiuè, seu sustentatiuè à termino, à quo non penderet Angelus.Quod autem præterea omnis actio creati agentis habere debeat aliam potentialitatem per dependentiam à præsupposito subiecto, quam potentialitatem habent motus, & mutatio, ac proinde nulla creatura agere possit nisi cum motu, & mutatione, non potest sufficienter deduci ex præcisa potentialitate agentis creati, vel creaturæ in communi, cum constet non in omni creatura esse hanc materialem potentialitatem. Ex eo igitur quod actio creaturæ esse debeat potentialis, non necessario infertur, quòd esse debeat cum motu, & mutatione: nam de facto, creatio est sine motu; & mutatione, vt supra art. 3.dub.4. & tamen est potentialis, quia est aliquid extra Deum, vt ibidem dub. 1. & dub. 5. Neque est efficax probatio primæ consequentiæ, vbi dicitur, quod esse, ad quod terminatur creatio, *de se sit actus tantum* hoc enim videtur manifestè falsum: quia tale esse, non est esse præscindens à creato & increato, hoc enim neque est actus, neque potentia, sed ab vtro-

Reiicitur à Scoto.

que præscindens ; sed est esse creatum , quod solum per creationem fit, & ideo non est actus tantum , sed actus mistus potentialitati , hoc est , actus pendens à Deo effectiuè mediante creatione. Neque primaria , & adæquata ratio cur hoc esse sit potentiale , est *quia est receptum in alio.* Sed quia in se ipso intrinsecè , & præcisè considerato , est esse limitatum , & participatum , vnde habet, vt possit pendere effectiuè ab alio,& in alio subiectiuè recipi , nimirum in essentia extra quidditatiuum essentiæ conceptum. Denique veram quidem existimo vltimam illam propositionem: *Posse in esse vt non præsupponit id, in quo recipitur* , nempe subiectum realiter præsuppositum,& actualiter præexistens , *est posse in esse secundum se* ; qua ratione supra etiam bene dixerat, creationem tendere *immediatè in ipsum esse*, quæ est ipsa minor discursus S. Thomæ supra num. 16. verum non rectè probatur medio Ægidij quod hoc esse *sit actus tantum* ; sed probari debet aliis mediis S.Thom.supra n. 17. 18.& 19.

28 *Tertia ratio, quia esse creatura est receptum.*

Tertia ratio eiusdem Ægidij quodl. 1. q. 4. respondentis ad primam difficultatem. *Quia creatura habet esse receptum in aliquo,& habet aliquid potentiale admistum, & non secundum se tota est in actu.* Ergo, inquit, *actio eius semper præsupponit subiectũ, & potẽtiã ex parte passiui, in quod eius actio recipiatur. Ergo non potest rem totam producere.* Ergo non potest creare. Sed non videtur sufficiens; quia si in antecedente per esse *esse receptum in aliquo,* intelligatur primo esse Metaphysicè receptum in essentia , hoc non potest tollere à creatura vim creatiuam, quia idem esse receptum reperitur in creatione , & termino creationis ; neque est necessarium , vt in agente sit minus esse receptum, quam in actione, eiusque termino , vt patet in Petro generante Paulum , & in vno igne alium ignem producente. Si secundo, esse physicè receptum, in materia, vt significat Ægidius in suo primo consequente, antecedens est aperte falsum, vt constat ex substantiis spiritualibus, quarum nulla pendet in esse , & in operari à materia. Vlterius cum in eodem antecedente dicitur , *creatura habet aliquid potentiale admistum* , quid per hoc significetur, & quid inde deducatur, patet ex notatis contra secundam rationem. Postremo cum ibidem dicitur, *Creatura non secundum se tota est in actu*, si significetur, præter actum formalem, habere potentiã materialem, ex qua componatur, est falsum, vt dictũ est: si vero significetur, quod habere debeat actum admistum potentiæ , iam probatum est ex hoc non posse tolli vim creandi à creatura. Neque potest fieri vis , quam tangit Ægidius in secunda sua consequentia, in eo quod proprium creationis sit , *rem totam producere* ; hinc enim non necessario sequitur, vt creans se toto pariter , hoc est , per omnem sui rationem , debeat rem illam totam producere ; vt patet in ipsomet Deo creante, & exequente per vnam tantum rationem omnipotentiæ non per alias multas rationes , quas in se formaliter continet.

29 *Quarta ratio, quia creatura agit vt instrumentũ Dei applicatum.*

Quarta ratio, quam Scotus etiam supra refert tertio loco in §. *In ista quæstione*; & in margine tribuitur Ægidio quod l. 5. q. 1. via 2. & Petro de Tarantasia secundo d. 1. q. 3. & idẽ Scotus postea confutat in §. *Tertia ratio.* Quia creatura habet esse,& conseruari per Deum ergo etiam agere, vt organum,& instrumentum Dei. Ergo vt applicatum. *Sed agere vt applicatum, est præsupponere id ad quod applicatur. Omne ergo tale agens agit aliquo præsupposito.* Ergo non potest creare. Eamdem rationem inferius iterum ita proponit Ægidius. *Agens creatum præsupponit agens diuinum, à quo in agendo regulatur, & applicatur: ergo effectus agentis creati præsupponit effectum agentis diuini, in quo recipiatur.* Verum huiusmodi ratio deberet magis explicare, quid sit, causas secundas creatas, quas principales communiter vocamus, agere vt instrumenta Dei,& vt applicatas à Deo,& vt præsupponentes non solum ipsam causam primam, sed etiam effectum eius. Si enim hoc, præter essentialẽ subordinationem, ac dependentiam quam causæ secundæ in agendo habent à causa prima, vt cum ipsis etiã coagat, significat primo aliquẽ præuium, & trãseuntem influxum, receptũ in ipsis causis secundis, easque prædeterminantem ad talem determinatũ effectum producendum, vt nostro tempore moderni aliqui Thomistæ excogitarunt ; nos hunc influxum cum S. Thoma , & cum omnibus antiquis Doctoribus, atque adeo cum ipsomet Ægidio reiicimus in materia de Auxiliis; & notauit Suarez l. 1. de Auxiliis c. 14. num. 15. & esto admittamus , non est ad rem, quia creatio non impeditur per aliquid positum in agente, ipsi necessarium in genere causæ efficientis ; sed per subiectum , agenti præsuppositum. Si secundo intelligit , vt distinguit Scotus supra, *quod agens secundarium præsupponit effectum primi agentis , vt passum in quod agat* ; quem sensum non obscurè indicant relata Ægidij verba; tunc inquit bene Scotus, *petit principium; scilicet, quod omne agens aliud à Deo agit in passum præsuppositum :* huius enim veritatis rationem inquirimus, quæ insufficienter assignatur ex sola subordinatione , quam omnes creaturæ in esse & in agere habent à Deo. Enimuero Durandus, & alij aduersarij, iuxta conclusionem positam supra num. 7. fatentur , nullam creaturam posse creare sine prædicta subordinatione: contendunt autem, cum ea stare posse creandi virtutem. si demum tertio, vt distinguit etiam Scotus supra, *intelligit absolutè, quod scilicet absolutè præsupponat effectum primi agentis; quod concedo, quia scilicet præsupponit se ipsum : sicut agere præsupponit esse, & ipsum est effectus primi agentis.* Omnis igitur effectus causæ secundæ sicut præsupponit ipsam causam secundam , quæ facta est à causa prima , ita necessario præsupponere debet hunc ipsum effectum causæ primæ.

30 *Quinta ratio ex inductione.*

Quinta ratio , quam vt partem præcedentis rationis refert , & impugnat Scotus supra , sumitur ex inductione , *quia ars præsupponit effectum naturæ circa quem agit,* verbi gratia, lignum ferrum, *& natura,* siue agens naturale , *præsupponit aliquid potentiale , scilicet materiam , quæ est effectus primi agentis.* Ergo ex essentiali Ordine causarum agentium , necessarium omnino est vt agens inferius præsupponat in agendo effectum superioris agentis, tanquam passum in quod agat. quo modo agere, contradicit essentiali cõceptui creationis. Contra hanc rationẽ arguit Scotus primo per instantias , quia agens in materiale , & agens materiale , sunt agens superius, & inferius ; *non tamen sequitur, quod agens materiale præsupponat effectum agentis immaterialis creati. Nec sequitur , si materiale præsupponat effectum Dei immediatè, in quod agat; ergo agens immateriale, quod est superius , nihil præsupponit.* Item circa lignum, verbi gratia, immediatè productum à solo Deo, & non à natura, potest agere ars. Ergo præsupponere effectum agentis superioris, non est ex essentiali subordinatione inferioris agentis ad agẽs superius. Præterea natura in agendo non solum præsupponit effectum Dei , nempe materiam primam, sed etiam effectum ipsius naturæ , nempe compositum substantiale ; neque enim natura agit in materiam informem, sed formatam , nimirum per naturalem concursum ipsiusmet materiæ , ex qua omnes formæ sunt eductæ , vt supra articulo 4. numero 6.

Arguit

Explicatur magis, & cõfutatur.

Suarez.

Scotus.

Reiicitur à Scoto.

Arguit secundo, quia dici potest agentia artificialia, & naturalia, ex æquo habere, vt indigeant subiecto, non ex subordinatione vnius ad alterum, sed ratione terminorum , quos possunt producere , qui ex propria natura indigent subiecto , cuiusmodi sunt formæ accidẽtales, & substantiales materiales. Tertio arguo; quia subordinatio agentis inferioris, saluatur sufficienter si præsupponatur esse agens superius, & aliquis illius effectus, seu concursus. Quod vero præterea hic effectus præsuppositus debeat esse passum, in quod agat agens inferius, non apparet quam connexionem habeat, cum prædicta subordinatione precisè. Enim verò indigentia passi in agendo tàm habetur in arte subordinata naturæ , quàm in natura subordinante sibi artem. Aliunde igitur, quàm ex subordinatione oriri putanda est huiusmodi indigentia.

31 *Sexta ratio quia creatura agit per potentiam accidentalem.*

Sexta ratio eiusdem Ægidij quodl. 5. q. 1. via tertia, quia *nulla creatura agit immediatè per suam substantiam,* sed per potentiam accidentalem superadditam substantiæ suæ. Ergo id quod producitur à creatura immediatè per virtutem accidentalem, de necessitate erit accidens , vel ad summum forma substantialis pendens à subiectõ, sicut pendet ipsummet accidentale principium; vnde procedit, *sed omne accidens præsupponit subiectum, in quo recipiatur. Ergo nulla creatura potest agere nullo præsuppositio subiecto* . Ergo nec creare, contra verò Deus, inquit Ægidius, *quia sua virtus est sua substantia, immediatè poterit in ipsam substantiam & quia non est de ratione substantiæ, quod præsupponat aliquid in quo recipiatur, potest Deus agere nullo præsuppositio , & potest creare.*

Arguitur cõtra.

Hæc ratio minus placet; quia conclusionem omnino certam probat ex primo illo antecedente valdè incerto , & apud Doctores in controuersia posito, de creatura, quod neque agat , neque agere possit immediatè per suam substantiam : multi enim , & graues authores , tam veteres quam recentiores , hanc immediatam agendi vim creatæ substantiæ de facto tribuunt, vt contra hanc rationem , quam refert, obiicit Gabriel 7. dist. 1. q. 4. art. 3. dub. 1. saltem nulla apparet implicantia, probans esse impossibile, fieri creaturam aliquam perfectissimam , quæ immediatè per suam substantiam facere possit aliquẽ effectum finitum , cum subordinatione, ac dependentia à prima causa : Cùm igitur multò notius, atque certius sit, substantiam creatam nõ posse creare , quàm non posse immediatè agere , non potest illud per hoc rectè demonstrari ; sed potius , si ex agere immediatè sequeretur creare, deberet ex impossibilitate creandi , demonstrari impossibilitas agendi immediatè.

Gabriel.

Rationes Scoti, & Ochami.

32 *Septima ratio Scoti, & Vazquez, ducta ex tribus principiis.*

Septima ratio Scoti 4. disput. 1. quæst. 1. §. *Ista ergo.* ab ipso latissimè exposita , quam omnium maximè probat Vazquez hic disput. 175. cap. 2. tribus propositionibus præcipuè nititur , vt ipsemet initio præmittit. Prima , *Nullus actus accidentalis necessariò requiritur in creante substantia, tamquam prior necessariò ipso termino creationis.* Secunda, *intellectio Angeli , est sibi accidentalis.* Tertia, *ad quodcunque producendum extra Angelum , necessariò requiritur intellectio Angeli , tanquam præuia.* ex his tribus principiis apprimè sequitur, inquit Scotus , *quod nulla substantia potest creari ab Angelo.* Nimirum substantia per se subsistens , ad quam solam creatio per se terminatur , vt supra artic. 4. & multò minus substantia non per se subsistens , vt forma materialis, & quodcunque accidens : quoniam etsi huiusmodi entia sint imperfectiora entibus per se subsistentibus , tamen minus apta sunt , vt per creationem fiant, cum ex propria natura petant esse , & consequenter , fieri dependenter à subiecto , ac proinde non per creationem. Nulla vero creatura, sed solum naturæ author Deus , potest aliquid producere modo miraculoso, contra naturales rerum exigentias. Præterquam, quod si, vt sumitur in prædictis. principiis Angelus non potest creare nisi mediante præuio aliquo accidente, euidenter sequitur, nihil omnino ab Angelo posse naturaliter creare : quia vt optimè discurrit Scotus paulo post principium citati paragraphi, *accidens necessario requirit potentiam receptiuam in essendo, omnis autẽ forma requirens potentia receptiuam in essendo. si est actiua, necessario requirit potentiam passiuam in agendo: alioquin forma terminans actionem , esset absolutior à materia , quàm forma principians actum ; quod est inconueniens . quia absolutio à materia perfectionem arguit ; sed formalis terminus actionis non potest esse perfectior formali principio agendi.* Quod si creatura Angelica & immaterialis, nihil creare potest , multo minus creare aliquid poterit creatura inferior materialis : neque enim creare potest per materiam primam , quæ est imperfectissima potentia passiua , non actiua; neque per formam materialem , quia cum hæc habeat connaturalem modum essendi in materia, ac proinde per creationem connaturaliter fieri nequeat ; vt supra artic. 4. numero 8. non potest habere connaturalem modum operandi sine materia ; neque per aliquod accidens, propter eamdem rationem , vt probabat Scotus supra. Neque aliquid aliud assignari præterea; potest , per quod prædicta substantia creet. Ergo cum omnis possibilis creatura sit vel spiritualis , vel materialis, & probatum sit neque spiritualem , neque materialem creaturam posse creare , probatum vniuersaliter remanet, nullam creaturam fieri posse , quæ possit creare.

33 *Confirmatur cum Capreolo, Durando, & aliis.*

Hic discursus à Capreolo 2. distinct. 1. quæst. 3. articulo 3. columna 17. procedere dicitur *per media modici valoris* ; & quidem deficere aliqua ratione videtur in primo , & tertio principio. Ad primum enim distinguendo dici facilè potest nullum actum accidentalem posse prærequiri in creante, vt principium formale creandi , quod solum bene probat Scotus : posse autem prærequiri, vt dirigentem , & applicantem principium formale , vt contra Scotum notauit Durandus 2. dist. 1. quæst. 4. num. 35. & 36. & sequuti sunt Suarez in Metaphysica disput. 20. sectione 2. numero 20. Albertinus tomo 1. pag. 138. numero 16. Mendoza disput. 12. Physica sect. 7. §. 112. quo modo, vt suppono ex probatis tomo 2. quæst. 25. art. 1. contra Vazquez, in ipsomet Deo intellectus & voluntas dirigunt,& applicant diuinam omnipotentiam ad creandum , & in animantibus apperitus applicat generatiuam potentiam , & in nobis voluntas , inferior intellectu , applicat intellectum ad operandum intellectualiter. Cum eadem distinctione ad tertium principium dici posset , in Angelo creante esse necessariam præuiam intellectionem , vt principium dirigens, non vt principium agens,& exequens, hoc enim posse esse ipsam Angeli substantiam immediatè ; præsertim cum in ipsius Scoti sententia , de facto in naturalibus immediatum operandi principium non sit accidens, sed substantia. In eodem Scoti discursu plures alios defectus adnotauit Ochamus 2. q. 7. col. 1. tota. Sed quoniam refelli facilè possunt, præcipuo defectu animaduerso , non est operæpretium alios vel defendere, vel impugnare.

Ochamus cõtra Scotum.

Octaua

34 *Octaua ratio Ochami, Adami, Alliacensis, Marsilij.*

Octaua ratio Ochami supra littera D, & littera E, quam sequitur Gabriel 2. disp. 1. quæst. 4. art. 2. conclus. 1. & multo ante ipsum Adamus 4. sent. q. 1. non longè à principio, & postea Alliacensis 4. q. 1. art. 2. concl. 2. & Marsilius 4. q. 1. art. 3. conclus. 3. probat. 2. Sed reliqui omnes reiiciunt; quia creatura non potest esse creationis causa naturalis; sequeretur enim quod crearet de facto infinita indiuidua: quoniam, inquit, *Si creatura potest creare aliquod indiuiduum eiusdem rationis, qua ratione vnum, & infinita; quia ex quo est agens naturale, æqualiter respicit omnia.* Neque etiam esse potest creationis causa libera, quia tunc crearet per velle liberum, quod etiam se extendit ad infinita. *Ergo si esset libera, posset producere infinita, quod falsum est, sicut prius.* De hac ratione merito dixit Suarez supra num. suo 22. *Minus est efficax, quam præcedens*, nempe Scoti, ab Ochamo reiecta: quoniam non est necessaria consequentia, quod aliqua causa siue naturalis, siue libera, si potest producere vnum indiuiduum, possit producere infinita indiuidua eiusdem speciei. Etenim, vt non semel in superioribus, præsertim tomo primo me aduertisse memini, & loco citato in hoc casu aduertit etiam Suarez, omnis causa effectiua, ad hunc, vel illum indiuiduum determinatum effectum producendum, determinatur extrinsecè à prima causa, cui essentialiter subordinatur in agendo. Quapropter quod eadem ratione, qua causa potest vnum, possit quodcumque aliud, non oritur ex infinitate causæ potentis infinita, sed ex finitæ virtutis indeterminatione, atque indifferentia ad quodlibet determinatum. Quod etiam causa in hac duratione, possit vnum, in alia duratione possit aliud, & sic in infinitis aliis durationibus possit infinita alia, non arguitur infinitas virtutis, sed durationis tantum, in qua virtus aliqua finita producere potest effectus in infinitum, non simul, sed successiuè, hoc est, nunc vnum, postea alium, & ita deinceps sine fine. Præterquàm quod si virtuti creatiuæ nihil aliud obstat, nisi infinitas, cum probabile sit creatam virtutem infinitam, non implicare, vt tom. primo quæst. 7. artic. 3. & 4. ostensum est, probabile quoque erit, non implicare creaturam, quæ creandi virtutem habeat. Quę quidem si esset infinita, non necessariò deberet producere infinita indiuidua, quia quamuis naturalis, subiaceret tamen concursui, & liberæ determinationi primæ causæ, quæ posset determinare tot, & non plura, atque hæc determinata indiuidua, non alia: quemadmodum determinatur de facto ipsamet Dei omnipotentia per liberum diuinæ voluntatis decretum.

Reiicitur à Suarez & aliis.

Tres aliæ modernorum rationes.

35 *Nona ratio, quia actio transiens esset perfectior immanente. Arguitur cõtra.*

Nona ratio quorumdam recentiorum, sumpta ex absurdo, quia si creatura intellectualis crearet, sequeretur actionem illius transeuntem, nempe creationem, esse perfectiorem actione eiusdem immanente, nempe intellectione, & volitione; ac proinde causam modo perfectiori agere in aliud extrinsecum, quam in seipsam: quod absurdum esse censent. Sed deberent probare, hoc esse absurdum. Neque vero apparet vrgens ratio, cur actio, ex eo præcisè quod sit transiens, esse debeat imperfectior actione immanente, ex eo quod immanens est. Imo videtur oppositum; quia actio ex eo quòd sit transiens, habet posse producere perfectum indiuiduum eiusdem speciei cum causa; cuius perfectionis effectus per nullam actionem immanentem produci potest; quoniam terminus actionis immanentis in ipsomet agente, non potest esse aliud nisi accidens aliquod immanens, & inhærens in illo; transeuntis verò actionis terminus plerumque est substantia, verbi gratia, homo immanenter intelligens, & equus immanenter videns, producunt accidentalem quemdam actum intellectionis, & visionis; at vero transeunter generantes, & homo hominem intellectiuum, ac rationalem, & equus equum visiuum, ac sensitiuum producunt; quod quidem longè maius esse videtur: sicut etiam perfectius est, vnam aquam per actionem transeuntem producere aliam aquam, quàm per actionem immanentem reducere se ad pristinam frigiditatem; & vnum hominem transeunter producere alium hominem, quàm immanenter mouere se de loco ad locum. Ergo similiter si vnus Angelus crearet alium Angelum eiusdem speciei, non posset rationabiliter reputari absurdum, quod tunc perfectius ageret, quam cum intelligit, aut vult, aut localiter mouetur per aliquid immanenter in seipso receptum. Qua in re, vt distinctius penetretur huius rationis insufficientia, duæ perfectiones distingui, & inuicem comparari debent: altera ex parte actionum præcisè, quod scilicet creatiua, non pendeat à subiecto, eductiua sit à subiecto dependens; & sic sine dubio omnis creatio est perfectior quacunque eductione; altera ex parte terminorum, & horum perfectio non necessario corresponder perfectioni actionum; quod mirum esse non debet, quia prædicta perfectio actionum non consistit in entitate ipsarum per ordinem ad terminum, sed in modo, siue habitudine essendi per ordinem ad agens quod in agendo non indigeat, vel indigeat subiecto. Itaque si perfectionis comparatio fiat inter terminos creationis, & eductionis, aliquando terminus creationis est perfectior, vt anima rationalis quæ creatur, est perfectior anima leonis quæ generatur; aliquando est imperfectior, vt materia prima, quæ non potest fieri nisi per creationem, est multo imperfectior quauis forma substantiali per generationem facta; & equus creatus, siue cœlum creatum, est imperfectius homine genito; & si crearetur quantitas, superaretur in perfectione à quocunque termino generationis substantialis. Nullum igitur solidum argumentum contra Angelum creantem formari potest ex eo, quòd perfectius, vel imperfectius ageret per trãseuntem creationis actionem, quàm per alias actiones in se ipso immanentes. Sed pro maiori perfectione, quam creatio habet in genere actionis supra omnem aliã eductiuam actionem, satis esse debet, quod creatio ex genere suo habere possit aliquẽ terminum adeo perfectum, vt ad illum nulla eductio valeat peruenire; vt patet in Angelo, qui creatur, & generari non potest. Denique nullũ censeri debet inconueniens, causam effectiuam perfectiori modo agere in aliud, quam in seipsam, vt constat ex allatis exemplis. Et ratio est, quia in se non potest agere, nisi producendo aliquod accidens, quod propriè creabile non est, vt sup. ar. 4. concl. 4. in aliud verò, siue extra se, potest agere producendo substantiam, quæ est proprius creationis terminus.

An perfectius sit agere immanenter, quã transeunter.

36 *Decima ratio, quia creationis terminus est esse irreceptum.*

Decimò probant alij recentiores, quia omne agẽs creatum habere necessariò debet esse receptũ, quia scilicet, non potest agere nisi per potentiam actiuã accidentalem receptã in substantia agentis. Terminus autem creationis, in quantum creatio est, habere necessario debet esse irreceptum, quia creatio terminari non potest nisi simpliciter ad puram substãtiam, & non ad accidens subiectatum in illa substantia, vt significaui supra artic. 4. num. 6. & 7. sed

sed esse irreceptum, est perfectius quàm esse receptum. Ergo si creatura crearet, sequeretur, semper effectum esse perfectiorem causa. Hæc ratio non videtur efficax, quia supponit aliqua quæ sunt in controuersia, & deficit in ipso discursu. Supponit creatam substantiam se ipsa immediatè neq; de facto agere, neque posse agere, quod supra n. 31. notauimus contra Ægidium, qui hanc rationem significasse videtur. Secundo creationem, non posse terminari ad aliquam formam, siue substantialem, siue accidentalem, vnitam subiecto, quod multi viri docti impossibile esse non putant, vt Suarez, & Mendoza adducti loco citato. Esto autem hæc supposita vera sint, nihilominus discursus ex illis ductus deficit, primò quia si creatura crearet, potẽtia habens esse receptum, esset causa instrumentalis; substantia vero creaturæ creantis, habens esse irreceptum, esset causa principalis. Non est autem necessarium, vt effectus creationis in perfectione assimiletur causæ instrumentali, sed solum causæ principali: sicut in genere actionis eductiuæ, generatio substantialis qua producitur v. g. homo, non terminatur ad substantiam simul, & ad accidens, sed ad solam humanitatis substantiam, quæ non est similis potentiæ accidentali generatiuæ, sed substantiæ principaliter generanti. Deficit secundo potissimum in eo quod sumit esse irreceptum, quod reperitur in termino creationis esse perfectius, quàm esse recèptum, quod reperitur in causa totali creationis, si hæc esset creatura. Quamuis enim esse irreceptum, ex genere suo, & cæteris paribus, sit perfectius quam esse receptum; tamen compositum ex esse irrecepto, & esse recepto, est quid perfectius solo esse irrecepto: vbi semper loquimur de esse irrecepto finito, & creato, quod reperiri potest in creaturis, non de esse simpliciter irrecepto, quod est esse Dei increatum, & infinitum. Quemadmodum quamuis spiritualis substantia animæ nostræ sit nobilior materiali substantia corporis, tamen homo compositus ex vtraque parte nobilior est anima. Ita prorsus in casu nostro, si vnus Angelus crearet animam nostram, vel alium Angelum eiusdem speciei, terminus creationis esset solum esse irreceptũ substantiæ animæ vel Angeli, absque vlla potentia accidentali, ex vi ipsa formali creationis recepta in illa substantia; sed causa totalis creatiua esset quid conflatum ex esse irrecepto substantiæ Angelicæ principaliter creatiuæ, & ex esse recepto potentiæ accidentalis instrumentaliter creantis. Quod conflatum est sanè perfectius puro, ac simplici illo esse irrecepto. Obseruanda igitur est diligenter duplex illa limitatio superius opposita de esse irrecepto perfectiore *ex genere suo, & cæteris paribus*. etenim esse aliquod irreceptum, nempe diuinum, est perfectius quocunque esse recepto. Sed si comparatio fiat in inferiori alio genere creato, inueniemus aliquod esse irreceptum, nempe materiæ primæ, multo minus perfectum quam esse receptum cuiuscunq; formæ substantialis. Item si comparatio fiat cæteris paribus inter partem, & partem, vt inter esse irreceptum substantiæ creabilis, & esse receptum potentię creatiuę, illud est perfectius. Sed si nõ sint cętera paria, & comparetur pars cum toto, vt simpliciter esse irreceptum termini creationis cum totali creationis causa, composita ex esse irrecepto æquali, & ex alio esse recepto, hoc procul dubio erit perfectius illo. In qua vltima comparatione, simplicitas, quæ reperitur in effectu creato, non facit ad illius perfectionem, sed potius imperfectionem; quia, vt fusius explicaui in proprio loco tomo 1. quæst. 3. artic. 7. num. 9. non est simplicitas per plenitudinem entitatis sed per defectum: de qua simplicitate S. Thomas ibi ad 2. loquens ait, *quod apud nos composita sunt meliora simplicibus, quia perfectio bonitatis creaturæ non inuenitur in vno simplici, sed in multis*. Quamobrem non est bona ista consequentia, virtus creatiua est accidens subiectatum, seu receptum in substantia, ergo effectus qui per illam creatur esse similiter debet accidens subiectatum, seu receptum in substantia; quod contradicit creationi. Sufficit enim vt eius terminus sit sola substantia; quoniam illa virtus cum agat non in virtute sua, sed in virtute substantiæ, cuius est instrumentum, non necesse est, vt assimiletur instrumento, sed agenti principali. Qua ratione nec de facto valet in naturalibus generationibus, virtus generatiua est accidens receptum in substantia, ergo substantialis generationis terminus est accidens receptum in substantia.

Arguitur contra.

An esse irreceptum sit perfectius esse recepto.

Simplicitate non semper importari perfectionem.

S. Thom.

37 *Vndecima ratio, quia creatura non potest annihilare.*

Vndecimo iuniores quidam ita discurrunt. Si creatura posset creare, posset etiam annihilare. Sed non potest annihilare, ergo nec creare: ex incommunicabilitate virtutis annihilatiuæ arguitur incommunicabilitas virtutis creatiuæ. Veteres enim & graues Theologi, Scotus 4. dist. 1. quæst. 1. paulò post principium. Ochamus 2. quæst. 7. initio, & iterum infra in octaua obiectione. Adamus 4. sent. quæst 1. obiect. 1. Capreolus 2. dist. 1. quæst. 3. artic. 2. col. 9. Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 3. rectè sentientes multò maiorem vim apparere in actu positiuo creandi, quam in negatiuo actu annihilandi, ita contra se argumentantur; creatura potest annihilare, ergo creare. Marsilius etiam 2. quæst. 1. artic. 2. parte 3. conclus. 2. probat. 3. sic arguit. *Deus potest annihilare, ergo creare.* & nullus vnquam inuenitur, qui implicantiã creaturæ creantis probauerit ex implicantia creaturæ annihilantis. imò Ochamus apud Adamum supra ad 1. propter destructionem accidentium in Eucharistia, *concedit quod creatura potest annihilare, sed non creare*. Et quamuis Adamus dissentiat, tamen ait, *quod probabilius diceretur, actiuum creatum annihilare, quam creare.* Et Gabriel suprà in secunda responsione ad hoc argumentum ait, *Admisso etiam quod creatura posset annihilare, non sequitur quod possit creare.* Censet igitur minorem esse difficultatem in posse annihilare, quam in posse creare: *quia*, inquit optimè Scotus, *annihilare non est agere positiuè, sed non agere, id est, non conseruare*; creare vero est positiue agere. Quare admissa rectitudine discursus, minorem de impossibilitate creaturæ annihilantis, quam Durandus negaret eadem facilitate, qua negat impossibilitatẽ creaturæ creantis, non aliter probant iidem Authores, nisi quia si creatura posset annihilare, sequeretur, creaturam habere maius dominium supra terminũ creatum, quam habeat Deus. Sequelam probant, quia cum Deus creet vt causa prima, ex vi cuius muneris tenetur cum effectibus creatis se gerere iuxta connaturales eorum exigentias, non potest subtrahere concursum creatiuum, & conseruatiuum, absque violentia termini creati, qui cum sit ex natura sua incorruptibilis, exigit naturaliter, post quam creatus est, semper durare, & à Deo conseruari. Alia vero causa creans, quia non esset causa prima, sed secunda, liberè creans, non haberet hoc naturale debitum conseruandi effectum creatum, sed posset merè ad libitum suum, absque vlla violatione naturalis exigentiæ effectus, illum annihilare, & nolle conseruare. Creatura igitur supra aliquam rem creatam haberet maius dominium, quam de facto habet Deus.

Probatio assumpti.

38 *Arguitur contra probationem.*

Verum hæc probatio videtur friuola, primo quia supponit, quod naturalis necessitas quam habet Deus conseruandi effectum creatum, natura sua incor-

incorruptibilem, oriatur præcisè ex munere causæ primæ, cum primario, imo etiam totaliter oriatur ex naturali incorruptibilitate effectus, qui propterea connaturaliter exigit, vt si fiat à causa, per quam fieri & conseruari potest, debeat ab illa semper cõseruari, siue causa sit prima, siue secunda. Si enim effectus, quia cum accipit esse, petit ex propria natura à prima causa creante, & conseruante, semper conseruari, id multò magis exiget, si fiat à causa secunda potente illum creare, & conseruare: quoniam causa secunda naturali debito strictius tenetur concurrere cum effectu iuxta exigentiam naturalem effectus, quam causa prima, quæ supra omnes effectus, & causas absolutissimum dominium habet. Et ideo maiorem violẽtiam pateretur anima v.g. creata ab Angelo, si non conseruaretur ab illo, quàm si non conseruaretur creata à solo Deo. Secundò supponit etiam, quod si creatura posset creare, posset etiam conseruare. Hæc autem connexio inter creare, & conseruare, esse quidem necessariò debet in causa prima; quod vero esse etiam necessariò debeat in causa secunda, nõ potest satis probari: sicut enim Deus, & homo generant hominem, quem posteà conseruet Deus, non conseruat homo; ita si Deus, & Angelus crearent angelum, illum cõseruaret Deus, & non Angelus. Quapropter negari facile posset illa maior, si creatura posset creare, posset etiam annihilare. Scimus enim esse agentia naturalia propemodum infinita, quæ dare possunt esse, quod tamen tollere non possunt. Ergo si in tollere esse per annihilationem, fingis aliquam implicantiam, quam inuenire desperas in dare esse per creationem, non probas, hoc esse negandum à creatura, sed illud tantum quod cum hoc essentialem connexionem habere, etiam in causis secundis, nulla probabili ratione suaderi potest. Tertiò nulla est illa consequentia, effectum creatum Deus non potest ad libitum non conseruare, potest autem creatura; ergo maius dominium supra illum effectum habet creatura, quam Deus. Quod enim effectus creatus à Deo, & à creatura, esset necessario conseruandus à Deo, non à creatura, oriretur ex maiori dependentia illius effectus à Deo, quam à creatura; maior autem dependentia effectus ab vna causa, quàm ab alia, arguit profectò maius dominiũ illius effectus in vna causa, quàm in alia. Ex quo maiori dominio, & consequenter, ex maiori indigentia quam habet effectus creatus dependendi à Deo, quam à creatura, nascitur vt quilibet effectus possit fieri, & conseruari à solo Deo, non à sola creatura. Nascitur etiam vt effectus qui fiunt, & conseruantur à creaturis, possint non conseruari à Deo, etiam nolentibus creaturis; posset enim Deus nolle conseruare hoc lumẽ, quod nunc conseruatur à sole: posset etiam non conseruare actus liberos, quos creatura elicit, & vellet conseruare. Quartò quemadmodum isti Authores ita arguunt, causa prima non potest ad libitum subtrahere concursum sine violentia effectus creati, potest ita substrahere causa secunda. Ergo maius dominium in secunda causa, quam in prima, ita aliis liceret pariter arguere, causa secunda libera potest ad libitum suum absque vlla violentia non conseruare liberos tuos effectus, quos causa prima non posset ex se nolle conseruare absque violentia libertatis creatæ; ergo maius dominium supra actus creatos liberos habet creatura, quam Deus. Sed hoc secundum argumentum est nullius momenti; ergo & primum. Quintò minus propriè dictum videtur, quod creatura ex natura sua incorruptibilis patiatur violentiam, si non conseruetur à Deo, sed annihiletur. Cum enim esse omnis creaturæ essentialiter, ac naturaliter pendeat à Dei potentia, & libera voluntate, videtur esse contra dominium omnino liberum & independens, quod Deus habet supra omne esse creaturæ, dicere quod vim inferat, & violentiam faciat creaturæ, si illud esse quod illi liberè dedit, & conseruat, ab illa auferat. Esse Angeli est ab Angelo inseparabile per creatam aliquam vim, sed per naturalem Dei potentiam est separabile: vt latè, ac doctè ostendit noster Vazquez infra disputat. 182. probans *quod respectu potentiæ Dei, nulla creatura, sua natura est immortalis, & incorruptibilis; imò natura sua est corruptibilis, & mortalis; & natura sua subest potentiæ Dei, vt annihilari ab ea possit.* Quod tribuit Alensi, Bonauenturæ, Riccardo, Scoto, Ochamo, Gabrieli: & confirmat multorum Patrum authoritate expresè docentium, Angelos esse immortales *per Dei gratiam, non per naturam.* Qui vero tollit ab aliquo quod per gratiam liberè donat, & conseruat, dici rectè non potest, violentiam inferre, sed auferre gratiam.

Vnde oriatur vt Deus res conseruet.

Si creatura crearet non necessario conseruaret.

An Angelus pateretur violentiam, si non conseruaretur à Deo.

Rationes Gabrielis, Pererij, & Fonsecæ.

Duodecima ratio Gabrielis 2. dist. 1. quæst. 36. art. 3. dub. 1. contendentis non posse aliunde probari, quod creatura non potest aliquid sine passo producere, nisi quia hoc, inquit, *repugnat creaturæ ex conditione suæ naturæ, quam recipit a Deo; a quo habet determinatum modum, & ordinem agendi: qui nobis per experientiam innotescit. Sicut si quæritur, quare sol non humectat, & infrigidat sicut luna; & luna non calcat, & exsiccat sicut sol, nulla causa assignatur; nisi natura vtriusque, quam sic vtramque Deus condidit: & hoc nobis per experientiam innotuit.* Hanc rationem bene confutat Suarez in Metaphysica disput. 20. sect. 2. num. 10. & quidem, hæc non tam est ratio conclusionis, quàm ipsamet conclusio, cuius probationem Gabriel non tàm affert, quàm afferri posse desperat. Neque enim hac in re sufficit experientia. Quis enim expertus est, quod nullus Angelus creauerit, aut quod homo generans hominem, non creet animam? Et esto huiusmodi experientia constet de omnibus rebus factis, quænam experientia fingi poterit de aliis creaturis factibilibus, perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, quod earum naturæ repugnet habere vim, & modum operandi aliquid sine subiecto? Et sanè tota nostra controuersia inter Catholicos esse debet de his possibilibus. Nam de factis, certum omnino apud omnes est, neque creare, neque posse creare.

39 *Duodecima ratio Gabrielis, qu creaturam habuit à D vim creand*

Reiicitur Suarez.

Decima tertia ratio Pererij lib. 5. Physic. cap. 6. col. 3. med. Fonsecæ 5. Metaph. cap. 2. q. 8. sect. 3. paulo ante finem: quia si etiam actio creandi communicabilis esset creaturis, nulla omnino superesset actio propria Dei, & non communis cum creaturis: nam intelligere, velle, mouere, & quodcunque aliud agere, quod conuenit Deo, conuenit etiam creaturis. Esse verò conueniens, vt detur aliquod agere, quod nulli creaturæ, sed soli Deo conuenire possit, suadetur tum quia, vt arguit Pererius, datur aliquod esse proprium Dei, vt esse à se, esse omnipotentem, esse actum purum, &c. ergo & aliquod agere: tum quia, vt arguit Fonseca, *in rebus etiam creatis quædam sunt opera perfectionum, quæ ne diuina quidem virtute possunt inferioribus communicari, etiam instrumentaliter, vt lapidis aspectus, & bestiæ intelligentia.* Ergo si finita excellentia vniusquæ creaturæ supra aliam, est ratio vt excellentiori propria aliqua operatio conueniat, multo magis excellentia diuina infinitè superans omnes simul creatas excellentias, arguere debet in Deo propriam aliquam operationem omnino incommunicabilem.

40 *Decima tertia ratio Pererij, & Fonseca, quia nulla esset actio propria Dei.*

Iudicium rationis.

lem. Discursus sanè prudens, ac probabilis à posteriori. Verum enimuero indiget maiori firmamento à priori: alioqui dici facile posset, quod actus diuinæ naturæ propriissimi, sint diuinarum personarum productiones in eadem numero natura per intellectum, & voluntatem; atque hos actus incommunicabiles creaturis, correspondere incommunicabilibus essendi perfectionibus, quod requirebat Pererius. Neque præterea esse necessarium, vt inter actiones etiam, quas extra se fundit Deus, sit aliqua incommunicabilis: cum enim omnes sint aliquid extra Deũ, & consequẽter sint aliquid simpliciter creatum, mirum esse non debet, si omnes ex genere suo sint simpliciter communicabiles, idque non minuit Dei excellentiam, sed commendat potius diuinæ bonitatis infinitatem. Satis fuerit ad infinitum illum diuinæ excellentiæ excessum supra omnes creaturas, si illæ eædem actiones ad extra, ita sint communes aliqua ratione creaturis, vt tamen sint incommunicabiles cum illa perfectione, cum qua competunt Deo, verbi gratia, si creaturæ communicaretur potentia creandi aliquid dependenter à Deo, Deus tamen retineret omnino incommunicabilem omnipotentiam creandi omnia absque vlla dependentia, vt supra dub. 2. quemadmodum etiam actiones intelligendi, visendi, mouendi, &c. semper habent in Deo excellentissimam aliquam perfectionem, cum qua sunt incommunicabiles creaturis, quæ tamen cum aliqua alia minori perfectione sunt communicabiles. Quædam alia contra hanc decimam-tertiam rationem legi possunt apud Suarez in Metaph. disput. 20. sectione 3. numero 12.

41 *Decimaquarta ratio, quia creans cõponere deberet cum intellectione & volitione.*

Decima quarta ratio quorumdam recentiorum benè sumentium, quod modus operandi per creationem, sit modus operandi supra modum essendi cuiuscunque creaturæ. Sed modus operandi sequitur modum essendi cui debet proportionari, vt multis demonstratum est in 1. tomo q. 12. artic. 4. ergo modus operandi per creationem non potest esse connaturalis, & proportionatus cuilibet creaturæ. Maiorem, quæ tantum probatione indiget, ita probant. Omnis creatura vt creet, componere debet cum sua intellectione, & volitione. Ergo non potest producere substantiam simplicem, quæ esse debet terminus creationis: aliter, inquiunt modus operandi simpliciter, non sequeretur modum essendi compositè. Hæc probatio affinis est sextæ & decimæ rationi, supra reiectis.

Instantia in contrarium.

Præterea habet manifestam instantiam in agentibus per intellectum, & voluntatem: nam vnus Angelus, verbi gratia, potest velle, libere cognoscere nudam alterius Angeli substantiam, non compositam cum actibus intelligendi, & volendi: & tamen non potest cognoscere simpliciter per nudã & simplicem substantiam suam, sed compositè. quia vt liberè cognoscat, componere debet cum cognitione, & volitione sua. Item agens per generationem substantialem, vt generet, esse debet compositum ex sua substantia, & accidentali potentia generatiua; & tamen substantialis illa actio non terminatur ad simile compositum, sed ad simplicem substantiam. Adde illam compositionem cum cognitione, & volitione, non esse ad creandum necessariam tanquam principium aliquod immediatè creans, sed solum tanquam aliquid dirigẽs, & applicans principium creatiuum, quod creationem ipsam exequitur, vt supra n. 33. Demum radix deceptionis esse videtur mala applicatio illius axiomatis. *Modus operandi sequitur modum essendi*: per hoc enim omnes non aliud significamus, nisi quod esse causæ operantis non sit minus perfectum, quàm esse effectus quem operatur, vel esse obiecti circa quod operatur, siue quod modus, quo causa effectum suum causat, non sit perfectior modo, quo causa in se ipsa habet esse suum. Cum vero Axioma applicatur creationi, & ita sumitur, *modus operandi per creationem, est modus operandi simpliciter, & modus essendi creaturæ creantis, est modus essendi compositè*; nihil concluditur, quia æquiuocatio committitur in illis terminis, *simpliciter, & compositè*: quoniam ad concludendum intentum, modus operandi simpliciter, deberet importare perfectionem, & modus essendi compositè, deberet importare imperfectionem oppositam; & tamen contra res habet, quoniam illud, *simpliciter*, sumitur pro nuda substantia; illud vero, *compositè*, sumitur pro substantia simul cum intellectione & volitione; quod quidem compositum, est perfectius sola substantia; quæ licet sit simplicior, tamen est imperfectior; quia huiusmodi simplicitas dicitur priuatiuè per carentiam perfectionis, quo modo in physicis materia, vel forma, dicitur simplicior composito; non positiuè per continentiam perfectionis, & maioris entitatis, quo modo Deus dicitur simplicior quacunque creatura.

Ratio ab Alberto, & S. Thoma significata.

42 *Decimaquinta ratio, quia modus operandi non conformaretur modo essendi.*

Decima quinta ratio nititur eodem principio de modo essendi, & modo operãdi, sed aliter procedit, & significatur ab Alberto 7. dist. 1, a. 7. ratione 1. vbi ita discurrit. *Omnia quæ sunt citra Deum, secundũ aliquem modum sunt in potentia, ergo non faciunt nisi formam in composito. Non ergo creant.* Equidem, vt hanc rationem, quoad eius fieri potest, probabilem efficiam, ita explico, & formo. Essendi modus, essentialis cuiuslibet creaturæ, præsertim agentis spiritualis, intellectualis, ac liberè, cuiusmodi agens in omnium sententia esse deberet creatura creans, si esset possibilis, est esse tale ens potentiale, vt ipsa sit subiectum eductionis. Agens enim creans, si est creatura, non potest non esse quid compositum ex substantia, & accidente aliquo, vt potentia creatiua, actu intelligendi, volendi, &c. alioquin si creatura esset essentialiter sua potentia operandi, & sua operatio, esset etiã essentialiter sibi sua existentia, quæ prior est operatione, & operandi potentia, ac proinde esset actus purus. Omne autem compositum ex substantia & accidente, habet necessario substantiam in qua, tanquam in subiecto sustentetur, & inhæreat esse accidentis, & ex qua, tanquam ex subiecto eductionis, pendeat fieri cuiusdem accidentis. Ergo omnis creatura creans, non potest in suo esse, & modo essendi, præscindere ab ista materialitate, seu potentialitate subiectiua eductionis, sicut nec à potentialitate effectiuè essendi ab alio. Sed modus operandi per creationẽ, est modus operandi independenter à subiecto eductionis, vt constat ex receptissima creationis definitione supra a 1. ergo si creatio competeret naturaliter creaturæ tãquam causæ principali, hæc vtique haberet naturalem modum operandi multò perfectiorem, & omnino oppositum, atque improportionatum suo naturali modo essendi: hoc est, haberet operari sine subiecto eductionis, haberet vero esse, vt subiectum eductionis suorum accidentium. Quod est multo clarius absurdum, quàm illud, propter quod supra q. 12. a. 4. cum S. Thom. diximus, nullum creatum intellectum per sua naturalia posse videre Deum intuitiuè, quia creaturæ modus essendi potentialis, non potest esse proportionatus modo cognoscendi Deum, actum purum, vt actus purus in se est. Differt

fert autem ista ratio ab aliis similibus superius adductis; quia aliæ fundantur in ipso entitatiuo effectu creationis, contendentes esse perfectiorem, quia est irreceptus, simplex, &c. Quod fundamentum ostendimus non esse satis firmum; hæc vero fundatur in ipso formali modo operandi per creationem: quem modum constat semper esse perfectiorem modo essendi creaturæ creantis, etiam si effectus creati entitas, seu materialitas sit imperfectior sua causa v.g. si ponatur Angelus creare animam, adhuc modus, quo crearetur anima, esset perfectior, & oppositus, & improportionatus modo essendi, qui ex natura sua competit Angelo.

43 *Ratio probatur simpliciter cum Albertino.*

Equidem hac ratione, quam deinde bene tactam legi in Albertino tomo primo pag. 140. n. 25. olim vsus sum, cum S. Thomæ ratio minus placebat; & nunc etiam nihil in ea video, quod mihi probabile non videatur. Imo inter istas duas rationes tanta apparet affinitas, vt altera per alteram probari bene possit. Si enim ex sancto Thoma sumas, omnis creatio essentialiter, & formaliter tendit ad esse simpliciter, siue ad ens creabile quatenus creabile simpliciter est; inde ita euidenter poteris deducere; ergo creatio, vt creatio, esse non potest operatio nisi solius Dei; quia omnis causa effectiua creata, sicut non potest respicere se ipsam, ita nec omne creabile. Ergo modus operandi per creationem, qui est absque vlla subiicibilitate, respicit essentialiter modum essendi proportionatum in causa absque vlla etiam subiicibilitate, quem modum essendi habet sola causa prima. Ergo omnis causa secunda habet essentialiter modum essendi subiicibilem imperfectiorem & prorsus improportionatum modo operandi subiicibiliter. Ergo modus operandi transeunter per creationem, est omnino incommunicabilis creaturæ, quia est essentialiter diuinus, hoc est, essentialiter pendens ab actu purissimo effectiuo ad extra. Atque hoc modo ex ratione sancti Thomæ probata remanet nostra ratio. Contra etiam ex nostra ratione probari sic potest sancti Thomæ ratio. Modus operandi per creationem, est modus operandi ex nullo subiecto; ergo postulat in causa creante modum essendi absque vlla subiicibilitate; ergo conuenire non potest nisi causæ habenti esse non subiicibile; ergo actui puro, & increato, atque illimitato in esse, & in operari. Ergo in sua operatione, & actiuitate non potest habere limitatum terminum, ad quem. Ergo creatio, quæ est operatio propria actus puri illimitati, non habet ex natura sua limitatum terminum, ergo ex natura sua tendit ad omne esse, siue ad hoc vel illud esse ex eo formaliter, quod sit esse simpliciter creabile.

Sed postponitur rationi S. Thom.

In qua vltima propositione consistit præcipuum fundamentum rationis S. Thomæ. Igitur istæ duæ rationes mutuo cohærent, & sibi inuicem correspondent. Verum enimuerò præferenda est ratio S. Th. quia si rectè intelligatur, & explicetur, procedit ex magis propriis, & certioribus, ac notioribus principiis, & per euidentiores cõsequentias probat intẽtum; vt patet attentè consideranti omnia, quæ superius dicta sunt in probatione, & explicatione vtriusque rationis. At verò hanc decimam quintam rationem ipsemet S. Thom. non obscurè tradere videtur de potentia q. 3. art. 4. multo post med. corp. in §. *Tertia ratio*, vt acutè obseruauit idem Albertinus, collega meus in docenda Theologia anno Domini millesimo sexcentesimo nono, qui est ab hoc vigesimus. Ibi igitur ita arguit S. Thomas, *cum accidens oporteat esse in subiecto, subiectum actum actionis sit recipiens actionem, illud solum in faciendo aliquid recipientem materiam non requirit, cuius actio non est accidens: sed ipsa substantia sua; quod solius Dei est; & ideo solius eius est; creare.* Cum in primo consequente dicitur, *cuius actio non est accidens*, non sumitur actio realiter, quæ est realis exequutio effectus creati, quoniam hæc non est substantia in Deo, sed accidens in effectu creato, vt supra art. 3. à num. 40. sed sumitur actio intentionaliter pro ipsa actuali volitione, qua ab æterno Deus intendit creare aliquid in tempore; quam volitionem semper S. Thom. ipsam actiuam creationem vocat. Sensus igitur illius consequentis est illud solum agens, in agendo non prærequirit subiectum, cuius actio, in ipso ad agẽdum prærequisita, non est accidens, sed substantia; sed actio ad agendum prærequisita, est accidens in creatura, non est accidens in solo Deo. Ergo non creatura, sed solus Deus non prærequirit subiectum in agendo. Ergo solus Deus, non creatura, potest creare. Omnia sunt manifesta, præter maiorem propositionem cuius veritas non potest in alio fundari, nisi quia agens, quod ita agit, vt in eo nullum sit accidens, non habet ex natura sua modum essendi subiectiuum; & ideo potest creare, hoc est, cum agit, potest non habere modum operandi subiectiuum. Aliud vero agens, quod non potest agere sine aliquo accidente in propria substantia recepto, habet modum essendi subiectiuum, cui nullus alius operandi modus correspondere, ac proportionari potest, nisi modus operandi subiectiuus, per dependentiam à præsupposito subiecto, quod creationi contradicit.

Quia etiam illam tangit.

Contraria Durandi argumenta.

44

Ex aduersariis doctrinæ sancti Thomæ, Durandus non solum huius articuli fundamenta, sed conclusionem ipsam impugnauit; & ideo illius obiectiones primo loco proponit. & dissoluit Capreolus 2. dist. 1. q. 3. art. 2. & 3. Igitur Durandus 2. dist. 1. q. 4. obiicit primo in n. 24. *Quandocunque actio non habet subiectum, nec terminum à quo, sed solum effectum productum, nisi effectus productus, secundum se arguat infinitatem virtutis productiuæ, non poterit ex aliquo, quod sit in actione, argui infinitum virtutis productiuæ; quia non est ibi aliud, nec subiectum, nec termini, nec distantia terminorum. Sed creatio est huiusmodi. Ergo, &c. effectus autem creationis secundum se non arguit infinitam virtutem agentis, cum ipse sit finitus; ergo, &c.* Ex qua termini creati finitate cõtra S. Th. argumentatur etiam Alliac. 4. q. 1. a. 2. conc. 3.

Prima obiectio.

Alliacensis.

Respondeo, insufficienter à Durando in creatione, præter actionem ipsam creatiuam, non considerari nisi terminum creatum, siue effectum: considerari enim præterea debet essentialis modus procedendi huius actionis, seu formalis ratio, qua tendit ad effectum suum producendum; ex quo formali modo, seu ratione primò habet actio, seu factio, vt sit creatio, & distinguatur à quacunque alia factione, quæ creatio non est, sed eductio. Quapropter creatio non solum definitur *factio rei*, in quo conceptu conuenit cum omni eductione, sed additur, *ex nihilo*, per quod additum constituitur in esse formali creationis, & ab omni eductione distinguitur: & per illud non solum significatur negatio subiecti præsupposito, sed etiam negatio omnis entis præsupposito, vt necessarij ad creandum, vt multis ostendi supra numero 18. & 19. & manifestum est ex prima mundi creatione, ante quam nullum omnino ens præsupponebatur. Ex hoc essentiali conceptu creationis, in quantum creatio est, duo deducuntur; alterum, ens, ex cuius negatione creatio essentialiter

Respondetur infinitatem in creando sumi ex ratione formali effectus.

liter procedere dicitur, non esse aliquid finitum ac determinatum; quia illa negatio non negat hoc, aut illud ens creatum, sed quodlibet, maius & maius in infinitum: alterum, quod effectus, qui formaliter proportionari, & correspondere debet huic formali modo procedendi ad illum, non est esse hoc, aut illud ens, sed est esse ens simpliciter, quod infinitatem quamdam importat. Hac insufficientia declarata, dico ad argumentum in forma, Maiorem, quæ sumit in aliqua actione nihil aliud esse, nisi *solum effectum productum*, esse insufficientem; quoniam semper præter effectum productum, necessarius essentialiter est aliquis modus tendendi ad effectum, scilicet vel ex subiecto simpliciter, vt eductio in genere; vel ex hoc, aut illo subiecto, vt hæc, aut illa eductio in specie; vel ex nullo subiecto, & nullo simpliciter præsuppositio, vt necessario, & per se prærequisito ad effectum producendum, vt creatio. Quare falsa est prima illa minor, *sed creatio est huiusmodi*, hoc est, non habet aliud, nisi solum effectum productum; nam præterea habet, tendere ex *non ente omnino*, siue ex *nullo ente*, siue ex *non ente simpliciter*, siue ex *non ente vniuersaliter*, quibus loquendi modis vtitur sanctus Thomas supra num. 18. An autem hoc non ens, verè sit, & dici rectè possit terminus, *à quo*, tota ferè quæstio de nomine est. Satis ad huius difficultatis veritatem inspiciendam fuerit, rem ipsam reperire, quacunque tandem voce illam nominare libeat. Si minus placuerit vocare terminum, *à quo*, vocare facilè possumus formalem modum, seu rationem tendendi, aut procedendi quomodo loquutus sum, ne in disputatione ad præsentem difficultatem minus necessaria, & sufficienter tractata supra art. 1. n. 14. inutiliter immorarer. Verum cum constet, huiusmodi negationem entis præsupponi secundum naturam, & ad effectum creationis, & ad ipsam etiam actionem creatiuam, & consequenter, participare inadæquatam aliquam rationem termini *à quo*, vocetur terminus *à quo*, ad maiorem loquendi facilitatem in disputatione. Certè Suarez in Metaphysica exponens definitionem creationis, in disput. 20. sect. 1. num. 10. ait: *Illa particula ex nihilo, dicit habitudinem termini à quo.* Solum aduertenda diligenter est, & distinguenda duplex negatio omnis entis; quædam negatio omnis entis simpliciter, & sine vllo addito; & hæc vt non semel in superioribus adnotatum est, non est de essentia creationis, imo ab ea realiter, & omnino separabilis, vt patet in creatione æterna, vbi esset semper aliquod ens creatum, ac proinde numquam esset creatio omnis entis creati: alia vero negatio omnis entis præsuppositi vt necessarij ad creandum; & hæc est illa, quam diximus esse essentialiter necessariam ad formalem rationem actionis creatiuæ. Demum distinguenda est alia minor subsumpta, quod effectus creationis secundum se sit finitus; vera enim est de effectu materiali, qui est tota illa entitas quæ simpliciter creatur, falsa vero de effectu formali, qui est in effectu illa entis ratio, quæ non solum sit, sed est formalis ratio vt fiat quæcumque alia entis ratio, quæ in effectu reperitur; & hæc est analogica ratio entis creabilis, quæ in quocunque effectu creato essentialiter imbibitur; & est infinita, siue non finita, ac proinde postulat in creante infinitam producendi virtutem. Prætermitto plurima, quæ in huius obiectionis solutione scribit Capreolus supra, quoniam minus clarè satisfacere videntur.

Suarez.

Qua negatio omnis entis sit ad creationem necessaria.

45 *Secunda obiectio.*

Obiicit secundò, *Dato quod ens, & nihil, essent termini creationis, tamen nullam habent inter se distantiam. Sicut enim differentia, & diuersitas, non est nisi entium inter se; ens enim non est diuersum, nec differens a non ente, quia idem & diuersum sunt differentiæ entis: sic & distantia non est nisi entium, & non entis à non ente. Quod patet in speciali de distantia, quæ est secundum locum: Cælum enim non distat à nihilo vltra cælum, distantia locali. Et per eamdem rationem, ille non distat distantia formali, quorum vnum est ens, & aliud nihil.* Eodemque ferè modo argumentatur Valentia hic Puncto 4. ratione 4. & ante ipsum Alliacensis supra.

Respondetur declarando, qualis sit distantia inter ens, & non ens.

Respondeo, inter ens, & non ens, non esse distantiam nec differentiam, nec diuersitatem, positiuam realem, sed vel negatiuam, vel positiuam rationis: sicut est aliqua oppositio negatiua, scilicet contradictionis, & priuationis; & sicut est aliqua prioritas, & posterioritas, vt inter terminum *à quo* negatiuum, & positiuum terminum *ad quem*, v.g. cum aqua ex non calida fit calida, prius dicitur esse non calida, posterius calida; ita pariter dici potest, non ens ab ente distare negatiuè, hoc est, negando, seu remouendo tantam entitatem quantam habet ens quod negat, & non maiorem neque minorem. Similiter de distantia locali negatiua, passim dicunt Philosophi, extra cælum esse spatium imaginarium infinitum quod secundum totum infinitè distat à cælo, finitè vero secundum aliquam determinatam distantiam imaginariam. Quemadmodum etiam cælum, & terra, si spatium reale inter medium destrueretur, & remaneret vacuum, adhuc inter se tantam haberent distantiam negatiuam, siue positiuam imaginariam, quantam nunc habent positiuam, & realem. Eadem igitur ratione loquendo de distantia formali, siue entitatiua; eam quoque in non ente ab ente ponere possumus, vel negatiuè per negationem tantæ entitatis, quanta est in ente, quod negatur; vel positiuè per positiuum respectum rationis fundatæ à parte rei, nimirum in ipsis negationibus, quas aliqua ratione à parte rei esse putamus.

46 *Tertia obiectio de eadem distantia.*

Obiicit tertio, *Quia dato etiam quod distarent*, nempe, non ens, & ens, *illa distantia non esset infinita, primò quia est dare maiorem distantiam, quam sit illa, quæ est entis à non ente, quod ponitur terminus creationis: eo quod non ens, quod implicat contradictionem, multò plus distat ab ente, quam illud non ens; quia ex ipso nihil plus potest fieri. Quare, &c. Secundò, positio, vel amotio subiecti, non auget, vel minuit distantiam terminorum; tantum enim distant ab inuicem albedo, & nigredo si sint separatæ, sicut si essent in subiectis. Sed ens, & nihil circa subiectum suppositum non distant in infinitum; quia forma, & priuatio circa subiectum, se habent vt ens, & nihil, quorum distantiam absoluit agens naturale actione naturali. Ergo excluso omni subiecto, ens, & nihil non distant in infinitum.*

Responsio Capreoli, & S. Thomæ.

Respondet Capreolus, inter ens & non ens, esse distantiam finitam ex parte entis, infinitam ex parte non entis, & nititur solum verbis sancti Thomæ allatis, & declaratis supra num. 24. Quæ responsio, quam verè afferre etiam videtur sanctus Thomas quæst. 3. de Potentia, art. 4. ad 2. potest vtcumque sustineri, si facit comparationem inter ens finitum, & non ens infinitum. Sed si facit comparationem inter ens finitum, & non ens simpliciter, hoc est, præscindens à non ente infinito, & à non ente finito, (sicut enim considerari potest ens vt præcisum à finito & infinito, ita pariter

pariter non ens) responsio recipi non potest; quia sicut per non ens, hoc modo acceptum, præscinditur ab infinita, & finita entitate, ita etiam ab infinita, & finita distantia præscindatur, necesse est; cum hæc distantia formalis, non sit aliud nisi ipsamet entitas, vel non entitas extremorum. Præterquam quod non respondetur formaliter, & ad propositum de creatione, cuius occasione potissimum de huiusmodi distantia inter ens, & non ens disputatur, nisi eodem modo accipiatur ens, quod in vno extremo affirmatur; & in alio negatur: & consequenter, si distantia ex parte vnius extremi dicitur finita, vel infinita, vel præscindens, dicatur etiam pariter talis ex parte alterius extremi. Alioqui si loquendo ad rem nostram de creatione, dicat Capreolus, distantiam non entis ab ente esse infinitam, distantiam vero entis à non ente esse finitam; ex hoc secundo membro dato, Durandus instare efficaciter poterit. Sibi satis esse distantiam finitam ex parte entis. Hanc enim per potentiam finitam à finito, & creato agente superari facile posse. Neque præterea vt creetur aliquod ens finitum, esse necessarium, vt superetur distantia infinita, quam dicit purum nihil, siue non ens simpliciter, siue non ens infinitum: sed satis esse vt superetur, illa finita distantia, quam dicit non ens finitum, oppositum scilicet illi enti finito, quod per creationem producitur: hanc enim finitam distantiam, & non illam infinitam spectare per se ad creationem ex parte termini, *à quo*, si in termino illius *ad quem* nulla ponitur entis infinitudo. Considerando igitur formales creationis terminos, & respondendo formalius, ac simplicius ad obiectionem, dicendum inter non ens, & ens, in quantum sunt formales termini creationis, esse distantiam infinitam, non solum ex parte termini *à quo*, hoc est, ex parte non entis simpliciter, à quo termino formaliter procedit creatio, sed etiam ex parte termini *ad quem*, nempe ens simpliciter, quod formaliter per creationem fit, licet materialiter fiat ens tale vt supra num. 24.

Alia responsio.

47 *Quomodo non ens implicans, distet ab ente implicante.*

Ad primam verò probationem in contrarium, nego, magis distare non ens implicans ab ente implicante, v. g. nō hircoceruum ab hircoceruo, quam non ens creabile ab ente creabili: vel quia illa distantia fingi non potest nisi finita, quemadmodum finita fingitur entitas hircocerui: vel quia illa distantia verè nulla est; sicut enim ens contradictionem implicans, & fictum, nullam entitatem verè habet sed tantum fictam, ita dici debet nullam aliam formalem distantiam verè habere nisi fictam. Atque hoc conforme est sancto Thomæ absolutè docenti in 1. sent. dist. 42. quæst. 2. art. 2. aliquanto post princ. corp. ea, quæ contradictionem implicant, *non habere rationem entis, neque non entis, neque possibilis*; ita etiam neque distantis. Ex eo autem, *quia ex ipso*, hoc est, non ente implicante, *nihil plus potest fieri*, vt arguit Durandus, non probatur maior distantia, nec simpliciter distantia, sed tantum contradictio, & impossibilitas; quæ sicut stat cum non ente, ita cum non distantia. Hinc igitur insufficienter probatur maior distantia, quàm sit inter formales terminos creationis. Quamquam, vt benè addit Capreolus, esto probetur maior distantia, tamen non improbatur distantia infinita inter non ens creabile, & ens creabile; quia vtraque distantia esset infinita, tamen non in eodem genere, sed in diuerso, nimirum illa infinita simpliciter, sicut v. g. inter non Deum, & Deum; hæc vero infinita secundum quid, nimirum in genere entis possibilis. Sicut si daretur quantitas infinita, maius vtique infinitum esset Deus, nimirum, Deus infinitus simpliciter in genere entis; quantitas infinita secundum quid in vno tantum determinato, ac limitato entis genere.

S. Thom.

Quomodo vnum infinitum maius alio.

48 *Negationem formæ magis distare à forma extra subiectum, quam in subiecto.*

Ad secundam probationem, nego vniuersalitem maiorem illam, *positio, vel amotio subiecti non auget vel minuit distantiam terminorum*. Et cum affertur exemplum de albedine, & nigredine, quod *tantum distent separatè à subiectis, quantum in subiectis*, dico distinguendo, albedinem & nigredinem posse considerari dupliciter, primò secundum se, & sic verum dicitur. Secundo in ordine ad productionem, & sic negata est maior: quia albedo v. g. in subiecto producitur ex priuatione albedinis, quæ priuatio finitè distat ab albedine, extra subiectum vero producitur ex non esse simpliciter, & accipit particulare esse albedinis ex eo formaliter quod est esse simpliciter producibile, ita vt quantum est ex formali vi, & specifica ratione actionis, eodem agendi modo produci posset quodcunque aliud esse producibile, ac proinde, vniuersaliter omne esse simpliciter producibile. Atque hoc secundo modo diximus, infinitè distare ab inuicem terminos albedinis, & terminos nigredinis, & cuiuslibet alterius entis creabilis in quantum formaliter creabilis. Quamobrem non recipiendum est illud dictum Ochami, quod refert, & sequitur Alliacensis 4. quæst. 1. art. 2. concluſ. 3. probatione 2. *tanta distantia est inter terminum a quo, & terminum ad quem productionis naturalis, sicut creationis, si aliqua sit ibi distantia.*

Ochamus, Alliacensis.

49 *Quarta obiectio.*

Obiicit quartò, *est possibile Deo separare accidens à subiecto postquam productum est ab agente naturali, sicut sit in sacramento altaris. Ergo etiam dum producitur.*

Respondetur creaturam non posse conseruare aliquid sine subiecto.

Respondeo, in hoc argumento duplicem sensum intelligi posse; alterum, quem intellexit Capreolus, vt velit Durandus, quod dum agens naturale producit accidens in subiecto, possit Deus facere, vt illud idem accidens ab eodem agente naturali in eadem duratione producatur sine subiecto: & hic sensus implicat contradictionem in ipsis terminis adeo manifestam, vt non sit verisimile illum fuisse in mente Durandi. Alterum, multò minus improbabilem, & minus indignum tanto viro, vt sicut Deus potest facere quod effectus productus à creatura in subiecto, conseruetur deinde sine subiecto; ita idem effectus in primo instanti suæ productionis fiat ab eadem creatura sine subiecto. Verum in hoc etiam sensu comparatio nullam habet vim: & disparitas manifesta est de accidente conseruato sine subiecto, & producto sine subiecto. Nam illam conseruationem ponit Durandus fieri à solo Deo, & non à creatura; productionem vero fieri etiam à creatura. Ex variatione igitur terminorum non est bona consequentia arguere à conseruatione ad productionem. Comparatio esset efficax, si seruatis iisdem terminis in antecedente, & consequente, ita argueret, sicut arguit Alliacensis supra probatione 4. Deus potest facere vt creatura conseruet accidens absque subiecto, ergo etiam vt producat: quoniam vt contra Ochamum, qui concesso huius argumenti antecedente, negauit consequentiam, quam etiam negat Bagnes hic ad tertium, benè probat Alliacensis supra, idem omnino creatiuus influxus est, quo res conseruatur sine subiecto, & quo sine subiecto producitur. Verum in hac alia comparatione negari debet antecedens, quod Durandus non probat. Et ridiculum est illud probare

Alliacensis.

probare cum Alliacensi, supra, *quia apparet sensui humano; quod illa accidentia conseruantur à creatura, sicut ante quam erant, sine subiecto.* Quæ est enim ista creatura conseruans accidentia panis, nisi materia, vel etiam substantialis forma panis, quas sane sensus humanus non percipit, alioqui vel ipso sensu notum nobis esset, sub sacramento mirabili, abesse substantiam. Conseruabantur igitur prius illa accidentia à Deo, & à materia; quid igitur mirum, si post supernaturalem transsubstantiationem, quam non videmus, non capimus, sed animosa fide credimus, non materia à Deo destructa, sed solus Deus illa conseruet?

Argumenta Scoti contra rationes S. Thomæ.

50 *Primum argumentum.*

Multis etiam Scotus in 4. dist. 1. q. 1. §. *sed iste.* quamuis conclusionem sequatur, tamen ostendere conatur, quod S. Thomæ, *rationes non videntur necessario concludere.* & initio contra illam propositionem positam hic initio corporis, & sæpe alibi, vt dictum est supra, num. 16. qua potissimum nititur probatio præsentis conclusionis, *esse simpliciter est proprius effectus Dei*, Arguit primo: *A quocunque efficiente generatur compositum, ab eodem effectiuè est esse compositi. sed aliquod compositum generatur à causa aliqua creata, nisi tollatur omnis actio creaturæ. ergo, &c.* In probatione maioris, & consequenter minoris, ac totius argumenti, multa acutè affert Scotus, sed, vt ait Capreolus; *frustra laborat, quia S. Thomas, gratis, & sine labore sibi concessisset, quod omne agens dat actu esse.* Concedendum igitur est, quod tantum sequitur in forma ex veritate præmissarum, quod omnis causa creata generans compositum, causat esse tale, nimirum esse compositi, & talis compositi. Propositio vero S. Thomæ, quam Scotus impugnādam susceperat, non dicit, quod proprius effectus Dei est esse tale, sed esse simpliciter, siue, vt dicitur in corpore huius articuli, *est ipsum esse*, siue *esse absolutè, quod præsupponitur omnibus aliis effectibus; & non est esse, in quantum est hoc, vel illud.* Et quoniam S. Thomas, prædictam propositionem principalem probat isto syllogismo, *Vniuersalissimus effectus est proprius effectus vniuersalissimæ causæ. sed ipsum esse est effectus vniuersalissimus, & Deus est causa vniuersalissima. Ergo ipsum esse est proprius effectus Dei*; vtramque præmissam impugnat Scotus, & contra maiorem.

Respondetur cum Capreolo.

Quomodo esse sit proprius effectus Dei.

51 *Secundū argumentum.*

Arguit secundo, quia vel illius sensus est effectus vniuersalissimus perfectione, & prædicatione, est proprius causæ vniuersalissimæ perfectione, & prædicatione, & est vera; vel sensus est, effectus vniuersalissimus prædicatione, est proprius causæ vniuersalissimæ perfectione, & sic inquit, Scotus, *est fallacia æquiuocationis, vel minor est falsa, quæ non est vera nisi de vniuersalitate secundum prædicationem.*

Respondetur explicando cum Capreolo rationem S. Thomæ,

Respondet optimè Capreolus, ita intelligendo prædictam maiorem & minorem, & totum argumentum. *Causa vniuersalissima secundum perfectionem, habet effectum vniuersalissimum secundum prædicationem, & etiam secundum perfectionem, per se, & primò sibi correspondentem, tanquam proprium effectum, & ideo cum Deus sit causa vniuersalissima vniuersalitate perfectionis, & virtutis, & actualitatis, & esse actualis existentiæ sit effectus vniuersalissimus vniuersalitate prædicationis, & virtutis; ideo correspondet Deo tanquam effectus proprius, & primus, & per se.* Nulla igitur in prædicto syllogismo est fallacia æquiuocationis. Vbi etiam aduertendum ex eodem Capreolo, quod cum dicitur, esse actualis existentiæ, quod causatur, & à causa prima, & à causa secunda, esse effectum proprium Dei, est intelligendum de effectu causato *primo & per se*; quos quidem terminos pluribus explicare nititur Capreolus; & sequuntur Caietanus hic §. *ad euidentiam*, & alij, præsertim Thomistæ, sed ego ex superioribus, ita breuiter, ac dilucide explicandos censeo. Solius primæ causæ est dare esse *primo & per se*, hoc est, ita dare, vt nullum aliud esse præsupponat, ac proinde, quodcunque particulare, ac determinatum esse dat, dare independenter ab alio esse præcedente, & ideo dare quia est simpliciter esse, non quia est hoc, aut illud esse. Causa vero secunda dat quidem esse, sed ex necessitate præsupponendo aliud esse, ex quo duplici esse altero causato, altero præsupposito, fit & constituitur hoc esse, illud esse; & propterea dicitur dare primo, & per se tale esse, & esse particulare, non autem esse simpliciter, & esse vniuersalissimum. Qua distinctione soluuntur omnia, quæ contra hanc S. Thomæ rationem afferunt Gabriel 2. dist. 1. quæst. 4. art. 3. dub. 1. Valentia hic puncto 4. §. *At hæc ratio.*

Caiet.

Gabriel. Valentia.

52 *Tertium argumentum.*

Arguit tertio Scotus, probando falsam esse minorem illam, in qua dicitur, *esse est effectus perfectissimus*, siue vniuersalissimus perfectione, *quia quod includitur in multis non potest esse perfectius quocunque illorum, in quo includitur.* sed esse includitur vniuersalissimè in omnibus effectibus, quidquid enim in rerum natura efficitur, esse accipiat atque habeat necesse est. Ergo esse non potest dici effectus perfectior omni alio effectu.

Respondetur defendendo quod esse sit effectus perfectissimus. Capreolus.

Respondeo, me in defensionem prædictæ minoris multa disseruisse in primo tomo quæst. 4. art. 1. per totum & hoc ipsum argumentum Scoti soluisse in num. 2. nunc vtile erit hoc etiam loco, Capreoli verbis eamdem ferè solutionem, sed vberius explicatam, & confirmatam tradere. Negat igitur quod esse, ex eo quod reperiatur in multis; sit imperfectius: *non enim*, inquit, *esse reperitur in qualibet effectu, sicut vniuersale in particulari, sicut animal in homine, sed sicut actus in sua potentia. Esse enim est perfectio cuiuslibet formæ, vel naturæ. Vnde sicut argumentum istud nullum esset, forma reperitur in multis, imo in qualibet materia, igitur forma non est perfectior materia: sic nec in proposito valet. Esse reperitur in quolibet, &c.* Deinde probat, quod esse sit effectus vniuersalissimus non solum perfectione, sed etiam prædicatione; quoniam inquit, *licet nulla creata essentia, nec aliqua forma, nec suppositum sit suum esse, quo actu existit; tamen quamlibet essentiam, quamlibet formam, quodlibet suppositum creatum concomitatur esse.* Vnde consurgit vniuersalis prædicatio, non formalis, siue essentialis, quo modo dicitur Deus est, nec identica, quo modo dicitur deitas est paternitas, sed tantum denominatiua, quo modo dicitur, omnis res creata, est existens.

Quomodo esse sit vniuersalissimū prædicatione.

53 *Quartum argumentum.*

Arguit quarto. Sanctum Thomam non bene fundari in authoritate libri de causis, posita supra numero decimo nono, tum quia author illius libri, *non negat absolutè, ab intelligentia dari esse alicui; imo magis affirmat, quia dicit, quod non competit sibi dare esse, nisi in quantum operatur operatione diuina.* Tum quia cum dicit, Prima rerum creatarum est esse, non vult dicere, vt accipit S. Thomas, *quod esse, sit præcisè terminus creationis*; sed vel primo sumitur, *esse, pro prima intelligentia proxima Deo*: vel secundo, accipitur creatio pro prima productione secundum rationem, & primitas entis secundum rationem, hoc est, vt exponit Capreolus, *quod creationis terminus sit ens vt est communius, & prius cæteris perfectionibus.*

Respondetur pro S. Thom. esse author libri de causis.

Respondeo, Neque S. Thomam negare à creatis agentibus dari esse alicui solum negat, dari posse primo & per se, vt supra n. 51. præterea cum Scotus tribuit S. Thomæ, quod terminus creationis sit esse præcisè, non est intelligendum de aliquo vno esse præciso ab alio esse præsupposito, & aliunde præhabito, sed de toto esse rei, & consequenter de esse simpliciter, in quantum est esse creabile, per creationem enim vt creatio est, ac proinde per quamlibet creationem, inquit optimè Capreol. *producitur tota substantia rei, & quidquid pertinet ad eius esse substantiale*, & non producitur aliquid secundum vnũ esse vnius partis præsupposito alio esse alterius partis, quomodo fit per alias omnes productiones, quæ non sunt creatio, sed eductio. Demũ duæ illæ Scoti expositiones non satisfaciũt. Prima à Capreol. dicitur *ridiculosa, & contradicens textui immediatè sequenti*; cum reddens rationem, cur esse sit primum creatum, ita statim subdit, *quod est, quia esse est supra sensum, & supra animas, & supra intelligentias, & non est post causam primam latius, & prius causatum ipso*, quæ verba de vna intelligentia nullo probabili modo intelligi possunt, vt per se patet. Secunda ab eodẽ Capreolo dicitur *vana expositio*, cum in toto illo libello semper sermo sit de realibus causis, & realibus productionibus, & effectibus realiter causatis. Et esto, loquatur ille Author de ente secundum rationem præciso, hoc satis est, vt cum S. Thom. dicamus primam causam per primam actionẽ, quæ est creatio producere hoc ens, & illud ens, non formaliter, quia est hoc, aut illud, sed quia est ens simpliciter, quomodocumque, siue realiter, siue ratione præcisum sit à particularibus entibus. *Nam*, vt hanc ipsam propositionem interpretans, docuit S. Thomas supra art. 4. ad 1. *ex eo dicitur aliquid creatum, quod est ens, non ex eo, quod est hoc ens*; *cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali.*

54 *Quintum argumentum.*

Arguit quinto quoniam S. Thomas ita discurrit, *esse creabile, in quantum huiusmodi, non potest esse nisi à causa vniuersaliori secundum perfectionem toto esse creabili. Ergo necesse huiusmodi creabilis potest esse nisi à causa tali:* Hæc ratio, inquit, Scotus, *est sophistica secundum consequens, quia in illatione est fallacia consequentis.* nimirum arguendo à superiori ad inferius. solum enim concluditur, quod esse vniuersale secundum totum ambitum suum, prout includit omne creabile, sit à solo Deo: non autem quod esse huius creaturæ sit à solo Deo.

Respondetur formando integre rationẽ S. Thomæ.

Respondeo, diminutè referri prædictum consequens, quod sic debet integrè formari, vt nulla fallacia sit in consequentia. *Ergo nec esse huiusmodi creabilis, in quantum est esse simpliciter creabile, potest esse nisi à causa tali.* Quæ consequentia efficax est, quemadmodum si diceres solum causa superior homine, potest producere hominem in quantum huiusmodi, hoc est, secundum totum ambitum specificum humanæ naturæ. Ergo nullus homo producere potest aliquem particularem hominem, in quantum est simpliciter homo. Discursus igitur S. Thomæ non spectat esse vniuersale quod materialiter creetur, semper enim creatur aliquod esse particulare, sed spectat esse vniuersale, quod sit formalis ratio creandi quodlibet esse particulare,

Capreolus.

Atque hoc significat Capreol. illis verbis, *S. Thomas loquitur de quolibet esse particulari substantiæ creatæ: tale enim esse licet non sit vniuersale secundum quod est in hoc particulari, tamen ratio eius quæ est ratio essendi, est vniuersalis, imò vniuersalior omnibus rationibus cæterarum perfectionum. Ideo sicut à solo Deo est totum esse creabile, sic à solo Deo est esse huius creaturæ, vt est esse simpliciter, & absolutum.* Sed contra hanc distinctionem de esse huiusmodi, quod est effectus creaturæ, & de esse simpliciter, quod est effectus Dei, Scotus.

55 *Sextum argumentum.*

Arguit sexto, *quia esse simpliciter in isto, & esse huius, non sic distinguuntur, quod ab aliqua causa possit esse, esse huiusmodi, quin ab eadem sit esse simpliciter quod est in isto: quia siue sit distinctio rationis in intellectu, vel qualitercumque, quod dat isti esse huius, dat sibi esse simpliciter, quod est in isto.*

Respondetur solum Deum dare esse simpliciter.

Respondeo, cum dicitur, quod à solo Deo per creationem datur esse simpliciter, illud, *simpliciter* non sumi debet specificatiuè pro actuali existentia, qua formaliter quilibet effectus habet vt sit actu ens extra suas causas, hoc enim esse simpliciter, & nulla facta reduplicatione, datur etiam à causis secundis, & in hoc sensu conceditur tota obiectio: sed sumi debet reduplicatiuè, pro esse in quantum est esse, non in quantum est tale esse, v. g. humanum, Angelicum, &c. & propter hanc reduplicationem concedit Capreolus, *quod creatio terminatur ad esse vniuersale, id est*, inquit, *ad esse, sub ratione qua est esse; quæ est prima omnium rationum.* & Caietanus hic ad tertium dub. dicit, *quod esse est ratio quod aliquid creetur.* idque ait apertè significari initio corporis, illis verbis, *producere esse absolute, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis.* Vnde ita optimè discurrit Caietanus ex mente S. Thomæ. *Respicere per se primo esse est operatio propria, primæ causæ. sed creare est respicere per se, primo esse. Ergo creare est operatio propria primæ causæ.* Prædictam vero reduplicationem S. Thomas tribuit creationi, non gratis illam assumendo, sed efficaciter probando ex ipsius creationis definitione ac natura, tum ex termino ipsius *a quo* in quantum creatio est ex puro nihilo, nullum omnino esse præsupponendo; tum ex termino ipsius *ad quem* in quantum per eam fit totum esse rei, quæ creari dicitur. Atque in hoc secundo sensu esse simpliciter, dari non potest à causa secunda sed solum à prima; & corruit tota obiectio.

Capreolus.

Caiet.

56 *Septimum argumentum.*

Arguit septimo contra infinitatem distantiæ inter terminos creationis. Et initio conatur ostendere, quod in superioribus non semel concessum & probatum est distantiam inter nihil, & ens esse immediatam. *Quando autem*, inquit, *extrema sunt immediata, tanta præcisè est eorum distantia, quantum est extremum alterum maius.* Hinc contra S. Thomam ita arguit, *affirmatio aliqua entis creabilis est finita. Ergo distãtia huius affirmationis ad negationem est finita.* & bene addit *fingi infinitatem ex parte nihili, & non ex parte entis*, vt supra, num. 46. probauimus contra Capreolum; quoniam, inquit, optimè Scotus, *Nihil non distat ab aliquo, nisi deficiendo. Non plus autem deficit nihil ab ente, quam ens illud ponat.* Quod efficaciter, & acutè confirmat ex eo, *quia comparando nihil ad nihil, nulla est distantia.* Eadem obiectio est Valentiæ hic puncto 4. in 2. responsione contra quartam rationem.

Respondetur quælibet creationis terminum esse formaliter infinitum.

Responsum est supra n. 24. & 46. quodlibet ens creatum materialiter esse finitũ, formaliter esse infinitum: hoc est, semper per quamlibet creationem produci quidem esse tale finitum, tamẽ sub ratione formali, non qua esse tale est, quod est finitum, sed qua esse simpliciter est, quod est infinitum, scilicet vniuersale, comprehendens omne esse creabile. Et Ideo S. Thom. 4. d. 5. q. 1. ar. 3 quæstiuncula 3. initio refert, *quod communis opinio habet, quod creatio non potest alicui creaturæ communicari propter distantiam infinitam inter simpliciter ens, & simpliciter non ens; inter quæ est mutatio creationis.* Non dicit absolutè, inter ens, & non ens, qui termini esse possunt finiti, & consequenter inter se finitè distare: sed respiciens ad terminos formales creationis vniuersaliter dicit,

S. Thom.

dicit, inter ens simpliciter, nempe creabile, & non ens simpliciter: vbi ex parte vtriusque termini apparet infinitas superior omni creatura, nimirum infinitas supra totum esse creabile. Quo soluitur alia obiectio Scoti in eodem §. *ratio secunda*, paulo post, ita instantis, *Illa virtus potest super distantiam, quæ potest super totum terminum ad quem illius distantiæ; quia termino ad quem posito, destruitur terminus à quo per terminum ad quem succedentem. Sed terminus ad quem creationis est finitus. Ergo non potest concludi ex hoc, quin super ipsum possit virtus finita. Ergo & super distantiam.* Quo argumento adeò territus est Capreolus, vt dixerit hoc fundamentum de infinita distantia, quod suprà contra Durandum defenderat, esse solubile, & non esse illi innitendum, & propterea non reperiri in summa, imò expressè solui à sancto Thoma in 4. d. 5. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3. post responsionẽ ad quartum. Verum S. Thomas hoc fundamentum expressè ponit de pot. q. 3. art. 4. in ratione 1. post med. corp. & non obscurè significat 1. 2. con. gent. c. 20. n. 4. imo etiam in hoc art. 5. ad 2. & 3. & euidenter sequitur ex præcipua ratione S. Thom. vbique, & ipsiusmet Capreoli supra, & reliquorum omnium Thomistarum, de creatione essentialiter procedente ex omnino non ente, & terminata ad tale ens prout ens simpliciter est, vt deduximus supra n. 24. Soluit autem illud S. Thomas loco citato, quia ibi defendit opinionem Magistri de creatione communicabili creaturæ ministeriales, vt instrumento. sed illam opinionem postea apertè impugnauit in aliis posterioribus operibus, vt l. 2. cont. gent. c. 21. & hic, vbi Magistrum nominatim refert, & confutat. Et ideo ad argumentum Scoti, concessa maiori, distinguo minorem. Creationis terminus ad quem materialis, est finitus; formalis verò est infinitus; & ideo in qualibet creatione est infinita distantia, non inter terminos materiales, sed formales tantum.

Soluitur instantia Scoti.

57 *Octauũ argumentum.*

Arguit octauò contra rationem, quam facit S. Thomas hic ad 3. & l. 2. contra gentes cap. 20. n. 4. & de pot. q. 3, art. 4. in ratione 5. circa fin. corp. & facit etiam Albertus de quatuor cœuis q. 1. art. 4. *nulla proportio est nullius potentiæ ad aliquam potentiam*; ergo agere ex nulla præsupposita potẽtia passiua, quod est creare, nullam habet proportionem cum agere ex aliqua præsuppositа potentia passiua. *tantò enim*, inquit S. Thomas hic ad tertium, *maior virtus requiritur in agente, quantò potentia est magis remota ab actu.* Sed virtus agentis ex nulla præsuppositа potentia, quale agens est creans, est infinitè remota ab actu; ergo est infinita; ergo incommunicabilis creaturæ: *quia nulla creatura habet simpliciter potentiam infinitam, sicut neque esse infinitum.* Huius rationis Scotus concesso antecedente, negat consequentiam; concedit enim quod nulla est proportio inter nullam potentiam, & aliquam potentiam; & vniuersaliter inter non ens & ens, siue finitum, siue infinitum fuerit ens. Negat verò ex hac improportione præcisè, posse rectè argui infinitatem distantiæ, & potentiæ: quoniam negatio proportionis non fundatur in aliqua infinitate, sed in pura contradictione inter quodlibet positiuum, & eius negationem. Vbi, inquit Scotus, *est defectus proportionis, non ex defectu infinitatis, sed propter defectum quantitatis in altero extremo*; cum omnis proportio sit positiua quædam relatio vnius quantitatis ad aliam, & consequenter supponat vtrumque extremum positiuum, nempe, aliquam quantitatem in vtroque extremo. Quod explicat exemplo puncti, cuius pars, & quantitas nulla est; & ideo improportionabile lineę, quãtumuis finitæ. Sed hinc non sequitur, quod virtus, quæ potest super lineam finitam, esse improportionabilis virtuti, quæ potest super punctum: quoniam, inquit, *virtus, & virtus, natæ sunt habere quantitates virtutis, & per consequens simpliciter proportionem, nisi alia sit infinitas.* Afferri etiam potest aliud exemplum, quia quamuis nulla sit proportio distantiæ inter lumen, & tenebras, ad distantiam inter calorem, & frigiditatem, cùm hæc sit positiua, & inter extrema positiua, illa verò negatiua propter vnum extremum negatiuum: tamen Sol per suam finitam virtutem potest super vtramque distantiam deducendo aërem de tenebris ad lumen, & de frigiditate ad calorem. Concedo igitur quòd non sit proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam, nego vero hinc sequi quod non sit proportio inter agere ex nulla potentia & agere ex aliqua potentia; quia in primo comparatur negatiuum cum positiuo, nempe non potentia cum potentia; in secundo autem comparatur vnum positiuum cum alio positiuo, nempe vnum agere cum alio agere, siue vna virtus agendi cum alia virtute agendi: *Positiui enim*, inquit Scotus, *ad non positiuum, nulla est proportio, sicut entis ad nihil. Sed ex ista improportione non sequitur, quod virtus, quæ potest super distantiam improportionabilem, sit improportionabilis virtuti quæ potest super distantiam proportionabilem: quia positiuum non est improportionabile alteri positiuo, nisi propter infinitatem in altero. In illis autem distantiis fuit improportio, non quia fuit infinitas in altero; sed quia altera non habuit aliquam quantitatem secundum quam potuerit proportionari.*

An ex improportione inter nullam potentiam, & aliquam potentiam sequatur infinitas.

Respondetur, expendendo rationem S. Th. & afferendo Authores pro & contra.

Respondeo, totum hunc Scoti discursum videri valde fundatum, & omnino verum, quem facit etiam Durandus 2. d. 1. quæst. 4. num. 31. ad 3. soluens & impugnans eamdem S. Thomæ rationem: & ideo me in huius conclusionis fundamento posito supra à n. 16. huiusmodi confirmationem non addidisse, quippe quam minus claram, atque efficacem existimabam. Et quamquam Capreolus circa principium sui tertij articuli, Caietanus hic §. *Verumtamen*, Ferrariensis lib. 2. cont. gent. cap. 20 §. *circa probationem*; Et alij Thomistæ, quos sequuti sunt Fonseca l. 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 8. sect. 2. ratione 2. Molina hic disp. 1. ad 1. & 2. & ante illos Argentina 4. disput. 1. quæst. 1. art. 1. ad 4. in illius defensionem multa acutè commenti sunt, quæ nimis longum esset discutere, tamen dicendum breuiter videtur, hanc rationem esse firmam, non per se, sed vt innixam alteri præcipuæ rationi, quæ idcirco sola posita fuit in corpore huius articuli, de creatione tendente de non esse simpliciter ad esse simpliciter; inter quos terminos non solum est improportio, quæ est in quibuslibet contradictoriis, sed etiam infinitas, vnde sufficienter oritur, vt potentia super illos esse debeat infinita. Itaque S. Thomæ ratio non accipienda est, vt fundata in quacunque improportione simpliciter, & præcisè, quomodo eam accipiunt, & impugnant Scotus, & Durandus, item Valentia hic puncto 4. ratione 2. & 3. Suarez in Metaphys. disput. 20. sect. 2. num. 8. & 9. & 37. Albertinus temo 1. pag. 136. num. 7. ad 13. Mendoza disput. 12. Physica sect. 7. §. 110. & multi alij posteriores Theologi, sed solum in improportione immista infinitati extremorum. Quem sensum non obscurè tradit Ferrariensis supra, volens S. Thomam esse intelligendum de nulla potentia, non simpliciter, sed vt elongata ab actu, quomodo, inquit, *distantia nullius potentiæ in infinitum excedit distantiam alicuius potentiæ ab actu; sicut linea infinita excedit lineam finitam. Accipit S. Thomas improportionem vnius ad alterum, secundum quod vnum alterum improportionabiliter,*

Ferrariens.

siue in infinitum excedit; non autem vt dicuntur imporportionabilia, quæ sunt de genere eorum, inter quæ non est nota proportio.

Argumenta apud Adamum, & Capreolum, contra conclusionem.

58. *Prima obiectio.* Obiicies primo, quod sibi obiiciunt Adamus 4. sent.q.1.argum.2.Capreolus 2.d.1.q.3.art.2.col.9. *Forma substantialis, vel accidẽtalis producta in aliquo subiecto ab actiuo creato, prius naturaliter est aliquid in se, quam aliquid inhærens alteri; aliter per nullam potentiã posset conseruari in essendo, vel produci in esse, absque hoc quod inhæreret; quod patet falsum secundum fidem. Igitur de potentia Dei potest aliquid à creatura produci ad esse; absque hoc quod produceretur ad inhærere*; sed hoc est creare, ergo, &c.

Responsio Adami & Capreoli. Respondeo, Adamum, & Capreolũ negare consequentiam; & rectè, quia, vt docet S. Thomas 4.d. 17.q.1.art.4.quæstiuncula 1.init.& refert, & sequitur Capreol. sup. *Omnis prioritas secundum ordinem naturæ, aliquo modo reducitur ad ordinẽ causæ, & causati.* Ex eo autem, quòd ex aliqua causa producat vnum, quod est causa alterius, ac proinde, prius natura altero, non sequitur quod possit separare vnũ ab altero; quoniã vnum ita potest esse prius natura altero, vt sit inseparabile à suo posteriori, vel per potentiam etiam Dei, vt animalitas est prior natura rationalitate, aliísque differentiis specificis animalis, sine quibus tamen esse nullo modo potest; & omnis modus est prior natura suo subiecto, vt modificato, à quo tamen nulla ratione separabilis est; & secundùm Thomistas, materia prima est prior natura composito, & omnino inseparabilis ab illo: vel saltem per potentiam naturalẽ, sicut esse cuiuslibet materialis formæ, tam substantialis, quàm accidentalis, est natura prius quã informare, & tamẽ quodlibet agens naturale potest dare esse formæ, sed nõ potest illud separare ab informatione. Verum quia ista responsione non satis constat, an creatura producens formam, quæ prius natura habèt esse in se, quam esse in subiecto, possit saltem per Dei potentiam, ita dare illud esse, vt tamen illud non sit in subiecto, ac proinde, vt contendit obiectio, illud creetur; ideo præstat distinguere antecedens. Esse formæ materialis productum ab agente naturali, potest considerari dupliciter. Primò vt eductũ ex subiecto, hoc est, vt productum ex passiua potẽtia materiæ præsuppositæ, nõ solum ad esse formæ, sed etiam ad illius fieri, seu productionem, quam Philosophi vna voce appellant eductionem. Secundò, vt inhærẽs in subiecto, siue vt vnitũ subiecto. Prius autem natura est primum esse ex subiecto, quàm esse in subiecto; sicut prius natura est quod esse formæ producatur, quàm quod iam productũ vniatur subiecto, eique inhæreat, & informet illud: & consequenter, de ipsa etiam materia dicendum est, quod prius natura habeat esse *id ex quo*, nimirum educitur forma, quam esse *id in quo*: nimirum forma iam producta, est per vnionem, inhærentiam, & informationem, quidquid tandem sint isti materiales essẽdi modi, de qua re subtilissima in proprio Physico loco abundè disseruimus. Præter istos modos essendi, *ex quo*, qui est potius modus fiendi, vt ita loquar, quàm essendi, & *in quo*, qui est propriè modus essendi, supponens esse factum, non distinguo alium tertium modum essendi *in se*, qui sit natura prior duobus prædictis modis: quia in omni re producta, siue per creationem, siue per eductionem, semper essentiali naturæ ordine ante esse præcedere debet productio, quæ est quædam via, per quã omnis res tendit ad habẽdum suum esse in se ipsa.

Quid sit, & quid inferat prioritas naturæ secundũ S. Thomam.

Præfertur alia responsio, distinguens esse productiũ ab agẽte naturali.

Cum igitur primus essendi modus ex subiecto, pertineat ad productionem, & ad ipsum formaliter fieri rei, non potest res educta dici prius natura esse in se, quã esse ex alio; sicut nec res creata esse prius natura in se, quàm esse ex nihilo. Posita hac distinctione, & declaratione terminorum, dico ad antecedens. Formam non habere ab agente naturali prius natura esse in se, quam esse ex subiecto: sed solum habere prius natura esse ex subiecto, quàm esse in subiecto. Ex hac autem prioritate nullo modo deduci potest, posse agens creatum habere vim creandi, & creare; imò deducitur potius oppositũ, quia in illa prioritate essentialiter includitur eductio, ac dependentia in fieri ex præsupposito subiecto; quod planè contradicit essentiali creationis conceptui. Atque hanc solutionem tetigit Marsilius 4. quæst.1. artic.3. post conclusionem quartam, ad secundum, initio dicens, *quod formam produci via generationis, nec est in re prius, & posterius, quam eam produci de subiecto; quia penitus idem est: produci enim formæ per generationem, est eam produci de subiecto*, sicut enim, inquit, *non est prius, creaturam esse, quàm eam dependere à Deo: ita in generatione naturali, non est prius produci, quàm produci in subiecto. Et sicut non stat, creaturam esse, & non dependere à Deo; ita non stat, rem per causam secundam produci, & non produci de subiecto.* Marsilius.

59 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, quod iidem etiam Authores sibi obiiciunt: *Prior est dependentia formæ ad agens, quàm ad receptiuum. Ergo posset dependere ad agens, non dependendo ad subiectum; quia prius potest absolui à posteriori, vel fieri sine posteriori.*

Respondetur formam non pendere prius ab agẽte naturali quàm à subiecto. Respondeo cum Adamo, & Capreolo supra ad tertium, negando antecedens, si loquamur de agente creato, & de dependentia formæ in fieri. Nã forma in fieri non dependet ab agente creato, nisi vt educente; sub qua formali ratione expresè in ipsa formali ratione dependentiæ ad agens inuoluitur dependentia ad subiectum. Quod significauit Philosophus 3.Physic.t.22. dum in ipsamet definitione actionis ponit in obliquo, & secundariò dependentiam ad passum, & è contra, in definitione passionis ponit in obliquo, & secundariò dependentiam ad agens, ita definiens, *Actio est actus huius in hoc*, nempe agentis in passo: *passio est actus huius ab hoc*, nempe passi ab agente. Effectus igitur productus ab agente creato ex subiecto, inquit Adamus, & sequitur Capreol. *Simul dependet ab vtroque; nec potest dependere ab vno, non dependendo à reliquo, & non è conuerso.* Limitata est responsio, *de agente creato, & dependentia in fieri.* Nam in facto esse, siue, vt iidem bene dicunt, *in essendo, benè potest effectus aliquando dependere à subiecto, non dependendo ab actiuo creato*: vt patet in forma ignis, v.g. producta dependenter ab alio igne, & à subiecto; sed conseruata à subiecto, non ab igne: quamquam tunc etiam conseruata dependenter à Deo in genere causæ efficientis, alioqui non posset conseruari à sola materia independenter à Deo, & ideo tunc dependentia à Deo est natura prior dependentia à subiecto, quia effectus non posset dependere à materia, nisi dependeret à Deo; posset autem dependere à solo Deo, & non à materia. Aristoteles.

60 *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò, quod multi vereres Authores citati supra n. 37. sibi obiiciunt, creatura potest annihilare, ergo etiam creare. Consequentiam omnes meritò concedunt, quia, vt probat Scotus 4. d.1.quæst.1.non longè à principio, *æqualis distantia est à nihilo ad aliquid, sicut ab aliquo ad nihil. Ergo æqualis virtus potest super hanc distantiam, & illam.* Et ideo in naturalibus non datur causa, quæ habeat vim corrumpendi tantum, & non generandi. Imò

Frigus separatum non posse corrumpi ab agente creato, contra Ochamum. Scotus.

Imo omnis causa non est primariò ordinata ad tollendum esse, sed potius ad dandum, & secundario ad tollendum; & ideo potest tollere quia potest dare: quæ causalis suo modo verificatur etiam de Deo, qui ideo potest annihilare, & tollere aliquod esse, quia illud esse potest dare. Igitur absque vllo dubio virtus potens annihilare & redigere aliquod esse in nihilum, potest consequenter illud esse producere ex nihilo; & nisi Angelus v.g. dependeret in suo esse, & conseruaretur à causa, quæ dependentia, & conseruatio est ipsa formaliter creatio, nullus fingi posset modus, quo causa posset Angelum annihilare. Antecedens principale probant primo, quia agens naturale corrumpens compositum, destruit totaliter formam naturalem, ita quod nihil eius remaneat. Secundo, quia modicum frigus separatum à subiecto, potest destrui à maximo, & calidissimo igne. Tertio, quia peccator, cum mortaliter peccat; annihilat gratiam.

Respondetur creaturã non posse annihilare. Cur in corruptione compositi non annihilatur forma. Respondeo, falsum esse antecedens. Quare ad primam illius probationem, nego formam in corruptione compositi annihilari: quia non tollitur ab ea esse simpliciter & per se, sed esse eductum, & sustentatum à materia; sicut enim forma generatur, non creatur, quia fit per positionem concursus materialis in esse illius; ita contra, corrumpitur, non annihilatur, quia esse definit per ablationem concursus materialis, vi cuius in esse conseruabatur. Et vniuersaliter, sicut tunc habetur conceptus creationis, cum res fit per solum concursum effectiuum, absque vllo concursu materiali; ita tunc solum habetur conceptus annihilationis oppositæ, cum res destruitur per defectum solius concursus effectiui, & non etiam per defectum concursus materialis; prædictæ verò formæ per vtrumque defectum in nihilum rediguntur, & ideo non annihilantur. Neque enim reductio in nihilum quomodocumque, est annihilatio, sed esse debet reductio in nihilum per defectum solius influxus actiui. Addunt Scotus, Adamus, Capreolus & apud ipsum S. Thomas, formam non redigi in nihilum, quia remanet materia, in cuius potentia continetur forma. Verum nisi aliud addatur, non quiescit animus: quia Angelus etiam si annihilaretur, remaneret in potentia actiua Dei, sicut forma materialis remanet in potentia passiua materiæ. Et cum ex ligno fit ignis, non annihilatur forma ligni, etiam si deinde totus ignis annihiletur, & non remaneat illa materia, in cuius potentia remansisse dicitur forma ligni, & vt benè arguit Zumel infra q.65. artic.3. quæst. sua 5. ad primum, anima rationalis informans corpus Petri, si esse desineret, annihilaretur; etiam si remaneret corpus, illius animæ susceptiuum, potens cum anima facere vnum per se compositum. Ergo ad vitandum annihilationem formæ, non facienda est vis in remanentia materiæ, sed præcisè in desitione formæ per defectum concursus materialis.

Ad secundam probationem Ochamus apud Adamum supra, concedit in illo casu annihilationem, dicens, *mirabile esset si modicum frigus separatum approximaretur maximo igni, quod iste ignis non posset illud frigus destruere.* Sed melius Adamus & Capreolus dicunt, hoc non esse mirabile, sed necessarium: quia ignis sicut non habet vim producendi calorem nisi ex materia, & in materia, ita nec destruendi oppositum frigus nisi à materia, idque non per se, sed per accidens, propter incompossibilitatem, quam calor, qui producitur in materia, habet cum frigore præexistente in eadem materia. Alioquin esset planè impossibile, ignem non producendo aliquem calorem, sed per se tendere ad corrumpendum frigus, quod non conseruat.

Gratiam non annihilari, nec creari. Ad tertiam probationem respondent Scotus, Adamus, Capreolus, hominem per actum peccati mortalis annihilare gratiam, non actiuè, sed demeritoriè, *in quantum meretur*, vt Deus illam actiuè annihilet, non conseruando illam in anima. Sed esto peccator actiuè etiam, seu physicè, cooperaretur ad destructionem gratiæ, adhuc non annihilaret; quoniam gratia, aliaque supernaturalia dona, quamuis ex eo quod non fiant ex naturali animæ potentia, à multis antiquis, & grauibus Authoribus dicantur creari, & consequenter annihilari cum destruuntur; tamen cum verè, ac realiter dependeant ab obedientiali potentia subiecti, tam in fieri, quàm in conseruari, recedunt ab essentia, ac formalitate creationis, & annihilationis, quæ cum quouis subiecto præsuppositio pugnant; vt rectè notauit Fonseca 5. Metaph. cap.2. quæst.8. sect.4. ad 3. & probauit Suarez in Metaph. disp.20. sect.2. num.41. ex actibus ipsis supernaturalibus, qui ab habitibus non creantur, sed educuntur ex animæ potentiis; & docuit sanctus Thomas de Pot. quæst.3. artic.8. ad 3. vbi cum dixisset, quod *gratia non propriè creatur*, ita subdit, *infusio tamen gratiæ accedit ad rationem creationis, in quantum gratia non habet causam in subiecto, nec efficientem, nec talem materiam, in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum; sicut est de aliis formis naturalibus.* Nam, vt subiungit ad quartum, *quod aliqua forma de naturali potentia materiæ educi non possit, pertinet aliquo modo ad carentiam materiæ*; ac proinde ad creationem. Vult igitur, gratiam non propriè, & simpliciter, sed impropriè & *aliquo modo* creari, & consequenter annihilari. Fonseca. Suarez. S.Thom.

61 *Quarta obiectio.* Obiicies quarto ex Adamo, & Capreolo supra, *omnis effectus non adæquans virtutem suæ causæ, potest à minore virtute produci, quia ex quo non adæquat virtutem causæ, non videtur, quod tantam virtutem requirat, sed quod minor sufficiat.* Sed nullus effectus creatus adæquare potest virtutem Dei creantis. Ergo virtus minor virtute diuina poterit creare. Sed hæc minor virtus, est virtus creaturæ; ergo hæc potest creare.

Respondetur esse proprium causæ efficiẽs minorẽ causa. Respondent ambo, negando simpliciter maiorem, & afferunt bonam instantiam de sensatione humana, *quæ est*, inquiunt, *forma spiritualis, non adæquat virtutem, nec actiuitatem, nec entitatem, nec passibilitatem animæ humanæ, & tamen à nulla minori virtute potest produci, id est, nulla creatura, citra animam humanam, potest illam actiuitatem supplere.* Instant etiam ex eo, *quod creare totum mundum cum omnibus creaturis in eo contentis, non adæquat diuinam virtutem; quia tunc Deus nihil maius, aut maius eo creare posset; cuius oppositum tenent Sancti; & tamen totus iste mundus non posset creari à minori virtute, quam diuina.* Et ratio falsitatis maioris est, quia aliquando licet effectus sit in se maioris, vel minoris perfectionis; & numquam tantæ, quantam in se habet causa: tamen potest in se habere aliquam intrinsecam rationem propter quam sit essentialiter addictus tali causæ; vt in casu nostro omnis creatio minor creatore Deo [illegible] de non esse simpliciter ad esse [illegible] creabile, postulat essentialiter prius non creatum, nimirum

rum supra omne esse creabile. Multo plura obiiciunt Adamus, & Capreolus, sed vel minus clara, vel quæ ex superioribus solui facile possint.

Satisfit difficultatibus à Suarez propositis.

62 Rationes S. Thomæ positas supra num. 16. ad 20. Suarez in Metaph. disput.20. sect.2. à num.23. vsque ad finem sectionis, multis defendit, sed pluribus impugnat; & tandem num. 34. ingenuè inquit, *fateor nescire me omnibus his difficultatibus satisfacere.* Quas eo ordine, quo ipse eas scripsit, ego proponam, & quoad eius fieri poterit, explanare conabor.

Prima difficultas.

Prima difficultas in num. 26. *nam dare esse non est proprium primæ causæ nisi cum independentia ab alia causa effectiua. Ergo dependenter ab actuali operatione Dei, potest creatura communicare esse, etiam per creationem, quantum est ex vi illius principij.*

Respondetur, idem sūt dare esse independenter, & in quantum esse.

Respondeo, antecedens esse verissimum, sed vt appareat nullitas consequentiæ, aduertendum est, quod idem sunt, dare esse cum independentia, & dare esse *in quantum huiusmodi*; siue, *esse simpliciter, & absolutè, non in quantum est hoc, vel tale*, vt loquitur S. Thomas; siue, *sub ratione qua est esse*, vt loquitur Capreolus; supra, siue, *esse vt formale, & adæquatum obiectum*, vt loquitur Ferrariensis lib. 2. contr. gent. cap. 20. §. *circa hanc* Qui enim dat esse sub hac formali, & adæquata, & vniuersali ratione essendi, scilicet possibiliter, & independenter ab alio, non potest esse dependens ab alio, quia posset etiam dare esse sibi ipsi. Ergo necessario esse debet ens independens, & per essentiam. Ergo idem in re sunt, & omnino æquipollent, dare esse in quantum huiusmodi, & dare esse cum independentia. Declarato antecedente, euidens est, nullam esse consequentiam, & in ipsis consequentis terminis implicari contradictionem, nempe, vt detur esse dependenter, & simul detur per creationem, per quam datur esse in quantum huiusmodi, ac proinde independenter. Igitur ex vi formali illius principij S. Thomæ, quod proprium tam primi agentis, qui est Deus, quam primæ actionis, quæ est creatio, sit dare esse in quantum est esse, sequitur, creaturam non posse creare, & simul dependere à prima causa.

63 *Secunda difficultas.*

Secunda difficultas ibidem, quia ex principiis sancti Thomæ solum concluditur, non posse communicari vim indeterminatam, & vniuersalem, creandi quodlibet ens creabile; Sed non concluditur, non posse communicari vim determinatam & particularem creandi quædam tantum creabilia, v.g. leonem, non hominem: quia inquit Suarez, *creatio leonis est specie distincta à creatione hominis*. Confirmat autem id exemplo potentiæ eductiuæ, *quæ prout se extendit ad omne generabile possibile, est propria solius Dei: limitata vero ad certam speciem generationis potest communicari creaturæ cum dependentia à prima causa.* Iuxta prædictam distinctionem ait, quod illud S. Thomæ, *per creationem produci esse absolutè; non quatenus hoc, vel tale: est quidem verum de creatione in genere, non verò de hac creationis specie: nam per hanc re vera producitur esse quatenus est tale, scilicet hominis aut Angeli.*

creationdetur non distingui specie.

Respondeo, me supra num. 25. & rationes Thomæ, & authoritate Sanctorum Patrum ostendisse quamlibet potentiam creatiuam esse omnipotentiam. Quare diuisio illa potentiæ creatiuæ vniuersalis, & particularis, non est admittenda, & ideo nego, creationem leonis esse specie distinctam à creatione hominis; quod bene etiam negauit Nazarius hic, controuersia prima §. octauo versiculo, *nec verum.* Quamuis enim specie distinguantur leo & homo, tamen illi sunt creationis termini materiales, non formales, cum tam leo, quam homo creationem formaliter terminet sub ratione formali, & adæquata, qua est ens creabile, acquirendo totum suum esse, quod in se habet ex nullo prorsus ente præsupposito, ac proinde, primò & per se ex non esse simpliciter. Quæ ratio termini tam *à quo* quam *ad quem*, indiuisibiliter tota reperitur in qualibet creatione, & in quouis materiali creationis termino; & ideo vnam specie creationem indiuisibiliter specificat, & non potest diuidi in plures specie formales rationes ad constituendas plures creationes specie distinctas. Quemadmodum ex doctrina sancti Thomæ tertia distinctione 33. quæst. 1. artic. 1. quęstiuncula 1. *videre album, & nigrum non sunt diuersi actus secundum speciem, quia vtrumque est obiectum visus secundum vnam rationem, in quantum scilicet sunt colorata, visibilia per lucem.* Ita facere hunc effectum & facere alium effectum specie distinctum, non censendi sunt diuersi actus secundum speciem, si vna sit in omnibus effectibus formalis ratio indiuisibiliter terminans omnes factiones, & vnus omnino indiuisibilis modus faciendi quemlibet effectum. Hinc facile soluitur confirmatio ducta ex paritate cum potentia generatiua, in qua hodie multi iuniores Theologi aduersarij rationum sancti Thomæ, magnam vim faciunt. Ideo eductio potest diuidi in plures species, & consequenter, potest communicari specificè, non autem genericè, saltem enti creato generabili; quia pendet essentialiter à subiecto, quod in ipsa essentiali subiecti ratione potest variari ac limitari, & ita constituere varias, ac limitatas eductionum species, etenim materia prima quamuis remotè sit communissimum subiectum omnium formarum & eductionum; tamen proximè non est completum subiectum ignis v.g. nisi vt disposita ac determinata per tantam caliditatem, & siccitatem; neque generationis hominis, nisi vt particulari quodam modo organizata, & contracta; & sic de aliis. At verò cum creatio sit simplicissimus & purissimus effluxus à solo agente, causans in suo termino totam entis rationem, quæ in illo est, & nullam omnino præsupponens, quæ rationes sunt indiuisibiliter in omni creatione, nullum habet caput, vnde probabiliter possit determinari, ac vt ita dicam particularizari, & in plures species diuidi, quo fit, vt quod de qualibet singulari creatione docet sanctus Thomas hic paulo post principium corporis, *producere esse absoluti*, in quantum scilicet est esse simpliciter, *non in quantum est hoc, ius tale; pertinet ad rationem creationis.* Nimirum ad rationem essentialem; formalem, ac specificam cuiuslibet creationis; non possit verè distingui, ac dici, quod verum sit de creatione in genere, falsum de creatione in specie. Nam quemadmodum hoc ideo verificatur de creatione in genere, quia illa procedit de non esse simpliciter ad esse simpliciter: ita verificari pariter debet de qualibet particulari creatione, quamtumuis determinata in specie, & in indiuiduo; quoniam quælibet verissimè, ac formalissimè procedit de non esse simpliciter ad esse simpliciter; siue ad hoc, vel tale, non quia est hoc, vel tale, sed quia est esse simpliciter; cum nullo prorsus alio modo, nulla omninoalia ratione aut variatione, aut diuersitate procedat quæcunque alia creatio, ad quemcunque alium creatum terminum. Quod manifestum signum est vnitatis specificæ. Vnde retorqueri efficaciter posset obiectio; quoniam si quælibet creatio habet eamdem omnino rationem formalem, quam haberet creatio in genere, quæ fingitur, vt probatum est. Ergo si creatio in genere est incommunicabiles, vt conceditur, erit pariter incommunicabilis quæcunque alia creatio in specie. Determinationem vero agendi in causis educentibus oriri etiam ex materia, & non ex sola natura agentis, docet S. Thomas infra quæst. 46. art. 5. ad 6. dicens. *Agens particulare præsupponit materiam; vnde oportet, quod formam inducat secundum proportionem ad debitam materiam. Vnde rationabiliter in ipso consideratur, quod inducit formam in talem materiam, & non in aliam, ex differentia materiæ ad materiam.*

Nazarius.

Visiones alb. & nigri no distingui specie ex S.Thoma.

Cur educti non creati plures habe species.

S.Thom.

64 *Tertia difficultas.*

Tertia difficultas in num. 30. *cum generatur triticum v.g. non solum per se generatur triticum sed etiam viuens, quia non præsupponitur ratio viuentis; generatur enim triticum, aut herba ex terra non viuente: & tamen qui habet potentiam, ad generandum triticum, non propterea habet potentiam ad generandum omne viuens. Idem est cum equus generat equum, non solum ex non equo, sed etiam ex non animali, nempe ex semine; tunc enim per se generatur & equus, & animal, & tamen illa potentia generatiua non respicit rationem animalis vt adæquatam, nec potest efficere generationes omnium animalium.* Ergo à pari, esto creatio per se procedat ex non ente absolutè, & attingat in effectu ipsam simpliciter rationem entis, non propterea sequitur, quamlibet potentiam creatiuam posse creare omne creabile.

Respondetur rationē vniuersalem agēdi extēdi ad omnes effectus particulares.

Respondeo, si agens, attingens rationem particularem, & rationem vniuersalē effectus, ita attingat rationem particularem, vt ratio formalis attingendi illam sit ratio vniuersalis, tunc certum omnino esse debet, quod potentia actiua illius agentis possit efficere omnes particulares effectus contentos sub illa ratione vniuersali. Hoc fundamēto omnes dicimus, potentiam visiuam eamdem secundum speciem, videntem coloratum album, posse videre coloratum nigrum; quia ratio videndi particulare coloratum album, est vniuersalis ratio colorati, sub qua continetur etiam nigrum. Item, qui putant non esse multiplicandas numero prædicamentales relationes ad multiplicationem numericam terminorum, consequenter rectè arguunt ex hoc vniuersali principio, quod quia paternitas v.g. terminata ad talem particularem filium, terminatur ad illum, non quia particulariter talis est, sed vniuersaliter, quia filius est, ideo eadem paternitas terminetur ad omnes filios eiusdem patris. Neque contrarium probant exempla allata de tritico, & equo. Nego enim generari triticum ex terra non viuente; quoniam potentia generatiua tritici; aut alterius plantæ, non est in terra, communi tanquam materia ad omnia prædicta generabilia, sed est principaliter in herba tritici, instrumentaliter verò in tritici granis quę nata sunt ex illa herba. Igitur generatur triticum, non ex aliquo non viuente, sed ex tali viuente planta determinatæ speciei, & ideo illius generationis terminus à quo per se, non est non viuens simpliciter, sed est non viuens tales, nec sequitur, quòd generans triticum, possit generare omne viuens. Nego etiam, equum generatum ab equo, esse generatum ex non animali, nempe ex semine. Semen enim non est id quod generat equum, sed potius id, quo equus equū generat & propterea in tali generatione terminus à quo per se non est non animal, sed solum non equus; & consequenter terminus ad quem per se, non est & equus, & animal, sed equus dumtaxat. Atque hæc est doctrina Philosophi, & S.Th. & ipsiusmet Suarez, vt notauit supra n.16. & n.18. vnde sequitur, quod potentia generatiua equi non possit se extendere ad generationes omnium animalium.

Cur generās triticum non possit generare omne viuens.

Et generans equum non possit generare omne animal.

65 *Quarta difficultas.*

Quarta difficultas ibidem, quia ex eodem principio de creatione, per se primo terminata ad ens quatenus ens, & ideo ad omne ens, *sequitur etiam, Deum posse creare se ipsum: quia quando creatur aliquod ens, non tantum in illo fit per se ratio entis creabilis, sed etiam ratio entis abstractissimi; quia nulla ratio entis præsupponitur ex parte effectus. Ergo si dicta consequutio vniuersalis est, adæquatum obiectum potentiæ creatiuæ non erit tantum ens creabile, sed absolutè, & præcisè ens: ergo comprehendet in se absolutè ens, etiam ipsum Deum. Nec dici potest, ens vt sit abstractum, per se non creari, quia ratio entis supponitur saltem in creatore; hoc enim non impedit productionem per se; nam ignis per se generat ignem, licet ratio ignis in generante supponatur. Et ideo supra dixi rationem, quæ per se fit, non debere supponi ex parte effectus, quia ex parte agentis nihil obstat.*

Respondetur, non fieri ens abstractissimum.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem dico esse ex terminis ipsis manifestè falsum, *per se fieri rationem entis abstractissimi*, scilicet ab ente factibili, quod est creatura, & ab ente non factibili, quod est creator. Ipsum enim fieri essentialem & explicitum ordinem importat ad terminum factibilem. Igitur ens abstractissimum, præscindens à factibili, fingi non potest fieri, & creari; sicut enim illud neque est creatura, neque creator; item neque ens ab alio, neque ens à se, sed ab vtroque abstrahit; ita neque explicitè importat rationem, quæ possit fieri, neque rationem quæ non possit fieri. Cum verò ad illud probandum ita distinguitur. *Ratio quæ per se fit, non debet supponi ex parte effectus, sed ex parte causæ supponi potest; nam ignis pro se generat ignem*; censeri debet vniuersaliter falsum, modo termini rectè accipiantur, & penetrantur, vt probaui supra n.16. cum S. Thom. si enim aliqua ratio est in agente, & illa per se fit, ergo idem ab eodem per se fiet. Sed vt clarius procedamus, distinguo de ratione, quæ in effectu per se fieri dicitur, si enim intelligatur de ratione vniuersaliter, secundum totam suam specificam seu genericam latitudinem, est euidenter impossibile, talem rationem præesse in agente, & illam ab eodem agente fieri per se; sic enim manifestè sequeretur, vt loco citato deducebat S.Thom. quod idem posset esse causa sui ipsius. Si vero intelligatur de ratione particulariter, in hoc vel illo indiuiduo, certum est talem rationem hoc modo per se fieri in effectu, & tamen præesse in agente, & non in effectu: hoc est, illa ratio specifica, quæ est in agente sub tali indiuiduatione, fit per se in effectu non simpliciter, sed sub alia indiuiduatione: & hoc secundum, tantum probat allatum exemplum de igne generante ignem: ab vno enim particulari igne fit per se alius particularis ignis; sed non fit per se ipsa ratio ignis simpliciter, & vniuersaliter secundum totam latitudinem naturæ ignis, quo modo per creationem fit per se ratio entis simpliciter; quoniam vt aliquid creetur, quodcunque illud sit, nulla prorsus prærequiritur ratio entis creabilis, neque ex parte effectus, neque ex parte agentis. Ergo talem actionem tribuere creaturæ, est supra essentialem illius conditionem cum manifesta implicantia de eodem potente producere seipsum.

Quod per se fit, non debet aliquando supponi ex parte causæ.

66 *Quinta difficultas.*

Quinta difficultas in n. 31. quia sicut dicit S.Th. per creationem non attingi rationem illam entis abstra

abstractissimam, sed solum contractam ad rationē entis creabilis, ita pariter Durandus dicere possit, inquit Suarez *per potentiam creandi, communicatam creaturæ, non fieri per se rationem entis creabilis vt sic, nisi quatenus includitur in ratione talis entis: atque ita etiam huiusmodi potentiam non attingere ens in quantum ens reduplicatiuè; & ideo non rectè colligi, talem potentiam debere esse vniuersalissimam, & comprehendere ens Somne creabile.*

Respondetur creationem rēdere in ens, non vt ens, sed vt creabile.

Respondeo manifestum esse ex dictis, non esse eamdem rationem de vtroque ente; nam ens abstractissimum, non est creabile, quia præsupponitur in prima causa; puto enim posse euidenter demonstrari rationem entis, quæ est in prima causa, esse increabilem, ex eo quod illa entis ratio debet necessario & essentialiter præsupponi ad omnem creationem; aliter idem esse posset creator, & creatura, ergo ratio entis abstractissimi, comprehendens sub se rationem huius entis increabilis, poni non potest terminus creationis. At verò ratio minus abstracta entis creabilis, expressè ponitur terminus creationis, nec præsupponitur ex parte effectus, nec ex parte agentis. Ergo ad illam per se primo & formaliter terminatur quæcúq; creatio. Quare de aliqua particulari creatione, v.g. cœli, dici rectè nō potest, terminari per se adæquatè & formaliter ad cœlum, vt cœlū; quoniā hæc ipsa cœli creatio, neq, cœlū, neque vllū aliud omnino ens creabile præsupponit, aut ex parte effectus, aut ex parte agētis. Ergo ex natura sua per se primò & formaliter habet tendere ex nullo prorsus creabili ente præsupposito, & consequēter, facere in cœlo omnē factibilē entis rationē, & in termino ad quem spectare materialiter rationem cœli, formaliter verò vniuersalem rationem entis creabilis, in cœlo essentialiter inclusam. Vnde necessario, & satis clarè sequi putamus quamlibet creandi potentiam debere esse vniuersalissimam, vniuersalitate comprehendente omne ens creabile, ac proinde non posse comprehendi intra ordinem totius entis creabilis, sed pertinere essentialiter ad alium superiorem ordinem, seu gradum entis increabilis.

Atque ex his, ob rei subtilitatem grauitatemque, non semel inculcatis, nonnullæ aliæ difficultates, quas idem Suarez deinde proponit ànum. 32. ad 38. solui possunt: pendent enim ex eadem radice sæpius explicata de natura creationis secundum se, quam si quis attentè consideret, vt sapienter scripsit S. Th. hic initio corporis, *satis apparet in primo aspectu, quod creare non potest esse propria actio nisi solius Dei.* Ex qua inaduertentia procedere videtur, vt nonnulli iuniores aduersarij asserant, posse dari potentiam creatiuam limitatam, non ex limitatione subiecti, quod omnino respuit, sed ex limitatione naturæ substantialis, vnde illa profluit. Enimuerò si operatio ipsa est essentialiter illimitata, non potest rectè cogitari aliqua potentia limitata ex limitato principio, essentialiter ordinata, & immediatè tendens ad talem operationem. Hanc autem illimitationem habet omnis creatio, vt est essentialiter creatio, si illa, vt pluries ostensum est, tendit formaliter ad vniuersalem rationem entis creabilis ex nullo prorsus ente creabili præsupposito. Ergo ex terminis ipsis fictitia esse apparet potentia limitata, vndecumque limitari fingatur, ad hæc creabilia, non ad alia; & tamen ordinata ad actum ex natura sua essentialiter illimitatum supra omnia creabilia.

S. Thomas.

Dari nō posse potentiam creatiuam, limitatam ex parte causæ.

DVBITATIO IV.

An aliqua creatura possit creare, vt instrumentum Dei naturale.

SVMMA.

1 *Declaratur titulus dubitationis, n. 68.*
2 *Conclusio negatiua, eiusque Authores, & aduersarij, num. 69. & 70.*
3 *Probatur authoritate, & rationibus, num. 71. ad 74.*
4 *Examinatur ratio huius articuli, numero 74. & 75.*

68 *Exponitur titulus dubitationis.*

QVærimus de instrumento Dei, non creaturæ: quoniam cum demonstratum sit, nullam creaturā esse posse creationis causam principalem, necessario probatum relinquitur, nullam dari posse creationis causam instrumētalem, respectu alicuius creaturæ principaliter creantis. Respectu autem Dei qui solus esse potest principalis causa creandi, quæri potest de instrumento, tum naturali, quomodo in tomo primo q. 12. art. 5. dub. 8. diximus, lumen gloriæ, non vt causam principalem, sed vt instrumentum naturale Dei effectiuè concurrere ad producendum beatæ visionis actum; tum obedientiale, quo modo ibidem etiam dub. 7. ostendimus, intellectum concurrere ad eundem beatificum actū; & in materia de Angelis, ignem inferni, vt obedientialiter eleuatum concurrere ad producendos actus vitales, quibus cruciantur spiritus damnati; & in materia de sacramentis, eleuari corpora ad physicam diuinæ gratiæ productionem. In hac dubitatione de instrumento naturali, in dubitatione sequēti de obedientiali distinctè disputabo; quoniam distinctas habent difficultates, quæ diuersas quoque Theologorum sententias pepererunt. Quamquam antiquiores hæc ita confundunt, vt non satis constare possit, in quo sensu loquantur.

69 *Conclusio negatiua, eiusque authores.*

Vnica conclusio negatiua, communissimè recepta. Nam authores vel vniuersaliter negant instrumentum creatiuum, ac proinde censendi sunt saltem negare instrumentum naturale, quod necessario aufertur, si tollitur obedientiale, licet non è contra, sicut beati obedientialiter eleuantur ad videndum Deum, quem nullus creatus intellectus naturaliter intueri potest: vel ita indistinctè concedunt, vt intelligi facilè possint de obedientiali, non de naturali; qua distinctione, nonnulli recentiores ad quæstionem expressè respondent. In primis Magister l. 4. sent. d. 5. nō longè à fine ita docet, *posset Deus per aliquem creare aliqua: non per eum, tanquam authorem, sed ministrum, cum quo, & in quo operaretur: sicut*, inquit, *in bonis operibus nostris, ipse operatur, & nos; nec ipse tantum, nec nos tantum; sed ipse nobiscum, & in nobis; & tamen in illis agendis ministri eius sumus, non authores.* Quibus verbis, & exemplo, satis clarè patet, Magistrum loqui de causa instrumentali ministrante, & obediente. In eodem sensu S. Thomas 2. dist. 1. quæst. 1. articulo 3. opinionem Magistri probat, dicens in fi. corp. *potuit communicari creaturæ, vt per virtutem causæ primæ operantis in ipsa, aliquod esse simplex, vel materia produceretur.* Et statim de Platone, Auicenna, aliisque antiquis Philosophis subiunxit, *& hoc modo Philosophi posuerunt intelligentias creare.* Eamdem Magistri sententiam problematicè defendit in 4. d. 5. q. 1. ar. 3. quæstiuncula 3. & de possibili, non de facto ait esse

Quid sentiat Magister.

Et S. Thom

creaturæ

creaturæ communicabile *creationis ministerium*: quod explicat, esse *quando aliquod agens, virtute alicuius prioris agentis, ex non præsuppositа materia aliquem effectum producit.* Verum semper aliis in locis oppositum docuit. Nam de Potentia q. 3. art. 4. refert authorem libri de causis, Auicennam, Algazelem, aliosque veteres Philosophos, posuisse Angelos actu creatos, *non ex propria natura, sed ex virtute prioris causæ & per virtutem diuinam in ipsis existentem.* Nullam, igitur, teste S. Thoma, posuerunt naturalem creandi virtutem, contra conclusionem huius dubitationis; sed tantum supernaturalem, & obedientialem, contra conclusionem dubitationis sequentis. Refert deinde Magistrum dicentem, *esse communicabile creaturæ posse creare, non quidem propria virtute, quasi authoritate; sed ministerio, quasi instrumentum.* Quæ verba magis important virtutem instrumentalem, quæ sit ministerialis, & obedientialis; quam quæ sit propria, & connaturalis, & nihilominus aduersus istam Magistri sententiam ita statim subiungit. *Sed diligenter considerāti apparet, hoc esse impossibile*, & ideo in fine corp. ita vniuersalissimè concludit, *Relinquitur ergo quod nulla potentia creaturæ potest aliquid creare, neque propria virtute, neq; sicut alterius, instrumentum.* Præterea lib. 2. con. gen. c. 21. à n. 4. ad 7. multis rationibus probat in genere, non posse dari creationis instrumentum. Demum in hoc articulo circa medium corporis, relata opinione Auicennæ, & Magistri, quos vult posuisse eodem modo creaturam instrumentum creationis *non virtute propria*, sed per virtutem creatiuam receptam à prima causa *sicut*, inquit, *aër per virtutem ignis habet calefacere, & ignire*, quamuis hoc Auicenna errando posuerit defacto, Magister verò sine errore de possibili; ita subdit *sed. hoc esse non potest.* Et in fine probationis, excludit vniuersaliter omne instrumentum, ita concludens, *igitur impossibile est quod alicui creaturæ conueniat creare, neque virtute propria, neque instrumentaliter, siue per ministerium.* Quibus perspectis, merito Capreolus 2. dist. 1. quæst. 3. art. 1. concl. 1. final. ita scripsit. *S. Thomas dum esset iuuenis, & scriberet super sententias, oppositum tenuit. Sed in talibus tenendum est, quod vltimo dicit; quia magis digestè, & ponderatè loquutus est in summa, quam vltimo fecit, quam in scriptis primò confectis.* Quam retractationem notarunt, & Caietanus §. *aduerte hic.* Bagnes hic, dubio circa secundam conclusionē in §. *Magister.* Zumel infra.

Qui mutauit sententiā, ex Capreolo, & aliis Thomistis.

70 *Scotus.*

Albertus.

Riccardus.

Henricus.

Eamdem sententiam sequuntur Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, Bagnes, locis supra citatis, & reliqui omnes Thomistæ, cum quibus in conclusione, tametsi non in ratione concordant, Scotus 4. dist. 1. q. 1. §. *Dico etiam.* Et Scotistæ omnes. Præterea magnus Albertus 2. dist. 1. artic. 7. ad 2. dum Magistri sententiam non vult recipere, sed exponit illum loquutum *de operatione per creaturæ voluntatem, & preces*, iuxta notata supra, n. 11. *Non tamen per creaturam, sicut virtute sua operantem, vel virtute sibi coniuncta; quia illa etiam esset creata, & finita.* Riccardus 4. dist. 1. art. 4. q. 2. post medium dicens, *creatio non potest esse à creatura, nec sicut ab agente principali, nec sicut ab instrumentali*; Henricus quodlibet. 4. q. vlt. non longè à principio, illis verbis, *in creando potius creditur, creaturam nihil omnino posse cooperari creatori, quam posse licet credatur; posse ministerium aliquod exhibere, vt orationis, vel alicuius talis.* Excludit omnem prorsus causam physicam, & admittit tantum moralem. Et ad primum, creationem, inquit, *nulla creatura omnino potest attingere, nec ad creandum instrumentaliter agere, ne supernaturaliter quidem, & virtute superiori.* Et ad secundum respondet, *quod creatum creare, vel cogere in creando, vt agēs principale, vel aliqua dispositione sua attingendo creatum, in quantum creatur, tanquam agens instrumētale, omnino est impossibile.* Alliacensis, Gabriel, & Marsilius referendi dubio, sequenti de potentia obedientiali, de quo loquuntur, & posteriores omnes, vt Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 3. initio; Pererius in Phys. sect. 5. cap. 6. §. *D. Thomas*, & §. *altera sententia*; Zumel infra q. 65. art. 3. q. sua 5. conclusione 3. Mendoza disp. 12. physica sua §. 117. Ruiz de Trinitate disp. 110. sect. 8. n. 11. Fonseca, Molina, Vasquez, Valentia, citandi pro conclusione dubitationis sequentis, qui vniuersaliter reiiciunt omne creationis instrumentum etiam obedientiale.

Et omnes alij, contra Durandum & Albertinum.

71 *Probatur conclusio authoritate.*

Hæc igitur conclusio de creationis instrumento naturali, videtur mihi non minoris authoritatis, quam alia de causa principali; & præter authoritatē omnium Scholasticorum, si Durandum excipias, quem in hac parte de instrumento naturali creationis sequutus est noster Albertinus tom. 2. pag. 198. ad 5. habemus valdè vrgentes sanctorum Patrum authoritates positas, & expensas supra num. q. 10. & 13. Eadem quoque ratio, quæ supra n. 16. probat implicantiam causæ principalis, probat etiam implicantiam causæ instrumentalis cuiuscunque, vt benè obseruauit Bagnes hic in tertia sua conclusione. Quoniam actionis creatiuæ essentia est, vt quidquid efficit, efficiat non solum secundum esse tale, sed secundum esse simpliciter, ita vt nihil prorsus creaturę actu esse præsupponatur, ne ipsa quidē generica ratio entis, scilicet creati, seu creabilis; & consequenter, vi formali creationis in termino producto fiant omnia realia illius prædicata, tam propria, quam communia, etiam ipsum esse ens actu realiter. Ergo omnis causa, quæcumque illa sit, potens creare, habere necessario debet potentiam supra totum ens creabile. Euidens enim est non posse minus latè patere potentiam, quam actum illius. Ergo si quælibet creatio, materialiter terminata ad aliquod determinatum ens creabile, terminatur formaliter ad omne ens creabile, est impossibile quamlibet creandi potentiam siue naturalem principalē, siue naturalem instrumentalem, siue instrumentalem obedientialem, non terminari formaliter ad omne ens creabile. Hæc autem creata potentia manifestè implicat, quia esset potentia productiua sui ipsius, cum ipsa quoque comprehendatur intra totam genericam latitudinem entis creabilis. Ad primam vero sui ipsius productionem nulla causa neque naturalis, neque obedientialis, imò vniuersalissimè neque creata, neque increata considerari potest.

Et ratione quæ etiam valet contra instrumētum obedientiale.

Confirmatur ex S. Thoma de pot. q. 3. art. 4. quia probans dictum Magistri de possibilitate instrumenti creationis, *esse impossibile*, vtitur eadem ratione, qua alibi probat implicantiam causæ principalis; & ita optimè arguit, sicut etiam Molina hic disp. 2. post medium, & immeritò negat Thomista Bagnes hic ad 2. *Actio alicuius, etiam si sit eius vt instrumentum, oportet vt ab eius potentia egrediatur; cum autem omnis creaturæ potentia sit finita, impossibile est quod aliqua creatura ad creationem operetur, etiam quasi instrumentum; nam creatio infinitam virtutem requirit in potentia, à qua egreditur.* Quod statim demonstrare conatur quinque rationibus vsque ad fin. corp. & nos præcipuam rationem attulimus supra num. 21. & defendimus in sequentibus. Ad penetrandam verò vim huius, & præcedentis rationis, aduertendum subtiliter est, causam instrumentalem posse quidem in sua entitate esse imperfectiorem effectu, quem agit; non tamen posse agere per actionem imperfectiorem illa, quam ex natura sua requirit effectus;

72 *Ratio S. Thomæ contra Bagnes.*

Quo modo se habeat instrumentum respectu effectus, & actionis.

nec per imperfectiorem potentiam illa, ex qua actio suapte natura egredi petit; nec per aliũ agendi modum ab eo, quem essentialiter petunt talis potentia, & talis actio. v.g. calor instrumentaliter generat ignem perfectiorem, tamen per substantialem actionem generatiuam, non per accidẽtalem actionem alteratiuam; item per potentiam generatiuam substantiæ, non per potentiam alteratiuam, & productiuam accidentis, & totum hoc facere debet eodem modo, quo faceret causa principalis, si ipsa immediatè ageret absque vllo instrumento intermedio, nempe educendo ex materia præsupposita, & debitè disposita. Sic etiam de instrumento seminis; producit quidem viuens, quale non est semen; sed non producit, nisi per veram, ac propriam viuentis generationem, & generatiuam potentiam. Et ratio est; quia instrumentum non agit per se, sed vt quid alterius, principalis agentis. Ergo satis est, si effectum assimilet agenti principali, non sibi. Quoniam verò agit in virtute agentis principalis, & per potentiam, quæ non est propria ipsius secundum se, sed potius principalis agentis, cui per talem potentiam seruire debet ad producendum effectum illi similem, omnino requiritur, vt instrumentum agat per talem potentiam, & actionem, & tali modo, sicut postulat ex natura sua effectus, & ageret ipsamet causa principalis, si se ipsa immediatè causaret. Vnde oritur, vt actio, etiam instrumentaliter facta, habere debeat eamdem in se naturam, ac perfectionẽ, quam haberet, si principaliter fieret, & consequenter, vt potentia à qua immediatè egreditur, habeat totam illam perfectionem, quam actio essentialiter postulat; & denique vt instrumentum illo modo agat, qui actioni essentialiter conuenit; ac proinde, vt habeat perfectionem, quam requirit ille modus agendi. Si igitur quælibet actio creatiua, vt essentialiter talis, habet procedere ex non ente simpliciter, & attingere ens sub ratione formali, quia simpliciter ens est, & hinc necessario deducitur potentia creatiua infinita, habens vim supra totum ens creabile; hæc omnia non possunt non habere locum in quolibet creante, siue principaliter, siue instrumentaliter, siue naturaliter, siue obedientialiter.

73 *Instrumenti naturale creationis neque esse potest substantia.*

Adduci quoque potest alia ratio propria huius conclusionis de instrumento naturali: quoniam hoc, vel esset substantia, vel accidens. Non substantia; tum quia deberet esse perfectior omnibus substantiis, hactenus creatis, de quibus constat quod non habent instrumentariam creandi vim, alioquin aliquando de facto creassẽt, & crearent quotidiè saltem animas rationales, vt prudenter adnotauit Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 2. n. 2. Hæc autem perfectissima substantia Angelica si crearet aliam similem, vel inferiorem, vel animam rationalem, non posset habere rationem instrumenti, quia non produceret effectum perfectiorem, nec assimilaret effectum principali agenti nimirum Deo, sed potius sibi. Fingitur igitur talis causa instrumentaria. Tum quia actio, quæ pro sua causa principali habere non potest aliquam naturam creatam, esse debet substãtialiter supernaturalis: similiter instrumẽtum, quod nullam causam principalem, cuius sit instrumentum respicere potest nisi increatam, & supernaturalem, esse necessariò debet in se supernaturale. Nullam autem dari posse supernaturalem substantiam, communissima habet opinio. Multis probata in tom. 1. q. 12. art. 4. tum quia ista substantia deberet habere in se virtutem, & accidentalem aliquam creandi potentiam supernaturalem. Hanc verò impossibilem esse, quod erat secundum membrum diuisionis propositæ in principali argumento, probat ratio

Neque accidens.

Scoti supra n. 32. cuilibet enim accidenti connaturalis est modus essendi cum dependentia à subiecto; ergo non potest illi connaturalis esse modus operandi omnino oppositus sine dependentia à subiecto: qui modus operandi, cum essentialiter exigatur ab ipsa operatione, & operatiua potentia, non debet esse alius in causa principali, & alius in instrumentali; vt declaraui supra, & breuiter adnotauit Suarez supra sect. 3. n. 2. *Suarez.*

Idem naturale creationis instrumentum, iuxta præsentem conclusionem, & non obedientiale impugnare censenda est alia S. Thomæ ratio, vt in aliquo bono sensu recipi possit; quamquã ibi impugnat sententiam Magistri, qui vt ex ipso S. Thoma supra ostendimus, & rectè obseruauit Suarez supra nu. 6. possibile esse dixit creationis instrumentum, nõ naturale, sed obedientiale, & eleuatum diuina virtute, quemadmodum eleuantur sacramẽta ad productionem gratiæ, de qua materia Magister ibi disputabat. Illum igitur S. Thomas hîc post medium corporis, ita refellit. *Quia causa secunda instrumẽtalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum: nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionũ; sic enim videmus quod securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ formæ, producit scamni formam, quæ est effectus principalis agentis. Illud autem, quod est proprius effectus Dei creantis, est illud, quod præsupponitur omnibus aliis scilicet esse absoluto. Vnde non potest aliquid operari dispositiuè, & instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito, quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est quod alicui creaturæ conueniat creare, neque virtute propria, neque instrumentaliter, siue per ministerium.* Quibus vltimis verbis videtur rursus latissimè sumere instrumentum pro omni instrumento, etiam obedientiali, quod propriè dicitur agere per ministerium, siue ministrando, & obediendo. *Ratio S. Thomæ contra Magistrum.*

74

Tota huius rationis vis posita est in ista propositione, *instrumentum non potest operari effectum principalis agentis, nisi prius intelligatur per aliquid sibi proprium disponere aliud ad illum effectum.* Cui propositioni multa obesse videntur, quæ fusissimè exponit Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 31. sect. 8. & ideò ego breuiter indicabo; nec enim iis defendendis immorari necesse est, quia non est ratio necessaria conclusioni, & negotium est planè Thomisticum, in quo ingeniosissimè tractando, Thomistarum omniũ, præsertim Caietani in hoc articulo, & Ferrariensis lib. 2. con. gen. cap. 21. ne inuicem quidem totaliter conuenientium, contra Scotum desudat industria. Primum, si propositio intelligatur de disponere *operando, & agendo*, quibus verbis vtitur S. Thomas, esto habeat veritatem in instrumentis artis, de quibus exemplificat sanctus Thomas, quod falsum etiam esse multis contendit Molina hic disp. 2. tamen locum non habet in omnibus naturalibus iustrumentis: v.g. species, instrumentum obiecti, nihil prius producit in potentia disponens, sed se ipsa formaliter vnita potentiæ, cum illa ad actum immediatè concurrit instrumentaliter loco obiecti. Sic etiam phantasma, quod multi volunt esse instrumentum animæ intellectiuæ, siue intellectus agentis, in productione speciei intelligibilis, nulla alia præuia actione, sed immediatè agit ad illius speciei productionem. Item instrumentum attingens instrumentaliter generationem ignis, non est calor agentis, qui disponit agendo, & calefaciendo, sed est calor passi, qui immediatè ignefacit. Demum

75 *Examinatur predicta ratio.*

Ferrariensis.

mum lumen gloriæ, quod est connaturale Dei instrumentum ad beatificam visionem producendam, nihil præuium disponendo producit, sed immediatè attingit visionem illam. In quibus omnibus casibus non vrgent duæ rationes, quibus S. Thomas prædictam propositionem probat. Nam etiam si instrumentum per illud, quod est sibi proprium non agat aliquid præuium, non propterea frustra adhibebitur ad agendum, quia in se ipso continet virtutem principalis agentis; quæ naturaliter non est in quouis ente, sed in tali determinata natura est talis virtus ad talem actionem. Secundum, quia esto, propositio vniuersalius accipiatur cum Suarez supra n. suo 3. de disponere, vel effectiuè, vel saltem materialiter, quomodo omnia instrumenta supradicta, antequam producant effectũ principalis agentis, disponunt, vel afficiendo, & informando subiectum, vel determinando aliam causam ad talem effectum producendum, quomodo per speciem albi determinatur potentia ad producendam visionem albi, & per tale phantasma determinatur intellectus agens ad productionem huius, vel illius speciei intelligibilis: tamen connaturalis esse operandi modus, quem de facto cernimus in omnibus instrumentis, non apparet adeò necessarius, vt aliter fieri non possit: quod quidem non esset contra essentialem rationem instrumenti cõnaturalis; hoc enim sufficienter intelligitur, si intelligatur habere in se virtutem superioris agentis, per quam loco illius, & vt aliquid illius, immediatè se ipso producat effectum principalem, nihil aliud agendo, aut disponendo. Tertium, quia propositio nullo modo accommodari potest instrumento obedientiali secundum sententiam, quam semper sequutus sum, & nunc etiam veram existimo, quod hoc instrumentum sit creatura seipsa agens, & non per superadditam aliquam formam. Tunc enim nulla præuia actio, aut dispositio necessaria poni rationabiliter potest ad hoc, vt, verbi gratia, corpora, & verba sacramentalia producant gratiam, ignis inferni producat actus tristitiæ in damnatis, potentia intellectiua beatorum producat intuitiuam Dei visionem, & alia instrumenta, quæ communiter obedientialia esse ponuntur, producant alios effectus, ad quos per obedientiam eleuantur ab omnipotenti Deo.

Probatur ex S. Thoma.

Multa contra hanc conclusionem obiici possent; sed vel ex superius dictis sufficienter soluta remanent: vel infra commodius solui poterunt.

DVBITATIO V.

An aliqua Creatura possit creare, vt instrumentum Dei obedientiale.

SVMMA.

1 *Conclusio negatiua, eiusque patroni, & aduersarij. num. 76. & 77.*
2 *Probatur primò authoritate Sanctorum. numero 78.*
3 *Probatur secundò rationibus. n. 79. & 80.*
4 *Occurritur contrariis argumentis. n. 81. ad finem articuli.*

76 *Responsio negatiua.*

VNica conclusio negatiua; quamuis olim oppositum senserim, & scripserim. Sed deinde animaduerti aliam sententiam primò esse omnino connexam cum opinione; quam in bona Theologia omnes sequi tenemur, de implicantia creaturæ principaliter creantis, cum eædem

rationes, quæ hanc probant, illam etiam efficaciter probent. Secundò, esse valdè conformem intentioni Sanctorum, vt notaui supra numero 10. Tertiò, esse multò communius receptam à Theologis. Qua etiam animaduersione, S. Thomam eamdem sententiam reuocasse credendum est, vt superius ostendi. Nunc addo alium locum ex tertia parte quæst. 13. artic. 2. corporis, vbi loquens *de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi vniti*, qua ratione erat sine dubio illa sanctissima anima instrumentum, non naturale per proprias naturæ suæ vires, & virtutem sibi connaturaliter conuenientem; sed obedientialem per supernaturalem eleuationem; ait, *sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, siue, quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Non autem ad immutationes creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihilum, & producibiles ex nihilo*: quoniam, inquit, *sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidant.* Quo discursu non obscurè negat, posse dari aliquam creaturam adeò supernaturaliter eleuatam, & omnipotentiæ diuinæ vnitam, vt instrumentalem, atque obedientialem vim habeat aliquid creandi. Et ita, teste Suarez in Metaphys. disp. 20. sect. 3. n. 6. *Omnes discipuli, & interpretes Diui Thomæ intelligunt eius sententiam.* Idem quoque significarunt Thomistæ omnes, & Scotus cum omnibus suis, & Albertus, Riccardus, Henricus, & alij veteres Scholastici, dũ absolutè scribunt contra Magistrum, qui sine dubio loquutus est de solo obedientiali instrumento. De quibus antiquis Scholasticis, antiquissimus Thomista Heruæus 4. d. 5. q. 2. fin. ita testatur: *Magister non tenetur in hac parte, quod potestas creandi potuerit communicari creaturæ.* minus obscurè loquitur Marsilius 4, q. 1. art. 3. post 4. conclusionem ad 7. vbi non vult concedere, *quod agens naturale potest per miraculum instrumentaliter annihilare, vel creare.* Et in hoc sensu deinde in secunda parte articuli, conclusione quarta statuit, *quod sicut creatura nequit creare, ita neque Deo concreare*: hoc est, neque esse causa principalis, neque aliquod instrumentũ Dei. Demum expresiè in terminis ponunt Bagnes hîc cõclus. 4. Pererius lib. 5. Physicæ cap. 6. circa fin. in §. *alteraſententia.* Fonseca in Metaphysic. lib. 5. cap. 2. quæstione 8. sectione 3. tota, & sectione 4. ad 4. Molina hic disput. 2. Vazquez disputatione 176. c. 2. 3. & 4. Valentia hic puncto 4. à §. *superest*, Zumel infra q. 65. art. 3. q. sua 5. conclus. 4. testans initio, quod *ferè omnes Theologi sunt in eadem sententia.* Ruiz de Trinitate disp. 110. sect. 8. n. 19. & 20. & sect. 9. n. 12. & hodie iuniores in Scholis communiter.

Heruæus.

Marsilius.

Recentiores conclusionis Authores.

Multos tamen aduersarios habet, & veteres, & modernos. In primis Magistrum, & Auicennã, quos contra hanc tantum conclusionem esse, & non contra conclusiones tertiæ & quartæ dubitationis, notauimus cum S. Thoma supra num. 69. quamquam Suarez in Metaphys. disput. 20. sect. 1. num. 27. ita scribit, *Auicenna non posuit intelligentiam creare, vt instrumentum, in rigore sumptum, sed vt causam secundam principalem.* Imò Magistrum ipsum in bono sensu exponat Albertus citatus supra n. 70. & Scotus 4. dis. 1. quæst. 1. §. *dico etiam.* Et quidem Magister non loquitur de creatione rigorosè accepta, sed de gratię productione, quę infunditur, & fit concurrente subiectò per potentiam passiuã obedientialem, non naturalem; & propterea à Magistro, & antiquis Scholasticis passim dicitur creatio.

77 *Aduersarij antiqui, & moderni.*

Nec etiam videtur Magister omnino determinatè loqui, quia cum l. 4. sent. dist. 5. circa fin. dixisset, *posset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tanquam authorem, sed ministrum*: in fine ita subiunxit, *si quis hoc melius aperire poterit; non inuideo*. Alliacensis quoque in 4. sent. q. 1. art. 2. quamuis conf. 7. teneat, *nullam creaturam posse creare, loquendo de potentia naturali, seu naturaliter ordinata*; quod est conforme dictis supra num. 69. tamen conc. 3. ponit, *quod loquendo de potentia simpliciter absoluta, scilicet supernaturaliter, seu miraculosè, quælibet creatura potest creare, & annihilare*. Hanc tamen conclusionem, inquit, *non assero quia communiter negatur ab omnibus; sed eam solum pono probabiliter, & disputatiuè*: Et, vt patet ex initio tertiæ conclusionis, loquitur de potentia creaturæ, non Dei, Alliacensem refert & sequitur Gabriel 4. d. 1. quæst. 1. art. 3. dub. 2. vocans expresè *potentiam obedientialem*. Quam etiam ad creationis actum expresè admittunt *multi moderni*, teste Bagnes hic, in dub. ante secundum notandum: *& non pauci recentiores*, teste Vazquez disp. 176. cap. 1. inter quos sunt Suarez in Metaph. disp. 20. sect. 3. à. num. 8. vsque ad 12. & latius tomo primo in 3. p. disp. 31. sect. 8. præsertim à §. *ex dictis*. Et Toletus apud ipsum in §. *ad difficultatem*. Item Albertinus tomo 2. p. 189. num. 15. Mendoza disp. 12. phys. §. 118. & nonnulli alij iuniores.

78 *Expenditur authoritas Patrum.* Huius conclusionis fundamenta, cum ex authoritate, tum ex ratione, in superioribus sufficienter constituta sunt. Authoritas, quæ ad hanc sententiam me potissimum induxit, &, nisi fallor, apud omnes pios, ac prudentes Theologos magnam vim habere debet, est Patrum, quos distinctè refero supra n. 9. 10. 13. 14. 15. disputantes contra Arium, eiusque sectatores, & arguentes. Verbum, & Spiritum sanctum, non esse creaturas, quoniam illis in scriptura, quod non negabant hæretici, expresè tribuitur opus creandi; & sumentes vniuersalissimè ad hoc demonstrandum, quod implicet dari aliquam creaturam, quæ creet. Et quamuis plerumque loquantur de creatione omnium, vt notaui supra n. 9. tamen sæpe etiã loquuntur de quacunque creatione simpliciter cuiuscũque rei, vel minimæ; vt supra n. 13. ostendi de Athanasio, & n. 14. de eodem Athanasio, Concilio Nicæno, Nazianzeno, Basilio Epiphanio, & Gregorio Bætico; & n. 15. de Cyrillo, Augustino, Damasceno, & Hugone Victorino. Neque vnquam vim faciũt Patres, quod implicet, creaturam creare, vt causam principalem; non autem instrumentalem; aut vt causam instrumentalem, naturalem, non autem obedientialem; aut sine vllo immediato Dei concursu, non autem cum actuali subordinatione, ac dependentia à prima causa; sed simplicissimè, & vniuersalissimè loquuntur. Alioquin hoc argumentum, quo potissimum omnes sancti Arianam hæresim euidenter confundi existimarunt, hæretici facillimè effugere potuissent, dicendo, vel Verbum creasse omnia præter seipsum, vt supra quæst. 27. artic. 1. num. 91. vel non creasse vt causam principalem, siue vt authorem, sed vt instrumentum; vel non vt instrumentum naturale, sed obedientiale, siue vt ministrum; vel non creasse independenter à Deo Patre, sed vt immediatè ab illo adiutum, eique subiectum, tum in essendo, tum in operando. Mens igitur Patrum sincerius accipitur, & catholica fides multo firmius, & grauius ab ipsis defensa intelligitur, si eorum argumentatione omnes prædictas euasiones vniuersaliter expugnari dicamus.

79 Rationis quoque fundamentum est, quia duobus modis poni potest creatura obedientialiter creans, iuxta duas celebres sententias de potentia obedientiali. Primò, per virtutem aliquam accidentalem supernaturalem, superadditam creaturæ, cui virtuti cõnaturale sit concurrere ad actum creationis; ad eum modum quo multi moderni, præsertim Thomistæ relati, & impugnati in tomo 1. quæst. 12. art. 5. dub. 6. & 12. putant, potentiam intellectiuam beatorum non alio modo obedientialiter concurrere ad producendum actum beatificum, quàm per lumen gloriæ habituale ipsi inhærens. Hæc autem qualitas instrumentaliter, & naturaliter creans, reiecta est supra numero 73. & reiicitur ab ipsomet Suarez in Metaph. disput. 20. sectione 2. numero 42. & sectione 3. num. 7. Secundò, per ipsammet intrinsecam creaturæ entitatem, diuino imperio, cui omnia essentialiter obedire apta sunt, eleuatam. Et hoc etiam vniuersali S. Thomæ ratione impugnatum est supra n. 71. & 72. *Conclusionis propria ratio*

80 *Alia ratio.* Sumi etiam potest alia ratio ex probatis supra num. 42. & 43. quia modus operandi, seu potius modus operationis essentialiter conueniens operationi, vt talis operatio est, postulat necessario necessitate essentiali in suo principio, quodcunque illud sit, etiam obedientiale, proportionatum essendi modum. Sed essentialis modus creatiuæ operationis est, vt non pendeat à subiecto eductionis. Ergo in suo principio essentialiter petit, vt illud non sit in se ipso subiectum eductionis. Sed hoc principium, quod nulli actioni subiici potest, & excludens omnem potentialitatem passiuam, seu subiectiuam, est actus purissimus increatus: Ergo creatio est essentialiter addita tali principio. Ergo creaturæ nullo modo communicabilis. Ex vniuersalissima enim regula tradita, & probata tomo primo quæst. 12. art. 4. numero 26. & latius art. 8. à num. 118. ad 121. ea quæ sunt essentialiter diuina, & increata, & prorsus illimitata in suo genere, non sunt vllo modo communicabilia alicui naturæ creatæ, sed essentialiter important esse proprietates increatæ ac diuinæ naturæ, vt comprehendere Deum, esse immensum, esse primam causam, esse æternum æternitate, ac duratione ab intrinseco necessaria, & alia similia. Sed creatio importat essentialiter, vt probatum est, esse operationem transeuntem essentialiter diuinam, hoc est, pendentem essentialiter ex purissimo actu, & principio actiuo. Ergo est propria solius naturæ essentialiter diuinæ. Atque hoc est, quod supra n. 5. dicebat Cyrillus, *creare, naturæ magnificæ operatio est, & virtus, & vltra mensuram creaturæ, digna Deo*, & n. 13. Magnus Athanasius, *condere, & creare, solius Dei est; eiusque Verbi, & sapientiæ*. Et n. 15. Idem Cyrillus, *putare, alios posse creare, & ex nihilo producere, maximè contra diuinam gloriam militat*. Idque statim probat, prædictam rationem non obscurè tangens, his verbis. *Non enim fas est dicere quod ea, quæ diuinæ, & ineffabilis naturæ propria, & eximia sunt, naturaliter posse inesse quibusdam ab ipsa factis*. Hinc merito Thomas de potentia q. 3. a. 4. in 5. argumento. *Sed contra*. Ita scripsit. *Creare dicitur communiter esse propriè proprium Deo*. Vnde vniuersaliter deduxit, *ergo non potest alteri conuenire*. Nimirum, nec vt causæ principali, nec vt instrumento naturali, nec vt instrumento obedientiali. Sicut enim creatura non potest obedire, vt ipsa sit Deus; ita nec vt habeat, aut faciat ea, quæ propria Dei sunt.

Quæ diuinæ proprietates sint incommunicabiles creaturis.

Cyrillus.

Athanasius.

Thomas.

81 *Prima obiectio.* Obiicies primo, quamuis Deus non possit eleuare creaturam, vt primo producat, v.g. Angelum, vel quantitatẽ extra subiectum, quia in hac prima productione, quæ est propriè creatio, nihil omnino præsupponitur; tamen poterit eleuare, vt rem primò productam, & creatam à solo Deo, creatura etiam deinde conseruet; tunc enim talis actio conseruatiua exerceretur circa aliquid præsuppositum, & antea creatum. Omnis autem creatura potest eleuari à Deo, vt agat circa aliquod subiectum præsuppositum. Sed hic influxus conseruatiuus, quoad intrinsecam substantiam actionis non est alius ab influxu creatiuo, vt nõ semel in superioribus adnotatum est, Ergo creatura vt obedientiale instrumentum potest à Deo eleuari ad præstandum influxum substantialiter at realiter creatiuum.

Responsio Bagnes non probatur. Respondet Bagnes hic ad tertium in prima responsione, concedendo totum antecedens propter rationem ibi adductam sed quoniam ex actione conseruatiua alicuius rei independentis à subiecto, euidenter deducitur actio essentialiter creatiua, negari debet antecedens. Et cum in probatione dicitur, quod illa actio conseruatiua est circa præsuppositum, id in rigore sermonis est absolutè negandum. Actio conseruatiua rei in esse præsupposito, & prehabitio vi prioris actionis creatiuę, nõ est propriè circa aliquid præsuppositum, vel ex aliquo præsupposito, quod cum creatione pugnat, sed potius est ad aliquid præsuppositum quod creationi non obest. Non enim terminatur ad aliquid producendum, siue educendum ex re præsupposita; tanquam ex subiecto, sed terminatur ad producendum per modum conseruationis ipsam rem præsuppositam, quæ propterea se habet vt actionis illius terminus, potius quàm vt subiectum. Atque adeò idem influxus, qui ponitur conseruatiuus rei præexistentis, & primò productæ vi alterius actionis, aptus ex se esset eamdem rem primò producere, & creare, si rem illam præexistentem non inueniret, quod manifestum fieri potest ex eo, quia Deus Angelos, & animas rationales non aliis influxibus in esse cõseruat, quam quibus primò produxit, & creauit. Ergo si mutatis istis influxibus, vellet aliis numero distinctis conseruare, id sanè præstare non posset nisi influxibus similiter creatiuis; Ergo influere in ipsummet esse alicuius rei præsuppositæ, non tollit essentialem creationis rationem.

Angelum à Deo solo causatum non posse conseruari à creatura.

82 *Secunda obiectio.* Obiicies secundo quoniam huiusmodi conseruatiuus influxus absque vllo subiecto videtur de facto concedendus creaturæ respectu quantitatis panis, & vini consecrati, quæ in priori esse perseuerat, destructa tota panis, & vini substantia: hæc enim quantitas sic separata conseruatur vel actione sacerdotis consecrantis, vel actione corporis, & sanguinis Christi Domini, succedentis in locum prioris substantiæ destructæ.

Respondetur cum S. Tho. species sacramentales nõ conseruari à creatore. Respondeo, neutro modo conseruari, sed, vt docet S. Thomas tertia parte q. 77. art. 1. *vitute diuina*; quoniam, inquit, *cum effectus magis dependeat à causa prima, quam à causa secunda, Deus qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens substracta substantia, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis; sicut humanum corpus formauit in vtero Virginis sine virili semine*. Quo toto discursu manifestè docet S. Thom. accidentia separata à subiecto in Eucharistia conseruari à solo Deo absque alia creata causa. Ad quẽ effectum, quo alio modo concurrant sacerdos & Christus Dominus, præter hunc concurrendi modum effectiuum immediatum, non est huius loci definire: sicut nec explicare actionem, qua Corpus Christi fit sacramentaliter præsens speciebus, & tota panis, ac vini substantia destruitur. solum enim ex dictis sequitur, illam actionem, & destructionẽ non esse simpliciter creationem, & annihilationẽ; vel saltem non esse creationem, & annihilationẽ factã immediatè vi alicuius creatę causæ, sed solum increata Dei virtute. Quem vero effectum siue moralẽ siue physicum habeãt sacramentalia consecrationis verba, non potest paucis expediri, & pertinet ad aliam materiam de Eucharistiæ sacramento. Interim si placet, legi possunt, quæ ad hoc propositum fusè scribit Vazquez hic disp. 176. cap. 6. defendens per verba consecrationis, etiam si ponantur physica transubstantiationis instrumenta, non esse necesse attingi physicè, & immediatè ipsam Christi substantiam; solum aduerto, nullius momenti esse fundamentum, quo nonnulli Theologi, inter quos est Ochamus suprà num. 37. dixerunt, creaturam non posse quidem creare, posse tamen annihilare; quoniam, inquiunt, in annihilatione præsupponitur aliquid nimirum ipsa res annihilanda, prius creata, & præexistens, in creatione verò nihil rei creandæ præsupponitur. Quo discursu procedere videtur Valentia hic puncto 4. circa fin. §. *reliquum est*, ad 1. & 2. Zumel infra q. 61. art. 3. q. sua 5. ad 1. in 2. responsione: hæc enim præsuppositio nihil ad rem facit, cum non sit præsuppositio subiecti, ex quo creatura potest aliquid educere per generationem, & à quo consequenter potest aliquid tollere per corruptionem; sed sit mera præsuppositio puri termini à quo positiui, redigendi in omnino nihilum: quod æquè difficile est, ac rem aliquam ex omnino nihilo ad aliquid transferre. Plura de hoc annihilationis argumento scripsimus supra, num. 60.

Creaturam non posse annihilare cõtra Ochamũ Valentiam Zumel.

83 *Tertia obiectio.* Obiicies tertio, cum species consecratæ corrumpuntur, & substantialiter mutantur in cineres, in vermes, in acetum, in substantiam aliti; forma substantialis quæ de nouo producitur, fit sine dubio actione alicuius agentis creati. sed non fit ex aliqua materia præexistente, quia ibi nulla est talis materia cum tota substantia panis, ac vini destructa sit; & vt docet S. Thomas 3. parte q. 77. art. 5. paulo post principium corporis, *ex corpore, & sanguine Christi non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia, & impassibilia*; & sola quantitas sine vlla materia non est aptum subiectum substantialis formæ. Ergo hæc ab agente naturali producitur ex nullo subiecto per creationem. *S. Thom.*

Respondetur ex speciebus sacramentalibus corruptis non fieri aliquid per creationem à creatura. Respondeo negando consequentiam, quia vt suppono ex probatis in proprio loco, facta corruptione accidentium necessariorum ad conseruationem substantiæ panis & vini, & facta introductione aliorum accidentium sufficientium ad introductionem alterius formæ substantialis, in illo instãti, quo agens naturale generaret, si ibi esset materia, introducitur prius natura sub illis accidentibus materia prima ex qua connaturaliter educitur alia forma. Fit autem hæc materiæ introductio à solo Deo per creationem materiæ vel nouæ, vel potius antiquæ, quæ ante consecrationem erat sub iisdem speciebus, vt loco citato fusius, ac distinctius probatum est. Quomodo autem in tali casu, in quo & forma substantialis, & substantiale compositum generantur, & non creantur, possit actio creatiua terminari immediatè ad solam materiam primam, & tamen hæc nullum habere proprium esse per propriam creationem terminatam ad ipsam tantum, sed solum habere esse formale eductum ab ipsamet, vt volunt Thomistæ, eorumque sectatores, ipsi viderint, qua de re nonnulla scribit Bagnes hic ad 8. sed minus clarè satisfaciunt, vt quivis iudicare facile poterit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum creare, sit proprium alicuius personæ.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod creare sit proprium, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Creationem esse communem toti Trinitati, probatur primo ex Scriptura, & Patribus, n. 1.*
2 *Probatur secundò rationibus, n. 2. & 3.*
3 *Opera Trinitatis ad extra, esse indiuisa, n. 4.*
4 *Vnum esse in Trinitate operandi principium, n. 5.*
5 *Creationem appropriari personis, diuersa ratione, num. 6.*
6 *Qua ratione diuinæ personalitates ad creandum concurrant. num. 7. ad fin. art.*

1 Conclusio negatiua.

PRIMA conclusio, omnis creatio, omnisque creatura, & quæcunque realis ratio in illis inclusa, tota indiuisibiliter & immediatè procedit à Patre, tota à filio, tota à spiritu Sancto. Atque hunc sensum facit conclusio huius articuli, *creare non est proprium alicui personæ, sed communetoti Trinitati.* Hoc omnes Catholici firmissima fide credimus, contra Arium, Eunomium, eorumque sectatores, qui, vt supra, num. 2. exposuimus ex Athanasio, Augustino, Cyrillo, Theodoreto, Theophylacto, Basilio, immediatam filij creationem tribuerunt soli Patri, creationem verò spiritus Sancti, aliarumque rerum omnium, soli filio. sed fidei veritas expressè habetur ex illis Christi verbis Ioannis quinto. *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* in cuius loci explicatione multa dicta sunt supra q. 27. art. 1. n. 53. & 54. Nunc ad rem præsentem distinguo, tres propositiones in iis verbis apertè contentas; primam, *filius nihil facere potest nisi quod facit Pater.* Igitur Christo manifestè contradicunt Ariani ponentes filium facere, quæ non facit Pater: & filium habere inferiorem naturam creatam à Patre; tunc enim cũ tanta naturæ diuersitate, quantam esse necesse est inter increatam, & creatam naturam, posset, ac deberet filius habere proprias aliquas operationes, quæ non essent propriæ Dei Patris. Quod argumẽtum facit Basilius Epistola 141. ad Cæsarianos, multò post med. dum ait quod Ioannes prædictis verbis: *porissimum hoc indicat, quod eiusdem cum Patre naturæ sit filius. Si enim vnaquæque rationalium creaturarum aliquid potest ex se ipsa facere, creatum non est filius.* Nam vt argumentatur etiam Chrysostomus homil. 37. in Ioan. multo post med. *nulla in re esse Patri contrarium, nihil ab eo alienum posse facere, maximam æqualitatem, & conuenientiam ostendit.* Secundam, *quæcunque facit Pater, hæc facit filius.* cum autem constet, filium non posse facere se ipsum, insaniunt Hæretici dicentes, filium esse creaturam factam à solo Patre. Et ideo ex hoc logo sapientissimè contra Arianos ita arguunt. Hilarius l. 7. de Trinit. med. *filius est, quia à se nihil potest; Deus est, quia quæcunque Pater facit, & ipse eadem facit. Vnum sunt, quia exæquatur in honore; & eadem facit, non alia.* & Ambrosius lib. 4. de fide cap. 3. initio, *scriptum est, eadem facit filius, & non talia, vt in filio vnitatem non imitationem paterni operis æstimares.* Et Damascenus lib. 4. fidei cap. 19. aliquanto post principium. *Quæ facit, ab ipso, & cum ipso facit: nam vna, & eadem non similis, sed eadem Patris, & filij, & spiritus Sancti voluntas, actioque atque virtus.* Tertiam, *quidquid facit Pater, id & filius similiter facit*; Hoc est, vt exponit Augustinus lib. contra sermonem Arianorum cap. 15. *non dissimili facilitate, non dissimili potestate*: Ergo contra Euangelium, Ariani filium vocant creationis ministrum, & instrumentum, sed potius cum Cyrillo lib. 9. in Ioannem cap. 42. circa medium, vocare debemus, *coauthorem, & verè collargitorem*: ita vt illud *similiter*, accipiendum sit cum Nazianzeno oratione 4. de Theologia circa medium, *non quia similia sint vtriusque opera, sed quod par sit vtriusque potestas, atque authoritas.* Nam vt notat Augustinus tractatu 20. in Ioannem, multo post medium, *non facit Pater alia, & alia filius similia, sed eadem similiter. Non enim ait, quæcunque facit pater, facit & filius alia similia; sed quæcunque, inquit, Pater facit, hæc eadem & filius facit similiter. Quæ ille, hæc & ipse. Mundum Pater, mundum filius, mundum spirttus Sanctus, Hæc ergo facit filius, quæ facit & Pater; & non dissimiliter facit &, hæc facit, & similiter facit*; Itaque illud, *similiter*, non referendum est ad opera, quasi vero filius non faciat eadem omnino opera, quæ Pater facit, sed alia similia; sed referendum est ad Verbum, *facit*, vt sit sensus, non solum eadem omnino opera, quæ facit Pater, facit & filius; sed etiam sicut Pater facit, ita prorsus facit, & filius. Quo secundo addito distinguitur filius operans cum Patre, à creatura operante cum Deo, verbi gratia, idem omnino lumen faciunt Deus, & sol, sed non faciunt similiter; quia Deus facit independenter, & liberè, per suam infinitam omnipotentiam; sol verò facit dependenter, ac necessario per finitam ac determinatam potentiam. Atque hunc sensum manifestè indicant verba sequentia, *sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat; sic & filius, quos vult, viuificat.* Vbi, inquit, Chrysostomus homil. 37. in Ioann. aliquanto ante fin. *illa particula sicut Pater suscitat mortuos, indiscretam potestatem; illa autem, quos vult, æqualem demonstrat.*

Probatur ea verbis Ioannis quinto.

Basilius.

Chrysost.

Hilarius.

Ambros.

Damascen.

Augustin.

Chrysost.

Præterea formari potest hæc demonstratio theologia ex duabus præmissis de fide, & euidenti consequentia. Vnus Deus est, qui creat omnia; sed Pater, & filius, & spiritus Sanctus sunt æqualissimè vnus atque idem omnino Deus. Ergo Pater filius, & spiritus Sanctus æqualissimè creant omnia. Ergo creare non est proprium alicui personæ, sed commune toti Trinitati. Maior sæpe, & clarè legitur in scriptura Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, & infra, *fecit Deus firmamentum. Fecit Deus duo luminaria magna. Creauit Deus Cete, & omnem animam viuentem. Fecit Deus bestias terræ.* & postea communem atque æqualem operationem omnium diuinarum personarum in quantum sunt vnus Deus, indicant illa verba, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, cum deinde dicatur, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam.* & tandem in fine capitis vniuersalissimè dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat.* Item Ecclesiastici cap. 1. *Vnus est altissimus creator omnipotens*, & c. 18. *qui viuit in æternum*, qui est vnus & solus Deus Pater, filius, spiritus Sanctus, *creauit omnia simul*, & c. 24. Deus vocatur *creator omnium*; & Isaiæ 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, & nullus, mecũ.* & l. 2. Machab. c. 1. *Domine Deus creator omnium.* & Apoc. 4. Viginti quatuor seniores Domino Deo dicunt, *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* & Hebræorũ 3. *Qui omnia creauit, Deus est.* Minor quoq; quod scilicet tres personæ sint vnus Deus, est manifesta fidei veritas, in superioribus abunde probata, Cõfirmatur, quia neq; in Scriptura,

2 Probatur conclusio demonstratiua Theologica.

Genes. 1.

Ecclesiastici 1. 18. & 24.

Isaiæ 44. 2. Machab. c. 1. Apoc. 4.

Hebræorum 3.

Scriptura, neque in aliquo Patre, aut alio graui authore legimus in plurali Creatores, sed semper in singulari Creatorem. Ergo Deus, Pater, seu Filius, seu Spiritus sanctus creat in quantum est vnus Deus omnino indistinctus à personis, non in quantum est hæc, aut illa persona; tunc enim sicut non est vna persona, sed sunt tres personæ, ita essent tres Creatores, non vnus Creator.

3 Alia ratio à priori.

Et ideo hanc conclusionem à priori probare possumus ex omnimoda identitate vnius numero naturæ omnium trium personarum. Natura enim in omni supposito est formale operandi principium. Ergo vbi est eadem omnino natura, eædem omnino operationes sint, necesse est; & è contrario: quia, vt docet Magnus Athanasius Dialog. 2. de Trinitate circa med. *Quorum eadem actio, siue efficacitas, eadem quoque est essentia.* Quod argumentum à posteriori latius prosequitur Nyssenus l. de Trinit. ad Eustathium, circa med. *Necesse est*, inquit, *per efficientias, & actiones, nos deduci ad naturæ diuinæ scrutationem: Quocirca si viderimus operationes, quæ a Patre, & à Filio, & à Spiritu S. proficiscuntur, inter se differentes, differentes operatrices quoque naturas ex diuersitate actionũ, & operationum esse existimaremus: Neque enim probabile est, nec fieri solet, vt quæ ratione naturæ dissident, in forma operationis inter se conueniant: nec ignis vtique refrigerat, nec glacies calefacit; sed pro differentia naturarum, operationes quoque inde procedentes, simul abinuicem separantur. Sin autem vnam & Patris, & Filij, & Spiritus sancti intellexerimus esse efficaciam, & operationem, in nulla re quidquam differentem, aut variantem, necesse est vt ex pari, eadémque efficacia, atque operatione, vnitionem naturæ, ratione colligamus.* Et continuò explicat, omnes diuinas operationes ab omnibus, ac singulis diuinis personis esse *eodem modo, pariter, & ex æquo.* Ita etiam, sed breuius arguit eius frater Basilius l. 4. contra Eunomium circa principium: *Quorum eædem sunt operationes, eorum est substantia vna, operatio verò Patris & Filij vna est, vt illud, faciamus hominem*; & rursum, *quæcunque enim Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Vna ergo est substantia Patris, & Filij.* & sequitur Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 9. med. dicens: *Quorumcunque est vna operatio, & eadem naturalis virtus, ea eiusdem essentiæ necessario sunt: diuersa enim natura sunt, quorum virtutes, & operationes diuersæ; quorum autem vna substantia est, opera similia quoque sunt, sed Patris & Filij vna operatio est, & eadem virtus consubstantialis. Ergo Filius Patri consubstantialis est.* Eodemque modo reliqui Patres passim argumentantur. Sicut igitur olim Patres, quando vna Trinitatis natura communiter negabatur, coacti sunt eam à posteriori probare ex operationum vnitate; ita hoc tempore quo in Ecclesia Dei nulli ferè sunt, qui vnam in tribus personis naturam non fateantur, possumus à priori demonstrare vnitatem operationum ex vnitate naturæ; vtrique tamen eodem nixi fundamento posito in principio huius numeri, quod scilicet in omni supposito non sit aliud formale operãdi principium, nisi natura: hinc enim sicut identitas, vel diuersitas operationis, à posteriori arguit identitatem, vel diuersitatem naturæ, ita è contrario, identitas, vel diuersitas naturæ à priori arguit identitatem, vel diuersitatem operationis.

Athanas.

Nyssenus.

Basilius.

Genes. 1.

Ioann. 5. Cyrillus.

4 Opera Trinitatis ad extra, esse indiuisa.

Dionys.

Augustin.

Hinc quoque manauit Theologicum illud Axioma, opera Trinitatis ad extra esse indiuisa. Quod ante omnes multis tradidit, & ex diuinis literis docuit Magnus Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 2. circa princip. & tandem ita concludit, *coniunctæ quidem sunt, & communia totius diuinitatis, ea quæ causæ rationem habent omnia.* Vnde Augustinus tractatu 20. in Ioann. col. 2. scripsit, *Catholica fides hoc habet, firmata Spiritu Domini in Sanctis eius, contra omnem hæreticam prauitatem, quia Patris, & Filij opera inseparabilia sunt.* Quod sæpè repetit, & pluribus explicat. Idemque Axioma vsurpant Toletanum VI. cap. 1. post med. *Cum tota Trinitas cooperata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis.* Et Toletanum XI. in professione fidei ante med. loquens de tribus diuinis personis, *nulla sine alia, vel extitisse, vel quidpiam operata esse aliquando creditur: inseparabiles enim inueniuntur, & in eo quod sunt: & in eo quod faciunt.* & post multa, *Incarnationem Filij Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis.* & rursus versus finem loquens de Filio, *à seipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.* Quapropter à Leone Magno serm. 2. de Pentecost. c. 2. Trinitas dicitur, *indiuisa in opere.* & cap. 3. *Fide salubriter credimus, quod simul tota Trinitas, vna virtus est, indiscreta opere, indifferens potestate, simul implens omnia, simul continens vniuersa.*

Toletan. VI. & XI.

Leo Papa.

5 Vnum esse in Trinitate operandi principium.

Hinc præterea oritur, vt passim docent Patres, tanquam fidei dogma, in Trinitate vnum esse operandi principium, & non plura principia. Nazianzenus oratione 5. de Theologia, non longè à fine, ita grauiter prohibet, *neque tria principia distincta, multorum Deorum opinionem faciant.* Athanasius contra Gregales Sabellij col. 1. initio, *qui duo principia introducit, is duo numina prædicat.* Augustinus lib. 5. de Trinitate c. 13. med. *cum dicimus, & Patrem principium, & Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus; quia & Pater, & Filius simul ad creaturam vnum principium est, sicut vnus Creator, sicut vnus Deus, & Spiritum sanctum non separamus ab appellatione Creatoris.* & in fine concludit, *Vnum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria principia.* & cap. 14. fin. *Sicut Pater, & Filius, vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator, & vnus Dominus; sic relatiuè ad Spiritum sanctum vnum principium. Ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus sanctus vnum principium, sicut vnus Creator, & vnus Dominus.* & lib. 10. de Ciuit. cap. 24. circa fin. *Nos ita non dicimus duo, vel tria principia, cum de Deo loquimur; sicut nec duos Deos, vel tres nobis licitum est dicere.* & lib. 3. contra Maximinum, c. 17. fin. *hæc tria simul*, nempe Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, *sicut vnum Deum, ita vnum dico esse principium.* & tractatu 39. in Ioannem, initio, *Cauendum est dicere, Patrem, & Filium duo esse principia*; Et post multa, *quid sunt isti tres, Pater & Filius & Spiritus sanctus, non tres Creatores, Vnum principium.* Prosper in id Psalmi 109. *Tecum principium.* ita habet: *Nunquid ergo quia Pater principium, & Filius principium, duo sunt principia? Absit. Sicut enim Pater Deus, & Filius Deus; Pater autem & Filius, non duo Dij, sed vnus est Deus: sic Pater principium, & Filius principium; Pater autem, & Filius non duo principia, sed vnum principium.* Anselmus epistola de processione Spiritus sancti cap. 11. med. *cum dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrẽ, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum principium, non tria principia; sicut vnum Creatorem, non tres Creatores, quamuis tres sint, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quoniam per hoc, in quo vnum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus principium, siue Creator.* Et tandem Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, ita definit, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnum vniuersorum principium, Creator omnium, inuisibilium, & visibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, Angelicam & mundi-*

Nazianz.

Athanas.

August.

Prosper.

Anselm.

Lateran.

mundanam. & ideo paulo post dicitur, *Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus.* Hanc doctrinam recipiens & magis explicans Magister ita scribit lib. 1. sentent. disput. 29. quæst. 2. *Dicuntur hi tres, non tria, sed unum principium omniũ creaturarum, quia vno, eodémque modo principium rerum sunt. Non enim aliter sunt res à Patre, & aliter à Filio, sed penitus eodem modo*; & sequuntur Scholastici omnes.

Magister.

6 *Creare appropriatur personis, diuersa ratione.*

Secunda conclusio. Quamuis creare, & generalius operari ad extra, nullius personæ proprium sit; tamen potest appropriari, & de facto appropriatur singulis personis, diuersa ratione. Hoc apud omnes certum est, & in vniuersali ex instituto explicatum est supra q. 39. art. 7. & 8. & in particulari de creatione ponitur hic ad 2. vbi duplex ratio prædictæ appropriationis assignatur. Prima ex diuerso modo, siue ordine habendi eamdem communem naturã diuinam, quam quidem Pater habet ex se, non ab alio principio; sed Filius habet à solo Patre, Spiritus vero sanctus habet à Patre, Filióque, Propter hunc modum habendi diuinam naturam, & consequenter omnipotentiam, inquit S. Thomas, *Creatorem esse, attribuitur Patri, vt ei qui non habet virtutẽ creandi ab alio: De Filio autem dicitur, Per quem omnia facta sunt, in quantum habet eamdem virtutem, sed ab alio; nam hæc præpositio, Per, solet denotare causam mediam, siue principium de principio. Sed Spiritui sancto, qui habet eamdem virtutem ab vtroque, attribuitur quod dominando gubernet, & viuificet, quæ sunt creata à Patre per Filium.* Secunda radix assignatur ex communi appropriatione essentialium attributorum, exposita supra quæst. 39. art. 8. num. 3. secundum quam, vt subiungitur hic ad secundum, *Patri attribuitur, & appropriatur potentia, quæ maximè manifestatur in creatione; & ideo attribuitur Patri Creatorem esse. Filio autem appropriatur sapientia, per quam agens per intellectum operatur; & ideo dicitur de Filio, per quem omnia facta sunt: Spiritui sancto autem appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines; & viuificatio, nam vita in interiori quodam motu consistit; primum autem mouens est finis, & bonitas.*

S. Thom.

DVBITATIO VNICA.

Quæ ratione diuinæ personalitates ad creandum concurrant.

SVMMA.

1. *Quo sensu dixerit S. Thomas, diuinas personas secundum rationem suæ processionis habere causalitatem respectu creationis. n. 7.*
2. *Nihil personale in diuinis esse formalem rationem agendi ad extra. n. 8. ad 11.*
3. *Personalitatem diuinam esse ad creandum conditionem prærequisitam materialiter, non formaliter. n. 11. ad fin. artic.*

7 *Exponitur secunda pars corporis articuli.*

PRima conclusio. Diuinæ personæ secundum rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ita ad verbum hic, in secunda parte corporis. Quod multi sequentes Capreolum 2. dis. 1. q. 3. art. 1. concl. 2. & art. 3. ad 1. Scoti contra 2. conclusionem, intelligunt de causa exemplari; & probant, quia diuinæ processiones sunt in genere processionis quid primum, & perfectissimum, eminentissimè continens in se omnes creatas processiones, quæ sunt simpliciter imperfectæ, ac participatæ. Primum autem in vnoquoque genere est mensura & exemplar cæterorum sui generis. Et hoc significare videtur S. Thomas 1. dis. 10. q. 1. art. 1. cum enim initio corporis præmisisset, quod *ex diuinæ naturæ plenitudine, & perfectione, omnis creaturæ perfectio & efficitur, & exemplatur*; paulo post ita subiunxit, *oportet processionem personarum, quæ perfecta est, esse rationem, & causam processionis creaturæ.* Verum in hoc articulo videtur clarè loqui de effectiua causalitate, qua, inquit, *Deus est causa rerum per suum intellectum, & voluntatem; sicut artifex rerum artificiatarum.* Sed loquitur de processionibus nõ in quantum sunt meræ relationes personales, sed, inquit, *in quantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia & voluntas.* Nam, vt ex superioribus constat, Verbum immediatè, & formaliter procedit per intellectum, & ex vi suæ formalis processionis accipit ipsum diuinum intelligere: & Spiritus sanctus procedit immediatè, & formaliter per voluntatem, & ex vi formali processionis suæ accipit ipsum diuinum velle.

Capreolus.

S. Thomas.

8 *Nihil personale esse formalem rationem agendi ad extra Contra Hæricum.*

Secunda conclusio. Nihil personale in diuinis poni potest, vt formalis ratio, siue vt principium formale producendi ad extra: sed hoc principium non est nisi essentiale, ac proinde æqualiter commune Patri, Filio, & Spiritui sancto. Ita planè omnes contra Henricum, qui quodl. 6. q. 2. tota, distinguit in Deo, non re, sed ratione ratiocinata duas notitias; alteram essentialem, quæ ab ipso dicitur *simplex intelligentia, pertinens ad puram speculationem, qua nouit singula simpliciter, & absolutè*; alteram personalem, quæ ab ipso dicitur *procedens, & producta, & practica, & ars manifestatiua, declaratiua, dispositiua, & ordinatiua rerum omnium, vt producendarum.* Similiter distinguit duos amores, alterum essentialem, qui ab ipso vocatur *simplex voluntas, & amor beneplaciti, non ordinans ad opus*: alterum personalem, quem vocat *procedentem, productum, incentiuum, affectiuum, & electiuum eorum, quæ placent vt producenda.* Et postea aliquanto ante finem corp. contra præsentem conclusionem ita se explicat: *Notitia, & amor, secundum quod sunt procedentes, sunt rationes, secundum quas creatura producuntur in esse: ita quod productio creaturarum præsupponit causaliter productionem personarum; non quia à tota Trinitate, & ita ab ipsis personis productis producuntur creaturæ, secundum genus causæ efficientis; sed quia sapientia, & amor producti, sunt rationes in intellectu essentiali, & voluntate Trinitatis, dispositiuæ, & ordinatiuæ ad creaturarum productionem secundum genus concausæ formalis, sine quibus intellectus, & voluntas essentialis cum sapientia, & amore essentiali, non sufficienter disponerẽt intelligentes, & volentes ad ipsas creaturas producendas. Sapientia enim, vt est essentialis, non est, nisi speculatiua; & ideo vt sint in tali sapientia, non sunt nisi rationes cognoscendi. Sapientia vero vt est personalis, siue genita in Verbo, non tantum est speculatiua ad cognoscenda ea, quæ sunt in Deo, & extra ipsum, habendo in se rationes ideales, vt sunt solum principia cognoscendi; sed etiam est practica respectu operandorum, continens in se ideas, vt sunt principia operandi.* Et tandem in fin. quæstionis aduertit, *quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non solum creant ex se coniunctim, quia omnes in se habent naturam communem; sed quia omnes in se, & in intellectu suo communi, & essentiali habent verbum vnum commune, & vnum amorem procedentem; qui respectu essentiæ sunt principium formale actus creandi quasi proximum, & essentia remotum.*

Hanc Henrici sententiam, teste Bagnes hic, *grauissimi Theologi damnant vt erroneam.* & ipsemet Bagnes dicit, *non satis consentire fidei.* Quam censuram sequitur Zumel infra q. 65. art. 3. quæst. sua 6. concluſ. 4. Molina verò vocat *minus tutam in fide, aut erroneam potius*; Vazquez in commentario huius articuli, *manifestum errorem.* Valentia puncto 3. circa med. *temerariam & non tolerabilem.* Ruiz de Trinitate disp. 111. sect. 1. num. 2. *temerariam, & parum in fide tutam.* Quapropter ipsemet Henricus alibi, vt in summa art. 54. q. 6. ad 11. & breuius, & clarius art. 60. q. 6. ad 2. cam mutasse videtur cum ita scripsit: *ratio creandi, qua plures creant, sic vnica est, quod sub omnimoda ratione vnitatis omnimoda est ratio creandi plurium. Propter quod, & si plures creant, creant tamen vt vnum; & ideo non sunt nisi vnus Creator.* Quod paulo post probat, *ex hoc quod si per impossibile ponatur esse vnica persona in diuinis absoluta, & nulla relatiua, illa posset creare ratione diuinæ substantiæ, quæ in illa esset.* Et sanè alia prior sententia multum recedere videtur ab iis, quæ in prima conclusione ex sanctis Scripturis, Patribus, & Conciliis dicta sunt. Si enim rationes, secũdum quas creaturæ à Deo producuntur, & formale creandi principium non sunt aliud nisi sapientia, vt genita, siue vt personalis, ratione ratiocinata distincta à sapientia essentiali, & communi; & amor vt productus, & procedens, siue vt personalis ratione ratiocinata distinctus ab essentiali, & communi amore, ergo non creat Deus vt Deus, secundũ quod commune quid est Patri, Filio, & Spiritui S. quoniam Deus sic communiter acceptus nullam producti rationẽ importat. Ergo tres personæ non sunt vnus Creator; cùm per nullam vnam cõmunem rationẽ ponantur creare, aut posse creare, sed per actus vt productos, qui plures & realiter distincti sunt. Item personæ productæ sunt duæ, & sunt productæ sub ratione formali valde diuersa, ita vt vna, & non alia sit Filius genitus; ergo si huiusmodi productiones quasi specie differentes sunt rationes formales, & formalia creandi principia, erunt profectò duo Creatores valde diuersi, & non poterunt eodem modo creare, sicut intellectus & voluntas satis differenti modo ad creandum concurrũt. Item si persona Patris cõsideretur sub ratione communi, & absoluta, qua essentialiter Deus est, & sub ratione propria, & relatiua, qua personaliter Pater est, nihil in se producti habet; ergo Pater, vt Pater, sub vtraque formali ratione adæquatè spectatus, non est sufficiens aliquid creare. Filius quoque, vt Filius, in quantũ non est Spiritus sanctus, non esset principium creandi omnino sufficiens, quia non esset amor procedens, qui etiam est formale creandi principium; & è contra, Spiritus sanctus, quia non esset sapientia genita, quæ etiam est formalis ratio creandi, non esset omnino sufficiens creandi principium. Quæ omnia necessariò deducuntur ex dictis Henrici; & quidem adeò manifestè confundunt, atque euertunt fidei doctrinam superius traditam, vt non sit verisimile tam grauem Theologum in hunc sensum, quem eius verba fideliter relata præ se ferre videntur, lapsum fuisse; sed aliquem alium sensum in sua illa scribendi obscuritate ac prolixitate latere. Et ideo Vazquez piè dicit, Henricum loquutum *per appropriationem.*

9 *Censura opinionis Henrici.*

Henrici sententia confutatur.

Vazquez.

10 *Non dari in Deo duas sapientias, & duos authores.*

Præterea illa distinctio duorum actuum intelligendi, & amandi, intra ipsum Deum, ex seipsa satis absurda est, vt potest facile intelligi ex dictis supra quæst. 34. art. 3. præsertim dub. 1. & 2. Nunc addo, quod duæ sapientiæ, altera generans in Patre, altera genita in Filio, minus cohærenter dicuntur ab Henrico vna in re sapientia. Quamuis enim, vt dictum est supra quæst. 41. art. 3. & 6. vna & eadem omnino res possit esse in vna persona vt producẽs, in alia vero vt communicata; tamen impossibile est rectè cogitare, ac ratione distinguere duas res, alteram vt producentem, non vt productam, alterã productam, & non vt producentẽ, & non concipere inter illas realem distinctionem, propter realẽ oppositionem, quam inter realiter producens, & realiter productũ, dari necesse est, alioqui præcidimus nobis vnicam viam intelligendi in vno Deo tres realiter distinctas personas. Diuidendo etiam diuinam sapientiam in speculatiuam sine virtute operandi, & in practicam habentem operandi virtutẽ, & hanc ponendo in filio genito, illam in Patre generante, cõcipimus Verbum, vt Verbum, habere aliquã perfectionem, quam non habet diuinus Patris intellectus, à quo procedit; & consequenter Patrẽ, vt Patrem, non esse practicè sapientem, & non cũ omni perfectione intellectiua producere suum Verbum. Idémque proportionaliter dicendum de duobus amoris actibus. Demum conceptus creatiuæ potẽtię, & actionis, inuoluit quidam oppositionem cũ creaturis, ac proinde realẽ distinctionem ab illis; tamen nullam prorsus intra ipsum Deum oppositionẽ importat, nec originis, nec relationis, vt cuilibet terminos concipienti manifestum est. Ergo immeritò ponitur vt connexus cum processionibus, & relationibus, quæ sunt propriæ vnius personæ, non alterius; sed connecti solum debet cum natura, omnibus diuinis personis communi, quæ sola sit vnicum principium formale, & vnica formalis ratio creãdi, vnde tres personæ realiter distinctæ habeant vt sint vnus Creator, vnum creaturarum omnium principium, sicut sunt vnus Deus, vnus omnipotens, vnus intellectus, vna voluntas; & nos habeamus, vt possimus fateri cum Christo, Ioan. 5. quod omnia quæ facit Pater, hæc eadem omnia similiter, & eodem prorsus modo faciant Filius, & Spiritus sanctus.

11 *Personalitas ad creandum est conditio requisita per se materialiter, non formaliter.*

Tertia conclusio. Diuinæ personalitates vt ratione ratiocinata distinctæ à natura, neq; sunt formale principium creatiuum, aut pars aliqua huius principij, vt hactenus probatum est; neque sunt conditiones, aut rationes per se requisitæ ad formalem rationem principij formalis creatiui; sed sunt solum rationes per se, & connaturaliter prærequisitæ ad materialem, siue entitatiuam constitutionem principij creatiui. Cum hac distinctione puto posse bene conciliari diuersas de hac re Doctorum sententias, & tota ferè conclusio significata, & breuiter probata remanet ex dictis supra de Trinitate pluribus in locis. Prima pars negans per se aliquo modo requiri ad formalem rationem principij, patet, quia personalitates non sunt per se requisitæ ad hoc, vt natura absoluta, quæ est formale creandi principium, existat, quo modo creatum suppositum per se requiritur ad operandum, vt dixi supra q. 30. art. 1. num 57. & quæst. 36. art. 4. num. 6. neque vt distinguatur à termino producendo, quo modo diuinæ personalitates sunt per se requisitæ ad diuinas processiones intra ipsum Deum, vt notaui iisdem locis, & præterea quæst. 36. art. vlt. fin. neque assignari potest aliqua alia huius necessitatis ratio: Quod explicari, & suaderi potest ex vna hypothesi impossibili; si enim per impossibile daretur vna tantum diuina persona, vt ponunt Iudæi, & Gentiles Philosophi, vel etiam separaretur Deus ab omnibus personalitatibus, quam separationem per intellectum cum aliquo fundamento in re omnes facimus, tunc remaneret quidem natura diuina, entitatiuè, & quasi materialiter imperfecta, hoc est, non cum omni perfectione, quam in genere substantiæ apta est habere quoad totalem suam intrinsecam constitutionem; tamen remaneret omnino perfecta in ratione formali principij operatiui ad extra; ita vt nihil illi deesset, neque vt ratio formalis, neque vt conditio sine qua non, ad actu operandum, quamuis illi deessent tres personalitates ad essendum iuxta suam connaturalem exigentiam, & intrin

& intrinſecam conſtitutionem in genere entis infinitè perfecti. Quod dicitur in ſecunda parte concluſionis, & probatum etiam eſt ſupra quæſt. 30. art. 1. num. 57.

12 *Prima pars concluſionis probatur auctoritate.*

Primam partem expreſsè ni fallor, tener S. Thomas 1. d. 11. quæſt. vnica art. 4. ad 2. dicens, *creatio eſt actus trium perſonarum, non ſecundum quod diſtincta ſunt, ſed ſecundum quod vnuntur in eſſentia: quia etiam per intellectum remota diſtinctione perſonarum, adhuc remanebit creatio.* In hoc etiam ſenſu ſupra q. 36. ar. 1. ad 7. dicit ex aliorum ſententia, quod deinde non confutat, & ideo probare videtur, quod *Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, vt ſunt duæ perſonæ diſtinctæ, vt dictum eſt; non autem creatura procedit à tribus perſonis, vt ſunt perſonæ diſtinctæ, ſed vt sũt vnum in eſſentia.* Quod apertè docuit Anſelmus ſupra, n. 5. dicens, *per hoc, in quo vnum ſunt, non per hoc, in quo tres ſunt, eſt Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, principium, ſiue creator.* Eamdem primam partem, & totam concluſionem multo fuſius & clarius explicat, & tuetur Scotus quod. 8. art. 1. præſertim à §. *Ad quartam* & tandem in vltimo §. ſic optimè diſtinguit. *Effectum præexigere aliquid in ratione cauſæ poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ex parte ipſius effectus ſimpliciter, quantum eſt de ſe, ita ſcilicet, quod effectus non haberet à quo ſufficienter poſſet produci, niſi illud eſſet cauſa. Alio modo ex parte neceſſariæ concomitantiæ in cauſa: primo modo filius non præexigitur in ratione cauſæ, ſed ſecundo modo: quia eamdem perfectionem totalem cauſandi haberet Pater, ſi per impoſſibile ſolus eſſet; ſed non poteſt in actum illius cauſalitatis exire, niſi prius filius concurrat ſecum, vel communicet ſecum in eadem perfectione, & ſecundum eam exeat in eumdem actum.* Idem apertè tradit Durandus 1. d. 29. quæſt. 3. num. 8. dicens, *ſi poneremus vnum ſuppoſitum abſolutum in diuinis ſicut ponunt Iudæi, & Gentiles; adhuc ei competeret creare. Et ideo creatio non ſolum egreditur ab omnibus perſonis, vt ſunt vnum, ſed omnino videtur eſſe extra rationem actus creandi, quod ſit à pluribus perſonis*; ſignificat etiam Capreolus 2. d. 1. q. 3. art. 3. ad 3. Scoti contra 2. concluſionem dicens, *qualibet diuina perſona eſt ita ſufficiens ad creandum, ſicut tres; quia habet omnia abſoluta, quæ habẽt omnes tres.* & iterum circa finem, dum ex variis S. Thomæ dictis, colligit, Secundo, *quod nullus reſpectus cauſalitatis Dei ad creaturam, eſt proprius alicui perſonæ ſed communis toti Trinitati*; & Tertio colligit, *Quod licet proceſſio Filij vel Spiritus Sancti aliquem reſpectum cauſalitatis habeat ad creaturam, vel proceſſionem creaturarum; tamen hoc eſt ratione alicuius attributi, abſoluti, importati in ratione talis proceſſionis.* & clarè ſequuntur Bagnes hic ad 3. Zumel infra quæſt. 65. art. 3. quæſt. ſua 6. ad 2. Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 11. num. 6. obiter dicens, *Trinitas perſonarum non eſt per ſe requiſita ad operationes Dei ad extra.* Vazquez etiam obiter ſupra d. 152. cap. 2. med dicens, *ratio producendi creaturas eſt vnitas eſſentiæ pluralitas vero perſonarum ex parte principij ad eam per ſe non pertinet*; ſicut; & Illuſtriſſimus Bellarminus lib. 2. de Chriſto c. 27. circa fi. acutè ita diſtinguens, *mundus producitur neceſſario à tribus neceſſitate producentis, non neceſſitate producti.* Lorinus in Pſalm. 32. verſiculo 6. Molina hic §. vltimo. Nazarius & alij.

13 *Authoritate etiam probatur ſecunda pars concluſionis.*

Secundam partem de neceſſitate trium perſonarum ex parte Dei creatoris, non quatenus formaliter creator eſt; ſed quatenus formaliter Deus eſt, ex citatis authoribus expreſsè tradunt Scotis Bagnes, Zumel, Bellarminus, Molina. Pro eadem ſecunda parte, & non contra primam accipiendus eſt, S. Thomas hic illis verbis circa finem corporis, *Deus Pater operatus eſt creaturam per ſuum verbum, quod eſt filius, & per ſuum amorem qui eſt ſpiritus ſanctus.* Nam ſtatim hanc cauſalitatem refert ad ſolas rationes abſolutas, & eſſentiales, quas vi formali ſuarum proceſſionum accipiunt filius, & ſpiritus Sanctus, ſubdens, *proceſſiones perſonarum ſunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt eſſentialia attributa, quæ ſunt ſcientia, & voluntas.* nimirum prius natura terminatę ad erminos ipſi Deo intrinſecos, quam ad extrinſecos terminos extra Deum. Similiter Opuſc. 1. contra errores Græcorũ c. 7. poſt med. ex Athanaſio ait, *Pater non potuit creare creaturam niſi per Verbum, & ſimiliter nec Filius niſi in Spiritu ſancto*, quia ſcilicet, vt ibidem habet ex eodem Athanaſio, *non eſſet Pater Deus perfectus, niſi filium, & Spiritum ſanctum haberet: & commune eſt cuilibet eorum, quod nullus ſine aliis duobus poteſt eſſe Deus perfectus*, vt ſupra q. 28. art. 2. d. 5. Spectant igitur Athanaſius, & Thomas entitatiuam perfectionem Dei creatoris, non formalem rationem principij creatiui. Item ſupra q. 33. art. 3. ad primum, *communia quæ important reſpectum ad creaturam per poſterius dicuntur, quam propria, quæ important reſpectus perſonales: quia perſona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum*, hoc eſt, non procedit, vt ipſa ſola, vel per aliquid ſibi proprium ſit principium creationis: ſed procedit vt Deus, qui prius natura intelligi debet, vt principiũ perſonalitatum, quibus in ſe ipſo intrinſecè perficitur quam, vt principium creaturarum ſibi extrinſecarum; & in hoc ſenſu ſubiungit; *per prius procedit filius à Patre, quam creatura.* & lib. 4. contra gen. c. 13. poſt med. non ſemel dicit, feciſſe Deum omnia per Verbum ſuum quod eſt ratio rerum factarum ab ipſo. Quod non poteſt intelligi de Verbo ratione ſuæ perſonalitatis, qua realiter diſtinguitur à perſona Patris dicentis; quoniam; vt Scotus ſupra §. *ex hoc ſequitur.* rectè notauit, *nullum ſuppoſitum formaliter agit, niſi ſit actu per illud quod eſt ſibi formaliter ratio agendi*; quod in diuinis non poteſt eſſe aliquod ſuppoſitum realiter diſtinctum ab alio ſuppoſito agente, ſed eſſe debet aliquid identificatum agenti; hanc enim ob cauſam dixit Auguſtinus 7. de Trinitate c. 1. circa fin. *Non per illam ſapientiam quam genuit, ſapiens eſt Pater.* Eſt ergo intelligendum de Verbo ratione ſapientiæ eſſentialis, quã importat Verbũ, vt Verbũ ratione ſuæ formalis proceſſionis & eſt vna, & eadem in omnibus perſonis Atque has expoſitiones facile eſt applicare multis aliis S. Thomæ locis, & aliorum Scholaſticorum, & Patrum, quæ contra primam partem inſufficienter referuntur. Nec operæ pretium eſt ſingulis explicandis immorari: præſertim quia hæc concluſio in prædictas duas partes diſtincta, videtur adeò certa, & conſona dictis Scripturæ, & Patrum, n. 1. ad 6. vt putem ne ipſos quidem aduerſarios, Valentiam hic puncto 3. & Ruiz de Trinit. d. 111. ſect. 2. eam negaturos, ſi ita diſtinctè proponerent, & conſiderarent.

Auguſtin.

Valentia. Ruiz.

14 *Prima pars concluſionis probatur ratione.*

Breuiter igitur arguo pro prima parte, quia ſi perſonalitas præcisè conſiderata; ſecundum id quod ſuperaddit naturæ communi, non eſt formalis ratio aut formale creandi principium, ſed aliqua alia ratio ſeu conditio neceſſario prærequiſita, & per ſe ac formaliter per directum atque immediatum ordinem ad ipſum creandi actum, hæc conditio vel eſt perſonalitas diuina quatenus talis, v.g. quatenus paternitas, quatenus filiatio, quatenus ſpiratio, vel perſonalitas diuina, vt ſic in genere. Nõ primum, tum quia tunc creare eſſet actus notionalis, & proprius alicuius perſonæ; tum quia aliqua perſona, vt diſtincta ab alia, non haberet omne neceſſario & per ſe prærequiſitum, ad creandum.

Quæ

Quæ duo membra efficaciter confirmari poſſunt exemplo actuum generandi, & ſpirandi, qui ſunt notionales, & proprij alicuius perſonæ, & non omnibus perſonis communes, etiã ſi ad illos non concurrant perſonalitates, vt principia formalia, ſed vt conditiones neceſſariò prærequiſitæ. non ſecundũ, quia, vt ſupra in propriis locis ex inſtituto probatũ eſt, perſonalitas, ſeu perſonalis ſubſiſtentia nõ eſt in diuinis ſuſtentatiua in eſſe, ſicut in naturis creatis; cum diuinum eſſe abſolutum, ſit ex ſe ſubſiſtere quoddam perfectiſſimum, ſeu perfectionis omnino infinitę in genere eſſendi, nullo prorſus ſuſtentamẽto indigens, vt ſimpliciter ſit, ac maneat: neque etiã eſt ratio diſtinguendi creatorẽ à creatura, ſicut eſt ratio diſtinguendi Deum generantẽ, & ſpirantẽ, à Deo generato, & ſpirato: ſed eſt ſolũ purè terminatiua naturæ, faciens ſe ipſa formaliter ſuppoſitũ incommunicabile. Quod autẽ non eſt ratio ad eſſendũ ſimpliciter, ſed tantum ad eſſendum taliter, nempè incommunicabiliter, non poteſt dici ita neceſſarium ad agendum, vt ſi mente præſcindatur, tunc illud, quod remanet, intelligi debeat remanere inſufficiens ad proximè, & immediatè agendum; nam vt agens intelligatur perfectè diſpoſitum, & vltimatè completum, ad operandum, ſatis ſuperque eſt vt intelligatur eſſe actu in ſe, & per ſe cum omni formali principio operandi; quod enim præterea totum hoc ſit aliis, vt ſuppoſitis, formaliter communicabile, vel incommunicabile, videtur omnino impertinens ad formalem operandi rationem, & faciens tantum ad aliam entitatiuam perfectionem cauſæ operantis. Enim vero nulla apparet probabilis ratio dicendi, quod vt intelligatur creatura formaliter, & præcisè pendens à Deo in fieri, & conſeruari, & operari, neceſſario omnino ſit intelligere Deum trinum perſonaliter, & non ſatis ſit intelligere vnum Deum improductum, & exiſtentem per ſuammet eſſentiam, & intelligentem, & volentem, & omnipotentem. Certè hoc modo tantum illum agnoſcebant Gentiles Philoſophi, quos tamen Paulus ad Romanos 1. ita reprehendit, vt dicat eſſe *inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum per ea quæ facta ſunt, non ſicut Deum glorificauerunt:* ſupponens ſcilicet, Gentiles illos, quibus diuinarum perſonarum Trinitas ignota omnino erat, nec nota eſſe poterat ex creaturis, rectè ac demonſtratiuè diſcurriſſe, colligendo vnius Dei ac primæ omnium cauſæ exiſtentiam ex mundi creatione. Quo non obſcurè ſignificat Apoſtolus, creationem non habere aliquam connexionem neceſſariam, & per ſe cum Deo vt trino in perſonis, ſed dumtaxat vt vno in eſſentia ac natura: alioquin illi Philoſophi eſſent excuſabiles, quod non potentes ex creaturis agnoſcere Trinitatem, non agnouerint ex creaturis neceſſarium creaturarum principium, ſi hoc eſt Trinitas vt Trinitas, non vt vnitas.

Exponitur locus Rom. 1.

15 *Secunda concluſionis pars probatur ratione Scoti.*

Arguo etiam pro ſecunda parte cum Scoto ſupra, *Quia quando ab eodem vnum ſimpliciter neceſſariò producitur, & aliud contingenter, non poteſt producere illud, ad quod contingenter ſe habet, niſi prius producto illo, ad quod neceſſario ſe habet, & maximè quando eadem eſt neceſſitas producti & producentis.* In diuinis autem, inquit, *productum extrinſecum*, nempè creatura, *contingenter producitur: intrinſecum vero*, nempè Filius & Spiritus ſanctus, *neceſſario; ſic quod ipſum eſt neceſſarium eadem neceſſitate, qua & producens. Non poteſt ergo inchoari orda productorum extra, niſi prius terminato ordine productorum intra.* Addo ego, quod naturalẽ prioritatem ordinis producendi magis confirmat, eaſdem diuinas potentias eſſe quibus & neceſſario producuntur perſonæ diuinæ ad perficiendam intrinſecè ipſam naturam diuinam, non in genere naturæ, ſed in ampliori genere ſubſtantiæ; & contingenter producuntur creaturæ, nimirum per intellectum, & voluntatem. Prius autem connaturali ordine ſine dubio eſt, vt agens per aliquam potentiam faciat id, ad quod naturaliter ac neceſſario eſt determinatum, vt propriam naturam intrinſecè perficiat, quàm per eamdem potentiam faciat id ad quod indifferens eſt, & propria libertate ſe determinat, & eſt ſibi omnino extrinſecum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in creaturis ſit neceſſe inueniri veſtigium Trinitatis.

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quod in creaturis non ſit neceſſe &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *In omnibus creaturis eſſe Trinitatis repræſentationem per modum veſtigij. num. 1. & 2.*
2 *Creaturas repræſentare Trinitatem, etiam per modum imaginis. num. 3.*
3 *Hominem eſſe imaginem vnius Dei, & trium perſonarum. num. 4. & 5.*
4 *In homine eſſe peculiarẽ rationẽ imaginis Filij. n. 6:*
5 *An homo ſecundum corpus, & ratione plurium indiuiduorum ſit imago Trinitatis. num. 7. & 8.*

NOta articuli doctrina cõtinetur duabus concluſionibus, quæ nullam habent aut controuerſiã, aut difficultatem; & ſufficienter explicantur; & magis propriũ locum habẽt infra in q. 93. vbi de vniuerſa hac materia per nouẽ articulos exactè diſputatur. Indicabo breuiter omnia, quoad eius fieri poterit, ipſius S. Thomæ verbis; ordine, maioris breuitatis, & claritatis gratia, non nihil immutato: addamque nonnulla ex Patribus, præſertim. Auguſtino qui hac de re omnium copioſiſſimè egit.

1 *Probatur cõcluſio affirmatiua & declaratur ratio veſtigij.*

Prima concluſio, in creaturis omnibus inuenitur repræſentatio Trinitatis per modum veſtigij: cuius proprium eſt repræſentare ſolam cauſalitatẽ cauſæ, non autem formam eius; ſicut fumus repræſentat ignem. Ratio eſt, quia in qualibet creatura inueniuntur aliqua, quæ neceſſe eſt reducere in diuinas perſonas, ſicut in cauſam. Quælibet enim creatura primo ſubſiſtit in ſuo eſſe, hoc eſt, non eſt ipſum eſſe ſubſiſtens per eſſentiã, ſicut eſt eſſe diuinæ naturæ, ſed eſt eſſe extra eſſentiam modaliter ſubſiſtens, & ſuſtentatum per ſuperadditam ſubſiſtentiam, quod eſt propriè habere eſſe creatum; & ſic demonſtrat Patrem, cui appropriatur creatio, in quantum eſt principium non de principio: Secundo habet formam, per quã determinatur ad ſpeciem; & ſic repræſentat Verbum, ſecundũ quod forma artificiati eſt ex conceptione artificis; diuinum enim Verbum eſt quædam exemplaris forma, omnium rerum repræſentatiua. Tertiò habet ordinem ad aliquid aliud, & ſic repræſentat Spiritum ſanctum in quantum eſt amor; quia ordo effectus ad aliquid alterum; eſt ex voluntate creantis.

2 *Probatur ex Auguſtino.*

Hæc tria Auguſtinus l. 6. de Trinitate fin. & l. de vera religione 27. fin. vocat *Vnitatem*, qua ſcilicet vnum aliquid totum creatum conſtituitur, quod ſemper eſt ex multis partialibus rationibus conflatum, *& ſpeciem, & ordinem.* Vocat etiam l. de natura boni cap. 3. & 23. *Modum, ſpeciem, ordinem.* Per modum, vt reducatur ad primum membrum ſupra ſignificare intelligendus eſt finẽ ac terminum

quem

quem habet omnis creatura per esse participatum & dependens à Deo Creatore, qui per appropriationem est Pater. Ad hæc etiam tria membra reducuntur illa tria, Numerus, Pondus, & Mensura; quæ ponuntur Sap. 11. *omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti.* Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis. Numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Reducuntur quoque alia tria, quæ ponit Augustinus l. 83. 99. q. 18. initio, dicens, *Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit.* Constat enim res per suam substantiam, aliquibus principiis constitutam; discernitur per formam, siue speciem: congruit per ordinem fini suo proportionatum. Similiter subdit Augustinus in fine quæstionis, *cum veritas quæritur, plusquã tria genera quæstionum esse non possunt, vtrum omnino sit, vtrum hoc an aliud sit, vtrũ approbandũ improbandúmve sit.* Reuocari demum possunt illa tria, quæ numerat idem August. l. 6. de Trinitate cap. 10. circa fin. Origo, Pulchritudo, Delectatio. *In illa enim Trinitate.* inquit Augustinus, *summa origo est rerum omnium*; quæ appropriatur Patri; *& perfectissima pulchritudo*, quæ appropriatur Verbo, *& beatissima delectatio*, quæ appropriatur Spiritui Sancto.

Exponitur locus Sap. 11.

3 *Creaturas rationales repræsentare Trinitatem per modum imaginis.*

Secunda conclusio, in creaturis rationalibus, in quibus est intellectus, & voluntas, inuenitur representatio Trinitatis per modum imaginis; cuius proprium est representare suam causam, non solum quantum ad causalitatem, sed etiam quantum ad similitudinem formæ eius, sicut ignis generatus, representat ignem generantem; & Statua Mercurij Mercurium. Ratio est, quia in his creaturis inuenitur intellectus concipiens, Verbum conceptu, Voluntas amans, & amor procedens, quæ sine dubio repræsentant diuinissimam Trinitatem, secundum quod intrinsecè in se ipsa est. Nam Filius est Verbum conceptum per intellectum à Patre, Spiritus Sanctus est amor per voluntatem à Patre, Filioque procedens. Neque plura hoc loco habet sanctus Thomas. Sed addenda breuiter videntur, quæ his valdè connexa sunt, & latè tractantur infra quæst. 93. art. 4. 5. 6. 7. & 8.

4 *Homo est imago vnius Dei, & trium personarum.*

Tertia conclusio, in homine est imago Dei, & quantum ad naturam diuinam, vnam communémque Patri, Filio, & Spiritui sancto, vt ex Scriptura, & Patribus probatum sufficienter est supra q. 35. art. 1. num. 3. & art. 2. num. 11. quia etiam natura humana est intrinsecè Intellectualis, & libera; eiusque anima est immortalis, spiritualis, & indiuisibilis, quas perfectiones formaliter habet ipsa natura Dei absoluta; & quantum ad Trinitatem personarum, non solum secundum quod tres personæ sunt vnus Deus, sed etiam secũdum quod sunt tres personæ inuicem realiter distinctæ. Hoc probat S. Thomas cit. ar. 4. & 5. Vtramque huius conclusionis partem acutè probauit August. l. 12. de Trinit. c. 6. initio, & l. de Genesi ad literam imperfecto, circa finem Cyrillus l. 1. contra Iulianum paulo post med. & alij Patres, & Thomas infra quæst. 93. art. 5. ad 4. tamen doctè dicitur cum nonnullis Patribus, in homine esse peculiarem quandam rationem imaginis ad personam Filij; sicut hæc inter diuinas personas habet rationem imaginis, vt supra q. 35. in quantum homo in eo quod formaliter est creata imago Dei Patris, est quædam participatio increatæ imaginis, quæ est in solo Filio respectu Dei Patris. Sicut igitur Paulus ad Ephes. 3. de solo Deo Patre peculiariter dixit *ex quo omnis paternitas in Cœlis, & in terra nominatur*; Et sicut similiter participatione, & imitatione quadam solius naturalis Filij Dei, constituitur homo Filius Dei adoptiuus: ita pariter peculiari ratione de Filio, qui solus est increata patris imago, dici potest esse exẽplar cuius imatione

Probatur ex Augustino ex Genes. 1.

5 *Quo modo homo sit imago Trinitatis.*

animam ipsam assimilant Patri, Verbum Filio, mentẽ Spiritui S. anima enim quatenus ingenita, representat Patrem. Verbum, quatenus genitum, & conceptum repræsentat Filium. Mens, quatenus vndequaque discurrens, & indiuisibiliter omnia penetrans, repræsentat Spiritum S. quem interprete Cyrillo l. 13. Thesaur. cap. 2. non longe à principio, & cap. 3. paulo post principium, mentem vocat Paulus 1. Cor. 2. fin. vbi nostra vulgata editio habet, *quis cognouit sensum Domini? Nos sensum Christi habemus.* Sed vertit Cyrillus, *mentem Domini, mentem Christi.* & subiungit, *& intelligit Paulus Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Secundò, multo frequentius, & aptius, mentem tribuunt Patri, notitiam Filio, amorem Spiritui Sancto: & sicut hæ sunt tres perfectiones vnius animæ; ita Pater, Filius, Spiritus Sanctus, tres personæ vnius Dei. Hãc comparationem omnium copiosissimè explicant Augustinus l. 9. de Trinitate cap. 2. fin. & omnibus sequentibus capitibus vsque ad finem libri; vbi ita concludit; *Est quædam imago Trinitatis ipsa mens; & notitia eius, quod est proles eius, ac de ipsa verbum eius, & amor tertius; & hæc tria vnum, atque vna substantia. Nec minor proles, dum tantam se nouit mens, quanta est; nec minor amor, dum tantum se diligit, quãtum nouit, & quantus est.* Et Anselmus in Monologio cap. 64. & quatuor sequentibus; & inter alia ita habet initio cap. 65. loquens de mente rationali, cuius nomine non solum intellectum, sed voluntatem etiam comprehendere videtur, *Aptissimè ipsa sibimet esse velut speculum dici potest; in quo speculetur, vt ita dicam, imaginem eius, quem facie ad faciem videre nequit. Nam si mens ipsa sola ex omnibus quæ facta sunt, sui memor, & intelligens, & amans esse potest; non video, cur negetur esse in illa, vera imago illius essentiæ, quæ per sui memoriam, & intelligentiam, & amorem in Trinitate ineffabili consistit.* Per memoriam, quam loco mentis ponit etiam frequẽter Augustinus, accipi debet principium omnino completum, & vltimatè constitutum ad intelligendum, & producendum verbum. Tertio Sancti valdè communiter in hac imagine immiscent aliquid corporeum, dicentes, per mentem, vel animam, vel hominem repræsentari personam Patris, per Verbum, siue rationem repræsentari personam Filij; per spiritum oris siue halitum, repræsentari personam Spiritus Sancti; fundati in illo Psal. 32. *Verbo Domini, cœli firmati sunt; & spiritu oris eius, omnis virtus eorum*; vt dictum est supra quæst. 27. art. 1. n. 219. & quæst. 34. art. 1. n. 56. & q. 36. art. 1. n. 6.

Exponitur eli Cyrillo locus 1. Cor. 2.

Augustin.

Anselmus.

Psalm. 32.

6 *In homine esse peculiarem rationẽ imaginis Filij.*

Quarta conclusio, quamuis errauerint nonnulli dicentes, hominem esse imaginem solius Filij, & non Patris; nec Spiritus Sancti, quos damnant, & maximè ex prædictis verbis Genes. 1. reiiciunt Augustinus l. 7. de Trinit. circa fin. & lib. 12. c. 6. initio, & l. de Genesi ad literam imperfecto, circa finem Cyrillus l. 1. contra Iulianum paulo post med. & alij Patres, & Thomas infra quæst. 93. art. 5. ad 4. tamen doctè dicitur cum nonnullis Patribus, in homine esse peculiarem quandam rationem imaginis ad personam Filij; sicut hæc inter diuinas personas habet rationem imaginis, vt supra q. 35. in quantum homo in eo quod formaliter est creata imago Dei Patris, est quædam participatio increatæ imaginis, quæ est in solo Filio respectu Dei Patris. Sicut igitur Paulus ad Ephes. 3. de solo Deo Patre peculiariter dixit *ex quo omnis paternitas in Cœlis, & in terra nominatur*; Et sicut similiter participatione, & imitatione quadam solius naturalis Filij Dei, constituitur homo Filius Dei adoptiuus: ita pariter peculiari ratione de Filio, qui solus est increata patris imago, dici potest esse exẽplar cuius imatione

Ephes. 3.

imitatione, ac participatione sit in homine creata imago Dei Patris. In hoc sensu Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad gentes, pagina 32. ait, *est Dei imago, eius Verbum & Filius, lucis lux exemplaris, & archetypa. Verbi autem imago est homo, diuino Verbo assimilatus, & Verbi, rationisque particeps.* Et Athanasius oratione 4. contra Arianos col. 8. *Quominus ille solus sit imago vera, & genuinus Patris sui, nihil inde obstaculi nascitur, quod & nos ad imaginem Dei, creati recitemur; & quod gloria, & imago Dei nuncupati simus; cum id non ex nostra indole fiat sed ob imaginem Dei, & veram eius gloriam in nobis habitantem.* Significat etiam Basilius l. 5. contra Eunomium §. 6. prope finem illis verbis, *diuinus character non sicut humanus est, sed viuens, & verè ens imago, imaginis efficiens, qua omnia, quæ participant, imagines Dei constituuntur.*

Clemens Alexandrinus.

Athanasius.

Basilius.

7 *Homo nec secundum corpus, nec ratione pluriũ induiduorũ est imago Trinitatis.*

Quinta conclusio, in homine præter imaginem Trinitatis secundum animam, de qua dictum est, non est propriè dicta imago Trinitatis secundum Corpus, quo similes sumus bestiis, in quibus est tantum Trinitatis vestigium, non imago; neque secundum tres distinctas personas, nam quilibet homo ex se solus habet prædicta omnia sufficientia ad constituendam veram Trinitatis imaginem. Et ideo etiam de primo, & vno homine Adamo dicitur Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et iterum post pauca, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Quæ omnia fusius habentur infra q. 93. art. 6. locutus sum de imagine propriè dicta; nam per metaphoram distinctis personis solent passim tribui à sanctis scripturis, ac Patribus distincta membra corporea, vt digitus Spiritui sancto, nam illud Matthæi 12. *Si ergo in Spiritu Dei eiicio dæmonia*; dicitur Lucæ 11. *Si in Digito Dei eiicio dæmonia.* Quæ verba exponens Cyrillus l. 13. Thesauri c. 2. aliquanto post med. ait, *Digitum Dei, Spiritum sanctum nominat; modo enim quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter inde dependet, sicut ex humana manu digitus, Brachium enim, vt dexteram Dei, Filium Dei scripturæ vocant. Saluauit enim, inquit, dextera eius, & brachium sanctum eius, & rursus, domine sublime est brachium tuum, & nesciuerunt. Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omnia facit, quæ menti videntur; inungere quoque solet digito: sic filium quidem Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus; per quem Filius omnia inungens sanctificat.* Idemque notant alij Patres communiter. Sicut etiam faciei nomen omnes tribuunt filio, & aliqui etiam Spiritui sancto: Quæ omnia distinctè persequi nimis longum est.

Distinctis personis tribui distincta membra corporea.

Matthæi 12.

Lucæ 11.

Cyrillus.

Pſalm. 97.

Iſai. 53.

8 *Tres primos homines repræsentare Trinitatem.*

Nazianz.

Præterea in tribus etiam primis humanæ naturæ suppositis aliquam Trinitatis imaginem adumbrarunt Patres. Quod multis doctè exponit Nazianzenus oratione 5. de Theologia pagina 4. *Adam quid tandem erat? Figmentum Dei. Quid Eua? sectum quiddam ex figmento, quid autem Seth? Vtriusque proles. Non ergo idem tibi videtur, figmentum, sectum, & genitum? Quid ni? Age eiusdem hæc essentiæ inter se sunt, an diuersæ? Eiusdem. Confiteris ergo fieri posse, vt quæ variè existunt, eamdem tamen essentiam habeant.* Et paucis interjectis. *Eua & Seth nonne ex eodem Adamo sunt? Virum autem ambo ex eo geniti sunt? Minimè. Quid ergo? Altera segmentum est, alter Filius: atqui ambo inter se idem sunt, homines enim: nemo est qui inficietur. Desine igitur aduersus Spiritum dimicare, aut genitus omnino sit, aut consubstantialis non sit.* Athanasius Dialog. 2. de S. Trinit. col. 4. probat, Patrem, & Filium esse consubstantiales, non ob-

Athanaſius.

stãte quod alter sit ingenitus, alter genitus; quia, inquit, *neque Adam patrem habuit, neque Eua, & tamen sunt nobis coëssentiales.* Idem argumentũ faciunt Cyrillus l. 2. Thesauri c. 1. paulo post principium, *Abel natus ex muliere est, Adam minimè. Quod si Abel, & Adam eiusdem substantiæ, naturæque sunt, quid prohibebit, filium etiam ex Patre genitum, ingenito Patri esse consubstantialem?* Quæ repetit c. 2. aliquanto post principium, & l. 7. c. 1. prope medium; & Damascenus l. 1. Fidei c. 9. multo post principium, *sicut Adam ingenitus est, plasma enim Dei est, & Seth genitus, nam Filius Adami; & Eua ex costa Adam procedens, non enim ipsa genita est, nec ipsi natura differunt inuicem (homines enim sunt) sed subsistentiæ modo*: ita in diuinis, Pater ingenitus, Verbum genitum, Spiritus sanctus procedens, sunt distinctæ personæ, non naturæ: & fusius Anselmus de Incarnatione Verbi c. 6. & alij.

Cyrillus.

Damaſc.

Anſelmus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis.

Ad octauum sic proceditur, videtur quod creatio admisceatur &c.

Conclusio negatiua: quæ vt rectè notat Cajetanus initio, est intelligenda *de omnibus aut pluribus operibus*; propter singularem hominis generationem, in quo naturali opere admisceatur creatio animæ rationalis. Ratio præcipua sumitur ex eo, quod reliquæ omnes formæ tam naturales, siue sint substantiales, siue accidentales, quam artificiales, sed educuntur ex passiua potentia materiæ præsuppositæ. Quid autem sit hoc educi; de quo in corpore articuli; cur in responsione ad primum, & in fi. corp. dicantur formæ, *non fieri per se, sed per accidens tantum, & quod propriè fit esse compositum*; An accidentia in virtute formarum substantialium producant substantias, vt docet S. Thomas ad 2. quo modo fiant animalia imperfecta, quę per putrefactionem emergũt, qua de re agitur in responsione ad 3. sunt difficultates omnino physicæ: & à præsẽti instituto multũ alienæ. Præterquam quod de eductione, explicandæ creationis gratia, cui directè opponitur, multa in superioribus dicere necesse fuit. Ex quibus etiam sufficienter constant nonnulla alia, quæ in hoc etiam articulo tanguntur, & ad illum propriè spectant: vt nullam creaturam nullo modo posse creare; formas materiales non creari, tametsi fiant ex nihilo sui; creationem propriè non terminari nisi ad rem per se subsistentem; omnia quæ fiunt ab agentibus naturalibus, esse verè creaturas respectu Dei, & rectè dici posse creari à Deo, vt habetur in responsione ad 4. Demum, quasdam res creari, quasdam concreati.

QVÆSTIO XLVI.

De principio durationis rerum creatarum in tres articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de principio durationis, &c.

ARTICVLVS I.

Vtrum vniuersitas creaturarum semper fuerit.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod vniuersitas creaturarum, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Ponitur vniuersalis conclusio negatiua certa secundum fidem. n.1.*
2 *Quid de mundi principio senserint Plato, Aristoteles, aliique veteres Philosophi. n.2.3.*
3 *Conclusionis rationes probabiles. n.4.*
4 *An mundi incœptio possit demonstratiuè probari. n.5.ad 8.*
5 *Satisfit Aristotelis obiectionibus. n.8. ad 17.*
6 *Soluuntur obiectiones Procli. n.17. ad 21.*
7 *Auerrois, aliorumque argumentis occurritur. n.21. ad fin. articuli.*

1 *Nullius rei creationem fuisse ab æterno.*

ONCLVSIO negatiua, non solum de mundo, de quo tantum loquitur S.Thomas, vt manifestum est ex primis verbis articuli, *Videtur quod vniuersitas creaturarum, quæ nunc mundi nomine nuncupatur, non incœperit, sed fuerit ab æterno*, & ex toto discursu corporis, vbi sæpe, & expresse sermo est de mundo; sed etiam vniuersalissimè de quacunque creatura simpliciter, est aperta fidei veritas tradita in concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap.1.initio. *Deus simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam.* & habetur in duobus scripturæ locis, quæ ad hoc probandum affert S.Thomas in argumento, *sed contra*. Prouerb.8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, ante quam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, nec dum montes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.* Qua tot creaturarū distincta, ac sæpe repetita numeratione, clarissimè significatur solius increatæ sapientiæ æterna productio, & nullius omnino creaturæ. Et Ioan.17. *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Et iterum in fin.cap. *Pater dilexisti me ante constitutionē mundi.* Præterea Ps.89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à seculo, & vsque in seculum tu es Deus.*

Lateranens.

Exponitur locus Prou.8.

Ioan. 17.

Ps.89.

2 *Quid de mūdi principio senserint Plato, & alij antiqui Philosophi.*

Huic diuinæ authoritati, ac reuelationi, adiungi etiam potest authoritas humana. Omissis enim posterioribus Philosophis Catholicis, omnes propemodum antiquitatis Philosophi, vt ipse etiam Aristoteles 8.Phys.1.& 1.Cœli 102. Fatetur, Vniuersō exordium dedere. Referuntur Mercurius Trismegistus, Musæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus, Homerus, Anaxagoras, Zoroastes, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus, & alij. Quid autem Plato hac de re senserit, nec apud Platonicos, nec inter Peripateticos omnino constat. Legendus est noster Pererius, qui l.15.c.5.toto, ex quodā Timæi loco, vbi disertis verbis dicitur, vniuersum ita orrum esse, vt aliquādo cœperit, fusissimè, & eruditissimè ostendit, Platonem æternitatem mundi negasse. Videri etiā possunt nostri Conimbricenses 8.Phys.c.2.q.3.art.1. vbi eādem sententiā Platoni tribuunt. Cuilibet satis esse debet, Aristotelem ipsum, qui cum tōtos vigenti annos Platonem audiuerit, illius menté optimè nouisse credēdus est, id apertè asseruisse, tum primo cæli 109. vbi refert docere Platonē in Timæo. *Cælum factum quidē esse, non tamen esse corruptibile, sed fore quidē reliquo semper tempore:* tum clarius 8.Phys.10. illis verbis, *Plato ipsum*, nempe tempus, *generat solus: simul enim ipsum cum cælo factum esse; cælum autē factum esse ait.* Atque has ob causas censendus est August. scripsisse l.10. de Ciuit.c.31. ante med. *de mundo, & de his, quos in mundo Deos à Deo factos scribit Plato, apertissimè dicit, eos esse cœpisse, & habere initium; finem tamen non habituros.*

Pererius.

Conimbricenses.

Augustin.

Sed contra hanc Catholicā veritatē multi etiam veteres Philosophi senserunt; quorū principes sunt, Aristoteles, qui multis in locis ex instituto probare conatur, totū vniuersum ex omni æternitate fuisse vt 8.Phys.c. ab initio vsq; ad t.20. & 1. cæli à t.101. vsquè ad finē libri, & 2.de generatione circa fi. & 12. Metaph. post med. Proclus in eo libello, quē de æternitate mundi scripsisse refert Philoponus apud Pererium supra c.3. fi. vbi vinginti argumētis eternitatem mundi suadere cōtendit; Auerroes 4.Phys. com.6.& 8.Phys.com.4.15.& 1.cæli com.22.& in eo opere, cui nomē est, *destructio destructionū*, disp.1. Alexāder, Simplicius, & alij. Quamquā nō desunt, qui piè potius, quàm verè, Philosophū in nostrā sententiā trahere conentur, vt S.Thom.hic circa med. corp.& 2.d.1.q.1.art.5. Vdalricus apud Carthusianū 2.d.1.q.4.col.4. aliqui moderni apud Bonauenturā 2.d.1.art.1.q.2. post med.corp. & ipsemet Bonauentura dubius, & nolens id definire: Magnus Albertus apud Conimbricenses 8. Physicorū c. 2. qu.3.art.1. circa fi. Argentinas 2. d.1.q.2. art.1.Fr. Valētia hic puncto 1. post med.& apud ipsum Rabbi, Moyses, & alij dicentes, Aristotelē disputare contra antiquos illos, qui mundū Physico motu genitū asserebant, & solū disputandi gratia, & probabiliter, & dubitatiuè æternitatem mundi suadere. Hæc autē expositio, inquit Carthusianus supra cōtra Vdaricum, *non est concordatio nisi ad vocē, & aerem, non ad intentionē, & veritatē*; & ipsemet Bonauentura supra testatur, quod opinionem de mundi æternitate *sancti Aristoteli imponunt, & cōmentatores exponunt, & verba eius prætendunt.* Et Gulielmus Parisiensis 1.p. de vniuerso circa fi. in cap. quod incipit, *sciendum etiam est tibi.* in §. *Ponam igitur.* initio de eadē Aristotelis opinione sic statuit, *quidquid dicatur, & quicunque conuenitur excusare Aristotelem, hæc indubitanter fuit eius sententia, quòd mundus est æternus, & quòd non cœpit esse; & de motu similiter sensit, & Auicenna post eum similiter, & alij expositores eiusdem Aristotelis.* eamdem expositionem benè reiiciunt. Pererius supra cap.1. Conimbricenses supra, & à Carthusiano supra col.13. refertur Petrus de Candia, dicens, quod *quidam Christiani Philosophi, volentes Aristotelem facere Theologum, asserunt eum nunquam sensisse, mundum ab æterno fuisse*; quia nihil apud Aristotelem reperitur, quod tam sæpe, & tam seriò, & pugnaciter probetur, & in quo magis sibi constare videatur, quam æternitas mundi: hoc enim vno fundamento maximè innititur doctrina ab ipso tradita de Deo, Intelligentiis, & Cælo. Nec obstare debet, quod pro Aristotele præcipuè afferunt S. Thomas, Argentinas, & Valentia, illum l.1. Topicorum cap.9. non longe à principio dixisse, *Problema dialecticum esse. Vtrum mundus æternus sit, an non:* tum quia id attulit, exempli gratia, vbi nihil ex propria sententia definitur: tum quia multi insignes viri, præsertim doctissimus eius magister Plato, contrarium sentiebant; neque adhuc opinionem suam exposuerat.

3 *Quid senserit Arist. tales.*

Proclus.

Auerroes

Qui dicent Aristotelem non esse contrarium.

Præducta Aristotelis expositio à multis reiicitur.

Exponuntur verba l.1. Topic.c.9.

Conclusionis probationes.

Afferam

4 *Afferuntur quatuor rationes probabiles.*

Afferam primo rationes probabiles, quæ tamen aptæ sunt prudenter conuincere, & in obsequium fidei captiuare quemlibet intellectum non proterum. Primò quia ex historiis humana fide dignis; scimus quæ ætate floruerint primi artium inuentores. non est autem verisimile, infinita antecedentium annorum serie, absque artibus vixisse genus hominum, quod, teste Philosopho in principio suæ Metaphysicæ, arte viuit ac ratiocinationibus. Secūdò, quia nullæ extant historiæ, nec monumenta, plusquam sex milliū annorum. Ponere autē certis quibusdam temporum spatiis inundationes, & deflagrationes, quas nec scripto, nec traditione, nec vlla alia rationabili via scimus, id quidem est diuinare, ac fingere: præter quam quod non est in natura, tam magna vis aquarum, vel ignium, vt totus mundus, omnesque prouinciæ inundatione, aut incendio destrui possint. Tertiò, quia vt experientia manifestum est, singulis ætatibus humana corpora decrescunt, & imbecillima fiunt. Si igitur præcessissent infinitæ ætates, iam ad minimam quantitatē, & virtutem deuenissent, & ne vno quidem die viuere possent. Quartò, si mundus fuisset ab æterno, nunc existerent actu simul infiniti homines, leones, equi, &c. quod si non est impossibile, vt certè est euidenter impossibile intra terminos huius finiti mundi cōtineri absque vlla penetratione, tot infinitas multitudines infinitorum animalium, saltem est inconueniēs prorsus incredibile. Consequētia patet, quoniā experientia docet, plures nasci quàm mori. Ergo si ab æterno fuissent animaliū generationes, & posterioribus infinitis ætatibus semper plures, & plures nati essent; iam hodie simul extare deberent in singulis animaliū speciebus infinita actu indiuidua.

Carthusianus. Argentinas. Ægidius.

6. *Demonstratur nouitas mundi prout de facto est.*

Durandus.

5 *Ad demonstrabile sit, mundum incœpisse in tēpore.*

Præterea qui æternitatē cum qualibet creatione pugnare putant, aut saltem cum tempore, & motu, & successiuis generationibus, ijs implicantiæ rationibus, quibus hoc necessario probari contendunt, demonstrari quoque dicunt mundū creatum in aliquo durationis principio. Similiter qui censent se habere necessariā aliquam rationem ob quam non sit possibilis animarum nostrarum multitudo actu infinita, putant etiā demonstratiuè probari impossibiles esse hominum generationes ab æterno; ita vt remaneant animæ iuxta immortalē ipsarum naturā, & singulæ sint in singulis hominibus multiplicatæ. Verum quoniam has omnes rationes conuincentes esse non existimo, vt patet ex dictis de infinito in tomo 1. & patebit ex dicendis in sequenti articulo de possibilitate creaturarum permanentiū, & successiuarum, ab æterno; esto non implicet infinitas animarū, nec æternitas creata permanens, nec successiua, adhuc tamen puto posse necessariò probari, implicare contradictionē, Mundum, pro vt de facto nunc est, scilicet cum generationibus rerum, pro vt nunc sunt, & eo modo quo factas esse constat, fuisse creatum ab æterno. Limitaui probationem ad mundum, *provt de facto nunc est*; quia cum quibusdam aliis circumstantiis simpliciter possibilibus, tametsi de facto à nullo positis, posset simpliciter esse mūdus æternus cum creaturis permanentibus, & successiuis, nec potest contrarium euidenter demonstrari. Et de hoc mundo facto, non secundum circumstantias, quibus factus est, sed simpliciter provt idem fieri poterit, intelligo quod S. Thomas hic in medio corpore breuissimè indicat, & latius, & clarius explicat articulo sequenti in principio corp. & 2.dis.1.q.1.art.5.corp. in §. *Tertia positio.* vbi loquens de mundi incœptione, quam fide credimus, ait, *non credo quod à nobis sumi possit ratio demonstratiua ad hoc: & esset potius in derisionem, quam in confirmationem fidei, si quis nouitatem mundi demonstrare intenderet.* Quod repetit, & probare contendit. §. sequenti *Dico ergo.* & quod l.3. q.14. art.31. & sequi videtur Carthusianus supra, col.5. §. *sed sicut* & col. 20. §. *Nunc restat.* Sed absolutè sequuntur Argentinas 2.d.1. quæst.2.art.1. init.& Thomistę omnes. Item Ægidius 2.d.1.part.1.q.4.art.2.toto.

S.Thomas.

Vt demonstrem igitur intentum, nitor fundamento fusius posito tomo 1.q.2.art.3.dub.4. tota. Consideremus enim v.g. omnes homines infinitos, hactenus corruptos, qui in sentētia Aristotelis fuerunt in toto tempore æterno præterito. Inter hos vel est aliquis immediatè creatus à Deo, vel non. Hoc secundum dici non potest, vt optimè adnotauit Durandus 2.d.1.q.3.ad 2. quia tota species, ac natura humana prædictorū hominum, etiam coniunctim acceptorū, habere debet causam sui, quia non est ens à se, sed essentialiter dependens à Deo. Ergo debent necessariò dari aliqua indiuidua, immediatè creata à Deo, & non facta ab aliis indiuiduis per naturalem generationem, v.g. Adamus, & Eua, quæ generauerint, & non genita sint, ita vt nullum aliud indiuiduum detur ante illa, sed sint prima, saltē negatiuè. Præterea Adamus, & Eua vel vixerunt tempore finito, vel infinito; si finito, ergo non fuerunt ab æterno: quoniam si durassent v.g. mille annos, ergo non fuissent ante mille annos. Ergo omnes homines sequentes durarūt tempore finito, & à parte post, vt supponimus accipiendo homines iam præteritos, & à parte ante, vt probatum est. Ergo illorum hominum generationes non fuerunt infinitæ. Necessariò igitur si omnes homines generati, sunt infiniti, Adamus & Eua viuere debuissent annos infinitos. Vlterius vel genuissent statim ac essent, ita vt ne instans quidem possit assignari, in quo post creationem immediate fuerint, & non generauerint: vel non statim, sed incœpissent aliquando generare. Non hoc secundū, quia si incœpissent generare, ergo generassent primum. Ergo omnes homines geniti, non essent infiniti: & si non generarent aliquando post creationē, illud, *aliquando*, vel dicit instans, vel tempus finitum, vel infinitum. Non instans, quia illud esset terminus durationis, ante quod non fuissent, & in quo solo non generassent: quare esset intrinsecum existentiæ Adami & Euæ, extrinsecum generationi sequenti; ideoque in illo, primò essent, immediate antea non fuissent; in eoque, vltimo non generassent, sed generassent immediatè post. Ergo Adamus, & Eua non durassent per æternitatē. Ergo omnes sequentes non fuissent in tempore æterno. Non tempus finitum, quia sequeretur etiam durationem existētiæ primorum hominū non fuisse infinitam à parte ante, vt patet ex discursu immediatè ante facto. Ergo si generassent post, debuissent expectare per infinitos annos. Ergo generare debēt statim ac sunt. Rursus vel genuissent homines finitos, vel infinitos, si primum, sint v.g. decem. Ergo genuissent in decem annis, & nō prius. Ergo non ab æterno. Item genuissent primū filiū, & in primo anno, vt ex se patet: quæ omnia ex dictis manifestè repugnant. Ergo debuissent gignere infinitos absque vllo principio. Cum igitur cursus ordinarius generationū in mūdo de facto existentiū, non importet, quod nullus vnquā finxit, duo prima indiuidua creata, durantia per annos infinitos, quę statim ac existāt, generēt, & successiuè faciāt filios infinitos, demonstratiuè certum esse relinquitur, mundū cum generationibus, provt nunc naturaliter currūt, non potuisse ab Aristotele, & Peripateticis poni ab æterno, sed rectè à Catholicis, diuina reuelatione edoctis, positū esse cum nouitate essendi in aliquo tēporis principio. Cōfirmari potest demonstratio ex art.seq. ad 8. & Caiet. ibid.

Caietanus.

in fine sui commentarij; quia si, inquit Caietan. *de productione mundi talis, qualem videmus, est sermo*, vbi semper succedunt inuicem homines generantes, & geniti; finito tempore viuentes, absq; vllo homine æterno, demonstrabile putat mundum incœpisse.

7 *Soluuntur duæ instantia contra præcedentem demonstrationem.*

Neque contra hanc probationem demonstratiuam faciunt duo, quæ proponit S. Thomas quodl. cit. Dicit enim primo, mundum hunc esse factum in tempore, est articulus fidei; ergo non potest demonstrari: hanc enim consequentiam esse simpliciter nullam, ostendi supra q. 45. art. 2. n. 28. Dicit 2. creatio mundi non pendet ex alia causa, nisi ex sola Dei libera voluntate. Ergo non potest demonstrari: hoc enim probat solum, non posse demonstrati creationem vt futuram, sic enim habet esse intra suam causam liberam, & indeterminatam ad esse, vel non esse; ergo demonstrari non potest esse potius, quam non esse. Omnis enim effectus liber, inquit optime S. Thomas supra quæst. 14. art. 13. aliquantò post principium corp. *potest considerari vt est in sua causa; & sic consideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum; quia causa contingens se habet ad opposita.* Verum si creatio accipiatur vt iam præsens extra causam suam liberam, nihil prohibet posse illam demonstrari, quia iam habet in se esse determinatum, & factum, & quamdam immutabilitatem, sufficientem ad demonstrationem, inquantum quod est factum, quantumuis liberè factum sit, postquam est factum, non potest non esse factum. De eodem enim effectu libero, ibidem paulò ante dicit S. Thomas, *potest considerari in se ipso, secundum quod iam in actu est; & sic non consideratur vt futurum, sed vt præsens; neque ad vtrumlibet contingens, sed vt determinatum ad vnum.* Quamuis igitur mundus hic possit fieri in æternitate, vel post æternitatem, iuxta liberam voluntatem Dei creatoris, & vt continetur in potentia causæ liberæ, non possit demonstrari futurus secundo modo potius, quam primo; tamen, vt iam factus, & in se ipso determinatus, & extra causam indeterminatam existens, potest benè demonstrari factus secundo modo in tempore, non primo modo ab æterno. Quemadmodum sol, & stellæ, & cæli, & elementa, & totus mundus, creari poterant cum maiori, vel minori magnitudine; tamen postquam creata sunt, possumus de illis demonstrare, quod habent tantam determinatam magnitudinem, nō maiorem, aut minorem. Et quidem ratio adducta supra nu. 6. adeò euidenter demonstrat mundi nouitatem, quam fide credimus, vt propter illam non timenda sit ab infidelibus initio fidei, sed sperando potius sit maior illius reuerentia, ac propagatio: modo infideles his rationibus ad fidem suscipiendam commoti, planè intelligant, ipsos non inferiori hoc naturalis rationis lumine, sed longè maiori, atque excellentiori supernaturalis illustrationis lumine ad credendum induci, neque esse credendum, quia homo demonstrat, sed quia reuelat Deus, qui nec falli potest, nec fallere. Demum non de huiusmodi demonstratiuis rationibus, quibus omnes Theologi, atque adeo ipsemet S. Thomas in superioribus, res fidei passi demonstrant, vt Deum existere esse simplicem, perfectum, bonum, infinitum, intelligentem, volentem, liberum, æternum, immutabilem, creatorem, increatum, &c. Sed de aliis leuioribus, & parum solidis, accipiendus est S. Thomas art. sequenti in fi. corp. ita prudentissimè monens, *& hoc vtile est vt consideretur, ne fortè aliquis, quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere, quæ fidei sunt.* Alioquin idem Apostolus ad Romanos 1. clarè docet, infideles Philosophos demonstratiuè cognoscere, Deum esse, vt expono in 1. tomo quæst. 2. artic. 2. num. 7. & tamen de omnibus infidelibus, cum ad fidem conuertuntur, ait Hebr. 11. *credere oportet, accedentem ad Deum, quia est.* quæ verba multis exponuntur loco citat. num. 13. ad 16. eadem igitur res benè potest, & naturaliter demonstrari, & supernaturaliter credi.

S. Thom.

An res fidei demonstrari possint, ac debeant.

S. Thom.

Rom. 1.

Hebr. 1.

Satisfit Aristotelis obiectionibus.

8

Iam vero pro fidei nostræ defensione, ostendendum diligenter est, in contrariis infidelium Philosophorum argumentis nullam vim esse. Pleraque duobus falsis fundamentis nituntur. Altero, creationem esse impossibilem, quod ex instituto reiectum est supra quæst. 45. art. 2. toto. Altero, Deum non esse in agendo ad extra liberum, sed operari ex necessitate naturæ; quod sæpe in superioribus confutatum sufficienter est, præsertim tomo 2. q. 19. art. 3. Soluendæ igitur primò sunt rationes Aristotelis, qui est præcipuus aduersarius.

9 *Prima obiectio.*

Prima ratio 8. Phys. 4. & deinceps, motus est actus mobilis. Ergo ante motum datur mobile. Ergo si motus non fuit ab æterno, sed aliquis primus motus extitit, dabitur mobile ante primum motum. Vel igitur mobile cœpit esse, ergo per aliam generationem, ac motum, & sic ante primum motum daretur alius motus prior. Vel non cœpit esse, sed fuit æterno tempore sine motu, quod est irrationabile.

Respondetur, primum mobile incœpisse per creationem.

Respondeo, mobile cœpisse esse, non tamen per generationem & motum, sed per creationem, quæ nec subiectum prærequirit, nec motum aut mutationem includit, vt superius probatum est. Potest autem ratio retorqueri contra Authorem suum. Nam motus æternus, est essentialiter motus. Ergo si de essentia motus est, vt ante ipsum sit mobile, sequitur, ante motum æternum fuisse, & factum esse mobile: ergo per alium motum, priorem æterno motu: quod est euidenter impossibile.

10 *Secunda obiectio.*

Secunda ratio 8. Physic. 10. si tempus cœpit, ergo aliquando non fuit, & prius fuit non esse, quàm esse temporis. Sed *Aliquando*, & *Prius*, sunt differentiæ temporis. Ergo ante quodlibet tempus fuit semper tempus ab æterno. Ergo etiam motus fuit æternus, tempus enim sine motu non est.

Respondetur ponendo cum S. Thoma tempus imaginarium ante tempus reale.

Respondeo, *Aliquando*, & *Prius*, in primo consequente non significant differentias temporis veri, ac realis, sed tantùm imaginarij; quia, vt docet sanctus Thomas q. 3. de Potent. art. 17. ad 20. *Possumus imaginari infinita temporum spatia, æternitate existente, potuisse reuolui ante temporis incœptionem.* Sicut, vt idem explicat hic ad 8. *cum dicitur, supra cœlum nihil est, quæst. supra, designat locum imaginatum tantum, secundum quod possibile est imaginari dimensionibus cœlestis corporis dimensiones alias super addit.*

Antea, Prius, Aliquando, Vltra, Extra, sumi posse negatiuè cum S. Thoma.

Vel secundò sumi possunt negatiuè, ita vt cum dicitur, Antea nō fuit tempus, sensus sit, Non præcessit tempus, quod dici possit Antea, vel Prius, vel Aliquando. Quemadmodum cum dixit Philosophus 1. Cæli 99. *quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extra cælum*; per illud, *Extra*, intelligi debet hic sensus negatiuus, vltra cælum non reperitur aliquis locus, qui dicitur, Extra, in quo sit aliquid. & ita negatiuè hoc explicat S. Thom. 2. con. gen. cap. 36. ad 6. *cum dicimus, tempus habet esse post non esse, intelligimus quod non fuit: aliqua pars temporis ante hoc nunc signatum: sicut cum dicimus, quod supra cælum nihil est, non intelligimus quod aliquis locus sit extra cælum, qui possit dici supra respectu cæli; sed quod non est locus eo superior.*

Tertia

11 *Tertia obiectio.*

Tertia ratio 8. Phys. 11. Nullum tempus est sine instanti. Sed quodlibet instans est finis temporis præteriti, & principium futuri, ergo semper erit tempus ante quodlibet tempus.

Respondetur, ex instanti temporis non probari illius æternitatem.

Respondeo, falsam esse minorem. Sicut enim in linea finita, vt exemplificat S. Thomas 2. con. gen. c. 36. ad 5. ponitur punctum initiatiuum lineæ, & non continuatiuum; ita poni potest in tempore momentum, finiti temporis initiatiuum. Præterea instans inter medium continuatiuum, quamuis continuet infinitas priores & posteriores partes proportionales, minores, & minores semper in infinitum, tamen continuare benè potest tempus prius simpliciter finitum cum tempore posteriori simpliciter finito.

12 *Quarta obiectio.*

Quarta ratio 8. Phys. 73. & 2. de generat. 56. *Idem & similiter se habens semper idem natum est facere.* Sed Deus, qui semper manet idem omnino immutabiliter, mundum effecit. Ergo semper ab æterno effecit mundum.

Respondetur, Deum immutabiliter creasse mundum de nouo.

Respondeo, maiorem intellectam in sensu minoris de actuali effectione, esse simpliciter falsam in causis liberis, cuiusmodi supponimus fuisse Deū in creatione mundi; qui ab æterno quidem, absque vlla intrinseca sui mutatione, liberè voluit producere mundum eo tempore, quo productus est: nec cum produxit, mutatus est, quia illa æterna voluntas semper eadem mansit; & per actum suæ omnipotentiæ exequutiuæ in tempore non factum est aliquid in ipso Deo, sed extra Deum ab ipso Deo. Cum enim vniuersaliter effectus causæ efficientis, eiusque actio possit esse transiens extra causam, sicut totalis effectus creationis non potest non esse transiens extra Deum creatorem, potest agens liberum semper in se manere idem, & non semper extra se effectum producere: quoniam hoc actu producere, non est per aliquid intrinsece receptum in agente, sed in termino producto extra agens. Et ideo S. Thomas 2. con. gen. ca. 35. initio negat vniuersalem hanc, *omne agens, quod non semper agit, mouetur per se, vel per accidēs.* quoniam inquit, *nouitas diuini effectus non demonstrat nouitatem actionis in Deo, cum actio sua sit sua essentia. Vnde neque nouitas effectus mutationem Dei agentis demonstrare potest.*

S. Thom.

13 *Soluitur quinta obiectio de motu circulari.*

Quinta ratio 8. Phys. 76. Motus circularis non habet initium. Ergo est æternus. Respondeo, si antecedens intelligitur de initio durationis, petit principium. Si de initio ex parte mobilis, & ex parte circuli, verum est; nam mobile circulare, siue circulus, non postulat ex natura sua, vt incipiat motus ex hac, vel illa parte, in hac vel illa duratione. Sed tunc, nullam esse consequentiam, constat, quia sequeretur, motum cuiuslibet pilæ rotundæ, qui eadem ratione certum initium non habet, esse æternum. Potest igitur quilibet motus circularis habere initium durationis per extrinsecam determinationem mouentis, quod liberè, quando vult, illum motum causat. Quamquam quod attinet ad Philosophi mentem, S. Thomas de Potent. q. 3. art. 17. ad 17. docet. *quod Aristoteles non probat ex circulatione motus, eius æternitatem; sed supposito quod sit æternus, ostendit quod est circularis, quia nullus alius motus potest esse æternus.*

Exponitur cum S. Thomas Aristotelis.

14 *Sexta obiectio de Cali loco Dei, soluitur.*

Sexta ratio 1. Cæli 22. Cælum, secundum communem omnium existimationem, est locus Dei. *Omnes enim homines eum, qui sursum est, locum Deo tribuunt, & Barbari, & Græci quicumque putant esse Deos, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit.* Ergo Cælum ab æterno semper fuit, sicut & ipse Deus.

Exponitur locus Ps. 18.

Respondeo negando consequentiam. Non enim Cælum est locus Dei, quasi Deus illo indigeat ad

conseruationem, vel ad habitationem: sed, vel quia inter creaturas visibiles nulla est, quæ magis Dei potentiam ac magnificentiam declaret; vnde est illud Ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*: vel quia in Cælo peculiariter suam gloriam beatis manifestat.

15 *Septima obiectio.*

Septima ratio 12. Metaph. 30. si Deus non creasset mundum ab æterno, fuisset aliquando causa agens in potentia, aliquando in actu. Ergo aliquādo non fuisset actus parus, expers omnis potentiæ.

Respondetur non esse inconuenientes. Deum non agere, sed esse in potentia agendi.

Respondeo, Deum semper fuisse; & esse purissimum actum, quia semper fuit, & est expers omnis potentiæ passiuæ, ac receptiuæ, quæ solum, cum sit ratio recipiendi in se aliquam perfectionem, & actū, contradicit puritati actus; nam potentia actiua, cum sit ratio communicandi aliis aliquam perfectionem, facit potius ad constituendam infinitam puri actus perfectionem. Quod vero Deus aliquando sit actu causa, nihil ponit in Deo, sed tantum creaturam & effectum in re à Deo. Dici quoque potest, ac debet Deus ab æterno fuisse in potentia actiua propinqua creandi mundum, si per potentiam propinquam intelligatur potentia, cui nihil deest, vt exeat in actum, quamuis non sequutus sit effectus, quod noluerit illum sequi ab æterno. In hoc sensu rectè ait, S. Thomas hic ad 9. *Deus ab æterno fuit sufficiens causa mundi: non tamen oportet, quod ponatur mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in prædefinitione suæ voluntatis, vt scilicet habeat esse post non esse, vt manifestius declaret suum authorem.* Quod etiam docuit 2. con. gen. c. 35. ad 3. si verò per potentiam propinquam intelligatur potentia ex qua statim effectus prodierit, dicendum non est, Deum ab æterno fuisse in propinqua potentia faciendi mundum, sed potius in potentia remota, nimirum ab effectu, non à completa; & sufficienti virtute faciendi. Quando autem factus est Deus actu efficiens, non est ipse mutatus de potentia in actum, sed est quodammodo mutatus mundus de non esse in esse, siue de statu possibilitatis in statum actualitatis. Deus vero non actu egit per aliquem nouum actum in se ipso, sed per actualem creationem mundi extra Deum.

S. Thom.

16 *Octaua obiectio.*

Octaua ratio 8. Phys. 48. Deus ex possibilibus facit id, quod est melius. Sed æternitas mundi est possibilis, vt inferius ostendemus, & longè melius est esse ab æterno, quàm esse in tempore; sicut enim præstat esse simpliciter, quam non esse simpliciter, ita præstat semper fuisse, quàm cœpisse esse post non esse. Ergo Deus mundum condidit ab æterno.

Respondetur explicando, An Deus semper faciat melius.

Respondeo, in maiori illud, *melius*, sumi posse dupliciter, primo pro eo quod est absolute optimū, & simpliciter præstātius, & sic maior vniuersaliter est falsa, cum supra omnes finitas species creatas; sint alię creabiles, perfectiores, & perfectiores in infinitum: & ipsæmet res, quæ creatæ sunt cum tāta determinata perfectione, fieri potuerint cum maiori perfectione: alioqui debuisset Deus creare omnes homines beatos, cum melius simpliciter sit homines esse beatos, quam miseros. Secundò pro eo, quod spectatis omnibus circumstantiis magis conuenit; & sic vera est maior, vt probaui in 2. tomo cum S. Thoma, quæst. 25. art. 6. sed falsa minor. Decuit enim mundum creari in tempore, quia ex noua mundi creatione magis elucet, Deum esse causam liberam, imo simpliciter Deum esse, & esse causam efficientem, & posse causare res immediatè ex nihilo, absque alterius adminiculo, neque vlla re indigere, sed se solo esse beatum, ac perfectum sine creaturis. Sic etiam creaturæ facilius agnoscunt dependentiam, quam in esse à Deo habent, & se omnino subiacere diuinæ voluntati, cum

Mundum congruentius fuisse factū in tempore.

sciant æterno tempore antea non fuisse, & mera Dei liberalitate; ac voluntate beneficium existentiæ accepisse. *Manifestius enim*, inquit S. Thomas hic ad 6. fin. & docet etiam 2. con. gen. cap. 3. ad 7. *Mundus ducit in cognitionem diuinæ potentiæ creantis, si mundus non semper fuit, quàm si semper fuisset. omne enim quod non semper fuit, manifestum est habere causam; sed non ita manifestum est de eo, quod semper fuit.* Quod si non æternitatis, sed antiquioris incœptionis causam cum Proclo apud Pererium lib. 15. Phys. cap. 4. initio curiosius inquiras nempe, cur si mundus cœpit esse, non prius posteriusvè conditus fuerit? dicendum est cum S. Thoma de Potent. quæst. 3. art. 14. ad 6. secundi ordinis, huius rei causam mortales latere. Sicut enim impium esset putare, Deum casu, seu fortuitò, & non sine optima ratione mundum in tali tempore determinato procreasse; ita temerarium est, rationem hanc intra diuinæ sapientiæ thesauros recóditam velle perscrutari. Alioquin ego ab Aristotele, aliisque gentilibus petam, vt bene instat S. Thomas supra, cur mundus, secundum ipsos ab æterno productus, non sit productus vno digito maior, vel minor? cur non plura, maioravè corpora procreata sint a Deo, & alia huiusmodi, quorum causas nemo verè nouit, nisi solus Deus rerum omnium artifex sapientissimus.

S. Thomas.

Cur mundus non fuerit prius factus.

Soluuntur aliæ Procli rationes.

Has rationes fusissimè ex Philopono proponit, & soluit Pererius loco citato. Nos referemus præcipuas, & quæ differunt à supradictis Aristotelis.

17 *Prima ratio.*

Prima ratio, si Deus ab æterno non communicasset suam bonitatem creaturis, ergo non fuisset ab æterno summè bonus.

Respondetur creationis nõ uitatem non esse contra æternam Dei bonitatem.

Respondeo Deum semper optimum fuisse. Neque enim de natura boni est, se actu communicare, alioqui Deus ab æterno, vel à principio facere debuisset omnes species, & indiuidua, & quidquid potest simpliciter facere; sed posse se communicare, siue esse communicatiuum, iuxta liberum beneplacitum sapientissimæ voluntatis suæ. Nam, vt docet S. Thomas de Pot. q. 3. art. 17. ad 1. soluens hoc ipsũ argumentum, *bonitatis proprium est, producere res in esse mediante voluntate, cuius est obiectum: vnde non oportuit, quòd quandocunque fuit diuina bonitas, res producerentur in esse, sed secundum dispositionem voluntatis diuinæ.* Primi autem ratio assumpti est; quia, vt docet S. Thom. supra q. 5. art. 1. initio, corp. & nos ibi exposuimus, *ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile, vnde Philosophus in 1. Ethic. c. 1. initio dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt: manifestum est autem, quod vnum quodque est appetibile, secundum quod est perfectum*; *nam omnia appetunt suam perfectionem.* Nihil igitur aliud est, Deum esse summè & infinitè bonum, quàm esse summè, & infinitè perfectum. Quoniam verò inter perfectiones simpliciter, ea est, vt possit agere, & aliquam perfectionem communicare; actu autem agere, & communicare; nullam dicit perfectionem ex parte communicantis Dei, sed solum ex parte creaturæ, cui aliquid communicatur: sic vt dicamus, de ratione summi boni, ac summè perfecti, non esse actu se communicare, sed ad huiusmodi actualem communicationem potentiam habere. Neque simpliciter perfectio est, ita posse efficere, vt non possit non actu efficere, & communicare; hoc enim esset necessariò, & absque libertate, ac delectu operari; quod cæteris paribus est imperfectum operandi genus. Neque fuit contra liberalitatem, creationis beneficium differre; etenim ad liberalem pertinet, ordinatè dare, non autem citò, & statim ac potest, dare, si beneficium differre magis conueniat.

S. Thom.

Conueniebat autem differri mundi creationem, vt supra, num. 16.

18 *Secunda ratio de mundi Idea soluitur.*

Secunda ratio. Idea mundi est æterna. Ergo mundus etiam æternus. Respondeo, consequentiam nullam esse. Patet ex ipsis hominibus, qui non statim atque Ideam habent, ideatum conficiunt. Non igitur necesse est, Ideam in omnibus ideato assimilari in essendo, alioqui sequeretur, mundum esse incorporeum, & immobile, quia talis est diuina mundi Idea, & imago Cæsaris esset viua, quia Cæsar est viuus; sed solum in repræsentando, qua ratione Idea mundi fuit temporalis; quia ab æterno repræsentabat mundum fabricandum in tempore, iuxta præscriptum, & consilium diuinæ sapientiæ.

19 *Tertia ratio.*

Tertia ratio, si Deus de nouo in aliquo temporis principio creasset mundum, esset mutatus; nam de potentia causandi venisset in actum causandi, de non creatore in creatorem de non faciente in facientem, de non volente mundum ab æterno in volentem mundum in tempore.

Respondetur ex Euclide argumẽtũ nõ seruare formam cõmutatæ proportionis.

Respondetur cum Durãdo, per nouã creationis actionem Dei non mutari.

Respondeo cum Durando 1. d. 8. 1. p. distinctionis q. 3. n. 9. Nouitatem secundum operationem transeuntem non arguere nouitatem operantis in se, sed hanc argui per nouitatem secundum operationem immanentem. Et ratio est, quia operatio transiens identificatur cum operato, immanés cum operante. Ergo nouitas transeuntis, arguit nouitatem operati, nouitas vero immanentis, nouitatem operantis. Hoc explicat Durandus aptissimo exemplo solis, qui, inquit, *si semper staret in hemisphærio nostro in eodem situ, & Luna suo motu quandoque interponeretur inter nos, & solẽ, sol quandoque non illuminaret nos, & quandoque illuminaret nos, & quandoque illuminaret de nouo, nulla facta mutatione in ipso. si etiam sol esset cognoscens & volens, & illuminare esset in potestate suæ voluntatis, tunc sol antiqua voluntate, & æterna, si æternam haberet, posset velle, & per consequens facere nouam illuminationem absque quacunque mutatione sui, nec quoad velle, quod potest esse antiquũ, & æternum respectu voliti de nouo producendi, nec quoad illuminare, quia nouum illuminare non ponit mutationem in illuminante vt dictum est.* Sic etiam Deus, cum agat per voluntatem, quæ est æterna, potest sine vlla sui mutatione res nouas extra se producere in prædefinito tempore. Quomodo autem Deus in ipsa æternitate absque vlla intrinseca mutatione factus sit liberè volens creationem mundi in tempore, cum posset contra fieri liberè nolens; & quam ob causam, si poneretur liberè volens de nouo in aliquo tempore, pateretur in se aliquam mutationẽ, tractatũ pluribus est suo loco in to. 2. q. 19. a. 3. & 7.

20 *Quarta ratio. Respondetur Deum ab æterno voluisse mundum in tempore.*

Quarta ratio, Deus semper ab æterno voluit mundum. Ergo semper ab æterno fuit mundus.

Respondeo, negando consequentiam, quia Deus semper quidẽ ab æterno voluit mundũ, tamen mũdũ in tempore, seu tẽporalẽ, non autẽ mundũ ab æterno, siue æternum. In antecedente igitur illud, *ab æterno*, siue æternitas, cadit subiectiuè supra diuinam volitionem, non supra mundum: sed supra mũdum, eiusque temporalitatẽ cadit tãtum obiectiuè, seu terminatiuè, in quantum terminus obiectus æternæ Dei volitioni fuit creare mundũ in tempore.

Auerroïs, aliorumque argumentis occurritur.

21 *Prima obiectio.*

Primo arguit 4. Phys. com. 1. quia ante nouam mundi generationem fuisset vacuum, hoc est, locus, in quo nunc est mundus, fuisset per æternitatem vacuus mundo.

Respondetur ex noua creatione nõ sequi vacuũ.

Respondeo, id non sequi: falso enim imaginatur Auerroes, totum mundum esse in aliquo loco, qui vacuus ante mundũ conditũ præcesserit ab æterno: nisi per locum intelligamus spatium imaginarium, quod

quod fuit æternum, & in quo productus est mundus in tempore. Sed hoc nihil ad rem: quia vt ex Philosopho benè probatur hic ad 4. vacuum non est spatium imaginarium, sed locus realis carens corpore: alioqui sequeretur, nunc etiam dari vacuum extra cœlum.

22 *Secunda obiectio.*

Secundò arguit, intendens probare, ab æterna & antiqua Dei voluntate non posse procedere temporaneum, ac nouum effectũ; quia vt se habet volũtas noua ad actionẽ nouã, ita voluntas antiqua ad actionem antiquam. Ergo à cõmutata proportione, sicut se habet volũtas noua ad actionẽ antiquã, ita volũtas antiqua ad actionem nouam; & è contra, sicut se habet voluntas antiqua ad actionem nouã, ita volũtas noua ad actionem antiquam: sed voluntas noua nõ potest esse causa actionis antiquæ. Ergo nec voluntas antiqua actionis nouæ: Ergo ab æterna Dei voluntate nõ nisi æternus effectus progredi potuit.

Respondeo, argumentum peccare in forma, & in materia. Primò enim non seruat formam commutatæ proportionis, quæ, vt docet Euclides l. 5. definitione 12. *est sumptio antecedentis ad antecedentem, & consequentis ad consequentem.* v. g. sicut se habent duo ad sex, ita quatuor ad duodecim. Ergo commutando, sicut se habent duo ad quatuor, ita sex ad duodecim. Auerroes verò sumpsit antecedẽs prioris proportionis cum consequente posterioris, & antecedens posterioris cum consequente prioris: sumpsit enim voluntatem nouam, quæ erat antecedens, cum actione antiqua, quæ erat consequens; & voluntatem antiquam cum actione noua, quæ etiam erant antecedens, & consequens. Quod genus argumentandi captiosum est; vt si quis ex prædicta numerorum proportione vellet deducere, ergo ficut se habent duo ad duodecim, ita quatuor ad sex; ex vero antecedenti falsum concluderet, ac proinde ex mala consequentia. Concludere igitur in forma debebat Auerroes, ergo sicut se habet voluntas noua ad voluntatem antiquam, ita actio noua ad actionem antiquam, ex quo nihil planè contra Catholicam sententiam concluditur.

23 *Idem argumentum peccare in materia.*

Præterea esto argumenti forma bona sit, & spectemus tantum materiam propositionum, adhuc nihil valet; quia cum commutando in primo consequente dicitur, ergo sicut se habet voluntas noua ad actionem antiquam, ita voluntas antiqua ad actionem nouam; distinguendum est de voluntate antiqua: Si enim per hanc intelligas voluntatem, quæ iam non est, sed fuit, & esse desiit, quomodo dicitur antiqua actio, quæ nimirum præteriit, & amplius non est; tunc bona est proportio, & benè concludit, neque voluntatem nouam, hoc est, quæ nũc esse cœpit, edere posse actionem antiquam, hoc est, quæ iam fuit, sicut aliquis per voluntatem nouam hodiernam non potest producere ambulationem, quam fecit anno præterito; Neque voluntatẽ antiquam, hoc est, quæ iam non existit, elicere posse actionem nouam, hoc est, quæ nunc esse incipit: hoc enim modo semper eadem ratione sumuntur nouum, & antiquum, siue coniugantur cum actione, siue cum voluntate. Quod si per antiquam voluntatem, intelligas voluntatem, quæ antea fuit, & nũc etiam omnino immutabiliter perseuerat, negari debet proportio, & id quod ex illa deducitur. Potest enim voluntas antiqua, nunc existens, nunc producere effectum nouum; quamuis, vt sumit Auerroës, non possit voluntas noua producere effectum antiquum, siue existentem, siue præteritum. Nulla enim noua causa ferri potest, vel in id, quod iam factum est, vel in id, quod esse desiit: potest autem causa nunc actu existens, licet antiquissima, & æterno tempore præcesserit, facere effectum, qui nunquam antea esse habuerit.

24 *Tertia obiectio.*

Tertiò arguit, si mundus est factus in tempore, ergo antè præsupponitur fuisse tempus. Præterea tempus ipsum incœpit; vel ergo incœpit in tempore, vel in instanti temporis. Semper igitur ante tempus, dabatur tempus.

Respondetur explicando, quo sensu dicantur mundus & tẽpus fieri in tempore.

Respondeo, cùm dicitur mundus, & tempus, fieri in tempore, significare tantum volumus, non fuisse ab æterno, sed de nouo incœpisse. Mundus enim incœpit in aliquo certo instanti, quo eius productio noua mensurata est; & immediatè post sequutum est tempus diuisibiliter. Quare illud instãs, in quo factus est mundus, non fuit propriè instans temporis, quia nullum tunc dabatur tempus; sed durationis, alterius generis. *Et sic*, inquit S. Thomas de pot. q. 7. art. 17. ad 25. *nihil prohibet dicere, quod tempus incipit in instanti esse.* Modò scilicet, hoc instans non dicatur terminus intrinsecus temporis, sed extrinsecus: quoniam tempus est essentialiter aliquid successiuum, ac diuisibile; & consequenter, intrinsecè incommensurabile cum instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili.

25 *Quarta obiectio.*

Arguunt quartò alij apud S. Thomam de pot. q. 3. art. 17. argumento 10. & in hoc art. init. ita dilucidè proponitur obiectio: *Omne quod incœpit esse, antequam fuerit, possibile fuit ipsum esse, alioquin impossibile fuisset ipsum fieri. Si ergo mundus incœpit esse, antequam inciperet, possibile fuit ipsum esse.* Ergo ante mũdum dabatur potentia mundi. Ergo & subiectum huius potentiæ, quod est mundus. Ergo antequam fieret mundus, iam erat mundus.

Respondetur eũ S. Thom. declarando possibilitatẽ mundi ante mundum actualem.

Respondet optimè S. Thomas, ante mundum, fuisse mundum possibilem, non per potentiam aliquam passiuam ipsius mundi realiter existentis, sed tum primò per potentiam actiuam Dei, præexistentis æterna duratione ante mundum; tum secundò *ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant*: hoc est, ex non repugnantia *terminorum huius propositionis, Mundus est*; vt magis explicat in primo loco. Ipse enim Philosophus 5. Metaphys. 17. docet, *quædam dici possibilia secundum potentiam, quædam possibilia, non secundum potentiam.* Idemque respondet S. Thomas 2. cont. gent. c. 37. ad 3.

26 *Quinta obiectio.*

Arguere etiam quintò posset aliquis ex dicto Augustino lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 15. init. *Ego quidem Dominum Deum, aliquando Dominum non fuisse dicere non audeo.* Sed Dominus habet seruum sibi subiectum. Ergo si semper & ab æterno Deus fuit Dominus, semper & ab æterno fuit creatũ seruiens.

Respondetur exponẽdo dictum Augustini de Deo semper Domino.

Respondeo cum S. Thoma de pot. q. 3. art. 17. ad 21. quòd si relatio dominij, vel denominatio Domini, sumatur vt consequens actualem creationem, & gubernationem creaturarum, Deus non fuit Dominus, nisi in tempore, vt idem Augustinus expressè, & indubitanter asseruit lib. 5. de Trinit. cap. 16. per totum, quem refert, & ad verbum sequitur Hugo Victorinus in summa sentent. tract. 1. c. 16. circa fin. Si vero sumatur vt consequens ipsam potestatẽ creandi, & gubernandi, seu dominandi, quæ potestas semper est intrinsecè in ipso Deo, dici potest Deus Dominus ab æterno. Nec, propter hoc, inquit S. Thomas, *oportet creaturas ab æterno ponere, nisi in potentia.* Neque Augustinus dubitauit de creaturarũ existẽtia ab æternitate, sed solũ de denominatione Creatoris ac Domini, an esset temporalis tantum, sumpta à creatione temporali, an vero esset æterna, vt placet Athanasio, & Cyrillo, citatis supra q. 27. art. 1. num. 66. sumpta ab æterna potentia creandi, & dominandi actualiter, vel in tota æternitate, vel saltem in antecedente duratione priori, & priori semper in infinitum legi possunt, si placet, quæ de hac re scripsimus in primo tomo q. 13. art. 7.

Hugo Victorinus.

ARTICVLVS II.

Vtrum mundum incœpisse sit articulus fidei.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod mundum incœpisse non sit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Tota articuli doctrina diuiditur in quinque dicta. num. 1. ad 5.*
2 *An fidei articuli possint demonstrari. n. 1.*
3 *An creatio in genere pugnet cũ æternitate. n. 5. ad 42.*
4 *An æternitas repugnet creaturæ permanenti. n. 42. ad 47.*
5 *An motus finitus, & motus localis rectus esse possint ab æterno. n. 47. ad 54.*
6 *An dari possit ab æterno motus localis circularis. n. 54. ad 83.*
7 *An implicent rerum generationes ab æterno. n. 83. ad fin. artic.*

1 *Articuli doctrina diuiditur in quinque dicta,*

QVæ in toto hoc articulo habentur, in quinque præcipua dicta distingui commodè possunt. Primum, Mundum incœpisse, & nullã simpliciter creaturam, vt extenditur vltimis verbis articuli, fuisse factam ab æterno, esse articulum fidei: quod ostensum satis est supra art. 1. num. 1.

An fidei articuli demõstrari possint.

Secundum, Nullũ fidei articulũ posse demonstrari: quod dici videtur in argumento, *sed contra*. Verum qua ratione id intelligendum sit, & quam veritatem habeat, non semel in superioribus explicatum est, vt in primo tomo q. 2. art. 2. n. 13. ad 16. & in hoc tomo 3. q. 45. art. 2. n. 28. & in hac quæstione 46. art. 1. num. 7. Alioquin in hoc ipso art. 2. ad 1. docet S. Thomas, quod nos citata q. 2. art. 2. & 3. abundè præstitimus, demonstrabile esse, mundum fuisse simpliciter factum à prima aliqua causa, quam nos Deum vocamus; & nihilominus omnes fideles credimus Deum factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et ad 8. posita opinione S. Thomæ de impossibilitate animarum infinitarũ, conceditur esse demonstrabile, quod mundus cum humanis generationibus non fuerit ab æterno, quia præcessissent infiniti homines, ex quibus habentibus singulas animas multiplicatas, & immortales, remansissent iam animæ simul actu infinitæ; quod Thomistæ putant, posse euidenter demonstrari esse impossibile: & tamen non solum totum mundum, sed etiam ipsum hominem, humanámque generationem incœpisse, diuina fide credimus. Vnde prudenter Caietanus hic circa fin. ita suos monet, *cauti sint Thomistæ in concedendo, mundum potuisse esse ab æterno. Concedant mundum quoad substantiam, cõstantem ex quinque corporibus simplicibus. Concedant mũdum etiam quoad motum cœli, & generationes omnes, præter humanam. Ineuitabile enim est, quin sit infinitum in actu.* Et ideo vult demonstrabile esse, mundum non fuisse ab æterno, sed incœpisse in tẽpore, facta simili suppositione, quam nos fecimus sup. art. 1. n. 5. & 6. si, inquit, in fine Commentarij, *de possibilitate productionis mundi talis, qualem videmus, est sermo:* nimirum cum semper continuata hominum generantium, generatorum successione; quoniam, vt idem Caiet. ex mente S. Thomę paulò ante concesserat, *hominem incœpisse est demonstrabile*; & tamen hoc est etiam fidei articulus. Ergo hoc secundum dictum, de fidei articulis indemonstrabilibus, accipi non potest vt vniuersaliter verum.

Caietanus.

2 *An in causis detur processus in infinitum.*

Tertium, in causis efficientibus, requisitis per se ad effectũ, non posse dari processum in infinitum; vt latè probaui in tomo 1. q. 2. art. 3. dub. 5. posse verò dari processum in infinitũ in causis efficientibus, requisitis per accidens ad effectũ, sicut ad hoc vt vnus homo generet filium, per accidens se habet vt ipse etiam sit generatus à patre, quoniã etiã si non esset simpliciter generatus, sed aliter factus per creationẽ, vel si non existeret nunc pater à quo generatus est, adhuc nunc eodẽ modo, eundémq; filiũ gignere posset. Ita ad 7. quod à nobis inferius in propria dubitatione examinabitur: & tactum etiam est tomo 1. q. 2. art. 3. dub. 2.

3 *De generationibus humanis ab æterno.*

Quartum, si demonstrabile est implicare infinitã actu multitudinẽ rerum simul permanentium, demonstrabile consequẽter esse, implicare mundũ ab æterno cũ æterna generatione hominũ; quia cum animæ nostræ sint immortales, & in singulis hominibus multiplicatæ, necessariò sequeretur in quolibet tẽpore, anteriori, & anteriori in infinitũ existere simul animas infinitas actu. Ita ex S. Th. & Caiet. hic ad 8. Verum quia absolutè loquendo, vt ostensum est sup. q. 7. art. 3. & 4. infinita multitudo, præsertim huius generis, nempe rerũ spiritualium, non implicat, nã vt olim ad hoc ipsum argumentum soluẽdum optimè scripsit ipsemet S. Thom. opusc. 27. de æternitate, in fin. *adhuc nõ est demonstratum, quod Deus non possit facere, vt sint infinita actu*, & l. 2. cont. gent. c. 38. non longè à fine refert, & non confutat. quòd *quidam pro inconuenienti non habent, quòd sint aliqua infinita actu in his quæ ordinem non habent*; nulla ex hoc capite duci potest demonstratio ad probandam implicantiam mundi æterni, etiam quoad generationes humanas æternas.

S. Thom.

4 *Quæst. mens S. Thomæ in hoc articulo.*

Quintum, & vltimũ dictum, quod potissimum in toto hoc articulo intenditur, & vberem disputandi materiã præbet sequẽtibus dubitationibus, nõ posse demonstrari simpliciter, totum hunc mundũ, excepto homine, incœpisse in tẽpore: & ideo quamlibet creaturã, siue permanentẽ, siue successiuã; siue spiritualem, & natura sua incorruptibilem, siue corpoream & corruptibilem, posse esse ab æterno. Mentẽ enim S. Th. esse non solũ negatiuam, in quantũ asserit, non posse afferri vllã rationem necessariam, ac demonstratiuã contra possibilitatẽ æternæ creationis mundi, quia manifestè soluit omnes implicãtias, exceptas illa de homine ad 8. sed esse etiam positiuã; affirmãdo positiuè possibilẽ esse mundum ab æterno, ex eo quod per nullam necessariam, & nõ solubilem rationẽ demonstrari potest contrarium; patet primò, quia hic est sensus omnium planè Thomistarum. Vnde Caiet. sup. hunc sensum positiuũ, & affirmatiuum manifestè exprimens, dixit, *Cõcedant Thomistæ mundum potuisse esse ab æterno quoad substãtiam, quoad motum cœli, & generationes omnes præter humanam.* Secundò, quia hic ad 7. dicitur, *Non est impossibile, quòd homo generetur ab homine in infinitum.* & ad 8. *Posset dicere aliquis, quòd mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, vt Angelus; non autẽ homo. Nos autẽ intendimus vniuersaliter, an aliqua creatura fuerit ab æterno.* Et 2. d. 1. q. 1. art. 5. corp. §. *Tertia positio*: cùm retulisset aliquos dicentes, *quod Deus potuit res ab æterno produxisse*; subiunxit; *huic positioni cõsentio.* & ad 3. secundi ordinis ait, *Infinitum esse per successionem non est impossibile*, & statim explicat, se loqui etiam de infinito *ex parte anteriori*. Igitur absq; vllo dubio S. Thomas, & Thomistæ omnes sentiunt, creationis conceptũ stare posse cum cõceptu æternitatis sine vllo durationis principio, ac proinde possibilẽ esse ab æterno aliquã creaturam, saltẽ naturã sua permanentem, & incorruptibilem. Item sentiunt, esse etiam posse ab æterno creaturas alias permanentes, natura sua defectibiles; vnũ quoque continuum motũ, & tempus: plures etiã, & infinitas mutationes, cõtinuò sibi inuicẽ succedẽtes in infinitum absque vlla prima quæ omnia, multum quidẽ diffi

Caietanus.

difficilia & cõtrouersa, ad maiorẽ omnipotentis Dei gloriam, quantũ ipsemet imbecillitati meæ donare dignabitur, pro viribus explicare ac tueri conabor. In quo sanè negotio infinitatis refertissimo, minus laborandum nobis erit, qui tomo 1. q. 7. art. 3. & 4. infinitatẽ cũ omnibus ferè creaturis misceri posse probauimus. Enim vero cũ Thomistis negare omne actu infinitum in rebus permanẽs, & simul affirmare infinitam durationem creatam permanentem infinitum motum, infinitum tempus; infinitas generationes rerum corruptibiliũ, mihi visum semper est durissimũ ad intelligendũ, vt pluribus notaui loco cit. dub. 12. n. 3. & prudẽter scriptũ reliquit doctissimus, atque Illustrissimus Cardinalis Toletus. 8. Phys. q. 2. ratione 5. illis verbis, *negare infinitum posse à Deo fieri, & cũ hoc, mundũ posse æternũ fuisse, vix capi potest.*

Toletus.

DVBITATIO I.

An Creatio vt Creatio pugnet cum æternitate.

S V M M A.

1 *Proponitur conclusio negatiua, & referuntur authores, & aduersarij. n. 5. ad 8.*
2 *Probatur concl. authoritate, & rationibus n. 8. ad 18.*
3 *Quomodo creatura æterna fieret de nõ esse. n. 16. & 17.*
4 *Sanctos Patres nõ esse contra conclusionẽ. n. 18. ad 26.*
5 *Æternitatem non pugnare cum non esse creaturæ. n. 26. ad 29.*
6 *Æternitatem non pugnare cum contingentia creaturæ. n. 29. ad 34.*
7 *Qua ratione creatura produceretur, & conseruaretur in æternitate. n. 34. ad 40.*
8 *Æternitatem non pugnare cum mutabilitate creaturæ. n. 40. & 41.*

INquirimus de creatione, & consequẽter de creatura, in genere, & simpliciter, infra vero de creatione rerũ permanentiũ, & successiuarũ in particulari: quibus tandem manifestum manebit, qua ratione hic mundus & quæ in illo sunt, fieri per diuinam potentiam ab æterno potuerint.

5 *Conclusio negatiua eiusque authores.*

Vnica cõclusio negatiua, quæ in virtute dicit, potuisse Deũ sua infinita æternaq; omnipotentia aliquid extra se creare ab æterno. Est sententia multo communior, quã opposita ita vbiq; S. Th. vt notaui n. 4. & in hoc art. vbi Caiet. Bagnes, Nazar. & 2. con. gen. c. 38. vbi Ferrar. & 2. d. 1. q. 1. ar. 5. vbi Heruæus, Capreol. Hispalens. & opusc. 27. de æternitate, vbi aliquanto post principium dicit, *quod si in his duobus, quod aliquid sit causatũ à Deo, & tamen semper fuerit: non est repugnantia intellectuũ, nõ solum est falsum, sed etiã est impossibile aliter esse, & erroneũ si aliter dicatur:* nimirũ, nõn posse Deum facere aliquid, quod tamẽ semper fuerit, idq; optimè probat, ita cõtinuo subiungens; *Cum enim ad omnipotẽtiam Dei pertineat, vt omnẽ intellectum, & virtutẽ excedat, expresè omnipotẽtiæ derogat, qui dicit aliquid posse intelligi in creaturis quod à Deo fieri non possit.* Et de potẽtia q. 3. ar. 14. vbi cũ circa fi. corp. ait, *dici non potest, quod aliquid à Deo procedens, in essentia diuersum potuerit semper esse*, non est contra id, quod antea dixerat pro hac conclusione; quia non loquitur absolutè, sed, vt ipsemet expresè limitat, *supposita catholicæ fidei veritate*; seu vt explicat vltimis verbis corp. *per suppositionẽ cõtrarij, quam fides docet.* Quod enim à Deo fit in tẽpore, & nõ fit ab æterno, vt de quauis re creata docet fides, est omnino impossibile vt semper fuerit. Eandẽ cõclusionem tenent etiam Ioann. de Neapoli in opere Quæstionum variarum, q. 23. Soncinas 22. Metaph. q. 31. quamuis addat, pro neutra parte esse rationes conuenientes; & ideo vtriusque partis rationes soluat. Sotus 8. Phys. q. 2. & alij omnes Thomistæ.

S. Thomas & Thomistæ omnes.

Præter Thomistas idem sequũtur Ægidius 2. d. 1. p. 1. q. 4. ar. 2. soluens omnes implicantias. Quamuis in fin. quæst. ita se explicet, *quia multa sunt vera, quæ demonstrari non possunt, & multa sunt demonstrabilia, ad quæ nondum inuentæ sunt demonstrationes; ideo non tenemus, quod mundus potuerit esse ab æterno, nec quod non possit demonstrari; sed quod rationes ad hoc factæ nõ videntur nobis esse demonstrationes.* Et idẽ dixerat in corpore, Ocham. q. 8. quãuis enim initio dicat, *quod vtraq; pars potest teneri, & neutra potest sufficiẽter reprobari*; tamen in partẽ de possibilitate mũdi ab æterno, adeò propendet, vt eam absolutè tenere dici possit; nã omnes contrarias rationes diligẽter soluit; sednõ nullas rationes pro possibilitate proponit circa fi. q. & non soluit. Imo post propositas primas rationes; ita cẽset, *rationes in cõtrariũ possunt faciliter solui, ita quod satis facerẽt audiẽtibus. Et ita dico quod si Deus potest facere quidquid nõ includit contradictionẽ potuit Mundũ fecisse ab æterno.* Et ideo eius sectator Gabr. 2. d. 1. q. 3. in sua conclusione responsali ait, *Probabilius est tenere; quod Deus potuit mũdũ creasse ab æterno.* Durand. 2. d. 1. q. 2. loquens tantũ de creatione rerũ permanentium. Rubion. q. 6. ar. 3. vbi post med. ait, se loqui etiã de successiuis. Baccon. q. 6. tota per tres art. Ariminens. q. 3. ar. 1. de aliqua creatura in genere, & art. 2. *de toto mundo secundum modum, quo nũc est, & fuit ex quo esse incœpit.* Argẽt. q. 2. ar. 2. loquẽs etiã de toto mundo similiter. Bassol. q. 5. ar. 3. memb. 2. Carthus. q. 4. col. 20. in §. *nunc restat* sequens S. Th. in omnibus. Maior 1. d. 44. q. 3. in probatione 1. cõcl. & 2. d. 1. q. 3. de æternitate creaturæ permanẽris. Et q. 4. de æternitate creaturæ successiuæ & 3. d. 13. q. 3. in probat. 1. concl. Palot. 2. d. 1. disp. 2. conc. 4. Perer. l. 15. c. vlt. Mol. sup. q. 10. art. 3. concl. 2. & q. 45. art. 1. obiter in §. *Iuxta* fi. Suar. in Metaph. d. 20. sect. 6. tota. Vazq. hic d. 177. c. 3. Conimbricens. 8. Phys. c. 2. q. 6. Masius 8. Phys. q. 10. 11. & 12. Valentia hic punct. 2. dicens in assertione 2. totum mundum potuisse esse ab æterno si naturalis ratio spectetur; sed in assertione. Tertia vult, nihil omnino posse creari ab æterno si spectetur authoritas sanctorum, & assertione prima absolutè posuerat, entia successiua pugnare cum æternitate. Scotus etiam 2. d. 1. q. 3. & Scotistæ idem defendunt, sed problematicè, defendendo etiam probabiliter contrariũ. Verum huiusmodi problematicas defensiones, cũ quæstio est de absoluta Dei potẽtia, minus cõueniẽter à Theologis suscipi, aduertimus in p. to q. 7. ar. 3. dub. 12. n. 2.

6 Ægidius. Ochamus. Gabriel. Durandus. Rubionensis. Bacconus. Ariminensis. Argentina. Bassolus. Carthusianus. Maior. Palotius. Pererius. Molina. Suarez. Vazquez. Conimbricenses. Masius. Valentia. Scotus.

In contrarium verò sunt nonnulli graues, & veteres Authores; nam vt testatur Ariminensis 2. d. 1. q. 3. init. *dicitur à multis solemnibus Doctoribus, quod non fuit, etiam per diuinam potentiam, possibile, aliquã rem, aliam à Deo, fuisse ab æterno.* quos Doctores propriis eorum verbis refert Carthusianus 2. d. 1. q. 4. & postea in col. 15. ita colligit, *Albertus, Bonauentura, Petrus de Tarantasia, Riccardus, Vdalricus, Henricus, concorditer tenent, impossibile esse, creaturam ab æterno fuisse productam. Quibus & Alexander consentire videtur.* Consentit etiã Gaufredus apud Ochamum 2. q. 8. init. item Marsilius 2. q. 1. art. 2. circa fi. à §. *hic consueuit.* Toletus 8. Phys. c. 2. q. 2. & refertur etiam Philoponus cap. 3. eius libri, quod respondet argumentis Procli pro actuali mundi æternitate.

7 *Et aduersarij.*

Conclusionis probationes.

Prima probatio sumi potest ab authoritate Philosophi aliorumque veterum philosophantium; itẽ Auerrois, Auicẽnæ, Alexandri, Simplicij qui quamuis errauerint in actuali positione creationis æternæ, quæ est contra fidem; tamen in æterna creatione possibili quæ non est fidem, sed ad liberam,

8 *Authoritas Aristotelis, & Peripateticorum.*

&

& mere speculatiuam controuersiam spectat, nullam iudicarunt esse repugnantiam; &, vt scripsit S. Thomas opus. 27. de æternitate post medium, *mirũ est quomodo nobilissimi Philosophorum hanc repugnantiam non viderunt, qui posuerunt mundum sẽper fuisse & nihilominus eum a Deo factũ, nihil de hac repugnantia intellectuum sentientes. Ergo*, inquit, *illi qui tam subtiliter eam percipiunt, soli sunt homines, & cum eis oritur sapientia.* Quibus non obstantibus scripsit deinde Durandus 2. d. 1. q. 3. ad 3. *quod Aristoteles, ponẽdo mundum æternum, erravit non solum contra fidem, sed etiam contra rationem naturalem.* Sed prudentius scripsit Ioan. de Neapoli supra, pun. 4. rat. 3. fi. *si aliquid esse factum à Deo, & esse æternum, contradictionẽ, & repugnantiã importaret, Philosophi tam præclari ingenio, & vigentes intellectu, qui cæteros nobilitate atque authoritate vicerunt, vt August. dicit 10. de Ciuitate c. 5. nequaquã hoc posuissent, seu intelligere potuissent.* Accedit August. authoritas, quam afferunt Th. sup. Bassol. loc. cit. §. *istæ rationes.* nã lib. 6. de Trin. c. 1. init. docens, stare simul posse in Deo, *natũ esse; & sẽpiternũ esse*; id ita explicat, *sicut splẽdor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, cœuus est illi; & esset cœternus, si esset ignis æternus.* Ex hac August. conditionali, si creatura, habens necessariam agendi vim, esset ab æterno, illa vtique ab æterno ageret; deducitur absoluta nostra conclusio, ergo multo maiori ratione Deus, de quo constat esse ex se æternum, & habere omnino infinitã, æternamq; agendi virtutẽ, posset, si vellet, ab æterno agere quã argumentationẽ pluribus; & optimè prosequitur Ariminensis 2. d. 1. q. 3. art. 1. con. 3. *constat*, inquit, *quod consequentia Aug. nõ tenet nisi virtute huius propositionis, posita causa sufficiente, naturaliter actiua, cũ cæteris necessario requisitis, simul ponitur actio. Cum igitur non minus ex positione liberæ causæ totalis, absq; defectu alicuius requisiti ad agendũ, inferatur possibilitas actionis pro tunc; quã ex positione causæ naturalis causatæ, inferatur actualitas, seu actualis positio actionis eiusdẽ, imò magis, loquẽdi de necessitate simpliciter, cũ nulla talis sit causa totalis, quinimo oportet cõcurrere superiorẽ causã, scil. Deum libere agentẽ cuius concursũ supponit Aug. in sua cõsequẽtia, & sic est necessaria; alias nõ valeret; cum inquã, ita sit, patet quod non minus est vera hæc propositio, posita causa totali libera & potest poni simul eius actio. Nec minus apud August. hæc consequẽtia, si voluntas creata fuisset ab æterno cũ cæteris requisitis ad volendũ, possibile fuisset, eius volitionẽ esse cœternã, esset necessaria, quam illa quã facit.* & l. 10. de Ciuit. c. 31. med. refert, quosdã Platonicos sententiã de mũdo æterno, & nihilominus facto à Deo, ita explicasse, *sicut enim inquiunt, si pes ex æternitate semper fuisset in puluere, sẽper ei subesset vestigium; quod tamẽ vestigiũ à calcante fastiũ nemo dubitaret, nec alterum altero prius esse, quãuis alterũ ab altero factum esset: sic. inquiunt, & mundus, atq; in illo Dij creati, & sẽper fuerunt, semper existente, qui fecit, & tamẽ facti sunt.* Quam explicationẽ, nimirũ, vt bene notauit Bassolus supra, priori de igne, & splendore, quæ Aug. est, *omnino similem*, Aug. nõ improbat, tametsi sententiã, fidei contrariã impugnet. Ergo illam probare censendus est: quia, vt prudẽter expendit S. Th. supra, *nunquã dicit Aug. hoc non posse intelligi, sed alio modo procedit contra eos: & multis rationibus impugnat æternitatẽ mundi in 11. & 12. de Ciu. hanc autẽ viam omnino prætermit.* Ex hoc igitur 2. exẽplo de pede, & vestigio, tanquã Aug. argumentari etiã possumus, vt supra ex primo exẽplo de igne, & splendore. Præterea 11. de Ciu. c. 14. paulo ante medium ait, mundũ æternum à Platonicis ita poni, *vt modo quodã vix intelligibili semper sit factus.* Non dixit, modo quodã intelligibili, aut impossibili, sed solum *vix intelligibili. Igitur*, inquit Bassolus sup. *modo simpliciter intelligibili, & consequens modo possibili, non implicante contradictionẽ, licet vix intelligibili*; nimirum, vt acutè obseruauit Ioan. de Neapoli supra, propter multas, & graues difficultates, quas in sequentibus subiiciemus.

S. Thom. Durandus. Ioannes de Neapoli. Authoritas August. Bassolus.

9. Secunda probatio sumitur à ratione, quia si distinguantur, & attentè considerentur omnia, quæ in creatione sunt, nullũ in ea solidũ implicãtiæ caput apparere potest, vi cuius cũ æternitate pugnet. Igitur in creationis natura, superius explicata, ac probata, quatuor omnino considerari distinctè possunt Primo, causa efficiens, quæ est Deus. Secundo, ipsa productio simpliciter, Tertio, productio ex nihilo. Quarto, terminus ad quem creationis, qui est creatura. Ergo si repugnaret æternitas creationi, deberet vtique repugnare ratione alicuius ex his quatuor. Nullius autem ratione repugnat.

Prioritas naturæ.

10 *Creationem æternam non implicare primo ex parte Dei.*

Nõ primo ex parte Dei creatoris. Enimuero Deus est æternus; & sẽper habuit potentiã infinitã, quæ secundum rigidiorẽ sententiã ad creandum requiritur; & ad actu agendum statim ac agendi potentiã habet, & consequenter, ad actu agendũ ab æterno, est ex se sufficientissimus, nullo indigẽs, à nullo dependens, nullũ prorsus impedimentum habens. Dices primo impedimentũ esse, quia causa efficiens debet duratione præcedere suum effectũ. Sed cõtra primo, quia vt arguunt S. Th. de pot. q. 3. ar. 13. & 14. & communiter alij eiusdẽ conclusionis authores. ex fide habemus, Deum patrẽ verè produxisse ac generasse ab æterno Deum Filiũ. Ergo si nõ implicauit, generans, & genitum, esse simul coæterna; neque etiam implicabit, causã efficientẽ posse esse coæternã cum suo effectu. Si enim, inquit S. Th. citato art. 14. circa med. corp. *hoc, quod est esse ab alio*, nimirũ idem in essentia vt in diuinis, *nõ repugnat ei, quod est semper esse*; nec id repugnare debet propter diuersitatẽ in substãtia: quia, inquit, *per hoc quod additur, in substantia diuersũ, nulla repugnantia, absolutè loquendo, datur intelligi.* Imò facilius percipimus, sẽper produci personam, & simul cũ persona produci etiam substãtiã, vt contingeret in re ab æterno creata; quã semper produci personam cũ substantia omnino improducta; vt in diuinis: vbi principium producens ad intra est persona, non essentia; principiũ verò producens ad extra, est essentia, non persona, vt supra q. 45. ar. 6. quo posito Durandus 2. d. 1. q. 2. n. 9. ita bene suadet intentũ, *Nõ minus est potens essentia diuina, quam persona. Sed persona diuina potest aliã personam diuinã cœternam producere, sicut & produxit. Ergo essentia diuina potest aliam essentiã sibi cœternam producere; non nisi creando. Ergo &c.*

Durandus.

Agens nõ necessariò præcedit effectũ duratione.

11. Secũdo idẽ impedimẽtũ omnes efficaciter impugnãt ex ipsismet naturalib. agentibus, in quib. cõstat, multas causas non præcedere duratione effectus, sed statim ac sũt, esse etiã effectus productos; in eodem enim instãti sunt ignis & splẽdor, sol & lumẽ, pes in puluere, & vestigium, & id genus alia. Cum igitur sol v. g. vt illuminet, nullã durationem, ne indiuisibilẽ quidẽ, expectare debeat nõ illuminando, cur Deus omnipotens, & infinitus, & omnino independens in potentia agendi, æternã durationẽ expectare necessariò debeat, nihil agendo, vt postea agat? Alioquin, vt arguũt S. Th. & Durandus supra, minus potens videretur dicẽdus Deus, quã creatura; cũ non possit Deus, statim ac est causare effectũ, sicut causat creatura. Neque his obstat Philosophus l. 12. Met. t. 16. vbi inter causã efficientẽ, & formalẽ id ponit discrimen, quod forma simul sit cũ suo effectu, nempe, compositò; efficiens verò sit ante suum effectũ; non enim vult aliud, nisi formã corruptibilẽ non posse naturaliter existere non existẽte composito; quoniam cum hæc forma non possit natu

Exponitur Aristoteles 12. Metaph. t. 16.

naturaliter existere nisi in materia, & existẽte forma in materia, existat cõpositum, sit vt forma numquã existat sine cõposito. At vero efficiens naturaliter existit, & tamẽ potest illius effectus, nõ existere, vt existẽtes homines multa possunt efficere, quæ tamen non efficiũt. Quãuis non sit necessariũ, semper causã efficiẽtem existere secundũ prioritatẽ durationis ante suũ effectũ, vt patet in causis omnino naturalibus, & non impeditis. Omnis tamẽ causa præcedit natura suum effectũ, ex qua præcedentia non licet colligere existentiam causæ in aliquo priori sine existentia effectus, sed solum dependentiam effectus à causa, & independentiam causę ab effectu: prioritas enim & posterioritas naturæ, vt cum Durando notaui sup. q. 45. art. 3. n. 22. non dicuntur per ordinem ad entitatem, & nõ entitatem simpliciter, vt contingit in prioritate & posterioritate tẽporis, ac durationis; sed solum per ordinẽ ad entitatem independentẽ ac dependentem.

12 *Libertas in agendo non impedit creationem æternam.*

Soluitur eũ Heruæo, Durando, & Capreolo instantia Henrici, & Scoti.

Dices 2. Deus est ad extra agens liberum. Ergo, si non vt agens simpliciter, saltem vt liberũ agens debet necessario præcedere duratione suum effectum. Sed hoc etiam nõ esse necessarium patet, Primò quia vt arguunt S. Th. hic ad 3. & cit. opusc. Ariminensis 2. dist. 1. q. 3. ar. 1. conc. 3. & Durandus q. 2. n. 22. tunc agẽs liberum, & ex electione anteire debet effectũ, cum ita eligit, vt indigeat deliberatione, & consultatione, vt inuestiget quid agendum sit; vel cum per nouam voluntatem agit, ita vt de nõ volẽte fiat volens, vt contingit in creaturis. Hic autem liberè agẽdi modus, à sapientissima simplicissimaq; æterni Dei intelligentis ac volentis natura est omnino alienus. Secundò sumo argum. Durandi ibid. n. 27. Prædestinatio B. Virginis, & aliorum beatorum fuit ętterna, & tamen libera. Item Deus ab æterno liberè voluit producere mundum in tempore. Ergo pariter, si Deus creasset mundum ab æterno, nulla esset implicantia, creationem illam esse liberã, & simul ętternam. Neq; aliquid refert illa disparitas quam cum Henrico affert Scot. 2. dist. 1. q. 3. col. 3. & benè confutãt Capreolus, & Durand. supra, & Heruęus 2. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. *modo restat*, & alij quòd in casu de prædestinatione, effectus prædestinationis non est ab ętterno, sed in tẽpore; in casu autem nostro ipse effectus creationis ponitur æternus: *quia*, vt contra hanc disparitatem benè discurrit Durandus, *nõ solum effectus prædestinationis, qui euenit in tempore, contingenter euenit, & nõ ex necessitate, puta sortem saluari; sed ipsum esse prædestinatum saluari, quod est æternum & non respicit determinatum tempus, liberum fuit, & non necessarium nisi ex suppositione, sicut sortẽ currere posito quod currat.* Quãobrem considerando præcisè ac directè ipsum respectũ prædestinationis ad Petrũ, qui respectus est æternus, inquit Capreolus, *eodem modo argueretur contra arguentẽ, sicut ipse arguit contra nos, quia esse, quod fuit, quãdo fuit, necesse est fuisse. Sed illa prædestinatio, & talis respectus ad Petrum fuit in tota æternitate: ergo necessario fuit. Nec potest respondere, nisi per illam distinctionẽ de necessitate absoluta & conditionata, vel, ex suppositione ideo sicut ratio in illo proposito nihil concludit, ita nec sua in nostro.* Vis igitur argumenti, & paritatis consistit in hoc, quod sicut in velle Dei libero in actu secundo esse liberum, non tollit rationem æterni, ita in creatione, ratio liberi effectus non contradicat æternitati ipsius. Tertiò optimè arguit idem Durand. n. 13. & ante ipsum S. Th. opuscul. cit. ex eo quod Deus sit agens liberum, non esse debet minoris virtutis, quam si esset agens necessarium; nam etiam cum libertate coniunctam habet infinitam omnino potẽtiam, cum modus agendi liberè non tollat, aut minuat agendi vim, sed potius eam faciat perfectiorem, & magis independentem, atque eleuatam & Dominam effectus. *Sed secundum omnes*, subdit Durandus, *si Deus ageret ex necessitate naturæ, res fuissent ab æterno. Ergo non obstante quod Deus agat per voluntatẽ, res poterunt esse ab æterno.* Quartò arguere etiam possumus cum S. Th. supra, *si aliqua sit causa, qua posita in aliquo instanti, non potest poni effectus eius, ab ea procedens in eodem instanti, hoc non est nisi quia illi causæ deest aliquid de complemẽto; causa enim cõpleta, & causatum, sunt simul. Sed Deo nũquam defuit aliquid de complemento. ergo causatum eius semper potest poni eo posito; & ita non est necessariũ, quod duratione præcedat.* Quinto demũ à priori arguit ibid. S. Th. fusè & multo breuius hic ad primũ, quam totam rationem vt potissimã proposuit Capreol. 2. dist. 1. q. 1. ar. 1. init. *nulla causa producens suum effectũ subito, nec essario præcedit suum effectũ duratione. Sed Deus est causa producens effectum suum, non per motum sed subito. Ergo non est necessariũ, quod duratione præcedat effectũ suum.* Minor & consequentia ex se patent. Maiorem probãt cum inductione, quia v. g. sol in instanti agens, agit, & illuminat statim atq; est; & statim atque est illuminatio, est etiam lumen: tum ratione, quia agẽs in eo instanti, in quo est, habet omnia necessaria ad inchoandum actionem suam. Ergo in eo instanti potest eriam esse talis actio. Sed hæc, quia ponitur instantanea, esse necessario debet coniuncta cũ toto suo effectu; vnde dici cõsueuit, quod in indiuisibilibus, idem sunt fieri, & factũ esse; ergo causa in instanti agens, potest statim atq; est facere effectum suum. Agens verò per motũ, & in tempore, vt dicitur hic ad primum *de necessitate præcedit tempore suum effectum, quia effectus non est nisi in termino actionis.* Ergo si actio est per motum v. g. vnius horæ, non habebitur completus effectus nisi in vltimo instanti terminatiuo totius horæ.

13 *Non secundo in parte productionis simpliciter.*

Præterea æternitas creationis repugnare nõ potest ex secundo capite productionis simpliciter: tum quia in diuinis datur vera productio, ac generatio Verbi æterni; & si formalis, ac realis productio intra Deum datur ab ęterno, non apparet solida discriminis ratio, cur aliqua productio, ex eo precisè, quod sit extra Deũ modo ab eodem Deo omnipotente fit, esse nõ possit ab æterno, semper cum ipso Deo, & ab ipso Deo dependens: tum quia conceptus productionis à dextra, est conceptus puræ dependẽtiæ effectus à causa; ergo si causa est æterna, & virtutis actiuæ infinitæ, indepẽdentis, & in se ipsa totaliter completæ ac sufficientis ad agendum extra se, nulla apparet implicãtia in hoc præcisè, quod detur ab ęterno etiam dependentia alicuius rei à Deo extra ipsum: tum quia, vt acute arguit S. Th. de Pot. q. 3. ar. 14. arg. 8. si isti duo termini, esse factum, & esse æternum, seu semper fuisse, repugnarent esse simul in creatura, ergo, inquit, *idem esset dicere creaturam semper fuisse, & factam non esse, quod patet esse falsum*: tum demum exemplo Aug. sup. nu. 8. si ignis, & sol fuissent ab æterno, causassent etiam ab æterno splendorem, & lumen; ergo posita de facto causa æterna diuina, nullum inconueniens cogitari rectè potest, si ponamus ab ea etiam procedere æternam productionem alicuius effectus.

14 *Non tertio ex parte productionis ex nihilo.*

Nulla quoq; ostenditur contradictio ex 3. cap. productionis ex nihilo: quoniã, vt probatum est sup. q. 45. ar. 1. in definit. creationis illud *ex nihilo*, idem est quod ex nullo præsuppositio subiecto ad productionẽ concurrente. Si igitur ab æterno non fuisset huiusmodi subiectum, vel formalius loquendo, nõ fuisset huiusmodi subiectiuus concursus, res potuisset ab æterno produci ex nullo subiecto, & ex nihilo, ac proinde creari. Sed potuit ab æterno nullũ esse subiectũ, imò de facto nullum fuit; ergo illud *ex nihilo*, impedire non potest æternam creationem alicuius effectus.

15 *Non quarto ex parte creaturæ.*

Postremò, æterna creatio non repugnat 4. ex parte creaturæ: quoniam quidquid importat creatura, vt creatura est, totum saluatur, etiam si illi cõmunicetur æternitas. Creatura enim dicit primo esse ens; sub

qua

qua ratione nõ repugnat creaturæ æternitas,*quia* , vt benè arguit Durád.2.d.1.q.2.n.14.*potissimè repugnaret Deo,in quo verissime saluatur ratio entis.* Secundò, esse productũ,& nec cum hoc cõceptu pugnat æternitas,vt probatũ est. Tertiò,esse cõtingens,& dependens, & hoc etiam cũ æternitate saluatur:tum quia, vt superius ostensum est, si Deus creasset aliquid ab ęterno,illud liberè creasset,ergo potuisset nõ creare; ergo æterna creatura potuisset simpliciter non esse creata; ergo esset ens contingens, & non necessariũ simpliciter:tum quia si sol fuisset æternus , & consequenter lumẽ ab æterno fudisset, lumen illud æternũ,fuisset à sole dependens. Æternitas igitur dependentiam non destruit. Quarto , esse aliquid inferius creatore. At si creatura esset æterna,& tandiu duraret quãdiu durat Deus,ac proinde in quantitate durationis esset aliqua ratione æqualis Deo,tamẽ non solum in reliquis omnibus,vt ex se manifestũ est,sed in ipsa etiã duratione nõ esset simpliciter æqualis : duratio enim diuina,est æternitas irrecepta, & independens, & omnino indefectibilis; alia vero æternæ creaturæ duratio,esset quidẽ quodãmodo ęternitas,sed participata,depẽdẽs,& defectibilis saltẽ extrinsecè per diuinã potentiã,ac proinde potius esset æuũ infinitũ,quã æternitas,vt cũ Duran.notaui supra q.27,ar.1.n.81.

16 *Quomodo creatura æterna fieret de non esse.* Quinto creatura essentialiter dicit,de non esse accipere esse;quod potissimũ,teste Carthusiano 2. d. 1. q.4.col.15.omnes aduersarios supra n.7. in contrariã sententiã impulit. Verum hæc quinta creaturæ conditio,vt sit essentialis,ita accipienda est, vt illud,*non esse*,non necessariò debeat tẽpore,seu duratione præcedere esse,sed solum natura; neq;etiã natura secundum existentiã, quo modo sol existens præcessit natura lumen,cũ non esse simpliciter creaturæ æternæ nunquã existat,nec ante æternitatem,nec post,nec in ipsa æternitate, sed solũ natura secundũ conuenientiam,in quantum creaturæ secundum se prius natura conuenit non esse, quam esse:nã ex se non habet esse,sed à Deo ; ita vt si à Deo sola sibi relinqueretur, cõfestim in nihilũ recideret ex sua natura.Cum igitur in vnaquaque re prius naturaliter sit, quod conuenit sibi in se,& ex se per intrinsecã naturam suam,quam quod solum ex alio liberè dante habet;creatura vero æterna non habeat esse nisi ab alio,& sibi soli relicta,in se cõsiderata,nihil sit,& esse non habeat,nec habere possit;dicitur illi prius natura conuenire non esse quã esse,& de nõ esse,hoc est,ex eo quod ex natura sua nihil sit,saltẽ existens,& illi si sibi relinqueretur,esse non cõpetat, accipere esse. Atq;hanc totã doctrinam didicimus ex S. Th. opusc.27. circa med. eã fusius explicante;& de Pot.q.3. ar.14.ad 7.2. ordinis,vbi idẽ tribuit Auicennæ;& 1.d.5.q.2.ar.2.& 2. d.1.q.1.ar.2.post med.corp.vt tetigit etiã supra q.27. art.1.n.193. & q.41.art.4.n.3. & q.45.art.1.n.11.& præter omnes Thomistas,sequuntur etiã Scotus 2.d. 1.q.2.§.*Respõdeo*.Vazq. d.172.n.11. & alij,inter quos Capreolus 2.d.1.q 1.art.3.col.13.ad 1. bene negat, *quod non esse creaturæ prius natura insit ei naturaliter, quã suum esse*.Et infra subdit,*non esse creaturæ non ideo dicitur naturaliter præcedere esse eius , sic quod creatura prius sit non ens quã ens : sed quia prius natura nata est non esse,quam esse:ex se enim habet aptitudinem ad non esse,sed ex se non habet esse;sed ab alio.* [S.Thom. — Scotus. Vazquez. Capreolus.]

17 *Soluitur motiuũ Durandi contra S. Thom.* Sed immeritò contradicit Durandus 2.d.1. q.2.n. 22.& 23.dicens hoc esse *falsũ,& impossibile*.quod ita probat, *quia quod inest alicui ex se vel ex natura sua, naturam non destruit,sed ponit,vel supponit:Nõ ens autẽ,vel nihil,naturã destruit;ergo impossibile est,quod aliqua res ex natura sua sit non ens vel nihil.* Et propter hanc rationem de dicto S.Th.supra,ait Durand. *non intelligo qualiter possit esse verũ*, Potuisset vero id facilè intelligere,si animaduertisset,quod non ens,& nihil , quæ in casu nostro non sunt aliud,nisi non esse, seu negatio existentiæ, non destruit naturã positiuè, quasi sit aliquid per realem actionẽ corrumpens naturã; vel formaliter incompossibile cum essentia naturæ;sed solum negatiuè, hoc est,non ponit aliquid, pertinens quidẽ ad perfectionem ipsius naturæ,tamẽ ab aliquo extrinseco dependens, & nõ intrinsecè inclusũ in essentiali conceptu naturæ; nec ab essentialibus naturæ principiis emanãs. Quæ quidẽ negatio actualis perfectionis existendi, nõ causat destructionẽ aliquã in natura,sed solum arguit , ac demonstrat illius imperfectionẽ,quæ est de ratione creaturæ, vt creatura est;non enim hæc esset ens contingens, nisi ex se illi cõueniret negatio existẽtiæ, & cõsequenter, esset ex se,& ex natura sua nõ ens.Similiter reiici potest Arim.2.d.1.q.3.ar.1.ad 1.de hac propositione,*cuilibet creaturæ ex se cõuenit nõ esse*,dicẽs,*prorsus est falsa; quoniã si ex se creaturæ cõueniret non esse,à nullo alio posset sibi conuenire esse:sicut quia diameter ex se est incommensurabilis costæ,seu quadrati,à nullo alio posset esse sibi cõmensurabilis*.Tota enim hæc difficultas procedit ex æquiuoca acceptione illius,*ex se*.Si enim sit idẽ quod ex natura sua absolutè cõsiderata,bonus est discursus Ariminensis,quẽ accepisse videtur ab Ocham.2.d.1. q.8.lit.I.Si verò sit idẽ,quod ex natura sua,vt præcisa ab alio extrinseco,siue,vt bene etiã sentit,& loquitur Masius 8.Ph.q.10.cir.fi.*solitarie sumpta*,discursus non procedit:quia cũ rei naturæ,vt præcisè ab alio, cõuenit negatio alicuius perfectionis,potest talis perfectio cõuenire illi vt cõiũctæ cũ alio,à quo est illa perfectio : sicut negatio discursus conuenit animali ex se præcisè; cui tamẽ coniuncto cũ rationalitate,conuenit discursus.Plura de eadem re dicam infra, à n.26. ad 29.Nunc maneat ex dictis in tota hac ratione,inchoata à n.9.quòd perspectis accuratè omnibus;quæ in cõceptu creationis, & creaturæ generaliter includuntur,non videtur æternitas vllam cũ creatione aut creatura, quàm cum creatura repugnantiam habere. [*Soluitur aliud motiuum Ochami & Ariminensis cõtra idem.* — Masius.]

Sanctos Patres non esse contrarios.

18 *Fundamentũ Valentiæ.* Obiicies 1.vnicũ fundamentũ Valentiæ supra n.6. quoniã,inquit , *Patres in disputatione præsertim contra Arianos,planè asseuerant, nullã creaturã potuisse coæternam esse creatori suo : & inde,tanquã per necessaria consequentiã,concludũt, Dei filium,cũ æternus sit,nequaquã esse creaturã,sed verissime Deum.* Affert 1.Athanasium orat.2.cõtra Arian.probantẽ,creaturas non posse esse Deo coæternas,*quia sũt alterius , ac diuersæ naturæ à creatore*.Vbi etiã circa med.legũtur hæc verba , quæ maximè ad rẽ faciunt *Tametsi Deo possibile fuerit ab æterno opera facere,non tamẽ potuerunt ea,quæ facta sũt, ab æterno fuisse:si quidem ex non entibus emersẽrũt , nec erãt priusquã fierent. Quæ autem non erant antequã fierẽt,quomodo illa coëxistere poterãt cũ Deo sẽper existẽte!* Et obiici etiã potest illud in disp.in Nicęn.Cõcilio cõtra Ariũ,multo post principiũ,*Si æternus est Filius,non est creatura,cõtra,si creatura est,æternus nõ fuerit*. Affert 2.Basiliũ l.2.contra Panomiũ,non longe à medio,*nos eiusdẽ dementiæ esse putamus,& creaturæ æternitatis testimoniũ præbere;& creaturæ Dominũ,hac cõfessione priuare*.3.illud Damas.l.1.fidei c.8.cir. fi. *creatio à Deo, cũ voluntatis opus sit;non coæterna Deo est:quandoquidẽ suaptè natura capax non sit,quod de nõ esse ad esse deducitur,coæternũ illi esse,qui sine principio,atq;aliquid sempiternum est*.4.illud Ambros.l.1.Examer.c.3.fin. *Quomodo coæternũ Deo mundũ asserunt,& creatori omnium sociant,atq;æqualẽ esse disputant creaturã?* & antea in c. 1.cir.med.dixerat,*Quid tã inconueniens , quã vt æternitatẽ operis cũ Dei omnipotentis coniungerẽt æternitate*. 5.illud Aug.l.12.de Ciuit. c.15. ante med.de Angelis,*Quomodo creati dicẽdi sũt,si sẽper fuisse intelligũtur.* Et l.1.contra Felicianũ Arianũ c.7.circa principiũ ita

definit creaturã,*creatura est,ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit,rei cuiuslibet corruptibilis,quantũ in se est,Patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia.Hæc definitio vtrum in Dei cadat filium, videamus.* Et deinde multis probat non cadere. Addit Valentia illud Deut.32.vbi postquam Deus dixit, *Videte quod ego sum solus,& non est alius Deus præter me*, &c.Mox subiungit, *Leuabo manum meam ad cælum, & dicam, Viuo ego in æternum.* Quibus verbis Deus, vt distinguat se à creaturis omnibus, tribuit sibi omnimodam æternitatem,tanquam aliquid sibi valde proprium.

19 *Exponuntur Patres.* Respondeo cum S.Th.opusc.27.cir.fi.& de Pot.q. 3.ar.14.ad 1.secundi ordinis,cum Durando 2.dis.1. q.2.ad 7.Arim.q.3.ar.1.ad 10.& vlt. Ægidio q.4.art. 2.fi.Patres loqui de æternitate,propriè dicta,quæ nõ est quælibet infinita duratio; sed ea tantum,quæ definitur à Boëtio l.5.de Consolat.prosa vlt.init. *interminabilis vitæ tota simul , & perfecta possessio.* Quibus verbis significatur duratio,ita infinita, & non habens terminos,neq; à parte ante; neque à parte post,vt ne possit quidem terminum aliquem habere,ac proinde sit essentialiter interminabilis,indefectibilis, atq; independens;qua rei durãtis esse,ac viuere possideatur totum simul perfectissimo modo. Quæ duratio procul dubio est solius Dei propria,& essentialiter differt à qualibet duratione creata , etiam si fuerit infinita. Quamobrem si æuum alicuius creaturæ spiritualis , quod est æternum à parte post,fieret etiam æternum à parte ante,adhuc illud non esset propriè æternitas, sed æuum,ab æternitate essentialiter differẽs,quia illam interminabilitatem à parte ante, non haberet ex natura sua,sed ex libera Dei voluntate;& interminabilitas à parte post,est quidem illi naturalis , non tamen essentialis,cum per virtutem diuinam, à qua essentialiter in esse dependet,possit omnino cessare, & finem aliquem accipere. Sicut igitur infinitum tempus,& infinita linea , non differunt specie à tempore finito,& à finita linea; ita nec æuum infinitum à parte ante, specie differt ab æuo, à parte ante finito ; & consequenter,non est essentialiter æternitas proprie dicta; quæ sola est incommunicabilis creaturæ. [*Æternitatis definitio Boëtij.*]

20 Hanc autem esse germanam sanctorum mentẽ ostendo,primo,quia loquuntur simpliciter de ęternitate.At duratio sine principio, quam haberet creatura, non tam esset æternitas,quam æuum, vt ostẽsum est. Vbi acutè obseruauit Ariminens.supra,aliud esse,creaturam esse æternam , aliud creaturã esse ab æternò, Propriè loquendo posse concedi secundum,non primum,& cũ hac distinct.dicit,*quod impossibile fuit, aliquam aliam rem à Deo fuisse æternam ; quia impossibile fuit,aliquam aliam rem à Deo fuisse,necesse esse,& immutabilem.Sed cum hoc stat,quod possibile fuerit,aliã rem ab æterno fuisse:quoniam quamuis fuisset ab æterno,non fuisset tamen æterna,propriè sumendo æternum;quoniã fuisset possibilis non esse*:quamquam non semper cum hoc rigore loquuntur Patres;cum Athanas.sup.n.18.neget, aliquid posse esse creatum *ab æterno* : & Aug.sup.n.8. affirmet , quòd *si ignis esset æternus , esset illi coæternus splendor.* Secundo propius ad rem, quia Patres æternitatẽ filij Dei,maximè probarunt ex Scripturis sanctis,vt visum est sup.q.27.ar.1.à n.58.quas Ariani nõ negabant; & ideo Athanas. cit.disput. Nicæna refert Arium dixisse. *Esto sit æternus Filius,sed ita vt ab æterno conditus;æternitatem quoque in se habeat*. Conuictus igitur Arius argumentis Catholicorum,ductis ex authoritate Scripturæ,concessit Filio æternitatẽ,sed increatam deitatem ademit.Ergo de ea æternitate sunt intelligendi Patres, quam filio Dei tribuit Scriptura. Hæc autem non aliam æternitatem , sicut nec aliam naturam,de Filio prædicat,nisi quam de Deo,& Patre prædicat:quæ sine dubio est æternitas nõ solum durationis infinitæ , sed etiam increatæ, & essentialiter indefectibilis,& omnino interminabilis.Quod inspicere satis est ex præcipuo loco,quo prædictam æternitatem probarunt,nempe ex illo Ioan.1.*In principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum.Hoc erat in principio apud Deum.* Vbi sicut de Verbo,& Filio , ita de Deo , & Patre aperte dicitur præfuisse ante quodlibet creationis principium ; & consequenter,eamdem æternitatem habuisse. Vnde etiam Athanas.Aug.Cyrill.cit.ibid nu.57. deducunt Filij æternitatem , quia scilicet Filius est Patris Verbum, ratio, sapientia , splendor , in quibus profecto eamdem æternitatem esse necesse est, quæ est in intellectu,& luce,nimirum in ipsomet Patre ; & est æternitas,non extrinsece dependens à libera producẽtis voluntate,sed naturæ ab intrinseco conueniens. [*Creatura potest esse ab æterno, non autem æterna secundum Ariminensem.* — Ioan.1.]

21 Tertio,quia hanc independentem,& naturalem,& omnino necessariam æternitatẽ ipsamet Patrum verba non obscurè indicant. Omnium clarissimè Athanasius epistol.de sent.Dionysij Episcopi Alexandrini post med.ait , *Filius non aliquo leui modo æternus censendus est,sed eo modo quo Pater æternus est,& ipse quoque æternus est.* Et propter eamdem æqualitatẽ in æternitate inter tres diuinas personas ipsemet fatetur in symbolo, *Æternus Pater , æternus Filius , æternus Spiritus sanctus,& tamen non tres æterni,sed vnus æternus.* & infra dicuntur , *totæ tres personæ coæternæ.* Earumdemq; antea dicta fuerat *coæterna maiestas*. Quare cum sup.n.18.negat,creaturam posse esse *coæternã Deo*; intelligit de æternitate qua æternus est Deus; idq; tantum conuincit ratio quam subdit de naturæ diuersitate inter creaturam,& Creatorem;vnde oritur,vt non possit illis eiusdem rationis duratio cõuenire. Aliam eruditam eorumdem verborum expositionem affert Vazquez d. 177.c.3.cir.princ.In eodẽ sensu docet Athanasius,creaturam,cui ex propria natura conuenit non esse, seu non conuenit esse, non potest *coëxistere cum Deo semper existente*,nimirum ex se,& intrinseca vi propriæ naturæ:& rectè arguit , *si æternus est Filius*,prædicta scilicet æternitate *non est creatura; si creatura est,æternus non fuerit.* [*Exponuntur verba Athanasij.*]

Item Basilius ibidem vel loquitur de facto,vt placet Vazquez supra: vel si de possibili, clarè negans, posse æternitatem communicari creaturæ; clarè loquitur de æternitate,qua æternum esse dicit *creaturæ Dominum*. Qua propter immediatè ante verba citata apertissimè distinguit inter æternitatem,& æuum; & hanc æternitatem vt distinctam ab æuo,docet cõpetere filio Dei,& nõ posse competere creaturæ. *Æternum*,inquit,*dicitur,quod omni tempore,ac æuo secundum esse antiquius est.* Tanquam optimus Philosophus distinguit tres durationis species, æternitatem, Æuum tempus. & quoniam æuum ex eo quod semper futurum est,& potuit superfuisse, dici quoq; solet æternum,vt declararet,se non loqui de hac impropria,& imperfecta æternitate æui,sed de alia propria ac perfecta æternitate , ita continuo subiungit , *Verum & æuum iam æterni appellatione nonnulli dignantur;quoniã ex eo quod est semper,etiam nominationem hanc sortitum est: nos autem id,quod æternum est,creaturis attestari, & creatorẽ hac professione priuare eiusdem amentiæ dicimus.* Non loquitur igitur de æternitate vulgariter dicta. Sed de æternitate philosophicè ac theologicè accepta. De qua etiam sine dubio loquitur Damascenus, vt manifestum est ex verbis ipsius. Creatura, inquit, *suaptè naturæ capax nõn est, coæternum illi esse, qui sine principio,atq; aliquid sempiternum est.* Si creatura fieret ab æterno,id non haberet *suaptè natura*,non esset proprie *coæterna* Deo; & quamuis esset sine principio durationis,tamen non esset simpliciter, *sine principio*, nec posset propriè denominari simpliciter,*aliquid sẽpiternum*. Eumdem sensum clarius exprimunt verba Ambrosij,quia semper limitat de creaturæ æternita- 22 [Basilij. — Damascen. — Ambros.]

te,quæ ſit æqualis æternitati creatoris. æternitas autem,quæ ita eſt ſine principio , & ſine fine,vt ex natura ſua poſſit habere principiũ,& habere ſimpliciter finem ab eo,à quo in ſuo eſſe liberè pendet,dici ſimpliciter,& abſolutè non poteſt *æqualis & aſſociata, & conuncta,& coæterna Dei omnipotentis æternitati*, quæ nec habet , nec habere poteſt huiuſmodi imperfectionẽ principij aut finis.

Quid ſit propriè coæternum, ex Durand.

Quam ob rem ſcripſit Dur. 2.diſ.1. q.2. ad 7. *quòd licet creatura ab æterno fuiſſet, tamen non eſſet dicendum,eam æquari Deo in æternitate; quod importat nomẽ coæterni, quaſi coæquatũ æternitati.*

23 Auguſtin.

Præterea verba Aug. de Ciuit.non videntur ad rẽ: tũ quia loquitur dubitãdo,ſiue inquirẽdo:tũ quia per per illud,*ſemper fuiſſe*,non intelligit,ab æterno fuiſſe, ſed fuiſſe omni tẽpore,quo fuit tẽpus , tametſi tẽpus non ſemper fuerit,ſed incœperit.Et ideo loquitur de facto , ita reſpondens de duratione Angelorum,qui nunc ſũt,de quibus conſtat,non fuiſſe ab æterno, *An dicendum eſt,& ſemper illos fuiſſe , quoniã omni tempore fuerunt , qui cũ tempore facti ſũt,aut cũ quibus facta ſũt tempora,& tamen creatos. Neq;enim & ipſa tẽpora creata eſſe negamus,quamuis omni tempore tempus fuiſſe nemo ambigat. Nã ſi nõ omni tempore fuit tẽpus, erat ergo tẽpus quando nullum erat tempus. Quis hoc ſtultiſſimus dixerit.* & poſt nõnulla ita concludit ,*ſicut ergo dicimus creatũ tẽpus,cũ ideo ſemper fuiſſe dicatur,quia omni tempore tẽpus fuit;ita non eſt conſequens,vt ſi ſẽper fuerint Angeli , ideo nõ ſint creati, vt propterea ſẽper fuiſſe dicantur,quia omni tẽpore fuerũt. Nec ſi ſemper fuerunt, ideo Creatori coæterni ſunt. Ille enim ſemper fuit æternitate immutabili,Iſti autẽ ideo ſẽper fuiſſe dicuntur,quia omni tẽpore fuerunt.* Nihil igitur in hoc loco cogitari, verè poteſt cõtra concluſionẽ; nec in alio loco contra Felician.quoniã ibi,vt notauit Ægid.2.d.1.p.1.q. 4.ar.2.cir.fi.

Expoſitio Ægidij.

definit creationẽ ſecundũ quod fuit nõ ſecundum quod potuit eſſe:& nõ definitio,ſed eſt quadã notificatio,vel deſcriptio creationis,nõ quocunque modo,ſed ſecundũ quod fuit, & habuit eſſe. Quã expoſitionem tradunt etiam Ioan.de Neapoli Quæſt .variat.q.23.pũcto 5.ad 2.Arim.& Capre.ſup.& alij. Aduerſari magis videtur Aug.l.8.de Gen.ad lit.c.23.init.illis verbis,*omnino incõmutabilis eſt illa natura Trinitatis & ob hoc ita æterna , vt ei aliquid coæternũ eſſe non poſſit.* Sed ex antecedente conſtat , hoc cõſequens eſſe intelligẽdũ de coæterno æternitate omnino incõmutabili. Nã,vt ipſemet docet l.83.qq.q.19.init.*quod incõmutabile eſt,æternũ eſt;ſemper enim eiuſdẽ modi eſt. Quod autẽ commutabile eſt , & non ſẽper eiuſdem modi;æternum nõ rectè dicitur.*& l.4.de Trin.c.18.nõ longe à principio. *Non proprie vocatur æternũ, quod aliqua ex parte mutatur. In quantum igitur mutabiles ſumus,in tantum ab æternitate diſtamus.*

24 *Exponitur Hugo Victorinus ſecundum Ariminenſem.*

Nõnulli etiã in contrarium afferũt illud Hug.Victor.l.1.de ſacr. c.1.poſt med. *Ineffabilis omnipotẽtiæ virtus nõ potuit aliud præter ſe habere coæternum.* Sed omnino fideliter ad mentẽ authoris reſpõdet Arim. ſup. *quod diminutè allegatur authoritas; quoniã ibi nõ terminatur ſentẽtia.* Addit enim Hugo,*nõ potuit habere coæternũ quo in faciendo iuuaretur.* Quibus verbis videtur voluiſſe tantũ obiicere opinionẽ Platonis de materia prima,æterna,& increata;ex qua deinde Deus mundũ produxerit in tẽpore; vt ſup.q.45.ar.2.n.31. Maneat igitur,nos, cũ aſſerimus creaturã poſſe fieri ab æterno, non tribuere creaturæ æternitatẽ proprie dictã,diſtinctã ab æuo,ſed tantũ æuum ſine principio quod vulgo dici etiã largè, & impropriè ſolet æternitas.

Expenduntur rationes Patrum.

Patres vero nõ hanc æternitatẽ, ſed aliã longè diuerſam ab eſſentiali creaturæ conceptu excludere; itavt nihil aliud velint niſi illã æternitatẽ, qua æternus eſt Deus,& quã omnino eamdẽ ex ſcripturis probarunt conuenire filio Dei , non poſſe vlli creaturæ cõmunicari;& conſequenter,filiũ Dei non eſſe creaturã,ſed verũ,& increatũ Deum, idq;efficaciter demonſtraſſe,tũ ex eo,quod creaturæ ſunt alterius , ac diuerſæ naturæ à Creatore,vt arguebat Athanaſ. natura enim diuerſæ rationis in eſſe , poſtulat diuerſæ rationis menſurã in duratione:tũ ex eo quod ſecundũ eumdẽ Athanaſ.creatura intrinſecè importat, vt aliter fieri nequeat,niſi de nõ eſſe traducatur ad eſſe; at vero æternitas,quæ eſſentialiter nõ habet,nec habere poteſt eſſendi principium,aut finẽ, & eſſentiali neceſſitate petit ſẽper eſſe, manifeſte pugnat cũ non eſſe:tũ ex eo quod , vt arguebat Damaſ. creatura eſt opus diuinæ voluntatis, hoc eſt,liberũ & contingẽs; cui planè repugnat æternitas omnino neceſſaria, & independens.

25 *Exponitur locus Deuteronomij.*

Poſtremò,verba quæ ex Deuter.affert Valent.ſup. n.18.fine,nihi vrgẽt; quia per illud,*Viuo ego in æternũ*,ſignificare voluit Deus immutabilitatẽ iuramẽti, quod ibi faciebat , & certitudinẽ omnino infallibilẽ futuri effectus;omnes enim interpretes imponũt,illis verbis,*Leuabo ad cœlum manũ meã*,contineri iuramẽtũ à Deo factũ. Quare ſenſus eſt,obſeruabo ſine dubio quod iureiurãdo promitto,quia,vt rectè exponit ibi Abulen. *vita mea indeficiẽs eſt ; quia apud Deũ non eſt tranſmutatio,nec viciſſitudinis obumbratio , Iacobi 1. & ego Dominus,& non mutor, Malach.3,*

Toſtatus.

Æternitatem non pugnare cum non eſſe creaturæ.

26 *Fundamentum Henrici.*

Obiicies 2. commune fundamentũ aduerſariorum præſertim Henrici, cuius longũ diſcurſum verbis ipſius refert Carthuſ.2.d.1.q.4.col.8. & ſibi obiiciunt omnes authores noſtræ cõcluſionis,& poteſt in hanc breuiorẽ,& clariorem formã redigi. Non poteſt produci creatura niſi prius præceſſerit eius nõ eſſe:quia nõ eſſe cõuenit creaturæ de ſe,cum ſecundũ omnes, creatura de ſe ſit nõ ens;eſſe autẽ conuenit creaturæ ab alio:ergo prius cõuenit illi nõ eſſe,quã eſſe. Ergo vel prius duratione;& ſic habetur intentũ , nẽpe eſſe creaturæ,non ſemper fuiſſe ab æterno , ſed in aliqua duratione,ante quã haberet eſſe habuiſſe nõ eſſe:vel prius natura tantũ , & conſequenter ſimul duratione cum quæ ſolum natura ſunt inuicem priora,& poſteriora,eamdẽ durationem communẽ habeant,neceſſe ſit;& ſic darentur ſimul duratione eſſe & nõ eſſe,quæ ſunt cõtradictoria. Explicatur magis cõtradictio,quia vt ſibi obiicit Ochamus 2.d.1.q.8.rat.4.*quod conuenit alicui naturaliter;ſibi conuenit realiter.* Sed non eſſe cõuenit naturaliter creaturæ,ergo realiter,debet autem realiter,& in re ipſa dari prius non eſſe quã eſſe;quia non eſſe conuenit naturaliter,& ex ſe;eſſe vero conuenit contingenter, & ab alio extrinſeco. Prius antẽ ſine dubio debẽt realiter conuenire,& exiſtere, quæ cõueniunt naturaliter,& ex ſe,ſiue ex intrinſecis naturæ principiis,quã quæ conueniunt contingenter,& ab aliquo extrinſeco agente. Certum autem eſt , non poſſe eſſe æternum, quod prius in re ipſa habere debet non eſſe quam eſſe.

27 *Reſponſio Durandi, Ariminẽſis, Ochami, Gabrielis.*

Reſpondet Durandus 2.d.1.q.2.n.23.& 28. negãdo,quod res de natura ſua eſt non ens,&*quod creatura de ſe habet non eſſe:* Concedit ſolũ,*quod res de natura ſua , & de ſe non eſt ens eo modo quo Deus de ſe eſt ens.* Eadem in re videtur, tametſi ſub aliis terminis , reſponſio Gabriel. 2.d.1.q.3.ad 4. qui hanc propoſitionẽ,*non eſſe conuenit creaturæ de ſe*,negat ſi faciat hunc ſenſum affirmatiuũ,*creatura eſt non ens de ſe,vel ſecundũ naturam ſuam:*concedit ſi faciat hunc alium ſenſũ negatiuum,*Nullum eſſe conuenit creaturæ de ſe.* In quo ſequitur Ochamũ ſup.lit.I.& Arimin.2.d.1.q.3.art.1. ad 1.

Idem in re ſunt creatura de ſe eſt non ens, & non eſt ens.

Hæc vero differentia verbalis,ac logicalis,non videtur ſatisfacere argumento ſecundũ rẽ. Nam iſtæ duæ propoſitiones,*creatura de ſe eſt non ens*, quæ dicitur falſa, *creatura de ſe non eſt ens* , quæ dicitur vera, quamuis ſecundum modũ ſignificandi differãt, quia prima

prima eſt affirmatiua,ſecũda negatiua;tamẽ in vtraq; ſunt eædem res ſignificatæ , nimirum creatura de ſe, & negatio entis;quæ negatio in prima affirmatiua dicitur eſſe in creatura ; de ſe ; & poſitiue ſignificatur per modũ formæ inhærentis in ſubiecto: in ſecunda vero negatiua , ſupponitur eſſe in creatura de ſe ; & negatiuè ſignificatur per modũ remouẽtis aliquã formã à ſubiecto. Omnis enim negatio, quæ verè eſt in aliquo ſubiecto , habet neceſſariò iſta duo, & ſe ipſa formaliter eſſe in ſubiecto,& remouere à ſubiecto rẽ negatã. Ratione primi fieri poteſt propoſitio affirmatiua,Ratione verò ſecundi fieri poteſt propoſitio negatiua. Sed alterũ in altero eſſentialiter includitur; quia niſi in ſubiecto eſſet formaliter negatio,alicuius rei,non poſſet per propoſitionẽ negatiuam verè negari aliqua res à ſubiecto:& è contra, niſi negaretur & remoueretur aliqua res à ſubiecto,non poſſet per propoſitionẽ affirmatiuã verè affirmari eſſe negationẽ alicuius rei in ſubiecto. Sumo igitur propoſitionẽ ab aduerſariis conceſſam,*creatura de ſe nõ eſt ens.* Hæc enim nullo modo dici poſſet vera,niſi negatio entis, ſiue exiſtentiæ , eſſet in creatura de ſe. Quod manifeſtũ eſt ex inductione in reliquis omnibus negatiuis propoſitionibus,in quibus,ſi veræ ſunt,ſẽper neceſſe eſt eſſe in ſubiecto,negationẽ eius quod in ſubiecto verè non eſſe dicitur,v.g.vt verè dicatur , homo non eſt lapis,Cœlum non eſt animatũ, Deus non eſt corpus,&c. Neceſſe eſt verè eſſe negationẽ lapidis in homine,negationẽ animæ in Cælo,negationem corporis in Deo &c. Ergo pariter,ſi verum eſt , creaturã de ſe non eſſe ens,non habere eſſe,in creatura de ſe negatio entis,ſiue exiſtentiæ ſit neceſſe eſt; aliter eſſet impoſſibile , verè negare eſſe à creatura de ſe:ſicut à contrario,quia in Deo de ſe,ſiue ex natura, & eſſentia ſua eſt eſſe,nunquam poteſt vere dici, Deus de ſe nõ eſt ens,aut non habet eſſe. De hac igitur negatione entis,ſiue de hoc non eſſe ſiue talis negatio affirmetur de creatura ſecundũ ſe,ſiue per talẽ negationẽ negetur eſſe de creatura ſecundũ ſe,remanet integra obiectionis difficultas,quia hoc non eſſe cõuenit creaturæ de ſe naturaliter,& realiter,& priuſquã cõueniat eſſe ab alio extrinſeco agente acceptũ;ergo hoc eſſe in creatura dari non poteſt ſemper,& ab æterno in omni duratione, ſic enim conueniret in aliqua duratione cum ſuo contradictorio non eſſe.

28 *Refertur a[...] reſponſio [S.] Thom. & Heruæi.*

Concedendum igitur eſt ſimplicius,ac verius cum S.Thom.opuſc.27.poſt med,quod affirmatiuè, *creatura prius natura eſt nihil,quã ens, Prius enim ineſt vnicuique naturaliter quod conuenit ſibi in ſe, quã quod ſolũ ex alio habet. Eſſe autẽ non habet creatura niſi ab alio;ſibi autem relicta,in ſe conſiderata, nihil eſt. Vnde prius naturaliter ineſt ſibi nihil, quam eſſe.* ſic etiã in 2.d.1.q.1. art.2.poſt.med.corp.affirmatiuè dicit,*in re,quæ creatur,prius eſt non eſſe quàm eſſe,non prioritate temporis vel durationis,ſed prioritate naturæ.* Et eodem affirmatiuo modo cum Auicenna loquitur de Potent.q.3.ar.14. ad 7.ſecundi ordinis. Heruæus etiam 2.d.1.q.1. ar.3. ad 12.affirmatiuè concedit,*quod de ratione creaturæ eſt non eſſe,non abſolutè,& ſimpliciter,ſed cum aliqua determinatione,ſcilicet non eſſe à ſe.* Et Suar.in Metaph.d.20. ſect.6.n.11.ſimiliter ait,*creatura de ſe eſt nihil.* Maſius quoque 8.Phyſ.q.10. fine,concedit *creaturæ ex ſe , id eſt,ſolitariè,conuenire non eſſe.* Hoc cõceſſo,dico ad argumentum in forma,verũ eſſe antecedens, & primũ conſequens , nempe , creaturam prius natura habere non eſſe,quàm eſſe. Verum etiam eſt, quod hoc non eſſe eſt ſimul duratione cum ſuo poſteriori nimirum cum eſſe æternæ creaturæ. Cum verò ſubiũgitur,Sic à nobis poni ſimul duratione duo contradictoria; id negari debeat,quia,vt ad hoc propoſitũ rectè ſcripſit Gabriel ſupra,*non eſſe à ſe,& eſſe ab alio,non opponũtur, & ideo ſimul duratione conueniunt creaturæ;quia ſemper*

[Ga]briel.

creatura non eſt à ſe,& ſemper eſt ab alio. Quod concedit etiam Heruæus ſupra;quamuis enim contradictoria ſint,non eſſe ſimpliciter,& eſſe ſimpliciter;tamen non eſſe de ſe , ſiue ex vi intrinſeca ſolius propriæ naturæ , & eſſe ab alio, ſeu vi alterius extrinſeci agentis,nullam dicunt contradictionem, nullam oppoſitionem, ſed maximam cohærentiam habent in qualibet creatura dum producitur , ſiue ab æterno, ſiue etiam in tempore producatur : quemadmodum, v.g.natura humana Petri propter petreitatem ſibi nõ eſſentialem, habet extrinſecã repugnantiã ad eſſendum in pluribus,ſed propter eſſentiam non habet intrinſecam repugnantiam ad eſſendum in pluribus, vt bene diſtingui ſolet in logica:item paries exiſtens albus habet ſimul eſſe album extrinſecè , & non eſſe album intrinſece ; quia ex natura ſua non requirit albedinem,cũ poſſit eſſe niger. Sic pariter, omnis creatura eſt ens extrinſece, recipiendo eſſe ab agente extrinſeco,& ſimul eſt non ens intrinſecè , quia ex ſuis intrinſecis principiis nõ exigit habere eſſe actuale in ſe,cum poſſit ab eſſe ſeparari,& præciſo omni cõcurſu extrinſeco , creatura ſibi ſoli relicta, nec retinere, nec ſimpliciter habere poſſet eſſe, ſed neceſſariò ſẽper eſſet ſub nõ eſſe. Hãc reſponſionẽ innuere videtur S.Th.cit.opuſ.27.dicẽs,*nõ enim ponitur,ſi creatura ſẽper fuit,vt in aliquo tempore nihil ſit:ſed ponitur,quod natura eius,eſt talis, quod eſſet nihil,ſi ſibi relinqueretur.* S.Thom.

Et affert accõmodatũ exemplũ de ſole,& aëre, creatis in eodem inſtanti; tũc enim aër ſẽper eſſet illuminatus à ſole,& ſimul eſſet ex ſe tenebroſus,& nõ illuminatus,alioqui nõ poſſet illuminari à ſole,ſicut igitur hic aër abſq;vlla contradictione, nũquã eſſet ſimpliciter non illuminatus,ſed ſẽper eſſet illuminatus à ſole,nõ illuminatus à ſe; ita nulla eſt contradictio cũ de creatura æterna dicitur,ſemper in tota æternitate eſſe,& nõ eſſe, non quidẽ ſimpliciter,& abſolutè,ſed eſſe à Deo,nõ eſſe de ſe. Quod breuiter,ſed perſpicue explicauit Ioannes de Neapoli ſup.ad 1.init.propoſitũ,dicens,*non eſt inconueniens dicere,quod creatura habeat ſimul nõ eſſe à ſe, & eſſe ab alio,ſcilicet à Deo:ſicut & aër ſimul habet lucem à ſole,& ex ſe eſt tenebroſus,ſeu carens luce.* Ioannes de Neapoli.

Per æternam creationem non tranſiri de contradictorio in contradictorium, ex Ariminenſi & Capreolo.

Ex quibus ſequitur quod docuit Ariminenſis 2.d.1.q.3.art.1.ad 8.& iiſdem verbis ſequutus eſt etiã Capreol.q.1.art.3.ad 5.aliorũ,Deũ creantẽ liberè ab æterno nõ trãſire de cõtradictorio in cõtradictoriũ,ſicut nec cũ liberè prædeſtinat, aut præſcit,quia, inquiũt,*ſi Deus ab æterno produxiſſet,nunquã fuiſſet verũ,ipſũ nõ produxiſſe:& per conſequens non tranſiſſet à nõ producere in producere,vel à nõ produxiſſe in produxiſſe.* Eademq;ratione addũt infra,quòd vniuerſaliter hæc eſt falſa, *quidquid eſt in potentia ad duo contradictoria, ſi acquirit vnũ,relinquit reliquũ.* quia creatura facta ab æterno,quæ potuit fieri,& non fieri,eſſe , & non eſſe ab æterno,acquirẽdo eſſe nunquã reliquiſſet nõ eſſe.

Æternitatem non pugnare cum contingẽtia creaturæ.

29 *Tertia obiectio.*

Obiicitur 3. aliud præcipuũ aduerſariorũ fundamentũ;Creatura vt creatura,eſſentialiter eſt ens cõtingens,hoc eſt,ita pendens à libera Dei voluntate in fieri,& in eſſe,vt poſſit ſimpliciter nõ fieri,& nõ produci;ſed ſi æternitas coniungeretur cũ creatura, hæc eſſet ens neceſſariũ,hoc eſt,per totã æternitatem non poſſet nõ eſſe. Ergo huiuſmodi cõiũctio deſtruit cõtingẽtiã,& cõſequẽter,eſſentiã creaturæ.

Aſſumptum probatur primo.

Minor,quæ falſa ſimpliciter eſt,probari poteſt 1.per 5.rationem, qua cõtra noſtrã cõcluſionẽ vtitur Tolet.ſup.ſi creatura æterna,eſſet cõtingẽs, & potuiſſet non produci, vel potuiſſet non produci ante productionẽ, vel poſt productionẽ,vel in ipſa productione,nõ ante,tunc ſi. Deus fuiſſet aliquando potens producere & nõ producẽs,ergo nõ fuiſſet ſẽper & ab æterno producens; ergo res producta, & creatura, & creatio non fuiſſet æterna.

æterna. Nõ post, quoniã semel productũ, per nullam potentiã potest non esse productũ. Nõ deniq; in ipsa productione, quia res dũ producitur, non potest non produci, si. n. nõ produceretur, esset simul produci, & nõ produci eiusdẽ rei, quæ sũt cõtradictoria. 2. nõ potest assignari aliqua duratio, in qua Deus potuisset nõ creare id, quod ab æterno cõtingẽter ac liberè creare ponitur. Ergo si Deus crearet ab æterno, crearet necessariò. 3. creatura æterna nõ posset, etiã per absolutã Dei potẽtiã, annihilari per totã æternã durationẽ: fingamus enim illã annihilari, à Deo, vel annihiletur ab æterno; & hoc implicat, quia annihilari ab æterno, importat nõ habere esse ab æterno; creatura verò æterna, est creatura habẽs esse ab æterno; idẽ igitur haberet, & non haberet esse ab æterno, quæ est aperta implicantia: vel annihilaretur in aliquo instanti, ante quod nõ præcesserit infinita duratio, & non hoc est possibile, sequeretur enim totã æternitatẽ esse finitã durationẽ ex vtraq; parte, ante, & post; scilicet illo instanti, & alio hodierno; nã constaret ex illa parte ante illud instans in quo ponitur creatura annihilare, quæ pars finita esse dicitur, & ex alia parte quæ cõtinetur intra illud instãs annihilationis & aliud hodiernæ durationis: ergo tota æternitatis duratio esset finita. Si igitur annihilanda est creatura æterna, necessario est expectanda æternitas, & infinita duratio. Ergo creatura æterna habere necessario debet esse omnino indefectibile per æternã, & infinitã durationẽ. Ergo esse simpliciter necessariũ. Ergo vbi est æternitas, ibi existentiæ necessitas reperitur contradicens essentiali contingentiæ creaturæ.

30 *Primum nõ bene solui ab Ocham, & Gabriele.*

Respondeo ad 1. ita solui ab Ocham. 2. d. 1. q. 8. lit. M. quem sequitur Gabriel q. 3. ad vltimum, *Potest dici quod si mũdus fuisset ab æterno, quod necessariò Deus produxisset mundũ, sicut dixerũt Philosophi, & nõ contingẽter; quia hoc posito, nihil est ante, nec in æterno, propter cõtradictionẽ; ergo necessariò produxisset. Si dicas, quod Deus nihil agat necessariò, verum est, necessario de facto, licet cũ hoc, stet, quod potuit egisse aliquid extra se necessario; & tũc ista, mũdus fuit ab æterno, est absolutè necessaria, quia nũc est vera, nec poterit esse falsa.* Hæc autẽ respõsio videtur prorsus absurda in sana Theologia; quia quod Deus libere agat ad extra, est in Deo perfectio simpliciter simplex, cuius generis perfectiones à Deo tollere nõ solũ de facto, sed etiã de possibili, nefas est. Neq; enim Deus ad extra liberè agit, quia agit in tẽpore, sed quia facit res à perfectissima natura sua infinitè distantes, quibus nullo modo indiget. Quæ imperfectio tã cõuenit creaturæ factæ in tẽpore, quã si fieret ab æterno. Et si aliquando ponitur creatura ita esse, vt absolutè, & simpliciter nõ possit nõ esse, idẽ Angelus, v. g. factus in tẽpore, qui proinde potuit nõ esse, differret nõ solũ specie, sed etiã pluspluã genere à se ipso facto ab æterno, quoniã esse absolutè necessariũ, & esse absolutè cõtingens, debẽt inter se differre pluspluã genere; & prẽterea, procedere à suo principio, vt ens absolutè necessariũ, nõ esset propriũ diuinarũ personarũ procedẽtiũ, cũ dicatur, posse creaturã cũ eadẽ absoluta necessitate à Deo procedere: Vnde Ariani nõnullã erroris sui cõfirmationẽ trahere posset. præstaret igitur æternę creationis possibilitatẽ negare, quã eam defendere, ponẽdo in Deo absolutã necessitatẽ operãdi ad extra & in creatura absolutã necessitatẽ essẽdi.

31 *Respondetur cum Ægidio, & Durando, Deũ, si creavet ab æterno posse ab æterno nõ creare.*

Aliter igitur respõdẽdũ cũ Ægid. 2. d. 1. p. 1. q. 4. ar. 2. tribus colũnis ante finẽ, Dur. q. 2. ad 3. *Dici debet*, inquit Ægid. *quod si Deus fuisset mũdũ ab æterno, potuit nõ facere, quãdo fecit, vt potuit nõ facere ab æterno, quod ab æterno ponitur fuisse: nõ quod simul potuisset facere & non facere, sed quia in potestate sua erat alterũ horũ eligere, & secundũ electionẽ agere.* Et acute loquitur diuerso modo de creatura, in qua nõ est libertas vt fiat, vel non fiat; & de creatore, in quo tantũ est formaliter libertas vt faciat vel nõ faciat. Sic enim subdit nõ solũ de productione æterna, sed vniuersaliter de quauis alia productione in instãti tẽporis; *si mũdus ponitur ab æterno factus, nõ potest esse nõ factus, & quandocũq; ponitur factus, nõ potest esse nõ factus: tamẽ quãdocũq; fuit mũdus factus, siue ponitur ab æterno factus, siue in tẽpore, prius nõ durationẽ, sed natura, fuit in potestate causæ ipsũ facere, vel non facere, quã esset factus. Propter quod nõ ex necessitate, sed ex libera Dei volũtate, fuit mũdus factus.* Sic etiã respondet Capreol. 2. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 2. principale Scoti, dicens, *si Deus produxisset mũdũ ab æterno, adhuc absolutè potuit eũ nõ producere in tota æternitate. sed ex suppositione necessariò produxisset; sicut Deus prædestinauit Petrum ab æterno, nec aliqua potẽtia præcessit illã prædestinationẽ per quã posset impediri ne Petrus prædestinaretur; & tamẽ absolutè considerando Deũ, & Petrũ, possibile fuit: Deũ nõ prædestinare Petrũ; sed ex suppositione factũ est impossibile. scilicet quod prædestinauerit eũ in tota æternitate.* Et infra ad 2. aliorum, clarius dicit, *quod posito, quod Deus ab æterno produxisset mundũ, adhuc potuisset eũ non produxisse: & hoc, nõ prius quã produxit, sed cum illũ produxit, scilicet in toto tẽpore infinito.* Itẽ Arimin. 2. d. 1. q. 3. ar. 1. ad 2. fi. ait: *quod quãdo Deus produxit, & quãdocũq; produxit, potuit nõ producere.* Cuius veritatis ratio à priori est, quã assignat Dur. sup. quia præcedẽtia, vel nõ præcedẽtia tẽporis, nihil facit ad hoc, quod aliquid à Deo procedat liberè, vel necessariò. *Tota .ñ.* inquit Dur. *ratio libertatis, vel necessitatis sumẽda est ex habitudine potẽtiæ ad obiectũ. Volũtas autẽ non necessitatur nisi respectu finis, vel eorũ, sine quibus finis haberi nõ potest, vel cõseruari. Nihil autẽ tale inuenitur in creaturis respectu diuinæ bonitatis, quæ est finis omniũ: & ideo nihil creatũ est à Deo, necessariò voliũ, vel productũ.* Quãuis igitur implicet, idẽ simul esse, & nõ esse, vt creaturã creari, & non creari, me currere, & nõ currere; tamẽ nulla est implicantia, vt aliquid, simul sit, & possit nõ esse, scilicet per respectũ ad causam liberam, quæ quia quando facit aliquid, tunc facit per formalẽ suã libertatem, in illud libere influendo, ita facit, vt tunc maximè cum facit possit nõ facere. v. g. non implicat, me currere, & simul posse non currere, creaturã fieri, & simul posse non fieri; sicut à cõtrario, aliquid simul non est, & potest esse; vt ego in hac hora qua non curro, possum currere; & Antichristus hodie nõ creatur: & potest creari, & hic mũdus nõ est creatus vno anno ante, & tamen sine vllo dubio à Deo potuit vno anno ante creari. Neque enim sunt contraria, esse & posse non esse, sicut neque contraria sunt, non esse, & posse esse. Hæc igitur simul esse possunt, dummodo res non sit determinata, vel ad esse, vt Deus, vel ad non esse, vt chimæra; quam determinationem nõ habet creatura, quę ex natura sua est indifferens ad esse, & non esse, ad creari, & non creari. Verum negandũ non est, rem, quæ siue in tempore, siue ab æterno à Deo libere simpliciter creatur, creari necessariò ex suppositione, siue in sensu composito, quia libertas in faciendo, non est libertas ad componendum in re simul facere, & non facere, sed solum ad ponendum in re vel facere, vel non facere, prout libuerit. De cuius generis necessitate accipiendum est illud Philosophi l. 2. Peri her. c. vlt. *omne quod est, quando est, necesse est, esse.* Qua in re diligenter aduertendum est, quod cũ dicitur res posse non fieri quando fit, illud, *non fieri*, potest considerari dupliciter, primo per se, & absolutè, secundò cum respectu coniunctionis ad fieri quãdo igitur res liberè fit, tunc datur potẽtia ad nõ fieri primo modo, non autẽ secũdo modo. Res enim quãdo fit, potest quidem simpliciter non fieri, quia fieri in re positum est fieri, in eo instãti potuisset non poni, & tunc non daretur fieri, sed non fieri; non autẽ existere possunt, simul coniuncta nõ fieri, & fieri. Quod autem æternitas nihil planè obstet huic libero modo operandi

Idem ex Capreolo, & Arimin.

Causam liberam posse non agere, ch egit.

Sed ex suppositione necessario agere.

Aristotel.

Quomodo res possit non fieri quando fit.

operandi in actu secundo, egregiè sentiunt Durand. & Capreolus supra exemplo prædestinationis æternæ, & eadem ratio est de æterna voluntate faciendi mundum in tempore: verissimè enim, & formalissimè est in Deo ab æterno velle liberum in actu secundo, quidquid illud sit, vbi non solum res ipsa extra Deũ, ad quam terminatur prædictum velle, potest esse, vel non esse in tempore, sed principalius etiam ipsummet velle rei ad extra, quod ponitur in Deo ab æterno, potuit simpliciter & absolutè non poni ab æterno in Deo, alioqui non fuisset ab æterno simpliciter, & absolutè liberum in actu secundo. Ergo sicut de facto omnes tenemur admittere in Deo ab æterno ista duo simul, velle libere saluare, seu creare, & posse nõ velle saluare, seu creare; ita mirum esse non debet, si nos de possibili admittamus simul ab æterno, liberè creare, & posse non creare.

32 *Secundum solutur ex dictis. Ad tertium creaturam non posse annihilari in æternitate.*

Ad secundum patet ex modo dictis, Deum in ipsa æternitatis duratione in qua creat, potuisse non creare; quemadmodũ in eadem, & voluit actu creare mundum in tempore, & potuit non velle actu creare mũdum in tẽpore. Ad tertium ibi probatũ rectè esse, creaturã æternam non posse annihilari nisi post transactam æternitatem; tamen si assignari nequeat instans in quo præcisè transacta sit æternitas, & non fuerit ante, & ante in infinitum transacta: & consequenter, non datur præcisè aliquod instans, in quo Deus possit annihilare creaturam æternam, sed potuit annihilare ante, & ante in infinitum, semper tamen post æternitatem, vt docent Capreol. sup. ad 4. eorum quæ proponit 4. loco, & Arimines. sup. ad 15. sicut etiam dicunt aduersarij, creaturam semper & semper, ante & ante fuisse producibilem, non tamen ab æterno. Hoc autem non posse annihilari nisi post æternã durationem, non arguit indefectibilitatem simpliciter, & omnimodam, necessitatem creaturæ, sed solum ex suppositione; nam posito quod Deus liberè voluerit illam durare ab æterno, quæ duratio ab æterno essẽtialiter includitur in creatione æterna, ac proinde, posito quòd illa ab æterno actu duret, non potest Deus non velle, neque creatura non durare. Simpliciter tamen, & absolutè loquendo, & Deus liberè voluit creare, & creauit ab æterno, cum potestate, & indifferẽtia ad oppositum; & per consequens ipsa etiam res creata ab æterno, potuit nõ creari ab æterno.

33 *Deus ab æterno potuit nõ creare, sed non potuit annihilare.*

Dices, Deus ab æterno potuit non creare Angelum v. g. ergo potuit etiam ab æterno annihilare. Respondeo, negando consequentiam; neque enim idem sunt non creare, & annihilare: quoniam non creare, importat puram creationis & existentiæ negationẽ, quæ potuit esse, & de facto fuit ab æterno. Quapropter ad posse non creare ab æterno, requiritur solum libertas in agente habente potẽtiam creatiuam ab æterno, quæ omnia cum sint in Deo, potuit Deus libere non creare ab æterno. Annihilare verò importat actionem, seu negationem, ac destructionẽ quandam, qua tollitur creatio, & existentia rei creatæ: & ideò essentialiter præsupponit creatam existentiam, & creationem in actu positam; & prætera dicit negationem creationis, & existentiæ, ad quam negationem, ranquam ad terminum ad quem, annihilatio essentialiter tendit. Si igitur annihilatio est ab æterno, ergo durat per totam æternitatem; ergo in tota æternitate datur non esse simpliciter creaturæ. Esse autem simpliciter, quod essentialiter præsupponit annihilatio, non potuit præcedere æternitatẽ; ergo datur in eadem æternitate: ergo per totam æternitatem fuissent simul permanenter esse simpliciter, & nõ esse simpliciter eiusdem Angeli; quod cum manifestè implicet, sequitur necessario, Deum nõ posse annihilare aliquid ab æterno. Addidi illud, *permanenter*, vt satisfaceret tacitę obiectioni de ente successiuo æter-

Quomodo generetur & corrumpatur ens successiuum.

no, v. g. de tempore, si ab æterno daretur, hoc enim quamuis num quam haberet aliquid permanens, sed totum semper esse in continua successione, tamen non propterea haberet simul in æternitate esse simpliciter; & non esse simpliciter; nec, quod idem est, in tota æternitate simul generaretur, & corrumperetur. Enim verò esse entis successiui, non est permanens, sed succedens. Ergo vt ens successiuum intelligitur fieri, & esse, debet intelligi fieri, & esse successiuè, non autem fieri, & esse permanenter. Ergo tempus æternum, quia semper fieret, & esset successiuè, haberet in tota æternitate suum fieri, & esse simpliciter: ex eo autem quod, non permaneret in tota æternitate, non sequitur, quod simul corrumperetur, & haberet non esse simpliciter in nõ fieri, & non esse permanenter, & si tollat fieri, & esse entis permanentis, tamen non tollit, sed explicat potius, & supponit positiuũ fieri, & esse entis successiui, in quo fundatur negatio prædicti entis permanentis. Ex qua subtilissima entis successiui natura oritur, vt eius generatio, aut corruptio, poni nõ possit in aliquo instãti intrinseco, in quo poni quidem potest aliquid permanens totũ simul, nõ autẽ aliquid succedẽs per partes, vnã post aliã; sed necessario ponẽda sit in aliquo instãti extrinseco, in quo vel vltimo non sit, & immediatè post erit, vel primò non sit, & immediatè antea fuerit. Sed hæc pluribus persequi, non est huius loci.

Qua ratione creatura produceretur, & conseruaretur in æternitate.

34 *Quart iectio.*

Obiicit quarto, Creatura vt sit ab æterno, debet creari: sed quidquid creatur, præsertim si fuerit ens formaliter indiuisibile, vt Angelus, vel anima nostra, vel etiam punctum, quod multi non improbabiliter concedunt, & purant posse fieri separatũ à solo Deo per creationem, debet creari in aliquo primo instãti, siue in aliquo instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili; alioquin haberet partes saltẽ virtuales, quarũ altera crearetur in vna parte virtuali durationis virtualiter diuisibilis, & altera in alia parte eiusdẽ durationis. Sed in æternitate manifestè implicat primũ instãs, vel instans formaliter, & virtualiter indiuisibile; hoc enim est formalissimum incipiendi principium, quod contradicit cuilibet durationi æternæ à parte ante; sicut finis contradicit durationi æternæ à parte post. Ergo implicat, creaturam ab æterno produci absque vllo durationis principio.

Respondetur cum Durãdo, & Capreolo, creaturam æternam produci in nunc æternitatis.

Respondeo cũ Durand. 2. dist. 1. q. 2. à n. 15. ad 21. quẽ ad verbũ refert, & multũ laudat Capreolus q. 1. art. 3. ad 7. Aureoli, cuius est hoc argumentũ, fal[illegible] esse minorem primam. Creari enim in aliquo pr[illegible] instanti, vel in instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili, non cõuenit omni creaturæ, nec consequenter creaturæ vt creatura est, sed solum creaturæ habenti nouitatem essendi. Creatura verò vt creatura est, creari quidem debet in aliquo instanti, hoc est, in aliqua duratione indiuisibili; tamẽ vel in instanti tẽporis formaliter, & virtualiter indiuisibili, qua ratione creari debet creatura tẽporanea, quæ producitur cum nouitate essendi, vel in instanti æternitatis formaliter indiuisibili, virtualiter verò infinitè diuisibili; quod instans est ipsamet æternitas in qua produci debet creatura æterna, & absque vllo principio, ac nouitate essẽdi. Cũ igitur æternitas ex natura sua sit quædã duratio, quæ nunquã incœpit, aut inirũ habuit, non licet in productione creaturæ ab æterno, inquirere, & assignare productionis principium, aut primum aliquod instãs, in quo creatura producatur: quandoquidẽ æternitas, in qua creaturam produci posse dicimus, nullum habet principiũ, neque prius, aut posterius, formaliter. Nec ad intelligendam correspondentiam creaturæ indiuisibilis, etiam si fuerit punctum,

punctum, cum duratione virtualiter diuisibili, est necessarium intelligere in illa creatura partem, & partē; sed satis est intelligere totam illam indiuisibilē, creaturam: totamque indiuisibilem eius productionem, & ipsam indiuisibilem æternitatem, in qua producitur, correspondere singulis partibus formalibus alterius durationis formaliter diuisibilis: Sic enim indiuisibiliter, & absque vllis partibus in se, intelligimus Deū totum correspondere singulis mundi partibus, & totam ipsius æternitatem correspondere singulis partibus temporis, sicut etiam totam animam nostram singulis partibus corpor. Quapropter Capreol. sup. bene negat Aureolo, *quod omnis productio creaturæ ex vi. qua est productio creaturæ, habet quòd mensuratur instanti transeunte: sed mensurari potest nunc stante, quod potest coëxistere infinitis instantibus, & multis, vel paucis nunc temporis fluentibus, secundum quod placet creanti.*

35 *Cōfirmatur responsio duobus exēplis.*

Qua in re prudenter corrigere debemus imaginationem, rebus diuisibilibus concipiendis assuetā, cui aliqui nimis indulgentes, immeritò pronunciant hāc obiectionem esse demonstratiuam. Hinc enim Hæretici Ariani demōstratiuè ad hominē impugnare facile possent æternā Verbi generationē. Verbū enim, inquiūt, est genitū. Ergo in aliquo instanti. Ergo in aliquo primo instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili, ergo incœpit, & erat quando nō erat. Hāc rationē nullius esse momēti censere omnes debemus. Verum aliter solui non potest nisi solutione paulo ante data; distinguendo duplex instans, alterū æternitatis, infinitū, sine vllo principio, in quo diuinum Verbum generatum fuerit: alterū temporis, initium, & essendi nouitatē includens, in quo non res æternæ, sed temporaneæ, & de nouo incipientes producantur, de quo solū procedit ratio facta. Hinc etiam sumi posset grauis occasio negandi in Deo ab æterno actus liberos; quia etiā Deus in instanti liberè decernit aliquid: ergo sicut diuinum decretum omnino indiuisibile intelligitur esse liberè in instāti diuisibili virtualiter, & nō est necessariū intelligere illud in aliquo primo instanti, formaliter; & virtualiter indiuisibili: ita potest intelligi creatura liberè à Deo procedens ab æterno absque vllo primo instanti: Ex quibus duobus exemplis, ad hanc veritatē persuadendam aptissimis, & propterea non semel superius inculcatis, animaduertere licet, Christianos Philosophos ad possibilitatē creationis æternæ defendendam, valde propensos esse debere; non solum quia hoc modo de æterna, infinitaque Dei omnipotentia honorificētius sentimus; sed multis magis, quia aliter æterna filij Dei productio, & actus liberi diuinę volūtatis, qui ab æterno in Deo fuerunt, & potuerunt non esse, saluari atque intelligi æquè rime queunt. Vbi etiam acutè aduertēdum cum Durando 2. d. 2. q. 4. n. 3. idem esse instans, siue nūc æternitatis, & æternitatem, & instans siue nunc æui, & æuum; quia æternitas, & æuum sunt ex natura sua durationes indiuisibiles; ergo in illis nō possunt assignari, & nunc, siue instans, & aliquid aliud præterea; hoc enim necessario esse deberet extensum, & diuisibile, quo carent.

36 *Quinta obiectio.*

Obiicies 5. Creatura æterna nunquā magis creata esset, quā hodie crearetur; quia idem prorsus creatiuæ actionis influxus, quo formaliter res creatur, perseuerare necessario deberet per totā æternitatem. Sed hodie non crearetur, sed tantum conseruaretur; ergo numquā antea fuisset creata. Confirmatur, quia creatura, quæ creata ab æterno ponitur, non potest conseruar in tota æternitate; quia conseruatio essentialiter connotat productionē in aliqua præcedenti duratione factam; nulla autē duratio cogitari potest ante totam æternitatem. Ergo nulla creatura potest permanere in esse ab æterno; ergo nec accipere esse per æternā creationem.

Respondetur negādo maiorē.

Respondeo; negando maiorē. Quamuis enim creatura æterna hodie eodem modo creetur, quo creatur in quocunq; determinato instanti, signabili in infinita duratione præcedenti; (sicut enim ante hodiernū instans, præcedit aliud, in quo etia fuit, ita ante quodliber instans, assignabile prius, & prius in infinitum, semper præcedit infinita alia duratio, hoc est, ipsamet æternitas à parte ante, in qua habuit creatura esse) tamen diuerso modo creatur ab æterno, quo creatur hodie. Etenim ab æterno, siue in instanti æternitatis ita creatur, vt ante æternitatem nullū instans signari possit, in quo habuerit, vel nō habuerit esse: æternitas enim quamcunq; signabilē durationem comprehendit. Hodie vero ita habet esse, vt illud etiam præhabuerit, ante, & ante in infinitum.

37 *Minorem quoque esse falsam.*

Minor quoque, qua dicitur, quod creatura æterna hodie non crearetur, est simpliciter falsa; quia, vt rectè dicebatur in maiori obiectionis, hodie etiam perseueraret ille idem influxus, qui est formalis ratio creandi quidquid creatur. Quemadmodū Psal. 2. vt exponūt omnes Patres, & Scholastici, de quibus sup. q. 27. ar. 1. n. 68. 2. & 73. & ar. 2. n. 3. Deus Pater dicit Filio suo, quem ab æterno genuit, *Ego hodie genuite.* 2. Neq; ex eo quod ęrerna creatura hodie cōseruaretur, potest rectè deduci, quod hodie nō crearetur; quia vt sup. q. 45. ar. 3. n. 35. notaui cū S. Th. & Capreol. creatio, & conseruatio, sunt vnus, & idē formalis influxus, & differunt solū extrinsecè penes aliquod connotatū: creatio enim, vt creatio præcisè, dicit solū accipere esse ex nihilo: conseruatio vero dicit idē, & solum addit accipere esse, quod etiā antea fuerit acceptum. Cōnotat igitur, rem præfuisse in aliqua præcedenti duratione: illud enim omnes dicimus, & concipimus conseruari, quod habuit aliquando esse, in quo nunc etiā perseueret. Ergo res siue ab æterno, siue in tempore creata, séper ac conseruatur, & durat idem concursus creatiuus, dici optimè potest creari, & non solum conseruari, vt dicit Capreolus 2. d. 1. q. 1. ar. 3. init. cum S. Th. Ariminensi, & Durando.

38 *An creatura æterna conseruetur in æternitate.*

Ad confirmationē, aliqui negant antecedēs, dicentes, creationē æternam non differre à conseruatione. Sed si de his vocibus rectè loqui volumus in propria significatione à sapientibus communiter vsurpata, id negari nō potest: quia creatio, vt æterna, supra influxū, qui essentialiter includitur etiā in conseruatione, addit actualē negationem connotationis existentiæ præcedentis, creatio enim æterna, quatenus eterna, significat rem ita accipere esse à Deo, vt nulla signari possit præcedens duratio, in qua verū sit dicere, creaturā in illa non extitisse, itaq; actu negat huiusmodi connotatū præcedentis durationis, siue existentiæ cū tota possibilem infinitæ durationis extensionē ambiat. Conseruatio autē actu includit huiusmodi cōnotatū præcedentis existētiæ. Creatio igitus simpliciter, nihil cōnotat, sed solum dicit accipere esse. Creatio vt tēporanea, dicit rē non extitisse in duratione præcedēte: contra vero conseruatio, séper dicit, præfuisse existentiā in aliqua præcedenti duratione. Creatio verò vt æterna, neque includit negationē existentiæ in duratione precedente, vt creatio tēporanea; neq; connotat rē antea fuisse, vt conseruatio; sed dicit, nullū esse assignabile præcedens durationis momentū, in quo res non existat, & non producatur, cū in tota æternitate res producatur. & existat, & ante æternitatē nullum intelligi possit instans, in quo dicere liceat, fuisse vel nō fuisse id quod creatur ab æterno; illud enim instās esset quidā terminꝰ durationis à parte ante, qui terminus repugnat cū durat. infinita, & æterna à parte ante.

39 *Pr ma pars negatiua.*

Ex quo patet conseruationē, & æternitatē implicare: nā conseruatio vt conseruatio supponit creationē præcedentem, ac proinde connotat rem existentē ante eā: æternitas vero nihil reale, ante ipsū factū, præsuppo

supponere potest. Quæ ratio non habet locū in productione, seu creatione, quia hæc nihil aliud dicit nisi accipere esse, quod contingere potest sine vlla durationis precedentia, & essendi nouitate, cū non connotet aliquid prius, in quo res prefuerit, vel sub esse, vel sub non esse. Quare valebit dicere de creatura æterna, in instanti æternitatis creatur, non conseruatur; & ideo neganda est cōsequentia prædictæ cōfirmationis, cū ex eo quod creatura æterna non conseruetur in æternitate, deducitur quod in eadem æternitate nō permaneat in esse, nec accipiat esse permanēs, ac proinde non creetur: nam etiā res durans siue existēs per vnum tantū instans, vt generatio formæ substantialis, & ipsū instans temporis in sentētia illud realiter admittēte, & Angelus in instanti creatus, & nō conseruatus in tempore sequenti, quod nōnulli possibile esse probabiliter putant, ita existit in aliquo instanti, vt in illo dici non possit propriè conseruari; quia tunc primo accipit esse, quod antea nō prærat. Quamuis si per conseruationē æternā, intelligamus conseruationē, quæ sit in quocunq; instanti determinato, assignabili, illa siue dubio concedenda est in æternitate, siue in creatione æterna; in qua, sicut nunquā verū est dicere, nunc creatura incipit, sed semper ante, & ante in infinitum, habuit esse; ita semper in quocunq; instāti verū erit dicere, nunc creatura conseruatur; quia quolibet assignato nūc, semper ante illud nunc præcedit esse illius creaturæ; quæ præcedentia ad conseruationē requiritur, & in tota collectione, ac latitudine æternitatis reperiri non potest. Posset deniq; creatio æterna dici etiā conseruatio, si paulò aliter, & largius vsurpetur nomē conseruationis vt nimirū significetur res ita fieri, vt in ipsa duratione qua fit non corrūpatur: sic enim creatura æterna cōseruaretur in ipsa tota æternitate, quia tunc fieret, & non corrūperetur. In qua sententia conseruatio præsupponeret productionē præcedentē natura tantū, non duratione, quia prius natura est rē fieri, quā non corrumpi factā. Verum cū in eodem instanti rem fieri, & corrūpi, ac proinde esse, & non esse, secundū communissimā sententiā manifestè implicet, hæc conseruationis acceptio, ex eo tantū quod in re nō reperiatur, quod reperiri repugnat, nō videtur à bonis Philosophis vsurpanda: alioqui dici pariter posset conseruari instās vel instātanea formæ substantialis generatio, vel Angelus durans per vnicum tantū instans. Quæ omnia longe distant à communi modo sentiendi, & loquendi omnium sapientum: qui omnes conseruationem accipiunt, non negatiuè pro negatione corruptionis rei existentis; sed positiuè pro permanentia, seu perseuerantia, & continuatione in esse antea accepto.

Respondetur durantem per vnum instans non conseruari.

Quomodo creatura dicitur large posse conseruari in æternitate.

Æternitatem non pugnare cū mutabilitate creaturæ.

40 *Sexta obiectio.*

Obiicies 6. Creatura vt creatura, dicit esse aliquid mutabile, ac mobile: æternum verò vt æternū, dicit esse aliquid immutabile, & immobile; quod enim nō perseuerat idē in tota æternitate, manifestum est dici non posse esse ab æterno, ergo implicat aliquid esse simul creatum & æternum.

Respondetur creaturam æternam esse mutabilem in actu primo non in actu secundo.

Respondeo. Ad æternitatem cuiuscunq; creaturæ, necessariò requiri, vt nullū esse quod ab æterno accipere dicitur creatura, idē omnino per totā æternitatem inuariabiliter retineat; v. g. si ab æterno accipiat creatura existentiā, vel fiat ab æterno cū aliqua vna intellectione, vel cū quiete, vel cū motu, nulla ratione potest intra ipsā æternitatē, siue ante transfactā æternitatē, ab esse, vel ab illa intellectione, vel à quiete, vel à motu deturbari. Itaq; distinguēdū est antecedēs obiectionis. Mutabile enim, seu mobile, sumi potest primò in actu 1. pro potētia ad mutationē simpliciter, vel motū simpliciter; & hæc est mutabilitas, quam requirit creatura, vt creatura est; per hāc enim sufficiēter distinguitur à Creatore, qui cuiuslibet mutationis est simpliciter incapax. Hāc verò mutabilitatē haberet etiā creatura æterna, tū quia illa poterat, & ab æterno, & simpliciter nunquā fieri: tū quia posset, æternitate tamē præterita, annihilari, retardarià motu, vel intellectione, si ab ęterno mota esset, vel intellexisset; itē moueri, si per ęternā durationē quieuisset. 2. in actu etiā 2. pro potentia ad actualē mutationē, quæ séper actu coniuncta sit cū ipsa potentia: & sic non necesse est esse mutabilem creaturam, imò id implicare etiā potest: sicut enim repugnat, me in hac hora scribentē, non scribere in hac hora, ita repugnat, creaturam in æternitate existentē vel intelligentē, vel quiescentem, in eadē æternitate nō existere, vel non intelligere, vel moueri, & non quiescere. Atq; hāc solā immutabilitatē ex suppositione, quæ creaturæ nō repugnat, dicunt res æternę, imò etiā res tēporales, vt probauimus. Creatura igitur æterna, quatenus æterna, esset in ipsa æternitate mobilis, & non mobilis; diuersa tamē ratione, mobilis quoad potentiā simpliciter, immobilis quoad potentiā coniunctam cū exercitio actus, nō simpliciter, sed secundū quid, hoc est, in aliqua tantum duratione, siue infinita, siue finita.

41 *Extenditur prædicta responsio.*

Quæ responsio locū habet, etiā si in opinione Durādi, vt infra referā, & impūgnabo, dicamus implicare motū Cœli æternū, non tamen implicare ab æterno ipsum Cœlum mobile. Quāuis enim implicet potentia ad actum implicantē simpliciter, hoc est, nullo tempore, sub nulla circumstantia possibilē; tamen nō censenda est implicare potentia in aliquo tēpore, ut in aliqua circūstantia, in qua implicat actus. Enim verò de intrinseca ratione potentiæ nō est actualis coniunctio cū actu; ergo non est impossibile cū potentia cōiungi aliquod impedimentū, cum quo implicet actus: satis enim est, illud impedimentū nō esse connaturale potētiæ, sed posse ab illa separari. Et habemus aptissimū exemplū ad hominē, quoniā aduersarij putāt implicare motū, & creationē ab æterno; & tamen de facto est in Deo potētia æterna mouendi, & creādi. Sicut igitur per aduersarios datur in Deo ęterna potentia ad actū possibilem, non in æternitate simul cū potentia æterna, sed in tempore post æternitatem; ita mirum esse nō debet, si nos ponamus creaturā cū æterna aliqua potētia, quæ non in ęternitate, sed post ęternitatem coniungi potest cū exercitio actus. Plura de hoc argumēto scripsimus in 1. tom. q. 7. art. 3. n. 17.

DVBITATIO II.

An æternitas repugnet creaturæ permanenti.

SVMMA.

1 *Repugnat creaturæ permanenti corruptibili, si relinquatur naturæ suæ. num. 42. ad. 45.*

2 *Non repugnat creaturæ incorruptibili ex natura suæ. num. 45.*

3 *Corruptibile fieri simpliciter potest ab æterno. n. 46.*

42 *Connexio cum præcedentibus & sequentibus.*

POst disputationē de æternitate creationis in communi, reliquum est disputare magis distinctè de æternitate creationis rerum particularium. Quamuis enim æternitas non repugnet creaturæ in quantum creatura est, posset nihilominus repugnare tali creaturæ, inquantum talis est. Et ideo de singulis creaturarum generibus considerādum est, an in illis sit aliqua particularis ratio pugnans cum æternitate; in qua consideratione breuiores erimus, quia pendet ex multis modo dictis de æterna creatione in genere, & in tomo 1. de infinito, cui multum affinis est æternitas, quæ & ipsa in se infinitas quædam est, & cum aliarum rerum infinitatibus miscetur, vt notaui loco citato dub. 12. num. 3.

43 *Nihil corruptibile re-*

Prima conclusio implicat rem aliquā vnā permanentem corruptibilem, v. g. hominem, produci ab æ-

licitum suæ naturæ potest ceri ab æterno.

terno,relinquendo illam suæ naturæ, vt scilicet actu habeat omnia,quæ naturaliter habere postulat. Hoc nemo,quem sciam , negat:& multi expresè admittunt,vt Ægidius 2.d.1.p.1.q.4.art.2.§. *Prætermisso.* Scotus 8.Phys.q.2.Bagnes hic conc.2.Pererius l.15.Ph. c.vlt.conc.2.& aliis.Ratio euidens est,quia sequeretur, huiusmodi creaturam durare infinita duratione & nõ durare infinita duratione:equus enim v.g.quia supponitur esse ab æterno,deberet habere æternam, & infinitam durationem: quia vero ponitur relictus suæ naturæ ; & vt sic,quia corruptibilis est , & post certum,ac definitum tempus naturaliter desinit esse, haberet durationem finitam v. g. triginta annorum. Ergo haberet durationem infinitam. & non infinitã; ac proinde esset æternus,& non æternus; quæ sunt manifestæ implicantiæ. Neque vrget fundamentum Suarez in Metaph.d.20.sect.6.n.16.vbi videtur cõtrarium dicere, ex eo quod res corruptibilis non posset in æternitate à contrariis pati,& corrumpi, vt infra n.48.dicã de igne,& stupa:nam hoc non esset de natura simpliciter rerũ corruptibiliũ, sed secundum quid,nimirum ex suppositione quod sint ab æterno.

Suarez.

44 *Probatur ratione Ægidij.*

Confirmatur ex Ægidio,quia si aliquod generabile fuisset ab æterno,& corrumperetur,provt postulat eius natura cui relinqui supponitur,prius fuisset eius generatio , quam corruptio: neq; enim fingi possunt simul in eadem æternitate eiusdem rei generatio, & corruptio,sicut necesse,& nõ esse simul. *Ergo*,inquit, Ægidius, *illud generabile præcederet suam corruptionem æternitate. Nam*,vt idem benè probat,*æternum præcedit æternitate omne quod est post æternitatem* , sicut esse deberet corruptio rei generabilis creatæ ab æterno. *Sed amplius*,vt idem subdit , *potest præcedere aliud æternitate,nisi præcesserit illud per infinitum tempus ; nõ potest, ergo aliquod generabile, ab æterno creari , nisi præcederet suam corruptionem æternitate, & per infinitum tempus: & per consequens, oportuisset tale generabile durasse per infinitum tempus,quod secundum naturæ cursum est contrarationem generabilis.* Ergo secũdũ propriæ naturæ cursũ,ens permanens,si fuerit naturaliter corruptibile,nõ potest ab æterno creari,& relinqui naturæ suæ.

45 *Incorruptibile fieri potest ab æterno.*

Secunda Cõclusio,potest vna aliqua creatura permanens,incorruptibilis ex natura,sua,v.g. Angelus, Cælum, anima rationalis, materia prima , ab æterno creari per diuinam potentiam.Hæc conclusio eosdem habet patronos,& aduersarios,quos cõclusio præcedentis dubitationis:& ex dictis ibidem remanet sufficienter probata.Cum enim creatio æterna sit possibilis;non potest conuenientius applicari,quam huius generis creaturis,quæ propter naturalem permanentiam,& indiuisibilitatem,maximè omnium accedunt ad indiuisibilem,permanentemque æternitatis durationem. Neque contra has creaturas ab æterno productas obiici possunt alia,nisi quæ superius contra æternitatẽ creaturæ in communi obiecta;& soluta sũt.

46 *Corruptibile fieri simpliciter potest ab æterno Arimnenses.*

Tertia cõclusio.Potest Deus simpliciter creare ab æterno creaturam permanentem , tamesi corruptibilem ex natura sua.Hoc supponit Ægidius sup.ad 7. secundi ordinis,& non obscurè docuit Ariminensis 2.d.1.q.3.ar.2.ad 5. concedens , *quod Deus potuisset vnum equum fecisse ab æterno , à quo fuissent infiniti successiuè generati , sed nullus fuisset primo genitus* ; & expresè sequuntur Bagnes hic concl. 3. Pererius supra Conimbricenses 8.Phys.c.2.q.7.art. 1. conc. 2.& alij citati supra n.5.& 6.probatur apertè, quia in creatura corruptibili sunt duo, & ipsũ esse creaturæ,& corruptibilitas ipsa. Ratione primi , constat ex dictis in præcedenti dubitatione non implicare. Idé patet ratione secundi;quia illa corruptibilitas per diuinã potentiã impediri potest ab actu corruptionis, & conseruari extrinsecè per infinitam durationem. In hac enim conseruatione non apparet aliqua repugnantiæ ratio;cũ de essentia rei corruptibilis, v.g.hominis,nõ sit exercitium actualis corruptionis , sed solum aptitudo aliqua, seu capacitas , vt nullo posito extrinseco impedimento,siue adiumento,actualiter corrũpatur.

DVBITATIO III.

An motus finitus , & motus localis rectus esse possint ab æterno.

SVMMA.

1 *Implicare motum finitum ab æterno,n.47.& 48.*
2 *Implicare etiam ab æterno motum localem rectum absque reflexione,n.49.ad 54.*

47 *Prima conclusio negatiua de motu finito.* Heruæus. S.Thom.

Prima conclusio, certum est implicare,finitum aliquem motum , v. g. calefactionem vnius horæ, vel circulationẽ hodiernam,vel vnius indiuidui,v.g. hominis generationẽ naturalẽ ab æternitate esse potuisse.Ita Heruæus 2. d.1. q.1. ar.2.§ *ex hoc* & reliqui omnes,vt testantur nostri Conimbricenses l.8.Phys. c.2.q.7.art. 2. init. & ego colligo ex S.Th. hic ad 1, docente,*quod causa efficiens quæ agit per motum, de necessitate præcedit tempore suum effectum;quia effectus non est nisi in termino actionis:agens autem omne oportet esse principium actionis.* Eamdemq; doctrinã repetit opusc. 27.ante med. Hinc ita arguo. Sit v.g.ignis qui statim ac est,calefaciat,& producat calorem vt octo per calefactionem finitam vnius horæ; hic ignis ita productus, & ita agens , esse non posset nisi vna hora ante effectum suum,ergo non ab æterno. Probatur conclusio afferendo manifestam contradictionis rationẽ, ex eo quod prædictus motus esset finitus , & non finitus.Finitus quidem,quia ita ponitur, nõ finitus verò quia ponitur ab æterno , & consequenter esse, & durare per infinitam durationem. Motus autem , qui hoc modo durat,non est finitus,hoc est, durans tantum per vnam horam,per vnum diem,& nõ vlterius.

48 *Corollarij.*

Vnde sequitur,quod si crearentur ab æterno ignis, & stupa,non posset naturaliter agere ignis in stupam per totam æternitatem,sed necesse esset,Deum nolle præbere suum concursum generalem , necessarium igni,cæterisque secundis causis ad agendum,vt rectè notarunt Suarez sup.& Valentia puncto 2. §. *quo fit.* Talis enim combustio non posset durare tempore infinito,quia res,quæ comburitur,est finita neque fieri posset in instanti omnino indiuisibili, quia hoc in æternitate,& duratione infinita à parte ante repugnat, nam esset illud instans terminus, & initium durationis interminatæ,& non habentis initium. Neque etiã in tempore finito , vt probatum est. Ergo non posset sequi talis combustio, nisi transacta æternitate:& tũc etiam non posset ignis ex se inchoare actionẽ , quoniam æternitas non finitur in aliquo certo termino, sed semper ante & ante in infinitum.Quare non esset maior ratio cur ignis inciperet agere in hoc determinato instanti, & non in alio priori. Spectaret igitur ad vniuersalem , infinitamque primæ causæ prouidentiam, determinare instans, in quo talis actio esset inchoanda.

49 *Secunda cõclusio negatiua de motu recto absque reflexione l.8. Phys.t.76.* Heruæus.

Secunda conclusio nullus motus localis rectus absq; reflexione,ab æterno esse potuit.Ita Conimbricenses sup.ex communi Philosophorum consensu:& non obscurè docuit S.Th.de Pot.q.3.ar.17.ad 17.respondens,*quod Arist. non probat ex circulatione motus, eius æternitatem ; sed supposito quod sit æternus,ostendit, quod est circularis : quia nullus alius motus potest esse æternus.*Et satis apertè significauit Heruæus 2.d.1.q.1. art.2.§. *Quod autem.* Limitara est conclusio ad motũ rectũ absq; reflexione:nam motus localis rectus dupliciter contingere potest,vel 1.cũ repetitione eiusdẽ finiti spatij,sup.quod fit, vt cũ quis sæpius itq; reditque Neapoli Romã,& Roma Neapolim : vel 2. sine huiusmodi repetitione,sed cum continua acquisitione

ne noui spatij;& hunc appellamus motum rectum sine reflexione;illum verò cum reflexione,de quo idẽ, quod dubitatione sequenti de circulari, sentiendum est:si enim non implicat,cælum in eodem finito spatio siue reali,siue imaginario,infinitas ab æterno circulationes peragere,quorũ singulæ secundũ se finitę sunt; ita pariter non implicabit , aliquod mobile ab æterno procreatum, lationes rectas à Cœlo in terrã, & à terra in Cœlum,secundũ se finitas,infinities conficere,& repetere potuisse.Par enim omnino videtur ratio, vt patet attentè considerauti vtrumq; motum: quãuis Masius 8.Phys.q.vl.conc.2.contrarium sentiat propter instantaneam quietem in puncto reflexionis. Quod fundamẽtum nõ videtur efficax: tũ quia prædicta quies non est omnino certa, tum quia esto detur,impedit tantum vnam reflexionem æternã , non autem infinitas ab æterno,sicut infinitæ sunt circulationes,in quibus signari etiã possunt infinita instãtia, quibus tale punctũ Cœli per circulationes infinities multiplicatas,rediit ad tale punctũ spatij, circa quod circulariter exercetur æternus motus.Itaq; quidquid infra dicemus de motu circulari æterno, idé intelligẽdũ de motu recto cũ reflexione,reciprocationeve infinities repetita supra eamdẽ finitã magnitudinem.

50 *Explicatur duo conclusionis sensus.*

Probatur cõclusio quoniã fingere possumus duobus modis fieri hunc motũ rectum sine reflexione. Primo vt quãuis non assignemus initium motus , sed ponamus illum æternũ,tamen assignemus initiũ magnitudinis,à quo aliquid ab æterno localiter motum esse dicamus.v.g.asseramus , lapidem ab æterno descendere potuisse à concauo lunæ,vel ignem ab æterno ascendere potuisse à superficie terræ. Secundo vt nullũ assignetur initium,neq;motus,neq;magnitudinis;sed ponamus ab æterno per spatium imaginariũ, seu reale,infinitũ ex superiori & inferiori parte , vel lapidẽ semper descendere, vel ignem semper ascendere. De primo modo facillimè demonstrari potest contradictio.Enim vero lapis v. g.ab æterno descendens à concauo lunæ,hodie, siue moueatur siue quiescat,erit in aliqua parte determinata spatij infra cõcauum.Ergo totũ spatium supra quod factus est motus,est finitũ,cũ vtrinque claudatur terminis, scilicet cõcauo lunę,&parte inferiori determinata,in qua hodie lapidẽ esse necesse est. Ergo totus motus rectus, factus per hoc spatiũ finitũ sine reflexione,est finitus; Ergo non æternus.Sed idẽ ponebatur æternus,& infinitus.Ergo casus inuoluit apertã contradictionem.

Probatur cõclusio in primo sensu.

51 *Probatur cõclusio in secundo sensu.*

De secundo modo aliqua etiã implicantia , si non cũ tanta euidentia, tamẽ cum sufficienti euidẽtia demõstrari potest.Creet enim Deus ab æterno duos lapides , A, & B. ita vt A sit duplò grauior, ac proinde duplò velocius moueatur,quã B: & faciat illos ab æterno etiã descendere per spatiũ illud , quod ponitur infinitũ supra Cœlum.Tunc A hodie peruenisset ad aliquẽ certum locum,v.g.Neapolim, & distaret à B. per spatiũ finitũ,quippe quod inclusũ duobus terminis;hinc enim terminaretur Neapoli,inde vero supra Cœlũ terminaretur ipso B,seu loco quẽ hodie occupat B, qui tardius mouetur. Ergo motus,quo A,pertransiuit huiusmodi finitũ spatium,est finitus.Sed totũ spatium ab æternitate confectũ ab A , non est nisi duplò maius spatio , quo antecedit B, & totus motus ipsius A,nõ est nisi duplò maior motu, quo antecedit B,vt supponimus ex casu proposito.Ergo in toto spatio confecto ab A,& in toto motu eiusdem,nulla est infinitudo,cũ ex duabus partibus finitis non possit totũ aliquod infinitum conflari Sed idẽ motus ponitur ab æterno,& infinitus,& per spatium infinitum.Ergo ex motu recto ab æterno, etiãsi explicetur secundo modo,sequitur dari spatium infinitum, & non infinitum:itẽ motum infinitũ,& non infinitum,ac proinde æternum & non æternum: quæ sunt implicantiæ.

Idẽ proponi potest breuius,& fortasse clarius,hunc in modũ.Si descenderet plumbũ ab æterno , descenderet ex natura sua duplò velocius, quam descenderet formica , & conficeret spatium duplò maius spatio quod conficeret formica. Sed implicat & descendere duplò velocius, & cõficere spatiũ duplò maius. Ergo implicat simpliciter descẽdere Minor probatur, quia formica, si descenderet,superaretur à plũbo per spatium inclusum inter formicã & plumbum;sed nõ esset cõfectum nisi tantundẽ spatij:ergo totum spatiũ esset finitum; ergo motus finitus; ergo non ab æterno.Posset quoque eadẽ ferè contradictio paulo aliter deduci,si cogitemus colũnã infinitã vtrinque , & supra cœlum,& infra cœlũ ; per quã ex parte superiori descẽdat lapis, & ex parte inferiori ascẽdat ignis duplò velocius. Tunc hodie lapis pertrãsisset infinitum spatiũ columnæ:& ignis quia mouebatur duplò velocius,cõfecisset spatiũ duplò maius, & lapidem tardiorem infinito interuallo post se reliquisset,ac proinde confecisset iam totam columnam. Quæ omnia implicant, nam spatium inter lapidem,& ignem, est clausum duobus terminis, & tamen dicitur infinitũ: item posita est colũna infinita versus partẽ superiorem,& tamen hodie versus illã esset igne terminata.

52 *Confutatur quoddam effugium.*

Ad hoc argumentũ non video quid aliud respõderi possit,nisi gratis, & proteruè negare ad fugã difficultatis,posse descẽdere simul ab æterno ferrũ,& paleã; & posse ascendere ignẽ,& simul descendere paleam; quia sequitur allata implicantia: sed posse vnũ solum mobile ascẽdere,vel descendere.Verũ hoc effugium ex se apparet nimis friuolũ , & irrationabile. Et esset simile , si qui vel de facto vel de possibili admittunt circulares cœlorũ motus , dicerent posse circunferri vnum tantũ cœlum;vel plures cœlos,tamẽ vna tantũ cõmuni velocitate,non maiori,aut minori.Sicut igitur in motibus circularibus æternis,ponuntur plures cœli moueri,& vnũ cœlũ moueri velocius alio:ita si admittis possibilem esse etiã ab æterno motũ localẽ rectũ , non potes rationabiliter illum restringere ad vnũ mobile,vel ad plura mobilia,quę omnino æqualiter moueãtur. Præterea,dato etiã vno solo mobili, nõ vitatur adhuc difficultas.Mouebatur enim ab æterno solũ mobile A , poni debet moueri cũ aliqua determinata velocitate.Ponatur igitur moueri cũ velocitate vt duo. Poterat autẽ profecto poni,moueri cũ velocitate vt quatuor. Vnde enim habemus, posse moueri cũ tanta determinata velocitate,& non cum maiori,vel cũ minori? Hac enim in re,assignare hanc velocitatẽ,& nõ aliã,est ridiculè potius diuinare,quã grauiter philosophari.Imò ferrũ ex natura sua descẽdit saltẽ duplò velocius,& conficit spatiũ duplò minus quã descendat,& cõficiat palea.Vnde idẽ inconueniens deduci facillimè potest,siue descendat ferrũ solũ,siue sola palea. Alterum enim mobile, quamuis moueri ponatur sine altero. tamen sine dubio non descenderet ab æterno cum tanta velocitate , & per tantum spatium,cum quanta velocitate,& per quantum spatium descenderet alterũ mobile:& ita sequerentur etiam prædictæ implicantiæ. Maneat igitur nullum motum localem rectum absque reflexione potuisse esse ab æterno , cuius veritatis præcipua ratio à priori colligitur ex Aristotele l.8. Phys.textu 76. tradente in hoc differentiam inter motum localem rectum,& circularem: quoniam motus localis rectus est à loco in locum, ergo à termino in terminum,ergo vtrinque essentialiter terminatus, & finitus ; cuius generis motus ex conclusione prima implicat ab æterno,quæ quidem ratio non habet locum in motu circulari;quoniam hic motus non est à loco in locum , ac proinde à termino in terminum , quia locus essentialiter est quidam terminus,sed solum est circa terminum,& circa locum.

Ratio à priori ex Aristot.

DVBI

DVBITATIO IV.

An dari possit ab æterno motus localis circularis.

SVMMA.

1 *Conclusio affirmatiua, eiusq; authores, & aduersarij num. 54. & 55.*
2 *Satisfit implicantiis Aureoli num. 56. ad 63.*
3 *Occurritur implicantiis Durandi. num. 63. ad 70.*
4 *Dissoluuntur aliorum implicantiæ. num. 70. & 71.*
5 *Implicantia Toleti, & Bagnes num. 72. ad 75.*
6 *Implicantia Conimbricensium. num. 75. ad 78.*
7 *Duæ aliæ recentiorum implicantiæ. num. 78. ad 83.*

54 *Cõclusio affirmatiua eiusq; authores, & aduersarij.*

VNica conclusio, corpora cœlestia, quæ de facto creata, & circulariter sunt mota in tempore, potuerunt non solũ simpliciter creari ab æterno, vt in prima, & secunda dubitatione probatum est, sed etiã in eodẽ loco, circa idem cẽtrum ab æterno circumuolui: & consequenter non implicat dari tẽpus æternũ, quod cum motu circulari æterno est necessariò connexum. Ita ferè omnes citati sup. n. 5. & 6. pro cõclusione dubitationis primæ, nempe S. Th. Ioãnes de Neapoli, Soncinas, Heruæus, Capreolus, Hispalensis, Caietanus, Ferrariensis, aliique Thomistæ: Item Ægidius, Ochamus, Rubionensis, Bacconus, Ariminensis, Argentina, Bassolus, Carthusianus. Maior, Gabriel, Palatius, Pererius. Molina, Vazquez, Masius; Scotus, & Scotistæ defendentes. Idem problematicè. In contrarium verò sunt qui censent implicare quamlibet creaturã æternã, de quibus sup. num. 7. sed etiã ex authoribus conclusionis dubitationis 1. Durandus 2. d. 1. q. 3. Sotus 8. Phys. q. 2. Bagnes hic conc. 2. & Valentia puncto 2. conc. 1. Suarez in Metaph. d. 20. sect. 6. non semel obiter id supponens. Et alij iuniores valde communiter, qui admittentes, possibilẽ esse creationẽ æternã rerum permanentium, nihilominus negant, ęternitatem esse posse in entibus successiuis, siue continuè, siue discretè. Dicunt enim implicare ab æterno motum, habentem partes cõtinua quadam successione fluentes; & plura, quorum vnum alteri discretè succedat, vt plures creationes Angelorum, plures hominũ, aliarumq; corporalium rerũ generationes, plures intellectiones vnius Angeli: vnum enim Angelũ cum vna permanente atq; indiuisibili intellectione ab æterno non iudicant esse impossibilem. Item Aureolus 2. q. procemiali art. 2. in quantum probat, *posse euidenter concludi, quod ratio infiniti, & præteriti contradicunt.* Quæ duo necessariò reperiri debent in tempore æterno à parte ante. Conimbricenses etiam 8. Phys. conc. 2. q. 2. ar. 4. aliqua ex parte nobis aduersãtur: quamuis enim hanc conclusionem, sicut, & aliam dubitationis sequentis, de qua tractant ar. 5. probabiliter defendant; contrariũ tamen probabilius esse asserunt. Quod idẽ fecerãt 3. Phys. c. 8. q. 2. art. 3. de infinito, sine quo rectè existimant citato art. 4. initio cũ Baccono, & Toleto, de quo sup. n. 4. æternitatẽ motus, & generationũ defendi non posse; vt multis etiã contendit Durandus 2. d. 1. q. 3. à n. 23. ad finem quæstionis, tametsi addat, *quod Aristoteles, qui posuit motum ab æterno 8. Phys. videtur contradicere ei, quod dixerat in 3. lib. determinando de infinito.* Sed nullã in Philosopho huius rei contradictionem esse, pluribus ostendi in 1. tomo q. 7. art. 3. d. 2. n. 1. & 2. cũ S. Th. Ferrariensi, & Toleto, contra Conimbricẽses, & Albertinũ.

55 *Insufficiens conclusionis probatio.*

Hanc conclusionem nonnulli ita probant, cœlum existere potest ab æterno. Non potest autem, saltem connaturaliter, existere nisi cũ aptitudine ad recipiẽdum motum, cum hæc aptitudo sit illi intrinseca, & cõnaturalis. Existit etiam ab æternitate Deus potens causare istum motum. Ergo poterit etiam ab æterno existere ipse actualis motus cœli, *& hoc argumentum,* inquit Toletus 8. Phys. q. 2. init. *est præcipuum pro hac sententia.* Sed consequentia, nulla est. Enim verò pari ratione posset quis concludere contra dicta in præcedenti dubitatione motum finitum, seu rectũ potuisse esse ab æterno, sint enim ignis, & stupa ab ęterno: tunc ignis haberet actiuam potentiã ad conburendum, stupa passiuam; Ergo esse etiam posset ab æterno actualis, & finita stupæ combustio. Item, fiat lapis ab æterno, ex natura sua deorsum mobilis, poterit etiã deorsum actu moueri ab æterno. Itaq; Durandus, aliiq; aduersarij respondere facilè possent, Deum posse mouere ab æterno, & Cælum posse moueri ab æterno; tamen illud ab æterno, non esse accipiendũ vt cadens supra actualem motũ, sed præcise sup. potentiã ad motum; ita vt solum significet, Deum ab æterno habuisse potentiã mouendi cœlũ in tempore; & Cœlum ab æterno fuisse aptũ, vt moueretur in tẽpore. Neque obest illud Philosophi 3. Phys. 32. & 9. Metaph. 17. *posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis.*

Exponitur Arist. 3 phys. 32. & 9. Metaph. 17.

Quod Scotus, & Henricus sup. nobis obiiciũt, & variè exponitur, vt videre est apud Capreolũ supra; quia vt docet S. Th. de pot. q. 3. ar. 14. ad 5. est intelligendum non de potentia actiua, quæ si libera sit, non est cur si ab æterno possit agere, ab æterno agat; sed de potẽtia passiua ad habendũ esse, vel aliquem aliũ actum perpetuum, & æternum: neque de differentia simpliciter, quia simpliciter non sunt idẽ potentia ad existendum actu, & actu existere, vt patet, sed de differentia quoad durationem; quando enim perpetua sunt & posse esse, & ipsum actuale esse, debet necessariò simul coëxistere in eadem æterna duratione & nõ potest potentia præcedere duratione ipsũ actum. Quapropter hac ratione aliisq; similibus pretermissis, ratio omnium firmissima esse debet, quia motus circularis, nullam cum ęternitate repugnantiã inuoluit vt manifestum erit ex omnium sequentium implicãtiarũ solutionibus.

Alia sufficiẽs conclusionis ratio.

Hoc enim apud omnes esse debet receptissimũ axioma, vt notaui tomo 1. q. 7. art. 3. d. 12. n. 12. Deum posse facere quidquid non implicat cõtradictionem, & contrarium S. Th. sup. n. 5. dixit, *non solũ esse falsũ, sed etiam erroneum.* Atq; hunc generalẽ sensũ habere verba illa Gabrielis Angeli ad Mariam, Luc. 1. *Nõ erit impossibile apud Deum omne Verbũ,* prudentissimè suadet noster Maldonatus ibi, iuxta illud etiã Marci 10. *Omnia possibilia sunt apud Deũ.* & infra c. 14. *Pater omnia tibi possibilia sunt;* nimirũ omnia, quę in ipsis terminis nullã implicant contradictionem; & ideo de eo quod contradictionem implicat, ita acute scripsit Aug. l. 5. de Ciuit. c. 10. nõ longe à principio, *Sic hoc nõ potest Deus, vt potius si posset, minoris esset vtique potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamẽ mori, aut falli non potest, quia omnipotens est; Vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est.* Idemque repetit l. 28. contra Faustum c. 5. per totum.

Exponitur locus Luc. 1. — *August.*

Satisfit implicantiis Aureoli.

56 *Prima implicantia.*

In motu & tẽpore æterno à parte antẽ, rationes infiniti, & pręteriti implicare contradictionem, Aureolus sup. probat 1. quia per Philosophum, & Commentatorẽ, *de ratione infiniti est, quod sit actus permistus potẽtiæ. Rationi autẽ præteriti repugnat contradictoriè, quod sit actus permistus potẽtiæ, ergo ratio infiniti repugnat cõtradictoriè rationi præteriti.*

Respondetur non omne infinitum apud Aristotelem esse actum permistum potentiæ.

Respõdet Capreolus, concedendo maiorẽ, & negando minorẽ. Sed cõtra facilius ac verius neganda est maior, concedenda minor, vt ex instituto probaui contra Aureolum tom. 1. q. 7. ar. 3. d. 12. n. 29. & 30. nam ar. 1. d. 1. n. 11. ostendi, illã definitionem 3. Phys. textu 62. & 63. *Infinitũ est id, cuius secundũ quantitatẽ accipientibus, sẽper aliquid accipere extra est,* esse à Philosopho datã de infinito categorematicè & in re totaliter actuali. Si quid enim potentialitatis his verbis exprimitur, est tantũ ex parte accipientis imperfecti, ac finiti, qui non potest accipere simul omnes partes infiniti, quæ omnes actu sunt, sicut intellectu suo accipit Deus; non autem ex parte rei acceptæ, omnino in actu positæ, sicut est in actu positum ex sententia Philosophi, & commentatoris totum infinitum successiuum præteritum à parte ante: & ideo non est verisimile, eos in tam longa absolutaq; de infinito disputatione totos fuisse in explicatione infiniti syncategorematicè, quod quidem est simpliciter, & semper in actu finitum; & nihil dixisse de infinito categorematicè, verè, ac propriè, & simpliciter infinito, quod & ipsi de facto admittebãt in successiuis, & veteres, contra quos ibi differebant, admittebant etiam in permanẽtibus. Quapropter clarissime Philosophus in fine tertij libri Phys. ita scribit, *tempus autem, & motus, infinita sunt, & intellectio, non permanente accepto. Magnitudo autem neque diuisione, neq; intelligibili augmentatione est infinita.* Concedit infinitatem tempori, & motui; negat magnitudini secundum diuisionem.

Infinitum præteritum esse totaliter in actu.

Sed quantitas secundum diuisionẽ est infinita secundum actum permistum potentiæ, vt expresè docuerat supra in textu 59. & 60. Ergo tempus, & motũ intelligit esse infinita alio modo opposito, scilicet omnino secundum actum. Minor autem de infinito præterito, quod, quatenus præteritũ, habeat actualitatem puram non permistam potentiæ, videtur mihi valdè certa: quamuis enim infinitum præteritum, nũc non sit actu, sed fuerit actu, in quo sensu dicere benè potuit Capreolus de infinito præterito, *propriè loquendo non est infinitum, sed fuit infinitum;* tamen nũc verè ita est expleta, & consũmata tota actualitas infiniti à parte ante, vt nulla prorsus potentialitas detur, ad illam infinitatem spectans; quod enim potest addi à parte post, non spectat ad pręteritam infinitatẽ categorematicè, purè actualem, sed ad aliam futurã infinitatem syncategorematicè; ex actu, & potentia mistam. Enim verò considerando tempus infinitũ à parte ante, numquam potest rectè, & concipi, & sumi aliquid maius siue anterius in potẽtia, quia accepta quacunque parte in actu posita, ante illam nulla est in potentia, sed solum infinitæ fuerunt omnes in actu, & præteritę. Ergo in tempore præterito non potest saluari, quod sit actus permistus potentiæ. Quod quidem benè intelligitur in tempore futuro, vbi præter partes actuales pręteritas, semper necesse est esse alias partes futuras, quæ non sunt, sed possunt esse, & erũt.

57 *Secunda implicantia.*

Probat secundo, *Ratio infiniti non inuenitur nisi in processu, & ex parte illa, ad quam proceditur, non autem ex parte illa, a qua proceditur. Sed tempus non procedit in præteritum, sed à præterito. Ergo omnis infinitas est in tempore præcisè à parte futuri.* Maiorem multis probat, & authoritate, & ratione.

Respondetur distinguendo maiorem multipliciter.

Respondet Capreolus, *negando maiorem, secundum quod iacet.* Verum quoniam in maiori plura includũtur, & quædam vera sunt, quædam falsa, distinguo in illa quatuor propositiones. Primam veram, Ratio infiniti aliquando inuenitur ex parte illa, ad quam proceditur siue in procedendo ex vno ad aliud in infinitum; quomodo proceditur in numeris, nẽpe ab vnitate in plura, & plura sine vllo fine; & procedit omne infinitum syncategorematicè, nimirum ab ente aliquo actuali finito ad alia entia in potentia, quæ fieri, & esse præterea possunt absque vllo fine. Secundam etiam veram, cum proceditur ex parte aliqua determinata, non potest infiniti ratio inueniri ex parte illa, à qua proceditur: quia talis pars signat determinatum aliquod principium, quod apertè contradicit infinito versus eam partem, versus quam dicitur infinitum.

Quomodo sit ratio infiniti ex parte, à qua proceditur.

Tertiam falsam, cum proceditur ex parte aliqua indeterminata, non potest infiniti ratio inueniri ex parte, à qua proceditur. Etenim in numeris non solum est infinitas ex parte numerorum cum ex vnitate proceditur in numeros, sed etiam cum ex numero maiori, & maiori in infinitum proceditur ad vnitatem. Sic etiam data linea infinita versus Orientem, finita versus Occidentem, infinitas esset non solum considerando processum determinatum ab Occidente in Orientem, sed etiam processum indeterminatum ab Oriente in Occidentem, in quantum illa linea procederet ad Occidentem ex parte Orientali anteriori, & anteriori in infinitum. In partibus quoq; proportionalibus alicuius temporis finiti, v. g. vnius horæ, reperitur infinita multitudo non solum procedendo ad partes posteriores, quæ non habent vltimam, sed etiam procedendo ad partes priores, quæ non habent primam. Sic igitur in casu nostro reperitur infinitas in tempore æterno non solum ex parte post, seu futuri, ad quod procedit; sed etiam ex parte ante, seu præteriti, à quo proceditur, sumendo scilicet hunc terminum à quo, indeterminatè, in quantum deuenisset illud tempus æternum ad hodiernam diem v. g. nõ ex tali, aut tali parte præterita antecedente, sed ex alia priori, & priori semper sine principio: sicut enim cum Aureolus vult, dari infinitum in tempore futuro, & à parte post, procedẽdo ad partem non determinatam, & vltimam, sed ad partem indeterminatam, posteriorem, & posteriorem sine vllo fine; ita cum nos dicimus, dari infinitum in tempore præterito, & à parte ante, procedendo à præterito, non est accipienda pars aliqua determinata pręterita, sed indeterminata prior & prior sine vllo principio. Quam paritatem acutè, & clarè tetigit Capreolus dicens, *infinitas à parte ante in tempore præterito, nõ est ex parte vnius termini, à quo, puta vnius diei; sed ex parte infinitorum talium; sicut infinitas futuri ex parte posteriori, est ex parte infinitorũ terminorum ad quos, & non solum vnius.*

Capreolus.

Non omnem infinitatem alligatam esse successioni.

Quartam, Ratio infiniti cuiuscunq; non inuenitur nisi in processu, hoc est, in successione reali, quem sensum verè intendit Aureolus, vt loc. cit. ostendimus: & hæc est falsa, tum quia, mea quidem sententia, infinitas nõ contradicit enti permanenti: tum quia non contradicit etiam tempori æterno à parte ante, seu præterito; & tamen in præterito, vt præterito, non est successio; cum præteritum non succedat futuro, sed contra potius, futurum succedat pręterito: tametsi in toto tempore æterno, prout constat ex partibus prioribus, quæ vt sic sunt præteritæ, & simul ex partibus posterioribus; quæ vt sic sunt futuræ, dici rectè possit esse successionem quandam realem infinitam; quia in tota illa infinita duratione semper absque vllo principio sunt partes posteriores, & futuræ succedentes partibus prioribus & præteritis. Quod si hæc quarta propositio intelligatur non de processu reali, sed mẽtali, quo nos ab vno procedimus in aliud, concipiendo, videndo, tangendo, &c. Illa est vera de quouis infinito, etiam præterito; cum huic quoque applicari possit definitio infiniti supra n. 56. quia etiam tempus præteritum est illud, *cuius secundum quantitatem accipientibus,* nempe præteritam, *semper aliquid accipere extra est;* considerando scilicet alias partes præteritas priores, semper vnam extra aliam. Quare ad minorẽ obiectionis dicẽdum est, quod & si tempus non procedat realiter in præteritum, sed à præterito in futurum; tamen ad ponendam, & arguendam infinitatem in tempore præterito, satis est, vt nos possimus mentaliter procedere, ascendendo per conceptionem nostram in partes anteriores, & anteriores absque vlla prima. Quod confirmat Capreolus ex Commentatore 3. Phys. com. 57. dicente, *quòd ad rationem infiniti non requiritur processus secundum rem, sed sufficit processus secundum intellectum, aut imaginationem. Ille autem tam reperitur in præterito, quam in futuro.*

Auerroës.

58 *Tertia implicantia.*

Probat tertio, *Illud de cuius ratione est, quod eius potentia non exeat ad actum, nec possit cessare, illud repugnat*

gnat

gnat ratione, præteriti, vt ex se patet, alioqui si præteritum non est totum in actu iam præteritum, esset etiã futurum. *sed de ratione infiniti est, quod nunquam cesset, & quòd eius potentia nunquam exeat ad actum. Ergo.*

Respondetur infinitũ posse esse totũ in actu.

Respondet benè Capreolus, negando vniuersaliter minorem; quæ diminutè procedit, supponẽs falsã illam sententiam loco cit. impugnatam, quod nullum aliud dari possit infiniti genus nisi in potentia. Itaque de solo infinito Syncategorematicè, quale esse potest tempus à parte post, verum est quod nunquam exeat totaliter ad actũ: quod falsũ est de infinito categorematicè quale esset tempus præteritum infinitum à parte ante. Quæ duo tempora infinita in hoc conueniunt quo ad istam actualitatem, quia, vt acutè obseruauit Capreolus, *sicut infinitum à parte post, nunquam totaliter exit in actum, sic quod sit dare simpliciter vltimum actum possibilem; ita infinitum à parte ante, nunquam incœpit exire in actum, sic quod sit dare primum exire, quod non præcesserit exiuisse.* Differunt autem, quia tota illa infinitas à parte ante sine primo potest esse posita in actu, non autem infinitas à parte post sine vltimo.

Tempus infinitũ à parte ante, & à parte post in quo conueniant ex Capreolo.

59 *Quarta implicantia.*

Probat quarto, *secundum Philosophum, & Commentatorem, ratio infiniti est ratio partis: & causa huius est quia ratio infiniti est ratio imperfecti & incompleti.* Ergo non potest conuenire præterito, quod est in actu totum completum, & perfectum; *vnde dicunt Grammatici*, inquit Aureol. *præteritum perfectum.* Sed conuenire tantum potest futuro, quod semper expectat aliquam sui partem, & perfectionem, & complementum.

Respondetur explicando quo modo infinitum habeat rationem partis.

Respondendum est iuxta dicta in 1. tom. q. 7. ar. 3. dub. 2. n. 5. & 6. omissa responsione Capreoli sub obscura, & incerta, infinitum 3. Phys. textu 65. 66. 67. dici habere rationem partis, & non totius in actu, sed semper in potentia, & ratione imperfecti, incompleti, indeterminati; & consequenter, rationem materiæ potius quam formæ, non respectu ipsius infiniti secundum se, quod quidem secũdum ipsummet Philosophum, & Commentatorem de facto ita est rerum in actu completum, & perfectum, vt nullam sui partẽ desideret necessariã ad sui infinitatẽ à parte ante; & ita est à Deo totum productum, & cognitũ simultaneè, vt nulla eius pars producẽda, aut cognoscẽda remaneat, sed respectu cuiuslibet accipiẽtis successiuè per partes; iuxta illud, in ipsamet infiniti definitione positũ, *cuius semper est aliquid extra accipere*, nimirum à nobis accipientibus, qui nõ possumus aliter accipere, nisi successiuè per partes; quomodo implicat accipi totum infinitum, & compleri, & perfici, idque proinde respectu taliter accipiẽtis habet rationẽ partis, in cõpleti, imperfecti. Quæ omnia maximè cõueniũt infinito præterito, cuius semper est extra, hoc est, ante & ante per partes accipere, & sic nunquã ad totũ, & terminũ peruenire. Quapropter causa, cur infinitũ habeat rationẽ partis, nõ est illa, quã affert Aureolus, quod infinitũ sit incõpletum, & imperfectum, & potẽtiale in se ipso: sed contra potius, causa est habere tantam entitatis abundantiam, & perfectionem, & completionem in sua actualitate, vt successiuè accipiendo partes, nunquam possis ex conceptu partis ad totius conceptum deuenire.

60 *Quinta implicantia.*

Probat quinto infinitum non est id, cuius nihil est extra, vt definiebant. Antiqui, sed cõtra potius, est id cuius sẽper accipere extra est, vt docet Philosophus 3. phys. 62. & 63. & explicuimus tom. 1. q. 7. ar. 3. dub. 2. n. 4. & 5. ergo, inquit Aureolus, *illi repugnat infinitas, cui repugnat esse illud, extra quod est aliud. Sed tempori præterito, ratione qua præteritum est, repugnat esse illud extra quod est aliud. Ergo, &c.*

Respondetur explicando desitiendem infiniti.

Responsio patet ex dictis, ex quibus negari debet prima consequentia, accipiendo verba consequentis vt iacent. Nam nõ dixit Aristoteles, infinitum esse id, extra quod est aliud, sic enim infinitum esset finitum illo alio, quod extra ipsum esse ponitur: sed dixit, infinitum esse id, *cuius secundum quantitatẽ*, scilicet quãlibet finitam intra ipsum infinitum contentam, *accipientibus semper aliquid accipere extra est*: non quidem extra infinitũ, vt videtur intelligere Aureol. sed extra prædictã, quantitatẽ prius acceptam; ita vt versus infinitatẽ possint accipi sẽper plura finita, & plura in infinitũ. Quæ ratio extraneitatis respectu successiuè accipientis, euidenter inuenitur in tempore infinito præterito, quatenus præterito; quoniam accipiendo partes præteritas, semper extra illas est accipere alias, & alias partes præteritas, & nũquã peruenire ad aliquã primã partẽ præteritam, extra quã nõ sit aliã præteritam accipere. Neque obstat, quod contra obiicit Aureol. huiusmodi acceptione, extra ad præteritum non procedi in re, sed in mente accipientis. Nunquã enim docuit Philosophus, hunc processum debere esse in re ipsa infinita; imo cum expressè doceat, esse talem processum, quo accipientibus vnam partem, semper remanet accipere alias partes extra illam. clarè significat esse processum respectu accipientis, non respectu rei acceptæ secundum se formaliter, sed tantum fundamentaliter per ordinem ad accipientem.

61 *Sexta implicantia.*

Probat 6. quia *secũdũ Doctores omnes, contradictio est, infinitum esse in actu.* Quod minus considerate dictũ notaui tomo 1. q. 7. art. 3. d. 12. n. 4. contradictionem probat Aureolus, quia ex infinito in actu sequeretur, *Quod pars esset æqualis toti, & totum non esset maius sua parte: quia quælibet pars infiniti est infinita. Et si præcesserunt infiniti dies, ibi conuenit dare infinitos menses Sed dies est pars respectu mensis. Ergo pars æqualis toti.* De hoc argumento dixit Durandus 2. dist. 1. q. 3. n. 21. *non procedit, & non bene concludit.* Non videtur autem bene soluere dicens, vnum infinitum esse maius alio, & totum respectu alterius infiniti, non propter additionem factam ex parte ante infinita, sed propter additionem factam à parte post finita: quoniam arguens non sumit finitos dies, qui continuo addũtur, & futuri sunt à parte post; sed sumit ipsos infinitos dies hactenus præteritos, & essentialiter inclusos in mensibus infinitis; qui dies sunt procul dubio plures mensibus; & contrarium dici quidem ore potest, mente tamen percipi non potest.

Responsio Durandi.

Alia responsio de infinita parte infiniti, quod nõ sit æqualis toti.

Responderi igitur aliter debet iuxta ea, quæ latè dicta, & probata sunt loco cit. dub. 5. & 6. & dub. 12. n. 25. & 26. & breuiter dicendum, partem alicuius totius infiniti esse posse etiam infinitam. non tamen eodem modo, sed vel pars habebit vnam dumtaxat infinitam, totum vero plures infinitates; quomodo si darentur homines semel infiniti, in toto infinito oculorum essent duæ infinitudines partiales, & in toto infinito digitorum essent decem partiales infinitudines; & ita totum infinitum esset proculdubio maius sua parte, etiam infinita, non considerando ea, vt simpliciter infinita, sed considerando partẽ, vt semel infinitam, totum vt bis, vel decies infinitum: sicut duæ lineæ infinitæ versus Orientem, sunt quid maius qualibet earum, non propter maiorem, siue vlteriorem longitudinem versus Orientem, sed propter longitudinem bis infinitam, seu replicatam in duabus lineis, & semel infinitam in singulis vel si vna eademque infinitas sit in re aliqua, vt in hominibus semel infinitis, vbi sunt infinitæ vnitates infiniti binarij, infiniti quaternarij, &c. Diximus cit. num. 26. ad Durandum, Binarium per se sumptum, esse partem quaternarij per se sumpti: Binarium vero infinitum, non esse partem quaternarij infiniti, sed quemlibet infinitum numerum vbi

vbi vna tantum infinitas supponitur, esse ipsammet totam vnitatum infinitatem, diuerso modo acceptam. Hinc ad rem nostram dico, infinitos menses esse quid totum maius sua parte, nempe infinitis diebus, non vt hæc sunt formaliter, & simpliciter infinita, sed vt in diebus consideratur vna infinitas dierum, in mensibus verò sunt triginta dierum infinitates. In tempore igitur æterno nunquam datur pars æqualis toti, sed semper verum erit axioma illud, naturę lumine notissimum, Totum est maius sua parte.

62. *Confirmatur responsio ex S. Thoma.*

Hanc solutionem significat S. Thom. 3. part. q. 10. art. 3. ad 3. dicens, *si accipiamus vnam lineam infinitam, in illa non est aliquid maius infinito: tamen in alia linea, & in tertia erunt plures partes, etiam infinitæ præter istas; Et species numerorum parium sunt infinitæ, & similiter species numerorum imparium; & tamen numeri pares, & impares, sunt plures quam pares. Igitur infinito simpliciter quo ad omnia, simpliciter nihil est maius. Infinito autem secundum aliquid determinatum, non est maius in illo ordine; potest tamen accipi aliquid maius extra illum ordinem*, v. g. in ordine dierum, dari non possunt dies plures infinitis diebus: verum in alio ordine mensium infiniti menses sunt quid maius diebus semel infinitis, quia continenter decies infinitos dies. Cum hac limitatione, nimirum de infinito, non vt simpliciter infinito, sed vt finities multiplicato in toto, non in parte, accipio Caietanum tomo 3. tract. 2. de infinitate Dei, circa fin. §. *ad 3. particulare*, dum dicit, *Numerus reuolutionum Lunæ est maior numero reuolutionum Saturni, secundum ponentes motum æternum; quia singulis reuolutionibus Saturni respondent amplius trecentæ sexaginta reuolutiones Lunares. Et infinitis diebus simpliciter non possunt dari plures dies: sunt tamen multò plures horæ illorum dierum, quam ipsi dies: & similiter infinitis horis non dantur plures horæ, sunt tamen multo plura minuta illarum horarum, quam horæ ipsæ.* In eodem sensu accipio Capreolum, dum respõdens ad hoc Aureoli argumentum, inter alia dicit, *Tota multitudo dierum esset maior, quam multitudo mensium; & aggregatiũ ex illis duabus multitudinibus esset maius vna illarum:* nimirum maius in ratione præcisa multitudinis, seu quãtitatis discretæ, non quatenus infinitæ simpliciter, sed quatenus finities replicatę; quia in singulis mensibus sint triginta dies, infinitudo multitudinis dierum erit terdecies replicata, magis quàm infinitudo multitudinis mensium: non tamen esset maius in ratione quantitatis continuæ successiuæ; cum eadem prorsus quantitas sint, infiniti menses, & infiniti dies essentialiter inclusi in infinitis mensibus; sed diuisa per menses, habeat partes maiores, & cõsequenter pauciores; diuisa verò per dies, habeat partes minores, & consequenter plures: sicut vna infinita multitudo palmorum, & duæ infinitæ multitudines semipalmorum, licet differant quo ad multitudinem, sunt tamen idem prorsus quoad extẽsionem. Eandem solutionẽ multò breuius, sed clarius tetigit Ariminensis apud Capreolum supra dicens, *inconueniens non est, vnum infinitum esse multiplex ad aliud, puta duplum, triplum, &c.* Concedit igitur vnum infinitum totum maius sua parte etiam infinita, non vt simpliciter infinitum, sed vt multipliciter infinitum, siue vt infinitum duplum, triplum, decuplum, &c. quod nos vocauimus bis infinitum, ter infinitũ, decies infinitum, &c. Quem excessum, non præcisè per ipsum infinitum, sed per replicationẽ, seu multiplicationem infinitarum non obscurè expressit in casu nostro Ægidius 2. dist. 1. part. 1. q. 4. art. 2. §. *Prima deceptio*, dicens, *in infinitis reuolutionibus, quæ præcessissent in cœlo, sunt infinities decem reuolutiones, centum infinities, mille infinities, decem millia infinities, quotcumque*

& Caietano,

& Capreolo,

& Ariminẽsi,

& Ægidio.

Fasoli in D. Thom. Tom. III.

millia infinities. Demum obiectionem contra arguentem bene retorquet Capreolus exemplo temporis infiniti à parte post, vbi etiam sunt futuri infiniti menses, & infiniti dies; & exemplo infinitarum partium proportionalium cuiuslibet continui finiti, siue permanentis, siue successiui, & infinitorum indiuisibilium, & mutatorum esse in quouis motu finito; vbi etiam, inquit Capreolus, *infinita mutata esse fuerunt in motu præterito. Ergo ibi fuerunt infiniti binarij, & infiniti quaternarij. Quæro igitur an multitudo comprehendens omnes binarios, sit æqualis multitudini comprehendenti omnes quaternarios, aut minor, aut maior, &c. & vlterius deducam, vt ipse deducit.*

Occurritur implicantijs Durandi.

63. *Prima implicantia.*

Durandus 2. dist. 1. q. 3. n. 9. & 10. obiicit 1. *in omnibus præteritis reuolutionibus fuit ordo durationis, ita quod nunquam fuerunt plures simul, sed semper vna post aliam in post sumendo, vel vna ante aliam in ante sumendo. Ergo cum quælibet accepta sit, & omnes ex quo quælibet, & omnes sunt præteritæ, & prius necessario fuerunt præsentes.* Ex his, inquit Durandus, necesse est quòd sit accepta aliqua, antequam nulla, quæ esset prima, & non ab æterno. Hoc falsũ probat, quia *perinde est, quod ante omnes coniunctim acceptas fuerit aliqua alia ab omnibus coniunctim acceptis; & quod ante quamlibet acceptam fuerit aliqua alia; quia non semper sunt accepta nisi quodam ordine, vna ante aliam, & nunquam plures simul. Ergo non sunt accepta nisi sit accepta aliqua, quæ includat omnes; alioquin inter omnes coniunctim acceptas non esset ordo.*

Respondetur cum Capreolo, dari aliquam circulationem ante singulas, aũ ante omnes.

Respondeo consequẽtiam illam, qua ex eo, quòd ante quamlibet circulationem ex infinitis iam acceptis, & præteritis detur aliqua alia, deducitur quod etiam detur aliqua alia ante omnes coniunctim, esse manifestè nullam. Quod, inquit Capreolus 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. duobus columnis ante finem, *potest ostendi multis exemplis.* Et præcipuè, quod omnium maximè audit ad infinitas partes præteritas temporis æterni, & infiniti, de partibus proportionalibus infinitis, & præteritis alicuius temporis finiti, v. g. vnius horæ nunc finitæ de quibus verè assumitur, ante quamlibet partem istius horæ præteritæ datur alia in eadem hora; & tamen hinc malè deducitur, ergo ante omnes cõiunctim datur aliqua alia in eadem hora: non obstante quod etiam inter finitas partes proportionales præteritas vnius horæ intercedat ordo ille posterioris, & prioris, in quo ordine totam vim argumentationis suæ fundasse videtur Durandus. Multum quoque accedit aliud exemplum, quod ibi etiam affert Capreolus *de mutatis esse in motu continuo. Dicit enim Aristoteles 6. Phys. quod ante quodlibet moueri præcesserunt infinita mutata esse, nec tamen fuit dare primum: & constat, quòd talia mutata esse transeunt ordine quodam, & nunquam duo simul.* Illa igitur argumentatio à distributiuo ad collectiuum, in prædictis ad quantitatem siue continuam, siue discretam pertinentibus, non valet, vt pluribus ostendi in tomo 1. quæst. 2. art. 3. dub. 3. tota, & dub. 5. à num. 21. ad 25. hoc autem prædicatum de vno ante singula, & de vno ante omnia, manifestè concernit quantitatem multitudinis. Vbi etiam euidentius apparet nullitas cõsequentiæ, quoniam in antecedente dicitur planè oppositum eius, quod dicitur in consequente. Si enim ante quãlibet circulationem datur prior. Ergo nunquam datur vna, antequam non detur alia. Ergo nunquam datur prima, quia ante primam non daretur alia. Ergo si accipiantur omnes, nõ licebit ex veritate posita in antecedente deducere vnam, antequã non sit alia. Præterquam quod malè accipiũtur

omnes, & deinde præter omnes introducitur vna alia distincta, non inclusa in illis omnibus. Ex veritate igitur huius antecedentis ante quamlibet acceptam fuit aliqua alia, inferri potius deberet oppositum; ergo omnes coniunctim non fuit aliqua alia.

64. *Ex ordinata successione nō inferri primā partem.*

Neque Durandus sufficienter probat consequentiam ex eo, quod inter omnes coniunctim acceptus est ordo, quo semper vna accepta, & præterita est ante aliam, & nunquam sunt plures partes simul acceptæ, & præteritæ; hic enim ordo non infert necessariò vnam omnium primam, imo totum oppositum, vt dictum est, sed solum importat quamliber circulationem, hodierna excepta, quæ est omnium postrema, respectu sequentis esse priorem, respectu præcedentis esse posteriorem. Ex quo sequitur potius, nunquam posse deueniri ad vnam omnium primam: sicut quia in communissima sententia, quam hodie nemo negat, ante quamlibet speciem creabilem datur alia prior in perfectione, non datur vna aliqua eiusdem ordinis claudens omnes. Item à contrario in tempore æterno à parte post, quod possibile esse omnes concedunt, quia post quamlibet circulationē est futura alia, non datur vna aliqua omniū postrema, post quā alia futura non sit. Ergo à pari in ante sumendo, ordo quo semper vna transit ante aliā, non debet arguere vnā primam, ante quam alia non sit præterita, sed ipsa præterita sit ante omnes. Prioritas igitur, & posterioritas ordinis circulationum, non contradicit infinitis. Quod præterea suaderi euidēter potest primo, quia si circulationes essent infinitæ, saluaretur maximè talis ordo; nam nulla esset assignabilis antequam non daretur alia prior, & post quam non daretur alia posterior. Secundo quia habere partes priores & posteriores, verè in re nihil est aliud quā esse quemdam cōtinuum fluxum. Ratio autem continui fluxus perfectissimè reperitur, & cōcipitur in fluxu infinito. Tertio quia in mente Dei sunt circulationes possibiles simplicitet, & à parte ante, & à parte post, quæ sunt omnes actu, & simul subiectiuè in mente Dei, & obiectiuè priores, & posteriores; & tamen Deus in illis neque videt vltimā postquam non possit esse alia, neque primam ante quam alia esse nequeat. Ergo sicut prioritas, & posterioritas obiectiua, non arguit primam, & vltimam; ita etiam prioritas & posterioritas realis.

65. *Secunda implicantia.*

Obiicit secundò, *in post sumendo non essent acceptæ omnes reuolutiones, nisi esset aliqua claudēs omnes. Ergo nec in ante sumendo.* Quod, inquit, *fieret magis manifestū si loco cuiuslibet reuolutionis præteritæ sumeretur aliquid permanens, puta grānum milij.* Tunc igitur si in singulis reuolutionibus esset creatum vnum granum, ita vt hodie omnia grana creata permanerent, necessario daretur vnum, ante quod nullum esset acceptum; alioquin non esset verum, singula & omnia ordinatè esse accepta, vnum post aliud.

Respondetur distinguendo antecedens.

Respondeo, antecedens indigere maiori explicatione, si enim intelligitur in sensu absolutè possibili, & significet, posse in tempore æterno à parte post dari vltimam reuolutionem, quæ reliquas omnes claudat, est manifestè falsum, & contra arguentem; quia sicut in post sumendo ordinatè vnam post aliam, non potest propter infinitatem sumendarum dari vna vltima claudens omnes à parte post; ita in ante sumendo ordinatè vnam ante aliam, non potest, propter infinitatem sumptarum, dari vna prima claudens omnes à parte ante. Si vero intelligatur in sensu conditionato ex hypothesi impossibili, & significet, si per impossibile omnes reuolutiones à parte post essent acceptæ, necessariò daretur aliqua claudens omnes à parte post; & ex hoc antecedente inferatur, ergo à pari in ante sumendo, quia sunt omnes acceptæ, debet necessariò dari aliqua claudens omnes à parte ante; quod argumentum videtur facere Durandus postea clarius in num. 17. illis verbis, *Impossibile est quod omnes, quæ possunt sequi, sint sequutæ; ergo eodem modo impossibile est quod omnes, quæ potuerunt præcedere, præcesserint; & causa est, quia in his, quæ accipiuntur successiuè, & ordine quodam, potest esse processus in infinitum in accipiendo, sed nunquam in accepto esse, neque in ante sumendo, neque post.* tunc negandum simpliciter est antecedens illud conditionatum; quamuis enim impossibile absolutè sit, incipiendo ab hac reuolutione hodierna, & successiuè sumendo vnam post aliam, seu successiuè procedendo ab vna ad aliam, sumi omnes possibiles infinitas, quia infinitum essentialiter definitur esse id, *cuius secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est*; & consequenter, nunquam omnes illius partes possint esse acceptæ, absoluta totaliter acceptione; tamen si per impossibile ponantur acceptæ, & totaliter in actu positæ omnes, quas etiam Durandus, Aureolus, aliique aduersarij fatentur esse infinitas, & consequenter non habere vltimam, euidenter sequitur, contradictionem esse, dari aliquam, quæ claudat omnes à parte post: enim verò hypothesis impossibilis petit, in actu poni omnes, quæ sunt possibiles, & ab ipsismet supponuntur infinitæ. Vnde directè, & necessario sequitur, vt in actu ponantur infinitæ, alioqui non essent acceptæ omnes. Sed adhuc remanerent aliæ accipiendæ. Quod si probes in actu non posse esse infitas, id quidem ad summum probabis ex natura eorum absolutè considerata, non autem consequētер, & formaliter discurres ex hypothesi impossibili, qua si ponamus esse omnia in actu, quæ fatemur esse infinita in potentia, debemus necessario ponere infinita in actu, tametsi hoc simpliciter repugnet ex alio capite: sicut tomo 1. q. 7. art. 1. dub. 2. fusè probaui, omne infinitum syncategorematicè, si per impossibile poneretur totaliter in actu, futurum infinitum verè, ac propriè categorematicè; vnde infinitum tempus à parte post, est totum in actu obiectiuo in mente Dei, absque vltimo.

Tempus infinitum à parte post, posset totum in actu, non haberet vltimum.

66. *Cur esse possit totum in actu tempus infinitū à parte ante, non à parte post.*

Ad idem argumentum absolute factum, de quo Toletus 8. Phys. q. 2. arg. 2. §. *Præterea*, dixit, *sanè fateor, hanc mihi videri demonstrationem.* Respondi tomo 1. quæst. 7. art. 3. dub. 9. num. 8. cum Heruæo. Neganda enim est consequentia & paritas de tempore infinito à parte post, cuius partes non possunt esse omnes acceptæ realiter in actu; & de tempore infinito à parte ante, cuius omnes partes dicimus posse esse actu realiter acceptas. Disparitas autem potest nunc clarius ita explicari; quia hodierna reuolutio comparata ad sequentes, & futuras, habet rationem principij: in infinito autem incipere à primo, & successiuè progredi ad sequentia, & sic tandem absolui successionem, & acceptionem, & per consequens, peruenire ad vltimum, & finem, est clarissima contradictio. At verò eadem comparata ad antecedentes, & præteritas, habet rationem finis, non principij: finis autem alicuius rei, quamuis arguat rem illam finitam ex illa parte, qua ponitur finis, tamen non necessario arguit eiusdem rei principium, & finitatem ex omni parte: omnes enim concipimus aliquod infinitum ex vna parte tantum, vt lineam finitam versus Orientem, infinitam versus Occidentem: & ipsemet Durandus admittit creaturæ permanentis æuum æternum, & infinitum à parte ante, quod sine dubio per diuinam omnipotentiam potest hodie annihilari, & accipere finem à parte post. Cum igitur in tempore

à parte

à parte ante nos non ponamus principium, quod necesse est ab omnibus poni in tēpore à parte post; & ex principio per continuam & successiuam acceptionem totaliter expletam, arguatur euidēter finis, manifestum est non esse parem rationem de acceptione omnium partium in vtroque tēpore, nec ex impossibilitate talis acceptionis à parte post in tempore futuro, quæ impossibilitas prouenit præcisè ex principij ratione, quæ ibi sit necesse est, posse deduci eandē impossibilitatem à parte ante in tempore præterito, vbi nullam principij rationē ponere cogimur. In qua disparitate subtiliter obseruandum est, illam neque nisi in ordinata successione simpliciter, quæ affertur à Durando, & tam est in post sumendo, quàm in ante sumendo, & ideo nego Durando, quod hæc præcisè est causa cur in post sumendo non possint esse omnes partes acceptæ; neque nisi in maioritate aliqua temporis futuri supra tempus præteritum, quā maioritatem affert, & bene reiicit Toletus; cum certè saltē non minus sit tempus præteritum tempore futuro: sed solum nisi in principij ratione, quæ necessariò est in futuro, & nō necessariò est in præterito, vnde oritur vt nō possit ordinata successio à principio peruenire ad finem infiniti, possit autem sine principio. Quod si instes, reperiri etiā principium à parte ante, quia ibi etiam est continuus processus, ordo, successio, prioritas, & posterioritas, iā arguis ex aliis capitibus, de quibus suprà dictum est, & dicetur etiam inferius, non ex paritate cum tempore futuro, quæ obiiciebatur vt demonstratiua. Vera igitur paritas esset, si eadem reuolutio hodierna accipiatur vt principium in post sumendo realiter, & vt principium etiam in ante sumendo mentaliter. tunc autem concludetur tantum, quòd sicut à parte post non possunt successiuè realiter accipi omnes reuolutiones, ita nec omnes à parte ante accipi possunt successiuè mentaliter. Quæ proportionalis paritas confirmat potius quam impugnat id, quod tuemur. Ex quibus ad exemplum illud de granis supra num. 65. init. eodem modo responderi facilè potest, non licere accipere vnum granum, quod omnia grana præcedat, & claudat; quia non ita sunt præterita, & accepta, vt inceperint accipi & præterire; quandoquidem sine vllo principio ab æternitate accepta, & creata esse supponuntur. Et adhuc aliter discurrere, est, dum disputamus de rebus infinitis, præsupponere illas esse finitas, imaginationi, plus, quam Philosophum deceat, indulgendo. Quapropter in harum difficultatum tractatione occupatus exclamat Ægidius 2. dist. 1. p. 1. quæst. 4. art. 2. col. 12. *mirabile est quòd homines nesciant, imaginationem trascendere: semper loquuntur de infinito, quasi definito, & de interminato, quasi de habente terminum. Ideo semper rationes tales per accidens fallunt.* Et multo ante in 6. col. §. *Secundo declarabimus.* dixerat, *ex defectu imaginatiuæ virtutis, quæ multum confunditur in imaginando infinitum, plures ex rationibus factis videntur demonstrationes, quæ secundum iudicium nostrum deficiunt, & non demonstrant.*

Ægidius.

67. *Tertia implicatio.*

Obiicit tertio. *Aut inter reuolutiones præteritas fuit aliqua reuolutio, à qua hodierna reuolutio distat in infinitum; aut non. Si sic, illa fuit necessariò prima; quia non potest esse maior distantia quàm infinita. Si non, ergo non præcesserunt infinitæ reuolutiones.* Hanc consequentiam ita probat: *quia quantò plures præcesserunt, tantò est maior distantia alicuius illarum à reuolutione hodierna. Si ergo à nulla illarum distat reuolutio hodierna in infinitum, sequitur quod non præcesserunt infinitæ reuolutiones.*

Respondetur hunc diem à nullo præterito distare infinite.

Respondeo cum Capreolo 2. dist. 1. q. 1. art. 3. duabus columnis ante finem, Ochamo q. 8. ad 4. Gabriele q. 3. ad 2. hodiernam reuolutionem ab aliqua reuolutione præterita, nunquam distare infinitè, sed semper distare finitè. Negatur autem hinc sequi, non præcessisse infinitas: etenim finita distantia hodiernæ reuolutionis ab aliqua præterita, non oritur ex eo quòd non præcesserint infinitæ, aut, quod idē est, non præcesserit infinita simpliciter distantia huius ab omnibus præteritis collectiuè sumptis; sed potius oritur ex contrario, quia scilicet præcesserint infinitæ, quæ propterea non habent vnam aliquam determinatam, ac primam, à qua reuolutio hodierna possit infinitè distare. Satis est ad hanc infinitam distantiam explicandā, quòd hodierna reuolutio ita comparetur ad præteritas, vt quamuis à qualibet distet finitè, tamē semper detur alia prior, & prior absque vllo principio, à qua distet semper plus, & plus in infinitum. Vnde non sequitur, *quod non præcesserunt infinitæ reuolutiones*, vt infert Durandus in sua vltima consequentia; sed potius sequitur oppositum; vt bene suadet Capreolus exemplo numerorum, in quibus non valet, *nulla species numeri infinitè distat ab vnitate, igitur non sunt infinitæ species numerorum.* Similiter non valet, nulla essentia creabilis distat infinitè ab homine, ergo essentiæ creabilis, secundum speciem perfectiores homine, non sunt nisi finitæ. Præterea quæri potest à Durando, vt ipse quærit à nobis, quantum distet hodierna reuolutio ab aliqua ex illis, quæ potuerunt præcedere semper & semper, vel quæ possunt semper & semper subsequi. Si distat infinitè, ergo in infinito, vel finito in infinitum datur prima, & vltima reuolutio; & sic infinitum erit clausum duobus terminis, scilicet reuolutione hodierna, & alia, à qua reuolutio hodierna infinitè distare dicetur, & Dei potentia erit limitata, quia vltra aliquam reuolutionem non posset facere aliam, cū vltra distantiam infinitam siue à parte ante, siue à parte post non possit fieri aut cogitari maior. Si verò distat finitè, ergo nec in ante sumēdo, nec in post sumendo, sunt possibiles infinitæ reuolutiones, quod ipsemet Durādus negat. Itaque sicut de reuolutionibus possibilibus ante, vel post istā hodiernam, non valet, hæc finitè distat à qualibet possibili, ergo non sunt infinitæ reuolutiones possibilis: ita nulla est similis consequentia de infinitis actualibus præteritis.

68. *Quarta implicantia.*

Obiicit quarto, quia infinitū est impertransibile, vt ex instituto probaui tom. 1. q. 7. art. 3. dub. 9. à n. 4. At verò, *si motus fuisset ab æterno, infinitæ reuolutiones fuissent pertransitæ.* Quæ ratio à Durando num. suo 21. dicitur *satis efficax.* Et à Scoto 2. dist. 1. quæst. 3. §. *Ad aliud de transitu.* Censetur adeò difficilis, vt, quamuis reliquas soluerit, eam insolutam reliquerit; imò cōfirmauerit *imaginationem*, inquit, *de linea conuersa: quia si aliqua linea esset quasi protensa in infinitum, incipiens ab hoc puncto A, non esset possibile, quod esset pertransita. Igitur videtur quod esset è conuerso imaginando lineam quasi sic acceptam in præteritum, non videtur possibile, quod sic accepta vsque ad A.* In hoc etiam fundamento, reiectis aliis, totaliter insistit Valentia puncto 2. conc. 1.

Confirmatur ex Scoto.

Respondetur cum Ægidio, non omnem transitum repugnare infinito.

Respōdeo me loco cit. sufficienter explicasse huius argumenti solutionē. Multa etiā in responsionibus ad implicantias Aureoli, & Durādi dicta esse, ad eandem difficultatem pertinentia. Neque nunc occurrere aliquid de nouo addendum. Mirificè placet solutio, quam deinde legi in Ægidio 2. dist. 1. p. 1. quæst. 4. art. 2. §. *Quinta deceptio.* Vbi optimè dicit, *quod pertransitus non repugnet infinito, nisi quatenus faceret infinitum finitum. Si ergo est talis pertransitus, quod non faciat infinitum finitum, non repugnabit ipsi infinito. Pertransire ergo infinita, incipiendo transire, est impossibile; quia ille, qui incipit transire, ab aliquo incipit, & cum complet transitum, in aliquo desinit: cum verò huiusmodi transitus habeat principium, &*

finem, impossibile est esse infinitum. Hinc rectè deducit, non implicare transitum infiniti motus, & temporis à parte ante; *quia huiusmodi pertransitus non habuit initium; & per consequens, tempus sic pertransitum, non fuit initiatum: vnde non competeret ei ex parte ante habere terminum.* Atque hæc responsio, tempori infinito præterito concedens transitum, est multò suauior, quam alia negans, vt habetur hic ad sextum. nam de infinitis, quæ simpliciter antea fuerunt, seu præcesserunt, & nunc simpliciter non sunt, non videtur posse negari, quod pertransierint; sicut nemo negat, quod verè ac realiter præterierint. Ad illam autem imaginationem à Scoto propositam, dico, illam non vrgere; quia supra dub. 3. probatum est, implicare transitum & motum localem rectum, etiam si ab æterno concipiatur, supra lineam rectam infinitam. Quæ implicantia minimè apparet in motu circulari, quem hic possibilẽ esse asserimus. Et prædictus motus rectus, esset necessarius, si fieret illa conuersio, quam imaginatur Scotus, nimirum accipiendo transitum, & præteritionem non ab A, in partem, qua linea est infinita, sed ab ista parte ad A; ita vt non sit transitus à finito ad infinitum, sed è conuerso ab infinito ad finitum.

Ad confirmationem Scoti.

69. *Quinta implicantia.*

Obiicit quintò quia infinito fieret additio; diebus enim infinitis præteritis adderentur hodierni, & sequentes dies, & vt sibi obiicit Ægidius suprà, *semper additur dies diei, & nox nocti, & reuolutio reuolutioni.*

Respondetur causam Durando addi posse infinito quatenus finito.

Respondeo ipsummet Durandum postea in n. 21. de hoc etiam argumento dixisse, *non procedere & non benè concludere.* Et verè ac perspicuè soluit dicens, *licet infinito, secundum quod infinitum, non possit fieri additio; nihil tamen prohibet, quòd infinito, ex ea parte qua non est infinitum, possit aliquid addi, verbi gratia, si poneremus columnam infinitam secundum longitudinem, non secundùm latitudinem, posset ei aliquid addi secundum latum, sed non in longum. Si verò poneremus corpus vndequaque infinitum, nihil omnino posset ei addi. Similiter dato quod motus semper fuisset, nec habuisset durationis initium, haberet tamen à parte post durationis terminum; possumus enim nunc signare vltimam reuolutionem, quæ fuit. Et ideo ante nihil posset addi, quia infinitum esset: sed à parte post continuè aliquid potest addi, & additur quotidie.* Eamdem prorsus responsionem dant Ægid. suprà, Heruæus 2. disp. 1. q. 1. art. 3. ad 5. testans, ita *dici communiter*; & alij authores nostræ conclusionis, & nos in tomo 1. quæst. 7. art. 3. dub. 3. & 4. & de hac difficultate copiosè disseruimus.

Aliorum implicantiæ dissoluuntur.

70. *Prima obiectio.*

Obiicies ex aliis 1. cœlum, cum sit quædam substantia ex natura sua permanens, & incorruptibilis, fieri necessario debet indiuisibiliter, siue in instanti, præsertim si fiat ab æterno. Motus verò cum sit quantitas quædam continua successiua, fieri contra debet diuisibiliter, & in tempore. In eo igitur instanti, in quo fit cœlum mobile non est motus; aliquin hic etiam fieret in instanti. Ergo motus, cum necessariò præsupponere debeat mobile præcedens secundum aliquam durationem saltem instantaneam, non potest esse æternus.

Respondetur cum Heruæo, & Capreolo, explicando mẽsuras æternarum productionum.

Respondeo cum Heruæo 2. disp. 1. q. 1. art. 2. ratione 2. cœlum, & quodcumque aliud æuiternum, fieri quidem indiuisibiliter, & in instanti, nõ tamen in aliquo instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili, sed in instãti formaliter indiuisibili, virtualiter diuisibili, siue vt loquitur Capreolus 2. disp. 1. q. 1. art. 3. ad 3. aliorum, *non in aliquo nunc fluente, sed in nunc stante:* quod dici cõmuniter solet, instans æternitatis, siue æui, & est ipsamet æternitas, & ipsum æuum, vt cũ Durando notaui sup. n. 35. Quapropter, inquit Heruæus, *duratio æiternorum, quæ à solo Deo possunt esse per creationem, & non habet necessariò, imo nec habere potest nunc intraneum initians, & nunc terminans; quia æuum est mensura indiuisibilis stans. Ergo æuiterna possunt simul esse semper, & à parte ante, & à parte post.* Et vt hoc magis explicet, distinguit duplex nunc, alterũ intraneum, intrinsecè mensurans ipsum esse æuiterni, alterum extraneum, extrinsecè coëxistens tempori, eiusque instantibus, ita continuo subiungens; *licet enim Angelus possit creari in aliquo nunc temporis, ita quod dicatur creari in nunc temporis, non tamen sicut in nunc propriæ mensuræ, sed per quamdam coëxistentiam, sicut dicitur Deus esse hodie; ita quod illud nunc temporis fuit primum cui Angelos coëxistebat, & ante nõ erat; intra tamen mensuram propriam non est accipere nũc inchoans, vel nunc finiens, quasi æuum sit quoddam interiectum inter duo extrema.* Concesso igitur antecedente in sensu explicato, nego inde sequi, non esse motum in eo instanti, in quo fit cœlum mobile: quamuis enim motus fiat in mensura formaliter diuisibili, cœlum vero fiat in mensura formaliter indiuisibili, tamen quia hæc est stans, seu permanens, ac proinde virtualiter diuisibilis, possunt istæ duæ mensuræ, & consequenter mensurata, simul in eadem duratione coëxistere; ita vt vnumquodque existat in se intrinsece mensuratum propria mensura iuxta naturam suam, atque adeo indiuisibiliter permanens, fiat nunc stante; diuisibiliter fluens, fiat tempore fluente: vtrumque autem absque vllo principio: sicut hodie simul coëxistunt hodiernæ circulationis motus mensuratus tempore, esse Angelorũ, atque cœlorũ, mensuratũ æuo, generatio Filij Dei mẽsurata æternitate. Neque motus debet præsupponere mobile prius factũ prioritate durationis. Sed tantũ prioritate naturæ, ita vt factio mobilis non dependeat à motu; factio vero motus dependeat à mobili.

71. *Quomodo fieret æterna aëris illuminatio à sole.*

Hæc solutio applicari suo modo potest productioni luminis v. g. quæ productio ab æterno fieret à sole in aëre, & ex aëre, si sol & aër creati fuissent ab æterno, vt expresè concedunt Ariminensis 2. disp. 1. q. 3. art. 1. ad 11. & Capreolus q. 3. art. 3. ad 8. aliorum, & reliqui omnes authores nostræ conclusionis, imo Augustinus ipse, vt notaui sup. n. 8. nã in hoc etiam casu mensuraretur nunc stante, & nullum habente principium, non solum creatio Solis, & aëris, verum etiam ipsa productio luminis eductiua. An autem huiusmodi productio, siue eductio, dicẽda sit mutatio, vel saltẽ motus? Vtramque rationem negant Ariminensis, & Capreolus, quoniam in tali productione, inquiunt, *non esset propriè loquendo reductio de potentia in actum, sed actuatio potentiæ, per actum; quia ibi non esset potentia distans ab actu, quod est de ratione reductionis prædictæ.* Equidem supra q. 45. art. 3. n. 55. dixi, & probaui, non esse mutationẽ; posse autẽ propriè dici motũ, accipiẽdo motum in sua propria ratione, secundũ quam à mutatione distinguitur: in quantũ motus non importat abiectionẽ termini à quo, quam expresè importare videtur mutatio; sed importat tantum subiectũ, ex se non habens aliquã perfectionem, quã potest recipere ab alio, & actu ab illo recipiens. Quæ omnia manifestũ est reperiri in æterna luminis productione ex aëre à sole facta. Alioqui durum videretur, dari aliquã productionẽ, quæ est verè, ac propriè eductio, non creatio; & tamen illam neque esse mutationem, neque motum. Nego igitur in tali productione non esse proprie reductionem subiecti de potentia in actum: cum enim propriè sic eductio actus de potentia subiecti facta ab agente, non video cur etiam dici propriè non possit, subiectum ab agente reduci de

Illam esse motum, contra Ariminenses, & Capreolũ.

de potentia in actum. Et si conceditur *actuatio potentiæ per actum*, nimirum actuatio facta ab agente; ergo ab agente actuante potentiam, quam subiectum habebat ad illum actum. Sicut igitur agens propriè dicitur actuare potentiam, ita etiam dici propriè potest idem agens reducere potentiam ad actum. Ad hoc enim non est necessarium, vt potentia sit distans ab actu; sed satis est, vt potentia non sit ex se habens actum, sed illum recipiat ab alio potente actuare illam potentiam.

Implicantiæ Toleti, & Bagnes.

72. *Secunda obiectio.*

Obiicies secundo argumentum, quod sexto loco contra nostram sententiam proponit Toletus 8. Physic. quæst. 2. eoque vsus etiam est Bagnes hic conc. 2. circa fin. tametsi in principio & in fine articuli immoderatius, quam par erat in doctissimum & Illustrissimum virum inuehatur: quamuis initio ridiculam excusationem obtendat. *Hæc*, inquit, *non animo detrahendi dixerim, sed vt discant esse veri discipuli D. Thomæ.* Quasi verò ipse etiam cum Toleto defendens implicare motum, & tempus ab æterno, si verus S. Thomæ discipulus, & non potius Durandi, præcipui S. Thomæ aduersarij. Thomistæ sanè veri, & fideles sunt, vt contra Bagnes notauit alius Thomista Nazarius hic controuersia vnica, §. 3. initio, Ægidius ipsiusmet S. Doctoris auditor, & defensor acerrimus, Ioannes de Neapoli, Heruæus, Capreolus, Hispalensis, Caietanus, Ferrariensis, aliique præstantissimi eiusdem scholæ Magistri, qui omnes pro S. Thomæ sententia de possibilitate æterni motus, ac temporis semper ingenuosissimè pugnarunt. Neque noster Toletus scripsit (quo potissimum offensus exarsisse videtur Bagnes) rationes contra æternitatem cuiuslibet creaturæ, esse demonstratiuas, in quo à S. Thoma & ab omnibus Thomistis recessisset; sed solum rationes contra æternitatem motus, & temporis; in quo tamen Bagnes illum sequutus est; vterque quidem contra S. Thom. sed si quid in hoc vitij est, Thomistæ potius, quam nostræ Societatis Theologo id fuerat exprobrandum. Ita igitur arguunt, sed multo fusius Toletus, si corpora cælestia fierent ab æterno, sol, verbi gratia, vel esset factus in Oriente, vel in Occidente, vel alia quapiam simili parte: aut potius in omnibus his partibus simul: aut denique in nulla. Non in omnibus, neque in nulla; hæc enim videntur inintelligibilia: ergo in aliqua determinata parte. Ponatur itaque factus in Oriente. Ergo vel ibi mansit immotus æterno tempore; & habetur intentum, scilicet, motum non esse æternum: vel stabit motus est ab æterno: & tunc quæro, quanto tempore perfecit semicirculum vsque in Occidentem. Dici non potest, perfeciisse in infinito tempore, quo confici possunt infinitæ circulationes, & non tantum vnius circulationis dimidia pars. Ergo perfecit tempore finito, puta duodecim horarum. Ergo sol non fuit æternus; quoniam signato instanti, in quo sol ab Oriente peruenit in Occidentem, verum erit dicere, solem non esse creatum ante duodecim horas, ac proinde non esse creatum ab æterno. Præterea si consideremus tempus elapsum, ab eo tempore in quo sol fuit in Occidente, vsque ad præsentem diem, vel fuit finitum, vel infinitum: si finitum, vt verè est, quia vtrinque extremis terminatur, ergo totum tempus, quod ponebatur æternum, fuit finitum, nimirum ex tempore præcedenti finito duodecim horarum, & ex alio sequenti etiam finito. Si infinitum, tunc contra; tum quia habet duos terminos, vt patet, tum quia cum supra hoc tempus præcesserint duodecim horæ, admitteremus addi aliquid infinito ex ea parte, qua est infinitum. Præterea si sol est creatus in Oriente. Ergo existentia Solis in Oriente fuit prior existentia eiusdem in Occidente; & quidem prior tempore, quia ad Occidentem non peruenit sol nisi per mortem localem: ergo vel prior tempore finito, vel infinito; si finito, ergo sol non extitit simpliciter tempore æterno, quia antequam existeret in Oriente, nullo pacto existebat, sed prima vice extitit in Oriente, tempore finito; ergo non existebat infinito, & æterno tempore ante: si infinito, ergo sol consumpsit infinitum tempus in motu ab Oriente in Occidentem, scilicet ab vno signato termino in alium terminum signatum, quibus determinatum, ac finitum spatium intercipitur, supra quod dari motum infinitum, infinito tempore durantem, est planè impossibile. Item prior illa Solis creatio, seu positio in Oriente, & nõ in Occidente, facta est in instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili; nam si in instanti æternitatis, ergo per totam æternitatem fuisset sol in solo Oriente, quia quando positus est sol in Oriente, non est positus, & creatus in Occidente; ergo si illa positio, & creatio facta fuit in instanti æternitatis, semper per infinitam durationem fuisset sol in Oriente tantum, & non in Occidente. Ergo dandum est in æternitate aliquod primum instans, quod manifestè implicat. Demum quando sol factus est in Oriente, & non in Occidente, vel quieuit in Oriente, & deinde motus est, & sic non esset motus ab æterno, sed post instans quietis: vel motus est, & tunc vel est motus in tempore finito, vel infinito: si primum, ergo motus non æternus: si secundum, ergo sol non fuit factus in solo Oriente, sed etiam in Occidente, & reliquis omnibus partibus: quia per motum infinitum omnes partes spatij finiti percurruntur infinities; ergo si quando positus est in Oriente, motus fuit per infinitum tempus, tunc fuit in omnibus partibus, & non in solo Oriente.

Sol ab æterno motus non potest dici creatus in aliqua certa parte.

73. *Solẽ ad æterno motum creatum esse in omnibus partibus.*

Respondeo, videri perspicuè demonstratum, non posse solem creatum ab æterno, & in eadem æternitate semper circulariter motum, fuisse creatum in Oriente, & non in Occidente; aut, quod idem est, in vna quauis parte, & non in alia. huiusmodi igitur petitio de certo aliquo loco in quo creatum sit mobile, supponit mobile creatum in aliquo instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili; vel sine aliquo motu in ea mensura, in qua creatum dicitur. Quapropter dicendum est, solem in æternitate factum cum motu ab æterno, sicut non fuit creatus in aliquo primo instanti, sed in instanti infinitè diuisibili virtualiter, siue, vt loquuntur veteres Theologi, non fuit creatus in nunc fluente, sed in nunc stante, ita non fuisse creatum in Oriente, aut in vna alia quauis parte; sed simpliciter fuisse creatum in omnibus partibus: quia esset creatus per influxum non habentem durationis principium, sed durantem duratione infinita in qua duratione, quia illa æquialet tempori infinito, in quo sol infinitè motus est, fuit sol consequenter in omnibus partibus infinities, quoniam per omnes partes sol infinities circumuolutus esset. Quod, si res attentè, & acutè penetretur, apparebit non oriri per se ex ipsa præcise creatione cœli ab æterno, sed solum ex motu, qui in eadem æterna duratione ab eodẽ cœlo, vel ab aliqua æterna intelligentia, vel immediate ab ipsomet æterno Deo in eodem cœlo fieri ponitur: quia si idẽ cœlum ab æterno creatum esset sine motu, & hodie etiam eodẽ modo quiesceret immotum, sol profectò sicut

hodie esset proculdubio in aliqua determinata parte, ita in eadem parte fuisset à Deo liberè creatus, & positus ab æterno. Verum hanc liberam creationem, & positionem in aliquo certo loco impedit æternus motus, qui æternam illam eiusdem cœli creationem comitari ponitur. Neque enim de essentia Solis est, vt cum creatur, poni actu debeat in hoc, aut illo determinato loco, sed ab hac positione potest per accidens impediri: satis est, vt non sit in infinitis locis, sed in locis finitis alicuius spatij simpliciter finiti, circa quod infinities reuolutus sit, infinities accedendo, & recedendo à qualibet illius spatij parte absque vllo principio. Quæ responsio quamuis dura videatur imaginationi nostræ assuetæ rerum initiis; tamen æternitatis naturam, & commistionem, seu concomitantiam æterni motus cum æterna mobilis productione, atque existentia profundè consideranti, apparebit si non multum clara, saltem omnino necessaria, & non impossibilis.

74. *Eamdem responsionē dari à Capreolo, & Vasquez.*

Quam quidem ante triginta quatuor annos ab hoc anno millesimo sexcentesimo trigesimo, quo hæc scribere donabat Deus, à me excogitatam, cùm tunc iuuenis Philosophiam primo docerem, deinde magna mei animi voluptate legi apud Excellentissimum Thomistarum Principem Magistrum Capreolum 2. dist. 1. quæst. 3. art. 3. ad 7. Aureoli. Cum enim cum Durando & Gregorio multa acutè disseruisset de natura nunc stantis, quo mensurarentur creatio æterna, idque distinxisset à nunc fluente, seu transeunte, quo mensurantur aliæ productiones temporales, ita in fine subdit, *Notandum, quod ex solutione huius septimi patet solutio ad argumentum, quod solet fieri. Si sol fuerit ab æterno productus, consequenter in instanti, quo creabatur illuminabat hemisphærium nostrum, aut Antipodum. Si nostrum, igitur nox fuit eis, & dies noster præcessit diem eorum. Igitur est dare primum diem illorum, igitur ipsum tempus, quod est post, est finitum. Si dicatur, quòd prius illuminauit hemisphærium illorum, igitur primus dies eorum præcessit diem nostrum: & sic vt prius.* Cui obiectioni eodem modo respondet, ita optime subiungens. *Argumentum istud fundatur in falsa imaginatione; scilicet quòd in illo casu fuisset dare primum nunc fluens creationis, aut primum situm sibi æqualem, in quo creabatur; quorum vtrumque est falsum, quia tunc in nullo instanti fluente fuisset primò creatus, nec in aliquo situ sibi æquali fuisset primo creatus; sed ante omne instans, & ante situm fuisset creatus, loquendo de situ determinato. Ergo dicitur, quod in toto loco sui motus fuisset ab æterno; sed in nullo situ determinato fuisset primò.* Quod etiam deinde legi in Vasquez disput. 177. in fine dicente, solem verbi gratia, creatum ab æterno, *in quouis situ à Deo fuisse productum.* Idemque aliis similibus casibus applicari potest. Si enim ponas solem creatum, & circulariter motum ab æterno, & simul ab æterno creatum v. g. Adamum, & quæras, an Adamus creatus fuerit in nocte, vel in die? respondendum est, neque in nocte tantum, neque in die tantum, sed in nocte, & die, seu potius in infinitis noctibus & in infinitis diebus quibus omnibus indiuisibiliter coëxistit æternitas, siue æternum Adami æuum; vbi virtualiter, & per æquipollentiam non solum sunt nox, & dies, sed menses & anni, & infinities infinita seculorum secula, & sic de reliquis.

Implicantia Conimbricensium.

75. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertio argumentum, quod Conimbricenses 8. Phys. cap. 2. quæst. 7. art. 3. proponunt. Sequeretur, hodie non esse transactum tempus æternum. Etenim in æterno tempore sunt infiniti dies, & infinitæ noctes. Sed si vnum infinitum addatur alteri infinito, conflabitur aliquid ex vtraque parte infinitum; vt si lineæ A, hinc versus Orientem infinitæ, adderetur linea B. hinc etiam, sed versus Occidentem infinita, vtique emergeret linea C, vtrinque infinita, & versus Orientem, & versus Occidentem. Ergo si simul ponuntur vnum infinitum tempus dierum infinitorum, & aliud infinitum tempus infinitarum noctium, coaleseet simul tempus vtrinque, hoc est, tam versus anteriorem, quam versus posteriorem partem infinitum. Sed hoc tempus vtrinque infinitum, non est pertransibile. Ergo nullum tempus æternum est pertransibile.

Responsio Conimbricensiū.

Respondent Conimbricenses art. 4. ad 3. ex infinitis diebus, & infinitis noctibus effici non posse tempus vtrinque infinitum: hoc enim constare deberet ex vno infinito tempore præterito, & alio infinito tempore futuro. At verò dies ac noctes æqualiter pertinent ad tempus præteritum, in quo quidem fluere debent dies noctibus intermisti. Sed quidquid sit de efficacia huius solutionis, argumentum certè solutum clarius, & intelligibilius remanet ex dictis in primo tomo quæst. 7. art. 3. dub. 8. à num. 7. vbi ostendimus, in tempore infinito à parte ante, sicut in spatio infinito versus Orientem, verbi gratia non esse vnam aliquam infinitudinem partium determinatarum, verbi gratia dierum, annorum, sed partium semper maiorum & maiorum in infinitum. Quam infiniti continui naturam acutè penetrasse videtur Ægidius 2. disput. 1. parte 1. quæst. 4. art. 2. §. *Tertia deceptio*, dicens quod in tempore æterno à parte ante *non poterit accipi ita magna periodus, nec ita magnum tempus, ex quo finitum est, quin sit dare semper huiusmodi tempus ante huiusmodi tempus in infinitum.* Et præter alibi dicta, persuaderi amplius potest, quia tempore infinito à parte ante mensurari potuisset infinita multitudo motuum discretorum, verbi gratia infinitæ calefactiones, vel deambulationes, quarum singulæ durent per vnum annum, vel etiam per vnum sæculum, vel per mille annos, vel per alia tempora maiora, & maiora. Ergo in tempore infinito non sunt infinitæ partes huius vel illius determinatæ extensionis, ac durationis; sed quibuscumque assignatis, semper assignari possunt aliæ maiores. Neque verò idem sunt infiniti anni, verbi gratia, & infiniti dies, siue infinitæ horæ, etenim in diebus infinitis continetur, seu consideratur vna quædam determinata infinitudo partium determinatarum, nempe dierum: in annis verò infinitis accipi & considerari debent multò plures dierum infinitudines, vt ex se satis manifestum est. Vnde oritur, vt si concipiamus, ex singulis annis infinitis auferri vnum diem, iam dies ablati ex singulis annis infinitis, proculdubio essent infiniti non minus quam anni; & tamen nō essent ablati omnes anni, sed ex singulis solum vna pars valde parua. Videntur igitur habere se infiniti anni, & infiniti dies, sicut infinita dolia, & infiniti pugilli aquæ; de quo casu dixi tomo 1. quæst. 7. art. 3. dub. 6. num. 16.

Alia responsio ex dictis de infinitate temporis.

Ægidius.

76. *Dies v.g. semel infinites, non posse facere tempus infinitum à parte ante.*

Ex his responderi facilè potest ad obiectionem in forma. Nego enim sequelam primam: ad cuius probationem dico, in æterno tempore esse quidem infinitos dies, & infinitas noctes, sed non tantum, verum etiam partes maiores, & maiores in infinitum. Quod si mentaliter totum tempus æternum diuidas in duas paries, alteram diurnam infinitam, alteram

alteram nocturnam etiam infinitam, tunc remanebunt quidem hinc inde partes temporis infinitæ infinitate quadam discreta intellectualiter; tamen ex nulla parte remanere, & considerari potest tempus continuum infinitum infinitate quadam continuata: cum tempus continuum essentialiter conflatum esse debeat non solum ex infinitis diebus, vel infinitis noctibus, sed ex aliis infinitis partibus, quantumuis maioribus, etiamsi consideretur infinitum ex vna tantum parte, siue ante, siue post. Quemadmodum si ex infinito spatio continuo permanente fingamus remoueri partes palmares infinitas, ex his confici non potest spatium infinitum, nimirum ex natura sua continens non solum partes palmares infinitas, sed etiam bipalmares, & maiores in infinitum; ita pariter, quoniam, vt probauimus, vnum quodlibet continuum tempus infinitum ex natura sua essentialiter includit non solum infinitas partes diurnas, sed simul etiam infinitas partes nocturnas, imò menstrues, & annuas, & maiores in infinitum, fingere non possumus illud per infinitos solum dies, vel per infinitas tantum noctes constitutum. Fingamus enim dari hoc tempus æternum ex diebus solum conflatum, & hodie totum effluxisse. Tunc quæro, vel hoc tempus coëxistit toti tempori imaginario à parte ante, vel tantum parti. Si toti, ergo quia tempus imaginarium non solum est capax infinitorum dierum, sed etiam noctium, annorum, & sæculorum, illud tempus dici non poterit constare ex solis diebus infinitis. Si parti, ergo hoc tempus infinitorum dierum non est infinitum, sed terminatum vtrinque, nempe die hodierno, & tempore imaginario non repleto. Ergo dies, qui ponebantur infiniti, non sunt verè infiniti, sed tot, & non plures. Ex infinitis igitur diebus, & infinitis noctibus fierent quidem duæ infinitæ multitudines partium vnius temporis infiniti, vel duæ infinitates mentaliter discretæ, altera dierum, altera noctium; sed nō fieret ex singulis infinitatibus vnum aliquod continuum tempus infinitum ex aliqua parte. Et ideo ex illis duabus infinitatibus simul coniunctis non sequitur quod fieret tempus infinitum ex vtraque parte; quod solum est simpliciter impertransibile. Et exemplum de linea, quod ad obiectionis confirmationem affertur, nobis potius fauet. Eodem enim prorsus modo duæ infinitæ multitudines determinatarum partium lineæ infinitæ versùs Orientem, non possunt facere vnam lineam infinitam versus Orientem, & versus Occidentem, imò ne versus Orientem quidem; nam huius etiam generis infinitudo, vt loco citato pluribus ex instituto demonstraui, non solùm requirit duas infinitas multitudines palmorum, sed centum mille, & infinities infinitas multitudines partium mille palmarium, & maiorum semper, ac semper in infinitum: seu potius quod rem aptius, ac facilius explicare videtur, requirit vnam infinitam multitudinem partium indeterminatarum in maioritate; sicut in quouis continuo finito est vna infinita multitudo partium indeterminatarum in minoritate.

77. *Quo modo in tempore æterno sine plures infinitates partium determinatarū.*

Pro cuius maiori intelligentia, & vt appareat in quo bono sensu recipi possit prædicta responsio Conimbricensium, aduertendum est, quod in tempore æterno, siue infinito dici possunt esse plures infinitates partium determinatarum, v. g. dierum, non tamen plures infinitates per se, & distinctæ, sed inclusæ, & contentæ, seu mistæ in partibus maioribus, & maioribus indeterminatè: hoc est, sunt plures infinitates dierum, non ita quod vna sit distincta ab alia, & prius sit vna infinitas, & deinde sequatur alia post illam: hæc enim esset manifesta implicantia, supponens vnum infinitum, & tamen ponens illud finitum, & vtrinque terminis clausum: sed ita quod omnes istæ plures infinitates dierum sint commistæ in aliis infinitatibus partium maiorum, v.g. triginta infinitates dierum in infinitate mensium, duodecim infinitates mensium in infinitate annorum; & sic proportionaliter de reliquis absque vlla determinatione in maioritate partium. Quemadmodum in linea infinita sunt plures infinitates palmorum non distinctæ, & per se ordinatæ, vna post aliam, sed indistinctæ, atque confusæ per inclusionem in partibus maioribus, v.g. mille palmaribus. Si enim darentur infiniti montes extensi in ordine ad locum, quorum singuli haberent millia millium palmorum, essent in illis plura infinita palmorum, non quidem procedendo per montes, & assignando in tot montibus simul sumptis vnum infinitum palmorum, & deinde aliud in aliis montibus; sed procedendo per singulos palmos singulorum montium. Ita prorsus in infinitis annis, v.g. sunt plures infinitates dierum, horarum, &c. non accipiendo, & considerando integros, & multos simul annos, sed solum præcisè dies singulos in singulis annis. Atque hæc duo exempla de infinito continuo successiuo temporis realis implentis totum tempus imaginarium, & de infinito continuo permanente spatij alicuius realis implentis totum spatium imaginarium, oportet semper habere præ oculis, quia alterum altero mirificè illustratur. Et ideo nos, sicut tomo 1. infinitatem spatij conati sumus, explicare infinitate temporis; ita hîc infinitatem temporis explicandam maximè duximus infinitate spatij. Nam etsi in vtraque infinitate, si res benè introspiciatur, eædem difficultates esse videantur; contingere tamen facilè potest, vt aliquis cum quo disputas, vnam capiat facilius quam aliam; & tibi promptiores, & euidentiores aliquæ probationes occurrant ad demonstrandam vnam, quàm aliam.

Duæ aliæ recentiorum implicantiæ.

78. *Prima ducitur ex definitione temporis.*

Prima facilior. Tempus, quodcumque illud sit, siue finitum, siue infinitum, ex sua essentiali ratione, qua lib. 4. phys. textu 101. definitur *numerus motus secundum prius, & posterius*, constare debet partibus prioribus, & posterioribus. Sed posterius non potest esse ab æterno, quia ante se haberet aliud, quod est prius: quæ antecedentia manifestè repugnat rei, quæ esse dicitur ab æterno, ergo nec tempus, ex priori, & posteriori essentialiter constatum, esse potest ab æterno.

Posterius, & prius dici possunt esse, vel non esse ab æterno.

Respondeo distinguendo minorem, Posterius non potest esse ab æterno, si posterius sumatur pro aliquo dicente ante se aliud prius. Si verò posterius sumatur pro fluxu continuo, in quo essentialiter sunt plures partes præcedentes, & sequentes, seu priores, & posteriores, dico illud posse esse ab æterno: vt enim concipiatur talis fluxus ab æterno, non est concipiendum aliquid posterius sine vllo priori, sicut nec aliquid prius absq; vllo posteriori, alioqui non cōciperetur essentialiter tempus, quod neque est sine priori, neque sine posteriori, sed est aliquid essentialiter conflatum ex prioribus & posterioribus; ita vt non solum in toto, & in omnibus eius partibus collectiuè, verum etiam in singulis quibusliber partibus distributiuè, sit essentialiter inclusa ratio successionis diuisibilis in

alias partes priores, & posteriores. Qui conceptus non postulat aliquam primam partem, quæ sit prior omnibus, & habeat reliquas omnes partes posteriores: imo melius intelligitur iuxta prædictam temporis essentiam, si nulla in eo concipiatur pars tantum prior, nulla tantum posterior; sed quælibet prior respectu sequentis, & posterior respectu antecedentis; sicut in partibus minoribus cuiuslibet finiti temporis nulla est prima, & minima ante alias, nulla vltima, & minima post alias. Demonstrari præterea potest nullitas argumenti ex tempore æterno à parte post, possibili in omnium sententia, & futuro in sententia Aristotelis, aliorúmque gentilium Philosophorum. Nam hoc etiam tempus essentialiter constat ex priori, & posteriori: & prius non potest esse inæternum, siue æternum à parte post, quia semper post se dicit aliud posterius, ac proinde terminatum à parte post: sicut ideo posterius obiiciebatur non posse esse æternum à parte ante, quia semper ante se dicit prius, & consequenter terminatum, & finitum à parte ante. Ergo simili argumentatione, quæ nulla in omnium sententia esse debet, concluderetur, esse implicantiam, tempus in æternum procedere à parte post. Sed solutio data hanc etiam implicantiam inefficacem esse ostendit. Quæ maximè confirmari potest ad hominem, exemplo lineæ hinc infinitæ versus Orientem, quam recentiores authores huius implicantiæ admittunt. Etenim hoc etiam infinitum præter vltimam partem v. g. palmarem, quam habet vt finitum, habet reliquas omnes partes priores, & posteriores permanentes, quemadmodum infinitum tempus hodierno die terminatum habet quamlibet partem successiuè priorem, & posteriorem: & tamen non licet illius lineæ infinitatem impugnare ex eo, quod partes illius posteriores non possint esse infinitæ versus Orientem, quippe quæ terminatæ sunt aliis partibus prioribus versus Orientem. Ergo pari vitio impugnatur infinitas temporis à parte ante, ex eo quod posterius essentialiter inclusum in tempore, & habens ante se prius non possit esse infinitum à parte ante. Deceptio igitur in vtroque casu consistit in hoc, quia prius, & posterius, siue permanens, siue successiuum, accipiuntur per se, & vt distincta inter se: quæ est omnino falsa acceptio, cum in tempore infinito non necesse sit dari quasdam partes, quæ sint priores tantum, & quasdam alias, quæ sint tantum posteriores, sed bene in illo concipiantur partes priores simul, & posteriores intermistæ, ac veluti confusæ inter se. quare maior etiam obiectionis, qua dicitur, tempus essentialiter constare partibus prioribus, & posterioribus, distinguenda est. Si enim significatur, constare partibus continuo inuicem succedentibus, concedenda est: si vero dicatur, quem sensum habere debet obiectio, vt concludere possit intentum, tempus constare ex partibus, quæ sint solum priores, & solum posteriores, est neganda: quoniam nulla pars intermedia accipi potest, quæ sit prior, & non etiam posterior, & è contra: nec quæ sit prior, aut posterior, & in se non contineat essentialiter alias partes priores, & posteriores.

79. *Secunda deducitur ex pluribus infinitatibus successiuis.*

Secunda implicantia difficilior est, quia nos concedimus in tempore infinito à parte ante, esse verè plures infinitates horarum, dierum, mensium, annorum, &c. & licèt infinitates horarum sint inclusæ in infinitate dierum, & infinitates dierum in infinitate mensium, & infinitates mensium in infinitate annorum, &c. Tamen ipsæ infinitates horarum per se, & in se consideratæ, sunt verè plures, & inter se distinctæ, ita vt altera non includatur in altera. Hæ autem infinitates, verè, ac realiter transeunt, imò omnes iam pertransierunt; & quidem non simul, sed successiuè vna post aliam. Hoc vero est euidenter impossibile, quia in primo infinito horarum aliquando finito, necesse est assignare vnam aliam aliquam vltimam horam; ex qua, vel post quam incipiens aliud secundum infinitum horarum habebit necessario principium; & si hoc etiam secundum infinitum transit, & absoluitur, non potest non habere finem. Ergo quod ponebatur infinitum, apparet manifestè finitum. Confirmatur primò, quia si darentur duo cœli æqualis magnitudinis, quorum alterum moueatur duplò velocius altero; tunc in velociori essent duplò plures infinitæ circulationes, quàm in tardiori, vt supponitur. Ergo ante absolutam infinitatem circulationum tardioris debet esse absoluta dimidia pars infinita circulationum velocioris, quæ est æqualis illis circulationibus: & debet deinde transire alia dimidia pars etiam infinita, quod implicat, vt probatum est. Confirmatur secundò, quia propter istam suppositionem duorum mobilium, quorum alterum moueatur duplò velocius altero, supra dub. 3. à num. 49. probauimus implicare simpliciter omnem motum rectum æternum. Ergo idem dici debet de motu æterno circulari.

80. *Quo modo sint, ac transeant plures infinitates æterni temporis.*

Respondeo ex dictis supra num. 75. ad 78. infinitates horarum esse quidem verè plures, non tamen esse infinitates per se, sicut essent plures infinitates oculorum, digitorum, pilorum si darentur infiniti homines; sed esse essentialiter inclusas, & intermistas in alia maiori infinitate partium maiorum, & maiorum in infinitum, in quibus intellectus noster concipit, & distinguit plures inclusas, & intermistas infinitates partium determinatarum. Et ideo in re non transit, nec concipi rectè potest, transire vna infinitas horarum, & deinde alia. Sed solum verè, ac realiter transit vnum infinitum tempus partium indeterminatarum in maioritate, cum quibus intermistæ transeunt omnes partes minores essentialiter inclusæ in maioribus; quæ partes minores determinatæ distingui mentaliter possunt, & concipi vt pluries infinitæ. Quæ responsio illustrari, & confirmari potest exemplo vnius horæ, v.g. in qua sunt etiam partes infinities infinitæ in minoritate, sicut in tempore æterno sunt partes infinities infinitæ in maioritate. In vna igitur hora sunt infinitæ partes proportionales, non solum si numerentur per vnitates simpliciter, sed etiam per secundas, quartas, octauas, decimas, &c. ita vt si petas, Quot sunt partes secundæ, partes quartæ, &c. semper necesse sit respondere, sunt infinitæ. Ergo quando in fine horæ pertransierunt omnes simpliciter horæ partes, transiuit non solùm infinitas quartarum, sed etiam infinitas secundarum; quæ est duplò maior infinitate quartarum; & tamen hæ infinitates simul transeunt, nec prius transit prima infinitas secundarum, æqualis infinitati quartarum, & deinde transit alia secunda infinitas partium secundarum. Quod non aliunde oritur, nisi quia duæ infinitates secundarum non sunt infinitates per se, & inter se distinctæ, aut distinguibiles; sic enim deberent transire successiuè vna post aliam; sed sunt duæ infinitates essentialiter inclusæ in ipsa vna infinitate quartarum; imò hac in re nihil aliud verè est, nisi ipsæmet duæ infinitates secundarum; cum duæ secundæ partes, sint vna pars quarta. Ergo quæ per se transire nequeunt, si contineantur in aliquo tertio transeunte, ipsa quoque, ratione illius tertij transire poterunt;

rent: sicut etiam infinita instantia per se nec esse, nec successiuè transire possunt vnum post aliud; & tamen essentialiter contenta, & mista in infinitis partibus vnius horæ, aut alterius finiti temporis, verè succedunt, ac transeunt. Aliud quoque exemplum, & fortasse aptius ad idem explicandum afferri potest de duabus lineis infinitis, quæ æqualiter hinc incipiant, & sint protensæ versus Orientem in infinitum; nam infinitudo partium palmarium est pluries replicata in linea A, quam infinitudo partium millepalmarium in B, vel etiam in eadem A: & tamen non potest assignari quando in A finierit infinitudo palmorum æqualis infinitudini partium millepalmarium. Nimirum ob eamdem omnino rationem, quia in hoc etiam casu in nulla linea accipiuntur plures partium determinatarum infinitudines per se, sed semper inclusæ in alia infinitate indeterminata. Ergo non possunt tanquam duo distincta & inter se, & ab alio in quo essentialiter inclusæ sunt, comparari vel inter se, vel cum alio includente ipsas, inquirendo transitum vnius infinitatis sine alia, vel transitum alterius absque transitu tertij.

81. *Quid dicendum de duobus cœlis inæqualiter reuolutis ab æterno.*

Ad primam confirmationē de duobus cœlis inæqualiter circumactis, concedo in velociori esse duplò plures circulationes, quàm in tardiori. Nego autem hinc sequi, quod ante transitum infinitarum circulationum tardioris, sint pertransitæ primæ infinitæ circulationes velocioris, & postea transeant aliæ secundæ infinitæ circulationes eiusdem velocioris, quæ omnes tandem pertransitæ sint simul cum circulationibus tardioris semel infinitis. Et ratio est, quia cum hac inæqualitate quodammodo intensiua in ratione formali motus, stat omnimoda æqualitas extensiua in ratione formali durationis; sicut enim in tempore, si darentur duo cœli æqualis quantitatis, quorum alterum faciat circulationem suam vno die, alterum vno mense, tunc absoluto anno, v. g. non esset in aliquo maior, aut minor motus extensiuè, sed vterque esset motus annuus; ita in iisdem cœlis ab æterno motis, quantumuis inæqualiter, esset motus æternus & infinitus. omnino æqualis extensiuè. Differentia solum esset, quia eadem quantitas, siue extensio successiua in velociori consideratur, & diuiditur per partes breuiores, & minores: in tardiori autem per partes longiores, & maiores; vnde oritur, vt partes velocioris dicantur, v.g. bis infinitæ, tardioris verò semel infinitæ. Verum illæ duæ, seu plures infinitates, vt dictum est, non sunt per se, nec per se fluunt, sed mistæ sunt cum partibus maioribus alterius maioris infinitatis, & cum illis mistæ fluunt. Atque hinc nascitur, vt quamuis in ea durationis parte, in qua tardius conficit vnam circulationem, velocius conficiat duas, bis transeundo idem finitum spatium rotundum, dum aliud non transit nisi semel; tamen non possit assignari vna, & prima infinita multitudo circulationum velocioris prius pertransita, postquam sequatur alia secunda infinita multitudo circulationum eiusdem cœli velocioris, quia scilicet supra illud spatium rotundum non fit motus, nisi in prædictis partibus temporis æqualis infiniti. Ergo non potest assignari numerus motiuum circularium supra illud spatium nisi iuxta assignationem partium temporis. Sed hæ non possunt assignari bis infinitæ, ita vt vna infinitas succedat alteri. Ergo nec assignabiles ita sunt bis infinitæ circulationes circa idem spatium, sed concipiendus est vnus infinitus motus percurrens idem finitum spatium infinitè plus quàm alius motus: & quia est excessus infinitus, ideo non est assignabilis præcisè, & totaliter expletus in aliqua determinata parte, sed solum considerandus est partialiter in singulis finitis partibus; vel in toto confusè permistus & inclusus, in quantum totus motus velocioris in singulis semihoris, v.g. confecit illud spatium, quod totus motus tardioris confecit singulis horis.

82. *Cur duo motus inæquales recti implicent, & non circulares.*

Quæ responsio ex se obscura propter obscuritatem materiæ, declaratur respondendo ad secundam confirmationem, & dando disparitatem de duobus inæqualibus motibus rectis, qui implicant, & de duobus inæqualibus motibus circularibus, qui non implicant: quia in primo casu comparantur duæ infinitates, quæ sunt diuersissimæ rationis, & inuicem incomparabiles; nimirum infinitas successiua motus, & temporis, & infinitas permanens spatij; ex qua comparatione oritur, vt id quod ponebatur infinitum, deprehendatur euidenter finitum: in secundo autem casu non est nisi vnius generis, ac rationis infinitas successiua, diuisa in duas partiales infinitates, non distinctas inter se, sed essentialiter immistas, & confusè contentas in vna totali infinitate successiua. Itaque implicantia motus recti oritur ex eo, quod infinitas motus ponitur supra infinitatem spatij; quæ positio, seu comparatio est planè impossibilis, quia non est maior ratio, cur vna pars motus conficiat tantam spatij partem, & non maiorem, vel minorem; etsi ponitur conficere maiorem, aut minorem, euidenter sequitur, vt latius deduxi supra dub. 3. esse finitum spatium, & finitum motum, quæ initio supponebantur esse infinita. Quapropter huiusmodi implicantia non habetur ex eo, quod simpliciter repugnet infinitas motus præcisè, quatenus est quidam fluxus continuus absque vllo principio; sed quia hæc infinitas successiua non potest comparari, & simul poni cum alia diuersissima infinitate permanente spatij: sicut infiniti lapides palmares v. g. simpliciter non implicant; licet implicent, si ponantur in spatio, vt in tomo 1. quæst. 7. art. 3. dub. 8. quod ad præsentem difficultatem intelligendam est aptissimum exemplum. Neque etiam implicat ab æterno motus rectus ex eo quod vnum mobile moueatur duplo velocius altero, seu quod vnum atque idem mobile, quòd ponitur moueri cum tanta determinata velocitate, possit poni moueri cum velocitate maiori, aut minori; quoniam omnis hæc motus inæqualitas reperiri potest in cœlis ab æterno motis; sed implicantia consistit præcisè in eo, quòd excessus infinitus dupli in motu recto est supra vnum dimidium finitum, semel tantum pertransitum; vnde euidenter apparet excessum illum, qui necessario esse deberet infinitus, verè fuisse finitum: in motu autem circulari excessus infinitus dupli est supra vnum determinatum spatium finitum infinities pertransitum. Nullum autem est absurdum, imo cum infiniti natura bene intelligitur cohærere, in aliquo quanto infinito contineri aliquod finitum infinities replicatum.

DVBITATIO V.

An dari possint ab æterno infinitæ successiones rerum finitarum, ac distinctarum.

SVMMA.

1. *Quid in hac quæstione certum sit. n. 83. ad 87.*
2. *Statuitur conclusio affirmatiua. n. 87.*
3. *Tres modi defendendi conclusionem. n. 88. ad 92.*
4. *Soluuntur variæ aliorum implicantiæ. n. 92. ad 97.*

5. *Propo*

5. *Proponitur alia præcipua implicantia. num. 97. ad 103.*
6. *Defenditur illustrissimus Toletus contra Bagnes. n.103. ad fin. articuli.*

83. *Declaratur quæstio, & distinguitur à præcedentibus.*

HActenus æternitatem concessimus entibus permanentibus, siue incorruptibilibus, siue corruptibilibus natura sua, modò eorum esse non relinquatur propriæ naturæ, sed semper à Deo supernaturaliter conseruetur. Eamdem concessimus vni enti successiuo continuato motus, & temporis, modò motus non sit finitus, neque rectus infinitus, sed sit circularis, & infinitus. Superest vltimo inquirendum, an eadem æternitas, nimirum possibilis, concedenda etiam sit entibus realiter distinctis, & singulis in se finitis, sed infinities multiplicatis, & inuicem succedentibus: v.g. an potuerint semper ab æteruo fuisse rerum generationes, & corruptiones. An Deus potuerit ab æterno successiuè creare singulis horis, aut diebus, aut mensibus, aut saltem annis vnum Angelum. An Angelus ab æterno creatus possit semper successiuè elicere alias, atque alias intellectiones, & volitiones, quarum singulæ durent determinato aliquo tempore. Vbi quædam certa sunt, & in superioribus probata.

84. Certum primo est, non esse negandas prædictas infinitas successiones ab æterno, si nullum aliud incommodum habent, nisi quia sequeretur, dari nunc simul, & permanenter infinita actu, v.g. infinitas animas ex hominum generationibus ab æterno, vel infinitos Angelos, si singulis diebus æterni temporis Deus ortasset vnum Angelum. Patet ex latissimè probatis in primo tomo, quod non repugnet infinitum actu. Quamuis multi ex authoribus nostræ sententiæ de tempore æterno possibili, præsertim Thomistæ, sint in contrarium, vt notaui supra num.1. & 3. & ideo scripsit Heruæus 2. dist.1.quæst.1. art.3.ad 1. *Quod licet in quolibet die secundum se accepto, potuisset Deus creare Angelum, vel lapidem, & conseruare: non tamen hoc potuisset facere in omnibus diebus simul. sicut*, inquit, *non est signare aliquod nunc in die, vel in quouis alio finito tempore, in quo non posset creare vnum Angelum; nec tamen posset in omnibus nunc infinitis, possibilibus accipi in die, infinitos Angelos creare.* Idem sequitur, & fusius confirmat Capreolus quæst.3. art.3. ad 6. eorum, quæ quarto loco proponit, dicens, *quod licet qualibet die illius temporis infiniti potuisset Deus creasse vnum lapidem, non tamen fuit possibile, quòd ita fecisset in omnibus diebus. Constat enim, quod non est instans in hora, in quo non posset Deus creare vnum Angelum; & tamen non est possibile, vt creauerit in quolibet nunc horæ vnum Angelum. Similiter*, inquit, *non est aliquid possibile fieri à Deo, quin illud possit fieri à Deo: non tamen est possibile, quod Deus faciat, vel fecerit omne possibile fieri à Deo, quia tunc sua potentia esset exhausta.* Quas consequentias non valere ait, *quia arguitur à sensu diuiso ad compositum.* Scotus quoque 2. dist.1.quæst.3. §. *Ad aliud de infinitis animabus.* Idem docet, & confirmat eodem exemplo temporis finiti, vbi etiam sunt infinita instantia, in quorum quolibet, non in omnibus potest Deus creare vnam animam. Quas grauissimorum Doctorum authoritates notare placuit ad tollendum scandalum pusillorum, cum audiunt, Deum non posse singulis diebus, vel annis, vel etiam sæculis temporis æterni creare, & conseruare vnum Angelum, vnam animam, &c. Quod tenentur etiam asserere S.Thomas, & discipuli omnes, & alij affirmantes, esse possibile tempus æternum, & negantes esse possibile infinitum actu.

Qui dicant, Deum non posse singulis diebus æterni temporis creare, & conseruare vnum Angelum.

85. *Quomodo deberet Angelus intelligere successiuè ab æterno.*

Certum secundò est Angelum, v.g. intelligentem ab æterno successiuè per diuersas intellectiones, non posse creari cum intellectione, ita vt actio creatiua terminetur ad substantiam Angeli, & simul ad vnam aliquam illius intellectionem. Cum enim illa actio sit determinata, eius terminus ad quem erit etiam determinatus. Ergo dabitur talis determinata intellectio, antequam nulla alia fuerit: quod est contra casum positum de Angelo intelligente semper ab æterno successiuè, ac proinde per infinitas intellectiones, quæ non possunt habere prædictam primam creata, quia hodie haberent etiam vltimam, ac proinde probarentur omnes interpositæ finitæ. Præterea illa intellectio creata non duraret per tempus infinitum, alioqui non darentur intellectiones successiuæ ab æterno, de quo casu nunc loquimur, sed daretur vna tantum æterna intellectio, post quam aliæ sequi possunt in tempore, non ab æterno; ergo duraret per tempus aliquod finitum, v.g. annuum; ergo ante illum annum non erat Angelus intelligens. Ergo non fuisset intelligens ab æterno successiuè. Sic enim ipsemet Angelus creatus in instanti æternitatis, deberet statim ac est elicere intellectiones, singulas quidem finito tempore durantes, omnes verò collectiuè durantes tempore infinito cum infinita successione.

86. *Quamlibet æternam, & discretè successionem cõstare in infinitis.*

Certum tertio est, res successiuè existentes in æternitate, non posse esse finitas, sed necessariò esse debere infinitas. Quia dentur esse v.g. mille, pero, quantum durauit prima, si æterno tempore. Ergo aliæ sequentes non fuerunt in æternitate, sed in tempore post æternitatem primæ; & consequenter nulla fuit rerum successio in æternitate, sed post æternitatem. Si durauit aliquo finito tempore, cum mille etiam sequentes non durauerint nisi finito tempore, totum successionis tempus erit euidenter finitum, & non ab æterno, conflatum scilicet ex mille finitis partibus. Successio igitur, si ponitur esse ab æterno, quamuis possit habere vltimum ex parte post, tamen est planè impossibile, vt à parte ante habeat primum. Vnde manifestum est, æternæ successionis indiuidua debere esse infinita. Remanet igitur difficultas, quæ in his controuersiis mihi videtur omnium maxima, vt constabit ex dicendis, an in æternitate à parte ante sicut dari potest creatura infinitè durans, & permanens, & dari etiam potest aliqua vna continua successio infinita, qua ab æterno moueatur creatura localiter circulariter; ita etiam dari possint infinitæ successiones discretæ, vt infinitæ rerum generationes, & corruptiones, quarum nulla distributiuè fuerit ab æterno, sed tantum omnes collectiuè. Et eadem omnino quæstio est, an in Angelo ab æternitate creato, esse possint successiuè infiniti actus intelligendi, & volendi: &, an Deus ab æterno possit successiuè creare, vel aliter facere res infinitas, v.g. Angelos, animas, lapides, illuminationes, calefactiones, &c.

87. *Conclusio affirmatiua, eiusque authores, & aduersarij.*

Vnica conclusio affirmatiua, quæ multò plures, & graniores authores habet, vt videre est ex citatis supra num.54. pro, & contra. Inter quos pro conclusione absolutè videtur numerandus Scotus 1. dist.2. quæst.2.§. *Ex his ostenditur.* Vbi probat, *quod infinitas successionis, in accidentaliter ordinatis, vt in causis generantibus ab æterno, est impossibilis, nisi continuetur, vel perpetuetur ab aliqua natura infinitè durante, à qua tota successio, & quodlibet eius dependeat.* Ergo cum dependentia immediata à Deo, quam nullus Catholicus potest excludere, absolutè asserit, esse possibiles infinitas successiuas generationes

tiones in æternitate: quamuis deinde 2. dist.1.q.3. respondens ad 3. Henrici contra possibilitatem æternæ creaturæ, nolit concedere, *quòd asinus productus ab æterno potuit generasse ab æterno: sed si oportuit asinum generasse, non est inconueniens, quod quieuisset per infinitum imaginatum à parte ante ab illa actione.* Fonseca etiam lib.2. metaph. cap.2. quæst.1. sect.3. concl.1. fin. & sect.5. ad 1. obiter significat contra Aristotelem, generationes rerum ab æterno esse impossibiles.

Tres modi defendendi conclusionem.

88. *Primus modus impossibilis absque creatione alicuius generantis.*

Tota conclusionis probatio pendet ex assignatione modi, quo rerum corruptibilium generationes, quæ in hac materia præcipuum negotium facessunt, contingere ab æterno possint absque implicantia. Qui modus triplex omnino cogitari potest. Primus, vt nulla alicuius speciei indiuidua sint à Deo immediatè creata, & conseruata in æternitate, sed singula sint in infinitum, & genita, & generantia præter vltimum, quod est generatum, non generans. Atque hunc modum de facto posuerunt Philosophus, aliique veteres authores æternitatis huius mundi secundum naturalem cursum, quem in eo videmus: & de possibili posuisse videntur S.Thomas, Thomistæ, ex alij Theologi citati pro conclusione, eumque expressè refert, & non reiicit Capreolus 2.dist.1.quæst.1.art.3. ad 2.Durandi. Impossibilem verò esse probauimus supra art.1. num.6. cum Durando 2. dist.1. quæst.3. num.18. & Vazquez hîc dis.177. num.17. accepta enim quacumque rerum generabilium specie, eaque totaliter, & collectiuè considerata cum omnibus suis indiuiduis, verum est, inquit optimè Durandus, *Quia tota species causam habet. Hæc autem causa non potest esse aliquid vnum illius speciei, quia esset causa sui: neque plura, quia esset circulatio:* hoc est, sese mutuò generarent; quod manifestè implicat. Ergo impossibile est intelligere infinitam successionem generationum ab æterno, nisi præter actiones generatiuas à creaturis factas, intelligamus aliam actionem creatiuam, prius prioritate naturæ terminatam ad aliqua determinata indiuidua, quæ sint generantia, & non genita.

Durandus.

89. *Secundus modus possibilis per creationẽ generantium diuersæ speciei.*

Secundus igitur modus est, si creasset Deus ab æterno corpora simplicia, vt elementa, & cœlos, eisque dedisset virtutem gignendi formas omnium mistorum generabilium, & corruptibilium. Tunc igitur ista corpora potuissent etiam ab æterno generare mista, & nunquam ab infinitis mistorum generationibus cessare: sicut sol æternus potuisset semper infinitè circumferri, & semper illuminare, & facere infinities diuersas aëris partes lucidas, & tenebrosas. In quo casu non esset signabile aliquod instans durationis, in quo fuerint elementa, seu cœli, & non generauerint; sed præcessissent duratione æterna singulas particulares generationes, & res genitas; omnes verò collectiuè consideratas processissent solum natura, & secundum causalitatem. Neque signabilè esset primum mistum genitum, v.g. prima planta, primus equus; sed ante quodlibet mistum genitum, semper essent alia, & alia infinita mista genita. Quæ omnia nullam videntur apertam contradictionem ostendere, imò facilè intelligi, & explicari possunt prædicto exemplo Solis ab æterno facientis circulationes infinitas, & continua infinitáque successione producentis lumen, & calorem. Quod non implicare constat ex dictis in dubitatione præcedente.

90. *Tertius mo-*

Tertius modus, secundo non multum absimilis, quem significat Scotus supra, & multò clarius po-

deus possibilis per creationẽ generantium eiusdem speciei.

nunt Heruæus 2. dist.1. quæst.1.art.3. ad 6. Durandus quæst.3.num.14. Capreolus supra, referens aliquos in contrarium est, si Deus ex singulis speciebus duo indiuidua ab æterno creasset, vt si ab æterno fecisset Adamum, & Euam, Leonem, & Lenam; ex quibus primis, ac determinatis indiuiduis, infinito tempore conseruatis, processissent successiuè per generationem, etiam ab æterno, infinita alia indiuidua earumdem specierum. In quo etiam casu primi illi hominum, aut Leonum progenitores non præcederent duratione infinitos homines, aut Leones genitos, sed tantum natura, sicut in tempore causa, causans statim ac est, præcedit effectum. Neque signari potest aliquod instans, in quo incœpissent generare primum hominem, aut primum Leonem: sed quodcumque indiuiduum particulare accipiatur, fuit ab illis in tempore genitum, & illud æterna duratione præcesserunt. Hunc quoque modum non esse impossibilem, suadet Heruæus supra art.2. §. *Ex hoc.* Heruæus.

Satis probabiliter ex conclusione præcedentis dubitationis de circulari motu cœli ab æterno, *Sicut*, inquit, *circulationes cœli se habent ad procedendum in infinitum secundum idem mobile numero, sic circulatio se habet ad procedendum in infinitum in generatione, & corruptione, in generatis, & corruptis secundum diuersa numero, & idem specie reiteratis.* Sicut igitur Philosophus de facto, & S.Thomas de possibili, intelligunt cœlum Solis ab æterno confecisse infinitas annuas circulationes, & non vnam primam circulationem vno primo anno: ita nos pariter intelligere possumus, Adamum & Euam ab æterno singulis annis semper generasse vnum hominem, ac proinde infinitis annis generasse infinitos homines absque vllo primo homine genito. Neque enim aliqua implicantia videtur assignabilis contra Adam ab æterno generantem singulis annis vnum filium, quæ non æquè procedat contra cœlum ab æterno faciens circulationes annuas, singulas singulis annis. Ergo si implicantia non habet vim in hoc secundo casu, nec habere debet in primo. Et ideo Ægidius 2. dist.1.p.1. quæst.4. art.2. §. *Tertia deceptio.* Ait, *mirabile est, quia concedunt aliqui, vel videntur concedere, motum potuisse esse ab æterno propter quod si esse creaturæ esset semper in fieri, viderentur annuere, quod posset esse ab æterno; tamen quòd equus sit ante equum in infinitum, videntur pro impossibili habere. Si ergo cœlum fuisset ab æterno continuè motum, sicut non esset dare reuolutionem primam, sed reuolutio præcederet reuolutionem in infinitum, sic non esset dare*, &c. Ægidius.

91. *Corollarium contra Bagnes.*

Ex quibus sequitur, non esse necessariam limitationem Bagnes hîc concl.2. qui cum concederet simpliciter posse ab æterno creari Angelum, & cœlum: subiunxit limitando contra Sotum, quem etiam impugnat Masius 8. phys.quæst.11. concl.3. has creaturas, etsi natura sua permanentes, atque immortales, non posse ab æterno produci, relinquendo illas naturæ suæ. Etenim de natura Angeli est, vt semper ac existit, operetur, & vt operationes suas intelligendi, & volendi liberè muter. Quas operationes habere posset Angelus successiuè in æternitate, non minus quam causæ aliquæ materiales possent ab æterno successiuè generare. Æternitas quoque nihil tolleret, quod ad naturam cœli spectaret. Nam vt ipsemet Bagnes vult, de natura cœli est, vt habeat motum ordinatum ad rerum generationes, & corruptiones. Ex superioribus autem constat cœlum ab æterno potuisse fieri cum motu. Item, rerum sublunarium generationes, & corruptiones esse etiam ab æterno possibiles; ad quas omnes cœlum suo motu suisque influentiis

potuisset

potuisset etiam ab æterno concurrere. Nullam igitur cœli natura violentiam pateretur, si fieret ex æternitate.

Soluuntur variæ aliorum implicantiæ.

92. *Prima implicantia.* Obiiciunt primò petendo, vt fiat ab æterno mulier grauida. Hæc, inquiunt, non potest parere nisi post nouem menses. Ergo ante nouem menses nulla generatio esse potuit, ergo generatio non potest esse ab æterno.

Prima respõsio minus probabilis. Respondent aliqui, mulierem illam peperisse quidem semper post nouem menses, sed non incœpisse parere post primos nouem menses: quia adhuc illam creatam fuisse prægnantem, non tamen primò prægnantem, sed semper, & semper ante, & ante in æternitate fuisse prægnantem, & genuisse, & peperisse filios. Responsio non videtur intelligibilis: quoniam si sola Eua v.g. à Deo immediatè creata est prægnans, necesse est ponere quod sicut actio creatiua terminata est ad talem matrem, ita etiam ad talem fœtum, seu filium; alioqui non creata esset grauida, vt petitur, & supponit sequens argumenti difficultas; sed per aliam actionem generatiuam, siue eductiuam facta fuisset grauida, vel à Deo immediatè, vel à se ipsa per diuinam virtutem obedientialiter eleuata. Si autem creatio terminata fuisset ad determinatum fœtum, ille fuisset primogenitus; ac proinde neque ipse, neque omnes sequentes vsque ad hodiernum vltimum esse potuissent infiniti, & ab æterno.

Alia respõsio probabilior. Itaque concessa petitione, vt iacet, aliter respondendum cum Capreolo 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 2. Durandi, negando posse illam mulierem parere post nouem menses: quæ propterea ita fieret ab æterno, vt non posset relinqui naturæ suæ, iuxta superius dicta in num. 43. sed deberet necessariò conseruari à Deo per æternam durationem simul cum fœtu in ea dispositione secundum quam creata esset grauida, & post transactam æternitatem per extrinsecam determinationem à Deo factam deberet incipere, & continuare reliquas naturales actiones necessarias ad generationem, & partum in tempore. Actiones enim formatiuæ, & emissiuæ determinati fœtus, esse necessario debent determinatæ ac finitæ, quæ non possunt esse ab æterno, vt supra num. 47. Præterea ipsa petitio, si attentè consideretur, datam responsionem probat. Petunt enim vt fiat mulier grauida, hoc est, simul cum fœtu, ab æternitate. Quod nil aliud significat, quam per totam æternitatem, hoc est, per infinitum tempus durare mulierem grauidam: alioqui si emisso fœtu, cum quo creata petitur, & conceditur ab æterno, desineret post nouem menses esse grauida illo fœtu, iam non fuisset tali fœtu grauida per æternitatem, sed nouem tantum menses. Ergo ex ipsa sua petitione conuincitur aduersarius, malè deinde addere, vt illa mulier pariat post nouem menses. Mulier igitur illa sicut quia ponitur creata simpliciter ab æterno, non potest desinere esse simpliciter post aliquod tempus finitum, aliter non facta fuisset ab æterno, sed solum post lapsam æternitatem. Ita quia ponitur pariter ab æterno creata grauida, non potest desinere esse grauida post nouem menses, sed necessariò conseruanda est grauida per totam æternitatem eodem prorsus modo, quo grauida creata esse ponitur ab æterno. Atque hæc eadem responsio applicari facilè potest arbori floridæ respectu fructuum, gallinæ respectu oui, aliisque similibus casibus, qui in hac materia multiplicari solent, & peti vt fiant ab æterno: sed eamdem habent explicationem.

93. *Secunda implicãtia Durandi.* Obiiciunt secundò cum Durando 2. dist. 1. quæst. 3. num. 14. *Si esset possibile generationem fuisse ab æterno, hoc maximè fuisset, ponendo virum, & mulierem creatos ab æterno in perfecta quantitate, & virtute generandi.* Hunc verò modum concessum supra num. 90. sic impugnat, *quia homo creatus ab æterno, aut prius fuisset, & posterius genuisset, & sic generatio non fuisset ab æterno; aut non prius fuisset, quam genuisset, sed mox cum fuisset genuisset: sed hoc non potest esse, quia agens per motum præexistit termino motus, non solum natura, sed duratione. sed generans agit per motum alterationis cuius termini intrinsecus est generatio. Ergo homo generans necessariò præexistit omni generationi non solum natura, sed duratione.* Quæ ratio, inquit Durandus, *concludit non solum de hac generatione, vel illa, sed de generatione simpliciter si benè aduertatur: quia quodlibet generans præcedit omnia genita ab eo, etiam coniunctim accepta.*

Respondetur cum Capreolo, primũ generans esse ante singula genita, non ante singula omnia. Respondeo cum Capreolo supra, quod homo ille genuisset statim ac fuisset, nimirum in ipsa æternitate; & genuisset, vt bene ait Capreolus *infinitos homines, nec fuisset dare primum ab eo genitum.* Et contraria ratio Durandi de agente per motum, quod durationem præexistit termino motus, quo fundamento sensit etiam Masius 8. phys. quæst vltima concl. 4. implicare ab æterno generationem cum præuia alteratione, non autem sine alteratione, probat quidam agens duratione præcedere quamlibet particularem generationem, & quodlibet particulare genitum; non tamen omnes generationes, & omnia genita collectiuè. Vbi quo ad hoc est manifestè dispar ratio de singulis distributiuè, & de omnibus collectiuè; quia ideo agens debet durationem præexistere termino motus in singulis, ex eo quod in singulis præcedere debet finitus motus alterationis per præuiam materiæ dispositionem. Quæ ratio non habet locum in omnibus simul quia ad omnia simul genita, & ad omnes simul generationes, nulla datur, nec dari potest antecedens dispositio, sed solum datur antecedens causa omnium, non antecedentia durationis, sed naturæ & causalitatis. Quare ex præcedentia durationis respectu singularum generationum, arguere præcedentiam durationis respectu omnium coniunctim sumptarum, inquit optimè Capreolus, *est fallacia compositionis, & diuisionis: quodlibet enim genitum est, vel fuit aliquid, finita & certa duratione actu positum; ideo potuit præcedi duratione. Illa autem infinita multitudo genitorum, non est, nec fuit aliquid duratione finita, & certa in actu acceptum, ideo non oportet talem infinitatem præcedi duratione temporis, imò nec fuit possibile; vt de se patet.* Quæ responsio fieri potest intelligibilior exemplo Solis, si admittatur eius circumuolutio ab æterno. Is enim nullum circulum confeciisset, nisi spatio vnius anni: & tamen quia non datur primus aliquis circulus in immensa illa infinitaque æternitatis duratione, primo loco pertransitus, confeciisset infinitas circulationes ab æterno, ac proinde singulas præcessisset æterna duratione, omnes vero non duratione, sed natura tantum. Ita prorsus Eua ab æterno semper succesiuè generans, singulos filios genitos anteiret æternitatis duratione, omnes autem simul non nisi natura. Et sicut ante quemlibet circulum Sol confeciisset semicirculum, & tamen nullus daretur semicirculus antecedens omnes circulos; ita de generationibus; quarum singulas antecederet materiæ dispositio, non tamen omnes.

94. *Durandi instantia.* Contra hanc solutionem acutè instat Durandus supra num. suo 56. *Quod est de ratione geniti conuenit omni genito, non solum per se accepto, sed coniunctim cum aliis: sicut quia de ratione medij est, quod sit inter extrema, conuenit omni medio non solum per se sumpto, sed omnibus simul sumptis. Sed de ratione geniti per alterationem præcedentem est, quod sequatur duratione suum generantem. Ergo hoc conuenit omnibus genitis simul sumptis.*

Respondetur, quod cõuenit singulis, non necessariò cõuenire omnibus. Respondeo, maiorem vniuersaliter esse falsam, & negandam. Habet enim euidentes instantias. Primò in circulationibus infinitis à parte ante, nam de ratione cuiuslibet circulationis secundum se est habere vnum semicirculum ante alium semicirculum: & tamen ridiculum esset, hinc velle inferre vnum semicirculum ante omnes circulationes ab æterno. Sed quoniam has negat Durandus, accipio secundò circulationes infinitas à parte post, quas possibiles esse non negat Durandus; nam de ratione circulationis, est habere in se intrinsecè tanquam partem sui essentialiter constitutiuã, non solum vnã priorem semicirculationem, sed etiam aliam semicirculationem posteriorem, quæ tamen post omnes infinitas circulationes fingi non potest: sicut enim vna semicirculatio prior omnibus, contradicit circulationibus infinitis à parte ante; ita pariter circulationibus infinitis à parte post, contradicit vna semicirculatio posterior omnibus. Tertio, alterationi, vt alteratio est, conuenit, vt post illam sequatur generatio; & tamen hoc minimè conuenit omnibus alterationibus in infinitum possibilibus à parte post. Quartò, idem apparet in generationibus possibilibus à parte ante, quarum vnaquæque habet præuiam alterationem, non tamen omnes coniunctim. Quintò, in partibus proportionalibus vnius horæ v.g. de ratione enim cuiuslibet partis proportionalis est habere post se aliam minorem, quam tamen omnes post se habere non possunt. Et idem de aliis similibus, in quibus reperitur aliqua infiniti ratio. Multa enim conueniunt rebus, quia finitæ sunt, quæ non conuenirent illis si essent infinitæ; sicut de ratione cuiuslibet numeri est esse numerabilem, & tamen numeri infiniti non sunt numerabiles. Et ideo Capreolus supra respondens ad hoc Durandi argumentum, benè distinguit maiorem, dicens, *De ratione geniti, quod certa, finita, & limitata duratione mensuratur, est præcedi à suo generante duratione, & similiter de ratione omnium genitorum, sic mensuratorum. Vbi autem totalis multitudo generatorum, nulla certa mensura mensuratur, non oportet quod præcedatur duratione temporali à quocunque, & per consequens nec à generante, nec à non generante. Sic autem esset in illo proposito.* Vnde patet insufficientia exempli à Durando ablati de medio; quoniam si darentur infinita media, tunc ratio illa essendi inter duo extrema, quæ per se conuenit cuilibet medio, non conueniret omnibus mediis: sicut quodlibet dimidium proportionale vnius horæ v.g. præter primum semihoræ dimidium, est medium inter prius, & posterius dimidium; & tamen, quia sunt dimidia infinita, non possunt omnia simul sumpta intelligi clausa inter duo extrema dimidia. Sunt igitur quædam prædicata, quæ conueniunt rebus absolutè consideratis, quomodo conuenit homini esse rationalem, & generationi esse actum entis in potentia, esse viam ad substantiam, &c. Et hæc semper conueniunt & singulis, & omnibus. Quædam verò conueniunt rebus, vt præcisis à quacumque coniunctione, vt indiuiduo; habere vnam differentiam indiuiduantem; & palmo occupare vnum spatium palmare: & hæc prædicata conuenire non possunt pluribus, siue infinitis, siue etiam finitis. Demum quædam alia prædicata conueniunt rebus, vt præcisis à coniunctione infinita, vt contingit in casibus positis. Ex eo enim quòd collectio infinita caret termino, oritur vt de illa prædicari nequeant, quæ terminum necessariò requirunt; & ideo si dicuntur de rebus, non intelligi debent verificari de rebus vt absolutè spectatis, sed vt præscindentibus ab aliquo tollente rationem termini, scilicet à collectione infinita. In hac igitur argumentatione, alteratio procedit quamlibet generationem; ergo præcedit omnes; vitium consequentiæ est, quia variatur suppositio: nam in antecedente generatio supponitur veluti simpliciter, hoc est, sumitur vt præcisa à coniunctione, seu collectione omnium, siue, vt loquitur Capreolus supra, *vt certa, finita, & limitata duratione mensuratur*; sic enim, & non aliter conuenit ei, esse post alterationem. In consequente autem supponitur alio opposito modo, hoc est, vt coniuncta cum omnibus; &, vt ait Capreolus supra, *vt nulla certa mensura mensuratur.*

95. *Tertia implicantia Henrici apud Scotum.* Obiiciunt tertiò argumentum Henrici, quod refert Scotus 2. dist. 1. quæst. 3. col. 3. rat. 3. *Sicut sol potuit esse ab æterno, ita & asinus potens generare; & ab illo possent fuisse omnes asini alij generati, qui sunt vel fuerunt vsque ad hunc diem modo generati, & tunc quæro, Vtrum omnes fuissent tunc finiti, aut infiniti; si finiti, igitur totum ab illo vsque ad istum fuisset finitum. Si infiniti, igitur positis extremis, potuissent media fuisse infinita actu: quod est inconueniens.*

Prima responsio Scoti. Respondet Scotus, esse finitos, quia ille asinus non potuisset generare nisi post æternitatem. Quam responsionem miror dari etiam à Capreolo 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. col. 4. ad 3. cum ipse infinitam generationum successionem ab æterno impossibilem esse non censeat. Melius igitur concedit deinde Capreolus infinitos genitos: & soluit dicens, *nec esset dare primum ab illo genitum, sed vltimum.* Verum obiectio non faciebat vim in primo genito, sed in primo asino, inter quem & vltimum darentur asini infiniti: qua sola primitate persuasus Vazquez hic dist. 177. num. 17. & 18. tenet, implicare generationes ab æterno; & ideo Conimbricenses 8. phys. cap. 2. quæst. 7. art. 6. ad 2. & alij addunt, illum æternum hominem, v.g. Adamum, à quo progeniti essent homines infiniti, esse primum negatiuè, hoc est, ante quem alius homo non extiterit; non tamen primum positiuè per ordinem ad secundum, quia post illum designari non potest secundus. Non esse autem alienum à ratione infiniti, dari in eo primum negatiuè. Quod quidem, quamuis ego etiam alibi eadem distinctione vsus sim, nunc tamen non videtur plenè satisfacere: primò quia de ratione infiniti est, vt qualibet illius parte accepta, semper extra illam alia, & alia pars sumenda restet. Sed Adamo accepto non potest vltra illum alius homo accipi. Ergo Adamus, ne negatiuè quidem dici potest primus infinitorum hominum. Secundò, si Adamus est primus in illa infinita multitudine, ergo est terminus illius infinitæ multitudinis. Ergo reliqui omnes homines sequentes terminantur Adamo, vltra quem alius homo non reperitur. Ergo sunt finiti, & non infiniti ex parte anteriori. Et verè ita difficilis apparet ista responsio, ac si quis diceret, dari lineam infinitam versùs Orientem; & tamen in ea versùs Orientem dari primum palmum negatiuè, non positiuè. Item in æterno cœli motu à parte ante dari primam circulationem, in infinitis lapidibus hinc dispositis versùs Orientem dari primum lapidem, & hæc aliaque similia saluare per negationem prioris, non per positionem sciendi.

Secunda responsio Capreoli.

Respõsio Capreoli.

Tertia respõsio, Adam ab æterno generantem, esse primum negatiuè.

96. *Quarta responsio probabilior.*

Igitur multò intelligibilius, ac verius est respondere, negando simpliciter, Adamum esse vllo modo primum in illa infinita multitudine: esset enim omnino extra ordinem illorum infinitorum hominum; infiniti namque homines sunt geniti; Adamus verò creatus immediatè à Deo. Ergo esset Adamus, homo diuersi ordinis ab infinitis hominibus genitis, ac proinde extra sortem illius infinitaris, ad quam non pertineret, vt vnus aliquis infinitæ multitudinis, sed solum, vt causa omnium infinitorum hominum. Sicut de facto in sententia Aristotelis, sol æternus, à quo etiam omnis homo generatur 2. phys.26. ad infinitam hominum multitudinem pertinet. Et præcisa causalitate, ita se haberet Adamus creatus ad infinitos homines genitos, sicut à contrario ad infinitos homines immediatè à Deo creatos, se haberet vnus alius homo præterea genitus. Atque hæc responsio
Capreolus. similis est illi, qua Capreolus 1.dist.43.quæst.1.art.2. ad 6. contra sextam conclusionem soluit argumentum Aureoli, conantis probare, species essentiales possibiles perfectiores, & perfectiores, non esse infinitas, ex eo quod prima esset Deus. Dicit enim Capreolus, *quod Deus non est vnum extremum illius multitudinis, sed est extra illam multitudinem producibilium specierum.* Sic quoque in casu nostro ego dico, quod Adamus non esset primus hominum generatorum, sed extra horum hominum multitudinem; nimirum creatus, non generatus, sed solum generans infinities.

Proponitur alia præcipua implicantia.

97. Præter prædictas implicantias, ab aliis allatas, & ni fallor, sufficienter solutas, nullam aliam inuenio apud aliquem authorem, quæ alicuius momenti sit, & solui nequeat ex dictis tum hoc loco, tum in primo tomo quæst.2. art.3. occasione demonstrandi existentiam primæ causæ; & quæst.7. art.3. in tractatione de infinito. Mihi verò occurrit quædam alia, intellectus mei imbecillitati omnium grauissima, ac molestissima, qua me vel inuitum in contrariam sententiam
Explicatur radix totius difficultatis. pertrahi sentio. Tota difficultas, quæ me vexat oritur ex duabus infinitatibus diuersissimæ rationis, ac proinde incomparabilibus, & inuicem improportionabilibus, quæ tamen in successiuis generationibus, siue creationibus, siue intellectionibus, siue aliis finitis actionibus, aut motibus, infinities ab æterno multiplicatis, necessariò inuicem comparantur, & componuntur: altera continua vnius æterni temporis, conflata vt sæpius, ob rei difficultatem in superioribus explicare, ac probare necesse fuit, ex partibus indeterminatis, maioribus, & maioribus in infinitum: altera discreta, conflata ex partibus determinatis, habentibus certam aliquam extensionem, v.g. ex generationibus, quarum singulæ durant per nouem menses: ex creationibus, quarum quælibet facta est in vno anno, vel mense, vel die ex intellectionibus, singulis finita, ac determinata aliqua mensura durantibus. Quas quidem duas infinitates simul succedentes ponere, & alteram discretam transire, ac finiri simul dum transit, ac finit altera continua, videtur idem omnino esse, ac si simul cum tempore æterno, hactenus explicato, ponas aliud æternum tempus conflatum in infinitis tantum annis, vel mensibus, vel diebus; vbi apparet manifesta implicantia. Quæ difficultas non multum absimilis videtur illi, ob quam supra dub.3. probauimus implicare motum rectum absque reflexione, in quo etiam casu duæ infinitates incommunicabiles inuicem commensurantur, & connectuntur.

98. *Primum argumentum*

Arguo igitur primò. Homines infiniti in æternitate successiuè geniti, singuli v.g. post vnũ annũ, vel sunt semel infiniti, vel pluries infiniti. Non semel, quia sequeretur in infinito tempore non esse nisi annos semel infinitos; & tamen ibi sunt etiam infinita secula, & infinitæ aliæ partes quantalibet extensione maiores. Non pluries, quia est inassignabilis iste numerus infinitatum infinitorum hominum. Imò sicut ab æterno tempore sunt infinitates annorum infinities infinitæ, ita si singulis huius temporis annis gignerentur singuli homines, infinitates infinitorum hominum genitorum deberent pariter esse infinities infinitæ: quam quidem exuberantem multitudinem vix vtcumque capimus in tempore æterno, quia omnes annorum illæ infinitates non sunt per se, vt suprà n.80. sed in re non sunt aliud nisi vna infinitas partium indeterminatarum in maioritate, in quibus mens nostra considerare potest quamlibet partem determinatam infinities infinitam, semper tamen inclusam essentialiter in prima illa maiori infinitate: sicut à contrario, in continuo finito non est nisi vna infinitas partium indeterminatarum in minoritate, vbi etiam essentialiter continentur tot infinitates partium minorum quot sunt singulæ partes illius primæ infinitatis proportionalium dimidiorum. At verò tot infinitates in rebus discretis, & non habentibus inter se connexionem, cuiusmodi sunt Angeli, homines, equi, &c. quis quæso capiat: præsertim quia sicut posuimus singulos homines singulis annis genitos, ita poni poterant singuli geniti singulis lustris, singulis seculis, singulis annorum millenariis; & semper essent infinities infinitæ infinitates hominum infinitorum: sicut etiam, si poneremus homines, vel Angelos creatos breuiori aliqua duratione intermedia, vt singulis mensibus, singulis diebus, singulis horis. runc enim rerum discretarum, & per se subsistentium infinitates essent multò plures quam infinities infinitiæ. Quo confusissimo multitudinis excessu, humanæ mentis acies planè confunditur, eumque ferre non potens, libenter abiicit vt impossibilem.

99. *Secundũ argumentum.*

Arguo secundò principaliter, quia plures infinitates hominum genitorum aduenient successiuè vna post aliam: sicut enim ita successiuè aduenient singuli homines, singula hominum denaria, centenaria, millenaria, &c. ita etiam eodem successiuo modo aduenire debent singula hominum infinita: & aliter huiusmodi discreta successio in æternitate videtur intelligibilis. Dari verò vnam infinitam multitudinem successiuè post aliam, est nimis patens absurdum; quia hæc sequens infinita multitudo haberet pro euidentissimo termino ex parte anteriori, vnde ponitur infinita, præcedentem aliam multitudinem infinitam. Neque in his discretis rebus, si ponuntur pluries infinitæ, confugere rationabiliter possumus ad infinitates inuicem intermistas, quæ propterea intermisto, & confuso modo succedant, non distincto modo vna post aliam, sicut dictum est supra num.75. ad 78. de successione, & fluxu plurium infinitatum partium temporis æterni: quoniam ideo ibi ita dicere possumus, quia determinatæ illæ partes non stant per se, sed stant essentialiter inclusæ, & continuatæ in partibus maioribus indeterminatis; verè enim in re non datur infinitas horarum, v.g. sed eam noster intellectus confusè concipit in diebus infinitis: sic etiam infinitatem dierum concipit in infinitis mensibus, &c. In casu autem nostro

nostro de hominibus genitis cessat omnino hoc effugiũ, quia & singuli, & omnes homines sunt per se, & inter se realiter distincti, & distinctissimè vnus succedit alteri per propriam durationem realiter distinctam, & discontinuatam à duratione alterius. Ergo intermista infinitatum successio fingitur absque vllo fundamento in re. Quod si propter hoc repudies pluritatem infinitatum, & recurras ad vnicam infinitatẽ, in qua sint partes maiores, & maiores in infinitum, v.g. hominum genitorum infinita binaria, infinita denaria, infinita centenaria, &c. conuinci facilè poteris ad plures infinitates iterum recipiendas. Etenim sicut concessisti fieri posse singulos homines singulis annis, ita etiam concedere teneris, singulos homines fieri posse singulis sex mensibus: & tunc sine dubio hi homines erunt duplò plures illis. Ergo si illos concessisti semel infinitos cum vnica infinitate, concedere etiam necessariò debes hos bis infinitos cum duplici infinitate. Et idem argumentum fieri potest si comparentur homines geniti, singuli singulis annis, cum hominibus, quorum vnus sit genitus mille annis post alium: hi enim etiam essent infiniti, vnde conuinceris, quod homines à te positi singulis annis, non erant semel infiniti, sed millies infiniti. Ex quo manifestum est, quod sicut nulla vna infinita rerum determinatarum multitudo apta est poni in spatio, vt in primo tomo quæst.7. art.3. dub.8. ita nec vna quæuis semel infinita rerum multitudo inuicem succedentium, quantolibet determinato tempore longiore, & longiore in infinitum inter se distantium poni possit coëxistens tempori æterno: semper enim eadem multitudo habere posset in eodem tempore inter singula distantias maiores, & maiores in infinitum.

100. *Tertium argumentum.*

Arguo tertiò, quidquid sit de vna, aut pluribus infinitatibus, considerentur homines, vt simpliciter infiniti, geniti ab æterno successiuè, vnus post alium, vsque ad vltimum hodie genitum; hos profectò omnes, ac singulos, sicut Eua, v.g. genuit, ac peperit spatio nouem mensium, ita gignere, ac parere poterat vna hora, siue vno minuto ante, vel post: hæc enim petitio per se considerata, nullam, vt patet, implicantiam demonstrat, & negari non potest nisi ad fugam sequentis implicantiæ, quæ verè non videtur oriri ex ipsa petitione, sed potius ex sententia, quæ defenditur. Si enim singulæ generationes factæ fuissent vna hora ante hanc generationem vltimam hodiernam, iam hæc facta fuisset infinitis horis ante hunc diem. Si verò contra factæ fuissent vna hora post, eadem vltima, & hodierna generatio facta fuisset infinitis horis post hunc diem. Vtrumque autem apertè implicat, nempe, vnam singularem generationem factam in aliquo determinato tempore, vel in instanti, distare ab hodierno die, vel infinitis horis ante, vel infinitis horis post. Et idem inconueniens deduci facile potest, si quæratur de vita determinata singulorum hominum; & petatur, an viuere potuerint vno die plus, vel vno die minus.

101. *Quartũ argumentum.*

Arguo quartò. Infiniti homines ab æterno geniti, quorum singuli vixerint, v. g. centum annos, æquiualent tantum infinitis centum annis. Sed tantum infiniti centum anni non possunt implere tempus infinitum à parte ante. Ergo neque idem tempus implere possunt infiniti homines, quorum singuli viuant centum annos. Ergo infiniti homines ab æterno geniti esse non potuerunt; sicut nec ab æterno esse potuerunt infiniti tantum centum anni, sed sunt etiam necessariò infiniti mille anni, & plures, & plures in infinitum. Quæ argumentatio similem omnino difficultatem habet, tractatum loco citato de spatio locali, quod probauimus impleri non posse infinitis rebus, determinatam quantitatem habentibus: & propterea implicare contradictionem, vt determinata aliqua infinita rerum discretarum multitudo collocetur in spatio. Ergo implicat pariter, vt infinita rerum multitudo per determinata aliqua tempora durantium constituatur successiuè in tempore æterno: hoc enim idem esset, ac ponere vnum infinitum tempus conflatum tantum ex diebus, vel mensibus infinitis, coëxistens, & coæquatum infinito tempori æterno, conflato ex infinitis annis, sæculis, & aliis partibus maioribus, & maioribus in infinitum. quæ coëxistentia, & coæquatio, vel ex ipsis terminis apparet impossibilis.

102. *Responsio Authoris.*

His aliisque similibus obiectionibus, quas ex dictis alij multiplicare facilè poterunt, ingenue fateor me non posse distinctè, & intelligibiliter satisfacere. Et ideo aliis perspicacioribus, qui ingenij mei imbecillitatem benigne adiuuent, soluendas relinquo. Non enim videntur adeò manifestè conuincere, vt propter illas existimem esse statim damnandam sententiam, quam semper in superioribus docui, sequens Philosophum, Doctorem Angelicum, aliósque multò plures, ac præclariores Theologos, & Philosophos. Fortasse nimia infinitarum rerum, imò ipsarum infinitatum confusione defatigamur, ac decipimur. Fortasse etiam æternum, hoc est, semper existens, ac durans, non benè cohæret cum mutabili, ac variabili rerum multitudine, quarum nulla est, quæ semper existat, ac duret. Sed necessario importat rem æternitate affectam, esse debere semper vnam immutabilem, & inuariabilem, si non per indiuisibilem permanentiam, saltem per continuatam successionem vnius motus, vnius temporis. Hoc enim docuisse videtur
Augustinus. Augustinus cum lib.83. qq. quæst.19. initio scripsit, *Quod incommunicabile est, æternum est; semper enim eiusdem modi est. Quod autem communicabile est, & non semper eiusdem modi, æternum non rectè dicitur.* Sed quid ex his verum sit, Deus, à quo ego id accipere non merui, aliis largiri dignetur.

Defenditur Cardinalis Toletus contra Bagnes.

103. *Occasio dissertionis.*

Frater Dominicus Bagnes in commentario huius articuli, pro secunda sententia, quam ibi refert, de possibilitate creationis mundi ab æterno, facit hoc argumentum, *Deus ab æterno habuit infinitam virtutem creatiuam, ergo ab æterno potuit creare mundum.* Quod argumentum ipse deinde probat circa finem articuli, respondens ad argumenta secundæ opinionis. Illud autem meritò non probauit Cardinalis Franciscus Toletus 8. phys. cap.2. quæst.2. & ad 1. ita soluit, *Concedo, Deum esse omnipotentem ab æterno: & concedo, quòd ab æterno potuit mundum producere. Sed dico, quòd non potuit mundus æternus fieri.* Quam solutionem Bagnes his verbis refert, & impugnat, *Quidam modernus concedit, Deum esse omnipotentem ab æterno, & quòd ab æterno potuit mundum producere. Et tamẽ postea mirabile quoddam subdit, quod non potuit mundus æternus fieri. Hoc tamen euidẽtem in se in-*

Bagnes impugnat Toletum primo.

tuolunt contradictionem. Et statim sic impugnat primò, *Etenim, vt etiam infimæ classis Grammatici norunt, benè valet ab actiua ad passiuam, & è conuerso. Ergo bene valet, Deus potuit mundum producere ab æterno, ergo mundus potuit ab æterno produci à Deo.* Impugnat secundò, *quia si in Deo est potentia vt producat ab æterno mundum; ergo mundus producendus, ab æterno præexistit in illa potentia, & per consequens potuit ab æterno produci.*

Secundò.

Tertiò.

Impugnat tertiò, *quia eadem ratione possemus dicere, quòd Deus potuit alium filium generare; quamuis alius filius generari non posset: & quod posset Deus facere duas contradictorias veras, licet contradictoria non possint fieri vera.*

104. *Esse etiam à Bagnes recipiendū quod impugnat.*

Antequam ad hæc tria motiua respondeam, dico de argumento illo, vnde obtrectandi occasio sumpta est, teneri etiam Bagnes illud nihili facere; nam si pro sententia S. Thomæ contra sententiam Bagnes, quis ita arguat, *Deus ab æterno habuit infinitam potentiam mouendi cœlum; ergo cœlum ab æterno moueri potuit.* Bagnes certè negare non posset antecedens vt iacet; quia omnis potentia quæ est in Deo ad aliquem effectum possibilem, siue ab æterno, siue tantum in tempore, est sine dubio æterna, & ab æterno in ipsomet Deo: sed negare posset, & rectè negaret consequentiam, vt nos etiam negauimus supra num. 55. tametsi pro nostra sententia factam. Atque hanc ipsam consequentiam in sua responsione, si benè percipiatur, re ipsa negauit Toletus. Hæc igitur omnium communis, ac verissima responsio immeritò dicitur, admirabile quoddam, & incredibile commentum, euidentem contradictionem inuoluens.

105. *Ad primam impugnationem.*

Quare ad primam impugnationem grammaticalem, dico, arguentem, dum totus est in grammaticalis consequentiæ ignorantia viro grauissimo, & in omni scientiarum genere præclarissimo exprobranda, oblitum esse consequentiæ philosophicæ, imò etiam fidelitatis in referendo, quam cum aduersariis quoque veri, atque ingenui disputatores seruare tenentur. Refert enim à Toleto concedi antecedens, negari consequentiam huius argumenti, *Deus potuit mundum producere ab æterno; ergo mundus potuit ab æterno produci à Deo.* Et tamen longè aliud est argumentum, cuius antecedente concesso, negat consequentiam Toletus, sic, *Deus ab æterno potuit mundum producere; ergo potuit mundus æternus fieri.* Primi argumenti (quod non ex verbis Toleti, sed ex suo ingenio tradit Bagnes) ne infimæ quidem classis Grammaticus concesso antecedente negare potest consequentiam; imò illa non meretur nomen consequentiæ, quia per illam non infertur vnum ex alio, sed idem significatum vocibus passiuis, infertur in eodem significato vocibus actiuis; quæ idem omnino in re significant, sed tantum diuerso modo conceptum, & explicatum. Quæcumque igitur sit hæc consequentia, illa simpliciter bona est; Toletus autem negat & antecedens, & consequens, non consequentiam, quia ex falso antecedente deduci potest in bona consequentia etiam falsum, vt si dicas, lapis est homo; ergo lapis est rationalis. At verò in secundo Toleti argumento, & verum est antecedens, & mala consequentia, & falsum consequens. Multum enim differunt, quod ad Philosophicum defectum pertinet, propositiones antecedentes in vtroque argumento. Cum Bagnes ita refert ex Toleto, *Deus potuit mundum producere ab æterno*, æternitas cadit supra *producere*. Et ideo id consequenter negaret Toletus, sicut verè negat in consequente argumenti sui, nempe, *potuit mundus æternus fieri*, quia putat æternitatem repugnare cuilibet creaturæ. Cum autem Toletus ipse dicit, *Deus ab æterno potuit mundum producere*, æternitas cadit supra *potuit*. Et ideò rectè conceditur à Toleto, quia posse Dei est æternum, esto id quod potest, non possit esse æternum: verbi gratia, ab æterno habet Deus potentiam faciendi calefactionem vnius horæ, seu circulationem hodiernam, qui tamen motus finiti in æternitate esse non possunt. Sed ex hoc antecedente optimè negat sequi, *ergo mundus potuit æternus fieri*; quia nunc æternitas aliter accipitur, vt cadens supra mundum, eiusque fieri. Neque enim addit Toletus (vt parum fideliter refert Bagnes) *ergo mundus potuit ab æterno produci à Deo*; sed simpliciter scripsit, *ergo mundus potuit æternus fieri:* quo apertius significatur æternitas cadens supra fieri mundi, non supra posse Dei.

Toletum minus fideliter referri.

106. *Toletum, etiā prout refertur à Bagnes, posse accipi in bono sensu.*

Athanasius.

Præterea esto Toletus fecerit illud argumentum pro vt primo modo proponitur à Bagnes, adhuc potuisset, & sane debuisset doctus, ac modestus arguens mitius agere, & intelligere bonum sensum non in puero, infimæ classis grammaticæ discipulo, sed in præstantissimo scientiarum magistro. Nunc aliquando legis in Athanasio orat. 2. contra Arianos circa medium similes, imo easdem omnino præpositiones? *Tametsi*, inquit Athanasius, *Deo possibile fuerit ab æterno opera facere, non tamen potuerunt ea, quæ facta sunt, ab æterno fuisse.* Iactet igitur Bagnes euidentes contradictiones aduersus hunc Doctorem optimum, & Ecclesiæ sanctæ lumen; & de eo etiam, si Deo placet, non vereatur asserere, ac mirari, quod ignorauerit, quæ infimæ etiam classis Grammatici norunt; scilicet bene valere consequentiam ab actiua ad passiuam propositionem. Sicut igitur Athanasius dicendo, Deum posse ab æterno facere creaturam, sed non posse creaturam ab æterno fieri, nil contra grammaticam peccasse intelligitur, sed pro sana Theologia verè atque acute docuisse, repugnantiam creaturæ ab æterno in sensu exposito supra à n. 19. non oriri ex defectu alicuius actiuæ potentiæ in Deo, sed ex defectu potentiæ passiuæ in creatura; ita vir eruditus, ac religiosus, in eodem sensu facilè potuisset accipere easdem propositiones, quas ipsemet Toleto imponebat. Præsertim cum plerisque doctis Theologis, & maximè Thomistis, vt notaui supra quæst. 27. art. 1. num. 53. displiceat dicere de aliquo impossibili, Deum non posse illud facere, sed solum placeat dicere, illud non posse fieri à Deo, & ideo sanctus Thomas supra quæst. 25. art. 3. circ. fin. corp. docet, *Esse & non esse simul, omnipotentiæ non subditur, non propter defectum diuinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis.* Vnde, inquit paulò post, *conuenientius dicitur, quod ea, quæ contradictionem implicant, non possunt fieri, quàm quod Deus ea non possit facere.* In causis quidem creatis, quæ limitatam habent agendi potentiam, & consequenter potentiæ defectum, dicere non licet, illas ex negatione defectus potentiæ posse omnia, etiam impossibilia, quantum est ex vi ipsarum: & tamen, vt non semel notaui in 2. tomo, sunt nonnulli Thomistæ moderni, discipuli Bagnes, qui compulsi necessitate defendendi liberas voluntatis operationes, quas fides docet, & ipsum naturæ

Augustin.

lumen ostendit, & simul defendendi voluntatem antecedenter, & physicè prædeterminatam ad vnum determinatum effectum operandum, quam sententiam ex Catholicis primus Bagnes inuexit, dixerunt, Voluntatem prædeterminatam non posse non facere effectum, ad quem est prædeterminata: effectum vero posse non fieri à voluntate prædeterminata, & ideo liberè ab illa procedere.

107. *Ad secundā impugnationem.*

Ad secundam impugnationem respondeti facile potest pro Toleto; quia in antecedente vel falsò, vel æquiuocè refertur, quòd Toletus dicat, *in Deo est potentia, vt producat ab æterno mundum.* Falsò quidem, quia Toletus sic aliter dicit, *in Deo est potentia ab æterno, vt producat mundum in tempore.* æquiuocè, quia ex Toleti sententia ita loquendum est, vt æternitas cadat non supra productionem mundi, sed supra potentiam Dei. Quare ad primam consequentiam dico, per illam non posse aliud ex prædicto antecedenti inferri, nisi in æterna Dei potentia præexistere mundum producendum in tempore, non ab æterno: quia illa est potentia producendi mundum in tempore, non ab æterno; & ideo neganda simpliciter est vltima consequentia, qua dicitur, *ergo mundus potuit ab æterno produci.*

Ad tertiam.

Ad tertiam impugnationem similiter dico, arguentem frustra laborare dum ex dictis Toleti conatur deducere, quod pariter liceat dicere, Deum posse alium filium generare, & facere duas contradictorias veras, quamuis nec hæ veræ fieri possint, nec alius Dei Filius generari: quoniam Toletus nunquam dixit, Deum posse facere, quæ fieri non possunt. Solum verè dixit, Deum ab æterno posse facere, quæ fieri possunt in tempore, non ab æterno. Quamquam si illæ etiam propositiones apud aliquem pium Doctorem legerentur, non deberet pius Theologus illico ad grammaticæ pueros prouocare. Enim vero in Augustino legimus l. 3. contra Maximinum, cap. 12. prope finem. *Neque enim non potuit*, nempe Filius Dei generare, *sed non oportuit.* Quæ verba exponens S. Thom. de potentia q. 9. art. 9. ad 1. ait, *non est dicendum, quod filius non potuit generare; sed non oportuit, quia non ex impotentia Filij est, quod non generat.* Nam vt benè probat Ariminensis 1. dist. 7. quæst. 1. ad 4. Aureoli, *cum Augustinus neget non posse, affirmat posse, ac per hoc potentiam productiuam.* Qua propter S. Thom. supra quæst. 41. art. 5. ad 3. dixit, *potentia generandi communis est tribus personis.* De secunda etiam propositione idem S. Thom. supra quæst. 25. art. 3. circa fin. corp. docuit, minus conuenienter dici, *quod Deus non possit facere ea, quæ contradictionem implicant.*

ARTICVLVS III.

Vtrum creatio rerum fuerit in principio temporis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd creatio rerum non fuerit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Conclusio affirmatiua probatur ex illo Gen. 1.* In principio creauit, *quorum verborum tres expositiones afferuntur, num. 1.*
   Fasoli in D. Thom. Tom. III.
2. *Probatur authoritate, & declaratur prima expositio de principio temporis, num. 2. ad 5.*
3. *Authores secundæ expositionis de creatione in Filio, num. 5.*
4. *Declaratur tertia expositio de creatione ante omnia, num. 6.*

1.

ONCLVSIO affirmatiua, certa secundum fidem, est eadem omnino cum conclusione articuli primi huius quæstionis 46. ibi, & authoritatibus & rationibus sufficienter probata, & defensa contra gentiles Philosophos. In hoc autem articulo, argumento, *sed contra.* Probatur ex illo Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram:* in cuius loci expositione totum articuli corpus occupatur; illud enim, *In principio,* inquit S. Thom. *tripliciter exponitur ad excludendum tres errores.* Primò, *in principio temporis*, ad excludendam huius mundi, & cuiuslibet simpliciter creaturæ æternitatem: & hic solus sensus probat affirmatiuam partem quæstionis propositæ in titulo articuli. Secundò, *in Filio*, cui, inquit, *appropriatur principium exemplare propter sapientiam, sicut principium effectiuum appropriatur Patri propter potentiam*, & principium finale appropriatur Spiritui sancto propter bonitatem; vt addit Ægidius 2. dist. 1. p. 1. quæst. 4. art. 3. ad 1. Hunc secundum sensum probat primo ex illo Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti:* hoc est, *in Filio*, vt interpretatur Augustinus l. 11. de Ciuitate cap. 32. ante medium, & ibi ita vertens, *Omnia in Christo fecisti*; iuxta illud 1. Cor. 1. *Christum Dei virtutem, & sapientiam.* Hieronymus Isai. 65. versus finem, *de Verbo Dei, Propheta decantat, Omnia in sapientia fecisti.* Cyrillus dialogo 5. de Trinitate col. 9. *Sapientiam, opinor Filium vocans.* Rupertus in Gen. l. 1. cap. 3. initio, cum, *in principio*, exposuisset, *in Filio*, subdit, *hoc & alia scriptura fatetur, cum dicit, Omnia in sapientia fecisti: quæ videlicet sapientia non est alia quam Verbum Dei, Verbum Deus qui se ipsum principium nuncupauit. Ioannis 8. Principium, qui & loquor vobis.* Beda exponens hæc Ioannis verba, docet, Christum dici principium, *quia omnia per ipsum facta sunt; sicut Psalmista dicit, Omnia in sapientia fecisti. Si igitur omnia in sapientia fecit Deus, id est, in Filio suo, coæterno sibi, & consubstantiali, Filius vtique omnium principium est.* & idem alij passim docent. Probat secundo ex illo Coloss. 1. *In ipso condita sunt vniuersa.* Vbi clarissimè sermo est de Christo Filio Dei: atque hæc secunda expositio est, inquit S. Thom. *ad excludendum, duo esse creationis principia, vnum bonorum, aliud malorum, vt quidam posuerunt.* Tertiò exponitur, *ante omnia:* ad excludendum, corporalia esse creata à Deo mediantibus creaturis spiritualibus; creatis scilicet ante cœlum, & terram: quod vltimum posuerunt etiam nonnulli ex antiquis Patribus, præsertim Græcis, vt videre est infra quæst. 61. art. 3. Has tres expositiones distinctè numerat Augustinus l. 1. de Genesi ad literam cap. 1. medio.

Illud Gen. 1. in principio, & c. exponitur 1.

Exponitur 2.

Exponitur 3.

Auguſt.

2. *Authores primæ expositionis.*

Prima expositio est Augustini l. 12. Confessionum cap. 20. fine. In principio, ideſt, inquit, *in ipso exordio faciendi atque operandi fecit Deus*, &c. significans etiam tertiam expositionem; & vtramque ex aliis hîc relatam, infra in cap. 30. & 31. ait ex propria sententia, esse veram, & intentam à Spiritu sancto, & intellectam à Mose. Athanasij oratione in illud dictum, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, multò post medium, probantis per illud, *in principio*, quod opera creata *initium exi-*

ſtendi ſortita ſunt. Baſilij hom. 1. in Hexaëmeron col. 6. dicentis, *in eo nimirum principio, quod ſimul fuit cum tempore.* Et poſt nonnulla magis explicat, *eſſe principium temporis, quod adeò tempus non eſt, vt ne eius quidem ſit minima portio. Vt igitur edoceret nos Moſes, mundum hunc citra omnem temporis morulam ſubſtitiſſe, dixit, In principio fecit.* Gregorij Nyſſeni ibidem pagina 2. *Si in principio factum eſt cœlum, perſpicuum eſt, quòd ex illo temporis puncto creatio cœpit.* & pagina ſequenti rurſus, *per principium, momentum temporis, quodque intervallo careat, ſignificatur: in quo Deus omnium rerum, quæ ſunt, materias, & cauſas, & vires congeſſerit, atque molitus ſit.* Chryſoſtomus homilia 2. in Geneſim column. 3. idem ſignificantis Ambroſij l. 1. Hexaëmeron cap. 4. initio illis verbis, *Principium ad tempus refertur, ſi velis dicere in quo tempore Deus fecit cœlum, & terram, id eſt, in exordio mundi, quando fieri cœpit.* Et poſtea circa finem capitis, vt declararet indiuiſibilitatem huius principij, quod non eſt tempus, ſubdit, *poſſumus intelligere, In principio, id eſt, ante tempus: ſicut initium viæ, nondum via; & initium domus, nondum domus.* Bedæ in Hexaëmeron initio, qui hinc Dei æternitatem ſic acutè deducit, *Scriptura primo ſtatim verbo æternitatem Dei creatoris oſtendit. Quem enim in principio temporum, mundum creaſſe perhibet, ipſum profectò ante temporæ extitiſſe deſignat.* Quem librum alij falsò tribuunt Iunilio Epiſcopo Africano, vt bene notauit Bellarminus in libello de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, agens de Iunilio. Quare cum idem Beda deinde in Geneſim exponens primum verbum, dixit, *Vtique non in principio temporis; Deus enim fecit tempora; & ideo antequam Deus faceret tempora, non erant tempora:* non eſt ſibi contrarius; quia vt ex eius probatione patet, vult tantum excludere principium temporis præexiſtentis ante creationem, & non facti à Deo. Ad idem verbum, hoc primo modo intellectum, reſpexiſſe videtur Ioannes initio ſui Euangelij, dum volens, inter alia, explicare æternitatem Filij Dei ſcribit, quòd *In principio*, hoc eſt, quando eſſe cœpit omnis creatio, omnis creatura, *erat Verbum:* hoc eſt, præexiſtebat increatum, & æternum Verbum à Deo Patre in eadem natura genitum: vt exponunt Patres relati ſupra quæſt. 27. artic. 1. numer. 58. Inter quos magis expreſsè horum locorum correſpondentiam aduertiſſe videtur Hilarius l. 2. de Trinitate ante medium, dicens, *quid eſt iſtud, In principio erat? Reſpice ad mundum, & intellige quid de eo ſcriptum ſit, In principio fecit Deus cœlum & terram. Fit ergo in principio, quod creatur; & ætatem continet, quod in principio continetur, vt fieret.* Contra vero, *Verbum*, inquit, *erat, quod eſt, neque in tempore aliquo concluditur, vt cœperit; quod erat potius in principio, quàm fiebat.*

Ioan. 1.

3. *Concilium Lateranenſe.*

Eamdem primam expoſitionem de principio temporis reſpexiſſe etiam videtur Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 1. initio, ita definiens, *Deus ſimul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.* Et amplexati ſunt reliqui omnes, & nemo quem ſciam, eam reiicit. Et ideo Bagnes hic non exaggeratè ſcripſiſſe videtur, *quod eſſet maximè temerarium, negare primum ſenſum, qui eſt de principio temporis.* Immo Valentia hic puncto 1. initio loquens de prædictis verbis Geneſis, ait, *quo loco principium intelligi initium temporis, ante quod mundus non eſſet, definitum eſt in Concilio Lateranenſi.* Sed intelligendus eſt de re ipſa, quæ dicitur in hac prima expoſitione, non de expoſitione ipſa. Definit quidem Concilium, rerum creationem fuiſſe ab initio temporis: non autem definit, primum Scripturæ verbum, *In principio*, eſſe intelligendum de principio temporis. Quemadmodum de fide eſt, omnia facta eſſe per Verbum, Ioannis 1. Et in Chriſto Filio Dei, condita eſſe vniuerſa, Coloſſ. 1. quod dicitur in ſecunda prædictorum verborum expoſitione: tamen expoſitio ipſa non eſt certa ſecundum fidem.

Quam certa ſit prima expoſitio.

4. *Quid ſit creaſſe in principio temporis.*

Pro intelligentia autem huius primæ expoſitionis, notandum ex reſponſione ad primum, *quod non dicuntur in principio temporis res eſſe creatæ, quaſi principium temporis, creationis ſit menſura: ſed quia ſimul cum tempore, cœlum, & terra creata ſunt.* Quod ex reſponſione ad tertium debet intelligi non de ipſa diuiſibili, & continuata temporis ſucceſſione ſecundum partes priores, & poſteriores, quia prima creatio facta eſt indiuiſibiliter, & tota ſimul; ſed de nunc temporis; quoniam, inquit S. Thomas, *nihil eſt temporis niſi nunc: non quia in ipſo primo nunc ſit tempus, ſed quia ab eo incipit tempus.* Quam doctrinam ſequutus eſt, & paulo clarius expreſſit Ægidius 2. diſ. 1. part. 1. quæſt. 4. attic. vltimo ad 3. dicens, *In principio temporis fecit Deus cœlum, & terram: non in principio temporis tanquam in menſurante; quia nunc temporis non eſt menſura creationis cuiuſlibet creaturæ: ſed tanquam in coaſſiſtente, quia huius initium temporis fuit coæuum creationi rerum.*

5. *Authores ſecundæ expoſitionis.*

Secunda expoſitio legitur valde communiter apud Sanctos: adeò vt Hieronymus in quæſtionibus in Geneſim initio referat, Tertullianum, Hilarium, & alios dicentes, *in Hebræo haberi, In Filio fecit Deus cœlum & terram.* Quod falſum eſſe probat Hieronymus ex Hebræis vocibus & tranſlatoribus; & ſubiungit, *Magis itaque ſecundum ſenſum, quàm ſecundum verbi tranſlationem de Chriſto accipi poteſt.* Idque pulchrè probat ex Pſalmo 39. vbi Chriſtus Dominus, inquit Hieronymus, *de ſeipſo ait, In capite libri ſcriptum eſt de me, id eſt, in principio Geneſeos.* Quam interpretationem eruditè tuetur contra nonnullos noſter Fernandius in Geneſim cap. 1. ſect. 1. numer. 3. Præterea Auguſtinus l. 12. Confeſſio. cap. 20. refert quinque aliorum expoſitiones, ex quibus quatuor dicunt, *In principio fecit Deus*, &c. hoc eſt, *in Verbo ſuo.* & l. 11. de ciuitate c. 32. cum retuliſſet aliquos docentes, *non dictum eſſe in principio, tanquam primum hoc factum ſit, cum ante fecerit Angelos; ſed quia omnia in ſapientia fecit, quod eſt Verbum eius; & ipſum ſumptura principium nominauit:* de hac expoſitione continuo ſubiungit, *me delectat plurimum, quòd etiam in ſummo exordio ſancti libri Geneſis, Trinitas commendatur:* quoniam initio libri dicitur, inquit, *Pater feciſſe in Filio; & mox, vt Trinitatis commemoratio compleretur, & Spiritus, inquit, Dei ferebatur ſuper aquas.* Eamdem expoſitionem tradunt Beda, & Rupertus ſupra; & Beda eam expreſsè præfert reliquis duabus expoſitionibus. Item Origenes homil. 1. in Geneſim initio, Ambroſius l. 1. Hexaëmeron cap. 4. poſt medium, Chriſtum vocans creationis *initium myſticum.* Et alij poſteriores, qui non improbabiliter cum Auguſtino ſupra contendunt, hunc etiam ſenſum eſſe literalem,

ralem, ac proprium. Eiuſdem enim loci Scripturæ plures literales ſenſus interdum dari, probaui in primo tomo cum S. Thom. quæſt. 1. art. 10. fine corporis. nomen enim principij non metaphoricè, aut impropriè tribuitur Filio Dei. Et quamuis priſca illa ac rudis Iudæorum gens aliſſimum hoc Trinitatis myſterium his verbis ſignificari non intellexerit; tamen hinc non tollitur, quin Moſes Spiritu ſancto afflatus, hunc etiam ſenſum perceperit, & ſignificare voluerit, ſi non pro omnibus illis veteris legis hominibus, ſaltem pro poſterioribus omnibus Euangelij, & gratiæ Chriſti.

6. *De tertitudine tertiæ expoſitionis.*

Tertia demum expoſitio ab Auguſtino ſupra num. 1. fin. & Beda in Geneſim initio, ex aliorum ſententia refertur: & ex propria ſententia ſignificatur ab eodem Auguſtino ſupra numer. 2. initio, & tradi videtur à Nyſſeno ibidem relato; ſed eſt multò minus frequens, ac certa: tum quia plures, & graues Doctores, præſertim ex antiquis Patribus, qui putant, Angelos creatos ante cœlum, & terram, nolunt hanc expoſitionem recipere de cœlo, & terra, creatis in principio ante omnes ſimpliciter creaturas, ſed ſolum ante omnes creaturas corporales; vt refert Auguſtinus verbis paulo ante citatis ex 11. de ciuitate: item quia ſententia negans Angelos creatos ante mundum corporeum, quamuis abſolutè tenenda ſit cum Magiſtro, & omnibus planè Scholaſticis 2. diſ. 2. cum S. Thom. infra quæſt. 61. art. 3. & omnibus expoſitionibus: tamen non eſt adeò certa, vt contrarium dici meritò poſſit eſſe contra aliquem Scripturæ ſenſum, & mereri aliquam notam, vt contra nonnullos ex inſtituto probaui loco citato, in materia de Angelis; & non obſcurè ſignificat S. Thom. ibi initio corporis, illud nullo modo damnans, ſed tantum dicens, *ſententia illa probabilior videtur, quòd Angeli ſimul cum creatura corporea ſunt creati.* Quia nimirum, vt ibidem ad primum teſtatur, *Hieronymus, & Doctores Graci omnes hoc concorditer ſentiunt, quod Angeli ſunt ante mundum corporeum creati.* Atque hæc ſatis de creatione, ad vberiorem, magiſque exactam intelligentiam vnius creatoris Dei Patris, Filij, & Spiritus ſancti: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.* Rom. 11. fin.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM LOCVPLETISSIMVS.

A.

Absolutum.

ABSOLVTVM non opponi relatiuo. q.28. art.2.n.58
Duo absoluta in diuinis non posse identificari cum vno tertio absoluto. q.28. art.4.n.32
Cur in diuinis non multiplicetur absolutum, sed relatiuum. q.40.art.2.n.53.54

Abstractum.

Vide, Nomen.

Acceptio.

Quid sit in Sacra Scriptura acceptio personarum. q.29. art.3.n.1

Accidens.

Quod à parte rei est accidens, debet à parte rei distingui à substantia. q.28.art.2.n.181.& 182
Accidentis duplex subiectum distinguitur, & probatur, eductiuum,& substantiuum. q.45.ar.2.n.4

Actio.

Actionis,passionis,& motus proprium significatum. q.27. art.1.n.169.& 172
Actio,prout diuinis processionibus applicatur,quid significet. ibid.
An omnis actio denominet agens. q.27.ar.1.n.173
Ex quauis actione non infertur passio. n.176
In actione æterna quo modo sit terminus à quo. n.193
Quid sit actio,& quod illius principium. n.205
Agere per modum naturæ,quid sit. n.232
Actio non potest esse sine termino. n 246
An etiam per actiones sensitiuas producatur intrinsecus terminus. q.27.ar.1.n.264
Actio identificatur cum termino in creatis, non in diuinis. q.41.art.1.n.22
Omnem actionem opponi termino, ab eóque distingui à parte rei. ibid.
Quomodo actio & passio comparentur ad terminum. ibid.
Quid sint agere voluntate, & agere natura. q.41.art.2. num.19
Quo modo comparetur actio ad agens. quæst.41.art.4. num.7
Actionem dari non posse sine potentia actiua. n.11
De qua actione dicat Author libri sex principiorum, *Actionem non quid, sed in quid agat, exigere.* q.45.ar. 2.num.3
Actionem respicere transcendentaliter agens. q.45.art.3. n.2. & effectum,aliter ac respicit potentia. n.44
An actio,vt actio,sit accidens. q.45.ar.3.n.20

Actio,& actus immanens.

Actio immanens,perfectius est in Deo,quàm in creaturis. q.27.ar.1.n.192
Actus immanens quo modo sit infœcundus. n.230
An actio immanens,sit perfectior transeunte;&,An agere immanenter, sit perfectius, quàm agere transeunter. q.45. art.5.n.35
Nouitas actionis immanentis, non transeuntis, arguit nouitatem operantis. q.46.ar.1.n.19

Actus notionales.

Vide,Notio,Generatio.Spiratio,Potentia notionalis.
Actus notionalis quid sit. q.27.ar.1.n.227
Actus notionales quomodo distinguantur. n.229
Actus notionalis aliquando reflectitur supra principium actus. q.37.art.2.n.8
An actus notionales præintelligantur proprietatibus. q.40.art.4.toto.
Actus notionalis in recto, & formaliter est absolutus. q.41.ar.1.n.2.ad 10
Intelligere, & velle, esse in Deo & potentiam, & actum notionalem,diuersa ratione. n.9
Actus notionalis dicit in recto relationem, sed minus principaliter. n.10.& 11
Actus notionalis identificatur cum essentia inadæquatè. num.12
Actus notionalis passiuus identificatur adæquatè cum persona producta.eiúsque proprietate. n.13,ad 16
Actus notionales passiui distinguuntur realiter inter se. num.16
Actus notionalis actiuus identificatur adequatè cum persona producente.eiúsque proprietate. n.17.ad 21
Actus notionales quot sint. n.23
Actus notionales sunt voluntarij, tanquam obiecta, non tanquam effectus. q.41.art.2.n.2.ad 5
Actus notionales omnes dicendos esse simpliciter naturales. n.17.ad 22
Cur debeant dici naturales. n.20
Cur in diuinis actus notionalis actiuus sit in producente, passiuus in producto. n.22
Actus notionales, dici debent necessarij, & non liberi. n.22.& 23
Actus notionalis actiuus non est in termino producto, sed in producente. q.41.ar 4.n.8
Ad actus notionales actiuos nulla datur actiua potentia. num.6
Actus notionales & creatio quomodo differant. q.41. ar.5.n.29
Cur actus notionalis dicatur personalis. ibid.

Adiectiuum.

Vide,Nomen.
Nomina adiectiua multiplicari, etiam non multiplicata forma:& in hoc differre à substantiuis. q.36.ar.4.n.2. 7.8.9.10.29.& q.39.ar.3.n.5.ad 8

Æquale, Æqualitas.

Æqualitatis relationem non includi in paternitate,& filiatione. q.28.ar.4.n.53
Æqualitas creata cum increata conferrur. n.62
Æqualitas qua ratione sit perfectio,& adoretur. n.63
Æqualitas datur in diuinis. q.42.art.1.n.1.& 2
Æqualitas quid sit,& esse æquale. n.2
Differentia inter æqualitatem, & similitudinem. num.3. 4.& 5

Patrem esse æqualem,& similem Filio;& Filium Patri:tamen Filium coæquari, & assimilari Patri, non Patrem Filio. n.6
Æqualitas in diuinis est formaliter relatio rationis. n.7
Sed fundamentaliter importat aliquam negationem in natura. n.8
Æquale quomodo dicatur ex Aristotele. ibid.
Æqualitatis radix est natura.non relatio. n.9.& 10
Æqualitas an sit inter ipsas relationes præcisè consideratas. n.11.& deinceps.

Æternitas.

Æternitati qua ratione tribuantur dies & anni. q.27.ar.1. num.61
Quo modo significetur in Scriptura esse ab æterno. ibid.
Quæ æternitas conuenire nequeat creaturæ. n.81
Æternitas creaturæ à parte ante & post, non esset propriè æternitas,sed æuum infinitum. q.27. art.1. n.81.& q. 46.ar.2.n.19.& 20
Quo sensu dicant multi Patres, creaturam non posse esse æternam. q.27,ar.1.n.82.& q.46.ar.2.n.18.ad 26
Si aliquid produceretur in æternitate,produceretur etiam aliqua ratione ex non esse. q.27.ar.1.n.183
Quid propriè sit esse coæternum. q.46.ar.2.n.22
Idem sunt æternitas & instans æternitatis. n.35
Quo modo angelus,v.g.posset, aut non posset intelligere successiuè in æternitate. n.85
Res successiuè existentes in æternitate,non posse esse numero finitas. n.86
Non implicat,dari in æternitate infinitas res inuicem succedentes,vt infinitas generationes,intellectiones,creationes,&c. n.87.ad fin.artic.
Quid consequenter dicendum, si ab Æterno crearetur mulier grauida. n.92
An in infinitis generationibus ab Æterno, dari possit, ac debeat primum generans. n.88.93.ad 97

Agens, Agere.

Vide Actio, Causa.

Albertus Magnus.

Eius sententiam fuisse,Verbum generari,& non Spiritum S.quia Verbum,& non Spiritus S.ex vi processionis accipit essentiam diuinam. q.27.ar.2.n.130

Albinus Flaccus.

An negauerit relationem spirationis actiuæ. q.28.art.4. num.1

Alienum.

Hanc vocem non esse vsurpandam in diuinis. q.31.ar.2. num.32

Aliud, Alius.

Alius,& alius,non dicuntur de terminis diuinis absolutis. q.31.ar.2.n.3
Inter diuinas personas dicuntur alius, & alia;non autem aliud. n.5.& 6
Cur alius referatur ad personam,aliud ad naturam. n.7

Alter, Alterum.

Hæ voces vsurpantur in diuinis,sicut alius,& aliud. q.31. ar.2.n.11.& 12
Differentia inter alterum,& alium, ex sanctis Thoma, & Bonauentura. n.11

S. Ambrosius.

Commentaria in Epistolas Pauli,non esse Ambrosij q.31. art.3.n.13

Amor.

Amor procedit ex voluntate, sicut verbum ex intellectu. q.27.ar.1.n.259.ad 266
Amoris differentia à verbo. n.265
Amor diuinus essentialiter includit esse à se, non tamen totam naturam diuinam. q.27.ar.2.n.141
Amoris processio non est generatio. q.27.art.4.toto. & q.30.art.2.n.3
Amor cur in Deo, & non in creatura procedat à verbo. num.4
Amorem non posse produci à Verbo in Deo;secus in creaturis. q.36.ar.2.n.49
Amoris proprium significatum. q.37.ar.1.n.1
Amor essentialiter sumptus, non est nomen proprium Spiritus sancti. n.1. personaliter sumptus,est proprium. num.2
An Pater & Filius eodem amore diligant se,& creaturas. num.10
Pater & Filius non se diligunt essentialiter Spiritu S.sed notionaliter. q.37.ar.2.n.1.& 2
Verbum diligendi,duplicem importat habitudinem.n.11
An ad amorem effectiuè concurrat etiam intellectus. q.27.ar.2.n.104.& 105
Ipsas etiam processiones diligi à diuinis personis amore complacentiæ necessario. q.41.ar.2.n.2
Non posse in Deo rectè distingui duos amores.q.45.ar.6. num.10

Angelus.

Fieri non potest angelus nisi per creationem. q.45.art.4. num.3
An dici possint angeli creati ante cœlum & terram. q.46. art.3.n.6
An angelus, si crearetur ab æterno, posset successiuè intelligere. q.46.ar.2.n.85

Anima rationalis.

Anima separata,an sit persona. q.29.ar.1.n.3
Animam rationalem non posse produci nisi per creationé q.45.ar.2.n.12.30.& ar.4.n.3
Esse subsistentem. q.45.ar.4.n.1

Annihilatio.

An implicet,& quo modo tendat in nihilum. q.45.ar.2. num.24
An creatura possit annihilare. q.45.art. 5. num.37.38. 69. 82
Creaturam non posse annihilari in æternitate. q.46.ar.2. n.32.33.40

S. Anselmus.

Docet Anselmus, per omnem intellectionem creatam, etiam sui ipsius,formari verbum. q.27.ar.1.n.245
Anselmum non esse contra Catholicam sententiam de processione Spiritus sancti à Filio. q.36.ar.2.n.52

Apparitio.

Patribus veteris Testamenti apparuisse visibiliter immediatè non solùm Filium & Spiritum sanctum,sed etiam Patrem. q.43.ar.7.n.3
Eas verò apparitiones non fuisse propriè missiones visibiles. ibid.
Apparitionum species visibiles, repræsentantes immediatè aliquam diuinam personam,fuisse formatas ministerio angelorum. n.4.& 5
Ad illas tamen causandas, concurrere non solùm personam repræsentatam,sed etiam reliquas duas. n.6

Appropriatio.

Communia in diuinis esse approprianda personis, idque duobus modis. q.39.ar.7.toto.
Æternitas,species,& vsus,quomodo approprientur personis ab Hilario. q.39.ar.8.n.1
Qua ratione approprientur ab Augustino vnitas, æqualitas,concordia. n.2
De vulgata appropriatione potentiæ,sapientiæ, & bonitatis n.3
Virtus appropriatur etiam Filio,& Spiritui S. ibid.
Appropriatum vni personæ,non appropriari alteri. ibid.
Essentia,& operatio,cur non approprientur. ibid.
Quo modo approprietur ab Augustino illud Rom.11. *Ex quo omnia,per quem omnia,in quo omnia.* n.4
Filio appropriari veritatem. n.5
Librum vitæ appropriari Filio,& Spiritui S. n.6
De appropriatione nominis, *Qui est.* n.7
Productionem donorum sub diuersa ratione appropriari Spiritui S.& Filio. q.43.ar.5.n.1.& 2

Apud.

Quam vim habeat in Scriptura. q.27.ar.1.n.79

Argumentum.

Quando valeat argumentum à commutata proportione. q.28.ar.4.n.27.& q.46.ar.1.n.22
Non valet argumentari à sensu identico ad denominatiuum. q.39.ar.5.n.7.8.12
De argumento à distributiuo ad collectiuum. q.46.art.2. n.63.64.67.ad 94.

Arius, Ariani.

Arij hæresis, & prima eius blasphemia contra Filij diuinitatem. q.27.ar.1.n.17
Quo sensu Arius concesserit,Filium Dei esse Deum. ibid.
Secunda Arij blasphemia contra Filij æternitatem. numero 18
Tertia negans Filium Dei naturalem. ibid.
Arius & Sabellius in quo differant, & in quo conueniant: & quo modo eorum inter se pugna confirmet veram fidem. n.140
Arianorum duo dicta non cohærentia. n.194
Cur Ariani negauerint, Filium Dei esse propriè Verbum. n.215

Attributa.

Cur in diuinis dicatur,Potentia,v.g.est Sapientia: non autem, Attributum potentiæ est attributum Sapientiæ. q.28.ar.4.n.43

Audire.

Quæ diuinæ personæ,& quo modo audiant,& quo modo dicant. q.34.ar.3.n.19

S. Augustinus.

Exponitur illud Augustini de Trinitate, *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* Proœm. n.1.2.& 3
Augustini regula generalis exponendi loca Scripturæ de Trinitate. q.27.ar.1.n.35
Eleganter ab Augustino describitur pugna inter Arium, & Sabellium. n.140
Augustinus per omnem creatam intellectionem, etiam sui ipsius, vult formari verbum. n.244. & ex qualibet volitione formari amorem. n.260
Illud Augustini, *eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius;* exponitur q.27.ar.2.n.69. & q.34.ar.2.n.10
Item illud, *Substantia non est relatio.* Et illud, *Non eo Verbum,quo Sapientia.* q.28.ar.2 n.44
Quo sensu dicat Augustinus, Nomen personæ non conuenire propriè personis diuinis. q.29.ar.3.n.4
Exponitur illud Augustini, *Filius non genuit, non quia non potuit.* quæst.30. ar.2.n.8. & q.41.art.4.n.17.& art.5. num.35
Multa Augustini dicta de Verbo Dei. q.34. ar.1.n.17.18. & ar.3.n.60
Augustini mens de proprietatibus relatiuis, & non absolutis, expenditur contra Scotum. q.40.art.2.num.49. & 50
Augustinus quomodo accipiat voluntatem liberam.q.41. ar.2.n.25
Explicatur illud, *Filius eo filius,quo genitus.* ar.5.n.31

Aureolus.

Singularis eius opinio de similitudine requisita ad essentialem Verbi generationem. q.27.ar.2 n.60.& 67
Quid senserit Aureolus de distinctione inter diuinam essentiam & relationes. q.28.ar.2.n.24
Latè tractatur, & damnatur eius sententia,negans in Deo potentiam actuum respectu personarum productarum. q.41 ar.4.dub.3.tota.
Minus rectè sensisse de possibilitate creationis. q.45.ar.2. num.15

Author.

Differentia inter principium, & authorem. q.33. art.1. num.27
An Pater & Filius dici possint duo authores Spiritus S. q.36.ar.4.n.12

B.

S. Basilius.

Quo sensu dixerit, *Præscientia Dei finem habet.* q.27, ar.1.n.68
Item, *Spiritum sanctum esse verbum Filij.* q.34.ar.1.n.22

S. Bernardus.

Quam quaternitatem neget in Deo. q.28.ar.2.n.31

Boëtius.

Quid senserit de realitate diuinarum relationum. q.28. ar.1.n.10
Quo sensu dixerit, relationem Patris ad Filium, esse similem relationi identitatis. n.24

C.

Causa.

Causa nihil in aliquo genere potest esse omnium, quæ sunt in illo genere. q.27.ar.1.n.84
Implicat,idem causare se ipsum. q.27.ar.1.n.151.& q.45. ar.5.n.8.9.& 10
Causam à suo effectu re ipsa distingui. q.27.ar.1.n.151
Quid propriè significetur nomine causæ. q.33.ar.1.n.9
Causa quomodo diuidatur ab Augustino. q.41.ar.2.n.26
Explicatur illud, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* q.41.ar.6.n.9
Effectum pendere à causa, esse aliquid reale supra effectum. q.45.ar.3.n.14
Determinatos effectus determinari à prima causa. ibid.
Quo modo ipsum etiam fieri pendeat à Deo. n.16
Quid sit causa coniuncta actioni. n.43.44.45
Causa secunda in quo sensu dicatur causa principalis.q.45. art.5.n.12
Quo modo causa creata determinetur ad producendum hunc determinatum effectum. n.34
Modus operandi sequitur modum essendi. n.41.42.43
An omnis effectus non adæquans virtutem suæ causæ,possit à minore virtute produci. n.61
An in causis detur processus in infinitum. q.46.ar.2.n.2
Causam efficientem non necessariò præcedere durationè suum effectum. n.10 & 11
An causa liberè agens, præcedere debeat durationè suum effectum. n.12
Causam liberam,in eodem instanti, in quo agit,posse non agere. n.31
Causa instrumentalis. Vide, Instrumentum.

Charitas.

Hanc vocem propriè dici de Deo. q.27.ar.1.n.233

Christus Dominus.

Christus quo modo & sensu dici possit creari, & fieri. q.27. ar.1.n.11.& creari ab Æterno. n.13
Cur Christus dicatur initium viarum Domini. n.12
An Christus aliquando dixerit, se esse Deum. n.33.& 76
Christum, & creaturas, diuerso modo vocari Deum. num.34
In Scriptura dici multa de Christo vt Deo, multa vt homine. n.39
Christi potestas ex multis Scripturæ locis. n.42
Qua ratione dicatur, Christus nescire diem iudicij. n.45. & 46
Natura humana Christi maior est angelica. n.45.48
Christus in quo sensu dicatur minor Patre. n.47. ad 50
Quid sit, Christum tradere Deo regnum. n.50
Quo sensu dicatur Christus subiectus Patri. n.50.52
Item, dignus accipere diuinitatem. n.55
Christum, & Verbum, esse eamdem personam. n.164
An de Christo, ob duas naturas, idem possit affirmari & negari. q.39.ar.4.n.16
De missionibus ad Christum factis. Vide, Missio.

Circumsessio.

Circumsessionem, qua quælibet persona est in reliquis duabus, conuenire non solùm Patri & Filio, sed etiam Spiritui sancto. q.42.ar.5.n.1.2.& 3
De nomine circumsessionis. n.4
Vna persona, etiam secundùm personalitatem, est in alia. n.6.& 7
Sicut è contra, vna est in alia, etiam secundùm personalitatem. n.8.& 9
Non modò vna persona tota, est in alia tota; sed etiam vna personalitas est aliquo modo in alia personalitate. n.10.ad 13
Circumsessionem probant, nõ solum essentia, sed etiam relationes. n.13.ad 22. & origines. n.22
Quamlibet tamen circumsessionem esse principaliter ratione essentiæ. n.12.15.17
Quod principiatum sit in suo principio, & è contra, esse modum essendi perfectissimum. n.23.& 24
Diuersa ratione Pater in Verbo, & creaturæ etiam in Verbo esse dicuntur. n.25

Clemens Alexandrinus.

Quo sensu dixerit de Filio Dei, impleuisse diuinam vocem Patris. q.27.art.1.n.95

Cœlum.

Cœlorum formæ an sint creatæ, vel eductæ. q.45.art.4. num.10
Quo modo cœlum dicatur locus Dei. q.46.ar.1.n.14

Commune.

Communia quomodo sint priora propriis. q.33.ar.3.n.5. 41.& q.41.art.2.n.6

Compositio, Compositum.

Quid sit compositio. q.28.ar.2.n.15
Dari compositionem ex re & modo. n.18.& 19
Conceptus compositi in genere traditur. n.18
Cur in diuinis sit pluralitas sine compositione. n.22
An idem sint, composita & subsistentia. q.41.art.4.n.1

Concretum.

Vide, Nomen.

Connotatio.

Quid sint connotatio extrinseca, & intrinseca. q.45.art.3. num.13

Consequentia.

Vide, Argumentum.

Consubstantialitas.

Vide, Homousios, Essentia diuina, Persona diuina.

Conseruatio.

Vnde oriatur, vt Deus res conseruet. q.45.art.5.n.38
Si creatura crearet, non necessariò conseruaret. ibid.
An angelus pateretur violentiam, si non conseruaretur à Deo. n.38
Creaturam non posse conseruare aliquid sine subiecto. n.49. & ideo rem à solo Deo creatam, non posse conseruari à creatura. n.81
An conseruetur res, durans per vnum instans. q.46.ar.2. num.39

Constitutio, Constitutiuum.

Constitutiuum, & distinctiuum, an sint idem. q.36.art.2. n.36.& 37
Dari proprietates, diuinarum personarum constitutiuas. q.40.art.2.n.1.ad 17
Censura contrariæ sententiæ. n.3
Constitutio diuinarum personarum non præiudicat earum simplicitati. n.5.& 6
Quomodo in diuinis concipienda sit constitutio personalis. n.8
An istæ voces, *Constitutum, Constitutio,* inueniantur apud Patres. n.9.& 10
Constitutio diuinarum personarum non est cum distinctione. n.28. neque per compositionem realem. n.29. neque per compositionem rationis. n.30
Est tamen constitutio simpliciter realis, non rationis. n.31.& seqq.
Proprietates diuinarum personarum constitutiuas, non esse absolutas. n.36. ad 56. censura opinionis contrariæ. n.38

Continere.

Quid sit continere eminenter, & formaliter. q.27.ar.1. num.55
Plus est continere eminenter, quàm formaliter. q.28.ar.2. num.135

Contradictio, Contradictoria.

Contradictoria ne in diuinis quidem verificari possunt. q.28.ar.2.n.50.51.& 54.ad 3.& n.55
Quid propriè sit contradictio. n.50
Quæ propositio ex duabus contradictoriis sit vera, & quæ falsa, si formentur de diuina essentia & relationibus prout in re sunt vnum, & idem. n.52.ad 56

Cor.

Cordis nomine significari aliquando intellectum. q.27. art.1.n.216

Creare, Creatio.

Creari, dictum de Filio Dei, quid significet. q.27.art.1. num.11
Creandi vox quot modis sumatur. q.27. ar.1.n.11.14.& q.45.ar.1.n.4
Creationem tribui Deo Patri. q.27.ar.1.n.95
Disparitas inter creationem, & actum notionalem. q.41. ar.5.n.29.& q.45.ar.2.n.23
Cur creatio dicatur actus Dei essentialis. q.41. art.5. num.29
An creare sit ex nihilo aliquid facere. quæst.45. art.1. toto.
Traditur, & breuiter exponitur definitio creationis. n.7
Illud, *ex nihilo*, in definitione creationis, non significat habitudinem causæ. n.8
Cum dicitur, aliquid fieri ex nihilo, negatio importata in nihilo, non negat fieri. n.9
Fieri ex nihilo, esse fieri post nihilum. n.10
Quæ negatio entis sit de essentia creationis. q.45. art.1. n.10.& ar.2.n.23.24.& art.5.n.44

Non esse ex se, est quid prius natura quàm esse ab alio. q.45.art.1.n.11
Per illud, *ex nihilo*, significari etiam negationem subiecti. n.12.13
Item, negari essendi actualitatem; possibilitatem verò non negari, sed præsupponi. n.17
Creatio non implicat. q.45.ar.2.n.2.ad 9
Quodnam sit creationis subiectum. n.4.19
An creatio sit accidens, vel potius modus accidentalis. num.5
Creationi repugnare subiectum *ex quo*, non *cum quo*. num.7
Creationem de facto dari. n.9. imo necessariò admittendam esse. n.10.ad 13
Creationem posse demonstrari vt possibilem. n.13.29. & vt iam factum. n.14. sed in aliquo sensu demonstrari posse vt impossibilem. n.17
Distinctior explicatio essentiæ creationis. n.23
Quid de creatione senserint Plato, & alij ante Aristotelẽ. num.31
Creationem multis in locis Aristotelem indicasse. n.32.ad 36.& nullibi apertè negasse. n.36.& 37
In re, quæ creatur, dari absolutum aliquem influxum; quo formaliter creatur. q.45.ar.3.toto.
Creari, esse aliquid reale. n.12. sed nõ esse ipsammet creaturam cum connotatione Creatoris. n.13. nec prædicamentalem relationem. n.15. aut relationem transcendentalem essentialem, sed transcendentalem accidentalem. n.16
Creari, esse quid medium inter creaturam & Deum. n.17. identificatum realiter cum creatura, & distinctum formaliter ab illa. n.18.47
Creationem esse accidens creaturæ, & prius, ac posterius illa sub diuersa ratione. q.45.ar.3.n.19.ad 29
Notanda differentia inter creationem & eductionem. num.23
Creatio an dici possit creatura, & concreari. n.32
Differentia inter creationem, & conseruationem. n.35
Creatio formaliter non est actus diuinæ voluntatis. n.38. neque relatio Dei ad creaturam. n.39. neque velle Dei cum respectu ad creaturas. n.40. ad 46. neque ipsa creatura. n.46.47. neque relatio rationis, aut prædicamentalis ad Creatorem. n.48.49. neque transcendentalis essentialis creaturæ. n.50.51. sed est ipsum fieri creaturæ. n.52
Creationem esse propriè actionem. n.49. non esse motũ. n.53. nec mutationem propriè, sed impropriè. n.54.55
Creatio cur dicatur mutatio impropriè, & non motus impropriè. n.56
Creatio non est propriè passio. n.57. sed impropriè. n.58. est tamen propriè actio transiens, non immanens. n.59.& 60
Creatio an sit in prædicamento actionis. n.61
Creationis diuisio in actiuam & passiuam. n.58
Creationem omnem tendere in esse creabile, vt sic. q.45. art.5.n.17.ad 21
Creationes non distingui specie terminorum specie distinctorum. n.63. & cur eductio, non creatio, plures habeat species. ibid.
Influere in aliquid simpliciter præsuppositum, non tollere essentialem rationem creationis. n.81

Creatio æterna, temporalis.

Creatio quo sensu dicatur facta in tempore. q.27.art.1. num.59
In creatione æterna non esset propriè terminus *à quo*. num.193
Creationis nouitatem non esse contra æternam Dei bonitatem. q.46.art.1.n.17
Creationem vt sic, non pugnare cum æternitate. q.46. art.2.n.5.ad 42
Creare liberè, & ab æterno, non implicant. n.12.30

Creationes rerum particularium an fuerint, vel esse potuerint ab æterno. Vide, Creatura, Motus, Tempus.

Creandi potentia.

An potentia creatiua sit supernaturalis. q.45.art.2.n.6.& art.3.n.61
Creaturam non posse creare independenter à Deo. q.45. art.5.n.1
Nullam vnquam creaturam de facto creasse aliquid. n.2. ad 6. nec posse creare, nullo alio agente præsupposito. n.7. nec quodlibet creabile, etiamsi ipsam creantem excipiens. n.8
Patres docentes, creaturam non posse esse creationis causam, esse intelligendos de causa etiam instrumẽtali. n.10
Moralem creationis causam dari posse. n.11. Physicam verò causam secundam principalem non posse dari. n.12.ad 16
Idque posse ratione probari. n.15. & omnium optimè ratione S.Thomæ. n.16.ad 21
Nullam creaturam posse tendere in esse creabile, vt sic. num.16
Ad creandum aliquod ens, quantumuis finitum, requiri potentiam simpliciter infinitam. n.21.22.23.26
Qui potest creare vnum, posse creare omnia. n.25
Quam vim habeant quindecim aliæ rationes aliorum Authorum ad probandum, creaturam non posse creare. n.26.ad 44
An ex improportione inter nullam potentiam & aliquam potentiam, probetur infinita creandi virtus. n.57
Dari non posse potentiam creatiuam, limitatam ex parte causæ. n.67
Vnam creaturam esse non posse alterius creaturæ instrumentum ad creandum. n.68. neque naturale Dei instrumentum. n.69.ad 76. quod nec esse potest substantia, nec accidens. n.73. neque obedientiale. n.76.ad 83

Creationis termini.

In creatione concipi à nobis terminum *à quo*. q.45.ar.1. n.14. sed propriè non esse. n.15. imò ne impropriè quidem. n.16. esse tamen impropriè solùm in creatione temporali. n.17
Terminus ad quem tendit creatio, non est nisi subsistens. q.45.art.4.n.2
Propriè creari angelos, animas rationales. n.3.& composita materialia. n.4. & cœlos. n.5
Composita naturalia initio fieri aliter non potuerunt nisi per creationem. Et quæ postea generantur, posse etiam denominari creata respectu Dei. n.5.& 6
An in prima compositorum productione, formæ substantiales sint creatæ, vel eductæ; & an modus vnionis creari possit. n.6.7.10
Per creationem solius materię denominari creatum compositum; sed per creationem solius animæ non denominari creatum hominem. n.7
Quo modo creari possint formæ substantiales materiales, & accidentia omnia. n.8
Quid sit, rem aliquam concreari. q.45.art.3.n.32.& art.4. num.8.& 11
Materiam primam non posse fieri nisi per creationem, ar. 4.n.9.& 10
Quo modo de facto creata sit materia prima. num.10. & 11
Quemlibet creationis terminum esse formaliter infinitũ. num.56

Creator.

An Deus denominetur Creator per ordinem ad creaturas actuales, an possibiles tantum. q.27.art.1.n.66.& q. 46.art.1.n.26
Cur Deus fuerit semper generans, & actu pater; non autem semper creans, & actu Creator. quæst.27.art.1. num.66

Creator non refertur realiter ad creaturas. q.28.art.1. n.25.38.& art.2.n.186
An ad creandum requirantur tres personæ. q.30.art.1. n.57.& q.36.art.4.n.6.& 42
Deum posse aliquid creare,probatur q.45.art.2.toto. idque esse de fide. n.1.27
An Deus possit facere creaturam ex nihilo sine media creatione. q.45.art.3.n.35
Creare,appropriari diuinis personis diuersa ratione.q.45. art.6.n.6
Quid sit secundùm S.Thomã,Personas diuinas ad creandum,concurrere secundùm rationem suæ processionis. num.7
Quomodo personalitas concurrat ad creandum. n.8.&c.

Creatura.

Creatura quomodo vocetur Deus. q.27.ar.1.n.17.21.34
Creatura & Deus,immediatè opponuntur.n.80.118.235
Creatura dicit relationem ad Creatorem,non cõtrà.q.28. art.1.n.38. & relationem non solùm transcendentalẽ, sed etiam prædicamentalem. q.45.art.3.n.2
An per creaturæ relationem dicatur Deus realiter relatus ad creaturam. q.28.art.1.n.39
Quas similitudines cum Deo habeat creatura. q.33.art.3. num.2
Creaturæ quomodo dicantur verba Dei. q.34.art.3.n.15
Creaturæ possibiles quomodo sint necessariæ. n.55
Creaturæ æternæ quomodo conueniat non esse.q.41.ar.4. n.3.& q.45. art.1.n.11.& q.46.art.2.n.16.17
Qua ratione creatura, etiam æterna, producatur de non esse. q.27.art.1.n.183
Quo modo creatura sit imago Dei. q.35.art.1.n.3
An quælibet dependentia sit de essentia creaturæ. q.45. art.3.n.29.30
Cur creatura non possit seipsa creari, sicut de facto creatur creatio. n.34
Creaturam nullam fuisse ab Æterno. q.46.art.1.n.1.& quid de hac senserint Plato, & alij antiqui. n.2. & Aristoteles.n.3. & quomodo id probari possit.n.4.ad 8.& responsiones ad argumenta Aristotelis, Procli, & Auerrois. n.8.& deinceps.
In quo sensu Patres negent, creaturam posse esse æternã. q.46.art.2.n.18.ad 26
Non esse creaturæ non pugnare cum æternitate.n.16.17. & n.26.ad 29
Creaturæ contingentiam non pugnare cum æternitate. n.15.& 29.ad 34
Quomodo produceretur, & corrumperetur creatura in æternitate. n.34.ad 40
Cum creaturæ mutabilitate non pugnare æternitatem. n.40.& 41
Creaturam corruptibilem relictam suæ naturæ, fieri non posse ab æterno. n.43.44
Incorruptibilem verò fieri posse. n.45. imò etiam corruptibilem non relictam suæ naturæ. n.46

Cyrillus Alexandrinus.

Quo sensu dixerit, relationem diuinam esse quasi extrinsecus intellectum. q.28.art.1.n.23
Admisisse in Deo tres existentias relatiuas.q.30.ar.1.n.13

D.

De.

PArticula, *De*,tribuitur etiam Filio. q.27.ar.1.n.34
Particulæ,*De*,& *ex*,quomodo differant. n.201.& 203
Quid significet *De*, cùm dicitur, vna persona diuina procedere de substantia alterius. n.195.ad 205

Denominatio.

An dari possit denominatio relatiua extrinseca. q.28.art.1. num.40
Quo modo se habeat denominatio absoluta. ibid.

Deus, Deitas.

Deum & creaturam immediatè opponi. q.27.art.1.n.80. 118.235
Deo quomodo conueniat futurum,præsens, & præteritũ. num.158
Est proprium Dei,esse vnum in essentia singulari,& trinũ in personis. q.28.art.2.n.49
Deitas secundùm rationem præcisa, an includat relationem. n.71
Deo non ita accidit esse Patrem,sicut enti esse hominem. num.85
Quid sit,in Deo idem esse id quo est,& id quod est. q.30. art.1.n.35
Hic Deus an remaneat abstractis personalitatibus; etsi nulla daretur subsistentia absoluta. n.54
Differentia inter hunc Deum, & hunc hominem. n.55
Deum à personis præcisum,non esse semipersonam. n.55. non generantem,nec creantem. n.57
Deus vnicus,& singularis,an dici possit. quæst.31.art.3. num.7
Deus à nobis cognosci non potest, nisi ex creaturis, per tres vias. q.32.art.2.n.3
Deitas quomodo sumitur, quando dicitur, Pater principium totius Deitatis. q.33.art.1.n.24
Deus aptius dicitur essentia,quàm substantia. q.39.art.2. num.2
Non dici plures Deos,aut Dominos. art.3.n.4
Dari tres habentes Deitatem,non autem tres Deos. n.13
Deus non esset Deus,si lapis,v.g.non esset possibilis. q.34. art.3.n.52.53
Solius Dei proprium esse,habere templum viuum. q.27. art.1.n.109
An Deus semper fuerit dominus. q.46.art.1.n.26
Deus, est nomen personale;Deitas, essentiale. q.39.art.6. num.14
Hoc nomen, *Deus*, supponit pro natura, & pro personis; sed diuerso modo. q.39.art.4.n.2.& 3
In quo differant nomen, *Deus*, & alia concreta nomina creaturarum. n.3
Siue dicatur Deus,siue hic Deus,idem dici. n.1
Nomen, *Deus*,sumptum pro concreto personali,supponit aliquando pro vna tantum persona,aliquando pro duabus,aliquando pro tribus. n.5.& 6
Ex quarta subsistentia absoluta prouenit,vt Deitas abstracta à personis,possit concretè dici Deus. n.3
Alius Deus,alius non Deus,an sint contradictoria. q.39. arr.4.n.22
An hæc sit vera,Hic Deus est hic Deus. n.25.ad fin.art. & an sint contradictoriæ, Hic Deus est hic Deus: Hic Deus non est hic Deus. n.29
Hic Deus an explicetur solum per habens Deitatem. num.32
Hic Deus,& hic Deus, demonstratis personis, quomodo opponantur. n.37
Certius dicitur,Deitas est Trinitas, quàm Deus est Trinitas. q.39.art.6.n.2
Deus est Trinitas, est vera in sensu identico, non in sensu formali. n.8
Verè dicitur,Deus est omnis diuina persona; licèt non dicatur,Homo est omnis homo. n.9
Deus est Trinitas, an sit propositio indefinita. numero 10
Nullus Deus est Trinitas,Deus est Trinitas,non sunt contradictoriæ. ibid.
Non valere,Deus est Trinitas, Pater est Deus;Ergo Pater est Trinitas. n.11
Dicitur,Deus est trinus, Deitas est Trinitas; non autem, Deitas est trina. n.13
Esse prædicationes per se,non per accidens, quando personæ prædicantur de Deo. n.12

Dei actualitas actus.

An in Deo actualitas probet indistinctionem. q.28.art.2. num.28
An dentur in Deo tres actus puri relatiui. q.30. art.1. num.32

Dei æternitas.

Aduersarij æternitatis Filij Dei. q.27.ar.1.n.56
Æternitatem Verbi quomodo colligant Patres ex illo Ioan.1. *Omnia per ipsum facta sunt.* n.59
Æternitas diuinæ generationis non saluatur per æternam voluntatem generandi. n.47
An in Deo sint tres æternitates relatiuæ. q.30.ar.1.n.29
Hi sunt in Deo tres durationes, sunt etiam tres æternitates. n.30
Vide,Æternitas.

Dei amor.

Vide,Amor.

Dei beatitudo.

An beatitudo Dei terminetur etiam ad creaturas. q.34. ar.3.n.59

Dei duratio.

Quid sit: &,an in Deo possint admitti tres durationes relatiuæ. q.30.ar.1.n.29.30

Dei essentia.

Essentia diuina nullo modo est subiectum personalitatum. q.27.ar.1.n.193.& 197.ad 200
Essentia diuina quomodo comparatur ad personalitatem. n.197
Essentia diuina terminatur,non determinatur. n.199
Quo modo essentia Dei dici possit principium formale personæ. n.200
Esse idem cum essentia in Deo,non infert esse de essentia. q.27.ar.2.n.56
Essentia diuina non includit essentialiter relationes. q.28. ar.2.n.58.ad 90
Magis excludit relationes,quàm attributa. n.69
Quid in diuinis significetur nomine essentiæ. n.69.117
Essentiæ infinitas saluatur etiam sine relationibus. n.82
An sit vna formalis ratio diuinæ essentiæ, & relationis. n.88
Verè dicitur, Essentia diuina est paternitas, non in sensu formali,sed identico. n.112.ad 116
Essentiam Dei,non obstante pluralitate personarum, esse simpliciter simplicem; & non minus simplicem, quàm personas. q.28.ar.2.n.23
Essentia Dei an sit ingenita. q.33.ar.4.n.10
Essentia diuina sub qua formali ratione exigat paternitatem. n.33.ad 37
An essentia diuina dici possit donum. q.38.ar.1.n.4
Differentia inter Essentiam,& naturam Dei. q.39.art.2. n.4.& inter essentiam,& substantiam. n.18
Quomodo à nobis concipienda sit diuina essentia comparata ad personas. q.39.ar.2.n.4
An in diuinis essentia sit idem quod persona. quæst.39. ar.1.toto.
An dici possint tres essentiæ.n.17. Saltem relatiuæ. n.18. aut tres naturæ.n.19.20. aut tres quidditates. num.21. aut tres formæ. n.22
Falsò dicitur, Essentia generat, essentia generatur: non autem, Essentia est paternitas,filiatio. quæst.39.art.5. n.1. *&c.*
Quàm sit certa hæc propositio, Essentia non generat: & censura contrariæ propositionis. n.3
Exponuntur Patres aliquando dicentes, Essentiam generare,generari. n.4.5.& 6
Quatuor sophismata contra prædictam propositionem. n.7. *&c.*
An saltem dici possit essentia generari prout est in Filio num.11
Essentiam diuinam ne per accidens quidem generari secus in creaturis. n.9.& 15
Cur dicatur,Essentia est res generans,res genita: non autem est generans,genita. n.12.& q.27.ar.1.n.196
Essentiam communicari,non generari,nec produci. q.39. ar.1.n.14.& 15
Si essentia includitur quidditatiuè in relationibus, non bene stat distinctio personarum. q.40.ar.2.n.4
Essentia diuina per generare,& spirare, non potest determinari ad Filium,& Spiritum sanctum. quæst.41.ar.5. num.10
Essentia est determinata ad relationes, indeterminata ad actus notionales. n.12
Essentia quamuis non producatur,tamen est formalis terminus productionis. q.41.ar.6.n.8
Essentia cur producat *vt quo*, non tamen producatur *vt quo*. n.12
Quod est de essentia in esse reali, esse etiam de essentia in esse concepto. q.28.ar.2.n.70.ad 73
Essentia diuina est de conceptu quidditatiuo personæ. num.90
De conceptu quidditatiuo essentiæ diuinæ non est relatio. n.91.ad 119
Ex inclusione essentiæ in relationibus sequeretur inclusio vnius relationis in alia opposita. n.101.102

Dei existentia.

Esse diuinæ personæ non est dependens, aut indigens. q.27.ar.1.n.175
Esse necessarium, & à se, quomodo stet cum esse ab alio. ibid.
Esse diuinæ personæ non potest concipi sub non esse. n.183
Esse Dei absolutum, propriè vocatur subsistere. q.30. ar.1.n.41
Distinguitur duplex esse per se. n.72
Existentia absoluta datur in Deo. n.2.ad 10. quæ est perfectior existentia relatiua. n.9
Præter existentiam absolutam,dari in Deo tres existentias relatiuas. n.10.ad 34
Existentia relatiua quomodo se habeat ad diuinam naturam. n.16
Existentiam relatiuam arguit distinctio personarum, personarum processio,& vnio hypostatica. n.18.19.20
In Deo esse quidem tres existentias, tamen cum addito. n.23
Existentia Dei absoluta quo modo sit infinita. n.25
In Deo non dantur quatuor existentiæ, sicuti dantur quatuor relationes. n.26
Tres in Deo existentiæ non inferunt tres essentias, ne relatiuas quidem. n.27
Existentia absoluta Dei est per se,& in se. n.34
Existentiæ increatæ excessus supra creatam. n.35
Existentia Dei absoluta ab absoluta subsistentia ne ratione quidem distinguitur. n.36

Dei Filius.

Vide,Filius Dei.

Dei generatio.

Vide,Generatio diuina.

Dei infinitas.

Probatur. q.28.ar.2.n.27
Vide,Infinitum.

Dei natura.

Ex vnitate naturæ diuinæ non sequitur vnitas personæ. q.27.ar.1.n.163
Natura est formale principium agendi. n.205
Quam fœcunditatem habeat natura Dei. n.212

Quid importet naturæ diuinæ fœcunditas. quæst.27.ar.2. n.40
Differentiæ inter Deum Patrem, & Filium, in communicanda natura diuina. n.44
Naturæ diuinæ communicabilitas explicatur. q.28.ar.2. n.108
Natura diuina est etiam principium operandi *vt quod*: non verò natura creata. q.30.ar.1.n.57
Differentia inter naturam & essentiam. q.31.ar.2.n.4
An possint dici in Deo tres naturæ. n.19.& 20. & an naturæ nomen rectè tribuatur Deo. n.15
Natura diuina est formalis terminus processionis, vt productio est, non vt communicatio. q.44.ar.6.n.4

Dei perfectio.

Essentialis conceptus cuiuslibet perfectionis diuinæ traditur. q.27.ar.1.n.184

Dei persona.

Vide, Persona diuina.

Dei potentia.

Tutò dici, Deum non posse facere impossibile. q.27. ar.1.n.53
Quo sensu S.Thomas admittat in Deo potentiam ad intelligere,& velle, secundum modum significandi. q.41. ar.4. n. 22
An Deus semper fuerit in potentia actiua propinqua creandi mundum. q.46.ar.1.n.15
An in Deo detur potentia passiua. q.41.ar.4.n.2.aut quasi passiua. n.4. aut potentia passiua terminatiua. n. 5. & q.27.ar.1.n.187
Potentia productiua quid sit in diuinis. q.27.ar.1.n.45
Potentia est in aliqua persona diuina sine actu, absque imperfectione. q.41.ar.5.n.34
De potentia notionali; Vide Potentia notionalis.

Dei processio.

Vide, Processio increata.

Dei relatio.

Vide, Relatio diuina.

Dei scientia.

Dei intellectus dicitur metaphoricè os. q.27.ar.1. n.4. & 219
Intellectio in Deo est actio perfectius immanens quàm in creaturis. n.192
Quomodo intelligere,& velle, in Deo sint productiones, & principia productionum. n.227
Intellectio Dei non potest concipi vt via ad principium intellectiuum. q.27.ar.2.n. 108
Intellectio dici potest non essentialis Deo duobus modis. n.107
Intellectiuum principium non dari in Deo. n.108
Intellectio diuina dupliciter consideratur. n.123
Intellectio diuina,& non volitio, est essentia Dei. n.145
Intelligere, & velle, in Deo quomodo distinguantur: & quomodo ex indistinctis in re oriantur distinctæ realiter processiones. q.27.ar.3.n.2
Intelligendi actus cur plures in nobis, in Deo vnus. art.5. n.5. & 6
An possint ratione distingui in Deo plures intelligendi actus. q.34.ar.3.n.2.3.4.& q.45.ar.6.n.10
An in intellectu Dei Patris sit distinguere duplex intelligere essentiale,& personale. q.34.ar.3.n.8
Intelligere,& dicere distinguuntur simpliciter. q.34.ar.1. n.24. & ar.3.n.10
Scientia Dei abstractiua respectu futurorum, non respectu sui. q.34. ar.3.n.42
An scientia Dei prius terminetur ad se, quàm ad creaturas. n.56
An Dei scientia, terminata ad res possibiles, addat perfectionem. n.57
An scientia visionis sit perfectior scientia simplicis intelligentiæ. n.66
An perfectissima scientia Dei terminetur ad possibilia. ibid.
Cognitionis diuinæ obiectum primarium, est sola essentia: personalitates sunt obiectum secundarium,& purè terminatiuum. q.34.ar.5.n.37.39.40. sed cognitio diuina non prius terminatur ad essentiam, posterius ad personalitates. n.38
Scientiam visionis esse liberam, & præsupponere totam Trinitatem. q.34.ar.3.n.62
Scientiam quoque conditionatam, esse simpliciter liberam. n.63
In intellectu Dei quomodo distingui possint potentia & actus. q.41.ar.1.n.9
Dei præscientia quo sensu dicatur à Basilio finem habere. q.27.ar.1.n.68

Dei simplicitas.

Simplicitas in Deo probat identitatem. q.28. ar.2.n.16
An Dei essentia sit ita simplex vt persona. n.23
Simplicitas in Deo non obstat constitutioni personæ. q.40.ar.2.n.5
An in diuinis abstracta sint simpliciora concretis. n.6

Dei subsistentia.

Subsistentia absoluta, prout accipitur in creatis, non dicitur de Deo. q.30.ar.1.n.37.38
Subsistentia in alia significatione benè dicitur de Deo. n.39. ad 58
Subsistentia nomen cur Deo præcisè accepto tribuatur, non autem nomen personæ, aut hypostasis. n.4.q.53. ad 55
Subsistentia absoluta an sit media inter personam & naturam: & an possit terminare alienam naturam. n.52
An in Deo omnis subsistentia sit personalis. n.53
An subsistentia absoluta det Deo incommunicabilitatem: & an incommunicabilitas haberi possit à relatione absque subsistentia relatiua. n.64.65
Deus, esset hic Deus cum subsistentia relatiua absque absoluta. q.30.ar.1.n.54
Dantur in Deo tres subsistentes. n.58. & tres subsistentiæ. n.59.ad 72
Subsistentiæ, absoluta,& relatiuæ, cur necessariò ponendæ in Deo. n.69
Cur relatiuæ non sint superfluæ, impossibiles; & sint tantum tres. n.69
Subsistentia relatiua in Deo, cuinam immediatè tribuatur. n.71
Quodnam esse per se sit de essentia subsistentiæ diuinæ personalis. n.72
Non dari in diuinis quatuor subsistentias relatiuas. q.36 ar.4.n.15

Dei Verbum.

Vide, Verbum increatum.

Dei viæ.

Dei viæ dicuntur processiones intra Deum. q.27.art.1. num.6
Initium viarum Dei quid sit. n.12

Dei vnitas.

Vnitas diuinæ naturæ, & personarum explicatur. q.28 ar.2.n.26
Vnitas diuinæ essentiæ duplex. n.79
In diuinis nulla est distinctio, nisi inter ea quorum vnum procedit ab alio. ar.4.n.17
In Deo idem est id quo est, & id quod est. q.30.art.1. num.35

In

In diuinis, non obstante Trinitate personarum, esse vnitatem non diuisam. q.30.ar.2.n.29
Pater & Filius sunt vnum, sed non vnus. n.9

Dei voluntas.

Volitio in Deo est perfectius immanens, quàm in creaturis. q.27.ar.1.n.192
Quomodo velle & intelligere in Deo, sint principia productionum,& productiones ipsæ. n.227
Volitio in Deo non est prior intellectione. artic.2. num.144
In voluntate Dei quomodo distingui possint potentia & actus. q.41.ar.1.n.9
Voluntas generandi in Deo Patre, non est simul in eodem signo rationis cum generatione. quæst.41. art.2. num.5
Neque est prior ratione, sed posterior; neque est generationis principium. ibid.
An in Deo Patre voluntas generandi sit essentialis, vel notionalis. n.6
Posse concipi in diuinis generationem absque voluntate generandi. n.7
Diuina voluntas, vt voluntas, nullius actus notionalis est principium. n.10

Dicere, Dici.

Differentia inter dicere & intelligere. q.34.art.1.n.24. & art.2.n.11.& art.3.n.10
Quibus modis aliquid dicatur intelligendo. n.25
Dicere, supra intelligere, essentiale non addit actum intelligendi. q.34.art.3.n.11
Dicere, sumi aliquando valdè impropriè, pro velle & reuelare. n.15. aliquando minus impropriè pro intelligere. n.16.17. aliquando propriè pro producere verbum. n.18
Filium dicere Spiritui S.audienti. n.19
Dici, in diuinis vsurpatur tribus modis. n.20
Spiritum sanctũ etiam in aliquo bono sensu dicere Verbo. num.21
Dicere, non est ipsum verbum, sed productio verbi. n.23. & 24

Dies iudicij.

In quo sensu Christus, etiam vt homo, sciat diem iudicij; & quomodo dicatur nescire. q.27.ar.1.n.45

Differentia, Differens.

Differentiæ nomen non satis propriè vsurpatur in diuinis. q.31.ar.2.n.14.ad 17
Differens & diuersum, quid sint. n.14
Nomen differentiæ ad quid significandum sit primò impositum. n.15
Differentiæ vocem posse turò vsurpari in diuinis. n.17. ad 21
Quid sit apud S.Thomam, differre secundùm modum significandi. q.41.ar.1.n.5

Diligere.

Vide, Amor.

Discrepans.

Non vsurpandum in diuinis. q.31.ar.2.n.32

Discretio.

An hæc vox vsurpari possit in diuinis. q.31.ar.2.n.30. & 31

Discrimen.

Hoc nomen licitè de diuinis dicitur, sed non satis propriè. q.31.ar.2.n.21

Distantia.

Distinguitur duplex distantia, immediata, & mediata. q.45.ar.2.n.8
Quanta sit distantia inter ens & non ens. art.5. num. 24. 46
Qualis sit distantia inter ens & non ens. n.45
Quomodo non ens implicans distet ab ente implicante. num.47
An negatio formæ magis distet à forma extra subiectum, quàm in subiecto. n.48

Distinctio.

Distinctio & negatio inclusionis essentialis differunt. q.28. ar.2.n.8.& 118. & quid sit inclusio essentialis. n.69.74
Distinctio rationis nec esse potest per intellectum diuinum, nec ab æterno fuit. n.30.31
Traduntur quatuor fundamenta distinguendi in Deo ratione ratiocinata. n.38.ad 42
Huius distinctionis necessitas. n.34
Qui negent distinctionem rationis inter essentiam & relationes. n.45
Quid sit, duo ita ratione distingui, vt in re non sint idem adæquatè. n.46
Distinctionis nomen tutissimè vsurpari in diuinis. q.31. art.2.n.13
Distinctionis à parte rei certum signum esse duorum separabilitatem. n.166.& 188
Inseparabilitatem verò non semper esse signum indistinctionis. n.166
Propriè dici non posse, realiter actu distincta, quæ non realiter existunt. q.30.ar.1.n.18
Distinctionem in diuinis oriri ex oppositione. q.36.ar.2. n.29.ad 32
Duo distincta à parte rei, posse esse inter se essentialiter connexa. q.45.ar.3.n.31

Diuersitas.

Hac voce non vtendum in diuinis. q.31.art.2.num.22. 23. 24
Quid propriè significet diuersitas; & cur de diuinis dicatur differentia, non diuersitas. n.24
Diuersum,& differens, quid sint ex Aristotele. n.14
Diuersitas in diuinis quomodo dici possit. n.25

Diuinum.

Quid significetur nomine diuini. q.27. ar.2. n.141. & q. 28.ar.2.n.117
Triplex ens diuinum distinguitur. q.28.ar.2.n.87
De terminis diuinis absolutis non dicitur alius, & alius. q.31.ar.2.n.3
Assignatur duplex modus concipiendi res diuinas. q.34. ar.3.n.42
Quæ diuinæ proprietates sint incommunicabiles creaturis. q.45.ar.5.n.80

Diuisio.

Diuisio non dicitur in diuinis. quæst.31. art.2.n.26. 27. 29
Quomodo dici possit. n.28

Donum.

Doni definitio explicatur. q.38.ar.1.n.3
Donationem à Deo factam, maximè liberalem esse. ibid.
Donum esse nomen essentiale. n.4
Donum in diuinis dicitur aptitudinaliter, non actualiter. num.5
Ratio doni est æterna. ibid.
Relatio doni in Deo est rationis,& est personalis. n.5
Primam doni rationem esse amorem. q.38.ar.2.n.4

Durandus.

Eius opinio de diuinarum processionum principio damnatur à multis. q.27.ar.1.n.207
Quid sentiat de diuinarum relationum distinctione ab essentia,& censura opinionis. q.28.ar.2.n.6.& 14
Quid de distinctione relationis spirationis actiuæ à paternitate & filiatione. q.28. ar.4. n.10. & censura opinionis. n.11

Malè

Malè sensisse de nomine Verbi. q.34. ar.1.n.3.& 13
Durandi opinio,eiúsque censuræ, quòd imago non dicatur propriè in diuinis. q.35.ar.2.n.1
Et,quòd propriè loquendo, Pater & Filius non sunt vnũ principium Spiritus sancti. q.36.ar.4.n.3.& 4
Et,quòd Donum:non sit proprium nomen Spiritus sancti. q.38.ar.2.n.1
Quid senserit de possibilitate creaturæ potẽtis esse creare. q.45.ar.5.n.12

E.

Ens.

ENtis conceptum non præscindere perfectè ab inferioribus. q.28.ar.2.n.103.110.& ar.4.n.23
An sit infinita distantia inter ens & non ens.q.45.ar.2.n.8
Ens adæquatè diuidi in absolutum,& respectiuum. q.28. art.1.n.35

Ens rationis.

Sola relatio rationis, & non aliud entis rationis genus, habet fundamentum in re. q.28.ar.1.n.12

Ens successiuum.

Quo modo generetur,& corrumpatur. q.46.ar.2.n.33
Ex ordinata plurium successione non necessariò inferri primam. n.63.ad 67

Esse.

In creatura posse distingui duplex esse, cum essentiæ,tum existentiæ. q.45.ar.2.n.17.24
Quomodo vtrumque esse pendeat à Deo. n.17.& 20
An esse irreceptum,sit perfectius esse recepto. q.45.ar. 5.n.36
Esse simpliciter est proprius Dei effectus. num.50.51. 52.55.62

Essentia.

Dari aliqua ratione essentias creaturarum ab æterno. q.45.ar.2.n.25

Eua.

Non esse genitam ex Adamo. q.27.ar.2.n.6

Eucharistia.

Cuius actione conseruentur species sacramentales. q.45. art.5.n.82
Quomodo corruptis sacramentalibus speciebus,producatur de nouo forma substantialis. n.83

Eunomius.

Eunomius peior Ario,ex Theodoreto. q.42.ar.1.n.3

Ex.

Hæc particula tribuitur etiam Filio Dei. q.27.ar.1.n.94
Quomodo differat à particula, *De*. n.201.203

Existentia.

Existentiam creatam distingui ex natura rei à subsistentia, & inhærentia. q.29.ar.1.n.7
Existentiæ conceptus declaratur. q.30.ar.1.n.15
Existentiam conuenire etiam subsistentiæ, & inhærentiæ. n.22.27
Existentia esse potest relatiua. n.33
Quo modo ipsum formaliter existere pendeat à Deo. q.45.ar.3.n.16

Extraneum.

Extranei nomen non vsurpandum in diuinis. q.31.art. 2.num.33

F.

Falsum.

FAlsum non posse euidenter iudicari verum. q.45.ar.2. num.16

Fides.

Quod diuina fide creditur,non posse naturali lumine iudicari euidenter falsum. q.45.ar.2.n.15.16.27
An de eadem re possint esse actus fidei & scientiæ. n.28
An res fidei demonstrari possint,ac debeant. q.46.art.1. n.7.& ar.2.n.1

Filiatio diuina.

Filiatio naturalis Filij Dei multis ostenditur. q.27. art.1. n.70.ad 80
Filiatio diuina consequitur intellectionem realiter, non obiectiuè. q.28.ar.1.n.26
Filiatio an prædicetur de spiratione. ar.4.n.42
Filiatio an distinguat à Spiritu sancto. q.36.ar.2.n.41
Futuram aliam filiationem in diuinis, ab ea quæ nunc est, si Spiritus sanctus non procederet à Filio. n.40.ad 44
Filiationem, quæ nunc est, constituere integram personam Filij absque relatione spirationis actiuæ. n.46.47
In diuina filiatione distinguitur duplex respectus, & ad Patrem,& ad Spiritum sanctum. n.43
An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, sequeretur, Filium sola filiatione non constitui integram personam. n.44.ad 48
Cur in humanis, non in diuinis, filiatio præintelligatur Patri. q.40.ar.4.n.17
Cur filiatio sit producta, & paternitas non sit producens. q.41.ar.5.n.28

Filius.

Quæ similitudo sit necessaria ad rationem Filij. q.27. ar.2.n.42.43.47
Quid sit de ratione Filij vt sic. n.55.ad 60.& n.81
De ratione Filij non esse similitudinem in fœcunditate naturæ. n.59
Filius creatus quam relationem dicat ad Patrem, & Matrem. q.28.ar.4.n.7

Filius Dei.

Cur dicatur trames aquæ immensæ,fluuij dorix, aquæductus exiens de paradiso. q.27.ar.1.n.5
Authores negantes diuinitatem Filij Dei. n.19
Diuinitas Filij Dei latissimè probatur. n.19.ad 56
Filium Dei esse Deum æquiuocè, dicebant Eunomiani,& confutantur. n.21
Cur de solo Filio dicatur, non facere nisi quod viderit Patrem facientem. n.54
De Filij Dei æternitate ex instituto agitur. q.27. art.1. n.56.ad 70
Melius dici, Filius Dei semper natus, quàm semper nascitur. n.68
Filius,& Verbum,idem sunt in diuinis. n.69
Filius Dei, quia est Deus, est etiam filius naturalis, & è contra. n.70.& 83
Ex eo quòd Filius Dei sit vnigenitus, infertur quòd sit filius naturalis,non adoptiuus. n.71
Filium Dei non esse creaturam, ex instituto probatur q.27.ar.1.n.80.ad 103
Filius Dei quomodo sit in potentia generatiua Patris. num.187
Non bene dicitur, Filius Dei est de natura diuina;tamẽsi bene dicatur,Angelus est de natura intellectuali. n.200
Filium Dei procedere natura, non voluntate, quid sit. n.211
Filius Dei vocatur propriè Verbum. n.215.216. & Sapientia. n.218.& q.34.ar.1.n.3.& 4
Filium Dei esse verè, ac propriè filium, & verè generari. q.27.ar.2.n.2.3. & esse relatiuum. q.28.ar.1.n.1.ad 7
Filius si non spiraret, an esset idem filius qui nunc est. q.27.ar.2.n.55
Filium Dei dici Dominum de Domino. q.27.ar.1.n.72
Filium Dei non procedere modo naturæ ex eo tantum, quod procedit ab vno. q.27.ar.2.n.29.ad 32
Illud Augustini & Athanasij,*eo Filius,quo Verbum*, explicatur q.27.art.2.n.69.70
Filius Dei non per eamdem formalitatem est Filius & Verbum. n.69

Filius Dei est perfectissima Patris imago, intentionalis,& realis. n.85
Non posse esse duos Dei filios. q.27.ar.4.n.5
Filius & Spiritus sanctus quomodo sint ab alio. q.28. art.2.n.117
Filius habens in se paternitatem, cur non denominetur pater. n.136.137
In Filio quomodo sit,vel non sit esse Patrem. n.142
Filium filiatione referri non posse ad Spiritum sanctum. q.28.ar.4.n.3.4.6.38
Filius Dei qua ratione dicatur figura substantiæ Patris. q.29.ar.2.n.1.& 2
Filius est alius à Patre. q.31.art.2.n.1.& 2. non aliud. n.5.& 6
Filius minus rectè dicitur principiatus à Patre. q.33.ar.1. n.12.13. dici tamen potest aliquo modo. n.14
Filius Dei an dici possit minor Patre. n.13. an habere principium. n.15.ad 19
Filius est principium de principio. n.19
Filius an dicatur author & fons Spiritus sancti. n.26
Filius Dei dicitur propriè sermo. q.34.ar.1.n.5.& ratio. num.9
Quomodo dicatur vox,& lingua Patris. n.12
Aptius dicitur Verbum,quàm sermo. n.8
Non dicitur propriè eloquium. num.10. nec cogitatio. num.11
Filius quo sensu dicatur à Sanctis verbum absolutum. n.26. & imago essentiæ. q.35. ar.1.n.7
Filium se ipso audire. q.34.ar.3.n.19. & dicere Spiritui sancto audienti. ibid.
Filium vocari characterem,sigillum,& faciem. q.35.ar.2. num.8
An Filius constituatur etiam per spirationem. q.36.ar.2. n.39. an per solam filiationem. n.43.& seqq.
Filium Dei vocari donum. q.38.ar.1. n.2
Non posse præintelligi generationi. q.40.ar.4.n.12
An in Filio sit formalis potentia generandi. q.41.art.4. num.19
Filius est in Patre,& è conuerso. q.42.ar.5.n.1.& seqq.
Filius est æqualis Patri. q.42.ar.6.toto.
An recipiat à Patre libera decreta. q.43.ar.1.n.4
Filius,& quatenus homo,& quatenus Deus,mittitur à tota Trinitate. q.43.ar.8.n.5.& 6

Finis.

Ex fine non necessariò arguitur principium. q.27.art.1. num.65

Forma.

An dici possint plures formæ esse in diuinis. q.39.art.2. num.22
Forma separata quomodo ageret. q.41.ar.4.n.28
An forma materialis prius natura habeat esse in se, quàm esse in subiecto, & ex subiecto. q.45. art.5.n.58. & an prius natura pendeat ab agente, quàm à subiecto. num.59
Cur in corruptione compositi non annihiletur forma. num.60

Futurum.

Cur futura in tempore, dicantur à Deo facta ab æterno; & significentur vt præterita,& præsentia. q.27.ar.1. num.13
Futura prædicere,& præscire,est signum diuinitatis. n.31

G.

Generatio.

NOn est species mutationis. q.27.ar.1.n.185
Generatio quid sit in communi. ar.2.n.1
Generationis viuentium definitio exponitur q.27.ar.2. n.4.ad 9
An illi debeat addi,*viuentis cognoscentis*. n.5
An illa conueniat Plantæ. ibid.
Ab illa excludi pilos,& vermes. num.6. & mulum. n.7. non autem Filium Dei. n.7.& 8
Generatio vt sic, non postulat similitudinem in obiecto. n.95. etiamsi obiectum adsit, sed non concurrat effectiuè. n.96. imo etiam si effectiuè concurrat.n.97.98
Generatio postulat vt generans tale sit, quale est, quod generatur. n.102
Ad essentialem rationem generationis, similitudo intentionalis neque est sufficiens. q.27.ar.2.dub.6.tota. neque est necessaria. dub.7.tota.
Omnis generatio substantialis est essentialiter productio similis in natura. n.64
Quid sit de conceptu generationis in communi. n.74
Generatio hominis est similis in forma, non in materia. num.147
Generationis ratio,& nomen, magis propriè conuenit Deo,quàm creaturis. q.33.ar.2.n.5
Nihil generare potest se ipsum. q.39.ar.4.n.17

Generatio diuina.

Vide,Verbi processio; &, Processio increata.
Cur facta dicatur in initio viarum Domini. q.27.art.1. num.8
Deus an habuerit filium antequam genuerit? &, an eum genuit cùm esset, aut cùm non esset? interrogationes Arianæ. n.65
Cur Deus fuerit semper generans, non semper creans. num.66
Generationem non posse dici æternam per solam æternam voluntatem generandi. n.67
Generatio diuina caret fine; nec ideo est imperfecta. num.68
Generatio Filij,& non Spiritus sancti,independenter à fide non potest cognosci. q.27.ar.2.n.12.ad 15. dependenter verò potest. n.15.ad 19. non tamen cum omni certitudine. n.17. 18
Generatio diuina per similitudinem realem explicatur à Patribus. n.61. & à Scholasticis. n.62.86.87.88
Cur à S.Thoma explicetur aliquando per solam similitudinem in essendo, aliquando etiam per similitudinem in repræsentando. n.71
Generatio diuina vnde formaliter habeat vt sit generatio. n.74
Generatio diuina, ideo talis est, quia eius terminus est imago. n.83
Insufficienter distinguitur à processione Spiritus sancti per similitudinem obiectiuam. n.99.& deinceps.
Si intellectio non sit, & non concipiatur essentialis Deo, non potest reddi ratio, cur processio diuina sit generatio. n.108.ad 111
Generatio Verbi non probatur ex eo,quòd sit perfectissima processio. n.112
Generare & spirari an sint disparata, sicut sunt generare & spirare. q.28.ar.4.n.16.27.29.
Quod diuina processio sit generatio, non probatur ex intellectione vt infinita & diuina. q.27.ar.2. n.114. nec vt simpliciter includente essentiam. n.117. nec vt comprehensiua, & substantiali. n.118. 119. nec vt simpliciter essentiali. n.121. sed solùm vt vltimò constitutiua essentiæ. n.122.& 123
Generationem Verbi dupliciter posse considerari. q.34. ar.2.n.11
Generatio diuina præintelligitur paternitati vt relatio est, q.40.ar.4.n.6. non autem vt est constitutiua personæ. n.7.ad fin.artic.
Generatio quomodo distinguatur à paternitate. n.8
Generari non distinguitur à spirare. q.41.ar.1.n.21
Generatio diuina concipi potest absque voluntate generandi. ar.2.n.7
Deus neque volens, neque nolens, genuit, sed ex natura. num.13
Posse generare,& posse esse patrem,non sunt idem. q.41. art.4.n.15

Generatio vt communicatio, & vt productio, ne ratione quidem est duplex actio. art.5.n.19
Principium generandi quomodo non excedat actum. num.25
Generatio distinguit actiuè, non formaliter. n.30
Eadem potentia Pater generat, & Filius generatur. n.35

Generatio diuina in propositionibus.

Deus generat, verificatur de solo Patre. q.39.ar.4.n.7
Deus non generat, est propositio falsa. n.8.ad 17
Deus non generat, excludit præcipuè Patrem. n.9
Deus non generat, &, omnis Deus generat, an sint contrariæ, an contradictoriæ. n.13
Deus non genuit se Deum. n.17
Deus non genuit eumdem Deum. n.18
Deus non genuit alium Deum. n.18.19.ad 23
Deus non genuit alterum se, quomodo intelligatur. n.20
Deus non distinguitur à Deo; sed Deus generans distinguitur à Deo genito. n.21
Deus nec genuit alium Deum, nec alium non Deum. num.22
Deus non genuit non alium Deum. ibid.
Deus genuit Deum, qui non est Deus Pater, quomodo sit vera. n.23

Genitum.

Genitum procedit simile formaliter, non materialiter, q.27.ar.2.n.75

Gilbertus Porretanus.

Quid senserit de relationum diuinarum distinctione ab essentia. q.28.ar.2.num.4.& 5. & censura opinionis. num.14

Gregorius Ariminensis.

Eius sententia de principio diuinarum processionum. q.27.ar.1.n.221
Non negasse relationem spirationis actiuæ. q.28.art.4. num.1
Malè sentire de vnitate principij spiratiui. q.36.art.4. n.3.& 4. sicut etiam de distinctione potentiæ notionalis actiuæ à persona producente. q.41. art.4. dub.5. tota.

Gulielmus Ocham.

Quid sentiat de principio diuinarum processionum. q.27. art.1.n.222. de existentia diuinarum relationum. q.28. art.1.n.1.8. earúmque distinctione ab essentia. art.2. num.9

Gulielmus Parisiensis.

Eius sententia de relationibus diuinis. q.28.art.1.n.8

Gratia.

Nec creatur, nec annihilatur. q.45.ar.5.n.60.77

H.

Hebræi.

HEbræi cur rem singularem nominent in plurali. q.27.art.1.n.60

Henricus Gandauensis.

Non dicit, Relationem spirationis actiuæ differre à parte rei à paternitate, & filiatione. q.28.ar.4.n.10
Ponit duplicem actum essentialem in Deo. q.34. art.3. n.1. & relicitur. n.2.ad 8
Quid senserit de formali principio, quoad extrà agunt diuinæ personæ; & censura sententiæ. q.41.art.6.n.8.& 9

S. Hilarius.

Hilarij locus exponitur contra Erasmum. q.27.art.1. num.22
Quo sensu Hilarius dicat, Patrem maiorem Filio, Filium non minorem Patre. n.49
Restituitur alius deprauatus Hilarij locus. qu.33.art.1. num.7
Quo sensu Patrem & Filium vocauerit authores Spiritus sancti. q.36.art.4.n.12
Quid significet dicens, *Nihil nisi natum habet Filius.* q.39. art.5.n.9

Homo.

Esse hominem imaginem vnius Dei, & trium personarũ. q.45.art.7.n.4.& 5
In homine esse peculiarem rationem imaginis Filij. n.6
Hominem nec secundùm corpus, nec ratione plurium individuorum esse imaginem Trinitatis. n.7
Tres primos homines repræsentare Trinitatem. n.8

Homousios.

Hanc vocem esse ab omnibus vsurpandam. q.39. ar.2. num.5
Per eam damnari simul Arianos & Sabellianos. ibid.
An hæc vox habeatur in Scripturis. n.6.& 7
De nouitate eiusdem vocis agitur. n.8
Vox, homæusios, an sit suspecta. n.10

Hugo Ætherianus.

Quid senserit de relatione spirationis actiuæ. q.28.art.4. num.1.

Hymni.

Hymnus Ecclesiæ, *Te trina Deitas, vnáque poscimus*, exponitur q.39.art.6.n.13

Hypostasis.

An sit idem quod persona. q.29.art.2.n.1
Hypostasis apud aliquos Patres sumitur pro essentia. n.5
Tres hypostases an possint nunc negari. n.6
Hypostasis nomen differre à nomine essentiæ. n.9

Hypotheses.

Hypotheses impossibiles quomodo sint vtiles. q.36.art. 2.num.25
Ex hypothesi impossibili in Trinitate, an debeant variari personæ Patris & Filij. n.26
An ex data hypothesi sequantur contradictoria. n.34. & futuræ essent duæ processiones. n.35

I.

Idem.

QVid sit, non esse idem adæquatè cum essentia. q.28. art.2.n.46.& q.41.art.1.n.12
Exponitur illud, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se.* q.28.art.2.n.47.ad 50
Duo distincta, esse idem cum vno tertio singulari, est proprium Dei. n.49
Duo absoluta an possint identificari cum vno tertio, sicut duo relatiua. q.28.art.4.n.32
Filius est idem quod Pater, non idem qui Pater. q.31.art. 2.num.10
Idem & diuersum quomodo reperiantur in diuinis. q.39. art.4.n.18

Imago.

Ratio imaginis ex quo habeatur; ex relatione, an ex natura. q.27.art.2.n.42
Imago quid sit, & quomodo differat à similitudine. n.85
Quæ processio requiratur ad rationem imaginis. q.34. art.3.n.45.46
An de essentia imaginis sit similitudo in specie. q.35.art. 1.n.1.ad 4
An requiratur origo ad rationem imaginis. n.4.& 5
An imago dicatur personaliter in diuinis. n.6.& 7
Imaginem dici relatiuè. ibid.
Imago an dicatur propriè de solo Filio. q.35.art.2. n.1. & deinceps. n.9
Similitudo inclusa in imagine explicatur. n.9
Imago in diuinis fundatur in essentia vt communicata. num.10

In.

Hæc particula quem vsum habeat in Scriptura. q.27.art. 1.num.79
Non semper significat ministerium. n.115
In, propriè importat aliquam relationem. q.42.art.5.n.19
Esse in alio, non semper importat esse in excedente ipsum. num.20
Modum essendi in principio consubstantiali non esse imperfectum. n.23. & esse reciprocum. n.24

Incarnatio.

Si Adam non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum. q.27.art.1.n.12
Per incarnationem natura humana est maior angelica. num.45.48.101
Incarnationis formalem terminum non posse esse subsistentiam absolutam. q.30.art.1.n.52
Tres humanitates assumptæ à verbo, essent vnus homo. q.30.art.1.n.54. & q.39.art.3.num.15.
Rationis relatio, quam habet Dei Filius ad naturam assumptam, est partim essentialis, partim personalis. q.38. art.1.num.5
Filium Dei datum esse in incarnatione per Spiritum sanctum. q.38.art.2.num.7
Si eadem humanitas assumeretur à tribus personis: vel dimissa à verbo assumeretur ab alia persona, aut daretur illi creata personalitas, semper esset vnus homo. q.39. art.3.num.5.6.& 7
An si eadem humanitas assumeretur à tribus personis, quæ propterea essent vnus homo, dici verè posset, Hic homo non est hic homo, demonstratis duabus personis. art.4.num.34
De Christo ob duabus naturas non posse idem affirmari & negari. num.16
Rectè dici, Deus est incarnatus, passus, &c. non autem, Deitas est incarnata, passa, &c. art.6.n.14
Nihil vmquam in vnitatem personæ assumptum esse à Spiritus S. q.43.art.7.n.1

Inclusio.

Quæ necessaria sint ad inclusionem essentialem. q.28. art.2.num.69.74

Individuum.

Forma individuans non potest esse principium operandi. q.41.art.5.num.6
Individuum naturæ rationalis quomodo dici possit persona. q.29.art.1.n.4

Inferens.

An multiplicato inferiori, multiplicetur semper superius. q.28.art.4.n.40

Infinitum.

Infinitas in Deo probat indistinctionem. q.28.art.2.n.27
In Deo est vnum infinitum simpliciter plura infinita relatiua. num.150
An infinitum sit pertransibile. q.45.art.2.n.8.& q.46. art.2.n.68
An in sententia S. Thomæ implicet infinita animarum multitudo. q.46.art.2.n.3
Non omne infinitum apud Aristotelem esse actum permissum potentiæ. num.56
An infiniti ratio sit non solum ex parte ad quam proceditur, sed etiam à qua proceditur. n.57
Quomodo infinitum habeat rationem partis, non totius. num.59.& quid sit. n.60
Partem infiniti non esse æqualem toti. n.61.62
An infinito fieri possit additio. num.69

Ingenitus.

Quid sit esse ingenitum. q.28.art.4.n.21
An ingenitus & Pater distinguantur. q.32.art.3.n.3
Ingenitum esse, est proprium Dei Patris. q.33.art.4.toto.
Ingenitum non est non factum. n.3. ad 8. nec non genitum. n.8. sed est improductum omnino. n.9
Ingenitum formaliter non importat essentiam. n.11. non relationem. num.12. non esse principium aliorum. n.13. sed solam negationem. num.14.15. per modum priuationis. num.16.17
Huius negationis immediatum fundamentum non est essentia. num.18.19. non ratio principij creaturarum. num.20. non relatio spiratoris. num.21. sed sola paternitas. num.22.& sub qua formalitate. n.23.ad 27
Plures personæ ingenitæ an implicent. n.37.ad 43
Cur plures ingeniti, essent plures Dij. n.40.41

Inhærentia.

In accidentibus existere, & inhærere, distingui à parte rei. q.29.art.1.num.7

Initium.

Differentia inter initium, & principium. q.33.art.1.n.10. & 11

Innascibilitas.

An sit notio. q.32.art.3.num.3
Non constituit, nec distinguit. q.40.art.2.n.18

Inspirabilitas.

An sit notio. q.32.art.3.n.7

Instrumentum.

Diuiditur in naturale, & obedientiale. q.45.art.5.n.68
Quo modo se habeat instrumentum respectu effectus, & actionis. num.72
An instrumentum, vt operetur effectum principalis agentis, necesse sit prius intelligi per aliquid sibi proprium disponere aliud ad illum effectum. n.74.& 75
Instrumentum generans ignem, v.g. non est calor ignis, sed passi. num.75
Instrumentum obedientiale in quo consistat. ibid.

Intellectus, Intelligere.

Illa Sancti Thomæ propositio, *quicumque intelligit, eo ipso quòd intelligit, producit verbum*, latè exponitur & defenditur. q.27.art.1.dub.13.tota.
Eadem propositio probatur ex Augustino. n.244. & ex Anselmo. num.245
Intelligere non esse meram actionem, sed qualitatem. n.246. & quid sit. n.247. ad 250
Intellectio sumitur vel pro actu, vel pro actione. n.248
Quid sit intelligere immediatè. n.258
Inter intellectum & voluntatem differentia ex S. Thoma. q.27.art.2.num.104
Non dari duas essentiales radices intelligendi & volendi. num.146
Duplex modus intelligendi diuina. q.34.art.3.num.42
An ad intelligendum præsupponi semper debeat esse termini intellecti. num.44
Intellectum non posse euidenter iudicare, esse verum illud, quod in re est falsum; nec esse falsum, quod in re est verum. q.45.art.2.num.16

S. Ioannes Baptista.

Cur solus ipse dicatur propheta Christi. q.27.art.1.n.31

L

Lateranense Concilium.

QVam quaternitatem in Deo damnet cõtra Abbatem Ioachim. q.28.art.4.n.11
Concilij huius authoritas expenditur contra eos, qui distinguunt in re essentiã diuinam à personis, & relationibus. q.28.art.2.num.12.& art.4.n.11
Idem Concilium non esse pro Ariminensi contra proprietates constitutiuas, & distinctiuas diuinarum personarum. q.40.art.2.n.11.& 12
Quid sentiat de personarum proprietatibus relatiuis. n.46

Latio.

Qualis actio sit. q.27.ar.1.n.246

Liberum.

Sumitur duobus modis. q.41.ar.2.n.25
Operari liberè, & operari naturaliter, an sint opposita. num.28
Operari liberè, an semper sit melius quàm operari necessariò. n.29

Loquutio.

Quid sit loqui intellectualiter. q.27.ar.1.n.255

Lugdunense Concilium.

Eius mens de quarta relatione spirationis actiuæ. q.28. art.4.n.3

M.

Macedonius.

Macedonij hæresis ex S. Thoma. quæst. 23. art. 3. num.1

Magister sententiarum.

Non malè sentire de vnitate principij spiratiui. q.36.ar.4. num. 3
Quid senserit de creatura potente creare. q. 45. art.5. num.69.77

Maius.

Maius & minus, quomodo admitti possint in diuinis. q.27. art.1. n.49

Marsilius.

Quid senserit de distinctione diuinarum relationum ab essentia. q.28.ar.2.n.9
Minus rectè sensisse de possibilitate creationis. q.45.art.2. num.15

Materia prima.

An habeat propriam existentiam. q.45.ar.2.n.11
Non posse produci nisi per creationem. n.12. & art.4. num.9. & 10
Puram materiæ primæ potentiam probari non posse exemplo creationis. art.3.n.28
Est contra naturam materiæ, fieri & subsistere extra compositum. ar.4.n.7
Quomodo de facto creata sit materia prima. n.10.11
Ex creatione materiæ primæ deduci propriam illius existentiam. n.12
Materiam primam habere etiam propriam subsistentiam. num.12

Memoria.

In quo sensu accipiatur ab Anselmo. q.27.ar.1.n.245

Missio.

Non semper est cum minoratione. q.27.ar.1.n.138
Quo sensu dicatur Filius missus à Spiritu sancto. q.36.art. 2.num.10
Quid sit missio. q.43.ar.1.n.1.& 3
Duæ habitudines omnino necessariæ ad essentialem missionis conceptum. n.3
Ad rationem missionis spectare principalius habitudinem realem admittentem, quàm rationis ad terminum. num.3
Missio est partim notionalis, partim essentialis. n.3
Missio diuina, est physica, & moralis. n.4.& 5
An persona missa recipiat à mittente libera decreta. num.4
An origo præcisè sit missio. n.6
Missus semper est de nouo in termino, ad quem mittitur. num.7
Missio, simpliciter loquendo, est tantum temporalis. q.43. art.2.n.1
Missio est aliquid creatum. n.3
Missio in quo differat à processione, & datione. n.4
Distinguitur duplex missio, inuisibilis, & visibilis. q.43. art.3.n.1
Mittitur persona diuina inuisibiliter secundum gratiam. n.2.3.& 4
Non est perfecta missio inuisibilis sine gratia. n.6. sed est imperfecta. n.7
An Patri conueniat mitti. ar.4.toto.
Cur Filius & Spiritus S. dicantur mittere seipsos; Pater verò se ipsum mittere dici non possit. n.3
Eadem est ratio in re de mitti passiuè, & mittere actiuè. num.2
Mitti inuisibiliter, conuenit Filio. ar.5.n.1
Quomodo missio inuisibilis approprietur, Filio, & Spiritui sancto. ibid.
Missiones inuisibiles Filij, & Spiritus S. quomodo distinguantur. n.2
Non posse mitti inuisibiliter Filium sine Spiritu sancto, & è contra. n.3
Missio fit ad omnes, in quibus est gratia, & aliqua innouatio per gratiam. art.6.n.1
Facta est ad Patres veteris Testamenti. n.2
Fit ad omnes, in quibus augetur gratia. n.3. & an Beatos num.4
Missio facta est ad Christum initio conceptionis, non postea. n.5
Non fit ad Sacramenta. n.6. nec per extrinsecam condonationem peccati; neque per extrinsecum decretum dandi gratiam, & gloriam, pro aliquo tempore futuro. num.7
Mitti visibiliter quid sit. q.43.ar.7.n.1
Cur mittantur diuerso modo Filius & Spiritus S. n.1
Missio facta ad Christum sub specie columbæ, & nubis lucidæ. n.2. & ad Apostolos sub specie flatus, & sub linguis igneis. & ad B. Virginem. ibid.
Omnes personæ causant signa visibilia missionis. n.6
Tota Trinitas dicitur mittere, non mitti. ar.8.n.1
Duplex Filij missio explicatur. n.4
Filius, quatenus homo, mittitur à tota Trinitate. n.5. & etiam quatenus Deus. n.6
Nulla persona diuina mittitur à creatura. n.7.8

Modus.

Declaratur essentia modi. q.43.ar.3.n.25

Modus significandi.

Quid apud S. Thomam sit, differre secundum modum significandi. q.41.ar.1.n.4

Motus.

Quid sit, & quomodo se habeat cum actione & passione. q.27.art.1.n.169.172
Definitio motus. q.45.art.3.n.53.
Qua ratione constituantur, ac distinguantur motus & mutatio. n.55
Motus circularis quo modo non habet initium. q.46. art.1.n.13
Implicat ab æterno motus finitus. art. 2.n. 47.48. Item motus localis rectus absque reflexione. n.49.ad 54.an cum reflexione. n.49
Differentia inter motum localem rectum, & circularem. n. 53
Motum localem circularem posse esse ab æterno. n.54. ad 83
Esse possibilem æternam aëris illuminationem à sole eamque esse motum propriè. n.71
In qua parte fuisset creatus Sol si ab æterno motus esset. n.72, ad 75

Multitudo.

Quid sit de ratione multitudinis. q.30.art.3.n.1

Mundus.

Non fuit ab æterno. q.46.art.1.n.1.& quid senserint Plato, & alij antiqui n.2. quid Aristoteles n.3. & quomodo id probari possit. n.4.ad 8

Mundum

Mundum congruentius fuisse factum in tempore; & cur non ante, vel post. n.16
Quo sensu dicatur mundus factus in tempore. n.24
Qua ratione mundus fuerit possibilis antequam esset actu. num.25
Mundi æternitatem defendi commodè non posse ab iis, qui negant infinitum permanens. q.46.ar.2.n.4
Quid sit, Mundum esse creatum *in principio temporis*. art. 3.num.4

Mutatio.

Essentialis conceptus mutationis. q.27.ar.1.n.182
Mutationes accipere speciem à termino *ad quem*, non à termino *à quo*. q.45.ar.2.n.18
Nomine mutationis, & transitus, importari subiectum. num.24
Quomodo constituantur, ac distinguantur mutatio & motus. q.45.ar.3.n.55
Duplex mutatio, terminatiua, & subiectiua. n.56

N.

Naturale.

Svmi posse duobus modis. quæst. 41. artic. 2. numero 17

Necessarium.

Sumitur dupliciter, sicut naturale. ibid.
Necessarium quid propriè significet. q.41.ar.2.n.24

Nicænum Concilium.

Cur in Symbolo nõ solum fateatur, Filium Dei esse *Deum de Deo*; sed etiam addat, *Deum verum de Deo vero*. q.27. ar.1.n.21
Cur nihil ferè dicat de Spiritu sancto. n.104

Nomen.

Nomina vniuersaliora magis propriè vsurpari in diuinis. q.27.ar.1.n.170.171
Nomina quæ conueniunt Deo, & creaturis, quomodo conueniant prius Deo, & magis propriè creaturis. ar.2. num.2
Cur nomina generis neutri, non masculini, possint substantiuari. q.31.ar.2.n.7
Ad pluralitatem substantiui nominis requiri pluralitatem formæ. q.36.ar.4.n.2.7.8.9.& 29
Nomina abstracta quomodo dicantur in diuinis. q.39. art.3.n.2
Nomina essentialia, concreta & substantiua dici tantum singulariter. n.3.ad 8
Nominis concreti substantiui natura explicatur. n.5
Pluralitas substantiuorum nominum postulat pluralitatem formæ, & suppositi. n.6
Differentia inter substantiua nomina, & adiectiua. q.39. ar.3.n.7.& ar.5.n.1.2
Nomina essentialia concreta adiectiua prædicantur pluraliter in diuinis. ar.3.n.8.& 9
An nomina essentialia approprientur personis. q.39.art.7. num.1
De duplici appropriatione nominum essentialium. n.4
Quædam nomina absolutè prolata non posse prædicari; quæ tamen prædicari possunt cum aliquo addito. q.42. art.3.n.11

Non.

De vi huius particulæ. q.39.ar.4.n.8. & 30. & ante, vel post copulam, *est*. n.16

Notio.

Quid sit, an sit ratio abstracta. q.32.ar.2.n.1
Notiones esse concedendas. n.2.ad fin. artic.
Non esse pauciores quinque. ar.3.n.1.ad 6
Notio quomodo ad dignitatem pertineat. n.5

Non esse plures quinque. n.6.ad 11
An ad notionem faciat, quod Spiritus sanctus non sit id à quo alius. n.8
Procedere ab alio, an sit vna notio in Filio, & Spiritu S. num.9
Notio, relatio, proprietas, quomodo differant. n.11
Notiones personales esse tantum tres. n.12
Temerarium esse, notiones simpliciter negare. q.32.ar.4. num.1.& 2
Nec quinarius numerus notionum negari potest. n.3.4
Temerarium quoque est, negare nomen, aut formalitatem notionum. n.5. sed erroneum est, negare realitatem notionum. n.6
Verba actiua notionalia, esse duplicis generis. q.37.art.2. num.3

Notitia.

Notitiam sumi aliquando pro actione intellectus. q.27. ar.1.n.248

Numerus.

An Deo omnis numerus repugnet. q.30.ar.2.n.7
Termini numerales quid sint, & quid addant in diuinis. ar.3.n.1
Terminos numerales propriè prædicari in Deo. n.3
Personæ diuinæ an differant numero. ar.4.n.14

O.

Obiectum.

Obiectum, etiam si concurrat effectiuè, non postulat similitudinem sui in termino genito. q.27.art.2. num.97

Oppositio.

Duplex oppositio in diuinis relationibus. q.28.ar.4.n.25. & q.36.ar.2.n.40
Oppositionis relatio an sit æquiparantiæ. n.66
Oppositio relatiua non est imperfecta. q.40.ar.2.n.54

Ordo.

In diuinis datur ordo simpliciter. q.42.ar.3.n.1
Ordo, & prius ac posterius, in quo differant. ibid.
Dari ordinem originis. n.4
Ordo originis cur dicatur ordo naturæ, non verò ordo essentiæ. n.4
Patres, negantes ordinem in diuinis, exponuntur. ibid.

Origenes.

An senserit cum Ario. q.27.ar.1.n.19.27.93
Quid sentiat de Spiritu sancto. n.93.104
Quid de nomine Verbi. q.44.ar.1.n.1

Origo.

Origines an prædicentur adinuicem. q.28.ar.4.n.43
Originum fundamentum explicatur. n.58
Origines an sint notiones distinctæ à relationibus. q.32. ar.3.n.10
Originem sumi duobus modis. q.40.ar.2.n.56
Origo in diuinis non est sine relatione. ibid.
Sed differt aliquo modo à relatione. n.56.& 60
Origines aliquo modo, nempe vel antecedenter, vel consequenter, constituunt, ac distinguunt personas. n.57
Sed prius, & principalius, atque formaliter constituunt, & distinguunt solæ relationes. n.59.ad 63
Origo est prior, & posterior eadem relatione personali sub diuersa ratione. n.59
Origines passiuæ an præintelligantur proprietatibus personarum procedentium. q.40.ar.4.n.2
Origo actiua præintelligitur relationi spirandi. n.5
Origo passiua quid sit formaliter. quæst. 41. artic. 1. num.15

Origo actiua identificatur adæquatè cum persona producente. n.17
Origines actiuæ non distinguuntur inter se. n.21
Originis actiuæ principium non datur. n.23
Origine prior,in vno sensu dicitur de persona;in alio nō. q.42.art.3.n.8.& 9
Origines probant circuminsessionem. ar.5.n.22
Origo diuina,est perfectissima missio, & physica, & moralis. q.43.ar.1.n.5
Origo præcisè non est missio, tametsi missio vocetur ab Hilario. n.6

Os.

Per os in Scriptura significari intellectum. q.27.art.1. num.219

P.

Paraclitus.

QVid significet. q.31.ar.2.n.4

Passio.

Passionis significatum traditur q.27. ar.1. n.169.172. 176.177
Quo modo comparetur passio ad terminum. quæst.41. art.4.n.7
Vide, Actio.

Pater diuinus.

Patrem maiorem Christo,etiam vt Deo, in quo sensu dicant Patres. q.27.ar.1.n.49
Esse Patrem comparatur cum Deo creatore, non cum Deo creante. n.66
In diuinis verè est Pater,& verè Filius. q.27.ar.2.n.2. & hæc esse nomina propriè ac realiter relatiua. q.28. ar. 1.n.1.ad 7
Deus Pater non dedit Filio esse patrem. quæst.28. art.1. num.21
Deus Pater,etiam vt persona,est quid reale. n.20
Cur non vt creator,sed vt pater, habeat relationem realem. n.25
Non ita accidit Deo esse patrem, sicut accidit enti esse hominem. q.28.ar.2.n.85
Illud Athanasij,*Pater,vt pater,est plenitudo diuinitatis*,exponitur n.114
Cur dicamus,Patrem esse in Filio;non autem, Filium esse Patrem;& è contra. n.137
Solus Pater est Deus, exponitur tripliciter. q.31.art.4. num.5
Pater rectè dicitur principium. q.33. art.1. n.1. ad 7. & principium totius Deitatis. n.20.ad 25
Patrem,initium Filij dici minus conuenienter. n.7.ad 11. dici tamen tutò. n.11
Minus probatur hæc,Filius est à Patre,tamquam ab initio. num.11
Pater dicitur author Filij. n.25
In quo sensu solus Pater sit author Spiritus sancti. n.27
Nunc Latinis non licet dicere, Patrem causam Filij, aut Spiritus sancti;quamuis Græci omnes, & aliqui Latini Patres,ita loquantur. n.28.29.30
Pater,est nomen proprium personæ. q.28. ar.2. n.1. & quo sensu dicat Cyrillus, illi magis conuenire nomen Patris,quàm Dei. n.2
Melius dicitur Pater,quàm Generans, vel Genitor. n.3
An nomen Patris conueniat proprius Deo, quàm creaturis. n.4.5
An de Deo per prius dicatur Pater personaliter,quàm essentialiter. q.33.ar.3.toto.
Deum in Scriptura vocari Patrem respectu creaturarum propter quatuor similitudines cum creaturis. num.2. & magis quàm hominē,dici posse Patrem nostrum.n.6
Patris persona tota non est ab ipsamet. ar.4.n.28.29
Pater intelligendo producit Verbum, exponitur q.34. art.3.n.43
An in Patre cognitio Spiritus sancti sit prior origine, quàm in Filio. n.47
Pater cur non dicatur, principalius spirare. quæst.36.ar. 3.num.9
Pater nullo modo prius spirat,quàm Filius. n.10
An in Patre virtus spiratiua sit prius origine. n.11
An Pater & Filius æquè immediatè spirent. n.12
An Pater dicatur potens potentia genita, & sanctus sanctitate spirata. q.37.ar.2.n.6
Patrem diligere Spiritu sancto, non verò spirare spiritu sancto. n.7
Pater quomodo dicatur donum. q.38.ar.1.n.2
Prima persona vocatur propriè Pater. quæst. 40. art.2. num.39
Deum Patrem, si non concipit se generare, non esse perfectè beatum. q.41.ar.2.n.8
Pater quomodo à parte rei distinguatur à Filio.q.40.ar.2. num.14
Pater,vt Pater,an constituatur per relationem formaliter. num.71
Pater diuersa ratione est prior,& posterior Filio. q.40.art. 4.n.12. & cointelligitur,& præintelligitur Filio diuersa ratione. n.18
Pater intelligendo generat, quomodo intelligitur. q.41. art.1.n.7
Pater habeátne vim generandi ab essentia,an à relatione. ar.5.n.24
Quomodo Pater in Verbo,& creaturæ etiam à Verbo esse dicantur. q.42.ar.5.n.25
An Patri conueniat mitti. q.43.ar.4.toto.

Paternitas diuina.

Paternitas quomodo sit formaliter in Filio, & Filius non sit Pater. q.28.ar.2.n.136.159.160
An dici possit,In Filio non est paternitas. n.137.138
Pater ad Spiritum sanctum non refertur paternitate. q.28.ar.4.n.3.4.& 38
Paternitas an ex eo, quòd distinguitur à filiatione, distinguatur à spiratione. n.28
Paternitas an prædicetur de spiratione. n.42
Paternitas non emanat realiter ab essentia. q.33. art.4.n. 30.31. sed ratione ratiocinata intelligitur quasi emanare ab essentia. n.32
Sub qua formali ratione paternitas exigatur ab essentia. n.33.ad 37
Paternitas an sit constitutiua principij spiratiui. q.36.ar.4. num.22
Paternitas an resultet ex actu intelligendi. n.30
Paternitas an generet,aut creet. q.39.ar.5.n.13
Pater an sit persona formaliter per generationem actiuam,an per paternitatem. q.40.ar.2.n.59
Paternitas,vt constitutiua personæ, præintelligitur generationi. q.40.ar.4.n.7
Distinctio inter paternitatem,& generationem. n.8
Paternitas,& non filiatio, præintelligitur Patri. n.14. & cur hoc. n.18
Paternitas cur non sit producens,cùm filiatio sit producta. q.41.ar.5.n.28

Patripassiani.

De his hæreticis agitur. q.27.ar.1.n.142

Peccatum veniale.

Non dicitur simpliciter offensa. q.42. ar.3.n.11

Per.

De vi huius particulæ. q.27.ar.1.n.93.94

Perfectio, Perfectum.

Quid sit esse perfectum. q.28.ar.2.n.126.161
In Deo esse multas, & realiter distinctas perfectiones, si relatio est perfectio. n.133

Perfectionum multiplicitas non pugnat cum æqualitate personarum. n.134
Perfectio relatiua vnius personæ diuinæ an sit in alia. num.140
Perfectio relatiua an sit infinita. n.149
Quid sit perfectio simpliciter simplex. n.156
An aliqua perfectio dici possit non esse in aliqua diuina persona. n.159

Persona.

Personæ definitio ex Boëtio affertur,& probatur, & exponitur q.29.ar.1.n.1.ad 11
In qua definitione illud, *substantia*, accipitur pro prima substantia. n.2
Quo modo accipiatur illud,*individua*. n.4
Cur dicatur,*natura rationalis*,& non essentiæ. n.9
Personæ nomen cur solius sit naturæ rationalis. ibid.
Alia personæ definitio Riccardi Victorini. n.11
An persona idem sit quod hypostasis. q.29.art.2.n.1.ad 8. & quod subsistentia. n.8
Nomina personæ,hypostasis,& subsistentiæ,differre à nomine essentiæ. n.9
Personæ nomen,quoad id à quo impositum est,non conuenire Deo. q.29. ar.3.n.1. conuenire autem quoad rem significatam. n.2. sed non conuenire quoad modum significandi. n.3.& 4
Nomen personæ esse absolutum. q.29. ar.4.n.2. sed in communi neque significare absolutum, neque relatiuum. n.5.& 6. sed per modum substantiæ. n.7
Personæ nomine significatur personalitas, & natura; sed principalius personalitas. n.4
Quam incommunicabilitatem dicat persona. q.30. ar.1. num.53

Personalitas.

An creata personalitas concipienda sit prius coniungi naturæ,quàm proprietatibus. q.27.ar.2.n.138
Personalitas non est formale principium agendi. q.27. art.1. num.205. & quæst.41. art.5.num.6. & q.45.art. 6.n.8.ad 12
An personalitas sit de essentia personæ. q. 28. art. 2. num.89
Personalitatis conceptus explicatur. q.30.ar.1.n.64

Persona diuina.

Personarum pluralitas intra Deum, fusè probatur q.27. ar.1.dub.2.tota. & hæretici eam negantes referuntur. n.141.& 142
Personæ diuinæ quo ordine nominentur. n.155. sæpè in Scriptura vocantur nomine donorum. n.166
Persona diuina producens aliam, an dici possit agens. num.173
Personæ diuinæ procedentes, quomodo accipiant esse ab alio sine imperfectione. n.174
Cur esse personæ procedentis non sit potentiale, nec dependens,nec participatum. n.175. & concipi nequeat sub non esse. n.175.181.183.185
In quo sensu dicatur persona diuina posse produci. numero 175
Quomodo stent simul in eadem persona producta esse ex se,& esse ab alio. ibid.
Personæ diuinæ procedentis necessitas explicatur. n.175. & 184
Persona procedens an dici possit possibilis. n.187
Persona diuina quomodo dicatur mobilis ab Authore libri de speculo. n.188
An concipi possit constituta ex essentia & personalitate. n.199
Dandam esse vnam diuinam personam improductam. n.235. Duas verò productas esse. n.236. & non nisi ab improducta. n.237.241
Cur non omnes personæ diuinæ producant. n.228
Personas non posse inuicem distingui personalitatibus absolutis. quæst.27.art.1. num.236. & quæst.28.art. 1.num.35. neque relatiuis, nisi originis. q.27. art.1. num.242
Prima persona Trinitatis non potest produci à Deitate. num.240
Diuinæ personæ non possunt multiplicari per alias relationes nisi originis. n.242.& q.33.ar.4.n.43
Personæ diuinæ an sint similes per proprietates relatiuas. q.27.ar.2.n.133.134
An dici possit vna persona pendere ab alia. q.28. art.1. n.31.32
Persona diuina non est magis simplex,quàm essentia. q.28. art.2.n.23.
De essentia personæ diuinæ est Deitas. n.90
Vnam personam esse in alia propter identitatem naturæ, docent multi Patres. n.139
Personæ diuinæ an sint in potentia ad relationes. q.28. ar.4.n.56. & quo modo sint inter se similes, & æquales. n.57.60.& 61
Necessitas distinguendi in diuinis personas ab essentia. q.29.ar.1.n.10
Quo sensu à Sanctis essentia & personæ diuinæ comparentur speciei,& individuis creaturarum. n.10
Tres personæ an dici possint tres substantiæ. n.11.& ar.2. n.9.& q.39.ar.2.n.11.ad 17
Persona diuina est omnino incommunicabilis. q.29.art.3. num.2
Persona diuina an in recto significet relationem.ar.4.n.5. & an per modum substantiæ. n.7
Plures personas in diuinis ponendas esse. quæst.30.art.1. num.1
Si vna tantum persona daretur in Deo, esset absoluta. num.56
Personæ diuinæ cur non sint pauciores tribus. q.30.art.2. n.1.ad 5. cur non plures. n.5.&c.
Personæ diuinæ ita numerantur, vt non mensurentur, nec sint partes, aut totum, nec maius aut minus. num.7
Personæ nomen,an, & quo modo sit commune. ar.4.n.1. ad 5. non esse aliquid vniuersale. num.5.6. esse quid commune,sicut indiuiduum vagum. n.7.&c.
Personæ communitas sitne æquiuoca, an vniuoca,an analoga. n.12
Tres personæ, sintne tria indiuidua, tria singularia, tria particularia. num.13. & an differant numero propriè. n.14. an specie. n.15
Implicare plures personas ingenitas. q.33.art.4.n.37.ad 43. si dantur plures personæ,vna necessariò esse debet ingenita. ibid.
Quæ diuinæ personæ, & quo modo audiant, & dicant. q.34.ar.3.n.19.& 21
An constitutio diuinæ personæ ex natura & personalitate sit realis. q.36.ar.2.n.36
Personam esse idem quod est essentia. quæst.39. art.1. toto.
Tres personas esse vnius essentiæ. art.2. n.1. ad 5. & ita melius dici,quàm esse vnius naturæ. n.4
Personæ an prædicentur de nominibus essentialibus abstractis. q.39.ar.6.n.1. ad 5. & concretis. num.5. & deinceps.
Tres personæ sunt vna Deitas, est propositio fidei, numero 4
Cur dicatur, Deus est omnis diuina persona,non autem, Homo est omnis homo. n.9
An abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases. quæst. 40. artic. 3. toto.
Personam diuinam constitui per personalitatem,& essentiam,diuerso modo. q.40.ar.2.n.7
Distinctis personis diuinis tribui distincta membra. q.45. art.7.num.7

Personalitas diuina.

De essentia diuinarum personalitatum est esse actuale. q.27.ar.1.n.181
Personalitas Patris in quo sensu dicatur pullulare ex Deitate. n.246
Personalitas diuina an prius coniungatur essentiæ, quàm proprietati. q.7.ar.2.n.138
Personalitas Spiritus sancti an immediatè terminet naturam. n.143
Personalitates cur non faciant compositionem in Deo. q.28.ar.2.n.21.& 22
Eas neque esse essentiales,neque extrinsecas, neque accidentales. n.79
Personalitates implicat esse de essentia Dei. n.82
Personalitas an esset de essentia,ex hypothesi,quòd Deus esset vna tantùm persona. n.84
Personalitas,vt præcisa ab essentia, quomodo concipienda sit. q.30.ar.1.n.17
Si personalitates non haberent proprium esse relatiuum, non distinguerentur realiter actu. n.18
An abstractis personalitatibus remaneat hic Deus. n.54
Personales notiones,proprietates, relationes, esse tantum tres. q.32.ar.3.n.12
Personalitates esse de essentia cognitionis diuinæ, non de essentia Dei. q.34.ar.3.n.38
Esse autem illius cognitionis terminum, non obiectum. num.39
Personalitas comproducitur potius quàm producitur. q.41.ar.6.n.7
Qua ratione personalitates,prout ab essentia præcisæ,cõcurrant ad creandum. q.41.ar.5.n.11.&c.

Photiniani.

Hos hæreticos magis recedere à fide, quàm Arianos. q.27.ar.1.n.56

Planta.

An vna planta genita,possit dici filia alterius plantæ, à qua genita est. q.27.ar.2.n.4
Plantæ denominantur nasci,& mori. ibid.

Possibile.

Possibile opponitur necessario, & sub illo continetur. q.41.ar.4.n.3
Quo modo possibile, esse, aut non esse possit in diuinis, ibid.
Possibile an dicatur per potentiam, vel per non repugnantiam. q.45.ar.2.n.7

Potentia.

Potentia quomodo diuidatur apud Aristotelem. q.27.ar.2.n.45
Quid sit de essentiali ratione potentiæ productiuæ. q.41. ar.4.n.7.24.& ar.5.n.3
Potentiam euidenter demonstrari ex actu. q.45. art. 2. num.1
Agens non posse agere sine potentia actiua ab ipso distincta,saltem secundùm rationem ratiocinatam. q.41. ar.4.n.24
Potentiam actiuam non esse causam principij producentis. n.27
Quid secundùm Aristotelem sit, Posse ab ipso esse, nihil differre in perpetuis. q.46.ar.2.n.55

Potentia notionalis.

An potentia notionalis sit in omnibus personis, & pertineat ad omnipotentiam. q.36.ar.4.n.28.& q.41.art.5. num.31.ad 37
Non datur in Deo potentia actiua respectu actuum notionalium actiuorum. q.41.ar.4.n.6.ad 9
Datur in Deo potentia actiua respectu personarum productarum. n.9. ad 21. nec hinc sequitur inæqualitas personarum. n.16
Notionalis potentia in Deo est respectu producti,non respectu actionis. n.14
In Deo est verè potentia actiua respectu actuum notionalium passiuorum. n.21.& seqq.
Potentia notionalis actiua distinguitur ratione ratiocinata à persona producente. n.24.&c.
Non esse idem,posse generare,& posse esse patrem. q.41. ar.4.n.13
Potentia notionalis non consistit in sola relatione. art.5. n.1.ad 7. nec in sola essentia. n.7.ad 13. sed requirit relationem vt rationem distinguendi, non vt rationem agendi. n.13.& 14
Sub qua formali ratione spectet relatio ad potentiam generandi. num. 15. & ad potentiam spirandi. numero 16
Nomine potentiæ notionalis importari multò principalius essentiam. n.17.ad fin.art.
Non esse idem dicere,Pater est principium generandi, essentia Patris est principium generandi. n.17
Quo modo relatio determinet,& compleat essentiam in ratione potentiæ notionalis. n.18
In diuinis idem esse principium notionale communicationis,& productionis. n.19
Notionaliter producens, non esse totaliter producens ratione principij *quo*. n.20
An ad rationem principij formalis *quo*, requiratur distinctio à principiato. ibid.
Potentiæ notionalis integra ratio explicatur. q.36. art.4. num.40

Potentiæ notionalis actus in genere.

Productiones intellectus & voluntatis quomodo diuersæ sint. q.36.ar.2.n.48
Modus producendi distinguitur à modo habendi virtutem productiuam. ar.3.n.13
Produci notionaliter distinguitur ratione à producto. q.41.ar.1.n.15
Cur in persona producta sit produci, non producere. num.22
Producere se ipso primo,quid sit in diuinis. ar.4.n.26
Notionalis productionis terminus formalis communicatur,non producitur. q.41.ar.5.n.21
An formalia principia producendi ad intra,correspõdeant formalibus terminis productis. n.27
Ad producendum magis necessaria est personalitas increata,quàm creata. n.32
Notionalis productionis terminus adæquatus,est persona. q.41.ar.6.n.2
Formalis terminus processionis,vt est formalis productio, & non communicatio, est natura. n.3. & 4. sed natura vt communicata,non vt producta. n.5.& 8
Terminus formalis,vt productus,est personalitas,non natura. n.6
Datur terminus formalis productionis, qui non producitur. n.10. & non est propriè pars. n.11
Productionem non solum notionalem,sed etiam materialem ex subiecto,non requirere essentialiter terminum *à quo*. q.45.ar.2.n.18
Cur non omnes personæ diuinæ producant. q.27.ar.1. num.228
Produci ab vno,& non à duobus, quomodo sit explicandum. n.233
Producere non est maior perfectio in diuinis, quàm produci. n.239
Duas personas non posse produci à duabus improductis. num. 241

Prædestinatio.

Cur tribuatur soli Patri. q.27.ar.1.n.44

Primogenitus.

Filius Dei in quo sensu dicatur primogenitus. q.27.art.1. n.100.& 101

Christum dici primogenitum, etiam secundùm naturam diuinam. n.101
Sumitur aliquando negatiuè,aliquando positiuè. n.100

Principium.

Ex principio non argui necessariò finem. q.27.ar.1.n.68
Principium necessariò distinguitur à principiato. n.206
Principium creatiuum, & generatiuum, an,& in quo habeant paritatem. q.28.ar.1.n.25
Duplex principij ratio ex S. Thoma traditur. q.33.ar.1. num.6
Quid sit correlatiuum principij. n.13
Differentia inter principium, & initium. n.10.11. & authorem. n.27
An intra Deum sint duo principia. q.36.ar.4.n.29
An idem sit principium constitutiuum, & distinctiuum. q.36.ar.2.n.36.39.& q.40.ar.2.n.76
Aliud est principium formale, aliud ratio formalis principiandi. q.40.ar.2.n.76.& seqq.
Principium *quo*,non est causa personæ producentis. q.41. ar.4.n.27
Principium *quod*,& principium *quo*,quomodo distinguantur. n.29.& ar.5.n.17
In diuinis idem est principium communicationis, & productionis. q.41.ar.5.n.19
Principium *quo*,& principiatum *quo*, non differunt in diuinis. n.22
Principium operandi in Trinitate non esse nisi vnum. q.45.ar.6.n.5

Prius.

Prioritas originis explicatur q.34.ar.3.n.42. stat cum simultate naturæ. q.40.ar.4.n.13
In diuinis non est prioritas simpliciter. q.42. art.3. n.5. neque prioritas naturæ. n.7
Prior origine dicitur vna persona in vno sensu, in alio non. n.8.& seqq.
Cur personæ dicantur, prima, secunda,tertia; non autem prior,posterior. q.42.ar.3.n.5
Prius natura non esse propter prioritatem existendi, sed propter independentiam ab eo, quod ab ipso dependet. q.45.ar.3.n.22
Quid sit, & quid inferat prioritas naturæ ex S.Thoma, q.45.ar.5,n.58.& q.46.ar.2.n.11

Processio.

Diuiditur in processionem intra Deum, & extra Deum. q.27.ar.1.n.141
Processio extra Deum duobus tantum modis contingere potest. ibid.
Quid sit processio absolutè prolata. n.206
Quid sit procedere modo naturæ, & modo voluntatis, q.27.ar.2.n.29.ad 33
Processio productiua saluari non potest sine aliquo vero esse producto. q.30.ar.1.n.19

Processio increata.

Processio intra Deum probatur ex Scriptura. q.27.art.1. n.1. ad 17
Procedere à Deo, & venire in mundum, non esse idem. num.1.2
Quibus verbis significetur diuina processio. n.3. cur dicatur exitus. ibid. cur creatio,& generatio. n.14
Diuina processio rectè dicitur actio. n.168.ad 176
Quid nominis processionis explicatur. n.170
Processio intra Deum non potest esse nisi subsistentium personarum. n.141. Dicitur propriè generatio & productio. n.170. & aprius emanatio,quàm actio. n.171
An dici possit passio. n.176.177. Dici non potest factio, aut operatio. n.178.179. nec creatio propriè & simpliciter. n. 180. sed improprie, & secundùm quid. n.181. nec mutatio. n.182.ad 191
Processio diuina quomodo differat à creatione æterna. n.184. & à creatione vt sic. n.189
Processio diuina,si esset temporalis,inferret mutationem, quam non infert æterna. n.190
Est immanens,non transiens. n.191.& 192
Processio actiua non habet principium *à quo*. n.206
Processio non est immediatè ab essentia. numero 207. ad 2:4
Processiones increatæ quomodo comparantur cum creatis. n.213.& 231
Processionum numerus, ordo, & differentia saluatur. n.208.ad 212.& 226
Processionum existentia, & proprietates, theologicè demonstrantur, supposita fide vnius Dei in tribus personis. num.234. ad 243. Item, esse tantum duas,vnam per intellectum,aliam per voluntatem;vnam priorem, aliam posteriorem;vnã ab vna persona,aliam à duabus. num.238
Processiones diuinæ ex creatis benè declarantur. n.272. sed non demonstrantur. n.160.ad 272
Dissimilitudines, & similitudines, inter creatas & increatas processiones. n.273.274
Processio,& actus notionalis,an sint idem. n.274
Quæ in Scriptura,& Patribus dicuntur de processionibus diuinis,temerè explicarià Durando in sensu metaphorico n.233
Procedere per intellectum,& voluntatem, malè explicari per procedere ab vno, & à duobus; & per procedere, prima,& secunda emanatione. ibid.
In processionibus diuinis non dari terminum *à quo* propriè. n.103. sed quasi *à quo*, nempe substantiam producentis. n.194
Procedere de substantia, importat aliquam originis habitudinem ad substantiam,& essentiam. n 195. non ad essentiam secundùm se in genere principij actiui.n.196. non ad essentiam simpliciter in genere principij materialis. num.197.ad 200. aut in genere principij formalis. num.200. sed in genere principij actiui ad essentiam contractam in persona producente. n.201. ad 205
Nulla persona dici potest procedere ab essentia, vt præcisa à personalitatibus. n.196
Processio Filij est immediatè per actionem intellectus. n.214.ad 220. Spiritus S.immediatè per voluntatem. n.220.ad 234
Processio Filij est vera generatio. quæst.27.art.2. numero 1.ad 9
Eique competit definitio generationis. n.8
Processio Filij,& Spiritus S.an se ipsa præcisè sit, aut non sit generatio. n.19.& 20
Diuersitatem harum processionum malè probari ex eo, quòd vnus sit Filius,alter non. n.21
An eam probet illud Augustini, *Filius procedit quomodo natus, Spiritus S quomodo datus*. n.22.23
Vel quia Filius procedit ab vno, Spiritus S. à duobus. n.24.ad 34
An vna processio sit generatio ex eo, quòd sit prior origine. n.33.ad 39. vel ex sola similitudine intentionali. n.60.ad 68
Vna processio dicitur per modum naturæ, alia per modum voluntatis. n.63.& 131
Quo modo similitudo intentionalis sit necessaria, vt processio in diuinis sit generatio. quæst. 27. art.2. dub. 7. tota.
Diuina processio quòd sit generatio, habet ex sola reali similitudine. dub.8.tota.
Idem esse procedere vt similem, & vt imaginem. numero 81.& 82
Processio diuina est formaliter generatio,quia tendit formaliter ad imaginem. n.84
Procedens formaliter vt imago,est naturaliter ordinatum ad repræsentandum. n.89.& 90

Processio diuina non habet esse generationem ex formali conceptu personalitatis. n.91.ad 94.& n.133
Non posse reddi rationem cur processio Verbi, & non Spiritus sancti, sit generatio, si intelligere, & velle, in Deo sunt rationes attributales, & non essentiales. n.108.ad 111
Processionum termini,& principia formalia,quænam sint ex S.Thoma. n.111.& 149
Quòd processio sit perfectissima species processionis, non probat,illam esse generationem. n.112.113
Vera ratio,cur processio Verbi, & non Spiritus sancti,sit generatio,fusè traditur,& defenditur. q.27.art.2.dubit.13.tota.
Processio diuina non æquè primatiò communicat intellectionem,& volitionem. n.147
Particula,*ex vi processionis*, facit ad generationem. n.148
Dari aliam processionem à generatione Verbi. q.27.ar.3. toto. eámque non esse generationem. ar.4.toto.
Processiones cur non plures quàm duæ. art.5.n.1.& 2. cur non vna. n.4.& q.27.ar.1.n.226
Cur Spiritus sancti emanatio, dicta sit processio, & spiratio. q.27.ar.4.n.7
Processionem Dei de Deo non posse esse nisi per actionem immanentem. ar.5.n.2
Processionum termini, non verò principia distinguuntur. num.3
Cur processio non sit nisi vna per intellectum, & vna per voluntatem. n.5.& deinceps.
Cur in Deo, non in creatura, detur duplex procedendi modus. q.30.ar.2.n.3
An per diuinas processiones communicentur scientia visionis, & libera decreta, seu liber amor creaturarum. q.34.ar.3.n.62
Quomodo à Dei intellectu,& voluntate,indistinctis,oriri possint distinctæ processiones. q.30.ar.2.n.4
Ex solis processionibus multiplicari personas in diuinis. q.33.ar.4. n.43
Differentia processionis Filij,& Spiritus sancti quoad voces. q.37.ar.1.n.2
Ipsam etiam passiuam processionem produci aliquo modo. q.41.ar.1.n.10
Quòd sint duæ processiones,non sumitur ex relationibus, q.41.ar.5.n.26
Cur processio,vt communicatio habeat vnum terminum, vt productio duos. q.41.ar.6.n.7

Prophetæ.

Per Prophetas Deum loqui. q.27.ar.1.n.110

Proprietas.

Proprietas personalis quomodo distinguatur à persona. q.27.ar.2.n.116
Proprietates simpliciter,esse tantum quatuor, q.32.art.3. n.11. sed personales, esse tantum tres. ibid.
Dari in diuinis proprietates, quibus personæ constituantur, & distinguantur. quæst. 40. artic. 2. num. 1, ad 16
An hæc constitutio cohæreat cum sententia de essentia inclusa in conceptu quidditatiuo proprietatis. n.4
Proprietas an sit personæ, transitiuè loquendo. numero 15
Omnis proprietas aliquo modo distinguit, & eodem modo constituit;& è contra. n.17
Proprietates cur in Scriptura vocentur nominibus relatiuis ex sententia Scoti. n.40.& seqq.
Proprietas esse debet incommunicabilis. n.53
Proprietas personalis an sit perfectio simpliciter simplex. num.55

Psalmi.

Cur omnes claudantur per, *Gloria Patri*, &c. q.27.art.1. num.167

Q.

Quasi.

Hæc particula exponitur q.27.ar.4. num.2.& q.36. ar.4.num.4

Quidditas.

An possint dici plures quidditates in diuinis. q.39.art.2. num.21

Quis, Quid.

De significatione harum vocum. q.31.ar.2.n.8

R.

Ratio.

Quid hoc nomine importetur,præsertim apud Aristotelem, q.28.ar.2.n.11

Relatio diuina.

Relationes diuinæ essentialiter identificantur cum essentia,quamuis non includantur essentialiter in illa. q.27. art.1,n.174.175.181, 184. & q.28.ar.2. n.61.74.79. 87.88.& 108
Deo non conuenit alia relatio, nisi originis. q.27.art.1. num.242
Dantur in Deo relationes reales. q.28.art.1.n.1,ad 7. & an sint prædicamentales. n.3
Relatiuorum definitio applicatur diuinis. ibid.
Relationes diuinæ dicuntur ad conuertentiam. n.4
Sunt simul natura. n.5. & cognitione. n.6. sunt reales secundùm esse *In*. n. 8. sed secundùm esse *Ad*, non sunt reales duobus modis iuxta Boëtium, & S. Thomam. n.9.ad 12. dicendæ tamen sunt simpliciter reales. n.12.ad 33. & magis reales quàm relationes creatæ, num.20
Cur relatio diuina à Cyrillo dicatur, *quasi extrinsecus intellecta*. n.23. & quo sensu dicat Boëtius, illam esse similem relationi identitatis. n.24
Relationes diuinæ quomodo specificentur, & an dependeant. n.30.ad 33
Probari nequeunt sine fide. n.33.34. sed posita fide,demonstrantur. n.35.36
Sola relatio multiplicat Trinitatem. q.28.art.1.n.35. & art.2.n.2.65. & art.3.n.2.& art.4.n.17. & q.36.art.2. num.32
In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. q.28.art.4.n.12.13.& q.36.art.2.fin.
Relatio diuina, secundùm esse *In*, & secundùm esse *Ad*, dicit perfectionem. q.28.ar.2.n.119.&c.161,162
Relatio personalis,est perfectio personæ. n.127. est perfectio essentiæ. n.128.155
Tot in Deo esse perfectiones relatiuas, quot sunt relationes. n.132,133.
Relatio diuina an distinguatur ex natura rei ab essentia. q.28.ar.2.n.4.ad 30
Opinio ponens distinctionem à parte rei inter relationem diuinam & essentiam, contradicit simplicitati Dei. n.15.ad 26. Item diuinæ Vnitati. n.26. & infinitati. n.27. & actualitati. n.28. & duplici axiomati de Trinitate. n.29
Relatio diuina ab essentia non distinguitur per intellectum diuinum,& beatum. n.30
Distinguitur ratione per alios intellectus. numero 30. ad 58
Relatio dantis & accipientis intra Deum, nullam importat imperfectionem. n.38
Quo modo de Dei essentia, & relationibus, non verificentur contradictoria. n.50.ad 56
Si relatio & essentia sumantur vt sunt vnum in re, an semper vera affirmatio, & falsa negatio; vel è contra. n.52.ad 56

Relatio non est de conceptu essentiali naturæ diuinæ. n.58.ad 90. ne disiunctim quidem. n.73
Relatio quomodo pertineat ad essentiam. n.85.86
De essentia relationis in concreto,est ipsamet Deitas;non verò in abstracto. n.90.91
Relationem & essentiam distingui formaliter, quid sit. num.118
Ab essentia diuina magis ratione distingui relationes,quàm attributa. q.28.art.2.n.40.& 57
Omnes relationes sunt in qualibet persona, ratione essentiæ,non eminenter,sed formaliter. n.135.
An perfectio relatiua vnius personæ sit in alia. n.140.141
Relationes an vt præcisæ ab essentia, sint æquales. n.142. ad 149
Perfectionem Dei relatiuam,esse infinitam. n.149.& ideo in Deo esse plura infinita relatiua. n.150
Relationes an pertineant ad integritatem Dei. n.151.&c.
Relatio diuina an sit modus,an res.q.28.art.2.n.14.18.19. 42. ad 45. & art.3. n.4
Plures perfectiones relatiuas non pugnare cum æqualitate diuinarum personarum. q.28.art.2.n.134.ad 149
Ex inclusione essentiæ diuinæ in quidditatiuo conceptu relationum, sequeretur inclusio essentialis vnius relationis in alia oppositæ. n.101.102
Si relatio non est de essentia Deitatis,nec Deitas esse potest de essentia relationis. n.103. 104
An Deus futurus esset imperfectus sine relationibus.n.129. 158
An diuina relatio sit perfectio simpliciter simplex. n.156. an simpliciter infinita. n.157
Relationes diuinæ distinguuntur realiter inter se. q.28. art.3.n.1.2.& 3
An differant specie. art.4.n.29
Quatuor diuinæ relationes, an sint quatuor res,& quatuor entia simpliciter. n.35.36.39
Relationes processionum non esse nisi quatuor. n.45
Relationes fundatas in mensura non dari in diuinis. n.46. 64. fundatas verò in vnitate, esse rationis. n.47. non reales. n.48.49. & quot sint. n.50.51
An fundatæ in numero,sint reales. n.51
An vna diuina relatio possit fundare aliam. n.52.53
Relationes reales in Deo quot sint. n.54
Qua ratione dicantur fundari in essentia. n.58.59
Relatio personalis cur à Damasceno vocetur *existentiæ modus*. q.30.art.1.n.23
Relationes diuinæ an sint secundùm proprium cõceptum increatæ,necessariæ,immutabiles. n.32
Relationes personales, esse tantum tres. q.32.ar.3.n.12
Relatio,vt relatio,an constituat in ratione hypostasis. q. 40.ar.2.n.63.& 79
An relatio diuina distinguat vt relatio,constituat vt essentia. n.64.65.66
Relatio non distinguit vt relatio, & vt forma hypostatica constituit. n.67.68
Relatio vt proprietas personalis, an præscindat ab absoluto,& respectiuo. n.70
Relatio non constituit vt concepta,distinguit vt exercita. n.72.75
Nec constituit vt relatio,distinguit vt actio referens. numero 72.74
Nec constituit secundùm esse *In*, distinguit secundùm esse *Ad*. n.72.75
Relatio diuina,vt relatio,est subsistentia. n.77
Quando S.Thomas ait, *Relatio,vt relatio,distinguit tantum*, quid reduplicet illud,*vt*. n.77
Relatio,vt relatio,est principium formale constituiuum, & distinctiuum. q.28.ar.1.n.19.& q 40.ar.2.n.79
Relatio constituit, quia est subsistentia identificata essentiæ. q.40.ar.2.n.80
Relatio distinguit quia opponitur termino. n.81
Relationes diuinæ an habeant fundamentum, & quodnam sit. q.40.ar.4.n.10
Relatio diuina distinguitur in tres conceptus. n.11
Relationes diuinæ dici possunt & prædicamentales, & transcendentales. n.13
Relatio in Deo non est principium agendi. q.41.art.5. num.6
Relationes diuinæ, præcisè consideratæ, an sint inter se æquales. q.42.ar.1.n.12.&c.
Relationibus abstractis per intellectum, an remaneant personæ. q.40.ar.3.n.1.&c.
Vide, Oppositio.

Relatio prædicamentalis.

In quauis relatione datur esse *Ad*,& esse *In*. q.28.ar.1. num.7
An relatio prædicamentalis sit inhærens secundùm esse *Ad*. n.16.28
Idem prorsus esse sunt,esse *Ad*,& esse *In*. q.28.ar.1.n.17. 29.& art.2.n.162
Relationis definitio exponitur. q.28.ar.1.n.28
Quomodo esse *Ad*,commune reali & rationis,sit,aut non sit reale. ibid.
Nihil posse denominari realiter relatum per relationem ad ipsum extrinsecè terminatum. n.39.40
Ratio ob quam dantur relationes creatæ. n.37
Relatio vnde pendeat ex S.Thoma. n.41
Relationes creatæ an probentur ex increatis. n.41.ad 47. & quomodo illas probet S.Thomas. n.46
Relatio, vt relatio,dicit habitudinem ad terminum, non ad subiectum. q.28.ar.2.n.2
Relatio,vt sic,non dicit imperfectionem. n.38
Relatio sola non potest per se esse. n.164
Relatio distinguitur ex natura rei à fundamento. n.165. ad 195
An aliquæ relationes fundentur immediatè in substantia. num.171
Relationem fieri media actione, & non multiplicari numero. n.578
In quo sensu ad relationem non sit motus. n.187.190
Relatio an existat ante existentiam termini. n.183
Relatio Dei ad creaturas an detur. n.186
Quæ necessitas sit distinguendi relationem à fundamẽto. num.188
Relatio existens in fundamento absque termino, deberet dare effectum formalem,& denominare. n.183.184
Relatio quomodo producitur,& corrumpitur.n.190.191
Cur in creaturis, non in Deo, relatio distinguatur à parte rei à fundamento. n.189
An relatio habeat esse incompletum ante existentiam termini. n.192
An componat cum fundamento. n.193
Relatio respectu diuersorum est modus, & res modificata. n.193
Existentia relationis distinguitur ab existentia fundamẽti. num.194
Relatio cur dicatur ens debilissimum. ibid.
An positis fundamento & termino,possit non poni relatio. num.195
Cur relatio,vt relatio, dicatur non esse aliquid,sed ad aliquid. q.28.ar.3.n.4
Relatio creata,non est res,sicut est increata. ibid.
Vbi est relatio, ibi necesse est dari distinctionem inter duo. q.28.ar.3.n 3.& ar.4.n.49
Relatio producentis & producti an possit esse eadem. q.28.ar.4.n.30
Relationibus distinctis specie correspondere non potest vnius speciei relatio. n.6.& 38
Relationes æqualitatis,similitudinis,identitatis essentialis, referunt primò & immediatè fundamentum. n.49.65
Vna relatio an possit fundare aliam. n.51
Relationis esse,non est esse simpliciter. q.30.ar.1.n.24
An formalis terminus relationis sit respectiuus. q.36.ar. 4.n.34.35.36

Relatio rationis.

Ipſa ſola inter entia rationis habet fundamentum in re. q.28.ar.1.n.12
In relationibus rationis, idem terminus proximus ſumitur bis. ar.4.n.55
Relatio rationis non datur in re ante operationem intellectus. n.57

Relatio tranſcendentalis.

Quid ſit, & in quo diſtinguatur à prædicamentali. q.45. ar.3.n.2

Relatiuum.

Relatiuorum definitio, & tres proprietates explicantur. q.28.ar.1.n.3. ad 7
Relatiuorum tria genera. n.41.& q.27.ar.1.n.24
Relatiuum non opponitur abſoluto. quæſt.28. artic.2. num.38
Duo relatiua in diuinis identificari cum tertio relatiuo; non ſic de abſolutis. q.28.ar.4.n.32
Relatiua ſe ipſis opponi,& diſtingui. n.53
Cur in diuinis multiplicetur relatiuum,non autem abſolutum. q.40.ar.2.n.53.54
Relatiua eſſe ſimul natura. q.42.ar.3,n.8

Res.

Ex S.Thoma in diuinis eſſe plures res. q.28.ar.2.n.133

Rhemenſe Concilium.

De hoc Concilio contra Gilbertum Porretanum agitur q.28.ar.2.n.11

Reſuſcitatio mortuorum.

Eſſe opus omnium admirabiliſſimum ex Auguſtino. q.27.ar.1. n.118

Riccardus Victorinus.

Quid ſentiat de principio diuinarum proceſſionum. q.27. ar.1.n.223
Quid de ratione, ob quam vna proceſſio, & non alia, ſit generatio. q.27.ar.2.n.35.& 40
Illum in Deo poſuiſſe tres exiſtentias relatiuas. q.30.ar.1. num.12
Non malè ſentire de nomine Verbi. q.34.ar.1.n.2

S.

Sabellius.

SAbellius & Arius in quo conueniant,& diſcrepent;& quo modo eorum inter ſe pugna confirmet veram fidem. q.27.ar.1.n.140
Sabellij hæreſis ex Athanaſio,& aliis Patribus. n.142

Sanctitas, Sanctus.

Quid his vocibus propriè ſignificetur. q.36.ar.1.n.5

Sapientia.

An dici poſſint tres ſapientiæ relatiuæ in Deo. q.30.ar.1. num.28
Cur non dicatur Pater ſapiens ſapientia genita. q.37.ar.2. num.6
An Pater ſit ſapiens ſapientia ingenita, Filius ſapiens ſapientia genita. ibid.

Sardicenſis Synodus.

Quam authoritatem habeat. q.41.ar.2.n.3

Scientia ſecretorum cordis.

Eſt propria ſolius Dei. q 27.ar.1.n.31

Scotus.

Quid ſenſerit de diſtinctione diuinarum relationum ab eſſentia. q.28.ar.2.n.7.8.& 41
Quid de diſtinctione relationis ſpirationis actiuæ à paternitate;& filiatione. ar.4.n.10
Refertur & impugnatur Scoti ſententia, de proceſſione Verbi ex cognitione naturæ, non perſonarum. q.34. ar.3,n.26.ad 32

Scriptura Sacra.

Quid in Scriptura ſignificet, *In principio, Ab initio.* q.27. art.1.n.61
Cur in Scripturis,futura dicantur facta. n.98
Scriptura quando temerè explicatur in ſenſu metaphorico. n.233.& q.28.ar.1.n.1
Regula interpretandi loca Scripturæ de Trinitate,ex Auguſtino. q.27.ar.1.n.35

Senſus.

Per actiones ſenſitiuas produci etiam intrinſecum terminum. q.27.ar.1.n.264

Similitudo.

Ratio ſimilitudinis in diuinis penes quid attendatur.q.27, ar.2.n.42.43
Diſtinguitur duplex ſimilitudo, q.27.ar.2,dub.6.initio.
Similitudo intentionalis cur ex S. Thoma faciat ad Verbi generationem. n.62. & 71. ad quam ſufficit ſimilitudo realis in eſſendo. n.72. ſed ſimilitudo intentionalis requiritur eſſentialiter concomitanter. n.68
Idem eſt, procedere vt ſimilem, & vt imaginem, n.78. & 92
Similitudo in quo differat ab imagine, n.83
Similitudo ordinata ex intentione naturæ ad repræſentandum principium producens,an requiratur ad generationem. n.89.& deinceps.
Simile alteri, quid præterea habere debeat, vt ſit ordinatum ad repræſentandum alterum. n.90
An ſit ſimilitudo inter duo alba,v.g.habentia eamdem albedinem. q.28.ar.4.n.65
Datur ſimilitudo in diuinis. q.42.ar.1.n.3.ad 7
Differentia inter ſimilitudinem, & æqualitatem. num.3. 4.& 5
Licet dicere, Filius aſſimilatur Patri; non contrà, numero 6
Similitudo formaliter eſt in diuinis relatio rationis. n.7. ſed fundamentaliter importat negationem in natura. num.8
Radicem ſimilitudinis diuinarum perſonarum eſſe naturam,non relationes. n.9
An ſimilitudo ſit etiam inter relationes præcisè conſideratas. n.11.& deinceps.

Sinus.

Quid hoc nomine ſignificetur in Scriptura. q.27.art.1. n.71.& 78

Solitarius.

Nefas eſt dicere,Deum eſſe ſolitarium. q.31.ar.3.n.4

Solus.

Si ſumatur categorematicè, non debet addi termino eſſentiali in diuinis. q.31.ar.3.n.1.ad 11
Dictio,*ſolus*,quid ſignificet ex Ariſtotele. ibid.
Solus,idem eſt quod ſolitarius. n.4.5.8
Si ſumatur ſyncategorematicè poteſt addi termino eſſentiali. n.11.12.13
Non valet,ſolus Deus creat;ergo ſolus Pater. n.11
Prædicatum abſolutum tributum ſoli Patri, aut ſoli Filio, aut ſoli Spiritui S. non excludere reliquas perſonas. q.27.ar.1.n.35.36.37
Solus categorematicè, non poteſt ſimpliciter tribui vni tantùm perſonæ. q.31.ar.4.n.1
Tribuitur autem vni perſonæ reſpectu prædicati perſonalis, vt ſolus Pater generat; non reſpectu prædicati eſſen

eſſentialis, vt ſolus Pater eſt Deus. n.2.3. quamquam hoc etiam in bono aliquo ſenſu dici poteſt. n.4.
Solus Pater eſt Deus,exponitur tripliciter. n.5.ad 10
Solus Pater ſpirat,dici non poteſt. n.9
Differentia inter ſolum,& tantum. n.10
Deum etiam in æternitate dici non poſſe ſimpliciter ſolum,ſed tantum ſecundùm quid. q.31.ar.3.n.3.& 5
An hæ veræ ſint, Pater eſt ſolus Deus. Trinitas eſt ſolus Deus. Solus Deus eſt Trinitas. Trinitas eſt tantum Deus. Verbum eſt tantum Deus. Chriſtus eſt tantum homo. ar.4.n.10

Species.

Species expreſſa cognita, ſi datur in intellectu, an detur in ſenſu. q.27.ar.1.n.254
Duo ſpecie diuerſa,eſſe idem re. q.28.ar.4.n.29

Spiratio. Spirare. Spirari.

Spirationis nomen à quibus vſurpetur. q.27.ar.4.n.7
Spirari, & generari,non eſſe diſparata; ſicut ſunt ſpirare, & generare. q.28.ar.4.n.26.27.ad 29
Si Pater & Filius non ſpirarent, non eſſet eadem generatio ſecundùm rem. n.31
Spiratio actiua dicitur proprietas à S.Thoma. q.40.ar.2. num.16
Voluntas ſpirandi an ſit prior ſpiratione. q.41.ar.2.n.9
Spiratio etiam vocatur naturalis à Cyrillo. n.21

Spirationis relatio.

De nomine huius relationis. q.28.ar.4.n.6
Cur detur relatio ſpirationis actiuæ. q.28.ar.1.n.45
Cum dari in Patre & Filio probatur. q.28.ar.4.n.1.ad 9.& probari per relationem ſpirationis paſſiuæ. n.4
Aduenire Patri & Filio, ſed non eſſe accidens. n.8. nec diſtingui in re à paternitate,& filiatione. n.9.ad 35
Relationi ſpirationis paſſiuæ quomodo opponantur paternitas & filiatio. n.15
Relatio ſpirandi non prædicatur de paternitate, & filiatione: & è contra q.28.ar.4.n.42.ad 45
Ab illis verò diſtinguitur perfecta ratione. n.18.19
Non includitur eſſentialiter in illarum conceptu. n.20. ad 25
Harum trium relationum munera conferuntur. n.24
Spirandi relatio an communicetur Filio à Patre; an verò reſulter.n.33. Non dicitur quarta res, ſed quarta relatio. n.35.ad 45.& eſt vna numero. n.41
Spirandi relatio quam exiſtentiam habeat. q.30.ar.1.n.16. quomodo ſpectet ad perſonam. q.36.ar.2.n.42
Quo modo conueniat Patri & Filio relatio ſpirationis actiuæ. q.36.ar.4.n.20.ad 24
Relatio ſpirationis paſſiuæ terminatur ad Patrem, & Filium formaliter.n.37.& non ſub diſiunctione. n.38
Relatio ſpirandi non conſtituit,nec diſtinguit, q.40.ar.2. n.19.nec habet propriam ſubſiſtentiam. n.24
Cur dicatur à S.Thoma inhærens. ibid.
Eſt aduentitia,non ſimpliciter,ſed ſecundùm quid. n.25. & aduenit non componendo,ſed referendo. ibid.
An præciſa ſpirandi relatione, Pater & Filius opponantur Spiritui S. n.26

Spirator. Spirandi principium.

Pater nullo modo,ne origine quidem, prius ſpirat, quàm Filius. q.36.ar.3.n.10
Patrem & Filium ſpirare eodem modo. n.13
Quomodo ad ſpirandum concurrant paternitas & filiatio. num.14
An ſint vnum principium ſpiratiuum Pater & Filius.q.36. ar.4.n.1.ad 5.an vnus ſpirator. n.5.ad 10
An ſit eadem ratio de vno ſpiratore,& vno creatore. n.6
Patrem & Filium rectè dici duos ſpirantes. n.10
An Pater & Filius ſint idem principium Spiritus ſancti. n.11.an duo authores,& donatores, n.12
An ſint vnum principium propter vnam perſonalitatem. n.13. aut vnam ſubſiſtentiam diſtinctam. num.14. aut vnam relationem,aut vnam potentiam.n.16. aut vnam formam,aut vnam conditionem. n.24
Quo modo Pater & Filius dicantur vnum principium *vt quod*. n.25.26.& an præciſa relatione ſpirandi, diſtinguerentur à Spiritu ſancto. n.27
Cur plures perſonæ, ſint per ſe requiſitæ ad ſpirandum, non ad creandum. n.42
An principium ſpirandi ſit eſſentia cum relatione. n.41
An Pater & Filius ſpirent æquè immediatè. q.36. art.3. num.12
An virtus ſpiratiua ſit prius origine in Patre. n.11

Spiritus.

Quid propriè ſignificetur nomine ſpiritus. q.36.art.1.n.4

Spiritus ſanctus.

De Spiritu S.quid ſentiant Ariani. q.27.art.1,n.103
Authores hæreſis contra diuinitatem Spiritus ſancti.n.104
Spiritum S.etiam eſſe Deum de Deo. n.201
De diuinitate Spiritus ſancti teſtimonium Aratoris poëtæ. num.106
Spiritus S. diuinitas illuſtrior poſt Chriſti aſcenſionem. num.105
Spiritum S.loqui per Prophetas. n.110
Immenſitas Spiritus S.probatur. n.114
Spiritus S. operationes, quibus probatur eius diuinitas, numerantur. n.117.ad 120
Spiritus ſancti,aqua,& ſanguis,quomodo dicantur vnum. num.122
Spiritui S.tribuitur charitas. num.124. eſt maior Chriſto. n.127. Numquam dicitur minor aliis perſonis, ſicut dicitur Chriſtus. n.126
Spiritus S. & creaturæ, diuerſo modo dicuntur ex Deo. num.137
Spiritus S. aliquando non connumeratur cum Patre, & Filio abſque abſurdo. n.139
Spiritum S. mitti à Filio. n.160
Spiritus S.manet in Patre,& Filio. n.191
Spiritus S.non haberet patrem,& matrem, etiam ſi generaretur à duobus. q.27.art.2.n.26
Spiritus S.cur ex Baſilio non ſit Filius. n.48. Non eſſet filius, etiam ſi ſpiraret. n.48.49
Cur non poſſit producere ad intra. n.50
Habet radicalem potentiam producendi ad intra. n.58
Spiritum ſanctum non eſſe creaturam. q.27.art.1.n.125
Quam vim habeat ratio Baſilij,probans,Spiritum ſanctum non eſſe Filium. q.27.art.4.n.5
Spiritus S.quo ſenſu dicatur à Baſilio,Verbum Filij. q.34. art.1.n.22
An,& quo modo ſit Deus ex vi ſuæ proceſſionis. q.27. art.2,n.135.& ſequentibus.& q.35.art.2.n.6
Spiritus S.in ordine ad Deitatem quomodo comparetur, q.27.ar.2.n.137
Spiritui ſancto an prius communicetur proprietas naturæ. n.139
Spiritus S,an producatur vt perſona formaliter. num.142. 143.
Spiritus S. quomodo ſit ab alio. q 28.art.2.n.117
Spiritum ſanctum etiam in aliquo bono ſenſu dicere Verbo. q.34.art.n.21
De Spiritu S.quid dixerint Concilia. q.36.art.2.n.14.15
Spiritus S.quomodo ſit nexus duorum. q.36.art.4.n.39. & q.37.art.1.n.5
An Pater & Filius diligant ſe Spiritu ſancto. q.37.art.2. toto.
Cur dicatur Pater diligens dilectione ſpirata, & dici non poſſit Pater ſapiens ſapientia genita. n.8
Spiritus S.diligit ſe Spiritu S.eſſentialiter, non notionaliter. n.9
Spiritum S.reſpicere formaliter Patrem & Filium, vt producentes,

ducentes,non vt correlatiuos. q.36.art.4.n.33.ad 38
Spiritus S. donat se. q.38.art.1.num.2. & ita est donum, sicut Filius est imago. art.2,n.5
In quo sensu Spiritus S. eo sit donum, quo Deus. num.6
Per Spiritum S. dari omnia dona. n.7
Quomodo Spiritus S.sit,vel non sit donum nostrum. n.8
Origo hæresis Græcorum contra Spiritum S. q.36.art.2. num.16.
Spiritus S.est in Patre,& Filio,& è contra. q.42.art,5 num.1.
Spiritus S. nihil vmquam in vnitatem personæ assumpsit. q.43.art.1.num.1

Spiritus sancti nomen.

Spiritus S.vocatur Dominus in Scriptura. q. 27. art.1. num.124.& charitas. num.224,233, & q.37.art;1.n.3
Spiritum S.in quo sensu Patres Græci appellent imaginem Filij. q.35.art.2.num.7
Quo modo Spiritus S.dicatur character,& facies. num.8. & spiritus oris. q.36,art.1.n.6
Spiritus S. dicitur Spiritus Filij,& Dei,& Patris. q.36. art.2.num.11.& art.4 num.35.
Spiritus Sancti nomen esse proprium alicuius diuinæ personæ. q.36.art.1.toto.
Quo modo sit proprium tertiæ personæ. q.27. art. 1. num.165.& q.36.art.1.num.2.& 3
An Spiritus S.sit nomen relatiuum. q.36. art. 1. n.2.& q. 40.art.2.num.39.
Cur Spiritus sancti nomen accommodetur tertię personę. q.36.art.1.num.4.5.6
Spiritum S. proprio nomine vocari etiam Amorem, non essentialiter sumptum,sed personaliter. q.37.art.1.toto.
Vocari etiam Sanctitatem. art.2.n.6. Item,Donum.q.38. art.1.n.1. & hoc esse proprium nomen Spiritus sancti art.2.num.3.ad 6

Spiritus sancti processio.

Spiritus S. procedit vt Deus. q.27. art.1. n.103. ad 140. non generatur,sed procedit. num.130
Spiritum S.procedere à Filio. n.157.159
Spiritus S. etiam procedit de substantia Patris & Filij, num.194
Spiritus sancti processio est per actionem voluntatis. num.220.ad 234
Spiritus S.quomodo procedat per voluntatem. q.27.art.2. num. 29.& 32
Quo sensu Patres doceant, processionem Spiritus sancti esse nobis ignotam. q.27.art.4.n.6
Spiritus S. non procedit vt formaliter similis in natura. q.27.art.2.n.74. ad 83. & si procederet vt similis, repræsentaret in se ipso Patrem & Filium. n.82.90
Spiritus sancti processio cur non sit generatio. n.124. ad 144.& art.1.n.4 & 6.& q.35.art 2.n.6
Spiritus S.quomodo procedat vt non similis. n.140
Cur Spiritus sancti emanatio, nominata sit processio. q.27.art.4.n.7
Quis primus dixit,Spiritum S.non procedere à Filio.q.36. art.2.n.3. & quot mala hic error Græcis attulerit. n.4
An Spiritus S.procedat ex amore possibilium. q.34.art.3. num.58
Quid sentiat de Spiritus sancti processione à Filio, Theodoretus. q.36.art.2.num.2. Damascenus. n.3. Theophylactus.& alij. num.4
In Scriptura processio Spiritus S. à Filio non habetur expressis verbis. n.5.6. sed habetur per necessarium sensum verborum Ioan.16. *De meo accipiet.* n. 7. & 8. & necessario deducitur ex locis,quibus Spiritus S. dicitur mitti à Filio. n.9.& 10. & Spiritus Filij. n.11. & ex illo Ioan.15. *Spiritum veritatis,qui a Patre procedit.* n.12
Spiritus S. cur expressius dicatur procedere à Patre,quàm à Filio. n.13
An Spiritus S. distingueretur à Filio, si ab illo non procederet. n.24. ad finē articuli. & de vtilitate huius controuersiæ. n.25. ad 28. & tunc nulla esset oppositio inter Filium & Spiritum S. n.24. nec remaneret eadem filiatio. n.26
Si Spiritus S. procederet à solo Filio, an distingueretur à Patre. n.50
Si Spiritus S.non procederet à Filio,nec posset procedere, num.51
Spiritum S. procedere à Patre per Filium.q.36.art.3.toto.
Cur sancti Patres ita loquuti sint. n.5
Procedere per Filiū,non excludit procedere ex Filio. n.4
An dici possit Spiritus S.procedere à Filio per Patrem.n.6
Spiritum S. procedere à Patre principaliter, & propriè; non principalius, & proprius. n.7.ad 10
Spiritus S. processio explicata à Patribus per insufflationem.Ioan.20. q.36.art.1.n.5.& 6
Spiritus S. postulat produci à duobus ratione sui per se. q.36.art.4.n.31. ad finem articuli.
Spiritus S. producitur naturaliter, sed non per modum naturæ. q.41.art.2.n.18

Subiectum.

Distinguitur, & probatur duplex subiectum, eductiuum, & sustentatiuum. q.45.art.2.n.4
Subiectum præsuppositum actioni, non posse produci per actionem, quæ illud præsupponit. n.11

Subsistentia.

Subsistentia,& existentia, in creaturis differunt ex natura rei. q.29.art.1.n.7
Subsistentia & natura in creatis habent duplex esse. q.30. art.1.n.22.
Quot modis vsurpetur subsistentia. n.39
Subsistentia an sit perfectio simpliciter simplex. n.70
An esse subsistēs,sit idē quod esse cōpositum.q.45.ar.4.n.1

Substantia.

Substantia quomodo non sit relatio apud Augustinum. q.28.art.2.n.44
Prima substantia an sit persona. q.29.art.1.n.2
Cur in Deo tres substantias non dicimus. art.2.n.9
Substantiæ vox,eiusque proprietates. q.39.art.2.n.13
Differentia inter nomen substantiæ, & essentiæ. n.18
Quo sensu dicat Philosophus, substantiam esse accidente priorem,*& ratione, & cognitione, & tempore, & natura.* q.45.art,3.n.31.

Substantiuum.

Vide,Nomen.

Suppositum.

Quid addat supra naturā singularem. q.29.art.1.n.5.ad 9
In diuinis addere aliquid positiuum. num.5.In creatis non addere duplicem negationē, neque negationem communicabilitatis. n.6. neque accidens, neque existentiam. n.7. sed subsistentiam. n.8
Suppositi creati ab increato differentia. q.30.art.1.n.35
Suppositum absolutum an detur in diuinis. n.55

Syllogismus.

Explicantur Syllogismi non concludentes in materia de Trinitate. q.28.art.2.n.102.& 159

Symbolum.

Cur Nicænum Symbolum nil ferè dicat de Spiritu sancto. q.27.art.1.n.194
Quo tempore additum sit Symbolo illud, *Filioque.* q.36. art. 2. n.17. & necessitas addendi. n.23. & qua potestate additum. n.19.ad 23
De Symbolo Damasi, & Athanasij. q.36.art.2.n.18

Synusios.

Vox hæc an suspecta sit. q.39.art.2.n.10

Syrmiensis Synodus.

Quo sensu dixerit,Filium Dei obscurum,& ministrantem Patri in creatione omnium. q.27.art.1.n.95
De authoritate huius Synodus. n.148.& q.41.art.2.n.3

T.

Tanquam.

HÆc particula exponitur q.36.art.4.n.4

Tantum.

Differentia inter solum,& tantum. q.31.ar.4.n.10
Verè dicitur,Trinitas est tantum Deus;falsò autem, Verbum est tantum Deus. ibid.

Tempus.

Præter tempus reale,dari tempus imaginarium.q.46.ar.1. num.10
Tempus factum esse in tempore, quid sit. n.24
Tempus infinitum à parte ante, & infinitum à parte post, quomodo conueniant & differant. ar.2.n.58
Tempus infinitum à parte post, si per impossibile poneretur totum in actu,non haberet vltimum. n.65. & cur à parte ante,non à parte post, possit esse totum in actu positum. n.66
In tempore infinito à parte ante non posse assignari aliquam reuolutionem,à qua infinitè distet reuolutio hodierna. n.67
An cœlum ab æterno productum, moueri possit quando producitur. n.70
Qua ratione in tempore æterno sint infiniti dies, menses, & anni,&c. n.75.ad 78.& n.79.ad 83
An Deus singulis diebus æterni temporis creare possit vnum angelum. n.84
An in tempore æterno, etiam prius & posterius sint ab æterno. n.78

Terminus à quo.

Quid sit terminus *à quo* propriè; & an reperiatur in actione æterna. q.27.ar.1.n.193
Quam connexionem habeant inter se terminus *à quo*, & terminus *ad quem.* q.45.ar.2.n.22

Terminus categorematicus.

Quid significet secundùm S.Thomam. q.31.ar.3.n.1

Terminus numeralis.

Vide, Numerus.

Tertullianus.

Quid senserit de apparitione Spiritus sancti, sub specie columbæ. q.43.ar.7.n.1

Theodoretus.

Quid senserit de processione Spiritus S.à Filio.q.36.ar.2. num.2

Theophylactus.

Quid senserit de nomine Verbi. q.34.ar.1.n.2
Quid de processione Spiritus sancti à Filio.q.36.ar.2.n.4

S. Thomas.

Eius sententiam esse,ex qualibet creata intellectione semper formari verbum. q.27.ar.1.n.243. & ex qualibet volitione formari amorem. n.261
Item,Verbum non esse id in quo intelligimus. n.251.252
Ex S. Thoma, Verbum generatur, non Spiritus S. quia Verbum,non Spiritus S.ex vi processionis accipit essentiam Dei. q.27.ar.2.n.127.ad 130
Mens S.Thomæ,& Thomistarum,de realitate diuinarum relationum secundùm esse *Ad.* q.28.ar.1.n.9.ad 17
Quomodo S. Thomas probet, dari relationes creatas. n. 36.37.40.44.46
S.Thomam docuisse,Relationes non esse de essentia Deitatis. q.28.ar.2. n.59. & Deitatem non esse de essentia relationis. n.94.ad 98.& 111
An ex S.Thoma relatio diuina ex se dicat perfectionem. n.122.ad 125
Ex S. Thoma relationem creatam distingui è parte rei à fundamento. n.171.ad 180
Quid senserit de nomine Verbi. q.34. art.1. n.21. & de ratione, propter quam Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti. q.36.ar.4.n.17
S.Thomam in re,quæ creatur, posuisse actum absolutum, quo formaliter creetur. q.45.ar.3.n.3.ad 7
Negasse quodlibet creationis instrumentum,& retractasse contrariam sententiam. ar.5.n.69.76
S.Thomam docere positiuè, hunc mundum potuisse esse ab æterno. q.46.ar.2.n.3.& 4
Quid senserit de existentiis relatiuis. q.30.ar.1. n.21.22. & de subsistentia absoluta. n.42. 43. & de subsistentiis relatiuis. n.59.60
An secundùm S.Thomam, relatio spirandi sit constitutiua. q.40.ar.2.n.19.&c.
Plura dicta S.Thomæ de constitutiuis personarum expenduntur. q.40.ar.2.n.55.66.82.84
Locus S.Thomæ 4.Con.gen.c.11. exponitur q.27.ar.1. n.252. & de veritate. q.4.ar.1. exponitur n.256
Et de Veritate. q.4.art.3.ad 3. & q. 9. art.5. & in cap.1. Ioan.lectione 1.exponuntur n.257
Et de Veritate. q.4.ar.2.ad 7. exponitur. 1.265
Et 1.d.13. q.1. ar.3. ad 3.& de Poten. q.10.art.2.ad 22. exponuntur q.27.ar.2.n.8
Et p.p.q.27.ar.2 ad 2.exponitur q.28.ar.2.n.6

Toletanum XI.

De huius Concilij authoritate. q.40.ar.2.n.45

Trinitas.

Trinitatis cognitio, & disputatio, maximè periculosa,laboriosa,& fructuosa. Proœmio,per totum,
Quomodo procedendum in disputatione de Trinitate. q.27.ar.1.n.18.167
Trinitatis æternitas. n.128
Trinitatem significari Isai.6. n.129
Quælibet persona est Deus;non tamē tres Dij.n.132.163
Trinitatis obiectum scientia Theologica de Trinitate nō præsupponit,sed probat. n.167
Trinitas quomodo agat per Deitatem. n.240
Trinitas,vt Trinitas,est realis. q.28.ar.1.n.20
Trinitatem multiplicat sola relatio. q.28.ar.1.n.35.& ar. 2.n.2.65.& ar.3.n.2. & ar.4.n.17
Trinitas auget vnitatem. art.2. n.23. & non facit compositionem. n.21.22
Trinitas, vt Trinitas, dicit perfectionem. n.130. honoratur. n.131
Trinitatis nomen aptè tribui Deo. q.31.ar.1.n.1
Trinitas dicitur quasi trina vnitas. n.3
Quid significetur cùm dicitur,Deus est trinus,est Trinitas. num.4
Trinitas significat personarum pluralitatem, non naturæ; & non est nomen relatiuum. n.5. & significat vnitatem naturæ,non personæ. n.6.7
Trinitatis nomen non potest absolutè tribui creaturis.n.7
Trinitas sitne nomen collectiuum. n.8
Trinitas in vnitate,& vnitas in Trinitate,quid sit. n.9
Trinitas an prædicari possit de supposito, saltem in communi. q.39.ar.6.n.6
Non licet dicere,Pater,Filius,& Spiritus S.sunt vnus,masculinè;sed sunt vnum,neutraliter. q.31.ar.1.n.4
Trinitas quid in recto & principaliter significet,pluralitatem,an vnitatem. ibid.
Qua ratione tribuatur Trinitati nomen imaginis. q.35. ar.2.n.11
Deus est Trinitas, esse veram in sensu identico, non formali. q.39.ar.6.n.8
Opera Trinitatis ad extra,esse indiuisa. q.45.ar.6.n.4.& 5
Locus Missæ de Trinitate explicatur q.31.art.2.n.16.31
Trinitas non est euidenter cognoscibilis naturaliter. q.32. art.1. n.1. ad 6. neque probabiliter, neque ab angelis, neque ex suppositione fidei Trinitatis. n.6
Quomodo fides Trinitatis perstudenda sit infidelibus. num.4
Trinitatis vestigium reperiri in qualibet creatura. q.45 art.7.n.1.& 2
Trinitatem à creaturis rationalibus repræsentari per modum imaginis. num.3. præsertim ab homine. n.4. & deinceps.

Triplex, Triplicitas.

Triplex non dicitur Deus, ſed trinus. q.33.art.1.n.10.& 11
Triplex, & Triplicitas, dicitur de aliis terminis diuinis non abſolutis. num.12

V

Vbi

VBi intrinſecum, productum per motum localẽ, poſſe negari valdè probabiliter. q.27.art.1.n.246.

Verbum

Verbum creatum & increatum, quomodo differant: & cur creatum ſit accidens; increatum verò, ſit perſona. q.27. art.1.num.162
Ex qualibet intellectione creata producitur Verbũ. 243. ad 248. etiam ex intellectione ſui ipſius. n.244.245. 247
Verbum eſt terminus actionis intellectualis. n.247
Verbum quid ſit. n.247.248. & q.34. art. 1.n.4.19.20. & art.3.num. 11
Verbum creatum non procedit ex actu, ſed ex actione intelligendi. q.27.art.1.n.248.249
Verbum creatum, eſt ſolum *id quo*, non autem *id in quo*. num.250.ad 259
Verbum qua ratione dicatur ſpecies intellecta. n.251. & intentio intellecta, & conceptio intellectus. n.252.256
Verbum reflexè ſolum intelligitur. n.252
Quam ob cauſam in creaturis producatur verbum. n.267. ad 272
Quo ſenſu dixerit Auguſtinus, *Verbum eſt cum amore notitia.* q.34.art.3.n.60
Quo modo verbum creatum, ſit imago. q.35. art.1. n.3.

Verbum increatum.

Quo ſenſu dicatur creatum. q.27.art.1.n.11
Cur dicatur incarnatum ab æterno. num.13
Non poſſe dici ſimpliciter factum. num.11
Verbum cur Ioan.1. dicatur eſſe apud Deum, non in Deo. num.79
Verbum, & Chriſtum, eſſe eandem perſonam. n.164
Verbum propriè dicitur de Deo. n.233.& q.34.art.1.n.1
Verbum abſolutum cur non producatur per intelligere eſſentiale. q.27.art.1.n.271
Verbum in diuinis quomodo dici poſſit eſſentialiter. ibidem.
Quid ſit apud Auguſtinum, *non eo verbum, quo ſapientia.* q.28.art.2.num.44.
Cur Verbum, & non Amor, generetur in diuinis. q.30. art.2.num.3
Differentia inter Verbum, & Amorem. num.7
Verbi nomen in diuinis dicitur perſonaliter, non eſſentialiter. num.13. ad finem articuli.
Verbum non eſt intellectio abſolutè conſiderata. n.20
Verbo Pater non intelligit, ſed in verbo. q.30.art.2.n.23. & art.3.num.7
An ſi eſſet vna tantũ perſona, haberet verbum. art.2.n.24
Verbum importare eſſentialiter, & ſimpliciter, ſapientiã, & generationem: ſed principalius generationem. q.34. art.2.num.1.ad 5
Verbum importat formalius relationem ad Patrem. n.5.6. & qua ratione. num.7
Relatio importata nomine Verbi, eſt ipſa filiatio Filij Dei. num.9.& 10
Quo modo vna ſimplex relatio, ſit Filij, & Verbi. n.11
Verbo diuerſimodè dicunt Pater, Filius, & Spiritus S. n.21
In Verbo diuerſa ratione ſunt Pater & creaturæ. q.42. art.5.num.25

Verbi increati proceſſio.

Cur dicatur & creatio, & generatio. q.27.art.1.n.14
Verbum non procedere modo quo effectus procedit à cauſa. num.18
Verbi proceſſio cur Michææ 5. dicatur *egreſſiones*. n.60
Verbi diuini proceſſio explicatur ab Auguſtino per proceſſionem verbi creati. num.244
Verbum procedere per ſe ex cognitione naturæ diuinæ, & perſonarum. q.34.art.3. num.25.26. & non ex cognitione Patris tantum. num.32.ad 35. ſed etiam Filij, & Spiritus ſancti. n.35.36
Verbum non procedit ex cognitione ſolius eſſentiæ; licet hæc ſola ſit obiectum primarium. n.37
Verbum procedit ex cognitione intuitiua. n.43
Verbum procedens ex Spiritus ſancti cognitione, quomodo non ſit Spiritus ſancti imago. n.46
Verbum ſi non procederet à cognitione Spiritus ſancti, quid de illo dicendum eſſet. n.47
Verbũ per ſe procedit ex cognitione poſſibiliũ. n.50.ad 61
An ſi creaturæ non eſſent poſſibiles, Verbum futurum eſſet minus perfectum. n.52
Verbum an procedat ex cognitione futurorum. n.61
An ex ſcientia conditionalium. n.63. an ſaltem ex ſuppoſitione procedat ex cognitione futurorum. n.65
Verbum, & cognitio diuina, quomodo terminentur ad futura. num.65.66.67
In verbi diuini productione non dari plures intelligendi actus. q.34.art.3.num.1.ad 8
In diuinis prius ratione intelligi obiectum, quàm produci verbum. num.5.ad 8

Viæ

Quid in Scriptura ſignificent viæ Domini. q.27.art.1.n.8 & 12

Viſio, Videre.

Viſiones albi, & nigri, non diſtingui ſpecie ex S.Thoma. q.45.art.5.num.63
Videre immediatè, quid ſit ex S.Thoma. q.27.art.1.n.258

Vnigenitus

Duo importat, & eſſe vnum, & eſſe genitum. q.27.art.1. num.71
Vnigenitus malè definitur ab vno genitus. n.77
Vnigeniti ratio probat, Spiritum S. non eſſe filium. q.27. art.4.num.2.& 3

Vnitum, Vnum.

An tres perſonæ dici poſſint vnitæ. q.31.art.2.num.26
Plures perſonæ diuinæ ſunt vnum, non vnus. num.9
Vnum in re eſſe poſſe duo diuerſa ſecundum ſpeciem. q.28.art.4.num.29

Volitio

Ex qualibet volitione procedere amorem, ſicut ex qualibet intellectione procedit verbum. q.27. art.1.n.259. ad 266.

Voluntarium.

Aliquid eſſe voluntarium, aliquando idem eſt, quod eſſe voluntate. q.41.art.2.num.1

Voluntas.

Aliquid fieri, vel eſſe voluntate, ſumi dupliciter, vel concomitanter, vel cauſaliter. q.41.art.2. num.1
Differentia voluntatis ab intellectu. q.27.art.2. n.104. & à natura. q.41.art.2. num.10

Vterus

Quo modo ſumatur in Scriptura. q.41.art.4.n.12